2.5.27 A

S
2 R 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Legato D: Equitis Ant. Francisci Marmi

VETERIS TESTAMENTI
LIBRI HISTORICI,

JOSUA, JUDICES, RUTHA, SAMUEL, REGES, PARALIPOMENA, ESDRAS, NEHEMIAS ET ESTHERA;

EX TRANSLATIONE

JOANNIS CLERICI;

CUM EJUSDEM

COMMENTARIO PHILOLOGICO, DISSERTATIONIBUS CRITICIS, ET TABULIS CHRONOLOGICIS.

1571

AMSTELODAMI,

Apud HENRICUM SCHELTE,

M DCC VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PRÆSULI
GILBERTO
EPISCOPO SALISBURIENSI,
ET
NOBILISSIMI PERISCELIDIS ORDINIS CANCELLARIO,
S. P. D.
JOANNES CLERICUS.

UT hoc Volumen Tranſlationis meæ Veteris Teſtamenti, Commentariorúmque in Libros Hiſtoricos Tibi, REVERENDISSIME PRÆSUL, conſecrarem, non una me ratio impulit. Cùm in hac noſtra Hollandia ante viginti annos verſareris, jam tum innoteſcere Tibi cœpi, eſſéque in eorum numero, quorum amicitiam non omnino ſpernere videbaris. Eam verò ſemel partam colere numquam deſii, & quà potui litterarum monumentis conſecrare; laudibúſque in Te congeſtis, ſine adulatione & fuco, ad ſeros nepotes, ſi mea ad eos pervenire contingat, tranſmittere conatus ſum. Nec occaſionem etiam ullam prætermiſiſti, quâ conatus meos, qualeſcumque ſint, bene merendi de hac ætate, déque poſteris, quoad poſſum, Tibi per omnia non diſplicere teſtareris. Non ita quidem mihi placeo, ut putem ea quæ molitus ſum doctiſſimorum hominum oculis eſſe digna, eámque utilitatem Chriſtiano nomini adferre, quàm cuperem à me allatam; at ſcio cupiditati meæ juvandi Sacras præſertim Litteras, nihil deeſſe, ſi animum meum ſpectes; quo nemo veriùs, amore Veritatis à Deo nobis revelatæ ejúſque illuſtrandi ſtudio, umquam flagravit. Huic non fucato amori Veri, nec ulla etiam emolumenta ſpectanti, quæ ambientibus, potiùs quàm merentibus, tribui ſolent, acceptum refero favorem omnem, quo præſtantiſſimi viri, Túque, inter potiſſimos, me & mea proſequuti eſtis. Hoc uno certè placere potuiſſe me ſentio, non quòd laborem incredibilem & quantum æmuli ferre non poſſent, illi

meo ſtudio non adjecerim; ſed quòd boni animi mihi certiùs multò conſcius ſim, quàm felicis ſucceſsûs laborum meorum, de quibus alii meliùs, quàm ego, judicaverint: cùm nemo animum meum penitiùs, quàm ego, norit, ſi Deum unum, qui omnia novit, excipias. Non ita bene agitur cum humano genere, ut omnes homines conſentiant de ratione conſequendi finis, ad quem tendunt; aut cum Chriſtianis, ut omnes eo modo, qui ſit optimus, Sacras Litteras illuſtrari oportere putent, quas omni ope illuſtrandas maximo tamen conſenſu clamant. Itaque ut nec mihi omnia, quæ ab aliis, hanc in rem, proficiſcuntur placent : ſic nec omnia mea aliis arridere exiſtimo, imò nec iis, quos patronos alioqui mihi ſummopere optarem, defendenda impono. Sed fateor me non poſſe non commoveri, cùm video interdum ea, quæ optimo animo fiunt, ab hominibus imperitis, iniquis ac factioſis aliovorſum trahi, & malo cuipiam conſilio tribui; qua in re non tantùm eorum, quæ oculis ſubjecta ſunt, ſed & arcanarum cogitationum judices volunt haberi. Non hæc ideò dico, quòd quidquam in iis, quæ in publicam lucem emiſi, eſſe credam, quod debeat ex animo meo, potiùs quàm ex re ipſa, æſtimari, nec aliter defendi queat, quàm quia bono conſilio à me eſt prolatum. Ita loquor, quòd hoc putem cuivis deberi, ut omnia ejus facta & dicta quàm æquiſſimè interpretemur, nec malum animum umquam ei, niſi res manifeſta ſit, tribuamus; exploratóque ex certis indiciis ejus conſilio, cùm bonum eſſe conſtat, boni quæ candidâ mente proferuntur conſulamus.

Poſſem ceteroqui, ſi ita res poſtularet, laudes & teſtimonia oſtendere optimorum & doctiſſimorum virorum, qui, licèt per omnia idem ac ego non ſentirent, ad ſummam tamen rei quod adtinet, & conſilium meum & rationem, quâ id exſequi conatus ſum, ſummopere probarunt; mihique animi & corporis eaſdem vires exoptarunt, donec ingens illud Opus Scripturæ totius Veteris Teſtamenti Latinè verſæ & Commentariis illuſtratæ ad umbilicum perducere poſſem. Quin & nonnulli, quibus in aliis rebus me oppugnare & inimicitiam mecum ſine cauſa ſuſcipere viſum eſt, Pentateuchum meum non potuerunt non probare.

Verùm nullis laudibus, nec favore ullo ita adficior, ac favore & laudibus, quæ ex calamo vel ex ore Eccleſiæ Anglicanæ Præſulum aut Theologorum prodierunt. In veſtra enim Eccleſia, propemodum ſola, videmus quod in aliis ferè omnibus dudum fruſtra requirimus; eruditionem, nempe, judicium & candorem, quibus fit ut periti & æqui ſimul judices ejuſmodi laborum ſitis; nec ſanè ex quo eam novi, deſii has ejus dotes prædicare,

care, Deúmque orare ut perpetuas eſſe velit, nec patiatur contraria vitia, quæ alibi ferè regnant, iis ſuccedere. Sidera præſertim vertice tangere mihi videor, cùm me & mea Tibi, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, omnino non improbari apud me reputo; quod certis teſtimoniis comperi, propter quæ gratias niſi haberem & agerem, boni viri officio non fungerer.

A viro laudato, idque ſummo ſuo merito, laudari ſemper præclarum viſum eſt; ſed dulciſſimum eſt laborum præmium, quamlibet magni ſint, adprobatio eorum, in quibus neque acumen, neque candorem requirere poſſis. Immortalibus Tuis Operibus, & præſertim quidem Hiſtoriâ Reformationis Angliæ, Explicationéque Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ, oſtendiſti Orbi Litterato non tantùm quàm candidus Hiſtoricus, ſed & quàm magnus Theologus eſſes; quod elogium, meo judicio, non tantùm meritus es acutâ & perſpicuâ Dogmatum quorumvis Theologicorum interpretatione, ſed & ſummâ moderatione erga diſſentientes, quam ubique, in hoc factioſo ſæculo, plaudentibus optimis quibuſque, oſtendiſti. Non iis dumtaxat ſententiis, quæ Tibi probantur, ſed & aliis tantam lucem adtuliſti, ut nuſquam aliter ſentientes vel minimam livoris aut malignitatis auram deprehendere in tuis illis Operibus potuerint. Nec ſanè Viris Magnis ſatis eſt bene ſentire, & Veritatem tueri; ſed & hoc quoque neceſſarium, in hodierno Chriſtianorum ſtatu, errantium miſereri, neque diſſenſu eorum, qui non putant ſe errare, in eos exacerbari. Non minùs utile eſt, ad ſartam tectam humanam ſocietatem tuendam, delictis alienis ignoſcere, quàm venia ipſum nequaquam indigere; nec inter vacillantes, fluctuantéſque Chriſtianos, minoris eſt usûs ferre poſſe aliter ſentientem, quàm non errare.

Utriuſque cùm laus Tibi debeatur, hac quoque in parte cis mare omnium ſuffragia tuliſti, quòd bonarum partium in Republica, & dum viveret Rex fortiſſimus GULIELMUS III. & ſub Sereniſſimæ Reginæ ANNÆ regno, ſemper fuiſti. Obſervationem legum, obſequium ſummæ poteſtati debitum & moderatione temperata conſilia ſemper Tibi propoſuiſti, aliiſque etiam in regni Comitiis & privatim perſuadere conatus es. Beatum verò regnum & dignum quod nationibus omnibus exemplo ſit, in quo tutiſſima publicæ tranquillitatis fulcra juſtitia, æquitas ac moderatio habentur! Quam adminiſtrandæ Reipublicæ rationem, quæ omnibus cis mare eſt admirationi, illi demum mutatam cuperent, qui putant ſibi meliùs in perturbatione rerum omnium, & communi civium calamitate fore; non qui bene volunt patriæ,

& alienis damnis non minùs quam ſuis, prout bonos omnes viros decet, ingemiſcunt.

Eoſdem etiam urunt victoriæ de bellicoſiſſima gente, intra paucos hoſce annos, Sereniſſimæ Reginæ potiſſimùm auſpiciis, relatæ; quæ tantæ fuerunt & tam inſignes, ut ne per ſomnium quidem talia ſperare potuiſſemus. Eas inter non ultimum locum obtinebit *Aldenardenſis Victoria* ante paucos dies, quàm hæc ſcriberem, in Flandria reportata. Atqui ſunt hi fructus bonæ adminiſtrationis rerum domeſticarum, quæ ſi diſſentionibus ſcinderentur, numquam talia foris videre liceret; quod ſub aliis regnis ſatis experti ſunt Britanni. Cùm inteſtinis diſcordiis arderent, nimióque contrà nitendi ſtudio turbarentur; à vicinis contemnebantur, nec quidquam domi, aut foris fiebat, ſine eorum qui opprimebantur, aut vicinorum fœderatorúmque indignatione & querelis. Sed tandem ex bene compoſita Republica orta eſt domi majoris & ſanioris partis concordia, & foris ingens gloria, veneratióque & amor omnium, quibus cordi eſt Europæ libertas.

Sed neſcio quò me rapit Britanniæ Veſtræ amor & admiratio; non ſunt talia hujus loci, nec poſſunt, ut par eſt, celebrari, niſi hoc unum agatur. Faxit verò Deus ut ſemper & concordiâ domi, & foris victoriis floreat, dum opus erit ejus armis jura ac libertatem vicinorum defendi! Sereniſſimæ Reginæ longam valetudinem largiatur, laudémque gloriam & obſequia totius Britanniæ, quæ merita eſt, tribuat! Eccleſiæ autem Anglicanæ, ejus Præſulibus, Tibique præſertim & ceteris omnibus qui ei ſunt honori, cùm ſcriptis, tum fidelibus conſiliis, boniſque exemplis, tranquillitatem perpetuam, & cuncta ſecundiora concedat, ut exemplar ſit ceteris Chriſtianis, ad quod ſe componant! Hiſce votis deſino, quæ numquam pigebit iterare, ut nec umquam adhuc piguit quæ in Britannis veſtris laude digna viſa ſunt meritis encomiis extollere. Vale REVERENDISSIME PRÆSUL, & longùm in utilitatem patriæ vive.

Dabam Amſtelodami a. d. VIII. *Calendas Septembres anni à Chriſto nato* M DCC VIII.

LEC-

LECTORI

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

JAM tertiùm in lucem prodeunt labores noſtri in Vetus Teſtamentum, quorum priores ita ſunt à Sacrarum Litterarum Studioſis excepti; ut eorum adhortationibus, idem ſtadium decurrere ſtatuerim, donec ad finem pervenero; ſi modò Deus ingenii corporiſque vires mihi conſervare dignetur. Quamvis jam adſueto ejus modi labori, & voluptate ipsâ defungendi hoc erga Rempublicam Chriſtianam officio nou parum demulſo, huic tamen Volumini colophonem imponere non facile fuit. Ne ejus editio differretur in plures menſes, ſi aliud quidpiam interea adgrederer, quod tamen ratio inſtituti mei poſtulabat, coactus ſum interdiu & noctu opus urgere, domique clauſus ei incumbere, & rariùs multò in publicum prodire, quàm antea ſolebam; quod vereor ne valetudini meæ, quâ adhuc firma uſus ſum, nonnihil nocuerit. Certè non ſcribebam hæc, eadem alacritate, quâ Præfationes antehac Opuſculis meis præfixi. Ceterùm res eſt in manu Dei, qui, pro ſua perpetua erga me benignitate, & ſapientia ſumma, id mihi concedet quod optimum erit.

Non vides, LECTOR, *in hoc Volumine Paraphraſin, quam in Pentateucho vidiſti, & quæ peritioribus & æquioribus Lectoribus ſummopere eſt probata; quòd, cùm res eſſet multi laboris, minùs neceſſaria hîc eſſe videbatur. Hiſtoriæ in hoc volumine habentur ſimplici & facili ſtylo ſcriptæ, ſi pauca tantùm Cantica & Orationes nonnullas excipias; nec rerum nexus obſcurus eſt, ita ut opus ſit eum Paraphraſi explicari. Ideò eam omittendam duximus, ſed in reliquos Veteris Teſtamenti libros iterum præſtabimus quod in Pentateuchum præſtitimus. Mirabitur fortè nonnemo, aperto volumine, ſemper ſub paginis averſis & adverſis æquè longum Commentarium cerni; ſed ſi rem propiùs inſpiciat, videbit Commentarium, quem ſubjici duabus illis paginis oportebat, in duas partes æquales ubique diviſum, Textúmque duarum paginarum inſtar paginæ unius habitum à nobis fuiſſe. Quod nullam obſcuritatem de iis, ad quæ adnotationes ſint referendæ, creat, cùm Capita & Commata ſint ubique accuratè notata; ſimúlque oculis multò magis arridet, quàm ſi impares eſſent ubique in vicinis paginis adnotationes.*

Dabimus operam ut ſimili ratione, ſi fieri poſſit, recudatur Pentateuchus, & ſequentia etiam Volumina ad eamdem formam componantur. Si quæras quot illa ſint futura, ſcito duobus Voluminibus, nec iis ita magnis, comprehenſum iri quidquid ſupereſt Veteris Teſtamenti. Priore Jobus, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum; poſteriore omnes libri Prophetarum continebuntur. Quæſiverunt à me

amici

Digitized by Google

amici quo tempore ſperari poſſet Opus integrum abſolutum iri, ſed nihil certi hac de re reſpondere poſſum; cùm non tantùm à valetudine pendeat, aliiſque quæ non ſunt noſtri juris, ſed etiam ab occupationibus aliis, quibus ſæpe invitus diſtrahor. Si moris eſſet ut iis, qui poſſunt otio ſuo rectè uti, concederetur facultas tribuendi temporis rebus quibus maximè operam dare vellent; fortè poſſem ſat brevi tempore me totum Opus abſoluturum eſſe, nec aliis manum admoturum, antequàm ad finem eſſet perductum, polliceri. Sed quoniam ita non ſolet fieri; non eſſet æquum à me exigi rationem tot laborum, ab iis qui ne pingui quidem otio offenduntur, nec illo molliter fruentibus maxima præmia eſſe adtributa improbant. Otientur verò illi, ut cupiunt, ſed patienter ferant me laborem meum impendere, ſi non prout libet, at certè prout licet. Vale, LECTOR CANDIDE, *& laboribus noſtris fave.*

Dabam Amſtelodami VIII. Calendas Septembres MDCCVIII.

DIS-

DISSERTATIO

DE

SCRIPTORIBUS

LIBRORUM HISTORICORUM

VETERIS TESTAMENTI.

I. Nomen præfixum libro non eſſe certum argumentum, ex quo colligi poſſit librum ejus eſſe, cujus nomen præfert. Videri pleroſque Libros Hiſtoricos V.T. ex monumentis quidem æqualibus eorum temporum, quorum hiſtoriam complectuntur, ſed à Scriptoribus poſterioris ævi collectos; unde fit ut genera loquendi in iis occurrant, quæ Scriptorem æqualem, aut ſupparem, & alia item quæ longè poſteriorem redolent. II. De Joſua. *III. De* Judicibus. *IV. De* Rutha. *V. De* Samuele. *VI. De* Regibus. *VII. De* Ephemeridibus. *VIII. De* Eſdra. *IX. De* Nehemia. *X. De* Eſthera. *XI. Hiſtoriæ Sacræ ratio & finis.*

QUEMADMODUM Pentateucho præfiximus Diſſertationem, in qua de Scriptore ejus egimus: ſic & hoc loco præfigendam, de Scriptoribus Librorum Hiſtoricorum Veteris Teſtamenti, ſimilem eſſe exiſtimavimus; ut hac quoque de re ſententia noſtra exſtaret, unde liqueret quæ ſit Hebraicæ Hiſtoriæ præſtantia & antiquitas, ſi cum ceterarum Gentium hiſtoriis conferatur. Quia verò viri doctiſſimi copioſè de hac re ſcripſerunt, nec neceſſe eſt ſcrinia eorum compilari, paucioribus contenti erimus; ex quibus quid de toto hoc negotio ſentiendum videatur, depoſitis omnibus præconceptis opinionibus, & ſtudio τοῦ δουλεύειν τῇ ὑποθέσει, intelligere licebit.

I. ANTE omnia, prudentiores paullò Lectores facilè per ſe animadvertunt ex ſolis nominibus, quæ Libris hiſce præfixa ſunt, neminem certò colligere poſſe Libros ſcriptos, certè quales ad manus noſtras pervenerunt, ab iis quorum ea nomina ſunt. Sollemne enim eſt Hiſtoriis nomina præſcribi, non eorum tantùm qui eas conſcripſerunt, ſed etiam quorum res geſtas Hiſtoriæ continent. Sic vitis à *Cornelio Nepote* & *Plutarcho* ſcriptis, ut & Philoſophorum *Diogenis Laërtii* & *Eunapii Sardiani*, aliiſque præfiguntur nomina Regum, Imperatorum ac Philoſophorum, quorum vitæ ac res geſtæ traduntur, non minùs ac ipſorum Scriptorum nomina.

Nec ad Libros Sacros quod adtinet, res dubia eſſe poteſt, fac enim Joſuam ſcripſiſſe eum librum, qui de nomine ejus appellatur; at certè nec mortem ipſe ſuam, & quæ poſtea contigerunt litteris mandavit; nec à Judicibus, communi operà, ſcriptus eſt liber, qui eorum nomen præfert; nec libri, qui *Samuel* vocantur, à Samuele, cùm maxima pars rerum, quæ in iis narrantur, poſt mortem Samuelis contigerit, exarati ſunt; nec liber *Ruthæ* à Rutha; nec libri Regum aut Ephemeridum regiarum ab ipſis Regibus, ita

Digitized by Google

ut unuſquiſque Regni ſui hiſtoriam ſcripſerit; nec denique Liber *Eſtheræ* ab ipſa Eſthera. Alia ratio eſt librorum Eſdræ & Nehemiæ, quorum ipſi ſe ſcriptores fuiſſe produnt, & qui nihil continent quod ſcribere ipſi non potuerint. Igitur cùm Hiſtoriis tam præfigi ſoleat nomen eorum, quorum res geſtæ narrantur, quàm eorum qui eas narrant, ex ſolo nomine de Scriptore nihil colligere licet; ſed ex rebus ipſis, à cujus manu ſint, intelligendum Lectoribus relinquitur. Atque hæc non tantùm ad Joſuam quod adtinet, ſed & ad ſequentes Libros Hiſtoricos quod ſpectat, in memoriam revocandum erit.

Hoc quoque de omnibus Libris hiſce animadvertendum eſt, nobis non ſuppetere auxilia illa externa, (nam quæ ex Libris ipſis ducuntur interna meliùs vocaveris) ex quibus verum Libri auctorem conſtituere alioqui licet; quemadmodum in Libris Scriptorum aliarum Gentium, quarum multa monumenta ſcripta exſtant, eáque aliquot ſæculorum. Conſenſus conſtans omnium ætatum, ab iis quæ proximæ fuere Scriptori ad poſtremas, ita perſuadet Opus Auctoris, cujus nomine præſcribitur, re verâ illius eſſe, ut res ſine ſtultitia, ab homine cui nota ſit Antiquitas, in dubium revocari poſſe non videatur. Sic *Homerum* & *Herodotum*, ſic *Ciceronem* & *Virgilium*, ne plures nominatim appellem, ſcimus ex innumeris teſtimoniis eos Libros ſcripſiſſe, quos manibus etiamnum verſamus. At Hebræorum perpauca ſunt monumenta, & in quibus rarò antiquiora laudantur; ita ut gentis illius ſententiam, per ſingulas ætates, intelligere minimè poſſimus. Quod ſat diu, poſt everſum imperium Perſicum, ſenſiſſe Judæos videmus, id Majoribus eorum, totique adeò Genti tribuere etiam ſolemus; quia aliam eorum fuiſſe ſententiam nullo argumento conſtat, licèt fieri poſſet ut nonnulla varietas ſententiarum fuiſſet, quæ nunc longinquitate temporis & penuriâ monumentorum nos fugit. Itaque paullò cautiùs in hac re progredi nos decet, nec aliter adfirmare receptas ſententias, quàm quia contrarium nullo argumento conſtat, & ne ullâ quidem etiam ſuſpicione ſatis firmâ probabile fieri poteſt. Nunc nobis ad ſingulos Libros deveniendum eſt.

II. Liquet ex Joſuæ Libri Cap. XXIV, 26. ab eo ſcripta fuiſſe verba quæ antecedunt, *in libro Legis Dei*; cùm enim narrata fuiſſet inſtauratio fœderis à Joſua, inter Deum & Iſraëlitas, ita porrò loquitur Hiſtoria Sacra: *ſcripſit etiam hæc verba, in libro Legis Dei.* Sed non omnino conſtat quænam *verba* intelligantur, an tantùm oratio quæ proximè antecedit, in hoc Capite, an totus Liber Joſuæ, ut viri quidam docti cenſent. Exiſtimaverim tamen eo in loco intelligenda tantùm proximè antecedentia verba, ſeu orationem illam ultimam, quâ fœdus à Joſua cum Deo renovatum eſt; ſed nec negarim à Joſua, aut ab alio æquali Scriptore conſcriptam eſſe hiſtoriam belli, quod cum Chananæis per annos ſex geſſit, & diviſionis terræ Chananææ, ex qua veteres expulerat colonos. Cujus rei duæ ſunt graves, ut mihi quidem videtur, rationes, quarum altera eſt quòd *traditio*, quæ vocatur, *oralis* numquam potuiſſet tot nomina virorum & locorum ſervare, quæ apud Joſuam inveniuntur: altera verò quòd omnium Tribuum vehementer ſemper interfuiſſet conſervari tabulas ſcriptas eáſque authenticas diviſionis Terræ Chananææ, quæ diviſio hîc habetur; ne naſcerentur inter Tribus periculoſæ contentiones de finibus, deinde etiam, ut fit, bella civilia; quod tamen factum non videmus, unde credibile omnino fit diligenter ſervatas fuiſſe priſcas illas tabulas ſcriptas, quibus agri ſingulis Tribubus dividebantur. Sed præter communem omnium Tribuum utilitatem, non minùs intererat Sacerdotum & Levitarum ſeorſim, quibus diviſi non fuerant agri, ſervari authenticos catalogos urbium Sacerdotalium & Leviticarum; qui ſi periiſſent, intercidiſſétque ſimul me-

memoria diviſionis factæ à Joſua, omnibus ſuis prædiis Sacerdotes & Levitæ ſpoliari potuiſſent ab iis Tribubus, in quorum agris urbes Sacerdotibus ac Levitis adtributæ ſitæ erant. Quod ut poſſet fieri, ab iis commiſſum eſſe credibile non eſt, cùm homines ita ſuorum ipſi commodorum oblviſci minimè ſoleant; qui omni arte bona, ſi quæ à Majoribus acceperint, augere ſolent.

Sunt etiam nonnulla loca, in quibus Hiſtoria Sacra ita de rebus quibuſdam loquitur, ut non aliâ ratione loqui potuiſſet Scriptor rebus ipſis æqualis, aut ſuppar; ut Cap. XV, 63, 64. ubi de Jeroſolima: *At Jebuſæos, incolas Jeroſolimæ, non potuerunt expellere poſteri Judæ; incoluerúntque cum eis Jeroſolimam Jebuſæi, ad hunc uſque diem.* Nemo potuit ita loqui, niſi Scriptor, qui ante tempora Davidis ſcripſit; cùm conſtet Davidem, expugnatâ Sione, quem collem tenebant Jebuſæi, eos poſſeſſione loci vi expuliſſe; ut docemur 2. Sam. V. Si qui enim, ab expugnatione arcis Sionis, fuerunt Jeroſolimæ Jebuſæi, inter Hebræos; illic manere non potuerunt, æquo jure ac Hebræi, ſed dumtaxat inquilinorum inſtar. Itaque hæc loquutio, *ad hunc uſque diem*, referri debet ad tempora, quæ Davidis regnum Jeroſolimæ anteceſſere. Legebantur, nimirum, hæc verba in Hiſtoria temporum illorum, quæ ſine mutatione in librum Joſuæ, qualis nunc eſt, ſunt tranſlata; licèt ſignent tempus quo primùm ſcripta ſunt, non ætatem ejus, cujus curæ hunc librum, qualis ad manus noſtras pervenit, debemus; quod & in Libris Regum ac Ephemeridum animadvertere eſt, cùm eorum Scriptores ſæpe ita loquantur, quaſi regna Judæ & Iſraëlis ſtetiſſent ad diem quo ſcribebant, cùm poſt Captivitatem ſcripſerint.

At viciſſim alia leguntur hîc loca, quæ manum recentiorem redolent; qualis eſt deſcriptio expeditionis Danitarum, Cap. XIX, 48, 49. ubi narrantur *exiviſſe finibus ſuis, expeditionéque ſuſceptâ bellum intuliſſe Leſemo, id cepiſſe ac gladio concidiſſe; tum occupatum incoluiſſe, Leſemóque, de nomine progenitoris ſui, Dani nomen impoſuiſſe.* Conſtat verò hæc facta eſſe, poſt Joſuæ mortem, ex Jud. C. XVIII. Itaque non poſſunt eſſe Joſuæ, putátque vir longè doctiſſimus *P. D. Huëtius*, in Demonſt. Evangelica, ad Propoſ. IV. ubi de Libro Joſuæ agit, §. 6. unum hoc eſſe ex additamentis, quæ huc illuc in Libros Sacros infarſit Eſdras, ad pleniorem rerum intelligentiam. *Nam cùm*, inquit, *adſignatam Danitis portionem deſcripſiſſet Joſua, aliámque deinceps armis ipſi quæſiviſſent, meritò id Eſdras ſupplendum duxit.* Feceritne hoc Eſdras ego quidem juxta ſcio cum ignariſſimis, ſed à Joſua factum non eſſe quivis videt.

Poſſet cenſeri factum circa tempora poſtremorum Judicum, niſi alius eſſet locus Cap. XI, 16, 21. ubi ſat perſpicuè mentio fit *Judæ & Iſraëlis*, quo modo cœperunt loqui Hebræi poſt Robohami initia; cùm Juda eſſet ab decem Tribubus diviſus, quibus Iſraëlis nomen adhæſit. Dicitur vſ. 16. Joſua *cepiſſe terram, montana*, (nempe, Judæ) *omnem meridianum tractum, terram omnem Goſenitidem, planitiem & campeſtria, montana denique Iſraëlis & campos eis ſubjectos.* Sed clariùs loquitur Hiſtoricus Sacer vſ. 21. ubi ait eumdem Joſuam *exſcidiſſe Hanakæos è montano tractu, è Chebrone, è Debira, ex Hanabo, omnibúſque montanis Judæ & Iſraëlis.* Exiſtimat idem vir eruditiſſimus poſtrema hæc verba, quæ ſeceſſionem decem Tribuum videntur indicare, additamenti loco poſita eſſe, ad pleniorem rei geſtæ notitiam; itaque, ſi eradantur, fore ut cetera coaleſcant. Negare equidem nolim rem fieri potuiſſe, ita ut dicit, ſed potuit etiam fieri ut quiſpiam hiſtoriam, Joſuæ ævo ſcriptam, cum ſuis verbis contexens ætatis ſuæ hîc illic nonnulla veſtigia reliquerit. Ac ſanè non aliter multorum Scriptorum ætas agnoſcitur, niſi ex ejuſmodi indiciis. An verò, ut jam dixi, Eſdras librum hunc ita concinna-

verit, ut nunc eſt, an alius prorſus ignotum eſt; verùm hoc conſtare videtur, verba poſtremùm allata non eſſe niſi à manu hominis, qui, poſt tempora ſeceſſionis decem Tribuum, vixit.

Scio & alia loca adferri, ex quibus viri docti colligant eſſe in hoc Libro recentiora ætate Joſuæ; ſed & apud memoratum *Huëtium* invenientur, & in Commentariis noſtris pluribus ſunt excuſſa. Quare neceſſe non erit pluribus hîc de iis agere.

III. Ignotus etiam eſt Scriptor Libri Judicum, verùm res ipſa oſtendit ex antiquis monumentis hiſtoriam eſſe depromptam; cùm non poſſent in memoria hominum diu conſervari tot nomina, tot eventus, & annorum etiam ſeries, quæ optimè conſentit cum 1. Reg. VI, 1. ubi Templum à Salomone conditum dicitur CCCCLXXX annis poſt Exodum.

Sed quo tempore hic liber conſcriptus ſit nemo certò dixerit; hoc unum adfirmari poſſe videtur, Scriptorem ejus poſt tempora Regum, imò verò captivitatis, ſaltem Thiglath-phileſeri, vixiſſe. Liquet hoc ex Cap. XVIII, 29, 30. ubi de Dane urbe ſic loquitur Hiſtoria Sacra: *Illic ſibi collocarunt Danitæ ſculptile ſimulacrum & Jebonathan quidem filius Gerſomi, Manaſſæ filii, ejúſque poſteri fuerunt Sacerdotes Tribûs Danis, ad tempus quo incolæ tractûs illius migrarunt. Collocaverunt ſibi illic ſculptile ſimulacrum Michæ, quod ille fecerat, fuitque illic tamdiu quam diu domus Dei Silunte.* Poſtea ſequitur: *iiſdem illis temporibus, quibus nullus erat Rex in Iſraële* &c. Quæ verba leguntur etiam Cap. XVII, 6.

Ex his colligere licet, librum conſcriptum fuiſſe, cùm jam Reges eſſent apud Iſraëlitas; ſed quo tempore nullo modo ſcire poſſemus, niſi mentio injecta eſſet in antecedentibus *migrationis* incolarum tractûs illius Danitici ad Jordanis fontes; quam migrationem non aliam fuiſſe oſtendimus, quàm quæ contigit ſub Thiglath-phileſero, aut ſummùm ſub Salmaneſero, ut ad eum locum pluribus diſputavimus. Nec repetemus quæ illic dicta ſunt. Hinc liquidum fit non potuiſſe librum hunc ſcribi ante tempora Thiglath-phileſeri; ſed tam potuit ſcribi ante tempora captivitatis Tribûs Judæ, quàm poſt ea. Potuit vir religioſus, poſt abductas decem Tribus in captivitatem, in Judæ Regno etiamnum ſtante ſcripſiſſe hanc hiſtoriam; potuit & ſeriùs litteris mandata eſſe, ſed non ante decem Tribus abductas. Rem in medio relinquimus.

Si conferamus narrationes Libri Judicum, præſertim ab initio, cum Libro Joſuæ, facilè intelligemus eadem manu conſcriptos non fuiſſe. Meliùs enim cohæreret narrationis ſeries, ſi omnia ab eodem ſcripta fuiſſent, & quidem eo animo, ut corpus unum Hiſtoriæ rerum à Populo Hebræo geſtarum conficerent. Unus idémque Scriptor nequaquam repetiiſſet occupationem agrorum Chananææ, & hiſtoriam Chalebi, ejúſque filiæ, quæ hiſtoria habetur Jud. Cap. I. ſatis enim hæc omnia expoſita fuerant in libro, cui Joſuæ nomen præfixum eſt. Nec quiſquam dixerit hìc eſſe veluti ἀνακεφαλαίωσιν rerum antea geſtarum, & copioſiùs narratarum, quam neceſſe erat hîc legi, ut meliùs ſequentia intelligerentur; nam hiſtoria illa rationis, quà Chalebus Chebronem occupavit, non eſt compendioſior ea quæ exſtat Joſ. XV, 15. & ſeqq. nec quidquam confert ad intelligentiam ſequentium, in libro Judicum. Itaque is, qui librum Judicum ſcripſit, hæc quoque ex antiquis monumentis quæ habebat depromſit, nec ullam eorum, quæ in Joſuæ Libro narrata erant, rationem habuit, ſed hiſtoriam ſuam ſeorſim compoſuit.

Quod diligenter obſervandum adversùs eos, qui ex uno eodémque calamo omnes Veteris Teſtamenti Libros Hiſtoricos profluxiſſe volunt; ac proinde omnes poſt Captivitatem Babylonicam ſcriptos contendunt, quia poſtremos tunc temporis conſcriptos liquet. Fateor libros Regum & qui ſequuntur

tum

tum demum exaratos fuiſſe; ſed non ſequitur omnes antecedentes ejuſdem ævi eſſe; niſi ſtatuas omnium eumdem eſſe auctorem, quod falſum eſſe jam vidimus.

IV. Ruthæ librum ſatis liquet, ex ultimis ejus verbis, non conſcriptum fuiſſe ante tempora Davidis, cujus illic mentio fit. Sed quæſiverit quiſpiam privatúſne tum fuerit David, an verò jam ad dignitatem regiam evectus. Quamvis privato Davide ſcribi hæc potuerint; credibilius mihi videtur litteris tum demum mandata, qualia certè ſunt, cùm familiæ Davidis, regià ejus dignitate, non exiguus ſplendor acceſſiſſet. Quo factum eſt ut quæcumque non ad Davidem tantùm, verùm etiam ad ejus Majores ſpectabant, libentiùs audirentur, & legerentur; pro more ſollemni ingenii humani, quod vel levibus circumſtantiis delectatur Hiſtoriæ inſigniorum familiarum.

Crediderim ergo quempiam, in honorem Davidicæ familiæ, poſteritati conſecraſſe hanc proaviæ Davidis hiſtoriam. De tempore verò quo contigit nihil certi conſtat, niſi quòd tertià ætate ante Davidis tempora eveniſſe hæc neceſſe eſt, ſi modò nihil deſit, cùm Rutha fuerit uxor proavi Davidis Bohazi, quo tempore Judices Iſraëli jus dicebant. *Jac. Uſſerius* vir longè doctiſſimus oſtendit, Chronolog. Sacræ P. I. Cap. XII. ab ingreſſu Iſraëlitarum, in terram Chananæam, ad natales Davidis fluxiſſe annos CCCLXVI. quos commodiſſimè dividi poſſe putat, ſi Rachaba, nata circiter LX annos & anno quidem XLII poſt ingreſſum Iſraëlitarum, peperiſſe Salomoni Bohazum; Bohazus verò, anno ætatis ſuæ CII. genuiſſe ex Rutha Hobedum; Hobedus autem Jiſain anno ætatis CXI; Jiſaïs denique, eodem anno vitæ CXI, Davidem ſuſtuliſſe dicatur.

Nemini non mirum videbitur non tantùm Rachabam, annos circiter LX. natam, peperiſſe; ſed uno ordine, in eadem familia, tres viros Bohazum, Hobedum & Jiſain, cùm ſæculum vivendo ſuperaſſent, genuiſſe. Minùs hoc incredibile ut reddat *Uſſerius*, coacervat exempla hominum longævorum. Verùm in una eadémque familia, poſt Moſis tempora, fuiſſe tres ejuſmodi viros, quorum primus annos CII. natus, duo verò ſequentes CXI. annos nati liberos genuerint, nullo ſimili exemplo conſtat. Huc accedit quòd Jiſaïs diu poſtea ſuperſtes fuerit, cùm viveret eo tempore, quo David, Saülis iram fugiens, in Moabitidem ivit, ut legimus I. Sam. XXII, 3. Miraculo tamen divino factum hoc minimè contendit *Uſſerius*, ſed ordine naturæ fieri potuiſſe cenſet. Ad me quidem quod adtinet, licèt fatear rem non eſſe quæ repugnet ordini naturæ, aut prorſus eum ſuperet, rariſſimam tamen & incredibilem eſſe puto; niſi ſint tam firmæ credendi rationes, ut in iis adquieſcere neceſſe habeamus. Scio auctoritatem revelationis divinæ tantam eſſe, ut nemo non ei illico cedere debeat; verùm neſcio an non fortaſſe ſit hîc aliqua omiſſio Librariorum, qui aliquot ex Majoribus Davidis omiſerint ante Jiſain. Credibilius certè multò eſt in talibus menda eſſe Librariorum, aut, ſi mavis, lacunas ex ſumma antiquitate ortas; quàm rem planè inuſitatam, poſt Moſis tempora, factam eſſe, in ſtirpe Davidis. Profectò non deſunt exempla ejuſmodi lacunarum, quarum aliquot indicavimus in Indice noſtro, ad vocem *Lacuna*; éſtque etiam inſigne in recenſione ejus poſterorum, quæ habetur Matthæi I. ut optimi Interpretes oſtenderunt, quamvis eos Evangeliſta in τεσσαρεσκαιδεκάδας diviſiſſet. Faciliùs igitur multò crediderim à temporibus Davidis, aliquot in catalogis ejus genealogiæ viros omiſſos; quàm confugerim ad mirabilia quædam, quæ numquam fortè à Moſis temporibus, contigerunt. Sed facilè patior alios à me in re ejuſmodi diſſentire, ſi modò me quoque ab eorum ſententia abire non ægrè ferant.

Hæc autem cùm omnia ſint incerta, ad quæ tempora Ruthæ hiſtoria referri queat pariter incertum eſt. At librum ipſum credibile eſt, ut dixi, ſub regno Davidis fuiſſe conſcriptum.

V. Libros, quibus Samuëlis præfixum nomen eſt, ejus eſſe integros nemo umquam credidit. Vocatos eſſe libros Samuelis ab Hebræis, quia Samuelis vita in primo continetur, omnes norunt. Alioqui Græci vocarunt hoſce Libros *primum* & *ſecundum Regnorum*, omiſſo Samuelis nomine. Colligunt tamen viri docti ex ultimis verbis Lib. I. Ephemeridum, libros hoſce conflatos eſſe ex ſcriptis Samuelis, Nathanis & Gadi Prophetarum: *Res geſtæ Davidis*, ait Hiſtoricus Sacer, *ſcriptæ ſunt in verbis Samuelis Videntis*, *Nathanis Prophetæ & Gadi Videntis*, *cum tota regni adminiſtratione*, *fortitudine*, *temporibúſque ei præterlapſis*, *Iſraëlique & omnibus terrarum regnis*. Nec certè negare quiſquam poſſit Libros, quos habemus, ex iis maxima fortè ex parte depromtos fuiſſe.

Verùm nemo quaſi rem exploratam adfirmare auſit, in hiſce Libris, nihil eſſe, niſi quod verbo tenus in Libris trium illorum Prophetarum exſtabat. Ut enim nonnulla ſunt, quæ manifeſtò æqualem iis temporibus Scriptorem redolent: ſunt & viciſſim alia, quæ à Prophetis illis ſcribi non potuerunt. Si quæcumque antecedunt mortem Samuelis, hoc eſt, prima XXIV. Capita ab ejus manu eſſent, nonnulla ſine dubio in iis non legerentur, quæ hodie occurrunt. Ejuſmodi ſunt hæc verba Cap. VII, 15. & ſeqq. *Samuel verò judicavit Iſraëlem*, *per omnes vitæ ſuæ dies*. *Quotannis autem circumibat Bethele Gilgalem & Mitſpham*, *júſque dicebat Iſraëli in omnibus illis locis*. *Tum redibat Ramam*, *quia ibi erat domus ejus* &c. Nemo non animadvertat, etiam non monitus, verba hæc eſſe hominis, qui poſt Samuelis mortem rem præteritam narrat. Omnia ſunt verba Præteriti temporis, in Hebræo Textu, aut Futuri, cui præfixum eſt *Vau*, quod Futurum in Præteritum convertere ſolet; & res ipſa eſt præteriti temporis, cùm agatur de tota vita, de qua nemo loqui ita poteſt, niſi ſit exacta. Scio eſſe quibus aliter videatur, ſed quiſquis paullò attentiùs rem expendet, depoſitiſque præjudiciis, mecum ſine dubio ſentiet.

Ejuſdem generis eſt quod legitur Cap. IX, 9. de hac loquutione: *eamus ad Videntem*, de qua non repetemus hìc, quæ ad eum locum in Commentario ſcripſimus.

Talis etiam eſt loquutio, quæ occurrit Cap. XVIII, 16. *Omnis autem Iſraël & Juda amabat Davidem*, quod loquendi genus, ut antea jam obſervavimus, tum demum cœptum eſt uſurpari, cùm à Jerobohamo decem Tribus eſſent imperio Davidis poſterorum ſubductæ. Ea uti non potuit Samuel, & ne Gadus quidem aut Nathan, qui, ut mox pleniùs oſtendam, Salomone grandiores multò natu cùm eſſent, vix ei ſuperſtites eſſe potuerunt, cùm ſenex mortuus ſit Salomo.

Ad reliqua Capita Lib. I. & omnia Libri II. quod adtinet, quæ viri docti Gadi & Nathanis eſſe volunt, non negaverim quidem, ut dixi, multa hìc eſſe quæ ex eorum libris depromi potuerunt; ſed cum hæ ſint meræ Hiſtoriæ, in quibus exiguæ ſunt partes Nathanis & Gadi; nemo ſibi facilè perſuadeat eorum vaticinia huc eſſe omnia tranſlata. Videntur res Davidis attigiſſe, quatenus pertinebant, ad prædictiones ſuas, ut poſtea Iſaïas & Jeremias res Regum æqualium attigerunt.

Eſt præterea locus Cap. XXVII, 6. ex quo liquet eos Prophetas non ſcripſiſſe omnia, quæ eo Capite continentur. Dicitur, nimirum, Achiſus Philiſthæorum Rex donaſſe Davidem Tſiklago, ſubjicitque Scriptor Sacer: quare fuit *Tſiklagum Regum Judæ*, *ad hunc uſque diem*; quod non potuit dici,

dici, ut jam obſervavimus, niſi poſt decem Tribuum ſeceſſionem; ad quam vixiſſe Gadum & Nathanem, qui grandiores erant natu Salomone, qui per XL. annos regnavit, veriſimile non eſt. Scio virum longè doctiſſimum aliter ſenſiſſe dixiſſeque Deum Salomoni diuturnam vitam non indulſiſſe. Verùm de annis regni Salomonis non cogitabat, cùm hæc ſcriberet, neque reputabat à Nathane caſtigatum eſſe Davidem, ob adulterium quod cum matre Salomonis commiſerat, antequàm vel conceptus eſſet Salomo. Nec puto Gadum juniorem multò fuiſſe, qui ſpiritu prophetico donatus erat, antequàm David Rex eſſet, ut liquet ex I. Sam. XXII, 5. ubi monuiſſe dicitur Davidem exſulem, ut in terram Iſraëlitidem rediret. Cùm David per XL. annos poſtea regnarit, filiúſque ejus totidem, non facilè crediderim ſuperſtites fuiſſe, poſt LXXX. annos, Libróſque ſcripſiſſe, qui antea jam ad virilem fortè ætatem pervenerant, aut certè juventutem attigerant; niſi clara ejus rei proferantur argumenta, qualia hìc nulla ſunt. Nam quòd inveniretur hiſtoria regni Davidis in Libris Nathanis & Gadi, ut ex loco Ephemeridum allato intelligimus, non ſequitur propterea eorum Libris conſtare poſteriorem Samuelis partem; quamvis, ut jam dixi, negare nolim multa ex iis ab Hiſtorico Sacro depromta fuiſſe.

VI. LIBROS Regum conſcriptos fuiſſe poſt captivitatem non tantùm decem Tribuum, ſed etiam Judæ & Benjaminis ex fine poſterioris Libri colligere licet; nec ea de re ulla umquam fuit inter Eruditos diſcordia. Attamen ſunt hìc quoque veſtigia antiquioris multò ævi, ex quibus intelligimus uſum eſſe Scriptorem monumentis longè antiquioribus, & quæ ſtante regno Judæ ſcripta fuerant. Exempli causâ, I. Reg. VIII, 8. ſic loquitur de Arcæ in Adytum à Salomone reconditæ vectibus: *Longi verò erant vectes & cernebantur eorum extremitates è Sanctuario, ante Adytum, at non cernebantur extrinſecus; fuerúntque illic ad hodiernum uſque diem.* Hæc propriè dici nequeunt, niſi ab homine qui vixit & ſcripſit, ſtante adhuc Templo & Arcam etiamnum unà cum vectibus recondente. Sic & Cap. IX, 21. narratur Salomo Chananæos, qui expelli non poterant, *ſtipendiarios feciſſe ad hunc uſque diem*; quod dici non potuit poſt captivitatem Babylonicam, cùm ſervientes primum Babyloniis & deinde Perſis Judæi ſtipendiarios nullos haberent. Vide & Cap. XII, 19. Itaque hæc expreſſerit Scriptor Librorum Regum, prout erant in Libris antiquioribus, quos habebat. Ac ſanè ſæpiùs citat *verba dierum*, aut *Ephemeridas Salomonis* & *Regum Judæ & Iſraëlis*; quæ videntur eo tempore in Babyloniam tranſlatæ, & huic Scriptori ad manum fuiſſe, ſeu beneficio Babyloniorum Regis, ſeu aliâ quapiam viâ. Nam ad Librum, quem habemus ſub *Ephemeridum* nomine, reſpicere non poteſt; qui in hiſtoria Regum compendioſior eſt, & potiùs ad res geſtas Regum Judæ pertinet, quàm ad Reges Iſraëlis.

Auctorem ſuſpicati ſunt nonnulli Jeremiam, alii Eſdram; ſed cùm nihil ſint hæc, præter meras ſuſpiciones, nec quidquam ipſi certius proferre poſſimus, præſtat ea de re tacere, quàm conjecturas conjecturis addere.

VII. SEQUENTES libros, quos Hebræi vocant דברי הימים *Verba Dierum*, hoc eſt, *Ephemeridas*, Græci Παραλειπόμενα appellarunt, quorum nominum reddenda eſt aliqua ratio. Ex frequentibus citationibus *Verborum Dierum Regum Judæ & Iſraëlis*, quæ occurrunt in libris Regum, ad calcem narrationis compendiariæ cujuſque propemodum regni, quibus Lectores ad eos Commentarios amandantur, ut ex iis copioſiùs cognoſ-

cant, ſi neceſſe ſit, quid ſingulis Regibus contigerit; facilè intelligimus apud Hebræorum Reges eamdem conſuetudinem obtinuiſſe, quæ apud Babyloniorum Perſarúmque Reges poſtea fuit; ut, nimirum, Geſta Diurna ſcriberentur, ex quibus præteritarum rerum memoria, quandocumque opus eſſet, repeteretur. Ea de re diximus ad 1. Sam. VIII, 16. & Eſdr. IV, 15.

Videntur autem Geſtis illis Diurnis conſcribendis operam dediſſe ii, qui in Hiſtoria Regum ab Hebræis מזכירים *mazchirim*, à Græcis οἱ ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, aut ὑπομνηματογράφοι dicuntur. Hoc munere functus eſt Joſaphatus, Achiludi filius, ſub Davide, & Salomone, ut liquet ex 1. Sam. VIII, 16. 1. Paral. XVIII, 15. 1. Reg. IV, 13. Hezekiæ Regi dicitur ſimiliter à Commentariis fuiſſe Joachus, Aſaphi filius, 2. Reg. XVIII, 18. Ei cognominis fuit Joachus, Joachazi filius, qui ſub Joſia eo munere fungebatur, ut docemur 2. Paralip. XXXIV, 8. Quamvis aliorum Regum non memorentur ὑπομνηματογράφοι, qui ſcriberent Geſta Diurna, eis tamen non defuiſſe hujuſmodi homines ſatis conſtat, vel ex eo quòd citantur Commentarii Diurnorum Geſtorum, ſub illorum regnis. Fuit qui fingeret Commentariorum illorum Scriptores fuiſſe Prophetas, quia res geſtæ Regum apud Prophetarum ſcripta interdum exſtare dicuntur, aut Prophetæ vitam Regis cujuſpiam ſcripſiſſe, ut Iſaïas vitam Huzzijæ, XXVI, 22. Sed jam vidimus, dum Prophetæ vaticiniorum ſuorum Hiſtoriam texunt, neceſſe eos habuiſſe meminiſſe Regum, ad quos ſæpe ea vaticinia pertinebant & miſſa fuerant; nec quidquam vetat ab Iſaïa ſcriptam fuiſſe vitam Huzzijæ, licèt muneris hoc Prophetici non eſſet. Præterea dudum exploſa ſunt hominis commenta.

Præſtat hìc obſervare hoſce Libros, ne quis erret, quamvis vocentur *Verba Dierum*, aut Geſta Diurna, nequaquam tamen eſſe antiquos illos Commentarios rerum, quæ quotidie contingebant; cùm ne milleſimam quidem partem eorum, quæ facta ſunt, per CCCCLXIX. annos quibus inter Judæos regnatum eſt, hìc ſcriptam videamus, neque dies ulli factis adſcribantur, multorúmque annorum regna paucis commatibus abſolvantur. Quin etiam antiqui illi Commentarii frequenter hìc citantur, titulo *Librorum Regum Judæ & Iſraëlis*, aut *hiſtoriæ libri Regum*. Vide 2. Paral. XVI, 11. XXIV, 27. XXV, 26. XXVII, 7. XXVIII, 26. XXXII, 32. XXXV, 27. Credideram olim citari hiſce locis Libros Regum, quos habemus; ſed poſtea deprehendi antiquiores illos Commentarios ſpectari, cùm quæ habentur in Libris Regum, qui exſtant, neque alia ſint, neque copioſiora iis quæ in Ephemeridibus hodiernis leguntur.

In antiquis Ephemeridibus Regum, non videntur quidem fuiſſe Genealogiæ, quas hìc habemus, quid enim illæ ad Geſta Diurna? Sed videntur deſumtæ ex antiquis Libris Genealogicis & huic Operi præfixæ, ut meliùs in poſterum ſervarentur. Verùm jam erant ab antiquiſſimis temporibus, in ipſis illis veteribus monumentis, quæ interciderunt, multa vitiata, ſive ante, ſeu poſt Babylonicam captivitatem; quod conjicimus ex varietate cùm nominum propriorum, tum numerorum, aliorúmque vocabulorum, quæ ferè ſemper occurrit in iiſdem hiſtoriis, ſi duobus in locis habeantur, ut patet ex collatione Librorum Samuelis, Regum & Ephemeridum, ubicumque eadem narrantur; quod nos, in Commentariis noſtris, diligenter adnotavimus.

Ut ad rem revertamur, dicti ſunt hi Libri, ab auctoréne, an verò ab aliis non conſtat, דברי הימים *dibre hajjamim*, ſeu *Verba Dierum*, quemadmodum antiquæ illæ Ephemerides, quæ interciderunt, quòd inde deſumti eſſent, ad

res

res hiſtoricas quod adtinet; quamvis propriè ita non poſſent vocari, cùm breviſſimam Epitomen longarum hiſtoriarum complectantur, & ne in annos quidem ſint digeſti, nedum ut Geſta Diurna contineant. Nomen ergo tulerunt operis, cujus vicem poſtea ſuppleverunt, poſtquàm intercidiſſet.

Apud Græcos, dicti ſunt παραλειπόμενα *prætermiſſa*, quòd putaverint Græci Interpretes ſcriptos eſſe, ut prætermiſſa in libris Regum, quos habemus, ſupplerent. Nec negandum eſſe hîc quæ non ſunt in libris Regum, quales memoratæ Genealogiæ; ſed nec hæ propriè ad Regum Hiſtoriam pertinent, nec in aliis plura ſunt ſupplementa, quàm repetitiones, quæ alioqui debuiſſent vitari: qualia initia regni Salomonis, deſcriptio Templi, oratióque in eo à Rege pronunciata aliáque permulta. Præterea plura ſunt hîc quæ ſpectent Regnum Judæ, quàm decem Tribuum Regnum; de quo potiùs agitur quatenus res in eo geſtæ ad Judam pertinebant, quàm ut Hiſtoria ejus contexatur. Itaque minùs apta eſt Græca inſcriptio, quàm Hebraïca. Fortè & dubitari queat an auctor Librorum horumce viderit Libros Regum quos habemus, antequàm calamo manum admoveret; nam potuit, quæcumque ſimilia habet, hauſiſſe ex iiſdem, aut ſimilibus fontibus, & tam multa repetit, ut vix ſit credibile omnia illa vulgò in manibus hominum & præ oculis ejus jam antea fuiſſe, cùm hoc opus ſcriberet. Nec fortè malè conjiceret qui conjiceret Libros hoſce circa eadem tempora conſcriptos fuiſſe ac Libros Regum, & quidem ab alio planè Scriptore, antequàm notum eſſet ſcriptam Regum Hiſtoriam. Certè eo modo viri doctiſſimi contigiſſe putant ut Scriptores Evangeliorum, non communicato conſilio, nec conſcii alieni laboris, ſi Joannem, qui diu aliis ſuperſtes fuit, excipias, eadem ſcriptis mandaverint. Præterea ſi Scriptores utriuſque Operis Librorum Regum & Ephemeridum, ſua viciſſim Scripta vidiſſent; credibile eſt eos ſi nollent repetitiones vitare, at certè ita ubique loquuturos fuiſſe, ut ne ἐναντιοφανείαις quidem, ſeu iis quæ perperam repugnantiæ primo intuitu videntur, locum daturi fuiſſent; ne Lectores, qui eos in concordiam redigere neſcirent, iis loquendi rationibus, quibus uſi ſunt, offenderentur, déque fide Hiſtoricorum dubitarent. Sed cùm hi fortè Libri, à duobus auctoribus, quorum alter alterius laborem non viderat, ſint ſcripti ac poſtea in manus Judæorum pervenerint; non eſt mirum eadem repeti, & neſcio quas repugnantias in iis eſſe videri, quas non auſa eſt religioſa poſteritas emendatione alterutrius tollere. Non ſatis ergo prudenter de Ephemeridibus judicarunt olim, qui eas quaſi ſupplementa Librorum Regum habuerunt.

Verùm duo præterea ſunt digna obſervatu in Ephemeridibus, quæ in aliis Libris Hiſtoricis pariter animadvertimus. Loca ſunt, nimirum, quæ tantam antiquitatem redolent, ut quamvis hoc Opus ſit poſt captivitatem ſcriptum, neceſſe ſit eſſe ipſa verba Scriptorum, qui ſtante Judæ regno floruerunt; & ſunt iterum alia, quæ non niſi, poſt conceſſum Judæis reditum in Chananæam, ſcribi potuerunt.

Prioris generis loca hæc ſunt. 1. Eph. IV, 43. dicuntur Simeonitæ nonnulli concîdiſſe Hamalekitas, qui in monte Sehire habitabant, ſubditque Scriptor: ***habitarúntque illic ad hunc uſque diem***; cùm tamen Scriptoris ævo Simeonitæ dudum in captivitatem trans Euphratem eſſent abducti. 2. Ephem. V, 9. Arca dicitur ſuo loco fuiſſe, nempe, in Adyto, ***ad hunc uſque diem***, ut 1. Reg. VIII, 8. Cap. VIII, 8. dicuntur Chananæi non expulſi ex Chananæa ſtipendiarii facti eſſe ***ad hunc uſque diem***, quod & antea in 1. Regum obſervavimus. Similis loquutio occurrit C. X, 19. & XXI, 10. Cùm autem videamus eamdem hanc loquutionem, in iiſdem Hiſtoriis occurrere, ut diximus, in libris Regum, credibile eſt verba hæc eſſe ab utroque Scriptore ex iiſdem fontibus hauſta.

Poſte-

Poſterioris generis loca ſunt omnia, ubi ſermo eſt de Captivitate tam Iſraëlis quàm Judæ, & Benjaminis, déque duarum harumce Tribuum reditu; quorum locorum potiſſima ad calcem operis inveniuntur. Sunt & viri docti, qui exiſtimant 1. Ephem. III, 21, & ſeq. additam eſſe laciniam inſignem, quâ proſapia Zorobabelis tradatur per plures ætates multò, quàm fuerunt ab ejus tempore, non tantùm ad Artaxerxem *Longimanum*, ſed & ad Artaxerxem uſque *Mnemonem*, ut dixi ad Nehem. XII, 10. At fateor locum attentiùs conſideratum mihi eſſe obſcurum, cùm præſertim inter poſteros Zorobabelis non memorentur ii qui exſtant Matthæi C. I, 13, 14. Verùm ſatis eſt, ad meum inſtitutum, memorari Judæorum reditum, ex edicto Cyri; unde colligere licet poſt id tempus editos hos eſſe Libros.

Ceteroqui de Auctore, quem Judæi Eſdram volunt, res eſt obſcuriſſima. Nec certiora ſunt quæ narrantur de Eſdræ cura, in colligendis Libris Sacris, conficiendóque Canone Veteris Teſtamenti. Adeò mutila & imperfecta eſt Hiſtoria Judæorum, hiſce & ſequentibus temporibus, ut curioſorum quæſtionibus hac in re nemo poſſit ſatisfacere. Quare eas omittendas cenſuimus. Supplere velle ſilentium priſcæ Hiſtoriæ, commentis Rabbinorum, qui poſt aliquot ſæcula vixerunt, perinde mihi videtur eſſe, ac Apoſtolici ſæculi Hiſtoriam, in antiquioribus Scriptoribus hiulcam ac mutilam, contexere ex traditionibus quinti, aut ſexti à Chriſto nato ſæculi. Silentium, & profeſſio ignorantiæ tutiora multò ſunt, quàm inanis loquacitas, in rebus quas tempus, ante multa ſæcula, ex hominum memoria delevit.

VIII. Nemo poteſt dubitare, quin tria poſteriora Libri Eſdræ Capita re verâ ejus ſint, quia licèt de ſe primùm tertiâ perſonâ loquatur, poſtea tamen prima perſona utitur, Cap. VII, 27, 28. & Cap. IX, 1, 5. & alibi. Verùm vir eruditiſſimus *P. Dan. Huëtius* putavit ſex priorum Capitum incertum eſſe auctorem, eumdémque ac Paralipoménon, quorum finis repetitur hujus initio. Nobis magis placebat vulgaris ſententia, ex qua ſtatuitur Eſdras Babylone primùm in Judæam rediiſſe, unà cum Zorobabele, & Jeſua; deinde cùm reverſus eſſet in Babyloniam, iterum inde rediiſſe ſub Dario *Hyſtaſpide*. In prioribus Capitibus ſemet ipſe non nominat, quia non erat dux & caput reditûs, ut in ſecundo itinere; ſed ſatis liquet hominem fuiſſe inter ipſos reduces, qui tempore Cyri redierunt, ex Cap. VI, 14, 15. ubi ſe inter eos memorat.

Non nego tamen non exiguam hac in re eſſe difficultatem, de qua egi ad Eſdr. VII, 1. quia ſi Eſdras in Judæam venit è Babylonia, Cyri anno primo; grandævum ſenem fuiſſe oportet, anno ſeptimo Artaxerxis *Longimani*, quo iterum in Judæam rediit, & jam centum annos ſuperaſſe anno ejuſdem vigeſimo, quo mores Judæorum cum Nehemia emendabat. Sed multùm augetur difficultas, ſi vitam ejus producamus ad annum vigeſimum Artaxerxis *Mnemonis*, hoc eſt, ſexaginta annis longiorem faciamus. Qui priorem calculum concoquere nequeunt, multò magis poſteriorem rejicient. Non licet tamen nobis aliter calculos ſubducere, quàm fecimus; ſi nihil ſit hìc, aut in nominibus, aut in numeris depravatum. Quod quid eſſe poſſit conjicere nihil adtinet, malumúſque ſilere, quàm quæſtiones movere quas ſolvere non poſſemus. Interea perverſum foret eorum judicium, qui ideò Hiſtoriæ Sacræ fidem derogarent; cùm nulla prorſus Hiſtoria antiqua vera futura ſit, ſi omnes rejiciendæ, quæ nonnullis difficultatibus Chronologicis laborent, aut in quibus longa dies aliquid addiderit, aut detraxerit, aut quocumque modo vitiarit.

IX. De Nehemiæ libro nullum eſſe poteſt dubium, cùm in ipſo initio nomen ejus ſit additum, & ipſe de ſe paſſim loquatur, primâ perſonâ. In ejus ætate

ætate idem occurrit nodus, qui in ætate Eſdræ, ut diximus ad Cap. I, 1. & XIII, 28. Animadvertimus etiam ad Cap. XII, 10. adtextam eſſe Nehemiæ, ex ſententia doctiſſimorum virorum, Genealogiam Pontificum Maximorum, ad tempora uſque ultimi Perſarum Regis, Darii *Codomanni*. Qua de re, nihil eſt quod ulteriùs addamus. Præſtat ſanè fateri additum aliquid eſſe, quàm ridendum ſe præbere, dum res manifeſta negatur. Quòd autem additum hic illic in Hiſtoria quidpiam, quod cum ea minimè pugnat, neque falſum eſt; propterea non ſequitur eam eſſe falſam, aut dubiam, ſi ceteroquin habeat reliqua omnia antiquitatis indicia, quæ in genuina Hiſtoria poſtulantur, qualia in Hiſtoria Nehemiæ comparent; cùm nemo negarit Libri cujuſpiam Scriptorem eſſe eum, cui conſtanter tribuitur, dumtaxat quia irrepſerunt in eum Librariorum peccata, quibus ſententia ejus nonnullis in locis corrumpitur. Quiſquis tale quidquam adfirmare ſuſtinuerit, ille ignorantiam ſuam prodiderit, nec umquam apud peritos effecerit, ut propterea Hiſtoriæ fides, ad ſummam rei quod adtinet, laboret.

X. Libri Eſtheræ auctorem indicare velle perinde eſt ac hariolum ſe profiteri. Hoc certò videmur adfirmare poſſe, propter ſummam peritiam conſuetudinum Perſarum, quæ in eo elucet, ut paſſim Commentarius noſter oſtendit, ſtante Imperio Perſico, conſcriptum eſſe, ſempérque ab Hebræis inter Libros Sacros habitum & admiſſum; quod probat etiam obſervatio feſti *Purimorum*, ſeu *ſortium* ad ultima uſque tempora propagata, Mirabilis ſanè eſt & παράδοξος (quis enim neget?) Hiſtoria, ſed multa mirabilia & à moribus noſtris aliena olim apud Orientales, ut apud alios omnes populos, contigerunt. Ceterùm Lectores amandamus ad Commentarium noſtrum, in quo Librum illum ita illuſtravimus ex iis, quæ Veteres Græci de Perſis déque Imperio Perſico ſcripſerunt, ut pauca obſcura reliquerimus, præ iis quæ à Scriptoribus Græcis lucem non dubiam acceperunt.

XI. Ex iis quæ hactenus diximus, & præſertim ex Commentariis noſtris colligimus veram & genuinam Hiſtoriam Veterum Hebræorum, ab eorum ingreſſu in Chananæam ad reditum ex Babylonia, ad manus noſtras perveniſſe. Sed cavendum eſt ne credamus, quod Vulgus imperitum facit, in ea accuratam narrationem omnium eventuum, memoratu dignorum, à temporibus Joſuæ ad Nehemiam, aut accuratam Chronologiam nos habere. Non hoc fuit Scriptorum Sacrorum conſilium, non ea mens. Si pleniorem Hiſtoriam exarare voluiſſent, opus fuiſſet multò pluribus & grandioribus voluminibus; neque enim DCCCC annorum Hiſtoria tam paucis verbis expediri potuit. Si animus iis fuiſſet Chronologiam accuratam nobis ſuppeditare, diligenter non annos tantùm, ſed & menſes & dies ſingulorum eventuum notaſſent; ſi non in omnibus, at certè in iis, quæ depromſerunt ex Geſtis Diurnis Regum Judæ & Iſraelis; ubi ſine dubio anni, menſes & dies menſium, ut ſolet in ejuſmodi Commentariis, erant adnotati. Verùm ſatis habuerunt annos integros Regnorum notaſſe, omiſſis menſibus & diebus; unde fit ut nulla accurata Chronologia colligi ex iis queat. Excipiendi tamen ſunt Reges qui per paucos dumtaxat dies, aut menſes regnarunt; dies enim illi ac menſes notantur, ceterorum verò dumtaxat anni.

Si licet de conſilio Scriptorum Sacrorum ex re ipſa judicare, (quod omnino licet, ſi ſapientes viros, ut decet, id præſtare voluiſſe quod re ipsà præſtiterunt putemus) hæc ſibi propoſuerunt, in Hiſtoria, quam ad nos præterita ab iis ſæcula tranſmiſerunt; I. compendiariam populi Hebræi Hiſtoriam, ab ingreſſu in Chananæam, tradere, compendiariámque Chronologiam, ſine qua nulla eſt Hiſtoria, ei adjungere; unde intelligeremus per quot annos circiter primùm Judices jus dixiſſent Hebræis & deinceps Reges regnaſſent,

naſſent, ac interdum etiam quoto regni anno res, quæ narrantur contigiſſent: II. res ad Religionem pertinentes præ ceteris omnibus narrare; nam ad civilia, bellicáque negotia quod adtinet, ea ferè prætermittunt; ſi excipiamus victorias, aut clades ex obſervatione aut neglectu Religionis ortas: III. varia item miracula divinitus facta ad ſervandum Populum Hebræum, & ſartam tectam Religionem Moſaïcam conſervandam: IV. denique eorum omnium diligenti conſideratione adducere homines ad Religionem erga Deum, caſtitatem & temperantiam erga nos ipſos, pietatémque erga alios colendam.

Atque hic poſtremus uſus longè præſtantiſſimus eſt Hiſtoriæ Sacræ & Profanæ, ſed præſertim Sacræ, quæ rectà & apertè eò nos deducit, cùm Profana obliquiùs tantùm eò reſpiciat. Si ita utamur Hiſtoria Sacra, ut ex ejus lectione religioſiores, temperantiores ac humaniores evadamus; tum verò Hiſtoria illa uſi fuerimus, prout Scriptores Sacri voluerunt Lectores ſuos ea uti. Hic debet eſſe potiſſimus finis, quem nobis proponimus in hac lectione; ad quem conſequendum ſi juvare Lectores queant noſtri Commentarii, quod maximè in iis adornandis ſpectavimus, erit quod nobis & illis propterea gratulemur. Alioquin omnem laborem, omnem eruditionem, cognitionémque litterarum Hebraïcarum, Græcarum & Romanarum, & lectionem multijugem flocci faciendam, niſi eò nos deducant, putamus. Sed cùm apparatus ille eruditionis *humanæ*, ut à Theologis vocatur, multùm conferat ad rectam Hiſtoriæ Sacræ intelligentiam, quæ eò nos deducit quò diximus; ideò eruditio illa magni facienda eſt & extollenda, ſed præſertim religioſis, caſtis & humanis moribus cohoneſtanda.

Diſſertationis de Libris Hiſtoricis Veteris Teſtamenti Finis.

Emendanda quæ inter evolvendum feſtinanter volumen occurrerunt. Cetera æquus Lector facilè per ſe corrigere poterit.

Ad Jud. V, 25. pro ספל *ſemel*, lege ספל *ſephel*, & ſic quoque emenda vſ. 85. Cantici Deboræ ſecti in verſiculos.
Ad Cap. XIII, 25. quarto verſu ante finem pro *Vaticano* lege *Aldino*.
Ad Ruth. I, 13. col. 2. vſ. 2. pro *vitulæ*, lege *vetulæ*.
Ad Cap. IV, 7. vſ. 14. pro *ipſam*, lege *ipſum*.
Ad 2. Sam. I, 14. vſ. 12. pro *reverentiórne*, lege *minùſne reverens*.
Cap. VII, 15. *Benignitas ea*, lege *mea*.
Ad 1. Reg. Cap. X, 22. pag. 400. col. 1. vſ. 14. pro תנהבים, lege שנהבים.
Ad Cap. XIII, 19. vſ. 9. pro *Prophetæ*, lege *Prophetis*.
Ad Cap. XVII, 18. vſ. 9. pro *relictorum*, lege *delictorum*.
Ad 2. Reg. Cap. II, 11. vſ. 17. pro *tranſtulit*, lege *tranſlatum eſt*.
1. Ephem. Cap. XIII, 8. pro *ſiſtriſque*, lege *cymbalis*.

LIBER

LIBER JOSUÆ.

I. *Jubetur à Deo trajicere Jordanem Joſua, qui Iſraëlitas qui ad ortum ejus fluvii ſedes acceperant commonefacit; à quibus reſponſum accipit, ſe imperata facturos.*

CAPUT I.

1. POST mortem Moſis, ſervi Jehovæ, dixit Jehova Joſuæ, Nunis filio
& Moſis adminiſtro: 2. Moſes ſervus meus obiit, nunc ergo ſurge,
trajice Jordanem iſtum, tu, univerſúſque iſte populus, *ut ingredia-
mini* terram, quam Iſraëlitis do. 3. Omni loco, quem calcaverit
planta pedis veſtri, vos dono, quemadmodum Moſi pollicitus ſum,
4. à deſerto & à Libano hoc, uſque ad fluvium magnum, fluvium
Euphratem. Omnis terra Chitthæorum, uſque ad mare magnum, ad occaſum ſolis,
erit

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

1. POſt *mortem* &c.] *Et fuit poſt mortem Moſis — & dixit Jehova — dicens.* Hinc quidem liquet librum Joſuæ ideò conſcriptum, ut libris Moſis adderetur, útque res, poſt Moſis mortem geſtæ, poſteris traderentur; ſed propterea hunc & Moſaïcos ab eadem eſſe manu, nullo modo ſequitur. Nihil enim vetat ab alio ſic eſſe inchoatam continuationem, ſeriémque rerum à populo Hebræo geſtarum. Talia ſunt etiam initia librorum Judicum & Ruthæ, eadem de cauſa. Videtur autem hæc dixiſſe Deus Joſuæ, ſub finem triginta dierum luctûs, quo Iſraëlitæ mortem Moſis proſequuti ſunt, Deut. XXXIV, 8. cùm Moſes duodecimo menſe mortuus ſit, Joſua verò anni ſequentis initio Jordanem trajecerit, ut Cap. III. videbimus.

Dixit Jehova] Fortaſſe in ſomnis, aut per Pontificem Maximum, pallio & collari ſacro, pro more, indutum; nam ſolum Moſem *ore ad os* converſo alloquebatur, Deut. XXXIV, 10. Eodem modo videtur intelligenda hæc loquutio, quotieſcumque hîc occurrit. Vide Cap. IX, 14.

Adminiſtro] משרת quod differt à עבד *hebed*, quod nomen eſt *mancipii*, cùm משרת *mſchareth* ſive *adminiſter*, poſſit eſſe homo liber. Hinc οἱ LXX. ὑπουργὸν verterunt, non δοῦλον, & Vulg. *miniſtrum*. Vid. 2. Reg. IV, 43. VI, 15.

2. *Nunc ergo*] ועתה vehatthah, *& nunc*. Rectè LXX. Intt. νῦν οὖν, nam mortuo Moſe, quem non oportebat Chananæam ingredi, nihil cauſæ erat, cur diutiùs morarentur Iſraëlitæ ad ortum Jordanis.

Ut ingrediamini] Hoc ſupplevimus, quia Latini non dicerent de homine qui, Euphrate, exempli cauſâ, trajecto in Meſopotamiam intraſſet: *trajecit Euphratem in Meſopotamiam*, ſed: *trajecit Euphratem, ut Meſopotamiam ingrederetur.*

Terram quam Iſraëlitis do] *Quam illis do filiis Iſraël.* Nam quamvis Deus permitteret Hebræis, ad Euphratem uſque, fines proferre; initio hoc fieri non poterat, quòd ſat multi non eſſent, ut tutò invadere & tenere tantos terrarum tractus poſſent. Itaque, exceptis duabus Tribubus & dimidiâ, reliqui ad occaſum Jordanis agros ſibi dividendos occuparunt. Propterea etiam hi agri potiſſimùm *terra promiſſa*, & *terra Chananæa* dici ſolent. Vide infra Cap. XXII, 9, 11, 32.

3. *Omni loco* &c.] Hoc eſt, quemcumque locum, ad occaſum Jordanis, capere poteritis, eo vos dono, itaque jure eum ad vos pertinere putatote. Neque enim volebat Deus omnia, in quæ pedem intuliſſent, in Iſraëlitarum poteſtatem continuò ventura; ſi enim ita res habuiſſet, ne unum quidem Chananæum in Palæſtina reliquiſſent, cùm Sidonii aliique multi ſuperfuerint, nec umquam expulſi avitis ſedibus ſint. De jure poſſidendi hæc ſunt ergo potiùs intelligenda, quàm de ipſa poſſeſſione.

Pollicitus ſum] *Dixi*. Hebræi nullum habent proprium verbum, quo exprimant verbum *promittere*; ex quo exemplo, aliiſque ſimilibus, Linguæ Hebrææ paupertatem intelligere licet.

4. *A deſerto & Libano*] *Deſertum* ad Auſtrum Judæam claudebat, Libanus ad Septemtrionem. In ſequentibus, Euphrates limes orientalis, mare occidentalis ſignantur. Non opus eſt verti *ad Libanum*, ut termini contrarii opponantur, res enim ſatis ex ſequentibus intelligitur. Additur הזה hazzeh, *hoc*, quia ex loco, in quo caſtra habebant Iſraëlitæ, proſpiciebatur *Libanus*; hoc eſt, montes illi, qui à Sidoniorum agro ad auſtrum Damaſcenæ, ortum verſùs, porriguntur. A Græcis Ἀντιλίβανος dicebantur, Λίβανος verò catena altera montium ultra Damaſcenam, ad Septemtrionem oppoſita, ut docet *Strabo* Lib. XVI. Hic autem mons לבנון *lbanon* dictus eſt ab *albore*, nam לבן *laban* eſt albus fuit; quòd in ſummis ejus jugis perpetuæ ſint nives, ut rectè animadvertit *Sam. Bochartus* Chanaan. Lib. I. c. 42.

Omnis terra Chitthæorum] Quamvis hoc eſſet

erit intra fines veſtros. 5. Nemo coram te conſiſtet, omnibus vitæ tuæ diebus. Ut
adfui Moſi, tibi adero; te debiliorem fieri non ſinam, non deſtituam. 6. Eſto *animo*
forti & firmo. Tu iſtum populum mittes in poſſeſſionem, quâ me eum donaturum ma-
joribus ejus juravi. 7. Forti dumtaxat, & conſtanti admodum *animo* eſto, ut memine-
ris te gerere, pro omni lege, quam te juſſit obſervare Moſes ſervus meus. Ut felix ſis,
in quacumque *re* verſaberis; ab ea *lege* neque ad dextram, neque ad ſiniſtram recedes.
8. Liber iſte Legis ab ore tuo ne dimoveatur, de eo die, noctéque meditare; ut me-
mineris te gerere pro omnibus, quæ in eo ſcripta ſunt; tunc enim vias tuas proſpe-
ras facies, tunc feliciter ages. 9. Annon mandatis inſtruxi te? eſto *animo* forti & fir-
mo; ne paveas, ne terrearis; nam aderit tibi Jehova Deus tuus, in quocumque *nego-
tio* verſaberis.

10. Tum verò apparitoribus populi mandata dedit Joſua his verbis: 11. Per media
caſtra tranſite, populóque edictum promulgate, his verbis: parate vobis cibaria, nam
poſt triduum trajicietis hunc Jordanem, ut adeatis poſſeſſionem terræ, quam Jehova
Deus veſter poſſidendam vobis dat.

12. Rubenitis verò, Gaditis, & dimidiæ Tribui Manaſſæ dixit Joſua: 13. memen-
tote rei, quam vobis dedit in mandatis Moſes, ſervus Jehovæ, dicens: Jehova Deus
veſter quietem vobis conceſſit, vóſque hac terrâ donavit. 14. Uxores veſtræ, impube-
res,

ſet nomen unius gentis Chananæorum, ut diximus ad Gen. X, 15. hic videtur ſumi pro quibuſvis Chananæis; qui fortè interdum nomen unius gentis, à *terrore* ducti, libentiùs uſurpabant. Fortè etiam Deus hoc nomine, potiùs quàm alio, utitur, ut animum addat Joſuæ; quaſi diceret, ne formidoloſiſſimos quidem Chananæorum ei eſſe timendos.

Erit intra fines veſtros] *Erit terminus veſter.* Sed גבול *geboul* non pro *fine* tantùm, ſed & pro iis, quæ fine clauduntur, paſſim ſumitur. Sic ὅρια uſurpavit Matthæus Cap. II, 16. cujus rei ignoratio non unum Interpretem fefellit.

5. *Nemo coram te conſiſtet*] Hoc eſt, tibi exercitum ducenti & ſigna inferenti cladem creabit, aut dubiam victoriam faciet. Una tamen memoratur clades Cap. VII. ſed quæ exigua fuit, & ſequente victoriâ ſatis ſupérque penſata.

Omnibus vitæ tuæ diebus] Nam poſt mortem Joſuæ, non unus reſtitit Chananæorum populus, & præſertim quidem Sidonii, quos ſedibus ſuis expellere non tentarunt Hebræi. Vide Jud. Cap. I.

Debiliorem &c.] ארפך *arpheka*, quod eſt propriè *debilem faciam.* Vid. Deut. IV, 31.

6. *Eſto animo forti & firmo*] *Fortis eſto & firmus.* Verba hæc repetuntur vſ. 7.

Majoribus] *Patribus.*

7. *Ut memineris te gerere*] לשמר לעשות liſchmor lahaſchoth, *ad ſervandum ad faciendum*. Sed שמר *ſchamar* non rarò ſignificat *meminit*, ut oſtendimus ad Gen. XXXVII, 11. Coactæ ſunt verſiones Recentiorum, *ut obſerves agere*, *ut cum obſervantia facias* &c. Veteres verò copulam ſine neceſſitate interponunt, *ut cuſtodias*, *& facias*, φυλάσσεσθαι καὶ ποιεῖν, ſicut habent Vulg. & LXX. Intt. Vide & v. 8.

Ut felix ſis] Invertimus hîc membra, nam antecedunt hæc: *ab ea neque ad dextram* &c. quòd Latinè loquenti commodius eſſet. Vertimus תשכיל thaſchchil, *felix ſis*, quæ non rara eſt ejus vocis ſignificatio, & confirmatur v. 8. Subaudienda eſt poſt hoc verbum vox דרך derech, *via*, aut ſimilis. Verba enim in *Hiphil* regunt accuſativum. Vid. v. 8. Ac ſanè ex obſervatione Legis pendebat felicitas Judæorum. Durum eſt dicere, *obſerva legem*, *ut ſis prudens*, nam cum obſervatione Legis non eſt neceſſariò conjuncta prudentia, quæ circa res hujus vitæ verſatur. Interdum ſimpliciores aliis omnibus legum obſervantiores ſunt. Attamen LXX. Intt. & Vulg. poſteriorem ſignificationem prætulerunt. Meliùs Chaldæus תצלח, thitslahh, *felix eris.*

In quacumque re verſaberis] *In omni in quod ibis.* LXX. ἐν πᾶσιν οἷς ἐὰν πράσσῃς. Vulg. *cuncta quæ agis.* Vitam quaſi iter habent Hebræi.

8. *Liber iſte Legis*] Quem fortè Joſua in Tentorio ſuo habuit.

Ex ore tuo] Hoc eſt, omnia dogmata & judicia ex eo depromas, ſempérque auctoritate ejus utaris. Vide Deut. XVII, 18, 19.

Ut memineris te gerere] תשמר לעשות *ſerves facere*, ut v. 7. LXX. Intt. pro ſollemni ſua inconſtantia, ἵνα συνῇς ποιεῖν, *ut ſcias facere.* Vulgatus, *ut cuſtodias & facias*, ſuppletâ copulâ, ut v. 7.

Vias tuas proſperas facies] תצליח את דרכך *thatsliahh eth drachecha.* Hebraiſmus frequens, quo res ſecundæ ſignificantur; nam *viam* vocant Hebræi univerſam vitæ rationem.

Tunc feliciter ages] תשכיל *thaſchchil.* More Hebræorum, verbum hoc idem ſignificat ac antecedentia; quod jam monuimus ad v. 7. Crediderim, ut dixi, poſt hoc verbum, quotieſcumque occurrit in *Hiphil*, ſubaudiendum accuſativum quempiam, qualis eſt את דרכך *viam tuam*, aut ſimile quid. Quod de omnibus ejuſmodi verbis affirmari poſſe exiſtimo, quamvis id genus ellipſis frequentiùs occurrat plenis loquutionibus.

9. *Annon mandatis inſtruxi te*] Vel, *nonne tibi mandavi*; nempe, ut præſis populo Hebræo & magno animo Chananæorum agros invadas.

Eſto animo forti] Tametſi Joſua magno atque erecto animo erat, plenúſque fiducia, ob promiſſiones divinas; tamen cùm ſe ſummæ rerum præeſſe videret, ac imminentia pericula reputaret, anxietatis omnis expers non erat; quod cùm ex re ipſa, tum ex miſſione exploratorum colligere licet. Quamobrem mirum non eſt jam tertiùm à Deo hominem moneri, ut ſe ſe colligeret, omniáque ſecunda à ſuo Numine exſpectaret. Sic Deus fideli quidem animo, ſed
tamen

Digitized by Google

ſes, & pecus veſtrum, manebunt in *hac* terra, quam dedit vobis Moſes cis Jordanem; vos verò, quicumque ſtrenui eſtis, expediti tranſibitis ante fratres veſtros, iiſque auxilium feretis; 15. donec Jehova quietas ſedes dederit fratribus veſtris, quemadmodum vobis, & poſſideant etiam illi terram, quam Jehova Deus veſter illis dedit. Tum ad terram poſſeſſionis veſtræ redibitis, poſſidebitiſque eam, quâ vos donavit Moſes ſervus Jehovæ, cis Jordanem, ad ortum ſolis.

16. *Illi* autem Joſuæ reſponderunt, his verbis: imperata nobis à te omnia faciemus, & quocumque nos miſeris ibimus. 17. Omnino ut Moſi paruimus: ita tibi obſequemur; adſit modò tibi Jehova, Deus tuus, quemadmodum Moſi adfuit. 18. Quiſquis immorigerus erit imperio tuo, neque parebit dictis tuis, quidquid ei imperaveris, morte pœnas luat; forti dumtaxat & firmo *animo* eſto.

II. Duo exploratores Jerichuntem à Joſua mittuntur, qui à Rachaba excepti cum ea paciſcuntur, & occultati dimittuntur.

1. MISERAT interea Joſua, Nunis filius, è Sittimis, duos viros clam exploraturos, dicens: ite, ſpeculamini terram, & Jerichuntem. Iverunt verò *illi* & ingreſſi ſunt ædes mulieris meretricis, cui nomen erat Rachabæ, atque CAPUT II.

tamen humanæ infirmitatis non immuni ſuccurrit. Sic cùm uſque adeò laudetur fides Abrahami, omni tamen vacillatione vacuus non fuit, ut animadvertimus ad Gen. XVII, 17.

In quocumque negotio verſeris] *In omni ad quod ibis*, ut v. 7. Mirum eſt LXX. hîc ad verbum vertiſſe, ἐν ᾧ ἂν πορευῇ, cùm v. 7. ſenſum rectè verterint.

10. *Apparitoribus populi*] שטרי העם *ſchotre haham*. De quibus vide adnotata ad Exod. V, 6.

11. *Edictum promulgate*] *Mandate* צוו *tſavvou*.

Parate vobis cibaria] צדה *tſedah*, hoc eſt, viaticum, ἐπισιτισμὸν, ut habent LXX. Intt. Noverat, nimirum, Joſua ex divina revelatione, aut ex conjectura, defuturam mannam, ſi ſemel Jordanem trajeciſſent. Vide Cap. V, 10.

Poſt triduum] בעוד שלשת ימים *bhod ſchloſchetb jamim*. Adhuc tres dies, ἔτι τρεῖς ἡμέραι, ut habent LXX. Intt. Hoc eſt, tribus diebus elapſis. Vide Cap. III, 2.

Poſſidendam vobis dat] לרשתה *lriſchtbah*. Quamvis verbum ירש *hereditare* aut *hereditario jure poſſidere*, ſonet, attamen ubique ejus emphaſeos ratio non habetur, ſimpliciterque ſæpe eſt *poſſidere*, ut hîc & alibi ſæpe. Vide 1. Reg. XXI, 15. Iſraëlitæ qui adibant poſſeſſionem Chananææ, jus quidem ſibi comparabant eam tranſmittendi ad heredes; ſed ipſi, qui primi eam invadebant, belli jure eam, non hereditatis, poſſidebant.

12. *Rubenitis, Gaditis*] *Rubenitæ, Gaditæ*, &c.

13. *Mementote*] *Memento*. Hebraïcè miſcentur numeri, quod Latinè fieri non potuit.

Jehova Deus veſter] Num. Cap. XXXII, 20.

14. *Quicumque ſtrenui eſtis*] כל גבורי החיל *omnes fortes roboris*.

Expediti] חמשים *hhamuſchim*, de qua voce vide not. ad Exod. XIII, 18. ubi tamen aliud ſignificat. Rectè LXX. εὔζωνοι, hoc eſt, *expediti*, ſi, nimirum, conferantur cum reliquis Iſraelitis, qui familiam trahebant; nam exercitum, ſine omnibus omnino impedimentis, diu ſequi non poterant. Vulg. *armatos* vertit, ut Thargum מזרזין *mzarezin*, quod idem ſonat. Sed *expediti* dicuntur, qui tantùm arma ferunt. Ceterùm vox propriè *accinctus* ſonat, ſi חמש *hhomaſch* ſignificet ψόας, ſeu *lumbos*, cui parti cingulum, ex quo pendet gladius, adſtringitur. Vide & Jud. VII, 11.

15. *Quietas ſedes dederit fratribus veſtris*] *Quieſcere fecerit fratres veſtros.*

Illis dedit] Hoc eſt, cujus poſſidendæ jus iis conceſſit.

18. *Immorigerus erit imperio tuo*] ימרה את פיך *jamreh eth phicha*; immorigerus fuerit ori tuo.

Morte pœnas luet] יומת *joumath*; Gallicè, *qu'on le faſſe mourir*; quod, nempe, non pareret Duci à Deo conſtituto.

In CAPUT II.

1. *Miſerat*] *Et miſit*. Pluſquam perfecto uſi ſumus, quia ut irent Jerichuntem exploratores, per triduum manerent in monte vicino, rediréntque ad Joſuam, opus fuit minimùm quinque diebus. Attamen redierunt ad Joſuam, antequàm trajeciſſet Jordanem; quod contigit quarto die, ex quo populus juſſus fuerat cibaria parare. Vide Capitis ſuperioris v. 11.

Sittimis] Vide Num. XXV, 1. & XXXII, 49. Locus fuit ad ortum Jordanis, è regione Jerichuntis.

Clam] Vel, *ſilentio*, חרש *hhereſch*, quod eſt pro בחרש *hhereſch*, in ſilentio; ab ea notione radicis חרש, quâ *ſilere* ſonat. Miſit, nempe, exploratores, nemine, præter ipſos, conſcio. Nihil attinet quærere an juſſu Dei hæc fecerit Joſua, an ſponte ſuâ; alterutrum enim malueris, non ægrè defendi poterit.

Speculamini terram & Jerichuntem] Hoc eſt, tractum terræ circa Jerichuntem, urbémque ipſam. Illac enim Hebræi terram Chananæam ingreſſuri erant.

Ædes mulieris meretricis] בית אשה זנה *beth iſchah zonah*. LXX. Intt. πόρνην interpretantur, quos ſequutus Auctor Epiſtolæ ad Hebræos. Vulgatus etiam, *meretricem*. Deduxerunt, nimirum, à זנה *zanah*, quod eſt *ſcortari*. *Chaldæus* verò Int. habet פונדקיתא *phondekitha*, quæ quæ Græca vox eſt, πανδοκεύτρια, hoc eſt, quæ diverſorio quoſvis exciperet; quaſi derivanda vox eſſet à זון *zoun*, quod apud Chaldæos eſt *cibare*

atque illic cubuerunt. 2. Monitus eſt autem Rex Jerichuntis, his verbis: ecce, viri ab
Iſraëlitis noctu venerunt huc, ut terram ſpecularentur. 3. Miſit verò Rex Jerichuntis
ad Rachabam, qui dicerent: producito viros qui ad te venerunt, & qui domum tuam
ingreſſi ſunt; venerunt enim, ut totam regionem explorarent. 4. Sed ſumſit mulier
duos illos viros, eoſque occultavit, & dixit: ſic eſt, venerant ad me viri, ſed neſcie-
bam unde illi eſſent. 5. Cùm autem tenebris porta *oppidi* eſſet claudenda, viri illi egreſ-
ſi ſunt; at neſcio quò abierint. Inſequimini celeriter, nam eos adſequemini. 6. Ve-
rùm illa eos occultandos miſerat in ſolarium; atque abdiderat ſub culmis lini, qui ei
erant in ſolario coacervati. 7. Viri verò *Jerichuntini* inſequuti ſunt eos viâ, quæ ten-
dit ad Jordanem, ad loca in quibus trajicitur; cúmque egreſſi eſſent *Iſraëlitas* inſequu-
turi, poſt eos *vigiles* portam clauſerunt.
8. Antequàm verò illi *Iſraëlitæ* dormirent, adſcendit ad eos mulier in tectum, 9. iiſ-
que, ſcio, inquit, Jehovam vobis dediſſe hanc terram, formidinem veſtri nobis inci-
diſſe, incolarúmque omnium hujus terræ propter vos *animos* eſſe fractos. 10. Audivi-
mus enim quemadmodum Jehova exſiccarit è conſpectu veſtro aquas maris algæ, cùm
egreſſi

bare, *alere*. Ex re ipſa quidem liquet mulierem peregrinos hoſpitio excipere ſolitam; ſed nullum aliud profertur exemplum, ex quo conſtet, voce זונה *zonah*, cauponariam mulierem ſignificari. Nihil probabilius eorum ſententiâ, qui putant eam & diverſorium habuiſſe peregrinis apertum, & quæſtum corpore feciſſe; quæ duo olim non rarò conjuncta eſſe ſolebant, ut docebit *Iſaac. Caſaubonus*, ad *Theophraſti* Characterem ἀπονοίας. Attamen & Judæi & Chriſtiani Interpretes nonnulli malunt Rachabam; illi quidem propter officium, quod præſtitit populo Hebræo: hi verò quòd ex ea Chriſtus ortum duxerit, quódque laudetur mulieris fides; ſcortationis crimine abſolvere, & diverſorii dominam, ſed caſtam, facere. Nos quidem non intercedimus, quominus caſta tunc fuiſſe cenſeatur; ſed nomen infame ei fruſtra impoſitum vix putamus. Potuit reſipuiſſe, & ad meliorem frugem tranſducta, arte cauponariâ, vitam ſine ulla impudicitia ſuſtentaſſe.

Atque illic cubuerunt] Sub noctem venerant ad Rachabam, ut liquet ex ſequente verſu, eo animo ut eâ nocte apud eam diverterent; quod re verâ contigit, quamvis non ſine gravi periculo & metu, ut ſequens hiſtoria docet.

2. *Venerunt huc noctu*] Hoc eſt, ſub noctem, aut initio noctis, antequàm tamen portæ urbis eſſent clauſæ, v. 5. Addiderunt, ut videtur, monitores, eos cubitum iviſſe ad Rachabam; aut Rex, cum inquiri eos juſſiſſet, rem ita habere comperit, quo factum ut ad mulierem mitteret.

3. *Miſit —— qui dicerent.*] *Miſit —— dicendo.*

4. *Sed ſumſit.*] Hoc eſt, viros illos, cùm apud ſe eſſe negaſſet, duxit in ſolarium. Videtur enim negatio anteceſſiſſe, quamvis poſterius narretur. Exſpectaſſe miſſos à Rege ad oſtium cauponæ, dum occultarentur exploratores, veriſimile non eſt; mora enim ſuſpectam feciſſet Rachabam.

Eóſque occultavit] ותצפנו *vattitſpeno*, & occultavit eum; hoc eſt, utrumque.

5. *Tenebris*] בחשך *baheſchech*; jam tenebris ortis; quod tempus ad exeundum, nemine animadvertente, percommodum erat.

Viri illi egreſſi ſunt] In hac oratione, duo ſunt; prius eſt mendacium, alterum prodendæ urbis initium. Ad mendacium quod attinet, ſemper licitum habitum eſt, cùm neque leviter profertur, neque nocendi animo. Vide not. ad Gen. XII, 13. Itaque nulla eſſet hac in re difficultas, ſi mendacium duntaxat fuiſſet ſalutare iis, in quorum gratiam fingebatur, idémque nemini noxium. Sed favit Rachaba hominibus, patriam ipſius invadere conantibus, civéſque Jerichuntinos internecione delere, quod non ignorabat; qua in re immanitas videretur eſſe, niſi noviſſet Rachaba Deos Chananæorum fictos fuiſſe Deos, unúmque verum Deum ab Iſraëlitis cultum; qui cùm eſſet omnium hominum dominus & judex, pœnas ſtatuerat de Chananæis ſumere, eorúmque agris Iſraëlitas donare. Hæc omnia Rachabæ nota fuiſſe ejus cum exploratoribus colloquium oſtendit. Quæ cùm ſecum reputaret, divinæ voluntati adverſari piaculum eſſe credidit, patriámque ei poſthabuit.

6. *In ſolarium*] *In tectum*, quod in illis oris planum. Vide not. ad Deut. XXII, 8.

Sub culmis lini] *In linis ligni*. Hoc eſt, ut habent LXX. ἐν λινοκαλάμῃ, nam fracto lini culmo, in duas aut tres particulas detrahitur cortex, ut & cannabi; ita ut ligneus culmus ſat copioſus ſuperſit. Potuit etiam hoc *lignum* Latinè dici, ſi credimus Juriſconſultis. *Ulpianus* Digg. Lib. XXXII. Leg. LV. *ligni*. §. 5. *Lignorum appellatione, in quibuſdam Regionibus, & in Ægypto, ubi arundine pro ligno utuntur, & arundines & papyrus comburitur, & herbulæ quædam, vel ſpinæ, vel vepres continebuntur.* Nam culmi lini ac cannabis, cortice eruti, comburi ſolent. Poſſit & intelligi linum nondum cortice erutum, & in ſolario, ut exſiccaretur, ſoli expoſitum. Vide *Joſeph*. Lib. V. c. I. Videtur autem ita loquutus Joſua, aut libri Scriptor, diſtinctionis causâ, ne intelligeretur lini cortex detractus & depexus, aut etiam fila, vel tela linea.

7. *Vigiles*] Hic nominativus, aut ſimilis neceſſariò eſt ſubaudiendus. Aperta eſt porta urbis exporatores inſequuturis & iterum clauſa, ut antea, erat; quod fieri non potuit, niſi ab iis qui ad portam excubabant.

9. *Scio, Jehovam*] Aut Scriptor Sacer ſuis verbis inducit loquentem Rachabam, qua de re vide ad Gen. XXXIX, 3. aut fama nomen Dei Iſraëlitarum jam ad Chananæos pertulerat, ejúſque

egreſſi Ægypto eſſetis, & quæ feceritis duobus Regibus Emoræorum, *qui erant* trans Jordanem, Sichoni & Hogo, quos internecioni devotos deleviſtis. 11. Simul atque *hæc* audivimus, fractus eſt animus noſter, neque ulli erectus ampliùs fuit ſpiritus, propter vos; nam Jehova, Deus veſter, Deus eſt ſurſum in cœlo, & deorſum in terris. 12. Nunc ergo jurate mihi, quæſo, per Jehovam, quandoquidem vobiſcum benignè me geſſi, vos etiam cum domo patris mei benignè vos geſturos; verámque *ejus rei* teſſeram mihi date, 13 *quâ conſtet* vos conſervaturos patrem meum, matrem meam, fratres meos, ac ſorores, & quidquid iis eſt, vóſque erepturos vitas noſtras morti. 14. Mulieri verò dixerunt viri illi: anima noſtra loco veſtro *ſe ſe* morti *offeret*, modò ne negotium hocce noſtrum *cuiquam* nuncietis; & cùm dabit nobis Jehova hancce terram, benignè atque ex fide nos tecum geremus. 15. Igitur eos illa demiſit fune, per feneſtram, nam domus ejus erat in mediis mœnibus, illáque in mœnibus habitabat.

16. Dixerat etiam illis: in montem ite, ne vobis occurrant qui inſequutum iverunt, & latete illic, per triduum, donec redierint qui inſequutum iverunt; tum verò viâ veſtrâ pergetis. 17. Dixerant quoque ei illi viri: non erimus rei *violati* hujus jurisjurandi, quo

que nutu Chananæam ab Iſraëlitis invadi. Sic malim, quàm quærere hîc prophetiam, ut *Clemens* in Ep. I. c. XL. ad quem locum vide Interpretes.

Animos eſſe fractos] *Liquefacti ſunt omnes incolæ* &c. Metaphora è cera, aut ex nive, vel glacie, quæ calore liqueſiunt, deſumta; quâ exprimitur animi demiſſio, ac deſperatio. Vide Cap. VII, 5. Sed ea metaphora in Latinam Linguam transfundi non poterat. Ideò Vulgatus vertit; *elanguerunt*, LXX. verba hæc omiſerunt, ſi credimus Codicibus Aldino, Alexandrino & Romano. Sed in Complutenſi legere eſt: καὶ κατέπτηξαν πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν ἀφ' ὑμῶν.

10. *Maris alga*] Sic dictum mare rubrum, propter juncorum copiam, quibus cincta ſunt ejus littora; qua de re vide Quæſt. X. *Davidis Clerici*.

Duobus Regibus] Vide Numer. XXI.

11. *Fractus eſt*] *Liquefactus eſt*. Vide ad v. 9.

Erectus fuit ſpiritus] *Non ſtetit ſpiritus*, hoc eſt, omnium animi ſunt dejecti. Sic & Latini *cadere ſpiritum* dicunt iis, qui omnem ſuperbiam exuunt.

Deus veſter Deus eſt &c.] Hoc eſt, cœli & terræ dominus, non quales Dii illi, qui minores credüntur, partique dumtaxat rerum Univerſitatis attribuuntur, quales multi ab Ethnicis eſſe ſtatuebantur. Hac in re, laudata meritò eſt fides Rachabæ, Heb. XI, 31.

12. *Benignè me geſſi*] *Feci miſericordiam*, aut *benignitatem*, חסד *hheſed*.

Veram teſſeram] אות אמת, oth emeth, *ſignum veritatis*. Vide infra v. 18.

13. *Quâ conſtet vos conſervaturos*] *Et facietis vivere*; impedietis ne occidantur; nam vitam dare videtur victor, qui, cùm jure belli poteſt, eam non eripit.

Vitas] *Animas*. Sed hæc perpetuò miſcentur.

14. *Anima noſtra* &c.] Hoc eſt, nos potiùs moriemur, quàm vos ſinamus occidi.

Benignè atque ex fide &c.] *Faciemus tecum benignitatem & veritatem*. Vide Gen. XXIV, 49. Ceterùm hæc promiſſio pendebat ex hac conditione, ne eos proderet, antequàm in Joſuæ caſtra perveniſſent; oppreſſi enim & occiſi à Jerichuntinis, antequàm ad caſtra ſuorum pervenirent, promiſſis ſtare non potuiſſent.

15. *Igitur eos illa dimiſit* &c.] Inverſa eſt narratio, nam ante hæc rei ordo poſtulabat dici quod habetur v. 16. ad 22. Sed frequentes ſunt, in ſimpliciſſimo horum Librorum ſtylò, ejuſmodi narrationis inverſiones. Vide Cap. IV.

In medio muro] בקיר החומה *bkir bahhomah*, in centro muri. Vide de voce קיר notata ad Num. XXXV, 4. Hîc ſignificat in urbis medio muro, per ipſam mœnium craſſitiem, tranſmiſſam fuiſſe domum Rachabæ; ita ut *centrum* non dicatur, ut in circulo, ſed minùs propriè quodvis medium ſpatium. Omiſerunt hæc vertere LXX. Intt. niſi ſequamur Cod. Complutenſem, qui, ſilentibus aliis, habet: ὅτι ὁ οἶκος αὐτῆς ἐν τῷ τείχει, καὶ ἐν τῷ τείχει αὐτὴ κατῴκει. *Hieronymus* verò habet παρενθετικῶς, ut ſæpe in locis obſcuris: *domus enim ejus hærebat muro*.

16. *In montem ite*] Nempe, Jericho undequaque montibus cincta erat, niſi ad ortum, quâ planities mœnibus ejus ſubjecta ad Jordanem uſque extendebatur. *Strabo* Lib. XVI. Ἱερικοῦς δ' ἐστὶ πεδίον περιεχόμενον ὀρεινῇ τινι, κύκλῳ πως θεατροειδῶς πρὸς αὐτὸ κεκλιμένῃ. *Jericho eſt planities circumdata montano quodam tractu, in theatri ſpeciem quodammodo ad eam devexa. Theatri* ſpeciem dixit, non *Amphitheatri*; quia non erat ab ortu montibus cincta. Vide & *Joſephum* de B. Jud. Lib. IV. c. 27. ubi ſitum Jerichuntis multis deſcribit. Vult autem Rachaba Iſraëlitas ad montana, quæcumque vellent, ad occaſum urbis, ire; quia facilè intelligebat eos, qui miſſi fuerant ad homines à fuga retrahendos, rectà verſùs ortum ad Jordanem, quâ via erat ad caſtra Joſuæ, ituros; quod crederent exploratores Iſraëlitas ad ſuos, breviſſimo itinere, continuò redituros.

Latete illic per triduum] Aberat tantùm Jordanes Jerichunte VII millibus paſſuum & quingentis, ſeu LX ſtadiis, ut docet *Joſephus* Lib. IV. cap. 27. ex Græca diſtinctione. Sed opus erat cautione, quia Jerichuntini, aliquamdiu ad Jordanem erant fortè exſpectaturi; ut viderent, an eò venturi eſſent exploratores.

17. *Non erimus rei*] *Erimus innocentes*.

quo nos obſtrinxiſti, *niſi hoc feceris.* 18. Cùm terram hanc ingreſſi fuerimus, textum
fili hujus coccinei ſuſpendes ex feneſtra, quâ nos demittes; patrémque tuum, matrem
tuam, fratres item tuos, & omnem domum patris tui ad te in ædes tuas coges. 19. Quiſ-
quis verò ex oſtio domûs tuæ foràs exierit, cædes ejus in ipſius caput *recidat*; nos qui-
dem, rei non erimus. At quiſquis erit tecum domi, in caput noſtrum recidat cædes
ejus, ſi manum ei injecerimus. 20. Si nuncies *cuiquam* rem hanc noſtram, non tene-
bimur jurejurando, quo nos adegiſti. 21. Dixerat illa: qualia ſunt dicta veſtra, ita
res eſto; eóſque dimiſerat, & textum coccineum è feneſtra ſuſpenderat.

22. Illi verò profecti iverunt ad montem, & manſerunt illic per triduum, donec qui
inſequutum iverant rediiſſent. Quæſiverunt autem illi, per omnem viam, nec invene-
runt. 23. Redierunt ergo duo illi viri, & cùm è monte deſcendiſſent, trajecerunt *Jor-
danem*, venerúntque ad Joſuam, Nunis filium, & quidquid ſibi contigerat narrarunt.
24. Dixerunt etiam Joſuæ, Nunis filio: Jehova in manum noſtram univerſam terram
tradidit, & propter nos fracti ſunt *animi* omnium ejus regionis incolarum.

III. Proficiſcuntur Iſraëlitæ Sittimis, trajiciúntque Jordanem, diſceden-tibus utrimque aquis; cujus rei monumentum duodecim lapidum ad occaſum Jordanis ſtatuunt.

CAPUT III.
1. SURREXIT itaque mane Joſua, Sittimiſque profecti pervenerunt ad Jordanem;
cùm ipſe, tum Iſraëlitæ omnes, & illic antequàm trajicerent pernoctarunt. 2. Elap-
ſis verò tribus diebus, per media caſtra tranſierunt præcones, 3. edictúmque pro-
mulgarunt populo, his verbis: cùm videbitis arcam fœderis Jehovæ Dei veſtri, & Sa-
cer-

Niſi hoc feceris] Hoc neceſſariò ſupplendum, nec raró hujuſmodi minora membra orationis omittuntur Vide not. ad Geneſ. III, 22.

18. *Textum fili hujus coccinei*] תקות חוט השני הזה *thikvath hhout haſſchani hazze.* Cum *Andrea Maſio*, vertimus תקוה *thikvah*, textum; ex ſignificatu adfinis Chaldæi vocabuli קוי *kevai*, quod textorem ſonat.. Adde & קוין *kavin* apud eoſdem Chaldæos dici *telas araneorum*, ac præterea מקוה *mikveh* videri eſſe telam 1. Reg. X, 28. Ac ſanè non ſatis conſpicuus fuiſſet funiculus purpureus, ad domum illico agnoſcendam, in exſcidio Jerichuntino; ſed ſuſpenſo latiore quopiam limbo, aut texto coccineo, inſtar ſudarii, facilè ab aliis omnibus potuit ſecerni, nec quiſquam non viſum à ſe funiculum cauſari. Prouomen autem הזה *hazzeh*, hujus, oſtendit pannum coccineum fuiſſe in manibus aut exploratorum, ant Rachabæ.

Coccinei] שני *ſchani.* Vide dicta ad Exod. XXV, 4.

19. *Si manum ei injecerimus*] *Si manus noſtra in eum fuerit.*

21. *Qualia ſunt dicta*] *Secundùm verba veſtra, ſic illud.*

Textum coccineum] Fortè non eodem die, ſed cùm vidit caſtra Iſraëlitarum Jerichuntinis mœnibus admota.

22. *Donec qui* &c.] Poterant quidem citiùs rediiſſe qui miſſi fuerant, ut eos caperent, ſed tutiùs erat paullò diutiùs exſpectare.

24. *Fracti ſunt animi* &c.] *Liquefacti ſunt incolæ.* Horum orationi præfixa eſt particula כי *chi*, *dixerunt quòd Jehova* &c. Miſtura eſt orationis directæ & obliquæ.

In CAPUT III.

2. E*Lapſis tribus diebus*] Tribus, nempe, diebus, de quibus Cap. I, 11. vel ſub finem tertii diei.

3. *Sacerdotes Levitas*] LXX. Intt. interponunt conjunctionem ἱερεῖς ὑμῶν καὶ τοὺς Λευίτας. Levitarum quidem Kehathitarum fuit bajulare Arcam, ut docet Moſes Cap. IV, 15. Sacerdotum verò omnia ſacra vaſa colligere, iiſque bajulanda tradere. At nihil vetabat Sacerdotes, qui ſanctioribus muneribus fungebantur & Kehathitæ quoque erant, bajulare etiam Arcam, ſi vellent. Excluſi tantùm hinc erant alii Levitæ & Iſraëlitæ. Sic & Sacerdotes Jerichunti Arcam circumtulerunt, Cap. VI. & poſtea, fugiente Abſalomum Davide, Jeroſolimâ abſtulerunt 2. Sam. XV, 24.

4. *Intervallum ſit*] Reverentiæ cauſâ. Quod tamen intelligendum de tempore quo iter faciebant, præcedente Arcâ; non de eo tempore, quo in Jordane conſtiterat.

Et illam] בינו quod ſi legas *beno*, vertendum *inter illam*, hoc eſt, Arcam; ſi *benau*, quaſi ſcriptum eſſet ביניו, vertes *inter illos*, hoc eſt, Sacerdotes Arcam bajulantes. Prius legitur in textu, ſed Maſſorethæ poſterius legi voluerunt, at ſine ratione. LXX. legerunt prius, nam habent καὶ ἐκείνης, ut Vulg. *& Arcam.*

Quæ dimetiemini] *In menſura.* Funibus dimenſi eſſe poterant. Hinc colligimus Iſraëlitarum caſtra non ad ipſas ripas fluvii fuiſſe poſita, ſaltem in ea parte caſtrorum è regione cujus Arca tranſiit.

Antea] *Ab heri nudius tertius.* Frequens eſt loquutio, ad ſignificandum quodvis tempus præteritum.

5. *Purificate vos*] Abluite veſtes. Vide ad Gen. XXXV, 2. & Exod. XIX, 10, 11. Hoc autem præceptum die ante profectionem editum ſtatuimus, cui vix potuiſſent in ipſo itinere parere. Ordinem temporis frequenter negligi, in hiſce narrationibus, nemo neſcit.

7. *Te magnificare*] Hoc eſt, magnam auctoritatem tibi conciliare, oſtendendo quantâ ſis apud me gratiâ.

Ex-

cerdotes Levitas eam bajulantes, diſcedite & vos de loco, eámque ſequimini. 4. Verùm intervallum ſit, inter vos & illam, circiter bis mille cubitorum, quæ dimetiemini, ne ad illam propiùs accedatis; ut ſciatis quodnam iter ingreſſuri ſitis, neque enim antea per illam viam iviſtis.

5. Dixerat verò *pridie* Joſua populo: purificate vos, nam cras mirabilia apud vos faciet Jehova. 6. Dixit deinde ſacerdotibus: tollite arcam fœderis & tranſite coram hoc populo. Igitur ſublatâ arcâ fœderis, coram populo tranſiverunt. 7. Tum Jehova Joſuæ, hodie, inquit, incipiam te magnificare in oculis totius Iſraëlis; ut, ſicut adfui Moſi, me tibi adfuturum intelligant. 8. Tu verò ſic mandato Sacerdotibus, qui bajulant arcam fœderis: ingreſſi extremitatem aquarum Jordanis, conſiſtite. 9. Poſtea Joſua Iſraëlitis, huc, inquit, accedite & audite verba Jehovæ Dei veſtri; 10. ſubjecítque: hinc intelligetis Deum vivum habitare apud vos, atque expulſurum eſſe Chananæum, Chitthæum, Chivvæum, Pheriſæum, Girgaſæum, Emoræum & Jebuſæum. 11. En, arca fœderis Domini totius terræ, coram vobis, tranſit in Jordanem. 12. Nunc verò legite vobis duodecim viros è tribubus Iſraëlis, ſingulos ex unaquaque tribu. 13. Cùm quieſcent plantæ pedum Sacerdotum arcam geſtantium Jehovæ domini totius terræ, in aquis Jordanis; aquæ Jordanis ſcindentur & deſcendentes, è ſuperiore parte, ſtabunt *in* acervum unum *collectæ*.

14. Poſtquàm ergo diſceſſit populus è tentoriis ſuis, ad trajiciendum Jordanem, Sacerdotéſque ferentes arcam ante eum eſſent, 15. & perveniſſent arcam bajulantes ad Jordanem uſque, cùm pedes Sacerdotum arcam ferentium *jam* tingerentur extremâ Jordanis aquâ (Jordanes autem omnibus diebus meſſis ſupra ripas exundat) 16. ſteterunt aquæ deſcendentes è ſuperiore *fluvii* parte, exſurrexerúntque *in* cumulum unum longiſſimè *ab eo loco*, ab urbe Adama,

quæ

8. *Extremitatem aquæ*] Hoc eſt, primas aquas, in citeriore Jordanis ripa, donec alveus exſiccaretur; nam ulteriorem ripam antea attingere non potuerunt, quàm exundantis Jordanis aqua effluxiſſet. Vide v. 15.

10. *Deum vivum*] Sic dicitur, ut opponatur Diis, qui erant mortui homines conſecrati, aut quorum præter mortua ſimulacra nihil erat; quorúmque proinde nulla fuit potentia.

Chananæam] Singularis hæc fuit familia, quæ ſic κατ' ἐξοχὴν vocabatur. Vide ad Gen. XII, 6. Septem populi etiam memorantur Deut. VII, 1.

11. *Fœderis Domini* &c.] Vocem אדון *adon*, domini, cum antiquis aliiſque Interpretibus jungimus cum voce ארון *aron*, arca. Neque ullam rationem accentûs Zakeph-Katon, qui voci ברית berith, *fœderis*, impoſitus eſt, habendam cenſemus. Quis enim neſcit figmenta hæc eſſe Rabbinica? Quare miror *Druſium* rationem accentûs haberi voluiſſe.

12. *Legite vobis* &c.] Vide Cap. IV, 2.

13. *In acervum unum*] נד אחד *nod ebhad*. *Symmachus* vertit ἀσκὸν ἕνα, quare vir doctus putat legiſſe eum *nod*, quaſi eſſet idem ac נאד *uter*; ſed non opus eſt, nam potuit credere duarum affinium vocum ſignificationes interdum miſceri.

15. *Omnibus diebus meſſis*] Meſſis duplex erat hordei & tritici, quarum illa menſe uno priùs, altera menſe uno ſeriùs fiebat. Vid. not. ad Exod. IX, 32. Non poteſt accuratè tempus illud, in anno cœleſti & vero, deſignari; quia meſſis, prout fuerat anni tempeſtas, citiùs, aut ſeriùs fieri potuit; eóque tempore menſis primus inchoatus, quo meſſes matureſcere incipiebant. Vide hac de re *Dionyſium Petavium* Var. Diſſert. Lib. II. c. 12. Verùm hoc conſtat, vernâ tempeſtate hæc contigiſſe, quo tempore nives Antilibani montiúmque vicinorum, ex quibus fluvii aut torrentes in Jordanem defluebant, calore liquefactæ, atque in eum fluvium effuſæ, ut vicinam ripis vallem inundaret faciebant. De exundatione Jordanis, menſe primo, vide 1. Par. XII, 15. Eccleſiaſtic. XXIV, 36. Igitur hoc vult Joſua, per id tempus, quo fruges, ſive hordeaceæ, ſive triticeæ, matureſcunt, & demetuntur, ſolitum fuiſſe Jordanem nivalibus aquis tumere. Quod meritò ab eo obſervatum, ne quis Jordanis aquas tenuiores liberum trajectum Iſraëlitis præbuiſſe ſuſpicaretur, miraculúmque aut negaret, aut elevaret. Alioqui Jordanes arctus eſſe ſolet, ut teſtatur *P. Belonius*, qui Obſervationum Lib. II. c. 76. ait lapidem à puero facilè trans ejus alveum jaci poſſe, cùm *toſias* Gallicas, hoc eſt, menſuras ſex pedum ſeptem, aut octo non ſuperet. Sed fluvium illum inviſit menſe Decembri, quo minor eſſe ſolet. Vide & *Thevenotium* Lib. II. c. 40.

16. *In cumulum unum*] Quamvis aqua perpetuò augeretur, divinâ potentiâ fiebat ut concervaretur, inſtar arenæ, aut in devexiora loca Perææ deflueret.

Longiſſimè ab eo loco] Nimirum, ut latiùs ex arctacto alveo tantus populus citiùs trajicere poſſet.

Ab urbe Adama] Sequuti ſumus τὸ קרי quod habet מאדם meadam, *ab Adam*, cum τὸ כתיב habeat באדם *beadam*, quia commodior loquutio videbatur. LXX. Int. pro הרחק מאד מאדם harhhek meod meadam, *procul admodum ab Adama*, legerunt הרחק מאד מאד harhhek meod meod, *procul valde valde*, habent enim μακρὰν σφόδρα σφοδρῶς; niſi fortè, cum non intelligerent quid ſibi vellet vox מאדם *meadam*, ſic crediderint emendandum. Ita quidem habent in Vaticano Codice, nam in Alexandrino ſublatum σφοδρῶς, quaſi ſuperfluum. Præſtat ſequi Codicem Hebraicum, quamvis alibi mentio non occurrat urbis, quæ *Adam* vocetur. Sanè difficile eſt dictu quid legerint hic LXX. Intt. cùm

ha-

Digitized by Google

quæ eſt è latere Tſarthanis. At deſcendentes ad mare planitiei, mare, *inquam*, ſal-
ſum, defecerunt *atque* abſciſſæ ſunt. Trajecit autem populus è regione Jerichuntis. 17· Sta-
bant interea firmi ſacerdotes, arcam fœderis Jehovæ bajulantes, in ſicco, in medio Jor-
dane, donec tota gens trajicere Jordanem abſolviſſet.

CAPUT IV.

1· Cùm verò gens univerſa abſolviſſet trajicere Jordanem, dixit Jehova Joſuæ: 2· ſu-
mite vobis è populo duodecim viros, ſingulos è ſingulis tribubus, 3· atque illis man-
dato ut ſumant ſibi hinc, è medio Jordane, è loco in quo ſteterunt pedes Sacer-
dotum, & parent duodecim lapides, trajiciántque eos ſecum, ac deponant in eo
loco, in quo hac nocte pernoctabitis. 4· Vocavit ergo Joſua duodecim illos viros,
quos præſtituerat ex Iſraëlitis, ſingulos ex ſingulis tribubus, 5· iiſque dixit: tranſite an-
te arcam Jehovæ Dei veſtri, in medium Jordanem, & tollite vobis unuſquiſque lapidem
unum in humeros, pro numero tribuum Iſraëlitarum; 6· ut hoc ſit monumentum apud
vos. Cùm vos poſthac interrogabunt liberi veſtri, & quid *ſibi volunt*, inquient, lapi-
des iſti? 7· dicetis abſciſſas fuiſſe aquas Jordanis ante arcam fœderis Jehovæ, cùm tra-
jiceret Jordanem; abſciſſas, *inquam*, fuiſſe aquas Jordanis. Erúntque lapides iſti in
æternum, monumenti loco, Iſraëlitis.
8· Fecerunt verò Iſraëlitæ, prout juſſerat Joſua, & ſuſtulerunt duodecim lapides è
medio Jordane, ſicut dixerat Jehova Joſuæ, pro numero tribuum Iſraëlitarum, tra-
duxerúntque eos ſecum, in locum in quo pernoctaturi erant, ubi eos depoſuerunt.
9· Duodecim præterea lapides ſtatuit Joſua in medio Jordane, ſub eo loco in quo ſacer-
dotum arcam fœderis bajulantium pedes ſteterant; atque illic fuerunt, ad hunc uſque
diem.
10· Sacerdotes autem ferentes arcam in medio Jordane ſteterant, donec perfectum
fuiſſet quidquid Jehova juſſerat Joſuam populo edicere; ſecundùm omnia, quæ Moſes
Joſuæ in mandatis dederat; populus verò feſtinanter tranſiit. 11· Cúmque univerſus
populus abſolviſſet trajicere, trajecit & arca Jehovæ, & ſacerdotes populo præive-
re. 12· Tranſierunt quoque Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſæ, expe-
diti ante Iſraëlitas, prout eis dixerat Moſes. 13· Circiter quadrageſies mille expe-
diti

habeant, in Codice Aldino: σφόδρα ἀπὸ Ἀδαμὶ ἕως, in Complutenſi verò: σφοδρῶς ἀπὸ Ἀδαμὶ τῆς πόλεως. Quæ propiora ſunt Hebraicis, ſed redolent emendationem ex alia verſione. Sed oportet urbem fuiſſe ad ortum Jordanis, non procul infra lacum Geneſarethicum, ita ut illic aqua ſteterit, quod ex ſequentibus verbis liquebit. Cavendum enim ne hanc fuiſſe putemus Adamam, Tribûs Nephthalis, de qua Cap. XIX, 36. cùm hæc Adama fuerit ad meridiem lacûs Geneſarethici, infra quem aquæ ſteterunt; Nephthalitica verò ad ejuſdem lacûs ſeptemtrionem, ubi ejus Tribûs agri fuerunt.

Quæ eſt è latere Tſarthanis] צרתן *Tſarthan* urbs memoratur 1. Reg. VII, 46. ubi Salomon dicitur liquefeciſſe vaſa Templi, *in planitie Jordanis in pingui argilla, inter Succoth & Tſarthan.* Planè autem conſtat *Succoth* fuiſſe ad ortum Jordanis, infra mare Galilææ. Vide Gen. XXXIII, 17. & infra Cap. XIII, 27. Itaque Tſarthan in eadem ripa Jordanis erat, nec procul inde aberat Adama; cujus mentio poſtea fortaſſe non fit, quòd, lapſu temporis, diruta fuiſſet, aut nihil memorabile in ea contigiſſet. Ceterùm hîc quoque aliquot verba neſciverunt legere, aut corrupta putarunt LXX. Intt. qui habent ἕως μέρους Καριαθιαρίμ, cum Hebræi Codices hæc nobis exhibeant verba: העיר אשר מצד צרתן *urbe quæ eſt è latere Tſarthan*, quæ melior eſt lectio.

Mare planitiei] In extrema parte meridiana Magni Campi ſitum. Vide Diſſert. noſtram *de ſubverſione Sodomorum*, & notata ad Deut. I, 1.

Abſciſſæ ſunt] Quia ſeparatæ à ſuperioribus, quæ inferioribus, in Lacum Aſphaltiten delapſis, non ſucceſſerunt.

17· *Stabant interea* &c.] Videntur ſtetiſſe ad Septemtrionem, quaſi ad ſiſtendas, præſentiâ Numinis in Arca, aquas illinc defluentes; populus verò infra tranſiviſſe, è regione Jerichuntis. Cave tamen ne putes è mœnibus urbis tranſitum proſpici potuiſſe, cum duabus horis à Jordane abeſſet. Vide ad Cap. II, 16. In narratione brevi, nec valde perſpicua, nec pro temporis ordine diſpoſita; multa ſunt ſupplenda, quæ non attingimus, ne feneſtra innumeris conjecturis, incertiſque conſectariis aperiatur. Vocem הכן *hachen* vertimus *firmi*, quia videtur eſſe infinitivus Hiphil adverbii loco, *firmiter*.

In CAPUT IV.

2· *Sumite vobis* &c.] Deſignat eos, de quibus antea dixit Cap. III, 12. ſed quorum officium nondum deſcripſerat.

3· *Deponant*] Vide inf. 8, 20.

E loco in quo ſteterunt] *E ſtatione pedum.*

Et parent] הכין *hachin*, parando. Oportet magnos fuiſſe lapides, ſed qui ſinguli à ſingulis hominibus bajulari poſſent. Alioqui nec lapilli poterant eſſe ſat perenne monumentum; nec majores lapides à ſingulis bajulari.

6. *Monumentum apud vos*] *Signum in medio veſtri.*

Poſthac] *Cras*, מחר *mahhar*, quod omne tempus futurum complectitur. Cùm rara eſſent litterarum monumenta, muti quidam rerum geſtarum teſtes conſtituebantur; ſed qui hominum interpretatione indigerent. Vide Gen. XXXI, 46. & ſeqq.

9· *In medio Jordane*] Qui, nimirum, quoties

Digitized by Google

diti exercitûs tranſierunt coram Jehova, ad bellum *inſtructi*, in campeſtria Jerichuntis.
14. Illo die Jehova magnificavit Joſuam, in oculis totius Iſraëlis; quamobrem eum
reveriti ſunt, quemadmodum reveriti erant Moſem, omnibus vitæ ejus diebus. 15. Dixit
enim Jehova Joſuæ: 16. jube Sacerdotes arcam teſtimonii bajulantes adſcendere è Jordane.
17. Quod juſſit Joſua Sacerdotes, &, adſcendite, inquit, è Jordane. 18. Cùm autem
Sacerdotes arcam fœderis Jehovæ bajulantes adſcendiſſent è Jordane, evulſiſſéntque
plantas pedum, ut in ſicca *ripa conſiſterent*; tum verò aquæ Jordanis redierunt in locum
ſuum, ſuperarúntque, quemadmodum antea, omnes ripas ſuas.
19. Porrò populus adſcendit è Jordane, decimo primi menſis die, & caſtra fecit
Gilgale, in tractu qui eſt ad orientem Jerichuntis; 20. atque illic duodecim illos lapi-
des, quos è Jordane ceperant, ſtatuit Joſua. 21. Dein Iſraëlitis: quando, inquit, fi-
lii in poſterum patres ſuos rogabunt quid *ſibi velint* iſti lapides? 22. *rem* docebitis filios
veſtros, his verbis: ſicco pede Jordanem hunc Iſraël trajecit, 23. quia exſiccaverat Je-
hova Deus veſter ante vos Jordanem, donec tranſiiſſetis: quemadmodum fecerat etiam
Jehova Deus veſter mari algæ, quod exſiccaverat ante nos, donec trajeciſſemus; 24. ut
intelligerent omnes populi terræ potentem eſſe manum Jehovæ, útque in perpetuum
Jehovam Deum veſtrum revereamini.

IV. Famâ trajectûs Iſraëlitarum terrentur Chananæi. Interea Iſraëlitæ circumciduntur, cúmque terræ fructibus ſe ſe alere poſſent, Manna deſiit cadere. Angelus Iſraëlitarum ductor ſe Joſuæ conſpiciendum præbet.

1. CUM audiſſent omnes Reges Emoræorum, qui trans Jordanem ad mare *incole-* CAPUT
bant, omnéſque Reges Chananæorum, qui *erant* ad mare, Jehovam exſiccaſſe V.
Jordanem ante Iſraëlitas, donec pertranſiiſſemus, fractus eſt eorum animus,
neque ulla fuit in illis ampliùs fiducia, propter Iſraëlitas. 2. Eo verò tempore, Je-
hova Joſuæ: fac tibi, inquit, cultros lapideos & Iſraëlitas ſecundùm circumcide.
3. Fecit

ties tenuiores forent aquæ Jordanis cerni poſſunt, niſi fortè duodecim lapides in cumulum ſtructos in ripa collocarit.

Ad hunc uſque diem] Incerta deſignatio temporis, nunc brevioris, nunc longioris. Vide quæ de ea diximus, in Diſſertatione *de Moſe Pentateuchi auctore*.

20. *Feſtinanter tranſiit*] *Feſtinarunt populus & tranſierunt.* Non exigua ſanè feſtinatione opus fuit, ut tanta multitudo ad occaſum Jordanis, ante noctem, tranſiret; ſed ingens tractus Jordanis exareſcens latam viam præbuit, ut multi ſimul trajicerent.

21. *Præivere*] *Ante faciem populi.*

22. *Expediti ante* &c.] Vide Num. XXXII, 27.

23. *Expediti exercitûs*] Hoc eſt, ex illorum Tribuum militaris ætatis viris.

24. *Magnificavit*] Vide ad Cap. III, 7.

26. *Arcam teſtimonii*] Hoc eſt, in qua repoſitæ erant tabulæ *teſtimonii*. Vide Exod. XXV, 16. & quæ illic notavimus.

19. *Gilgale*] Vocatur locus Galgala à LXX. Intt. & *Joſepho*. Erat inter Jordanem & Jerichuntem, quinquaginta ſtadiis à Jordane, decem à Jerichunte, ut docet *Joſephus* Antiq. Jud. Lib. V. c. I.

In tractu qui eſt ad orientem] *In extremitate orientis.* Tanta multitudo non potuit in ſolo Galgalorum agro caſtra habere, ſed ad Galgala uſque tendebat, latè per planitiem Jordanis ad ſeptemtriones & ad meridiem ſparſa.

19. *Decimo primi menſis die*] Vide ad v. 15.

21. *In poſterum*] Vide ad v. 6.

Filii] *Filii veſtri.*

22. *Sicco pede*] *In arida*, nempe, humo.

23. *Ante vos*] Hoc eſt, ante Iſraëlitas, quos hîc, ut paſſim, quaſi ætatis unius homines, quibus tribuuntur omnia quæ umquam ei populo contigerant, alloquitur. Vide Cap. XXII, 28.

Mari algæ] Vide ad Cap. II, 10.

24. *In perpetuum*] *Omnibus diebus.* Sic & apud *Homerum* alióſque Græcos Poëtas, ἤματα πάντα ſignificat *ſemper*, vel *in perpetuum*.

In CAPUT V.

1. *EMoræorum*] Cùm ſic propriè dictorum, tum etiam reliquorum Chananæorum; ut enim *Chananæi* interdum unam familiam ſignificat, interdum plures: idem de voce *Emoræi* ferendum judicium.

Trans Jordanem ad mare] Inter Jordanem & mare occiduum.

Chananæorum qui erant ad mare] Hoc eſt, Phœnicum, qui oram maritimam præſertim incolebant, erántque reliquis potentiores. Hinc LXX. βασιλεῖς τῆς Φοινίκης.

Jehovam] Vide ad Cap. II, 9.

Fractus eſt &c.] *Liquefactum eſt cor.* Vide ad Cap. II, 9.

Fiducia] *Spiritus*, quæ quidem vox Latinè etiam animos, fiduciam, ac ſuperbiam ſignificat; ſed non conjuncta cum iis vocibus, quibuſcum conjuncta hîc eſt vox Hebraïca רוח *ronahh.*

2. *Cultros lapideos*] Vide not. ad Exod. IV, 25.

Secundùm circumcide] *Redi, circumcide filios Iſraëlis, ſecundâ vice.* Non jubet Deus eos, qui jam circumciſi erant, iterum circumcidi; ſed cir-

3. Fecit ergò ſibi Joſua cultros lapideos, & Iſraëlitas, ad collem præputiorum, circum-
cidit. 4. Hæc autem eſt ratio, cur Joſua *eos* circumciderit. Univerſus populus, qui
egreſſus erat Ægypto; maſculi, *nimirum*, omnes viri militares mortui erant in deſerto,
in via, poſtquàm ex Ægypto egreſſi eſſent; 5. nam univerſus quidem ille populus, eo-
rum qui Ægypto exiverant, circumciſus fuerat; ſed non circumciderant omnem popu-
lum eorum qui nati erant in deſerto, in via, poſtquàm Ægypto egreſſi fuerant. 6. Qua-
draginta enim annis, vagati fuerant Iſraëlitæ per deſertum, donec abſumta eſſet gens
omnis virorum militarium, qui exierant ex Ægypto, nec auſcultaverant voci Jehovæ;
quamobrem juraverat Jehova eos nequaquam viſuros terram, quâ juratus promiſerat pa-
tribus noſtris ſe donaturum nos, terram melle & lacte fluentem. 7. Sed liberos eorum
loco conſervarat, quos circumcidit Joſua, quandoquidem præputium habebant, quia
in via circumciſi non fuerant. 8. Cùm verò perfecta fuiſſet totius gentis circumciſio,
ſuo loco manſit in caſtris, donec convaluiſſet. 9. Tum Jehova Joſuæ, hodie, inquit,
probrum Ægypti à vobis devolvi, dictúſque eſt locus ille Gilgal, ad hunc uſque
diem.

10. Dum caſtra haberent Iſraëlitæ Gilgale, celebrarunt Paſcha decimoquarto die
menſis, veſperi, in campeſtribus Jerichuntis. 11. Comederunt autem è proventu ter-
ræ, poſtridie Paſchatis, azymos & *hordeum* toſtum, eo ipſo die. 12. Poſtridie verò
de-

circumcidendi conſuetudinem, in deſerto intermiſſam, inſtaurari, ac revocari, ut ſequentia oſtendunt. Igitur *circumcide ſecundâ vice*, perinde eſt, quaſi diceret: ſecundâ vice incipito circumcidere; antea enim primum initium circumciſionis ab Abrahamo factum erat. Præterea id facere hìc dicitur Joſua, quod ab aliis curavit fieri; neque enim ipſe tanti populi maſculos omnes incircumciſos circumcidit.

3. *Ad collem præputiorum*] Qui ſic, nimirum, ab hoc facto poſtea dictus eſt, non ita antea vocabatur.

Circumcidit] Per alios, ut diximus. Voluit Deus ab hoc tempore Legem accuratiùs obſervari, quàm potuerat antea fieri, in deſerta Arabia; in qua leges nonnullæ non levis momenti, exſequutioni mandari non potuerant, qualis lex de Sacrificiis aliæque, cùm copiam victimarum ſat magnam non haberent Iſraëlitæ. Ab hoc verò tempore, Iſraëlitæ divitiis Chananæorum potiti, aut mox potituri obſervantiores ejuſmodi legis, aliarúmque eſſe potuerunt. Huc accedit quòd per ſolitudines avias vagantes ſe ſe cum aliis gentibus miſcere non poterant, quod intra Chananææ fines facillimè potuit fieri. Quam ob rem iterandum fuit ſignum illud fœderis, quo diſtinguebantur Iſraëlitæ ab omnibus aliis. Vide not. ad Gen. XVII, 11.

4. *Ratio*] *Res* הדבר *baddabar*. Hinc על דבר *hal dabar* ſignificat *propter*.

Mortui erant] Vide ad Num. XXVI, 64, 65.

Poſtquàm egreſſi eſſent] בצאתם *betſetham*. Liquidum eſt hìc particulâ ב ſignificari *poſtquàm*, quod cùm non ſatis adſequerentur LXX. & *Hieronymus*, paraphraſtas hujus verſûs & ſequentis egerunt. Vide Gen. XXXIII, 18. Exod. III, 12.

5. *Non circumciderunt*] Cùm Circumciſio diei octavo ita eſſet lege adfixa, ut mutari non poſſet id tempus; (Gen. XVII, 12.) iter in ſolitudinibus facientes, tempúſque quo vaſa erant conclamanda ignorantes; nam Deus nube ſignum profectionis ſubitò dabat; maluerunt omittere circumciſionem, quàm ſollemni die non celebrare. Prætera pueri circumciſi atque ex vulnere ægri, non ita facilè transferri poterant. Quæ rationes vulgò omiſſæ circumciſionis afferuntur. Sed nihil vetat nos etiam dicere, quod jam notavimus ad v. 3. Mirum eſt quod habetur hìc apud LXX. Intt. τεσσαράκοντα γὰρ καὶ δύο ἔτη ἀνέστραπται Ἰσραὴλ ἐν τῇ Μαδβαρίτιδι. διὸ ἀπερίτμητοι ἦσαν οἱ πλεῖστοι αὐτῶν τῶν μαχίμων τῶν ἐξεληλυθότων ἐκ γῆς Αἰγύπτου. Sic Vaticanus Codex, at in Alexandrino deſunt καὶ δύο, meliùs. Facilè quidem intelligimus vocem Μαδβαρίτιδι deformatam ex Hebræa מדבר *midbar*, hoc eſt, *eremus*, ſcribendámque Μαδβαρίτιδι, ſed cur ita converterunt nomen appellativum in proprium, & cur ſequentia ita mutarunt? Nulla occurrit ratio, præter allatam ad v. 4. Scio Complutenſem Codicem aliter legere; ſed conſenſus frequentior ejus codicis cum Hebraïco Textu ſuſpectum eum mihi facit, aut certè eos qui Compluti ei editioni præfuerunt.

Quærunt etiam viri docti, quando circumciſi fuerint, qui ad ortum Jordanis manſerant, è tribubus Gaditica, Rubenitica & Manaſſæa? Cùm ſit altum ea de re in Sacra Hiſtoria ſilentium, crediderim Joſuam curaſſe, eodem tempore, fieri hoc ad ortum, ac ad occaſum Jordanis.

6. *Juraverat Jehova* &c.] Vide Num. XIV.

Juratus promiſerat] *Juraverat*.

7. *Conſervaverat*] *Stare fecerat* הקים *bekim*. Vide ad Exod. IX, 16. Poſſet & verti *ſubſtituerat*, ut habent LXX. Intt. ἀντικατέστησε.

8. *Sub loco*] *Sub ſe*. Hoc eſt, in tentoriis manſerunt. Vide ad Exod. X, 23.

Convaluiſſet] *Donec viverent*. *Vivere* non rarò eſt convaleſcere. Vide Eſai. XXXVIII, 9.

9. *Probrum Ægypti*] Nimirum, cùm Ægyptii ipſi circumciſi eſſent, ut oſtendimus ad Gen. XVII, 10. ceteras gentes *incircumciſas* vocitabant, per contemtum, præputiúmque eis inſtar probri objiciebant, ut poſtea fecerunt Judæi ipſi erga alias gentes. Igitur *probrum Ægypti*, & præputium unum idémque ſunt, hoc in loco. Ideò LXX. Intt. verterunt ὀνειδισμὸν Αἰγύπτου, hoc eſt, convicium quo Ægyptii alias nationes proſcindebant. *Auferre* autem *probrum* eſt efficere ne ampliùs objici poſſit. Vide Gen. XXX, 23. Eſai. IV, 1. Pſalm. CXIX, 22. Senſum hunc eſſe loci vidit, ut alia multa, vir acutus *Joan. Spencerus* de Legibus Ritualibus Lib. I. Cap. IV. Sect. 4. quamvis aliò delapſus ſit. Vide ejuſdem Cap. Sect. 5. Ceteræ omnes interpre-

Digitized by Google

deſiit Manna, cùm proventum terræ ederent; neque ampliùs fuit Iſraëlitis Manna, & comederunt terræ Chananææ fructus eo anno.

13. Dum autem eſſet Joſua ad Jerichuntum, ſublatis oculis, vidit virum coram ſe ſtantem, manúque ſtrictum gladium tenentem; cúmque ad eum iviſſet Joſua, num, inquit, noſter es, an verò hoſtium noſtrorum? 14. Non ſum, inquit, ſed dux exercitûs Jehovæ, qui modò veni. Joſua verò in faciem prolapſus *eum* adoravit, &, ecquid, inquit, dominus meus ſervo ſuo dicendum habet? 15. At dux exercitûs Jehovæ Joſuæ, detrahe, inquit, calceos pedibus tuis, quia ſacer eſt locus, in quo conſiſtis; quod fecit Joſua.

V. Jericho quomodo capienda ſit, docet Deus Joſuam, qui cùm ſepties ſeptem diebus eam circumiviſſet, ſeptimo die collabentia mœnia videt, urbémque capit ac devovet; ſervatâ tamen, ex pacto, Rachabâ cum ſuis. Tum oppidum diruit, diriſque precibus inſtauratorem ejus devovet.

1. JERICHO autem clauſerat *portas*, & occluſa erat, propter Iſraëlitas; nec quiſquam egrediebatur, aut intrabat. 2. Tum Jehova Joſuæ, vide, inquit, Jerichuntem, CAPUT VI.

pretationes contortæ ſunt, ac violentæ.

Devolvi] Hoc eſt, abjeci. Sic loquutus & *Catullus*, in re ſimili, ubi de Attide:

Devolvit leuta acuto ſibi pondera ſilice.

Quod jam ab aliis obſervatum. Hinc locus dictus *Gilgal* גלגל, aut *Galgal*, ut pronunciabant Græci Interpretes, à גלל *galal*, devolvit.

Ad hunc uſque diem] Ad tempus, quo hic liber ſcriptus.

10. *Dum caſtra haberent* &c.] *Et caſtra habuerunt*, ויחנו *vajjabhanou*. Sed ordo narrationis poſtulat hîc *Vau* intelligi, perinde ac *dum*.

Paſcha.] Alterum hoc fuit Paſcha, ex quo Ægypto egreſſi erant; nam prius, anno egreſsûs ex Ægypto ſecundo, ad Montem Sinain celebrarant. Vide Num. IX. Per ſequentes annos, videtur omiſſum, quòd agni, ac hædi deeſſent; poſtquàm in deſerto conſumta eſſet maxima pars pecudum, quas ex Ægypto eduxerant Iſraëlitæ. Hac eadem de cauſa, leges de Sacrificiis obſervari non potuerunt.

Decimo quarto die &c.] Vide not. ad Exod. XII, 3. & ſeqq.

11. *E proventu terræ*] Eſt Hebraïcè עבור *habour*, quod à עבר *habar* tranſiit; quamobrem nonnulli interpretantur de fructu anni præteriti. Sed etymologica illa ratio uſu minimè confirmatur. Credibilius multò eſt, cùm maturæ eſſent meſſes, demeſſis frugibus cœpiſſe veſci Iſraëlitas.

Poſtridie Paſchatis] Paſcha ex Lege mactabatur, pomeridiano tempore diei XIV. Menſis primi, comedebatúrque initio diei XV, cui ab occaſu ſolis initium faciendum, & qui, ſi propriè loquamur, erat dies Paſchatis. Poſtridie ergo, hoc eſt, XVI. cœperunt terræ proventu veſci; oblato priùs ex Lege primitiarum Gomero Levit. XXIII, 11. quamquam hoc reticetur.

Hordeum toſtum] קלוי *Kalous*. De qua voce, vide dicta ad Levit. XXIII, 14.

12. *Poſtridie verò*] Die XVII. primi menſis, cùm antecedente die fructus terræ comediſſent. *Joſephus* Lib. V. c. 1. πάντων ἐν αὐτοῖς πρότερον συνέβαινε σπανίζειν, τότε ῥᾳδίως εὐπορῶντας· τόν τε γὰρ σῖτον ἀκμάζοντα ἤδη τῶν Χαναναίων ἐθέριζον, καὶ τὰ λοιπὰ λείαν ἦγον: *omnibus, quibus priùs contigerat eas egere, tunc facilè abundantes, frumentum jam maturum Chananæorum demeſſuerunt, & cetera prædæ loco habuerunt.*

13. *Ad Jerichuntem*] ביריחו *biricho*, in Jerichunte. Intelligendus ager Jerichuntinus, nondum enim urbem ingreſſus erat.

Sublatis oculis] Cùm fortè adſpiceret, quæ ipſi, aut tentorio oppoſita erant.

14. *Dux exercitûs*] שר *ſchar*, quod ubi ſermo eſt de copiis, *ducem* ſignificat. Angelus, nempe, de quo Exod. XXXII, 34. & XXXIII, 14. & qui præibat caſtris.

Adoravit] וישתחו *vajiſchthabhou*, non quaſi Deum, ſed quaſi ab eo miſſum. Nam Orientales *adorabant*, ſeu proni ſalutabant honoratos quoſque viros. Vide 1. Reg. I, 23. Nec video cur Angelo, nomine Dei, venienti ſimilis honor exhiberi non potuerit, modò ne quaſi Deus coleretur.

Dominus meus &c.] Hæc ſunt reverentiæ, non cultûs religioſi verba, qualibus etiam homines inter ſe uti ſolebant. Vult *Druſius* hunc Angelum vocari *Jehovam* Cap. VI, 2. quod minimè liquet; nec quamvis hic Angelus fuiſſet organum Dei, quo loquente, propterea Deus loquutus diceretur; ideò Angelus *Jehova* vocaretur, qua de re vide quæ notavimus ad Gen. XVI, 13.

15. *Detrahe* &c.] Vide ad Exod. III, 5. Hunc locum profert *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. I. c. 2. contenditque hunc *principem exercitûs Dei* eſſe Λόγον, ſed eum non malè confutavit antiquus Scholiaſtes, cujus verba ad eum locum profert *Henr. Valeſius*, & qui cenſet Archangelum Michaëlem intelligi, qui Dan. X, 21. vocatur *princeps* Hebrææ Gentis. Detractio calceorum non oſtendit, ut mihi quidem videtur, hunc qui Joſuam alloquutus eſt, Deum fuiſſe, non Angelum; quia Angelus idem exegit à Moſe, Exod. III, 5.

Sacer] *Sanctitas.* Ceterùm mirum eſt Angelum ad Joſuam veniſſe, ſine ullis mandatis, ulliſve promiſſis.

In CAPUT VI.

2. T*Um Jehova Joſuæ*, &c.] Per Angelum memoratum Cap. V, 14. ut volunt nonnulli, aut per Elehazarem, aut in ſomnis. Quis enim rem definiat?

tem, Regémque ejus & viros fortes in manum tuam tradidi. 3· Omnes viri milita-
res urbem circumibitis, circumeundo eam ſemel *ſingulis* diebus, atque ita per ſex dies
facies. 4· *Interea* ſeptem Sacerdotes ferent ſeptem buccinas, clangentes ante arcam.
At die ſeptimo circumibitis urbem ſeptem vicibus, dum buccinis Sacerdotes clangent.
5· Cúmque productiore ſonitu cornu clanget buccinator, audito buccinæ clangore, edet
omnis populus clamorem magnum, & cadent mœnia urbis ſuo loco, ac populus in eam
intrabit, quiſque è regione ſui.

6· Igitur Joſua, Nunis filius, Sacerdotibus ad ſe vocatis, tollite, inquit, arcam fœ-
deris, & ſeptem Sacerdotes ferant ſeptem buccinas, clangentes ante arcam Jehovæ.
7· Populo etiam, tranſite, ait, & circumite urbem, atque expeditus quiſque ante ar-
cam Jehovæ tranſeat. 8· Interea dum Joſua populum alloqueretur, ſeptem Sacerdotes
ferentes ſeptem buccinas clangentes tranſiverunt coram Jehova, clanxerúntque bucci-
nis, ſequente arcâ Jehovæ 9· Expediti verò ibant ante Sacerdotes & buccinis etiam
clangebant, ac cogentes agmen ſequebantur arcam, eundóque *itidem* buccinis clangebant.
10· Edixit quoque Joſua populo: ne clamate, neque vocem emittite, neque verbum
ullum ex ore veſtro prodeat, uſque ad diem, quo jubebo vos clamare; tum verò voci-
ferabimini.

11· Circumivit ergo ſemel urbem arca Jehovæ, ambeundo, redierúntque *omnes* in
caſtra, atque in iis pernoctarunt. 12· Tum mane ſurrexit Joſua, ſuſtulerúntque Sacer-
dotes arcam Jehovæ, 13· & ſeptem *alii* Sacerdotes gerentes ſeptem buccinas clangentes
ante arcam ibant, eundóque buccinis clangebant. Expediti pariter eos antecedentes,
& cogentes agmen poſt arcam Jehovæ, ibant buccinis clangentes. 14· Sic circumierunt
urbem ſecundo die ſemel, atque in caſtra reverſi ſunt. Paria fecerunt, per ſex dies.
15· Septimo verò die, ſurrexerunt, cùm oriretur aurora, & circumiverunt urbem eo
modo, ſeptem vicibus; eóque tantùm die urbem ſepties ambiverunt. 16· At vice ſepti-
mâ, clanxerunt Sacerdotes buccinis, dixitque Joſua populo: vociferamini, nam Deus
vo-

Viros fortes] *Potentes virium.*

4· *Septem Sacerdotes* &c.] Ut intelligerent, omnes rem fieri potentiâ Dei, qui ſeptem diebus omnia creaverat. Vide not. ad Exod. XXIX, 30.

Buccinas clangentes] שופרות היובלים *ſchophroth hajjobelim.* Vide notata ad Levit. XXV, 10. Poteſt vox יבלים *jobelim* referri aut ad Sacerdotes, aut ad buccinas; nam שפרות, quamvis fœmininæ terminationis, eſt maſculinum.

5· *Buccinator*] היובל *hajjobel.* Eſt aut participium Benoni, aut nomen ſubſtantivum, quo buccinator, aut tubicen ſignificatur. Si hæ buccinæ ære tantùm conſtabant, à forma dicta ſunt *cornua*; ſin minùs, fieri potuit ut cornua taurorum, aut arietum eſſent. *Vegetius* de re Militari Lib. III. c. 5. ubi de ſignis militaribus: *Tuba, quæ directa eſt, appellatur; buccina, quæ in ſemetipſam æreo circulo flectitur; cornu, quod ex uris agreſtibus argento nexum, temperato arte ſpiritu, quem canentis flatus emittit, auditur.* Ad quem locum vide *God. Stewechium.* Hanc vocem non verterunt LXX. Int. habent tantùm v. 7. ἱερὰς. *Hieronymus* habet: *quarum uſus eſt in jubileo*, aut *jubileorum buccinas.*

Suo loco] *Sub ſe.* Vide Cap. V, 8. Hoc eſt, ſuperior pars muri in ipſa fundamenta collabetur.

6· *Vocatis*] *Et vocavit* —— *& dixit.*

8· *Sequente arcâ*] *Ibat poſt eos.*

10· *Jubebo vos*] *Dicam vobis.*

15· *Septem vicibus*] Septenarius numerus toties repetitus ſignificabat exercitum eſſe miſſum à Deo, qui intra ſeptem dies omnia creavit. Vide Exod. XXIX, 30. Verùm hinc quoque liquet Jerichuntem non fuiſſe magnam urbem, quam ſepties pedibus, uno die, circumire licebat.

17· *Anathema*] חרם *hherem.* De hac voce vide ad Levit. XXVII, 21. Deut. VII, 26. Non eædem omnium devotionum leges ſemper fuerunt, ut liquebit, ſi ea loca cum hoc conferantur. Hîc omnia debebant occidi bruta, omnéſque homines, nec quidquam ſervari ex præda, præter metalla, eáque Sacro Ærario inferenda; ut ſequentia docent.

18· *Rem devotam capiatis*] תחרימו *thacharimon.* Verbum hoc alibi *Deo devovere*, aut *internecione delere* ſignificat. At hîc, ut docent ſequentia, videtur idem eſſe, ac *rem devotam intervertere.* Neſcio quid legerint LXX. Int. qui habent ἐνθυμηθῆτε. Paraphraſi, ut ſolet, ſe expedivit *Hieronymus*, qui vertit: *cavete ne de his, quæ præcepta ſunt, quidpiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei.* Deus metalla hujus urbis ſibi quaſi primitias prædæ, de hoſtibus ad occaſum Jordanis victis, conſecrari voluit, cetera omnia comburi; hæc enim prima urbs fuit, quam in iis tractibus occuparunt Iſraëlitæ. Aliarum deinde prædam liberaliter eis conceſſit.

Devoveretis] *Poneretis in anathema.* Nimirum, quiſquis rem devotam intervertebat fiebat ipſe devotus.

Conturbaretis] Hoc eſt, trepidationem in iis crearetis; quod, Achanis culpâ, mox contigit. Vide Cap. VII, 5. Nam Deus terrorem Iſraëlitis immiſit, quo factum ut fugerint in prælio cum Haïenſibus, útque tota caſtra ob exiguam cladem pænè animum deſponderint; quamvis pauci hoſtes eſſent, nec alioqui timendi, præſertim tantæ multitudini.

19· *Quidquid erit auri* &c.] Sub quatuor metallis

vobis urbem tradidit. 17. Urbs autem, cùm ipſa, tum quidquid in ea eſt anathema erit Jehovæ. Rachaba dumtaxat meretrix vivet, unáque omnes qui cum ea domi ſunt; quia nuncios, quos miſeramus, occultavit. 18. Cavete tantùm vobis ab anathemate, ne rem devotam capiatis, & intervertatis anathema; *quo facto*, caſtra Iſraëlis devoveretis, ac conturbaretis. 19. Quidquid erit argenti & auri, vaſorúmque æneorum & ferreorum, ſacrum erit Jehovæ. & in theſaurum Jehovæ veniet. 20. Clamavit ergo populus cecinerúntque buccinæ, & cum populus audivit clangorem buccinæ, maximum clamorem ſuſtulit, loco ſuo corruit murus, adſcenditque populus, quiſque è regione ſui, in urbem & eam cepit. 21. Quæcumque in urbe erant, viros, mulieres, impuberes, ſenes, boves, minores pecudes atque aſinos ferro ad internecionem deleverunt.

22. At duobus illis viris, qui regionem exploraverant, dixit Joſua: ingredimini domum meretricis illius, mulierémque educite, cum omnibus quæ ad illam pertinent, quemadmodum ei *vos facturos* juraſtis. 23. Ingreſſi ergo ſunt adoleſcentes exploratores, eduxerúntque Rachabam, parentes ejus & fratres, & quidquid ejus erat. Eduxerunt etiam omnes mulieris cognatos, eóſque extra caſtra Iſraëlis, collocarunt.

24. Tum urbem igne combuſſerunt, & quidquid in ea erat; aurum dumtaxat & argentum, vaſáque ænea & ferrea dederunt *inferenda in* theſaurum domûs Jehovæ. 25. Rachabam tamen meretricem, familiámque patris ejus & quidquid ejus fuit conſervavit Joſua, habitavítque illa in medio Iſraële, ad hunc uſque diem; quia occultaverat nuncios, quos Joſua, ad explorandam Jerichuntem, miſerat. 26. Tum hiſce verbis exſecrationem concepit Joſua, &, maledictus, *inquit*, ſit coram Jehova, quiſquis ſurrexerit & inſtaurarit urbem hanc Jerichuntem; in primogenito ſuo fundamenta ejus ponat, atque in minore natu filio portas ejus collocet. 27. Joſuæ itaque adfuit Jehova, famáque ejus per univerſam terram *Chananæam* ſparſa eſt.

VI. Ha-

tallis hîc memoratis, videntur etiam contineri ſtannum, & plumbum.

21. *Viros, mulieres* &c.] *A viro ad mulierem, & à puero ad ſenem, & ad bovem.*

Minores pecudes] שה *ſcheh*, quæ vox, ut & per *tſon*, promiſcuè ovillum & caprinum genus complectitur.

Ferro ad internecionem] ויחרימו לפי חרב *deleverunt ore gladii.*

22. *Dixit Joſua*] Priùs ſine dubio quàm urbs caperetur, ut primùm concidentibus muris ipſi ſubirent, mulierémque tutarentur. Nam in media cæde, vix hoc fieri potuiſſet.

Ingredimini domum] Hinc colligere licet partem illam mœnium, in qua fuit domus Rachabæ, non concidiſſe; alioqui, corruente muro, nemo auſus fuiſſet domi remanere. Notum quidem ſine dubio fuit toti populo violandas non eſſe eas ædes, ex quibus textum coccineum pendens vidiſſent; ne tamen, in promiſcua cæde Jerichuntinorum, à petulantiore quopiam, aut ignorantiam prætexente, quòd nox inſtaret, miſceretur Rachaba cum aliis; miſit Joſua, tutelæ causâ, exploratores, qui eam cum ſuis urbe educerent, & in tuto loco collocarent.

23. *Adoleſcentes*] הנערים *hanneharim*, quæ vox *puerum, adoleſcentem*, & *juvenem* promiſcuè ſonat: ut ejuſmodi voces, etiam apud Latinos, frequenter miſcentur.

Mulieris cognatos] משפחותיה *miſchpechhotheha*, familias ejus.

Extra caſtra] Immundi habebantur, antequàm Iſraëliticam Religionem ſuſcepiſſent. Quod poſtea feciſſe Rachabam liquet, ex Genealogia Chriſti, quæ Rachabam viro Hebræo nupſiſſe nos docet.

24. *In Theſaurum*] Eſt hîc אוצר *otſar* pro לאוצר *leotſar*, theſauro, vel in theſaurum. Fuit Sacrum Ærarium, quod adſervatum videtur ad Tabernaculum, quod hîc *domus Jehovæ* dicitur.

25. *Conſervavit*] החיה *hechejah*, vivere fecit, hoc eſt, impediit ne vita eis eriperetur. Vide Cap. II, 12.

Ad hunc uſque diem] Niſi ſit hîc ἀναχρονισμός, oportet hæc ſcripta, vivente etiamnum Rachaba, fuiſſe.

26. *Hiſce verbis exſecrationem* &c.] Et *jurare fecit Joſua dicendo*; nimirum, hac exſecratione univerſum populum Hebræum obligavit, ne inſtauraret eam urbem. Videtur Joſua æternæ ſolitudini Jerichuntinæ urbis ſolum devoviſſe, ut exſtaret veluti id monumentum pœnarum de Chananæis ſumtarum. Alioquin aptus quidem fuit locus, in quo urbs conderetur, ut ex quo inſtaurata fuit intelligere licuit. Vide *Joſephum* de Bello Judaïco Lib. V. c. 27. Impletæ quomodo fuerint diræ imprecationes Joſuæ, vide 1. Reg. XVI, 34. Devovendi dirutas urbes conſuetudinem, apud Ethnicos, antiquiſſimis temporibus fuiſſe eruditè ad hunc locum oſtendit *H. Grotius*, quem vide.

In primogenito ſuo &c.] Quaſi diceret: primum munitionis lapidem imponat cadaveri primogeniti, & poſtremum cadaveri minimi natu; hoc eſt, initium & finis totius negotii ſint cum maximis ejus calamitatibus conjuncta. Nam initium muniendi fit à mœnibus, quibus perfectis adduntur portæ. Vidit hoc *Joſephus*, qui ita rem expreſſit, Lib. V. cap. 1. ὅπως θεμελίως μὲν τειχῶν βαλλόμενος στερηθῇ τοῦ πρώτου παιδὸς, τελειώσας δὲ τοῦ νεωτάτου παιδὸς ἀποβάλλῃ: *ut fundamenta quidem mœnium jaciens privetur primogenito, poſtquàm verò abſolverit, minimum natu filiorum amittat.*

1. *De-*

VI. Hachan ex devota præda furatus quidpiam cladem Iſraëli creat; quod retegitur à Deo Iſraëlitis, qui de homine pœnas ſumunt.

CAPUT VII.

1. VERUM delictum admiſerunt Iſraëlitæ, ad res devotas quod attinebat; etenim Hachan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zerachi, è tribu Judæ, aliquid ex rebus devotis intervertit; quamobrem accenſa eſt ira Jehovæ in Iſraëlitas. 2. Poſtea miſit Joſua viros Jerichunte Haium, quod, ut & Bethaven, eſt ad orientem Bethelis, eóſque his verbis alloquutus eſt: adſcendite & regionem hanc explorate; qui adſcenderunt & Haium explorarunt. 3. Tum reverſi ad Joſuam ei dixerunt: ne totus populus eò adſcendat, ſed circiter duo, aut tria millia virorum, cædántque Haium; ne deſatiges totum populum, *eum* illuc *mittendo*, ſunt enim pauci *Haïenſes.* 4. Itaque illuc adſcenderunt circiter tria millia virorum è populo, aufugerúntque ex Haïenſium conſpectu. 5. Haïenſes triginta ſex circiter viros occiderunt, perſequutíque ſunt eos ante portam urbis, ad Sebarimos, ac ceciderunt in declivitate; quamobrem animus populi liqueſactus eſt, atque inſtar aquæ fuit.

6. Joſua verò laceravit veſtes ſuas, atque in terram in faciem ſuam prolapſus, coram arca Jehovæ, *illic* ad veſperam *fuit*, cùm ipſe, tum ſenes Iſraëlis, & capiti ſuo pulverem injecerunt. 7. Tum verò Joſua, ah! inquit, Domine Jehova, cur curaſti populum hunc Jordanem trajicere, ut nos traderes in manum Emoræi, qui nos perderet? Utinam voluiſſemus manere trans Jordanem! 8. Quæſo, Domine, quid dicam, poſtquàm Iſraël,

In CAPUT VII.

1. DELictum admiſerunt Iſraëlitæ*] Vitia & virtutes, rectè item & ſecus facta unius è popularibus toti populo tribui ſolent, in omnibus fermè linguis, quadam ſermonis ἀκυρολογίᾳ. Sic Matth. XXVI, 8. *diſcipulis* tribuitur quod uni Judæ, & XXVII, 44. crucifixis latronibus, quod alteri tantùm eorum conveniebat.

Hachan] עכן. Is vocatur 1. Par. II, 7. עכר *hachar*, & adluditur quidem ad hoc ejus factum: עכר עוכר hachar hocher, hoc eſt, *Hachar qui turbavit Iſraëlem.* Similis eſt adluſio, infra v. 25. ſed obſcurior. A Joſepho Α῎χαρος dicitur, ut ab Intt. Græcis in Codice Vaticano; in Alexandrino verò eſt Α῎χαν. Fortaſſe *Hachan* fuit verum nomen, ſed mutatum in *Hachar*, propter hoc factum: ut *Bethel*, id eſt, domus Dei, dicta eſt contumelioſè *Bethaven*, *domus peccati*, propter Idololatriam illic commiſſam, Hoſ. IV, 15. X, 5.

Zabdi] זבדי. Idem vocari videtur זמרי *zimri*, 1. Par. II, 5.

Quamobrem accenſa eſt] *Et accenſa eſt.* Fortè plures conſcii erant, aut certè diligentiam non adhibuerant, ne lex à Deo lata perfringeretur. Quidpiam ejuſmodi concitavit Dei iram in Iſraëlitas, nam quamvis eſſent & aliorum delictorum rei, & horum causâ meritas pœnas dare poſſent; attamen hoc præſertim peccatum Deus punire aggreſſus eſt. Itaque ejus potiſſimùm rationem habendam putarim.

2. *Haium*] העי *hahai.* LXX. Intt. efferunt *Gai*, ut עמרה *Gomorra*, עזה *Gaza* &c. Vide Gen. XII, 8.

Ut & Bethaven] *Cum Bethaven.* Eſt nomen vici, à quo deſertum nomen traxit. Vide Cap. XVIII, 12. Attamen aliquando per contemtum *Bethel*, ut diximus, vocatur *Bethaven.* LXX. Intt. ex Codice Vaticano, habent tantùm, κατὰ Βαιθήλ, ex Alexandrino tantùm, κατὰ Βαιθαύν. Utraque lectio conjungenda eſt. *Jac. Bonfrerius*, meritò obſervat mirum eſſe, quomodo *Hieronymus*, ſeu potiùs *Euſebius*, in locis Hebraïcis, hanc urbem (*Hai*) ad occidentalem plagam Bethel eſſe dicant; cùm conſtet eam ad orientalem fuiſſe. Vide eum ad *Agai.*

4. *Itaque*] *Et adſcenderunt.*

5. *Ad Sebarimos*] עד השברים *had haſſchebarim.* Quis fuerit hic locus aliunde non conſtat, Ideóque LXX. Intt. verterunt ἕως συνέτριψαν αὐτούς, *donec eos contriviſſent*, quaſi legendum eſſent השברם *hiſſchaberam*, fracti eſſent.

Liqueſactus eſt] Vide ad Cap. II, 9. Hic coacti ſumus ad verbum vertere, ne nimia eſſet mutatio. Videtur Deus & ter mille viris, qui pugnarunt, & ceteris terrorem immiſiſſe, qualis apud Græcos Panicus dicitur. Alioqui non erat cur victi parem numerum uſque adeò timerent, aut ſi timuiſſent, cur collecto animo iterum hoſtes non aggrederentur, adjunctis ſibi novis copiis. Populus univerſus, in quo erant tot hominum militarium myriades, tam exiguâ etiam clade, & quæ ex imprudentia orta credi poterat, non debuit terreri, cùm è veſtigio plura hominum millia ſubmittere poſſet. Sed terrore animo concepto, vulnus hoc, non ſine divina ira, ſibi impoſitum eſſe crediderunt; nec fallebantur, ut res ipſa oſtendit.

6. *Laceravit veſtes*] Ut in luctu. Vide ad Gen. XXXVII, 29.

Senes Iſraëlis] Honoratiſſimi quique, ut magiſtratus, qui memorantur Exodi C. XVIII, 25. Vide & ad Gen. L, 7.

Capiti ſuo pulverem injecerunt] Ut in luctu. Vide 1. Sam. IV, 12. Job. II, 12.

7. *Domine Jehova*] אֲדֹנָי יֱהוִֹה *adonai Jehovi*, ſed liquidum eſt nomini Tetragrammato ſubeſſe puncta nominis *Elohim.* Ineptiunt qui Latinè verterunt *Jehovi.* Eſſet dicendum *Domine Jahvoh*, ſed vulgarem pronunciationem mutare noluimus.

Voluiſſemus manere] *Voluiſſemus & manſiſſemus.* Hebraïcè הואלנו *hoalnou.* Senſus eſt, ſatis habuiſſemus illic manere, nec plura concupiviſſemus; nam verbum יאל *jaal*, eſt adquieſcere

Iſraël, in conſpectu hoſtium ſuorum, terga vertit? 9. Hæc audient Chananæi, omnéſ-
que hujuſce regionis incolæ, & nomen noſtrum è terris delebunt. Quid verò nomine
tuo magno fiet? 10. Reſpondit Jehova Joſuæ: ſurge, quid ita proſtratus in faciem tuam
jaces? 11. Peccavit Iſraël, & violarunt *nonnulli* fœdus quod cum iis feceram, & *quid-
piam* interverterunt ex rebus devotis; furati ſunt, *furtúm*que negarunt, & inter ſupel-
lectilia ſua repoſuerunt. 12. Ideò non potuerunt Iſraëlitæ in conſpectu hoſtium ſuorum
conſiſtere, terga coram iis verterunt, quia res devota facti ſunt. Non pergam vobis
adeſſe, niſi rem devotam è medio ſuſtuleritis. 13. Surge, purgato populum, edicitóque
ut ſe in craſtinum diem purificet, quia ſic dixit Jehova Deus Iſraëlis: res devota eſt,
apud te, ô Iſraël, nec poteris conſiſtere in conſpectu hoſtium tuorum, donec abs te rem
devotam amoveris. 14. Tum mane accedetis, ſecundùm tribus veſtras; tribus, quam
adprehenderit Jehova, accedet ſecundùm familias ſuas; familia, quam adprehenderit Je-
hova, accedet ſecundùm domus ſuas; & domus, quam adprehenderit Jehova, accedet
viritim. 15. Qui verò deprehenſus erit *reus interverſæ* rei devotæ, igne comburetur cùm
ipſe, tum omnia quæ ejus ſunt; quia violavit fœdus Jehovæ, nefáſque in Iſraële admiſit.
16. Mane igitur ſurrexit Joſua, & curavit Iſraëlem ſecundùm tribus ſuas *ad Deum*
accedere. Adprehenſa verò eſt tribus Judæ. 17. Tum curavit accedere familias Ju-
dæ, & adprehendit *Deus* familiam Zerachitarum. Dein curavit accedere familiam Ze-
rachitarum viritim, & adprehenſus eſt Zabdi. 18. Accedere ergo curavit domum ejus
viritim, & adprehenſus eſt Hachan, filius Charmi, filii Zabdi, filii Zerachi, è tribu
Judæ. 19. Tum verò Joſua Hachani, fili mi, inquir, redde, quæſo, gloriam Jehovæ
Deo

re in re quapiam, nec ultra quidquam expetere. Vide Exod. II, 21. Jud. XVII, 11. LXX. verterunt κατεμείναμεν, ex ſenſu; *Hieronymus*, *ut cœpimus*, *manſiſſemus*, ſed adverſantur ei & res & conſtructio verborum.

8. *Quæſo*] בי *bi*. Vide ad Gen. XLIII, 19.

Quid dicam] Quid dicam ampliùs Iſraëlitis, quibus te nobis adfuturum promiſi, prout ipſe mihi pollicitus eras? Me mendacem habebunt.

Terga vertit] *Vertit cervicem.*

9. *Nomen noſtrum* &c.] Ita nos delebunt, ut nemo nominis noſtri in terris ſuperſtiturus ſit, ex quo nos fuiſſe aliquando poſteri intelligere poſſint.

Quid verò nomine tuo magno fiet] *Quid facies nomini tuo*? Nomen etiam tuum, & fama potentiæ tuæ, quam in nobis ſervandis ac protegendis oſtendiſti, extinguentur, apud homines, cùm nos ſoli te norimus. Sic homines, etiam pii, qui ſanè in hac vita hominem exuere nequeunt, Deum humano more compellant; quod ille fert, ſe ſe nobis attemperans. Vide Exod. XXXII, 12. Num. XIV, 13.

10. *Reſpondit Jehova*] *Et dixit Jehova*; nempe, per Pontificem Maximum pallio ſacro indutum. Vide ad Cap. I, 1.

11. *Fœdus*] Hoc eſt, legem iis datam, quâ vetui ne res devotas interverterent. Vide Levit. XXVII, 28. Leges Dei *fœdera* dicuntur, propter ſtipulationes conjunctas.

Furtúmque negarunt.] Prætermiſſa fuit, in narratione facti Hachanis, hæc circumſtantia. Populo ſummatim ſpectato tribuitur quod una familia admiſerat, cujuſmodi ſunt loquutiones in pleriſque Linguis. Vide ad v. 1.

12. *Terga*] *Cervicem*, ut antea.

Res devota facti ſunt] היו לחרם *hajou lhherem*. Vide ad v. 18. Cap. VI.

Rem devotam] חרם *hherem*, hoc eſt, eos qui ipſi anathema facti ſunt.

13. *Purga*] *Sanctifica*, quæ ſanctificatio in ablutione veſtium ſita erat. Vide Exod. XIX, 10.

Res devota] Ut v. 12. homines devoti.

14. *Accedetis*] Ad Tabernaculum.

Quam adprehenderit] Sortes adhibitas vult *Hieronymus*, qui vertit: *quamcumque tribum ſors invenerit*; conjecturâ audacter admiſſâ in contextum, ubi nulla ſortis mentio. Sic & *Joſephus* κατὰ φυλὴν ἐκλήρου, *tributim ſortiebatur*, Lib. V. c. 1. Crediderim potiùs ſtetiſſe illic Eleazarem pallio indutum & collari ornatum, & pronunciaſſe quod Deus ei ſuggeſſit. *Adprehendiſſe* Deus *Tribum* dicitur, quam ream eſſe indicavit; quia reus flagitii *adprehenditur*, ſtatim ac innotuit. Vide 1. Sam. C. X, 20, 21.

Accedet ſecundùm familias ſuas] Diſtributa in familias, ita ut una quæque familia ſeorſim ſe ſiſtat Pontifici Maximo; deinde poſtquàm nocens familia indicata fuerit, ſingulæ ejus familiæ domus; denique ſinguli viri.

15. *Reus interverſæ rei devotæ.*] בחרם *babberem*, in anathemate.

Nefas] נבלה *nbelah*: hoc eſt, non tantùm ſtultitiam, ſed flagitium. Vide Deut. XXIII, 21.

17. *Familias Judæ*] Eſt in Codicibus Maſſorethicis ſingulari numero משפחת familia, ſed nihil vetat nos legere משפחות plurali numero, ut res ipſa poſtulat. Habent LXX. κατὰ δήμους. *Hieronymus*: *juxta familias*.

Familiam Zerachitarum viritim] זרחי לגברים *zarchi laggebarim*. *Zerachita* dicitur Zeracho filio Judæ ortus. Vide 1. Paral. II, 6, 7. Ex ordine præſcripto deberet eſſe לבתים, *domatim*, vel *per domos*, ut habet Vulgatus. Sed eſt antiquiſſima corruptio, quandoquidem LXX. Intt. hîc habent: καὶ προσήχθη κατ' ἄνδρα, quamvis poſſit hoc fortè ad ſequentia referri. Quidquid ſit, antecedentia & conſequentia clamant לגברים tribuendum eſſe librario, non ſcriptori; qui ſine dubio לבתים ſcripſerat.

19. *Redde gloriam Jehovæ*] Hoc eſt, ut ſequentia verba oſtendunt, veritatem fatearis. Gloria autem tribuebatur ab Hachane Deo, fatendo verè ſe accuſari; quia inde liquebat cùm Deo notum eſſe quod homines ignorabant, tum

etiam

Deo Iſraëlis, eíque laudem tribue, ac indica, quæſo, mihi quid feceris, neque me
quidquam celato. 20. Reſpondit autem Hachan Joſuæ, his verbis : verè deliqui in Je-
hovam Deum Iſraëlis, & ſic quidem feci. 21. Vidi in ſpoliis pallium Babylonicum
unum, idque elegans, tum ducentos ſiclos argenti & laminam auri unam, cujus pon-
dus quinquaginta ſiclorum eſt; cúmque eorum cupiditate tenerer, ea mihi ſumſi, atque
en ea in terram defoſſa in medio tentorio meo, pecuniámque ſub pallio. 22. Miſit
nuncios Joſua, qui ad tentorium ejus curſim ſe contulerunt; atque ecce defoſſa erant
in ejus tentorio & pecunia ſub pallio. 23. Ea abſtulerunt è medio tentorio, attulerúnt-
que ad Joſuam omnéſque Iſraëlitas & coram Jehova depoſuerunt.
24. Deinde duxit Joſua Hachanem filium Zerachi, *ſumſitque* argentum, pallium, la-
minam auri, filióſque ejus & filias, boves ejus, aſinos & minores pecudes, tentorium
ejus & quæcumque ei erant. Aderat totus Iſraël, cóſque deduxit in vallem Hachor.
25. Ibi dixit Joſua: quare perturbaſti nos? Perturbet te Jehova hodie. Univerſus verò
Iſraël eos lapidibus conjectis occidit, combuſſitque igne & denuo lapidibus obruit;
26. impoſito iis ingenti lapidum acervo, *qui illic eſt* ad hunc uſque diem. Sic Deus ar-
dorem iræ ſuæ remiſit, propтereáque impoſitum nomen eſt ei loco valli Hachor, ad
hunc uſque diem.

VII. Deus Joſuam ſolatus jubet bellum inferre Haïenſibus, qui inſidiis capiuntur; quo facto, cum Deo fœdus inſtauratur.

CAPUT VIII. 1. DEINDE Jehova Joſuæ, ne timeas, inquit, neque conſterneris; tecum ducito
univerſum militarem populum; ſurgéque & contende Haïum; en Regem Haïi
populum ejus, urbémque & agrum in manum tuam tradidi. 2. Cum Haïo, Re-
géque ejus ita te geres, quemadmodum te geſſiſti cum Jerichunte ejúſque Rege; prædam
dum-

etiam Elehazarem Sacerdotem verè à Numine afflatum fuiſſe. Similis eſt loquutio Luc. XXIII, 47.

20. *Sic quidem feci*] *Sic & ſic feci.*

Pallium Babylonicum] שנער *ſchinhar*. Vide ad Gen. X, 10.

21. *Ducentos ſiclos*] Centum uncias.

Cúmque eorum cupiditate &c.] *Et concupivi & ſumſi.*

Sub pallio] תחתיה *thahhtheah*, *ſub ea*, quod aliò non poteſt referri, quàm ad fœmininum nomeu אדרת *addereth*, quod ſolum ejus generis anteceſſit, & quod *pallium* vertimus; quam vocem loco pronominis adhibuimus, quia remotius erat nomen, ad quod referebatur. Videtur ergo in ciſtula pallium defoſſum, & pecunia ſub ciſtula occultata.

22. *Defoſſa*] טמונה *temounah*. Neutro, uempe, genere, ad quod proximè refertur תחתיה *thahhtheah*, ſub eo. Vertimus טמונה *defoſſa*, quia verbum טמן non ſimpliciter *abdere*, ſed ſub terra occultare ſonat. Vide Gen. XXXV, 4. Exod. II, 12. Inde מטמון *matmon*, propriè theſaurus defoſſus, dein quævis divitiæ.

23. *Coram Jehova*] Ante tabernaculum, quaſi dolo malo ſubrepta Deo reddiderunt.

24. *Filium Zerachi*] Nepotem.

Filióſque ejus & filias] Qui conſcii fuerant ſacrilegii, ut cum eo pœnas darent. Nam pravi fuiſſet exempli, in judicio publico, innocentes cum nocentibus miſcere, & Legi prorſus contrarium. Vide Deut. XXIV, 16.

Minores pecudes] צאנו *tſono*. Vide ad Cap. VI, 21.

Deduxit] *Adſcendere fecit*. Non *adſcendimus* in vallem, ſed *adſcendere* ſæpe ire eſt ſimpliciter. Vide ad Gen. XXXVIII, 1.

Hachor] *Perturbationis*, hoc eſt, trepidationis; quæ vallis ex hoc facto nomen eſt nacta. Vide ad v. 1.

25. *Lapidibus obruit*] Ut ne comburerentur vivi; nam Deus v. 15. uri quidem, ſed non vivos, jubet. Itaque ſeutentia in mitiorem partem intellecta eſt; niſi fortè is mos fuerit Hebræorum, ut priùs lapidibus interirent, qui erant comburendi. Itaque hîc combuſtio non ad augendum dolorem, ſed ad ſupplicii ſpeciem ampliandam, ut fit, adhibita eſt. Hæc ſimpliciſſima videtur interpretatio & maximè verbis Scriptoris Sacri conſentanea. Scio Rabbinos ſupplicium combuſtionis aliter interpretari, velléque primùm homini damnato in terra ad collum uſque defoſſo fractam gulam linteo, tum hianti ori infuſum liquefactum plumbum. Vide Jus Hebræorum *Jo in. Henr. Hottingeri* Leg. CCXXIV. Sed commenta hæc videntur Rabbinica.

Denuóque lapidibus obruit.] Ut monumentum ſupplicii exſtaret. Vide infra Cap. VIII, 29.

In CAPUT VIII.

1. *EN Regem*] *Vide Regem*. Hîc ראה reeh, *vide*, perinde eſt ac ecce.

2. *Poſt eam urbem*] Ad occaſum, nempe, urbis, nam Joſua caſtra habebat ad ortum. Vide v. 9.

3. *Omnis militaris populus*] Si hæc ſint de omnibus omnino intelligenda, iviſſent Haïum ſexcenta minimùm hominum millia, nam trans Jordanem plures ſunt à Moſe cenſi. Vide Num. I, 46. Qui fuit ingens exercitus contra urbem, quæ duodecim dumtaxat millia incolarum habuit; in quibus tria millia ſummùm fuerunt qui arma gerere poſſent. Vide ſupra Cap. VII, 3. & infra v. 25. Sed eo tempore fortes viros multos habuiſſe non videntur Iſraëlitæ. Alioqui vix intelligimus cur tanta multitu-
dine

dumtaxat ac pecudes eorum vobis diripietis. Sed inſidiatores poſt eam urbem collocato.
3. Surrexit itaque Joſua & omnis militaris populus, ut Haium iret, delegitque Joſua
triginta millia fortium virorum, quos noctu præmiſit, 4. hiſque mandatis inſtruxit: vi-
dete, inquit, vos qui urbi à tergo inſidiabimini, ne multùm ab urbe recedatis, útque
ſitis omnes parati. 5. Ego verò, omniſque populus, qui mecum eſt, ad urbem acce-
demus; cúmque egredientur, ut nobis obviam veniant, quemadmodum antea, tum
fugiemus ex eorum conſpectu; 6. nos autem ſequentur, donec eos elicuerimus ex urbe;
dicent enim: fugiunt illi ante nos, ſicut antea; & nos quidem in eorum conſpectu fu-
giemus, 7. vos verò ſurgetis ex inſidiis, invadetis urbem, & Jehova Deus noſter eam
in manum veſtrum tradet. 8. Cùm autem eam occupaveritis, urbi ignem ſubjicietis,
& prout dixit Jehova facietis. Videte *quid* vobis præceperim. 9. Sic dimiſit eos Jo-
ſua, iverúntque ad ſtruendas inſidias & conſederunt inter Bethelem & Haïum, ab oc-
caſu Haïi. Joſua verò pernoctavit eâ nocte, apud populum. 10. Tum manè ſurrexit,
recenſuit populum, & præivit ipſe populo, cum ſenibus Iſraëlis, Haium. 11. Univerſus
autem militaris populus, qui cum eo erat, ivit, acceſſitque, donec perveniſſet è regio-
ne urbis, & caſtra poſuit ad ſeptemtrionem urbis, valle interpoſitâ inter ſe & Haïum.
12. Sumſit etiam circiter quinque millia virorum, eóſque collocavit in inſidiis, inter
Bethelem & Haïum, ad occidentem urbis. 13. Poſtquàm populus poſuiſſet univerſa
caſtra ad ſeptemtrionem urbis, eorúmque inferiorem partem ad occidentem, Joſua de
nocte in mediam vallem proceſſit. 14. Quod cùm Rex Haïi animadvertiſſet, ſummo
mane ſurrexerunt oppidani, egreſſique ſunt obviam Iſraeli cùm ipſe, tum univerſus po-
pulus, ut prælium committerent, præſtituto tempore, ante planitiem; nec ſciebat eſſe
inſidias à tergo urbis.
15. Tum verò *quaſi* cæſi eſſent Joſua, totúſque Iſraël, in eorum conſpectu, fugerunt
per viam deſerti. 16. Hic univerſus populus, qui in urbe erat, clamore ſublato, ad
eos

dine opus fuerit, aut qui Haïenſes tanto exercitui tam pauci obviam venire auſi ſint. Fortè etiam adeſſe omnes voluit Joſua, ut omnes prædæ participes eſſent.

4. *Videte, inquit, vos qui* &c.] *Videte vos, inſidiantes urbi poſt urbem, ne recedatis.* Liquidum eſt ראו *videte* eſſe conjungendum cum אל-תרחיקו *ne recedatis*, non cum voce *urbi*, ut facit *Joan. Druſius*, qui multa habet contorta. Vide v. 8.

8. *Prout dixit Jehova*] Mandata Dei vide v. 2.

Videte quid vobis] Facite ut mandatorum meorum memores ſitis, eáque fideliter exſequamini.

10. *Præivit populo*] *Adſcendit ante populum, ipſe & ſenes.*

Senibus Iſraëlis] Vide ad Cap. VII, 6.

11. *Valle interpoſitâ*] *Et erat vallis inter eos & Haïum.*

12. *Sumſit etiam circiter quinque millia* &c.] Hæ ſunt ſine dubio alteræ inſidiæ, nam de nocte jam triginta hominum millia præmiſerat. Sed cur Joſua hiſce opus eſſe crediderit, præſertim contra tam paucos Haïenſes, tacente hiſtoriâ, quis conjecerit?

Inter Bethelem] Sic legunt Occidentales & Orientales Judæi, quamvis Orientales pro בית-אל *bethel* ſcribant בית-און *beth-aven.*

Ad occidentem urbis] Hic prætulimus τὸ Chethib לעיר *labir*, urbi, τὸ Keri לעי *labai*, Haï. Sic quoque legerat *Hieronymus* qui habet: *ex occidentali parte ejuſdem civitatis.* Sic & Occidentales ſcribunt Judæi.

13. *Poſtquàm populus potuiſſet*] *Et potuit populus.*

Eorúmque inferiorem partem] *Et calcaneum eorum* (עקבו *hakebo*) *ad occidentem urbis.* Quid ſit *calcaneus caſtrorum* non ſatis conſtat inter Interpretes. Græci videntur vertiſſe τὰ ἔνεδρα, *inſidias*, quamvis verſio eorum hîc ad amuſſim Hebraïcis verbis non reſpondeat. Sic & Chaldæus habet כמנוה *chmaneh*, *inſidias ejus.* Eos multi recentiores ſunt ſequuti, quia verbum עקב *ſupplantare* ſonat. At *Hieronymus* vertit *noviſſimos multitudinis*, quòd עקב *hakeb* finem ac extremitatem non raró ſignificet. Sed cùm exercitus interdum inſtar corporis animalis ſpectatur, unde Hebræi, non ſecus ac Græci, extremos cædere dicunt *caudam cædere*, Deut. XXV, 18. Joſ. X, 19. credidi potiùs *inferiorem partem* vertendum. Liquet autem, ex narratione Joſuæ, inæquale illic ſolum fuiſſe, cùm eſſet vallis inter urbem & caſtra; quamobrem *calcaneus caſtrorum* ea illorum pars dici potuit, quæ in depreſſioribus locis tendebat. Sic montibus tribuuntur *humeri*, *pedes* &c.

14. *Animadvertiſſet*] *Et fuit cùm videret*, aut *vidiſſet.* Si nocte *vidiſſe* dicatur, *videre* perinde erit, ac ſentire, ex ſtrepitu, nimirum, militum. Alioqui res in diluculum differri poteſt.

Summo mane ſurrexerunt] *Feſtinarunt & mane ſurrexerunt.*

Præſtituto tempore] למועד *lmohed*, hoc eſt, tempore à Rege præſtituto, ac indicto oppidanis, portis urbis eruperunt Haïenſes.

15. *Quaſi cæſi eſſent*] *Et cæſi ſunt Joſua* &c. hoc eſt, haud aliter fugerunt, quàm ſi cladem accepiſſent. Eſt antecedens pro conſequente.

Per viam deſerti] Videtur intelligi deſertum Jerichuntinum, de quo infra C. XVI, 1. & de quo vide quæ collegit *Joan. Lightfootius* in Chorogr. Marco præmiſſa Cap. II, 4. Illic enim reliquerant multitudinem bello ineptam.

16. *Clamore ſublato*] *Et clamarunt —— ad perſequendum poſt eos & perſequuti ſunt.*

eos perſequendos *ſe ſe cohortatus*, perſequutus eſt Joſuam, atque ab urbe profectus;
17. nec vir ullus remanſit Haïi aut Bethele, qui non ſequutus ſit Iſraëlem. Reliquerunt
ergo *Haïenſes* urbem apertam, dum Iſraëlem ſequerentur. 18. Tum dixit Jehova Joſuæ:
protende clypeum, qui in manu tua eſt, versùs Haïum, nam urbem in manum tuam
tradam; extenditque Joſua clypeum, quem manu gerebat, versùs urbem. 19. Tunc
inſidiatores feſtinanter ex loco, in quo erant, conſurrexerunt, adcurrerúntque cùm
manum extenderet, & urbem ingreſſi eam ceperunt, ac celeriter ei ignem ſubjecerunt.
20. Ibi converſi Haïenſes reſpexerunt; ecce verò adſcendebat fumus urbis ad cœlum,
neque ſpatii ſatis fuit, quo hac atque illac fugerent. At populus, qui fugerat versùs
deſertum, convertit ſe in eos, qui ſe perſequebantur, 21. Joſuáque & univerſus Iſraël
viderunt ab inſidiatoribus captam eſſe urbem, ejúſque fumum adſcendentem, converſi-
que cecîderunt Haïenſes. 22. Illi verò urbe etiam egreſſi his occurrerunt, fuerúntque
Haïenſes inter Iſraëlitas, hinc atque inde *urgentes*, qui eos conceîderunt, ita ut nullus
ſuperſtes aut qui evaderet remaneret. 23. At Regem Haïi comprehenderunt vivum,
& adduxerunt ad Joſuam.

24. Cúmque abſolviſſent Iſraëlitæ occidere omnes Haïi incolas, in agro, ad deſer-
tum, quò *Haïenſes* eos perſequuti fuerant, omnéſque gladio cecidiſſent, donec eſſent
deleti; reverſus eſt univerſus Iſraël Haïum, idque gladio concîdit. 25. Qui eo die ce-
ciderunt, viri ac mulieres fuere duodecim millia, *hoc eſt*, quidquid hominum fuit Haïi.
26. nec Joſua retraxit manum ſuam à clypeo, quem protenderat, donec omnes incolas
Haïi internecione deleviſſet. 27. Pecudes tantùm & ſpolia urbis ſibi deprædati ſunt
Iſraëlitæ, ſecundùm mandatum Jehovæ, quod protulerat Joſua. 28. Succendit deinde
Joſua Haïum, idque redegit in cumulum in perpetuum; *quare eſt*, ad hunc uſque diem,
illic ſolitudo. 29. Regem verò Haïi ſuſpendit è ligno, ad tempus veſpertinum; ac ſub
occaſum ſolis, eo jubente, cadaver ejus ligno detraxerunt *Iſraëlitæ*, idque projecerunt
ad

17. *Aut Bethele*] Videntur vocati Bethelenſes initio ſimulatæ fugæ, per celerem curſorem; qui tamen interpoſitas inter Haïum & Bethelem Iſraëlitarum inſidias non viderit, ut facilè fieri potuit in regione aſpera, & inæquali. Sed Bethelenſibus egreſſis quid factum ſit poſtea non narrat Scriptor Sacer. Fortè ab inſidiatorum parte in oppidum retrogredi coacti ſunt.

18. *Extende clypeum*] Res ipſa oſtendit ſignum hoc fuiſſe repetendi prælii & conſurgendi ex inſidiis; quamobrem oportet fuerit כידון *chidon* aut prælonga haſta, ut poſſet procul ab omnibus cerni, & ex qua fortè pendebat velum, ut in vexillis; aut *clypeus* ex haſta ſuſpenſus, quod malumus, quia conſtat כידון eſſe *clypeum* 1. Sam. XVII, 6, 45. & alibi; neque tantùm pondus eſt omnium clypeorum, ut ſuſpendi è pertica nequeant. Sic apud *Polyænum* Stratagem. Lib. I, c. XLV. exempl. 2. οἱ τριήραρχοι τοὺς Ἀθηναίους ἐκβάντας ὡς εἶδον, σημεῖον μετέωρον ἦραν ἀσπίδα χαλκῆν: *Triremium præfecti, cùm viderunt Athenienſes egreſſos, ſignum ſublime ſuſtulerunt, clypeum æneum.* Nempe, ſplendore ſuo & reflectione radiorum ſolis, procul erat conſpicuus. Alioquin ab inſidiatoribus conſpectum hoc ſignum è longinquo non fuiſſet; nec quomodo etiam hoc factum ſit, in tam brevi narratione, ſatis intelligimus. Fortaſſe alius, ex vicina ſpecula, ſimile ſignum dedit remotiori cuipiam, qui & ipſe inſidiatoribus ſignum ſuſtulit; nam ex aliquot millibus paſſuum ſignum ejuſmodi proſpici nequit. LXX. Intt. verterunt γαισὸν, quod teli genus, quamquam non ſunt conſtantes. *Hieronymus* habet *clypeum*, ut & LXX. in loco Samuelis. Arabes כידון, *chaidon* vocant *ſtratagema, inſidias*, quæ ſignificationes ſunt huic hiſtoriæ affines; nam Joſua ב׳ כידון uſus eſt, ut ſtratagema exſequutioni mandaret, inſidiatoribúſque conſurgendi tempus eſſe ſignificaret. *Joſephus* Lib. V. c. 1. hac de re: σημεῖά τε δοὺς αὐτοῖς τοῖς ἐν ταῖς ἐνέδραις συνθέμενος: *dans ſigna, de quibus convenerat, iis qui in inſidiis erant.* Scio ſummum virum *Sam. Bochartum* Hieroz. P. 1. Lib. II. cap. 8. ubi multis de hac voce agit, prælongam haſtam hac voce hîc ſignificari velle, & ſimile telum aliis locis, in quibus occurrit; ſed mihi non perſuaſit. Quin & eum erraſſe oſtendam, ad locum Samuelis. Ceterùm de ſignis ineundi prælii ex perticis ſuſpenſis, vide *Juſt. Lipſium* de Militia Romana Lib. IV. Dial. 12.

19. *Urbem ingreſſi* &c.] *Et ingreſſi ſunt urbem & ceperunt eam, & feſtinarunt & ſuccenderunt*, &c.

25. *Viri ac mulieres*] *A viro ad mulierem.*

26. *Retraxit manum à clypeo*] Ut ejuſmodi ſigna ſublata ſignum erant pugnæ; ita detracta ſignum erant receptûs, ut docebit *Lipſius*, loco laudato.

27. *Mandatum Jehovæ, quod protulerat*] *Verbum Jehovæ, quod juſſerat.* Nempe, v. 2.

29. *Ad tempus veſpertinum*] Ex Lege Deut. XXI. verſu ultimo.

Eo jubente] *Juſſit & fecerunt deſcendere* &c.

30. *In monte Hebale*] Proceſſerat ergo exercitus Iſraëliticus, cum toto populo, magis ad Septemtrionem; nam notum eſt montes *Hebal* & *Gerizim* Samariæ fuiſſe montes, eóſque magis ad ſeptemtriones vergentes, quàm Haïum & Bethel.

31. *Ex ritu à Moſe* &c.] *Quemadmodum præceperat Moſes.* Deut. XI, 29. & Cap. XXVII. ad quod vide notata.

Holocauſta] עלות *holoth*; pro peccato, nimirum.

Salutaria ſacra] שלמים *ſchlamim*, ad gratias agen-

ad introïtum portæ urbis, ubi ei ingentem acervum lapidum, *qui illic eſt* ad hunc uſque
diem, impoſuerunt.
30. Tunc exſtruxit Joſua Jehovæ Deo Iſraëlis altare, in monte Hebale. 31. ex ritu
à Moſe, ſervo Jehovæ, Iſraëlitis præſcripto, prout ſcriptum erat in libro Legis Mo-
ſis; altare, *inquam*, lapidibus integris, & ſupra quos agitatum non fuerat ferrum, con-
ſtans. Obtulerunt in eo holocauſta Jehovæ & ſalutaria ſacra fecerunt. 32. Deſcripſit
etiam illic, in lapidibus, exemplar legis Moſis, quod coram Iſraëlitis ſcripſit. 33. Om-
nis Iſraël ejúſque ſenes, apparitores & judices ſtabant hinc & illinc ad arcam, coram
Sacerdotibus Levitis, bajulantibus arcam fœderis Jehovæ, peregrinus non ſecus ac in-
digena. Dimidia pars *ſtabat* ad Gerizimos, dimidia ad montem Hebalem, ut man-
daverat Moſes ſervus Jehovæ, primùm ad bene precandum populo Iſraëlitico. 34. Poſ-
tea legit *Joſua* omnia verba Legis, fauſtas & diras preces; ſecundùm omnia, quæ in
libro Legis perſcripta fuerant. 35. Ne verbum quidem fuit, ex omnibus, quæ præce-
pit Moſes, quod non legerit Joſua, coram tota concione Iſraëlis, mulieribúſque &
impuberibus, & peregrinis inter eos agentibus.

VIII. Reges Chananæorum conſilium capiunt, de bello gerendo cum Iſraëlitis; ſed Gabahonitæ per dolum pacem impetrant, quamquam poſtea retecti doli pœnas dederunt.

1. HÆc cùm audiviſſent Reges omnes, qui erant eis Jordanem, in montanis, in CAPUT
campeſtribus, & ad omnes portus maris magni, è regione Libani, Chitthæi, IX.
Emoræi, Chananæi, Pherizæi, Chivvæi & Jebuſæi; 2. unà coïverunt, ut uno
animo cum Joſua & Iſraële bellum gererent. 3. Incolæ verò Gabahonis cùm accepiſ-
ſent

agendas, & quorum carne epularentur. Vide ad Levit. VII, 16. Hinc LXX. θυσίαν σωτηρίου, hoc eſt, victimas quibus gratiæ Deo, ob ſalutem ab eo acceptam, agebantur.

32. *Exemplar legis Moſis*] Vide ad Deut. XXVII, 2, 3.

31. *Apparitores*] שטרים *ſchoterim*, de quibus vide not. ad Exod. V, 6.

Ad montem] אל מול הר *el moul har*, quaſi diceres, *è regione montis*, vel *è latere montis*; interpoſito ejuſmodi intervallo, ut ſe invicem exaudire poſſent.

Primùm ad bene precandum] Videntur hæc ſignificare à benedictionibus initium eſſe factum, de quibus vide not. ad Deut. XXVII, 12.

35. *Mulieribúſque* &c.] Hoc eſt, ne exceptis quidem mulieribus, pueris &c.

Peregrinis] Proſelyti ſunt intelligendi, qui Judaïcam legem amplexi fuerant; & quorum proinde intererat eam probè noſſe.

In CAPUT IX.

2. IN *montanis* &c.] *In monte, & in planitie.* In hæc duo diſtribui potuit omnis Palæſtina, quæ tota diſtincta eſt montibus & vallibus ac campeſtribus interpoſitis.

Ad omnes portus] *In omni portu.* Ora maritima intelligenda & præſertim ea quæ ad ſeptemtriones Judææ vergit, in qua optimi portus erant, ſeu Phœnicia. Nam ad oram illam maritimam quod attinet, quam incolebant Philiſthæi, hoc eſt, peregrini, nec ulla cum Chananæis affinitate, niſi remotiore, conjuncti; non videntur ejus incolæ, hoc tempore, cum Chananæis arma in Hebræos cepiſſe. Certè Philiſthæi nulli leguntur ad internecionem deleti, aut Chananæâ expulſi. Imò ſub Regibus Judæorum, primis præſertim, floruerunt, ut liquet ex hiſtoriis Samuelis & Regum. Ex toto etiam hoc libro intelligere licet Joſuam non tam ſtrenuam operam dediſſe ut oram maritimam, quàm ut mediterranea domaret. Nimirum, non cupiebat Iſraëlitas mercaturâ florere, itineráque proinde ad ceteras gentes ſuſcipere; quia per legem non licebat Idololatris familiariter uti. Vide Cap. XXIII, 12.

Maris magni] Mediterranei, quod ſic paſſim dicitur, ut diſtinguatur à ſtagnis & lacubus, ad ortum Chananææ ſitis, & quibus *marium* etiam nomen impoſitum.

E regione Libani] Phœnices. De Libano, vide dicta ad Cap. I, 4.

Chitthæi &c.] *Chitthæus* &c. Hi ſex populi nominatim etiam appellantur Exod. III, 8. XXIII, 23. XXXIII, 2. XXXIV, 11. Deut. XX, 17. & alibi. Interdum pauciores, interdum plures memorantur; ſed ſub eorum, qui nomine appellantur, vocabulo & reliqui Chananæi ſunt intelligendi.

2. *Uno animo*] *Ore uno*, hoc eſt, unâ ſententia. Vide ad Gen. XI, 1. & 1. Reg. XXII, 13. 2. Par. XVIII, 12.

3. *Incolæ Gabahonis*] גבעון *gibhon*. Sed quia inſignis eſt hæc urbs, ex hoc facto, nomen ejus antiquo more expreſſimus. Hæc urbs poſtea fuit in tribu Benjaminis, ut docet nos Scriptor Sacer C. XVIII, 25. fuitque deinde urbs Sacerdotalis, ut liquet ex Cap. XXI, 17. De genere incolarum, vide Cap. XI, 19. *Joſephus* Cap. I. Lib. V. Ant. Jud. ait eos fuiſſe ἐγγίστα τοῖς Ἱεροσολύμοις, & ἐν πέρᾳ τῶν Ἱεροσολύμων, & Libro quidem VII. c. 10. eum vicum abfuiſſe Jeroſolimâ σταδίοις τεσσαράκοντα, *quadraginta ſtadiis*. Tempore *Euſebii*, reliquiæ ejus oſtendebantur ad occaſum Bethelis. ἔτι κώμη νῦν [illegible] πλησίον Βαι-

ſent etiam quid feciſſet Joſua Jerichunti & Haïo, 4. callidè quoque ſe geſſerunt, cœperúnt-
que ſimulare *longinquam* legationem. Itaque captis veteribus ſaccis, quos aſinis ſuis impo-
nerent, veteribus item utribus vini, laceris & ſarcitis, 5. veteribus calceis & maculatis in
pedibus, tritis veſtibus ac omni pane viatici ſicco, & mucido; 6. iverunt ad Joſuam Gil-
galem, in caſtra, dixerúntque ei & ſingulis Iſraëlitis: è longinqua ora venimus, itaque
nunc nobiſcum facite fœdus. 7. Iſraëlitæ verò Chivvæis: fortaſſe in media mea *terra* habi-
tas; quî ergo tecum fœdus ferirem? 8. At Joſuæ, ſervi tui, inquiebant, ſumus; Jo-
ſua verò illis: quinam eſtis, inquit, & unde veniſtis? 9. Servi tui, aiebant, ex ora
remotiſſima, ad nomen Jehovæ Dei tui, venimus, audivimus enim ejus famam, &
quæcumque in Ægypto geſſit; 10. tum etiam quidquid fecit duobus Regibus Emoræo-
rum, qui trans Jordanem erant, Sichoni Regi Cheſbonis & Hogo Regi Baſanitidis,
qui Haſtharothis erat. 11. Dixerunt verò nobis ſenes noſtri, & quicumque oram noſtram
incolunt: ſumite in manum veſtram viaticum ad iter, itote obviam illis & dicite: ſervi
veſtri ſumus, ideóque fœdus nobiſcum facite. 12. Hic eſt panis noſter, quem calidum
ſumſimus, in viaticum, ex domibus noſtris, eo die, quo ad vos conveniendos profecti
ſumus; ecce verò ſiccus eſt & mucidus. 13. Hi ſunt utres vini, quos novos implevimus;
atque ecce lacerati ſunt. Hæ quoque veſtes noſtræ & calcei noſtri, propter magnitudi-
nem viæ, inveterarunt.

14. Sumſerunt ergo viri viaticum eorum, ut *inſpicerent*, & inconſulto ore Jehovæ,
15. pacem iis conceſſit Joſua, & fœdus cum iis fecit, ex cujus legibus conſervandi erant,
quod jurejurando iis confirmarunt cœtûs principes. 16. Exactis verò tribus diebus,
poſt-

Βαιθὴλ αὐτῆς πρὸς δυσμὰς ὡς ἀπὸ σημείων δ'. id eſt, interprete Hieronymo: *oſtenditur villa eodem nomine, in quarto milliario Bethelis, contra occidentalem plagam.* Sic enim legendum in *Hieronymo*, non *orientalem*, quod *Bonfrerium* fefellit; qui exprobrat *Euſebio*, quod non dixit, ſed tantùm exſcriptor *Hieronymi*. Neſcio etiam annon erret idem *Bonfrerius*, qui vult locum hunc deſignari à *Joſepho* Lib. II. de Bell. Jud. c. 37. in Græcis, ubi memorat χῶρον Γαβαὼ λεγόμενον, ἀπέχοντα τ Ἱεροσολύμων πεντήκοντα σταδίους, *locum Gabao dictum, diſtantémque Jeroſolymâ, quinquaginta ſtadiis.* Potuit enim alius eſſe locus, & plures fuerunt, ut ex hoc libro liquet, qui גבעה *gibba*, aut more veteri *Gabaa* vocabantur; quòd eſſent, nimirum, in collibus, qui in Judæa frequentes, ſiti, ex ſignificatione Radicis Hebraïcæ.

4. *Callidè quoque ſe geſſerunt* &c.] *Fecerunt etiam ipſi in aſtutia.* Reſpicit ad factum Regum Chananæorum, qui conjunctis vicibus erant Hebræos oppugnaturi.

Cœperunt ſimulare] *Abierunt & fecerunt ſe legatos*, ויצטירו *jitſtajjarou*, cum qua ſignificatione convenit voci ציר *tſir*, legatus. At LXX. Intt. habent ἐπεσιτίσαντο, & Vulgatus ſimiliter, *tulerunt ſibi cibaria.* Sic & Chaldæus, eodem ſenſu, ואזדוודו *bizdavvadou.* Unde intelligere eſt eos legiſſe הצטידו *hitſtavvadou*, à צוד *tſoud*, unde ציד tſajid, *annona.* Utraque ſignificatio loco optimè convenit; nam Gabahonitæ & *cibaria pararunt*, & ſe *finxerunt legatos*, è longinqua urbe, cùm è vicinis venirent. *Ludovicus* tamen *Cappellus* Crit. Sacræ Lib. V. Cap. II, 5. exiſtimat poſteriorem lectionem LXX. & Latini ac Chaldæi Interpretum eſſe veram. Non enim, ut ait, Gabahonitæ fingebant ſe eſſe legatos, ſiquidem verè erant legati, ſed fingebant ſe venire *de terra longinqua.* Sed eo ipſo ſimulabant ſe eſſe legatos eorum, quorum non erant; remotorum, nempe, populorum. Quod firmius eſt, obſervat lectionem hanc confirmari ex v. 11, & 12. ubi, cùm idem factum Gabahonitarum repetitur, voces צידה *tſedah* & הצטידנו *hitſtajjadnou* uſurpantur. Attamen cùm verus ſit & commodus utriuſque lectionis ſenſus, nihil mutandum cenſuerim.

Captis] *Et ceperunt ſaccos* &c.

Sarcitis] מצררים *meſorerim*; quod poſſit, *& colligatis* verti; nam, colligatis utrium foraminibus, obſtant ne vinum effundatur.

5. *Maculatis*] מטלאות *metullaoth*, de qua voce vide notata ad Gen. XXX, 32. LXX. habent καταπεπελματωμένα, hoc eſt, quibus ſuppactæ erant novæ ſoleæ. Hieronymus, *pittaciis conſuta.* Ex conjectura potiùs, niſi fallor, verterunt, quàm ex certa ulla cognitione ſignificatûs radicis טלא.

Mucido] *Ac omnis panis viatici eorum ſiccus erat, punctati*; hoc eſt, ſinguli panes erant ſicci & punctis mucoris diſtincti. Vide Gen. XXX, 32. LXX. εὐρωτιῶν ἐ βεβρωμένος, Hieronymus: *in fruſta comminuti*; ſed ſignificationi radicis convenientior eſt noſtra verſio.

6. *Facite fœdus*] *Secate fœdus*, quia qui fœdus faciebant, inter ſectas victimarum partes, tranſibant. Vide not. ad Geneſ. XV, 10.

7. *In media mea terra*] *In medio mei.* Juſſi, nimirum, erant Iſraëlitæ Chananæos expellere, vetuerátque Deus ne fœdus cum iis, eorúmque Diis ullum facerent, Exod. XXIII, 32. XXXIV, 12. Sed ejuſmodi fœdus vetabatur dumtaxat, quo in parem juris, libertatiſque conditionem reciperentur Chananæi, non quo ſtipendiarii fierent; ſi modò illico pacem petiiſſent, & ſeſe dedidiſſent Iſraëlitis. Liquet hoc ex Deut. XX, 9. & Joſ. XI, 19, 20. Attamen veriti ſunt Gabahonitæ ne repulſam paterentur, cùm viderent à Joſua ad internecionem deletos eſſe multos Chananæos, quod ſic expreſſit *Joſephus* Lib. V. Ant. Jud. cap. I. Ἱκετεύειν μὲν τὸν Ἰησοῦν οὐκ ἔγνωσαν, οὐ γὰρ τεύξεσθαί τινος τ μετρίων ὑπελάμβανον ἐπ' ὀλέθρῳ τ Χαναναίων ἔθνους παντὸς πολεμοῦντος αὐτῦ: *Jeſum quidem orare non ſtatuerunt, neque enim quidquam æqui ab eo ſe impetraturos putabant, qui internecino bello totam Chananæorum gentem perſequebatur.*

9. *Ad nomen*] Hoc eſt, ad famam, ut poſtea ſequitur.

In-

poſtquàm cum eis fœdus fecerant, audivere eos ſibi eſſe proximos & in media ſua *terra*
habitare. 17. Itaque profecti Iſraëlitæ ad eorum urbes die tertio venerunt. Eorum
autem urbes erant Gabahon, Chephira, Beerothæ, & Kirjath-jeharimi. 18. Nec eos
conciderunt Iſraëlitæ, quia principes cœtûs iis per Jehovam Deum Iſraëlis juraverant *ſe*
eos conſervaturos; quamobrem univerſus cœtus contra principes fremebat. 19. Dixerunt
verò omnes illi principes toti cœtui: nos juravimus iis per Jehovam Deum Iſraëlis, ne-
que nunc eos attingere poſſumus. 20. Hoc eis præſtabimus & vitam eis concedemus;
neque concitabitur in nos *Dei* ira, ob jusjurandum quod eis dedimus. 21. Itaque, in-
quiebant iis principes, vivant, ſintque cæſores lignorum, & hauſtores aquæ toti cœtui;
ſiatque quemadmodum iis principes dixerunt.
22. Tum Joſua iis ad ſe vocatis dixit: cur nos fefelliſtis, dicentes: ſumus à vobis
remotiſſimi; cùm habitetis in mediis *agris* noſtris? 23. Jam verò maledicti eritis, neque
umquam deerit ſervus è vobis, aut qui cædant ligna, hauriántque aquam domui Dei mei.
24. Reſponderunt verò Joſuæ his verbis: quia indicatum fuerat ſervis tuis id quod præ-
ceperat Jehova Deus tuus Moſi ſervi ſuo, *cùm loqueretur* de danda vobis univerſa hacce
terra, ut delerentur è conſpectu veſtro omnes qui eam habitant; vehementer timuimus
vitæ noſtræ, propter vos, ideóque hoc fecimus. 25. Nunc verò in manu tua ſumus,
ita te gerito erga nos, ut tibi bonum rectúmque factu videbitur. 26. Sic ergo ſe geſſit
erga eos, *ut dixerat*; liberavit homines è manu Iſraëlitarum, qui eos minimè interfe-
cerunt. 27. Tum eo ipſo die, conſtituit eos Joſua cæſores lignorum, & hauſtores aquæ
cùm cœtui, tum altari Jehovæ, ad hunc uſque diem, in loco quem *Deus* elegiſſet.

IX. Quin-

13. *Inveterarunt*] Hoc eſt, detrita ſunt calceamenta, haud aliter ac ſi diu ea geſſiſſemus. Utuntur Orientales etiamnum hodie calceis è tenui corio rubro, aut flavo colore tincto, qui facilè corrumpuntur & commaculantur aquâ & luto.

14. *Inconſulto ore Jehovæ*] Hoc eſt, Pontifice Maximo, qui, pallio ſacro indutus, & collari ornatus, *os Jehovæ* erat, dum reſponſa ſibi à Deo ſuggeſta edebat. Vide ad Cap. I, 10.

15. *Pacem eis conceſſit* &c.] *Et os Jehovæ non interrogavit & fecit eis pacem.*

Ex cujus legibus conſervandi erant] *Ad eos vivificandos.* Vide Cap. II, 13. VI, 25.

16. *In media ſua terra*] *In medio ſui.*

17. *Gabahon, Chephira, Beerothæ*] Hæ tres urbes fuerunt in Tribu Benjaminis, ut docemur Cap. XVIII, 25, 26.

Kirjath-jeharim] Fuit in Tribu Judæ Cap. XV, 60. ſed in finibus Benjaminis Cap. XV, 9. XVIII, 14.

18. *Quia principes cœtus* &c.] Quæſiverunt quidem Iſraëlitæ unde veniſſent Gabahonitæ, qui reſponderant ſe ex longinqua ora venire; ſed non videntur Hebræorum proceres in tabulis fœderis hoc adſcripſiſſe, ſe eâ lege fœdus cum iis facere, ſi modò verè remotam oram habitarent; quod niſi eſſet, fœdus hoc foret irritum. Simpliciter jurarunt ſe Gabahonitis vitam non erepturos, idque invocato nomine Dei Iſraëlis. Quamobrem ſuum hoc jusjurandum revocare ampliùs non poterant. Culpa eorum fuit, quòd non inquiſiverint diligentiùs in ſedes Gabahonitarum; qui innoxiè incolumitati ſuæ conſulere potuerunt, etiam mendacio quod nemini nocebat. Nullis legibus tenebantur Gabahonitæ, ut jugulum præberent Iſraëlitis; at Iſraëlitæ, jurejurando ſemel prolato, obſtricti erant. Huic negotio rectè aptare queas ſenarium *Publii Syri*:

Etiam in peccato, rectè præſtatur fides.

At ſunt qui velint promiſſum, quo ſe Iſraëlitæ obſtrinxerant, illicitum fuiſſe, quia non licebat pacem habere cum Chananæis. Sed leges, quæ jubebant Chananæos ad internecionem deleri, de quibus diximus ad v. 7. debent intelligi ex lege quæ habetur Deut. XX, 9, & ſeqq. quâ conſervari jubentur, quicumque illico imperata facere parati erant. Qua de re, vide ſummum virum *Hug. Grotium* de Jure Pacis & Belli Lib. II. c. XIII, 4.

20. *Vitam iis concedemus*] *Faciemus eos vivere.*

Concitabitur in nos] *Erit ſuper nobis.*

21. *Itaque inquiebant*] *Et dixerunt illis principes.*

Sintque cæſores] Vitam tantùm erant pacti Gabahonitæ. Itaque eorum urbes & agri diviſi ſunt Iſraëlitis, ut ex Capp. XV. & XVIII, liquet. Videntur tamen relictæ iis eſſe ceteræ facultates, quæ mobiles dici ſolent; certè nulla earum ereptarum mentio poſtea occurrit.

22. *Iis ad ſe vocatis*] *Et vocavit eos Joſua & dixit eis.*

23. *Maledicti eritis*] Hoc eſt, hoc incommodo fraudem veſtram luetis. Atque hoc erat ſupplicium, non ſervatæ vitæ, quaſi eam prodigere debuiſſent; ſed deceptionis, quâ uſi fuerant ad obtinendum, quod candidè agentibus conceſſum eſſet.

Servus è vobis &c.] *Joſephus* ait eos δημοσίους, hoc eſt, ſervos publicos, ſeu miniſteriis quibuſdam publicis obſtrictos fuiſſe.

Qui cædant ligna] Vilia hæc fuerunt miniſteria. Vide Deut. XXIX, 11.

Domui Dei mei] Tabernacula. Antea principes dixerunt *toti cœtui*, ſed ſi totus cœtus à Gabahonitis ea miniſteria exigere potuit; idem juris fuit & Sacerdotibus, præſertim in uſum Sanctuarii. Variæ quæſtiones hîc poſſent moveri, quas præſtat non attingere, cùm non niſi conjecturis incertis iis ſatisfacere poſſimus.

24. *His verbis*] *Et dixerunt.*

25. *In manu tua*] In poteſtate tua. Sic paſſim.

Rectúmque factu videbitur] *Rectum in oculis tuis ad faciendum nobis.*

27. *In loco, quem Deus elegiſſet.*] Tunc Gilgale, poſtea Silunte, & in quocumque loco foret Tabernaculum, ac deinde Templum.

IX. Quinque Reges Chananæi obſident Gabahonem, cui auxilium fert Joſua, qui Reges illos victos obſidionem ſolvere cogit, capitque ac ſuſpendit. Tum regna eorum & Chananææ meridianas omnes oras occupat.

CAPUT X.

1. CUM accepiſſet Adonitſedekus, Rex Jeroſolimæ, Joſuam cepiſſe Haïum, idque ad internecionem deleviſſe; *&* quemadmodum ſe geſſerat erga Jerichuntem, ejúſque Regem: ſic ſe erga Haium, ejúſque Regem geſſiſſe; incolas verò Gabahonis pacem cum Iſraële feciſſe, & apud eum verſari; 2. vehementer, *cùm ipſe*, *tum alii*, timuerunt, quia Gabahon magna civitas erat, ſimiliſque regiæ urbi, & major Haio, omnéſque viri ejus ſtrenui. 3. Miſit igitur Adonitſedekus, Jeroſolimæ Rex, ad Hohamum Chebronis, Phiramum Jarmuthi, Japhiham Lachiſi, & Debirem Heglonis Reges, 4. qui dicerent: ad me venite, ſuppetiáſque mihi ferte & concidemus Gabahonitas, quia pacem cum Joſua & Iſraëlitis inierunt.

5. Coëgerunt ergo *exercitus* quinque Reges Emoræorum & iverunt Rex Jeroſolimæ, Rex

In CAPUT X.

1. J*Eroſolima*] Quamvis Maſſorethæ ea huic voci puncta addant, ex quibus legendum eſſet *Jerouſchalajim*; veram putamus pronunciationem Machabaïcorum temporum. LXX. Intt. Scriptorum Novi Teſtamenti, & *Joſephi*, quibus prolationem nominis Metropoleos, etiamnum ſtantis, notiorem fuiſſe meritò credimus; quàm iis, qui vix rudera ejus viderunt, aliquot pòſt ſæculis. Nec dubitamus quin ירושלם vera ſit punctatio, quamvis pauculis in locis, mendosè fortè exaratis, *Jod* interponatur inter duas proſtremas litteras. Vide *Lud. Cappellum* de Antiq. Punct. Hebraïcor. Lib. I. c. XI, 17. Attamen quia Græci & Latini paſſim Ἱερουσαλήμ, *Hieroſolyma*, hanc urbem vocitant, propiùs ad eorum pronunciationem acceſſimus, ſed ita ut vocem in ſingulari numero efferremus; cujus numeri eſt ſine dubio, in Hebraïco ſermone, non minùs ac *Salem*. Hæc urbs antea *Jebuſæorum* fuit. Vide Cap. XVIII, 28.

2. *Timuerunt*] Præceſſit: *& fuit cùm audiret Adoni-tſedek*, nec poteſt ſequi *& timuerunt valde*, niſi & alii cum Adoni-tſedeko intelligantur. Itaque ſupplevimus, *cùm ipſe*, *tum alii*.

Similis regiæ urbi] *Ut una urbium regni*; hoc eſt, inſtar urbis, in qua eſſet ſedes regia. Ideò LXX. Intt. ὡσεὶ μία τῶν μητροπόλεων, quia metropoles erant Regum ſedes. Videmus autem hîc permultos ſingularum urbium, aut paucularum Reges fuiſſe in Chananæa; quales erant antiquiſſimis temporibus, in Græcia.

4. *Qui dicerent*] *Dicendo*, aut *ad dicendum*.

Gabahonitas] *Gabahonem*. Nolebant, nimirum, ullum Chananæum pacem habere cum Iſraëlitis, qui ad totius Gentis, & præſertim Regum perniciem venerant. Quare exemplum ſtatuere volebant in Gabahonitis, ne quis Iſraëlitis pacati quidquam reſpondere auderet, útque ἄσπονδον πόλεμον cum iis omnes gererent.

5. *Coëgerunt exercitus*] נאספו jeaſephou, *congregati ſunt*.

Caſtris poſitis] *Et poſuerunt caſtra* —— *& eam oppugnarunt*.

6. *Ne ſegniter te geras*] *Ne remittas manum tuam à ſervis tuis*; quod & interpretari poſſis, ne nos negligas.

Montana incolentium] *Habitantes montem*; nempe, tractum montanum, qui poſtea Judæ fuit. Urbes enim quinque, quæ hîc memorantur, fuerunt urbes tribûs Judæ; exceptâ Jeroſolimâ, quæ, licèt ei finitima, Benjaminis fuit, ex diviſione Joſuæ. Vide Capp. XV. & XVIII.

7. *Quicumque fortitudine præſtabant*] *Fortes robore*. Hi quidem diſtincti non erant à *populo militari*, ſed ſtylus Hebræorum ejuſmodi repetitionibus ſcatet.

8. *Dixerat Jehova*] Conſultus per Urim & Thummim, ſeu ſacro collari ornatus Sacerdos. Vide ad C. I, 1.

10. *Magnum vulnus*] *Percuſſit eos plagâ magnâ*.

Beth-choronis] Cùm duplex fuerit *Beth-choron*, ſuperior & inferior (Vide 1. Par. VII, 24.) quærunt Interpretes utra ſit hîc intelligenda, & ubi fuerit ſita. Ut à ſitu ordiar, mihi placet eorum ſententia, qui putant utramque Bethchoronem fuiſſe in tribu Ephraïmi ſitam. Nam de Beth-chorone inferiore res liquet ex Cap. XVIII, 14. XXI, 22. & videtur ſuperior in eadem Tribu fuiſſe, non procul ab altera; quandoquidem utraque eſt ab eadem Ephraïmitide muliere poſtea condita, ſeu inſtaurata, ut notum eſt ex 1. Par. VII, 24. Neque enim veriſimile eſt mulierem Ephraïmitidem, in aliena Tribu, urbes inſtauraturam fuiſſe, eáſque valde ab ſe invicem remotas. Credibile fit, ex ſigno diſcriminante *inferioris*, & *ſuperioris* alteram fuiſſe in valle, alteram in monte, aut colle vicino, quod pluribus oſtendemus ad Cap. XVI, 5. Igitur fuga Regum facta eſt utramque Bethchoronem versùs, & primùm quidem ad ſuperiorem, quam oportebat adiri *adſcenſu* quodam, qui hîc dicitur מעלה *mahale*; & deinde ad inferiorem, cujus memoratur מורד *morad*, vel *deſcenſus*, hoc eſt, declivitas, quâ ex ſuperiore petebatur. Non magni facio quæ de ſitu harum urbium habent *Euſebius*, in locis Hebraïcis, & *Hieronymus* in Epitaphio Paulæ, quæ nec inter ſe conſentiunt & cum Scriptura pugnânt, ut oſtendit *Jac. Bonfrerius*. Sed ut ad fugam Regum revertar, cùm ab ortu ad eos venerit Jo-

Rex Chebronis, Rex Jarmuthi, Rex Lachiſi, Rex Heglonis, cùm ipſi, tum univerſa eorum caſtra, caſtriſque ad Gabahonem poſitis, eam oppugnarunt. 6. Tum miſerunt Gabahonitæ ad Joſuam Gilgalem, in caſtra, qui ei dicerent: ne ſegniter te geras erga ſervos tuos, celeriter ad nos veni, libera nos, & auxilium nobis ferto, nam contra nos coacti ſunt omnes Reges Emoræorum montana incolentium.

7. Adſcendit verò Joſua Gilgale ipſe & univerſus cum eo populus militaris, & quicumque fortitudine præſtabant; 8. nam dixerat Jehova Joſuæ: ne timeas, propter eos, quia eos in manum tuam tradidi, neque ullus eorum coram te conſiſtet. 9. Subitò ergo Joſua in eos ivit, & per totam quidem noctem Gilgale adſcendit. 10. Tum Jehova illis trepidationem injecit, in conſpectu Iſraëlis, qui magnum vulnus ad Gabahonem illis impoſuit, & perſequutus eſt eos per viam adſcensûs Bethchoronis, atque ad Hazekam & Makkedam cecidit. 11. Dum autem fugerent è conſpectu Iſraëlis, per declivitatem Bethchoronis, Jehova in eos immiſit lapides magnos è cœlo, uſque ad Hazekam; *quibus percuſſi* mortui ſunt, & plures quidem fuerunt, qui interierint *icti* lapidibus grandinis, quàm ii quos Iſraëlitæ ferro ceciderunt.

12. Tum alloquutus eſt Joſua Jehovam, eo die quo Jehova Emoræos Iſraëlitis *cædendos* objecit, & dixit coram Iſraële, ô Sol, morare Gabahone,

&,

Joſua, debuerunt primùm occaſum versùs fugere. Poſtea tamen ad meridiem, unde venerant, hoc eſt, ad ſua regna agmen converterunt.

Ad Hazekam] *Hazeka* & *Makkeda* urbes fuerunt Tribûs Judæ, eæque à finibus Benjaminis meridianis non uſque adeò remotæ; nam eùm Reges Beth-chorone fugerent, quæ fuit ad fines ſeptemtrionales ejuſdem Tribûs; non potuerunt petere, niſi eas urbes quæ in ſeptemtrionali tractu Tribûs Judæ ſitæ fuerunt, peragratâ ſecundùm latitudinem regione, quam Benjaminis Tribus obtinuit. *Euſebius* de Hazeka: πόλις τῶν Χαναναίων, μέχρις ἧς κατεδίωξεν Ἰησοῦς τοὺς ε΄ βασιλεῖς, ἥτις γέγονε φυλῆς Ἰούδα· καλεῖται δὲ καὶ νῦν Ἐζηκὰ κώμη ἀναμέσον Ἐλευθεροπόλεως καὶ Αἰλίας: *urbs Chananæorum, ad quam perſequutus eſt Joſua quinque Reges, quæ fuit tribûs Judæ. Vocatur etiamnum hodie Ezeka vicus inter Eleutheropolin & Æliam.* Vide infrà Cap. XV, 35.

Et Makkedam] Urbs vicina ſuperiori, Cap. XV, 41. Hujus ſitum ſic deſcribit *Euſebius*: καὶ νῦν ἐστι πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως, ἀπὸ σημείων η΄. *etiamnum eſt ad ortum Eleutheropolis octo milliaribus remota.*

11. *Lapides magnos è cœlo*] Hoc eſt, ut poſtea ſequitur, grandinem; quæ tanta & tam dura erat, ut videretur grando lapidum. Sic de majore ſolito grandine loquebantur & Latini. Scriptor Bell. Africani Cap. XLVII. *Nimbus cum ſaxea grandine ſubito exortus eſt ingens.* Sic crediderim intelligendum prodigium, cujus ſæpe exempla profert *Livius*, cùm *lapidibus pluiſſe* ait. Similis grandinis meminit Moſes Exod. IX, 18. Scio viros doctos, & inter alios *G. J. Voſſium*, qui de Idol. Lib. I. c. 26. Joſuam Herculem eſſe contendit, exiſtimare verorum lapidum pluviæ argumentum poſſe deduci ex fabula Herculis; quo orante, Jupiter demiſit pluviam lapidum in Albionem & Bergiona Neptuni liberos, ut narrat *Pomponius Mela* Lib. II. c. 5. Sed merum eſt mendacium, in Gallia inventum, ut lapidoſi tractûs ratio redderetur; nec verius eſt Joſuam fuiſſe Herculem, ut multis argumentis probare poſſemus, ſi res eſſet hujus loci. Idem etiam Lib. III. c. 12. rationes naturales lapidearum pluviarum fruſtra quærit, quas non confutabo.

12. *Alloquutus eſt Jehovam*] Hoc eſt, oravit, ſive ſubmiſſâ, ſive clarâ voce, ut ſibi liceret eo die delere exercitum Chananæorum, qui Gabahonitis bellum intulerant.

Cædendos objecit] *Dedit ante faciem*, hoc eſt, appoſuit, quaſi cædendos ac comedendos.

O Sol morare Gababone] דום *dom*, id eſt, *ſile*. Quia verò qui *ſilent* ii organa vocis ſiſtunt, ideò דום ſignificat aliquando conſiſtere, non moveri, ut Ezech. XXVII, 32. ubi Tyrus dicitur כדמה chdumah, *quaſi ſtans*, vel *manens in medio mari*, quòd fuerit condita in inſula, aut navibus mare obtinuerit. Eamdem habet ſignificationem radix Arabica דאם *dama*, quæ *permanere*, *perſeverare*, *morari* ſonat. Sic intelligendam hîc liquet, ex verſu ſequente, ubi Sol dicitur ſtetiſſe. Ideò LXX. Intt. ὁ ἥλιος κατὰ Γαβαὼν σήτω, & *Hieronymus*: *ſol contra Gabaon ne movearis.* Hoc igitur voluit Joſua, Solem viſum ſtare oculis eum Gabahone ſpectantibus, ita ut videretur ſeriùs occidere. Sic autem loquimur, pluribus de rationibus. Primùm enim nunc ſatis conſtat, apud omnes Aſtronomiæ peritos, Solem non moveri, ſed Terram. Deinde, ſi propriè loquamur, Sol non poteſt videri ſtare *Gababone*; cui urbi verticalis eſſe non potuit, quippe procul extra tropicum Cancri ad ſeptemtrionem ſitæ. Potuit ergo tantùm videri ſtare ſpectatus Gabahone. Præterea non eſt ſimile vero, ob rem tantillam, qualis fuit cædes aliquot Chananæorum, & quidem eo die, potiuſquàm poſtridie, Terræ motum diurnum, aut, ſi mavis, Solis, interruptum fuiſſe. Non ſolet Deus, ut ſic loquar, ſic prodigus eſſe miraculorum, ut naturæ ordinem, in tam inſigni Univerſitatis parte, levi de cauſa, perturbet. Denique videntur hæc deſumta ex libro poëtico, qui in ſequentibus verbis laudatur, ut mox oſtendemus. Eſt autem moris Poëtarum hyperbolicis loquutionibus res ſublimiùs deſcribere. Voluit fortaſſe ſcriptor *Libri Recti* indicare, non ſine divina providentia, loca, in quibus cædebantur Chananæi, diutiùs, quaſi Solis & Lunæ luce, fuiſſe illuſtrata; viſum enim eſſe Solem Gabahone ſpectatum diutiùs ſupra horizontem, quàm ſolebat: nec Lunam in Ajalonis valle, perſequentibus Chananæos Iſraëlitis, tam citò occidere viſam. Quod fieri potuit, inſolitis

Google

&, tu Luna, in valle Ajalonis. 13. Moratus verò eſt Sol, & Luna ſubſtitit, donec
gens *noſtra* ultionem de hoſtibus ſuis ſumſiſſet. Annon hoc ſcriptum eſt in libro Recti:
ET STETIT SOL IN MEDIO COELO, NEQUE FESTINAVIT OCCIDERE,
CÙM EXACTUS ESSET DIES? 14. Neque fuit antea, aut poſtea dies ei ſimilis, quo
Jehova vocem hominis ſic exaudiret; nam Jehova pro Iſraële pugnavit.
15. Deinde reverſus eſt Joſua & omnis Iſraël cum eo Gilgalem, in Caſtra. 16. Aufuge-

tis refractionibus; quibus, ut notum eſt, Sol nobis ſupra horizontem eſſe videtur, cùm nondum ortus ſit, & jam occiderit; idémque, in Laponia, oculis non occidit, ſolſtitialibus diebus, licèt reverâ horizontem ſubeat. Fieri etiam hoc potuit, extraordinario quodam lumine, quod illic ſpeciem ac vicem Solis & Lunæ præbuerit; quis enim Deo, aut Angelis innumeras eſſe rationes conficiendi id, quod præter ordinem naturæ eſt, neſcit? Ejuſmodi autem prodigium Scriptori *Libri Recti* aut carminis hujus, quod in eo libro erat, occaſionem præbuit dicendi, propter Joſuæ preces, ſtetiſſe Solem & Lunam; cùm lux, quæ eorum vicem præſtaret, conſpecta, poſt eorum ſiderum occaſum, eſſet. *Statius*, propter rem multò minoris momenti, dixit Thebaidos Lib. V.

Tardiùs humenti noctem dejecit Olympo
Jupiter, & verſum, miti, reor, æthera curâ,
Suſtinuit, dum fata vetant; nec longiùs umquam
Ceſſavere novæ, PERFECTO SOLE, *tenebræ.*

Si quæras jam quo tempore diei *Gababone ſtare Solem* optaverit Joſua, nihil veriſimilius poſſe dici videtur, quàm id factum Sole occaſui jam vicino; cùm timeret Joſua, ne hoſtes tenebris imminentibus tegerentur & ſic è manibus Hebræorum victorum elaberentur, quod ſolet contingere. Timere autem vix potuit, ut ſibi ſatis diei ſupereſſet, ad delendos hoſtes; niſi cùm maxima ejus pars præterierat, occaſúſque inſtabat. Quod confirmatur ſequentibus verbis, ubi etiam Lunam lucere diutiùs optat, ut & per noctem ſequi poſſet Chananæos. Neque huic conjecturæ adverſantur verba verſûs ſequentis, ut mox oſtendam.

Et, tu Luna, in valle Ajalonis] Cùm hæc precatus fuerit Joſua, ut poſſet Chananæos perſequi, lucente Luna; nonniſi poſt occaſum Solis, ſeu lucis, quæ vice Solis aliquamdiu fuit, precari potuit; aut certè ſi, etiamnum lucente Sole, precatus eſt, optavit ſucceſſuram Soli Lunam diutiſſimè è valle Ajalonis conſpici. Sed prius magis placet, cùm enim hoſtem, ad Gabahonem fuſum & fugatum, perſequutus fuiſſet palantem, Judæ fines verſùs, ad vallem Ajalonis pervenit, Lunâ jam lucente. Fuit enim Ajalon quidem in finibus Daniticæ Tribûs, ut docemur Cap. XIX, 42. & Jud. I, 35. ſed finitima Tribui Judæ, nec remota à Benjaminis agris, quandoquidem à Benjaminis & Judæ poſteris habitatam legimus 1. Par. VIII, 13. & 2. Par. XI, 10. Sciò huic ſitui, quem Ajaloni tribuimus, non convenire cum iis, quæ de eo habent *Euſebius* & *Hieronymus*, aut cum Judææ tabulis editis. Sed facilè hìc, ut alibi, falli potuerunt viri doctiſſimi; nec iis, adverſante Scripturâ, fidem habere poſſumus. *Euſebium* & *Hieronymum* multis confutavit *Jac. Bonfrerius* & ad hunc Joſuæ locum & in Onomaſtico Urbium & Locorum. Obſervatu dignum eſt eſſe hìc duos verſiculos ὁμοιοτελεύτως, ſic diſponendos, levi tranſpoſitione:

שמש דום בגבעון

וירח בעמק אילון:

nam in citatione horum verborum דום ſequitur בגבעון, ſed neceſſe non fuit ab Hiſtorico Sacro ordinem verborum Poëtæ per omnia ſervari.

13. *Moratus eſt ſol* &c.] Sol & Luna ſimul morati non ſunt, ſed Luna poſt Solem, neque enim unà lucent; ita ſaltem ut lux Lunæ, per diem, prodeſſe queat.

In libro Recti] בספר הישר *bſepher hajjaſchar.* Citatur liber eodem titulo 2. Sam. I, 18. ubi dicitur fuiſſe lamentatio Davidis de morte Saülis & Jonathanis. Si ſit idem liber, conſcriptúſque, aut collectus, poſt tempora Davidis; oporteret hunc Joſuæ Librum Davide eſſe recentiorem. Qua de re agemus in Diſſertatione de Auctore hujus Libri. Verum quidquid ideſt, crediderim *Librum Recti* fuiſſe collectionem hymnorum, aut carminum de rebus geſtis Hebræorum, fortè non uno tempore factam; in qua fuerit carmen de hac Joſuæ victoria, ſive æqualis Joſuæ temporibus, ſive poſterioris Poëtæ fuerit; tum etiam carmen Davidis, de quo diximus. Sic Pſalmi Davidici, ſic Proverbia Salomonica non uno tempore ſunt collecta, ut aliquando oſtendemus. Non puto autem ipſa Libri verba eſſe, quæ antea in hoc verſu leguntur, ſed potiùs eorum ſenſum; ex quo tamen facilè duo verſiculi conflari poſſint, tranſpoſitis non nihil verbis:

וירח עמד והשמש ידם

עד גוי איביו יקם

Et ſtetit luna, & ſol moratus eſt, donec gens ulta eſſet hoſtes ſuos.

Et ſtetit ſol in medio cœlo] בחצי השמים *bhatſi haſſchamajim*, vel dimidia pars cœli non eſt ita intelligenda, quaſi neceſſe ſit Solem tum fuiſſe in meridiano, cùm Joſua juſſit eum morari; ſatis eſt particulam quamvis exiguam cœli ei ſuperfuiſſe decurrendam. Nam חצי *hhatſi* non ſignificat alteram ex duabus partibus alteri prorſus æqualem, ſed quaſvis partes, à חצה *diviſit* in quaſlibet partes. Ac ſanè non potuit Joſua ſibi optare longiorem diem, niſi cùm vidit ſatis ſibi lucis non fore, ad delendas reliquas Chananæorum copias, hoc eſt, inclinante jam die.

Cùm exactus eſſet dies] כיום תמים *chjom thamim*, cùm dies perfectus. *Chaph* ſignificare ſæpe *quando*, *cùm*, notum eſt. Vide Gen. XXXIX, 18. Joſ. VI, 20. vel etiam *poſtquam*, ut Gen. XXXVIII, 39. XL, 10. תמים *thamim* verò tam poteſt eſſe *exactus*, *abſolutus*, quàm *integer*, à תמם quod eſt ſæpe *abſolvere*, ut Joſ. III, 17. Sic Levit. XXV, 30. שנה תמימה *ſchanah thmimah* eſt *annus exactus*. Igitur hoc vult ſacer Poëta, cùm exactum eſſet tempus ſolitum diei, pro anni tempeſtate, Solem tamen non viſum occidere. Quod cùm non attenderent Interpretes

fugerant autem quinque illi Reges, & ſe ſe in ſpeluncam ad Makkedam abdiderant; 17. quod renunciatum eſt Joſuæ, his verbis: inventi ſunt quinque illi Reges abditi in ſpelunca, ad Makkedam. 18. Volvite, inquit Joſua, ingentes lapides ad os ſpeluncæ, viróſque præficite, qui eos ſervent. 19. Vos autem ne conſiſtite, ſed perſequimini hoſtes veſtros, extremúmque eorum agmen cædite; nec ſinite eos ingredi urbes ſuas, quia Jehova Deus veſter eos in manum veſtram tradidit. 20. Poſtquàm verò Joſua & Iſraë-

tes, crediderunt Solem ſtetiſſe εἰς τέλος ἡμέρας μιᾶς, ut habent LXX. Intt. *ſpatio unius diei*, ut Vulgatus. Hinc, Sirachides Cap. XLVI, 6. μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο, *unus dies excrevit in duos.* Itaque intellexerunt duplo diuturniorem fuiſſe Solis ſupra horizontem moram, in eo hemiſphærio, quod Sol tunc temporis illuſtrabat, & contra duplo majorem fuiſſe noctem in oppoſito. Quod ſi ponamus, dies, ut & nox, habuerit viginti quatuor horas, qualium duodecim tantum habuiſſet. Quod non potuiſſet fieri, ſine graviſſimo reliquorum hominum incommodo, ſub eo meridiano in quo Sol ſtetiſſet, præſertim in locis Tropico Cancri propioribus. Viciſſim in altero hemiſphærio, gravis & incommoda eſſe debuit nox duplo longior ſolitâ, præſertim locis ultra Tropicum Capricorni ad Auſtrum ſitis. Quis eredat autem, ut paullò plures illo die occiderentur Chananæi, tanta incommoda magnæ parti humani generis creata? Certè hoc nos benignitas Creatoris credere vix ſinit, nec ſanè cogit, ut oſtendimus, Sacri Scriptoris oratio. Præterea non opus fuit uſque adeò protrahi moram Solis ſupra Horizontem, nec multùm profuiſſet Iſraëlitis, qui & æſtu nimis diuturno & labore inſequendi defeſſi neceſſariò æquè fuiſſent, ac fugaces Chananæi; cùm præſertim, per antecedentem noctem, Gilgale Gabahonem veniſſent. Non ſatis erat Solem aut Lunam lucere, ut inſequerentur Chananæos; viribus pluſquàm humanis opus erat, ut qui nocte armati iter fecerant, per totum ſequentem diem, hoſtes ſine intermiſſione ſequerentur. Nihil ergo agunt, qui diem duplo longiorem ſolito ſuppeditant Hebræis, ad inſequendos Chananæos; niſi, eadem operâ, vires duplo humanis majores iis tribuant, ut poſſint intelligi ſolita quiete non indiguiſſe; neque enim tantum dormimus, quia nox eſt, ſed quia exhauſtis viribus & labore diurno feſſi quiete indigemus. Si duo eſſent Soles, quibus illuſtrarentur terræ, ita ut alter oriens alteri occidenti ſuccederet, paribus intervallis; non minùs quieſcendum, nec minùs, qualia ſunt in hac vita corpora noſtra, dormiendum nobis eſſet. Imò cùm omnia duplici Sole ârderent, minùs commoda & grata eſſet quies; quàm eſt nunc, per nocturnum frigus.

Omittendum non eſt, quod in aliis antiquiſſimi Poëtæ verbis jam animadvertimus, hîc quoque duos eſſe verſus ὁμοιοτέλευτοι:

ויעמד השמש בחצי השמים
ולא אץ לבוא כיום תמים

14. *Neque fuit antea* &c.] Hæc ſaltem aliquantò poſt hanc victoriam ſcripta eſſe neceſſe eſt.

Dies ei ſimilis] *Ut dies ille*; hoc eſt, quo Deus Solis & Lunæ ſplendorem produceret, miraculo divino, ut preces hominis exaudiret. Hæc de hoc miraculo dicenda habebamus, quæ paucioribus difficultatibus laborare videbantur; omiſſis aliis ſententiis, quas vel exponere longum eſſet, nedum ut præterea poſſent hîc ſingillatim confutari. *Andream Maſium* & *Hug. Grotium* conſulant Lectores; qui ex iis intelligent Rabbinos ipſos, qui miracula in gratiam gentis ſuæ olim edita elevare non ſolent, non potuiſſe Solis ſufflaminationem hîc concoquere, eorúmque ſententiæ adſtipulatum *Grotium*. Ceteroquin aliter ſentientes minimè erroris damnamus, conjecturâque omiſsâ, meliora amplecti, ſi doceamur, parati ſumus.

Scio & varias proferri quæſtiones, at quibus non ſatisfit, niſi levibus conjecturis; quas proinde iis, qui ejuſmodi rebus delectantur, relinquimus. Nos breves Commentarios ſcribere aggreſſi ſumus, non Scholas Theologicas.

15. *Reverſus eſt Joſua* &c.] Cum hæc eadem verba repetantur, in fine Capitis, cúmque conſtet ex v. 21. caſtra, poſt primam hanc victoriam, poſita fuiſſe Makkedæ, quæ pluribus horis Gilgale diſtat; difficile eſt dictu quî Joſua ex victoria redux Gilgalem iverit, deinde iterum Makkedam venerit, ut reliquias Chananæorum perſequeretur. Itaque alii hæc veluti anticipatione dicta putant; ſed dura eſt & inutilis hæc anticipatio. Imò etiam totam narrationem obſcurat. Igitur alii hunc verſum inducendum eſſe cenſuerunt, ut LXX. Intt. à quibus in Codicibus antiquiſſimis Vaticano & Alexandrino eſt omiſſus; niſi fortaſſe jam in eorum Hebræo codice prætermiſſus fuiſſet: neque enim ſemper ſatis conſtat utrum antiquiora exemplaria, an verò ſuum judicium ſint ſequuti. Scio legi in Codd. Complutenſi & Aldino, καὶ ἐπέστρεψεν Ἰησοῦς καὶ πᾶς Ἰσραὴλ μετ' αὐτοῦ εἰς τὴν παρεμβολὴν εἰς Γάλγαλα. Sed ſuſpicor addita fuiſſe ex alia Interpretatione, quia & in codice Vaticano, in margine adſcripta ſunt. Sæpe obſervavimus duos illos Codices magis conſentire cum Hebræo textu, quàm alios, quod emendationem redolet. Alii denique putant poſſe verti *revertebatur*; ita ut nexus narrationis ſit: revertebatur jam Joſua Gilgalem, cùm nunciatum eſt quinque Reges ſe abdidiſſe in ſpeluncam Makkedæ; quo audito, converſo agmine, Makkedam rediit, atque ibi caſtra poſuit. Verùm hæc non conſentiunt cum narratione Scriptoris Sacri, qui docet hoc nunciatum eſſe, antequàm Iſraëlitæ perſequi deſtitiſſent Chananæos. Vide v. 19. Itaque malim cum LXX. Intt. omittere hunc verſum, aut fateri latere hîc quidpiam mendoſi, quod indicare non poſſumus.

16. *Quinque illi Reges*] Memorati v. 3.

Ad Makkedam] Eſt במקדה *bmakkedah*, in Makkeda. Sed verti *ad Makkedam*, quòd credibilius ſit extra urbem fuiſſe ſpeluncam, in qua latere vellent Reges; quàm in media urbe, in qua ſatis occulti eſſe non poterant. Sæpe ita vertendum ב, quaſi eſſet על *ad*. Vide infra C. XXIV, 26. Ceterùm in ſpeluncis latitaſſe ſæpe homines liquet ex 1. Sam. XXII, 1. XXIV, 4. aliiſque multis locis.

Digitized by Google

Iſraëlitæ abſolviſſent eos cædere & magnam ſtragem feciſſent, donec eſſent deleti, & reliqui, qui ex illis remanſerant, ingreſſi eſſent urbes munitas; 21. reverſúſque eſſet omnis populus Makkedam, ad Joſuam, in caſtra, incolumis, nec *quiſquam* moveret linguam contra ullum Iſraëlitarum; 22. tum dixit Joſua: aperite os ſpeluncæ, atque illinc quinque illos Reges ad me educite. 23. Sic fecerunt, eduxerúntque quinque illos Reges ad eum, è ſpelunca, Regem Jeroſolimæ, Regem Chebronis, Regem Jarmuthi, Regem Lachiſi & Regem Heglonis. 24. Cum verò eduxiſſent Reges illos ad Joſuam, convocavit omnes Iſraelitas, & ducibus militum, qui cum eo venerant, accedite, inquit, & Regum iſtorum collis pedes imponite: *quo audito*, acceſſerunt & collis eorum pedes impoſuerunt. 25. Tum Joſua illis, ne timete, inquit, neque terremini; ſed confirmamini ac fortes eſtote; ſic enim faciet Jehova omnibus hoſtibus veſtris, quibuſcum bellum geritis. 26. Deinde ferit eos Joſua & interfecit, tum è quinque arboribus ſuſpendit, è quibus uſque ad veſperam pependerunt. 27. Quo verò tempore Sol occumbebat, jubente Joſuâ, detraxerunt eos ex arboribus, conjecerúntque in ſpeluncam in qua latuerant, & ingentia ſaxa impoſuerunt ori ſpeluncæ, *ubi ſunt* uſque ad huncce diem.

28. Makkedam quoque cepit Joſua illo die & gladio concîdit, Regémque ejus, & omnem animam quæ in ea erat internecione delevit, nec quemquam ſuperſtitem reliquit Itaque ſe geſſit cum Rege Makkedæ, quemadmodum ſe geſſerat cum Rege Jerichuntis. 29. Deinde Joſua & omnis cum eo Iſraël ſe Libnam Makkedâ contulerunt, Libnámque oppugnarunt. 30. Eam & Regem ejus Jehova in manum Iſraelitis tradidit, qui eam; omnémque animam quæ in ea erat ferro concîdit, nec ullam ſuperſtitem reliquit, & cum Rege ejus ſe geſſit, quemadmodum ſe geſſerat cum Rege Jerichuntis. 31. Poſtea Joſua & omnis cum eo Iſraël ſe contulerunt Libnâ Lachiſum, quod, poſitis ad illud caſtris, oppugnavit. 32. Tradidit etiam Jehova Lachiſum in manum Iſraëlis, idque ſecundo die cepit, & ferro concîdit, ut & omnem animam, quæ in eo erat, planè ſicut Libnæ fecerat. 33. Inter hæc, advenit Horamus, Rex Gazeris, ut auxilium ferret Lachiſo; ſed eum, ejuſque populum cecidit Joſua, donec neminem ei ſuperſtitem relin-

21. *Reverſúſque eſſet*] *Et reverſus eſt.*

In caſtra] Itaque illic caſtra poſuerat Joſua, dum expeditiores & minùs defeſſi reliquias Chananæorum perſequerentur. Si hoc dictum fuiſſet v. 15. nihil eſſet, in hac narratione, quod non bellè cohæreret.

Nec quiſquam moveret linguam] Proverbium eſt, quo ſignificat Hiſtoricus Sacer, neminem amplius fuiſſe, in illis tractibus, qui vel minimùm Iſraëlitis reſiſteret. Quod de aperto Marte intelligendum, & de illo tempore; nam nonnulli Chananæi oppida ſua à Joſua capta iterum occuparunt. Vide not. ad v. 36. & 38.

22. *Aperite os ſpeluncæ*] Poſtridie factum hoc videtur, neque enim ante noctem redierunt à perſequendis hoſtibus.

24. *Collis pedes imponite*] Indicium hoc fuit plenæ victoriæ, & implementum prædictionis, quæ exſtat Deut. XXXIII, 29. Quod non parum profuit ad confirmandos Iſraëlitarum animos.

26. *Uſque ad veſperam*] Poſtridie ejus diei, quo ſol ſtetiſſe videbatur. Vide ad v. 22. Sic factum, & cadaveribus aliorum Regum. (Vide C. VIII, 29.) vel ob inſignia ſcelera, quibus ejus faſtigii homines ſæpe ſe ſe commaculant; vel ne dimiſſi bellum, concitatis vicinis populis, inſtaurarent.

27. *Quo tempore ſol occumbebat*] Vide ad C. VIII, 29.

28. *Se geſſit cum Rege Makkedæ*] Ut antea dictum eſt.

Cum Rege Jerichuntis] Cujus urbem ſolo æquarat, occiſis omnibus incolis.

29. *Libnam*] Urbs fuit Tribûs Judæ, quæ Sacerdotibus attributa eſt, Cap. XXI, 13. & 1. Par. VI, 57. Euſebius: γέγονε φυλῆς Ἰούδα, πόλις ἱερατική, καὶ νῦν ἔτι κώμη ἐν τῇ Ἐλευθεροπολιτῶν λεγομένη Λοβανά: *fuit tribûs Judæ, urbs ſacerdotalis, eſtque etiamnum vicus in Eleutheropolitana dictus Lobona.*

31. *Quod poſitis ad illud caſtris* &c.] *Et poſuit caſtra ad eam & oppugnavit eam.*

31. *Donec neminem* &c.] Duo ſunt de hac, ceteriſque internecionibus obſervanda; prius eſt intelligendam eſſe cædem tantum de omnibus qui ab Iſraëlitis inveniri potuerunt, vix enim fieri potuit, quin nonnulli aufugerint, aut abſentes evaſerint; alterum eſt eo tempore Reges ad prælium prodeuntes omnes eduxiſſe, qui arma ferre poterant, & prælii unius fortunæ quidquid habebant permiſiſſe. Itaque prælio fuſi & fugati inſtar pecudum occidebantur. De internecione populorum vide not. ad Num. C. XXX. Sed & addenda exceptio, quæ exſtat Deut. XX, 14. de pueris & puellis impuberibus. Hoc hic ſemel notamus, alibi non repetendum.

35. *Deleverunt*] Eſt in ſingulari החרים hehherim, *delevit*, quod refertur ad Joſuam. Sed Hebræos promiſcuè numeros miſcentes, in una eadémque periodo, imitari non poſſumus Latinè loquentes. Quod obiter notamus, propter vitilitigatores.

36. *Chebronem*] Vide not. ad Gen. XIII, 18. Eadem urbs Cap. XV, 14. & Jud. I, 10. capta à Chalebo poſtea dicitur. Igitur aut oportet reliquias Chebronitarum, aut quoſdam è vicinis iterum eumdem locum occupaſſe, cùm abiiſſet Hebræorum exercitus. Locus ſanè erat opportunus, & naturâ munitus, cum in monte ſitus eſſet.

37. *Et Regem ejus*] Aut eſt repetitio ejus, quod antea dictum hoc Capite, v. 23. aut fuit ejus ſucceſſor.

31. De-

linqueret. 34. Tum ivit Joſua & univerſus cum eo Iſraël Lachiſo Heglonem, caſtriſ-
que poſitis eam oppugnarunt, 35. eodémque die ceperunt & gladio conciderunt, om-
némque animam, quæ in ea erat, eo die, ad interneeionem deleverunt, planè ut fe-
cerant Lachiſo. 36. Poſtea adſcendit Joſua & totus cum eo Iſraël Heglone Chebronem,
& eam oppugnarunt. 37. Hanc quoque ceperunt & gladio conciderunt, regémque ejus,
omnes ejus urbes & omnem animam quæ in ea erat; nec reliquerunt quemquam, qui
ſuperſtes eſſet, planè ut fecerant Hegloni; nam ad internecionem eam & omnem ani-
mam, quæ in ea erat, deleverunt. 38. Tum rediit Joſua & univerſus cum eo Iſtaël
Debiram, eámque oppugnavit. 39. Ceperunt eam, Regem ejus, omnéſque ejus ur-
bes, gladio eas conciderunt, omnémque animam, quæ in ea erat, ad internecionem
deleverunt, nec quemquam ſuperſtitem reliquere. Quemadmodum ſe geſſerat *Joſua*
erga Chebronem, Libnámque & ejus Regem: ſic ſe geſſit erga Debiram & Regem ejus.
40. Itaque Joſua concidit totam regionem montanam & meridianam, planitiémque
& radices montium, earúmque Reges, neminémque ſuperſtitem reliquit; ſic omnem ani-
mam, ut juſſerat Jehova Deus Iſraëlis, ad interneeionem delevit. 41. Cecidit Joſua
eos *populos*, à Kades-barneha uſque ad Gazam, & omnem terram Goſenitidem, &
uſque ad Gabahonem. 42. Omnes illos Reges eorúmque agros uno impetu cepit Jo-
ſua, quia Jehova, Deus Iſraëlis, bellum geſſit pro Iſraële. 43. *Quibus rebus geſtis*, Jo-
ſua & totus Iſrael cum eo ad caſtra Gilgalem revetſus eſt.

X. *Joſua Regem Chatſoris reliquóſque Chananæorum ad Septemtriones Palæſtinæ Reges profligat, eorúmque populos ad internecionem delet, & agros occupat quorum fines deſcribuntur. Tandem vincit & Hanakæos, finémque bello imponit.*

1. QUÆ cùm accepiſſet Jabin Rex Chatſoris, miſit *legatos* ad Jobabum CAPUT
Regem Madonis, ad Regem Simronis, ad Regem Achſaphi, 2. & XI.
ad

38. *Debiram*] Urbem Tribûs Judæ, ut doeemur Cap. XV, 49. Hæc quoque ab Hothniele Chalebi genero iterum capta, Cap. XV, 16. Vide ad v. 36.

40. *Montanam*] ההר *montem*, quâ voce intelliguntur montana Tribûs Judæ, quorum frequens occurrit mentio, in Scriptura; non unum unius montis jugum. Sic *mons Ephraimi* paſſim dicitur totus Ephraïmi montanus tractus.

Meridianam] הנגב *hannegeb*, meridianum tractum ejus Tribûs, & Simeoniticæ, quæ occupavit agros maximè omnium ad meridiem ſpectantes totius Chananææ.

Planitiem] שפלה *ſchphelah*. Vide quæ notavimus ad Habdiæ comma 19.

Radices montium] אשדות *aſchedoth*, de qua voce egimus ad Deut. III, 17. & Num. XXI, 15. Intelliguntur radices montium, & proximæ valles, Græcè ὑπώρειαι. *Planities* dicitur paullò à monte remotior, אשדות verò propior. Vide infra C. XII, 3, 8.

Ut Jehova juſſerat] Deut. XX, 13, 14.

41. *A Kades-barneha*] Auſtralibus in finibus Judææ fuit, Orientem versùs. Vide Numer. XXXIV, 4. & infra C. XV, 3.

Gazam] Urbs Philiſthæorum ad mare, in iiſdem finibus, occidentem versùs. Vide ad Gen. X, 19. Sed tamen Gazam non cepit Joſua, neque occupavit Iſraël; quippe munitiorem, quàm ut à poliorceticæ artis imperitis expugnari poſſet. Vide *Sam. Bochartum Phalegi* Lib. II, c. 12.

Terram Goſenitidem] Goſen urbs erat in meridiano tractu, quæ poſtea fuit Tribûs Judæ. Vide C. XV, 51. Ab ea nomen vicina regio traxit. Alia fuit in inferiori Ægypto, ejuſdem nominis, quæ incolenda data eſt Iſraëlitis. Vide ad Gen. XLV, 10.

Uſque ad Gabahonem] Qui terminus fuit ſeptemtrionalis agrorum bello hoc tempore ſubactorum.

42. *Uno impetu*] פעם אחד *phaham ehhad*, unâ vice; hoc eſt, continenter, & ſine intermiſſione bello geſto.

In CAPUT XI.

1. *CHatſoris*] Urbs fuit Tribûs Nephthalis, ut liquet ex Cap. XIX, 36. De ea ſic *Joſephus* Ant. Jud. Lib. V. c. 6. αὕτη δὲ ὑπέρκειται τῆς Σαμοχωνίτιδος λίμνης: *hæc verò ſita eſt, ſupra Samochonitidem paludem*; hoc eſt, ad ejus Septemtriones. Mirum eſt Regem hujus urbis fuiſſe Chananæum, tempore Baraki, & *Jabinem* etiam vocatum. Vide Jud. IV, 2. & quæ illic diximus.

Madonis] Ubi fuerit hæc urbs non ſatis liquet, cùm alibi non nominetur. Oportet tamen eam fuiſſe Septemtrionem Chananææ versùs, non procul ab Antilibano; cùm Rex ejus pareret Regi Chatſoris, ut liquet ex v. 10. In Vaticano LXX. Int. Codice eſt Μαρὼν, cùm ſit in Alexandrino & Aldino Μαδὼν in Complutenſi Μαδών.

Simronis] Hanc ex Cap. XIX, 15. intelligimus fuiſſe in Tribu Zabulonis, quæ ad meridiem Tribum Nephthalis claudebat. Cap. XII, 20. dicitur Rex hujus urbis מלך שמרון מראון *Rex Simron Meron*. Non eſt confundenda cum *Somron*, ſeu Samaria, quemadmodum fecit *Euſebius*.

Achſaphi] Hæc urbs fuit poſtea in Aſeritica

ad Reges qui erant à ſeptemtrionibus in montanis locis, & in planitie ad meridiem *ad* Chinnerothas, in campeſtribus locis & in tractibus Doræ ab occidente. 3. Chananæi *vocati* ab oriente & ab occidente, Emoræi, Chitthæi, Pherizæi, Jebuſæi in montanis, & Chivvæi ſub Chermone, in regione Mitſphæ. 4. Proceſſerunt illi *ad bellum gerendum*, & omnia eorum caſtra, ingens populus, & arenæ, quæ eſt in littore maris, multitudine par, multique equites ac currus. 5. Cùm conveniſſent omnes illi Reges, unà caſtra metatum iverunt ad Meromi aquas, ut prælium cum Iſraële committerent. 6. Tum dixit Jehova Joſuæ: ne timeas, propter eos; cras enim, hoc tempore, omnes iſtos *Reges* confoſſos dabo in conſpectu Iſraëlis, eorum equis poplites ſuccides, currúſque igne abſumes.

7. Itaque Joſua & omnis populus militaris cum eo ſubitò ad eos, ad aquas Meromi, ſe contulerunt eóſque invaſerunt. 8. Jehova verò homines tradidit in manum Iſraëlitarum, qui eos conciderunt & perſequuti ſunt ad Sidonem magnam, ad aquas calentes, & uſque ad vallem Mitſphæ, orientem verſùs. Eos ceciderunt, donec nullus ſuperſtes eis relinqueretur. 9. Ita cum iis ſe geſſit Joſua, ut ei dixerat Jehova, equis poplites ſuccîdit, & currus eorum igne abſumſit. 10. Tum reverſus Joſua, eo tempore, cepit Chatſorem, Regémque ejus gladio percuſſit; nam antea Chatſor fuerat caput omnium

ca Tribu, C. XIX, 25. Non potuit eſſe ad montem Thabor, ut putabat *Euſebius*, cùm is mons in finibus Aſeriticæ Tribûs non eſſet.

2. *Ad Reges qui erant à ſeptemtrionibus*] Hoc eſt, qui regnabant in urbibus in radicibus Antilibani ſitis; nam is mons claudit Chananæam, à Septemtrionibus.

In planitie ad meridiem] Nempe, regnorum antea memoratorum.

Ad Chinnerothas] Supplevimus *ad*, quia tractus ſeptemtrionales Chananææ non ſunt ad meridiem, ſed ad ſeptemtrionem Chinnerotharum; quæ loca videntur fuiſſe urbi Chinnerothis vicina. Vide notata ad Num. XXXIV, 11.

In campeſtribus locis] בשפלה *baſſchephelah.* Intelligi videtur planities vicina urbi, quæ in ſequentibus verbis memoratur.

In tractibus Doræ] בנפות דור *bnaphoth dor.* Dicitur hæc regio & ſingulari numero נפת דור *nephath dor* Cap. XII, 23. Sorte obtigiſſe urbem Doram dimidiæ tribui Manaſſæ, ad occaſum Jordanis liquet ex C. XVII, 11. Jud. I, 27. Sed ea fuit urbs ad mare Mediterraneum ſita, ad ſeptemtrionem Cæſareæ, ut docet *Joſephus* Ant. Lib. XV. c. 13. Itaque hæc *Dor* alia urbs fuit, cùm videatur propior mari Geneſarethico fuiſſe, ut cetera omnia oppida quæ hîc memorantur.

Ab occidente] Nempe, Chinnerotharum. LXX. hîc habent καὶ εἰς τὰς παραλίας Χαναναίους, quòd ſit hîc מים *mijjam*, à mari, quódque Dora fuerit urbs maritima Phœniciæ, ut jam diximus. Sed cùm altera Dora hîc intelligenda ſit, vertimus *ab occidente*, ut paſſim ים *jam* occidentem ſonat; quòd ad eam cœli plagam ſit mare Mediterraneum, ſi cum Chananæa ſitus ejus conferatur.

3. *Ab oriente*] Nimirum, Jordanis; hoc eſt qui ad orientem fontium, primique decurſûs ejus fluminis, circa Antilibani radices, habitabant.

In montanis] In montibus vicinis ad occaſum Jordanis, hoc eſt, in collibus, montibúſque omnibus Antilibano ſubjectis.

Sub Chermone] *Chermon* hîc eſt pars Antilibani ad orientem Jordanis, de qua eg mus ad Deut. III, 9.

In regione Mitſphe] Variæ urbes cis & trans Jordanem eo nomine fuerunt. Hîc intelligenda מצפה *mitſpha*, quæ fuit in dimidia Tribu Manaſſæ, non procul à Chermone.

4. *Proceſſerunt illi* &c.] *Exiverunt.* Sed ſæpe *exire* ſignificat expeditionem ſuſcipere, ut oſtendimus in additamentis ad *Hammondum* Luc. IX, 31.

Multique equites ac currus] *Multus equus ac currus.* Nullos planè habebant Iſraëlitæ, quorum exercitus peditatu ſolo conſtabat. Vide Deut. XVII, 16.

5. *Ad Meromi aquas*] *Aquæ Merom* dicitur lacus, qui aliter Semechonitis λίμνη vocatur. *Joſephus* Lib. III. B. J. c. 31. in Græcis: ἀρχόμενος δὲ φανεροῦ ῥεύματος ὁ Ἰορδάνης ἀπὸ τοῦδε τοῦ ἄντρου κόπτει μὲν τὰ τῆς Σεμεχωνίτιδος λίμνης ἕλη τε καὶ πηλώδη: *incipiens verò Jordanes aperto decurſu ferri ab hoc antro* (Panio) *ſecat quidem Semechonitidis paludes & cœna.* Deinde de eadem palude Lib. IV. c. 1. ταύτης τριάκοντα μὲν εὖρος, ἑξήκοντα δὲ μῆκος στάδια: *huic triginta quidem latitudinis, ſexaginta verò longitudinis ſunt ſtadia.* Sunt qui מי מרום interpretentur *ſuperiores aquas*, ut opponantur inferioribus; quales lacus Geneſarethicus & Aſphaltites, qui infra *aquas Meromi* erant. Non intercedimus, ſed nomen proprium ſervare maluimus. Convenerunt autem Reges Septemtrionis Chananææ ad eum locum, quia Chatſor metropolis eorum tractuum, & regia Jabinis ſedes illic erat ſita, ut antea diximus.

6. *Hoc tempore*] כעת הזאת *chabeth bazzoth*, hoc eſt, circa hanc horam.

Poplites ſuccides] תעקר *thebakker.* Vide ad Gen. XLIX, 6.

8. *Ad Sidonem magnam*] Urbs erat jam eo tempore potens atque opulenta, ob commercia quæ per totum mare Mediterraneum exercebat. Vide quæ de ea collegit *Sam. Bochartus* Lib. IV. c. 35. *Phalegi.*

Ad aquas calentes] משרפות מים *miſrephoth majim*, incendia aquarum, quæ loqnutio vix alia de re intelligi poteſt, quàm de aquis calidis; quales Ammaunte fuerunt in Galilæa, non procul à Tiberiade, ut docet *Joſephus* de Bello Jud. Lib. IV. c. 2. Fateor non occurriſſe alibi mihi, quod quidem meminerim, mentionem ullam, apud Veteres, de aquis calidis, apud Sidonem. Sed quot alia ſunt, quæ ſemel tantùm in

nium illorum regnorum. 11. Deinde gladio ad internecionem ceciderunt omnem ani-
mam, quæ in ea fuit, ita ut nulla ſuperfuerit, Chatſorique ignem ſubjecerunt. 12. Om-
nes urbes Regum illorum, omnéſque earum Reges cepit Joſua, & ferro *incolas* ad in-
ternecionem delevit, quemadmodum juſſerat Moſes ſervus Jehovæ. 13. Urbes dum-
taxat omnes, in collibus ſitas, non combuſſit Iſraël, exceptâ Chatſore ſolâ, cui ignem
ſubjecit Joſua. 14. Prædam omnem urbium illarum & pecudes ſibi diripuerunt Iſraëli-
tæ; omnes tantùm modò homines gladio ceciderunt, donec eos deleviſſent, nec ani-
mam ullam reliquerunt. 15. Quemadmodum Jehova Moſi ſervo ſuo mandaverat, ſic
Moſes Joſuæ in mandatis dedit, & ſic Joſua fecit, neque quidquam eorum omnium
mutavit, quæ Jehova Moſem ſervum ſuum juſſerat.

16. Cepit ergo Joſua omnem hancce terram, montana, omnem meridianum tractum,
terram omnem Goſenitidem, planitiem & campeſtria, montana *denique* Iſraëlis & cam-
pos eis *ſubjectos*; 17. à monte glabro, quà Sehirem adſcenditur, uſque ad Bahal-Ga-
dum, in valle Libani, ſub monte Chermone. Omnes etiam eorum *tractuum* Reges
cepit & percuſſos occidit. 18. Diu Joſua bellum cum omnibus illis Regibus geſſit; 19. nec
urbs ulla fuit, quæ pacem habere voluerit cum Iſraëlitis, exceptis Chivvæis Gabaho-
nem incolentibus; omnes bello cepit. 20. Nam à Jehova profectum eſt, quòd animum
obfir-

in vetuſtis monumentis, quæ ad nos pervenerunt, memorantur? Quod etiam minùs mirum eſt, in hoc negotio; cùm Phœniciæ nullam prolixiorem atque accuratiorem paullò deſcriptionem, vel hiſtoriam habeamus. Eò etiam credibilius eſt fuiſſe thermas, vel aquas calidas in Sidonio agro, quòd ex eo bitumen effoderetur, per quod fluentes aquarum venæ calorem contrahere potuerunt. Bituminis Sidonii mentionem fecerunt *Dioſcorides* Lib. I. c. 99. & *Plinius* H. N. Lib. XXXV, c. 15. Hinc quoque, nempe, ex ignibus ſubterraneis ex bitumine accenſo, nati terræ motus, quibus obnoxia Sidon fuit, ut docet *Strabo* Lib. I. pag. 40. Ed. Genevenſis. Hinc pariter Siciliæ bituminoſum ſolum θερμῶν ὑδάτων ἐκβολὰς κατὰ πολλοὺς ἔχει τόπους, *aquarum calidarum multis locis ſcaturigines habet*, ut idem teſtatur *Strabo* Lib. VI. pag. 189. quod & aliis exemplis confirmare facilè poſſemus. Aquas haſce calidas vicinas fuiſſe Sidoni liquet etiam ex Cap. XIII, 6. Chaldæus quidem interpres vertit חרצי מיא, quod cur *ſalinas aquarum* interpretentur neſcio; nam nihil vetat verti *foſſas aquarum*, nam חרץ non *ſalem* ſed *foſſam* ſignificat, à radice quæ *ſecare* ſonat. *Vitrarias* officinas interpretatur *Andr. Maſius*, coactè.

Ad vallem Mitſphæ] Vide ad v. 3.

Donec nullus ſuperſtes] Ex iis qui in eorum manus inciderunt. Vide ad Cap. X, 33.

10. *Caput omnium illorum regnorum*] Quam potentiam, tempore Joſuæ amiſſam, poſtea recuperavit. Vide ad v. 1. & Jud. IV, 2.

13. *In collibus*] *In tumulo earum.* Fortè quod facilè teneri ab Iſraëlitis poſſent, contra Chananæos, quippe naturâ munitæ.

15. *Neque quidquam mutavit*] *Non removit verbum.*

16. *Montana* &c.] Vide C. X, 40. & ſeqq.

Montana Iſraëlis] Hoc eſt, quæ erant in reliquis Iſraëlis Tribubus, ut diſtinguantur à montanis Judæ, quæ ſimpliciter antea *montana* dixit. Vide C. X, 40. & in hoc Capite v. 21.

17. *A monte glabro*] מן ההר החלק *min hahar hehhalak.* LXX. Int. habent in Codd. Alexandrino & Romano ἀπὸ ὄρους χελκὲ, in aliis Ἀλὰκ, aut Ἀαλάκ. At *Hieronymus: & partem montis.* Sed temerè neglexit conſtructionem, quam conculcare ſolet, cùm loca ſunt obſcuriora; unde ſatis liquidum eſt Grammaticas Regulas Hebræorum homini fuiſſe ignotas. *Symmachus* verterat ὄρος λεῖον, *mons lævis*, vel *glaber*, quem ſequuti ſumus. Nam cùm ſit hæc verſio conſentanea ſtructuræ ſermonis, poteſt ita mons vocari qui arboribus caret, ſoliſque rupibus conſtat. Vide Gen. XXVII, 11. Nolim tamen adfirmare hunc montem *glabrum* vocatum, ut opponeretur τῷ שעיר *ſchebir*, quæ vox *hiſpidum*, *hirſutum* ſonat, quomodo vocabatur mons quidam Tribûs Judæ, de quo Cap. XV, 10. & ii qui fuerunt Idumæorum ſedes; cùm non conſtet quales fuerint illi montes. Hîc autem fines auſtrales victoriarum Joſuæ deſignantur, ut in ſequentibus verbis ſeptemtrionales.

Ad Babal-gadum] Urbs fuit ad ortum Jordanis, ſub Antilibano, ut liquet ex Cap. XIII, 5.

Et percuſſos occidit] *Et percuſſit & occidit.*

18. *Diu Joſua bellum*] *Multis diebus*; hoc eſt, circiter ſex annis. Quod ſic colligunt Chronologi. Cap. XIV, 7. Chalebus ait ſe quadraginta annos natum fuiſſe, cùm à Moſe exploratum Chananæam miſſus eſt; quod contigit anno ſecundo, ab egreſſu ex Ægypto, inchoato, ſeu cujus aliquot dumtaxat menſes præterlapſi erant. Idem autem Chalebus v. 10. bellis confectis, adfirmat ſe dumtaxat octoginta quinque annos natum, quorum proinde quadraginta quinque ab exploratione exacti erant. Cum ſæpe in Scriptura inchoati anni, pro integris, ſumantur; ex quadraginta quinque, ſunt ſubtrahendi tantùm triginta novem; quibus ſubtractis, remanebunt anni ſex, cum aliquot menſibus anni ſecundi, de quo diximus. Quòd ſi octogeſimus quintus nondum plenus fuerit, erant tantùm ſex anni. Ita cenſuit *Joſephus* Lib. V. c. 1. ἔτος ᾗ πέμπτον ἤδη παρεληλύθει, καὶ Χαναναίων οὐκ ἔτ' οὐδεὶς ὑπολέλειπτο: *jam exactus erat quintus annus, nec quiſquam Chananæorum amplius ſupererat.*

19. *Pacem habere voluerit*] השלימה *hiſchlimah.* Vel *pacem fecerit.* Nulla legatos de pace miſit, nec ulla quidquam pacati reſpondit, cùm ad deditionem invitaretur. Quod ſi pacem habere voluiſſent, lex erat ea de re à Moſe lata Deut. XX. ex qua conſervari eos oportuit, & fieri dumtaxat ſtipendiarios populi Hebræi.

 20. *Quò*

obſfirmarint, ut obviam *venirent* prælium *commiſſuri* cum Iſraële; quò omnes eos deleret, néve ulla eorum miſeratio eſſet, adeò ut eos perderet, quemadmodum Moſi in mandatis dederat Jehova.

21. Ivit etiam Joſua eodem tempore, exſcíditque Hanakæos è montano tractu, è Chebrone, è Debira, ex Hanabo, omnibúſque montanis Judæ & Iſraëlis, cum eorum urbibus, cóſque ad internecionem delevit. 22. Nulli ſuperfuerunt Hanakæi in agris Iſraëlitarum; Gazæ tantùm, Gathi & Aſdodi *nonnulli* remanſerunt. 23. Cepit Joſua omnem terram *Chananæam*, prorſus quemadmodum dixerat Jehova Moſi, eámque dedit Iſraëlitis in hereditatem, pro diviſionibus, ac Tribubus eorum Tum *demum* ea terra quievit à bello.

XI. Recenſentur Reges ab Iſraëlitis capti & occiſi, & ad ortum quidem Jordanis duo, ad occaſum verò unus & triginta.

CAPUT XII. 1. HI SUNT Reges, terræ *Chananææ*, quos occiderunt Iſraëlitæ & quorum agros poſſederunt trans Jordanem ad ortum ſolis, à torrente Arnone uſque ad montem Chermonem, & omnem orientalem planitiem; 2. Sichon Rex Emoræorum, qui habitabat Chesbone, & dominabatur ab Harohere, quæ eſt ad ripam torrentis Arnonis, iis quæ ſunt inter eum torrentem, ſeu in dimidia Galahaditide, úſque ad tor-

20. *Quò omnes eos deleret*] Nam armatos omnes ad internecionem deleri oportebat.

21. *Eodem tempore*] Poſt confectum bellum, cum aquilonaribus Chananææ incolis.

Hanakæos] Vide ad Numer. XIII, 23.

E montano tractu] Hoc eſt, eos qui inciderunt in manus ſuas occidit, ceteros fugavit, ſed qui paullò pòſt redierunt, ut docemur C. XV, 14. Bello quod narratur Cap. X. munitas urbes nondum ceperat Joſua, ſed hoc dumtaxat poſteriore. Vide Cap. X, 20. Qui hæc conferent facilè intelligent Hebræis Scriptoribus accuratam narrationem & proprietatem ſtyli curæ admodum non fuiſſe; ac proinde non eſſe, præter eorum mentem, nimiùm urgendas loquutiones, quibus utuntur.

E Chebrone, è Debira] De hiſce egimus ad Cap. X, 36, 38.

Hanabo] ענב *hanab.* Urbs fuit Tribûs Judæ, de qua Cap. XV, 50. Hanc fuiſſe teſtatur *Euſebius* φυλῆς Ἰούδα, καὶ ἔτι νῦν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως, *Tribûs Judæ, etiamnum hodie in finibus Eleutheropolis.* Eadem fuit ac *Anob*, de qua ſic idem *Euſebius*: πόλις ἣν ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς, καὶ ἔτι νῦν κώμη περὶ Διόσπολιν ὡς ἀπὸ σημείων τεσσάρων πρὸς ἀνατολὰς, ἣ καλεῖται Μετοαννάν. Lege Βεθοαννάβ. Sic verò *Hieronymus*: *Civitas, quam expugnavit Jeſus, & eſt uſque hodie villa juxta Dioſpolin, quaſi quarto milliario ad orientalem plagam, quæ vocatur Bethoannaba. Plerique autem affirmant, in octavo ab ea milliario ſitam & appellari Bethannabam.*

Judæ & Iſraëlis] *Ex omni monte Judæ, & ex omni monte Iſraël.* Hæc loquutio redolet Scriptorem, qui vixit poſtquàm diviſa fuit terra Chananæa in Judam & Iſraëlem, hoc eſt, temporibus primorum Regum. Vide dicta ad Cap. X, 13. *Montes Judæ* dicuntur, qui erant in meridianis Chananææ tractibus; *Iſraëlis* verò, qui in borealibus. Vide v. 16.

22. *In agris*] *In terra.*

Gazæ &c.] Urbes ſunt Philiſthæorum, quæ ab Iſraëlitis oppugnatæ non ſunt. Vide Cap. X, 41.

Gathi] Quæ patria fuit Goliathi, 1. Sam. XVII, 4. & aliorum immodicæ ſtaturæ virorum 1. Par. XX, 4. & ſeqq.

23. *Cepit Joſua omnem terram* &c.] Hæc ita intelligenda non ſunt, quaſi Joſua limitibus terræ promiſſæ Chananæos omnes & alios quoſvis ejus incolas ejeciſſet, aut è medio ſuſtuliſſet. Satis conſtat Phœnices mare versùs ad Septemtriones bello adpetitos non fuiſſe, uti nec Philiſthæos, quî ad idem mare meridianam plagam incolebant. Fuere & alii populi eo tempore minimè ſubacti, ut liquet ex primis Libri Judicum capitibus. Igitur hîc *omnis terra* eſt maxima ejus pars, non, ſine exceptione, univerſa, ut colligere eſt vel ex Cap. XIII. hujus libri.

Quievit à bello] Maxima ex parte, nam poſt mortem Joſuæ, nonnulla illic bella ab Iſraëlitis geſta, ut agros ſibi diviſos occuparent, legimus primis Judicum Capitibus.

In CAPUT XII.

1. *A Torrente Arnone* &c.] Vide Deut. III, 8. IV, 48.

2. *Iis quæ ſunt inter torrentem*] *Et medio ejus torrentis*; hoc eſt, qui dominabatur terris, inter hunc torrentem & Jabbokum interpoſitis. Vide Deut. III, 16. Hîc תוך הנחל *thoch hannahhal*, eſt terrarum ſpatium interpoſitum inter Arnonem, & alterum torrentem Jabbokum, ut liquet ex rationibus Geographicis. Conſtat enim Sichonem dominatum eſſe terris, inter duos hoſce torrentes ſitis. Vide Num. XXI, 21. & ſeqq. Deut. II, 36.

Seu in dimidia] *Et medietati Galahadi.* Sed perſpicuitatis causâ, vertimus *ſeu*, & *in* ſubjecimus. Galahaditis, nimirum, duas habuit partes, quarum altera, quæ ad Auſtrum vergebat, fuit regnum Sichonis; altera, quæ ad Septemtriones, regnum Hogi, ſeu Baſanitis. Liquet hoc ex v. 5.

3. *Chinnerotharum*] Aut *Chinnerethæ.* Vide Deut. III, 17. LXX. Intt. obſcurè & minùs accu-

torrentem Jabbokum, qui eſt Hammonitarum terminus, 3. & campeſtribus uſque ad ma-
re Chinnerotharum ad ortum, & uſque ad mare planitiei, mare, *inquam*, ſalſum,
orientem versùs, ad viam Beth-jeſimotharum, & à meridie ſub radicibus Phiſgæ.
4. *Occupati etiam ſunt ab Iſraëlitis* fines Hogi, Regis Baſanitidis è reliquiis Rephæorum,
qui habitabat Haſtarothis & Edrehi, 5. & dominabatur in monte Chermone, in Salcha
& in omni Baſanitide, uſque ad fines Geſuritarum, & Mahachathitarum; ſeu in dimidia
Galahaditide, ad fines Sichonis Regis Chesbonis. 6. Moſes ſervus Jehovæ & Iſraëli-
tæ eos conciderunt, Moſeſque ſervus Jehovæ eam dedit poſſeſſionem Rubenitis, Ga-
ditis, & dimidiæ tribui Manaſſæ.

7. Hi verò ſunt Reges terræ *Chananææ*, quos conciderunt Joſua & Iſraëlitæ, cis Jor-
danem ad occaſum, à Bahalgado in valle Libani, uſque ad montem glabrum, quà
adſcenditur Sehirem; quam poſſeſſionem Joſua dedit Tribubus Iſraëlis, pro earum divi-
ſionibus; 8. in montibus & in planitie, in campeſtribus & ad radices *montium*, in deſer-
to & in meridiano tractu; *ubi fuerant* Chitthæi, Emoræi, Chananæi, Pherizæi, Chivvæi
& Jebuſæi. 9. *Hi ergo ſunt Reges*, Rex Jerichuntis unus; Rex Haïi, quod juxta Bethe-
lem fuit, unus; 10. Rex Jeroſolimæ unus, Rex Chebronis unus; 11. Rex Jarmuthi unus,
Rex Lachiſi unus; 12. Rex Heglonis unus, Rex Gezeris unus; 13. Rex Debiræ unus,
Rex Gederis unus; 14. Rex Chormæ unus, Rex Haradi unus; 15. Rex Libnæ unus,
Rex Hadullami unus; 16. Rex Makkedæ unus, Rex Bethelis unus; 17. Rex Thapphua-
chi unus, Rex Chepheris unus; 18. Rex Aphekæ unus, Rex Saronis unus; 19. Rex Ma-
donis

curatè hunc locum verterunt in Cod. Vaticano: ἀπὸ Ἀρνῶν (in Alexandrino Codice meliùs Ἀροήρ) ὅ ἐστιν ἐν τῇ φάραγγι κατὰ μέρος τῆς φάραγγος, & Vulgatus: *ab Aroer quæ eſt ſita ſuper ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in valle.*

Mare planitiei &c.] Vide Diſſert. de Subverſione Sodomæ §. V.

Beth-jeſimotharum] Urbs fuit in auſtralibus Sichonis finibus. *Euſebius* hanc corruptè vocat Βηθασιμούθ, ejúſque ſitum ſic exponit: κεῖται τῆς Γομὰθ ἀντικρὺ Ἱεριχοῦς ἀπὸ μιλίων ι'. ὡς ἐπὶ νότον παρακειμένη τῇ νεκρᾷ θαλάσσῃ. Interpretatus eſt Hieronymus: *domus Iſimoth, contra Hiericho, decem ab ea millibus diſtans, in meridiana plaga, juxta mare mortuum.* Si rectè deſignatus eſt ſitus, non tantùm fuit Beth-jeſimoth ad orientem Jerichuntis, ſed magis vergebat ad meridiem, quàm Jericho.

4. *Occupati etiam ſunt ab Iſraëlitis*] Quæ ſequuntur pendent, unà cum antecedentibus, à verbo *poſſederunt* v. 1. quod cum ſit nimis remotum, ſupplendum hìc aliquid fuit.

E reliquiis Rephæorum] Vide ad Deut. III, 11.

Aſtharothis] *Euſebius*: πόλις ἀρχαία τοῦ Ὢγ, ἐν ᾗ κατῴκουν οἱ Γίγαντες, ἣ γέγονε φυλῆς Μανασσῆ. παράκειται δὲ ἐν τῇ Βατανaίᾳ Ἀδραὰ πόλεως τῆς Ἀραβίας ὡς ἀπὸ σημείων ἕξ, ἡ δὲ Ἀδραὰ τῆς Βόστρας διέστηκε σημείοις κε'. Interprete Hieronymo: *antiqua civitas Og Regis Baſan, in qua habitaverant Gigantes, quæ poſtea cecidit in ſortem Tribûs Manaſſæ regionis Batanææ & ſex millibus ab Adar urbe Arabiæ ſeparata eſt. Porrò Adar à Boſtra viginti quinque millibus diſtat.* Sed *Hieronymus* conjungit quæ ſeparata ſunt, nam poſt Βατανaίᾳ diſtinctio major addenda eſt, ita ut Ἀδραὰ ſit initium alteriùs paragraphi. *Aſtharoth Carnajim*, quæ eadem urbs eſt, dicitur ab eodem *Euſebio* novem milliaribus diſtare ab Adaris. Nomen autem huic urbi factum videtur à ſtatuis Aſtartes, quæ illic erant, in fano Deæ, & cornutæ erant, ut oſtendemus ad Jud. II, 13. unde dicebatur *Haſtharothæ cornuum*; non à montibus acutis utrimque poſitis, ut ſomniant Rabbini; qua de re vide *Joan. Buxtorfium* in Lexico Thalmudico.

Et Edrehi] Vide Deut. I, 4. Eſt eadem ac *Adraa*, vel *Adara*, de qua antea. Euſebius: Ἐδραεί, ἔνθα ἀνῃρέθη Ὢγ βασιλεὺς Βασὰν γίγας, καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες· καὶ νῦν ἐστιν Ἀδαρὰ πόλις ἐπίσημος τῆς Ἀραβίας διεστῶσα Βόστρας σημείοις κδ': *ubi interfectus eſt Og Rex Baſan Gigas, omniſque illius cæſus exercitus. Nunc autem eſt Adara inſignis civitas Arabiæ, in viceſimo quarto lapide à Boſtris.* Antea milliare unum ampliùs, ut vidimus, additur.

5. *Salcha*] Vide & Deut. III, 10. & 1. Par. V, 11.

Geſuritarum] *Geſuritæ & Mahachathitæ.* Vide Deut. III, 14. Non ſunt nomina regionum, ut habet *Hieronymus*, in locis Hebraïcis, ſed incolarum; nam aut regio, aut urbs vocatur גשור *geſchour*, de qua 2. Sam. III, 3. XIII, 37, 38. &c.

Mahachathitarum] Dicitur ea regio 1. Par. XIX, 6. *Aram-Mahacha.* *Euſebius* vult fuiſſe χώραν βασιλέως Γεσούρ, quod meritò parum credibile videtur *Jac. Bonfrerio.*

Seu in dimidia] *Et in dimidia*, ut v. 2.

7. *A Bahal-gado*] Vide ſupra C. XI, 17.

8. *Chitthæi* &c.] Omittuntur hìc Girgaſæi, ut & ſæpe alibi.

9. *Jerichuntis*] De his urbibus, ſuis locis egimus, aut poſthac agemus, ubi iterum occurrent, in diviſione terræ Chananææ.

18. *Saronis*] לשרון *laſſcharon.* Hìc ſunt omnia turbata, in verſione LXX. Intt. *Hieronymus* vertit *Saronis*, ac proinde ל habuit notam genitivi. Eum ſequuti ſumus, quia cùm *Saronis* ad occaſum Jordanis frequens ſit mentio, nulla verò *Laſſaronis*, maluimus notam urbem, quam ignotam ponere; quamvis ceteris nominibus urbium nullum ſit hìc præfixum ל. *Euſebius*: ἡ ἀπὸ τοῦ ὄρους Θαβὼρ ἐπὶ τὴν Τιβεριάδα λίμνην χώρα· καὶ ἄλλος ἐπὶ Σαρωνᾶς ἡ ἀπὸ Καισαρείας εἰς Ἰόππην χώρα. Interprete Hieronymo: *Uſque in præſentem diem regio inter montem Thabor & ſtagnum Tiberiadis Saronas appellatur. Sed & à Cæſarea Pa-*

donis unus, Rex Chatſoris unus; 20. Rex Simronis Meron unus; Rex Achſaphi unus; 21. Rex Thahanachæ unus, Rex Megiddonis unus; 22. Rex Kedeſi unus, Rex Joknehami ad Charmelum unus; 23. Rex Doræ, in tractibus Doræ, unus, Rex gentium ad Gilgalem unus; 24. Rex Thirtſæ unus. *Qui* omnes Reges ſunt unus & triginta.

XII. Sorte

Palæſtinæ, uſque ad oppidum Joppe, omnis terra quæ cernitur dicitur Saronas.

20. *Rex Simronis Meron*] מלך שמרון מראון *melech Simron meron.* Sunt qui velint duas poſtremas ſyllabas eſſe priorum repetitionem; nec ſanè quid ſibi velint intelligo. *Hieronymus* omiſit. Codices verò LXX. Intt. hic valde ſunt confuſi. Scio eſſe qui velint voci שמרון addi מראון diſtinctionis causâ, ut à שמרון quæ fuit in Ephraïmitica Tribu diſtinguatur; ſed prior quidem dicitur *Simron*, poſterior verò *Somron*, quæ & Samaria.

23. *Rex Doræ*] Vide ad Cap. XI, 2.

Rex gentium ad Gilgalem] *Hieronymus* hîc, ut nos hodie, legit גלגל *galgal*, aut *gilgal*; ſed LXX. Intt. in Codd. Romano & Alexandrino habent: βασιλέα γωὶ (pro גוים *gojim* legerunt גי *gei*) τῆς γαλιλαίας, quaſi hîc eſſet legendum גליל *glil.* In Aldino verò & Complutenſi legimus γωείμ τῦ Γιλγάλ, quæ reſpondent Hebraïcis, ſed emendationem redolent. Niſi fuerit ad Gilgalem Rex, qui diceretur *Rex Gentium*, quod alibi nuſquam legimus; videtur intelligendus Rex aliquis tractûs ſeptemtrionalis Chananææ, qualis memoratur Gen. XIV, 1. qui dicitur *Rex Gentium*, ad quem locum vide notata. Itaque aut legendum hîc eſt גליל *gelil*, aut dicendum גלגל *galgal* idem ſignificare, cùm ex eadem radice utraque vox derivetur.

24. *Unus & triginta*] Erant, nempe, Reges aut ſingulorum oppidorum, aut pauculorum finitimorum, agrique vicini. Ejuſmodi erant Reges Græcorum, Heroïcis temporibus, qui ſingulis urbibus, earúmque agris præerant, ut ex *Homero* liquet. Hinc *Ariſtoteles* Lib. I. Politicorum: Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη· ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον, πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου· ὥστε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν: *quapropter & initio à Regibus gubernabantur Urbes, & nunc etiam gentes; conveniebant enim qui regio imperio adſueti erant; in omni enim domo regnat, qui maximus natu eſt. Quare & coloniæ propter cognationem.* Sic & urbes Phœniciæ, antiquis temporibus, Reges ſuos ſingulæ habuerunt. Vide *H. Grotium* ad v. 1.

In Caput XIII.

1. **E**T *ætate provectus eſſet*] *Veniens in dies.*

Dixit ei Jehova] Per Elehazarem. Vide ad Cap. I, 1.

Ampliſſimi agri] *Terra multa valde.*

Superſunt invadendi] לרשתה *liriſchthah*, ad eam invadendam; nam præceſſit *terra.* Verbum ירש *jaraſch* non tantùm *poſſidere* ſed & *acquirere*, ſeu vi, ſeu aliâ ratione ſignificat. Vide Deut. II, 24, 31.

3. *A Sichore* &c.] LXX. hîc verterunt ἀπὸ τῆς ἀοικήτου τῆς κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου, ac reverâ tractus, qui eſt inter orientale oſtium Nili & Palæſtinam, deſertus eſt. Sed præſtitiſſet ἀπὸ τοῦ Σιώρ. *Vulgatus: à fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum.* Sed non eſt vertendum nomen proprium, nec paraphraſis adhibenda, ubi verba ſatis commoda & perſpicua ſunt. Diximus Nilum ſignificari ad Gen. XV, 18. & Num. XXXIV, 5. quod liquet ex locis Eſaïæ & Jeremiæ ad Gen. XV. laudatis, ubi ea dicunt de *Sichore*, quæ nonniſi de Nilo intelligi poſſunt. Atque hoc fuit proprium, apud Hebræos, nomen celeberrimi fluvii, non *Nilus*, aut נחיל *nehhil*; quod nomen eſt appellativum, & tantùm ἀντονομαστικῶς *Sichorem* ſonat. *Sichor* autem dictus eſt à radice שחר ſchachar, *niger fuit*, quia nigrum lutum devehit, unde *Virgilius* Georg. Lib. IV, 291.

Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ.

Plutarchus Lib. de Iſide & Oſiride pag. 364. Ἔτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ, Χημίαν καλοῦσιν. *Etiamnum hodie Ægyptum quæ habet omnium maximè nigrum ſolum, quemadmodum nigram oculi partem, Chemia vocant.* Devecto, nempe, *Sichoris* luto nigra fit. Nec nomen hoc fluvii Græcis planè ignotum fuit, cùm ſcribant dictum hunc fluvium ab Æthiopibus, ſupra Syenem, Σῖρις, quod poteſt litteris Hebraïcis ſcribi שחרי *ſchihhri*, hoc eſt, ſublatâ adſpiratione, *Siri*. *Dionyſius* Periegetes v. 222. de Nilo:

> Ὅς δή τοι Λιβύηθεν ἐπ' ἀντολίην πολὺς ἕρπων
> Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται· οἱ δὲ Συήνης
> Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Hoc eſt, interprete *Priſciano:*

> *Partibus à Libycis qui, currens ſolis ad ortus*
> *Siris ab Æthiopum populis cognomine fertur,*
> *Verſum cultores Nilum dixere Syenes.*

Plinius Lib. V. c. 9. *Sic quoque etiamnum Siris, ut ante, nominatus per aliquot millia.* Sunt qui à Græcis propterea μέλαν dictum volunt, ut *Valent. Schindlerus* in Lexico. Sed nullum Scriptorem laudant. Nec eſt, quod ſciam, antiquior ullus Scriptor Græcus, qui nominis ejus meminerit, auctore *de fluviis*, cujus exigui pretii libellus ſubjungitur operibus variis Plutarchi. Caput de Nilo ſic inchoat: Νεῖλος ποταμός ἐστι τῆς Αἰγύπτου, κατὰ πόλιν Ἀλεξάνδρειαν, ἐκαλεῖτο δὲ

XII. Sorte agri dividi jubentur novem Tribubus & dimidiæ, ad occaſum Jordanis, poſtquàm duæ Tribus & dimidia ad ortum agros dudum accepiſſent.

1. Cum verò Joſua conſenuiſſet, & ætate provectus eſſet, dixit ei Jehova: tu conſenuiſti & ætate provectus es, attamen ampliſſimi agri ſuperſunt invadendi. 2. Hæc terra ſupereſt, omnes fines Philiſthæorum & omnes Geſuritarum. 3. A Sichore, qui eſt ante Ægyptum, ad Hekronem, aquilonem versùs, *quidquid interjacet* Chananæorum cenſebitur; quinque *hæc obtinent* principes Philiſthæorum, Gazæus, Aſdodæus, Askalonita, Gitthæus, Hekronæus & Havvæi. 4. *Supereſt* & quidquid eſt agri Chananæi ad meridiem, & — Caput XIII.

δὲ πρότερον Μέλας ἀπὸ Μέλανος τοῦ Ποσειδῶνος: *Nilus fluvius Ægypti, juxta urbem Alexandriam, vocabatur autem antea Melas à Melane Neptuni filio.* At à Latinis, qui omnia antiquioribus Græcis debebant, conſtat *Melonem* olim dictum. *Feſtus* in *Alumento*: *Sic Melo pro Nilo.* Servius in Georg. IV, 291. *Nilus antea Latinè Melo dicebatur.* *Auſonius* Epiſt. IV. ad Theonem:

Aut adſit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum, cùm tibi
Cadmi nigellas filias,
MELONIS *albam filiam,*
Notaſque furvæ ſepiæ,
Cnidioſque nodos prodidit.

Ubi *Melonis alba filia* eſt charta. Vide *Voſſium* Inſt. Orat. Lib. IV. c. 11. §. 5. Adi & *Symmachum* Lib. I. Ep. VIII. & ad eum *Franc. Juretum.* Quare videntur Græci ab Ægyptiis reſciviſſe nomen *Nili* nigrum ſignificaſſe; idque alio argumento confirmatur, ex *Diodoro* Siculo Lib. I. Biblioth. p. 17. Ed. Hanovianæ, ubi ſe ab Ægyptiis accepiſſe ait, τὸ δὲ παλαιὸν ἀρχαιότατον μὲν ὄνομα σχεῖν Ὠκεάμην, ὅς ἐστιν Ἑλληνιστὶ Ὠκεανός, *hunc fluvium antiquiſſimum nomen habuiſſe Okeamen, quod eſt Græcè Oceanus.* Ex conjectura quidem, ob ſimilitudinem vocum, *Okeamen* & *Oceanum* idem eſſe temerè putavit. Sed vocabatur Nilus אכם *ochem*, aut אכמי *ochemi*, quod *nigrum* ſonabat, apud Ægyptios, ut apud Chaldæos; ut liquet vel ex nomine Ægypti *Chemia*, à *Plutarcho* antea allato, quod *nigrorem*, ut teſtatur, ſignificat.

Idem liquere poteſt ex tertia appellatione Nili, quæ & toti regioni impoſita eſt. Vocabatur, nimirum, tempore *Homeri*, Αἴγυπτος; quam vocem non deduci ἀπὸ τῆς Κόπτου exiſtimarim, ſed ſignificaſſe colorem fluvii & ſoli, ἀπὸ τοῦ αἰγυπιοῦ, ſeu *à vulture*; cujus avis ſpecies nobiliſſima nigra eſt. *Ælianus* Hiſt. Animalium Lib. II. c. 46. λέγουσι τοὺς Αἰγυπτίους, ἐν μεθορίῳ γυπῶν ὄντας καὶ αἰετῶν, εἶναί τε ἄρρενας, καὶ τὴν χρόαν πεφυκέναι μέλανας: *dicunt Ægypios, qui ſunt medii inter vultures & aquilas, eſſe cùm maſculos, tum coloris nigri.* Vide & alia teſtimonia, de eorum colore, apud *Sam. Bochartum*, Hieroz. Parte 2. Lib. II. c. 9. Ex colore harum avium exiſtimarim dictum colorem nigrum αἰγυπιὸν, atque αἴγυπτον Ægypti amnem, & terrarum tractum ei vicinum; cùm eo tempore terra Ægyptia, ut & fluvius, ſicut diximus, vocaretur nomine quo nigror ſignificabatur. Quæ nomina Græci Αἴγυπτον verterunt, hoc eſt *coloris vulturini.* Evanidum ejus rei videtur eſſe veſtigium in fabula, quam narrat *Diodorus* Siculus, loco antea memorato, ubi poſtquam loquutus eſt de exundatione Nili, ait διὰ τὴν ὀξύτητα καὶ τὴν βίαν τοῦ κατενεχθέντος ῥεύματος, τὸ μὲν πρῶτον ἀετὸν ὀνομασθῆναι, *propter celeritatem & vim decurrentis fluenti, fluvium aquilam dictum*, hoc eſt, nomine ducto ex ave quæ aquilarum generi affinis eſt, ſeu ἀπὸ τοῦ Αἰγυπτοῦ. Idem poſtea eum fluvium *Ægyptum* vult vocatum, à neſcio quo Rege, & *Nilum* ab alio, quæ ſunt Græcanica commenta. Hinc ſtatuæ Nili coloris nigri eſſe ſolebant, ut teſtatur in Arcadicis *Pauſanias* p. 493. Ποιοῦσι μὲν, πλὴν τοῦ Αἰγυπτίου Νείλου, ποταμοῖς τοῖς ἄλλοις λίθου λευκοῦ τὰ ἀγάλματα· τῷ Νείλῳ δὲ, ἅτε διὰ τῆς Αἰθιοπίας κατιόντι ἐς θάλασσαν, μέλανος λίθου τὰ ἀγάλματα ἐργάζεσθαι νομίζουσι: *fiunt quidem, excepto Ægyptio Nilo, ceterorum fluviorum ſimulacra ex albo lapide. Nilo verò, deſcendenti quippe per Æthiopiam in mare, lapide nigro ſigna fieri cenſent.* In cauſa adſignanda fallebantur, qui ita ſentiebant. Ejuſmodi fuit ſimulacrum inſigne Nili ex Biſalte lapide, de quo *Plinius* N. H. Lib. XXXVI, cap. 8.

Hinc ergo ſatis liquet *Sichorem* non eſſe Rhinocoruram, ut cenſebant LXX. Interpretes, ſed Nilum, & cur fluvius ille ita dictus ſit. Hoc videntur & ipſi LXX. Intt. aliquando ſenſiſſe cùm Jerem. II, 18. שיחר *ſchichor* verterint Γηὼν, hoc eſt, גיחון *gihhon*, quod multi putarunt, quamvis falsò, eſſe nomen Nili; qua de re, vide *Jobi Ludolfi* Hiſt. Æthiop. Lib. I. c. 8.

Ad Hekronem] Urbs hæc, quæ *Accaron* vocatur à LXX. Intt. fuit ultima Philiſthæorum, juxta Mare Mediterraneum, ad Septemtriones, Satrapia.

Quidquid interjacet Chananæorum cenſebitur] Hoc eſt, occupari jure à vobis poterit, haud aliter ac reliqua Chananæa; quamvis Philiſthæi non eſſent Chananæi. Vide ad Gen. X, 14.

Principes Philiſthæorum] סרני פלשתים *ſarne Phliſchthim.* Videntur Philiſthæi Rempublicam Ariſtocraticam habuiſſe, nam סרנים, *ſeranim*, præfecti ſunt, non Reges, ut liquet vel ex 1. Sam. XXIX, 6. *Hieronymus* minùs commodè hîc vertit Regulos, cùm alibi rectiùs *Satrapas* vertat, ut LXX. Intt.

Havvæi] Erant reliquiæ quædam Havvæorum, qui in agris, à Philiſthæis olim occupatis, etiamnum habitabant. Vide Deut. II, 23.

4. *Eſt & quidquid eſt agri Chananæi ad meridiem* &c.] *Ad auſtro omnis terra Chananæi.* Sequuti ſumus diſtinctionem Hebraïci Codicis, qui hæc à ſuperioribus divellit. At LXX. Intt. & Vulgatus hæc cum antecedenti voce Havvæorum conjungunt, habent enim illi: καὶ τοῦ Εὐαίου ἐκ Θαιμὰν καὶ πάσῃ γῇ Χαναὰν ἐναντίον Γάζης; hic verò: *Ad meridiem verò ſunt Evæi.*

& ſpelunca quæ Sidoniorum eſt, uſque ad Aphekam, ad fines Emoræi. 5. *Supereſt* terra Giblitarum, totus Libanus ad orientem ſolem, à Bahal-gado, ſub monte Chermone, donec Chamatham venias. 6. *Superſunt* omnes incolæ montani tractûs à Libano ad aquas calentes, & omnes Sidonii, quos ego è conſpectu Iſraëlitarum expellam. Fac tantùm ut ſorte obveniant Iſraëli in hereditatem, quemadmodum te juſſi. 7. Jam ergo divide hanc terram in hereditatem novem Tribubus, & dimidiæ Tribui Manaſſæ.

8. Cum hac Rubenitæ & Gaditæ acceperunt hereditatem ſuam, quâ eos donavit Moſes trans Jordanem, ad orientem, qualem eam illis dedit Moſes ſervus Jehovæ; 9. ab Harohere, quæ eſt ad ripam torrentis Arnonis, urbes quæ ſunt inter hunc torrentem, & omnem planitiem Medebæ, uſque ad Dibonem; 10. ſeu omnes urbes Sichonis Regis Emoræorum, qui Chesbone regnavit, uſque ad fines Hammonitarum; 11. & Galahaditidem ac fines Geſuritarum & Mahachathitarum, omnem montem Chermonem, & univerſam Baſanitidem uſque ad Salcham; 12. *hoc eſt*, totum Regnum Hogi, in Baſanitide, qui regnaverat Haſtharothis & Edrehi. Is ſupererat ex reliquiis Re-

Spelunca quæ Sidoniorum eſt] LXX. Intt. pro voce ומערה oumahara, *ſpelunca*, legerunt מעזה *mehaza* habent enim ἀπὸ Γάζης, minùs bene. Crediderunt fortè ita legendum, quòd ſuperioribus verbis Scriptor Sacer agat de finibus meridianis Chananææ, unde tam ſubitò ad ſeptemtrionales ſe conferre poſſe non videbatur. Sed tamen ita loqui eum liquet, ex mentione *Sidonis* & *Apheka*, éque ſequenti commate; & oratione conjungi aliquando remotas urbes & gentes oſtendit v. 2. ubi Philiſthæi cum Geſuræis junctim memorantur, quamvis diagonalis lineæ extrema obtinerent. *Hieronymus* verò, quaſi proprium nomen eſſet, vertit *Maara Sidoniorum*. Crediderim ego intelligi montanum tractum Galilææ ſuperioris, in qua frequentes erant ſpeluncæ, in quas ſeſe abdebant latrones, aut etiam alii, tempore belli. Earum non ſemel meminit *Joſephus*, ut oſtendimus ad Habdiæ v. 3. quem Prophetam cum accuratiore & auctiore commentario edemus, ſi quando eò devenerimus.

Uſque ad Aphekam.] Urbs eſt Tribûs Aſeris, non longè à Sidoniorum agris remota. Vide infrà Cap. XIX, 30.

Ad fines Emoræi] Oportet Emoræos aliquot haud procul Apheka ſedes habuiſſe, quandoquidem conjunguntur cum Apheka, Sidoniorúmque ditione. Alioqui plerique Emoræi fuerunt ad ortum Jordanis, in regno Sichonis, de quibus Num. C. XXI.

5. *Eſt terra Giblitarum*] הגבלי haggibli, *Giblitæ*. Sunt incolæ urbis גבל *gebal*, de quibus 1. Reg. V, 18. unde Tyriorum regi paruiſſe eos liquet. Vide & Ezech. XXVII, 9. LXX. Intt. loco Ezechielis habent *Biblios*, aut *Byblios*. Ac ſanè notiſſima eſt urbs Phœniciæ *Byblos*, quam duplicem commemorat *Strabo*, & unam quidem quam ſimpliciter Βύβλον vocat, ſitam inter Dei Faciem & Sidonem; alteram ad meridiem Adonidis fluvii, quam vocat παλαιὰν Βύβλον. *Plinus* quoque Lib. V. c. 20. utriuſque meminit, videtúrque etiam *Palæbiblon* ad meridiem Adonidis collocare, juxta mare. At *Ptolomæus* ad ortum Tyri ponit *Gabalam*, quam etiam commemorat *Stephanus*. Itaque hanc potiùs eſſe crediderim, niſi hanc ipſam *velis* eſſe *veterem Byblum*. Sed *Strabo* de altera Byblo nonnulla habet, quæ antiquiori dumtaxat convenire videntur; quod, nempe, fuerit Cinyræ regia. Facilè tamen potuit in urbibus cognominibus, & vicinis falli.

Totus Libanus &c.] Subjecta Antilibano ad ortum Jordanis.

Sub monte Chermone] Vide Cap. XI, 17. & Deut. III, 9. Quamvis hi tractus conceſſi eſſent dimidiæ Tribui Manaſſæ, eorum tamen poſſeſſionem armis continuò ſibi non adſeruit. Vide Jud. III, 2.

Chamatham] Vide ad Geneſ. X, 17.

6. *Montani tractûs à Libano*] Qui ad Libani radices habitabant, ad occaſum Jordanis.

Ad aquas calentes] Vide ad Cap. XI, 8.

Quos ego è conſpectu Iſraëlitarum expellam] Si modò, auxilio meo freti, invadant Iſraëlitæ Sidoniorum agros. Quod tamen factum numquam eſt. Stetit enim Sidon, ſuique juris fuit, ad Regni Iſraëlitici tempora; quibus tamen Sidone potentior fuiſſe videtur Tyrus. Culpa hæc fuit Iſraëlitarum, non Dei; cujus promiſſum pendebat ex promiſſione, quam Iſraelitæ non impleverunt.

Fac ut ſorte obveniat] *Fac cadere.* Quia ſortes in vaſe agitatæ cadebant.

9. *Urbes quæ ſunt inter hunc torrentem*] *Et urbem quæ in medio torrentis & omnis planitiei*; hoc eſt, urbes quæ ſunt in tractibus ſitis inter torrentem & planitiem Medebæ, ad Dibonem uſque. Itaque בתוך הנחל eſt perinde ac ſi diceret, in ſpatio interjecto inter torrentem & planitiem, quæ ſequitur. Vide not. ad Cap. XII, 2. & Deut. II, 36. Omnia perturbarunt & obſcurarunt, qui aliter verterunt, hoc eſt, plerique omnes Interpretes. LXX. habent: καὶ τὴν πόλιν τὴν ἐν μέσῳ τῆς φάραγγος, καὶ πᾶσαν τὴν Μισὼρ ἀπὸ Μαιδαβάν. Sed quænam hæc *urbs* eſt, ſine nomine? Quænam iridem *vallis*, cujus nullum quoque nomen profertur? Præterea cùm Scriptor Sacer memoraverit נחל ארנון *nahhal arnon*, in proximè antecedentibus verbis, quæ vertuntur à LXX. Intt. χειμάῤῥου Ἀρνῶν; in ſequentibus, ubi mentio fit τοῦ הנחל *hannahhal*, ratio poſtulat ut idem torrens intelligatur. Nihil dicam de ſequentibus verbis, perperam intellectis & verſis. Vulgatus habet: *& in vallis medio, univerſáque campeſtria Medaba.* Ubi omiſſa ab eo ſunt verba והעיר אשר *& urbem quæ*, quia ea non intelligebat. At hîc והעיר hahir, *urbs* ſumitur pro עירים *urbes*, & בתוך *bthoch* eſt *inter*. Alias verſiones non expendam, cùm quia longiore opus eſſet digreſſione, tum quia partim ſaltem cum memoratis conſentiunt.

11. *Et Galahaditidem*] Quamvis Galahaditis utrum-

Rephæorum. Concîdit & expulit Moſes eos *populos*. [13.] Sed non expulerunt Iſraë-
litæ Geſuræos, & Mahachathitas, habitaruntque Geſuræi & Mahachatitæ inter
Iſraëlitas, ad hunc uſque diem. [14.] Tribui tantùm Levis non dedit hereditatem, obla-
tiones enim igne abſumendæ Jehovæ Dei Iſraëlis, ſunt ejus hereditas, quemadmodum
ei dixit.
[15.] Donavit Moſes tribum Rubenitarum, pro familiis ſuis, [16.] fueruntque eorum
fines ab Harohere, quæ eſt ad ripam torrentis Arnonis, *complexique ſunt* urbes quæ ſunt
inter eum torrentem & univerſam planitiem, quæ eſt ad Medebam, [17.] Chesbonem &
omnes ejus urbes in planitie ſitas, Dibonem, Bamothas-Bahalis, & Beth-Bahalis-Me-
honem; [18.] Jahtſam, Kedemothas, & Mephahatham; [19.] Kirjathajimos, Sibmam &
Tſereth-ſacharem in monte vallis; [20.] Beth-phehorem, dejectus Phiſgæ, & Beth-jeſimo-
thas; [21.] omnes denique urbes planitiei, quæ omnes fuerant regni Sichonis Regis Emo-
ræorum, qui regnavit Chesbone, & quem concîdit Moſes, ut & omnes principes Ma-
dianis, Evim, Rekemum, Tſurem, Churem, & Rebahum, præfectos Sichonis, in-
colas ejus tractûs. [22.] Balahamum etiam filium Behoris ariolum gladio occiderunt Iſraë-
litæ,

utrumque regnum & Sichonis & Hogi, complectatur, ut diximus ad Cap. XII, 2. attamen hîc ſumitur pro ſeptemtrionali ejus parte, quæ & reliquæ nomen fecit. Vide Gen. XXXI, 27.

Mahachathitarum] Vide Cap. XII, 5.

[14.] *Oblationes enim Jehovæ*] אשי יהוה *iſche Jehova*, hoc eſt, ἔμπυρα τοῦ θεοῦ. Sunt propriè quæ igne abſumuntur, ſaltem partim. Vide not. ad Exod. XXIX, 18. Hîc ſumitur pro quibuſvis oblationibus, quæ in uſum Sacerdotum cedebant, poſtquàm pars earum eſſet in altari combuſta. Vide not. ad Num. XVIII, 20. ubi de omnibus Sacerdotum fructibus egimus.

[16.] *Complexique ſunt urbes*] *Et urbem, quæ in medio torrentis & omnis planitiei.* Vide ad v. 9.

Medebam &c.] Urbes ſunt regni Sichonis, inter Arnonem & Jabbokum torrentes, quarum omnium ſitus non uſque adeò notus eſt, ut certò poſſit indicari.

[17.] *Dibonem*] Aut duplicem oportuit eſſe Dibonem, aut hæc urbs fuit ambigui juris & communis Rubenitis & Gaditis, nam à Gaditis fuit inſtaurata, ut liquet ex Num. XXXII, 34. aut aliquid poſtea mutatum in diviſione harum Tribuum, quod Scriptura non memorat. Sanè multa contigerunt, in breviario hocce populi Hebræi Hiſtoriarum omiſſa. Sed nihil commodius dici poſſe videtur, quàm urbes, à duarum finitimarum Tribuum Iſraëlitis ſæpe cultas & habitatas, cùm eſſent eæ urbes in ipſis utriuſque Tribûs finibus; ita ut earum quidem agri inter duas Tribus diviſi fuerint, ſed agrorum domini, in vicina urbe, ſimul habitarint. Quod de Jeroſolima omnino conſtat. Vide ad Cap. XV, 63.

Bamothas Bahalis] Fortaſſe eſt eadem, quæ vocatur Bamoth ſimpliciter Num. XXI, 19. Nominis ſignificatio oſtendit fuiſſe ſitam in loco edito, ubi ſacra Bahali fiebant, cujus loci mentio fit Num. XXII, 41. ubi dicitur Balakus Balahamum duxiſſe in excelſa Bahalis במות בעל *bamoth-bahal*, ut illinc caſtra Iſraëlitarum proſpiceret. Itaque errarunt viri docti, qui loci hujus nuſquam mentionem fieri dixerunt, ſi hæc Joſuæ verba excipias.

Beth-bahalis-mehon] Hæc urbs Rubenitarum ſimplicitur בעל מעון *bahal-mehon* Num. XXXII, 38. & alibi. Vox בית beth, *domus*, hîc adjecta oſtendit illic fanum Bahalis fuiſſe.

[18.] *Jahtſam*] Ad hanc urbem victus eſt Sichon Emoræorum Rex à Moſe. Vide Num. XXI, 23. Deut. II, 32.

Kedemothas & Maphahatam] Urbes Leviticas, infra XXI, 36. & 1. Par. VI, 39.

[19.] *Kirjathajimos, Sibmam*] Tribui Rubeniticæ adſcribuntur etiam hæ urbes Num. XXXII, 37, 38.

Tſereth-Sacharem] צרת השחר *tſereth haſſchahar*. Nulla alibi ejus mentio occurrit. Habent LXX. Intt. Σιγωρὰ, Vulgatus, *Serathaſar*, ſi modò hæ voces non ſunt corruptæ.

In monte vallis] בהר העמק *behar hahemek*. Si hæc ſit vera lectio, aut vera Hebraïcorum verborum interpretatio, quæ ſanè conſtanter ubique ſic vertuntur; mons eſt intelligendus ab aliis ſejunctus & ex media quapiam valle adſurgens. Alioqui nullus eſt mons, cui non ſit ſubjecta vallis. LXX. Intt. habent hîc ἐν τῷ ὄρει Ἐνὰκ in Vaticano Codice, aut, ut veriùs eſt in Alexandrino, Ἐμὰκ.

[20.] *Beth-phehorem*] Urbs fuit, in qua Templum fuit Bahalis Phehoris, de quo Numer. XXV, 3.

Dejectus Phiſgæ] אשדות הפסגה *aſchdoth happhiſgah*. Oſtendimus *aſchdoth* eſſe *declivitates*, ſeu *dejectus* ad Num. XXI, 15. & Deut. VII, 17.

Bethjeſimothas.] Vide ad C. XII, 3.

[21.] *Quæ omnes fuerant*] וכל ממלכות *vechol mamlechouth*, quod tamen non poteſt verti, *& totum regnum*, cùm Gaditæ dimidiam alteram partem Regni Sichonis poſſederint; ut ex ſequentibus manifeſtò liquet, & præſertim ex v. 27. Itaque aut eſt vertendum, ut fecimus, poſt *Maſium*, aut mendoſi quidpiam hîc erit, quamvis & LXX. Intt. & Vulgatus, haud aliter legerint ac Hebræus noſter codex. Maluimus וכל *vechol* intelligere eodem modo ac ſi dixiſſet Sacer Hiſtoricus, וכל אלה ערי מלכות, *& omnes hæ urbes regni.*

Ut & omnes principes Madianis] Non eodem tempore, ſed aliquantò pòſt. Vide Num. XXI, & XXXI.

Præfectos Sichonis] Hinc intelligere licet principes illos Madianitarum ſummo, ſeu Regio jure non præfuiſſe Madianitidi, ſed quaſi præfectos Sichonis, eo vivo; at poſt mortem ejus, cùm Iſraëlitæ regnum ejus invaſiſſent, regium nomen ſibi ſumſiſſe videntur, ut colligere licet ex Num. XXXI, &c. ubi vide notata.

[22.] *Balahamum etiam* &c.] Vide Num. XXXI, 8.

23. *Ab*

litæ, *ceteriſque* confoſſis *addiderunt*. [23] Finis Rubenitarum *fuit ab occaſu* Jordanes, & *aliunde* fines *memorati*. Hæc fuit hereditas Rubenitarum, pro eorum familiis, urbéſque & earum pagi.

[24] Donavit etiam Moſes tribum Gadis, *ſeu* Gaditas, pro familiis ſuis. [25] Eorum fines fuerunt Jahazer, omnes urbes Galahaditidis & dimidia pas agrorum Hammonitarum, uſque ad Haroërem, Rabbam verſùs. [26] *Porrigebantur* Chesbone Ramam-mitſphæ, & Betonimos, & à Machanajimis uſque ad fines Debiris. [27] In valle verò *erant eorum* Beth-haram, Beth-nimra, Succhothæ, Tſaphon, & reliquum regnum Sichonis Regis Chesbonis, *ad* Jordanem; finéſque *eorum erant* ad extremum mare Chinnerethæ, trans Jordanem ad ortum. [28] Hæc fuit hereditas Gaditarum, pro eorum familiis, urbéſque ac earum vici.

[29] Donavit etiam Moſes dimidiam tribum Manaſſæ, *eo* quod fuit Manaſſitarum, ſecundùm eorum familias. [30] Fines eorum *fuerunt* à Machanajimis *complexique ſunt* totam Baſanitidem, *ſeu* omne regnum Hogi Baſanitidis Regis, & omnes villas Jaïris, quæ in Baſanitide, urbes *omnino* ſexaginta; [31] dimidium Galahaditidis, & Haſtharothas & Hedrehin urbes Regni Hogi, in Baſanitide; *quæ fuerunt* filiorum Machiris, filii Manaſſæ; *hoc eſt*, dimidiæ partis filiorum Machiris, pro eorum familiis.

[32] Hæc ſunt quæ hereditario jure poſſidenda dedit Moſes, in campeſtribus Moabitidis, *cùm eſſet* trans Jordanem, *è regione* Jerichuntis, ad ortum. [33] Tribui verò Le-

[23] *Ab occaſu, Jordanes & aliunde fines memorati*] Eſt tantùm in Hebraïco textu; *Fuit terminus filiorum Ruben Jordanes & terminus.* Videntur hæc eſſe mendoſa, quamvis ita legerint etiam LXX. & Vulgatus Interpretes. Sed menda fuerunt in libris quibuſvis, ex quibus ſunt per librarios in plura exemplaria propagata. Nec dubito quin multæ difficultates evaneſcerent, ſi emendatiores Codices haberemus. Vide Cap. XV, 47.

[25] *Jahazer*] Vide Num. XXI, 32.

Omnes urbes &c.] Non totius Galahaditidis ſed illius ejus tractûs, qui ab Harohere extendebatur ad Rabbam. Cetera enim oppida Galahaditidis, ad meridiem, acceperunt Rubenitæ, quorum fines antea deſcripſit Hiſtoricus Sacer.

Dimidia pars agrorum Hammonitarum] Hoc eſt, quam Sichon dudum Hammonitis eripuerat; nam Iſraëlitæ ipſi vetiti ſunt bellum Hammonitis inferre, ac eorum agros invadere, Deut. II, 19. Vide hac de re litem, quæ interceſſit Jephthæ cum Hammonitarum Rege Jud. c. XI, 13. & ſeqq.

Verſùs Rabbam] אשר על פני רבה *aſcher hal phne rabbah*, quod intelligimus non de Harohere, ſed de *agris* ſeu *terra* Hammonitarum, quæ è regione Rabbæ erat; neque enim neceſſe eſt אשר referri ad Haroherem, cùm poſſimus ad vocem paullò remotiorem, ex conſuetudine Scriptorum Sacrorum, æquè commodè referre. De hac *Euſebius* in locis Hebraïcis: Ῥαββᾶ (malè ſcribitur ῥαμμᾶ) πόλις βασιλείας Ἀμμὰν, αὕτη ἡ Φιλαδέλφεια. μέμνηται αὐτῆς ὁ Ἱερεμίας: *Rabba civitas regni Hammon, nunc Philadelphia, cujus meminit Hieremias.* Vide & eumdem in *Amman*. Neſcio quare viri docti hîc velint Rabbam Moabitidem intelligi; cùm debeat hîc neceſſariò urbs Ammonitis ſpectari, ad quam fuere fines Gaditarum, ut Rubenitarum pertinuere ad Moabitidem. Cepit hanc urbem David, ut narrat Sacra Hiſtoria 2. Sam. XII, 26.

[26] *Chesbone*] Quæ videtur poſtea fuiſſe ambigui juris, quippe quæ nunc Rubenitis adſcribitur, nunc Gaditis, ut infrà C. XXI, 37. & 1. Par. VI, v. ult.

Ramam mitſphæ.] Eadem videtur eſſe quæ alibi *Ramothæ Galahaditidis* dicitur, fuitque ad fines ſeptemtrionales tribûs Gadis. Vocatur hîc *Rama-mitſphæ*, à tractu in quo erat, qui *Mitſpha*, ac *Miſſpha Galahaditidis* dicitur Jud. XI, 29, 34.

Betonimos] Betonim fuiſſe videtur ad eoſdem fines ſeptemtrionales Gaditarum.

Machanajimis] Satis quidem liquet Machanajim fuiſſe etiam ad Septemtrionem hujuſce Tribûs ex Gen. XXXII, 2. nec procul à torrente Jabboko, qui ejus agros ad eam cœli plagam partim claudebat, atque etiam ad ſeptemtrionalem torrentis ripam. Confer eum locum cum v. 22. ejuſdem Capitis. At non facile eſt dictu, ubi *Debir* hîc ſita fuerit. Fortaſſe ad occaſum fuit, ſeu Jordani propior, Succhothas verſùs.

[27] *Beth-haram*] De hac *Hieronymus*, in locis: *Civitas tribûs Gad, juxta Jordanem, quæ à Syris dicitur Beth-ramtha & ab Herode in honorem Auguſti Libias agnominata eſt.* Sic, nempe, in honorem Auguſtæ, ſeu Liviæ dicta eſt, ſi credimus *Hieronymo*. Sed *Joſephus* Antiq. Lib. XVIII. c. 3. *Juliadem* vocatam dicit, eámque in ditione Herodis, hoc eſt, in Galilæa collocare etiam videtur. At omnes norunt Liviam paſſim à Græcis *Juliam* dictam; quo nomine in multis nummis, etiamnum hodie reliquis, appellatur. Vide *Joan. Foi-valentii* Coloniarum Nummos. Ἡρώδης Σέπφωριν τειχίσας πρόσχημα τοῦ Γαλιλαίου παντὸς ἦγεν αὐτὴν αὐτοκρατορίδα. Βηθαραμφθᾶ δὲ, πόλις ἦν ἐκ αὐτὴ, τείχει περιλαβὼν Ἰουλιάδα ἀπὸ τοῦ αὐτοκράτορος τῆς γυναικός: *Herodes cinctâ mœnibus Sepphori, ut eſſet totius Galilææ propugnaculum, eam habuit quaſi regiam urbem. Betharamphtham verò, quæ etiam urbs ſuit, mœnibus cùm cinxiſſet, Juliadem ab uxore Imperatoris vocavit.* Libro verò III. de B. J. c. 35. ubi deſcribit decurſum Jordanis, poſtquàm dixit eum delabi per Semechonitidem paludem: Διαμείψας δὲ ἑτέρους ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους, μετὰ πόλιν Ἰουλιάδα διακόπτει τὴν Γεννησὰρ μέσην: *cùm percucurrit altera viginti & centum ſtadia, poſt urbem Juliadem, ſecat Genneſaritidem mediam.* Qui ſitus nequaquam conſentit cum ſitu Beth-

Levis nullam dedit Moſes hereditatem; Jehova Deus Iſraëlis ipſe eſt, quemadmodum dixit, eorum hereditas.

XIII. Agunt proceres Hebræi de dividendis agris cis Jordanem, & Chalebum quidem ante omnia Chebrone, quam ei Moſes promiſerat, donant.

1· HÆc autem ſunt, quæ in hereditatem acceperunt Iſraëlitæ, in terra Chananæa; CAPUT
& quæ attribuerunt eis hereditario jure poſſidenda Elehazar Sacerdos, Joſua Nu- XIV.
nis filius, & principes patriarum *familiarum* Tribuum Iſraëlitarum.
2· Sorte hereditates *ſunt iis diviſæ*, quemadmodum juſſerat Jehova per Moſem; novem, nimirum, Tribubus & dimidiæ.
3· Tribuerat enim Moſes hereditatem duabus Tribubus & dimidiæ Tribui trans Jordanem; nec Levitas *tamen* ullâ hereditate inter eos donaverat.
4· Fuerunt enim duæ Tribus filiorum Joſephi, Manaſſæ & Ephraïmi; nec data eſt pars Levitis in terra *Chananæa*, ſed tantùm urbes habitandæ, cum eorum ſuburbiis, pecori eorum & poſſeſſionibus.
5· Ut Deus Moſem juſſerat: ſic fecerunt Iſraëlitæ, & terram quidem diviſerunt.
6· Sed poſteri Judæ convenerunt Joſuam Gilgale, cui Chalebus, Jephunnæ filius, Ke-

Beth-barami, nam hoc oppidum debuit eſſe ad meridiem Geneſaretici lacûs. Julias verò, quam hîc deſcribit *Joſephus*, ad ſeptemtriones. Itaque aliam urbem fuiſſe oportet.

Num. XXXII, 36. inter urbes Gaditarum memorantur *Beth-nimra* & *Beth-baran*, בית-הרן, quæ hic בית-הרם, quarum utra melior ſcriptura, quis dixerit?

Succbothæ] Vide ad Gen. XXXIII, 17.

Tſaphon] צפן. Numerorum XXXII, 35. mentio fit urbis Gaditicæ, quæ vocatur *Hatroth-ſophan*, שופן, quæ an eadem urbs ſit neſcio.

Reliquum regnum] Quod non occuparant Rubenitæ, ſeu boreales ejus tractus, qui Gaditis diviſi.

Extremum mare Chinnerethæ] Extremitas, nimirum, meridiana.

30· *Omnes villas Jairis*] Vide Num. XXXII, 41. & Deut. III, 14.

Urbes omnino ſexaginta] Vide Deut. III, 4.

31· *Dimidium Galabaditidis*] Altera dimidia pars fuit ad auſtrum Jabboki torrentis, ut antea diximus.

Haſtharotas & Edrebin] Vide ad Cap. XII, 4.

Dimidiæ partis filiorum Machiris] Qui unicus Manaſſæ fuit filius. Vide Num. XXVI, 29. & ſeqq.

32· *In campeſtribus Moabitidis*] Vide ad Num. XXII, 1.

33· *Quemadmodum dixit*] Num. XVIII, 20.

In CAPUT XIV.

1· P*Rincipes patriarum familiarum*] *Capita patrum* ראשי אבות. Subauditur בית *domûs*, quod ſæpe exprimitur, in hac loquutione, *capita domûs patrum*. LXX. Intt. ἄρχοντες πατριῶν φυλῶν.

2· *Per Moſem*] Quædam Editiones Venetæ, Editio Rob. Stephani & aliæ addunt poſt hanc vocem לתת *latheth*, *dari*; quod tamen non agnoſcunt antiqui Interpretes.

3· *Nec Levitis*] Quibus tamen excluſis, erant duodecim Tribus, quia poſteri Joſephi geminam Tribum confecerant.

Ullâ hereditate] Hoc eſt, agris quos tota Levitica Tribus ſeorſim ab aliis, ut ceteræ, habitaret, & latifundiis quæ coleret. Urbibus tantùm poſtea donati ſunt Levitæ, cum exiguo modo agri ſuburbani. Vide Num. XXXV, 2. & ſeqq.

5· *Terram diviſerunt*] Quæ ab initio Capitis hactenus habentur videntur eſſe veluti præfatio, non eorum tantùm, quæ proximè ſequuntur, ſed & ceterorum omnium, in quibus poſtea agitur de diviſione Chananææ. Ceterùm quod *terram diviſiſſe* hic dicuntur Iſraëlitarum proceres, ſignificat tantùm, eos cœpiſſe agere de diviſione Chananææ, & quoſdam ejus tractus reverâ diviſiſſe; nam diviſos agros tantùm Judæ & Joſephi poſteris fuiſſe Gilgale, liquet ex initio Cap. XVIII. Ut ſortes tamen ſingularum Tribuum jacerentur; ante omnia oportuit Chananæam deſcriptam fuiſſe in duodecim partes, quarum ſingulæ ſingulis Tribubus obtingerent; deinceps in urnam conjecta ſunt nomina Tribuum, ita ut Tribus, cujus nomen primum è concuſſa urna egrederetur, eligeret ſibi partem Chananææ, quam vellet. Res videtur hoc modo, initio ſaltem, facta, ob hiſtoriam quæ ſequitur in hoc Capite. Nam Chalebus contendit ſibi debita fuiſſe prædia circa Chebronem; quæ conſequutus non eſſet, niſi ejus Tribui obtigiſſet ea Chananææ pars, in qua erat Chebron, cùm non miſcerentur variarum Tribui prædia, niſi aliquando in finibus.

6· *Sed poſteri Judæ convenerunt*] Si hoc factum ſit ante ſortitionem, volebant Judæ poſteri optionem ſibi dari eligendi, quamcumque partem vellent totius Chananææ, ut poſſent agros Chalebo dare, ubi eos promiſerat Moſes; ſi poſt ſortitionem & electionem, eſt in narratione ὕστερον πρότερον. Sed priùs malim.

Chalebus Jephunnæ filius] Ex hac quidem hiſtoria liquet Chalebum, Jephunnæ filium, è Judæ poſteris fuiſſe; ſed quiſnam ejus avus fuerit ex nullo Scripturæ loco colligere licet, nam Chalebus ille Chetſronis filius, de quo 1. Par. II, 18. non poteſt idem eſſe, de quo agitur hoc in loco, quippe multò natu grandior.

Kenizæus; noſti, inquit, id quod dixit Jehova Moſi, viro Dei de me & de te Kadesbarnehæ. 7. Natus eram quadraginta annos, cùm Moſes, ſervus Jehovæ, me miſit Kadesbarnehâ, ad hancce terram explorandam. Rem illi, ex animi mei ſententia, retuli; 8. ſed fratres mei, qui mecum venerant, animum hujus populi labefactarunt; ego verò conſtanter Jehovam Deum meum ſequutus ſum. 9. Illo die, juravit Moſes, his verbis: *ne vivam*, niſi tractus, quem calcavit pes tuus, tibi cedat in hereditatem, poſteriſque tuis in perpetuum, quia conſtanter Jehovam Deum meum ſequutus es. 10. Ecce verò incolumem ſervavit me Jehova, ſicut dixerat, per hoſce quadraginta quinque annos, ex quo hæc dixerat Moſi, per quos Iſraël vagatus eſt in deſerto. En me hodie quinque & octoginta annos natum. 11. Æquè adhuc firmus ſum, ac eo die, quo Moſes me miſit; quale erat tunc robur meum, tale etiamnum eſt, ſeu ſit pugnandum, ſeu exeundum & ingrediendum. 12. Igitur da mihi nunc montem illum, de quo loquutus eſt Jehova, die illo; quoniam tu tunc temporis id audiſti. Quamvis illic ſint Hanakæi & urbes magnæ ac munitæ, forſan Jehova mihi aderit, & homines illos expellam, ut dixit Jehova.

13. Tum ei bene precatus eſt Joſua, deditque Chalebo, Jephunnæ filio, Chebronem in

Kenizæus] Sunt qui velint cognomen hoc fuiſſe patris Chalebi, & vertendum *Chalebus Jephunnæ Kenizæi filius*. Sed in re dubia, ſequuti ſumus LXX. Intt. unà cum *Hieronymo*. Unde autem ita dictus fuerit Chalebus, non conſtat; ſed videtur nomen eſſe familiæ, ductum à nomine קנז *Kenaz*, quod fuit alicujus è Majoribus Chalebi, cujus in Scriptura alia mentio non fit. Hæc cauſa fuerit, cur, in hac eadem Chalebi familia, duo alii Kenazi occurrant; is qui fuit frater Chalebi, & cujus fit mentio Cap. XV, 17. item alius, qui hujuſce noſtri Chalebi nepos fuit, & qui memoratur 1. Par. IV, 15. ſolebant enim in familiis Majorum nomina ſæpiùs repeti. Vide Luc. I, 61.

Quod dixit Jehova] Num. XIII, 24. & 30.

Viro Dei] Hoc eſt, prophetæ. Vide 1. Reg. XIII, 4.

7. *Natus eram quadraginta annos*] *Filius quadraginta annorum ego.*

Ex animi mei ſententia] כאשר עם לבבי *ut cum corde meo*, hoc eſt, prout ſentiebam. Vulgatus: *quod mihi verum videbatur*. Sed, formulâ Latinâ propiùs ad Hebraïcam acceſſimus. LXX. Intt. habent κατὰ τὸν νοῦν αὐτοῦ, ita ut legerint לבבו *lbabo*, cor ejus; quod & egregiam fundit ſententiam. Nam reverâ Chalebus Moſi reſpondit quod Moſi placebat, & prout optabat ſibi reſponderi. Ceteri verò exploratores reſponderunt quidem id quod, præ puſillanimitate, credebant eſſe verum, adeóque ex animi ſententia, ſed non id quod Moſes optabat; nam animos popularium labefactarunt. Itaque minimè ſpernenda eſt hæc lectio, quamvis, pro more noſtro, Maſſorethicum Codicem ſequamur. Huic favet ſimilis loquutio, quæ occurrit Deut. VIII, 5.

8. *Animum labefactarunt*] *Liquefecerunt cor*, de qua loquutione vide not. ad Cap. II, 8.

Conſtanter Jehovam ſequutus ſum] *Implevi poſt Jehovam*: ſubaudiendum, *ire*, hoc eſt, perſeveranter Dei ductum ſequutus ſum. Vide Deut. I, 36. & quæ notavimus ad Num. XXXII, 15.

9. *Juravit Moſes*] Neque Numerorum Cap. XIII. ubi hæc hiſtoria primùm habetur, neque Deuteronomii C. I. ubi repetitur, mentio ulla fit Moſis jurantis, aut jurisjurandi ipſius nomine prolati, ſed tantùm jurantis Dei. Verùm quia verba Dei jurantis, quæ illic habentur, ſunt à Moſe, audiente populo, prolata, ideò Moſes juraſſe dicitur. Sæpe Prophetæ dicuntur id facere quod, Dei nomine, futurum prænunciant. Vide Jerem. I, 10.

Ne vivam] Hoc ſupplevimus, ut à Latinè loquentibus minùs jurisjurandi formula mutaretur. Obſervandum in hiſce formulis אם לא im lo, *niſi*, eſſe affirmantis, אם im, *ſi*, ſine negatione, eſſe negantis. Vide not. ad Gen. XLII, 15.

Niſi tractus &c.] Verborum horumce ſenſus exſtat Deut. I, 36. Non ſunt, fateor, eadem verba, ſed quis negarit hæc, quæ habet hîc Chalebus, à Moſe, aut à Deo eſſe prolata; cùm conſtet in Hiſtoriis Sacris, quamvis directæ orationes fermè ſemper proferantur, ſententiam tamen dictorum, eámque contractam, potiùs quàm ipſa verba, proferri? Liquet hoc ex locis parallelis, in quibus eædem orationes proferuntur, ut ſi Deuteronomium cum antecedentibus libris tribus conferas. *Tractus*, quem *calcaverat* Chalebus, non eſt tota Chananæa, quæ nec ei promiſſa eſt, nec data; ſed pars quædam ejus, ad quam pervenerant exploratores; qualis erat Chebron, ut liquet ex Num. XIII, 23.

10. *Incolumem me ſervavit*] *Fecit me vivere.*

Quinque & octoginta annos] Vide not. ad Cap. XI, 18.

11. *Quale erat tunc robur meum*] *Ut robur meum tunc, & ſic robur meum nunc.* In prima voce ככחי *chechohhi*, prius כ eſt majus ceteris litteris; ſeu caſu id contigerit, ſeu librarius voluerit notare hîc ſingulare quidpiam legi.

Seu exeundum] *Exire & ingredi* frequens eſt Scripturæ loquutio, pro eo quod eſt, res ſuas, aut ſua negotia per ſe obire. Vide Num. XXVII, 17. Igitur non opus fuit inverti ordinem verborum à LXX. Intt. qui habent: ἐξελθεῖν καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὸν πόλεμον, aut à Vulgato verti: *quàm ad gradiendum.*

12. *Montem illum, de quo* &c.] *Chebron* enim in monte ſita erat. Vide antea Cap. XI, 21. & infra XX, 7. Ex his verbis colligere eſt Deum, per Moſem, non tantùm dixiſſe ſe daturum hereditatem Chalebo, in terra Chananæa, ſed & ipſam Chebronem, ad quam pervenerat. Hoc quidem à Moſe, ſummam tantùm dictorum Dei

Digitized by Google

in hereditatem. 14 Ideóque Chalebo, Jephunnæ filio, Kenizæo ceſſit Chebron in he-
reditatem, in hunc uſque diem; quia conſtanter Jehovam Deum Iſraëlis ſequutus erat.
15 Nomen Chebronis antea fuerat Kirjatha Arbæ; is magnus vir fuit inter Hanakæos.
Deinceps terra illa à bello quievit.

XIV. *Deſcribitur terrarum tractus, qui ſorte Tribui Judæ obtigit, & quâ ratione Chalebus Hanakæos ex agris, quibus donatus fuerat, expulerit, tum urbes Tribûs Judæ recenſentur.*

1 OBTIGIT ſors Tribui poſterorum Judæ, ſecundùm eorum familias, ad fines CAPUT XV.
Idumææ, versùs deſertum Tſiniticum, ad meridiem, ab extremitate auſtrali;
2 fuerúntque illorum fines meridianus tractûs, ab extremitate maris ſalſi & à
ſinu quidem illo qui ad auſtrum ſpectat. 3 Deinde ſecundùm auſtrum progrediebantur ad adſcenſum Hakrabbimorum, tranſibant per Tſinem, adſcendebant à meridie Kades-barneham, tranſibant per Chetſronem, adſcendebant Addarem, circumibant
Kar-

Dei narrante, non eſt expreſſum; ſed cùm ſæpiſſimè in poſterioribus occurrant circumſtantiæ in antecedentibus omiſſæ, hoc diſertè à Deo mandatum oportuit. Hinc quoque intelligimus Tribum Judæ, ad quam pertinebat Chalebus, cùm nomen ejus ex urna, quâ ad ſortitionem utebantur, primum excidiſſet, datâ operâ elegiſſe tractum meridianum totius Palæſtinæ, ut eo clauderetur fortiſſimi viri hereditas, quandoquidem à Deo fuerat promiſſa.

Quamvis illic ſint Hanakæi] Sic vertenda particula כי *chi*, ut alibi non ſemel. Vide not. ad Exod. XIII, 17. Hanc expreſſam oportuiſſet à LXX. Intt. & à Vulgato, ſed vitarunt obſcuram particulam, quaſi ſcopulum. Græci habent ὅτι καὶ οἱ Ἐνακὶμ ἐκεῖ εἰσι, Vulgatus verò: *in quo Enacim ſunt* &c.

Forſan] אולי *oulai*, quod *ſi fortè*, & *forſan* verti ſolet. Non videtur dubitaſſe Chalebus de veracitate, aut potentia Dei; ſed tantùm veritus eſt ne fortè ipſe, aut alii ex ipſius familia indigni eſſent, quibus Deus promiſſum præſtaret. Pleræque enim promiſſiones Dei ex hac conditione pendent; ſi modò iis, quibus factæ ſunt, ſe non indignos earum exſequutione præſtiterint.

14 *Conſtanter ſequutus erat*] Vide ad v. 8.

15 *Kirjatha Arbæ*] Hoc eſt, *urbs Arbæ*, nam ita vertendum hîc fuit, ubi Hiſtoricus Sacer reſpicit ad ejus urbis conditorem, qui *Arba* vocabatur. Vide ad Gen. XIII, 18. LXX. Intt. habent hoc in loco: πόλις Ἀργὸβ (meliùs Ἀρβὼκ in Alexandrino Codice) μητρόπολις τῶν Ἐνακὶμ αὕτη, quæ ſunt eorum commentum; cùm Hebraïca habeant: האדם הגדול בענקים הוא *magnus ille vir inter Hanakæos ille fuit*. Sed deterius *Hieronymus*: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*. Nempe, ex hoc loco malè intellecto Judæi finxerant hîc Adamum primum hominum parentem ſepultum fuiſſe. Vide ejus Quæſtiones Hebraïcas in Geneſin, & ad hunc locum *Jac. Bonfrerium*, qui hominem rectè confutavit, quamvis Vulgatam Verſionem, propter decreta Eccleſiæ Romanæ, damnare auſus non ſit.

Deinceps terra illa &c.] Videtur intelligendum, poſtquàm Chalebus eam occupavit; niſi hoc referatur ad totam Chananæam, in qua poſtea nulla magna bella, à toto populo Hebræo geſta ſunt; quamvis hîc illic ſingulæ Tribus bello vicerint incolas agrorum nonnullorum, qui ſorte ſibi obtigerant. Vide Cap. XI, v. ult.

In CAPUT XV.

1 *OBtigit ſors*] Quia ſortibus jactis ei obtigit electio cujuſvis ex duodecim tractibus, in quos diviſa erat Chananæa. Vide ad Cap. XIV, 5.

2 *A ſinu*] *A lingua*. Poſtquàm dixit Hiſtoricus Sacer quibus regionibus ab Auſtro claudatur Chananæa, eoſdem fines accuratiùs ex nominibus urbium deſcribit; initio facto ab ortu & quidem ab extremitate meridiana Aſphaltitidis paludis, quam *linguam* vocat, ob figuræ ſimilitudinem. Vide v. 5. Sic Latinè *lingulas* aut *linguas* vocarunt promuntoria, inſtar Linguæ, in mare projecta. Sic Cæſar de oppidis Galliæ Armoricæ Lib. III. c. 12. *Erant ejuſmodi ferè ſitus oppidorum, ut poſita in extremis lingulis promuntoriiſque, neque pedibus aditum haberent* &c. Alii legunt *lingulis*. *Feſtus* in Lingua: *Non ſolùm corporis pars dicitur, ſed etiam differentia ſermonum, promuntorii quoque genus, non excellentis, ſed molliter in planum devexi.*

3 *Secundùm auſtrum*] אל מנגב *el minnegeb*. Quod neſcio cur omiſerit Vulgatus. LXX. habent in Cod. Vaticano λιβὶ Λεβὸς, in Alexandrino λιβὶ νότου.

Progrediebantur] *Exibant*. Quæ loquutio frequens in limitum deſignatione, ad ſignificandum progreſſum finium quamdam partem versùs.

Hakrabbimorum] Vide ad Num. XXXIV, 4.

Per Tſinem] Deſertum ad meridiem Idumææ, ſed cujus fines non ſunt accuratè noti. LXX. & Vulg. habent *Sina*, aut *Senna*, minùs bene, nam in צנה *tſinnah* ה ſignificat motum ad locum, & conſtat deſertum hoc vocari deſertum צין *tſin*.

Kades-barneham] Oppidum magis ad occaſum vergens, quàm deſertum Tſin, de quo vide quæ collegit *J. Lightfootius* Chorog. Matthæo præmiſſæ, C. VII.

Chetſronem] Poſtea diſtinctè ſequitur *Addar*. At Num. XXXIV, 4. pro חצרון & אדר eſt חצר־אדר *hhatſar-addar*; niſi quis malit Chetſronem planè omitti, & memorari tantùm *villam Addar*.

Kar-

Karkaham, 4. tranſibant per Hatſmonem, progrediebantur ad fluvium Ægypti, deſinebántque ad mare. Hi erunt, *inquiebat Joſua poſteris Judæ*, fines veſtri meridiani. 5. Finis orientalis erit mare ſalſum ad extremum Jordanem; ſed fines lateris ſeptemtrionalis erunt à ſinu maris & ab extremitate Jordanis, 6. adſcendéntque Bethchoglam, tranſibunt ſecundùm Aquilonem per Beth-harabam, adſcendent Eben-bohanem, filii Rubenis; 7. tum procedent Debiram à valle Hachor, & ſeptemtrionem versùs ad Gilgalem, quæ eſt è regione adſcensûs Adummimorum, qui eſt ad meridiem torrentis, tranſibunt per

Karkaham] הקרקעה *bakkarkaba*, cujus alibi nulla mentio. LXX. Intt. hîc habent: ἐκπορεύεται Ἀσερὼν (חצרון hetſron) καὶ προσαναβαίνει εἰς Σαραδὰ (אדרה hadarah) καὶ ἐκπορεύεται τὴν κατὰ δυσμὰς Καδὴς, quaſi pro הקרקעה legiſſent ימה קדש *jammah Kadeſch*. At Vulgatus legit hîc quoque *Carcaba*.

4. *Hatſmonem*] Hujus loci mentio, apud Moſem Num. XXXIV, 4, 5. Vitioſè habent Codices Græci Σελμωνὰν, pro Ἀσεμωνά.

Ad fluvium Ægypti] Nilum. Vide notata ad Cap. XIII, 3.

Deſinebántque ad mare] *Exitus limitis ad mare*, תוצאות הגבול ימה *thotſeoth hggeboul jammah*. Hîc *exitus* ſumuntur pro fine; ſed paſſim in ſequentibus pro finium productione ad quemvis locum, quamquam ulterius producendorum.

5. *Mare ſalſum*] Alphaltites lacus, de quo vide diſſertationem *de ſubverſione Sodomæ*.

Ad extremum Jordanem] Quà, nempe, lacui Aſphaltitæ illabitur, ibi enim deſinit eſſe Jordanes.

A ſinu maris] *A lingua maris*; hoc eſt, ab ſeptemtrionali extremitate lacûs, in figuram linguæ deſinente. Vide v. 2. LXX. Intt. verterunt λοφιᾶς τῆς θαλάσσης, *ſummitatem maris*, nempe, ad Septemtriones. Vide v. 2.

Ab extremitate Jordanis] Hoc eſt, ab eadem illa *lingua*, vel λοφιᾷ, de qua in verſu ſuperiore, unde boreales fines incipere debebant ab extremitate orientalium, & angulum cum iis conficere. LXX. habent: ἀπὸ τοῦ μέρους τοῦ μέρους τοῦ Ἰορδάνου, minùs commodè, nam קצה *kutſeh* eſt *extremitas*, non pars. Pejus Vulgatus: *uſque ad eumdem Jordanis fluvium*, nam מקצה non poteſt eſſe *uſque ad*, ſed *ab extremitate*, ex uſu perpetuo Linguæ, præterquàm quòd ita res ipſa poſtulat verba Scriptoris Sacri intelligi, ut jam diximus.

6. *Beth-choglam*] Urbs eſt, quæ in finibus Benjaminiticis fuit, ut liquet ex Cap. VIII, 21. Sed Tribus Benjaminis finitimam habuit Tribum Judæ ab auſtro. Hanc urbem *Hieronymus*, in locis Hebraïcis, vult eamdem eſſe ac *Aream Atad*, quæ eſt, ut ait, *locus trans Jordanem* (ad occaſum ex Gen. L, 10, 11.) *in quo planxerunt quondam Jacob, tertio ab Hiericho lapide, duobus millibus à Jordane, qui nunc vocatur Bethagla; quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circumierint in funere Jacob*. Neſcio an verum ſit Beth-choglam eamdem fuiſſe ac *Aream Atad*; ſed ſine dubio ſitus ejus non ſatis accuratè fuit notatus, nam ex iis quæ habet *Hieronymus*, ſequeretur Jerichuntem quinque tantùm lapidibus, hoc eſt, quadraginta ſtadiis à Jordane remotam fuiſſe, cùm *Joſephus* ſexaginta ſtadiis remotam fuiſſe doceat, Ant. Jud. Lib. V. c. 1. Aliarum *Beth-choglarum* idem *Hieronymus* meminit in *Bethaglu*, quas in Tribu Judæ ſitas fuiſſe vult, procul ab hiſce locis.

Beth-harabam] Hæc urbs recenſetur infra Cap. XVIII, 22. inter urbes Tribûs Benjaminis, in hoc verò Capite v. 61. Tribui Judæ accenſetur. Quamobrem ſunt qui dubitent an unus idémque ſit locus. Veriſimile eſt fuiſſe in confiniis utriuſque Tribûs, cum ſæpe urbes in eo ſitu poſitæ, duabus Tribubus adſcribantur; non quòd dubii eſſent fines, tempore Joſuæ, ſed quòd earum urbium ager eſſet inter duas Tribus diviſus. Nec dubito quin eadem ſit *Beth-haraba*, quæ utrobique memoratur; nam hîc proximè ſequitur *Beth-choglam*, & Cap. XVIII, 22. ſimiliter in eodem tractu collocatur. Quod verò Capitis hujus v. 61. dicitur eſſe *in deſerto*, id intelligendum de deſerto Jerichuntino, de quo diximus ad Cap. VIII, 15. Tractus, in quo hæc urbs fuiſſe dicitur, vocatur infrà Cap. XVIII, 18. *Haraba*, ubi vide notata.

Eben-bohanem filii Rubenis] Hujus oppidi mentio fit Cap. XVIII, 17. in deſcriptione finium Benjaminis, alibi nuſquam. Quare nemo dixerit unde nomen traxerit, nulla enim in Scriptura exſtat Hiſtoria, quæ eò reſpiciat.

7. *Debirem*] Fuit alia *Debir*, non procul ab *Chebrone*, quæ non eſt cum hac confundenda.

Valle Hachor] Vide ad Cap. VII, 24.

Gilgalem] Ad Cap. IV, 19. diximus Gilgalem fuiſſe inter Jordanem & Jerichuntem. Itaque hanc Gilgalem aliam eſſe oportuit, cùm magis ad occidentem vergeret, quàm Jericho. Sed fortè hîc mendum eſt, cùm hic ipſe locus vocari videatur Cap. XVIII, 17. גלילות *gliloth*.

Adſcensûs Adummimorum] De hoc loco ita *Hieronymus*, in locis Hebraïcis: ADOMMIM, *quondam villula, nunc ruinæ, in ſorte Tribûs Judæ, qui locus uſque hodie vocatur* Maledomim (מעלה אדמים) *& Græcè dicitur* ἀνάβασις πυῤῥῶν, *Latinè autem appellari poteſt* adſcenſus ruforum, *ſeu* rubentium; *propter ſanguinem, qui illic crebrò à latronibus funditur. Eſt autem confinium Tribus Judæ & Benjamin, deſcendentibus ab Ælia Jerichum, ubi & caſtellum militum ſitum eſt, ob auxilia viatorum*. Videtur potiùs fuiſſe in Tribu Benjaminis, per quam tranſeundum fuit iis, qui Jeroſolimâ Jerichuntem ibant, & collocandum ad Septemtrionem loci, qui *Gilgal* antea dicitur, & Geliloth Cap. XVIII. vocatur.

Ad meridiem torrentis] Quis ſit hic torrens non conſtat, ideóque nonnulli poſt LXX. Intt. *vallem* verti volunt.

Hen-Semeſi] עין־שמש hen-ſchemesh, *fons ſolis*. Credibile eſt illic fuiſſe fontem Soli à Chananæis conſecratum. Talis *aqua Solis*, apud Hammonios', ut auctor *Curtius* Lib. III. Cap. VII, 22.

Hen-rogelum] עין רגל *hen-rogel* eſt *fons fullonis* Jeroſolimâ non remotus, ut liquet vel ex 2. Sam.

Digitized by Google

per aquas Hen-Semeſt, porrigentur ad Hen-rogelem, 8. adſcendent ad vallem filii Hinnomi, ad latus Jebuſæorum à meridie, *& ubi eſt* Jeroſolima, deinde in verticem montis, qui eſt è regione vallis Hinnomi ad occidentem, ſeu in extrema valle Rephæorum, ad ſeptemtrionem. 9. Deſcribentur fines à vertice montis ad fontem aquæ Nephthoachi, pergent ad urbes montis Hephronis, deſcribentur Bahalæ, quæ & Kirjath-jeharimi, 10. circumibunt Bahalâ ad occidentem, ad montem Schirem, tranſibunt ſecundùm aquilonem juxta montem Jeharimorum, quæ & Cheſalon, deſcendent Beth-

2. Sam. XVII, 17. & 1. Reg. I, 9. Hujus fontis aqua fortè poſtea collecta fuit in piſcinam, quæ erat in via *agri fullonis*, ad auſtrum Jeroſolimæ, 2. Reg. XVIII, 17.

8. *Vallem filii Hinnomi*] Poſtea vocatur ſimpliciter, *vallis Hinnom.* Quis fuerit is *Hinnom*, aut ejus *filius*, nuſquam docet Scriptura; ſed eam vallem conſtat fuiſſe ad orientem urbis, ita ut porrigeretur à Septemtrionibus ad meridiem, & horrendâ Idololatriâ contaminatam, de qua vide Jerem. VII. & XIX.

Jebuſæorum à meridie] Hoc eſt, ita ut relinquat Jebuſæos ad Septemtriones; nam, ut obſervarunt viri docti, vallis Hinnomi ab oriente urbis incipiebat, & ad meridiem progreſſa illinc urbem, partim ſaltem, etiam cingebat. *Euſebius*, de hac valle: προσπαράκειται τῷ τείχει Ἱερουσαλὴμ πρὸς ἀνατολάς: *adjacet muro Jeroſolimæ, ad orientem:* ſed & ex hoc loco liquet partem aliquam ejus fuiſſe ad meridiem Jebuſæorum, qui Jeroſolimam incolebant. Hic autem eſt יבוסי *jebouſi*, in noſtris codicibus, ut fuit in Codice Latini Interpretis; hoc eſt, *Jebuſæi*, nam nomina gentium paſſim ſingulari numero exprimuntur. Non eſt nomen urbis, quæ יבוס *jebous* potiùs diceretur. Vide & Jud. XIX, 10. 1. Par. XI, 4. & infra ad Cap. XVIII, v. ult. Ac ſanè LXX. Intt. hic legerunt Ἰεβοῦς, ut & Cap. XVIII. quæ lectio melior videtur, quia eſt & analogiæ Linguæ & locis Judicum & Paralip. conſentanea.

Et ubi eſt Jeroſolima] *Hæc eſt Jeruſalem*; hoc eſt, urbs quæ illic eſt, in agro Jebuſæorum, vocatur Jeruſalem; unde liquet hanc urbem ſitam fuiſſe in finibus Benjaminis, cùm eſſet ad Septemtrionem finium Judæ. Vide ad v. 10.

In verticem montis &c.] Cùm vallis Hinnom Jeroſolimam, ſecundùm orientale latus, à ſeptemtrione ad meridiem clauderet; mons qui eſt *è regione* hujus *vallis ad occidentem*, alius intelligi non poteſt, quàm collis qui partim ſaltem ab occidente Jeroſolimæ erat oppoſitus. Idque eò manifeſtius eſt, quòd in hac finium deſcriptione Scriptor Sacer ab ortu in occaſum progrediatur. Tota orationis ſeries rem extra dubium omne ponit. Itaque non puto poſſe intelligi montem Templi, qui intra mœnia Jeroſolimæ videtur fuiſſe, jam ab eo tempore, quippe qui Vallem Hinnomi, quam à meridie attingebant fines Judæ, ab occaſu claudit.

In extrema valle Rephæorum] *Euſebius* in locis: Ῥαφαείν, κοιλὰς ἀλλοφύλων κατὰ βοῤῥᾶν Ἱερουσαλήμ. *vallis allophylorum ad ſeptemtrionalem plagam Jeruſalem*; quod ſic debet intelligi, ut ea vallis ab occaſu Jeroſolimæ porrecta magis ad ſeptemtrionem vergeret, quàm urbs, ubi monte illo claudebatur. LXX. Intt. hanc vallem nunc γιγάντων vocant, nunc τιτάνων, quòd vox *Rapha* gigantem ſignificet. Unde huic valli id nomen inditum non liquet, ſed eam non procul Jeroſolimâ ſitam fuiſſe teſtatur *Joſephus* Lib. VII. c. 4. ubi deſcribit Hiſtoriam, quæ habetur 2. Sam. V, 18. Sic loquitur Hiſtoricus Judæus: γνόντες δὲ οἱ Παλαιστῖνοι τὸν Δαβίδην βασιλέα ὑπὸ τῶν Ἑβραίων ἀποδεδειγμένον, στρατεύουσιν ἐπ' αὐτὸν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ καταλαβόμενοι τὴν κοιλάδα τῶν Γιγάντων καλουμένην, τόπος δέ ἐστιν οὐ πόῤῥω τῆς πόλεως, ἐν αὐτῇ στρατοπεδεύονται: *cùm intellexiſſent Palæſtini Davidem regem eſſe ab Hebræis conſtitutum; exercitum in eum ducunt Jeroſolimam, & occupatâ valle, quæ Gigantum vocatur, locus eſt non procul ab urbe, in ea caſtra metantur.* Ac ſanè Philiſthæis, ab occaſu Jeroſolimam venientibus, nullus locus caſtris opportunior erat, valle ad occaſum ejus urbis ſitâ, & quâ occupatâ agros ſuos tegebant, ſibique ad eos reditum, ſi quid durius accidiſſet, apertum ſervabant, & commeatuum ſubvectionem faciliorem habebant. Itaque non dubito, quin rectè vallis Rephaimorum ad occaſum Jeroſolimæ collocetur. *Joſephus* eam vult μέχρι πόλεως Βηθλεὲμ διατείνειν, *porrigi Bethlehemum uſque*, Ant. Jud. Lib. VII. c. 10. pag. 243. Ed. Gen.

Ad ſeptemtrionem] Nempe, mons ad Septemtrionem ſitus fuit, ubi vallis deſinebat. Intelligi videtur montanus tractus, qui circa Gabahonem erat.

9. *Ad fontem aquæ Nephthoachi*] Nulla hujus mentio fit, niſi Cap. XVIII. ubi deſcribuntur meridiani fines Benjaminitarum. De hoc *Euſebius*, in locis: Ναφθαί, πηγὴ ὕδατος, ἐπικεκλημένη, φυλῆς Βενιαμίν. Hieronymus: *Naphtho, nomen fontis in Tribu Benjamin.*

Montis Hephronis] הר עפרון *har hephron.* Montis hujus nulla alibi mentio.

Bahalæ] בעלה *bahalah.* Hæc eadem urbs Cap. XVIII, 14. קרית בעל *Kirjath-baal* dicitur. Non levem difficultatem Interpretibus creat πολυωνυμία & ὁμωνυμία urbium. *Euſebius*, in locis: Καριαθιαρείμ, ἡ καὶ Καριαθβαὰδ (lege Καριαθβαὰλ) ἡ καὶ πόλις Ἰαείρ (falſum hoc, nam *Jeharim* non eſt idem ac Jaïr, & fortè legendum Ἰαριείμ) μία τῶν Γαβαωνιτῶν, φυλῆς Ἰούδα, μεταξὺ Αἰλίας & Διοσπόλεως ἐπὶ τῆς ὁδοῦ κειμένη, ἀπὸ σημείων θ' Αἰλίας: *Cariathiarim* (interprete Hieronymo) *quæ & Cariathbaal, civitas ſaltuum, una de urbibus Gabaonitarum pertinens ad Tribum Juda, euntibus ab Ælia Dioſpolin, in milliari nono.*

10. *Ad montem Schirem*] הר שעיר *har ſehir.* Hic mons Sehir planè diverſus eſt à Sehire Idumæorum monte.

Montem Jeharimorum] Hoc eſt, *ſilvarum*, unde & dicta *Kirjath-jeharim*, hinc minimè remota.

Ubi Cheſalon] היא כסלון *hi Cheſalon*, hæc Cheſalon. Sed cùm ſit hîc nomen urbis, ut oſtendit pronomen fœminini generis היא, quod refertur ad vocem עיר ſubauditam, non ad הר *mons*, quod eſt maſculini, ſuperiùs verò montis; non videtur velle Scriptor Sacer montem

Jeha-

Bethſemeſum, tranſibunt Thimnâ, 11. progredientur juxta Hekronem, ſecundùm aqui-
lonem, deſcribentur ad Siccheronem, tranſibunt per montem Bahalæ, progredientur
Jabneelem, & deſinent ad mare. 12. Ad occidentem finis erit mare magnum. Atque
hi quidem erunt fines circumquaque poſterorum Judæ, pro eorum familiis.
13. Chalebo verò, Jephunnæ filio, partem dedit *Joſua*, inter poſteros Judæ, prout
Deus Joſuæ dixerat, Kirjatham Arbæ, patris Hanakæorum, quæ & Chebron; 14. ex-
pulitque inde Chalebus tres Hanakæos, Seſaium, Achimanem, & Tholmaïum qui poſte-
ri erant Hanaki. 15. Inde ivit contra incolas Debiris, cujus nomen antea fuerat Kir-
jath-ſepher. 16. Dixit tum Chalebus: quiſquis ceciderit *incolâs* Kirjath-ſepheris, eám-
que ceperit, ei uxorem Hachſam filiam meam collocabo. 17. Eam verò cepit Othniel,
filius Kenazi, fratris Chalebi; qui ei filiam ſuam Hachſam uxorem collocavit. 18. Cùm
ergo illa ad eum veniret, impulit eum ad petendum à patre ſuo agrum; quamobrem
deſcendit ex aſino, dixitque mulieri Chalebus: quid tibi eſt? 19. Illa verò, da mihi,
inquit, munus, & quandoquidem meridianâ terrâ me donaviſti, da mihi etiam ſcatu-
rigines aquæ. Tum ille ei dedit ſcaturigines aquæ ſuperiores & inferiores.
20. Hæc fuit hereditas Tribûs poſterorum Judæ, ſecundùm illorum familias. 21. Fue-
runt

Jeharimorum dictum etiam *Cheſalon*, ſed ad eum montem hanc urbem ſitam fuiſſe. Eſt quidem, apud *Hieronymum*, in locis: *Chaſlon in tribu Juda & in finibus Æliæ, villa prægrandis*; ſed hæc non poteſt eſſe, quæ ad occaſum procul Ælia, ſeu Jeroſolima fuit.

Bethſemeſum] Fuit hæc in tribu Judæ, & quidem urbs Sacerdotalis, ut docemur infra Cap. XXI, 16. Non procul fuit à finibus Hekronitarum, cùm ab iis dimiſſa Arca Dei Bethſemeſi viam iniverit 1. Sam. VI, 12. Hîc quoque cùm v. ſequenti mentio fit Hekronis, vix dubitare poſſumus, quin eadem ſit. Igitur ſitum ejus non rectè indicavit *Euſebius* in locis, his verbis: Βηθσάμυς, πόλις ἱερατικὴ φυλῆς Βενιαμίν· καὶ ἔστιν εἰς ἔτι νῦν ἀπέχουσα Ἐλευθεροπόλεως, σημείοις ι΄ πρὸς ἀνατολὰς μεταξὺ Νικοπόλεως: *civitas ſacerdotalis, in Tribu Benjamin, quæ uſque hodie demonſtratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim, in decimo milliario contra Orientalem plagam*. Fuit enim Bethſemes, in Tribu Judæ, & magis ad occidentem ſita.

Thimnâ.] Urbem hanc fuiſſe ad fines Philiſthæorum liquet, ex hiſtoria Samſonis Jud. XIV. ubi *Thimnatha* vocatur. *Euſebius*: Θαμνά, ἔνθα ἔκειρεν Ἰούδας τὰ ἑαυτοῦ πρόβατα. Δείκνυται κώμη μεγίστη ἐν ὁρίοις Διοσπόλεως μεταξὺ ἀπιόντων εἰς Αἰλίαν, ἐκ τῆς φυλῆς Δὰν, ἢ Ἰούδα. *Thamna ubi oves ſuas totondit Juda. Oſtenditur hodiéque prægrandis vicus, in finibus Dioſpoleos, euntibus Æliam, in tribu Dan, ſive Juda.* Initio, nimirum, Tribui Judæ attributa fuerat, ſed cùm nimiùm paterent ejus agri, eſt Daniticæ Tribui data, ut liquet ex Cap. XIX, 43.

11. *Juxta Hekronem* &c.] Itaque Hekron erat intra fines Judæ, nam omnes Satrapiæ Philiſthæorum eodem loco habebantur, ac agri à Chananæis poſſeſſi, ut docemur Cap. XII, 2, 9. poterántque, jure à Deo conceſſo, ab Iſraëlitis occupari. Sed hæc quoque urbs eſt Danitis poſtea data. Vide Cap. XIX, 43. Attamen neque Danitæ, neque Judæ poſteri totum hunc tractum poſſederunt; qua de re, vide ad Jud. I, 18.

Siccheronem] Habet *Euſebius*: Σαχωρὼν φυλῆς Ἰούδα. Hieronymus: *Sacharona in tribu Juda.*

Montem Bahalæ] Non fuit prorſus ad mare, ut ſequentia oſtendunt, ſed nec procul ab eo remotus.

Jabneelem] Nulla alibi, in hujus quidem Tribûs urbibus, Jabneelis mentio. *Jamniam* nonnulli volunt; nec ſitus multùm repugnat, uti nec ipſum nomen. Si ſcriberetur *Jabnia* יבניה, ſignificatu conveniret cum יבנאל *jabneel*; prius enim eſt *faciet ædificare Jehova*, poſterius *faciet ædificare Deus*. Nec diſſimulandum ב & מ in nominibus propriis ſæpe confundi, ut *Amana* & *Abana* 2. Reg. V, 12. *Merodak* & *Berodak*, aliáque id genus, quæ plura collegit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. I. c. 17. Voculæ quoque יה & אל in nominibus promiſcuè ſumuntur, ut in *Chananja* & *Chananeel*, in *Urija* & *Uriel*, in *Michaja* & *Michaël* &c.

Deſinent ad mare] *Et erunt exitus limitis ad mare.*

13. *Chalebo verò* &c.] Vide Cap. XIV, 6.

Partem dedit] Supplevimus *Joſua*, ex Capite antecedente. Alioqui rectè potuit verti *data fuerat pars*, nihil enim frequentius, quàm tertias perſonas activas ſine nominativo paſſivè ſumi. In ſuperioribus verbis, quoties vertimus *deſcribentur fines*, eſt תאר גבול *deſcribet limitem*; nimirum, quiſquis finibus dividundis præficietur.

Patris Hanakæorum] אבי הענק *abi hahanak*, hoc eſt, conditoris gentis Hanakæorum. Vide ad Num. XIII, 23.

14. *Hanakæos*] *Filios Hanaki.*

Poſteri erant Hanaki] ילידי ענק *jelide hanak*. Erat ergo ipſe *Hanakus* ex poſteris Arbæ, qui primus gentis conditor fuerat, quamvis de ejus nomine non ſit appellata. Sic poſteri Abrahami non ſunt dicti Abrahamidæ, ſed Iſraëlitæ, ab Iſraële Abrahami nepote.

15. *Kirjath-ſepher*] *Urbs libri.* LXX. Intt. habent πόλις γραμμάτων & Vulg. *civitas litterarum*. Cur impoſitum ſit hoc nomen, cúrve & quando mutatum in *Debir*, ignotum eſt.

17. *Filius Kenazi, fratris Chalebi*] בן קנז אחי כלב quod poſſit verti, *filius Kenazi, frater Chalebi*, hoc eſt, ejus conſanguineus. Sic Vulgatus: *filius Cenez, frater Chaleb junior.* At LXX. Intt. habent ἀδελφοῦ, quos ſequuti ſumus. Reliqua hujus hiſtoriæ interpretabimur ad Jud. I. ubi iiſdem verbis narratur.

21. *Fuerunt urbes* &c.] De hiſce urbibus duo ſunt obſervanda. Unum eſt hîc omnes urbes eorum tractuum non memorari. Exempli cauſâ,

runt urbes ab extremitate Tribûs poſterorum Judæ, ad fines Idumææ, ad meridiem,
Kabtſeel, Heder & Jagur; 22. Kina, Dimona, & Hadhada; 23. Kedes, Chatſor &
Jithnan; 24. Ziph, Telem & Behaloth; 25. Chatſor-chadatha, Kerioth, Cheſron, quæ
& Chatſor; 26. Amam, Sema & Molada; 27. Chatſar-gadda, Cheſmon & Beth-pha-
let; 28. Chatſar-ſuhal, Beer-ſeba, & Bizjothja; 29. Bahala, Hijim & Hatſem; 30. El-
tholad, Cheſil & Chorma; 31. Tſiklag, Madmanna, & Sanſanna; 32. Lebaoth, Sil-
chim, Hajim & Rimmon; quæ omnino ſunt viginti novem urbes, cum earum vicis.
33. In planitie *ſunt* Eſthaol, Tſora, & Aſna; 34. Zanoach, Hen-gannim, Thapphuach,
& Henam; 35. Jarmuth, Hadullam, Socho, & Hazeka; 36. Sahajarim, Hadithajim,
Gedera, & Gederothajim, quæ quatuordecim urbes ſunt, cum earum vicis.
37. Tſenan, Chadaſa, & Migdal-gad, 38. Dilhan, Mitſphe & Joctheel; 39. La-
chiſch, Batſekath & Heglon; 40. Chabion, Lachmas, & Chithlis; 41. Gederoth, Beth-
dagon, Nahama & Makkeda, quæ ſunt oppida ſexdecim, cum eorum vicis.
42. Libna, Hether & Haſan; 43. Jiphthach, Aſna & Netſib; 44. Kehila, Achzib, &
Mareſa; quæ ſunt novem urbes, cum earum vicis.
45. Hekron cum pagis ejus, & vicis. 46. Tum ab Hekrone ad mare, omnes *urbes*
quæ

ſit, infrà Cap. XXI, 16. recenſetur inter urbes ſacerdotales *Beth-ſemes*, quæ hoc in loco non occurrit. Beth-lechem etiam omiſſa eſt, quæ antè & pòſt memoratur Gen. XXXV, 16, 19. XLVIII, 7. & Jud. XIX, 1, 2. ut & duæ ſatrapiæ Philiſthæorum, ut videbimus ad v. 45. Vide & ad v. 59. Alterum eſt, non omnes haſce urbes uni Tribui Judæ addictas manſiſſe, quia in eo ambitu Tribubus Daniticæ & Simeoniticæ attributi ſunt agri, ut liquet ex Cap. XIX.

25. *Chatſor-chadatha*] Vulgatus vertit: *Aſor nova*, ac ſanè חדתה *hhadatha* Chaldaïcè *novam* ſonat. Quæ ſi recta ſit verſio, oportet alteram *Chatſorum*, quæ hîc memorantur, fuiſſe antiquam.

26. *Sema*] שמע *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Libr. I. Cap. VI, 6. ſuſpicatur hanc eamdem eſſe quæ dicitur שבע Cap. XIX, 2. quòd cum ea memorentur aliquot urbes, quarum hîc fit mentio. Sed vide quæ nos ad Cap. XIX, 2.

32. *Viginti novem urbes*] Mirum eſt hanc colligi ſummam, non tantùm in Codice Hebræo, ſed & in LXX. & Vulgato Interpretibus, cùm prolata fuerint triginta ſeptem nomina. Rabbini cenſent ideò hoc fieri, quòd octo ex hiſce urbibus ſint poſtea Simeonitis attributæ. Sed primùm hîc de Simeonitis, quorum ſors nondum jacta erat, ſermo nullus eſt; mera eſt collectio ſummæ urbium, quarum recitata ſunt nomina. Deinde non octo harum urbium, ſed decem ceſſerunt Simeoniticæ Tribui, ut liquet ex C. XIX. Alii ergo viginti novem urbes, propriè dictas, eſſe memoratas, &, quæ eam ſummam ſuperant, ea eſſe nomina vicorum putant. Sed cùm nulla ſit diſtinctio, neque vicorum mentio ulla, crediderim potiùs hîc nomina aliquot addita urbium, poſt diviſionis tempora, conditarum, aut inſtauratarum; nec tamen mutatam ſummam antiquiorem. Sic apud Matthæum Cap. I. quamvis reſecta ſint aliquot virorum nomina, non eſt mutata ſumma παραλειφθεῖσα. Præterea varia nomina urbium hîc illic in hac recenſione omiſſa, quæ, ſi addantur, ſummarum collectionem conturbant, oſtendunt non eſſe hîc nimiam ἀκρίβειαν quærendam; ſed potiùs fatendum, in hæc nomina, aut fortè etiam in collectiones ſummarum, antiquiſſimis temporibus, menda quædam irrepſiſſe; quorum rationem nullam reddere nunc poſſumus, antiquis Codicibus deſtituti; uti nec mendorum, quæ inſederunt Genealogiam Chriſti, apud Matthæum.

Scio celebrem Geographum *Nicol. Samſonem*, in Animadverſionibus ad Tabulam Terræ Sanctæ, conari tollere hîc omnem diſcrepantiam, conjunctis in unum aliquot nominibus, ut *Kedes-Chatſor*, *Keriath-Cheſron*, *Behaloth-Chatſor*, *Hijim-Hatſem*, *Jithnan-Ziph*, *Amam-Sema* &c. Sed cùm vir doctus niteretur tantùm editionibus Latinis vitioſis, in quibus nullam copulam *&* animadverterat, inter hæc nomina; audiri non poteſt. Ubique inter hæc nomina in Hebraïco Codice eſt *Vau*, & καὶ in Græcis, nec niſi exſcriptorum vitio in Latinis codicibus eſt alicubi omiſſa Conjunctio. Quòd ſi concederemus nomina hîc nonnulla eſſe ſejuncta, quæ conjungi debuiſſent, quis nos doceret quænam illa ſint, cùm in Hebraïco Codice omnia diſtinguantur conjunctione? Nos quidem ubique copulam non addidimus, ſed tantùm ante ultimam uniuſcujuſque versûs urbem, propter Linguæ Latinæ uſum, quæ tot conjunctiones non patitur. Sed diſtinctiones commatum uſum conjunctionis præſtant.

33. *In planitie*] Hinc intelligere eſt alias urbes fuiſſe in montanis Idumææ proximis, has verò in planitie vicina, quæ ſæpe memoratur in deſcriptione horum tractuum. Vide ad Cap. X, 40.

36. *Quæ quatuordecim urbes ſunt, cum earum vicis*] At ſunt quindecim nomina. Hîc non poteſt adhiberi conjectura, quæ allata eſt ad v. 32. & quâ ad minuendum numerum dicuntur ſeptem vici inter urbes memorati; propter additionem וחצריהן vehhatſrehen, *& earum vici*; nam unus tantùm vicus eſſet additus, nec credibile eſt quatuordecim urbium fuiſſe tantùm unum vicum.

41. *Quæ ſunt oppida ſexdecim*] Hîc numerus conſtat, ſine commentitia ulla additione, aut reſectione vicorum, qui tamen nonnulli fuerunt. Idem de ſequenti ſumma dixeris.

45. *Hekron cum pagis*] *Et filiæ ejus*; hoc eſt, pagi circumquaque ab ejus urbis incolis ædificati, quales κωμοπόλεις vocantur à *Joſepho*; nam diſtinguuntur hîc à vicis. Hæ *filiæ* pendebant à Metropoli, quæ Hebræis etiam אם *mater* dicitur. Sic Galli diſtinguunt *villes*, *bourgs* & *villa-*

quæ ſunt vicinæ Aſdodi, cum earum villis : 47. Aſdod, pagique ejus & vici: Gaza cum pagis ejus & vicis, uſque ad fluvium Ægypti ; & ad mare magnum, *quod illac* finis eſt *tribûs Judæ*.

48. In montanis ſunt Samir, Jathir, & Socho ; 49. Danna, Kirjath-ſanna, quæ & Debir ; 50. Hanab, Eſthemo, & Hanim ; 51. Goſen, Cholon, & Gilo, quæ urbes ſunt undecim, cum earum vicis.

52. Arab, Duma & Eshan ; 53. Janum, Beth-happhuach, & Apheka ; 54. Chumta, Kirjath-arba, quæ & Chebron & Tſihor, quæ urbes ſunt novem, cum earum villis.

55. Mahon, Charmel, Ziph & Jutta ; 56. Jizrehel, Jokdeham & Zanoach ; 57. Kajin, Gibha, & Thimna, urbes decem, cum earum vicis.

58. Chalchul, Beth-tſur, & Gedor ; 59. Maharath, Beth-hanoth & Elthekon, urbes ſex, cum earum villis.

60. Kirjath-bahal, quæ & Kirjath-jeharim, & Rabba, urbes duæ, cum earum vicis.

61. In deſerto ſunt Beth-haraba, Middin, & Sechacha ; 62. Nibſan, Urbs Salis, & Hen-gedi ; quæ ſunt urbes ſex, cum earum vicis.

63. At

villages. Primæ, ſeu *urbes* ſunt mœnibus cinctæ ; *burgi* conſtant continentibus ædificiis, ſed quibus nulla ſint addita mœnia ; *villæ* domibus *Ĺrocgίδλω* ædificatis. Hoc autem & duobus ſequentibus verſibus, deſcribitur ora maritima Tribûs Judæ, cujus magnam partem poſtea ſibi vindicarunt Danitæ & Simeonitæ. At mirum eſt nullam hic mentionem fieri duarum Satrapiarum ; Gathi, nimirum, & Aſcalonis ; quas non minùs quàm alias invadere Iſraëlitis licuit, ut docemur Cap. XIII, 3.

47. *Ad fluvium Ægypti*] Vide ad Cap. XIII, 2.

Quod illac eſt finis] וגבול *& limes* ; hoc eſt, *& limes* hic eſt, aut Tribûs Judæ, aut Chananææ. Vide ſimilem loquutionem Cap. XIII, 23.

48. *In montanis*] בהר *in monte*. Intelligenda montana Philiſthæorum agris finitima.

49. *Kirjath-Sanna*] Antea *Debir*, quæ dicitur etiam vocata קרית-ספר Kirjath-ſepher, *urbs libri*, v. 15. At קרית-סנה *Kiriath ſannah*, ſignificat *urbem percolationis*, vel *purgationis*, nam סנן *ſenan* Chaldaicè eſt *percolare*, aut *purgare metalla*. Ex nominibus hiſce conjicere de iis quæ in hac urbe fierent, nullâ Etymologiam dilucidante hiſtoriâ, temerarium nobis videtur.

50. *Eſthemo*] אשתמה quod nomen ſcribitur infra Cap. XXI, 14. אשתמוע *eſthemoah*. Miror *Jac. Bonfrerium*, hominem Geographiæ Sacræ peritum, & qui in hunc Librum egregium edidit Commentarium, negare ad v. 48. in urbibus Judæ hìc memorari duas urbes ſacerdotales, quarum mentio fit Cap. XXI, 14. & 15. *Eſtemo & Holon*, quæ hoc & ſequente verſu disertè memorantur.

59. *Urbes ſex, cum earum villis*] Poſt hæc verba hæc adſuuntur, ante v. 60. in verſione LXX. Intt. Θεκὼ καὶ Ἐφραθά, αὕτη ἐστὶ Βαιθλεέμ, καὶ Φαγὼρ, καὶ Αἰτὰν, καὶ Κυλὸν καὶ Ταταμ, καὶ Θωβὴς, καὶ Καρὲμ, καὶ Γαλὲμ καὶ Θεθὴρ, καὶ Μανοχὼ, πόλεις ἕνδεκα, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν. Sic eſt in Vaticano Codice, at in Aldino & Alexandrino nonnulla eſt varietas, ſed exigui momenti. Malè hæc in Complutenſi, & iis, quæ ex ea fluxerunt, editionibus omiſſa ſunt. *Hieronymus* ad Michææ Cap. V. ad hæc verba : *Et in Bethlehem Ephratha* &c. hoc de iis verbis judicium fert : *legimus juxta LXX. dumtaxat Interpretes, in Jeſu Nave, ubi tribus Judæ urbes & oppida deſcribuntur, inter cetera etiam hoc ſcriptum :* Thæco & Ephratha, hæc eſt Bethleem, & Phagor & Æthan, & Culon & Tami & Soris, & Caræm & Gallim & Bæther & Manocho, civitates undecim & viculi eorum ; *quod nec in Hebraico, nec apud alium invenitur interpretem, & ſive de veteribus libris eraſum ſit, malitiâ Judæorum, ne Jeſus-Chriſtus de Tribu Juda ortus videretur, ſive à LXX. additum, nequaquam liquidò cognoſcentes certum quid novimus.* Non video cur à Judæis propterea eraſa eſſent, cùm ſit aliàs in V. T. ſat frequens mentio Bethlehemi, Davidis patriæ. Sed caſu omitti potuerunt, quia hæc pericope eodem modo deſinebat ac aliæ ; nempe, voce וחצריהן hhatſrehen, *pagi earum* ; quæ ratio omiſſionis non rara eſt, in antiquis MSS. Vide quæ diximus, hac de re, *Artis Criticæ* Parte III. Sect. I. cap. V. Itaque *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. IV. c. V, 3. hæc perperam omiſſa cenſet. Negat quidem *J. Buxtorfius* in Anticritica P. 2. Cap. VIII. ſed nullam ſententiæ ſuæ rationem profert, præter conſenſum Codicum, temporibus LXX. Interpretum recentiorum.

61. *In deſerto*] Intelligendum deſertum Tribûs Judæ, ad lacûs Aſphaltitæ occidentalem ripam, ubi conſtat fuiſſe urbes hìc memoratas. Vide quæ de ea ſolitudine collegit *Joan. Lightfootius* Decadis Chorog. Marco præmiſſæ C. II.

62. *Urbs Salis*] Fortè quòd in ea conficeretur ſal, è lacu Aſphaltite hauſtus, quod etiamnum fit hodie à lacûs illius accolis.

Hengedi] Vide ad Gen. XIV, 7.

63. *Non potuerunt expellere* &c.] De arce Sionis hoc intelligendum, quæ temporibus demum Davidis capta eſt, ut liquet 2. Sam. V. Vide dicenda ad Jud. I, 8.

64. *Ad hunc uſque diem*] Hæc oportet ſcripta fuiſſe, antequàm David arcem Sionis expugnaret ; quamquam in hoc libro nonnulla ſint, quæ poſteriora tempora redolent. Vide Cap. X, 40. XI, 16 & 21.

Hic quærunt Interpretes, ad utram Tribum pertinuerit Jeroſolima, Judæ, aut Benjaminis. Hic Judæ poſteris adſcribitur, at antea ita deſcribuntur fines Judæ, ut reliquerint Jeroſolimam à Septemtrione in finibus Benjaminis. Sic & infrà Cap. XVIII, 28. Benjaminitarum fuiſſe dicitur. Vide etiam Jud. I, 21. & Jerem. VI, 1. Igitur dubium eſſe non poteſt, quin ea urbs fuerit in finibus Benjaminis ; ſed quia ejus ager ad auſ-

Digitized by Google

[63] At Jebuſæos incolas Jeroſolimæ non potuerunt expellere poſteri Judæ; [64] incoluerúntque cum eis Jeroſolimam Jebuſæi, ad hunc uſque diem.

XV. Deſcribuntur agri poſteris Joſephi, primùm Ephraïmitis, deinde & Manaſſitis diviſi.

1 EXIVIT ſors poſterorum Joſephi à Jordane *juxta* Jerichuntem, ad Jerichuntinas aquas ad ortum, *deinde hinc ad* deſertum, quà adſcenditur Jerichunte ad montem Bethelis. [2] Tum progrediebantur *fines* Bethele Luzam, tranſibant juxta terminum Archi-hatarotharum, [3] deſcendebant occaſum versùs ad fines Japhletæorum, uſque ad fines Beth-choronis inferioris & Gazerem, deſinebántque ad mare. [4] Hanc hereditatem acceperunt filii Joſephi, Manaſſe & Ephraïm. CAPUT XVI.

[5] Hi verò *ſeorſim fuerunt* fines Ephraïmitarum, ſecundùm familias ſuas. Fines hereditatis eorum ad orientem fuere Atroth-hadare, uſque ad Beth-choronem ſuperiorem, [6] *un-*

auſtrum fuit in finibus Judæ, non minùs ac ad Septemtrionem in Benjaminis Tribu, ideò Judæ & Benjaminis poſteri urbem unà habitarunt; quamvis Benjaminitæ villas ac prædia ſeorſim haberent ad Septemtriones, Judæ verò poſteri ad auſtrum. Hæc commodior ratio redigendi in concordiam loca Scripturæ nobis videtur, quàm id quod dicunt nonnulli, dimidiam partem urbis Jeroſolimæ in Tribûs Benjaminis, alteram in Tribûs Judæ agris fuiſſe.

In CAPUT XVI.

[1] E*Xivit*] Ex urna, vel caſſide, ut antea diximus. Proximè poſt Judam elegerunt ſibi ſedes Joſephi poſteri, duplici, ut videtur, de ratione; ne ſi intercederent ſortes aliarum Tribuum, primò altera pars Tribûs Manaſſæ, quæ agris etiamnum carebat, nimis divelleretur ab altera parte, quæ erat ad ortum Jordanis: deinde ne agri, quibus Jacobus Joſephum donaverat, in alterius Tribûs finibus eſſent. Manaſſitæ enim occuparunt agros ad occaſum Jordanis, qui ad ortum remoti non erant ab ſedibus alterius dimidiæ partis ejus Tribûs; Ephraïmitæ verò Sichemum, Joſepho ejúſque poſteris à Jacobo datum. Vide Gen. XLVIII, v. ult. Addere etiam hiſce liceat, cùm Ephraïmitæ & Manaſſitæ ab uno Joſepho eſſent oriundi, non magis eos divelli oportuiſſe, quàm ſingularum aliarum Tribuum, ab uno Patriarcha prognatarum, tribules.

Poſterorum] *Filiorum.*

Juxta Jerichuntem] Vel è regione Jerichuntis. ירדן ירחו *Jarden Jerecho*, dicitur ea pars Jordanis, quæ è regione Jerichuntis erat. Vide Num. XXXV, 1. XXXVI, 13. & infra XX, 8.

Jerichuntinas aquas] Intelligit fontem illum, de quo 2. Reg. II, 19. & ſeqq. Multis etiam eum deſcribit *Joſephus* de B. J. Lib. V. c. 27. in Græcis, ab his verbis: παρὰ μέν τοι τὴν Ἱεριχοῦντα ἐστὶ πηγὴ δαψιλής τε καὶ πρὸς ἀρδείας λιπαρωτάτη, παρὰ τὴν παλαιὰν ἀναβλύζουσα πόλιν καὶ τὰ ἑξῆς: *ad Jerichuntem eſt fons copioſus & ad rigationem uberrimus, ſcaturiens juxta antiquam urbem* &c.

Deſertum quò adſcenditur] *Deſertum adſcendens.* Eſt ſolitudo Bethavenis Cap. XVIII, 2. ubi boreales fines Benjaminitarum, qui Ephraïmitis finitimi, deſcribuntur.

[2] *Bethele Luzam*] מביתאל לוזה *mibbethel louzah.* Cùm plerumque miſceantur Bethel & Luza, aliquando tamen diſtinguuntur, ut hîc. Quando confunduntur, urbs utroque nomine deſignatur; conſtat enim, quæ priùs *Luz* dicebatur, eam poſtea vocatam *Bethel.* Vide Gen. XXVIII, 19. & quæ illic notata. At cùm diſtinguuntur, *Luz* urbem ipſam ſonat, *Bethel* verò eum agrum, in quo Jacobus pernoctavit, non procul quidem ab urbe ſitum; ſed tamen ita remotum, ut dici poſſint fines Bethele Luzam versùs tendiſſe. Hic ergo ה in לוזה *louzah* eſt nota ſolita motûs ad locum; nam oppidum hoc alioqui conſtanter לוז *louz* vocatur; falluntúrque qui volunt vocatum ſimul Hebraicè בית-אל-לוזה *Bethel-Luza.* Sed nec minùs errant, qui hinc duas urbes faciunt, quarum nullum in Scriptura veſtigium.

Archi-hatharotharum] Hæc urbs videtur vocari Cap. XVIII, 13. *Hataroth-adar*, ut ex collatione locorum liquebit.

[3] *Japhletæorum*] היפלטי *haijaphleti.* Videtur nomen eſſe familiæ, quam ſuſpicor eorumdem fuiſſe, qui in hiſtoria Samuelis פלתים *phlethim* dicuntur. Vide 2. Sam. VIII, 18.

Beth-choronis] Vide ad Cap. X, 10.

Gazerem] Urbs fuit Levitica in Tribu Ephraïmi, Cap. XXI, 21.

Ad mare] Hoc eſt, non procul à mari Mediterraneo, in cujus tamen littore ſita non fuit Gazer.

[4] *Hanc hereditatem*] Hos hereditatis ſuæ fines ad auſtrum; nam agros ſuos habuerunt Manaſſitæ & Ephraïmitæ ad Septemtriones memoratorum finium.

Manaſſe] Dimidia pars ejus Tribûs.

[5] *Ad orientem*] Non deſcribitur tamen hîc latus orientale, ſed Hiſtoricus Sacer ab Hatarothis, quæ urbs fuit auſtralis, occaſum versùs, inter antea memoratas, redit ad orientem circumeundo ſeptemtrionem versùs, at per miros ambages, ne quid diffitear, & quos minimè adſequor.

Uſque ad Beth-choronem] Vide ad Cap. X, 10. Videtur inferior Beth-choron fuiſſe in valle magis ad auſtrum ſita, ſuperior verò in monte ad ſeptemtrionem, ſed ita ut magnum intervallum inter utramque non fuerit.

Euſebius, in locis: Βηθωρών, ἣν ἐκτίσατο Γυναῖκα τῆς βασιλείας, ὃ γέγονεν υἱῶν Ἰωσήφ, τοῦ Ἐφραΐμ. καὶ

6. *unde* proceſſerunt occaſum versùs Michmethatham, ſecundùm aquilonem, circuiverunt ad orientem Thaanatham Siluntis, tranſierunt ab oriente Janoachum; 7. progreſſi ſunt Janoacho Hatarothas & Naharatham, incideruntque in Jerichuntem & ad Jordanem deſierunt. 8. Thapphuacho iverunt fines ad occaſum, ad torrentem Kanam, deſierúntque ad mare. Hæc fuit hereditas Tribûs poſterorum Ephraïmi, ſecundùm eorum familias; 9. præter urbes ſejunctas, quas Ephraïmitæ habuerunt, in media hereditate Manaſſitarum; urbes, *inquam*, & earum vicos. 10. Non expulerunt autem Chananæos incolentes Gazerem, habitarúntque Chananæi inter Ephraimitas, ad hunc uſque diem, iiſque ſtipendiarii fuerunt.

CAPUT XVII. 1. Obtigit etiam ſors Tribui Manaſſæ (nam hic fuit primogenitus Joſephi) & Machiri quidem primogenito Manaſſæ, patri Galahadi, qui vir fuit militaris; ejúſque fuit Galahaditis & Baſanitis. 2. Fuerunt etiam reliquorum Manaſſæ poſterorum, ſecundùm familias ſuas, poſterorum Abihezeris, poſterorum Cheleki, poſterorum Aſrielis, poſtero-

καὶ εἰσὶ κῶμαι δύο, ὡς ἀπὸ σημείων Αἰλίας ιβ΄ ἐπὶ τὴν εἰς Νικόπολιν ὁδὸν, ὧν ἡ μὲν καλεῖται Βηθωρὼν ἡ ἀνωτέρα, ἡ δὲ κατωτέρα Λευίταις ἀφωρισμένη: Hieronymo interprete: *Bethoron, ad quam uſque inimicos perſequutus eſt Reges Jeſus; quæ cecidit in ſortem filiorum Joſeph, id eſt, Ephraim; ſunt autem duo vici, in duodecimo fermè ab Ælia lapide, Nicopolin pergentibus, è quibus, propter ſitum, unus dicitur Bethoron ſuperior, quam ædificavit Salomon, & alius Bethoron inferior, datus Levitis in poſſeſſionem.* Errant quidem in ſitu, ut rectè animadvertit *Jac. Bonfrerius*, in eo quod inter Æliam & Nicopolin hanc urbem collocent; quod vel ex eo liquet, quòd Jeroſolimâ Emmauntem, vel Nicopolin eſſent ſummùm LX ſtadia Luc. XXIV, 13. hoc eſt, paullò pluſquàm VII millia paſſuum. Sed ſi, pro *Nicopoli*, ſcripſiſſet *Euſebius Cæſaream*, verum dixiſſet, ut liquet ex *Joſepho* De Bell. Jud. Lib. II. c. 30. & de Ant. Jud. Lib. XX. cap. 4. ubi *Stephanus* ſervus Cæſaris interfectus circa Bethoronem dicitur occiſus centum ſtadiis ab urbe Jeroſolima, in via publica; quæ, nempe, Cæſareâ Jeroſolimam tendebat.

Verùm mirum eſt Hiſtoricum Sacrum, progredientem ab occaſu in ortum, & deſcripturum fines boreales Ephraimi, incipere ab urbibus, quæ erant in finibus ejus Tribûs auſtralibus. Aut vehementer fallor, aut hîc eſt aliquid corruptum Librariorum negligentiâ, aut longinquitate temporis, quod nunc à nobis ſanari nequit. Scio eſſe viros doctos, qui latitudinem agrorum Tribûs Ephraïmi, ab auſtro in aquilonem, deſcribi hîc cenſeant, collocéntque Beth-choronem ſuperiorem ad fines ejus Tribûs ſeptemtrionales. Sed primùm hoc in deſcriptione finium fieri non ſolet, ubi extrema dumtaxat regionis ora deſcribitur, non latitudo aut longitudo. Deinde quomodo latitudo, à meridie in ſeptemtrionem, & quidem in mediis agris, poteſt dici גבול נחלה מזרחה *limes hereditatis ad orientem*, cùm limes ille fuerit Jordanes, iſque aliquot milliaribus ad ortum remotus? Denique ſequentia non minùs obſcura ſunt.

6. *Occaſum versùs*] Si nihil ſit mendoſum in ſuperioribus verbis, nec quidquam in hiſce vitioſum, Michmatha debuit eſſe nonnihil ad occaſum Beth-choronis ſuperioris; ſed quomodo hoc convenit cum deſcriptione finium, quæ fit, ut ex ſequentibus liquidò conſtat, ab occaſu in ortum?

Thaanatham Siluntis] תאנת שלה *thaanath ſchiloh.*

Ab oriente Janoachum] Itaque Janoachum fuit magis occidentale, quàm Thaanatha Siluntis; ſed quis hæc intelligat, cùm progrediatur hæc deſcriptio ab occaſu in ortum?

8. *Thapphuacho* &c.] Hæc verba videntur indicare, ab ortu ſubitò regredi Scriptorem Sacrum ad occaſum & quidem magno ſaltu, omiſſis interpoſitis; quod eſt præter ordinem, qui hîc ubique in deſignatione finium obſervatur. Cujus rei nullam rationem invenio, niſi mutationem, quæ lapſu temporis fieri potuit. Alioqui deſignatio minùs perſpicua finium potuiſſet, inter finitimas Tribus, ingentes lites creare.

Ad torrentem Kanam] נחל קנה *nahhal kana.* Verterunt LXX. Intt. ἐπὶ Χελκανά, quaſi ſcriptum fuiſſet בחלקנה *bhhelkana.* Sic habent in Vaticano & Alexandrino Codd. nam in Aldino & Complutenſi eſt ἐπὶ χειμάῤῥουν Κανά, quæ videtur eſſe emendatio. Vulgatus legit, ut nos, vertit enim, *in vallem arundineti.* Vide ad Cap. XVII, 9.

Ad mare] Addit Vulgatus *ſalſiſſimum*, quomodo ſolet vocare lacum Aſphaltiten; ſed res ipſa falli eum oſtendit, cùm liquidum ſit, hîc & Cap. XVII, 9. mare Mediterraneum intelligi.

9. *Præter urbes*] *Et urbes.* Iterum hæ urbes memorantur Cap. ſequente v. 8. & 9.

10. *Non expulerunt Chananæos*] Vide Jud. I, 29. Viri docti exiſtimant hunc verſum ſcriptum fuiſſe poſt mortem Joſuæ; cùm agatur, ut putant, de re, quæ poſt mortem ejus contigit. Sed res non eſt ſat liquida.

In CAPUT XVII.

1. *Nam hic fuit* &c.] Jus primogeniti amiſerat, ut liquet ex Geneſ. XLVIII, 14. nec obſervat Scriptor Sacer primogenitum hunc fuiſſe, niſi obiter; nam quod volunt nonnulli Manaſſitas, ideò quòd eſſent è majore natu filiorum Joſephi oriundi, duplicem partem accepiſſe, quarum altera ad ortum Jordanis, altera ad occaſum ſita fuit; id minùs veriſimile eſt, cùm ejus rationis nulla alibi mentio occurrat. Credibilius eſt nimis arctum fuiſſe regnum Hogi, ad ortum Jordanis, quàm ut univerſam Manaſſitarum multitudinem continere, atque alere poſſet, eáque de cauſa reliquis ſedes ad occaſum ejus fluvii eſſe attributas. Ceterùm & Ephraimitis & Manaſſitis partes ſunt datæ, ut reli-

terorum Sechemi, poſterorum Chepheris, & poſterorum Semidahi. Hi ſunt mares poſ-
teri Manaſſæ, filii Joſephi, ſecundùm ſamilias ſuas. 3· Tſelophchado verò filio Che-
pheris, filii Galahadi, filii Machiris, filii Manaſſæ, non fuerunt filii, ſed tantùm fi-
liæ, quorum hæc ſunt nomina; Machala, Noha, Chogla, Milcha & Tirtſa. 4· Hæ
convenerunt Elehazarem Sacerdotem, Joſuam Nunis filium, & principes cœtûs, dixe-
rúntque: Jehova juſſit Moſem dare nobis hereditatem, inter fratres noſtros. Dedit
ergo illis *Elehazar*, ex mandato Jehovæ, hereditatem inter fratres earum patris.
5· Obtigerunt etiam decem Schoeni Manaſſæ, præter terras Galahaditidem & Baſa-
nitidem, quæ ſunt trans Jordanem; 6· nam puellæ è poſteris Manaſſæ hereditatem ac-
ceperunt *cis fluvium*, inter ejus poſteros; dum terra Galahaditis reliquorum fuit Ma-
naſſæ poſterorum. 7· Fines Manaſſæ fuerunt ab Aſare Michmethatham, quæ eſt è re-
gione Sechemi, ivitque ad dextram, ad incolas Hen-thapphuachi. 8· Manaſſæ enim
fuit tractus Thapphuachi; ſed Thapphuachum, quod eſt ad fines Manaſſæ, fuit Ephraï-
mi

reliquis Tribubus, quod eſſent à Jacobo adoptati. Vide Gen. XLVIII, 5, 6.

Machiri] Id eſt, Machiritis. Ubique in hiſce finium deſcriptionibus, & alibi paſſim poſteri nomine Majorum vocantur.

Primogenito] Hoc eſt, ante quem nullus alius filius Manaſſæ natus erat, nam ceteroqui nullos habuit filios, præter Machirem. Vide Num. XXV, 28.

Galahadi] Mira fuit nominum convenientia, cùm ejus, cui in Ægypto nomen *Galahado* factum fuerat, poſteris obtigerit regio, quæ etiam *Galahad* vocabatur; quod nomen, more Græco, inflectentes Galahaditin extulimus, diſtinctionis causâ. Hîc autem nomine *Galahadi* intelligimus Galahadi poſteros.

Qui fuit vir militaris] Nimirum, Galahaditæ intelligendi, nam ipſe Galahadus Joſephi nepos, in Ægypto, vivo etiamnum avo, natus, in ea mortuus eſt, antequàm liberarentur Iſraëlitæ à tyrannide Ægyptiorum; nec videtur ullam occaſionem habuiſſe fortitudinis ſuæ oſtendendæ, in Ægypto; ubi multitudo Iſraëlitarum ſuſpecta jam eſſe cœperat, nec bello gerendo adhibita videtur. Certè nulla earum rerum in Scriptura mentio. Sed Galahaditæ fortitudinem ſuam oſtenderunt, in occupatione Galahaditidis, ejúſque contra finitimos defenſione.

Galahaditis] Totus ille tractus terrarum, quem Rubenitæ & Gaditæ, ad ortum Jordanis, occuparunt, Galahaditin dici, in deſcriptione eorum finium, vidimus; ſed & præterea borealem oram, quâ donati ſunt Manaſſitæ, ſic, proprio quodam jure, vocatam hinc & ex aliis multis locis liquet. Vide not. ad Gen. XXXI, 21.

Baſanitis] Tractus hîc fuit propior lacui Chinnerethæ & Jordani; Galahaditis verò ad ortum, versùs montes. Vide ad Num. XXI, 33.

2· *Reliquorum Manaſſæ poſterorum*] *Filiorum.* Si hic ſolus locus extaret, de Manaſſæ poſteris, crederemus eos, qui memorantur hîc, oriundos fuiſſe ex Manaſſa per alium, quàm per Galahadum, aut Machirem; at ex Num. XXVI, 30. hos fuiſſe Galahadi poſteros intelligimus. Itaque hoc vult Hiſtoricus Sacer, partem ſex familiarum Galahaditarum, quæ hîc recenſentur, accepiſſe hereditatem ad ortum Jordanis, eóſque vocat *ceteros*; quia reſpicit ad eos, qui ad occaſum ejuſdem fluvii incoluerunt.

Poſterorum Abibezeris] *Filiorum.* Sed hîc & alibi perpetuò *filii* pro quibuſvis, etiam remotioribus poſteris, ſumuntur. Hic אביעזר *abibezer* vocatur Num. XXVI, 30. eliſo ב איעזר *ibezer*, quod mendoſum eſſe videtur.

3· *Machala*] Sic debet nomen hoc pronunciari ex hujus loci punctatione, ſed Num. XXVI, 33. *Machla* dicitur, inconſtantiâ punctatorum. De hiſce filiabus Tſelophchadi, vide dicta ad Numeros, Cap. XXVII.

5· *Decem Schoeni*] חבלים *hhabalim*, quod *funes* ſignificat, certa fuit menſura apud Ægyptios, qui *funibus* agros ſuos dimetiebantur. Sed eamdem hic menſuram intelligi, & quomodo capienda ſit, & utrum in longum tantùm, an verò conjuncta fuerit latitudo, ita ut arearum dimenſio tradatur, quis dixerit? *Herodotus* Lib. II. c. 6. de Ægyptiis: ὅσοι μὲν γεωπεῖναί εἰσι ἀνθρώπων, ὀργυιῇσι μεμετρήκασι τὴν χώρην· ὅσοι δὲ ἧσσον γεωπεῖναι, σταδίοισι· οἱ δὲ πολλὴν ἔχουσι, παρασάγγῃσι· οἱ δὲ ἄφθονον λίην, σχοίνοισι· δύναται δὲ ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια, ὁ δὲ σχοῖνος ἕκαστος, μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια: *homines qui exiguum habent agri modum, metiuntur eum ulnis, qui majorem ſtadiis, qui multum paraſangis, qui plurimum ſchoenis; conſtat autem paraſanga triginta ſtadiis, ſchoenus verò, menſura Ægyptia, ſexaginta.* Nec ſanè longitudo agrorum dimidiæ Tribûs Manaſſæ, à mari Mediterraneo ad Jordanem, multùm abfuit à ſexcentis ſtadiis, ſeu decem ſchoenis Ægyptiis.

6· *Nam puellæ*] Filiæ Tſelophchadi, de quibus antea.

7· *Ab Aſere*] Nomen eſt peculiare loci à Jordane non remoti, nam à Jordane ad mare in hac deſcriptione progreditur Scriptor Sacer.

Michmethatham] Vide Cap. XVI, 6.

E regione Sechemi] Ad Septemtrionem *Sechemi*, ſeu *Sichemi*, quod fuit in finibus Ephraïmitarum.

Ivitque ad dextram] Hoc eſt, meridiem versùs, nam Hebræi ſeptemtrionem *ſiniſtram* partem mundi vocant, meridiem *dextram*; ac ſanè oportuit lineam finium Manaſſæ ad meridiem Thapphuachi agrorum tranſire, ut is locus in finibus ejus Tribûs contineretur. Sin minùs, Ephraïmitarum, quorum agri ad auſtrum finitimi erant, fuiſſet.

Hen-thapphuachi] Aut *fontis Thapphuachi.* Locus fuit ad ſeptemtrionem Thapphuachi, quem Manaſſitæ poſſederunt, cùm Ephraïmitæ ipſum Thapphuachum poſſederint.

9· *Ad*

Digitized by Google

mi poſterorum. 9. *Inde* deſcendit terminus ad torrentem Kanam, ad meridiem torrentis. Urbes hæ Ephraïmi erant, inter urbes Manaſſæ. Fines verò Manaſſæ fuerunt ad ſeptemtrionem torrentis, deſinebántque ad mare. 10. Ad meridiem quidem erant *agri* Ephraïmi, ad ſeptemtrionem verò Manaſſæ & mare hujus limes fuit. Aſerem attingebant fines à ſeptemtrione, Iſſaſcharem ab ortu. 11. Fuerunt etiam Manaſſæ in Iſſaſchare, aut in Aſere, Beth-ſean, & pagi ejus, Jiblam & pagi ejus, incolæ Doræ & pagorum ejus, *item* incolæ Hen-doræ & pagorum ejus, incolæ Thahanachi & pagorum ejus, & incolæ Megiddonis & pagorum ejus, *qui ſunt* tres tractus. 12. Non potuerunt autem poſteri Manaſſæ expellere *incolas* urbium illarum, ſed voluerunt Chananæi tractum illum habitare. 13. At cùm invaluiſſent Iſraëlitæ, vectigales ſibi fecerunt Chananæos, nec eos ejecerunt. 14. Al-

9. *Ad torrentem Kanam*] De quo Cap. XVI, 8.

Urbes hæ Ephraimi] Thapphuachum, & fortè duæ urbes, quarum nomina anteceſſerunt.

10. *Mare hujus limes*] Ad occaſum.

Aſerem attingebant] Eſt in plurali יפגעון *jiphgeboun*, quare ſupplevimus *fines*, גבולים *gboulim*; neque enim poteſt hoc verbum referri ad Ephraimum & Manaſſen, ex quibus ſola Tribus Manaſſæ potuit attingere Aſerem & Iſſaſcharem, nam erat inter haſce & Ephraimum. Incommodè vertit Vulgatus: *& conjunguntur ſibi in tribu Aſer ab Aquilone*; quem & alii ſunt imitati, quamvis fieri non potuerit ut hæ Tribus dicerentur *conjungi* in duabus aliis, aut eas *attingere*.

11. *In Iſſaſchare, aut in Aſere*] Eſt ובאשר *& in Aſere*, ſed copulâ hîc vertenda *aut*, nam in alterutra tantùm Tribu erant urbes, quæ hîc memorantur, non in utraque.

Beth-ſean] *Euſebius* in locis, de hac urbe: αὕτη ἐςι Σκυθόπολις, ἐπίσημος πόλις τῆς Παλαιςίνης· καλεῖ δὲ αὐτὴν ἡ γραφὴ καὶ οἶκον Σὰν (non Σὰμ) ὅπερ ἐςὶν οἶκος ἐχθρȣ̃. Hieronymo interprete: *nunc appellatur Scythopolis, urbs nobilis Palæſtinæ, quam interdum Scriptura nominat domum San, quod in lingua noſtra interpretatur inimicus.* Quaſi, nempe, *ſchan* שאן eſſet à radice שנא *ſchane*, odio habuit. LXX. Intt. hanc eſſe Scythopolin apertè indicant Jud. I, 27. ut & *Joſephus* Lib. V. Ant. Jud. C. 1.. & alibi ſæpiùs. Rationem nominis Græci non inquiremus, cùm nihil ad Hebraïcam Scripturam faciat, réſque ſit obſcuriſſima. Obſervandum dumtaxat hanc fuiſſe ad Jordanis occidentalem ripam ſitam, in finibus Iſſaſcharis.

Pagi ejus] בנותיה *filiæ ejus*, & ſic porrò in reliquis hujus versûs verbis. Vide ad Cap. XV, 45.

Jiblam] יבלעם quæ vicina videtur fuiſſe Megiddoni, ut colligere licet ex 1. Reg. IX, 27. ſed utrum ad fines Iſſaſcharis, an Aſeris non ſatis liquet.

Doræ] Propior hæc fuit finibus Aſeris. Vide dicta ad Cap. XI, 2. Idem dixeris de tribus reliquis urbibus hujus versûs.

Hen-doræ] Vel *fontis Doræ*, עין-דור *hen dor*. Hîc habitavit Necyomantis, de qua 1. Sam. XXVIII.

Thahanachi] Urbs Levitica, infra Cap. XXI, 25. De hac ita *Euſebius*: κώμη νῦν ἐςὶν ἀπὸ δ' σημείων τȣ̃ Λεγεῶνος: Hieronymus verò: *in quarto milliario oppidi Legionis hoc nomine vicus oſtenditur.* De Legione vide *Jac. Bonfrerium* in Onomaſtico, qui in Tribu Iſſaſcharis, ad orientem montis Thaboris, ſitam fuiſſe docebit.

Megiddonis] Idem vir doctus colligit hanc fuiſſe in confinio Zabulonitarum ex Jud. V, 19. Nec procul ab iis fuit, ſed propiorem eſſe oportuit Aſeritis, in quorum finibus, ut hinc liquet, fuit.

Tres tractus] שלשת הנפת *ſchloſcheth hannapheth.* Referenda, nempe, hæc ſunt ad Hendoram, Thahanachum, & Megiddonem. LXX. Intt. habent: τὸ τρίτον τῆς Ναφετά. Vulg. *tertia pars urbis Nopheth.* Sed nulla hujus urbis mentio, & ſatis conſtat נפת *napheth* ſignificare *tractum.* At pro *napheth* videtur legendum נפות *naphoth*, in plurali, ut Joſ. XI, 2. quamvis cum numero plurali interdum nomina ſingularia conjungantur.

12. *Voluerunt Chananæi*] ויואל הכנעני *Et voluit Chananæus*, hoc eſt, præ tædio vicinorum Iſraëlitarum aliò ſe non contulit; ſed maluit in ſedibus ſuis manere, quàm aliò migrare. LXX. Intt. verterunt, ἤρξατο aut ἤρξαντο, & *Hieronymus*: *cœpit.* Sed non eſt hæc ſignificatio vocis, verùm ea quam diximus, ad Cap. VII, 7. nec res ipſa patiebatur verti, uti fecerunt. Non cœperunt illic habitare, cùm venerunt Iſraëlitæ, ſed dudum ſedes illas tenebant. Neque dixeris, velle hoc Hiſtoricum Sacrum, *cœpiſſe Chananæos habitare* cum Iſraëlitis; nam ſi hoc voluiſſet, dixiſſet potiùs Iſraelitas ipſos cœpiſſe habitare cum Chananæis. Verbum הואיל *hobil* numquam hoc ſignificat, & videntur LXX. Intt. hanc vocem confudiſſe cum verbo החיל quod *incipere* ſonat Gen. IV, 26. nec negandum in Linguis Orientalibus miſceri gutturales litteras.

13. *Nec ejecerunt*] *Nec ejiciendo ejecerunt.*

14. *Dediſti mihi*] Quaſi dixiſſet Joſephi filium Ephraïmum dixiſſe. Perpetuæ hîc ſunt προσωνυμίας populorum, nomine conditoris appellatorum, & inſtar unius viri loquentium, aut ejuſmodi oratione ab aliis compellatorum.

Schœnum unum] Hic non ſumitur pro menſura Schoeni, qualem eam ex *Herodoto* deſcripſimus; ſed pro quovis modo agri, etiam magno, quales erant ii, qui integris Tribubus dati ſunt. Vide Cap. XIX, 9.

Uſque adeò mihi adhuc benedixit Jehova] עד אשר עד כה *had aſcher had chah.* Omnino עד אשר, quod *donec* plerumque ſignificat, hîc videtur vertendum *uſque adeò*, non *eò quòd. Benedicere* paſſim dicitur Deus iis, quos multiplicat. Vide Gen. I, 22. & XII, 3. & not.

15. *In ſilvam*] Intelligendæ ſunt valles & campeſtria loca montibus ſubjecta, & quæ tunc erant ſilvis horrida; quamvis hîc illic eſſent ſine dubio loca multa apertiora, quandoquidem eorum incolæ habebant currus, qui in locis nimiùm impeditis erant inutiles. Vide ſequentia.

Condito tibi ſedes illic] ובראת לך שם *oubrethu lcha ſcham*, & creato tibi illic. Oſtendimus ברא ſigni-

14. Alloquuti ſunt etiam poſteri Joſephi Joſuam, hiſce verbis: cur dediſti mihi hereditatem unam & Schoenum unum, cùm ſim populus magnus, uſque adeò mihi adhuc benedixit Jehova? 15. Joſua verò illis, ſi magnus, inquit, es populus, contendito in ſilvam, & condito tibi ſedes illic, in terra Pherizæorum, & Rephæorum, ſi montana Ephraïmi tibi anguſta ſunt. 16. Repoſuerunt Joſephi poſteri: montana quidem non invenimus *ſatis ampla*; ſed currus ferrati ſunt apud omnes Chananæos, qui habitant agros vallis; eos qui ſunt Bethſeane, & in pagis ejus, & eos qui ſunt in valle Jizrehelis. 17. At Joſua domui Joſephi, Ephraïmitis & Manaſſitis: multus, inquit, populus es, & magnæ ſunt tuæ opes, non erit tibi ſors una. 18. Nam montana tua erunt, ſilva item tua erit, eam incolis inſtrues, tuique erunt ejus fines; nam Chananæos, quamvis eis ſint currus ferrati, & quamvis ſint validi, expelles. *XVI.*

ſignificare aliquando regionem condere, incoliſque inſtruere, ad Gen. I, 1. ubi vide notata.

16. *Montana quidem non invenimus ſatis ampla*] לא ימצא לנו ההר lo jimmatſe lanou hahar, *non invenietur nobis mons*; hoc eſt, non poſſumus invenire montanos tractus ſatis amplos, ut nos omnes continere poſſint. Vide de hac loquutione not. ad Num. XI, 22. LXX. habent hîc, in Codd. Vaticano & Alexandrino, ἀρέσκει, ſed legendum ἀρκέσει *ſufficiet*, ut eſt in aliis, quemadmodum notavit *Fl. Nobilius*; nam ſic etiam verterunt Num. XI, 22. Vulgatus vim loquutionis non adſequutus vertit hîc ex conjectura, *non poterimus montana conſcendere*.

Currus ferrati ſunt] *Currus ferri*, hoc eſt, ferro tecti, ne ſecuribus ſecari poſſent. Hîc multa *Jac. Bonfrerius* de falcatis curribus collegit, qui apud Orientales in uſu erant. Sed ex quo indicio colligat falcatos hos fuiſſe currus, non intelligo. Quidni enim potuerunt currus eſſe, quales erant Heroum Homericorum, qui poſt hæc tempora floruerunt; hoc eſt, bigæ, è quibus unus & alter pugnabant, & in quibus nullæ falces erant? Nullæ etiam falces additæ leguntur Eſſedis Britannorum, quorum pugnam ſic deſcribit Cæſar de Bel. Gal. Lib. IV. c. 33. *Genus hoc eſt ex eſſedis pugnæ. Primò per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atque ipſo terrore equorum & ſtrepitu rotarum ordines plerumque perturbant, & cùm ſe inter equitum turmas inſinuaverunt, ex eſſedis deſiliunt, & pedibus præliantur. Aurigæ interim paullùm è prælio excedunt, atque ita ſe collocant, ut, ſi illi à multitudine hoſtium premantur, expeditum ad ſuos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, ſtabilitatem peditum in præliis præſtant* &c. Tales etiam currus, apud Chananæos, fuiſſe potuerunt; quam in ſententiam eò magis inclinamus, quòd falcatorum curruum, nonniſi in patentibus campis, exiguus, aut nullus fuit uſus; quia falces ex axe & rotis prominentes facilè virgultis implicantur, curruúmque motus aſperitate locorum impeditur. Huc accedit quòd *Xenophon* Cyropædiæ Lib. VI. p. 152. doceat falcatorum curruum apud Orientales primum inventorem fuiſſe Cyrum, cùm antea curribus uterentur, quales erant Trojani. Digna ſunt ejus verba, quæ hîc adſcribantur, alibi, ubi curruum mentio erit, nequaquam repetenda. Τὴν μὲν, inquit verba faciens de Cyro, ΤΡΩΙΚΗΝ διφρείαν πρόσθεν οὖσαν, καὶ τὴν Κυρηναίων ἔτι νῦν οὖσαν ἁρματηλασίαν κατέλυσε· τὸν γὰρ πρόσθεν χρόνον καὶ οἱ ἐν τῇ Μηδίᾳ καὶ ΣΥΡΙΑ καὶ Ἀραβίᾳ καὶ πάντες ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς ἅρμασιν οὕτως ἐχρῶντο, ὥσπερ νῦν οἱ Κυρηναῖοι: *Trojanam rationem curruum, quæ antea erat, & agitationem Cyrenæorum, quæ etiamnum hodie obtinet, ſuſtulit. Antea enim & Medi & Syri & Arabes, & omnes Aſiatici, utebantur curribus, quemadmodum nunc Cyrenæi.* Tum rationes inſtituti Cyri deſcribit, ut & currus falcatos ab eo primùm inventos. Itaque cùm Scriptura nuſquam meminerit falcium ex curribus eminentium, antiquius & ſimplicius genus curruum intelligere malim.

Hîc LXX. Intt. mirè verterunt: ἵππος ἐπίλεκτος καὶ σίδηρος, cum de curribus agatur, non de equite, aut ferro. Malè etiam verterunt hanc loquutionem Jud. I, 19. Si hæc, innumeráque alia expendiſſent, qui eam verſionem θεόπνευστον propter fictum *Ariſteam* eſſe putant, numquam tam abſurdam ſententiam tueri ſuſtinuiſſent.

Eos qui ſunt Beth-ſeane] Mirum eſt primâ fronte Beth-ſeanitas hîc memorari, quorum urbs fuit in finibus borealibus Tribûs Manaſſæ. Sed potuit fieri ut ex eo loco Scythopolitani incurſiones in agros Ephraïmitarum facerent, non procul illinc remotos; præſertim ſi cum Scythopolitanis conjungamus pagos, qui ab iis pendebant. Cùm enim incolerent eam partem magni Campi, quæ eſt infra lacum Genneſareticum ad occaſum Jordanis, facilè poterant, peragratâ latitudine non ita magnâ agri Tribûs Manaſſæ, in fines Ephraïmitarum irrumpere.

In valle Jizrehelis] Idem de hiſce dixeris, quorum urbs Jizrehel in finibus meridianis Iſſaſcharitarum ſita erat. *Euſebius*: Ἰεζραὴλ φυλῆς Μανασσῆ ἔστι εἰς ἔτι, νῦν ἐπισημοτάτη Ἐσδραηλὰ κώμη ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένη, μεταξὺ Σκυθοπόλεως καὶ Λεγεῶνος, ἣ δὲ καὶ ὅριον Ἰσσάχαρ: ubi Hieronymus: *Jezraël in Tribu Juda, ſed non eſt ipſa, quæ Jezraël in Tribu Manaſſe; hodieque prægrandis vicus oſtenditur in Campo Maximo, inter Scythopolin & Legionem. Fuit autem terminus Iſſachar.*

17. *Ephraïmitis & Manaſſitis*] Ergo, aut ambæ Tribus de arctioribus finibus conqueſtæ ſunt, aut Joſua indicare voluit, non eſſe quòd Ephraïmitæ quererentur; quandoquidem uni Joſephi familiæ tantumdem agri, quantum duabus aliis Tribubus, obtigiſſet.

18. *Silva*] Valles montibus ſubjectæ, & pars quidem ingentis illius vallis, quæ Magnus Campus dicebatur, Jordanem verſùs, in finibus orientalibus Ephraïmitarum.

Incolis inſtrues] בראתו *beretho*. Vide ad Gen. I, 5, & ſuprà v. 15.

Ejus fines] תוצאותיו *exitus*: nempe, ad Jordanem.

Quamvis] כי *chi*, ut & in ſequentibus verbis. Vide Exod. XIII, 17.

XVI. Mittuntur III Viri ex ſingulis Tribubus, ad deſcribendam reliquam terram Chananæam, qui mandatis defuncti redeunt. Itaque ſortes ſeptem reliquarum Tribuum jaciuntur Silunte, primáque prodit ſors poſterorum Benjaminis, quorum fines deſcribuntur.

Caput XVIII.

1. POSTEA congregatus eſt univerſus cœtus Iſraëlis Siluntem, collocarúntque illic Tabernaculum conventûs, poſtquàm terra *Chananæa* ab illis ſubacta fuiſſet. 2. Supererant autem, inter Iſraëlitas, quibus hereditas non erat diviſa, ſeptem Tribus. 3. Tum dixit Joſua Iſraëlitis: quò uſque ſegnes eritis, ad occupandam terram, quâ Jehova Deus patrum veſtrorum vos donavit? 4. Legite vobis tres viros ex unaquaque Tribu, tum eos mittam, ſurgent, peragrabunt, deſcribéntque terram, ſecun-

In Caput XVIII.

1. S*iluntem*] Antea videtur Tabernaculum fuiſſe Gilgale, ubi Joſua caſtra habuit; ſed poſtquàm Ephraimitæ tractus, qui ſibi obtigerant, occupaſſent, in urbem eorum Tribûs eſt tranſlatum; ea de cauſa, ut videtur, quòd Joſua ipſe eſſet Ephraïmita, nec vellet à ſe nimiùm divelli Tabernaculum. Huc accedebat quòd eſſet Silo ferè in media Chananæa, adeóque faciliùs adiri poſſet ab omnibus Tribubus, cùm ad ſacra facienda, tum ad conſulendum Pontificem Maximum. *Joſephus* Lib. V. c. 1. tertiam addit rationem ex amœnitate loci petitam. Ἄρας δὲ, inquit, ἐκ τῶν Γαλγάλων ἀναστρατοπεδεύσας, εἰς τὴν ὄρειαν ἱστᾷ τὴν ἱερὰν σκηνὴν, κατὰ Σιλοῦν πόλιν· ἐπιτήδειον γὰρ ἐδόκει τὸ χωρίον, διὰ κάλλος, ἕως οἰκοδομεῖν ναὸν αὐτοῖς τὰ πράγματα παράσχῃ: *Jeſus motis caſtris ex Galgalis, in montanis collocavit ſacrum Tabernaculum ad urbem Siluntem. Idoneus enim videbatur locus, propter amœnitatem, donec templum ædificari res Iſraëlitarum paterentur.*

Poſtquam terra Chananæa &c.] *Et terra ſubacta erat coram illis.*

2. *Quibus hereditas non erat diviſa*] Non docet Scriptura cur ſortitio inchoata Gilgale, ut docemur Capp. XIV, & XV. perfecta tum non fuerit. Sed ſi ex iis, quæ poſtea narrantur, conjicere licet, credibile eſt nonnullam diſſentionem inter Tribus exortam, aut quòd Tribui Judæ data eſſet optio eligendi quem vellet Chananææ tractûs; aut quòd eidem Tribui nimis amplus agrorum modus adtributus fuiſſet, & quem ſi ſervaviſſet integrum, reliquis omnibus Tribubus quod daretur non erat; cùm præſertim, nec Sidonii, nec Philiſthæi ſedibus ſuis expulſi eſſent, nec expellendi viderentur; ne jam dicam multos hîc illic Chananæos, in mediis Iſraëlitarum agris, avitas poſſeſſiones retinuiſſe; quod fecerunt Jeroſolimitani, Scythopolitani, aliique antea memorati. Igitur ut poſſeſſiones omnibus invenirentur, nova diviſio, ac ſortitio inita eſt, quæ in ſequentibus narratur. *Joſephus* qui, in ordine narrationis, ſequitur ſæpe conjecturas ſuas, potiùs quàm Libros Sacros, additque è ſuo quidquid videtur, unam memorat diviſionem Silunte factam Lib. V. cap. 1.

4. *Legite vobis tres viros*] *Date vobis.* Si terni viri erant tantùm lecti ex ſeptem Tribubus, quæ nondum agros acceperant, erant unus & viginti. At *Joſephus* ait lectos ἕνα κατὰ φυλὴν, *ſingulos ex ſingulis tribubus*, & poſtea fuiſſe *decem*, unde intelligere licet eum credidiſſe electos ex novem Tribubus integris & dimidia Manaſſæ, quæ erat ad occaſum Jordanis. Non intelligo quî ſibi licitum exiſtimarit fingere, pro arbitrio, circumſtantias.

Deſcribéntque terram] Duplici ratione hoc intelligi queat. Potuit enim catalogus fieri urbium & vicorum, additâ plagâ cœli ad quam ſinguli tractus ſpectabant, ut poſtea dividerentur in ſeptem partes. Potuit etiam, more noſtro, fieri deſcriptio in tabulis, vel in libro expanſo, additâ locorum diſtantiâ. Atque hoc poſteriori modo facta videtur deſcriptio; alioqui difficilis intellectu & parum accurata futura fuiſſet, & litibus occaſionem præbitura; cùm aliæ Tribus plus æquo, aliæ minùs quàm par erat agri eſſent accepturæ. Nec mirum eſt hanc conficiendarum tabularum, vel dividendorum agrorum artem non fuiſſe prorſus ignotam Iſraëlitis, quandoquidem inventa erat & florebat in Ægypto. *Herodotus* Lib. II, 109. memoratâ exundatione Nili, quâ mutabantur fines agrorum, ait à Rege menſores miſſos, qui viderent quanto agri minores facti fuiſſent, ut minùs penderent tributum, tum addit: δοκεῖ δὲ μοι ἐντεῦθεν γεωμετρίην εὑρεθεῖσα εἰς τὴν Ἑλλάδα ἐπανελθεῖν; *atque hinc mihi inventa videtur Geometria in Græciam tranſmiſiſſe.* Sic & *Strabo* Lib. XVII. non procul ab initio: ἔδειτο δὲ τῆς ἐπ' ἀκριβὲς, καὶ κατὰ λεπτὸν διαιρέσεως, διὰ τὰς συνεχεῖς τῶν ὅρων συγχύσεις, ἃς ὁ Νεῖλος ἀπεργάζεται κατὰ τὰς αὐξήσεις, ἀφαιρῶν καὶ προστιθεὶς καὶ ἐναλλάττων τὰ σχήματα, καὶ τ' ἄλλα σημεῖα ἀποκρύπτων, οἷς διακρίνεται τό, τε ἀλλότριον, καὶ τὸ ἴδιον, ἀνάγκη δὲ ἀναμετρεῖσθαι πάλιν καὶ πάλιν. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὴν Γεωμετρίαν συστῆναί φασιν, ὡς τὴν λογιστικὴν, καὶ ἀριθμητικὴν παρὰ Φοινίκων διὰ τὰς ἐμπορείας. *Opus autem fuit accurata ac ſubtili locorum diviſione, propter continuas finium confuſiones, quas creat Nilus, eo tempore quo augetur, aliis addens, aliis adimens & immutans figuras, & ſigna obruens, quibus proprium diſcernitur ab alieno. Itaque iterum atque iterum dimetiendum erat. Atque hinc ab Ægyptiis Geometriam aiunt inſtitutam, quemadmodum ratiouum conficiendarum artem & arithmeticam à Phœnicibus, propter mercaturam.* Similia etiam habet *Diodorus* Siculus Biblioth. Hiſt. Lib. I. Igi-

cundùm earum hereditatem, atque ad me venient. 5. Deinde eam divident in ſeptem partes; *ita ut* Juda maneat in finibus ſuis à meridie, *pariterque* domus Joſephi maneat in finibus ſuis à ſeptemtrione. 6. Vos verò deſcribetis terram in ſeptem partes, afferetiſque *eam deſcriptionem* huc ad me; & vobis hîc jaciam ſortem, in conſpectu Jehovæ Dei noſtri. 7. Non erit enim Levitis ſors inter vos, quia ſacerdotium Jehovæ eorum eſt hereditas; Gad autem & Ruben & dimidia Tribus Manaſſæ hereditatem ſuam trans Jordanem acceperunt, ad orientem, quam eis dedit Moſes ſervus Jehovæ.

8. Surrexerunt ergo viri illi, atque abierunt. Præcepit verò Joſua abeuntibus, ut deſcriberent terram, his verbis: ite, peragrate terram, eam deſcribite, & revertimini ad me; tum hîc Silunte jaciam vobis ſortem, coram Jehova. 9. Itaque profecti ſunt viri, peragrarúntque terram & eam deſcripſerunt in libro, in ſeptem partes, ſecundùm urbes; ac venerunt ad Joſuam, in caſtra Siluntis.

10. Deinde Joſua jecit ſortem Silunte, coram Jehova, diviſitque illic terram Iſraëlitis, ſecundùm eorum partes. 11. Prodiit ſors Benjaminitarum, ſecundùm eorum familias

Igitur nemo mirabitur, ſi ſtatuamus etiam fuiſſe nonnullos inter Hebræos, qui poſſent terram dimetiri; nam quamvis Chananæa & Ægyptus inferior, in qua fuerant, multùm diſcreparent, cùm Ægyptus plana eſſet, niſi ubi aggeres arte humanâ facti erant, Chananæa verò montibus referta; adeóque Ægyptum poſſent funibus agri menſores facilè dimetiri, non Chananæam; attamen editi Chananææ montes aptiſſimi erant ad tabulas conficiendas. Ideò *Joſephus* auctor eſt, ex re ipſâ, ut puto, quoſdam Geometriæ peritos hoſce viros eſſe comitatos: ἄνδρας, inquit, τοὺς ἐκμετρησομένους τὴν χώραν αὐτῶν ἐξέπεμψε, συνδοὺς αὐτοῖς τινας γεωμετρίας ἐπισταμένους, οἷς τἀληθὲς οὐκ ἔμελλε λήσεσθαι διὰ τὴν τέχνην: *viros dimenſuros regionem eorum miſit, dans illis quoſdam Geometriæ peritos, quibus verum ignotum non erat futurum, propter artem.*

Secundùm earum hereditatem] Hoc eſt, pro magnitudine Tribuum, quarum ſingulis familiis danda erat hereditas, eáque etiam amplior, quàm tunc temporis neceſſe erat; ut, ſi familiæ augerentur, lapſu temporis, poſſent in iiſdem finibus ſaltem aliquamdiu vivere; præterquàm quòd in ſeptem partes æquales dividenda erat Chananæa, quamvis Tribus aliæ aliis eſſent numeroſiores. Igitur neceſſe erat hoſce viros dividundis agris præfectos habere deſcriptum numerum familiarum ſingularum Tribuum; ut poſſent videre, quo agri modo numeroſiſſimæ indigerent. Sed *Joſephus* præterea vult rationem habitam fertilitatis agrorum: ἐντολὰς δοὺς, inquit, ἀποτιμήσασθαι τό τε εὐδαίμονον διάμετρον γῆς, καὶ τῆς ἧσσον ἀγαθῆς· ἡ γὰρ φύσις τῆς Χαναναίων γῆς τοιαύτη τις ἐστιν, ὡς ἴδοι τις ἂν πεδία μεγάλα καὶ καρποὺς φέρειν ἱκανώτατα, καὶ συγκρινόμενα μὲν ἑτέρᾳ γῇ πανευδαίμονα νομισθησόμενα, τοῖς δὲ Ἱεριχουντίων χωρίοις παραβαλλόμενα, καὶ τοῖς Ἱεροσολυμιτῶν (εἰς) τὸ μηδὲν ἀναφανησόμενα. καίτοι παντελῶς ὀλίγην αὐτῶν εἶναι τὴν γῆν συμβέβηκε, καὶ ταύτης ὀρεινὴν τὴν πολλὴν, ἀλλ' ὑπερβολῇ εἰς καρπῶν ἐκτροφήν τε καὶ κάλλος οὐκ ἀπολείπεσθαι ἑτέρας, καὶ διὰ τοῦτο τιμητὰς μᾶλλον ἢ μετρητὰς τοὺς κλήρους εἶναι δεῖν ὑπέλαβε, πολλάκις ἑνὸς πλέθρου κἂν χιλίων ἀντάξιου γινομένου: *dans in mandatis ut æſtimarent menſuram terræ fertilis, & minùs bonæ. Hæc enim eſt natura terræ Chananæorum, ut quis videat campos magnos, eóſque fructibus edendis aptiſſimos, & qui collati alii terræ poſſint fertiliſſimi haberi; at ſi conferantur cum Jerichuntinorum, aut Jeroſolimitanorum agris, in nihilum ſit abitura eorum fertilitas. Attamen parvum omnino ſolum iis obtigit, idque maxima ex parte montanum, ſed maximâ fertilitate ac pulcritudine nulli alii cedit. Quamobrem exiſtimavit oportere prædia æſtimari, non menſurari; cùm ſæpe unum jugerum ſit vel millenis æquiparandum.* Quamquam de hiſce nihil habet Scriptura, credibile ſanè eſt fertilitatis agrorum rationem aliquam habitam, cùm hoc poſtularet æquitas, fuiſſe.

5. *A meridie*] Eum tamen tractum occuparunt poſtea Simeonitæ, cùm neceſſe eſſet minui tractum Judæ poſteris antea adtributum, aut duas Tribus agris carere. Sed tamen fines Populi Hebræi ad eam cœli plagam ulteriùs prolati non ſunt; quia ſuberat hinc Ægyptus, regnum potentiſſimum, inde Arabiæ ſolitudines; ſi Idumæam excipias, quam invadi noluit Deus.

A Septemtrione] Nam inter Judæ, & Ephraïmi poſteros interpoſita fuit Tribus Benjaminis. Sed Ephraïmitis à Septemtrionibus nihil detractum.

6. *In ſeptem partes*] Benjaminitis, Simeonitis, Zabulonitis, Iſſaſcharitis, Aſeritis, Nephthalitis ac Danitis dandas, ut poſtea ſequitur. Sed ut ſeptem invenirentur partes, duæ in agris Tribûs Judæ dividendæ fuerunt.

Jaciam vobis ſortem] Ut ſorte ſeptem partes iis, quibus ſingulæ obtigent, attribuantur.

In conſpectu Jehovæ] Ante Arcam.

7. *Sacerdotium Jehovæ* &c.] Vide ad Cap. XIII, 14.

8. *Præcepit Joſua* &c.] Superiora repetuntur, more Hebræorum, qui cùm ſat pauca narrent, pauca illa ſæpiùs repetunt, pro antiquiſſimorum temporum ſimplicitate.

9. *In libro*] In quo deſcripta fuiſſe videntur diſtantia locorum, montes, valles, urbes &c. Sed cùm in agris nondum cuiquam attributis inveniſſent duntaxat tantùm ſoli, quantùm neceſſe erat quinque Tribubus, duabus earum ex Judæ attributis agris poſſeſſionem dari neceſſe fuit.

10. *Iſraëlitis*] לבני ישראל quæ melior videtur lectio, quàm לפני *liphne*, coram, quod eſt in nonnullis Codicibus. Priori lectioni favent Antiqui Interpretes.

11. *Prodiit*] *Adſcendit*; nempe, ex urna concuſſa, ut ſæpe diximus.

milias, & exiverunt fines ſortis eorum, inter poſteros Judæ, & poſteros Joſephi. ¹²· Fuerunt autem hi eorum fines, ad latus aquilonare; à Jordane, adſcenderunt ad latus Jerichuntis à ſeptemtrione, deinde ad montana versùs occaſum, & proceſſerunt in deſertum Bethavenis. ¹³· Tranſiverunt inde fines Luzam & ad latus quidem Luzæ (quæ & Bethel) ad meridiem, deſcenderúntque Hatroth-adarem, quæ eſt in monte ad meridiem Beth-choronis inferioris. ¹⁴· *Inde* deſcripti fines circumiverunt, latere occidentali ad meridiem, à monte qui eſt è regione Beth-choronis ad meridiem, proceſſerúntque ad Kirjath-Bahalis, quæ eſt Kirjath-jeharim, & urbs eſt poſterorum Judæ; is quidem fuit latus occidentale. ¹⁵· Latus verò meridianum *fuit* ab extremis Kirjath-jeharimis, *unde* proceſſerunt fines versùs mare *ſalſum*, & pervenerunt ad fontem aquæ Nephthoachum. ¹⁶· Tum proceſſere fines ad extremum montem, qui eſt è regione vallis filii Hinnomi, & eſt in valle Rephæorum, ad ſeptemtrionem. Deſcendere in vallem Hinnomi, ad latus Jebuſæi, meridiem versùs. *Tum* progrediebantur *fines* ad Henrogelem, ¹⁷· & deſcripti à ſeptemtrione tendebant Hen-ſemeſum, & Gelilothas, quæ ſunt è regione adſcensûs Adummimorum, ibant ad Aben-bohan filii Rubenis, ¹⁸· tranſibant juxta Harabam ad ſeptemtrionem, unde iterum deſcendebant ad campeſtria juxta Bethchoglam, aquilonem versùs, deſinebántque ad ſinum maris ſalſi ſeptemtrionalem, & ad extremitatem meridianam Jordanis. Hi fuere meridiani fines. ²⁰· *Idem* Jordanes claudebat latus orientale. Atque hæc eſt hereditas poſterorum Benjaminis, pro ejus finibus, ſecundùm eorum familias.

²¹· Fuerunt urbes Tribûs poſterorum Benjaminis, pro eorum familiis, Jericho, Bethchogla & Hemek-Ketſits; ²²· Beth-haraba, Tſemarajim & Bethel; ²³· Havvim, Phara & Hophra; ²⁴· Chephar-hamona, Hophni & Gaba, urbes duodecim, cum earum vicis.

²⁵· Gib-

¹²· *Ad latus Jerichuntis*] Hoc eſt, ita ut Jerichuntem complecterentur.

Ad montana] Ad catenam montium, qui Magnum Campum cingunt, ab occaſu.

Deſertum Bethavenis] Ex collatione finium auſtralium Ephraïmitarum ſuprà Cap. XVI, 1. deſcriptorum, liquet hanc ſolitudinem eſſe *eam, quâ adſcenditur Jerichunte ad montem Bethelis.* Satis conſtat, ex quo Jerobohamus vitulum aureum Bethele adorandum propoſuit, potuiſſe hanc urbem בית-און *beth-aven* dici, hoc eſt, *domum peccati* & ſic reverà dictam Hoſ. IV, 15. ſed jam à temporibus Joſuæ, aut antequàm id facinus admiſiſſet Jerobohamus, cur vocari potuerit tam ominoſo nomine non liquet. Ideóque nonnulli exiſtimant *Bethel* & *Beth-aven* eſſe nomina duarum vicinarum urbium. In hac ſententia fuerunt *Euſebius* & *Hieronymus*. Sic prior habet: Βηθὰν (lege Βηθαὺν) φυλῆς Βενιαμὶν, πλησίον τῆς Γαιῆς (Γαὶ vel *hai* עי) καὶ Βηθὴλ ἄντικρυ Μάχμας. Poſterior: *Bethaun* (non *Bethaim*) *in tribu Benjamin, juxta Gai & Bethel, contra Machmas; licèt plerique eamdem putent eſſe Bethel.* Vide & utrumque ad vocem *Bethel.* Si fuit eadem urbs, nec vocata fuit *Bethaven*, niſi poſt Idololatriam Jerobohami; oportet ut librarii mutarint nomen *Bethel*, in *Beth-aven*, quotieſcumque hoc nomen occurrit ante tempora Jerobohami; aut ut Scriptores Sacri prolepſi uſi ſint, ſi modò vixerint poſt Jerobohami factum. Vide 1. Sam. XIII, 5. XIV, 23.

¹³· *Luzam*] Vide de hiſce finibus dicta ad C. XVI.

¹⁴· *Kirjath-Bahalis*] Vide ad Cap. XV, 9. ubi de hiſce finibus.

¹⁵· *Versùs mare ſalſum*] Eſt tantùm ימה *jammah*, ad mare; ſed quia liquidum eſt deſcribi latus auſtrale finium Benjaminis, initio facto à mari Mediterraneo, ortum versùs; hoc *mare* aliud eſſe non poteſt, quàm *mare ſalſum*, ſeu Sodomiticum, ad cujus ſummum ſinum, ad ſeptemtriones, deſinunt fines Benjaminis. *Hieronymus* quidem habet *contra mare* obſcurè, LXX. verò Intt. quid legerint neſcio, cùm habeant Γαιὶν aut Γαὶν.

¹⁶· *In valle Rephæorum*] Vide ad Cap. XV, 8.

¹⁷· *Deſcripti à ſeptemtrione*] *Deſcribitur à ſeptemtrione*, nempe, limes. Intelligendum à ſeptemtrione Hen-ſemeſi.

Gelilothas] Vide ad Cap. XV, 7.

²¹· *Hemek-ketſis*] Hoc eſt, *vallis inciſionis*, unde conjecerunt nonnulli, illic fuiſſe Balſami arbores, quæ inciſione corticis ſuccum illum pretioſum emittebant. Sed mera eſt conjectura, & קציץ *Ketſits* quamvis aliam inciſionem ſignificare poteſt.

²²· *Beth-haraba*] Quæ ſimpliciter *Haraba* antea dicta eſt.

²⁸· *Jebuſi*] יבוסי *jebouſi*. Cùm ſit, ex perpetua & certa Linguæ Hebraicæ Analogia, nomen hoc ἐθνικὸν, non urbis, cùmque LXX. Intt. habeant Ἰεβοῦς & Vulgatus *Jebus*, credibile eſt *Jod* illud extremum abundare. Vide ad Cap. XV, 8.

In CAPUT XIX.

¹· *IN media hereditate*] Hinc liquet initio ampliorem æquo agri modum datum eſſe Judæ poſteris, qui poſtea eis eſt ereptus ex parte, ut Simeonitis & Danitis invenirentur ſedes ad occaſum Jordanis. Vide v. 9. Porrò loquutio בתוך נחלה *bthoch nahhalah*, in media hereditate, non eſt ita intelligenda, quaſi Simeonitarum agri cincti fuerint prædiis poſterorum Judæ. Simeonitæ enim occuparunt auſtralem oram Chananææ, Ægyptum & Idumæam versùs. Hinc *Joſephus* Lib. V. c. 1. Συμεωνὶς δὲ, δευτέρα γὰρ ἦν, ἔλαχε τῆς Ἰδουμαίας τὴν Αἰγύπτῳ καὶ τῇ Ἀραβίᾳ ὁμοροῦσαν: *Simeonitica verò, ſecunda enim erat, ſortita eſt Idumææ partem Ægypto & Arabiæ*

Digitized by Google

[25] Gibhon, Rama & Beeroth; [26] Mitſphe, Chephira & Motſa; [27] Rekem, Jirpheel & Tharala; [28] Tſelah, Eleph, Jebuſi (quæ & Jeroſolima) Gibhath, Kirjath; urbes quatuordecim & earum vici. Hæc fuit hereditas poſterorum Benjaminis, ſecundùm eorum familias.

XVII. *Deſcribuntur agri diviſi Simeonitis, Zabulonitis, Iſſaſcharitis, Aſeritis, Nephthalitis, ac Danitis.*

CAPUT XIX.

[1] SECUNDA prodiit ſors Simeonis, *ſeu* Tribûs Simeonitarum, ſecundùm eorum
familias; fuitque eorum hereditas, in media hereditate poſterorum Judæ. [2] Fue-
runt ergo in eorum hereditate, Beerſeba, Seba, & Molada; [3] Chatſar-ſuhal,
Bala & Hatſem; [4] Eltholad, Bethul & Chorma; [5] Tſiklag, Beth-merehaboth, &
Chatſar-ſuſa; [6] Beth-lebaoth & Saruchen; urbes tredecim, cum earum vicis.
[7] Hajin, Rimmon, Hether, & Haſan, urbes quatuor, cum earum vicis; [8] tum
omnes vici, qui ſunt circa illas urbes, uſque ad Bahalath-beer, *&* Ramath-negeb.
[8] Hæc fuit hereditas Tribûs Simeonitarum, ſecundùm eorum familias.
[9] Hereditas Simeonitarum *deſumta eſt* ex agris poſterorum Judæ, quia pars poſtero-
rum Judæ nimis magna illis erat. Quamobrem Simeonitæ hereditatem acceperunt, in
media eorum hereditate.
[10]. Tertia adſcendit ſors poſterorum Zabulonis, pro eorum familiis, fuerúntque eo-
rum fines uſque ad Saridum; [11] tum porrecti ſunt ſecundùm occidentem ad Marhalam,
pertigerúntque Dabbeſetham, & torrentem, qui eſt ad Joknehamum. [12] Deinde re-
dibant Sarido orientem versùs, ad ortum ſolis, ad fines Chiſloth-Thaboris, progre-
die-

biæ finitimam. Sed quamquam ad eam cœli plagam eſt Idumæa, cum vetiti ſint Judæi eam attingere, legendum hîc cenſuerim Ἰουδαίας, *Judææ.*

[2] *Beerſeba, Seba*] באשבע ושבע *beerſchebah vaſchebah.* Ita etiam legerunt LXX. & Vulgatus Intt. Attamen vix mihi tempero, quin credam ושבע eſſe repetitionem duarum præcedentium ſyllabarum, cùm quia alibi nulla eſt mentio τοῦ *Schebah*; tum etiam quia, ſi numeretur, erunt quatuordecim urbes, non *tredecim*, in hoc tractu, ut habetur v. 6. Sunt qui velint ideò verti, *Beerſeba*, ſeu *Seba*; ſed oportuiſſet oſtendere ſimpliciter *Seba* hanc urbem alicubi vocari. Ac ſanè 1. Paral. IV, 28. ubi recenſeatur Simeonitarum urbes, ſola memoratur *Beerſeba.*

[3] *Hatſem*] Propter accentum legunt hîc Maſſorethæ *Hatſem*, per *Kamets*, at 1. Par. IV, 29. *Hetſem* per *Segol.* Quis verò credat nomina propria aliter prolata, propter neſcio quos accentus, temerè poſitos; cùm præſertim nulla eſſet verſuum diſtinctio, neque ulla diutiùs in hoc nomine morandi, quàm in ſequente, ratio? Eſt & nonnulla alia varietas, in hiſce nominibus, de qua ad Paralipomena.

[7] *Ramath-negeb*] Hoc eſt, *Rama meridiei*, quod additur, niſi fallor, diſtinctionis causâ, ut ſecernatur ab aliis urbibus, quæ *Ramæ* dicuntur. Hæc, ut paſſim nomina propria, valde ſunt corrupta in Verſione LXX. Intt. נגב *negeb* vertunt κατὰ Λίβα, & Vulg. *contra auſtrum*; ſed forma constructa vocis רמת *ramath*, oſtendit eſſe cum ſequente conjungendam.

[9] *Ex agris*] מחבל *mechebel*, ex ſchœno; quæ vox hîc ampliorem tractum ſonat, ut ſuprà Cap. XVII, 14.

[10] *Adſcendit*] Ex urna, aut caſſide.

Uſque ad Saridum] שריד *ſarid*, rectè mihi videtur collocari in angulo occidentali, ad meridiem, non procul à mari Mediterraneo.

[11] *Secundùm occidentem*] Aut *ſecundùm mare* לימה *lajjammah*, nam hîc omnino fines occidentales hujus Tribûs deſcribuntur. Quamvis fines Zabulonis mare non attingerent, cùm Aſeritæ in hac parte finitimi fuerint Manaſſæ poſteris, ut liquet ex Cap. XVII, 10. attamen rectè dicuntur fuiſſe לימה lajjammah, *ad mare*, vel *ſecundùm mare*, quod ab iis non multùm abfuerint. Unde *Joſephus* Lib. V. c. 1. Ζαβυλωνῖται δὲ τὴν μέχρι Γεννησαρίτιδος, καθήκουσαν δὲ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν ἔλαχον: *Zabulonitæ verò ſortiti ſunt, uſque ad Geneſaritidem, terram quæ pertingebat circa Carmelum & mare.*

Joknehamum] Dicitur *Euſebio* Ἰεκναὰμ τοῦ Καρμήλου πόλις. *urbs Carmeli montis*; quem nemo dubitare queat, quin ad occidentem hujus Tribûs fuerit, & quidem juxta mare.

[12] *Sarido orientem versùs, ad ortum ſolis*] Hæc eſt deſcriptio finium auſtralium Zabulonitarum, quæ progreditur, ab occaſu in ortum. Verba קדם *kedem* & מזרח *mizrahh*, quamvis ejuſdem ſignificatûs, ſæpe conjunguntur. Vide Exod. XXVII, 13. & XXXVIII, 13. & infra v. 13.

Chiſloth-Thaboris] Sive *Chiſloth* vertas *latera Thaboris*, ſeu nomen proprium habeas, conſtat ſermonem eſſe de loco Thabori ſubjecto. Malim proprium nomen habere, & idem quidem ac *Cheſulloth*, quod poſtea memoratur in Tribu Iſſaſcharis, v. 22. nam eò uſque Iſſaſcharis fines pertingebant, ad Manaſſitarum agros. Vide ſuprà Cap. XVII, 10, 11. Hoc nomen variè ſcribitur in libro de locis, *Chaſelus*, *Chaſelath*, & *Achaſeloth*, ex vitioſa & inconſtante ſcriptura Codicum Græcorum; quâ factum ut *Euſebius* & *Hieronymus* non ſemel de eodem loco variè appellato egerint, quaſi non unus eſſet. Sed conſtat Thabori ſubjectam fuiſſe hanc urbem. *Euſebius*: Ἀχασελώθ, πόλις κλήρου Ἰσσάχαρ, λέγεται δὲ τις κώμη Χασαλοὺς (non Χααλὼς) ἐν τῇ πεδιά-

diebantur Dabratham & adſcendebant Japhiam. 13. Inde versùs ortum tranſibant ad
orientem Gittham, Chepherem, Hittham, Katſinem, deſinebántque Rimmone, com-
plexi Neham. 14. Deinde circumiverunt fines à ſeptemtrione Channathonem, ibant-
que ad vallem Jiphthachelis, 15. & Kattatham, Nahalalem, Simronem, Idalam, &
Beth-lechemum; quæ urbes ſunt duodecim, cum earum vicis. 16. Hæc fuit hereditas
Zabulonitarum, pro eorum familiis; atque hæ urbes, cum earum vicis.

17. Quarta ſors adſcendit Iſſaſchari *ſeu* Iſſaſcharitis, ſecundùm eorum familias,
18. ac fuerunt eorum fines ad Jizrehelem, Cheſullothas, & Sunemum. 19. Chepharajimos
Sionem, & Anacharatham, 20. Rabbithum, Kiſionem, & Ebetſum; 21. Remethum,
Hen-gannimos, Hen-chaddam, & Beth-phatſetſum. 22. Tum fines inciderunt in Tha-
borem,

ὑπὸ τὸ ὄρος Θαβὼρ, ἀπέχουσα Διοκαισαρείας σημείοις η', πρὸς ἀνατολάς. Hieronymus: *civitas in Tribu Iſſachar. Appellatur autem & quidam vicus Chaſalus, juxta montem Thabor, in campeſtribus, in octavo milliario Diocæſareæ, ad orientem reſpiciens.*

Dabratham] Hæc fuit ad meridiem finium Zabulonis, in Tribu Iſſaſcharis, ut liquet ex Cap. XXI, 8. nam fines Zabulonis circumagebantur à Thabore ſeptemtriones versùs, deinde ad ortum reflectebantur, donec inciderent in mare Genneſarethæ. Vide v. ſequentem.

Japhiam] Videtur hæc fuiſſe eadem ac urbs Galilææ, quam *Joſephus* de Bell. Jud. Lib. II. c. 42. *Japham* vocat, & cujus expugnationem deſcribit Lib. III. c. 21. ubi vicinam Jotapatæ fuiſſe ait.

13. *Ad orientem*] Eò reflectebantur, poſtquàm à Thabore monte Japhiam, ab auſtro ad ſeptemtrionem, veniſſent.

Complexi Neham] הַמְּתֹאָר נֵעָה *hammethoar Neha.* Nam rectè ſentire videntur, qui priorem vocem eſſe cenſent participium aut Piel, ita ut efferatur מְתָאֵר *methaer*, vel Pual, מְתֹאָר *methoar*, vertamúſque *complectens*, vel *complexus Neham:* hoc eſt, limitem ita deſiiſſe Rimmone, ut complecteretur Neham. Verbum תאר *thaar*, frequens eſt in deſcriptione finium, ſignificátque *deſcribere*, aut *complecti*. Attamen Vulg. Interpres nomen proprium eſſe putavit, vertitque *Amthar & Noha*. LXX. pariter cenſuerunt, quamvis prolatio nominis ſit apud eos corrupta, cum habeant in Vaticano quidem Codice: Ῥεμμωνὰ Μαθαροζὰ, in Alexandrino verò: Ῥεμμωναμ Μαθαρὶμ Ἀννουά. In aliis tamen Codicibus meliùs Ἀμαθάρ, niſi ſit emendatio Criticorum. Videntur porrò fines orientales hujus Tribûs fuiſſe ripæ Genneſaretici lacûs, quamvis hoc reticeat Scriptura; quæ neque habet de Tribûs Manaſſæ dimidia parte, ad occaſum Jordanis, neque de Iſſaſcharitica, eas Jordane ad ortum finitas fuiſſe; cùm tamen certum ſit eò uſque porrigendas.

14. *Deinde circumiverunt*] ונסב אתו *venaſab otho*, hoc eſt, *& circumivit illum* (Zabulonem) *terminus à ſeptemtrione.* Hinc incipienda deſcriptio ſeptemtrionalium finium Zabulonis.

Ibant ad vallem] *Egreſſus ejus fuerunt.* Vox תוצאות *thotſeoth*, tam adhibetur, ubi ſermo eſt de progreſſu finium in certam partem, quàm de eorum ultima extremitate ad eam cœli plagam. Eodem modo uſurpatur verbum יצא jatſa, *exivit*, quod paſſim videre eſt in hoc Libro, ubi finium deſcriptiones habentur.

Jiphtachelis] Hæc eadem vallis poſtea v. 27. dicitur fuiſſe in finibus Aſeris, quæ Tribus Zabulonem non tam à ſeptemtrionibus, quàm ab occaſu ſolis claudebat; ſed potuit hæc vallis latiùs extendi ſecundùm ſeptemtriones, ab ortu ad occaſum; deinde ferri ſecundùm occaſum, à ſeptemtrione ad meridiem.

15. *Quæ ſunt urbes duodecim*] Referenda hæc non ad omnia nomina oppidorum, quæ anteceſſerunt, in hujus Tribûs deſcriptione, quæ ſunt minimùm octodecim; ſed ad ea quæ memorantur à v. 13. & quæ ſunt Gittha, Chepher, Hittha, Katſin, Rimmon, Neha, Channathon Kattath, Nahalal, Simron, Idala, & Bethlechem. Superiorum ſumma non eſt inita à Scriptore Sacro, aut ejus ſubductio temporis injuriâ excidit. Simplicius & veriſimilius hoc mihi viſum, quàm ſi dicamus quaſdam ex memoratis eſſe aliarum Tribuum. Ceterùm hîc omnes omnino urbes Zabulonitarum non recenſentur, ſed finibus dumtaxat propinquæ. Fuerunt enim in ea Tribu urbes Leviticæ *Kartha* & *Dimna*, quæ memorantur infrà Cap. XXI, 34. Dicitur & 1. Par. VI, 77. *Thabor* urbs data Levitis in hac Tribu.

18. *Jizrehelem*] Hæc urbs fuit inſignis poſtea temporibus Regum Iſraëlis, ut liquet ex 2. Reg. XXI, 1. Sita erat in confinio Tribuum Iſſaſcharis & Manaſſæ; quo factum ut *Euſebius* eam Tribui Manaſſæ adſcribat, in libro de locis. Verba ejus attulimus ad Cap. XVIII, 16. Sed præſtat eam, cum Hiſtorico Sacro, tribuere Iſſaſcharitis.

Cheſullothas] Vide ad v. 12. Horum finium deſcriptio fit ab occidente in orientem; à Jizrehele, nempe, ad Jordanem, quà ex Chinnerethæ lacu erumpit.

22. *Inciderunt in Thaborem*] Nomen eſt urbis, non montis, ut liquet ex ſubductione ſummæ urbium. At 1. Paral. VI, 77. *Thabor*, quæ eadem eſſe videtur, collocatur in Tribu Zabulunis; fortè quòd urbs ad Zabulonem pertineret, ager ad Iſſaſcharem, & ab utriuſque Tribûs hominibus incoleretur; quod Jeroſolimæ aliiſque urbibus contigiſſe antea diximus. Ceterùm deſcriptio hæc finium, fit ab occaſu ad ſeptemtrionem, tendendo ad ortum.

Ad Jordanem] Ita tamen ut ſecundùm ripas lacûs Chinnerethæ agros haberent, ad ejus auſtrales fines.

25. *Chelkath*] Non procul à mari Mediterraneo fuerunt hæ urbes, quandoquidem per eas fines ad Charmelum tendebant. *Chelkath* urbs fuit Levitica, ut docemur Cap. XXI, 31.

Achſaph] Regis hujus urbis mentio fit Capp. XI & XII.

26. *Miſal*] Urbs Levitica, Cap. XXI, 30.

Char-

borem, Sachatſimam, & Beth-ſemeſum, deſierúntque ad Jordanem. Fuerunt urbes ſexdecim, cum earum vicis. 23. Hæc fuit hereditas Iſſaſcharitarum, ſecundùm eorum familias, urbéſque, cum earum vicis.

24. Quinta prodiit ſors Tribûs Aſeritarum, pro eorum familiis. 25. Fines eorum fuerunt Chelkath, Chali, Beten & Achſaph; 26. Alamelech, Hamhad, Miſal, & inciderunt in Charmelum ad occidentem, & in Sichor-libnatham. 27. Deinde redierunt ad ortum ſolis Beth-Dagonis, & inciderunt in Zabulonem, atque in vallem Jiphthachelis, ad aquilonem Beth-hemekæ & Nehielis, perrexerúntque ad Chabulem, à ſiniſtra;
28. tum Hebronem, Rechabum, Chammonem, & Kanam, uſque ad Sidonem magnam.
29. Inde redierunt fines illi Ramam, & uſque ad urbem munitam Tyrum, reverſique ſunt

Charmelum ad occidentem] Aut *ad mare* הימה *hajjammah*; ut diſtinguatur hic mons à monte cognomine, qui fuit in Tribu Judæ, in agris mediterraneis. Vide ſuprà Cap. XV, 55. Hic autem ad mare ſitus Charmelus longè celebrior fuit, & frequentiſſimè à Prophetis memoratur. *Joſephus* Lib. V. cap. 1. de Aſeritarum agris: τὴν δὲ ἀπὸ τοῦ Καρμήλου (κοιλάδα προσαγορευομένην, διὰ τὸ καὶ τοιαύτην εἶναι, intellige γῆν) Ἀσηρῖται φέρονται πᾶσαν τὴν ἐπὶ Σιδῶνα τετραμμένην· Ἄρκη δὲ πόλις ὑπῆρχεν αὐτῶν ἐν τῇ μερίδι, καὶ ἡ Ἀκτιπούς: *A Carmelo (vallem nominatam, quia talis eſt) ad Sidonem converſam univerſam terram habuerunt Aſeritæ. Arce urbs erat in hac eorum parte, & Ecdippa.* Sic enim legendum, non ἡ καὶ Ἀκτιπούς, ut viri docti monuerunt. Idem *Joſephus* de Bell. Jud. Lib. III. c. 4. teſtatur Carmelum olim Galilæorum fuiſſe, ſuo verò tempore Tyriorum, quibus ad auſtrum fuit.

Sichor-libnath] LXX. Intt. habent Σειὼρ καὶ Λαβανάθ, & ſic Vulgatus, *Sichor & Labanath.* At Hebræi Codices nullam interponunt conjunctionem. Utri meliùs, nemo dixerit. Conjecturis hîc niti eſt in tenebris micare.

27. *Ad ortum ſolis Beth-Dagonis*] Itaque hæc urbs remotior à mari fuit, & ad Orientem quidem promuntorii Charmeli. Alia Beth-dagon, in Tribu Judæ, ſuprà Cap. XV, 4. Utraque ſic dicta quod haberet *Ædem Dagonis*, de quo Numine alibi commodiùs agemus.

Chabulem] Fuit urbs ſic dicta, nam vicinus tractus ſeriùs hoc nomen habuit. Vide 1. Reg. IX, 13.

A ſiniſtra] Vel *à ſeptemtrione*, qui vulgò Hebræis *ſiniſtra*, ut oriens *dextra.*

28. *Hebronem*] עברון. At LXX. legerunt hîc עלבון *helbon*, ſi Cod. Romanum ſequamur, habet enim Ἐλβὼν, niſi locus ſit corruptus. Alexandrinus & Complutenſis habent Ἀχεβρὼν, Aldinus, Ἀχεβρὰν, quaſi ſcriptum fuiſſet עכרן *hachran.* Vulg. legit *Abran.*

Ad Sidonem magnam] Reflexo, nempe, ad ſeptemtriones limite. De Sidone vide Cap. XI, 8. Intellexerim, uſque ad Sidonios agros, vel uſque ad eamdem altitudinem, ac eſt Sidon, ſeptemtrionem versùs; nam Iſraëlitæ numquam Sidonem oppugnarunt, nimis munitam ac potentem, quàm ut facilè capi poſſet, à populo artis Poliorceticæ imperito.

29. *Ramam.*] הרמה *harama*, quod legit Hieronymus, *Horma.* Meliùs LXX. εἰς Ῥαμά. Multæ fuerunt ejus nominis urbes in Palæſtina, ab edito ſitu ſic dictæ.

Urbem munitam Tyram] עיר מבצר צר *urbem munitionis Tyram.* Intelligenda hîc nobilis & antiqua urbs *Palætyrus*, quæ in continenti ſita erat, non procul ab Inſula, in qua Nova Tyrus condita eſt poſtea. Certum eſt Sidonis, quaſi urbis orarum illarum potentiſſimæ, in hiſce libris frequentem mentionem fieri; nullam Tyri, ante Regum tempora, niſi hoc loco. Certum item eſt Tyrum à Sidoniis conditam, quamobrem dicitur *filia Sidonis* Eſ. XXIII, 12. *Joſephus* etiam annum, quo condita eſt, indicat, ſine dubio ex Tyriorum Annalibus, Ant. Lib. VIII. c. 2. Ἀπὸ δὲ οἰκήσεως Τύρου, εἰς οἰκοδομίαν τοῦ ναοῦ διαγεγόνει χρόνος ἐτῶν παρῳχηκότων ἢ διακοσίων: *à condita Tyro, ad ædificationem Templi, præterlapſum eſt tempus ducentorum quadraginta annorum.* Cùm verò jacta ſint Templi fundamento anno Periodi Julianæ 3702. condita fuerit Tyrus anno 3462. dum Gedeon Judicis munere apud Iſraëlitas fungeretur, circiter 68 annis ànte exſcidium Trojæ. Quare *Strabo* Lib. XVI. obſervavit *Homerum* ſæpe meminiſſe Sidonis, quaſi urbis à temporibus Heroïcis potentis, nuſquam verò Tyri. Hæc & ſimilia habet vir doctiſſimus *Joan. Marshamus* ad Chronici Canonis Sæculum XI, ubi de Tyri conditu agit; unde colligit hoc in loco nomen *Tyri* per prolepſin uſurpari, neque τῆς κληρουχίας tempora, ſed ætatem Scriptoris ſpectari. Alia etiam inferioris ævi vocabula in hoc libro eſſe vult, ut Galilæa XX, 7. XXI, 32. Chabul XIX, 27. Joktheel XV, 38.

Ut à poſtremis incipiamus, nolimus prorſus negare hîc eſſe nomina inferioris ævi; ſed an urbs illa Idumæorum, quæ antea *Selah*, hoc eſt, *rupes* vocabatur, eſtque à Rege Joaſo *Joktheel* dicta, eadem ſit cum urbe Tribûs Judæ, cui hoc nomen fuit, minimè liquet. Certè Judæi vetiti ſunt à Moſe urbes Idumæorum attingere. *Chabul* verò, ut diximus antea, hîc nomen eſt urbis, non tractûs. De voce *Gelil* poſtea ſuo loco agemus. Ad tempus conditæ Tyri quod attinet, ſi haberemus Tyriorum Hiſtoricos, quos habuit *Joſephus*, videremus an ſatis rectè eorum verba intellexerit; neque enim ei credere, in talibus, facilè poſſumus; quem videmus tam audacter Sacram paſſim interpolare Hiſtoriam. Quin & ipſe *Marshamus* luculentè oſtendit hominem de Paſtoribus, qui Ægyptum invaſerant, quos putat Iſraëlitas fuiſſe, graviter hallucinatum, in *Manethonis* verbis. Facilè potuit tam parum accuratus Hiſtoricus inſtaurationem Tyri, cum ejus primis initiis, miſcuiſſe; ita ut tunc primùm conditam dici crediderit, cum eſt inſtaurata ac amplificata, quamvis antea ſtetiſſet. Certè Tyrii multò antiquiorem eſſe ſuam urbem volebant, quam ſtetiſſe dicebant tempore *Herodoti* bis mille ac trecentis annis, ut ipſe docet Lib. II. c. 44. Nimia, quis enim dubitet? hæc

ſunt Choſam, & deſierunt ad mare, à tractu Achzibæ, 30. Hummæ, Apheki, & Rechobi; *quæ fuerunt* urbes viginti duæ, cum earum vicis. 31. Hæc hereditas fuit Tribûs Aſeritarum, pro eorum familiis, hæ urbes, eum earum vicis.

32. Sexta exivit poſterorum Nephthalis ſors, ſecundùm eorum familias; 33. Fueruntque eorum fines à Chelepho & querceto in Tſahanannimis, *ad* Adamin, Nekebum, Jabneelémque, uſque ad Lakkum, unde deſinebant ad Jordanem. 34. Tum redierunt fines, occaſum versùs, Aznothas Thaboris. 35. Inde progreſſi ſunt Chukkokam, incideruntque in Zabulonem à meridie, in Aſerem ab occaſu, & in Judam ad Jordanem, versùs ortum ſolis. 36. Urbes munitæ fuerunt Tſiddim, Tſer, Chammath, Rakkath & Chinnereth; 37. Adama, Rama & Chatſor; 38. Kedes, Edrehi, & Hen-chatſor; 39. Jiron, Migdal-el, Chorem, Beth-hanath, & Beth-ſemes; *quæ* urbes *ſunt* novemde-

hæc fuit antiqnitas; ſed hinc liqnet vulgò apud Tyrios antiquiorem habitam fuiſſe Tyrum, quàm habetur à *Joſepho*; qui fortè datâ operâ antiquitatem ejus minuit, ut Hebraicis originibus majorem reverentiam conciliaret. Potuit Tyrus antiquiſſimis temporibus, qualis fuit ætas Joſuæ, munimentum dumtaxat Sidoniorum fuiſſe, nec dum mercaturâ floruiſſe, quæ primùm Sidone ſedes fixerat; adeò ut Tyrus ignobilis eſſet, & Sidonis famâ obſcuraretur; quam poſtea, ſed ſeriùs, opibus & dignitate ſuperavit. Vide & quæ de antiquitate Tyri habet *Sam. Bochartus* Chanaanis Lib. II. c. 17.

A tractu Achzibæ] מחבל אכזיבה *mehhebel achzibah*, è ſchoeno Achzibæ; hoc eſt, ex ejus agro, ut antea non ſemel oſtendimus. *Euſebius*: Ἀχζίφ, αὕτη ἐστὶν Ἐκδίππα σημείοις θ΄ Πτολεμαΐδος ἀπέχουσα. Hieronymus: ACHZIPH *in Tribu Aſer, in qua alienigenæ permanſerunt. Hæc eſt Ecdippa, in nono milliario Ptolemaidis, pergentibus Tyrum.*

30. *Hummæ*] Hæ tres urbes non procul Ecdippâ fuiſſe videntur, quandoquidem cum ea conjunguntur, poſtquàm fines in orbem jam deſcripti ſunt.

Urbes viginti duæ] Sunt reverâ totidem numero, ſi modò omittas Charmelum qui mons fuit, non urbs, vallem Jiphthachelis, Tyrum & Sidonem, quas numquam occuparunt Iſraëlitæ. Infrà XXI, 30. præterea memoratur Abdon, in hac Tribu.

32. *Sexta exivit* &c.] *Filiorum Nephthalis exiit ſors ſexta, filiorum Nephthalis* &c.

33. *Tſahanannimis*] בצעננים *beſahanannim*. Nomen tractus fuit, de quo & Jud. IV, 11. Sed ſitum horum locorum accuratè nemo deſignaverit.

Adamin, Nekebum] ואדמי הנקב *veadami hannekeb.* LXX. habent καὶ Ἀρμὲ καὶ Ναβὼκ. Vulg. *Adami, quæ eſt Neceb.* Sed ה præfixum poteſt etiam eſſe is, quo motus ad locum ſignificatur; nam ſæpe in hiſce finium deſcriptionibus præfixum invenitur, non ſecus ac ſubfixum. Sic in fine versùs הירדן eſt pro ירדנה *jardenah.* Videntur progredi hìc fines ab occaſu ad ortum, & quidem ſecundùm ſeptemtriones, nam auſtrales fines poſtea deſcribuntur.

Ad Jordanem] Nempe, ad fontes Jordanis. *Joſephus* de finibus Nephthalitarum Lib. V. c. 1. τὰ δὲ πρὸς τὰς ἀνατολὰς (Ἀσηριτῶν) τετραμμένα μέχρι Δαμασκοῦ πόλεως καὶ τῆς Γαλιλαίας τὰ καθύπερθεν, Νεφθαλῖται παρέλαβον ἕως τοῦ Λιβάνου ὄρους καὶ τῶν Ἰορδάνου πηγῶν, αἳ τὴν ὁρμὴν ἐκ τοῦ ὄρους ἔχουσιν, ἐκ τῶν καθηκόντων τοῖς ὅροις τῆς βορείου πόλεως Ἄρκης παροικούσης: *quæ verò ad orientem* (Aſeritarum, quorum antea meminit) *converſa ſunt, uſque ad Damaſcum urbem, & Galilæam ſuperiorem Nephthalitæ acceperunt, ad Libanum uſque montem & fontem Jordanis, qui ex monte oriuntur, attingente fines à ſeptemtrione urbis Arces finitimæ.* Non crediderim tamen fines Nephthalitarum pertigiſſe Damaſcenum agrum, ultra Jordanis fontes ad ortum ſitum. Videtur omnino, ex verbis Scriptoris Sacri, Jordanes fuiſſe limes orientalis agrorum hujuſce Tribûs.

34. *Redierunt fines occaſum versùs* &c.] Hi ſunt auſtrales Nephthalitarum fines.

Aznothas-Thaboris] Euſebius: Ἀζανώθ, ὅριον Νεφθαλείμ, κώμη ἐν ὁρίοις Διοκαισαρείας, ἐν τῇ πεδιάδι: Hieronymus: *Terminus Nephthalim, eſt autem & nunc vicus ad Regionem Diocæſareæ pertinens.* Neſcio annon potiùs legendum ſit Καισαρείας, & intelligenda *Cæſarea* Philippi, quæ fuit in Nephthalitarum finibus, & à quo non uſque adeò remotæ fuerunt Azanothæ, quàm à Diocæſarea procul hinc ſita in Zabuloniis agris, occaſum versùs.

35. *Et in Judam ad Jordanem*] Diſertè ita habet Hebræus Codex: ביהודה הירדן *bihouda hajjarden*, & Vulgatus ſimiliter: *In Juda ad Jordanem.* At LXX. omiſsâ priori voce, habent in Codd. Vaticano, Alexandrino & Aldino, καὶ ὁ Ἰορδάνης ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου, quæ lectio caret omni difficultate, cùm ſuperior nullâ ratione ferri poſſit. In Complutenſi verò à correctoris manu, ut puto, inſertum καὶ Ἰούδα, ante verba prolata, ſine ſenſu. Nam inter Nephthalitas & Judæ poſteros interpoſitæ fuerunt Tribus Zabulonis, Iſſaſcharis, Dimidia Manaſſæ, Ephraïmi & Benjaminis; poſt quas demum ad meridiem, non ad ortum, fuere Tribûs Judæ agri. Quod nonnulli commenti ſunt, ut ſenſum hoc in loco invenirent; per Jordanem, ad ortum ſitum, potuiſſe à Nephthalitis adiri Tribum Judæ; id quidem verum eſt, ſed nihil facit ad hanc loqnutionem, ſcopúmque loci, qui eò ſpectat ut indicentur fines Nephthalitarum. Itaque vix poſſumus dubitare quin legendum ſit, hìc והירדן מזרח שמש *& in Jordanem ad occaſum ſolis*, ita ut vox ביהודה huc irrepſerit negligentiâ Librariorum; aut, ſi vocem integram hinc eliminare religioni ducatur, quin pro ביהודה legendum בידות bejadoth, *in ripas Jordanis*, nam יד *ripam* etiam fluvii ſignificare notum eſt. Vide Exod. II, 5. Deut. II, 37. aut ביאורי biore, *in rivos* Jordanis, qui duplici rivo illac ex Antilibano defluit. Certè voci ביהודה *bihoudah*, niſi planè deleatur, neceſſariò ſubſtituenda vox affinis ſoni, quæ poſſit conjungi cum voce הירדן *hajjarden*, ita ut is fluvius limes orientalis eſſe Neph-

decim, cum earum villis. 40. Hæc hereditas fuit Tribûs Nephthalitarum, pro eorum familiis; hæ urbes, earúmque vici.

41. Septima ſors prodiit Tribûs Danitarum, ſecundùm eorum familias. 42. Fuerunt fines hereditatis eorum Tſorha, Eſthaol & Hir-ſemes; 43. Sahalabbin, Ajalon & Jithla; 44. Elon, Thimnatha & Hekron; 45. Eltheke, Gibbethon & Bahalath; 46. Jehud, Beneberak, & Gath-rimmon; 47. Me-jarkon & Harakkon, cum finibus, è regione Joppæ. 48. Exiverunt etiam hiſce finibus ſuis Danitæ, expeditionéque ſuſceptâ, bellum intulerunt Leſemo, ídque ceperunt, ac gladio conciderunt. Tum id occupatum incoluerunt, Leſemóque, de nomine progenitoris ſui, Dani nomen impoſuerunt. 49. Hæc fuit hereditas Tribûs Danitarum, ſecundùm eorum familias; hæ urbes, earúmque vici.

50. Cùm

Nephthalitarum ſtatuatur. Nam ad ortum ejus fluvii ſedes habuere Manaſſitæ, aut vicini alii populi.

36. *Channath*] Diximus ad Geneſ. X, 17. duas fuiſſe Chammathas, ad ſeptemtriones Chananææ, ſed hæc tertia eſſe videtur; nam Antiochia & Epiphania, quæ vocabulo חמת *hhammath* appellari cenſentur, erant ad ortum Jordanis, ac proinde extra fines Nephthalitarum, qui incolebant ad occaſum ejus fluvii. Vide ad Num. XXXIV, 7.

Chinnereth.] Vide ad Numer. XXXIV, 11.

37. *Chatſor.*] Vide ad Cap. XI, 1.

38. *Kedes*] Urbs Levitica, Cap. XXI, 32.

Edrebi] Alia fuit ejuſdem nominis, ad ortum Jordanis, in Baſanitide, Cap. XII, 16.

Hen-chatſor] Hanc κώμας ἀνωτέρω Ἀσώρ, hoc eſt, ad ſeptemtrionem Chatſoris, teſtis eſt *Euſebius*, in locis.

39. *Novemdecim*] Recenſita ſunt antea viginti ſex nomina, quî ergo fit ut novemdecim tantùm oppidorum ſumma colligatur? Fortè aliquid eſt à Librariis peccatum; fortè & quædam ex memoratis, in deſcriptione finium, ſunt excludenda ex urbibus Nephthaliticis, viciniſque populis, aut Tribubus adſcribenda.

42. *Fuerunt fines hereditatis* &c.] Non Simeonitis tantùm, ſed & huic Tribui agri ex eo tractu, qui primùm attributus fuerat Judæ poſteris, ſunt diviſi. Cincta erat undequaque Judæ agris, præter latus occidentale, quod mari Mediterraneo claudebatur. Hinc pleræque urbes, quæ hic memorantur, jam ſunt antea recenſitæ, in Tribu Judæ, aut in deſcriptione Satrapiarum Philiſthæorum, quæ ad mare fuerunt. Hiſce veteres colonos expellere non potuerunt Danitæ, ut liquet ex ſequentium temporum Hiſtoria.

Tſorha] צרעה. *Euſebius*: ΣΑΡΑΑ (non ΣΑΡΔΑ) κώμη ἐστὶν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως πρὸς Βοῤῥᾶν ἀπιόντων εἰς Νικόπολιν ὡς ἀπὸ σημείων ι΄. Φυλῆς Δὰν ἢ καὶ Ἰούδα. Hieronymus: *vicus in finibus Eleutheropoleos contra ſeptemtrionem pergentibus Nicopolin, quaſi in decimo milliario, in Tribu Dan, ſive Juda.* Vide ſupra XV, 33. Patria hæc fuit Samſonis, vide Jud. XIII, 1.

Eſthaol] *Euſebius*: Ἐσθαόλ, κλήρου Δὰν, ἔνθεν ὡρμᾶτο Σαμψὼν, καὶ εἰς ἔτι νῦν ἐστιν ἀπὸ ι΄ σημείων Ἐλευθεροπόλεως εἰς Βοῤῥᾶν ἀπιόντων εἰς Νικόπολιν. *Hieronymus: Eſthaul, in Tribu Dan, ubi mortuus eſt Samſon, quæ uſque hodie oſtenditur in decimo Eleutheropoleos milliario contra Aquilonem, pergentibus Nicopolin.* Vide ad hunc locum *Jac. Bonfrerium.*

43. *Ajalon*] Vide ad Cap. X, 12.

44. *Thimnatha*] Aliàs *Thimna.* Vide ad Cap. XV, 10.

Hekron] Metropolis Satrapiæ Philiſthæorum, de qua vide ad Cap. XV, 11.

45. *Eltheke*] Vocatur, ut quidem videtur, *Eltbekon*, Cap. XV, 59.

Gibbethon] Hæc & Gath-rimmon datæ ſunt Levitis. Cap. XXI, 27.

47. *Joppæ*] Hebr. יפו *Japho.* Hîc fuit ſeptemtrionalis finis Danitarum. Aliter tamen ſentire videtur *Joſephus*, de finibus Danitarum, cujus hæc ſunt verba Lib. V. cap. 1. Δανῖται δὲ τῆς κοίλης ὅσον αὐτῆς πρὸς δυόμενον τέτραπται τὸν ἥλιον λαγχάνουσι, Ἄζωτον καὶ Δώροις ὁριζόμενοι, Ἰάμνειάν τε πᾶσαν, καὶ Γίτταν ἀπ' Ἀκκαρῶνος ἕως τοῦ ὄρους ἐξ οὗ Ἰούδα ἤρχετο φυλή: *Danitæ verò vallis quæcumque ad occaſum ſolis converſa ſunt, ſortiti ſunt, Azotho & Doris clauſi; tum totam Jamniam, & Gittam ab Accarone ad montem uſque ex quo incipit Tribus Judæ.* At Dora erat in dimidia Tribu Manaſſæ, inter quam & hancce agri multi aliarum Tribuum erant interpoſiti. Sunt qui velint *Joſephum* vocaſſe *Doram* urbem quæ vocatur צרעה *tſorha*, ſed nullo indicio conſtat hanc urbem fuiſſe ad ſeptemtrionem Danitarum.

48. *Exiverunt etiam hiſce finibus ſuis Danitæ.*] *Et exivit terminus filiorum Dan ab iis*; hoc eſt, præter tractum terrarum, quem ſortiti ſunt Danitæ intra agros Tribûs Judæ, fines illis alibi conſtituti ſunt; quod cùm ſine longa paraphraſi exprimi Latinè nequiret, majorem rationem habuimus rei ipſius, quàm verborum. LXX. Intt. habent hîc varia, quæ non ſunt in Hebræo Codice, & quæ aliunde huc inſerta eſſe videntur. Vulgatus Int. conſentit cum Hebræo Codice, ſed hæc verba vertit: *& ipſo fine concluditur*, quod quid ſit non intelligo; certè Hebrææ loquutioni non reſpondet.

Expeditione ſuſceptâ] *Et adſcenderunt.*

Leſemo] לשם *leſchem.* Vocabatur etiam ליש lajiſch, ut liquet ex Jud. XVIII, 29. De hac ita *Hieronymus*, nam *Euſebii* locus eſt hiulcus: *Laiſa. Hanc filii Dan captam manu poſſederunt, cùm eſſet procul à Sidone, & vocaverunt eam Dan.* Fuit autem hæc urbs ſita inter duos Jordanis fontes, aut geminos ex iis defluentes rivos. Inſtaurata poſtea à Philippo, Iturææ Tetrarcha, dicta eſt *Cæſarea Philippi. Joſephus* de B. J. Lib. II. c. 13. Φίλιππος πρὸς ταῖς Ἰορδάνου πηγαῖς ἐν Πανεάδι πόλιν κτίζει Καισάρειαν: *Philippus ad Jordanis fontes, in Paneade, urbem condit Cæſaream.* Sequenti ætate ab Agrippa ornata mutavit iterum nomen, dictáque eſt *Neronias.* Idem A. J. Lib. XX. cap. 8. Βασιλεὺς Ἀγρίππας μείζονα τὴν Φιλίππου καλουμένην Καισάρειαν εἰς τὴν

50. Cùm autem Iſraëlitæ abſolviſſent, hereditario jure, occupare terram *Chananæam*, pro ejus finibus, donarunt hereditate Joſuam, Nunis filium, inter ſe. 51. Ex mandato Jehovæ donarunt eum urbe, quam petiit; nempe, Thimnath-Seracho, in montanis Ephraimi, quam condidit & coluit. 52. Hæ ſunt hereditates, quas diſtribuerunt ſorte Elehazar Sacerdos, Joſua, Nunis filius, & principes familiarum patriarum Tribuum Iſraëlitarum, Silunte, coram Jehova, ad oſtium Tabernaculi conventûs. Itaque terram *Chananæam* dividere abſolverunt.

XVIII. Jubet Deus Joſuam cis & trans Jordanem conſtituere urbes Aſyli, cui mandato obſequitur Joſua.

CAPUT XX.

1. TUM alloquutus eſt Jehova Joſuam, hiſce verbis; 2. alloquere Iſraëlitas, iiſque dicito: conſtituite vobis urbes Aſyli, de quibus vobis per Moſem dixi; 3. ut in eas fugiat homicida, qui quempiam occiderit, errore, nec ſciens, *ac volens;* ſíntque vobis in Aſyla, à vindice ſanguinis. 4. Confugiet *homicida* in unam urbium illarum, ſtabitque ad portam urbis, & cauſam dicet, audientibus ſenibus urbis; qui excipient eum ad ſe in urbem, dabúntque ei locum, & cum illis habitabit. 5. Quòd ſi eum perſequatur ſanguinis vindex, homicidam in manum ejus non tradent, quia proximum ſuum inſcius, cúmque nullas cum eo antea exerceret inimicitias, occiderit. 6. Habitabit ergo in illa urbe, (donec ſteterit coram cœtu, ut judicium de eo feratur) interea dum moriatur Pontifex Maximus, qui eo tempore erit. Tum verò revertetur homicida domum ſuam, atque in urbem unde fugerit. 7. Itaque conſecrarunt Kedeſum in Galilæa, in montanis Nephthalis, Sichemum in montanis Ephraïmi, & Kirjatharbam, quæ & Chebron, in montanis Judæ. 8. Trans Jordanem verò, *è regione* Jerichuntis, conſtituerunt in deſerto Betſerum in planitie, è Tribu Rubenis; Ramothas in Galahaditide, è Tribu Gadi; & Golanem in Baſanitide, è Tribu Manaſſæ.

9. Hæ fuerunt urbes conſtitutæ omnibus Iſraëlitis, & peregrinis inter eos agentibus, ut quiſquis occidiſſet per errorem eò confugeret, ne moreretur manu vindicis ſanguinis, donec ſtetiſſet cotam cœtu.

XIX.

τοῦ Νέρωνος τιμὴν Νερωνιάδα μετωνόμασεν: *Rex Agrippa, ampliatam Cæſaream, quæ dicebatur Philippi, in honorem Neronis, Neroniadem vocavit.*

50. *Occupare*] Aut certè poſtquàm ſorte acceperant, tractus à ſingulis occupandos.

51. *Ex mandato Jehovæ*] *Ad os Jehovæ.* Deus quidem diſertè Chalebo promiſit tractum in Palæſtina Num. XIV, 24. & ſupra Cap. XIV, 9. At de Joſua, qui tamen explorator fuerat cum Chalebo, animúmque Iſraëlitis addiderat ad invadendam Chananæam, æquè ac Chalebus; altum eſt ſilentium. Attamen ex hoc loco credibile ſit paris fortitudinis par etiam fuiſſe præmium, mandato Dei; cujus tamen, in compendiaria Hiſtoria, mentio facta non fuerit. Sin minùs, per Elehazarem hoc juſſerit poſtea Deus.

Thimnath-ſeracho] Vide infrà Cap. XXIV, 30. & Jud. II, 9. unde montem, in quo hæc urbs fuit, *Gabas* dictum liquet. Quod oppidum cùm ter repetatur ſitum fuiſſe in agris Ephraïmi, cúmque par eſſet Joſuæ agrum inter Tribules ſuos dari, mirum eſt hæc legi in libro de locis Hebraicis, apud *Euſebium:* Θαμναθσαρά, πόλις Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἐν τῷ ὄρει κειμένη, αὕτη ἐστὶ Θαμνὰ ἡ καὶ ἀνωτέρω κειμένη, ἐν ᾗ εἰς ἔτι νῦν δείκνυται τὸ Ἰησοῦ μνῆμα, φυλῆς Δάν. Hieronymus: *Thamnathſara, civitas Jeſu filii Nave, in monte ſita, de qua & ſupra, ſub nomine Thamnæ, diximus; in qua uſque in præſentem diem, ſepulcrum ejus oſtenditur in Tribu Dan.* Verum eſt antea loquutum eſſe *Euſebium* de hac urbe, ad vocem *Thamna*; quod miror non animadvertiſſe *Jac. Bonfrerium.* Sed malè eam in Tribûs Daniticæ finibus collocat, nec oſtendebatur Joſuæ monumentum in ejus Tribûs agris, ſi credimus *Hieronymo*, qui ita in Epitaphio Paulæ matris, poſtquàm dixit viſam ab ea Bethelem, in agro Ephraïmitico ſitam, loquitur: *Sepulcra quoque in monte Ephraim Jeſu filii Nave, & Eleazaris filii Aaron Sacerdotis, è regione venerata eſt.* Quin & ipſe *Euſebius* (ſi modò omnia quæ in libro locorum habentur ſunt ab eadem manu profecta) *Hieronymo* alibi in hoc ipſo libro præivit. Sic enim habet ad vocem GAAS: ὄρος Ἐφραίμ, ὃ ἐν τοῖς βορείοις ἔθαψαν Ἰησοῦν, δείκνυται δὲ ἐπίσημος εἰς ἔτι νῦν αὐτοῦ μνῆμα πλησίον Θαμνὰ κώμης: interprete Hieronymo: *mons in Tribu Ephraim, in cujus ſeptemtrionali parte, ſepultus eſt Jeſus, filius Nave, & uſque hodie juxta vicum Thamnam ſepulcrum ejus inſigne monſtratur.* Mirum ex hoc loco alterum non fuiſſe ab *Hieronymo* emendatum. Hinc liquet ſ is firmitatis non eſſe argumentis, quæ ſtatuunt iis viris magnam fuiſſe in ſcribendo diligentiam & curam. Non equidem contumelioſè iis lapſus exprobrari velim, ſed quando nobis contra rationes eorum auctoritas objicitur, tum demum licet eos ſæpiùs erraſſe dicere; ne nomina, pro Veritate, colantur.

Condidit] Inſtauravit & ornavit.

In CAPUT XX.

2. C*onſtituite*] *Date.*

Urbes Aſyli] Vide Num. XXXV. & Deut. XIX. & notata ad Numeros.

3. *Quempiam occiderit*] *Percuſſerit animam.*

4. *Cauſam dicet*] *Dicet verba ſua*, hoc eſt, dicet ſe invitum & per errorem occidiſſe, quod

in

XIX. *Principes Levitarum urbes, quas incolant, petunt, & impetrant, in omnibus Tribubus.*

1. CONVENERUNT deinde principes *familiarum* patriarum Levitarum Elchazarem Sacerdotem, Joſuam Nunis filium, & principes patriarum *familiarum* Tribuum Iſraëlitarum, 2. eóſque alloquuti ſunt Silunte, in terra Chananæa, his verbis: juſſit Jehova, per Moſem, dari nobis urbes, quas incoleremus, & ſuburbia pecudibus noſtris. 3. Itaque dederunt Iſraëlitæ Levitis, ex ſua hereditate, pro mandato Jehovæ, haſce urbes & earum ſuburbia. 4. Prodiit ſors familiarum Kehathitarum, obtigerúntque poſteris Aharonis Sacerdotis, ex Levitis, à Tribubus Judæ, Simeonis & Benjaminis, ſorte tredecim urbes. 5. At poſteris Kehathi reliquis à familiis Tribûs Ephraïmi, à Tribu Danis, & dimidia Tribu Manaſſæ decem urbes ſorte *obvenerunt*. 6. Poſteris verò Gerſonis, à familiis Tribûs Iſſaſcharis, à Tribubus Aſeris & Nephthalis, atque à dimidia Tribu Manaſſæ, in Baſanitide, *obtigerunt* ſorte tredecim urbes. 7. Poſteris denique Meraris, pro eorum familiis, à Tribu Rubenis, Gadi, & Zabulonis, urbes duodecim obtigerunt. 8. Hiſce urbibus earúmque ſuburbiis donarunt Iſraëlitæ Levitas, ſicut juſſerat Jehova per Moſem, & ſorte *eas diviſerunt*. CAPUT XXI.

9. Dederunt à Tribubus poſterorum Judæ & Simeonis haſce urbes, quas nominatim appellarunt. 10. Fuerunt ergo poſteris Aharonis, è familiis Kehathitarum, ex poſteris Levis, quia eorum fuit ſors prima. 11. Dederunt eis Kirjath-Arbæ, patris Hanakæorum, (quæ & Chebron) in montanis Judæ, ejúſque ſuburbia circumquaque. 12. At agro urbis, ejúſque vicis Chalebum, Jephunnæ filium, ut eos poſſideret, donarunt. 13. Poſteris ergo Aharonis Sacerdotis dederunt urbem Aſyli homicidæ Chebronem & ejus ſuburbia, Libnam & ejus ſuburbia; 14. Jathirem & ejus ſuburbia, Eſthemoham & ejus ſuburbia; 15. Cholonem & ejus ſuburbia, Debirem & ejus ſuburbia; 16. Hajin & ejus ſuburbia, Juttam & ejus ſuburbia, Beth-ſemeſum & ejus ſuburbia; *quæ ſunt* novem urbes à duabus illis Tribubus.

17. A

in ſui defenſionem dicendum habet.

7. *In Galilea*] בגליל *baggalil.* Vide not. ad Gen. XIV, 1. Hæc fuit omnium maximè ad ſeptemtriones ſita.

Sichemum] Media in tractu, qui fuit ad occaſum Jordanis.

Chebron] Maximè meridiana.

9. *Urbes conſtitutæ*] *Urbes conſtitutionis*, aut conventûs מועדה *moubadah.*

In CAPUT XXI.

1. PRincipes *patriarum familiarum*] *Capita Patrum*, hoc eſt, *domûs patrum*, ſeu potiſſimi quique familiarum principes.

2. *In terra Chananæa*] Hoc eſt, ad occaſum Jordanis, ne quis putet trans Jordanem hæc eſſe facta. Fateor ſatis id liquere ex narrationis ordine, ſed multa talia ſunt, in hiſce libris; quæ ſi detraherentur, ſententiæ nihil deeſſet, nec debent ad vivum reſecari. Vide infra Cap. XXII, 9, 10. & not. ad Gen. XII, 6. Similem loquutionem invenies vſſ. 4, & 9. ubi Aharonis poſteri *Levitæ* dicuntur.

Juſſit Jehova &c.] Numer. C. XXXV, 2 & ſeqq.

4. *Prodiit ſors*] Adſignatas urbes Levitis in certas partes diviſerunt, de quibus poſtea ſortes jecerunt; quemadmodum fecerant, cùm reliquis Tribubus terram Chananæam dividerent.

Poſteris Aharonis] Cùm tredecim urbes acceperint poſteri Aharonis, qui tunc temporis exiguo erant numero; facile quidem eſt intellectu eas ab illis non fuiſſe habitatas, qui ne unam quidem modicam urbem implere eâ ætate poterant. Sed cùm intelligerent familiam ſuam auctum iri, ſpatium amplius, quàm incolere tunc potuiſſent, ſibi dari petierunt, quod iis conceſſum eſt. An autem ab eo tempore oppida illa & ſuburbia ita propria Sacerdotibus fuerint, ut incolæ eorum ex aliis Tribubus mercede ea ab Aharonis poſteris conduxerint, aut ad Jubilæa dumtaxat emerint, nuſquam docet Scriptura. Sed cùm Lex Moſaïca in gravioribus multò capitibus, qualia ſunt quæ pertinent ad unius veri Dei cultum & bonos mores, parum ſit ab Hebræis obſervata, ut nos docet Hiſtoria Sacra; reliqua æquè neglecta fuiſſe crediderim. Hinc videmus *Gibbam*, aut *Gabaam* habitatam fuiſſe à Benjaminitis, Jud. C. XIX. & ſeqq. & poſtea etiam à Saüle Rege, qui Benjaminita etiam fuit, 1. Sam. X, 26. quamvis eſſet urbs Sacerdotalis. Si lex accuratè obſervata fuiſſet, non erat cur Aharonis familia quereretur ſibi agros non eſſe diviſos, ut aliis Iſraëlitis. Satis hoc penſabatur multitudine urbium, & fructibus, quos ex rebus ſacris capiebant.

A Tribubus Judæ &c.] *A Tribu Judæ*, *è Tribu Simeonis* &c. Sic & in ſequentibus.

9. *Quas nominatim appellarunt*] *Quas vocabit* (quivis, nempe, qui de iis loquuturus erat) *nomine.* Frequens eſt loquutio.

11. *Hanakæorum*] Hîc ſcribitur הענוק *bahanok*, alibi הענק *bahanak.* Vide ad Num. XIII, 23.

12. *Ut eos poſſideret*] *In poſſeſſione ejus.* Vide ſupra Cap. XIV, 15. ubi tamen hæc circumſtantia omiſſa; nimirum, urbis tecta & ejus ſuburbia Levitis data; quia hoc factum ſeriùs.

19. Om-

17. A Tribu Benjaminis *dederunt* Gabahonem & ejus ſuburbia, Gebam & ejus ſuburbia; 18. Hanathotas & ejus ſuburbia, Halmonem & ejus ſuburbia; *quæ fuerunt* urbes quatuor. 19. Omnes ergo urbes poſterorum Aharonis Sacerdotum fuerunt tredecim, cum earum ſuburbiis.

20. Familiis verò Leviticis Kehati poſterorum reliquorum ſorte urbes obtigerunt, à Tribu Ephraïmi; 21. dederúntque eis urbem Aſyli homicidæ Sechemum & ſuburbia ejus, in montanis Ephraïmi, Gezerem ac ſuburbia ejus; 22. Kibtſajimos ac ejus ſuburbia, Beth-choronem & ejus ſuburbia, *quæ ſunt* urbes quatuor; 23. à Tribu Danis Eltheken & ejus ſuburbia, Gibbethonem & ejus ſuburbia, 24. Ajalonem & ejus ſuburbia, & Gath-rimmonem & ejus ſuburbia; quæ ſunt urbes quatuor; 25. à dimidia Tribu Manaſſæ Thahanachum, & ejus ſuburbia, & Gath-rimmonem & ejus ſuburbia, *quæ ſunt* urbes duæ. 26. Omnes hæ urbes decem, cum earum ſuburbiis, familiis Kehathitarum reliquis ceſſerunt.

27. Poſteris Gerſonis, è familiis Levitarum, *dederunt* à dimidia Tribu Manaſſæ, urbem Aſyli homicidæ Golanem in Baſanitide & ejus ſuburbia, Beheſtheram & ejus ſuburbia, urbes duas: 28. à Tribu Iſſaſcharis, Kisjonem & ejus ſuburbia, Dabratham & ejus ſuburbia, 29. Jarmuthum & ejus ſuburbia, Hen-gannimos & ejus ſuburbia, urbes quatuor: 30. à Tribu Aſeris, Miſalem & ejus ſuburbia, Habdonem & ejus ſuburbia, 31. Chelkatham & ejus ſuburbia, Rechobum & ejus ſuburbia, urbes quatuor: 32. à Tribu Nephthalis urbem Aſyli homicidæ Kedeſum, in Galilæa, & ejus ſuburbia, Chammoth-doram & ejus ſuburbia, Karthanem & ejus ſuburbia, urbes tres. 33. Urbes ergo omnes Gerſonitarum, ſecundùm eorum familias, fuerunt tredecim, cum earum ſuburbiis.

34. Familiis poſterorum Meraris Leviticis reliquis *datæ ſunt*, à Tribu Zabulonis, Joknehamum cum ejus ſuburbiis, Kartha cum ejus ſuburbiis, 35. Dimna cum ejus ſuburbiis, & Nahalal cum ejus ſuburbiis, urbes quatuor: 36. à Tribu Rubenis, Betſer & ejus ſuburbia, Jahtſa & ejus ſuburbia, 37. Kedemoth & ejus ſuburbia, Mephahath & ejus ſuburbia, urbes quatuor: 38. à Tribu Gadi urbs Aſyli homicidæ Ramoth in Galahaditide

19. *Omnes ergo urbes* &c.] Eſt aliquid diſcriminis 1. Par. VI. ubi hæc repetuntur, qua de re ad eum locum.

20. *Sorte urbes obtigerunt*] *E filiis Kehat, & fuerunt urbes ſortis eorum.*

22. *Beth-choronem*] Fortè duplicem, ita ut inferior & ſuperior, propter vicinitatem, inſtar unius urbis, habeantur. Vide ad Cap. X, 10. Sin minus, addi debuiſſet, diſcriminis causâ, ſuperiórne eſſet, an inferior.

25. *A dimidia tribu Manaſſæ*] Ad occaſum Jordanis.

Gath-rimmonem] Cognominem urbem oppido Tribûs Daniticæ, quod antecedente verſu nominatur. Hæc homonymia non exiguas tenebras adfudit Hiſtoriæ Sacræ.

32. *In Galilæa*] Vide ad Cap. XX, 7.

36. *A Tribu Rubenis*] Huic verſui præfigunt LXX. Intt. hæc verba: Καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου τοῦ κατὰ Ἱεριχώ, explicationis, puto, gratiâ; nam leguntur in re ſimili 1. Par. VI, 78. Vellet hæc verba recipi in contextum *Lud. Cappellus*, ſed quamvis nihil niſi verum complectantur, non ſunt planè neceſſaria; cùm ſat notum eſſet Tribum Rubeniticam fuiſſe ad ortum Jordanis. Tam poſſunt abeſſe, quàm adeſſe. Sequitur deſcriptio Betſeris, τὴν πόλιν τὸ φυγαδευτήριον τοῦ φονεύσαντος τὴν Βοσὸρ ἐν τῇ ἐρήμῳ, cùm ſit tantùm in hodiernis pleriſque Hebræis Codicibus nomen *Betſer*. Vulgatus Interpres, ex recenſione Romana: *De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho, civitates refugii Boſor in ſolitudine.* Intelligo cur LXX. Intt. ſit imitatus, ſed neſcio cur *civitates* dicat, pro *civitate*, quod & alibi factitavit. Sunt qui comma poſt *civitates* ponendum putent, ita ut *refugii* referatur ad ſolum *Boſor*. Sed ambiguitatem, cui neque Hebræus, neque Græcus contextus occaſionem ullam præbuit, laudare non poſſumus. Vide *Jac. Bonfrerium* ad v. 21. hujus Capitis. Non eſt tamen diſſimulandum in antiquiſſimis Codicibus *Hieronymi* deeſſe planè verba 36. & 37. commatum, qui Codices, ſi ſint meliores, oportet *Hieronymum* ea non legiſſe in Exemplari ſuo; ut nec in multis exemplaribus Hebraïcis legebantur, ut mox dicemus.

Betſer & ejus ſuburbia] In aliquot Codicibus Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis, pro hiſce verbis, legas: את עיר מקלט את בצר במדבר ואת מגרשיה, *urbem refugii Betſer in deſerto & ejus ſuburbia*, quæ, ut vidimus lecta ſunt etiam ab Interpretibus Græcis. *Hieronymus* verò nihil, ut dixi, horum in ſuo Codice invenerat, ſi antiqua ejus Exemplaria ſequamur. Qua de re, vide Editionem Benedictinorum.

Jahtſa] Neſcio cur LXX. pro hac urbe & ſequente habeant *Miſor*, *Jazer*, & *Decmon*, aut *Gedſon*, pro quo eſt in Vulgato *Jethſon*, cùm præſertim additâ Maphahathâ ſint quinque urbes. Crediderim tamen hæc deberi Librariis, exceptâ voce *Miſor*, quæ facta eſt ex Hebraïcâ מישור *miſor*, quæ *planitiem* ſonat, in qua Urbs *Betſer* ſita fuiſſe dicitur Cap. XX, 8. ut habent etiam LXX. Intt. & *Hieronymus*.

Dignum eſt obſervatu v. 36, & 37. non lectos fuiſſe in antiquis Codicibus, quibus Judæi uſi ſunt, ut liquet ex *Maſſora* & *Kimchio*, & in Codicibus Hebraïcis nonnullis MSS., quæ etiamnum in Bibliothecis viſuntur, abeſſe. Attamen cùm LXX. Interpretes hos verſus habeant

tide & ejus ſuburbia, Machanajim & ejus ſuburbia, 39. Chesbon & ejus ſuburbia, &
Jahzer & ejus ſuburbia, omnino urbes quatuor. 40. Omnes *ergo* urbes poſterorum
Meraris, ſecundùm familias, qui ſupererant è familiis Leviticis, *ſive* eorum ſors fuit
urbium duodecim.
41. Omnes urbes Levitarum, in mediis prædiis Iſraëlitarum, fuerunt quadraginta octo,
cum earum ſuburbanis. 42. Hæ fuerunt urbes ſingillatim, quibus conjuncta ſuburbia
circumquaque, quemadmodum *factum eſt* in omnibus illis urbibus.
43. Dedit ergo Jehova Iſraëli omnem terram, quam juraverat ejus Majoribus ſe daturum;
cujus poſſeſſionem adierunt, & quam incoluerunt. 44. Conceſſit etiam eis Je-
hova quietem circumquaque, quemadmodum Majoribus eorum juraverat, neque quiſ-
quam ex omnibus eorum hoſtibus in conſpectu eorum conſtitit, ſed omnes hoſtes in
eorum manum tradidit Jehova. 45. Ne unicum quidem verbum, ex omnibus promiſ-
ſis, quæ fecerat Jehova domui Iſraëlis, *irritum* cecidit, ſed omnia evenerunt.

XX. Joſua Rubenitas, Gaditas, & Manaſſitas, ad ortum Jordanis incolentes, miſſos facit, additis mandatis. Profecti, cùm Jordanem trajeciſſent, altare ad ejus ripam exſtruunt, quod malè interpretantur reliqui Iſraëlitæ; quibus propterea indignantibus ſatisfaciunt.

1. TUM vocavit ad ſe Joſua Rubenitas, Gaditas & dimidiam Tribum Manaſſæ, CAPUT XXII.
2. eóſque ſic alloquutus eſt: obſervaſtis omnia quæ vobis præceperat Moſes,
ſervus Jehovæ; vocique meæ auſcultaſtis, per omnia, quæ vos juſſi; 3. nec de-
ſeruiſtis fratres veſtros, per longum tempus, ad hunc uſque diem, & perfeciſtis quod
vobis fuit obſervandum ex præcepto Jehovæ Dei veſtri. 4. Nunc verò quietem præſti-
tit Jehova, Deus veſter, fratribus veſtris, quemadmodum iis promiſerat. Itaque jam
converſo itinere ite ad tentoria veſtra, in terram quam poſſidetis, & quâ vos Moſes,
ſer-

beant neceſſarióque poſtulentur, lectos olim hîc potiùs crediderim, quàm additos ex 1. Paral. VI, 78, 79. ut nonnulli putant, ſed caſu à Librariis poſtea omiſſos. Dixi neceſſariò poſtulari hos verſus, quia v. 7. dicuntur Meraritis datæ urbes etiam à Tribu Rubenis, quæ hîc commemorari debent, ut in ceteris factum. Deinde ſumma quæ habetur v. 39. non conſtat, niſi quatuor hiſce urbibus memoratis. Ac ſanè ſunt etiam in Chaldæo Interprete Regiorum & Polyglottorum Bibliorum. Itaque recipiendos planè cenſeo, non minùs hîc, quàm in Libro I. Paralipoménon. Vide hac de re *Sal. Glaſſium* de Hebr. Textûs puritate Philolog. Sacræ Lib. I. Tract. I. & quæ de ratione omiſſionis ſcripſimus *Artis Criticæ* Parte 3. Sect. I. c. 5, 6.

42. *Omnibus illis urbibus*] Hiſce verbis ſat longa lacinia addita eſt apud LXX. Intt. qui habent: *συνετέλεσεν Ἰησοῦς διαμερίσας τὴν γῆν, ἐν τοῖς ὁρίοις αὐτῶν· καὶ ἔδωκαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ μερίδα τῷ Ἰησοῖ κατὰ πρόσταγμα Κυρίου· ἔδωκαν αὐτῷ τὴν πόλιν ἣν ᾐτήσατο, τὴν Θαμνασαχὰρ ἔδωκαν αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει Ἐφραΐμ, καὶ ᾠκοδόμησεν Ἰησοῦς τὴν πόλιν, καὶ ᾤκησεν ἐν αὐτῇ· Καὶ ἔλαβεν Ἰησοῦς τὰς μαχαίρας τὰς πετρίνας, ἐν αἷς περιέτεμε τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ τοὺς γενομένους ἐν τῇ ὁδῷ ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ ἔθηκεν αὐτὰς ἐς Θαμνασαχάρ.* Rectè obſervavit *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. IV. c. XIV, 3. priora verba, uſque ad καὶ ἔλαβεν &c. deſumta fuiſſe ex Cap. XIX, 49, 50. Ea, nimirum, quaſi totius diviſionis clauſulam, hîc repetenda duxerunt; quod tamen neceſſarium non fuit. Sequentia verba unde deſumſerint neſcio, niſi ex traditione quapiam Judaica.

43. *Dedit ergo Jehova* &c.] At ex Cap. XIII. & Jud. I, & II. liquet ab Iſraëlitis Philiſthæos, & incolas tractûs ſeptemtrionalis Chananææ non fuiſſe ſedibus expulſos. Verùm ne dicam jus poſſeſſionis eſſe Iſraëlitis collatum, quia de eo ſanè hîc non agitur, dedit Deus Iſraëlitis maximam partem agrorum quos eis promiſerat, & quorum poſſeſſionem re ipsâ adierunt; & tractus, quos occuparunt, ſatis ſupérque iis alendis fuerunt. Adde quòd ſi plures non invaſerint, eorum culpa fuerit; qui copiis ſuis uſi non ſunt, quibus fortia audentibus Deus initio ſemper adfuit.

44. *Conceſſit quietem*] Vivo Joſuâ, & ejus æqualibus, Jud. Cap. I. Quæ quies ſi ſequentibus ætatibus par non fuit, vitio factum Idololatrarum Iſraëlitarum, quibus eam perpetuam fore non promiſit Deus, niſi eâ lege, ut inſtituta à ſe tradita ſervarent.

45. *Ex omnibus promiſſis*] *Ex omni verbo bono.* Non habent Hebræi vocem unam, quâ *promiſſionem* ſignificent, ideóque circumloquutione uti coguntur. Vide Cap. XXIII, 14.

In CAPUT XXII.

1. T*Um vocavit ad ſe* &c.] Bellis, quæ ipſe geſſit, confectis.

2. *Obſervaſtis*] שמרתם *ſchmarthem*. At LXX. legerunt שמעתם *ſchmahthem*, habent enim *ἀκηκόατε*, *audiſtis*.

3. *Quod vobis obſervandum fuit*] *Obſervationem præcepti.*

4. *Ad tentoria veſtra*] Hoc eſt, domus, nam urbes habebant ad ortum Jordanis. Vide Num. XXXII, 16. & ſeqq. Hinc LXX. Intt. *οἴκους* verterunt. Metaphora ex uſu Nomadum, quales fuerant Iſraëlitæ, deſumta.

 5. *Præ-*

ſervus Jehovæ, trans Jordanem donavit. 5. Operam dumtaxat diligentem date, ut obſervetis præcepta, legéſque vobis à Moſe, ſervo Jehovæ, impoſitas; ita ut Jehovam Deum veſtrum ametis, incedatis in omnibus ejus viis, ſervetis ejus præcepta, ei adhæreatis, cúmqve toto corde & toto animo colatis.

6. Tum bene precatus eſt illis Joſua, dimiſitqne homines & ad tentoria ſua abierunt. 7. *Alteri* quidem dimidiæ parti Tribûs Manaſſæ dederat Moſes *agros* in Baſanitide; alteri verò dedit Joſua, cum fratribus ſuis, cis Jordanem ad occidentem. 8. Cùm autem *priores* dimitteret Joſua ad tentoria, eiſque bene precaretur, alloquutus præterea eos fuerat hiſce verbis: revertimini ad tentoria veſtra, cum divitiis multis, cum permultis pecudibus, cum argento, auro, ære & ferro, & maxima veſtium copia. Itaque partimini de hoſtibus veſtris partam prædam, cum fratribus veſtris.

9. Reverſi verò abierunt Rubenitæ, Gaditæ & dimidia Tribus Manaſſæ, ab Iſraëlitis, Silunte, quæ eſt in terra Chananæa, ut irent ad terram Galahaditidem, quam habebant & in cujus poſſeſſionem miſſi fuerant per Moſem, prout juſſerat Jehova. 10. Cùm veniſſent autem ad fines Jordanis, qui ſunt in terra Chananæa, illic exſtruxerunt Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia Tribus Manaſſæ altare ad Jordanem, & altare quidem admodum conſpicuum. 11. Audiverunt verò Iſraëlitæ, qui dicerent: en Rubenitæ, Gaditæ & dimidia Tribus Manaſſæ ædificarunt altare, è regione terræ Chananææ, ad fines Jordanis, quà tranſiverunt Iſraëlitæ. 12. His auditis, univerſus cœtus Iſraëlitarum Siluntem convenit, ut contra eos iret armatâ manu. 13. Sed *priùs* Iſraëlitæ miſerunt ad Rubenitas, Gaditas & dimidiam Tribum Manaſſæ, in terram Galahaditin, Phinchaſum, Elehazaris Sacerdotis filium, 14. & decem ex primoribus unà cum illo, principem unum ſingularum familiarum omnium Tribuum Iſraëlis, eumdémque Patriarcham è chiliadibus Iſraëlis.

15. Iverunt ergo ad Rubenitas, Gaditas & dimidiam Tribum Manaſſæ, in terram Galahaditin, eóſque alloquuti ſunt, hiſce verbis: 16. ſic dixit omnis cœtus Jehovæ: quodnam hoc eſt delictum, quo deliquiſtis in Deum Iſraëlis, dum vos avertitis hodie à Jehova, ædificando altare, ut rebelletis hodie in Jehovam? 17. An res parva nobis *habebitur* peccatum Phehoris, à quo nondum, ad hunc uſque diem, purgati ſumus, & *propter quod* plaga eſt inflicta cœtui Jehovæ? 18. An vos avertetis hodie à Jehova, atque

5. *Præcepta & leges*] *Præceptum & legem.* Sic paſſim.

Toto corde &c.] Ita ut animum inter eum, & alia Numina ne dividatis. Vide not. ad Deut. IV, 29. VI, 5. & infra XXIII, 14.

9. *Quæ eſt in terra Chananæa*] Vide not. ad Cap. XXI, 2.

10. *Ad fines Jordanis qui ſunt* &c.] Hoc eſt, ad Jordanem, qui terræ Chananææ, ſic propriè dictæ, ad ortum limes eſt, ut ſequentia docent. Vide & v. 11. & 25.

Illic] Ad ortum Jordanis.

Altare ad Jordanem] Monumentum, quale fuit ſæpe ara. Tales fuere Alexandri, aliorúmque aræ ad Jaxartem fluvium, de quibus *Plinius* H. N. Lib. VI. c. 16. *Aræ ibi ſunt ab Hercule ac Libero Patre conſtitutæ, item Cyro & Semiramide, atque Alexandro.*

Admodum conſpicuum] *Magnum ad videndum.* Quale debuit eſſe monumentum diu duraturum, & ab omnibus animadvertendum.

11. *Iſraëlitæ*] Erant etiam Iſraëlitæ, qui ad ortum Jordanis ſedes acceperant, ſed κατ' ἐξοχὴν ita vocantur qui ad occaſum ejuſdem fluvii incolebant, quia hinc erat longè maxima pars poſterorum Iſraëlis.

Qui dicerent] לאמור *dicendo.*

Quà tranſiverunt] אל עבר *ad tranſitum*, quod poſſet etiam *trans*, vel in *ulteriori ripa* verti.

12. *His auditis* &c.] *Et audiverunt Iſraelitæ, & congregati ſunt.*

Ut contra eos iret &c.] *Ut adſcenderet contra eos in exercitum*; quaſi, nempe, defeciſſent à cultu veri Dei, réſque ſuas à populo Hebræo ſeorſim habere vellent. Vide v. 16. & ſeqq.

13. *In terram Galahaditin*] Hoc eſt, in tractum ad ortum Jordanis ſitum, qui paſſim *Galahad* vocatur, ut alibi jam obſervavimus; ex parte, cui nomen hoc proprium erat.

14. *Principem unum ſingularum*] *Principem unum, principem unum, domûs patrum*; nempe, decem Tribuum, ad occaſum Jordanis incolentium, numeratâ dimidiâ tribu Manaſſæ, inſtar unius.

Eumdémque &c.] *Et quiſque caput domûs patrum eorum illi millibus Iſraëlis.*

17. *Habebitur*] Quaſi ſupplendum eſſet יחשב *jechaſcheb*, cenſebitur, reputabitur, aut ſimile quidpiam.

Peccatum Phehoris] In Sacris Phehori faciendis commiſſum. Vide Num. XXIII.

Purgati ſumus] Hoc eſt, à quo nondum ſatis abhorremus; multi enim videntur fuiſſe, qui nondum delicti magnitudinem intelligebant. Vide Proverb. XX, 9. Non deerant etiam qui clam Chananæorum & Chaldæorum Deos colerent, ut liquet ex oratione Joſuæ Cap. XXIV, 14, 23.

18. *Ut craſtino die* &c.] *Et cras*; hoc eſt, ut poſthac Deus pœnas ſumat de Iſraëlitis, ſi tantum flagitium impune abire patiantur.

19. *Si immunda eſt terra* &c.] His verbis veluti excuſat facinus, quod admiſſum credebat in Deum; quaſi ex immunditie quadam (ſic enim tunc

Digitized by Google

que in Jehovam nunc rebellabitis, ut craſtino die in totum cœtum Iſaaëlis indignetur?
19. Si immunda eſt terra poſſeſſionis veſtræ, trajicite in terram poſſeſſionis Jehovæ, &
in qua habitat Tabernaculum Jehovæ & prædia accipite in medio noſtri; at in Jehovam
& in nos ne rebellate, exſtructo vobis altari, præter altare Jehovæ Dei noſtri. 20. An-
non cùm Hachan, Zerachi filius, deliquiſſet, in præda devota, ira *Dei* in univerſum
cœtum Iſraëlis *accenſa* eſt, & *quamvis* vir ille unus *eſſet*, non mortuus eſt *ſolus*, ob pec-
catum ſuum?

21. Reſponderunt verò Rubenitæ, Gaditæ & dimidia Tribus Manaſſæ, & dixerunt
principibus Chiliadum Iſraelis: 22. Jehova Deus *eſt* Deorum, Jehova Deus *eſt* Deo-
rum; novit ille, & Iſraël etiam intelliget an rebellantes, & delinquentes in Jehovam
ſic nos geſſerimus (*Tum verò, ô Deus*, ne nos hodie incolumes præſtes!) 23. ita ut ex-
ſtruxerimus altare nobis, ut ſeceſſionem faceremus à Jehova, aut ſi animo offerendi in
eo holocauſta, aut munus *farreum*, vel faciendi in eo ſacra ſalutaria, Jehova ipſe in-
quirat! 24. aut ſi non *potiùs* ex ſollicitudine, *certa* de cauſa, fecerimus, cùm diceremus:
poſthac poſteri veſtri dicent poſteris noſtris: quid vobis eſt cum Jehova Deo Iſraëlis?
25. Poſuit Jehova Jordanem fines inter nos & vos, ô Rubenitæ & Gaditæ; nulla pars
vobis eſt in Jehova; *quâ ratione* poſteri veſtri effecturi eſſent ut poſteri noſtri deſinerent
Jehovam timere. 26. Quare diximus: age aggrediamur nobis exſtruere altare non ho-
locauſti, aut ſacrificii causâ. 27. Sed teſtis eſt hoc *altare* inter nos & vos, & inter æta-
tes futuras, nos *velle* præſtare cultum Jehovæ, in ejus conſpectu, holocauſtis, victimis
& ſalutaribus ſacris, ne poſthac dicant poſteri veſtri noſtris poſteris: nulla pars eſt
vobis in Jehova. 28. Diximus ergo: ſi poſthac *talia* dixerint nobis, aut ætatibus poſte-
rorum noſtrorum futuris, tum dicemus: videte imaginem altaris Jehovæ, quam fece-
runt Majores noſtri, non holocauſti, aut *alius* ſacrificii causâ, ſed ut teſtis eſſet inter
nos & vos. 29. Abſit à nobis ut rebellemus contra Jehovam, útque hodie ab eo ſe-
ceſſionem faciamus, ædificando altare holocauſti, muneris *farrei*, aut ſacrificii *ullius*
causâ; præter altare Jehovæ Dei noſtri, quod eſt ante ejus Tabernaculum!
30. Cùm audiviſſent Phinchaſus Sacerdos, & principes cœtûs, ducéſque Chiliadum
Iſtaëlis, qui cum eo erant, verba prolata à Rubenitis, Gaditis, & dimidia Tribu Ma-
naſſæ, illis placuerunt. 31. Tum Phinchaſus, filius Elehazaris Sacerdotis, Rubenitis,
Ga-

tunc loquebantur) regionis quam diutiſſimè Idololatria inſederat, atque inquinarat, potiuſquàm ex indole novorum colonorum, peccatum illud ortum fuiſſet. Videntur credidiſſe ex ejuſmodi impuritate neſcio quid etiam animis hominum pravi veluti adlini. Vide quæ de hac opinione diximus *Artis Criticæ* Part. II. Sect. 2. Cap. VII.

Prædia accipite] Expulſis Philiſthæis, Sidoniis, aliiſque Chananæis, qui ſupererant, ad occaſum Jordanis.

20. *Hachan*] Vide Cap. VII. & quæ ibi diximus.

22. *Deus Deorum*] אל אלהים *el elohim*. Vide Deut. X, 17. Verterunt LXX. incommodè Θεὸς, Θεὸς Κύριος, nec meliùs Vulgatus: *fortiſſimus Deus Dominus*; numquam enim dicerent Hebræi אל אלהים pro *fortiſſimo Deo*, præpoſito adjectivo, ſed אל גבור מאד *el gibbor meod*, nec conſtat vocem אל, cum *Deum* ſonat, derivandam ab איל *ejal* fortitudo. Volunt dicere Galahaditidis incolæ, tantùm abeſſe, ut à Dei cultu deficere cupiant, ut eum *Deum Deorum* eſſe, hoc eſt, longè præſtantiſſimam omnium Naturarum, quæ vocantur אלהים *Dii*, agnoſcant. Hæc enim vis eſt illius loquutionis, de qua vide Deuter. X, 17. & quæ illic à nobis dicta.

Jehova Deus &c.] Hæc repetitio ſingularem habet Emphaſin, oſtenditque affectum Galahaditarum.

Rebellantes & delinquentes] *In rebellione & delicto*; hoc eſt, eo animo, ut cultum Dei abjiceremus. Loquutionem ellipticam eſſe ſequentia oſtendunt.

Ne nos hodie incolumes præſtes] *Serves*. Supplendum hîc aliquid fuit, ut paſſim in jurisjurandi formulis, quæ apud Hebræos ellipticæ eſſe ſolent.

23. *Ipſe inquirat*] Hoc eſt, nos plectat. Antecedens pro conſequente. Vide 2. Sam. IV, 11.

24. *Certa de cauſa*] מדבר *middabar*. Notum eſt מן *min*, ſignificare ſæpe *propter*, דבר *dabar* autem eſt *cauſa*, ut ſupra C. V, 4.

26. *Aggrediamur* &c.] *Faciamus quæſo nobis ædificando* &c. Quod poſſit etiam verti: *curemus nobis ædificari*, vel ſimpliciter: *ædificemus*.

27. *Teſtis eſt*] Vide Gen. XXXI, 48. & ſeqq. Monumenta hæc erant, quæ cùm inſcriptione carerent, interpretatione indigebant; ideóque facilè aliovorſum trahi poterant, niſi exſtarent litteræ eorum interpretes.

Ætates futuras] *Generationes poſt nos*.

Nos velle præſtare] *Ad colendum cultum*.

In ejus conſpectu] Ad Arcam & Tabernaculum, ubi Deus præſentem ſingulari ratione ſe ſiſtebat, oſtendebátque miraculis; ita ut qui illic erant *in conſpectu Dei* eſſe dicerentur. Vide Cap. XIX, 51.

28. *Dicemus*] Dicent poſteri noſtri; ſed populi unius perſonæ inſtar habentur per varias ætates decurrentis. Ideóque poſteris tribuuntur res geſtæ Majorum & viciſſim. Vide ad C. IV, 23.

31. *Apud*

Digitized by Google

Gaditis, & Manaſſitis: intelligimus hodie apud vos eſſe Jehovam, quandoquidem in eum delictum iſtud, *quod putabamus*, non admiſiſtis, atque manui Jehovæ Iſraëlitas tunc eripuiſtis. 32. Rediit itaque Phinchaſus Elehazaris Sacerdotis filius, & principes, à Rubenitis, & Gaditis, à terra Galahaditide, in terram Chananæam, ad Iſraëlitas, rémque iis narrarunt. 33. Placuit verò Iſraëlitis, qui *propterea* Deo benedixerunt, neque *ampliùs* loquuti ſunt, de expeditione in eos armatâ manu ſuſcipienda, ad vaſtandam terram, in qua Rubenitæ & Gaditæ habitabant. 34. Deinceps altare illud Rubenitæ & Gaditæ vocarunt Hed, quia, *inquiebant*, teſtis erit intet nos, Jehovam eſſe Deum.

XXI. Joſua adhortatur principes Iſraëlitarum, ad expellendos reliquos Chananæos, ſolúmque Deum Iſraëlis colendum, præmiáque & pœnas eis proponit.

CAPUT XXIII.

1. Diu poſtea quàm Jehova Iſraëli requiem conceſſiſſet, ad omnibus hoſtibus ſuis circumquaque, cùm Joſua ad ſummam ſenectutem perveniſſet, 2. convocavit univerſum Iſraëlem, ſenes, principes, judices & apparitores ejus, atque illis, ego, inquit, ad ſummam ſenectutem perveni. 3. Vos autem vidiſtis quidquid Deus veſter Jehova fecit omnibus illis gentibus, *quas* è conſpectu veſtro *ejecit*, quia Jehova Deus veſter pro vobis pugnavit. 4. Videtis me diviſiſſe vobis ſorte reliquas illas gentes, ita ut hereditario jure ſint Tribuum veſtrarum, à Jordane uſque, per omnes gentes quas concîdi ad mare magnum, occaſum ſolis versùs, 5. Jehova Deus veſter eas ipſe è conſpectu veſtro expellit, *ut antea* expulit coram vobis, & poſſidebitis earum terram quemadmodum Jehova Deus veſter vobis pollicitus eſt. 6. Itaque vehementer obſirmate animos veſtros, ut obſervetis ac præſtetis omnia, quæ ſcripta ſunt in libro legis Moſis, ne ad dextram aut ſiniſtram ab iis divertatis, 7. néve inviſatis gentes iſtas reliquas, quæ vobiſcum ſunt, aut memoretis nominatim earum Deos, aut jurejurando per eos adſtringatis, vel eos colatis, atque adoretis. 8. Sed Jehovæ Deo veſtro adhærete, ſicut ad

31. *Apud vos eſſe Jehovam*] Propitium vobis adeſſe.

Manui Jehovæ] A pœna imminente, ſi deliquiſſetis, liberaſtis.

33. *Placuit Iſraëlitis*] *Bona fuit res in oculis filiorum Iſraëlis.*

De expeditione in eos &c.] *Ad adſcendendum contra eos in exercitum.*

34. *Hed*] עד, hoc eſt, *teſtem*. Hanc enim vocem deeſſe & ſubaudiendam putamus, cum optimis quibuſque Interpretibus. Hanc omiſſionem cum non intelligerent LXX. Intt. ſenſum hunc finxerunt: ἐπωνόμασεν Ἰησοῦς τὸ βωμὸν τῶν Ῥουβὴν καὶ τῶν Γὰδ καὶ τοῦ ἡμίσους φυλῆς Μανασσῆ, καὶ εἶπεν ὅτι μαρτύριόν ἐστι ἀνὰ μέσον αὐτῶν. Vulgatus verò hæc habet, quæ oſtendunt eum non aliter ac nos legiſſe: *Vocarúntque filii Ruben & filii Gad altare quod exſtruxerant, teſtimonium noſtrum quòd Dominus ipſe ſit Deus.* LXX. verò Interpretes, cùm in Hebraïco textu nulla ſit mentio Joſuæ, nomen ejus huc intrudere voluerunt; ne quis crederet hæc minimè conſcio Joſuâ, aut mortuo, geſta eſſe. Scio quidem nomen eſſe omiſſum eſſe in Complutenſi editione, ſed ſæpe dixi eum codicem emendatum videri ad textum Hebræum. Ceteroqui licèt nulla fiat mentio Joſuæ, minimè ſequitur eo mortuo, aut inſcio, hæc eſſe geſta. In tam brevi narratione, multa paſſim neceſſariò omittuntur; quæ ex omiſſione facta non fuiſſe nemo colligat, qui non deſipiat, ſi modò paullò attentiùs hos libros legerit.

Jehovam eſſe Deum] Supplendum, aut, *quem colimus*, aut *ſolum.*

In CAPUT XXIII.

1. *Diu poſtea*] *Et fuerunt dies multi poſtquàm — & Joſua ſenuerat, venerat in dies.*

2. *Senes, principes*] Magiſtratus, & inſignes quoſvis homines, qui illuc ſe ſe conferre voluerunt; non viros omnes Iſraëlitas, qui non facilè eò concurrere poterant.

Apparitores ejus] שטריו *ſchoterau.* Vide ad Exod. V, 6.

3. *Ejecit*] Hoc neceſſariò ſubaudiendum, ſive culpâ Librariorum exciderit, ſive elliptica ſit loquutio; nam LXX. Intt. & Vulgatus non aliter legerunt quàm nos. Vide v. 5, 9.

4. *Diviſiſſe vobis ſorte*] *Feci vobis cadere*; quia agitatâ urnâ, ſortes cadebant, ut ſæpe diximus.

7. *Néve inviſatis*] Hoc eſt, familiaritatem ullam cum iis contrahatis, ne moribus ſuis vos corrumpant.

Memoretis nominatim earum Deos] Non vetat Joſua ſimpliciter ne nomina eorum proferantur, cùm iis plena ſit Scriptura, ſed ne ulla mentio honorifica eorum fiat. Similis loquutio Epheſ. V, 3.

Aut per eos jurejurando adſtringatis] תשביעו *faciatis jurare.* Nam jurare per aliquem Deum, perinde eſt ac eum Deum agnoſcere; cùm is, per quem juramus, invocetur quaſi teſtis veritatis, & ultor mendacii. Vide not. ad Deut. VI, 13. Ideò vetabantur Iſraëlitæ quemquam adigere, ut juraret per Deos alienos. Egit hac de re *Joan. Seldenus* de J. N. & G. Lib. II. c. 13.

9. *Neque ad vos quod attinet quiſquam coram vo-*

ad hunc uſque diem feciſtis. 9. Propterea expulit Jehova è conſpectu veſtro magnas ac
validas gentes, neque *ad vos quod attinet*, quiſquam coram vobis, ad hunc uſque diem,
conſiſtere potuit. 10. Vir unus è vobis perſequetur millenos, quia Jehova Deus veſter
pugnabit pro vobis, quemadmodum vobis promiſit. 11. Quare diligentem operam ex
animo date, ut Jehovam Deum veſtrum ametis; 12. quia ſi ab eo defeceritis, adhæſeri-
tiſque reliquiis gentium iſtarum, quæ vobiſcum ſuperſunt, connubiáque cum iis miſcue-
ritis & vos mutuò inviſeritis; 13. ſcitote Jehovam Deum veſtrum non ampliùs è conſpectu
veſtro gentes iſtas expulſurum, futuráſque eas vobis laqueo, offendiculo, flagellúmque la-
teribus veſtris, & ſpinas oculis, donec eas ſuſtuleritis ex terra hac fertili, quâ Jehova Deus
veſter vos donavit. 14. En ego viam totius terræ mox ingreſſurus ſum; ſcitis autem
toto corde & toto animo veſtro, ne unum quidem verbum *irritum* cecidiſſe ex omnibus
promiſſis quæ fecit vobis Jehova Deus veſter; ſed omnia vobis contigiſſe, neque quid-
quam ex iis *irritum* cecidiſſe. 15. Verùm ſicut contigerunt vobis omnia bona, quæ vo-
bis pollicitus erat Jehova Deus veſter: ſic etiam in vos immittet omnia mala, quæ mina-
tus eſt, donec vos ex fertili hacce terra, quâ vos donavit, ſuſtulerit; 16. cùm viola-
veritis fœdus Jehovæ Dei veſtri, quod vobis impoſuit, iveritiſque cultum Deos alienos,
& eos adoraveritis. Accendetur in vos indignatio Jehovæ, & quamprimùm peribitis ex
fertili hacce terra, quâ vos donavit.

XXII. Joſua paullò ante mortem iterum Iſraëlitarum proceres convocat, quibus, Dei beneficiis expoſitis, optionem dat eligendi quem Deum colere velint. Reſpondentibus ſe velle colere Deum Iſraëlis, fœdus nomine Dei cum iis confirmat, & moritur. Monumento inferuntur oſſa Joſephi. Moritur & Elehazar ac ſepelitur.

1. POSTEA collegit Joſua omnes Tribus Iſraëlis Sechemum, convoca- Caput XXIV.
vitque ſenes Iſraëlis, principes ejus, judices & apparitores; qui
ſe

vobis] ואתם *veatthem*, ו quod huic membro præfigitur, vix aliter intelligi queat. Vide *Noldium* in LV ſignificatione τῦ *Vau*. Hoc cùm non adſequerentur LXX. & Vulgatus Intt. omiſerunt.

10. *Millenos*] Multos.

11. *Diligentem operam ex animo date*] *Obſervamini valde animabus veſtris.*

12. *Connubia miſcueritis*] והתחתנתם *bithbbathantem*, adfinitatem connubiis contrahatis. Vetitum hoc Exod. XXXIV, 15, 16. Deut. VII, 2, 3.

13. *Laqueo, offendiculo* &c.] Hoc eſt, vehementer vobis nocituros, dum vos à veri Dei cultu avertant.

14. *Viam totius terræ mox ingreſſurus ſum*] *Eo*, vel *incedo hodie in via totius terræ.* Eſt circumloquutio mortis, κατ' εὐφημισμόν.

Scitis autem toto corde] Hoc eſt, animus veſter non eſt inter fidem & dubitationem diviſus, res enim eſt quam vidiſtis. Hinc intelligimus quid ſit *amare toto corde & toto animo.* Vide de hac phraſi, ad Deuter. IV, 29. & v. 5. Cap. XXII.

Ex omnibus promiſſis] *Verbis bonis.* Vide ad Cap. XXI, 45.

Neque quidquam irritum] Repetitio hæc majoris adfirmationis vim habet, niſi ſit idioma dumtaxat Linguæ repetitionibus refertæ; quod antiquam ſimplicitatem redolet. Vide Joan. I, 3. & quæ illic notavimus.

15. *Omnia mala quæ minatus eſt*] *Omne verbum malum.* Ut *verbum bonum* eſt promiſſio, ſic *malum* minas ſonat. Nam Hebræi *promittere*, aut *minari* uno verbo dicere nequeunt.

Quâ vos donavit] Additur *Jehova Deus veſter*, more Hebræo.

16. *Quod vobis impoſuit*] צוה *tſivvah*, præcepit, ut alibi ſæpe, quia *fœdus* hîc reverâ lex eſt, quam jubet Deus obſervari.

In Caput XXIV.

1. O*Mnes Tribus Iſraëlis*] Hoc eſt, principes viros, & magiſtratus omnium Tribuum.

Sechemum] LXX. Intt. in antiquiſſimis Codicibus Romano, & Alexandrino, hîc habent Σηλώ, unde intelligere licet, aut ſic legiſſe eos in Codicibus ſuis, aut ſic legendum cenſuiſſe, aut Librarios, vel Criticos auſos eſſe mutare Σιχὲμ in Σηλώ. Poſtremum tamen malim, cùm videam *Joſephum* legiſſe Σιχὲμ, nam niſi hoc modo legiſſet, non ſcriberet, antequàm noviſſima Joſuæ verba recitaret, eum tum Sichimæ habitaſſe, Ant. Jud. Lib. V. c. 1. Ἰησοῦς αὐτὸς ἐν Σικίμοις διῆγε, *Jeſus ipſe Sichimis agebat.* Chaldæus & Syrus Interpretes habent etiam *Sichem*, nec deſunt Græci Codices, in quibus ita legatur. Sic habent Aldinus & Complutenſis. Si quis quærat cur *Sichem* in *Siloh* mutatum; crediderim factum, quia hæc, ad Tabernaculum Dei, Silunte facta putaverunt, quòd *coram Deo* facta dicantur & ob ea quæ narrantur v. 25. & ſeqq. qua tamen in re errabant. Sed cur Joſua, inquies, fuit Sechemi, hoc tempore? Ut, nimirum, oſſa Joſephi monumento inferret, ut docemur v. 32. Scio *Joan. Druſium* & alios, ut hæc in concordiam redigerent, velle Siluntem fuiſſe in agro Sichemenſi, ſed quo auctore neſcio. Diſtabat Silo Sichemo duodecim milliaribus,

ſe coram Deo ſtiterunt. 2. Ibi *ſic* univerſum populum alloquutus eſt Joſua: ſic dixit Jehova Deus Iſraëlis: Olim habitarunt Majores veſtri, & *inter alios* Terachus pater Abrahami & Nachoris, trans fluvium *Euphratem*, coluerúntque Deos alienos. 3. E regione, quæ eſt trans Euphratem, ſumſi progenitorem veſtrum Abrahamum, eúmque circumduxi per univerſam terram Chananæam, & poſteros ei multos, ac *præſertim* Iſaacum dedi. 4. Iſaaco verò dedi Jacobum & Heſavum, & Heſavum quidem donavi monte Schire, ut eum poſſideret, Jacobus verò ejúſque filii abierunt in Ægyptum. 5. *Ad eos* miſi Moſem & Aharonem, plagáſque impoſui Ægypto, quemadmodum feci in media regione, atque *illinc* poſtea vos eduxi. 6. Eduxi, *inquam*, patres veſtros ex Ægypto, venerúntque ad mare *Idumæum*, quò Ægyptii perſequuti ſunt patres veſtros curribus & equitatu, *ad* mare algæ. 7. Tunc invocarunt patres veſtri Jehovam, interpoſuitque caliginem inter vos & Ægyptios, ac immiſit in eos mare, quod eos cooperuit. Viderunt patres veſtri quæ feci in Ægypto, tum diu in deſerto habitaſtis. 8. Poſtea adduxi vos in terram Emoræorum, qui trans Jordanem habitabant; bellum *illi* vobiſcum geſſerunt, ſed eos in manum veſtrum tradidi, occupaſtiſque eorum terram & delevi eos è conſpectu veſtro. 9. Deinde exortus Balakus, Tſipphoris filius, Rex Moabitarum, qui hoſtili animo fuit in Iſraëlem, vocavítque Balahamum, Behoris filium, ut vobis malè precaretur. 10. Sed nolui exaudire Balahamum, bene vobis precatus eſt, vóſque ex ejus manu liberavi. 11. Trajeciſtis poſtea Jordanem, & veniſtis Jerichuntem. Bellum vobiſcum geſſerunt Jerichuntini, Emoræi, Pherizæi, Chananæi, Chitthæi, Girgaſæi, Chivvæi, & Jebuſæi, cóſque in manum veſtram tradidi. 12. Præmiſi ante vos crabronem, qui expulit è conſpectu veſtro duos Emoræorum Reges, quos gladio veſtro, aut arcu minimè viciſtis. 13. Donavi vos terrâ, quam non colueratis, & urbibus quas non condideratis, in quibus habitatis. Vinearum & olivetorum, quæ

ſi credimus *Euſebio:* ὡς ἀπὸ σημείων ιϛ. (ἀπὸ τῆς Νεαπόλεως, quod ex Hieronymo ſupplendum) ἐν τῇ Ἀκραββατηνῇ. Hieronymus: *Eſt autem in decimo milliario Neapoleos, in regione Acrabittena.* Quod ſecundo loco de *Sychem* habetur apud *Euſebium* de locis, ubi dicitur ſimul *Tribûs* eſſe *Manaſſæ*, & in *monte Ephraim*, mira eſt negligentia.

Se coram Deo ſtiterunt] Videtur Silunte *Arca* huc, negotii hujus cauſâ, tranſlata; fortè quòd Joſua Thimnath-ſeracho Sichemum quidem ire poſſet, ſed Siluntem uſque progredi non poſſet, propter ſenectutem; præterquàm quod erat quod Sichemi ageret, ut modò diximus. *Arcam* autem Sichemum tranſlatam putamus, quia ſæpiùs in hoc libro *coram Jehova* perinde eſt ac ante Tabernaculum & Arcam. Sic tranſlata fuit alio tempore Mitſpham & Bethelem, ut videmus Jud. XX, 1, 18.

2. *Trans fluvium*] Sic κατ' ἐξοχὴν paſſim vocatur Euphrates, cujus tamen nomen ſupplendum, perſpicuitatis cauſâ, cenſuimus.

Coluerúntque Deos alienos] Vide de hoc loco dicta ad Gen. XIV, 13.

3. *E regione quæ eſt trans fluvium* &c.] Nimirum, ex parte boreali Meſopotamiæ, quæ Chaldæa dicebatur. Vide Gen. XI, 31.

Poſteros ei multos &c.] *Multiplicavi ſemen ejus & dedi ei Iſaacum*; hoc eſt, *& præſertim dedi*, ſic enim copula ſumitur, cùm hominum genere memorato, unus quiſpiam inſignior nomine appellatur. Vide ad Geneſ. XXXI, cap. 8. & *Noldium* in ſignificatione XX copulæ *Vau*.

6. *Ad mare*] Addendum fuit *Idumæum*, vitandæ ambiguitatis gratiâ.

7. *Caliginem*] Vide Exod. XIV, 19, 20.

8. *In terram Emoræorum* &c.] Vide Num. XXI.

9. *Hoſtili animo fuit in Iſraëlem*] וילחם בישראל *vajjillachem bejiſchraël*, quod vertendum non eſt *pugnavit*, cùm nullam pugnam ejus cum Iſraëlitis legamus. Sed hoſtili animo fuit in Iſraëlitas, ut liquet ex hiſtoria Balahami, quam ſubjicit Joſua. Vide Num. XXII. & ſeqq.

10. *Ex manu ejus liberavi*] Manu, ſcilicet, Balaki, qui, ſi Balahamus malè precari potuiſſet Iſraëlitis, iis continuò fortè erat bellum illaturus; quod ob fauſtas Balahami adprecationes, hominis conſtantiâ territus, auſus non eſt. Vide Num. XXII, 6.

11. *Bellum vobiſcum geſſerunt*] ילחמו *jillahbamou.* Sic vertendum potiùs, quàm *pugnarunt*, cùm conſtet Jerichuntinos prælium committere non auſos, ſed ſe intra mœnia ſua continuiſſe. Nam ceteri quidem populi non ſemel cum Iſraëlitis, collatis ſignis, pugnarunt.

Jerichuntini] *Domini Jerichuntis*, qui Hebraïſmus conſuetus eſt.

Emoræi] האמרי *haemori*, quod eſt ita intelligendum, quaſi præfixa eſſet copula ו huic nomini, non minùs ac ſequentibus nominibus; ſatis enim liquet Gentes hîc intelligi, inter quas diviſa erat Chananæa, non incolas Jerichuntis, qui unius tantùm earum Gentium pars erant.

12. *Præmiſi ante vos crabronem*] Vide ad Exod. XXIII, 28. Hæc circumſtantia minimè narratur à Moſe, quia res contigit apud Chananæos, antequàm Iſraëlitæ ad Chananææ fines accederent; nec quidquam fermè narrat, præter id quod ad eorum res geſtas pertinet, omiſſis quæ in vicinia, apud finitimos populos, eodem tempore contigerunt.

Gladio veſtro] Eſt *gladio & arcu tuo*, ſed Latinè loquentes ita numeros miſcere non ſolent.

14. *In integritate & veritate*] Hoc eſt, ex animo, non tantùm externo cultu, & publico, dum privatim alios Deos colitis; quod factum, ad

quæ non plantaveratis, *fructibus* veſcimini. ¹⁴· Nunc ergo timete Jehovam, cúmque
colite in integritate & veritate. Amovete Deos, quos coluerunt Majores veſtri trans
fluvium *Euphratem*, & in Ægypto, ac Jehovam colite. ¹⁵· Sin verò non placet vo-
bis colere Jehovam, eligite vobis hodie quem colatis, ſeu Deos quos coluerunt Majo-
res veſtri trans fluvium *Euphratem*, ſeu Deos Emoræorum, quorum terram incolitis;
ego verò & domus mea colemus Jehovam.
¹⁶· Reſpondit verò populus, &, abſit, inquit, ut ad colendos Deos alienos, Jeho-
vam deſeramus! ¹⁷· quia Jehova Deus noſter nos & patres noſtros ex Ægypto eduxit,
atque ex ergaſtulo, fecitque in oculis noſtris magna illa portenta, & nos cuſtodivit per
omnem viam quam confecimus, ac per omnes populos, per quos tranſivimus. ¹⁸· Ex-
pulit Jehova omnes illos populos, & Emoræos *præſertim*, quorum terram habitamus, è
conſpectu noſtro *ejecit*. Itaque nos quoque colemus Jehovam, cùm ſit Deus noſter.
¹⁹· Repoſuit Joſua populo: non poteritis colere Jehovam, quia Deus ſanctus eſt,
Deus eſt zelotypus, nec delictis, peccatiſque veſtris ignoſcet. ²⁰· Si deſerueritis Je-
hovam, colueritiſque Deos alienigenarum, averſabitur vos, malè habebit, & abſumet,
poſtquàm vobis *fruſtra* bene fecerit.
²¹· Joſuæ verò populus, nequaquam, inquit, ſed Jehovam colemus.
²²· Tum Joſua populo, teſtes, inquit, eſtis ipſi contra vos, quandoquidem elegiſtis
vobis Jehovam, quem coleretis.
Teſtes, inquiunt, ſumus. ²³· Nunc ergo, *ait*, removete Deos alienigenarum, qui
Dii ſunt inter vos, & inclinate animum veſtrum ad Jehovam Deum Iſraëlis. ²⁴· Je-
hovam Deum noſtrum, inquit populus Joſuæ, colemus, ejúſque voci auſcultabimus.
²⁵· Tum illo die percuſſit Joſua fœdus cum populo, expoſuitque ei Sechemi inſtitu-
ta *Dei* & leges. ²⁶· Scripſit etiam hæc verba in libro legis Dei, ſumſitque lapidem
mag-

ad hoc uſque tempus, ab Iſraëlitarum nonnullis, ſequentia oſtendunt.

Amovete Deos &c.] Hæc & quæ habentur v. 23. dici non poſſent, niſi Iſraëlitæ, ſi non publicè, at certè privatim Idola coluiſſent. Ac ſanè Ezechiel Cap. XXIII. Idololatriæ in deſerta Arabia addictos fuiſſe Iſraëlitas, ſaltem nonnullos, ſatis disertè oſtendit, quamquam nihil tale narratur à Moſe. Similiter hæc Joſuæ verba oſtendunt fuiſſe inter Iſraëlitas, qui Chaldæorum, aut Chananæorum Deos colerent; tametſi in hiſtoriæ narratione nihil ſimile memoravit; neque hoc mirum in tam brevi Hiſtoria videri poteſt. Hoc unum fortaſſe objiciatur, mirum eſſe Deum occultam illam Idololatriam paſſum eſſe. Sed verba Joſuæ nimis aperta ſunt hìc & v. 23. quàm ut de re dubitare poſſimus, quamvis rationes divinæ patientiæ nos fugiant.

¹⁵· *Non placet vobis*] *Malum eſt in oculis veſtris.*

¹⁸· *Et Emoræos præſertim*] Intelliguntur populi ad ortum Jordanis, è ſedibus ſuis expulſi, de quibus Joſua v. 8. Cur *præſertim* addiderimus diximus ad v. 3.

¹⁹· *Non poteritis* &c.] Hoc eſt, ita affecti eſtis, ut niſi mutemini, conſtantes in cultu divino futuri non ſitis. Hæc, ut & optionem quam ſupra v. 15. habuimus, non profert Joſua, niſi ut magis ac magis confirmet Iſraëlitas in veri Dei cultu, útque iteratas promiſſiones ex eorum ore eliciat, de colendo in æternum rerum omnium Creatore; ne quis poſtea cauſari poſſet, populum Hebræum invitum eam Religionem ſuſcepiſſe, hominéſque ab ea avertere, quaſi vi illis impoſitâ. Ceterùm ſi aliter reſpondiſſent, dubium non eſt quin graviſſimas pœnas Deo fuiſſent daturi, qui tot beneficiis eos affecerat.

Deus Sanctus eſt] אלהים קדשים הוא *Dii ſancti ille*; ſed ut *Elohim* Deum unum ſonat, licèt pluralis numeri, nihil vetat קדשים *ſancti* de uno etiam dici. Sic uſurpatur etiam אדנים *adonim* domini, quod de uno & pluribus æquè dicitur.

Zelotypus] Qui vult ſolus coli. Vide ad Exod. XX, 5.

Nec delictis &c.] Deus quidem pœnitentibus ignoſcit, ſed pœnis ſæpe eos ad pœnitentiam revocat. Perinde eſt ac ſi Joſua negaret Deum ſine pœnis dimiſſurum eos, qui ad Idololatriam relapſuri eſſent; quod res ipſa oſtendit, ut ex Libro Judicum liquet, quamvis reſipiſcentes ſemper in gratiam receperit.

²⁰· *Averſabitur vos*] ושב *veſchab*, & *redibit*; hoc eſt, eùm ad vos veluti venerit, quaſi ad populum ſuum, aliò ſe convertet, ſeu vos averſabitur. LXX. Intt. habent καὶ ἐπελθὼν κακώσει, crediderim eos ſcripſiſſe ἀπελθὼν, nam שוב *ſchoub*, eſt quidem ἀπέρχεσθαι, ſed non ἐπέρχεσθαι.

²²· *Teſtes eſtis contra vos*] Hoc eſt, ſi poſthac à Deo defeceritis, ex verbis veſtris damnabimini.

²³· *Amovete* &c.] Ergo erant etiamnum ſimulacra Deorum alienorum, inter Iſraëlitas. Vide ad v. 14.

²⁵· *Percuſſit fœdus cum populo*] Renovavit fœdus olim à Moſe, nomine Dei, cum eo percuſſum, Exod. XXIV. Hoc eſt, legibus divinis pariturum eſſe populum promiſit Deo, & præmia ac pœnas nomine Dei denunciavit.

²⁶· *Scripſit etiam hæc verba in libro Legis*] Hoc eſt, hanc orationem, inſtaurationémque fœderis ſcriptis mandavit, addiditque libro fœderis à Moſe olim ſcripto. Facile fuit volumini Moſaïco, quod depoſitum erat ad latus Arcæ (Deut. XXXI, 24, 26.) adglutinare membranam, in qua hæc ſcriberentur.

 Quæ

magnum, cúmque ſtatuit ſub quercu quæ erat ad ſanctuarium Jehovæ, 27. & dixit univerſo populo, en lapidem iſtum, erit *ille* teſtimonium contra nos, nam audivit verba omnia Jehovæ, quæ protulit nobiſcum; erit teſtimonium contra vos, ne Deum veſtrum abnegetis.

28. Deinceps dimiſit Joſua populum, & unumquemque in hereditatem ſuam. 29. Poſtea mortuus eſt Joſua, Nunis filius, ſervus Jehovæ, decem & centum annos natus. 30. Sepelierunt eum in finibus ejus hereditatis Thimnath-ſerachi, quod eſt in montanis Ephraimi, ad ſeptemtriones montis Gahaſi.

31. Co-

Quæ erat ad Sanctuarium Jehovæ] אשר במקדש יהוה *aſcher bmikdaſch Jehovah.* Hic ב perinde eſt ac על vel אל *ad*, nam in Tentorio arbor eſſe non potuit. Vide not. ad Num. IV, 3. Vetitum quidem erat ne lucus, aut arbor eſſet ad Tentorium Deut. XVI, 21. Sed videtur hoc intelligendum de loco, in quo diu remanere id oporteret, non de eo ad quod ad breve tempus collocaretur, ut hoc tempore factum eſt.

27. *Erit teſtimonium contra nos*] De monumentis ejuſmodi, diximus ad Cap. XXII, 27. Vide ad Cap. IV, 3. & ſeqq.

Audivit verba omnia &c.] Ut lapis dicitur *teſtis*: ſic & eadem figurâ *audiviſſe* adfirmatur, quia ad eum verba facta fuerant. Lapidem illum poſtea conſpecturi dicturi erant quid ad eum geſtum eſſet, futurúmque erat mutum rei monumentum; ſed quod ejus memoriam non minùs renovaret, quàm ſi auditam clarâ voce repetere poſſet.

28. *Ne Deum veſtrum abnegetis*] Ne poſſitis negare Jehovam à vobis, pro Deo veſtro, ſolemniorem in modum agnitum fuiſſe. Vult Chaldæus lapidi inſcriptionem additam, totius negotii memoriam complexam; ſed, tacente Scripturâ, non opus eſt hoc fingi, cùm ſimilium monumentorum minimè deſint exempla.

31. *Per totam vitam*] *Omnibus diebus.* Sic alibi paſſim.

Qui norant] Per ſe, nimirum, non ex aliorum narratione. Vide Jud. II, 7, 10. Ceterùm hæc & quæ leguntur à v. 9. ab alio, qui ſuperſtes Joſuæ fuit, ſcripta fuiſſe nemo negarit, qui quidem ſapiat.

32. *Oſſa etiam Joſephi* &c.] Ex mandato ipſius Joſephi factum hoc eſt. Vide Gen. L, 25. Hæc, vivo Joſuâ, facta eſſe videntur, ut fidem à Patriarchis Joſepho datam liberaret.

In parte agri &c.] Vide Geneſ. XXXIII, 59.

Ceſſit in hereditatem Joſephi poſteris] Ex voluntate, ut putant, ultima Jacobi, quæ exprimitur Gen. XLVIII, 22. quod tamen adfirmare nolim, res enim clara non eſt.

33. *Quâ in montanis Ephraimi*] Ambigua eſt loquutio אשר נתן לו *aſcher nitthan lo*, *quæ data ei eſt*, potéſtque æquè de Elehazare, ac de Phinchaſo, intelligi: de poſteriori tamen capi malim, qui nomen loco impoſuit. Fuit hoc donum extra ordinem Phinchaſo datum, nam urbes omnes Sacerdotales in Tribu Judæ, Simeonis & Benjaminis fuerunt, ut liquet ex Cap. XXI. De hoc loco ita *Euſebius*, in locis Hebraïcis: Γαβαάθ, ὄρος Ἐφραΐμ, Φινεὲς πόλις, ἐν ᾗ Ἐλιάζαρ, ὃ ἔθαψαν τὸν Ἐλιάζαρον, καὶ εἰς ἔτι νῦν Γαβαθὰ κώμη, ὡς ἀπὸ ιβ´ σημείων Ἐλευθεροπόλεως, ἔνθα καὶ τὸ μνῆμα Ἀββακοὺμ ἐπιδείκνυται τοῦ Προφήτου. ἦν δὲ φυλῆς Βενιαμίν. Videtur hoc velle *Euſebius*, fuiſſe in montanis Ephraïmi urbem, quæ *Gabaath-Phinees* vocabatur, & aliam ejuſdem nominis, in Tribu Benjaminis, quod verum eſt, ut liquet ex Cap. XVIII, 24. Sed fortè in poſtremis verbis ſcripſerat: Ἦν δὲ καὶ φυλῆς Βενιαμίν. Non potuit enim dicere, tam paucis verbis interjectis, fuiſſe in Tribu Benjaminis eamdem urbem, quam collocaverat paullò antè in montanis Ephraïmi. Quod cùm non intelligeret *Hieronymus*, delevit quæ *Euſebius* dixerat de montanis Ephraïmi, eóque perperam tranſtulit quæ poſtea monet de Gabaa Benjaminis, ſic enim habet: *Gabaath, in Tribu Benjamin, urbs Phinees filii Eleazaris, ubi ſepultus eſt Eleazar. Eſt autem Gabaatha nunc villa, in duodecimo milliario Eleutheropoleos, ubi & ſepulcrum Prophetæ Habacuc oſtenditur.* Verè quidem, ut vidimus, fuit in Tribu Benjaminis *Gabaa*, ſed alia à Gabaa, quæ fuit Phinchaſi. Poſteriorem hanc non remotam fuiſſe Silunte, credibile eſt, ne Pontifex Maximus nimis procul abeſſet à Sacrario Dei. Ne temerè credamus *Euſebio* ac *Hieronymo* de locis agentibus, déque veteribus ſepulcris, ex fide accolarum, loquentibus, vetat eorum inconſtantia, qualem antea jam notavimus ad Cap. XIX, 50. de ſepulcro Joſuæ. Nunc utrumque audiamus, de monumento Habakkuki. *Euſebius*: Ἐχελά, ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβίδ, νῦν δὲ Ἐχελὰ λέγεται κώμη ἀπέχουσα Ἐλευθεροπόλεως σημείοις ζ´. Ἀμβακοὺμ τοῦ Προφήτου τὸ μνῆμα πλησίον δείκνυται: Hieronymus: *Echela, ubi abſconditus eſt David. Nunc verò Echela villa dicitur, in ſeptimo ab Eleutheropoli milliario, juxta quam & ſepulcrum Habacuk Prophetæ oſtenditur.* Non potuit ſanè oſtendi verè duobus locis tam remotis ſepulcrum Habakkuki, quales fuerunt *Gabaa* Benjaminis, ad ſeptemtrionem Jeroſolimæ, & *Hachila* in ſolitudine Mahonis, procul ad meridiem in tribûs Judæ agris, mare Mortuum versùs. Cùm Judæi cœpiſſent inſtaurare & ornare ſepulcra Prophetarum, videntur ex conjectura ea collocaſſe in locis ubi non fuerant. Inanem illam Prophetarum reverentiam, in reſtitutione ſola ſepulcrorum ſitam, iis exprobrat Chriſtus Matth. XXIII, 29. videntúrque hinc natæ diſcrepantes illæ de eorum ſitu opiniones. Ceterùm de variis urbibus, quibus *Gabaa* nomen fuit, vide *Jac. Bonfrerium* ad vocem *Gabe*, in Onomaſtico urbium & locorum Sacræ Scripturæ.

H. Grotius ad hunc locum vult Phinchaſo datam poſſeſſionem in Tribu Ephraïm *per uxorem, nam Levitæ*, inquit, *ſuo nomine privatos agros non habebant.* Verùm hanc interpretationem, quam Rabbinis debuit vir ſummus, dudum confutaverat *Andr. Maſius*; qui rectè notat puellas prædiis paternis dotatas extra Tribum nubere non potuiſſe, ex Lege Numer. XXXVI,

31. Coluit autem Iſraël Jehovam, per totam vitam Joſuæ & ſenum qui ei ſuperſtites
fuerunt, & qui norant omnia opera, quæ Deus in gratiam Iſraëlis fecerat. 32. Oſſa
etiam Joſephi, quæ Iſraëlitæ ſecum ex Ægypto attulerant, ſepelierunt Sechemi, in
parte agri, quem comparaverat ſibi Jacobus à filiis Chamoris patris Sechemi, centum
nummis, & qui ceſſit in hereditatem Joſephi poſteris.
33. Elehazar etiam, filius Aharonis, mortuus eſt, ſepelieruntque eum Gibhæ Phin-
chaſi, ejus filii, quâ in montanis Ephraïmi donatus fuerat.

XXXVI, 8. Adde & falſam eſſe rationem à *Grotio* allatam, ſi uxor Phinchaſi paterna prædia in dotem viro attulit; quis enim dubitat quin filii matris heredes futuri eſſent? Itaque Levitæ Phinchaſi filii prædia propria habuiſſent, licèt hoc neget *Grotius*. Quamvis verum ſit vulgò Levitis agros non fuiſſe adtributos, nihil vetat inuſitatum quiddam in gratiam familiæ Pontificalis factum fuiſſe; præſertim cùm eam non oporteret procul à Tabernaculu, quod Silunte erat, abeſſe.

LIBRI JOSVÆ FINIS.

Google

L I B E R
J U D I C U M.

I. Agri Chananææ, partim vivente Joſuâ, partim poſt ejus mortem à variis Hebræorum Tribubus occupati, & qui occupari non potuerunt.

CAPUT I. 1. POST mortem Joſuæ, *reſpiravit Chananæus. Eo vivente*, ſciſcitati fue-
rant Iſraëlitæ Jehovam, his verbis: quis nobis adſcendet contra
Chananæum, ut primus eum oppugnet? 2. Dixerat verò Jehova:
Juda adſcendet, en dedi terræ tractum in manum ejus. 3. Tum
dixerat Juda Simeoni fratri: adſcende mecum in ſortem meam, ut
unà oppugnemus Chananæum; dein ego quoque in ſortem tuam te-
cum ibo. Itaque cum eo iverat Simeon. 4. Cùm adſcendiſſet ergo Juda, in ma-
num

C O M M E N T A R I U S
In CAPUT I.

1. R*Eſpiravit Chananæus. Eo vivente*] Hæc inviti ſupplevimus, quia ſi dixiſſemus, ut alii, *poſt mortem Joſuæ ſciſcitati ſunt Iſraëlitæ* &c. qui Latinè ſciunt non potuiſſent aliter rem intelligere, niſi poſt mortem demum Joſuæ contigiſſe omnia quæ ſequuntur; cùm certum ſit Tribus ſingulas, eo vivente, aliquid agri occupaſſe, poſtquàm Chananæam iis diviſerat. Vide Joſ. Cap. XXIII. & infra Cap. II, 6. Conſtat etiam Tribum Judæ, vivo Joſuâ, agros ſibi adtributos habitaſſe, ex Joſ. Cap. XVIII, 2. & hiſtoriam Chalebi, quæ in hoc Capite habetur, contigiſſe eodem tempore, ut liquet ex Joſ. XV. ubi narratur. Denique quiſquis legerit paullò attentiùs Cap. II, 9. & cum ſuperioribus contulerit facilè intelliget Scriptorem Sacrum ſuperiora omnia narraſſe, quaſi ante Joſuæ mortem geſta. Nec verò tantus populus, in quo fuere minimùm quingenta millia virorum, ætatis militaris, iis qui ad ortum Jordanis incolebant minimè numeratis, potuit longo tempore in exiguo terrarum tractu vivere; ſed neceſſe habuit longè latéque ſe ſe extendere, & quàm primum etiam ut in futurum ſibi proſpiceret, latè patentes agros diligenter colere; nam eum tunc temporis ex proventu terræ vivere oportuit. Sat difficile eſt intellectu, unde vel per breve tempus, tantus populus commeatum ſibi comparare potuerit, inter hoſtes, atque in regione non ita magna; nedum ut per multos annos, in uno tractu, facilè ſibi proſpexerit. Sed in tam brevi & tam antiqua Hiſtoria, neceſſe eſt multa obſcura eſſe. Hoc unum poſſumus nunc præſtare, ut difficultates, quoad licet, rectè interpretando Hiſtoriam Sacram, minuamus. Itaque hîc aliquid neceſſariò ſuppleri debuit, ne viderentur geſta poſt mortem Joſuæ, quæ antea contigerant; & quod ſupplevimus ex ſequente Hiſtoria petitum eſt. Vide Cap. II, 1. & ſeqq. Scio eſſe qui κατὰ πρόληψιν narrata cenſent, quæ leguntur Joſ. XV. hîc verò ea ſuo ordine haberi. Verùm ii ſatis confutantur iis, quæ modò diximus. Addas licet Chalebum, qui octoginta quinque annos natus erat, cùm Chebronenſi agro donatus eſt, ut liquet ex Joſ. XIV, 11. in plures annos dilaturum non fuiſſe invaſionem agri, quo donatus fuerat.

Ut primus eum oppugnet] *In principio ad eum oppugnandum.* Hæc proximè ſequuta ſunt agrorum primam diviſionem, de qua Joſ. Cap. XV. Hîc autem videmus circumſtantiam in Joſuæ Hiſtoria omiſſam; nimirum, divinitus deſignatam fuiſſe Tribum Judæ, ut devictorum populorum prima agros invaderet. Verùm conſtat, ex illa Hiſtoria, Judæ, Ephraïmi, & Manaſſæ dimidiam Tribum primas omnium ſedes ſibi in Chananæa proprias cepiſſe. Vide Joſ. Cap. XV, 1. & ſeqq. & Cap. XVII, 2. & ſeqq. Loquitur hîc Scriptor Sacer de bello inferendo, quòd quamvis Joſua populorum illorum exercitus acie ſuperaſſet, & obvios quoſque occidione occidiſſet, urbéſque varias diripuiſſet, ac incendiſſet; attamen nec eas urbes præſidiis occuparat, nec omnes omnino incolas deleverat, & intacta alia oppida reliquerat. Vide not. ad Joſ. X, 31. & 36. Ceterùm hîc non agitur de ulla prærogativa Tribûs Judæ, ſed de ordine capiendarum ſedium.

2. *Judæ adſcendet*] Aut *ibit*, aut *expeditionem ſuſcipiet*, nam utrumque ſignificat verbum עלה *halah*. Primum Judam adſcendiſſe liquet ex Joſ. XV, 1. collato cum Cap. XVIII, 2.

3. *Simeoni fratri*] In Libris Sacris paſſim poſteri conditorum nomine appellantur, cavendúmque ne ejus rei immemores de poſteris dicta conditoribus propterea tribuamus; quod fit à nonnullis Mal. I, 2.

4. *Chananæum & Pherizæum*] Videtur hîc *Chananæus* peculiarem Tribum Chananæorum ſignificare. Vide ad Gen. XII, 6.

Ad Bezekum] בבזק *bebezek*, hoc eſt, *in Bezek*, ſed maluimus interpretari de agro urbis, ubi prælia potiuſquàm in urbe committuntur; cùm præſertim ex ſequentibus urbem poſtea captam liqueat. Vide not. ad Gen. XIII, 18. Num. IV, 3. Hoc autem oppidum fuit in Tribûs Judæ agris, ut ex hoc loco liquet; quare malè id confuderunt *Euſebius* & *Hieronymus* cum alio oppi-

num eorum tradidit Jehova Chananæum & Pherizæum, atque ad Bezekum ceciderunt
decem millia virorum. 5. Invenerunt autem Bezeki Adonibezekum, eóque oppugna-
to, conciderunt Chananæum & Pherizæum. 6. Aufugit quidem Adonibezekus, ſed
eum perſequuti apprehenderunt, pollicéſque manuum & pedum ejus amputarunt. 7. Tum
verò Adonibezekus, ſeptuaginta, inquit, Reges, pollicibus manuum & pedum inci-
ſis, collegerunt *reliquias* ſub menſa mea. Quemadmodum feci: ſic reddidit mihi
Deus. Duxerunt autem illum Jeroſolimam, atque illic obiit. 8. Nam oppugnarunt
poſteri Judæ Jeroſolimam, eámque ceperunt, & gladio *incolas* trucidarunt, urbi verò
ipſi ignem immiſerunt. 9. Poſtea iverunt poſteri Judæ, ut oppugnarent Chananæos
incolentes montana, auſtrum, & campeſtria. 10. Ivit etiam Juda in Chananæum Che-
brone habitantem (nomen verò Chebronis antea erat Kirjath-Arba) & occidit Se-
ſaïum, Achimanem, & Thalmaïum. 11. Hinc ivit in incolas Debiris, cui antea no-
men erat Kirjath-ſepher. 12. Tum dixit Chalebus: quiſquis ceciderit *incolas* Kirjath-
ſepheris, eámque ceperit, ei Hachſam filiam meam uxorem nuptui dabo. 13. Eam
verò cepit Hothniel, filius Kenazi, fratris Chalebi, ipſo minoris; uxorémque *Chale-
bus* ei filiam ſuam Hachſam collocavit. 14. Cùm autem illa veniſſet, eum impulit ut
pe-

oppido ejuſdem nominis, quod inter Neapolin & Scythopolin collocant, in tribu Ephraïmi. Βεζὲκ, inquit Euſebius, πόλις Ἀδωνιβεζέκ. Καὶ νῦν εἰσὶ κῶμαι β΄. Βεζὲκ, ἀλλήλων πλησίον Νέας πόλεως ἀπέχουσαι σημείοις ιζ΄. κατιόντων ἐπὶ Σκυθόπολιν: vertit Hieronymus: *Bezek, urbs Regis Adonibezek, & hodiéque duæ villæ ſunt nomine Bezek, vicinæ ſibi in ſeptimo decimo lapide, à Neapoli deſcendentibus Scythopolin.* Non eſt tamen abſimile vero aliud fuiſſe Bezekum, cujus mentio fit 1. Sam. XI, 8. quod eum ſitum habuerit; ſed non eſt miſcendum cum urbe, quæ fuit intra fines Tribûs Judæ.

Ceciderunt] *Percuſſerunt.*

5. *Adonibezekum*] Dicitur ſic, quaſi *Dominus Bezeki.*

Oppugnato] Oppido, nempe.

Conciderunt] Nimirum, eos qui in urbem fugerant, poſt priorem cladem.

6. *Pollicéſque manuum*] LXX. Intt. vertunt ἄκρα, *extremitates* vocem בהונות *behonoth*, quæ tamen eſt à בהן *bohen*, quod conſtanter pollicem ſignificat, ex omnium aliorum Interpretum conſenſu. Vide Exod. XXIX, 20. Arabicè בוהן *buhan* ſignificat etiam *pollicem*. Quærunt Interpretes nonnulli, quaſi rem obſcuram, cur Iſraëlitæ eo ſupplicio affecerint Adonibezekum; at vix dubitarim quin reſciviſſent ab eo Reges alios ſic habitos fuiſſe, ut habetur v. ſequente.

7. *Pollicibus manuum*] Pollices manuum ſecuerat, ne poſſent arma tractare; pedum, ne fugere. Prioris inhumanitatis exempla non ſunt rara. Ita aliquando Athenienſes habuerunt Æginetas, ut legimus apud *Ælianum* Var. Hiſtor. Lib. II. c. 9. ad quem vide Interpretes. Sed homines ſub menſam abjicere intolerandæ fuit ſuperbiæ.

Reddidit mihi Deus] Per Iſraëlitas, qui cùm eum cepiſſent, reſciviſſéntque quid aliis Regibus feciſſet, talionis pœnâ meritò hominem affecerunt, quem alioqui jure belli occidere poterant. Nomine autem *Deus*, Rex Ethnicus id Numen intellexit, quodcumque fuerit, quod ſibi infenſum eſſe propterea putavit.

8. *Poſteri Judæ*] *Filii Judæ*, ut *filii Iſraëlis*, aliáque ſimilia. Cùm nulla ſit in re ambiguitas, *poſteros* ſemper vertimus.

Ceperant] Non totam, nam arcem ipſam Sionis David demum cepit, ut liquet ex 2. Sam. V, 6. Itaque inferiores partes urbis dumtaxat occuparant, & Jebuſæos in iis deprehenſos trucidarant; ſed cùm multi in arcem confugiſſent, quam Iſraëlitæ expugnare ſe poſſe deſperabant, videntur poſtea, pactione factâ cum Jebuſæis, urbem communem habuiſſe, ut docemur Joſ. XV, 63. & infrà v. 31.

Gladio] *Ore gladii*, ſeu acie.

Urbi ignem immiſerunt] *Urbem in ignem immiſerunt*, quæ loquutio, cùm ſermo eſt de corpore non ita magno, & quod in ignem conjici poteſt, à Latinis etiam feratur; ſed de urbe, in quam mittitur, ſeu injicitur ignis, ferri nequit.

9. *Iverunt*] Eſt Heb. *deſcenderunt*, ירדו *jaredou*. Sed cùm ſequantur *montana*, ſumitur pro eo quod eſt *ire*, ut & *adſcendere*. Vide ad Gen. XXXVIII, 1.

Montana] ההר *hahar*, hoc eſt, propriè montem, ſed & pro montano tractu paſſim ſumitur; ut cùm ſermo eſt de *monte Judæ*, aut *monte Ephraimi*, quibus verbis non intelligitur mons unus, ſed totus tractus montanus utriuſque Tribûs.

Auſtrum & campeſtria] Hæc duo verba, cum ſuperiore, univerſam Tribum Judæ ſignificant, & conjungi ſolent ut omnes ejus agri exprimantur. Vide *Abdiam* v. 19. & quæ illic notavimus.

10. *Nomen Chebronis*] Vide not. ad Gen. XIII. 18.

Kirjath-Arba] *Urbs Arbæ*, qui Joſuæ XV. dicitur *pater Hanakæorum* fuiſſe.

Occidit] *Percuſſerunt.* Non eſt difficile intellectu, cur qui à Chalebo dicuntur victi Joſ. XV, 14. hîc à Juda dicantur occiſi, Chalebus enim Judæ dux fuit; ſed quæritur cur apud Joſuam Chalebus *expuliſſe* hos dicatur, qui hîc narrantur *occiſi*. Hic videtur eſſe tantùm accuratior loquutio; quicumque enim expelluntur non occiduntur, quicumque verò occiduntur, illi *expulſi* dici poſſunt, quia ſunt è medio ſublati.

13. *Ipſo minoris*] *Parvi* קטן *Katon*, quod apud Joſuam, in hac hiſtoria, non extat.

14. *Eum impulit*] ותסיתהו *thesithehou*. Sic quoque, apud Joſuam, legimus, ita ut hæc mulier dicatur incitaſſe virum ad petendum à patre ſuo agrum, quem tamen ipſa petiit. Hoc
eò

peteret agrum à patre ſuo, & *ipſa* quidem ex aſino, *cui inſidebat*, ſe demiſit. Huic verò Chalebus, quid tibi eſt? inquit. 15. At illa, dona me, ait, munere; & quandoquidem tractu meridiano me donaſti, da mihi & ſcaturigines aquæ. Dedit itaque ei Chalebus ſcaturigines ſuperiores & ſcaturigines inferiores.

16. Filii etiam Kenæi, adfinis Moſis, adſcenderunt ex urbe Palmarum cum poſteris Judæ in deſertum Judæ, quod eſt ad meridiem Haradi, atque eò *cùm veniſſent illuc* habitarunt cum populo.

17. Dein ivit Juda cum Simeone fratre, cecîderúntque Chananæum habitantem Tſepha-

eò adduxit LXX. Intt. ut apud Joſuam aliter verterent hoc verbum, quàm ſolet, habent enim, *συνεβουλεύσατο αὐτῷ λέγων, αἰτήσομαι, conſilium cum eo habuit, dicens petam*. Verum hæc cum loquutione Hebraïca non conſentiunt, & hoc Judicum loco habent iidem Interpretes aliter; nempe, *ἐπέσεισεν αὐτὴν Γοθονιὴλ, incitavit eam Gothoniel*. Quæ varietas facit ut credam eos haud aliter utrobique legiſſe, quàm nos hodie, ſed ex re ipſa, conjecturâque aliter vertiſſe. Conſtantior eſt Vulgatus, qui apud Joſuam vertit: *ſuaſa eſt à viro ſuo ut peteret*; hîc verò: *monuit vir ſuus ut peteret*. Verùm legendum eſſet יסיתה *jeſithcha*, quod lectum olim non fuiſſe oſtendunt LXX. Intt. Non diſplicet ſententia eorum Interpretum, qui volunt Hachſam incitaſſe quidem virum ſuum, ut agrum à patre peteret, ſed cùm ille hoc potiùs ab ipſa fieri debere dixiſſet, ipſam petiiſſe. Certè non video qui commodior ſenſus ex verbis, ut nunc ſe habent, exſculpi queat.

Se demiſit] ותצנח *thitſnahh*. LXX. Intt. apud Joſuam habent *ἐβόησεν*, quaſi eſſet ותצעק *thitshak*; hic verò *ἐγόγγυζεν ἢ ἔκραζεν*, quæ vix unà conſiſtere poſſunt; *murmurare* enim & *clamare* contraria ſunt. Vulgatus verò habet utrobique *ſuſpiravit*, quaſi eſſet ותאנח *theanach*. Crediderim tamen eos haud aliter legiſſe in ſuis Codicibus, quàm nos; ſed aut aliter legendum cenſuiſſe, aut vocem raram, quæ ter tantùm exſtat in Scriptura, ex conjectura ſic vertendam exiſtimaſſe. Exſtat præterea ſemel in hoc libro Cap. IV, 21. ubi ſignificat *infigere*. Alibi nuſquam occurrit. Chaldæus, ex re ipſa, quia ſequitur מעל החמור *ab aſino*, vertit אתרכינת *deſilüt*, & ſic omnes Hebræi, Interpretéſque recentiores, quos ſequuti ſumus. Deſcendiſſe autem videtur, ut humiliùs à patre peteret. *Hieronymus* quidem habet *ſedens in aſino*, ſed eſt in Hebraïcis מעל החמור *mehal hahhamor*, ab aſino, quod ſignificat motum è loco, non quietem. Attamen hanc verſionem non improbabat *Lud. de Dieu*, quòd in Æthiopica Lingua צנח ſignificet *manere*, quaſi exſpectaverit ex aſino ſucceſſum poſtulationis ſuæ. Sed hæc ſunt contorta, & multò ſatius eſt hæc ita capere quaſi, honoris causâ ſubitò deſcenderit Hachſa, ut patrem ſupplex alloqueretur.

Quæſiverit autem fortè quiſpiam, cur tantillæ rei circumſtantias, in breviſſima rerum multò majorum Epitome, in qua innumera majoris momenti prætermittuntur, bis narret Scriptura. Factum hoc videtur in gratiam familiæ Chalebi, quæ tum florebat, cùm hæc ſcripta ſunt, & cujus conditor vir inſignis & Deo gratus fuit.

15. *Munere*] ברכה brachah, *benedictione*. Vide ad Geneſ. XXXIII, 11.

Tractu meridiano] Soli objecto ac proinde calidiore, aquarúmque indigente, præſertim ſub colle.

16. *Filii Kenæi, adfinis Moſis*] בני קיני חתן משה *bne keni hhothen moſcheh*. LXX. Intt. in Codice Vaticano: *οἱ υἱοὶ Ἰοθὸρ τοῦ Κιναίου τοῦ γαμβροῦ Μωυσῆ*, in Alexandrino verò *Ἰωάβ* (pro *Ὠβάβ*) *τοῦ Κιναίου πενθεροῦ Μωυσῆ*. In Complutenſi eſt *Ἰοβὰρ*, & in Aldino *Ἰωβὰβ*, cetera verò ſunt ut in Alexandrino; unde liquet quàm audaces fuerint Librarii, aut etiam Critici, in illa verſione interpolanda. Vulgatus verò: *filii Cinæi cognati Moyſis*. Jonathan habet hîc novum nomen: *filii Salmaæ* שלמאה *ſoceri Moſis*, de quo nomine vide ad Gen. XV, 19. Hæc omnia incerta, nec conſtat cur Moſis adfinis, quiſquis fuerit, dicatur קיני *keni*; uti nec an חתן vertendum ſit *ſocer*, vel *adfinis*, nam vox eſt ambigua; qua in re quiſque conjecturam, quæ veriſimillima videbitur, ſequatur.

De ſocero Moſis, egimus ad Exod. II, 18. & Num. X, 29. Is, ut liquet ex poſteriore loco, cùm Moſem in Arabicis ſolitudinibus verſantem inviſiſſet, rogatúſque eſſet à genero ut maneret cum Iſraëlitis, in patriam redire maluit. Igitur ii, de quibus hîc ſermo eſt, non videntur aut patris, aut avi, conſilium ſequuti; quandoquidem apud Iſraëlem hoc tempore erant, & ſe Tribui Judæ adjunxerant.

Fuerunt antiquiſſimi populi ad auſtrum Judææ, qui קינים *Kenim* dicebantur, ut liquet ex Gen. XV, 19. ubi agri eorum promittuntur Abrahami poſteris, & quorum populorum conditor vocatur קין *Kajin*, in vaticinio Balahami Num. XXIV, 21. Quis verò *Kajin* ille fuerit nuſquam docemur. Verùm ad hanc gentem non videntur pertinuiſſe *Kenæi* Moſis adfines, nec inimici populi Hebræi, de quibus hîc, & infrà Cap. IV, 11. 1. Sam. XV, 6. XXVII, 10. XXX, 29. Unde verò hi quoque dicti fuerint *Kenæi*, non magis conſtat, quàm de ſuperioribus. Videntur vicinum antiquis Kenæis terrarum tractum habitaſſe, & fortè vicinia communionem nominis poſtea iis fecit; ita ut poſteri Jethronis Madianitæ *Kenæi* dicti ſint, quod habitarent cum vetuſtioribus Kenæis, ita à prima origine vocatis.

Hoc verò in loco, ſi vera eſt conjectura noſtra, *κατὰ πρόληψιν* vocabuntur Moſis adfines *Kenæi*, quippe ita demum dicti, cùm apud antiquiores illos populos conſediſſent, quod hîc primùm narratur. Hinc etiam intelligere eſt קיני *Keni* hîc non eſſe nomen proprium viri, ſed gentis.

Ex urbe Palmarum] מעיר התמרים *mehir hatthemarim*. Hoc eſt, ut volunt, Jerichunte, ad quam fuit nobile palmetum, qua de cauſa *urbs palmarum* dicebatur. Vide Deut. XXXIV, 3.

&

phatham, eámque internecioni devotam deleverunt, *quo factum* ut nomen ei inditum ſit Chormæ. 18. Cepit etiam Juda Gazam & fines ejus; Askalonem & fines ejus; Hekronémque ac fines ejus.

19. Adfuit Jehova Judæ, ut occuparet montana; ſed non potuit expellere incolas vallium, quòd ferrati currus illis eſſent. 20. Dederunt verò *Judæ poſteri* Chalebo Chebronem, quemadmodum dixerat Moſes, atque illinc expulit tres Hanakæos. 21. Attamen Jebuſæum, habitantem Jeroſolimam, non expulerunt Benjaminitæ; incoluitque Jebuſæus Jeroſolimam, cum Benjaminitis uſque ad hunc diem.

22. Ad-

& quæ illic diximus. Si hoc verum ſit interpretamentum, oportet adfines Moſis unà cum illo per deſertum in Chananæam veniſſe, atque aliquamdiu in Jerichuntino agro conſediſſe, antequàm certas ſedes haberent. Poſſet tamen quiſpiam conjicere veniſſe hoſce dici hîc ex Phœnicone, ſeu loco palmis conſito, in finibus Madianitidis vicinæ Arabiæ Felici, eóque non minùs nobili, quàm is qui ad Jerichuntem erat. De Phœnicone Arabico *Diodorus* Siculus Lib. XVI. Bibl. Ἑξῆς δὲ τοῦ μυχοῦ τόπος ἐστὶ παραθαλάττιος, ὁ τιμώμενος μὲν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων διαφερόντως διὰ τὴν εὐχρηστίαν τὴν ἐξ αὐτοῦ ὄντος. ὀνομάζεται μὲν Φοινικὼν, ἔχει δὲ πλῆθος τούτου τοῦ φυτοῦ πολύκαρπον καθ' ὑπερβολὴν, καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν καὶ τροφὴν διάφορον: *proximè poſt* (Arabicum) *ſinum intimum, locus eſt maritimus, quem maximi faciunt incolæ, propter uſum quem ex eo percipiunt. Hic vocatur Palmetum. Habet magnam copiam hujus arboris præter modum fertilem, & eximiam ad uſum & ad alimentum.* Vide & alia quæ de hoc loco collegit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. II. c. 22. Hinc ſatis liquet urbem huic loco vicinam, ex qua oriundi fuerunt adfines Moſis, meritò potuiſſe vocari *urbem palmarum*, non minùs ac Jerichuntem.

In deſertum Judæ, quod eſt ad meridiem Haradi] Poſtrema hæc verba adduntur, quia citerius etiam erat deſertum Judææ, ad ſeptemtriones Haradendis tractûs. Deſertum enim Judæ erat juxta lacum Aſphaltiten, meridiem versûs. Vide *Joſephum* de B. J. Lib. IV. c. 27. in Græcis. Sed cùm Haradenſis tractus eſſet ad meridiem Judææ, in ora deſertæ Arabiæ, quod fuit ultra Haradum in ipſa Arabia fuit. Vide Num. XXI, 1. & ſeqq. Ac ſanè Kenæi inter Hamalekitas Arabiæ deſertæ populum habitabant, ut docemur 1. Sam. XV, 6. LXX. Intt. addunt voci ἔρημος, ἥ ἐστιν ἐπὶ καταβάσεως Ἀράδ.

Atque eò cùm veniſſent] *Et ivit*, refertur, nempe, ad *Kenæum*; ſed Latinè loquentes maluimus omnia plurali numero exprimere.

Cum populo] Juxta populum Hebræum.

17. *Tſephatham*] Non abſimilis vero eſt conjectura eorum, qui hanc urbem putant eamdem fuiſſe, cum Harado; propter nomen *Chormæ*, ei inditum. Vide Num. XXI, 1, 2, 3. Sed poſſent etiam eſſe urbes cognomines, quales multæ aliæ.

18. *Gazam & fines ejus* &c.] Si expugnarunt Judæ poſteri has urbes, aut eas direptas reliquerunt, aut diu non tenuerunt; nam paullò pòſt & ſequentibus ætatibus eas habuere Philiſthæi, Iſraëlitis formidandi. Vide infra Cap. III, 3. LXX. Intt. negantem particulam hîc habent. Sic enim legimus in Vaticano Codice: καὶ οὐκ ἐκληρονόμησεν Ἰούδας τὴν Γάζαν οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, οὐδὲ τὴν Ἀσκάλωνα οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἀκκάρων οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἄζωτον οὐδὲ τὰ περισπόρια αὐτῆς. Conſentit Alexandrinus, niſi quod habet in ſingulari τὸ ὅριον, ut eſt in Hebraïco textu. Complutenſis & Aldinus carent negationibus, quod emendationem ad Codicem Hebræum redolet; unde tamen forſan exciderunt, cùm Philiſthæi ſedibus ſuis minimè ſint expulſi, ut jam diximus. *Joſephus* ſimiliter prorſus abit à Scriptura Codicis Hebraïci, nec tamen ſequitur LXX. Intt. Vide Ant. Jud. Lib. V. cap. 2. Quærunt etiam Interpretes cur hîc Judas ſubigat oram, quæ fuit poſtea Tribûs Danis, ut liquet ex Joſ. XIX. Sed videtur Judas eodem impetu victoriarum auſtrales omnes tractus percurriſſe, ante ceterarum Tribuum ſortes jactas. Vide ad Joſ. XVIII, 2. XIX, 1.

19. *Ut occuparet*] *Et occupavit.*

Montana] *Montem.*

Sed non potuit expellere &c.] Mirum eſt montanorum locorum ſitum plus non valuiſſe, ad defendendos incolas, quàm currus ſerratos ad valles tuendas. Fortaſſe montanorum incolas, non auſos deſcendere in æquiora loca, fame & ſiti ad deditionem adduxerunt. Sed currus, Orientalium maximus terror, ut nos Græcorum etiam & Romanorum hiſtoriæ docent, ita Judæ poſteros perturbarunt, ut ſolita in Deo fiducia eos hîc deſtituerit; quamobrem Deus iis adeſſe noluit. In omnibus hiſce hiſtoriis, videmus ut plurimum ita Deum adfuiſſe Iſraëlitis, ut vellet eos potentiâ divinâ fretos fortiter ſe gerere; ſin minùs, eos deſtituebat. De curribus vide dicta ad Joſ. XVII, 16. Verba כי רכב ברזל להם *chi recheb barzel lahem*, quæ ſine dubio vertenda ſunt, *quia currus ferratus iis*, mirum in modum interpretati ſunt LXX. Intt. ὅτι Ῥηχὰβ διεστείλατο αὐτοῖς, quaſi רכב *recheb* eſſet nomen proprium, & pro ברזל *barzel* eſſet neſcio quid aliud legendum. Ceſpitarunt in hac eadem loquutione Joſ. XVII, 16. quam bene verterunt infra C. IV, 3. Cùm autem ſit hæc lectio Vaticani & Alexandrini Codicis, non eſt ei ſubſtituenda altera lectio, quæ in nonnullis editionibus cernitur, ὅτι ἅρματα σιδηρᾶ αὐτοῖς, quæ videtur emendatio eſſe ex alio quopiam Interprete Græco, qui Hebræa meliùs interpretatus fuerat.

20. *Dederunt* &c.] Aut ordo narrationis eſt à Scriptore Sacro neglectus, aut Judæ poſteri tum demum juſſerunt Chalebum adire poſſeſſionem Chebronenſis agri, cum totum tractum toti Tribui dividendum ſubegiſſent.

Expulit tres Hanakæos] *Filios Hanak.* Vide ad v. 10.

21. *Attamen Jebuſæum* &c.] Quod dicitur hîc de Benjaminitis, id affirmatur de Judæ poſteris Joſ. XV, 63. Nimirum, cùm Jeruſalem ſita eſſet in confinio Judæ & Benjaminis, ita ut auſ-

K tralis

22. Adſcendit etiam Domus Joſephi & ipſa Bethelem, Jehováque ei adfuit. 23. Curavit domus Joſephi Bethelem explorari, (nomen autem urbi antea erat Luzæ) 24. & exploratores quidem viderunt virum ex urbe egreſſum, cui dixerunt: oſtende nobis aditum oppidi, & tibi bene faciemus. 25. Oſtendit ergo illis aditum oppidi, oppidúmque gladio concîderunt; at virum illum, ejúſque familiam dimiſerunt. 26. Abivit deinde vir ille in Chitthæorum tractum, ibique urbem condidit, quam Luzam vocavit, *quo nomine* ad hunc uſque diem *vocatur*.

27. Non expulerunt tamen Manaſſitæ *incolas* Beth-ſeanis & ejus pagorum, Thahanachi & ejus pagorum, Doræ & ejus pagorum, Jiblehami & ejus pagorum, Megiddoníſque & ejus pagorum, voluerúntque Chananæi eum tractum incolere. 28. Verùm cùm Iſraëlitæ invaluiſſent, Chananæos, quos non expulerant, tributarios ſibi fecerunt. 29. Nec expulerunt Ephraïmitæ Chananæos qui Gazerem incolebant, ſed Chananæi inter eos illic habitarunt. 30. Zabulonitæ ſimiliter non expulerunt incolas Kitronis, nequa incolas Nahalolis, ſed habitarunt inter eos Chananæi, fuerúntque *iis* ſtipendiarii. 31. Non expulerunt quoque Aſeritæ incolas Hacchonis, Sidonis, Achlabi, Aczibi, Chelbæ, Aphichi, & Rechobi; 32. ſed inter Chananæos, incolas ejus tractûs, habitarunt, cùm eos non expuliſſent. 33. Nephthalitæ etiam non expulerunt incolas Beth-ſemeſi, & Beth-hanathæ, ſed habitaverunt inter Chananæos indigenas; incolæque Beth-ſemeſi &

tralis ejus ager ad Judam, borealis cum urbe ad Benjaminem pertineret; utraque Tribus hanc urbem, licèt intra fines Benjaminis ſitam, incoluit, & fruſtra conata eſt ex ea expellere Jebuſæos, quorum antea fuerant agri illi. Vide ad locum Joſuæ laudatum.

23. *Nomen urbi antea erat* &c.] Vide not. ad Geneſ. XXVIII, 19.

24. *Exploratores*] שמרים *ſchomerim*, ſed שמר *ſchamar* non tantùm eſt *cuſtodivit*, verùm etiam *obſervavit*, inſidiandi causâ. Vide ad Gen. II, 15.

Aditum oppidi] מבוא *mebo*, hoc eſt, locum quà facillimè adiri & invadi poterat.

Benefaciemus] *Exercebimus tecum benignitatem.*

25. *Gladio conciderunt*] *Ore gladii percuſſerunt*; nimirum, Benjaminitæ ceteri conjunctim cum exploratoribus.

26. *In Chitthæorum tractum*] Hoc eſt, in aliquem alium tractum Chitthæorum, ab Iſraëlitis remotiorem, qui ubi fuerit non conſtat. *Euſebius* in locis Hebraïcis interpretatur Χεττιείμ Cyprum, ſed vox Hebraïca, quæ nomen Cypri eſſe à nonnullis Veterum cenſetur, eſt כתים non חתים. Vide dicta ad eum *Euſebii* locum.

27. *Incolas Beth-ſeanis*] De hiſce urbibus vide ad Joſ. Cap. XVII. ubi de hac dimidia Tribu ſermo eſt. Supplevimus hîc *incolas*, quæ vox exprimitur ante nomen *Doræ* & duo ſequentia.

Pagorum] *Filiarum*, hoc eſt, pagorum in ejus agro ſitorum, ut paſſim.

Voluerunt Chananæi] יואל הכנעני *joel hacchenahani*. Vide ad Joſ. Cap. XVII, 12.

28. *Quos non expulerunt* &c.] *Poſuit Chananæum in tributum, ſed expellendo eum non expulit.*

29. *Nec expulerunt* &c.] Vide Joſ. XVI. v. ult.

30. *Incolas Kitronis*] Quia nulla eſt mentio hujus rei, aut urbis Joſ. XIX, ubi de finibus Zabulonis, ſunt qui velint hæc vivo Joſua non contigiſſe; ſed nihil vetat, & Caput II. ſatis oſtendit, vivo etiam Joſuâ, ſegniores factos eſſe Iſraëlitas.

31. *Incolas Hacchonis*] *Haccho*, ut notum eſt, celebrior poſtea fuit, nomine Ptolemaïdis inſignita. Hujus, uti nec Achlabi ac Chelbæ, nulla eſt apud Joſuam mentio, ubi fines Aſeritarum, potiuſquàm urbes, deſcribuntur.

32. *Habitarunt*] *Habitavit Aſerita.*

35. *In monte Chereſo*] Ajalonis quidem & Sahalbimorum mentio occurrit, in deſcriptione finium Daniticorum Joſ. XIX, 42. ſed de monte Chereſo nulla. Nec tamen dubitarim, quin ſit verum nomen montis, in finibus borealibus Danis, ortum verſus, non procul à finibus Ephraïmi. Fortè in hoc monte fuit *hir ſchemeſch*, עיר שמש, *urbs ſolis*, quæ Ajaloni & Sahalbimis jungitur in loco Joſuæ indicato, nam חרס *hheres* ſolem ſonat. Mirè hunc locum verterunt LXX. Intt. qui in Vaticano codice habent: τῷ ὄρει τῷ ὀστρακώδει, ἐν ᾧ αἱ ἄρκτοι, καὶ ἐν ᾧ αἱ ἀλώπεκες, ἐν τῷ Μυρσινῶνι καὶ ἐν Θαλαβίν, in Alexandrino verò, ἐν ὄρει τοῦ Μυρσινῶνος, οὗ αἱ ἄρκτοι καὶ αἱ ἀλώπεκες. In Complutenſi Codice eſt: ἐν τῷ ὄρει τοῦ Ἄρες οὗ αἱ ἄρκτοι καὶ αἱ ἀλώπεκες: in Aldino verò: ἐν τῷ ὄρει τοῦ Μυρσινῶνος —— ἐν τῷ Μυρσινῶνι καὶ ἐν Σαλαβίν. In primo Codice, videtur eſſe duplex verſio conjuncta. Si legerunt חרס *hheres*, ut eſt in noſtris Codicibus, vocem hanc potuerunt miſcere cum voce חרש *hereſch*, quæ *teſtam* ſonat, & vertere ὄρος ὀστρακῶδες, *montem teſtaceum*, ut habet & Latinus. Si verò legerunt הדס *hadas*, quæ vox *myrtum* ſignificat, non mirum eſt vertiſſe eos montem μυρσινῶνος, *myrteti*. Verùm utramque lectionem in ſua verſione conjungere non potuerunt. Itaque alterutra erit ex alio Interprete petita. Sequentia verò verba: באילון ובשעלבים *beajalon oubeſchahalbim* legerunt באילים ובשעלים beajalim oubeſchahalim, *in cervis* (pro quibus *urſas* malè verterunt) & *in vulpibus*. At Græcus aliquis interpres verterat poſtremam vocem Σαλαβίν, quæ corrupta in Θαλαβίν inſerta eſt LXX. Interpretibus. Meliùs Vulgatus *in Ajalon & Salebim*. Dubium eſſe non poteſt, quin LXX. Intt. uſi ſint hîc aut vitioſiſſimo Codice, aut infeliciſſimo judicio.

Cùm invaluiſſet manus] *Et gravis facta eſt manus —— & fuerunt* &c. Non mirum autem eſt dici Joſephi poſteros ſtipendiarios ſibi feciſſe populos, qui habitabant in Tribu Danis; cùm populi illi eſſent finitimi Ephraïmitis, quorum potentia longè major fuit, quàm Danitarum.

16. *Ab*

& Beth-hanathæ fuerunt *iis* ſtipendiarii. 34. Coërcuerunt etiam Emoræi Danitas intra
montana, nec paſſi ſunt eos in vallem deſcendere. 35. Voluerunt ergo Emoræi habi-
tare in monte Chereſo, Ajalone & Sahalbimis; ſed cùm invaluiſſet manus domûs Jo-
ſephi, ei fuerunt tributarii. 36. Fuerunt autem fines Emoræorum illorum ab adſcenſu
Hakrabbimorum, & à Petra ulteriora versùs.

II. Angelus Dei Bochimis caſtigat Iſraëlitas, eò quòd Chananæos non expuliſſent. Iſraëlitæ Deum colunt, vivo Joſua, ejúſque æqualibus, tum ad Idololatriam deſciſcunt; quamobrem, irato Deo, à vicinis ſubiguntur. Liberantur tamen ſubinde, operâ Judicum, quibus mortuis, iterum ad alienos Deos ſe convertunt; qua de cauſa, Deus Chananæos ex eorum conſpectu expellere deſinit.

1. ANgelus Jehovæ Gilgale Bochimos adſcendit, & vos, inquit, ex Ægypto Caput II.
eduxi ac vos intromiſi in eam terram, quâ Majoribus veſtris *me donaturum*
vos juraveram; & fœdus, quod mihi eſt vobiſcum, me umquam fracturum
negavi. 2. At vos, *inquiebam*, ne fœdus ullum facite cum terræ hujuſce incolis, alta-
riáque eorum diruite; ſed voci meæ non auſcultaſtis; cur verò hoc feciſtis? 3. Igitur
etiam

36. *Ab adſcenſu Hakrabbimorum*] Qui fuit auſtralis terminus Tribûs Judæ Joſ. XV, 3. unde colligere eſt magnum terrarum tractum ab hiſce populis occupatum fuiſſe.

A Petra] הסלע, *haſſelah*, quæ vox Petram ſonat. Urbs eſt nobilis, Arabiæ Petrææ ab ea dictæ Metropolis, aliter dicta *Rekem*, & Arabicè חגר *Hhagar*, quæ vox etiam *rupem* ſonat, quia cincta erat rupibus, ut docet *Strabo* Lib. XVI. ubi eam deſcribit. Sita fuit in ea Madianitide quæ ad lacum Aſphaltiten fuit, auſtrum versùs. *Joſephus* Ant. Jud. Lib. IV. c. 7. ubi enumerat Regulos Madianitarum illorum à Moſe victos: Πέμπτος δὲ Ῥέκεμος, ἡ πόλις ἐπώνυμος τὸ τῶν ἀξίωμα τῆς Ἀράβων ἔχουσα γῆς, καὶ μέχρι νῦν ὑπὸ παντὸς τοῦ Ἀράβων κτίσαντος βασιλέως τὸ ὄνομα Ἀρεκέμη καλεῖται: *quintus Rekemus, cui urbs cognominis, totam terræ Arabicæ dignitatem obtinens, etiam nunc ab omnibus nomine Arabici Regis qui eam condidit Harekeme vocatur.* Vide quæ de ea collegit *Bochartus* Chanaanis Lib. I. cap. 44. &, ſi vacat & lubet, quæ congeſſit *Eduard. Bernardus* ad ejuſdem *Joſephi* Libri C. IV.

In Caput II.

1. A*Ngelus Jehovæ*] *Dux exercitûs* Joſ. V. 13.

Gilgale] Ubi Joſua diu ſtativa habuit. Vide Joſ. Cap. X, 7, 15, 43. XIV, 6. & ubi adfuiſſe cenſebatur. Quâ ratione autem Gilgale iverit Bochimos, aut iviſſe intellectus ſit ab Iſraëlitis, quis eſt qui certò dicere poſſit?

Bochimos] Locum ſic dictum, ob id quod poſtea narratur vſſ. 5. Ubi fuerit non conſtat. LXX. Int. hîc habent: ἐπὶ τὸν Κλαυθμῶνα καὶ ἐπὶ Βαιθὴλ καὶ ἐπὶ οἶκον Ἰσραήλ. Crediderim additamentum hoc, καὶ ἐπὶ Βαιθὴλ &c. eſſe gloſſema alicujus qui crediderit locum, qui hîc deſignatur, ad Bethelem fuiſſe. 2. Sam. V, 23. locus vicinus Jeroſolimæ, apud eoſdem Interpretes, dicitur, ὁ Κλαυθμών. Putant nonnulli eumdem locum ſignari; cùm præſertim *Joſephus* Lib. VII. Ant. Cap. 4. hunc locum Κλαυθμῶνα etiam vocet. Verùm errarunt eo in loco LXX Intt. qui בכאים bchaïm, *moros*, confuderunt cum בוכים bochim, *flentibus*, eóſque imprudenter ſequutus eſt, ut ſæpe aliàs, *Joſephus*. Alii volunt eſſe Siluntem; ſed cùm Silo nuſquam alibi *Bochim* vocetur, credibile eſt fuiſſe ignobilem quempiam locum, in quo Iſraëlitæ Gilgale profecti caſtra habuerint.

Ex Ægypto eduxi] Suſtinet, nimirum, hîc perſonam Dei, ideóque de ſe adfirmat quod de Deo, alibi dicitur. Vide not. ad Exod. XX, 1.

2. *Inquiebam*] Repetere hîc verbum אמר *omar*, quod anteceſſit, neceſſe habuimus, quia ob negantem particulam vertimus *negavi*, non *dixi*.

Ne fœdus ullum] Sæpe apud Moſem exſtat id interdictum, ut Ex. XXIII, 32, 33. XXXIV, 12, 13, 15, 16. Num. XXXIII, 52. & ſeqq. Deut. VII, 2. & ſeqq. atque alibi.

Sed voci meæ non auſcultaſtis] Jam vivo Joſuâ, ut liquet ex locis ad Caput ſuperius allatis & Joſ. XXIII, 7. & ſeq. Itaque planè exiſtimarim hanc increpationem Angeli factam eſſe, vivô Joſuâ, poſtquàm Tribus poſſeſſionem terræ Chananææ adiiſſent, quod liquet ex ipſa re; cùm Tribus quapiam de cauſa, quæ, tacente Hiſtoriâ Sacrâ, nos fugit conveniſſent. Suadet hoc verſus 6. ex quo patet hæc ab Angelo dicta eſſe in conventu Hebræorum, cui adfuit Joſua. Qui contra ſentiunt objiciunt Joſuam propterea non legi reprehendiſſe Iſraëlitas. Sed ſatis perſpicuè eos caſtigat Joſ. Cap. XXIII. nec mirum eſſet in Joſua hoc non legi, cùm multæ ſæpe circumſtantiæ ſuo loco omiſſæ poſtea alieno loco, prout ſe ſe offert occaſio, narrentur. Addunt Deum ipſum noluiſſe ejicere ſtatim ab initio Gentes omnes Chananæas, quod teſtatur ipſe Exod. XXIII, 29, 30. & repetit Moſes Deut. VII, 22. Hinc colligunt non potuiſſe hoc Iſraëlitis exprobrari, quia volente ipſo Deo fiebat. Verùm non ſatis intelligunt quid Deus iis in locis prædicat, quidve hîc exprobret Iſraëlitis. Prædicit quidem Deus ſe non expulſurum omnes Gentes Chananæas, non ex ipſis agris, quos Iſraëlitæ incolerent, ſed ex finitimis circumquaque tractibus. Exprobrat verò illis hîc Angelus, in mediis populi Hebræi agris eſſe Chananæos; qui, licèt repugnaſſent, attamen, ex fœdere cum Hebræis facto, eoſdem cum iis tractus incolerent.

 3. *Eos*

etiam dixi: eos ampliùs è conſpectu veſtro non ejiciam, eruntque vobis in retia & eorum Dii laquei inſtar 4. Hæc verba cùm proloquutus eſſet Angelus Jehovæ, *audientibus* omnibus Iſraëlitis, ſublato ejulatu flevit populus. 5. Quamobrem nomen ei loco indiderunt Bochim, ſacráque in eo Jehovæ fecerunt. 6. Deinde Joſua populum dimiſit, atque Iſraëlitæ quiſque ad prædia ſua contenderunt, ut terram poſſiderent.

7. Coluit quidem populus Jehovam, omni tempore quo vixit Joſua, quóque vixerent ſenes, qui Joſuæ ſuperſtites fuerunt, & qui magnas res viderant, quas Jehova in gratiam Iſraëlis geſſerat. 8. Poſtea obiit Joſua, Nunis Filius, ſervus Jehovæ, decem & centum annos natus, 9. ſepultúſque eſt in finibus hereditatis ſuæ Thimnath-Chereſi, in

3. *Eos ampliùs è conſpectu veſtro* &c.] Intelligit Angelus reliquias Chananæorum, quæ hîc illic, intra Iſraëlitarum agros, loca munita habebant, aut currus ferratos, equiteſque, quibus ſe ſe tuebantur, & de quibus Cap. ſuperiore.

In retia] לצדים *ltſiddim*, quod licèt ſit à radice צדד *tſadad*, ſi modò recta eſt punctatio Maſſorethica, eamdem habet ſignificationem ac ſi deduceretur à צדה *tſadah*, vel צוד *tſoud*, venatus eſt, retia tetendit. Sanè ſæpe miſcentur hæ formæ, earúmque ſignificata, quemadmodum etiam Derivatorum. Nempe, Idololatriâ ſuâ irretiebant Iſraëlitas, dum familiariùs cum iis verſabantur, adfinitatémque invicem contrahebant. LXX Intt. verterunt συνοχὰς, anguſtias, Vulgatus, *hoſtes*, Chaldæus מציקין *coarctantes*; unde liquet omnes legiſſe צרים *tſarim*, cui voci ſubjectæ ſunt illæ poteſtates, non voci צדים *tſiddim*. Sed lectionis noſtræ aptior eſt ſenſus, ut hemiſtichium ſequens oſtendit.

4. *Cùm proloquutus eſſet*] E nube, ut videtur, nam Angelus omnibus conſpiciendum ſe non ſolebat præbere.

Audientibus omnibus Iſraëlitis] Quos, nempe, Joſua in caſtris illic habebat. Circumſtantias ceteras tacente Scripturâ, nihil eſt cur hîc quæſtiones multas proponamus; quibus ſatisfacere non poſſemus, niſi conjiciendo.

Sublato ejulatu] *Suſtulerunt populus vocem ſuam & fleverunt.*

5. *Bochim*] *Flentes.*

Sacráque in eo Jehovæ fecerunt] Quærunt utrum hæc contigerint, antequàm Tabernaculum & Arca Silunte collocarentur, an poſtquàm jam collocata fuerant; cui quæſtioni nihil eſt, quod certò reſpondeamus. Quis enim indigeſta hæc tempora, ſine aliis ullis antiquis monumentis, accuratè digerere poſſit? Sed quidquid ſtatuatur, illis temporibus ubivis Sacra facere licuit. Vide Cap. VI. 17. & ſeqq. XIII, 19, 1. Sam. XVI, 4. & ſeqq.

6. *Joſua populum dimiſit*] Hæc ſine vi, verbis planiſſimis temerè illata, aliter intelligi nequeunt, ut videbunt quicumque adibunt Interpretes, qui hæc ante mortem Joſuæ contigiſſe negant.

Ut terram poſſiderent] Non quidem inciperent poſſidere, nam jam antea factum id fuerat, ſicut ex ipſa caſtigatione Angeli liquet; ſed ut ſua poſſeſſione fruerentur, ſive ut pergerent poſſidere quod habebant. Sæpe verba, quæ initium videntur ſignificare, rei quam ſignificant continuationem tantùm deſignant. Vide not. ad Gen. VII, 19, 24. VIII, 14. & exempla ejus rei congeſta à *Sal. Glaſſio* Gram. Sacræ Lib. III. Tract. 3. Can. IV & V.

7. *Omni tempore, quo vixit*] *Omnibus diebus Joſuæ.*

Joſuæ ſuperſtites fuerunt] *Prolongarunt dies poſt Joſuam.*

9. *Sepultus eſt*] *Sepelierunt eum*; nempe, conſanguinei, affines &c. Hæc autem oſtendunt Scriptorem Sacrum ſuperiora narraſſe, quaſi res quæ, vivo Joſuâ, contigerint. Alioqui neceſſe non erat hîc non tantùm mortem ejus, ſed & locum ſepulturæ ſuperioribus ſubjungere. Ejuſmodi clauſula non additur, niſi poſt narrationem rerum ſuperioris temporis.

In finibus hereditatis &c.] Vide not. ad Joſ. XIX, 50.

Thimnat-Chereſi] Oppidum quod hîc vocatur תמנת-חרס *thimnath-hheres*, dicitur Joſ. XIX, 50. & XXIV, 30. tranſpoſitis litteris תמנת-סרח *thimnath-ſerahh*. An utraque ratione diceretur, an alterutra lectio ſit mendoſa, nemo nunc dixerit. Veteres autem verſiones adeò in nominibus propriis mendoſæ ſunt, ut eis fidere nequeamus.

10. *Exorta eſt alia ætas*] ויקם דור אחר *& ſurrexit ætas alia.* Verto *aliam* potiusquàm *alteram*, quia proximè ſequuta ætas partem magnam eorum, quæ Deus in gratiam Iſraëlis fecerat, videre potuit. Præſtat hæc intelligere de ætate nepotum Joſuæ, eorúmque, qui ei æquales fuere. Vide Exod. I, 6.

Quæ nec Jehovam, nec ea quæ fecerat &c.] Qui per ſe non norant miracula Dei, nec ita ut ſui Majores in cognitione veri Dei inſtituti fuerant.

11. *Quod diſplicebat Jehovæ*] *Malum in oculis Jehovæ.* Nimirum, Hebraïcè *malum eſt in oculis meis*, perinde eſt ac, *diſplicet mihi*: ut *bonum eſt in oculis meis* idem eſt ac, *placet mihi*, aut rectum videtur. Cùm is ſit frequens & perpetuus Hebræorum uſus, non opus eſt pluribus probari.

Bahales coluerunt] Notum eſt voce בעל *bahal* ſignificari *dominum*, primigeniâ notione; quia verò Deus omnium rerum dominus eſt, ideò Phœnices vicinique populi ſic vocarunt Deum, ut Hebræi אדני *adonai*, quod idem ſonat. Ipſi etiam Judæi videntur aliquando vocaſſe Deum verum *Bahali*, domine mi, æquè ac אלהי *elohai*, Deus mi, ut colligere licet ex Hoſ. II, 16. Ut autem non unus erat apud Phœnicas, alióſque populos Aſiæ Deus: ſic nec unus fuit *Bahal*. Quare eos diſtinguebant, additis veluti propriis nominibus, cùm *Bahal* nomen eſſet totius generis. Sic erat *Bahal-Samen*, בעל שמין, *dominus*, aut *Deus cœli*; *Bahal-Phehor*, בעל-פעור, *Deus Phehor*; *Bahal-Zebub*, בעל זבוב, *Deus Muſca*; *Bahal Tſephon*, בעל צפון, *Deus occultus*, de quibus omnibus co-

Digitized by Google

in montanis Ephraïmi, ad ſeptemtrionem montis Gahaſi. 10. Tum & univerſa illa ætas Majoribus ſuis adgregata eſt.

Inde exorta eſt alia ætas, quæ nec Jehovam, nec ea quæ fecerat in gratiam Iſraëlis noverat, 11. feceruntque Iſraëlitæ quæ diſplicebant Jehovæ, & Bahales coluerunt. 12. Deſeruerunt patrium Deum Jehovam, qui eos ex Ægypto eduxerat, ſequutique ſunt Deos alienos, è Diis finitimorum populorum; eos adorarunt, & Jehovæ iram moverunt. 13. Relicto Jehovâ, coluerunt Bahalem & Aſtharthas. 14. Tum exarſit Dei ira in Iſraëlem, eóſque tradidit in manum diripientium, qui eos diripuerunt; & vendidit vicinis hoſtibus, in quorum conſpectu conſiſtere ampliùs non potuerunt. 15. Quamcumque expeditionem aggrederentur, manus Jehovæ eos malè mulctabat; quem-

copioſè egit *Joan. Seldenus*, Libro de Diis Syrorum. Hinc intelligere licet cur numero plurali utatur Scriptura, dictúque ab Hebræis cultos *Bahales*, בעלים. Ceterùm cavendum ne in interpretatione horum Orientis Deorum peccemus, aut Philoſophorum Græcorum more, qui Deos φυσικῶς in Fabulis quærebant; aut vulgi, quod homines in Græcia natos & mortuos in ultimo Oriente cultos putabat. Priores nomine Bahalis *Solem* intelligunt; poſteriores Saturnum, aut Jovem, utrique ſine ratione ulla. Qua in re, valde peccarunt & *Joan. Seldenus*, & *G. Voſſius*, in Theologia Ethnicorum. Dii omnes Orientalium non erant neceſſariò Sol, aut Luna; cùm potuiſſent ſibi animo Deos commentitios fingere, qui ad ea Aſtra non referebantur, quæ propriis nominibus colebant. Potuerant etiam Reges priſcos patriorum tractuum in Deorum numerum referre, qui Reges iis proprii fuerunt; quod apud Ægyptios factum ex I. *Diodori Siculi* libro, multiſque aliis Veteribus liquet. Similiter & Græci ſuum Jovem, ceteróſque antiquiſſimos Græciæ Reges, qui Orienti ignoti fuerunt, pro Diis habuerunt. Non negarim tamen nonnulla Numina ex Oriente in Græciam veniſſe, quales fuerunt Adonis, Venus, Bacchus, Hercules & alii. Sed in horum hiſtoria originis Orientalis clara ſunt veſtigia; in hiſtoria aliorum, nulla. Quæ ſi eſſent hujus loci, copioſiùs diduceremus. Multa hanc in rem diximus in Notis ad *Heſiodi* Theogoniam.

13. *Bahalem*] Hoc eſt, quempiam ex Bahalibus memoratis; neque enim ullum puto ſimpliciter dictum *Bahalem*, quia nuſquam unus colebatur Deus, qui ſine ulla nominis adjectione diceretur *Dominus*, ſi Hebræum populum excipias. Novi quidem apud Babylonios fuiſſe *Belum*, ſeu *Bebelem*; ſed aut eſt priſcus Rex Babyloniorum, ut plerique volunt, adeóque nomen hoc eſt proprium, aut quod proprium uſu factum eſt: vel ſi ſit nomen Dei appellativum, latet hîc Ellipſis aliqua, nec intelligitur voce *Belus* Deus ſolus ac verus, quaſi Babylonii *Belos*, aut *Bahales* omnes alios rejecerint; ſed ille demum *Belus*, qui Babylone colebatur, ut Græcè ὁ Θεὸς & Latinè *Deus* ſingularem Deum loci, de quo ſermo eſt, ſignificant. De Babylonio *Belo*, vide *Joan. Seldenum* de Diis Syris Synt. II. Cap. I.

Aſtharthas] Ut *Bahales* ſunt Dii: ſic עשתרות *haſtharoth*, quas Græci Aſtartas vocant, Deæ ſunt, cujus nominis ſingularis forma עשתרת *haſthoreth* exſtat 1. Regg. XI, 5. & 33. ubi dicitur *Deus Sidoniorum*, quia Hebræi non habent nomen quo Deam, ſeu ſequioris ſexûs Numen exprimant. Sed cùm non una eſſet Dea *Aſtarte*, ideò Scriptura Aſtartas numero multitudinis memorat. Si vocis originem quæramus, regulis derivationum ſervatis, compoſitam eſſe intelligemus ex עשא *haſcha*, congregans, ab עוש *houſch*, & תור *thor*, taurus. Certè analogia Linguæ Hebraïcæ non patitur ex aliis vocibus deduci vocem עשתרת, aut עשתרתא more Syriaco. Neque hæc Etymologia diſſentit ab iis, quæ Phœnices de hac Dea dicebant; nimirum, eam eſſe aiebant eamdem Deam, quæ apud Græcos dicebatur Ἀφροδίτη, quæ maximè in tauris vim ſuam exſerere credebatur; quam rem eleganter deſcripſit *Virgilius* Georgicor. Lib. III. vs. 209. & ſeqq. Ideóque hæc Dea, pro inſigni, cornua tauri capite gerebat. *Philo* Byblius, apud *Euſebium* Lib. I. Præp. Evang. c. 10. Ἡ δὲ Ἀστάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου: *Aſtarte verò impoſuit capiti, inſigne regni, caput tauri*, & paullò pòſt: τὴν δὲ Ἀστάρτην Φοίνικες τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι, *Phœnices Aſtarten aiunt eſſe Venerem.* Propter hæc cornua, crediderim ſtatuas hujus Deæ dictas fuiſſe עשתרות קרנים *Aſtartas cornutas*, unde factum nomen urbi, ubi erant ejuſmodi ſtatuæ, Gen. XIV. 5. Joſ. XII, 4. *Lucianum*, aut quicumque alius ſit auctor Libri de Dea Syria, crediſſe hanc eſſe Lunam, & *Auguſtinum* Quæſtion. In Heptateuch. Lib. VII. Quæſt. 16. adfirmare à Pœnis *Junonem ſine dubitatione Aſtarten vocari* ſcio. Verùm hæ ſunt interpretationes populorum, aut Philoſophorum, ex levi quapiam ſimilitudine ortæ; de quibus vide quæ diximus *Artis Criticæ* P. 2. Sect. I. C. XIII. Conſtat *Aphrodites*, ſeu Veneris cultum, è Phœnicia in Græciam veniſſe, eámque Deam à Phœnicibus impensè, ut oſtendimus ad Gen. XXXVIII, 21. & Exod. XXX, 15. cultam.

Scio & עשתרות *haſtheroth* dici ovium fœturam, & quoſdam crediſſe hanc Deam ovis figurâ effictam. Sed ex nomine ſolo ducta conjectura, nec ullâ Hiſtoriâ confirmata, non placet, & poteſt fieri ut eodem nomine, diverſa ſignificante, inſigniantur Dea & fœtura minorum pecudum, quamvis inter eas nihil aliud ſit commune.

14. *Vendidit*] ימכרם jimcherem, *vendidit eos*, id eſt, tradidit ut Cap. III, 1.

Vicinis hoſtibus] *In manum hoſtium eorum circumquaque.*

In quorum conſpectu] *Nec potuerunt ampliùs conſiſtere in conſpectu hoſtium ſuorum.*

15. *Quamcumque expeditionem aggrederentur*] *Quocumque exirent.* Sæpe *exire* eſt bellum inferre. Vide not. ad Gen. X, 10.

Malè mulctabat] *Erat in eos in malum.*

 15. Im-

quemadmodum iis prædixerat, juraverátque Jehova; & in maximas anguſtias redigebantur. [16] Excitavit tamen Jehova Judices, qui eos è manu diripientium liberarunt; [17] at non auſcultarunt Judicibus ſuis, ſed impudico cultu coluerunt Deos alienos, eos adoraverunt, & quàm primùm receſſerunt à via, quam eorum Majores iniverant, cùm præcepta Jehovæ audirent, neque *eos* imitati ſunt. [18] Cùm quidem Jehova excitaſſet eis Judices, aderat Judici, eóſque liberabat è manu hoſtium, per totam Judicis vitam; pœnitebat enim Jehovam *malorum iis immiſſorum*, propter eorum gemitus, ob oppreſſores & vexatores à quibus premebantur. [19] Poſtquàm verò mortuus eſſet Judex, iterum ſe ſe corrumpebant, & Majores ſuos ſuperabant adſectatione Deorum alienorum, cultúque & adoratione quam eis exhibebant, nihil remittebant de *pravis* ſuis actionibus & pertinacia ſua.

[20] Quamobrem accenſa eſt ira Jehovæ in Iſraëlem, &, quandoquidem, inquit, gens hæc fœdus meum, quod cum eorum Majoribus pepigeram, violavit, nec voci meæ auſcultarunt; [21] nec ego etiam pergam ex eorum conſpectu quemquam expellere è gentibus, quas reliquit Joſua, cùm mortuus eſt; [22] ut per eas experiar an Iſraël ſervaturus ſit viam Jehovæ, ut eam Majores ejus ſervaverunt, nécne. [23] Itaque Jehova quietem conceſſit gentibus illis, ita ut eas quàm primùm minimè expulerit, nec in manum Joſuæ tradiderit.

III. Gen-

[17] *Impudico coluerunt.*] *Scortati ſunt poſt Deos alienos.* Vide de hoc genere loquendi not. ad Exod. XXX, 15.

[18] *Per totam Judicis vitam*] *Omnibus diebus judicis.*

À quibus premebantur] *Eorum*

[19] *Iterum ſe corrumpebant*] *Redibant & corrumpebant.* Quæ loquutio eſt Hebraica, quâ actionis iteràtio ſignificatur.

Pertinacia ſua] *Viâ ſuâ durâ.* Cum *duræ cervicis* homines ſint, qui difficulter parere adſueſcunt, ut notavimus ad Exod. XXXIII, 9. *via dura* eſt ejuſmodi vitæ pravum inſtitutum, à quo difficulter revocantur qui ſunt ei adſueti. *Pertinaciam* vertimus, quæ eſt conſtantiæ in virtute oppoſita, ſeu, ſi ita loqui licet, conſtantia in vitio.

[21] *Cùm mortuus eſt*] *Et mortuus eſt.*

[22] *Ut per eas experiar* &c.] Eſt ἀνθρωποπάθεια. Neque enim Deus hoc faciebat, quòd neſciret quinam eſſet, aut futurus eſſet Iſraëlitarum animus erga ſe; ſed ſic ſe gerebat, ut feciſſent homines, qui hoc neſciviſſent, & rei periculum facere voluiſſent. Ex re ipſa, patuit Iſraëlitas in Dei veri cognitione ac timore parum firmos fuiſſe.

Ut eam Majores ejus &c.] Nempe, hominum Joſuæ æqualium ætas, ut dictum eſt v. 7.

[23] *Quietem conceſſit*] ינח *janach*, quod eſt *quietem conceſſit*, aut reliquit, omiſit; unde LXX. Intt. ἀφῆκε & Vulg. *dimiſit.*

In Caput III.

[1] **E***Xperiretur Iſraëlitas*] Vide ad v. 22. ſuperioris Cap.

Bella Chananææ &c.] Non adfuerant bellis, quæ Joſua cum Chananæis geſſerat.

[2] *Et ut ſcirent*] Addidimus particulam *&*, quia liquidum eſt ſequentibus verbis contineri alteram rationem, cur Deus Chananæos omnes ſimul ac ſemel Palæſtinâ non ejecerit. Tres, nimirum, cauſæ in Scriptura adferuntur, quare hoc à Deo factum non ſit; prima eſt ne deſolatos agros, quos Iſraëlitæ incolere non potuiſſent, feræ invaderent, Iſraëlitis moleſtiores futuræ quàm homines. Vide Exod. XXIII, 29. & Deut. VII, 22. Altera eſt, ut animos Iſraëlitarum exploraret; quæ habetur hîc v. 1, & 4. Tertia denique, ut ne armorum uſum dediſcerent planè Iſraëlitæ; quæ cauſa hîc memoratur, eſtque ab aliis planè diſtincta. Itaque aut excidit hîc *Vau*, jam ab antiquis temporibus, cùm prætermittatur à LXX. Vulgato, & Chaldæo Interpretibus; aut ſi non excidit, neceſſariò eſt ſupplendum.

Dumtaxat] רק *rak*, quæ particula bis hîc repetitur, ut oſtendat Scriptor Sacer, à Deo non relictos fuiſſe Chananæos, ut debellarent Iſraëlitas; ſed ut eos exercitos tantùm haberent, quò ne potentioribus quidem hoſtibus impares eſſent.

Docerentúrque bellum gerere] *Ut docerent eos bellum*; nempe, gentes illæ relictæ. Sed conſtructionis rationem Latinè loquentes mutare vix potuimus. De ſimili hoſte Romanorum dixit *Livius* Lib. XXXIX. cap. 1. *Is hoſtis velut natus ad continendum, inter magnorum intervalla bellorum, Romanis militarem diſciplinam erat; nec ulla provincia militem magis ad virtutem acuebat.*

Ignoraverant] לא ידעום lo jedahoum *ignoraverunt eos.* Sed videtur ם finale hîc abundare, cùm nihil ſit, quò referatur; nam מלחמות *milhhamoth*, ſeu bella, quod ſubaudiri poſſet, fœminini eſt generis. Aut pro ם legendum ה, hoc eſt, ידעוה *jedahouha*, id non norunt; nempe, מלחמה *milhhama*, bellum, quod anteceſſit. LXX. habent durè οὐκ ἔγνωσαν αὐτὰς, referendo, nempe, ad ἃς gentes illas Chananæas, quas debellarat Joſua. Quod præſtat tamen, quàm hæc verba omittere, ut fecit Vulgatus Int.

[3] *Principes*] סרני *ſarne.* Vide ad Joſ. Cap. XIII, 3. LXX. Intt. hîc habent σατραπείας, quia

III. Gentes minimè ab Iſraëlitis expulſæ. Serviunt primùm Iſraëlitæ per octo annos Meſopotamiæ Regi, cui poſtea ab Hothniele eripiuntur; deinde Moabitarum Regi per annos octodecim, quibus elapſis, operâ Ehudis liberantur. Ei ſuccedit Samgar, qui Philiſthæos vincit.

1. HÆ autem ſunt gentes, quibus quietem conceſſit Jehova, ut per eas expe- Caput III.
riretur Iſraëlitas, quicumque bella Chananææ non noverant; & ut ſcirent dum-
taxat ætates Iſraëlitarum, docerentúrque bellum *gerere* ii tantùm, qui antea
ignoraverant. 3. Quinque Principes Philiſthæorum, omnéſque Chananæi, Sidonii &
Chivvæi incolentes Libanum montem, à jugo Bahal-Chermonis, quouſque Chama-
tham venias, 4. *relicti* fuerunt, ad experimentum per eos de Iſraëlitis ſumendum, ut-
que ſciretur an obſequuturi eſſent præceptis Jehovæ, quæ per Moſem eorum Majoribus
dedit. 5. Itaque Iſraëlitæ inter Chananæos, Chitthæos, Emoræos, Pherizæos, Chivvæos
& Jebuſæos habitarunt. 6. At uxores duxerunt eorum filias, filiáſque ſuas eorum filiis
nuptui dederunt, coluerúntque eorum Deos. 7. Sic fecerunt Iſraëlitæ quod diſplicet
Jehovæ, oblitique Jehovæ Dei ſui, coluerunt Bahales & lucos.
8. Quare accenſa eſt ira Jehovæ, contra Iſraëlem, tradiditque eos in manum Chu-
ſan-riſhathajimi, Meſopotamiæ Regis; & ſervierunt Iſraëlitæ Chuſan-riſhathajimo,
per octo annos. 9. Tum clamoribus invocarunt Iſraëlitæ Jehovam, qui excitavit iis
liberatorem, eóſque liberavit; Hothnielem, *nempe*, filium Kenazi, fratris Chalebi,
natu minoris. 10. Invaſit eum ſpiritus Jehovæ, judicavitque Iſraëlem, & ad bellum
gerendum egreſſus eſt. Tum in manum ejus tradidit Jehova Chuſan-riſhathajimum Ara-
mæorum Regem, quo ſuperior fuit. 11. Quievit terra *Iſraëlitica*, per quadraginta an-
nos, *intra quos* Hothniel Kenazi filius obiit. 12. Ite-

quia non de hominibus, ſed de terrarum tractibus ſermo eſt.

Omnéſque Chananæi] Nempe, qui Libanum *montem incolebant*, ut ſequentia oſtendunt; ea enim verba non minùs ad Chananæos, quàm ad Chivvæos & Sidonios pertinent. Ceteri Chananæi in aliis Palæſtinæ tractibus omnes ferè erant deleti.

A Jugo Bahal-Chermonis] Pars eſt Antilibani, quæ eſt ad ortum Jordanis. Vide Indicem Hebraicum in Pentateuchum.

Chamatham] Vide ad Geneſ. X, 17.

4. *Ad experimentum* &c.] Vide ad Cap. II, 22.

7. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

Oblitique] *Et obliti ſunt & coluerunt.* Hoc eſt, quaſi obliti fuiſſent omnium, quæ de uno vero Deo edocti fuerant, coluerunt alienos.

Bahales] Vide not. ad C. II, 10.

Et lucos] Aut deos, qui colebantur in lucis, aut ipſas virentes arbores, quaſi minora Numina eis adfuiſſent: nimirum, נפשות *nphaſchoth*, ſive Nymphæ. LXX. Intt. habent τοῖς ἄλσεσι; ut conſtanter verti ſolet אשרות *aſcheroth*, quæ arbores rectæ ſunt (ab אשר *uſchar*) Diis ſacræ. At *Hieronymus* habet *Aſtaroth*, quaſi legiſſet עשתרות, aut certè ita legendum cenſuiſſet, quomodo & *Aquila* legerat.

8. *Meſopotamiæ*] ארם נהרים *Aram geminorum fluviorum*; inter Euphratem, nempe, & Tigridem ſita. Hujus Regis mentio nulla in Aſſyriorum Regibus *Cteſiæ*. Regnabat enim hiſce temporibus Belochus Aſſyriorum Rex XIX. ex *Euſebii* calculo. Sed Aſſyrii illi Reges ſi fuerunt, toti Aſiæ, ut crediderunt nonnulli, minimè imperitarunt, ut oſtendimus ad Gen. X, 10. Hunc quidem vocat *Joſephus* Ant. Jud. Lib. V. c. 3. *Chuſartem Aſſyriorum Regem*, ex eorum opinione qui *Cteſiam* ſequebantur; ſed cur illi, à Scriptura abeunti, credamus non video.

9. *Liberatorem*] מושיע *moſchiah*, quod rectè etiam vertunt *ſervatorem*; nam *ſervare* & *liberare* unum idémque paſſim ſonant.

Hothnielem] De quo Joſ. XV. & ſupra C. I. Videtur tempore Chalebi, cùm filiam ejus uxorem duceret, admodum adoleſcens fuiſſe; quandoquidem ad hæc uſque tempora, ſive ad tertiam à Joſua ætatem uſque floruit.

10. *Invaſit eum ſpiritus Jehovæ*] *Fuit ſuper eo ſpiritus* &c. Jonathan hîc habet רוח נבואה *ſpiritus Prophetiæ*. Malim, cum aliis Interpretibus, *ſpiritum fortitudinis*, ut infra Cap. VI, 34. non quòd ignavus antea fuerit Othniel, quem juvenem fortem fuiſſe vidimus Cap. I. ſed quia motus animi inuſitatus in ſene excitatus eſt, à Deo, qui conſiliis ejus favit.

Judicavitque] Cœpit munere Judicis fungi, hoc eſt, ſupremi Magiſtratûs, qui ſimul erat dux exercituum, & diſceptator civilium controverſiarum. Dum Iſraëlitæ ſervirent, hoc eſt, ſtipendiarii eſſent Meſopotamiæ Regi; nec bellum gerere iis fas erat, nec ſummum ullum Judicem habere, præter Regem ipſum, aut ab ipſo conſtitutum.

Quo ſuperior fuit] *Et corroborata eſt manus ejus ſupra Chuſan-Riſhathajimum.*

11. *Quievit terra*] Hoc eſt, nec bellis, nec ſtipendiis ſolvendis vexata eſt. De initio & fine quadraginta annorum dicemus ad Tabulas Chronologicas, huic volumini ſubjectas.

Intra quos] Hoc addidimus, cùm in Hebræo textu ſit tantùm, & mortuus eſt; quia non eſt credibile Hothnielem, qui, vivo Chalebo, uxorem duxit, ſuperſtéſque fuit uni atque alteri ætati ab eo tempore, adhuc quadraginta annos, poſt ſuſceptum Judicis munus vixiſſe.

12. Iterum Iſraëlitæ quod diſplicet Jehovæ fecerunt, qui Heglonem Moabitarum Re-
gem ſuperiorem Iſraëlitis reddidit, eò quòd fecerant quod ſibi diſplicebat. 13. Igitur
ſibi adjunctis Hammonitis & Hamalekitis, ivit ac concidit Iſraëlitas, invaſerúntque ur-
bem Palmarum. 14. Servierunt itaque Iſraëlitæ Hegloni, Moabitarum Regi, per octo-
decim annos. 15. Deinde invocarunt Iſraëlitæ Jehovam, qui eis excitavit liberatorem
Ehudem, è poſteris Geræ Benjaminitæ, virum qui dextrâ uti non poterat. Cùm per
eum Iſraëlitæ munus Hegloni Moabitarum Regi miſiſſent, 16. fieri ſibi curavit Ehud
ſicam ancipitem, ſpithamam unam longam, quam ſub veſtibus femori dextro accinxit.
17. Obtulit ergo munus Hegloni, Moabitarum Regi, qui obeſus admodum erat. 18. Cùm
verò

12. *Iterum Iſraëlitæ* &c.] *Addiderunt Iſraëlitæ facere malum in oculis Jehovæ.*

Superiorem Iſraëlitis reddidit] *Confirmavit ſupra Iſraëlem.*

13. *Sibi adjunctis*] *Et collegit ad ſe filios Hammonis* &c.

Invaſerunt urbem palmarum] *Poſſederunt*, ſeu captam retinuerunt. *Joſephus* Ant. Lib. V. c. 5. ait Heglonem *ἐν Ἱεριχοῦντι βασίλειον, regiam ſedem ſibi Hierichunte conſtituiſſe.* Ac ſanè urbs Palmarum dicitur Jericho, ut oſtendimus ad Cap. I, 2. Cōmmodus erat urbis ſitus Moabitis venientibus ex tractu, ad ortum Jordanis ſito, ad ejus fluvii occaſum; præſidio enim urbi impoſito, trajicere Jordanem tutò poterant, & ejus præſidii operâ in officio continere Iſraëlitas, ad occaſum Jordanis incolentes. Præſidium autem hoc oportuit fuiſſe alicubi in Jerichuntino agro, aut in urbis non inſtauratæ ruderibus, nam diu poſtea in ruinis jacuit. Vide 1. Reg. XVI, 34. Itaque verum non eſt Heglonem illic regiam ſedem conſtituiſſe.

15. *E poſteris*] *Filium*, ſed non propriè dictum, nam Gera Benjaminis erat propriè dictus filius Gen. XLVI, 20. Vide & 2. Sam. XVI, 5.

Benjaminitæ] בן הימיני *ben-hajjemini*, hoc eſt, *filium Jemini*, quæ ratio dividendi nomen proprium *Benjamin* non rara eſt. Vide 1. Sam. IX, 1, 21.

Qui dextrâ uti non poterat] איש אטר יד ימינו, *vir clauſus manu ſuâ dextrâ.* Cùm verbum אטר ſignificet *claudere* Pſalm. LXIX, 16. non dubitarunt plerique omnes recentiores Interpretes, quin hic ſermo eſſet de homine, qui non aliter dextrâ uteretur, quàm ſi occiſa eſſet, hoc eſt, qui ea uti non poſſet. At LXX. Intt. ἀμφοτεροδέξιος, & Vulgatus: *qui utraque manu pro dextera utebatur.* Qui ſenſus cum ſequentibus quidem conſiſtere queat, ſed contrarius eſt ſignificationi vocis Hebraïcæ אטר, nec cum ipſa loquendi forma conſentit. Quis enim vertat verba אטר יד ימינו *utraque manu utens quaſi dextra*? Nemo, præter omnis Analogiæ contemtorem. Itaque rectiùs ſequamur Chaldæum Int. qui habet *virum contractum* (גמיד) *in manu ſua dextra.* Sic quoque *Joſephus*, qui aliàs LXX. Intt. verſionem ſequi ſolet, ſine dubio ex ætatis ſuæ ſententia: τῶν χειρῶν τὴν ἀριστερὰν ἀμείνων, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνης τὴν πᾶσαν ἰσχὺν ἔχων: *melior ſiniſtrâ & ab ea omne robur trahens.* Vide & infra Cap. XX, 16. Quod à nonnullis objicitur, ſcævolam nuncium ad Heglonem mitti non potuiſſe, cùm manibus ſuis eum oporteret munus ei offerre, quod indecorum erat ſiniſtrâ ſolâ facere; id verò nullius eſt ponderis. Neque enim Ehud dextrâ mutilus dicitur, ſed ita infirmus ut ea ſola uti non poſſet, ut plerique alii ſcævolæ. Itaque utraque manu munus offerre potuit. Sed fac principem legationis manu ſuâ munera non obtuliſſe, ſed per aliorum manus, nihil hac in re indecorum video. Vide v. 18. Adde & ejuſmodi homini aditum ad Regem potuiſſe magis patere, quippe qui minùs timendus erat, quòd uſu dextræ careret.

15. *Miſiſſent*] *Et miſerunt.* Hoc eſt, cùm miſſuri eſſent, nam gladium paravit antequàm mitteretur.

16. *Curavit ſibi fieri ſicam*] *Et fecit ſibi gladium.*

Spithamam unam longam] *Spithama longitudo ejus*, quæ facilè poſſet latere. Neſcio cur verterit *Hieronymus*: *habentem in medio capulum longitudinis palmæ manûs.*

Sub veſtibus] מתחת למדיו *mitthabbath lemaddau.* Ad vocem מדים *maddim* adludit ſono vox Græca μανδύη, quâ uti ſolent Græci, ad *lacernam* Latinorum vertendam, ut docebit *Oct. Ferrarius* de Re Veſtiar. Parte 2. Lib. I. Sat apta fuit lacerna, ad tegendum brevem gladium, ſed quis dicat an ſimilis veſtis hîc ſignificetur?

Ad femur dextrum] Qua in parte gladius non ſolebat quæri, ſed ad ſiniſtrum femur; quare ſatellites ſefellit.

17. *Obtulit munus*] Id fuit ſtipendium, ut 2. Sam. VIII, 2, 6. & alibi non raró.

Obeſus admodum erat] Hebr. בריא, quod conſtanter *pinguem* ſonat. At LXX. ἀστεῖος *urbanus*, ex quo antiqua verſio Latina tranſtulerat *exilis.* Verſus 22. oſtendit hîc bene verti *pinguem.*

18. *Populares*] *Populum*, quæ vox multitudinem quamvis ſignificat, ſeu major ſit, ſeu non ita magna. Fortè hîc plures erant Iſraëlitæ, non tam propter pondus munerum, quàm pompæ causâ. Quod etiamnum fit, apud Orientales nonnullos, apud quos munera in particulas dividuntur; ut à multis, longo ordine incedentibus, offerantur, quod apud Scha-abbam Perſarum Regem, vidiſſe ſe teſtatur *Petrus Vallenſis*, in Itinerario Perſico.

Dimiſit] Ut, nempe, priores abirent, ipſe verò eos ſequeretur. At hoc non factum eſt, apud ipſum Heglonem, ſed ad ſculptos lapides Gilgali vicinos. Ideò *Hieronymus* vertit: *proſequutus eſt ſocios*, hoc eſt, comitatus eſt eò uſque, ut eos dimitteret.

19. *A ſculptis lapidibus*] מן הפסלים *min happheſalim.* LXX. pro more γλυπτῶν verterunt, *Hieronymus*, *idola.* Alii *lapicidinas.* Sed potuerunt eſſe ſculpti lapides, qui minimè tamen eſſent Deorum ſimulacra.

Arcanum mihi eſt &c.] *Verbum mihi eſt arcani ad te.*

Silo,

Digitized by Google

verò abſolviſſet offerre munus, populares qui id attulerant dimiſit; 19. ipſe verò rediit
ad Regem, à ſculptis *lapidibus* qui ad Gilgalem ſunt, eique dixit: arcanum mihi eſt,
ô Rex, quod tibi dicam. Sile, inquit *Rex*. Deinde egreſſi ſunt quicumque ei adſta-
bant, 20. Ehúdque ad eum acceſſit. Sedebat ille in cœnaculo æſtivo, quod ei ſoli erat.
Tum Ehud, verbum, inquit, Dei mihi eſt *quod* tibi *dicam*; *quo audito*, è ſolio ſurrexit.
21. Ehud verò exſertâ ſiniſtrâ, abripuit ſicam, à dextro femore, eámque ventri homi-
nis infixit. 22. Subiit & capulus poſt laminam, laminámque occluſit adeps, nam è
ventre ejus non eduxit ſicam, quæ ex poſtica parte exibat. 23. Tum egreſſus Ehud in
veſtibulum januam cœnaculi occluſit, & obſeravit. 24. Cùm exiſſet *regiâ*, ſervi He-
glonis venerunt, viderúntque fores cœnaculi obſeratas, ac dixerunt: profectò
exo-

Sile, inquit Rex] Supplendum, Regem juſ- ſiſſe omnes exire, præter Ehudem.

Egreſſi ſunt] *Egreſſi ſunt ab eo.*

20. *Cœnaculo æſtivo*] בעלית המקרה *in ſuperiore conclavi refrigerii*, quod ὑπερῷον θερινὸν LXX. Intt. *cœnaculum æſtivum* rectè vertit Latinus.

Verbum, inquit, Dei mihi eſt] Quaſi Prophetæ inſtar ad eum veniret. *Joſephus*, qui ſolet ex ingenio Scripturæ hiſtorias ornare, ait Ehudem timentem μὴ διαμαρτὼν, καὶ μὴ δὲ καιρίαν πληγῇ, *ne fallente ictu plagam minimè lethalem inferret*, hominem excitaſſe, dum ſomnium divinitus miſſum ſe ei dicere velle profitetur; Heglonem enim continuò gaudio exſiliiſſe. Alii putant Moabitarum Regem ſtatim ſurgere voluiſſe, ut ſatellites vocaret, cùm audivit *verbum Dei*, veritum inſidias hominis Prophetam agentis, à quo ſicâ occupatus fuit; alii reverentiæ cauſâ, veluti Prophetæ honorem exhibentem, adſurrexiſſe. Quorum poſtremum prætulerim, neque enim neceſſe fuit, ſi ſomnium narraturum ſe polliceretur Ehud, Heglonem continuò è ſolio ſurgere præ gaudio; uti nec veriſimile eſt id dicturum fuiſſe Ehudem, quo audito, homo territus ad ſuos confugere conaretur, quos etiam clamore ad ſe vocaſſet. Itaque credibile eſt Ehudem Prophetam egiſſe, ut ſibi reverentiam conciliaret, hominémque ſtantem vehementiùs & certiùs feriret.

Atqui, inquies, dolus hoc fuit. Fuerit; *dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?* Qui vi & armis liberum populum ſibi ſubjecerat, idem potuit dolo capi; niſi quis putet vim, quam ſucceſſus felix ſequitur, jus facere. Quod tamen ſi verum eſt, ſucceſſus facinoris Ehudis juſtum etiam id fecit; ſi verum non eſt, deterius non fuit, opinor, dolo libertatem ſuam recuperare, quàm alienam vi apertâ invadere. Dei præceptum, aut adflatum ad hoc ſingulare facinus fingere, tacente Scripturâ, neceſſe eſſe non puto. Quamvis Deus adflatu ſoleret Judices ad fortia facta excitare, non ſemper rationem & viam liberandi populi ſui eis oſtendebat; ſed fortia, ac prudentia eorum conſilia ſecundabat.

21. *Ventri*] Ita ut vas quodpiam majus ſanguiferum perforaret, unde ſubita mors oritur. *Joſephus* conjicit ictum cordi impactum fuiſſe, ſed non neceſſe eſt, & malim aut venam cavam, aut aortam deſcendentem pertuſam credere, quia *venter* dicitur confoſſus.

22. *Laminamque occluſit adeps*] Lamina, nempe, tota eſt immiſſa, cum parte capuli, ita ut intra adipem tota lateret.

Ex poſtica parte exibat] ויצא הפרשדנה *vajjetſe happharſchedonah*. Hoc ה poſtremum omnino motum ad locum hîc ſignificare videtur; nec tam altè infixa ſica, adverſo vulnere, eſſe potuit, quin ex poſtica parte erumperet, ſaltem cuſpide. Igitur פרשדן pharſchedon, crediderim partem ſupra clunes ſignificare; unde & apud Arabas פרשד *pharſchada*, ſignificat, *ſedendo clunibus terræ adhærere*. Hæc vertere omiſerunt LXX. Intt. Hieronymus verò vertit: *ſtatimque per ſecreta naturæ, excrementa proruperunt*; ubi quatuor prima verba addidit, ſine ulla neceſſitate. Ad vocem הפרשדנה *happharſchedonah* quod attinet, ſic quoque eam vertit Chaldæus; nimirum, אכלה *ouchleleh*, hoc eſt, *cibus ejus*. Scilicet, concoctus. Res tamen ipſa, aut uſus notus ac certus vocis huc eum Interpretem non adduxerunt, ut verteret *excrementum*. Nam ex eo quòd *Heglon* interfectus fuerit, relictâ in ejus corpore ſicâ, quâ confoſſus eſt, non ſequitur excrementa per vulnus ſicâ clauſum potuiſſe egredi, aut *per ſecreta naturæ*, ut habet *Hieronymus*, erumpere. Neque etiam uſus exploratus Linguæ poſtulabat ut ſic verteret, hæc enim vox in hoc dumtaxat loco occurrit. Eam quidem deducunt à פרש *phereſch*, hoc eſt, ſtereus, & verbo Chaldaico שדא *ſcheda*, quod eſt ejecit; ſed eſt quoque hæc conjectura, cui aliam opponere poſſumus.

23. *In veſtibulum*] המסדרונה *bammiſderonah*. Liquet ſpatium aliquod intelligi ante fores cœnaculi, quod veſtibulum vocavimus, quia vox nulla commodior ſuppetebat. LXX Intt. verterunt εἰς τὴν προστάδα, quod nomen eſt ſpatii vacui inter porticus, ante januas conclavium porrectas, in ædificiis Græcis, ut teſtatur *Vitruvius* Lib. VI. c. 10. Fieri ſanè poteſt ut מסדרון *miſderon*, quæ vox hîc tantùm occurrit, dictus ſit locus ἀπὸ τ͂ סדר, ſeder, ſeu ab ordine, columnarum, nempe, quæ περίστυλα cingebant. Sed hîc monendus lector, hæc verba apud LXX. Intt. videri etiam verti: καὶ ἐξῆλθε τοὺς διατεταγμένους, nam duplex eſt eorumdem verborum explicatio, ſuperior & hæc. Videtur poſterior deſumta ex alio Interprete, qui מסדרון *miſderon* credidit eſſe præſidium ordine militari inſtructum. *Hieronymus* ex conjectura vertit *per poſticum*, neglectâ conſtructione.

Occluſit] Addunt Hebræi בעדו *ſuper eo*, quod Latinè exprimi non potuit. Vide Gen. VII, 16. & quæ ibi notavimus.

Obſeravit] נעל *nahal*, hoc eſt, ſerâ occluſâ; quod quomodo fecerit, dicere poſſemus; ſi nobis eſſet nota forma ſerarum, quibus utebantur Orientales.

24. *Cùm exiſſet &c.*] *Et illi exiit ſervi.*

Venerunt] Quaſi ad Regem ingreſſuri.

Viderúntque fores] *Viderunt & ecce fores &c.*

exonerat alvum, in cœnaculo æſtivo. 25. Cúmque exſpectaſſent, donec eos *diutiùs exſpectare* puderet, nec dum ille cœnaculi fores aperiret, ſumtâ clave aperuerunt. Ecce verò dominum ſuum, in humum collapſum, mortuum *invenerunt*. 26. Dum autem morarentur, evaſerat Ehud, cúmque per ſculptos *lapides* tranſiſſet, incolumis Schiram pervenit. 27. Quò cùm veniſſet, tubâ clanxit per montana Ephraïmi, deſcenderúntque cum eo è montanis Iſraëlitæ, quibus ille præibat; 28. atque iis, ſequimini me, inquit, nam hoſtes veſtros Moabitas in manum veſtram tradidit Jehova. Igitur eum ſequuti deſcendêrunt, occuparúntque vada Jordanis, *quà* in Moabitidem *itur*, nec quemquam tranſire paſſi ſunt. 29. Concîderunt eo tempore, *ex* Moabitis, circiter decem millia virorum, opulentiſſimum & fortiſſimum quemque; neque quiſquam eorum evaſit. 30. Humiles facti ſunt tunc temporis Moabitæ, ſub Iſraëlitarum manu, & per octoginta annos *horum* regio *in pace* conquievit.

31. Poſt eum fuit Samgar, Hanathi filius, qui è Philiſthæis ſexcentos viros ſtimulo bovis concîdit, Iſraëlémque & ipſe liberavit.

IV.

Exonerat alvum] *Tegit ille pedes ſuos.* Circumloquutio honeſta hominis ſatisfacientis naturæ, inde deſumta, quòd Orientales ſtolis longis & laxis induti, cùm excrementa egerebant, pedes ſtolâ tegerent, quæ ſedentium in pedes neceſſariò deſcendebat. Verùm exiſtimandum non eſt mingentibus tantùm hoc contigiſſe, mingentes enim dumtaxat non ſedebant, ut rectè oſtendit *Sam. Bochartus* Hierozoïci P. I. Lib. II. c. 55. Res ipſa hoc demonſtrat, nam ſatellites Heglonis longo tempore ad meiendum Dominum indiguiſſe non crediddiſſent. In Alexandrino Codice eſt: μήποτε πρὸς δίφροις κάθηται ἐν τῇ ἀποχωρήσει τοῦ κοιτῶνος. Sic Aldina & Complutenſis. Eſt tamen gloſſema, quod in textum irrupit. Meliùs in Romano: ἀποκενοῖ τοὺς πόδας αὐτοῦ.

In cœnaculo æſtivo] בחדר המקרה *in conclavi refrigerii*, in quo, nempe, ſolebat æſtivo tempore aeris frigus captare, ἐν τῷ ὑπερῴῳ τῷ θερινῷ, ut habent LXX. Intt.

25. *Cúmque exſpectaſſent* &c.] *Et exſpectarunt, donec pudefierent & ecce ille non operiebat — & ſumſerunt clavum.*

26. *Sculptos lapides*] הפסילים *happheſilim*. Vide ad v. 19.

Sehiram] שעירתה *Schebiratha*. Omnino *Sebira* videtur eſſe locus in montibus Ephraïmi, ob ſequentia

27. *Tubâ clanxit*] Quod conſuetum ſignum erat eum, qui clangebat, ad ſe populum convenire cupere, gravioris negotii, & præſertim belli pro patria gerendi causâ. Vide ad Cap. IV, 6.

Montana Ephraimi] *Montem*. Sic paſſim, ſed non unus mons ſignificatur. Videtur Ehud, quamquam Benjaminita, ad proximos Ephraimitas iviſſe, quippe viris & copiis abundantes, cùm Tribus Benjaminis tenuior eſſet.

Quibus ille præibat] *Et ille ante facies illorum.*

28. *Eum ſequuti deſcenderunt*] *Deſcenderunt poſt eum.*

Occuparunt vada Jordanis] מעברות הירדן *mahberoth hajjurden*, tranſitus Jordanis, hoc eſt, eſt, vada, neque enim ponte junctum Jordanem legimus. Nimirum, cùm Moabitæ occupaſſent aliquem Iſraëlis tractum, ut liquet ex vſ. 13. terrámque Iſraëlitidem etiam ad occaſum Jordanis gravi imperio premerent, copias aliquot in ea habebant; quæ ne ad ortum Jordanis, in Moabitidem, tranſirent, néve ex Moabitide auxilium acciperent; Ehud, præſidiis occupatis vadis Jordanis, Moabitas, qui ad occaſum ejus erant, aggreſſus concîdit.

Nec quemquam tranſire paſſi ſunt] Qui nuncius rebellionis Iſraëlitarum iret ad Moabitas, aut eò confugeret; aut qui viciſſim nuncii adferendi, vel auxilii adducendi causâ, è Moabitide veniret in Chananæam.

29. *Ex Moabitis*] את מואב *eth Moab*, pro מאת *meeth*, è Moab. Sic v. 31.

Opulentiſſimum &c.] *Omnem pinguem & omnem virum roboris.* שמן *ſchamen* verti *opulentum*, quia conſtat *pingueſcere* perinde eſſe ac diteſcere, ut Deut. XXXII, 15. LXX. Intt. in Cod. Romano habent λιπαρόν, in Alexandrino, Complutenſi & eo quem expreſſit Aldus, μαχητὴς, quod eſt gloſſema. Nuſquam alibi שמן *ſchamen* pro viro forti ſumitur, nec verbum ipſum שמן *fortem eſſe* uſquam ſonat. Itaque crediderim primores Moabitarum ſignari, quorum ditiſſimi quique Jordanem tranſierant, ut expilarent Hebræos.

Neque quiſquam eorum] Qui, nempe, erant ad occaſum Jordanis.

30. *Tunc temporis*] *Eo die.*

Octoginta annos] De hac re in Tabulis Chronologicis, quæ ad calcem voluminis.

31. *E Philiſthæis*] את פלשתים pro מאת *è Philiſtæis*, ut v. 29. Dum Moabitæ, nimirum, ſervitutis jugo premebant Hebræos ad ortum; videntur ad occaſum Philiſtæi graves vicinis Hebræis fuiſſe.

Stimulo bovis] במלמד הבקר *bmalmad habbakar.* De hoc loco copioſè & doctè, ut ſolet, egit *Sam. Bochartus* Hierozoici P. I. Lib. II. nec exſcribemus quæ illic habet. Non eſt putandum ſolum Samgarem, ſtimulo duntaxat bovis armatum, & ejuſmodi telum juſtis armis præferentem, ſexcentos homines occidiſſe; ſed ſic armatum præfuiſſe tumultuariis aliquot ruſticorum copiis, quæ haud multò meliùs armatæ ſexcentos viros occiderint. In antiquiſſimis codicibus τῶν LXX. videtur ſcriptum fuiſſe ἐκτὸς τῶν μόσχων *præter vitulos*, nam in antiqua Latina Verſione, quâ uſus *Auguſtinus*, legebatur, *præter vitulos boum*, ut liquet ex Quæſtionibus ejus in *Heptateuchum* Lib. VII. Quæſt. 25. Legerant, nempe, מלבד *milbad*, hoc eſt, *præter*, pro במלמד bmalmad, *ſtimulo*; ſeu ita ſcriptum fuerit in eorum Codice, ſeu ita emendandum cen-

IV. Iſraëlitæ idololatræ per viginti annos ſerviunt Jabini, Chatſoris Regi; ſed liberantur, operâ Deboræ & Baraki. Siſera ab eo vincitur & occiditur à Jabela.

1. ITERUM, Ehudo mortuo, fecerunt Iſraëlitæ quod diſplicebat Jehovæ. 2. Itaque CAPUT IV.
tradidit eos Jehova in manum Jabinis, Chananæorum Regis, qui regnabat Chat-
ſore. Dux verò exercitûs ejus erat Siſera, qui habitabat Charoſethæ Gentium.
3. Deinde clamore Jehovam invocaverunt Iſraëlitæ, quia nongenti currus ferrati ei
erant, & vi Iſraëlitas, per viginti annos, oppreſſerat. 4. Debora prophetis, uxor
Lapphidothi, Iſraëlem eo tempore judicabat. 5. Sedebat hæc ſub palma Deboræ, in-
ter Ramam & Bethelem, in montanis Ephraïmi, atque ad eam ſe conferebant Iſraëlitæ
ut jus ſibi diceret. 6. Accerſivit illa Barakum, Abinohami filium, Kedeſo Nephthalitico,
eique, annon mandatum *hoc ſibi* dedit, inquit, Jehova Deus Iſraëlis: ito &
tu-

cenſuerint; ſeu minuere voluerint miraculum, ne Hiſtoria Sacra Ethnicis eſſet ludibrio, nam eorum rationem ſæpe habuerunt.

Poſtea cùm eſſent Interpretes alii, qui ex Hebraico Codice Biblia verterunt, & qui maluerunt ἀροτρόποδι, hoc eſt, *vomere*, vertere, nec intelligerent lectores quid eſſet *percutere Philiſthæos præter vitulos boum*, emendarunt Codices Græcos LXX Interpretum ex illis Interpretibus. Hinc Complutenſis, Vaticanus & Aldinus Codex, priſcâ lectione prorſus expunctâ, habent ἐν τῷ ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. Alexandrinus verò, conjunctâ abſurdè utraque: ἀροτρόποδι ἐκτὸς μόσχων.

Iſraëlem & ipſe liberavit] Etiamnum vivo, ut videtur, Ehude. Vide Cap. ſeq. v. 1.

In CAPUT IV.

1. I*Terum Ehude mortuo* &c.] *Et addiderunt filii Iſraël facere malum in oculis Jehovæ, & mortuus Ehud.* Nulla fit mentio Samgaris, quaſi inter Ehudem & Deboram iuterponendi, quòd æqualis fuerit Ehudi & fortè ante illum mortuus; nec Iſraëlis Judex fuerit, quamvis illum à Philiſthæis aliquando liberarit.

2. *Tradidit*] *Vendidit*, ut Cap. II, 14. ubi *vendidit* vertimus, vitandæ repetitionis causâ, nam anteceſſerat יתנם *jitthenem*; at hic *tradidit*, qui verior ſenſus. Eſt antecedens pro conſequente, quia qui vendit idem tradere ſolet, niſi irrita ſit venditio.

Jabinis] Fortè è poſteris Jabinis ejuſdem urbis Reguli capti & occiſi à Joſ. Cap. XI, 1, 10. Certè ſucceſſor ejus fuit, & ſæpe in ſingulis Monarchiarum διαδοχαῖς, cognomines Reges invenire licet.

Regis Chananæorum] כנען *chenaban*, quod hîc nomen eſt populi è Chananæis orti, non totius terræ Chananææ; cùm Jabin totius ejus terræ dominus non eſſet, niſi fortè ſubactis Iſraëlitis, hunc ſibi titulum ſumſerit. Sed prius malim, quia *Chanaan* non minùs ac *Juda* & *Iſraël*, ſingularem populum ſignificat, niſi *terra* addatur.

Qui regnabat Chatſore] Quam proinde captam & combuſtam à Joſua recuperarant ac inſtaurarant Chananæi. Nec ſemel factum, ut ignaviâ Iſraëlitarum debellati ac expulſi populi in avitas ſedes redierint. De *Chatſore* vide ad Joſ. XI, 1.

Charoſethæ Gentium] בחרשת הגוים *babharoſcheth baggojim*. Cùm Chatſor eſſet urbs vicina Semechonitidi paludi, in ſeptemtrione Judææ, credibile non eſt Charoſetham admodum hinc remotam fuiſſe. Ac ſanè additio vocis *Gentium* facit ut credam eam ſitam fuiſſe in vicinia, ad occidentem, in eo tractu, qui *Regnum Gentium* dicebatur, & poſtea pars fuit Galilææ, quæ etiam *Gentium* dicta eſt. Vide ad Gen. XIV, 1. & Joſ. XII, 23.

3. *Si erant*] Sive Jabinem, ſive Siſeram intelligas, perinde eſt, quia Siſera hiſce copiis nomine Jabinis præerat. Quas copias cùm horrerent Iſraëlitæ, nec ullâ humanâ ope ſuperari poſſe ſperarent, ad Dei auxilium confugerunt.

4. *Iſraëlem eo tempore judicabat*] Proprio ſenſu judicandi hoc munus intelligendum, de litium diſceptatione, non de totius Reipublicæ adminiſtratione. Nam populi Hebræi Reſpublica ad arbitrium Jabinis tunc adminiſtrabatur, dum Iſraëlitæ ejus erant vectigales. Quamvis Prophetis eſſet Debora, non ideò tamen fortaſſe jus dicebat Iſraëlitis, neque enim hoc munus adflatum ullum poſtulabat, ſed integritatem & ſcientiam Legum. Judicabat Hebræos, propter eximiam ſapientiam, ob quam ſponte ſuâ res ſuas ad ejus judicium referebant, cui tamen pondus ſine dubio Prophetiæ donum addebat. Non rarò Orientalibus præfuere mulieres, cum ſumma poteſtate.

5. *Sedebat*] Nempe, cùm jus dicebat, judicum enim eſt *ſedere*. Vide Pſ. IX, 5. Malim hoc ita intelligere, quàm de habitatione perpetua, ſub palma. Ea autem palma, ſub qua jus dicere ſolebat, dicta propterea eſt deinceps *Palma Deboræ*, quamdiu ſtetit.

Ut jus ſibi diceret] *Ad judicium*, nempe, audiendum.

6. *Accerſivit*] *Miſit & vocavit.*

Kedeſo Nephthalitico] Quia non una urbs erat, quæ *Kedes* vocabatur. Fuit enim *Kedes* ad deſertam Arabiam, de qua Num. XX, 1. fuit & altera in Tribu Judæ, quæ memoratur Joſ. XV, 23. ac tertia hæc Nephthalitica omnium celeberrima.

Annon mandatum &c.] Interrogatione Hebræi vehementiorem affirmationem exprimunt; nulla enim mandata acceperat *Barakus*, præter hæc. Vide v. 14. & VI. 14.

tubâ tractim canito in Thabore monte; tecúmque ſumito è Nephthalitis & Zabulonitis decem hominum millia; 7. tum eliciam ad te ad torrentem Kiſonem Siſeram, exercitûs Jabinis ducem, curriſque ejus & copias ac eum in manum tuam tradam? 8. Barakus verò Deboræ, ſi mecum, inquit, iveris, ibo; ſin minùs, non ibo. 9. Ibo, inquit illa, tecum, verùm decori tibi non erit ratio quâ te geris; nam in manum mulieris tradet Jehova Siſeram. Surrexit itaque Debora & Kedeſum Barakum comitata eſt.

10. Convocavit ergo Barakus Zabulonem & Nephthalin Kedeſum, eúmque ſequuta ſunt decem millia virorum, & expeditionem cum eo ſuſcepit Debora. (11. Cheber autem Kenæus ſeceſſerat à Kenæis, *is fuit* è poſteris Chobabi ſoceri Moſis, tendebátque ad quercetum, Tſahanannimis, quod eſt juxta Kedeſum.) 12. Tum nunciatum eſt Siſeræ adſcendiſſe Barakum, Abinohami filium, in Thaborem montem. 13. Itaque coëgit Siſera omnes ſuos currus, nongentos currus ferratos, & univerſum populum qui cum eo erat, *ut iret* Charoſethâ Gentium ad Kiſonem torrentem. 14. Ibi Batako Debora, ſurge, inquit, nam hic eſt dies, quo Jehova in manum tuam Siſeram tradet; annon Jehova ante te egreſſus eſt? Deſcendit ergo Barakus, è monte Thabore, decémque millia virorum eum ſequuta ſunt. 15. Concidit Jehova Siſeram, omnes ejus currus, & univerſa caſtra gladio, ante Barakum. Quare Siſera deſcendit è curru & pedes aufugit; 16. Barakus verò perſequutus eſt currus ejus & exercitum Charoſetham uſque Gentium, & ferro ceciderunt univerſa Siſeræ caſtra, ne unus quidem *vir* ſuperſtes fuit.

17. Siſera interea pedibus fugit, ad tentorium Jahelæ, Cheberi Kenæi uxoris, pax enim erat Jabini, Regi Chatſoris, cum Cheberi Kenæi familia. 18. Egreſſa autem eſt obviam Siſeræ Jahela, eique, diverte, inquit, Domine mi, diverte ad me, nec time

Tuba tractim canito] משכת *traxiſti*. Eſt præteritum pro imperativo משך *maſchoch*. Subaudienda eſt vox בשופר *bſchophar*, tubâ; nam apud Hebræos משך בשופר dicitur qui *tubâ canit*, ut Joſ. VI, 5. Exod. XIX, 13. LXX. Intt. verterunt לך ומשכת σοὶ, καὶ ἀπελάσεις, mandavit *tibi & abibis*, quaſi legendum eſſet לך, & משך ſignificaret *abire*, quod nullo exemplo conſtat. Legit ut nos *Hieronymus*, vertit enim: *vade & duc exercitum*, ſed משך non eſt ducere exercitum & ſequentia eum ſatis confutant. Notum autem eſt tubâ convocatos exercitus. Vide ad Cap. III, 27.

In Thabore monte] Qui fuit in finibus auſtralibus Zabulonitarum, magíſque diſtabat à ſedibus Siſeræ, quàm Kedeſum patria Baraki, quod Galilææ Gentium vicinum Tempore autem opus erat ut cogeretur Iſraëlitarum exercitus, antequàm Siſera, qui mercenariis fortè copiis, ſemper paratis, præerat, adeſſe poſſet.

7. *Torrentem Kiſonem.*] Qui fluit ſub radicibus Thaboris juxta meridiem, occaſum verſùs.

8. *Si mecum iveris* &c.] Ut, nempe, conſtaret Dei mandato hanc ſuſceptam eſſe expeditionem; populúſque præſentiâ Prophetidis excitatus animoſior eſſet.

9. *Decori tibi non erit* &c.] *Non erit decus tuum, ſuper via quam tu inis.* Quia divides gloriam victoriæ cum muliere; nempe, cum Debora.

Kedeſum] Quò tamen eam non iviſſe ſequentia ſatis oſtendunt; ſed præ ſe tulit *Barakus*, quaſi Kedeſum iturus eſſet.

10. *Convocavit Kedeſum*] Ordo hic videtur eſſe inverſus, nam ex mandato Deboræ, debuit ante omnia Barakus tubâ canere in monte Thabore, unde copias Kedeſum potuiſſet ducere, niſi Siſera hominem antevertiſſet & ad Thaboris radices confixiſſet. Aut verba Hiſtorici Sacri ita ſunt intelligenda, quaſi hoc vellet; convocaſſe, nimirum, Barakum populares ſuos in montem Thaborem, ut deinde iret Kadeſum.

Eumque ſequuta ſunt] *Et adſcenderunt in pedibus ejus*; hoc eſt, cum eo iverunt. Loquutio eſt nota. Vide ad Exod. XI, 8.

Expeditionem cum eo ſuſcepit.] *Adſcendit cum eo.*

11. *Cheber autem Kenæus*] Hæc per parentheſin hîc inſeruntur ob ea, quæ dicentur vſſ. 17. & ſeqq. De hoc Chebero nulla alibi mentio. Kenæi quidem populi erant ad meridiem Judææ, de quibus Gen. XV, 19. Hic verò Cheber ad Septemtriones ſedes fixerat.

E poſteris Chobabi] *E filiis Chobab.* Hoc ita intelligendum, ut dicatur Cheber ipſe fuiſſe è poſteris Chobabi; non verò gens Kenæorum, quæ Chobabo, ſeu Jethrone antiquior, ut liquet ex loco Geneſ. XV. & Num. XXIV. Si quis quæret quomodo Kenæus eſſet Chobabo oriundus, facile eſt reſpondere, fortè ex una filiarum ejus & viro Kenæo originem duxiſſe; aut ſic vocatos Chobabi poſteros, quòd vicini diu Kenæis fuiſſent, ut alibi diximus. Vide Exod. II, 16. Hic ergo Cheber, cùm adfinis eſſet Moſis poſteris, relicto Kenæorum tractu, in Chananæam venerat, & propter eam adfinitatem, ut videtur, ab Iſraëlitis admiſſus fuerat.

Soceri Moſis] Sic verto חתן *hhathan*, non *adfinem*. Vide not. ad Exod. II, 18. Num. X, 29. Jud. I, 16.

Tſahanannimis] Hujus loci, quaſi limitis Tribûs Nephthalis, mentio fit Joſuæ XIX, 33.

Quod eſt] Maluimus referre pronomen אשר ad *quercetum* אלון, quia plura erant querceta in Judæa, cùm plura loca *Tſahanannim* dicta non legantur.

Kedeſum] Patriam Baraki, qui fortè Chebero notus fuit.

13. *Nongentos currus*] Vide not. ad Joſ. XVII, 16.

14. *Tradet*] *Tradidit.*

An-

time. Is verò ad eam in tentorium ejus divertit, *ubi* eum integumento cooperuit.
19. Ibi ille mulieri, cedo mihi, inquit, paullùm aquæ, ut bibam, nam ſitim contraxi.
Aperuit illa utrem lactis, potúmque ei præbuit, & integumentum impoſuit. 20. Tum
ille Jahelæ, ſta, inquit, ad oſtium tentorii, & ſi quis veniat ac ex te ſciſcitetur an vir
quiſpiam hìc ſit, negabis quemquam eſſe. 21. Sed ſumſit Jahela, uxor Cheberi, paxil-
lum tentorii, arreptóque etiam in manum malleo, ad hominem ſilentio ivit, infixitque
paxillum in tempus ejus ita ut terræ adfigeretur; dum ille ſomno oppreſſus ex laſſitudi-
ne eſſet, ac *ſic quidem* mortuus eſt. 22. Ecce verò Barakum Siſeram perſequentem,
cui obviam ivit Jahela, eique, veni, inquit, & virum quem quæris tibi oſtendam.
Ingreſſus ad eam eſt Barakus, & ecce Siſeram jacentem mortuum, & paxillum *etiam-
num* in ejus tempore.
23. Humilem fecit Deus, illo die, Jabinem Regem Chananæorum, in conſpectu
Iſraëlitarum; 24. duriórque in dies fiebat eorum manus in Jabinem Regem Chananææ,
donec eum è medio ſuſtulerunt.

V. Carmen Deboræ & Baraki, in victoriam de Siſera reportatam.

1. DEBORA & Barakus, Abinohami filius, eo die *carmen* cecinerunt, in hæc Caput V.
verba: 2. Iſraële in libertatem adſerto, populóque ſpontanea ſacra facien-
te, benedicite Jehovæ. 3. Audite Reges, aurem præbete principes; ego,
ego, *inquam*, in honorem Jehovæ canam, in honorem Jehovæ Dei Iſraëlis pſal-
lam. 4. O Jehova, cùm egredereris Sehire, cùm ex Idumæorum agro excederes,
ter-

Annon Jehovæ &c.] Non eſt interrogatio dubitantis ſed affirmantis, ut v. 6.

Ante te egreſſus &c.] Quaſi Deus Angelum jam præmiſiſſet, pro Iſraëlitis pugnaturum.

Deſcendit] In æquiorem locum; neque enim poterat pugna committi contra Siſeram, curribus præſertim fretum, niſi in campis Thabori ſubjectis, in quibus neceſſe habuit dux Chananæus ſe continere.

15. *Concidit*] *Conturbavit* ויהם *vajjahom*, hoc eſt, ita turbavit, ut gladio conciderentur.

Gladio] *Ore gladii*

Deſcendit è curru &c.] Ut occultiùs fugeret, poterat enim ex curru agnoſci.

16. *Ferro*] *Ore gladii.*

17. *Pax enim erat* &c.] Videtur, nempe, Cheber tributum ſolviſſe Jabini, ut in agris ei vicinis tendere liceret.

18. *Egreſſus autem eſt*] Cùm eum videret ad tentorium ſuum viam adfectantem, auditâ jam ejus clade.

Diverte ad me &c.] De dolo Jahelæ dicemus ad Cap. V, 24.

Integumento] שמיכה *ſchmichah*: quam vocem, cùm alibi nuſquam occurrat, neque radicem habeat ullam in Linguis Orientalibus, ad quam referatur, verterunt LXX. ἐμβόλαιον, aut δέῤῥιν, (nam prior lectio eſt Vaticani, poſterior Alexandrini Codicis) Vulg. *pallium*, conjecturâ, ut puto, ex re ipſa petitâ; niſi fortè legerint שמלה *ſchimlah*, quæ vox uſitatiſſima eſt & *veſtem* ſonat.

19. *Utrem lactis*] Quaſi aquâ melioris. *Joſephus*, qui Scripturæ hiſtoriam adornat, prout vult, dicit lac fuiſſe διεφθορὸς ἤδη, hoc eſt, ὀξύγαλα, quo illis in oris levari ſolet ſitis, æſtivo præſertim tempore.

21. *Paxillum tentorii*] Ferreum clavum majorem, cui terræ adfixo alligabantur tentorii funes.

Dum ille ſomno oppreſſus] *Et ille ſomno oppreſſus, & feſſus erat.*

24. *Durior in dies fiebat*] *Et ibat manus filiorum Iſraël eundo & dura erat* &c. Hoc eſt, duriùs eum in dies habebant.

Eum] *Jabinem Regem Chananæorum.*

In Caput V.

2. *Iſraële in libertatem adſerto*] בפרוע פרעות, *cùm liberarentur libertates in Iſraële.* Alii *cùm ſumerentur ultiones*, quia פרע *pharah*, apud Chaldæos, hoc ſonat; nec is ſenſus malè hìc convenit. Sed priorem interpretationem prætulimus, quia Iſraëlitæ eo prælio non tantùm ulti erant hoſtes, ſed libertatem ſibi pepererant. At LXX. Intt. adſequuti non videntur quid hæc ſibi vellent. Eſt enim in Vaticano Codice, ἀπεκαλύφθη ἀποκάλυμμα ἐν Ἰσραήλ, in Alexandrino verò, Complutenſi & Aldino: ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγοὺς ἐν Ἰσραήλ. Poteſt tamen aliqua ratio reddi harum tranſlationum: nam פרע *pharah* aliquando *retegere*, apud Hebræos, & *ſuperiorem eſſe aliis*, apud Arabas, ſignificat, quamquam hi ſignificatus in hunc locum non quadrant. Verùm neſcio quid ſequutus ſit *Hieronymus*, cùm vertit: *qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum.* Nemo non videt illum ex conjectura, neglectis omnibus regulis, ita vertiſſe, nam פרוע פרעות *phrhoah phraboth* nihil ſignificat, quod *animæ* & *periculo* adfine ſit.

Populóque Sacra ſponte faciente] בהתנדב עם, *behithnaddeb ham.* Nimirum, propter victoriam, ſpontanea Sacra Deo fiebant, quæ dicebantur נדבות *ndaboth.* Hoc quoque ſignificat radix נדב *nadab* in Hiphil, ut Eſdr. III, 5.

3. *Ego, ego, inquam*] *Ego Jehovæ, ego canam, pſallam* &c. Hæc videntur dici ex perſona Deboræ, quæ hoc Canticum ſcripſerit.

4. *Cùm egredereris Sehire*] Sunt qui velint hìc Moſis legiſlationem ſpectari, ſed nubes, quæ ſummum cacumen Sinaïs inſedit, cùm Lex data eſt, non poteſt dici è Sehire monte veniſſe. Itaque malim intelligere ſignum profectio-

terra tremefacta eſt, cœlum quoque deſtillavit, etiam nubes deſtillaverunt aquam
5. Montes è conſpectu Jehovæ diffluxerunt, *atque* hic quidem Sinais è conſpectu Jeho-
væ *aufugit*. 6. Tempore Samgaris, Hanathi filii, tempore Jahelæ, deſierant *frequentari*
viæ, & incedentes *antea* per ſemitas tortuoſas ingrediebantur calles. 7. Deſierant *ha-*
bitari villæ in Iſraële, deſierant, donec ego Debora exorta ſim, exorta ſim, *inquam*,
mater in Iſraële. 8. *Quando* elegit Deos novos, tunc bellum *ad* portas *fuit*. An cly-
peus,

fectionis datum ad fines Idumææ, quam circumiverunt Iſraëlitæ, cùm Idumæi tranſitum per agros ſuos iis negaſſent. Vide Num. XX, 21. & dicta à nobis ad Deut. XXXIII, 2.

Terra tremefacta eſt] In Hiſtoria quidem Moſaïca, nulla mentio fit terræ motûs, pluviæ, aut concuſſionis montium; cùm narrantur Iſraëlitæ, Idumæâ relictâ, circumiviſſe Lacum Aſphaltiten; poſſet tamen fieri, ut hæc contigiſſent, neque enim ſolæ ſunt circumſtantiæ, quæ in illa Hiſtoria ſuo loco omittantur. Quòd ſi hæc re ipsâ non contigerint, figuratam hanc eſſe orationem dicemus; quâ poëticè iter Iſraëlitarum, Deo antecedente in nube, per Arabiam, deſcribitur, ſtupente veluti & tremente Naturâ. Hæc autem commemorat Debora, ut innuat eumdem illum Deum, qui olim, Moſis temporibus, tot prodigia, ut Iſraëlitas intromitteret in Chananæam, fecerat, nunc per ipſam eos liberaſſe.

5. *Diffluxerunt*] נזלו nazelou. Veniente Deo, res omnium ſolidiſſimæ, ut montes, *diffluere* poëticè dicuntur. Vid. Pſ. XCVII, 5.

6. *Tempore Samgaris*] *Diebus Samgaris*. Qui licèt vir fortis, ut vidimus ad finem Cap. III. attamen non potuerat impedire ne Hebræorum agri vicinorum populorum latrociniis infeſti eſſent.

Tempore Jabelæ] Hæc habet Debora, ut ſe Jahelæ præferat, quæ tum demum opem tulit Iſraëli, cum tutò licuit.

Deſierant frequentari viæ] חדלו ארחות *bhadelou orohboth*, *deſierant viæ*, nempe, regiæ, frequentari, propter latrones qui in iis viatoribus inſidias ſtruebant. Hinc LXX. Intt. in Aldino Codice habent ἐξέλιπον βασιλικοὶ, pro quo perperam in Alexandrino Codice eſt βασιλεῖς. in Vaticano ὁδοὺς ſimpliciter, ut in Complutenſi.

Incedentes antea per ſemitas] Si per viam regiam iter facere non licet, ſaltem per ſemitas notiores licet; ſed ſi parum tutæ ſint ſemitæ, quòd eas etiam latrones obſideant, tum deveniendum ad invios calles & *tortuoſas vias*, quæ עקלקלות *hakalkalloth* vocantur ab Hebræis; ubi geminatio radicalium vias valde contortas ſignificat; quæ cùm ignotæ eſſent latronibus, tutiores erant Iſraëlitis.

7. *Deſierant habitari villæ*] פרזון *phrazon*, *deſierunt villæ*. Singularis pro plurali ut & v. 11. Alibi non occurrit, ſed פרזות *phrazoth*, in plurali, & פרזים *phrazim* invenire licet, eodem ſignificatu. Deducenda hæc ſunt nomina ab antiqua Radice פרז *pharaz*, quæ etiamnum apud Arabas ſignificat *ſeparavit*, *diſtinxit*; ex quo ſignificatu domus ſeparatæ dictæ ſunt פרזון *phrazon*, hoc eſt, villæ, quæ domibus ſeparatis conſtant, non conjunctis, ut in urbibus. Mirum eſt quàm æſtuarint Veteres, in hac voce vertenda. Habent LXX. Intt. In Romano Codice δυνατοὶ, in Complutenſi & in Aldino οἱ κατοικοῦντες, in Alexandrino ἐξέλιπεν φραζὼν, retentâ ipſâ voce Hebraïcâ. *Hieronymus* vertit, *fortes*, ſequutus LXX. Intt. ut ſæpe facit, in locis obſcuris. At Chaldæus rectiùs קרוי פצחיא *kirve phatshhaja*, oppida paganorum, hoc, eſt pagi ſine muris. Ejuſmodi pagi, propter frequentia latrocinia, habitari non potuerant, ſed in urbes clauſas ſe ſe contulerant ruſtici.

Mater in Iſraële] Ut viri, honoris causâ, dicuntur *patres* eorum quos liberarunt, aut quibus benefecerunt, qua de re diximus ad Geneſ. XLV, 8. ita & mulieres, ſi quid ſimile deſignarent, debuerunt dici *matres*. Poſt hanc victoriam de Jabine Chananæorum Rege, qui ſuos latrocinari patiebatur in agris Iſraëlitarum, omnia in iis tuta fuerunt, quia Iſraëlitæ metu tyranni liberati latrones mulctarunt.

8. *Quando elegit*] Aut eſt ſupplendum *quando*, ut ad ſequens adverbium *tunc* referatur; aut interrogativè vertendum: *Elegerâtne Deos novos? Tum verò bellum* &c. eodem ſenſu. Hic mirè intricati veteres Interpretes, quia Analogiæ Linguæ Hebraïcæ minùs periti. LXX. Intt. habent in Cod. Vaticano: ἐξελέξαντο θεοὺς καινοὺς, τότε ἐπολέμησαν πόλεις ἀρχόντων; in Alexandrino verò: ᾑρέτισαν θεοὺς κενοὺς, ὡς ἄρτον κρίθινον, τότε &c. Sic etiam legimus in Aldino. In Complutenſi ᾑρέτισαν θεοὺς καινοὺς, τότε &c. In duobus Codicibus κενοὺς eſt pro καινοὺς, nam חדשים *bhadaſchim*, quod eſt in Hebræo, ſine dubio novos ſignificat, & ejuſmodi menda in Codicibus Græcis paſſim occurrunt. Perabſurdè etiam אז לחם שערים *az labhem ſchebarim*, legerunt כלחם שעורים *ehlebhem ſcheborim*, *ut panis hordei*. *Hieronymus* hìc ſenſum finxit, quem non inveniebat. *Nova bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubvertit*. Hoc demum eſt ſubvertere quod non intelligitur, ut paſſim facit; unde ſatis liquet, quod in *Hieronymianis* Quæſtionibus diximus, ei nullam fuiſſe Grammaticam.

Tunc bellum ad portas fuit.] Primùm, vocem לחם *labhem* vertimus *bellum*, ut ſit nomen, aut infinitivus loco nominis, & idem ſignificet ac מלחמה *milbhamah*. Deinde ſupplevimus præpoſitionem על *hal*, ad. Senſus eſt apertus; Iſraëlitas, nempe, Idololatras bellum habuiſſe ad portas urbium ſuarum, quibus egredi non audebant, propter excurſiones hoſtiles. Particula על *hal*, hoc ſenſu intellecta omittitur 1. Sam. IV, 13. & Eſa. XVI, 2. Alii malint *oppugnator portarum*, ſeu urbium, *fuit*; quod non improbarim.

An clypeus, aut haſta &c.] Interrogatio eſt, quæ vim negandi obtinet. Vult Debora, cùm Iſraëlitæ haberent hoſtem ad portas, tam imparatos fuiſſe, ut nulla arma apud eos reperirentur; quòd, nempe, qui imperabant eos ſolerent exarmare, ut fecerunt & poſtea Philiſthæi. Vide 1. Sam. XIII, 19. & ſeqq.

9. *Animus meus adhæret*] *Cor meum*. Supplevimus *adhæret*, quod conjunctionem animi ſignificat.

Le-

peus, aut haſta cernebatur, apud quadraginta millia *virorum*, in Iſraële? 9. Animus meus *adhæret* Legiſlatoribus Iſraëlis; vos, qui ſponte obtuliſtis in populo, benedicite Jehovæ. 10. Qui vehimini aſinabus variis, qui ſedetis in tribunali, qui inceditis per vias, *rem* reputate. 11. Propter ſtrepitum collidentium ſeſe inter aquaria, prædicabunt illic juſta facta Jehovæ, juſta ejus facta *dicent* villæ ejus in Iſraële; tunc *enim* Jehovæ populus in urbes deſcendit. 12. Expergiſcere, expergiſcere, Debora, expergiſcere,

Legiſlatoribus] לחוקקי *lebhokeke*. De hac voce diximus ad Gen. XLIX, 10. Intelliguntur primores Judæorum, quales erant Judices ſingulorum oppidorum, quorum ſententiæ ratæ erant, & legum vim, in illis urbibus, obtinebant. Hinc *Hieronymus* rectè *principes*. Sed LXX. Intt. ἐπὶ τὰ διατεταγμένα τῷ Ἰσραήλ, quaſi eſſet לחקי *lebhukke*, præceptis. Sed ſequentia oſtendunt hîc de viris potiùs ſermonem eſſe.

Vos qui ſponte obtuliſtis] מתנדבים *mithnaddebim*. Propriam ſignificationem ſequuti ſumus, ut v. 2. LXX. Intt. in Vaticano Codice rectè habent ἑκουσιαζόμενοι ἐν λαῷ, malè in aliis δυνάσται τοῦ λαοῦ. Hieronymus: *quia propriâ voluntate obtuliſtis vos diſcrimini*. At de diſcrimine hîc nihil. Itaque malim intelligere de ſacris ſponte factis, à primoribus Iſraëlis.

10. *Qui vehimini aſinabus variis*] צחרות *tſebhoroth*, quæ vox, ubi de aſinis præſertim ſermo eſt, variegatas colore albo & rubro, aut coloribus his ſimilibus ſignificat, ut ex Arabibus oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Lib. II. c. 12. P. 1. At veteres Interpretes miſcuerunt צהר, & Græci quidem in Cod. Vaticano verterunt μεσημβρίας *meridie*, quia צהרים *tſoborajim* eſt *meridies*; quaſi ſermo eſſet de aſinabus ex meridiana regione comparatis, quales erant Arabia & Æthiopia. In Alexandrino ἐπὶ λαμπηνῶν, quod cum μεσημβρίας conjungit Aldinus Codex. Recte conjecit *Bonfrerius* ſcriptum fuiſſe ἐπὶ λαμπρῶν, hoc eſt, *nitentium*, ut habet *Hieronymus*. Solebant autem etiam honorati homines, apud Hebræos, aſinis vehi. Vide infra Cap. X, 4. XII, 14.

In tribunali] על מדין *hal middin*. LXX. ἐπὶ κριτηρίου, & *Hieronymus*, *in judicio*. Eſt, nempe, à radice דין *donn*, judicare; nec ulla ſignificatio commodior hîc occurrit, quàm tribunalis. *Chaldæus* qui ſomniat hîc Deboram alloqui Rabbinos, בבתי כנישתא *in domibus congregationis*, hoc eſt, *ſynagogæ*. Igitur מדין nomen eſt ſubſtantivum, quod fortè *midian* legendum; certè τὸ *Dageſch*, quod litteræ ד additur, ejiciendum. Hinc formarum videri queat מדינים *midjanim*, quod aliquoties occurrit in plurali, & creditur vulgò eſſe pro מדונים *madonim*.

Inceditis per vias] Quicumque iter facitis; quia vias latrociniis liberavit victoria Deboræ. Itaque poſtquàm primores alloquuta eſt, ad quoſvis etiam alios, fructuum victoriæ participes, ſe convertit.

Rem reputate] שיחו *ſchibbou*, de quo verbo diximus ad Gen. XXIV, 63. Vult Debora & primores Iſraëlitarum & quoſvis alios probè penſitare beneficium, quo à Deo affecti fuerant, victo Siſerâ. LXX. Intt. habent φθέγξασθε, in Alexand. & aliis Codd. in Vaticano ἐξηγεῖσθε & invitâ analogiâ, conjungunt eum ſequentibus. Vulg. *loquimini*.

11. *Propter ſtrepitum collidentium ſe ſe*] מקול מחצצים *mikkol mebhatſetſim*. *Vox* קול ſumitur, pro quovis *ſonitu*, ac *ſtrepitu*. Verbum verò חצץ *hhatſats* hîc ſignificat colliſionem hominum & pecudum ad aquaria concurrentium; unde LXX. verterunt ἀνακρουομένων Vulg. *colliſos*, quamvis ſenſum totius loci minimè ſint adſequuti. Sic Prov. XXX, 27. negatur eſſe rex locuſtis qui eas regat, attamen dicuntur exire *omnes confertæ* חצץ כלו, tam confertæ, ut ſe ſe collidant, nec temerè ſpargantur. Senſus hîc eſt, propter pacem & ſecuritatem Reipublicæ, eos, qui ſeorſim adaquabant antea greges, & ſine ſtrepitu, ne à latronibus deprehenderentur, jam unà magno ſtrepitu ituros ad aquaria publica, tantóque numero futuros, ut ſe invicem collidant; unde occaſionem homines religioſi inter Iſraëlitas arrepturi eſſent laudandi Dei, qui juſtas pœnas de hoſtibus Iſraëlitarum ſumſiſſet.

Inter aquaria] בין משאבים *ben maſchabim*. Certum eſt hanc vocem derivandam à שאב *ſchaab*, hauſit, adeóque locum aut vas, in quod aqua hauritur, ſignificare. Hinc LXX. in Cod. Vaticano, habent ἀναμέσον ὑδρευομένων, nam εὐφραινομένων, quod eſt in aliis Codicibus, mendum eſſe videtur. Ex hac autem voce totius loci ſententia pendet, nec video quid poſſit eſſe *inter aquaria*, præter greges?

Prædicabunt illic] יתנו *jethannou*, quod ex Chaldæorum uſu eſt *docebunt*, *narrabunt*, *prædicabunt*. Hinc habet *Hieronymus*, *narrentur*, at LXX. δώσουσι *dabunt*, ex altera radicis ſignificatione. Rectè obſervavit *Lud. de Dieu* radicem תני apud Arabas eſſe *celebrare*, *laudare*, eique ſignificationi hîc locum eſſe; quod & à *Lud. Cappello* animadverſum.

Juſta facta Jehovæ] *Juſtitias*.

Villæ ejus] פרזונו *phirzono*, hoc eſt, *villa ejus*; nimirum, Dei, cui peculiariter conſecrata erat Palæſtina. Cur autem villæ dicantur hîc prædicaturæ juſta Dei facta liquet ex v. 7. Nam cùm antea eſſent deſertæ, propter Chananæorum latrocinia, mox erant incolendæ ab Iſraëlitis Deum, ob juſta ſupplicia, quæ de Chananæis ſumſerat, laudaturis.

In urbes deſcendet] *In portas deſcenderunt*. Futuri locum obtinet hîc præteritum, & *portæ* ſunt urbes, more ſollemni. Dum latrociniis Chananæorum obnoxii fuerant Iſraëlitæ, multas urbes non ſatis munitas deſeruerant, aut in rupes etiam invias confugerant; at nunc, iis victis, oppida ſua repetituri erant, villáſque vicinas iterum habitaturi. Vide Cap. VI, 2. & 1. Sam. XIII, 6. Hic videtur eſſe commodiſſimus hujus loci ſenſus, rei certè & verbis eſt conſentaneus, nec opus eſt ut varietates ſententiarum minùs veriſimilium referamus. In verſione LXX Intt. miræ hic ſunt tenebræ: ἀπὸ φωνῆς ἀνακρουομένων, ἀνὰ μέσον ὑδρευομένων, ἐκεῖ δώσουσι δικαιοσύνας, κύριε δικαιοσύνας αὔξησον ἐν Ἰσραήλ, τότε κατέβη εἰς τὰς πόλεις λαὸς κυρίου. Sic habent in

giſcere, expergiſcere, dic canticum; ſurge *& tu*, Barake, atque adducito captivos tuos, Abinohami fili. 13. Nunc dominabitur populus, qui evaſit, illuſtribus *viris*; Jehova dominabitur mihi, per fortes viros. 14. Ex Ephraimo ſtirps eorum eſt, *bellum gerent* cum Hamalekitis, poſt te; *erunt*, ô Benjamin, inter populares tuos; è Machire deſcendent Legiſlatores, atque è Zabulone ſtylo ſcribæ exarantes. 15. Principes mei in Iſſaſchare, cum Debora. Ut Iſſaſchar, ſic & Barakus in vallem eum ſequutus de-

in Codice Vaticano, unde liquet eos non aliter legiſſe quàm nos, ſi excipias vocem פרזונו *phirzono*, pro qua habent αὔξησις, quaſi legiſſent פרה *phreh*, aut ſimile quidpiam. Sed magis recedit à nobis, hodiernáque lectione Codicis Hebræi, quod in Alexandrino habetur: Φωνὴ ἀνακρουομένων, ἀναμέσον εὐφραινομένων. ἐκεῖ δώσουσι δικαιοσύνας κυρίῳ. δικαιοσύνας ἐνίσχυσαν ἐν τῷ Ἰσραήλ. τότε κατέβη εἰς τὰς πόλεις αὐτοῦ ὁ λαός. Sic quoque habent Aldina & Complutenſis. Suſpicor neſcio quid mendi in voce ἐνίσχυσαν latere. Sed mirum quantâ audaciâ uſus ſit *Hieronymus*, cùm nec Hebraïca, nec Græca ſatis adſequeretur: *ubi colliſi ſunt currus & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus, ibi narrentur juſtitiæ Domini & clementia in fortes Iſraël. Nunc deſcendit populus Domini ad portus & obtinuit principatum.* Si periiſſet verſio LXX. Intt. ex hac tranſlatione ſuſpicaremur multò aliter habuiſſe olim Codices Hebræos, quàm nunc habent; unde colligere eſt varias lectiones cautè eſſe ex ejuſmodi verſionibus hauriendas.

12. *Adducito captivos tuos*] *Captivam fac captivitatem tuam.* Ut excitat ſemet ipſa ad canendum Deo canticum, quo victoriæ impetratæ beneficium laudaretur: ita etiam jubet Barakum oſtentare captivos ſuos, ut Iſraëlitas doceat eſſe cur gratias Deo agerent.

13. *Nunc dominabitur*] Particulam אז *az* vertimus *nunc*, pro ambiguitate ſolita ejuſmodi particularum, propter ſeriem orationis. Loquitur enim Debora non de tempore, quod poſſit particulâ *tunc* ſignari, quæ nihil habet quò referatur, ſed de tempore præſenti; ita ut dicat à ſuo ipſius tempore Iſraëlitas, qui evaſerant è latrociniis Chananæorum, imperaturos iis populis.

Dominabitur &c.] *Dominabitur qui evaſit illuſtribus populus*, quod poſſit etiam verti: *qui evaſit dominabitur*, & *populus* quidem *illuſtribus viris*. Sed ſenſus idem eſt.

Jehova dominabitur mihi] Hoc eſt, Iſraëlitis, quorum perſonam veluti induit Debora.

Per fortes viros] Quos ſubinde excitabat, ut jus dicerent Iſraëli, exercitibúſque ejus præeſſent. Ex hoc obſcuro loco, ſe ſe expedire non potuerunt LXX. Intt. qui habent in Codice Alexandrino: τότε ἐμεγαλύνθη ἡ ἰσχὺς αὐτοῦ. κύριε ταπείνωσόν μοι τοὺς ἰσχυροτέρους μου. Sic etiam Aldinus, niſi quod eſt τότε ἐμεγαλύνθη. Quo modo hæc poſſint exſculpi ex Hebraïcis verbis non intelligo. Paullò propiùs ad ea accedit lectio Vaticani Codicis: τότε κατέβη (legerunt ירד *jurad*) κατάλειμμα τοῖς ἰσχυροῖς. λαὸς κυρίου κατέβη αὐτῷ ἐν τοῖς κραταιοῖς ἐξ ἐμοῦ. Verùm nemo in Hebraïcis invenerit, quod habet Vulgatus: *Salvatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.*

14. *Ex Ephraimo ſtirps eorum eſt*] *Radix eorum eſt.* שרש *ſchoreſch*, ubi de hominibus ſermo eſt, proſapiæ ſtirpem ſignificat, ut Eſai. XI, 1, 10. Itaque hoc videtur velle Debora, fortium illorum virorum, quorum antea meminit, non neminem ortum ductūrum ex Ephraimi genere. Sunt enim hæc vaticinium de ſequentibus aliquot Judicibus. Videtur autem hic indicari Gedehon, qui oriundus erat ex Manaſſe, fratre Ephraimi, Joſephi filii; unde fit ut *radix Ephraimi* hîc ſignificet *radicem Manaſſæ*, hoc eſt, ejus ſtirpem, ſeu Joſephum. Fateor hoc loquendi genus in narratione hiſtorica durum videri poſſe, ſed in ſtylo dithyrambico, ut ſic loquar, Canticorum ferri poteſt. Ceterùm hîc & in ſequentibus, meminit tantùm Debora earum Tribuum, quarum agri vicini erant locis, in quibus hoc bellum geſtum & confectum eſt.

Bellum gerent cum Hamalekitis] Duo priora verba ſupplevimus, cùm nullus hic alioquin eſſet ſenſus; iiſque ſuppletis veritas prædictionis conſtaret, ut liquet ex Cap. VI, 33. VII, 12. ubi Gedehon bellum cum Hamalekitis geſſiſſe dicitur. LXX. Intt. habent in Codice Vaticano: Ἐφραὶμ ἐξερρίζωσεν αὐτοὺς ἐν τῷ Ἀμαλήκ, ὀπίσω σου: in Alexandrino & Aldino: Ἐφραὶμ ἐτιμωρήσατο αὐτοὺς ἐν κοιλάδι ἀδελφοῦ σου. In Complutenſi eſt ἀδελφούς σου. Pro בעמלק אחריך, legerunt בעמק אחיך *bebemek achbichu*, in valle fratris tui. Vulgatus: *Ex Ephraim delevit eos in Hamalek.* Vereor ne & antiqui Interpretes & recentiores hîc ex mendoſis Codicibus fruſtra ſenſum exſculpere conemur. Ita ſententiam, quæ mihi commodiſſima viſa eſt, profero, ut paratus ſim aliam ſequi, ſi cui commodior occurrat.

Erunt, *ô Benjamin* &c.] Populares Benjaminis dici poſſunt quivis poſteri Joſephi, quia Joſephus & Benjamin fratres fuerant ex eadem matre. Sic Gedehon Manaſſita poſſit numerari inter populares Benjaminitarum. Præterea re ipsâ habitavit in agris Benjaminitarum Ophræ, ut liquet ex Cap. VI, 11. ubi vide notata. Alioqui nemo ex tribu Benjaminis judex fuit Iſraëlis, ante Saülem, qui primus Rex dictus eſt; ad quem hæc referri vix poſſe videntur.

E Machire deſcendent legiſlatores] Reſpiciuntur, ut videtur, Jaïr & Jephtha Galahaditæ, de quibus Cap. X & XI. Pro מחקקים *mhhokekim* legerunt LXX. מחקרים *mhhakerim*, verterunt enim ἐξερευνῶντες, inveſtigantes, ſed quo ſenſu non intelligo. Meliùs Vulgatus *principes*.

E Zabulone] Talis fuit *Ajalon* Zabulonita, de quo Cap. XII, 11, 12.

Stylo ſcribæ exarantes] *Trahentes*, aut facientes oblongos ſcripturæ ductus. Eſt circumloquutio Judicis, qui edictis propoſitis populum regit & monet. Notum eſt ספר *ſopher*, ſeu *ſcribum* dici in Scriptura virum legum peritum; quales oportebat eſſe Judices, aut certè eorum Adſeſſores. LXX. Intt. habent hîc in Codice Vaticano: ἕλκοντες ἐν ῥάβδῳ διηγήσεως γραμματέως, in Alexandrino ἐν σκήπτρῳ ἐνισχύοντες ἡγήσεως, &

ſic

demiſit ſe. In partibus Rubenis magni viri *ſunt*, ad decreta animi quod attinet. 16. Cur ſediſti inter repagula, ad audiendos ſibilos gregum? In partibus Rubenis, magni viri ſunt, ſcrutationibus cordis. 17. Galahaditæ trans Jordanem incolunt, *ut* & Danitæ; cur habitat ad naves Aſer, *cur* conſedit ad portus marium, & in præruptis ſuis rupibus ſedet? 18. Zabulon populus *fuit*, qui contemſit vitam ſuam, ut moreretur; Nephthalis verò in editis locis *ſe tenuit*. 19. Venerunt Reges *&* pugnarunt; tunc pugnarunt Re-

ſic ferè in Aldino, niſi quòd in hoc additur *γεμμιζτίων*. Hinc videre licet eos locum hunc non aliter legiſſe, quàm nos, ſed non meliùs intellexiſſe. Audacter Vulgatus: *qui exercitum ducerent ad bellandum.*

15. *Principes mei*] Aut *duces mei*. Inducitur Iſraëlita loquens, qui redit ad Barakum.

In Iſſaſchare] Quia Barakus cum Debora, ex agro Benjaminis, ubi jus illa dicebat, ivit ad montem Thaborem per Iſſaſcharitarum fines, ad quos erat ille mons, multique ex ea Tribu ſe ſe ei adjnnxerunt.

Ut Iſſaſchar] Supplevimus *Ut*, ob ſeqnens כן *chen*, ſic. Senſus eſt & Iſſaſcharem & Barakum è monte Thabore in ſubjectam vallem deſcendiſſe, ut cum Siſera pugnarent. Pro *Iſſaſchar* habent LXX. *Barak.*

Eum ſequutus] Vel, *unà cum eo*, ברגלין *braglau*. Copiæ ſequuntur ducem, quando præit; dux eas ſequitur, quas præmittit & quarum premit veſtigia. LXX. Intt. in Cod. Vaticano & Alexandrino, ad verbum, ita ut intelligas eos nullum hìc ſenſum vidiſſe: *ἐν κοιλάσιν ἀπέστειλεν ἐν ποσὶν αὐτοῦ.* In Aldino & Complnt. *ἐν τῇ κοιλάδι ἐξαπέστειλε πεζοὺς αὐτοῦ εἰς τὴν κοιλάδα.* Audaciùs *Hieronymus* habet: *qui quaſi in præceps ac barathrum ſe diſcrimini dedit.* Attamen minimè rara eſt vox ברגלין *braglau*, cujus exempla congeſſit *Chr. Noldius.*

In partibus Rubenis] בפלגות *bipblagoth*, in diviſionibus; qnod qnid ſibi velit non adſequor, ut nec ſequentia. Videtur aliqua lans Rubenitarum hìc contineri, ſed qualis ſit, & qnem in finem inſerta non intelligo. LXX. Intt. in Cod. Vaticano & Alexandrino habent: *εἰς τὰς μερίδας Ῥουβὴν, μεγάλοι ἐξικνούμενοι καρδίαν*, in Aldino & Complntenſi: *ἀκριβασμοὶ καρδίας.* Unde intelligas eos pro חקקי *bbikeke*, legiſſe חקרי *bbokere*, inveſtigantes. Senſus æquè obſcurus. At Vulgatus ex conjectura, ſed, nt ſolet, conculcatâ omni Analogiâ Grammaticâ, *diviſo contra ſe Ruben magnanimorum reperta eſt contentio.*

16. *Sediſti inter repagula*] Hoc ipſnm dicitur de Iſſaſchare Gen. XLIX, 14. ubi vide notata. Volunt hìc exprobrari Rubenitis, quòd maluerint in ſtabulis ſuis morari, quàm periculorum belli participes fieri. Verùm hæc obſcura ſunt.

Sibilos gregum] Hoc eſt, omnis generis vocum & ſtridorum, emiſſorum à gregibus variorum generum.

Scrutationibus cordis] Hic eſt חקרי *bbikre*, qnomodo legerunt in ſuperioribus LXX. Intt. Videri poſſit aut hoc tantùm, aut utrobique חקקי *bbikeke* legendnm; ſed quis utrum melins ſit doceat? LXX. Intt. in Codd. Vaticano & Alexandrino habent: *εἰς τί ἐκάθισας ἀναμέσον τῆς διγομίας τοῦ ἀκοῦσαι συρισμοὺς ἀγέλων*, in Aldino verò & Complutenſi: *Ἵνα τί μοι κάθησαι (aut κάθηται) ἀναμέσον τῶν μοσφαθαὶμ τοῦ εἰσακούειν συρισμοὺς ἐξεγειρόντων*; quaſi pro עדרים *hadarim* legiſſent עירים *birim*, quod *vigiles* & *Angelos* ſignificat. Satis liquet hìc, ut alibi paſſim, in Codicibns nſque adeò diſcrepantibus, non unam proferri LXX. Intt. lectionem, ſed confundi cum ea neſcio quam emendationem, ex alia verſione Græca deſumtam. Sed quænam ſit verè LXX. Intt. quis dixerit? Interea ex hac ipſa varietate conſtat olim eamdem fermè lectionem fuiſſe in Codicibus Hebraïcis, quæ eſt etiamnum hodie. Sed cavendum, ne cum *Nobilio ἀγέλων*, mntemns in *ἀγγέλων*, quamvis hoc reſpondeat Hebraïcæ voci; nam, ut oſtendimus, legerunt LXX. Intt. non עדרים hadarim, *greges*, ſed עירים hirim, *vigiles*, quamvis vitiosè. Sic interdum quæ primâ fronte veriſimilis eſt emendatio, ſi introſpiciatur, mera eſt depravatio. In id peccatum incidit hìc, poſt *Fl. Nobilium*, *Lud. Cappellus*, in not. Criticis.

17. *Galahaditæ*] *Galahad.*

Ut & Danitæ] *Et Dan.* Ea, nempe, Danirum pars, quæ urbem condiderat, inter duos fluvios qui Jordanem conficiunt, de qua infra Cap. XVIII, 27.

Cur habitat ad naves Aſer?] Quamvis me fugiat ratio, cur hæc dicantur hìc à Debora; attamen mihi conſtat, ſic eſſe interpungendum, nt feci, licèt inverſo ordine ſit in Hebraïco Codice: למה יגור אניות אשר, qnia conſtat Aſeris agros fuiſſe ad mare, vicinóſque Tyriis & Sidoniis. Hoc ipſum tamen dicitur de Zabulone Geneſ. XLIX, 13. quod meliùs in Aſerem quadrat. LXX. Intt. retulerunt ad Danem, *καὶ Δὰν εἰς τί παροικεῖ πλοίοις*, & Vulgatus *Dan vacabat navibus.* At de Dane hoc dici nequit, cùm regionem omnem maritimam ad occaſnm ejus Tribûs tenerent Philiſthæi; qui nunquam navigatione floruerunt, quemadmodum Tyrii & Sidonii.

In præruptis ſuis rupibus] מפרציו *miphratſau*, qnod eſt à פרץ *pharats*, *rupit.* Montes autèm qui erant in agris Aſeritarum, quos video doctis viris fuiſſe ignotos, ſunt à meridianis finibus *Charmelus*, à borealibus *Scala Tyriorum.* LXX. Intt. in Cod. Vaticano interpretantur *διεξόδους*, in aliis *διακοπάς*; Hieronymus, *portus.*

18. *Zabulon populus* &c.] In hoc ipſo bello, ad cujus celebrationem hoc factum eſt Canticum. Vide C. IV, 10.

In editis locis] על מרומי שדה *ſupra altitudines agri.* Videntur hæc ſignificare aut Nephthalitas non ita adjuviſſe Barakum, ut Zabulonitæ fecerant, ſed remanſiſſe in ſuis rupibus, quibus Galilæa ſuperior plena eſt; aut eos in editis locis fortiter pugnaſſe. Sed priùs malim. Vulgatus inverſis verbis: *Zabulon verò & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome.* Notæ ſunt in Nephthalitico tractu *aquæ Merom*, ſed מרומי שדה *mrome ſchadeh* verti nequit *regio Merome.* LXX. rectè *ὕψη ἀγροῦ.*

19. *Venerunt Reges*] Aut ſolus Jabin *κατ' ἐναλλαγὴν* numeri, quæ frequentiſſima eſt, intelligitur, aut ſunt ei adjungendi vicini reguli, qui ei ſuppetias tulerint.

Tha-

Reges Chananæorum Thahanachi, ad aquas Megiddonis, cupiditate pecuniæ, *quam* non ceperunt. 20. E cœlo pugnaverunt ſtellæ, ex orbitis ſuis cum Siſera prælium commiſerunt. 21. Torrens Kiſon devolvit eos, torrens Kedumim, & torrens Kiſon. Conculcabit anima mea robur. 22. Tunc contuſi ſunt calcanei equorum, propter crebras curſitationes fortium ejus virorum. 23. Maledicite Merozo, ait Angelus Jehovæ, maledicite, *inquam*, incolis ejus; quia non venerunt, ut auxilium ferrent Jehovæ, ut auxilium ferrent Jehovæ, pet fortes *ſuos viros.* 24. Benedicetur, præ *ceteris* mulieribus,

Thahanachi] Urbs fuit dimidiæ Tribûs *Manaſſæ*, ad torrentem Kiſonem, nec multùm à Thabore monte remota, ad cujus radices videtur commiſſum prælium. Vide Joſ. XVII, 11. Potuit exercitus Chananæorum Thahanachum uſque porrigi.

Ad aquas Megiddonis] Thahanacho vicinum fuit oppidum, nec remotum à Kiſone torrente & circa quod ſtagna quædam fuiſſe hinc intelligimus. Ceterùm ex hiſce verbis nimis ſubtiliter argutari, de ratione & loco prælii, nolumus. Satis eſt, ſi non procul ab his locis ſit commiſſum.

Cupiditate pecuniæ] בצע כסף *betſah cheſeph*, ſubaudiendum מ ita ut בצע ſit pro מבצע *mibbetſah*. Subauditur etiam Eſaïæ VII, 25. LXX Intt. minùs commodè in Vatic. Codice, δῶρον ἀργυρίου, nam בצע *betſah* non eſt donum, ſed potiùs πλεονεξία, ut habetur in aliis Codicibus.

20. *E cœlo pugnaverunt ſtellæ*] Sic verba conjungimus, nullâ ratione habitâ accentûs *Athnach*, qui eſt in voce נלחמו, quaſi in ea deſineret hemiſtichium prius, & vox כוכבים *ſtellæ* poſterius inchoaret. Vel tertia vox Cap. I. Geneſeos oſtendit nullam eſſe ejus accentûs rationem habendam, niſi cum ſenſu conſentiat, ſed conſtructionem tantùm ſequendam. *Stellæ* autem poëticè pugnaſſe dicuntur, quòd è cœlo Deus Iſraëlitis auxilium miſerit Angelorum, qui conturbarunt Chananæos. Vult *Joſephus* factum hoc ope procellæ, quam ſic deſcribit. Ant. Jud. Lib. V. c. 6. Προσμιγέντων αὐτῶν, ὄμβρος ἐπιγίνεται μέγας, καὶ ὕδωρ πολὺ, καὶ χάλαζα. τὸν ὑετὸν τε κατὰ πρόσωπον ἤλαυνε τῶν Χαναναίων ἄνεμος ταῖς ὄψεσιν αὐτῶν ἐπισκοτῶν, ὡς τὰς τοξείας ἀχρήστους αὐτοῖς εἶναι καὶ τὰς σφενδόνας. οἵ τε ὁπλῖται διὰ τὸ κρύος χρῆσθαι τοῖς ξίφεσιν οὐκ εἶχον. τοὺς δ' Ἰσραηλίτας ἧττόν τε ἔβλαπτε κατόπιν γινόμενος ὁ χειμών, καὶ πρὸς τὴν ἔννοιαν τῆς βοηθείας τοῦ θεοῦ θάρσος ἐλάμβανον: *cùm illi ad manus veniſſent, oritur ingens imber, aquáque multa & grando. Pluviam in os Chananæorum impellebat ventus caliginem objiciens eorum oculis, ita ut arcus & fundæ inutiles iis fierent. Etiam gravis armaturæ milites, propter frigus, uti gladiis non poterant. Iſraëlitas verò minùs à tergo lædebat procella, cùmque intelligerent auxilium divinum, audaciam ſumebant.* Sed ſunt hæc commenta hominis Judæi, ſine verecundia, Sacræ Hiſtoriæ quidquid videbatur adſuentis. Alioqui ſi verum hoc eſſet, de Barako dici poſſet, quod *Claudianus* de Theodoſio:

O nimiùm dilecto Deo, cui militat æther
Et conjurati veniunt ad claſſica venti!

Sed fabulas vero miſcere nefas videtur, útque poſſit dici *cœlum pugnaſſe* contra Chananæos, ſatis eſt Angelos occultè metum ac terrorem, qui Græcis Panicus dicitur, Chananæis immiſiſſe.

Ex orbitis ſuis cum Siſera &c.] ממסלותם *mimmeſillotham*, ex viis aggeſtis. *Orbitas*, aſtronomicâ voce, vertimus. Poëtica hæc ſunt, quæ ornamenti tantùm gratiâ adduntur, non ut quidquam novi exprimatur.

21. *Devolvit eos*] Eorum cadavera. Radix גרף, *garaph* apud Syros eſt *trahere*, è loco *extrahere*. Hinc LXX. Intt. ἐξέσυρεν, & Vulg. *traxit*.

Torrens Kedumim] קדומים. LXX. Interpretes, in Vaticano Codice, habent χειμάῤῥους ἀρχαίων, in Alexandrino Καδησείμ pro Καδημείμ, in Complutenſi Καδημὶμ, in Aldino Καδημεῖν. Non proferam incertas conjecturas, ſed planè videtur eſſe nomen proprinm torrentis Kiſoni vicini; nam eumdem qui volunt, ii loquntionem Hiſtorici Sacri non ſatis expenderunt. Quis dicat de uno eodémque torrente, *torrens Kiſon devolvit eos, torrens Kadumim, torrens Kiſon?* Si torrens nnus fuiſſet dnplicis nominis, hoc in cantico non indicaſſet Debora; ſed Scriba quiſpiam poſtea, exſcribendo hunc locum, margini addidiſſet, ant κατὰ παρένθεσιν textui inſeruiſſet הוא קישון *hou Kiſon*, ille eſt Kiſon. Quales nominum explicationes alibi etiam exſtant. Vide Gen. XXIII, 2.

Conculcabit, &c.] Hoc eſt, ego Deo fretus copias omnes hoſtiles ſpernam.

22. *Propter crebras curſitationes*] מדהרות דהרות. *middaharoth*, *daharoth*. Repetitio ſignificat, pro conſuetudine Linguæ Hebraïcæ, frequentiam ejuſmodi motuum, qui à viris doctis creduntur eſſe peculiares equis, ut oſtendit *Sam. Bocharus* Hierozoïci Part. I. Lib. 2. c. VI. Vide Neh. III, 2.

Fortium ejus virorum] אביריו *abbiran*, hoc eſt, fortium virorum in Jabinis exercitu merentinm, qni curribus illis vehebantur, cruribúſque equorum quaſi ſuis utebantur. Planiùs & faciliùs hoc videtur dici poſſe, quàm ſi אביריו *abbiran*, cum *Bocharto*, eqnos ejns, interpretemur.

23. *Maledicite Merozo*] Satis conſtat ex LXX Intt. ſic olim lectnm fuiſſe hunc locum, habet enim Vaticanns Codex Μηρὼζ, ut & Vulg. nec in aliis eſt Μαζωρ, niſi mendosè. Attamen anxiè quærunt Interpretes, quid hac voce ſignificetur, nec ſatis ſe ſe expediunt. Plerique urbem eſſe volunt, aut terræ tractum, quam ſententiam veram eſſe oſtendit mentio incolarum. Sanè ſi credimus *Hieronymo* & *Euſebio*, nominis hujus veſtigium fuit eorum temporibns, in appellatione pagi Palæſtinæ. Μεῤῥὰν ἐπὶ τὸ ὕδωρ, ἔνθα παρέβαλον εἰς πόλεμον. Ἔστι νῦν κώμη Μέῤῥος, Σεβάστης ἀπέχουσα σημείοις ιβ'. πλησίον Δωθαείμ. *Merrom, aquæ, ad quas, exercitu præparato, caſtra ſunt poſita. Eſt autem nunc vicus Merrus nomine, in duodecimo milliario urbis Sebaſtæ, juxta Dothaim.* Legendum in *Euſebio*, ſi *Hieronymo* credimus, κώμη Μέῤῥων. Situi cum hac hiſtoria convenit, urbem enim, quæ vicina fuit Dothaimis, non remotam fuiſſe neceſſe eſt

bus, Jahelæ uxori Cheberi Kenæi; præ mulieribus in tabernaculis *degentibus*, *ei* benedi-
cetur. 25. Aquam *Siſera* petiit, lac *ei Jahela* dedit; in calice illuſtrium virorum ob-
tulit ei ſerum. 26. Manu *ſiniſtrâ* paxillum, dextrâ malleum opificum arripuit, percuſ-
ſit Siſeram, transfodit caput ejus, transfixit, tranſverberavitque ejus tempora. 27. Inter
pedes ejus pronus cecidit, jacuit; inter pedes ejus pronus cecidit, & cùm pronus ce-
cidiſſet, ibi jacuit *vitâ* ſpoliatus. 28. Per feneſtram proſpexit, & exclamavit mater
Siſeræ, per cancellos; cur ejus currum pudet venire? cur morantur inceſſus curruum
ejus?

eſt à monte Thabore, ad quem commiſſum eſt prælium cum Siſera. Credibile non eſt Deboram diris devoturam fuiſſe remotiorem urbem, cùm ne de remotis quidem Tribubus quidquam dicat. Mirum tamen eſt hujuſce loci מרוז *Meroz* nullam uſquam alibi fieri mentionem in Scriptura; quare, ſi quis Veterum faveret, non illibenter legerem מרום *merom*, à quo nomine dictæ *Aquæ Merom*. Certè tractûs illius incolæ vicini erant Thabori, ſed ob viciniam Jabinis, eorum cervicibus imminentis, non potuerant facilè auxilium reliquis Iſraëlitis ferre; aut præ puſillanimitate, auſi non fuerant.

Ait Angelus Jehovæ] Qui Deboram alloquutus erat, quamvis hoc in hiſtoria ipſa reticeatur, in qua omiſſa ſæpe ex aliis locis ſupplentur.

Maledicite, inquam] ארו ארור *orou aror*, maledicite maledicendo.

Ut auxilium ferrent Jehovæ] Hoc eſt, exercitui populi, qui Jehovam colebat, déque nomine ejus vocabatur *populus Jehovæ*.

24. *Benedicetur Jahelæ*] Plerique putant hiſce verbis Prophetidis probari factum Jahelæ, ac proinde meritò laudandum. Sed poſſet fieri ut Prophetis hîc dumtaxat prædiceret quo animo futuri eſſent Iſraelitæ, erga eam mulierem, cui felicia omnia precaturi erant, quia ejus operâ (quamquam fortè cum fraude conjuncta) à periculoſo hoſte liberati erant. Cùm enim ab hoſte, quem vehementer timemus, & à quo mala multa paſſi ſumus, liberamur, quocumque modo factum hoc fuerit; bene volumus illis quorum operâ è medio ſublatus eſt, nec ad ſeveræ nimis virtutis normam eorum facinus exigimus, propter fructum quem ex eo capimus. Certè cùm Chebero, Jahelæ viro, pax eſſet cum Jabine, ut docemur Cap. IV, 17. cúmque invitaſſet Jahela Siſeram in tentorium, fide datâ, cui ille crediderat, vix intelligo quî mulieris perfidia poſſit excuſari.

Si quis tamen factum ejus defendi malit, quàm damnari; oportebit nos ad intolerandam tyrannidem & perfidiam Jabinis, ejúſque miniſtrorum confugere; ita ut homines qui fidem omnibus fallebant, nec humanæ ſocietatis ulla jura ſervabant, indigni eſſent quibuſcum aliter ageretur, ac proinde etiam dolis quibuſvis opprimi poſſent. Nihil enim habent quod querantur, qui humani, divinique juris nullam erga alios rationem habuerunt; ſi ab hoſtibus, aut ab iis, quos vi opprimunt, ſimilia aliquando patiantur. Quo jure ſibi fidem datam, aut etiam metu extortam ſervari volunt, cùm ipſi ex utilitate præſenti de ea judicent, ſervéntque, aut frangant, prout commodum videtur? Quando res ad extrema devenit, ita ut cum hominibus, quaſi cum feris, ſit pugnandum; fraudes, aliàs ab omnibus damnandæ, poſſunt aliquo modo excuſari. Hæc autem an conveniant Jabini ejúſque miniſtris dicere poſſemus, ſi pleniorem ejus hiſtoriam haberemus; quæ quia deeſt, rem in medio relinquimus.

In tabernaculis] *In tentorio*. Vult Debora, Iſraëlitas nemini Scenitarum tam fauſta adprecaturos. Cùm Cheberus non eſſet Iſraëlita, agrum ab iis accipere non poterat, nec in urbibus eorum habitabat; ſed per loca inculta tendebat, ut ſolent etiamnum Arabes Scenitæ, útque fecerant olim Abrahamus, Iſaacus & Jacobus.

25. *In calice illuſtrium*] בספל אדירים *bſemel addirim*. Ex uſu ipſo liquet ספל *ſemel* calicis, aut crateris genus fuiſſe. Hîc autem dicitur *illuſtrium*, quòd Jahela potum duci exercitûs præbitura uſa fuerit calice quopiam pretioſo, & in quo bibere illuſtres demum viri à Chebero excepti, ſi quando eum viſerent, ſolebant. Talis ea patera, de qua *Virgilius* Æneid. I, 732.

Hic Regina gravem gemmis, auróque popoſcit,
Implevitque mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo ſoliti.

Serum] חמאה *hhemah*. Serum, ſeu *lac* meliùs vertas, quàm *butyrum*, ut habent Græci & Latinus Interpretes, nam butyrum non bibitur.

26. *Manu ſiniſtrâ paxillum*] *Manus ejus ad paxillum miſerunt ſe & dextram ad malleum.* Nam eſt תשלחנה thiſchlahhna, *miſerunt ſe*, ſed cum ſermo ſit de ſola ſiniſtra, legendum rectè vidit *Lud. de Dieu*, תִּשְׁלָחֶנָּה *miſit eam*, pleonaſmo ſolito ſubfixi. Sic LXX Intt. *χεῖρα αὐτῆς ἀριστερὰν ἐξέτεινε*. Latinus: *Siniſtram manum miſit*.

Tempora] *Tempus ejus.*

27. *Pronus cecidit*] *Curvatus eſt, cecidit*. Moriens, nempe, convulſivo motu corpus ſuum nonnihil agitavit.

28. *Per feneſtram* &c.] Irridet Prophetis matrem Siſeræ, quam miraturam eſſe ait ubi tandem moraretur filius, quem ſperabat mox rediturum ſpoliis Iſraëlitarum onuſtum. Moræ igitur impatiens per feneſtram proſpectura erat, ut videret an rediret.

Exclamavit] תיבב *thejabbeb*. Ex ſignificatione Chaldaïca vocem interpretati ſumus. LXX. Intt. omiſerunt vertere in Vaticano Codice, ut & in Aldino; at in Complutenſi & Alexandrino eſt *κατεμάνθανε*, hoc eſt, *ſcire voluit* an veniret Siſera. Vulg. *ululavit*. Prima ſignificatio rei convenientiſſima viſa eſt, nititúrque uſu Linguæ vicinæ Hebraïcæ. Cetera ex mera conjectura manarunt.

Cancellos] אשנב *eſchnab*. LXX. Intt. *διὰ τῆς δικτυωτῆς* eodem ſenſu, in Codd. Complutenſi, Aldino & Alexandrino; ſed in Vaticano, *ἐκ τοῦ τοξικοῦ*, quod genus eſt feneſtræ. Ea voce in genere fœminino uſus erat *Symmachus* ad Ezech. XL, 16. ad ſignificandas feneſtras.

Cur ejus currum pudet venire] בושש לבוא *boſcheſch labo*. Propria hæc eſt ſignificatio verbi

 בוש

ejus? 29· Sapientes *ac* principes fœminæ, quæ cum ea erant, ei reſpondebant. Quinimò & ipſa ſibi verbis ſuis reponebat: 30· Annon invenerunt, *ac* diviſerunt prædam; puellam, *aut* binas puellas unicuique viro? Veſtis verſicolor *erit* Siſeræ, veſtis

בוש *bouſch*, ſed quia quos pudet aliquid facere, ii ſerò id faciunt; aut quia pudore ſuffunduntur, qui ſerò faciunt quod citiùs factum oportuit; ideò etiam *morari* ſignificavit, quo ſenſu alii hunc locum verterunt. Ideò in Codice Vaticano eſt ᾐσχύνθη, *puduit*, in aliis ἐχρόνισε, *moratus eſt*. Vide Cap. III, 25.

29· *Sapientes ac principes fœminæ quæ cum ea erant.*] חכמות שרותיה *hhochmoth ſcharotheah*. Cùm ſermo ſit non de Regina Chananæorum, ſed de matre ducis, ita vertendum cenſuimus, potiùs quàm *ſapientes principum ejus*; quod de Regina, cui principes fœminæ famulantur, tantum dicatur. LXX. Intt. σοφαὶ ἄρχουσαι, aut ἀρχουσῶν αὐτῆς ἀνταπεκρίθησαν πρὸς αὐτήν, ad verbum; ſed mirè *Hieronymus: una ſapientior ceteris uxoribus ſocrus ſuæ reſpondit.* Quòd in Hebraïcis verbis nemo invenerit.

Ei reſpondebant] Comminiſci conabantur cauſas moræ Siſeræ, quem victorem fruſtra exſpectabant. Ideò meminit Debora ſapientium, ſeu acutarum mulierum, quæ poſſent matrem Siſeræ, moræ impatientem, ſolari.

Sibi verbis ſuis reſpondebat] *Redire faciebat verba ſua ſibi*

30· *Puellam, aut binas puellas*] רחם רחמתים *rabham rahhamathajim*. רחם propriè uterum ſonat, deinde puellam. Supplevimus *aut*, quod in ſtylo poëtico ſæpe ſuppletur. At LXX. in Vaticano Codice habent οἰκτίρμων οἰκτειρήσει, in aliis φιλιάζων φίλοις, quæ ſenſu carent, quamvis Radix רחם *vehementer amare & miſereri* ſignificet. *Hieronymus* quod non intelligebat divinando & περιφραστικῶς expreſſit, ut ſolet: *Forſitan nunc diviſit ſpolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei.* *Hieronymo* ſoli ejuſmodi verſionem tribuimus, quia abit à Græcis Interpretibus, nec tamen Hebraïca ſequitur. Si quis talia à viro Hebraïcè longè doctiſſimo, & præ quo talpæ omnes Recentiores ſunt, manare credit, næ is vehementer fallitur.

Unicuique viro] *Capiti viri.*

Veſtis verſicolor] שלל צבעים *ſchelal tſebahim*; ſpolium colorum. Græci σκῦλα βαμμάτων, Vulg. *veſtes diverſorum colorum*, quæ cùm majoris eſſent pretii, duci copiarum dabantur.

Acu picta] רקמה *rikmah*, hoc eſt, phrygionicum opus. Vide quæ notavimus ad Exod. XXVI, 1.

Duplici ordine ad collum veſtis acu picta] רקמתים לצוארי שלל *rikmathajim litſavare ſchalal*, duplex ordo operis phrygionici ad colla ſpolii. Hieronymus habet hîc: *ſupellex varia ad ornanda colla congeritur*, unde liquet eum verba non intellexiſſe. LXX. Intt. fermè ad verbum: βάμματα ποικιλτὰ αὐτὰ τῷ τραχήλῳ αὐτοῦ σκῦλα, vel βαφὴ ποικιλιῶν ἀμφὶ τραχήλου αὐτοῦ σκῦλον. Sed clariùs & ſtructuræ verborum convenientiùs Recentiores, quos ſequuti ſumus.

31· *Omnes hoſtes tui*] Votum Iſraëlitarum.

Cum in robore ſuo egreditur] Hoc eſt, exorienti ſine ullis nebulis, aut vaporibus, qui radios ejus intercipiant.

CANTICUM DEBORÆ

in ſimiliter deſinentes verſus diſtinctum

בפרוע פרעות בישראל	Cùm in libertatem adſertus ſit Iſraël,
בהתנדב עם ברכו אל:	cùm ſponte offerat populus, laudate Deum.
שמעו מלכים	Audite Reges,
האזינו רזנים	aurem præbete principes;
אנכי ליהוה	ego Jehovæ,
אנכי אשירה	ego canam,
אזמר ליהוה	pſallam Jehovæ
אלהי ישראל:	Deo Iſraëlis.
* * * * *	* * * * *
יהוה בצאתך	Jehova cùm egredereris
משעיר בצעדך	è Sehire, cùm excederes
משדה אדום ארץ רעשה גם שמים	ex agro Idumæorum, terra tremuit, cœlum quoque
נטפו גם עבים נטפו מים:	deſtillavit, etiam nubes deſtillarunt aquam.
הרים נזלו מפני יהוה	Montes diffluxerunt è conſpectu Jehovæ,
זה סני מפני יהוה	hic Sinaïs è conſpectu Jehovæ *fugit*
אלהי ישראל:	Dei Iſraëlis.
בימי שמגר בן ענת בימי יעל	Tempore Samgaris, Hanathi Filii, & tempore Jahelæ,
חדלו ארחות והלכי נתיבות	deſierant *frequentari* viæ & incedentes antea per ſemitas
ילכו ארחות עקלקלות:	tortuoſos ingrediebantur calles.
חדלו פרזון בישראל	Deſierant *habitari* villæ in Iſraële,
חדלו עד שקמתי	deſierant, donec ſurrexi *ego*
דבורה שקמתי	Debora, ſurrexi
אם בישראל:	mater Iſraëlis.
יבחר אלהים חדשים	*Quando* elegit Deos novos,
אז לחם שערים	tunc bellum *ad* portas *fuit*.
מגן אם יראה ורמח בארבעים	An clypeus, aut haſta cernebatur, apud quadraginta
אלף בישראל:	millia *virorum* in Iſraële?
לבי לחוקקי ישראל	Animus meus adhæret legiſlatoribus Iſraëlis;

המת

tis verſicolor acu picta; verſicolor *erit* & duplici ordine ad collum veſtis acu picta.

31. Sic pereant omnes hoſtes tui, ô Jehova, at amantes ejus ſint inſtar ſolis, cùm in robore ſuo egreditur. Deinceps per quadraginta annos terra *Iſraëlitica* conquievit.

VI.

המתנדבים בעם ברכו אל:	vos qui ſponte obtuliſtis in populo benedicite Deo.
רכבי אתנות צחרות ישבי	Qui vehimini aſinabus variis, qui ſedetis
על מדין והלכי	in tribunali, qui inceditis
על דרך שיחו:	per vias, rem reputate.
מקול מחצצים	Propter ſtrepitum collidentium ſe ſe
בין משאבים	inter aquaria,
שם יתנו	illic prædicabunt
צדקות יהוה	juſtè facta Jehovæ,
בישראל צדקות פרזנו	in Iſraële juſtè facta ejus dicent ejus villæ;
אז ירדו לשערים עם יהוה:	tum enim Jehovæ populus in urbes deſcendet.
עורי עורי דבורה	Expergiſcere, expergiſcere, Debora,
עורי עורי דברי שיר	expergiſcere, expergiſcere, dic canticum.
קום ברק * * *	Surge, Barake, * * *
ושבה שביך בן אבינועם:	& adducito captivos tuos, fili Abinohami.
אז ירד שריד לאדירים	Nunc dominabitur populus, qui evaſit, illuſtribus viris;
עם יהוה ירד לי בגבורים:	Jehova dominabitur mihi, per fortes viros.
מאפרים שרשם	Ex Ephraimo ſtirps eorum eſt,
בעמלק אחריך	*bellum gerent* cum Hamalekitis poſt te;
בנימין בעממיך	*erunt*, ô Benjamin, inter populares tuos;
מני מכיר ירדו מחקקים	è Machire deſcendent Legiſlatores,
ומזבלון בשבט ספר מושכים:	atque è Zabulone ſtylo ſcribæ exarantes.
ושרי בישׂשכר עם דבורה	Principes mei in Iſſaſchare, cum Debora.
וישׂשכר כן ברק בעמק שלח	Ut Iſſaſchar ſic & Barakus in vallem ſe demiſit,
ברגליו במפלגות ראובן	eum ſequutus. In partibus Rubenis
גדולים חקקי לב:	magni viri ſunt, ad decreta animi quod attinet.
למה ישבת בין המשפתים	Cur ſediſti inter repagula,
לשמע שרקות עדרים	ad audiendos ſibilos gregum?
לפלגות ראובן	In partibus Rubenis,
גדולים חקרי לב:	magni ſunt viri, ſcrutationibus cordis.
גלעד בעבר	Galahaditæ trans
הירדן שכן ודן	Jordanem incolunt, & Danitæ.
למה יגור אניות אשר	Cur habitat ad naves Aſer?
ישב לחוף ימים ועל מפרציו ישכן	*Cur* conſedit ad portum marium, & in præruptis ſuis habitat?
זבלון עם חרף נפשו למות	Zabulon, populus fuit, qui contemſit vitam, ut moreretur.
ונפתלי על מרומי שדה:	Nephthalis in editis locis *ſe tenuit*.
באו מלכים נלחמו	Venerunt Reges & pugnarunt,
אז נלחמו	tunc pugnarunt
מלכי כנען בתענך על מי מגדו	Reges Chananæorum, Thahanachi ad aquas Megiddonis,
בצע כסף לא לקחו:	cupiditate pecuniæ, quam non ceperunt.
מן השמים	E cœlo,
ממסלותם נלחמו הכוכבים	ex orbitis ſuis pugnarunt ſtellæ,
נלחמו עם סיסרא: נחל קישון	pugnarunt cum Siſera. Torrens Kiſon
גרפם נחל קדומים נחל קישון	devolvit eos, torrens Kadumim & torrens Kiſon.
תדרכי נפשי עז:	Conculcabit anima mea robur.
אז הלמו עקבי סוס	Tunc contuſi ſunt calcanei equorum,
מדהרות דהרות אביריו:	propter crebras curſitationes fortium ejus virorum.
אורו מרוז אמר מלאך אדניו	Maledicite Merozo, ait Angelus Domini ejus;
אורו ארור ישביה	maledicite, inquam, incolis ejus,
כי לא באו לעזרת יהוה	quia non venerunt ad auxilium ferendum Jehovæ,
בגבורים: תבורך	per fortes viros. Benedicetur,
מנשים	præ *ceteris* mulieribus,
יעל אשת חבר הקני מנשים	Jahelæ, uxori Cheberi Kenæi, præ mulieribus
באהל תבורך:	degentibus in tabernaculis ei benedicetur.
מים שאל חלב נתנה	Aquam *Siſera* petiit, lac *ei Jabela* dedit,
בספל אדירים הקריבה חמאה:	in calice illuſtrium virorum obtulit ei ferum.
ידה ליתד תשלחנה	Manu *ſiniſtrâ* paxillum arripuit,
וימינה להלמות עמלים והלמה	dextrâ verò malleum opificum, & percuſſit
סיסרא מחקה ראשו	Siſeram, transfodit caput ejus,
ומחצה וחלפה רקתו:	transfixit, transverberavitque tempora,
בין רגליה כרע נפל	Inter pedes ejus pronus cecidit,
שכב בין רגליה כרע נפל	jacuit; inter pedes ejus pronus cecidit,
באשר כרע שם שדוד נפל:	& cùm pronus cecidiſſet, ibi *vita* ſpoliatus jacuit.
בעד החלון נשקפה	Per feneſtram proſpexit,
ותיבב אם סיסרא	& exclamavit mater Siſeræ,
בעד האשנב מדוע בשש רכבו לבוא	per cancellos, cur ejus currum pudet venire?

VI. Iſraëlitæ à Deo deficientes traduntur malè habendi Madianitis, per ſeptem annos; ſed cùm reſipiſcerent, ad eos liberandos Gedehon vocatur, variiſque prodigiis confirmatur, & exercitum cogit.

CAPUT VI. 1. FECERUNT poſtea Iſraëlitæ quod diſplicebat Jehovæ; quare eos tradidit Jehova in manum Madianis, per ſeptem annos. 2. Cúmque Madianitarum manus ſuperior eſſet Iſraëlitis, fecerunt ſibi Iſraëlitæ, propter Madianitas, antra quæ ſunt in montibus, & ſpeluncas & loca munita. 3. Poſtquàm ſementem fecerat Iſraël, adſcendebant Madianitæ, Hamalekitæ, & Orientales, & contra eum expeditionem ſuſcipiebant. 4. Tum caſtris contra eum factis, terræ proventum corrumpebant, Gazam uſque; nec annonam relinquebant in Iſraële, nec pecudem minorem, nec bovem, nec aſinum; 5. adſcendebant enim cum pecudibus ac tentoriis ſuis, veniebántque tanto numero, ut locuſtas multitudine æquatent, nec iniri poſſet numerus eorum, camelorúmque; & veniebant quidem, ut agros corrumperent.

6. Cùm ergo ſummopere adtritus eſſet Iſraël propter Madianitas, Iſraëlitæ clamoribus

מדוע אחרו פעמי מרכבותיו	Cur morantur greſſus curruum ejus?
חכמות שרותיה תענינה	Sapientes, *ac* principes fœminæ, quæ cum ea erant, ei reſpondebant;
אף היא תשיב אמריה לה:	etiam ipſa ſibi verbis ſuis reponebat:
הלא ימצאו יחלקו שלל	annon invenerunt & diviſerunt prædam,
רחם רחמתים לראש גבר שלל	puellam, aut binas puellas cuique viro? Veſtis
צבעים לסיסרא שלל	verſicolor *erit* Siſeræ, veſtis
צבעים	verſicolor,
רקמה צבע רקמתים	acupicta; verſicolor erit & duplici ordine acupicta
לצוארי שלל	ad collum veſtis.

Notulæ in Canticum Deboræ.

Verſ. 2. אל] Eſt in contextu יהוה, ſed cùm illa frequenter miſceantur, pro יהוה ſcripſimus אל, propter finem verſûs. Vide v. 29.

9. * *] Hîc videtur ſecundus verſus repetendus.

29. אל] Hîc quoque eſt יהוה, ut v. 1.

41. קום ברק] Deeſſe videntur hæc verba, aut ſimilia כאיש אביר, *ut vir fortis.*

49. משכים] Hanc vocem poſtpoſuimus antecedentibus, quæ antecedit in textu, propter *ὁμοιοτέλευτον.*

51. שלחה] Eſt שלח *ſchullahh*, ſed ה paragogicum addidimus, ut fieret שלחה *ſchullabhah.*

52. ראובן] Hic & ſequens verſus reſpondent vſſ. 56 & 57.

63. שרוה] Crediderim hîc legendum שרמות *ſchdemoth*, ut reſpondeat τῷ למות *lamoth*, ſic enim verſûs causâ pronunciari potuit, non ſecus ac *lamouth*. Sin minùs, aliquid hîc deeſt quod ſupplendum.

66. מגרו] Si hæc ſana ſunt, מגרו *megiddo* & לקחו *lakabbou*, nonnihil inflexâ pronunciatione, compoſita ſunt.

69. ממסלותם] Tranſpoſita eſt hæc vox, propter longitudinem ſequentis verſûs. Sed videtur hîc eſſe aliquid turbatum, quod conjecturâ reſtitui nequit.

75. ארני] Pro יהוה, quod quia eodem modo pronunciabatur ac ארני *adonai*, facilè cum eo miſceri potuit, cùm præſertim ſit idem ſenſus. Nam ארני מרוז *dominus Merozi*, fuit *Jehova.*

In CAPUT VI.

1. QUod diſplicebat] *Malum in oculis.*

2. *Cúmque Madianitarum manus*] *Et invaluit manus Madianis ſupra Iſraël*; hoc eſt, ſuperiores fuerunt Madianitæ præliis & copiis, ita ut Iſraëlitæ ſubacti ab iis fuerint.

Antra quæ ſunt in montibus] המנהרות *haminharoth*. Sic vocantur ſpeluncæ, in quas lux foramine quopiam admittitur; eſt enim vox à verbo נהר *illuſtravit.* Videntur intelligenda antra obſcura à natura inchoata, quæ deinde arte ampliora facta ſint, & feneſtris inſtructa, ut admiſſâ luce poſſent habitari. Vide & C. V, 11. & 1. Sam. XII, 6. Poſterioribus temporibus, latrones ejuſmodi ſpeluncis abuſi ſunt, ut docet *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XIV. c. 27. & Bell. Jud. Lib. I. c. 12.

Loca munita] מצדות *mtſadoth*, in montibus, ubi naturam arte nonnihil adjuverunt, ut poſſent exercituum vim, quam vi propulſare non ſuſtinebant, vitare. Vid. 1. Paral. XI, 7. XII, 8.

3. *Poſtquàm ſementem fecerat*] *Si ſeverat*, ſed τὸ אם *ſi*, non eſt dubitantis, verùm idem ac כאשר *chaaſcher*, quando, aut poſtquàm; cujus ſignificatûs exempla ſuppeditabit *Chr. Noldius.*

Orientales] *Filii Orientis.* Reliqui omnes populi Arabiæ, qui ad Orientem Iſraëlitarum incolebant. Vide Job. I, 3.

Expeditionem ſuſcipiebant] *Adſcendebant.*

4. *Tum caſtris contra eos* &c.] *Et caſtra ponebant contra eos & corrumpebant.*

Gazam] *Donec venias Gazam*; hoc eſt, ad fines uſque Philiſtæorum, qui oram illam maris Mediterranei incolebant, & pacem cum Arabibus habebant.

Nec annonam &c.] Videntur voluiſſe agros Iſraëlitarum ita vaſtare, ut deſerti fierent, populúmque Hebræum ſolum vertere cogerent, & per vicinas gentes diſſiparent, ita ut ejus Reſpublica exſtingueretur.

Nec pecudem minorem] שה *ſcheb.* Quidquid occurrebat pecudum, extra munimenta Iſraëlitarum, id abigebant.

5. *Adſcendebant enim* &c.] *Ipſi & pecudes eorum*

bus invocarunt Jehovam; 7. cúmque invocaſſent Iſraëlitæ Jehovam, propter Madianem, 8. miſit ad eos Jehova prophetam, qui eis; ſic dixit, inquit, Jehova Deus Iſraëlis. Vos eduxi ego ex Ægypto atque ex ergaſtulo emiſi. 9. Liberavi vos è manu Ægyptiorum, éque manu omnium qui vos opprimebant. Expuli eos è conſpectu veſtro, vóſque eorum terrâ donavi. 10. Tum dixi vobis: ego ſum Jehova Deus veſter, ne timete Deos Emoræorum, quorum terram incolitis; nec tamen mihi auſcultaſtis.

11. Poſtea ivit Angelus Jehovæ, ſeditque ſub quercu, quæ erat Hophræ, pertinebátque ad Joaſum Abi-hezeritam; Gedehon autem filius ejus triturabat in torculari triticum, ut id è conſpectu Madianitarum eriperet. 12. Conſpectus verò ei eſt Angelus Jehovæ, eique, tibi, inquit, vir fortis, adeſt Jehova. 13. At Gedehon illi, quæſo, Domine, inquit, nobiſne adſit Jehova? Cur ergo in hæc omnia *mala* incidimus? Ubi ſunt omnia ejus miracula, quæ nobis narraverunt Majores noſtri, cùm dicerent: nonne nos ex Ægypto eduxit Jehova? At nos nunc deſeruit, tradiditque in manum Madianitarum. 14. Tum ad eum reſpexit Jehova, & vade, inquit, hac tuâ fortitudine *fretus*, liberabiſque Iſraëlem è manu Madianitarum; annon te miſi? 15. Gedehon verò illi, obſecro, Domine, quî liberarem Iſraëlem? Chilias mea tenuis eſt inter Manaſſi-

rum adſcendebant, & tentoria eorum &c. Quod perinde eſt ac ſi dicas, Scenitas Arabiæ, cum familiis & pecudibus, per aliquot menſes Judæam peragraſſe, nec niſi eam depaſtos abiiſſe.

Tanto numero, ut locuſtas] *Inſtar locuſtarum multitudine*; hoc eſt, ingenti numero. Vide inf. VII, 23. & Nahum. III, 17. & quæ de locuſtis collegit *Sam. Bochartus* Hierozoic. P. 2. Lib. IV.

Nec iniri poſſet &c.] *Nullus numerus erat.* Sic *Ariſtophanes* in Acharnenſibus Act. I. Sc. 4.

Ὤμνυε σπένδων βοηθήσειν, ἔχων
Στρατιὰν τοσαύτην, ὥς᾽ Ἀθηναίους ἐρεῖν
Ὅσον τὸ χρῆμα παρνόπων προσέρχεται;

Juravit libans adjuturum ſe habentem exercitum tantum, ut Athenienſes dicturi eſſent; quanta copia locuſtarum ad nos accedit?

6. *Cùm ergo* &c.] *Et adtritus eſt valde — & clamaverunt.*

8. *Qui eis* &c.] *Et dixit eis: ſic dixit Jehova* &c.

9. *Omnium qui vos opprimebant*] Hoc eſt, Chananæorum & vicinorum populorum.

11. *Poſtea ivit*] In ſuperioribus verbis, Propheta à Deo ad Iſraëlitas miſſus vix ullam ſpem divini auxilii facit. Exprobrat dumtaxat Iſraëlitis idololatriam. Attamen cùm mala, quæ patiebantur, pœnas eſſe idololatriæ diceret, obſcurè innuebat, ſi ad veri Dei cultum redirent, fore ut iis ignoſceret. Ideoque proximè ſubjicitur hiſtoria liberationis, ante quam tamen ſtatuendum Iſraëlitas idololatriæ nuncium remiſiſſe. *Iviſſe* autem Angelus Jehovæ dicitur, non addito loco unde *ibat*; qui cœlum fuit, unde à Deo miſſus eſt.

Hophræ] Fuit urbs in ſorte Benjaminis, ut docemur Joſ. XVIII, 23. Quamvis enim Manaſſita eſſet Gedehon, nihil vetat quominùs, difficilibus Reipublicæ temporibus, in alius Tribûs agros migraret & ſibi ad Jubilæum uſque prædium compararet. Sic & Thola Iſſacharita, alter poſt hunc judex, habitavit in oppido Tribûs Ephraïmi. Vide Cap. X, 1. Sed nec fortè annus Jubilæus, in tam variis populi Hebræi cladibus & calamitatibus, umquam accuratè obſervatus fuit: ita ut multi Iſraëlitæ in agris aliarum Tribuum prædia in perpetuum habuerint. Certè nulla obſervati Jubilæi, in populi Hebræi Hiſtoria, mentio occurrit. Scio *Andream Maſium* ad Joſ. XVIII, 23. velle duplicem fuiſſe *Hophram*, unam Benjaminiticam, alteram Manaſſiticam; ſed nullum ejus rei argumentum adſertur, niſi quòd ſtatuit Manaſſitæ prædium debuiſſe eſſe in Tribûs Manaſſæ agris, quod minimè neceſſe eſt.

Abi-hezeritam] אבי־העזרי *abi-hahezri*, hoc eſt, è proſapia *Abihezeri*, qui è poſteris Manaſſæ fuit, ut liquet ex Joſ. XVII, 2.

In torculari] Seu ut lateret, nam areæ triturando tritico apertis in locis erant, ut vento eam in rem uterentur, ſeu alia quapiam de cauſa. Prius mavult *Joſephus* Ant. Jud. Lib. V. c. 8.

12. *Vir fortis*] גבור החיל *gibbor hehhajil*, *fortis robore.*

Adeſt] עמך *himmecha*, Jehova tecum, nempe, eſt. Sic enim intellexit Gedehon.

13. *Nobiſne adſit* &c.] Quî fieri poteſt, ut nobis adſit Deus?

In hæc omnia incidimus] *Hæc omnia invenimus.*

14. *Ad eum reſpexit Jehova*] Hoc eſt, Angelus, qui Jehovæ perſonam ſuſtinebat. Vide not. ad Exod. XX, 1.

Hac tua fortitudine &c.] *In hac tua fortitudine.*

Annon te miſi] Hoc eſt, te nunc eò, nomine Dei, mitto. Vide ad Cap. IV, 6. Ex hiſce verbis intelligere potuit Gedehon, eum, qui ſe alloquebatur, nomine Dei loqui; ſed Angelum eſſe non intellexit, niſi poſtquàm abierat, ut liquet ex vſ. 22. Itaque quaſi Prophetam alloquebatur.

15. *Domine*] אֲדֹנָי *Adonai*. Quandoqnidem *Adonai*, cum *Kamets*, ſolet eſſe nomen Dei, videntur qui puncta addiderunt voluiſſe ſignificare Gedehonem jam ſenſiſſe eum, quem alloquebatur, Dei perſonam geſſiſſe; niſi fortè Pauſa mutaverit hîc τὸ *Pathah* in *Kamets*, quod nonnulli volunt. Deum certè eſſe non ſuſpicabatur, cùm ne Angelum quidem eſſe exploratum haberet, ut liquet ex vs. 22. Vide ad Gen. XV, 2. XVIII, 3. Ceterùm LXX. Intt. & Vulg. legerunt אֲדֹנִי *adoni*, cùm habeant Κύριέ μου, *Domine mi*, & fortè rectior hæc eſſet legendi ratio, ut etiam *Joan. Piſcator* credidit.

Chilias mea] אלפי *alphi*. Hoc eſt, familla ac cognatio, nam diviſi erant Iſraëlitæ in Chilia-

naſſitas, ego verò minimus ſum *omnium qui ſunt* in patris mei familia. 16. At Jehova
illi, tibi, inquit, adero, & concîdes Madianitas, quaſi eſſet vir unus. 17. Ibi *Gede-*
hon, ſi qua, inquit, gratiâ apud te valeo, ſignum mihi edito *ex quo intelligam* te me-
cum loqui. 18. Ne, quæſo, hinc diſcedas, donec ad te venero, prolatúmque meum
munus tibi appoſuero. Manebo verò, inquit ille, donec revertaris. 19. Ivit Gedehon,
paravitque hædum, & Epham farinæ *in* azymos *coctæ*. Carnem poſuit in caniſtro, &
jus in olla, quæ ad eum extulit ſub quercum, *ei*que appoſuit. 20. Tum ei Angelus
Dei, cape, inquit, carnem & panes azymos, *ea*que impone huic rupi, & jus ſuper
infunde. Quod ille fecit. 21. Deinde porrexit Angelus Jehovæ extremum ſcipionem,
quem manu geſtabat, tetigitque carnem & azymos panes; *quo facto*, erupit ignis è pe-
tra, qui carnem & azymos abſumſit. Angelus verò Jehovæ ab ejus conſpectu abiit.
22. Vidit ergo Gedehon Angelum Jehovæ fuiſſe, dixitque: heu Domine Jehova!
ideóne facie ad faciem *converſâ* vidi Angelum Jehovæ, *ut morerer?* 23. Jehova verò illi,
pax tibi ſit, inquit, ne timeas, non morieris. 24. Poſtea exſtruxit ibi Gedehon alta-
re Jehovæ, idque vocavit *altare* Jehovæ Pacati; quod eſt etiamnum hodie Hophræ Abi-
hezeritarum. 25. Di-

liadas, ut conſtat ex Exod. XVIII. Poterat autem fieri ut bellis, aliiſve calamitatibus exhauſta eſſet Chilias, ad quam Abihezeritæ pertinebant. Vide Mich. V, 2. Hinc *Joſephus* habet φυλή. Memorat autem Gedehon familiam ſuam; quia ab eo primùm adeunda erat, ſi qua ſpes fuiſſet concitandi Iſraëlitas ad arma capienda.

Minimus ſum] צעיר *tſahir*, parvus ſum. Non eſt hoc ætatis, ſed potentiæ, ut liquet ex Mich. V, 2.

16. *Tibi, inquit, adero*] כי אהיה עמך *chi ehjeh himmecha*, ubi כי abundat, ut ὅτι apud Græcos, in orationum directarum initio, ut Act. V, 25. & paſſim apud optimos Scriptores.

17. *Si quâ gratiâ, apud te, valeo*] *Si inveni gratiam in oculis tuis.*

Et quo intelligam te mecum loqui.] Videtur ſubaudiendum בשם יהוה *bſchem Jehovah*, hoc eſt, nomine Jehovæ, ſeu verè te miſſum à Jehova. Poſſet etiam res ita intelligi, ut Gedehon converſus ad Deum, non ad Angelum, dicat: *Si quâ gratiâ apud te valeo, ô Deus, facies ſignum ex quo intelligam te, per hunc hominem* (hominis enim formâ indutus erat Angelus) *me alloqui.* Sed prius maluerim. LXX. Intt. in Alexandrino Codice, planè ad mentem lectionis hodiernæ habent: ποιήσεις σημεῖον ὅτι σὺ λαλεῖς μετ' ἐμοῦ. Sic & Complutenſis Editio. At Vaticanus Codex habet: ποιήσεις μοι σήμερον πᾶν ὅ, τι ἐλάλησας μετ' ἐμοῦ. Crediderim mendoſam eſſe lectionem, hinc natam, quòd pro σημεῖον ſcriptum ſit σήμερον, deinde additum πᾶν. Sed major eſt mendum in Aldino Codice, à quo hæc omnino abſunt. Ceterùm quodnam ſignum ab eo, qui Prophetæ inſtar ſe gerebat, expeteret non exprimit hîc Gedehon, rem arbitrio ejus relinquens. Sed videtur ſperaſſe Prophetam, poſtquàm pranſus eſſet, rem effectam daturum.

18. *Prolatúmque meum munus*] *Et protulero munus meum & poſuero ante faciem tuam.* Ex ſequentibus liquet מנחה *minhha*, munus, fuiſſe prandium; quod numquam obtuliſſet ei, qui ſecum colloquebatur, ſi Angelum eſſe intellexiſſet. Vide notata ad ſimilem hiſtoriam Gen. XVIII. Malè LXX. Intt. θυσίαν vertunt & Vulg. *Sacrificium*, nam מנחה quodvis munus etiam ſignificat, nec erat hîc ſacrificium.

19. *Paravitque hædum*] *Et fecit hædum caprarum.*

Ephum farinæ] Quam cepiſſe plus quam 59 tritici libras *de Troy*, ponderis Anglici, oſtendit *Ed. Bernardus.* Vide notata ad Geneſ. XVIII, 6.

Appoſuit] Ut comederet. Rectè in Cod. Vaticano LXX. Intt. προσήγαγεν, malè in Alexandrino, Complutenſi & Aldino, προσεκύνησεν, *adoravit*, qui error eſt Librarii ex eo ortus, quòd de ſacrificio agi putaret, ſed perperam.

22. *Vidit ergo Gedehon*] Ex abſumtione cibi, ope ignis è rupe erumpentis, & ſubito abitu Angeli, qui evanuit. Sic Angelus prandium convertit in ſacrificium, quod quaſi Sacerdos, pro Gedehone, Deo Opt. Max. obtulit.

Ut morerer] Hoc ſupplevimus, cum Recentioribus nonnullis, primò quia in ſimili caſu exprimitur, Exod. XX, 19. de qua re, vide not. ad Gen. XVI, 13. ſecundò, quia particulæ כי-על-כן, *ideò*, quæ præceſſerunt, neceſſariò poſtulant ſequi למען אמות *ut morerer*; tertiò, reſponſum Angeli, ſequente verſu, hoc liquidò oſtendit: *ne timeas, non morieris.* Ideóque Interpretes nonnulli, qui ſupplendum hoc non viderunt, ne oratio penderet, omiſerunt vertere על-כן *hal-chen*, ideò. Sic LXX. Intt. ſic Latinus, & Recentiores aliquot. Atqui præſtabat addere quod deeſſe res ipſa clamat, quam quidquam ſine ratione omitti. Ceterùm Eruditis penſitandum relinquo, utrum elliptica fuerit ipſius Gedehonis oratio; an verò cùm plenè loquutus eſſet, omniáque ejus verba Hiſtoricus Sacer retuliſſet, à Librario duo, triáve ſint omiſſa. Scio eſſe viros doctos, qui nolint hîc quidquam ſuppleri, quia putant כי-על-כן *chi-hal-chen*, eſſe pro על-כן-כי *hal-chen-chi*, quod vertunt *quia*, aut *quandoquidem*, ut ſenſus ſit: *hei mihi! Domine Jehova, quandoquidem Angelum vidi!* Sed particulæ illæ numquam eo ordine occurrunt, nec quidquam ita conjunctæ, apud Hebræos, ſignificant.

23. *Jehova verò illi*] Nempe, per Angelum loquens, qua de re vide not. ad Gen. XVI, 13.

Pax tibi ſit] Hoc eſt, omne felicitatis genus, incolumitas. Poſſet etiam verti *pax tibi eſt*, quaſi diceret Angelus, *Deus tibi eſt pacatus.* Sed *pax tibi* formula eſt uſitatiſſima ſalutantis, & benevolo animo alloquentis.

24. *Vocavit altare Jehovæ Pacati*] ויקרא לו יהוה שלום vajjkra lo Jehovah ſchalom, *vocavit eum Jehova pax*, aut *pacis*, ſi ſuppleas *Deus*, *Je-*

Digitized by Google

25. Dixit etiam illi Jehova, eâ nocte: capito taurum patris tui, & alterum taurum
ſeptem annorum, diruitóque altare Bahalis, quod eſt patri tuo, & lucum qui eſt juxta
illud ſuccîdito. 26. Tum ædificato altare Jehovæ Deo tuo, in vertice loci hujus mu-
niti, in vallo, capitóque alterum juvencum, & eum in holocauſtum offerto, ſubjectis
lignis luci quem ſuccideris. 27. Adſumſit ergo Gedehon decem viros è ſervis ſuis,
fecitque quemadmodum ei dixerat Jehova; & cùm vereretur familiam patris ſui, &
oppidanos, non interdiu, ſed noctu rem exſequutus eſt. 28. Cùm autem mane ſur-
rexiſſent oppidani, ecce verò dirutum erat altare Bahalis, lucus, qui juxta fuerat, ſuc-
ciſus, & alter juvencus impoſitus erat exſtructo altari. 29. Sciſcitati ſunt alii ab aliis,
quis hoc facinus admiſiſſet, & cùm quæſtione inſtitutâ inquiſiviſſent, fuerunt qui dice-
rent Gedehonem Joaſi filium hoc feciſſe. 30. Tum oppidani Joaſo, producito, in-
quiunt, filium tuum, ut morte afficiatur, quia diruit altare Bahalis, & lucum qui ad
illud erat ſuccîdit. 31. Joaſus verò omnibus, qui ſibi adſtabant, an cauſam Bahalis
defendendam ſuſcipietis? an eum liberabitis? Qui cauſam ejus ſuſceperit, hoc ipſo
mane capite plectatur. Si Deus eſt, cauſam ſuam defendet, cùm dirutum ſit ejus al-
tare.

Jehova Deus pacis. LXX. Intt. verterunt εἰρήνην κυρίου *pacem Domini*, ut & Vulgatus. Non puto ipſum altare vocatum יהוה שלום *Jehovam Deum pacis*, verùm hanc eſſe loquutionem compendiariam, quâ Scriptor Sacer ſignificet hoc altare ab aliis diſtinctum fuiſſe nomine *Jehovæ pacis*, hoc eſt, quòd vocaretur *altare Dei pacis*. Neque enim altare potuit vocari nomine Dei, cui ſacrum erat, niſi genitivo caſu, ſive expreſſo diſertè, ut ſi dicas מזבח יהוה אלהי שלום *altare Jehovæ Dei pacis*, aut certè intellecto, per quoddam loquutionis compendium Hebræis familiare. Vide not. ad Gen. XXII, 14. & Exod. XVII, 14.

Vertimus autem *Jehovam pacatum*, quòd ea Latina loquutio exprimat vim Hebraïcæ, hoc quidem in loco; Gedehon enim ex reſponſo Angeli intellexerat ſibi pacatum eſſe Deum, eo quòd Angelus eum nomine Dei his verbis ſalutaſſet: *pax tibi.*

Hophræ Abi-hezritarum] Vide ad v. 11. Sunt qui velint *Hophram* hanc dici *Abi-hezritarum*, ut diſtingueretur ab *Hophra Benjaminitica*. Sed conjectura eſt, quæ nullo Scripturæ loco nititur.

25. *Capito taurum*] פר-השור, *phar haſſchor*, hoc eſt, *juvencum taurum*, quod videtur dici, quia פר, *phar*, ſimpliciter, aut פר בן בקר, *phar ben bakar*, *juvencus filius tauri*, ſignificant propriè juniorem pecudem, ut multis oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. C. 28. Hîc verò ſermo eſt de victimis grandioris ætatis, ut liquet ex ſequentibus verbis. Itaque hîc malè LXX. Intt. μόσχον verterunt, meliùs Vulgatus *taurum*, non eſt enim *vitulus*, aut μόσχος *ſeptem annorum*.

Septem annorum] Aut propter *ſeptem annos* tyrannidis Madianiticæ, v. 1. aut quòd ſeptenarius numerus ſacer eſſet Deo, in memoriam creationis intra ſeptem dies perfectæ. Vide not. ad Exod. XXIX, 30. Levit. XIV, 7.

Altare Bahalis] Ergo in Idololatriam delapſa erat ipſa Gedehonis familia, cujus tamen delicti immunis videtur fuiſſe ipſe Gedehon.

26. *Loci hujus muniti*] המעוז הזה *hammahoz hazzeh*, in quod, nempe, confugerant propter Madianitarum incurſiones. LXX. Intt. nomen proprium eſſe cenſuerunt, cùm habeant Μαουζί, aut Μαώχ, aut Μαώζ, pro Μαώζ. Vulgatus vertit *petram*. Sed Recentiores meliùs *locum munitum*, ſeu naturâ, ſeu arte, vel utroque, ex ipſa vocis origine; quam ſignificationem vox etiam alibi obtinet, ut Eſ. XXIII, 10. XXV, 4. &c.

In vallo] במערכה *bammaharacha*. LXX. habent ἐν τῇ παρατάξει. Vulgatus, *ſuper quam ante ſacrificium poſuiſti.* Incommodè. Cùm ערך *harach* ſignificet *ordine diſponere*, vox inde deducta מערכה *maharacha* dicitur de omnibus quæ ſunt ordine diſpoſita, ut de Sanctuarii lucernis Exod. XXXIX, 37. de panibus appoſitis, & ordine collocatis Lev. XXIV, 16. de acie inſtructa 1. Sam. XVII, 8, 10. Hîc, ubi ſermo eſt de arce, exiſtimo מערכה ſignificare genus munitionis ordine exſtructæ, quale eſt vallum, aut ſimile quidpiam. Quod alii volunt ſignificari locum, in quo acies inſtructa ſtare ſolebat, mihi non probatur, quia in media acie ſtructum diei non potuit altare clam exſtructum; nec ſtat acies inſtructa in ſumma arce, ſed circa muros, aut vallum diſponitur.

Alterum juvencum] את הפר השני *eth happhar haſſcheni*, ut antea. Mirum eſt cur jubeatur Gedehon duos tauros ſumere, & alterum tantùm eorum mactare. Fortè hunc ſolum in holocautoma obtulit, alterum verò ſalutarem victimam eſſe voluit, ut ejus carnibus exciperet amicos. Sed neſcio cur hoc ſit omiſſum. Qui vertunt את הפר השני לקחת *ſumito* illum *cum juvenco ſecundo*, ii omnia in omnibus poſſent invenire, & lacunam hîc eſſe agnoſcant oportet, neque enim Hebræi ita loquuntur.

Subjectis lignis] *In lignis.*

27. *Non interdiu*] *A faciendo interdiu & fecit noctu.*

29. *Sciſcitati ſunt alii ab aliis*] *Et dixerunt quiſque ad ſocium ſuum—— & quæſiverunt & inveſtigarunt & dixerunt.*

31. *An cauſam Bahalis* &c.] *An vos litigabitis Bahali* תריבון לבעל, hoc eſt, in gratiam Bahalis litem ſuſcipietis, cauſámque ejus agetis?

Liberabitis] Probabitis eum eſſe Deum, quod negabat Gedehon.

Capite plectatur] *Moriatur uſque ad mane.* Oportet Joaſum ipſum conſtantis animi virum fuiſſe, & nonnullorum ſaltem fortium virorum auxilio fretum, qui tam audacter loqueretur.

Cùm dirutum ſit &c.] *Quia diruit altare ejus.* Nominativus ſubintelligitur, ut ſæpe aliàs, quod Latini paſſivâ conjugatione exprimunt, ut vſ. ſequente.

rare. 32. Ideò vocatus eſt *Gedehon* die illo Jerubbahal, cùm diceretur: contendet cum eo Bahal, quia ejus altare diruit.

33. Poſtea omnes Madianitæ, Hamalekitæ, & Orientales convenerunt, trajectóque Jordane, caſtra in valle Jizrehelis poſuerunt. 34. Spiritus verò Jehovæ induit Gedehonem, qui tubâ clanxit, convocavitque ad ſe Abi-hezritas. 35. Dein legatos miſit ad omnes Manaſſitas, qui etiam ad eum convenerunt. Miſit & legatos ad Aſeritas, Zabulonitas & Nephthalitas, qui obviam eis venerunt. 36. Tum Gedehon Deo, ſi, inquit, jam liberaturus es manu meâ Iſraëlem, quemadmodum promiſiſti; 37. en ponam vellus in area, ſi autem ros fuerit in ſolo vellere, ſiccitas verò in omni ſolo *circumquaque*, intelligam te liberaturum Iſraëlem manu meâ, quemadmodum promiſiſti. 38. Quod factum eſt, cùm enim poſtridie mane ſurrexiſſet, conſtrinxit vellus, atque ex eo vellere expreſſit rorem, ex quo calix aquâ impletus eſt. 39. Iterum verò Gedehon Deo, ne, inquit, accendatur ira tua in me, atque hac vice tantùm loquar. Experiar dumtaxat ſemel in vellere. Sit, quæſo, in vellere tantùm ſiccitas, & in toto ſolo *circumquaque* ros. 40. Sic fecit Deus nocte illâ, fuitque ſiccitas in vellere tantùm, & in toto ſolo *circumquaque* ros.

VII.

32. *Vocatus eſt*] *Et vocavit illum die illo* &c. Vide ad Geneſ. XI, 9.

Contendet cum eo Bahal] ירב בו הבעל, *jareb bo habbahal.*

33. *Orientales*] *Filii Orientis.* Vide ad v. 3.

In valle Jizrehelis] Quæ erat ad ſeptemtriones agrorum dimidiæ Tribûs Manaſſæ, ad occaſum Jordanis.

34. *Induit Gedehonem*] לבשה *labeſcha.* Hoc eſt, ſubiit Gedehonem, ἐνέδυσεν, ut habet Vaticanus Codex, cujus Gloſſa videtur ἐνεδυνάμωσεν quod eſt in Alexandrino. Eſt autem ſpiritus fortitudinis, ut Hebraico more loquar, à Deo Gedehoni immiſſus, qui eum propterea induiſſe dicitur, ut Hamaſaïn 1. Par. XII. 18. & Zachariam 2. Par. XXIV, 20. Frequentiùs tamen, inverſâ loquutione, dicuntur homines in Scriptura *induere juſtitiam, induere Chriſtum* &c. ſed eodem ſenſu; niſi quòd hæ poſteriores loquutiones habitum ſignificare videantur, prior verò ſubitum quemdam adflatum.

Convocavit ad ſe &c.] *Et convocatus eſt Abihezer poſt eum.* Cùm ſe in Manaſſitarum, ad Jordanis occaſum, agros contuliſſet, propinquos Abi-hezritas tubâ ad ſe vocavit.

35. *Ad omnes Manaſſitas*] *Ad totum Manaſſen, & convocatus eſt poſt eum.*

36. *Si, inquit, jam liberaturus es*] *Si es liberans.* Vide not. ad Exod. IV, 13. Non ſunt hæc quidem prorſus dubitantis, aut diffidentis, ſed animi infirmitate aliquatenus vacillantis; neque enim putandum ejuſmodi fuiſſe ſpiritum fortitudinis Gedehoni immiſſum, ut omnem animi æſtum excluderet; in tam gravi periculo, quod ſubeundum erat ei, qui bellum Orientalibus illaturus erat.

Promiſiſti] *Dixiſti.* Videtur hiulca eſſe oratio & ſupplendum; *ſignum quod abs te petam, in mei gratiam edito.* Verùm hîc ſenſus facilè ſuppletur, quamquam minimè expreſſus.

38. *Quod factum eſt*] *Et fuit ſic.* Videtur Gedehon veſperi orationem fudiſſe, quam mane ſequente exauditam intellexit.

Ex quo calix &c.] *Plenitudinem calicis aquæ.* Calix hic dicitur ספל *ſephel* ut Cap. V, 25. Utrobique λεκάνην verterunt LXX. Intt.

39. *Experiar*] אנסה *anaſſe*, *tentabo.* Cùm *tentare Deum* in malam partem ſumatur in Scriptura, ut Deut. VI, 16. malui vertere *experiar*, quæ reverâ eſt etiam verbi ſignificatio. Elliptica eſt loquutio, ſubaudiendúmque eſt חנך *hhencha*, favorem tuum, aut ſimile quid.

In vellere tantùm] Suſpicabatur fortè potuiſſe humorem ſiccitate ſoli, aut calore abſorberi, qui major adhæſerat velleri. Itaque contrarium videre etiam cupiebat.

In Caput VII.

1. **O***Mnes copiæ*] *Omnis populus.*

Ad fontem Charadum] עין חרד *hen hharad*, quod ſignificat *fontem trepidationis*, nomen quod fortaſſe ex hoc facto tulit; nam vehementer hîc trepidarunt Madianitæ. Sic κατὰ πρόληψιν eſſet hoc nomen uſurpatum, ut aliud ſimile v. 25. Ceterùm hujus fontis nulla alibi fit mentio.

Juxta collem Moræ] מגבעת המורה *miggibhath hammoreh.* In Codice Vaticano eſt Γαβααθαμωραί, in Alexandrino & Complutenſi ἀπὸ τοῦ βουνοῦ τοῦ Ἀβώρ, in Aldino ἐπὶ βουνῷ τοῦ Μωρὲ, pro Μωρέ. Vulgatus, *ad ſeptemtrionalem plagam collis excelſi.* Meliùs *Moreh* nomen proprium habetur. Vide not. ad Gen. XII, 6.

In valle] Nempe, Jizrehelis, ut antea dictum. Itaque *collis Moreh* fuit ad auſtrum ejus vallis.

2. *Glorietur adverſùs me*] Sibi tribuat, quæ mihi debentur.

3. *Pronuncia audiente populo*] *Clama in auribus populi dicendo: ſi quis* &c.

Si quis timidus &c.] *Quis timidus, meticuloſúſque eſt? revertatur, & confeſtim abeat.*

Ad montana Galaaditidis] מהר גלעד *mehar Gilhad*, quòd LXX. Intt. verterunt ἀπὸ ὄρους Γαλαάδ, Vulgatúſque *de monte Galaad*, eſtque

fine

Digitized by Google

VII. Deus maximam partem exercitûs Gedehonis dimittit, per trecentos viros hoſtes profligaturus, quod ſomnio confirmat. Itaque Gedehon hoſtes ſtratagemate adortus vincit & fugat, ac perſequutus duos Reges capit, quos occidit.

1. MANE ergo ſurrexit Jerubbahal, qui & Gedehon, & omnes quæ cum eo erant Caput
copiæ, ac poſuerunt quidem caſtra ad fontem Charadum. Caſtra verò Ma- VII.
dianitarum ei erant ab aquilone, juxta collem Moræ, in valle. 2. Tum Je-
hova Gedehoni, nimis numeroſæ, inquit, ſunt copiæ quæ tecum ſunt, quàm ut in
manum earum Madianitas tradam; ne glorietur adversùs me Iſraël, dicátque: manus
mea me ſervavit. 3. Igitur pronuncia, audiente populo, ſi quis timidus, meticuloſúſ-
que ſit, licere ei reverti & confeſtim abire ad montana Galahaditidis. *Quo facto, ad
ſuos* redierunt duo & viginti millia virorum, remanſerúntque dumtaxat decem millia.
4. Iterum Jehova Gedehoni, adhuc nimis multæ, inquit, ſunt copiæ; jube eas ad aquam
deſcendere, eáſque illic experiar. Quemcumque dixero tecum ire oportere, is tecum
eat; quemcumque verò vetuero tecum ire, ne eat. 5. Itaque juſſit Gedehon populum
ad aquam deſcendere, dixitque ei Jehova: quicumque linguâ ſuâ aquam lamberit,
ut lambunt canes, eum ſeorſim ſtare jubebis; & omnes eos qui in genua prociderint,
ad bibendum, *ſeorſim.* 6. Fuit autem numerus lambentium, in manu ori admotâ, tre-
cen-

ſine dubio certiſſima ſignificatio præpoſitionis מן *min*. Verùm tamen ex perpetuo Scripturæ uſu conſtat הר גלעד *har gilhad* montanum tractum nobilem dici, ad orientem Jordanis; nec minùs certum eſt Gedehonem cum copiis fuiſſe ad occaſum ejus fluvii, ac proinde eos, qui in caſtris ejus erant, non potuiſſe proficiſci *à monte Galahado*, in quo non erant. Itaque aut vertendum מן min, *ad*, cum aliquot recentioribus Interpretibus, quos, quia in contextu à lectione recepta nuſquam recedere conſtituimus, ſequuti ſumus; quemadmodum etiam verti debuit Gen. XII, 11. aut quærendum aliud quidpiam, quale eſt quod volunt nonnulli, *montem Galahad* dici montem, qui erat in finibus dimidiæ tribûs Manaſſæ, ad occaſum Jordanis, quia Manaſſitæ illi etiam erant Galahado oriundi. Verùm nuſquam ſimile exemplum occurrit in Scriptura, ut *mons Galahad* vocetur mons ullus ad occaſum Jordanis ſitus; nec quòd alii Manaſſitæ eſſent Galahado oriundi, uſus ideò patitur ut quivis Manaſſitarum mons vocetur *mons Galahad*, præſertim in ſimplici narratione, aut edicto, quale hoc eſt. Igitur præſtat מן vertere *ad*, ſi hæc vera ſit lectio. De ea particulæ מן ſignificatione, quamquam rariore, vide *Nic. Fullerum* Miſcell. Sacr. Lib. 1. cap. IV.

Verùm cùm exercitus Gedehonis conſtaret non ſolùm Manaſſitis, ſed etiam Zabulonitis, Nephthalitis & Aſeritis, quorum agri erant ad occaſum Jordanis; quî potuerunt timidi amandari ad montana Galahaditidis, ad ejuſdem fluvii ortum? An fuere ſoli tribules Gedehonis, qui timerent? An viginti duo millia ex ſola illa parte Tribûs Manaſſæ, quæ ad ortum Jordanis incolebat, venerant, decem verò tantùm millia ex aliis omnibus? Hæc parum ſunt, nequid diſſimulem, veriſimilia. Scio *Thomæ Gatakero* Cinni Lib. II. c. 18. videri poſſe verti *ultra montem Galahadum*, ſed cur timidi mitterentur trans montem Galahadum, ultra fines Iſraëlis? Sequentia præterea verba hanc interpretationem reſpuunt, *domum* enim iidem redire jubentur, non ultra limites agrorum, quos Iſraëlitæ ad ortum Jordanis occupaverant. Quid ergo? Legendum omnino putarim non מהר הגלעד *mehar baggilhad*, ſed מהר הגלבע *mehar baggilboah*, nam in monte *Gilboa* caſtra habebat Gedehon; faciléque fieri potuit, etiam ante tempora LXX Intt. ultimas litteras hujus vocis deletas fuiſſe, ita ut legeretur tantùm initium vocis הגל, *baggil*, & à Librario temerè ſuppletas, quaſi legendum eſſet הגלעד, cùm ſupplendum eſſet בוע *boah* & legendum *baggilboah*. Notum eſt vallem Jizrehelis, in qua caſtra metabantur Madianitæ, fuiſſe ad ſeptemtriones montis *Gilboæ*; nec ullus locus caſtris Gedehonis, venientis ad eos ex Manaſſitarum agris, opportunior fuit eo monte, quod rectè obſervavit *Jacobus Bonfrerius* ad vs. 1. Quamvis hæc ſint veriſimillima, nihil tamen in contextu mutamus, ac liberum Lectori facimus priorem noſtram interpretationem ſequi, ſi ita videatur.

4. *Ad aquam deſcendere*] Ad rivum Gilboæ monti ſubjectum & fortè quidem ex fonte Charado profluentem.

Quemcumque &c.] *Et erit quem dixero tibi, hic ibit tecum, ille ibit tecum, & omnis quem dixero, hic non ibit, ille non ibit.*

5. *Juſſit deſcendere*] יורד jored, *fecit deſcendere*; nimirum, juſſu; quo ſenſu ſæpe intelligenda conjugatio *Hiphil*. Vide ſequentia.

Ei] *Gedehoni.*

Stare jubebis] תציג thatſig, *ſtare facies*, jubebis ſeorſim ſtare.

6. *Lambentium manu ori admotâ*] *In manu ſua ad os ſuum.* Intelliguntur qui manu aquam hauſerant, eámque è manu ſtantes bibebant, nequaquam inflexis genibus. Hi oſtendebant ſe aut non ita ſitire, aut ſitim conſtantiùs ferre, cùm ſenſim biberent; ac proinde audaci cœpto aptiores eſſe videbantur. Contrarium in hac hiſtoria habet *Joſephus*, ſed à Scriptura diſſentit, quæ nos docet dimiſſos fuiſſe timidos.

centorum virorum; reliquus verò omnis populus, ad aquam bibendam, in genua procidit. 7. Tum Jehova Gedehoni, per trecentos, inquit, viros, qui lamberunt, vos liberabo, tradámque Madianitas in manum tuam. Totus verò *reliquus* populus, quiſque domum abeat. 8. Deinde copiæ commeatum in manum & tubas ſumſere, & *Gedehon* quidem dimiſit viros omnes Iſraëlitas, unumquemque ad tentoria, trecentóſque illos viros dumtaxat retinuit. Caſtra Madianitarum infra eum in valle erant.

9. Illa autem ipsâ nocte, dixit ei Jehova: ſurge, deſcende in caſtra, nam ea in manum tuam tradidi; 10. ſique verearis deſcendere *cum copiis*, in ea caſtra tu & ſervus tuus Phura deſcendite, 11. & cùm audiveris quid dixerint *hoſtes*, confirmabuntur manus tuæ & *cum copiis* eò deſcendes. Deſcendit itaque, ipſe & Phura ſervus, ad extremitatem armatorum, qui erant in caſtris. 12. Madianitæ, Hamalekitæ & Orientales omnes jacebant in valle, inſtar locuſtarum, ſi multitudinem ſpectes; nec camelorum ullus erat numerus, ſed multitudine erant inſtar arenæ, quæ eſt in littore maris. 13. Cùm ingreſſus eſſet Gedehon, ecce virum narrantem alii ſomnium, qui dicebat: ſomniavi, atque

Ad aquam bibendam in genua procidit] Intelliguntur qui prociderunt primùm in genua, deinde corpus proſtraverunt, ut poſſent ore ex ipſo rivo aquam haurire & copioſiùs bibere. Cujus rationis bibendi exempla vide apud *Joan. Dougtæum* Anal. Sacr. Excurſ. LXXI. Hi minùs ſitim ferre potuiſſe videntur, quàm alii, ac proinde minùs ſtrenui. Hic autem omiſſam eſſe oportet circumſtantiam, quæ facilè ſuppletur; nimirum, juſſiſſe Gedehonem milites bibere, & quidem ita ut nullo calice, aut alio vaſe uterentur. Nam non eſt credibile, in decem millibus hominum, ne unum quidem fuiſſe, qui ſcyphum, aut vas ſecum adtuliſſet, quo aquam hauriret & commodiùs biberet, aut aliquem etiam caſſide aquam non hauſiſſe, ut factitabant milites Romani. Certè conſtat ex v. 16. non defuiſſe teſtas exercitui.

7. *Domum*] *In locum ſuum.*

8. *Et tubas*] *Et tubas ſuas.* Juſſu Gedehonis, qui jam animo ſtratagema conceperat, quo poſtea uſus eſt. Alioqui trecentis viris tot tubis opus non erat, nec ſolebant ſinguli milites tubam habere.

Tentoria] Hoc eſt, domos, metaphorâ à Scenitis ductâ.

9. *Deſcende*] Nempe, cum trecentis viris, per quos Deus ſe liberaturum Iſraëlem promiſerat, non per ſolum Gedehonem.

Ea in manum tuam tradidi] Hoc eſt, efficiam ut, te in ea irruente, Panico terrore ſubitò perculſus hoſtis aufugiat. Nihil ſupereſt, niſi ut tu irruas.

10. *Cum copiis*] Res ipſa oſtendit, aut hoc omiſſum à Librariis, aut facilè ſupplendum à Sacro Scriptore prætermiſſum. Certè aut hoc, aut ſimile quidpiam ſuppleri neceſſe eſt. Deus enim jubebat, antecedentibus verbis, Gedehonem deſcendere non ſolum, ſed cum copiis quas habebat, ut ex re & oppoſitione ipſa liquet. In tam brevi hiſtoria, multa ſupplenda, ſine quibus vix inter ſe connexa eſt narratio. Hinc factum ut *Joſephus* tam multa de ſuo Hiſtoriæ Sacræ adſuerit; quam ubi probè intellexit, toleranda ſunt additamenta, ſed malè intellectam ſæpe corrupit, quod in hac hiſtoria videre eſt, Ant. Jud. Lib. V. c. 8.

11. *Cùm audiveris*] *Et audies — & poſtea confirmabuntur.*

Armatorum] החמשים *hahhamuſchim.* LXX. Intt. πεντήκοντα, quaſi legiſſent חמישים *hhamiſchim.* Rectiùs Latinus *armati*, qua de re vide ad Joſ. I, 14. Hoc vult Scriptor Sacer, Gedehonem non inter impedimenta & calones, qui circa caſtra erant, ſed ad armatos uſque penetraſſe.

12. *Nec camelorum ullus erat numerus*] Qua in re ſita erat olim, ut & hodie, non exigua pars opum Arabum; qua de re vide *Sam. Bochartum* P. I. Hierozoïci Lib. II. c. 12.

13. *Toſtum panem hordeaceum*] צליל לחם שערים *tſelil lehhem ſcheborim.* LXX. μαγὶς ἄρτου κριθίνου. Vox μαγὶς obſcura eſt, propter ambiguitatem, cùm ſignificet menſam, lancem, mactram, & offam. Sed poſtremus ſignificatus videtur præferendus, quia de pane hîc ſermo eſt. Eo ſenſu occurrit apud *Dioſcoridem* Lib. I. c. 128. de Ladano, vertitúrque à *Plinio* Lib. XII. c. 17. *offa.* Hinc *Joſephus* Ant. Jud. Lib. V. c. 8. interpretatur μάζαν κριθίνην. Vulgatus habet: *ſubcineritius panis ex hordeo.* Eſt צליל *tſelil* ſine dubio à radice צלל *tſalal*, quæ, pro conſuetudine Linguæ Hebraicæ, confuſa interdum eſt cum צלה, quæ ſignificat *torruit.* Itaque צליל erit *placenta torta.*

14. *Nihil aliud niſi gladius*] Si credimus *Artemidoro*, Onirocr. Lib. I. c. 11. ἄρτοι κρίθινοι πᾶσιν ἀγαθοὶ, *panes hordeacei omnibus ſunt boni*; ſi, nempe, quis ſomniet ſe eos edere. Sed Madianita, ex eo quod panis hordeaceus evertere tentorium videretur, collegit Hebræos, quorum fruges depaſcere ſolebant Madianitæ, ſuperiores futuros. Quod quamvis humanâ fortè conjecturâ diceret, aut ſibi dicere videretur; ſine adflatu quem non ſentiebat, aut ſine divina providentia non dixit eo ipſo tempore, quo aderat *Gedehon*, ut hic inde animum ſumeret.

15. *Deum adoravit*] Supplevimus vocem Deum; res enim poſtulare videtur, ut Gedehon Deum adoraret, eique gratias ageret ob id quod audiverat. Vidit enim ex interpretatione ſomnii, Deum omnino ſtatuiſſe perdere Madianitas.

16. *Vacuas teſtas*] כדים ריקים *kaddim rekim.* Teſtacea hæc fuiſſe vaſa liquet ex vs. 19. LXX. Intt. ὑδρίας verterunt, *Hieronymus lagenas*; unde confirmatur id quod antea dicebamus, de omiſſa neceſſaria circumſtantia, ad v. 6.

Lampadibus] לפדים *lapphidim*, hoc eſt, craſſiores faces ex pice, aut cera, reſináve confectas, quæ vento facilè non extinguerentur, ut ſequentia docebunt.

18. *Clangetis circa omnia caſtra*] Addendum quod narratur de fractione teſtarum, & geſtatione

atque ecce toſtum panem hordeaceum, qui volvebatur per caſtra Madianitarum, pervenitque ad tentorium, quod percuſſit, ita ut corrueret; evertit enim illud è ſuperiori parte & tentorium concidit. 14. Reſpondebat verò alter, dicebátque: hoc nihil aliud eſt, niſi gladius Gedehonis, Joaſi filii, viri Iſraëlitæ, in cujus manum tradidit Deus Madianitas & univerſa eorum caſtra.

15. Cùm verò audiſſet Gedehon ſomnii narrationem, ejúſque interpretationem, *Deum* adoravit & reverſus in caſtra Iſraëlitarum dixit: ſurgite, nam in manum veſtram Madianitarum caſtra tradidit Jehova. 16. Tum diviſit trecentos viros in tria agmina, deditque tubas in omnium eorum manus, & vacuas teſtas cum lampadibus in teſtis. 17. Præterea, ex me, inquit, videbitis *quid ſit faciendum* & ſic facietis. En ingrediar extremitatem caſtrorum, & quemadmodum fecero ſic facietis. 18. Canemus tubâ ego & quicumque mecum ſunt, & vos *ſimiliter* clangetis circa omnia caſtra, dicetíſque: *gladius* Jehovæ & Gedehonis. 19. *His dictis*, ingreſſi ſunt Gedehon & centum viri, qui cum eo erant, initio mediæ *noctis* vigiliæ, in extrema caſtra, &

tione ſacum; quod ſibi faciendum eſſe intelligere non potuiſſent duo agmina à Gedehone remota, niſi præmonita.

Gladius Jehovæ & Gedehonis] Supplevimus ex v. 20. חרב *hhereb*, gladius, quâ voce omiſſâ, non video quid ſignificent אמרתם ליהוה ולגדעון & *dicetis*, *Jehovæ & Gedeonis*, genitivi enim illi per ſe conſiſtere nequeunt. Neque etiam dativi eſſe poſſent, ut oſtendit v. 20.

19. *Initio mediæ noctis vigiliæ*] ראש האשמרת התיכונה *roſch haaſchmoreth hatthiconah*. LXX. verterunt ἐν ἀρχῇ τῆς φυλακῆς μέσης, ut eſt in Vaticano, vel ἀρχομένης τῆς φυλακῆς τῆς μεσαίας, ut eſt in Complutenſi, Aldino & Alexandrino. Vulg. *incipientibus vigiliis noctis mediæ*. Similis loquutio eſt Thren. II, 19. In Vet. Teſtamento, mentio fit dumtaxat duarum vigiliarum, *matutinæ*. nempe, Exod. XIV, 24. 1. Sam. XI, 11. & *mediæ* hoc in loco; unde meritò collegerunt Interpretes veteribus Judæis fuiſſe tantùm tres vigilias, quia media dici non poſſet, niſi eſſet inter primam & ultimam, medio intervallo poſita. Vide Interpretes Thalmudis ad Cod. *Beracboth* Cap. 1.

Eſt tamen, quod diſſimulari nequit, vir longè doctiſſimus *Joſ. Scaliger*, qui Lib. VII. Emend. Temporum, in notis ad Computum Judaicum, rem aliter intelligit. Verba faciens de diviſione νυχθημέρου apud Judæos; *totum hoc intervallum*, inquit, *quadrifariam dividebant, quadrantes ipſos vigilias vocabant, ut & Romani & Græci. Primus quadrans à ſole occaſo ad mediam noctem* אשמורת ערב *dicebatur. Apoſtoli vertunt* ὀψίαν *ſimpliciter. Sequebatur hanc* אשמורת התיכונה, *vigilia media, à media, ſcilicet, nocte ad ſolem orientem, ob id dicta, quod inter duos ſoles interjecta eſſet, inter occaſum lucis antecedentis, & ortum lucis ſequentis. Deinde ſequebatur* אשמורת הבוקר *vigilia matutina à ſole orto ad meridiem. Apoſtoli* πρωΐαν. *Poſtremò quarta vigilia*, הצהרים, *meridies, à ſexta hora ad duodecimam & ſolem occaſum. Priſca hæc Hebræorum partitio fuit Pſ.* LV, 18.

Verùm hæc omnia, quod mireris, mera ſunt figmenta, univerſæ Antiquitati & ipſius *Scaligeri* ſententiæ alibi expoſitæ contraria. I. Falſum eſt vigilias fuiſſe apud Veteres ſex horarum, ita ut nox haberet duas vigilias, dies item duas, nec ullum locum hanc in rem profert *Scaliger*. II. *Media vigilia* noctis non poteſt ullâ ratione dici ſpatium ſex horarum, quod à media nocte ad ſolem orientem labitur; cùm non ſit magis inter duos ſoles interjectum, quàm priores ſex noctis horæ. III. Falſum eſt *vigiliam matutinam* dici ſex priores horas diei, & *quartam* ſex poſteriores. Nam apud Scriptores Sacros V. T. mentio ſit tantùm duarum vigiliarum, ut vidimus, *mediæ & matutinæ*; reliquorum, quæ habet *Scaliger*, ne minimum quidem apud eos veſtigium; nec apud Græcos etiam & Latinos ullum vigiliarum ſex horarum argumentum profertur. Locus Pſalmi LV. 18. reſpicit ad preces quæ ter intra lucem fiebant, mane, meridie & veſperi: *veſperi*, inquit Pſaltes, *mane & meridie loquar, & tumultuabor & audiet vocem meam.* Conſulantur Interpretes ad eum locum.

Sed pergit *Scaliger*, &, *poſtea*, inquit, *in tres partes, ſive vigilias noctem ipſam diviſerunt, more Romano. Vide Auſonium in ternario.* Prioribus temporibus, Judæos diviſiſſe noctem in pauciores partes, quàm tres, non probavit *Scaliger*. Ex appellatione contrà *mediæ* noctis *vigiliæ*, ſatis liquet diviſam fuiſſe in tres, ab antiquiſſimis temporibus, apud Hebræos. Verùm apud Romanos, diviſa nox fuit in quatuor partes, ut vulgò notum, multisque oſtendit *Juſt. Lipſius* de Militia Rom. Lib. V. c. 9. Nec hoc ſanè *Scaliger* ignoravit, ut liquet ex Cap. XVII. Lib. I. Lectionum ejus Auſonianarum. Judæi quoque, tempore Chriſti, eam diviſionem ſequebantur, ut liquet ex Matth. XIV, 25. & Marc. VI, 48. ubi mentio fit quartæ vigiliæ nocturnæ. Sed audiamus & reliqua quæ hac de re habet ſummus vir: *Proinde* τῆς δευτέρας καὶ τῆς τρίτης φυλακῆς *meminit Dominus apud Lucam XII. Sed in Marco XIII. prima pars vocatur* ὀψὲ, *ſecunda* μεσονύκτιον, *tertia* ἀλεκτοροφωνία. Sed annon mentio fit etiam τετάρτης φυλακῆς noctis, quam apertè memorant Matthæus & Marcus? Nempe, non recordabatur vir doctiſſimus, niſi eorum quæ favebant opinioni temerè arreptæ, cetera oblivioni mandabat. *Quare in* ריש ברכות *ita ſcriptum eſt:* ecce quod dicimus eſſe tres vigilias noctis, & ſingulis vigiliis Deus benedictus dicit: heu quòd deſolavi domum meam! *Judaicum quidem oraculum & ineptum, ſed quod verum eſt de triplici vigilia noctis, idque inſtituto Romano.* Imo verò falſum de inſtituto Romano, ſed verum de antiquo Judaïco. Scio à *Scaligero* antea nos amandatos ad Trinarium *Auſonii*, ubi hæc inter alia quæ terna ſunt memorantur:

& excitantes quidem vigiles clanxerunt tubis, confregerúntque teſtas, quæ in eorum manibus erant. 20. *Simul* clanxerunt tubis tria agmina, fregerúntque teſtas ac ſiniſtrâ arripuerunt lampades, dum in dextra erant tubæ quibus canebant, inclamantes *ſubinde:* gladius Jehovæ ac Gedehonis. 21. Quiſque eorum loco ſuo conſtitit, circa caſtra, & tota caſtra cœperunt diſcurrere, vociferari ac fugere. 22. Cum trecenti tubis canerent, convertit Jehova gladios aliorum in alios per tota caſtra, quæ fugerunt uſque ad Beth-ſittam, Tſeredatham versùs, uſque ad ripam Abel-mecholæ, ad Tabbatham. 23. Tum convocati Iſraëlitæ è Nephthalitis, Aſeritis & ex univerſa Manaſſitide perſequuti ſunt Madianitas; 24. nunciósque miſit Gedehon per omnia Ephraïmi montana, qui dicerent: deſcendite obviam Madianitis, & occupate ante illos aquam Beth-baram uſque, Jordanem, nempe; & convenerunt viri omnes Ephraïmi ac occuparunt aquam uſque ad Beth-baram, nempe, Jordanem. 25. Ceperunt duos duces Madianitarum, Horebum & Zeebum, & eos interfecerunt, ac Horebum quidem ad rupem Horebi, Zeebum verò in torculari Zeebi. Perſequuti ſunt ergo Madianitas & capita Horebi & Zeebi adtulerunt ad Gedehonem, ex *ora quæ eſt* trans Jordanem.

VIII.

— *Trimeſtres*
Annorum cœlique vices, noctiſque per umbram
Ter gemini vigiles.

Sed quod *Scaliger*, ſcribens de Emendatione Temporum, credebat ſignificare in tres vigilias diſtinctam noctem fuiſſe, idem in Auſonianis Lectionibus interpretatur de ternis vigilibus, qui ſingulis quatuor vigiliis excubabant. Utrumque tamen confutat *Juſt. Lipſius*, loco laudato, ſed interea fatetur ſibi Griphum eſſe locum *Auſonii*; quem ſic emendatum vult, *per umbram trigeminam*, hoc eſt, per tres horas ſingularum vigiliarum. Sed fortè *Auſonius* inaudiverat quidpiam de nocte, apud Hebræos, in tres vigilias diviſa; quam diviſionem ſequuti etiam ſunt Monachi Chriſtiani, ut oſtendit *Edm. Martennus*, de ritibus Monachorum Lib. I. c. 2. eoque fortè reſpexit Poëta. Hæc de vigiliis dicenda nobis putavimus, ne quis, magni viri auctoritate adductus, in errorem incideret. Neſcio porrò cur *Joſephus* pro media vigilia poſuerit τετάρτην φυλακήν, niſi fortè paullò ante diem malit impetum in hoſtes factum, quàm mediâ nocte.

Et excitarant quidem vigiles] אך הקם הקימו ach hakem hekimou, *etiam excitando excitarunt*, nam אך ſignificat interdum *& quidem*, *etiam*, ut Exod. XII, 15.

20. *Fregerúntque teſtas*] In quibus latuerant faces, ne venientes in caſtra cernerentur; quæ cùm eſſent ingreſſi, ſubitâ jactatione lampadum & tubarum cantu, clamoribúſque, tantum terrorem & tumultum crearunt, ut inter ſe ſociorum copiæ concurrerint.

Dum in dextra erant &c.] *Et in manu eorum dextra tubæ ad clangendum, & clamabant* &c.

Gladius Jehovæ & Gedehonis] Elliptica oratio, in qua ſupplendum, *imminet cervicibus veſtris*, aut ſimile quiddam. Conjungitur autem Jehovæ Gedehon, quia ejus inſtinctu, hac in re, agebatur. His vocibus auditis, Madianitæ, Hamalekitæ, & Arabes perturbati ſunt, uti narrat Hiſtoria; cùm præſertim tribus ex locis, intempeſtâ nocte, ejuſmodi voces audirentur; quibus facilè poterant adduci, ut crederent ingentes Iſraëlitarum copias adeſſe, cùm trecentas tubas audirent. Vide ſimile Stratagema. Gen. XIV, 15. 1. Sam. XI, 11. Sic *Dioetas*, ut auctor eſt *Polyænus* Lib. II. c. 37. ingreſſus Heræam, cùm timeret ne multitudine oppidanorum opprimeretur, τὰς σαλπιγκτὰς ἐκέλευσεν εἰς πολλὰ μέρη τῆς πόλεως διαστάντας τὸ πολεμικὸν σημαίνειν, *juſſit tubicines, in multis partibus urbis diſpoſitos, claſſicum canere.* Οἱ δὲ Ἡραιεῖς πολλαχόθεν πολλῶν σαλπίγγων ἀκούοντες περιηχούμενοι πάντα μεστὰ πολεμίων εἶναι νομίσαντες ἐξέλιπον τὴν πόλιν: *Heræenſes multis ex locis multas tubas audientes, cùm ſonitu circumquaque percellerentur, rati omnia plena eſſe hoſtibus, urbem deſeruerunt.* Idem contigit hoſtibus Iſraëlitarum. Alia etiam ſimilia ſtratagemata idem Scriptor habet, quæ non exſcribam.

21. *Tota caſtra cœperunt diſcurrere*] *Et cucurrerunt tota caſtra, & vociferata ſunt & fugerunt.*

22. *Convertit gladios aliorum in alios*] *Poſuit gladium cujuſque in ſocium ſuum.* Suſpecti, nempe, erant facti qui proximè tendebant, quaſi proditores.

Quæ fugerant, *Et fugerunt.*

Beth-ſittam] Ubi hæc urbs ſita fuerit, ut & *Tſereda*, aut *Tſeredatha*, non ſatis conſtat. Sed ſi conſideremus horum quidem caſtra fuiſſe in valle Jizrehelis, quæ ad Campum Magnum uſque extendebatur, Jordanem verſùs; patriam verò trans eumdem fluvium ad ortum, ac denique Abel-mecholam in Magno Campo ad auſtrum Beth-ſanis fuiſſe; facilè intelligemus Beth-ſittam & Tſeredam fuiſſe ad Jordanem ſitas, inter Beth-ſanem, & Abel-mecholam; hac enim patriam repetentes fugere oportuit Iſraëlitarum hoſtes, ſi in patriam redire vellent. Sanè ne hac poſſent tranſire, Iſraëlitæ, ut in ſequentibus habet Hiſtoricus Sacer, vada Jordanis occuparunt.

Ad ripam Abel-mecholæ] Hoc eſt, ad ripam Jordanis è regione Abel-mecholæ, de cujus ſitu ita *Euſebius:* Κώμη νῦν ἐστὶν ἐν τῷ Αὐλῶνι, Σκυθοπόλεως διεστῶσα σημείοις ι΄. ἣ νῦν καλεῖται Βηθμαελά. Ἔστι δὲ καὶ Ἄβελ νέα κειμένη ἀπὸ Νέας πόλεως εἰς Σκυθόπολιν. Interprete Hieronymo: *Eſt autem nunc vicus in Aulone, de quo infra, in decimo à Scythopoli milliario, contra Auſtralem plagam, nomine*

VIII. Ephraïmitas indignantes placat Gedehon, perſequénſque Madianitas trans Jordanem, commeatum petit à Succhothitis & Phenuelitis, quibus negantibus minatur. E victoria redux pœnas de iis ſumit, regnum Iſraëlis oblatum repudiat contentus hoſtium inauribus; ex quorum pretio Sacerdotem conſtituit Hophræ, contra leges Moſis. Denique moritur, eóque mortuo Bahales colunt Iſraëlitæ, nec Gedehonis familiæ gratias benefactorum rependunt.

1. TUM Ephraïmitæ *illi*, cur, inquiunt, ſic te nobiſcum geſſiſti, qui nos minimè Caput VIII.
vocaſti, cùm vadebas, ut pugnares cum Madianitis? gravitérque cum objurgarunt. 2. Ille verò hominibus, quid verò nunc, inquit, inſtar veſtri feci? An-
non potior eſt racematio Ephraïmi vindemiâ Abi-hezeris? 3. In manum veſtram tradidit Deus duces Madianitarum Horebum & Zeebum, quid potui facere ſimile eis, quæ
geſſiſtis? Tum remiſit ira, quam contra eum conceperant, cùm hæc verba diceret. 4. Ve-
nit quoque Gedehon ad Jordanem, *eúmque* trajecit, ipſe & trecenti viri, qui cum eo erant,
defeſſi perſequendo. 5. Dixit verò Succhothitis: date placentas panis copiis, quæ me ſequuntur;

mine Bethabula. Sed & Abelmea villula nunc nuncupatur, inter Neapolin & Scythopolin.

Ad Tabbatham] Ubi fuerit *Tabbath* aliunde non conſtat, ſed in vicinia Abel-mecholæ fuiſſe hinc liquet.

24. *Occupate ante illos*] *Capite illis.*

Beth-baram uſque] בית-ברה. *Euſebius* de hac urbe aliud nihil habet, niſi eſſe aquam, quam occupavit Gedehon. *Hieronymus* addit: *interpretatur domus aquæ, ſeu putei*, quaſi legendum eſſet בית-בארה *beth-beera*. Suſpicarer, ſi qui faverent libri, aut Interpretes, legendum בית-עברה *Beth-habarah*, hoc eſt, domus tranſitûs; qui locus ad Jordanem erat & Joannis Baptiſtæ præſentiâ & baptiſmate poſtea nobilitatus eſt, de quo vide *Hieronymum* in *Bethbaara*, quod ſcribi potiùs debet *Bethabara*, ut apud Joann. I, 28. Cùm, nempe, hic ultimus eſſet locus ad auſtrum (quippe è regione Jerichuntis) per quem ſolebat trajici Jordanes, & finitimus agris Tribûs Ephraïmi; non mirum eſt Gedehonem auctorem fuiſſe Ephraïmitis præſidii, ad ripam Jordanis, illic collocandi.

Nempe, Jordanem] ואת ירדן *& Jordanem.* Cùm hoc explicationis gratiâ addatur, ut intelligantur ſuperiora verba, *aquam Bethberam uſque*, conjunctivam particulam, cum aliis Interpretibus, *nempe* vertimus, quæ non eſt infrequens ejus ſignificatio, ut docebit *Chr. Noldius*. Vide ad Deut. III, 25.

25. *Horebum & Zeebum*] שרב ואב quæ nomina ſignificant *corvum* & *lupum*, malè ominatas appellationes. Fortè ſunt hæc cognomina iis, ob prædandi aviditatem, ab Iſraëlitis impoſita.

Ad rupem Horebi] Sic, nempe, deinde ab hoc caſu dictam, ut & *torcular Zeebi* ex cæde Zeebi nomen traxit. Eſt πρόληψις, ut v. 1.

Ex ora quæ eſt trans Jordanem] מעבר לירדן *mebeber lajjarden*. Itaque Ephraïmitæ, non contenti ſervaſſe Jordanis vada, eum fluvium trajecerant.

In Caput VIII.

1. *Ephraïmitæ*] *Vir Ephraim.* Hæc videntur contigiſſe confecto bello, quamvis hîc antequàm narratio ejus abſoluta ſit, collocentur; neque enim Ephraïmitæ priùs Gedehonem convenire potuerunt, quàm rediiſſet. Ac ſanè videntur hæc geſta eſſe poſt reditum ejus ad occaſum Jordanis. Vide Cap. VII. v. ult.

Cur ſic] *Cur hanc rem feciſti nobis.* Nimirum, Tribus agris ac viris potens bellum ſine conſilio ſuo ſuſceptum ægrè ferebat; quamvis ipſa id aggredi auſa non eſſet.

2. *Inſtar veſtri*] Sic loquitur quia, ut in fine ſuperioris capitis vidimus, Ephraïmitæ occiderant Duces ipſos Madianitarum; quod facinus modeſtè ſuis rebus geſtis præfert, ut hominum iram leniret. Alioqui multò majoris erat animi adgredi Reges copiis ſuis omnibus einctos, antequàm ullam eladem paſſi eſſent, quàm jam fugientes & fortè latitantes occidere.

Annon potior eſt &c.] Proverbium eſt quo, comparatione inſtitutâ, cujuſpiam divitiæ multùm præferuntur alterius opibus; quia multò ditiorem eum eſſe oportet, cujus recematio potior eſt vindemiis aliorum. Hîc *racemationem* vocat Gedehon id quod fecerant Ephraïmitæ, ad perſequendam victoriam jam ab ipſo partam, quàm *vindemiæ* nomine intelligit. Sequentia hunc eſſe ſenſum oſtendunt.

Abi-hezeris] Nomen eſt conditoris familiæ Gedehonis, ut vidimus Cap. VII. Ideóque ſe & cognatos, qui belli ſignum primi ſecum ſuſtulerant, eo nomine deſignat. Alibi etiam *vindemia* cladem ſignificat, ut Apoc. XIV, 18, 19.

3. *Ira quam contra eum conceperant*] *Spiritus eorum ab illo.*

Diceret] ברברו *bdabbero*. Sic meliùs Occidentales, quàm ברברי *bdabberi*, ut legerant Orientales, quod merum eſt Librarii peccatum.

4. *Eúmque trajecit*] עבר *hober*, trajiciens, aut eſt pro ועבר *vehabar*, & trajecit, quod malim.

Defeſſi perſequendo] *Defeſſi & perſequentes.*

5. *Succhothitis*] *Viris Succhoth.* De quo oppido vide ad Gen. XXXIII, 17. Trans Jordanem fuit, è regione Scythopoleos.

Copiis, quæ me ſequuntur] *Populo qui in pedibus meis.*

6. *An*

quuntur; nam feſſæ ſunt, & ego quidem perſequor Zebachum & Tſalmunam Madianitarum Reges. 6. At Succhothitarum principes, an palmæ, inquiunt, Zebachi & Tſalmunæ ſunt in manu tua, ut exercitui tuo panem demus? 7. Itaque, ait Gedehon, cùm Jehova Zebachum & Tſalmunam in manum meam dederit, cum ſpinis deſerti & tribulis triturabo carnem veſtram. 8. Inde Phenuelem ſe contulit, pariáque dixit Phenuelitis, qui ei quemadmodum Succhothitæ reſponderunt. 9. Dixit igitur etiam illis; cùm incolumis redibo, hanc turrem diruam. 10. Zebachus & Tſalmuna Karkore erant, caſtráque habebant circiter quindecim millium hominum, *qui fuerunt* quicumque ſuperſtites erant ex univerſis caſtris Orientalium. Ceciderant autem centies vigeſies millies virorum gladium educentium.

11. Contendit verò Gedehon per viam Scenitarum, ab oriente Nobachi & Jogbehæ, concîditque ea caſtra, quæ ſecurè *illic* erant. 12. Fugerunt quidem Zebachus & Tſalmuna, at eos perſequutus cepit duos illos Reges Madianitarum & tota caſtra perterrefecit. 13. Reverſus eſt Gedehon, Joaſi filius, ab eo bello, ante ortum ſolis, 14. captúmque adoleſcentem, è Succhothitis, ſciſcitatus eſt, qui ſcripſit ei principes Succhothitha-

6. *An palmæ ſunt in manu tua*] Hoc eſt, an ſunt in tua poteſtate, ut, invitis illis, aut ſpretâ eorum gratiâ & auctoritate, tibi commeatum præbeamus? Succhothitæ, nempe, timebant ne cum aliis copiis redirent Reges Madianitarum, pœnáſque à ſe repeterent, ſi commeatu Gedehonem juviſſent, quem cum paucis venientem ſpernebant.

7. *Cum ſpinis deſerti* &c.] Ratio hujus ſupplicii obſcura eſt. Conjectant Interpretes hoc minari Gedehonem, ſe nudos Succhothitas & terræ afflictos, unà cum ſpinis & tribulis trituraturum, ſuper impoſitis trahis, quemadmodum in Oriente fieri aliquando ſolebat. Vide 2. Sam. XII. v. ult. Atrox ſanè ſupplicium, ſed flagitioſum erat Iſraëlitas popularibus ſuis commeatum negare, poſt tantam victoriam, dumtaxat præ metu reditûs hoſtium; ad quos profligandos, ne vitæ quidem ſuæ ullum Iſraëlitam parcere oportuit.

8. *Phenuelem*] Locus, in quo Jacobus cum Angelo luctatus eſt, ad Jabbokum torrentem. Vide Gen. XXXII, 30.

10. *Karkore*] *Euſebius* de hoc loco: Καρκὰ ἔνθα Ζεβεὲ καὶ Σαλμανὰ ὡς ἀνεῖλε Γεδεών, καὶ ἔστι νῦν Καρκαρία φρούριον ἀπέχον Πέτρας τῆς πόλεως μονῆς ἡμέρας. Hieronymus: *Carcar, ubi filii* (lege *ſimul*) *Zebea* (Zebee) *& Salmana, quos interfecit Gedehon, & eſt uſque hodie caſtellum, cognomento Carcaria, unius diei itinere à Petra diſtans.* Videtur fuiſſe in Galahaditide, nam Petra erat in Moabitide. Vaticanus Codex LXX. Intt. habet ἐν Καρκάρ. Alexandrinus ἐν Καρκά. ut habet *Euſebius*. Sed mirum eſt Latinum Interpretem pro hac voce habere *requieſcebant*, niſi fortè exciderit *in Carcar*.

11. *Per viam Scenitarum*] Per viam, quæ ad Scenitarum Arabum ſolitudines ducebat, & per quam in patriam hoſtes redibant. *Scenitas* diximus, more Græcorum & Latinorum, qui duobus verbis dicuntur ab Hebræis שכני באהלים *ſchechoune bahoalim*, habitantes in tentoriis; quibus verbis ſignificantur Arabes, qui ſine urbibus & pagis vitam agebant ſub tentoriis, quæ huc illuc, pro aquæ & pabuli copia, transferebant. Ideò Chaldæus habet ערבאי *Arabum*, qui tamen abſurdè ita pergit: דשרן בשכנין במדברא מדנחא לנובח ורמתא: *habitantes in Scenis in deſerto ad orientem Nobachi & Ramothæ.* Vide not. ad Gen. XIII, 4.

Nobachi] לנבח *lenobach.* Erat urbs hujus nominis in Tribu Manaſſæ, trans Jordanem, ut docemur Num. XXXII, v. ult. ubi priùs *Kenatha* vocata dicitur.

Jogbehæ] In Tribu Gad trans Jordanem, ut liquet ex Num. XXXII, 35. Erat ergo vicina Nobacho. Perabſurdè *Euſebius* & *Hieronymus* hanc urbem miſcuerunt cum *Nob*, quæ erat ad occaſum Jordanis, & urbs ſacerdotalis. Νωβὰ (pro Νοβὶ) ἔνθα ἀνέβη Γεδεών, ἡ ἦ πόλις ἱερέων, ἣν κατέσκαψε Σαούλ. *Nabbe, ſive Nobba*, inquit Hieronymus, *ad quam adſcendit Gedehon, urbs Sacerdotibus ſeparata, quam poſtea legimus Saülis furore ſubverſam.* Error eſt manifeſtus, cùm & ſitus, & nomen differant. Sed *Euſebius* Hebraïcè imperitus neſciebat diſcrimen τοῦ נבח *nobahh*, & τοῦ נב *nob*; nec *Hieronymus* ſat accuratus fuit, ut hoc inquireret. Præterea omiſit *Euſebius Jogbeham*, fortaſſe quia hoc nomen omiſſum erat in Codice quo utebatur, ut in Aldino & Alexandrino, ubi eſt ἐξ ἐναντίας Ναβὶ, aut Ζαβεὶ, pro nomine *Jogbehæ*, quæ tamen in Vaticano Codice vocatur Ἰεγεβάλ.

Quæ ſecurè illic erant] *Et caſtra erant in ſecuritate*; quia putabant Iſraëlitas eò uſque non venturos.

13. *Ante ortum ſolis*] מלמעלה החרס *milmahaleh hebhares*, hoc eſt, *ſupra ſolem*; nam חרס, *hheres*, ſine dubio eſt *ſol*. Nec video quid *ſupra ſolem* eſſe poſſit, niſi ſignificetur tempus, quo ſol infra horizontem noſtrum eſt, ſeu poſt occaſum initio noctis, ſeu ſub ejus finem, antequàm oriatur ſol. LXX. Intt. habent, in Cod. Vaticano, ἀπὸ ἐπάνωθεν τῆς παρατάξεως Ἀρές, in Alexandrino verò & aliis τῆς ἀναβάσεως Ἀρές. Vulgatus: *ante ſolis ortum*. Sic quoque vertimus: non quòd putemus illâ ipsâ nocte, cujus mediâ vigiliâ, Madianitarum caſtra ingreſſus eſt Gedehon, confectum fuiſſe bellum ante ortum ſolis. Quæ narrata ſunt tam brevi tempore fieri non potuerunt, præſertim vernâ nocte; verna autem erat Madianitarum expeditio, ad corrumpendas fruges, ut ex Cap. VII. liquet. Itaque loquutionem hanc *ante ortum ſolis*, intellexerim de nocte quæ ſequuta eſt eam noctem; quâ Gedehon, cum trecentis tubicinibus & faces gerentibus, caſtra Madianitarum ingreſſus eſt. Liquidum, præter antea dicta, hoc fit ex eo quod caſtra illa quindecim millium hominum,

thitarum, eorúmque ſenes, ſeptuaginta ſeprem viros. 15· Tum ivit ad Succhothitas
&, en Zebachum, inquit, & Tſalmunam, de quibus probra in me jeciſtis, his ver-
bis: an palma Zebachi & Tſalmunæ nunc in manu tua eſt, ut demus viris tuis defeſſis
panem? 16· Itaque comprehendit ſenes urbis, ſpináſque deſerti & tribulos; & in iis
exemplum ſtatuit Succhothitis. 17· Diruit etiam turrem Phenuëlis, atque oppidanos
interfecit. 18· Deinde Zebacho & Tſalmunæ, quales, inquit, erant viri illi, quos in
Thabore interfeciſtis? Inſtar tui erant, inquiunt; ſinguli eâ formâ erant, ut videren-
tur filii Regis. 19· Sunt, inquit, fratres mei, filii matris meæ. Utinam eos conſer-
vaſſetis! *ita* vivit Jehova, *ut* vos non occiderem. 20· Dixit ergo Jethero primogenito
ſuo; age, eos interfice; ſed puer gladium ſuum non ſtrinxit, quòd timeret, erat enim
etiamnum puer. 21· Itaque Zebachus & Tſalmuna *Gedehoni*, age tu, inquiunt, in nos
irruito, nam qualis eſt vir, *talis* ejus fortitudo. Quamobrem ſurrexit Gedehon & oc-
cidit Zebachum & Tſalmunam, cepitque lunulas, quæ in collis camelorum eorum
erant.
22· Tum Iſraëlitæ Gedehoni, dominare, inquiunt, nobis tu, filiúſque tuus & nepos;
quan-

num, *ſecurè* ad Karkorem agebant, quod non potuiſſet fieri illâ ipsâ nocte, quâ Jordanem palantia fugerant.

Hæc veriſimillima videntur, ſi ponamus genuinam eſſe lectionem, quam LXX. Intt. ſequuti ſunt, & noſtri Codices Hebraïci etiamnum habent. Sed diſſimulandum non eſt *Aquilam* & *Symmachum* videri hîc pro החרס *hebhares* legiſſe ההרים *habarim*, montium. Ad hunc enim locum ſine dubio reſpicit *Hieronymus*, in locis Hebraïcis, ubi habet: *Ares adſcenſus*, *pro quo Aquila interpretatur* ſaltuum, *Symmachus* montium. Quæ lectio, aut emendatio (fortè enim ita emendandum cenſuerunt, vocem החרס *hebhares*, quam legebant etiam in ſuis codicibus) hunc ſenſum pareret; rediiſſe, nempe, Gedehonem ex bello, non eâdem viâ, quâ iverat, hoc eſt, per viam Scenitarum, ſed ex adcenſu montium Galahaditidis, in quos Reges Madianitarum erat ſequutus, & quibus via Scenitarum ad meridiem fuiſſe videtur. מלמעלה *milmahaleh* eſſet pro ממעלה *mimmahaleh*, nec ſententia ullam difficultatem haberet, cùm מלמעלה החרס *ſupra ſolem*, pro eo quod eſt ante ſolis ortum, alibi non legatur. Verùm nihil muto.

14· *Captúmque*] *Et cepit & — interrogavit eum.*

Sciſcitatus eſt] Ut ſciret quinam eſſent Succhotharum principes, qui contumelioſè ſibi reſponderant, commeatúmque copiis negarant, & de iis pœnas ſumeret, plebe innoxiâ prætermiſsâ.

Principes Succhotharum, eorúmque ſenes] *Principes* & *ſenes* iidem ſunt, ex ſtylo perpetuo Scripturæ; quæ *ſenes* vocat ſenatores, ac magiſtratus urbium.

16· *Spináſque deſerti* &c.] Vide ad v. 7.

Exemplum ſtatuit] ירע *jodah*, hoc eſt, *ſcire fecit*, ſeu exemplo alios erudivit. Sed LXX. Intt. videntur legiſſe ex v. 7. ידש *jadaſch*, trituravit. Habent enim ἠλόησεν in Vaticano & ἠκρίζωσεν in Alexandrino & Aldino Codice. Complutenſis Editio habet κατηλόησεν. *Lud. de Dieu* interpretatur ירע jodah, *perdidit*, nec negari poteſt quin hæc ſit ſignificatio hujus conjugationis Ezech. XIX, 7. Paſſiva verò conjugatio, ſi illi credimus, ſignificat *perire* Prov. X, 9. XIV, 34. ſed dubia ſunt hæc poſteriora loca, ideóque à conſueta ſignificatione abire noluimus.

De principibus Succhothitarum, qui dederunt pœnas, hæc intelligenda ſunt, non de plebe ſuperſtite.

18· *Quales erant*] איפה *epho*, quod hîc non *ubi* ſignificat, ſed *quales*, ut ex ſequentibus liquet. Obſervandum porrò eſt hîc circumſtantiam, occaſione datâ, narrari, cujus antea ſuo loco nulla facta eſt mentio. Vide Indicem *Pentateuchi*, in voce *Circumſtantia.*

Quos in Thabore interfeciſtis] Quò confugerant fratres Gedehonis.

Inſtar tui &c.] Ex eorum ore confeſſionem elicuit, ex qua vel ipſi intelligere poterant nefas eſſe Gedehoni vitam ſibi concedere.

19· *Utinam conſervaſſetis* &c.] *Vivit Jehova, utinam conſervaſſetis illos* &c. Sunt qui velint Gedehonem peccaſſe, eò quòd dixerit ſe Reges Madianitarum conſervaturum fuiſſe, ſi fratribus ſuis pepercisſent; quia non licebat vitam concedere victis hoſtibus populi Hebræi. Verum hoc erga eos demum illicitum fuit, qui ad internecionem erant devoti, quales erant Hamalekitæ, quibus ignoſcere nefas erat, ut docet Samuel 1. Sam. XV, 18. & ſeqq. Madianitæ verò nuſquam devoti, aut internecino bello delendi dicuntur.

21· *Qualis eſt vir* &c.] Pro ætate, homines ſunt fortes, aut timidi.

Lunulas] השהרנים *haſſchabaronim*, quæ aureæ erant, aut argenteæ, addebantúrque collis camelorum, aut ornatûs, aut ſuperſtitionis gratiâ; nam Arabes impensè Lunam colebant, quam *Alilath* vocabant, de qua vide *Seldenum* de Diis Syris Synt. 2. C. II.

Camelorum] Nihil eſt frequentius camelorum uſu, illis in oris. Vide *Sam. Bochartum* Hieroz. Lib. II. cap. 2. Sed mirum eſt Reges Madianitarum camelis vectos, præſertim ſi dromades erant, non potuiſſe fugere pedites Iſraëlitas. Verùm panicus terror, ſingularíſque divina Providentia homines excæcarat.

22· *Dominare*] משל *miſchol*, quâ voce non ſignificatur quævis poteſtas, qualis eſt inferiorum Magiſtratuum, ſed poteſtas ſumma & regia. Ceteroqui Gedehon, ad mortem uſque, Iſraëlitis jus dixit.

quandoquidem nos liberaſti è manu Madianitarum. 23. Gedehon verò illis: non do-
minabor ego vobis, neque filius meus, ſed Jehova; 24. verùm aliquid à vobis poſtula-
bo. Date mihi quiſque inaures, quas in ſpoliis cepiſtis; nam habebant *hoſtes* aureas
inaures, cùm Iſmaëlitæ eſſent. 25. Dabimus verò, inquiunt, & extenſâ illic veſte, in
eam quiſque inaures projecit, quibus *hoſtes* ſpoliaverat. 26. Fuit autem pondus in-
aurium aurearum quas petierat mille, ſeptingentorum aureorum, præter *id quod confe-
cit* è lunulis, torquibus & veſtibus purpureis, quibus induti fuerant Madianitarum Re-
ges, & præter *id quod confectum* è torquibus, qui in collis camelorum fuerant.
27. Illo *auro fecit* Gedehon Ephodum, idque conſtituit in urbe ſua Hophra; atque
illic

23. *Sed Jehova*] Erit, nempe Rex. Vide 1. Sam. VIII. 7. Judices, nimirum, nihil pro imperio agebant, ſed domi jus volentibus dicebant, foris exercitus ductabant, qui ſponte ad eos conveniebant, ut ex Judicum Hiſtoria videmus. Soli Deo jus condendarum legum permittebatur, nec novæ ullæ populo imponebantur, nec quiſquam à judice cogebatur, ut liquet ex Cap. XXI, 25. niſi fortè concurſu populi, & multitudinis conſenſu aliquid fieret, ut colligere eſt ex Cap. XX. & XXI.

24. *Aliquid à vobis poſtulabo*] *Petitionem à vobis petam.*

Inaures quas in ſpoliis cepiſtis] *Inaurem*, aut *annulum ſpolii ſui*, נזם שללו *nezem ſchlalo.* De inauribus egimus ad Gen. XXXV, 4. ſed quoniam peculari ratione is ornatus tribuitur Iſmaëlitis, oportet eam gentem præter modum eo delectatam.

Iſmaëlitæ eſſent] Exceptis tamen Hamalekitis, & Madianitis, qui ab Iſmaële genus non ducebant.

26. *Mille, ſeptingentorum*] Ut quando *argentei* nominantur, intelliguntur ab Eruditis *ſicli*; ſic, ſi *aurei* eodem modo intelligendi ſint *ſicli*, cùm conſtet *ſiclum* Hebraicum æquaſſe ſemiunciam Romanam, mille ſeptingenti ſicli aurei æquaſſent pondus octingentarum quinquaginta unciarum Romanarum. Satis grave pondus auri fuit, ſed quod facilè conflari potuit ex inauribus Iſmaëlitarum, ſi ſeptem aut octo millia eorum fuere inauribus aureis inſtructa.

27. *Illo auro fecit Gedehon* &c.] *Fecit hoc Gedehon in Ephod.* Ephod fuiſſe pallium Sacerdotale, cui adnexum erat pectorale, gemmis diſtinctum, & cujus formæ etiam fuerit oſtendimus ad Exod. XXV, 7. & XXVIII, 7, 8. Hinc factum ut *facere Ephod* perinde ſit ac inſtituere Sacerdotium, quod videre eſt etiam inferiùs Cap. XVII, 4. ubi de Micha. Igitur hìc Scriptor Sacer hoc indicare vult, Gedeonem, in urbe Ophra, inſtituiſſe Sacerdotium à Levitico diſtinctum; nam familia Aharonis à Moſis ævo Ephodum, ſeu pallium ſacrum ſervaverat, & Sacra ad Tabernaculum Conventûs facere ſola debebat. Tacente Hiſtoriâ Sacrâ, alia hac de re, quaſi comperta, proferre nefas fuerit. Itaque peccatum Gedehonis & Iſraëlitarum in eo ſitum fuerit, quòd novum Sacerdotium, contra Legem inſtituerint, eóque, neglecto Aharonico, uſi fuerint. Certè ex hac hiſtoria aliud nihil colligere licet, niſi nimiùm conjecturis indulgeamus; quod fugere, quaſi ſcopulum, peritum Interpretem oportet, ne dum conjecturas conjecturis nectit fabulas tandem, pro veritate, lectoribus obtrudat.

Attamen vir doctiſſimus *Joan. Spencerus*, in egregio opere de *Ritualibus Moſis Legibus* Lib. III. Cap. III. Diſſ. VII. v. 5. conjicit Gedehonem idem per omnia feciſſe ac Micham, de quo Cap. XVII, 4. hoc eſt, non tantùm Sacerdotium novum inſtituiſſe, veſtéſque ac inſtrumenta ſacerdotalia, ſed etiam ſtatuas, quæ *Theraphim* vocantur in hiſtoria Michæ, conflaſſe; quas insereret pectorali, prout vir idem eruditiſſimus ab Aharone inſertas vult. Jam alibi hanc ejus conjecturam, de imagunculis pectorali inſertis, confutavimus; &, niſi fallor, multò veriſimiliùs *Urim* & *Thummim* collaris gemmas fuiſſe oſtendimus. Verùm ejus argumenta, propter famam & auctoritatem hominis, expendere non erit, ut puto, ſupervacaneum.

I. *Veſtis illa pontificia*, inquit, *è lino præcipuè conflata fuit, adeóque certum eſt inaures aureas in ea conſtituenda partem nullam, vel nulli proximam habere potuiſſe.* Fallitur vir doctiſſimus in materia, quà contextum fuit ſacerdotale pallium, quod conſtabat, ut docet Moſes Exod. XXVIII, 6. *auro*, (hoc eſt, filis aureis) *hyacinthinâ, purpureâ, coccineáque lanâ & byſſo retortâ, opere polymitario.* Præterea ei ſuperhumeralia erant aurea, ſeu fibulæ aureæ, quibus connectebatur. Huc accedit quòd, ſi Ephodum Gedehonis ſimile erat Aharonico, ei fuit in anteriore parte adnexum pectorale non tantum gemmis ornatum, quas auro comparari oportuit, ſed etiam catenulis aureis pallio adſtrictum. Denique ſi *Ephodum facere* perinde ſit ac Sacerdotium inſtituere, præter veſtes ſacerdotales, alii ſumtus faciendi fuerunt; quæ omnia facilè pondus illud auri, quod accepit Gedehon, exhaurire potuerunt. Sacellum fuit faciendum, altare exſtruendum, cum omnibus ſacris ſupellectilibus, alendus Sacerdos, victimæ mactandæ, aliáque idgenus, quæ ſine ſumtibus fieri non potuerunt. Si tempore Gedehonis in Judæa fuerit eadem proportio inter auri & argenti pretium, quæ poſtea obtinuit, hoc eſt, ut fuerit aurum quater & decies pretioſius argento; octingentæ quinquaginta unciæ auri æquarunt pretio undecies mille nongentas uncias argenti; quæ exigua eſt ſumma, ad ſumtus ſacerdotalium ſupellectilium, & Sacerdotii ferendos. Itaque veriſimile eſt Gedehonem ex cetera ſua præda quod deerat huic ſummæ addidiſſe.

II. *Simulacra in uſum religioſum ficta ex inauribus illiuſmodi, receptâ ſeculi conſuetudine, antiquitus componebantur.* Quam in rem proferuntur Gen. XXXV, 4. & Exod. XXXII, 2, 3. Nec negarim ſuperſtitioſum aliquid fuiſſe in illis inauribus, quod colligere poſſumus ex laudato Geneſeos loco, ad quem vide ea quæ notavimus. Verùm hìc nullam ſimulacrorum mentionem video, & alia erant, præter ſimulacra, in quæ ſumtus fieri oportebat.

III.

Digitized by Google

illic poſt eum fornicati ſunt omnes Iſraëlitæ, fuitque *hoc* Gedehoni & ejus familiæ la-
quei inſtar. 28. Humiles verò facti ſunt Madianitæ, coram Iſraëlitis, nec ampliùs ca-
put extulerunt, conquievitque terra *Iſraëlitis*, per quadraginta annos, temporibus Ge-
dehonis.
29. Poſtquàm abiiſſet Jerubbahal, habitavit domi ſuæ, 30. eique fuerunt ſeptuaginta
filii, ex ejus femore egreſſi, nam habuit multas uxores. 31. Pellex quoque ejus, quæ
Sichemi *habitabat*, peperit etiam illi filium, cui Abimelecho nomen impoſuit. 32. Obiit
tandem Gedehon in ſumma ſenectute, ſepultúſque eſt in ſepulcro Joaſi patris, Hophræ
Abi-hezeritarum. 33. Mortuo verò Gedehone, iterum Iſraëlitæ fornicati ſunt Bahales
ſe-

III. Poſtquàm dixit Aharonem, Micham & Davidem, ſibi magnum pondus auri, aut argenti comparaſſe, ad ſimulacra ſacra facienda, qualia fuere Vitulus, Theraphimi, & Cherubi; negat *ſe poſſe fingere alium in religione uſum, præter jam dictum* (hoc eſt, fingendi imagines aureas) *cui Gedehon ingentem illam ſummam auri dedicare potuerit*; ſacerdotémque tanti ponderis veſte onuſtum Sacra facere potuiſſe. Sed oſtendimus tantam non fuiſſe ſummam, quantam putat vir doctiſſimus, & facillimè in alia omnia abſumi potuiſſe. Quod ſi adderemus Ephodo Gedehonis ſuper impoſitum fuiſſe collare ſacrum, unionibus & carbunculis conſtans, quale gerebat, ex noſtra ſententia, Aharon, ſumma illa exigua videretur. Sed nolumus hoc argumento uti, ne conjecturâ nimiùm niti videamur.

IV. *Satis liquet*, inquit vir doctiſſimus, *Iſraëlitas Aharonis vitulum, Michæ conflatile, & Gedehonis Ephodum cultu tandem idololatrico proſequutos eſſe. Probabile eſt itaque ea uſu conſimili conſpirantia, naturæ conſimilis communione cohæſiſſe.* Præterquàm quod conſequentia incerta eſt, non video in hiſtoria Gedehonis quidquam aliud dici, niſi *poſt eum fornicatos eſſe omnes Iſraëlitas*; verùm illa *fornicatio* potuit in eo dumtaxat fuiſſe ſita, quòd aliis Sacerdotibus uterentur, quàm Aharonicis. Nam hoc fuit Moſaïcæ legi planè contrarium, & genus defectionis à vero Deo habebatur; quia qui legem claram & apertam perfringebat, is ceteras leges magni facere non videbatur, erátque is primus gradus ad Idololatriam, cui potiſſimùm oppoſitum fuit Sacerdotium Aharonicum. At hoc non fuit æquiparandum cultui aperto ſimulacrorum; quamobrem dicitur Deus quietem conceſſiſſe Iſraëli, per totam vitam Gedehonis; quam non ſolebat idololatris concedere. Huc accedit quòd, poſt mortem demum Gedehonis, Iſraëlitæ Bahales coluiſſe dicantur, v. 31.

V. Sed vir celeberrimus non probat verſiones, quæ ſtatuunt hoc velle Scriptorem Sacrum, Gedehonem *ex auro Ephodum feciſſe*, quia ſic habent verba Hebraïca: ויעש אותו לאפוד, quæ interpretatur, *fecit illud* (aurum) *propter Ephod*, id eſt, formavit aurum in Theraphim & Cherubim, Ephodi gratiâ; *nam*, inquit, *ut Sacerdos nonniſi Ephodo ornatus figuras priores conſuleret & ad poſteriores accederet in legem & morem tranſiit.* Verùm vis Hebraicæ loquutionis optimè ab Interpretibus expreſſa eſt, nam illud ל præfixum rebus quæ fiunt, vel formantur, ſignificat rei mutationem, quæ fit quod non erat. Sic Gen. II, 7. ויהי אדם לנפש חיה *& fuit homo in animam viventem*, eſt perinde ac homo factus eſt, aut evaſit anima vivens. Verſu 23. ויבן צלע לאישה *& ædificavit coſtam in mulierem*, non eſt *propter mulierem*, ſed ita ut fieret mulier. Sic etiam verbum עשה *haſchah*, quo hîc utitur Sacer Hiſtoricus, conſtruitur Ezech. XV, 3. ubi de vite: *An ſumitur ex ea lignum* לעשות למלאכה *ad faciendum in opificium?* & v. 5. *Cùm eſſet integrum*, (nempe lignum vitis) *non fiebat in opificium* (nullum fiebat ex eo opificium) עשתה למלאכה, *poſtquàm verò ignis id abſumſit & combuſtum eſt, an fiet adhuc in opificium* נעשה עוד למלאכה, hoc eſt, an ullum ex eo fiet opificium? Cetera quæ habet vir doctiſſimus non attingam. Hoc unum dicam videri, quod opinatur etiam *Spencerus*, Gedehonem verum Deum coluiſſe, nec in ea re peccaſſe; ſed quòd illegitimum Sacerdotem adhibuerit. Si alia præterea admiſit, ea, tacente Sacrâ Hiſtoriâ, divinare temerarium eſſet.

Fornicati ſunt] Cultum per illicitum Sacerdotem Deo exhibuerunt, neglectis divinis legibus.

Laquei inſtar] Aut *in laqueum*, hoc eſt, occaſionem præbuit in Deum peccandi, perfractâ lege divinâ. Cùm autem prava exempla illic non conſiſtant, ubi cœperunt; ex hac violatione legis, in apertam idololatriam delapſi ſunt. Frequens hæc loquutio eſt.

28. *Caput extulerunt*] *Non addiderunt extollere caput ſuum.* Non ſuperbè ampliùs ſe geſſerunt. Vide *Quæſtiones Sacras Davidis Clerici.* Quæſt. XXIV.

30. *Ex ejus femore egreſſi.*] Non adoptati, ſed ab ipſo geniti. Vide Gen. XLVI, 26.

Nam habuit multas uxores] נשים רבות *naſchim rabboth*, quæ non duas, aut tres uxores, ſed multò plures ſignificant, quod & numerus filiorum neceſſariò poſtulat; nam in tanto filiorum numero, habuit ſine dubio etiam aliquot filias. Hæc tamen Polygamia ipſis etiam Regibus à Moſe vetita fuerat. Deut. XVII, v. 17.

31. *Quæ Sichemi habitabat*] Aut vivo, aut mortuo viro. Quærunt Interpretes an Abimelechus pellicis filius fuerit inter ſeptuaginta filios, an verò ſeptuageſimus primus ſit habendus. Poſterius malim, quamvis res omnino certa non ſit, propter Cap. IX, 56. ubi *ſeptuaginta fratres* occidiſſe dicitur; quod ſi propriè intelligamus, fuerint unus & ſeptuaginta filii Gedehoni; nam poſſet etiam ita loqui Hiſtoricus Sacer, quamvis Abimelechus occidiſſet tantùm ſexaginta novem fratres. Vide ad Geneſ. XXXV, 26.

32. *Hophræ*] Vide not. ad Cap. VI, 11.

33. *Iterum Iſraëlitæ fornicati ſunt*] Hinc intelligere licet *fornicationem*, de qua v. 27. fuiſſe alterius generis; hoc eſt, leviorem, hanc verò multò graviorem. Nec ſanè videtur fornicatio Gedehonis progreſſa ultra mutationem Sacer-

ſequuti, conſtituerúntque ſibi Deum Bahal-berithum; 34. nec recordati ſunt Jehovæ Dei ſui, qui eos à finitimis omnibus hoſtibus liberaverat; 35. nec benignè ſe geſſerunt erga familiam Jerubbahalis, *ſeu* Gedehonis, pro omnibus beneficiis, quibus Iſraëlem affecerat.

IX. Abimelechus, nothus Gedehonis filius, regnum adfectat, occiſis omnibus fratribus, excepto Jothamo. Oritur deinceps bellum civile inter Iſraëlitas, & Abimelechus quidem turrim Thebetſenſem oppugnans occiditur.

CAPUT IX. 1. POSTEA Abimelechus, Jerubbahalis filius, Sichemum ad conſanguineos matris ſuæ ſe contulit, eóſque & omnem familiam patris matris ſuæ ſic alloquutus eſt: 2. dicite, quæſo, audientibus omnibus Sichemitis: utrum vobis ſatius eſt dominari vobis ſeptuaginta viros, omnes filios Jerubbahalis, an virum unum? Recordami-

cerdotum; ceteroqui colebat ille Deum Iſraëlis. Sed poſtea Iſraëlitæ *Bahales*, hoc eſt, Deos vicinorum coluerunt. Sic etiam in libris Regum duplicis Idololatriæ mentio fit, quarum prior fuit, & quidem minùs gravis, Jerobohami Nebathi F. qui Deum Iſraëlis ſub imagine vitulorum coli juſſit; poſterior gravior, quæ colendos ſibi propoſuit vicinorum populorum Deos. Vide 1. Reg. XII, 28. & XVI, 31. ſed prior veluti gradus fuit ad poſteriorem.

Bahal-berithum] בעל ברית *dominus fœderis*; quod loquendi genus ſignificat quidem quemvis fœderatum; ſed in hoc loco, בעל *bahal*, nomen eſt appellativum Dei, quod additâ voce ברית berith, *fœdus*, fit nomen ſingularis cujuſdam Numinis. LXX. Intt. Codex Vaticanus habet: ἔθηκαν ἑαυτοῖς τῷ Βαὰλ διαθήκην: Alexandrinus & Complutenſis ἔθεντο αὐτοῖς τὸν Βααλβεὶρ εἰς διαθήκην. Aldinus voculam εἰς delet. Vulg. *percuſſerunt cum Bahal fœdus*. *Sam. Bochartus*, Chanaan. Lib. II. c. 17. vult *Baal-berith* nomen eſſe Idoli Berytii & quidem fœminini generis; quod deducit ex Theologia Phœnicia *Sanchoniathonis*, qui meminit cujuſdam mulieris, in Deorum numerum relatæ, quæ circa hæc loca habitabat, & cui nomen erat Βηρούθ. Hanc ipſam putat, emollitâ appellatione, dictam à *Nonno* Beroën, à qua nomen urbi *Beryto*, aut *Beroë* factum eſſe ait. Quod ſi quis objiciat vocem בעל *bahal* eſſe maſculini generis, reſpondet ſæpe LXX Intt. τῇ Βαὰλ dixiſſe ut 1. Sam. XVII, 4. Jerem. II, 28. & alibi. Si iterum regeratur, vocem אלהים, quæ ſequitur, maſculini eſſe generis, reponit verum hoc eſſe, ſed Hebræos non habere vocem quæ *Deam* ſignificet, ideóque maſculina neceſſariò uti. Sunt hæc ſanè docta & ingenioſa, quæ pluribus expoſita, apud ipſum *Bochartum*, legi poterunt. Attamen mihi minimè perſuaſit, quia ſi de Dea ageretur, nihil vetuiſſet Hiſtoricum Sacrum dicere בעלת-ברית *bahalath-berith*, Dominam Berithi, quamvis ceteroqui diceret אלהים *elohim* in maſculino; ut Aſtarte Dea dicitur עשתרת אלהי צדן haſthoreth elohe tſidon, *Aſtarte Deus Sidoniorum*, 1. Reg. XI, 33. & alibi. Præterea nomen urbis illius Græcè ſcribitur non Βήρυτος, ſed Βηρυτὸς, & ſic dictam vult *Stephanus* à Phœnicibus διὰ τὸ εὔυδρον, *multitudinem aquæ*, βὴρ (באר) γὰρ τὸ φρέαρ παρ' αὐτοῖς, *nam ber dicitur puteus apud illos*. Itaque dicta fuerit בארות *beeroth*, id eſt, *putei*. Idem tamen monet *Helladium* deducere hoc nomen à Phœnicia voce βηρώθ, hoc eſt, אבירות *abbiroath*, quam *vim* ſignificare ait, apud *Hiſtiæum*. Etymologiam non probarim, ſed inde liquet nomen urbis fuiſſe Βηρυθός. Denique ſi ſtemus auctoritate *Sanchoniathonis*, Dea בעלה bahala, non Beryti ſed Bybli colebatur; nam Beryti quidem Deus fuit, quem *Philo* Neptunum interpretatus eſt, & alii Dii neſcio qui. Sic ille apud *Euſebium* Præp. Evang. Lib. I. c. 10. p. 38. Ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν Θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ, δίδωσι, Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι. *Deinde Saturnus Byblum quidem urbem Deæ Baaltidi, quæ & Dione, dat, Berytum verò Neptuno.* Sed neque nimiùm fidere *Philoni* Byblio auſim, qui *Sanchoniathonem* vertit, nec quare Numen de quo agimus dictum ſit בעל-ברית, *bahal berith*, definire. Fortè ex fœdere cum vicinis, *Bahalis* cultoribus, facto, id Numen coluerunt Iſraëlitæ, unde dictus *Baal*, vel *Deus fœderis*.

34. *Nec recordati ſunt*] Addit Hebr. Textus, *filii Iſraël*, quod Latinè loquenti ſupervacaneum erat.

35. *Nec benignè* &c.] *Nec fecerunt benignitatem cum familia* &c. Nam ejus liberos occiderunt, aut occidi impunè paſſi ſunt.

In CAPUT IX.

1. AD *conſanguineos*] *Ad fratres*, more Hebræo, qui Sichemi videntur potentes fuiſſe.

2. *Audientibus Sichemitis*] *In auribus dominorum Sechem.*

Vobis ſatius eſt] *Quid bonum vobis* &c.

Dominari] Ferox juvenis planè aliter loquitur, quàm pater fecerat, qui ſe familiámque ſuam negaverat *dominari* velle Iſraëlitis Cap. VIII, 23. Sic ſolent liberi eorum, qui virtute ſuâ ad ſummos honores pervenerunt, ſuperbiores eſſe multò parentibus, quia ſunt lautiùs educati.

Ex oſſibus & carne veſtra] *Os veſtrum & caro veſtra*; hoc eſt, conſanguineus veſter. Vide ad Gen. II, 23.

3. *Quem fratrem ſuum*] Quòd mater ejus eſſet Sichemenſis.

4. *Septuaginta argenteos*] Siclos, hoc eſt, totidem ſemiuncias Romanas. Quæ ſumma exigua ſanè fuit, ad rem tantam ſuſcipiendam.

Ex Æde Bahal-berithi] Quaſi ex Ærario Sacro, aut fortè illic erant depoſitæ pecuniæ publicæ. Profectò Jerubbahal filiis exiguas opes reliquerat, cùm nothus ejus tam exiguâ ſummâ conduxerit ſibi operam latronum, qui eos om-

damini verò me eſſe ex oſſibus & carne veſtra. 3. Hac de re, conſanguinei matris ejus omnia verba illa protulerunt, audientibus omnibus Sechemitis, eorúmque animus propenſus fuit in Abimelechum, quem fratrem ſuum eſſe dicebant. 4. Dederunt igitur ei ſeptuaginta argenteos ex æde Bahal-berithi, atque iis *ſibi* conduxit homines otioſos, & petulantes, qui eum ſequuti ſunt. 5. Ivit autem in patriam domum, Hophram, & trucidavit fratres ſuos filios Jerubbahalis, ſeptuaginta viros, ad unum lapidem. Superfuit tantùm Jothamus Jerubbahalis filius minimus, quia ſe abdidit. 6. Tum convenerunt omnes Sichemitæ & univerſa Millonis domus, iverúntque & conſtituerunt Abimelechum Regem, in querceto aggeris qui eſt ad Sichemum.

7. Hæc cùm *quidam* nunciaſſent Jothamo, ivit & ſtetit in vertice montis Gerizimorum, & ſublatâ voce clamavit, eiſque dixit: audite me, Sichemitæ, & vos *pariter* audiat Deus. Iverant arbores, ut ſibi inungerent Regem, & dixerant oleæ, noſter Rex eſto. 9. Eis verò olea, an, inquit, paterer deficere meam pinguedinem, quam in me

omnes occiderunt, acceperúntque ſiclum in ſingula capita. Si enim paullò ditiores fuiſſent, ſe facilè tueri potuiſſent, pluribus conductis.

Petulantes] פחזים *phohhazim*. De hac voce egimus ad Gen. XLIX, 4. Meliùs vertiſſent LXX. Intt. ὑβριστὰς, quàm ἀνδρὰς, aut θαμβουμένους, quaſi eſſet idem ac פוחדים phohhedim, *pavidi*. Neque enim hîc opus fuit pavidis, ſed audacibus hominibus & manu promtis.

5. *Trucidavit fratres ſuos*] Inſidioſè, ut videtur, congregatos & à popularibus turpiter deſertos, qui ſe parum gratos præbuerunt erga Gedehonis memoriam; prout iis exprobrat Hiſtoricus Sacer, ad calcem ſuperioris Capitis.

Superfuit tantùm] ויותר *vajjivvather*, & ſuperfuit. Itaque numerus rotundus pro imperfecto ponitur, in antecedentibus verbis, ſeu LXX pro LXIX. Quod frequens eſt. Vide not. ad Gen. XXXV, 26.

6. *Millonis domus*] בית מלוא *beth millo*. Rectè in Alexandrino Aldino, & Complutenſi Codicibus οἶκος Μααλὼ, abſurdè in Vaticano οἶκος Βηθμααλὼ. Pro ΜΑΑΛΩ, utrobique legendum ΜΑΛΛΩ, nam mendum natum eſt ex ſimilitudine τῶν Λ & Α, non ex ſcripturæ Hebraicæ ambiguitate. Latinus, *univerſæ familiæ urbis Mello*. *Urbs* tamen, an *familia* ſit dubium eſt, nec alibi aut urbis, aut familiæ hujus mentio occurrit. Familiam eſſe malim. Scio locum fuiſſe Jeroſolimæ ita dictum, ſed hîc agitur, de familia, aut loco in Tribu Ephraïmi, non procul à Sichemo. Scio etiam à F. *Vatablo* & aliis מלוא millo, ſumi pro nomine appellativo, & בית מלוא pro *curia*, aut *cœtu populi*. Sed exemplum loquutionis requiro.

Conſtituerunt Regem] Salutarunt Regem Iſraëlis, cujus judex tantùm fuerat Gedehon; ſperantes fore ut reliqui etiam Iſraëlitæ exemplum ſuum ſequerentur. Etſi jus ejus morte fratrum, conſenſu Sichemitarum & totius Millonianæ familiæ adquiſitum, ſatis firmum per ſe viſum non fuit (nec ſanè erat) poterat tamen paullatim conſenſu ceterorum Iſraëlitarum confirmari; nec ullus alius erat, qui ſibi illo tempore ſimilem poteſtatem adrogaret, aut qui ab alia Tribu, familiáve ei ſit oppoſitus. Ideò v. 22. dicitur *imperaſſe Iſraëli*, per triennium. Ceteroqui, ſi rem ipſam ſpectemus, munus Judicis non tranſmittebatur ad heredes, neque qui Judicis filii erant jus habebant *dominandi* Iſraëlitis, aut nomen Regium, ſi vel pauculi faverent, ſibi adſumendi.

In querceto aggeris, qui eſt ad Sichemum] עם אלון מצב אשר בשכם *him elon mutſab aſcher bſchechem*. LXX. Intt. ex Codice Vaticano habent: αὐτῇ τῇ βαλάνῳ τῇ εὑρετῇ τῆς στάσεως τῆς ἐν Σικίμοις, ex Alexandrino, Aldino, & Complutenſi ἐν βαλάνῳ τῆς στάσεως meliùs. Vulgatus: *juxta quercum quæ ſtabat in Sichem*. Nos maluimus אלון vertere *quercetum*, ut alibi Vide Gen. XII, 6. Deinde מצב vertimus *aggerem*, quia hoc ſignificat Eſai. XXIX, 3. nec convenientior ulla ſignificatio videbatur. Rex enim creatus in aggere, veluti in ſuggeſto, populo commodè ſe ſe oſtentare potuit, eúmque oratione delinire. Poſſet tamen etiam verti *ſtatio*, ita ut quercetum illud diceretur, *quercetum ſtationis*; fortaſſe quòd, tempore belli, *ſtatio* militum illic eſſe ſoleret. Denique non vertimus *qui eſt Sichemi*, ſed *ad Sichemum*, quia totus ille tractus Sichemenſis plenus erat quercubus. Vide Gen. XII, 6. XXXV, 4. Joſ. Cap. Ult. 26. Præpoſitio ב ſæpe non *in*, ſed *ad* vertenda. Vide ad Num. IV. 3.

7. *Hæc cum quidam nunciaſſent* &c.] *Et nunciarunt Jothamo & ivit & ſtetit* &c.

In vertice montis Gerizimorum] Qui imminebat Sichemo. Verùm oportuit illâ parte quâ urbem deſpiciebat, montem eſſe præruptum, ne adiri è veſtigio poſſet. Alioqui Jothamus continuò ab iis, qui Abimelecho favebant, captus fuiſſet. Oportet etiam locum, in quo Jothamus ſtetit, non fuiſſe uſque adeò editum, ut ex eo audiri à Sichemenſibus poſſet. Ceterùm hinc meritò viri docti confutarunt *Euſebium* & *Hieronymum*, qui negarunt montem Gerizim fuiſſe ad Sichemum. Vide *Jac. Bonfrerium* in Onomaſtico, ad vocem *Gebal*.

Et vos pariter audiat Deus] Hoc eſt, ut me nunc audietis, apud vos, verba facientem; ſic vos Deus audiat, cùm quidpiam ab eo petetis. Votum eſt Jothami, quo Sichemenſes attentos facere conatur.

Iverant arbores] Antiquiſſimus Apologus, qui quidem nunc exſtet. Alterum vide 2. Reg. XIV, 9. Notum eſt apud Ethnicos poſtea uſitatiſſimum fuiſſe id genus docendi, cujus vetuſtiſſimum, apud Poëtas, exemplum legitur Oper. & Dier. *Heſiodi* v. 203. Poſtea *Æſopus* Phryx, temporibus Crœſi ac Cyri, id maximè celebravit. Apologis adfines ſunt Parabolæ, quales ſunt in Evangeliis; ſed hæ graviores ſunt & deſumtæ ex rebus, quæ poſſunt & ſolent fieri.

8. *Noſter Rex eſto*] *Regna ſuper nos.*

9. *An paterer deficere*] החדלתי *habbadalthi*, an faciam ceſſare.

Dii

me Dii & homines magni faciunt, ut vagatum irem inter arbores? 10. Dixerunt ergo
arbores ficui: veni tu & Rex noſter eſto. 11. At iis ficus: an paterer deficere meum
dulcorem, bonóſque fructus, ut vagatum irem inter arbores? 12. Itaque dixerunt viti:
veni tu & Rex noſter eſto. 13. Sed vitis, an, inquit, paterer deficere muſtum meum,
quod exhilarat Deos & homines, ut irem vagatum inter arbores? 14. Dixerunt *tandem*
omnes arbores rhamno: veni tu & Rex noſter eſto. 15. Arboribus verò rhamnus; ſi
verè me inungitis, ut ſim Rex veſter, venite, ſecuræ eſtote ſub umbra mea; ſin minùs,
erumpat ignis ex rhamno & cedros Libani abſumat. 16. Nunc quoque ſi verè & ex ani-
mo feciſtis ut Abimelechus apud vos regnaret, ſi bene feciſtis Jerubbahali & ejus fami-
liæ, ſique vos cum eo, pro præmio quod manu meritus erat, geſſiſtis; (17. nam pater
meus

Dii & homines magni faciunt] יכבדו בי *jechabbedou bi*, honorant in me. Reſpicit, nempe, uſum olei in ſacris, & in quotidianis hominum rebus. Deo ipſi Sacra fieri non poterant, ſine oleo, cujus certa menſura ſemper addebatur ſacrificiis, ut docemur Num. XV, 4. Etiam olei frequentiſſimus erat uſus in ritibus ſacris Ethnicorum, ut oſtenderunt ii, qui de ſacrificiis egere. Vide *Joan. Gulielm. Stuckium* de Sacrificiis, Ed. Batavæ Lugd. pagg. 83. 198. 209 *& ſeqq.* Attigit & *Joan. Saubertus* de Sacrificiis Cap. XXV. Sed quod illi probarunt de Græcis & Romanis, id oſtendam de Ægyptiis, quorum mores ex parte imitabantur vicini Orientis populi. *Herodotus* Lib. II. c. 40. ubi deſcribit victimam, quæ Iſidi in celeberrimo feſto mactabatur. Πλήσαντες δὲ τούτων, καταγίζουσι, ἔλαιον ἄφθονον καταχέοντες· προνηστεύσαντες δὲ θύουσι. *Ubi hæc infarſerunt adolent, multum vini, oleique infundentes. Jejuni verò ſacrificant.* Erat etiam magnus olei uſus, apud Ægyptios, in ſuffitibus; vix enim odoramenta in maſſam coaleſcere potuerunt, ſine oleo. Sed longè maximus fuit in feſto, quod *Herodotus* λυχνοκαΐην vocat Lib. II. c. 62. cujus verba proferam: Ἐς Σάϊν δὲ πόλιν ἐπεὰν συλλεχθέωσι τῇσι θυσίῃσι, ἐν τῇ νυκτὶ, λύχνα καίουσι πάντες πολλὰ ὑπαίθρια περὶ τὰ δώματα κύκλῳ. τὰ δὲ λύχνα ἐστὶ ἐμβάφια ἔμπλεα ἁλὸς καὶ ἐλαίου, ἐπιπολῆς δὲ ἔπεστι αὐτὸ τὸ ἐλλύχνιον, καὶ τοῦτο καίεται παννύχιον. καὶ τῇ ὁρτῇ οὔνομα κέεται λυχνοκαΐη. οἳ δ' ἂν μὴ ἔλθωσι τῶν Αἰγυπτίων ἐς τὴν πανήγυριν ταύτην, φυλάσσοντες τὴν νύκτα τῆς θυσίης καίουσι καὶ αὐτοὶ πάντες τὰ λύχνα. καὶ οὕτω οὐκ ἐν Σάϊ μούνῃ καίεται, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν Αἴγυπτον. *Ubi verò in Saïn urbem ſacrificatum convenerunt, noctu ſub dio univerſi circum domos frequentes lucernas accendunt. Lucernæ autem ſunt vaſcula plena ſale & oleo, ſuperficiei cujus ineſt ellychnium, idque totâ nocte ardet. Feſto autem nomen eſt accenſionis lucernarum. Ad hunc conventum quicumque Ægyptiorum non ierint, obſervantes ſacrificii noctem & ipſi univerſi lucernas accendunt; atque ita accenduntur lucernæ, non in ſola urbe Saï, ſed & per totam Ægyptum.* Notum eſt quoque oleo ungi in honorem Deorum ſolitos eſſe lapides, etiam apud Orientales, ut liquet ex Gen. XXVIII, 18. XXXV, 14. Quin etiam in ſanctuario veri Dei ſolebant ſingulis noctibus lucernæ accendi, ex mandato Dei Exod. XXVII, 20. Ex hiſce, aliiſque ſimilibus facilè intelligimus cur Jothamus diceret oleum à Diis magni fieri. De hominibus, rem opus non eſt probari, quis enim non novit uſus varios olei, qui etiam plures erant apud Veteres, qui eo ſibi faciem & corpus inungebant, quàm apud nos? Vide Pſ. CIV, 15.

Inter arbores] על העצים *hal hahetſim*, quod verti queat *propter ligna*; ut regium, nempe, munus apud eas obire poſſim.

13. *Quod exhilarat Deos & homines*] Quod diximus de oleo, in ſacrificiis adhibito, id non minùs verum eſt de vino; ut conſtat ex locis Scripturæ, aliorúmque Veterum allatis. Vide & *Joan. Saubertum* de Sacrificiis Capp. XVIII, & XXV. Non opus eſt oſtendere vino homines recreari.

15. *Si verè me inungitis*] *Si in veritate*; hoc eſt, ſi verè cupitis me eſſe Regem veſtrum, neque enim hoc credibile eſſet, ſi Arbores ratione & ſermone eſſent præditæ.

16. *Verè & ex animo*] *In veritate & ſimplicitate*, aut *integritate*.

Feciſtis ut Abimelechus] *Feciſtis & regnare curaſtis Abimelechum.*

Pro præmio &c.] *Secundùm præmium manuum ejus feciſtis ei.* Ceterùm hæc & ſequentia non ſunt ἐπιμύθιον integrum ſuperioris fabellæ, cùm pars tantùm extrema in iis reſpiciatur. Verùm Jothamus rem innuere ſatis habuit, ejúſque explicationem Sichemitis permiſit; cùm difficilis non eſſet, præſertim hominibus ejuſmodi apologis adſuetis. Hoc, nempe, volebat, præſtantiſſimos viros in Iſraële noluiſſe adhuc regnum ejus populi arripere, quod Gedehon etiam oblatum recuſarat; eóſque eximios viros deſcribit, ſub imaginibus *Oleæ*, *Ficûs* & *Vitis*, præſtantium & frugiferarum arborum. Deinde ſub imagine *Rhamni*, quod vile eſt arbuſtum, Abimelechum deſignat; quem oſtendit non magis dignum eſſe qui Rex eſſet hominum, quàm Rhamnus Arborum, ſi Arbores Regem haberent. Quod cùm ita eſſet, factum hoc exprobrat Sichemitis Jothamus, quaſi Regem Abimelechum non ſeriò, atque ex amore erga familiam Gedehonis, ſed ut ei illuderent, feciſſent; quomodo indignitatem facti ob oculos iis ponit, quod tam abſurdum erat, ut vix ſerium credi poſſet. Simul fabulam claudit duplici voto, quorum prius eſt, ſi hoc feciſſent honoris Gedehonis causâ, útque familiæ ejus vicem referrent (quod tamen falſum eſſe ſatis oſtendebat cædes ejus filiorum) fauſtum ſe regnum exoptare Abimelecho; poſterius, ſi contemſiſſent familiam Gedehonis, quam reverâ ſpreverant, cùm percuſſores in eam miſiſſent, ſe optare ut regnum Abimelechi iis & ipſi malè verteret. Atque huc potiſſimùm ſpectat hic Apologus; 1. ut exprobret Abimelecho adrogantiam & temeritatem, qui regnum à multò melioribus recuſatum invaſerat: 2. ut caſtiget Sichemitas, qui uſque adeò ingratos ſe præbebant familiæ Gedehonis, ut nothum ejus filium, occiſis LXIX legitimis, Regem facerent: 3. ut præ-

meus pugnavit, projecitque vitam ſuam pro vobis, & vos è manu Madianitarum liberavit; 18. at hodie inſurrexiſtis contra familiam patris mei, interfeciſtiſque ſeptuaginta ejus filios ad unum lapidem, & conſtituiſtis Regem Abimelechum, ſervæ ejus filium, Sichemitis, quia frater veſter eſt) 19. ſi, *inquam*, verè, & ex animo vos *ita* geſſiſtis hodie erga Jerubbahalem, & ejus familiam; lætemini propter Abimelechum, & ipſe etiam propter vos lætetur. 20. Sin minùs, erumpat ignis ex Abimelecho & Sichemitas abſumat, ac domum Millonis: erumpátque *viciſſim* ignis è Sichemitis & Abimelechum abſumat. 21. *His dictis* aufugit Jothamus, & Beeram quidem diſcedens profugit, ibique manſit *procul* à conſpectu fratris Abimelechi.

22. Per triennium autem Abimelechus Iſraëli imperavit. 23. Tum immiſit Deus diſſentionem

prænunciet illis pœnas, quibus erant digni. Ceterùm ſingulæ Apologi partes non ſunt ſubtiliùs explicandæ, quaſi ſeorſim aliquid ſignificarent; cùm ſummatim dumtaxat loquentis animus notus ſit.

17. *Nam pater meus* &c.] Quæ hac parentheſi continentur ſatis oſtendunt quo animo loqueretur Jothamus, & quid ſentiret de Sichemitis; quamvis in cetera oratione particula *ſi* utatur, quæ non eſt dubitantis, ſed exprobrantis, quia additur iis quæ dubia eſſe nemini poterant.

Projecitque vitam ſuam] וישלך את נפשו מנגד *& jecit animam ſuam è regione*, quemadmodum abjicimus quidpiam quod ſervare nolumus; quæ loquutio ſignificat maximum periculum, quod adiit Gedehon, quando cum trecentis viris ingentem exercitum adgreſſus eſt, & fugientem procul ultra Jordanem perſequutus. Hinc Vulgatus vertit: *& animam ſuam dedit periculis*. Sed tranſlationem Hebraïcam ſervare nos poſſe cenſuimus, cùm ea uſus fuerit *Lucanus*, apud quem Vulteïus, Cæſaris miles, ad mortem paratus, Lib. IV, 16.

Projeci vitam comites, totiſque futuræ
Mortis agor ſtimulis.

18. *Septuaginta ejus filios*] Excepto eo, qui loquebatur. Numerus integer, pro imminuto. Vide not. ad v. 5. Sic quivis Scriptores loqui ſolent. *Petronius* Satirici Cap. II. *Pindarus, novémque Lyrici*, è quorum tamen numero Pindarus erat. *Rutilius Numatianus* Itin. v. 299.

Ille tamen Lepidus pejor civilibus armis,
Qui geſſit ſociis impia bella tribus.

Servæ ejus filium] Erat tamen ingenua, cùm conſanguinei ejus Sichemi habitarent, nec infimi prorſus generis, cùm in ea urbe gratiâ & auctoritate valerent, ut ex Capitis initio liquet. Crediderim contemtûs causâ *ſervam* dici, cùm ea pellex tantùm fuiſſet Gedehonis. Sed videtur è genere Proſelytarum, ex antiquis Sichemitis oriundorum, prognata. Vide v. 28.

19. *Verè & ex animo*] Ut v. 16.

Lætemini propter Abimelechum] *In Abimelecho*. Sunt hæ diræ preces, nam ſatis oſtendunt ſuperiora Sichemitas rationem nullam habuiſſe familiæ Jerubbahalis.

20. *Erumpat ignis* &c.] Omni genere calamitatum ab aliis alii viciſſim afficiamini. Nam *ignis abſumens* imago eſt graviſſimi ſupplicii.

21. *Et Beeram quidem* &c.] *Et aufugit & ivit Beeram*, aut *Beerum*, nam Hebraïcè eſt באר *beer*, cum ה motum ad locum ſignificante בארה *beerah*. De hac *Euſebius*: Βηρά, ἔνθα φυγὼν Ἀβιμέλεχ Ἰωάθαμ κατῴκησεν, ἀπέχει δὲ ἡ κώμη Ἐλευθεροπόλεως σημείοις η΄. ἐν τοῖς βορείοις. Hieronymus: *Bera ubi cùm Abimelech Joatham fugiſſet, habitavit. Diſtat autem vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad Aquilonem.* Ex Itinerario Antonini Eleutheropolis fuit inter Aſcalonem & Neapolin, hoc eſt, Sichemum. Itaque Jothamus fugiſſet, oram versùs, in qua fuit poſtea *Eleutheropolis*; hoc eſt, Tribum Judæ versùs, ſi nonnihil ad occidentem Neapoleos declines. Illic enim ſitam fuiſſe *Eleutheropolin* meritò conjicit *J. Bonfrerius*. Quo poſito, in finibus ſeptemtrionalibus Tribûs Judæ, in ea parte, fuerit *Beera*. Verùm non ſatis conſtat an hæc ſignificetur in hoc loco.

22. *Iſraëli imperavit*] Si à toto Iſraëlitico populo habitus non eſt Rex, certè nullus alius, apud Iſraëlitas, eo tempore, Rex ſalutatus eſt, aut regiam dignitatem uſquam uſurpavit.

23. *Diſſentionem*] *Spiritum malum* רוח רעה, quæ eſt circumloquutio Hebraïca diſcordiæ, ut liquet cùm ex ipſa re, tum ex loquutione *inter Abimelechum & inter dominos Sichemi*. Profectò nemo neget, quin רוח *rouahh*, ſignificet interdum *affectum*, quod oſtendimus *Artis Criticæ* P. II. S. 1. C. V. ubi vocis ambiguitatem diligenter excuſſimus. Quinam autem animi affectus ſignetur ex adjectivo ſubjuncto, aut re ipſa colligendum eſt. Sic Num. XIV, 24. רוח אחרת *alius ſpiritus*, eſt contraria animi affectio, contrariáque ſententia. Pſalm. LI, 19. רוח נשברה *ſpiritus fractus*, eſt humilis ac ſubmiſſa animi affectio. Ibidem. 12. רוח נכון *ſpiritus erectus*, eſt affectio animi, quæ Regem decet. Ezech. XI, 9. רוח חדשה *ſpiritus novus*, eſt affectio nova. Similiter *ſpiritus malus* eſt mala animi affectio, 1. Sam. XVIII, 10. quæ videbatur furoris eſſe effectus, aut paroxyſmi melancholici. Hoc verò loco diſcordiam ſignificat, cúmque non poſſemus Latine dicere, ſi intelligi vellemus, *miſit Deus ſpiritum malum inter Abimelechum & Sichemitas*, maluimus periphraſi omiſſâ *diſſentionem* vertere. Scio alios velle hanc diſſentionem Spiritûs mali, hoc eſt, Cacodæmonis effectum fuiſſe; quod quidem, quaſi fieri nequiret, non negarim; ſed cùm homines ad diſſentiendum minimè indigeant Cacodæmonum adflatu, non puto hîc eorum operam Deo neceſſariam fuiſſe. Deus autem dicitur *immiſiſſe diſſentionem*, quòd ut de nonnullis aliter ſentirent providentiâ ſuâ effecerit; qua in re nullum erat peccatum, cùm alterius partis diſſentientium vera poſſit eſſe & recta ſententia, & à Deo ipſo manare. Quo poſito, alii diſſentientes, ſi paullò pertinaciores ſint, facilè ad rixas & jurgia, ut fit, deveniunt, quæ ſunt belli civilis initium.

Diſſe-

nem inter Abimelechum & Sichemitas, ac defecerunt quidem Sichemitæ ab Abimelecho; 24. ut injuria illata ſeptuaginta filiis Jerubbahalis, eorúmque cædes recideret in caput eorum fratris Abimelechi, qui eos trucidarat, & Sichemitarum, qui manus ejus ad occidendos fratres confirmarant. 25. Struxerunt ei inſidias Sichemitæ in montium jugis, ſpoliabántque omnes qui illac iter faciebant; quod nunciatum eſt Abimelecho. 26. Venerunt etiam Gahal, Hebedi filius, & fratres ejus, ac transfugerunt Sichemum, ac Sichemitæ quidem eis fidem habuerunt. 27. Deinde in agros egreſſi vindemiarunt vineas ſuas, *uvas* calcarunt, convivia celebrarunt, ingreſſi ſunt ædem Dei ſui, comederunt, biberúntque & Abimelecho malè precati ſunt. 28. Dixit etiam Gahal, filius Hebedi; quiſnam eſt Abimelechus, aut quiſnam etiam Sichemus, ut eis ſerviamus? Annon eſt Jerubbahalis filius, & præfectus ejus Zebul? Servite viris *prognatis* à Chamore, patre Sichemi; at cur nos ei ſerviremus? 29. Utinam hic populus eſſet in manu mea! amoverem quidem Abimelechum. Tum dixit *quiſpiam* Abimelecho: auge exercitum & egredere. 30. Audiverat etiam Zebul, princeps oppidi, verba Gahalis, Hebedi filii, ejúſque accenſa eſt ira, 31. & miſit per dolum legatos ad Abimelechum, qui ei dicerent: en Gahal, Hebedi filius, ejúſque fratres venerunt Sichemum, urbémque contra te concitant. 32. Nunc ergo ſurge de nocte tu & populus, qui tecum eſt, & ſtrue *iis* inſidias in agris. 33. Matutino verò tempore cùm orietur ſol, conſurge *ex inſidiis* & irrue in urbem. Ipſe & populus, qui cum illo eſt, egredientur contra te; eum ſic habebis, ut poteris. 34. Surrexit ergo Abimelechus & omnis populus, qui cum eo erat, de nocte, ac inſidiati ſunt ad Sichemum, *in* quatuor agmina *diviſi.*

Defecerunt] יבגדו *jibgedou.* בגד *bagad* eſt fidem fallere, & ubi de Deo, aut de Rege agitur, eſt ab eo deficere.

24. *Ut injuria*] Finis hic fuit Dei, non diſſentientium, quorum utraque pars utilitatem ſuam dumtaxat quærebat.

Illata ſeptuaginta filiis] *Septuaginta filiorum*, quæ Genitivi casûs ambiguitas eſt, de qua diximus *Artis Criticæ* Part. II. Sect. 1. C. XII, 11. Vide & not. ad Gen. XVI, 7.

Recideret in caput] *Ut veniret injuria — ut poneretur ſuper Abimelech* &c.

Qui manus ejus] Partim pecuniâ, partim navatâ operâ, ut ex Hiſtoria Sacra liquet.

25. *Qui illac iter faciebant*] *Qui tranſibat ſuper iis, in via.* Intelligenda montana loca, in Sichemitarum tractu.

Quod nunciatum eſt] *Et nunciatum eſt.* Itaque tempus abſentiæ Abimelechi captaverant Sichemitæ, ut ab eo deficerent.

26. *Gahal*] Quis fuerit non conſtat, ſed Hebræus & quidem Sichemita fuiſſe videtur. Vide vſ. 28. LXX. Intt. habent Ἰωβὴλ in Vaticano, Ἀβὶλ in Alexandrino Codice, quæ mendoſa videntur pro Ἀβὶδ, ut in aliis legitur. Δ & Λ ſæpe miſcentur.

Transfugerunt] *Tranſierunt*, è comitatu, nempe, Abimelechi.

27. *Convivia celebrarunt*] ויעשו הלולים *vajahaſchou hilloulim.* In Codice Vaticano ſervata eſt ipſa vox Hebraïca Ἑλλουλὶμ, in Aldino & Alexandrino legimus χοροὺς, unde Vulgatus vertit *choros.* Malumus convivia, qualia celebrabantur tempore collectionis fructuum, de quibus ad Levit. XIX, 24.

Dei ſui] *Bahal-berithi*, de quo antea.

28. *Quiſnam eſt* &c.] Interrogatio contemtum ſignificans. Similem vide 1. Sam. XXV, 10

Sichemus] Hinc collegerunt, nec ſine veriſimilitudine, Interpretes matrem Abimelechi fuiſſe aut Sichemo, Chamoris filio, qui æqualis fuit Jacobo Patriarchæ, oriundam; aut certè ab antiquis Sichemitis, è Chananæorum genere. Alioqui ſi Abimelechi mater Hebræa fuiſſet, nihil erat cur Sichemum hîc & Chamorem memoraret.

Servite viris &c.] Sic videtur Gahal alloquutus eos, qui partes Abimelechi ſequebantur.

29. *In manu mea*] Hoc eſt, in poteſtate mea, ac mihi dicto audiens.

Dixit quiſpiam] Supplendum eſt *quiſpiam*, nam ipſe Gahal hoc non dixit Abimelecho. Omiſſus nominativus ex verbo ipſo ſupplendus. *Dixit*, nempe, *nuncius*, aut alius quivis cui res nota erat. Quæ Ellipſis nominativi in Lingua Hebraïca, ut ſæpe obſervavimus, frequens eſt.

Egredere] Expeditionem in Sichemitas ſuſcipito.

30. *Princeps oppidi*] Aut *præfectus*, nam v. 28. dicitur פקיד *phakid*, præfectus Abimelechi.

31. *Per dolum*] Clam Gahale. Vaticanus Codex habet ἐν κρυφῇ, ſed Aldinus, & Alexandrinus μετὰ δώρων. Nempe, quiſquis auctor eſt ejus verſionis בתרמה quod legimus *bthormah*, legit *bithrumah*, cum munere. Sed ſatius videtur interpretari *clam*, ut fecit etiam *Vulgatus.*

Concitant] צרים *tſarim*, hoc eſt, propriè *obſidentes*, *in anguſtias redigentes*, unde LXX. ἐκκλησιάζουσι in Cod. Vaticano, in Alexandrino, Aldino & Complutenſi πολιορκοῦσι, quæ tamen non conveniunt huic loco; nam Gahal exceptus urbe erat, jámque cum principibus conſpirarat. Nos ex re ipſa vertimus *concitant*, quia צרים *tſarim* tralatitio ſignificatu dicuntur *inimici*, *æmuli*, 1. Sam. II, 32. & quia hîc conſtruitur cum עליך *halechu*, accuſativo antecedente. Non malè fortè quis legerit ערים *harim*, eodem ſenſu.

33. *Irrue in urbem*] פשטת *phaſchattha.* 1. Sam. XXX, 14. dicitur de graſſantibus militibus, & poſſet hîc quoque intelligi de exercitu prædabundo, dum ad urbem accedit.

Sic habebis, ut poteris] *Facies ei, ut inveniet manus tua.* Quàm peſſimè poteris eum habebis.

34. *In-*

diviſi. 35. Egreſſus Gahal, Hebedi filius, conſtitit ad portam urbis; Abimelechus verò & populus, qui cum eo erat, conſurrexerunt ex inſidiis. 36. Vidit Gahal populum & Zebuli, ecce, inquit, copias deſcendentes è montium verticibus. At Zebul, umbram, inquit, montium vides, quaſi *eſſent* homines. 37. Iterum verò Gahal loquutus eſt, & ecce, inquit, populum qui deſcendit, ex umbilico hujus tractûs, & agmen quidem unum venit per viam querceti Mehonenimorum. 38. Tum verò Zebul, ubi nunc eſt, inquit, os tuum, quo dicebas: quiſnam eſt Abimelechus, ut ei ſerviamus? Annon ſunt illæ copiæ, quas ſprevisti? Egredere, quæſo, nunc & cum eo pugna. 39. Egreſſus itaque eſt Gahal, præivitque Sichemitis & prælium cum Abimelecho commiſit. 40. At eum *profligatum* inſequutus eſt Abimelechus, è conſpectu *enim* ejus fugit, & multi vulnerati ceciderunt ad portam uſque *urbis.* 41. Conſedit Abimelechus Arumæ; at Zebul Gahalem & fratres expulit, ne Sichemi habitarent. 42. Poſtero die, populus Sichemenſis in agros eſt egreſſus; quod Abimelecho nunciatum eſt. 43. Itaque adſumſit copias, eáſque in tria agmina diviſit, & inſidias in agris poſuit. Cùm verò videret populum egreſſum ex urbe, in eum conſurrexit, eúmque concîdit. 44. Abimelechus & agmina, quæ cum eo erant, irruerunt, & conſtitit quidem ad portam urbis *unum agmen*, dum duo agmina irruerent in omnes, qui per agros *ſparſi* erant, eóſque conciderent. 45. Per totum diem, urbem oppugnavit Abimelechus, eámque cepit, & populum qui in ea fuit trucidavit. Dein dirutam urbem ſale conſevit.

46. Hæc autem cùm audiviſſent omnes incolæ Turris Sichemi, ſe contulerunt in

34. *Inſidiati ſunt*] In inſidiis conſederunt, ſi fortè Gahalem noctu ad prædam egredientem excipere poſſent; ſin minus, ut orto die prædabundi Sichemum irent, ut ex urbe elicerent Gahalem, eúmque adgrederentur.

36. *Copias deſcendentes*] *Populum deſcendentem.*

E montium verticibus] In quibus antea inſidiabantur Sichemitæ viatoribus, v. 25.

37. *Ex Umbilico hujus tractûs*] Ex monte quopiam, qui in mediis Sichemitarum agris; colle fortaſſe montis Gerizimorum aut Hebalis, paullò remotiore ab urbe, quàm vertex ille montis Gerizimorum, ex quo exauditus eſt à Sichemitis Jothamus. *Umbilicus terræ*, aut *tractûs* dicitur *media pars*, ſed non ad ἀκρίβειαν geometricam exacta. Vide Ezech. XXXVIII, 12. Rectè verterunt LXX. Intt. ἀπὸ τοῦ ὀμφαλοῦ τῆς γῆς, ſed quid ſibi velint additamenta, quæ ſunt in omnibus Codicibus, non video: καταβαίνων ΚΑΤΑ ΘΑΛΑΣΣΑΝ ἀπὸ τοῦ ΕΧΟΜΕΝΑ ὀμφαλοῦ τῆς γῆς. Nec quidquam eſt in Hebraïcis Codicibus, quod malè lectum præbere hîc potuerit errandi occaſionem; nec res ipſa quidquam ſupplendum eſſe oſtendit, nam mare nullum Sichemitis vicinum fuit; nec Græcum eſt τὸ ἐχόμενα ὀμφαλοῦ. Itaque hoc inſigne exemplum eſſe corruptionis Librariorum, in Codice Græco, crediderim.

Querceti Mehonenimorum.] Nomen proprium vicini querceti, cujus originem quærere nihil attinet. In Cod. Vaticano eſt Ἠλὼν Μαωνενίμ, meliùs quam in aliis qui habent δρυὸς ἀποβλεπόντων. Pejus *Hieronymus*, qui habet: *viam quæ reſpicit quercum*, neglectâ prorſus conſtructionis ratione, ut alibi ſæpe, unde intelligas Grammaticam nullam ei fuiſſe notam.

38. *Ubi nunc os tuum*] Hoc eſt, ubi glorioſæ illæ voces tuæ, *quis eſt Abimelechus* &c.

39. *Egreſſus itaque* &c.] *Et egreſſus eſt Gahal ante Sichemitas.*

40. *Profligatum*] Hoc intelligendum res ipſa ſatis oſtendit.

Fugit] In urbem, unde factum ut multi ad portam urbis ſint cæſi.

41. *Arumæ*] בארומה *baruma.* LXX. Intt. Ἀρημά, aut Ἀριμά. *Hieronymus in Rama*, quaſi eſſet ברומה. Sed eum οἱ LXX. confutant. *Euſebius* in locis Hebraïcis. Ῥυμὰ ἡ καὶ Ἀρημά, ἔνθα ἐκάθισεν Ἀβιμέλεχ ἐν Κριταῖς. νῦν αὐτὴ Ῥέμφις λέγεται, καὶ ἔστιν ἐν ὁρίοις Διοσπόλεως, ἥτις ἐστὶν Ἀριμαθαίμ. Hieronymo interprete: *Ruma, quæ & Arima, ubi ſedit Abimelech, ſicut in libro Judicum ſcriptum eſt, quæ nunc appellatur Remphis. Eſt autem in finibus Dioſpoleos & à pleriſque Arimathæa nunc dicitur.*

Sed omnia hæc eſſe falſa rectè vidit *Jac. Bonfrerius*, agique de vico Sichemi vicino, quod ſequens verſus oſtendit.

Expulit] Ne eorum causâ Abimelechus bellum iterum urbi Sichemo inferret.

42. *Poſtero die*] Paucis milliaribus aberat Abimelechus, quem putabant in loca remotiora profectum.

44. *Et conſtitit*] *Conſtiterunt* —— & *duo agmina*, quod idem eſt, ut ſequentia oſtendunt, ac ſi dixiſſet Hiſtoricus Sacer ויעמד אתו אל פתח, ut vertendo expreſſi. At LXX. Intt. hoc loco ראשים non *agmina*, ſed *duces* verterunt, quod eumdem ſenſum parit.

45. *Sale conſevit*] Quamvis loca ſalſuginoſa ſterilia ſint, quo fit ut apud Hebræos מלחה mlehha, *ſalſuginoſum ſolum*, opponatur terræ fertili, ut Pſ. CVII, 34. attamen exigua copia ſalis, quæ ſpargebatur, ſolo urbis non multùm nocere poterat, ſi quis id denuo colere adgreſſus eſſet. Ideóque ſatio ſalis ſymbolum potiùs fuit, quo ſignificabant Orientales, ſe optare ne in poſterum locus, in quo ſalem ſpargebant, haud aliter deſertus maneret, ac ſalſuginoſum naturâ ſuâ ſolum. De hoc ritu, vide collecta à *Sam. Bocharto* Hieroz. P. I. Lib. III. c. 16. ubi multa de hoc loco.

46. *Incolæ turris Sichemi*] *Domini turris* &c. Aut oppidum, aut pagum fuiſſe in agro Sichemenſium dubium non eſt; ſed Milluntem ſic dic-

P

in arcem Beth-el-berithi; 47. nunciatúmque eſt Abimelecho conveniſſe omnes incolas
Turris Sichemi. 48. Quare conſcendit montem Tſalmonem, ipſe & univerſus populus,
qui cum eo erat. Dein ſumtâ in manum ſecuri, ſecuit faſciculum lignorum quem por-
taturus impoſuit humero, dixitque populo, qui ſecum erat: quod me facientem vi-
diſtis, feſtinate facere, quemadmodum ego *feci*. 49. Secuit ergo etiam totus populus
quiſque faſciculum ſuum & ſequutus eſt Abimelechum. Injecerunt deinde ligna in ar-
cem, & cum hominibus arcem combuſſerunt, mortuique etiam ſunt omnes incolæ Tur-
ris Sichemi, mille circiter homines, cùm viri, tum mulieres.
50. Poſtea Abimelechus ivit Thebetſum, idque caſtris poſitis cepit. 51. At erat
in media urbe valida turris, in quam confugerant omnes viri & mulieres, univerſique
oppidani; eáque clausâ, in tectum turris adſcenderant. 52. Abimelechus verò ad tur-
rim uſque progreſſus eam oppugnavit, acceſſitque ad januam turris, ut ei ignem injice-
ret. 53. At mulier dejecit fragmentum molæ in caput Abimelechi, eique cranium fre-
git. 54. Tum verò ille confeſtim armigero, ſtringe, inquit, gladium & me occidito,
ne dicant de me: mulier eum interfecit. Transfodit itaque eum ſervus ejus & mortuus
eſt. 55. Cùm autem vidiſſent Iſraëlitæ Abimelechum eſſe mortuum, quiſque domum
abiit. 56. *Sic* reddidit Abimelecho Deus malum, quod patri fecerat, dum ſeptuagin-
ta fratres ſuos interficeret. 57. Omne etiam malum, quod à Sichemitis factum fue-
rat,

dictam fuiſſe non video cur ex v. 6. colligant nonnulli. Hi autem ſibi timuerunt ab Abimelecho, quòd cum Sichemenſibus, à quibus pendebant, conſenſiſſent in abrogando ei imperio.

In arcem Beth-el-berithi] Hoc eſt, *in arcem Ædis Dei fœderis*, qui alibi vocatur vocatur *Bahal-berith*, & hoc tempore ab Iſraëlitis colebatur, ut liquet ex Cap. VIII, 33. & hujus v. 4. Solebant autem ſæpe Templa, in locis editis ac naturâ munitis, ædificari; ad quam munitionem ſi quid arte ac manu adderetur, Templa hæc fiebant loca tuta. Hinc videtur in eo Templo fuiſſe depoſita Sichemitarum pecunia, ut dictum v. 4. Idem enim fanum hic deſignari videtur. *Lud. de Dieu* ex Æthiopica Lingua צריח *tſeriahh*, quod vertimus *arcem*, interpretatur *cœnaculum*, quia צרח hoc ſignificat in Æthiopica verſione Marc. XIV, 14, 15. Sed & Arabicè צרחון *tarkhon* palatium & quamvis editam ſtructuram ſignificat.

48. *Tſalmonem*] Mons etiam memoratur צלמון Pſalm. LXVIII, 15. ſed neſcio an idem ſit, imò verò ſuſpicor montem, de quo Pſaltes, fuiſſe ad ortum Jordanis, nec procul à Baſanitide, quia illic agit de eorum tractuum Regibus. Itaque huic mons ille cognominis fuit; neque enim eorum ſententia placet, qui *montem umbroſum* vertunt.

Securi] Eſt in plurali הקרדמות *hakkardumoth*, quod ſingulari tamen ſenſu eſt intelligendum.

Faſciculum lignorum] שוכת עצים *ſchochath hetſim*, hoc eſt, φορτίον ξύλων, ut eſt in Codice Complutenſi, Aldino & Alexandrino; at Vaticanus habet κλάδον ξύλου *arboris ramum*. Sed cùm שוכה ſit à radice שוך *ſepire*, & ſepimenta fiant non ſingulis ramis, ſed pluribus inter ſe implicitis, cúmque ſequatur עצים *hetſim* in plurali, non dubito quin ſignificetur faſciculus lignorum. Ac ſanè faciliùs potuit incendi locus munitus, pluribus incenſis faſciculis, quàm ramis. *Joſephus* Lib. V. c. 9. habet φακέλους ὕλης ξηρᾶς. *faſces materiæ ſiccæ*.

Quem portaturus impoſuit humero] *Et portavit eum & poſuit ſupra humerum*.

Quod me facientem vidiſtis] *Quod vidiſtis feci, feſtinate & facite ſicut ego.*

49. *Faſciculum ſuum*] שוכה quod legunt *ſchocho*, quaſi eſſet שוכו; nimirum, ſumentes ה pro ו, quod non rarum. Sed ſi legeremus *ſchochah*, & verteremus *faſciculum*, orationi nihil deeſſet. Sic ſanè legerunt LXX. Intt. qui habent κλάδον aut φορτίον, ſine pronomine.

Et cum hominibus arcem combuſſerunt] *Et ſuper iis*; qui, nempe, erant in arce.

Mortuique etiam ſunt] Refertur hoc ad Sichemitas, qui jam perierant, ita ut hoc velit Scriptor Sacer, deletos eſſe non tantùm Sichemenſes, vel urbis Sichemi incolas; ſed etiam incolas pagi vicini, qui Turris Sichemi dicebatur.

50. *Thebetſum*] תבץ *thebets*. *Euſebius* de hac urbe: ἔστιν ἐν ὁρίοις Νεαπόλεως ἔτι νῦν λεγομένη κώμη, ὡς ἐπὶ Σκυθόπολιν ἀπιόντων ἐπὶ τὸ τρισκαιδέκατον σημεῖον: interprete Hieronymo: *Eſt autem uſque hodie vicus, nomine Thebes, in finibus Neapoleos pergentibus Scythopolin, quaſi in tertio decimo ejus lapide.* Erat ergo ad ſeptemtriones Sichemi. Oportet & hoc oppidum conſpiraſſe contra Abimelechum, cum Sichemenſibus.

Caſtris poſitis] *Et caſtra poſuit in Thebets & id cepit.*

51. *Eáque clauſa*] *Et clauſerunt ſupra ſe & adſcenderunt.*

In tectum Turris] Quod planum erat, ut ex eo telis ac lapidibus ſe defenderent, contra ſubeuntes. LXX. δῶμα πύργου.

53. *Fragmentum molæ*] רכב *recheb*, quod ſuperiorem lapidem molæ ſonat. LXX. in Codice Vaticano, rectè κλάσμα ἐπιμύλιον. Eò ſublatus fuerat is lapis, ut videtur, in ejuſmodi uſum; ad tuendam, nempe, turrim, ſi quando oppidani in eam confugiſſent.

54. *Armigero*] *Puero ferenti ejus arma.*

De me] לי *li*, quod ſolet *mihi* verti, ſed ל *de* hoc loco neceſſariò ſignificat. Hinc intelligere licet, quàm verum ſit, inanem gloriam inter ea eſſe, quæ ab hominibus poſtrema exuuntur; quidnam enim intererat Abimelechi, qui de ſe futuri eſſent ſermones, quos numquam auditurus erat?

Servus ejus] *Puer ejus.*

55. *Domum abiit*] *In locum ſuum abiit.*

56. *Patri fecerat*] Cujus legitimos filios omnes,

rat, Deus in caput eorum convertit, iiſque contigit quod Jothamus, Jerubbahalis filius, iis erat adprecatus.

X. Abimelecho ſuccedit Thola, qui per viginti tres annos Judex eſt; huic Jaïr, qui viginti tribus annis Iſraëli præeſt. Deinde eo mortuo, per octodecim annos ſerviunt Iſraëlitæ Hammonitis & Philiſthæis, infenſo eis, Idololatriæ causâ, Deo. Tum ad officium reverſi bellum in Hammonitas parant, & Ducem Jephtheum ſibi eligunt.

1. POſt Abimelechum, exortus eſt, ad liberandos Iſraëlitas Thola, filius Phuæ, Dodonis filii, Iſſaſcharita; qui habitabat Samire, in montanis Ephraïmi. 2. Judicavit Iſraëlem, per viginti tres annos, mortuúſque Samire ſepultus eſt. CAPUT X.

3. Exortus eſt poſt eum Jaïr Galahadita, iſque Iſraëlem, per viginti duos annos, judicavit. 4. Fuerunt ei triginta filii, qui vehebantur triginta aſinis, trigintáque urbes ei erant; quas villas Jaïris, ad hunc uſque diem, in Galahaditide terra, vocant. 5. Mor-

nes, excepto uno, interfecerat; quæ patri, licet mortuo, illata injuria habetur.

57. *Quod à Sichemitis factum fuerat*] *Sichemitarum*, qui in cæde fratrum adjuverant Abimelechum.

Iiſque contigit &c.] *Et venit ad eos maledictio Jothami*, quæ legitur v. 16. ubi vide notata.

In CAPUT X.

1. E*Xortus eſt*] *Surrexit.*

Ad liberandum Iſraëlem] Quamvis non memorentur mala, à quibus liberari Iſraëlem oportuerit, vix dubitarim bella iis fuiſſe cum finitimis; qui libertati Iſraelitarum perpetuò imminebant, & à quorum inſidiis, aut mulitionibus ſint operâ Tholæ liberati. Nec mirum eſt, in tam brevi hiſtoria, aliquid omitti, cùm fortè nihil inſigne ſub magiſtratu Tholæ contigerit. Itaque non erat cur Vulgatus verteret hîc *ſurrexit dux in Iſraël*, neque enim ulla ratio fuit ſuſpicandi eſſe mendum in voce להושיע lehoſchiah, *ad ſervandum*, præſertim cùm ſequatur את ישראל *eth iſchraël.* Rectè Græci τὸ σῶσαι τὸν ἰσραήλ.

Dodonis filii] בן דודו *ben dodo.* Verterunt Græci υἱὸς Φουά, υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ, & Vulgatus *patrui* Abimelechi, quaſi דודו, *dodo*, nomen appellativum eſſet. Sed patruus Abimelechi, hoc eſt, frater Gedehonis non potuit eſſe Iſſaſcharita, cùm Gedehon fuerit Manaſſita. Scio dici fratres uterinos eſſe potuiſſe, eorúmque matrem in duas Tribus nuptam. Sed quid opus eſt his figmentis, cùm *Dodo* poſſit eſſe nomen proprium? Huc accedit quòd Hebræi, quando ſecundâ vice vocem בן *filius* ponunt, ſubjicere ſoleant nomen avi. Itaque vertendum: *filius Phuæ, qui fuit filius Dodonis.*

Samire] בשמיר *bſchamir.* Falluntur qui putant Samirem pertinuiſſe ad Tribum Iſſaſcharis, quamvis in montanis Ephraïmi ſitam; nam notum eſt inter Ephraïmitarum & Iſſaſcharitarum agros fuiſſe tractum à mari Mediterraneo ad Jordanem porrectum, qui Dimidiæ Tribui Manaſſæ adtributus eſt. Nihil vetat Iſſaſcharitam habitaſſe in alîus Tribûs agris. Vid. ad C. VI, 11.

In montanis Ephraïmi] Additur hoc, ut diſtinguatur à Samire Tribûs Judæ, de qua Joſ. XV, 48.

4. *Vehebantur triginta aſinis*] Eo enim tempore, Iſraëlitæ neque carpentis, neque equis abundabant, quos etiam magno numero alere nefas erat. Itaque honoratiores aſinis vehebantur. Vide ſupra V, 10. & infra XII, 14. Adi & hac de re *Sam. Bochartum* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 13. Abſurdè ergo *Joſephus*, dum ſui ævi moribus rem aptat, Ant. Lib. V. c. 9. ait Jaïris filios fuiſſe ἱππεύειν ἀρίστους, *egregios equites.*

Triginta urbes] Parvæ, quippe quæ *villæ* dicuntur. Neſcio cur LXX. triginta duos filios tribuant Jaïri, iiſque totidem aſinos ac urbes.

Villas Jaïris] Vide not. ad Num. XXXII, 41. & Deut. III, 14. Cùm his Moſis locis dicatur *Jaïr* Galahadita *cepiſſe villas Emoræorum, eáſque villas Jaïris vocaſſe*; quærunt Interpretes an idem intelligatur Jaïr, atque hîc. Satis quidem conſtat virum Moſi æqualem, ad hæc uſque tempora, vitam non produxiſſe; ſed poſſet fieri, ſi nonnullos audimus, ut ea verba Moſis contextui à recentiore manu eſſent addita; eo animo, ut oſtenderet quinam ex Manaſſitis, etiam poſtea, ad ortum Jordanis fines populi Hebræi produxiſſent. Nec credibile iis videtur in uno eodémque tractu, oppida, aut villas fuiſſe, quæ dicerentur *Jaïris villæ*, à duplice Jaïre. Fit tamen & villarum Jaïris Machiris nepotis mentio 2. Paral. II, 22. ſed memorantur tantùm viginti tres. Quamobrem alii cenſent æqualem Moſis Jaïrem ſex quidem & viginti villas Emoræorum occupaſſe, ſed alterum Jaïrem, ex ejus poſteris, qui Judex fuit Iſraëlis, has villas captas ab hoſtibus recuperaſſe & præterea ſex alias cepiſſe, ut ſingulas urbes ſingulis filiis daret. Nec eſt cur hanc ſententiam rejiciamus, nihil enim vetat, etiam antiquiori ævo, in una eadémque familia idem nomen repetitum fuiſſe; quod poſtea non infrequens fuit. Vide Cap. XI, 1. Sunt qui velint villas Jaïris memorari numero ſexaginta 1. Reg. IV, 13. & 1. Par. II, 23. ut & Joſ. XIII, 15. ſed *villarum Jaïris* latiùs illic nomen patet, omnéſque Baſanitidis urbes complectitur, ut & Deut. III, 14. *Euſebius:* Αὐὼθ Ἰαΐρ, αὕτη

5· Mortuus verò Jaïr ſepultus eſt Kamone. 6· Deinceps Iſraëlitæ id fecerunt denuo, quod diſplicet Jehovæ, coluerúntque Bahales & Haſtharothas, & Deos Syrorum, Sidoniorum, Moabitarum, Hammonitarum, & Philiſthæorum, ac deſeruerunt Jehovam, nec eum coluerunt. 7· Itaque accenſa eſt ira Jehovæ in Iſraëlitas, tradiditque eos in manum Philiſthæorum, & Hammonitarum. 8· *Hi* adterebant, premebántque, anno eo, qui erat *eorum imperii* decimus octavus, Iſraëlitas; omnes, *nempe*, Iſraëlitas qui erant trans Jordanem, in terra Emoræorum, quæ eſt in Galahaditide; 9· cùm trajecerunt Hammonitæ Jordanem, bellum etiam illaturi *tribubus* Judæ & Benjaminis, & domui Ephraïmi; erántque Iſraëlitæ in maxima anguſtia.

10· Tum verò Jehovam clamoribus invocarunt Iſraëlitæ, dicentes: in te peccavimus, quandoquidem deſeruimus Deum noſtrum & Bahales coluimus. 11· Jehova verò Iſraëlitis; annon, inquit, ab Ægyptiis, ab Emoræis, ab Hammonitis, à Philiſthæis, 12· à Si-

ἐστὶν ἡ Βασανῖτις, εἰσὶ δὲ κῶμαι Ἰαεὶρ ἐν τῷ ὄρει Γαλαάδ, ἃς ἐλάβετο ὅμισυ φυλῆς Μανασσῆ καὶ εἰσὶν ἐν τῇ καλουμένῃ Γωνία (l. Γωλὰν) τῆς Βαταναίας: Hieronymus: AVOTH JAIR, *quod* interpretatur ἐπαύλεις Ἰαείρ. *Hoc eſt, Baſan, in qua ſunt vici ſexaginta, in monte Galaad, qui ceciderunt in ſortem dimidiæ Tribûs Manaſſe, qui locus nunc vocatur Golan* (non *Golam*) *in terra Batanæa.*

5· *Kamone*] In Alexandrino Codice eſt Ῥαμνώ, in Vaticano Ῥαμμὼν, vitioſè; meliùs Aldinus & Vaticanus Καμών. *Euſebius:* Καμὼν, πόλις Ἰαεὶρ, ἔνθα ἐτάφη κρίνας τὸν Ἰσραὴλ, καὶ ἔτι νῦν Καμμωνὰ κώμη ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ, ἀπέχουσα Λεγεῶνος σημείοις ς'. ἐν βορείοις ἀπιόντων εἰς τὴν Πτολεμαΐδα: Hieronymus: *Camon civitas Jaïr, in qua & ſepultus eſt, cùm primùm judicaſſet populum Iſraël. Appellatur autem hodiéque vicus Camona in campo latiſſimo, ſex millibus à Legione ad ſeptemtrionalem plagam pergentibus Ptolemaïdem.* Rectè *Bonfrerius* negat poſteriorem hunc vicum urbem fuiſſe Jaïris, qui cùm tot urbes, aut villas ad ortum Jordanis poſſideret, in alieno ſolo ſepultus non videtur. *Joſephus* Ant. Jud. Lib. V. c. 9. disertè ait ſepultum ἐν Καμὼν πόλει τῆς Γαλααδίτιδος.

6· *Id fecerunt denuo*] *Addiderunt facere malum in oculis Jehovæ.*

Haſtharothas] Græci *Aſtartas* vocabant. Multitudinis numero de *Bahalibus* & *Aſtartis* loquitur Scriptor Sacer, quòd pro variis cognominibus plures dici poſſint, ut *Bahal-Phehor*, *Bahal-Berith*, *Bahal-Zebub*. Vide ad Cap. II, 11. &c.

8· *Hi adterebant, premebántque*] וירעצו וירצצו *vajjerahetſou vajjerotſetſou.* Utrumque verbum *frangere*, & *conterere* propriè ſignificat, ſed tralatitio ſignificatu *tyrannico jugo premere.* Hæc autem verba, cùm ſint activa, debuerunt activis verbis verti, ut fecerunt LXX. Intt. ἔθλιψαν, καὶ ἔθλασαν (aut ἐνέθρασαν) τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ. Malè *Hieronymus*, neglectâ conſtructione, ut ſolet, cùm Scripturæ verba non intelligit, *afflictique ſunt & vehementer oppreſſi per annos decem & octo.* Hoc demum ſenſum inferre in Scripturam, non quem invenis transferre, ut ſequentia magis docebunt.

Nos initio commatis ſupplevimus pronomen *hi*, quod refertur ad Hammonitas, quorum nomen proximè antecedit, & ad quos ſequentia manifeſtò reſpiciunt.

Eo anno, qui erat eorum imperii decimus octavus] Non potuimus magis ad verbum vertere Hebraïca: בשנה ההיא שמנה עשרה שנה, *anno illo, octodecim annis*; niſi quòd ſupplevimus *imperii eorum*, לממשלתם *lmemſchelatham*, quod res ipſa manifeſtò poſtulat. Verba verò *anno illo*, conjunximus cum ſequente verſu: *cùm trajecerunt.* Nec alium nexum habere poſſunt, ſi rectè perpendantur. In Alexandrino Codice eſt rectè, ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ, ut & in Complutenſi. Alii malè habent ἐκεῖθεν, quæ mutatio eſt alicujus, qui ſenſum non adſequebatur.

Omnes, nempe, Iſraëlitas] Hæc verba, explicationis causâ, adduntur, ut intelligat Lector ab Hammonitis malè habitos fuiſſe eos demum Iſraëlitas, qui ad ortum Jordanis finitimi eis erant, & per octodecim annos tyrannicè oppreſſos; antequàm, trajecto Jordane, ad occaſum ejus incolentes Hebræos invaderent.

In terra Emoræorum] Quæ fuerat Emoræorum, antequàm eos ad internecionem, Moſe duce, deleviſſent Iſraëlitæ, agróſque eorum occupaſſent.

9· *Cùm trajecerunt*] *Et trajecerunt.* Sed Latinè aliter verti non debuit, *& proceſſerunt — & trajecerunt.* Vide Num. X, 5, 6. & *Ch. Noldium* ſignif. 58 τοῦ ו.

Bellum etiam illaturi] Quia jam ſubegerant eos qui ad ortum Jordanis incolebant.

10· *Tum verò Jehovam &c.*] *Et clamarunt Iſraëlitæ ad Jehovam.*

Quandoquidem] וכי *vechi.* Abundat hîc *Vau.*

11· *Jehova verò Iſraëlitis &c.*] Aut per Prophetam, aut per Pontificem Maximum Deum interrogantem, indutis veſtibus ſacerdotalibus, & injecto collo ſacro collari. Sic malim, quàm alio modo. In calamitatibus enim Iſraëlitæ, iis temporibus, ad Tentorium Moſaïcum confugiebant, Deúmque conſulebant, ut videmus ex hiſtoria Benjaminitici belli, quæ ad calcem hujus libri legitur.

12· *Mahonitis*] מעון *mahon.* Ut *Hamalek* eſt nomen proprium Gentis, conditoris ſui nomine ſignatæ: ita & *Mahon* (ſi ſanus ſit locus) auctorem gentis cujuſpiam ſignificet neceſſe eſt. Ac ſanè Chaldæus Interpres habet hîc אנשי מעון enaſche mahon, *Mahonitas.* Conſtat etiam fuiſſe in finibus Judæ deſertum *Mahon*, de quo 1. Sam. XXIII, 25. & ad quod fortè pertinuit urbs *Mahon* de qua 1. Sam. XXV, 2. & quæ Tribûs Judæ fuit. Eadem videtur vocari *Mehunim* 2. Par. XXVI, 7. Sed nuſquam legimus in Hiſtoriis ſuperiorum temporum Moſis, aut Joſuæ, vel hujus ipſius libri, Mahonitas, graves fuiſſe Hebræis. Ideóque antiqui Græci Interpretes, ſeu in Codicibus ſuis ita legerint, ſeu ita legendum exiſtimarint, habent Μαδιὰμ, ſi ſequamur Alexandrinum & Vaticanum Codices; Xa-

Sidoniis, ab Hamalekitis, & Mahonitis, *cùm* oppreſſerunt vos, & me invocaſtis, vos
liberavi, eorum manui *ereptos.* 13. At me relicto, coluiſtis Deos alienos, ideóque vos
ampliùs non liberabo. 14. Ite nunc & invocate Deos, quos elegiſtis, ii vos liberent,
cùm in anguſtiis verſamini. 15. Reſponderunt Iſraëlitæ Jehovæ: peccavimus, nos ha-
beto per omnia, prout tibi videbitur; verumtamen hodierno die, nos, quæſumus, li-
bera. 16. Igitur à ſe exterorum Deos amoverunt, coluerúntque Jehovam; ideó-
que deſiit ejus ira, propter dolorem Iſraëlis. 17. Interea convocati fuerant Ham-
monitæ & in Galahaditide caſtra poſuerant. Convenerunt & Iſraëlitæ ac caſtra
poſuerunt Mitſphæ. 18. Dixerunt verò populus & principes Galahaditarum, inter
ſe: quis initium faciet belli inferendi Hammonitis, eritque omnium Galahaditarum
caput?

1. Vir erat fortis Jephtheus Galahadita, filius meretricis, *è qua* eum genuerat Ga- Caput XI.

Χαναάις verò, ſi Aldinum & Complutenſem, quomodo etiam vertit *Hieronymus.* In alio libro lacunam eſſe fortè ſuſpicaremur, & fortaſſe legendum ומעמים אשר לחצו *ou mehammim aſcher lahhatſou*, hoc eſt, & *à populis* aliis *qui vos oppreſſerunt.* Ex ſecundo מ primæ vocis, deletis duabus aliis litteris, fieri ו *ou* & אשר, *qui*, planè deleri potuit. Sed cùm conjecturis hîc indulgere nefas ſit, dicemus Mahonitas fuiſſe gentem exiguam Hamalekitarum vicinam, quæ ſub eorum nomine alibi continetur. Nec deſunt qui velint eſſe Minæos, Arabiæ felicis populum, cujus nomen occurrit in Verſione Græca 1. Par. XX, 1. Sed remotiores videntur fuiſſe Minæi, inter quos & Iſraëlitarum agros intererat Arabia Petræa, aut deſertæ pars. Præterea aliter intelligendum locum Paralipoménon oſtendemus. Itaque quod hîc dicit Deus ſe Iſraëlitas à Mahonitis liberaſſe, id referendum ad clades Hamalekitis, Hebræos prementibus, ab eo illatas. Quod ſi hoc minùs placeat, liberatio à Mahonitis erit habenda inter eas res geſtas, quæ in breviſſima populi Hebræi Hiſtoria prætermiſſæ ſunt; neque enim putandum integram aliquot ſæculorum Hiſtoriam, hoc exiguo Judicum libro, perſcriptam fuiſſe. Sic in hoc ipſo verſu memoratur *liberatio à Sidoniis*, qui tamen bellum Iſraëlitis intuliſſe, aut jugum impoſuiſſe nuſquam dicuntur. Legimus enim in Moſis, Joſuæ, Judicúmque hiſtoria Ægyptios, Emoræos, Moabitas, Madianitas, Philiſthæos, & Hamalekitas divinâ potentiâ, cladibúſque inſignibus coërcitos, ne Hebræis nocerent, prout cupiebant; at nuſquam quidquam ſimile, de Sidoniis, legimus.

Quærunt Interpretes cur memorentur hîc Sidonii & Mahonitæ, de quibus alioqui nihil in hoc Libro, inter eos populos, qui malè habuerint Hebræos & à quibus ſint liberati; Madianitæ verò & Moabitæ, qui, ut docemur in hoc Libro, malè mulctati fuerunt, ob calamitates Hebræis illatas, ſilentio hîc prætermittantur? At nemo neſcit, in ejuſmodi recenſionibus, nunc hos, nunc illos memorari, hîc pauciores, illic plures, ac rarò omnes populos enumerari; quia ſatis eſt aliquot proferri, exempli causâ, ut ſimiles omnes in memoriam revocentur. Vide Gen. XV, 19, 20. XXXIV, 30. Exod. III, 8. XXIII, 23. XXXIII, 2. Deut. VIII, 1. XX, 17.

Cùm oppreſſerunt] Supplevi *cùm*, quaſi ſcriptum eſſet, כאשר לחצו אתכם. Poſſet etiam ſuppleri אשר *qui.*

14. *Cùm in anguſtiis verſamini*] *Tempore anguſtiæ veſtræ.*

15. *Nos habeto* &c.] *Fac tu nobis ſecundùm omne bonum in oculis tuis.*

16. *A ſe exterorum Deos amoverunt*] *Amoverunt Deos exteri è medio ſuo*; hoc eſt, ſacella & ſimulacra omnia demoliti ſunt alienorum Deorum, ut ſolum Creatorem colerent.

Deſiit ejus ira] תקצר נפשו *thiktſor naphſcho*, ad verbum *reſecta eſt ejus anima*; nam קצר *katſar* eſt *reſecare*, *brevius reſecando facere*, & נפש *nepheſch* eſt *anima*, ſed hîc ſumitur pro *ira*, ut Pſ. XVII, 9. *Inimici mei* בנפש *in anima*, hoc eſt, irati, *circumdederunt me*, & Pſ. XXVII, 12. XLI, 3. *Ne tradas me* בנפש *in anima hoſtium meorum*, hoc eſt, ne me eorum iræ permittas. Alioqui Num. XXI, 4. תקצר נפש, *reſecta fuit anima*, ſignificat adfectionem hominis animum deſpondentis, quæ ſignificatio huc non facit. LXX. Intt. habent: ὠλιγώθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ in Codice Vaticano, καὶ ὠλιγοψύχησεν in Complutenſi, καὶ οὐκ εὐηρέστησεν ἐν τῷ λαῷ καὶ ὠλιγοψύχησεν, in Alexandrino & Aldino. At in poſtrema lectione, prima illa verba οὐκ εὐηρέστησεν videntur eſſe Gloſſema, quod ſenſui hujus loci contrarium eſt. Meliùs Vulgatus: *doluit ſuper miſeriis eorum.*

Propter dolorem] בעמל *in labore*, tam animi, quàm corporis; ſed animus hîc ſpectatur.

17. *Mitſphæ*] Plures fuerunt *Mitſphæ*, ſed cùm bellum hoc geſtum ſit ad ortum Jordanis, ea intelligenda eſt *Mitſpha*, quæ erat in dimidiæ Tribûs Manaſſæ agris, non procul à Chermone, de qua Joſ. XI, 3. In Cod. Vaticano eſt σκοπιᾷ *ſpecula*, ſed in aliis rectiùs Μασσηφά.

18. *Populus & principes*] העם שרי, *populus*, *principes*, aut *duces*. Neceſſe eſt ſuppleri &, nam *populus* & *principes*, aut *duces* ſemper diſtinguuntur. LXX. Intt. in Cod. Vat. habent ὁ λαὸς, οἱ ἄρχοντες, in Alexandrino, οἱ ἄρχοντες λαοῦ. Vulgatus omiſit vocem *populus.*

Galahaditarum] *Habitantium Galahad.*

In Caput XI.

1. *Jephtheus*] יפתח, quod Veteres extulerunt Ἰεφθάε aut Ἰεφθὲ, Maſſorethæ *Jiphthahh.* Nos declinavimus more Latino, ambiguitatis vitandæ causâ.

Galahadita] Ex Manaſſitis, qui Galahaditin incolebant.

Filius meretricis] Ex ſequente verſu liquet fuiſſe peregrinam, quam non juſtæ uxoris loco haberet; neque enim ullâ ſpecie juris potuiſſet à fratribus expelli, ſi fuiſſet legitima uxor, cùm πολυγαμία illicita non eſſet. Sed quia peregrina

 erat,

Galahadus. 2. Sed uxor Galahadi peperit etiam ei filios, qui cùm adoleviſſent, expulerunt Jephtheum, negantes eum hereditatem habiturum domi patris ſui, quia alienæ mulieris filius erat. 3. Fugit itaque Jephtheus, è conſpectu fratrum ſuorum, habitavitque in terra Tobitide, & ad eum ſe ſe adplicuerunt homines otioſi, qui cum eo *in expeditiones* egrediebantur. 4. Cùm verò ab *aliquot* diebus bellum intuliſſent Hammonitæ Iſraëlitis, 5. cúmque Hammonitæ prælium commiſſuri eſſent cum Iſraële, iverunt ſenes Galahaditarum, ut è terra Tobitide Jephtheum adſumerent; 6. dixerúntque Jephtheo: veni, eſto dux noſter, & pugnabimus cum Hammonitis. 7. Senibus verò Galahaditis Jephtheus; annon, inquit, me odio habuiſtis, atque ex paterna domo expuliſtis? Cur venitis nunc ad me, cùm in anguſtiis verſamini? 8. At ſenes Galahaditarum Jephtheo, ideò ſumus, inquiunt, ad te reverſi, ut venias nobiſcum, quia bellum gerimus cum Hammonitis, ut ſis nobis caput, *hoc eſt*, omnibus qui Galahaditidem incolunt. 9. Tum Jephtheus ſenibus Galahaditarum, ſi, inquit, me reducitis ad bellum gerendum cum Hammonitis, eos autem *cædendos* mihi tradiderit Jehova, an fiam ego veſtrum caput? 10. Jehova verò, inquiunt ſenes Galahaditarum Jephtheo, audiat *id quod geritur* inter nos, & niſi fecerimus, prout dixiſti, *pœnas de nobis repetat.* 11. Profectus eſt ergo Jephtheus, cum ſenibus Galahaditarum, eúmque ſibi caput & ducem impoſuit populus, & verba ejus omnia proloquutus eſt Jephtheus, coram Jehova, Mitſphæ.

XI.

erat, nec uxor legitima, ideò expulſus. Fruſtra ergo ſudant, qui hîc aliud quærunt, & ex Rabbinorum ſomniis fabellas hauriunt. Vide Gen. XXI, 10.

Galahadus] E poſteris antiquioris Galahadi, Machiris filii; nam in eadem familia eadem nomina ſæpe repetuntur. Vide ad Cap. X, 4.

2. *Alienæ mulieris*] אשה אחרת *iſchah abhereth*, mulieris alienigenæ, non Hebræa Gente. Sic *Dii alieni* dicuntur paſſim אחרים *abherim*. Reverà alienæ mulieris, minimè ſollemni ritu ductæ, liberi non poterant hereditatem paternam cum aliis ex legitima ſuſceptis adire; niſi aliter patri viſum eſſet. Vide ad Gen. XXV, 1. Malè in Cod. Vaticano hîc eſt ἑταίρας, *amicæ*, cùm rectiùs ſit in aliis ἑτέρας, quod genus corruptionis in Græcis Scriptoribus frequens eſt.

3. *In terra Tobitide*] ארץ טוב *erets tob.* Tractus fuit Galahaditidi vicinus, ut liquet ex 2. Sam. X, 6, 8. Conjiciunt hanc fuiſſe patriam matris Jephthei.

Otioſi] ריקים *rekim*, ut Cap. IX, 4. Ea vox nonniſi in malam partem ſumitur, de hominibus nulli honeſtæ arti addictis, ac proinde ad mercenariam militiam ſequendam, exercendáve latrocinia, occaſione datâ, paratis. In Alexandrino & Aldino Codicibus dicuntur à LXX. Intt. λεπτοὶ *tenues*, quaſi eſſent רקים *dakkim*, meliùs in Vaticano κενοί. Inde ריקא *reka*, apud *Thalmudicos*, aut רקא *raka*, ut eſt in N. T. convicium habebatur.

In expeditionem egrediebantur] יצאו *exibant.* Sed exire, in Scriptura, non rarò ſignificat expeditionem militarem ſuſcipere. Vide 2. Sam. XI, 1. & quæ notavimus, in Additamentis ad *Hammondum*, ad Luc. IX, 1. In Cod. Vaticano eſt ἐξῆλθον, in Alexandrino ἐξεπορεύοντο. Si quis quærat quo jure Jephtheus bellum gereret cum vicinis populis, in promtu eſt reſponſio; eodem, nempe, jure & aliquantò etiam meliore, eo quo vicini populi bellum Iſraëlitis inferebant, quotieſcumque ſecundum belli exitum fore putabant; Jephtheus enim defendebat patriam à vicinis vexatam. Tam licuit uni familiæ, aut paucis familiabus Iſraëliticis agere prædas ex agro vicinorum, quàm vicinis ex agro Hebræorum. Iis temporibus, pudenda hæc non habebantur; præſertim in Republica non ſatis ordinata, quales pleræque tunc erant. Similia, apud Græcos, factitata docet *Thucydides* Lib. I.

4. *Cùm verò ab aliquot diebus*] *Et fuit à diebus & bellum faciebant filii Hammon cum Iſraële, & fuit cùm pugnaverunt filii Hammon cum Iſraële* &c. Verbo tenus exprimi hæc Latinè non potuerunt, ſed ſenſum me fideliter expreſſiſſe confido. Eſt ambiguitas perpetua in verbo נלחם *nilhham*, quod & *bellum gerere*, & *prælium committere* ſignificat, debétque ita verti, ut locus poſtulat. Itaque ex omnibus loci circumſtantiis, priùs vertimus *bellum inferre*, poſteriùs *prælium committere.*

5. *Senes Galahaditarum*] Honoratiſſimi quique, ſeu Senatores urbium Galahaditidis.

7. *Me odio habuiſtis*] Hoc eſt, ita mecum vos geſſiſtis, quaſi mihi inimici eſſetis. Tribuit Senibus Galahaditidis, quod peculiare erat oppidi, in quo habitabat, Magiſtratui; figurâ ſollemni, quâ toti populo tribuitur quod pars ejus fecit. Præterea in Magiſtratum confert actionem fratrum ſuorum, fortè quod non ſine ejus ſententia paternâ domo expulſus fuiſſet; aut ſaltem eo connivente, nec querelis Jephthei aures præbente. Ex his autem verbis Jephthei, minimè liquet eum injuriâ ejectum fuiſſe, ut nonnulli putant; ſed tantùm eum miratum Galahaditas, qui tam ſeverè ſecum egiſſent, audere tamen ejus auxilium implorare, quem à ſe malè habitum fuiſſe norant, ac proinde alieno à ſe animo fore ſuſpicari poterant.

Cùm in anguſtiis verſamini] *Cùm eſt anguſtia vobis.* Exprobrat eis, niſi ejus opera ſummopere indiguiſſent, propter bellum, quo erant impliciti, ipſum revocaturos ad ſe non fuiſſe.

8. *Ideò ſumus* &c.] Non excuſant quod factum erat, ſed contumeliam, ſi quæ fuerat, & detrimentum reſarcituros abundè ſe oſtendunt, permiſſâ ac traditâ illi Reipublicæ adminiſtratione; quo maximè modo ejus animus deliniri po-

XI. Jephtheus mittit legatos de pace ad Hammonitas, legationéque irritâ, ſe ad bellum parat. Voto concepto, Hammonitas prælio vincit, & redux filiam virginem futuram Deo conſecrat.

12. MISIT deinde Jephtheus legatos ad Regem Hammonitarum, qui *nomine po-*
puli dicerent: quid mihi tecum *intercedit negotii*, propter quod contra me ve-
neris, ad bellum in agro meo gerendum? 13. Rex vero Hammonitarum le-
gatis Jephthei, quia, inquit, Iſraël agros meos invaſit ab Arnone ad Jabbokum & Jorda-
nem, cùm egreſſus eſſet ex Ægypto. Nunc ergo redde eos mihi & pacem habeamus.
14. Præterea miſit adhuc legatos Jephtheus ad Regem Hammonitarum, 15. qui ei
dixerunt: ſic ait Jephtheus: Iſraël non invaſit Moabitidem, neque Hammonitidem,
16. ſed cùm egreſſus eſſet ex Ægypto, per deſertum vagatus eſt ad mare algoſum, ve-
nitque Kadeſum. 17. Illinc miſit legatos ad Idumæorum Regem, qui dicerent *nomine*
populi: tranſeam, quæſo, per agrum tuum; at non auſcultavit *ei* Rex Idumæorum.
Miſit etiam ad Regem Moabitarum, qui pariter noluit. Itaque Iſraël manſit Kadeſi.
18. Deinde iter fecit per ſolitudinem, circumivit Idumæam ac Moabitidem terram,
venitque ad ortum Moabitidis, & caſtra metatus eſt trans Arnonem, neque fines in-
greſſus eſt Moabitarum, cùm eorum finis eſſet Arnon. 19. Tum miſit Iſraël legatos
ad Sichonem Emoræorum Regem, Chesbone regnantem, qui dicerent: tranſeamus,
quæſumus, per agros tuos, donec ad locum noſtrum pervenerimus. 20. Sed non cre-
didit Sichon Iſraëli, *ut pateretur eum* tranſire per fines ſuos; verùm, collectis omnibus
co-

poterat, nam ei Magiſtratum, qui ampliſſimus apud ſe erat, offerebant.

Hoc eſt, omnibus] Galahaditæ ſuo uofniue Magiſtratum hunc conferebant, apud ſe, Jephtheo; quod tamen factum & alii Hebræi imitati ſunt, ac comprobaruut.

9. *Cædendos mihi tradiderit Jehovu*] *Dederit ante fuciam meam*, quaſi cibum in fruſta concîdendum.

An fiam ego veſtrum cuput?] Hoc quærit Jephtheus, ne poſt partam victoriam, cùm ſua opera uſque adeò ueceſſaria futura uou eſſet, iterum amandaretut in Tobitidem.

10. *Audiat id quod geritur inter nos*] Elliptice ſolent eſſe jurandi, apud Hebræos, formulæ, ideóque in aliam linguam verbo tenns tranſlatæ intelligi non poſſent. Quare quæ ſubaudienda ſunt ſupplevimus.

11. *Ducem impoſuit populus*] Confirmatis ſenum, quos ad eum miſerat, promiſſis.

Verba ejus omniu] Hoc eſt, populi; nam quamvis ſit *eorum* iu Hebræo textu, cum voce *populus* conſtructum eſt verbum plurale, quia uomen eſt collectivum. Ctedibile eſt Jephtheum, auditis verbis populi, eum Judicem & Ducem eligentis, ea, Deo teſte vocato, clarâ voce repetiiſſe; ue poſtea quiſquam queri poſſet rem aliter geſtam, quàm erat, néve locus mutationi ullus eſſet. Ideò dicitur ea *coram Deo* proloquutus; neque enim credibile eſt Arcam trans Jordanem bajulatam, quâ præſente, Deus dicebatur adeſſe. Certè nulla hîc ejus rei fit mentio. Igitur auditis verbis populi conſentientibus cum verbis legatorum ad ſe miſſorum, videtur Jephtheus quidem, ut prudentem hominem decebat, clarâ voce hæc, aut ſimilia verba dixiſſe: pollicemini ergo, ô Iſraëlitæ, ſi victor rediero, me Ducem ac Jndicem veſtrum iu perpetuum futurum, quam in rem Deum teſtem verborum meorum, ultorémque perfidiæ invocatis. Reſpondit verò populus, *Amen*; quo facto, rerum adminiſtrationem ſe ſuſcepturum promiſit Jephtheus.

12. *Miſit* &c.] Poterat Jephtheus vim vi repellere, ſine ulla legatione, & jus populi Hebræi tueri; ſive id intelligerent Hammonitæ, ſive ignorarent. Sed ut oſtenderet iniquitatem belli ſibi illati, cauſámque ſuam omnibus æquitatis obſervantibus probaret; priuſquàm armis experiretur, de jute diſceptare cum hoſtibus voluit. Qua de actione, vide quæ ſcripſit *H. Grotius* de Jnre Pacis & Belli, Lib. II. Cap. IV, 2. & de re ipſa Cap. XXIII, 7.

Nomine populi] Hoc ſupplevimus, quia legati haud aliter loquuntur, quàm loquutus fuiſſet ipſe populus Hebræus, ſi præſens adfuiſſet. Sic ſolent orationes nunciorum ac legatorum ab Hebræis Scriptoribus concipi. Vide not. ad Exod. XX, 1.

13. *Egreſſus eſſet*] בעלותו *bahalotho*, hoc eſt, *cùm adſcenderet*, aut potins *udſcendiſſet*.

Et pacem habeamus] *Inpace*, hoc eſt, ſpoute, neque vi exſpectatâ.

15. *Qui ei dicerent*] *Et dixit ei*; nempe, per legatos. Sed Latinè ita loqui uon licuit.

Nou invuſit &c.] *Non cepit terrum Moab, neque terram filiorum Hammou.* Vetuit hoc Deus, Deut. II, 9, 18.

16. *Kadeſum.*] Vide Num. XX, 14.

18. *Ad ortum Moabitidis.*] Vel, à tractu qui eſt ad orientem Moabitidis. Hæc tam accurata rerum geſtarum hiſtoria oſtendit tunc jam exſtitiſſe Moſis libros, aut alios ſimiles; nam poſt tot annos, tam firma uou fuiſſet earum rerum memoria, niſi ſcriptis conſignata fuiſſet.

19. *Chesboue regnantem*] *Regem Chesbonis*, ſed repetitionem vocis *Rex* vitare voluimus.

Qui dicerent] *Et dixit ei Iſraël: tranſeamus —— ad locum meum.* De hac Hiſtoria, vide ad Num. XXI, 22.

Ad locum noſtrum] Ad locum nobis à Deo conceſſum. Paullò aliter res in Numeris exprimitur, ſed eodem ſenſu.

20. *Verùm collectis*] *Et collegit Sichon omnem populum ſuum.*

21. *Igi-*

copiis ſuis, caſtra poſuit Jahtſæ, præliúmque cum Iſraële commiſit. 21. Tradidit autem
Jehova, Deus Iſraëlis, Sichonem & omnes ejus copias in manum Iſraëli, qui eas con-
cidit, occupavitque agros omnes Emoræorum, qui eum tractum incolebant. 22. In-
vaſerunt itaque *Iſraëlitæ* fines omnes Emoræorum, ab Arnone ad Jabbokum, & à de-
ſerto uſque ad Jordanem. 23. Igitur cùm Jehova, Deus Iſraëlis, expulerit Emoræos
è conſpectu populi ſui Iſraëlis, túne ejus agros poſſideres? 24. Nonne quæ tibi poſſi-
denda dederit Chemoſus, Deus tuus, id te poſſidere par eſt; & quidquid expulſis *ve-
teribus colonis*, poſſidendum nobis dedit Jehova Deus noſter, id poſſidere nos oportet?
25. Túne ergo potior es Balako Tſipphoris filio, Moabitarum Rege? An verò rixatus
eſt cum Iſraële? An bellum ei intulit, 26. cùm conſedit Iſraël Chesbone, & in pagis
ejus, Harohere & in pagis ejus & in omnibus urbibus quæ ſunt ad Arnonem, *quas ob-
tinuit* per trecentos annos? Quare etiam eas, illo tempore, *nobis* non eripuiſtis? 27. Ego
quidem nullâ re in te deliqui, tu verò malè te mecum geris, qui bellum mihi infers.
Judicet hodie Jehova, judex *meus*, inter Iſraëlitas & Hammonitas.

28. Non

23. *Igitur cùm Jehova*] *Et nunc Jehova — & tu poſſideres eum*? De hoc jure egit *Grotius* Lib. III. de Jure P. & B. Cap. VI, 7.

24. *Poſſidenda dedit Chemoſus* &c.] Hinc liquet Chemoſum non Moabitarum tantùm, ſed & Hammonitarum Numen fuiſſe. De eo diximus ad Num. XXII, 28. Hæc autem ratiocinatio Jephthei eſt ejuſmodi argumentum, quod dicitur *ad hominem*, in quo ex dogmatibus adverſarii, non ex noſtris, ratiocinamur. Alioquin homini Hebræo non licuit ita de Diis Gentium loqui, quaſi divinæ providentiæ partem, rerúmque humanarum ullam adminiſtrationem iis tribueret.

Id te poſſidere par eſt] אותו תירש otho thiraſch, *id poſſidebis*. Futuro hocce non ſignificatur futurus eventus, ſed tantùm jus poſſeſſionis; quare aliter vertendum fuit, quemadmodum fecit etiam Vulgatus, qui rectè habet: *jure tibi debentur*. Alioqui Latinè ſi dicas *id poſſidebis*, obſcurè loqueris, nec idioma Linguæ Hebraïcæ adſequeris. Ut in ea Lingua mandata & interdicta Futuro concipiuntur, ut, *facies*, & *non facies*: eodem etiam tempore quod fas & nefas eſt exprimitur: *ex omni Paradiſi arbore comedes, at ex arbore ſcientiæ boni & mali non comedes*; hoc eſt, licet comedere fructus omnium aliarum arborum, ſed arboris ſcientiæ non licet. Igitur verba hîc non exiſtimavimus adnumeranda, neglectâ eorum ſententiâ; quæ non alia eſt, quàm quæ à nobis eſt expreſſa.

Expulſis veteribus colonis] Hic eſt Elliptica loquutio, ſic enim Hebræa habent: את כל אשר הוריש יהוה אלהינו מפנינו אותו נירש, *omne quod poſſidere fecit Jehova Deus noſter à conſpectu noſtro hoc poſſidebimus*. Plena eſſet loquutio: אחרי אשר את יושבים יגרש מפנינו *poſtquàm incolas expulit è conſpectu noſtro*. Sunt qui vertant: *quemcumque expulit Jehova Deus noſter à facie noſtra, illum poſſidebimus*. Sed violenta eſt loquutio, *poſſidere eum, quem Deus expulit*, pro eo quod eſt, poſſidere agros ejus; Latinè certè intelligi nequit. Præterea hîc eſt oppoſitio quædam inter הוריש *horiſch*, poſſidendum dedit, & ultimam vocem commatis נירש *niraſch*, poſſidebimus. Similis eſt etiam, in antecedente verſu. Ac ſanè conjugationis Hiphil verbi ירש, ſive τὸ הוריש propria ſignificatio eſt *poſſidere fecit*; & quia ubi ſunt domini, priùs ejiciendi ſunt, quàm alii in eorum poſſeſſiones immittantur, ideò hoc verbum ſignificavit *expellere*, ut locus fiat novis poſſeſſoribus. Ellipſes frequentes ſunt, in Lingua Hebraïca. Vide v. 26.

25. *Balako*] Qui Moſis tempore Moabitarum Rex fuerat, & ad quem etiam potiùs jus repetundarum rerum pertinuiſſet, ſi quod fuiſſet; quoniam agri inter Arnonem, Jordanem & Jabbokum Moabitarum fuerant, non Hammonitarum. Vide Num. XXI, 26, & ſeqq.

An verò rixatus eſt &c.] Nullum quidem erat jus Moabitis repetundarum rerum, ut oſtendit *H. Grotius* de J. B. & P. Lib. II. C. IV, 2. Sed ſi quando uſurpari potuit, factum certè oportuiſſet quàm primùm Iſraëlitæ agros inter Arnonem & Jabbokum occuparant; quod cùm factum non fuiſſet, nihil erat cur trecentis pòſt annis eò rediretur. Si nulla temporis præſcriptio, nec ulla longæ poſſeſſionis ratio valeret, nihil tutò ab ullo populo unquam poſſideretur, nec finis ullus eſſet bellorum, aut diſſentionum.

26. *In Pagis ejus*] *In filiabus ejus.*

Quas obtinuit] Supplendum hoc neceſſariò fuit. Vide de ellipticis loquutionibus ad v. 24.

Per trecentos annos] Paullò plures, ſi Petaviano calculo credimus; nempe, 326 annos. Qua de re ad Tabulas Chronologicas.

27. *Judicet*] *Judicabit*, & de reo pœnas ſumet.

29. *Invaſit Spiritus Jehovæ*] Adfectione animi donatus eſt, quâ ſpreto periculo rationem iniit, quâ poſſet Hammonitas impium bellum indicentes Iſraëlitis malè mulctare.

Tranſivit] Ut cogeret copias è tota Galahaditide.

31. *Quidquid egreſſum mihi fuerit*] Credibile eſt Jephtheo fuiſſe greges pecudum, ſeu boum, caprarúmve, aut ovium, quæ ſola animalia mactari Deo poterant, & quæ circa eam viam, quâ domum rediturus erat, errare ſolebant; quorum vel gregem integrum mactaturus erat, in holocautoma Jehovæ, ſi modò voti damnaretur. Alioquin abſurdum, impiúmque fuiſſet votum. Si enim ſciviſſet nullam pecudem ſuam ſibi illac obviam futuram, nihil voviſſet, Deóque illuſiſſet. Si verò intellexiſſet etiam alia animalia, ut camelos, aſinos, canes, porcos &c. impium fuiſſet votum; quippe qui Deo victimas voviſſet, quas ei voveri non poſſe noverat, quia Deus vetuerat talia ſibi mactari animalia. Nec Deus homini tam impio, aut temerario victoriam tam inſignem conceſſiſſet;
quip-

28. Non auſcultavit Rex Hammonitarum verbis Jephthei, quæ ei *dicenda* manda-
rat. 29. Tum invaſit ſpiritus Jehovæ Jephtheum, qui tranſivit per Galahaditas & Ma-
naſſitas, unde Mitſpham Galahaditidis ivit, Mitſpháque Galahaditidis ad Hammo-
nitas contendit. 30. Votum *tunc* Jehovæ Jephtheus nuncupavit, his verbis: ſi Ham-
monitas in manum meam tradideris, 31. quidquid egreſſum fuerit mihi obviam è fo-
ribus domûs meæ, cùm ab Hammonitis incolumis redibo, id erit Jehovæ, atque in
holocauſtum offeram. 32. Ivit deinde Jephtheus in Hammonitas, ut cum illis pug-
naret, atque eos in manum ejus tradidit Jehova. 33. Concidit *incolas* viginti ur-
bium, ab Harohere donec venias Minnitham, & uſque ad Abelam vinearum, quod
fuit maximum vulnus *Hammonitis illatum*; humiléſque poſtea fuerant Hammonitæ, præ
Iſraëlitis.
34. Ivit deinde Jephtheus Mitſpham, domum ſuam; ecce verò ejus filiam obviam ei
egredientem, cum tympanis & tibiis, quæ erat ei unica; neque enim ex ſe *natum* ha-
bebat filium, aut *aliam* filiam. 35. Eam ergo cùm vidit, veſtes ſuas laceravit & dixit:
Ah!

quippe quæ apta erat ad ſolvendam Legem, quæ magni fieri non poterat, ab iis qui videbant eos victorias à Deo impetrare, qui vota concepiſſent Legi planè contraria & Legiſlatori contumelioſa.

Præterea hîc, cum *Joſepho* Ant. Jud. Lib. V. c. 9. & Vulgato Interprete, ſupplendum *primum*, ita ut intelligamus Jephtheum voviſſe Deo, quod primum ſibi occurreret; alioqui nullos fines voto ſuo præſcripſiſſet, quod ſtultum, aut furioſum potiùs fuiſſet. Deinde niſi intellexiſſet quod *primum* egreſſum ejus ædibus fuiſſet, facilè potuiſſet voti interpretatione filiam ſuam rerum votarum numero eximere.

Igitur ne in hujus Hiſtoriæ explicatione à vero aberremus, ante omnia ſtatuendum eſt votum hoc fuiſſe hominis Hebræi; cui integrum non fuit Deo vovere victimas, quas lege ei mactari nefas erat. Quod niſi ſtatuamus, oportebit nos dicere, ſi canis occurriſſet, aut aliud immundum animal ex ædibus egreſſum, Jephtheo, id rite atque ex ordine offerri Deo potuiſſe; & mactatâ cane, aliáve ejuſmodi beſtiâ, futurum fuiſſe ut voti religione ſolveretur. Quam rem ſi concedamus, inde ſequetur obſervationem Legis totam ex quorumvis votis pependiſſe, arbitrióque voventium permiſſam fuiſſe, cùm quodlibet flagitium iis vovere liceret. Poſtea quorſum hæc ſpectent liquebit.

Egreſſum autem *obviam* dici poteſt armentum ſtabulis Jephthei egreſſum, actúmque in eam partem per quam venit; quamvis magis propriè de hominibus dicatur, qui animo obviam eundi egrediuntur. Scio eſſe qui de hominibus ſolis votum hoc intelligant, & hanc ipſam loquutionem, eam in rem, urgeant; ſed ii numquam oſtendent victimas humanas Deo à Judice, quem probaſſet, victoriáque illuſtrem feciſſet, votas & mactatas. Non intelligo qui pietatem, prudentiam, ac ſpiritum divinum tribuant homini, qui cædem Deo ſuorum vovit, ſi victor rediret.

Incolumis] *In pace*. Non rediiſſet *in pace*, ſeu *incolumis*, ſi exercitu cæſo atque amiſſo rediiſſet. Itaque perinde hoc eſt ac ſi dixiſſet, ſi victor rediero, quemadmodum omnes Interpretes intelligunt.

Id erit Jehovæ, atque in holocauſtum offeram] Poſteriora verba explicant priora, oſtendúntque animum Jephthei fuiſſe vovendi quæ poterant in holocauſta offerri, hoc eſt, pecudes illas mundas, ex quibus holocautomata apud Hebræos, ex Lege, offerebantur.

32. *Ivit*] *Tranſivit*.

33. *Harohere*] Urbe ad ripam Arnonis (Deut. III, 12.) trans quem fluvium fuerunt agri Hammonitarum, ſecundùm orientalem plagam, ad ſeptemtriones porrecti.

Minnitham] *Euſebius* poſtquàm dixit ad hanc urbem bellum geſtum eſſe à Jephtheo, ſubdit: καὶ νῦν ἐστι κώμη Μαανὶθ ἀπὸ δ'. σημείων Ἐσβοῦς ἀπιόντων εἰς Φιλαδέλφειαν. Hieronymo interprete: *nunc autem oſtenditur Mannith villa, in quarto lapide Esbus, pergentibus Philadelphiam.* Nemo certè dixerit ſitne hæc, an diverſa, ſed circa eadem loca eſſe debuit; agitur enim de finibus Hammonitarum, aut agri Iſraëlitici ora, quam ſuperioribus annis invaſerant.

Abelam vinearum] *Euſebius*: Ἀβὲλ ἀμπέλων, ἔνθα ἐπολέμησεν Ἰεφθαὲ γῆς υἱῶν Ἀμμών, ἥ ἐστιν εἰς ἔτι νῦν κώμη ἀμπελοφόρος Ἀβὲλ, ἀπὸ ς'. σημείων Φιλαδελφείας· καὶ ἄλλη πόλις ἐπίσημος Ἀβελὰ οἰνοφόρος καλουμένη διεστῶσα Γαδάρων σημείοις ιβ'. πρὸς ἀνατολάς. Hieronymus: *Abela vinearum, ubi dimicavit Jephthe, in terra filiorum Ammon, nam & uſque in præſentem diem, in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur, vinetis conſita. Alia quoque eſt civitas, nomine Abela, vini fertilis, in duodecimo à Gadaris milliario, contra orientalem plagam.* Uterque locus non malè convenit.

34. *Cum tympanis & tibiis*] Eorum locorum inſtrumentis muſicis, de quibus vide notata ad Geneſ. XXXI, 27.

35. *Veſtes ſuas laceravit* &c.] Credidit, nimirum, ſe voti religione obſtrictum teneri, nec ullâ ratione poſſe filiam, quæ prima domo egreſſa obviam illi erat, Deo ſubtrahi. Qua in re, ſuperſtitione, potiùs quàm religione, peccavit; ſatis enim ex ejus voti verbis liquidum erat, eum in animo habuiſſe pecudes ſuas, quocumque eſſent numero, mactare. Hominis præterea ſapientis erat cogitare primò Deum, qui cogitationes noſtras novit, non eſſe cavillatorem verborum humanorum, nec votum inconſultis fortè verbis conceptum in deteriorem partem interpretaturum; deinde non licere rem alienam vovere, nam liberi non ſunt in poteſtate parentum, quemadmodum pecudes in dominorum. Quis credat licuiſſe Hebræis parentibus vitam liberorum, aut aliud quidpiam, quod proprium eſt liberis, qualis, exempli gratiâ, cœliba-

Ah! filia mea, me depreſſiſti, éſque inte - eos qui me conturbant; aperui enim os meum
Jehovæ, nec poſſum revocare quod dixi. 36. Illa verò Jephtheo, mi Pater, inquit,
aperuiſtine os tuum Jehovæ? Mihi facito, quod ex ore tuo prodiit, quandoquidem
Jehova ultionem de hoſtibus tuis Hammonitis tibi conceſſit. 37. Hoc mihi, inquit patri

libatus, ac virginitas, vovere? Profectò nullâ lege licitum hoc illis ſit, nam perperam huc trahuntur verba Levitici XXVII, 28, & 29. ut oſtendimus ad eum locum, in altera præſertim Editione. Quinimo eodem Levitici Capite v. 3, 4, & ſeqq. diſertè homines Deo voti redimendi, aut redimi poſſe dicuntur.

Novi *Lud. Cappellum*, in Diſſert. ſingulari de voto Jephthei, non potuiſſe concoquere Jephtheo, ſacerdotibúſque omnibus Hebræis, & ipſi Pontifici Maximo ignorantiam Legis tribui tantam, ut hæc neſcierint. Sed quid mirum ſi populus toties in Idololatriam lapſus, & Sacerdotes populo non meliores ignorantiæ inſimulentur, in re manifeſta? Hoccine magis mirum eſt, quàm eos ſtupidæ & furioſæ impietatis accuſari; qui, cognito vero Deo, ad vicinorum Idolomaniam transfugiebant? Sed Jephtheus, qui vehementer cupiiſſet voti religione ſolvi, & cui dolebat filiam Deo conſecratam, debuit, inquit, expendere verba Legis, ex quibus intellexiſſet filiam ſuam redimi poſſe. Atqui non fecit, ſuperſtitione impeditus; quâ timuit ne Deum offenderet, ſi ullâ ratione videretur voti reus ejus non ſolvendi occaſionem velle captare. Maluit filiam numquam nupturam dare Pontifici Maximo, ut ſacris, quatenus licuit, operaretur (eò enim votum tandem rediiſſe exiſtimamus) quàm videri poſſe voti religionem ullo modo violaſſe, quamvis nepotes ex filia videre ſummopere cupiiſſet. Hæc ſunt multò magis rationi conſentanea, quàm ſi quis ita Legem interpretetur, ut votum legitimum & ritè conceptum habeatur, ſi quis voverit mactare Deo liberos; nec votum illud ullâ ratione revocari, aut redimi poſſit, cùm Deus ſeveriſſimè ejuſmodi ſacrificia vetuerit, ac proinde voveri ea ſibi noluerit.

Cappellus quidem legem, de non revocando voto mactandi victimas humanas, confert cum lege de repudio, quod tolerabat Deus, licèt non probaret. At nuſquam vetuit repudium, cùm victimas humanas abominatus ſit; nec eſt repudium uxoris, quamvis non probandum, ullâ ratione conferendum cum mactatione liberorum; quâ etiam judicibus Ethnicis ſapientioribus, nihil magis impium excogitari potuit. Rationes quidem vir doctiſſimus, propter quas Deus tales victimas voveri ſibi, ut putat, pateretur (quales mactari vetuerat) commentus eſt, ſed Gallicâ nive frigidiores, & quæ proinde à me non confutabuntur; cùm præſertim illicita fuiſſe nefaria ejuſmodi vota jure, ut mihi videor, contendam.

Sed ut ad verba Textûs Sacri veniamus, *laceravit veſtes* Jephtheus, ut ſolebant Hebræi, nunciatâ calamitate. Vide ad Gen. XXXVIII, 29. Erat autem magna calamitas patri, qui filiam illam unicam habebat, ſine ulla ſpe liberorum, eam Pontifici Maximo mancipari, ut Sanctuario & rebus ſacris per totam vitam ſerviret, quatenus quidem puellæ licuit; nec nubere, ne nuptiis & curâ familiæ, ſacris miniſteriis ſubduceretur. Sic Jephtheo ſeni carendum fuit filia unica, nec ulli ex ea ſperandi nepotes, qui ipſius ſenectutem oblectarent. Notum eſt Hebræis genus calamitatis ſat magnum fuiſſe ſine poſteris mori, cùm multitudo liberorum divinæ benevolentiæ indicium haberetur. Nec capio qui *Cappellus* extenuet infortunium Jephthei, quaſi res tanti non fuiſſet, ut doleret, aut quaſi ejus filia non niſi ſtultè virginitatem ſuam luxiſſet. Sat grave infortunium fuit parenti, nec exiguum filiæ, innuptam ſervire in familia Pontificis Maximi; quæ potuiſſet, in ſplendidam familiam nuptui collocari, & domi ſuæ aliis imperare, ceteriſque vitæ deliciis frui. Quis pater hæc filiæ contingere ægrè non ferret, aut quæ filia non lugeret?

Me depreſſiſti] הכרע הכרעתני *hachreah hichrabthani*. Verbum hoc quod propriè ſignificat incurvationem corporis, tralatitio ſignificatu ſortis mutationem, ita ut deterior fiat, ſonat. Vide Pſ. XVII, 13. Quo poſteriori ſignificatu hîc ſumitur, nam Jephtheus qui, ſummâ gloriâ partâ & liberatâ patriâ, lætus redibat, in gravem calamitatem, ut vidimus, incidit; datâ in ſervitutem filiâ, amiſſâque omni ſpe nepotum, quod mox probabimus. Verbum tamen כרע *charah* hîc veteres Interpretes exercitos habuit, qui hoc loco ſatis commodè ſe ſe non expediverunt. Vertunt οἱ LXX. ex lectione quidem Codicis Vaticani, ταραχῇ ἐτάραξάς με, ex Complutenſis, ἐμποδοστάτης, ut legendum etiam videtur in Alexandrino. Vulgatus non commodiùs, *decepiſti me & ipſa decepta es.*

Qui me conturbant] בעכרי *beocherai*; hoc eſt, eos qui mihi magnam animi perturbationem, anxietatémque crearunt. Simili ſignificatu occurrit hoc verbum Joſ. VI, 24. LXX. habent in Vaticano Codice: σὺ ἦς ἐν τῷ ταράχῳ μου, in Alexandrino, Aldino & Complutenſi, εἰς σκῶλον ἐγένου ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς μου. Vulgatus verò verba omiſit.

Revocare quod dixi] *Redire* לשוב *laſchoub*, hoc eſt, mutare quod dixi, aut adduci ut revocem. Quamvis voviſſet tantùm holocautomata, hoc eſt, hoſtias quas Deo adoleri jus, fáſque fuit; cùm videret primam omnium ſibi occurrentem filiam, ante chorum virginum, memor verborum voti ſui, quæ ab Hiſtorico Sacro prolata ſunt, Deo filiam conſecrandam eſſe duxit, eo modo quo poterat, ex Lege, Deo conſecrari; non ut victimam, quod nefas fuit, ſed ut famulam Sanctuarii. Quod quidem non exprimitur, in hoc loco, ab Hiſtorico Sacro, quia antea votum Jephthei expoſuit; ſed tamen hoc etiam tempore repetitum, audiente filiâ, oportuit; neque enim intelligere potuiſſet, quid ſibi vellet patet. Scriptores Hebræi, qui ſæpe abundant verbis, in re ſatis clara, nec à repetitionibus abſtinent; mirè in aliis, intellectu non ita facilibus, parci verborum ſunt. Videtur autem Jephtheus noluiſſe redimere filiam, cùm metu ne votum violaret, tum etiam quòd vile viſum fuiſſet votum, ſi triginta ſiclis, Pontifici ſolutis, religione ſolutus fuiſſet. Scio eſſe qui velint hoc votum fuiſſe חרם *hherem* quod re-

tri ſuo, fiat, ſed miſſam me facito, duobus menſibus, quibus ibo, deſcendámque ad *radices* montium, ac deflebimus ego & amicæ virginitatem meam. 38. Ito, inquit; & eam miſſam fecit, per duos menſes, quibus illa & amicæ ad montes virginitatem ejus defleverunt. 39. Poſt duos menſes, rediit ad Patrem, qui ei fecit quod voverat; nec

rediml ex Lege non potuit, Levit. XXVII, 28. Sed vox illa non adhibita eſt à Jephtheo, nec ſuos internecioni vovere licuit, apud Hebræos; apud quos non licuit id vovere, quod exſequi ex Lege nefas erat.

36. *Quod ex ore tuo prodiit*] Quod dixiſti. Generoſa ſanè reſponſio, quâ filia ſe pœnas temerarii voti dare malle teſtatur, quàm Patrem quidquam ſibi ab ira divina timere, rémve publicam Populi Hebræi propterea periclitari.

Ultionem tibi conceſſit] *Fecit tibi ultiones.*

37. *Miſſam me facito*] הרפה ממני *harpheh mimmenni*. Hæc eadem loquutio occurrit Deut. IX, 14. Senſus eſt, ne hoc mihi negato, patere me facere quod volo hac in re. Rectè LXX. ἄφες με. Hoc ipſum ſignificant voces ἄφες ἄρτι, Matth. III, 15.

Deſcendámque ad radices montium] ירדתי *jaradthi* על ההרים *hal haharim*, *ad montes*. Quamvis oſtenderim ad Gen. XXXVIII, 1. & alibi *adſcendere* & *deſcendere* perinde eſſe ac *ire*, ſive terminus itineris ſit locus editus, ſive depreſſus; attamen vix crediderim dici poſſe *deſcendere ad montes*, niſi hoc intelligatur de vallibus ad radices montium ſitis, & in quas ex urbe Mitſpha deſcenſus eſſet. Hac in opinione confirmat me, quòd non intelligam quî virgines aliquot per ſolos montes errare auderent, aut tutò poſſent. Ideò Vulgatus Interpres vertit: *circumeam montes.*

Deflebimúſque ego & amicæ virginitatem meam] Aut *propter virginitatem*, על בתולים *hal bthoulim*. Ex hoc ipſo ſermone, colligere poſſe mihi videor fuiſſe hunc morem, in ſimili caſu, ut virgines votis à parentibus Deo conſecratæ, ac propterea numquam nupturæ, per aliquod tempus *virginitatem deflerent*; hoc eſt, flerent, quòd ſibi ſervanda eſſet virginitas, nec nuptiæ umquam exſpectandæ; neque enim tam paratum fuiſſet reſponſum filiæ Jephthei, nec tale quidquam petitura fuiſſe videtur, niſi ita mores fuiſſent. Profectò non eſt, ut ſæpe dixi, putandum tam exiguo volumine, quale eſt Vetus Teſtamentum, contineri conſuetudines omnes Hebræorum, aut plenam omnium eorum, quæ apud eos facta ſunt, hiſtoriam haberi. Quare neceſſe eſt ad multa ſubinde adludi, quæ non adſequimur, quia alibi eorum mentio nulla occurrit.

Hinc etiam confutare licet eos, qui mactatam volunt hanc puellam; ſi hoc enim futurum erat, *vitam* deflere eam oportuit, non *virginitatem*. Ei non dolebat, ex eorum ſententia, quòd virgo interiret, potiùs quàm nupta, ſed quòd omnino intereundum eſſet. Imò verò ſi nupta fuiſſet, mors ei acerbior, propter virum & liberos, fuiſſet.

39. *Poſt duos menſes*] *A fine duorum menſium.*

Qui fecit ei quod voverat.] *Et fecit ei votum ſuum, quod voverat.* Voverat, ut vidimus, Deo victimas, quales fas erat Deo offerri, verùm cùm nullas pecudes ſibi obvias habuiſſet, ſed tantùm filiam; exiſtimavit non ſine Divina Providentia eam ſibi oblatam, ac proinde Deo neceſſariò conſecrandam, eo modo quo ei conſecrari poterat, quandoquidem mactari eam nefas fuit. Cùm non poſſet eſſe holocautoma, ſaltem *fuit Jehovæ*; hoc eſt, in ſervitutem data eſt Pontifici Maximo, qui ejus operâ in rebus ſacris uteretur; exempli causâ, in molendo tritico, unde fierent panes ſacri, pinſenda farina, coquendis panibus, veſtibus nendis ac texendis, aliiſque id genus miniſteriis, quibus apta eſſe poterat puella; ita ut numquam (quoniam ſe voto eam in rem obſtrictum putabat pater ejus Jephtheus, nec eam redimere voluit) ab ea ſervitute liberaretur, ſed innupta, apud eum, ad mortem maneret. Ideò proximè ſubjicitur: *nec ea virum ullum cognovit*, quod alioquin inutile eſſet; quis enim de puella, mox jugulanda, ſatis hoc non intelligat?

Virginem autem hancce, apud Pontificem Maximum, vixiſſe ſtatuimus, quaſi ejus ſervam; quòd res votivæ, quæ nec occidebantur, nec redimebantur, fierent קדש ליהוה *ſanctitas Jehovæ*, atque in uſum Pontificis Maximi cederent; ut docemur Levitici Cap. XXVII. Scio viros doctiſſimos, ut *Val. Schindlerum*, alióſque, qui mactatam non putant *Jephthei* filiam, exiſtimare eam veluti Monialem factam, vitámque ſolitariam egiſſe in Ædicula ſeparata. Verùm res votas Deo, ei ejuſmodi ſeceſſu conſecratas, eo tempore, apud Hebræos, fuiſſe nullâ lege, exemplóve conſtat. At pro ſententia noſtra legem modò attulimus, exemplum etiam non prorſus abſimile mox allaturi.

Si quæratur exemplum ejuſmodi voti, prorſus ſimile, fatebor nullum exſtare; ſed nec exſtat Judicis, Deo probati, qui filiam, aut filium mactarit. Sed exemplum ab hoc non alienum habemus in Samuele Propheta, quem mater vovit *ſe daturam Deo omni tempore vitæ*, 1 Sam. I, 11. & qui propterea, vivo Heli in miniſteriis ſacris, ante legitimum annum, hoc eſt, trigeſimum, & perpetuò adfuit. Vide ejuſdem Cap. v. 28. & Cap. II, 18. III, 1. Non diſſimulabo tamen Samuelem, poſtquàm Propheta & Judex Iſraëlis factus eſt, non videri ampliùs votum matris obſervaſſe; ſed ſine dubio, voti religione eſt à Pontifice Maximo, aut etiam revelatione divinâ ſolutus. At Jephthei filia ſimile nihil ſperare potuit, ideóque Sanctuario in perpetuum ſerviit, & cœlibem vitam egit.

Hac noſtrâ interpretatione non tam Jephthei exiſtimationem, quæ tanti nobis non eſſet, quàm divinitatem Legis Moſaïcæ tuemur; quæ quomodo poſſit defendi non videmus, ſi ex lege de votis, quæ exſtat Cap. ultimo Levitici, licuiſſet patri familias vovere internecionem non tantùm ſervorum, ſed liberorum & conjugis, iiſque in honorem, ſcilicet, Dei interfectis faventem eum habere. Nemo eſt paullò ſapientior Legiſlator, qui illicita ejuſmodi vota ac per ſe irrita non damnarit; nedum ut Deus Opt. Max. ſibi nuncupari paſſus ſit, cáve temerè nuncupata exegerit. Non me fugit tamen, ab antiquiſ-

nec ea virum ullum cognovit. Fuit deinceps inſtitutum in Iſraële, 40· ut irent quotannis Iſraëlitides puellæ alloquutum filiam Jephthei Galahaditæ, quatuor diebus, ſingulis annis.

XII. *Impium bellum Ephraïmitæ Galahaditis inferunt, à quibus vincuntur. Moritur Jephtheus, cum per ſex annos Judex fuiſſet. Succedit ei Ibtſan per ſeptem annos, huic Elon per decem annos, Eloni Abdon per octo annos.*

CAPUT XII. 1· CONVENERUNT poſtea Ephraïmitæ & trajecerunt *Jordanem* ſemptemtrionem versùs, ac Jephtheo, quare, inquiunt, iviſti ad bellum inferendum Hammonitis,

tiquiſſimis temporibus, Judæos credidiſſe Jephtheum votum non aliter, quàm mactatione filiæ, ſolviſſe. *Joſephus* Lib. V. cap. 9. Θύσας τὴν παῖδα ὡλοκαύτωσεν, οὔτε νόμιμον, οὔτε τῷ θεῷ κεχαρισμένην θυσίαν ἐπιτελῶν, μὴ διαβασανίσας τῷ λογισμῷ τὸ γενησόμενον, οἷον τὸ πραχθὲν δόξει τοῖς ἀκούσασι. *puellam mactatam holocautoma obtulit, neque legitima, neque Deo grata ſacra faciens; cùm ratiocinatione non expendiſſet quid futurum erat, & quid judicaturi eſſent de ejus facto qui audituri erant.* Sed cùm nulla alia monumenta antiquioris ævi laudent, præter hanc ipſam Scripturam Sacram, quam præ manibus habemus; auctoritas eorum gravior videri non poteſt, pondere rationum ex libris Sacris ductarum, quod ſanè leviſſimum eſſe in ſuperioribus vidimus. Hac eadem de ratione, non protuli Rabbinorum recentiorum ſententias, quas videre licebit apud *Joan. Druſium*, ad hunc locum, aut *Joan. Seldenum* de J. N. & G. Lib. IV. cap. 11. ubi oſtendit communem eſſe omnium ſententiam, nullo jure potuiſſe Jephthei filiam mactari.

Sed *Lud. Cappellus* exiſtimat ſupereſſe hujus rei veſtigium aliquod in fabula *Iphigeniæ*, quam ſic dictam vult, quaſi ἰεφθιγένειαν, genitam à Jephtheo. Quin & ſimilitudines quaſdam inter utramque virginem invenit. Sed merum eſt commentum, ſolâ adfinitate nominis nixum. Imò verò illa fabula Græca (quam tamen ex omni parte fictam non putarim) hominem revocare debuit ad meliorem ſententiam. Puduit enim paullò humaniores Poëtas dicere Dianam exegiſſe à Græcis victimam humanam, itaque finxerunt ſatis habuiſſe Deam, Iphigeniam ſtare ad aram paratam jugulo excipere cultrum; quam rem ſic eleganter expreſſit *Ovidius*, Metamorph. Lib. XII, 31.

Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris,
Flexa Dea eſt, nubémque oculis objecit, & inter
Officium turbámque ſacri, voceſque precantum,
Suppoſitâ fertur mutaſſe Mycenida cervâ.
——— *quâ decuit lenita eſt cæde Diana.*

Credere etiam par fuit Theologos Chriſtianos Deum miraculo potiùs, aut miniſterio Prophetæ erepturum fuiſſe innocuam virginem perversè religioſo patri, quàm permiſſurum eam ſibi mactari; quemadmodum voce Angeli vetuit Abrahamum, ne mactaret Iſaacum; cùm præſertim res peſſimi eſſet exempli, quòd victimas humanas mactare ſolerent finitimi populi, poſſétque videri Deus probaſſe nefandum votum hominis, cui victoriam conceſſerat.

Non addam *Cappellum*, ut ſimiliorem faciat Iphigeniam filiæ Jephthei, quæ per montes vagata eſt, antequàm mactaretur, fingere Iphigeniam mutatam dici in cervam & in montes aufugiſſe. Nam Iphigenia rapta dicitur in Tauricam, ubi Sacerdos Dianæ facta eſt, ab iis qui mactatam negant; ſed cerva mactata, quæ grata fuit Deæ victima. Non dedecet Theologum oblitum eſſe fabellarum. Sed quoniam fabula utitur, eum fabulâ quoque oppugnabimus, petitâ ex *Servio* ad Æneïdos Lib. III, 121. & in qua circumſtantiæ ſunt ſimiliores Hiſtoriæ Sacræ. *Idomeneus*, inquit, *de ſemine Deucalionis natus, Cretenſium Rex, cùm, poſt everſam Trojam, reverteretur, in tempeſtate devovit Diis ſacrificaturum ſe de re, quæ* PRIMUM OCCURRISSET. *Contigit ut* FILIUS *ejus primùm occurreret; quem cùm* IMMOLASSET, *ut alii verò, immolare voluiſſet, & pòſt orta eſſet peſtilentia, à civibus pulſus eſt regno.* Meritò ſanè, ſi modò hoc fictum non eſt; & Jephtheus ſimilia commeritus erat, qui Deo optimo & abhorrenti, vetantíque talia ſacrificia filiam crudeliter mactarat, ſi *Cappello* & aliis credimus.

Nec ea virum ullum cognovit] Si fuiſſet mactata, intempeſtivè, ut jam dixi, hoc adderetur, neque enim gratior erat Deo victima virgo, quàm matrona; neque potuit nubere mox jugulanda.

Fuit deinde inſtitutum in Iſraële] חוק *hhok* vertimus *inſtitutum*, quòd lex non fuerit, ſed conſuetudo quædam, ex occaſione memorabilis hujus facti inſtituta, ut quotannis facerent Iſraëlitides quod ſequitur. Sic & Vulgatus: *Exinde mos increbruit in Iſraël & conſuetudo ſervata eſt.* Græci habent πρόσταγμα. Conjungi autem hæc verba cum ſequentibus manifeſtum eſt, & mirum à Maſſorethis diſtinctionem versûs, aut commatis ante hæc verba non poſitam. Pravâ hac interpunctione, factum eſt ut Rabbinus neſcio quis, quaſi deeſſet hic aliquid & hiulca eſſet oratio in Paraphraſi Chaldæa, hæc ſubjecerit nomine *Thoſiphæ*, ſeu additionis: *ut nemo offerret in holocauſtum filium ſuum, aut filiam ſuam, ſicut fecit Jiphthachus Gilhadita, qui non conſuluit Phinchaſum Sacerdotem; nam ſi conſuluiſſet Phinchaſum Sacerdotem, redemiſſet eam pecuniâ.*

40· *Ut irent quotannis*] *E diebus in dies ibunt filiæ Iſraël.* מימים ימימה *mijjamim jamimah.* Hoc eſt, quotannis. Vide 1. Sam. I, 3.

Alloquutum filiam] לתנות לבת *lthannoth lbath.* LXX. Intt. habent θρηνεῖν & Vulgatus, *plangere*, Chaldæus לאלאה *leallaah*, ad lugendum. Crediderim eos vertiſſe ex conjectura, nullus enim eſt locus in quo hæc Conjugatio verbi תנה *thanah* occurrat præter hunc, & Jud. V, 11. In Chaldaica verò Lingua, in qua hæc radix frequentior eſt, conſtat eam ſignificare *loqui*, *docere*, *narrare*, *prædicare*. Itaque hanc ſignificationem hîc ſequi malim, & intelligere Iſraëlitidas

tis, nec nos vocaſti, ut iremus tecum? 2. *Propterea* te cum domo tua comburemus. Jephtheus verò illis, mihi & popularibus meis gravis contentio fuit cum Hammonitis; *ad quam* vos quidem vocavi, ſed à manu eorum me nequaquam liberaſtis. 3. Cùm ergo viderem me à vobis nequaquam liberari, vitam meam in manu mea poſui, contendi contra Hammonitas, eóſque in manum meam tradidit Jehova. Cur itaque contra me hodie venitis, ut bellum mecum geratis? 4. Deinde coëgit Jephtheus omnes Galahaditas, prælióque commiſſo cum Ephraïmitis, Galahaditæ Ephraïmitas conciderunt, cùm dicerent *Ephraïmitæ*: fugitivi vos Ephraimitarum eſtis, ô Galahaditæ, *cùm vos eſſe oporteret* inter Ephraimitas & Manaſſitas. 5. Deinde occuparunt Galahaditæ vada Jordanis ad Ephraimitidem, cúmque dicerent ii qui

tidas puellas, ut ſolarentur ſervitutem filiæ Jephthei, ad eam quotannis per quatriduum iviſſe, honoris ejus causâ. Hoc autem intelligendum de puellis, quæ in vicinia habitabant, aut iis quæ cum parentibus ad Tabernaculum, tempore feſto, ibant. *Ludovicus* quidem *Cappellus* contendit non dici, ותהי חוק בישראל, *& fuit conſuetudo in Iſraële*, niſi de longa quadam conſuetudine, quæ diutiùs multò duraſſet, quam per unius vitæ ſpatium. Sed nihil vetat, quominùs etiam de breviori tempore dici potuerit. Quod ſi quis omnino mallet perpetuum morem hîc ſignificari, poſſet, ex ſententia *Lud. de Dieu*, לתנות verti, *ad laudandam*; réſque ita intelligi, ut Iſraëlitides ſtatuantur quotannis per quatriduum laudes filiæ Jephthei ceciniſſe per plateas, aut in agris. Ego quidem minimè interceſſerim quominùs ea interpretatio admittatur, nam verbum תנה *thanah* etiam *laudare* ſignificat, ut dixi ad Jud. V, 11.

In Caput XII.

1. **C***Onvenerunt Ephraïmitæ*] *Et convocatus eſt vir Ephraïm*, hoc eſt, viri qui arma capere vellent. Hæc eſt perpetua ſignificatio verbi יצעק *ittſahek*, in Niphal, & loco apta. Itaque malè LXX. Intt. in V. C. ἀνεβόησαν ἀνὴρ Ἐφραΐμ. Pejus Vulgatus: *ecce autem in Ephraïm orta eſt ſeditio.* Meliùs alii Codd. ἀνήχθησαν.

Jordanem] Neceſſariò ſupplenda eſt hæc vox, ut locorum ſitus & res ipſa oſtendunt.

Septemtrionem verſus] צפונה *tſaphonah.* Nimirum, Jephtheus Manaſſita erat; Manaſſitarum autem agri, ad ortum Jordanis, magis ad ſeptemtriones vergebant, quàm agri Tribûs Ephraïmi.

2. *Te cum domo tua comburemus.*] *Domum tuam comburemus, ſupra te igne.*

Mihi & popularibus meis &c.] *Vir contentionis fui ego & populus meus*; hoc eſt, Tribus mea, Manaſſitæ præſertim, aut Iſraelitæ nonnulli, qui ad ortum Jordanis incolebant. Sequitur ad verbum: *& filii Hammonis valde*, hoc eſt, maxima & graviſſima fuit inter me, ſeu tribules meos, & Hammonitas contentio.

Ad quam vos vocavi] *Et vocavi vos.*

3. *Vitam meam in manu mea poſui*] *Animam meam.* Hoc eſt, periculum vitæ adii. In voce ואשימה tranſpoſitum eſt י, ſcribendúmque cum punctatoribus ואשימה *aſchimah.* Metatheſis hujus exempla collegit *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. III. c. XIII, 20. Hæc autem loquutio non infrequens eſt. Vide 1. Sam. XIX, 5. XXVIII, 21. Job. XIII, 14. Pſ. CXIX, 109. Mirum eſt eam etiam inveniri, in fragmento *Xenarchi*, Comici Poëtæ veteris, quod profert *Athenæus* Lib. XIII. ubi de iis qui virgines, aut matronas Athenis captabant:

Ἃς οὔτ' ἰδεῖν ἔστ', οὔθ' ὁρῶνθ' ἰδεῖν σαφῶς,
Ἀεὶ δὲ τε τρεμαίνοντα καὶ φοβούμενον
Δεδιότα, ἐν τῇ ΧΕΙΡΙ ΤΗΝ ΨΥΧΗΝ ΕΧΟΝ-
ΤΑ πῶς ποτ', ὦ δέσποινα πόντια Κύπρις,
Βινεῖν δύναιτ' ἂν τῶν Δρακοντείων νόμων
Ὁπόταν ἀναμνησθῶσι προσκινούμενοι;

Quas neque videre licet, neque videnti clarè perſpicere, ſemper trementi & territo ac paventi, IN MANU ANIMAM HABENTI, *quomodo tandem, ô domina Venus marina, ſubigitare oſculantes poſſunt, Draconis legum cùm memores ſunt?* Tum ſingularis eſt loquutio, ut locum, quem alioqui non protuliſſem, quòd pudicas aures lædat, recitandum hîc eſſe duxerim.

Contendi contra] *Tranſivi ad filios Hammon.*

4. *Deinde coëgit* &c.] Supplenda eſt circumſtantia in narratione omiſſa; nempe, reſponſo Jephthei Ephraïmitis ſatis factum minimè fuiſſe. Videntur invidiſſe gloriæ Jephthei, & fortè etiam prædam alienâ virtutem partam, cum eo dividere voluiſſe. Simili invidiâ proſequuti ſunt Gedeonem, ut vidimus Cap. VIII, 1. Præpotens Tribus ſine conſilio, conſenſúque ſuo fieri nihil volebat; nec interea periculo ſe objicere ſuſtinebat, eóque exacto glorioſè ſe ſe efferebat. Quin & contumelioſis verbis proſcidit Galahaditas, ut ex ſequentibus liquet.

Fugitivi vos eſtis] פליטי אפרים *phlite Ephrajim.* Ejuſmodi convicio uſi erant ante prælium, & Ephraimitæ quidem *fugitivos* vocant Joſephi poſteros, qui ad ortum Jordanis habitabant, hoc eſt, dimidiam Tribum Manaſſæ, per contumeliam; quaſi nonniſi fugâ eſſet ſejuncta à reliquo corpore poſterorum Joſephi, qui erant ad occaſum Jordanis; cùm tamen conſtet eas ſedes illi à Moſe ipſo adtributas fuiſſe.

Quamvis פליטים *phletim* propriè ſignificet è clade quapiam *elapſos*, in malam etiam partem pro *fugitivis*, ſeu ſedes antiquas deſerentibus, ob flagitium, ſumi queat.

O Galahaditæ] *Galahad.*

Cùm vos eſſe oporteret] Simile quid ſupplendum neceſſariò eſt, nam qui eſt in medio Ephraïmo, medióve Manaſſa, non poteſt ab iis fugitivus haberi; ac reverâ Galahaditæ ſedes ab iis Jordane, & lacu Genneſarethico ſejunctas habebant.

Inter Ephraïmitas] *In medio Ephraïm & in medio Manaſſe.*

5. *Ad Ephraïmitidem*] לאפרים *lephrajim*, hoc eſt, vada Jordanis, quibus ex Peræa in agros Ephraïmiticæ Tribûs tranſiri vulgò ſolebat. Verterunt LXX. Intt. τῷ Ἐφραΐμ, & Vulg. *quâ Ephraïm reverſurus erat.* Sed maluimus Ephraïm pro loco ſumere, ita ut ל ſignificet motum ad locum.

qui evaſerant ex Ephraïmitis: liceat mihi tranſire; reſpondebant Galahaditæ: an es E-
phraïmita? Quod cùm negabat, 6. dicebant ei: dic, quæſo, Schibboleth. At ille dicebat
Sibboleth, neque rectè pronunciare poterat. Tum eum arreptum ad vada Jordanis tru-
cidabant, cecideruntque, eo tempore, ex Ephraïmitis quadraginta duo virorum mil-
lia. 7. Judicavit autem Jephtheus Iſraëlem, per ſex annos, mortuúſque eſt Jephtheus
Galahadita, & ſepultus in urbibus Galahaditidis.

8. Poſt eum, Ibtſan Bethleehemenſis Iſraëlem judicavit. 9. Fuerunt illi triginta filii &
triginta filias foràs elocavit, ac triginta puellas foris *ſumtas* filiis ſuis nuptui dedit, judicavit-
que Iſraëlem per ſeptem annos. 10. Deinde mortuus eſt Ibtſan & Bethlechemi ſepultus.

11. Poſt eum, Iſraëlem judicavit Elon Zabulonita, judicavitque Iſraëlem, per decem an-
nos. 12. Poſtea mortuus eſt Elon Zabulonita & ſepultus eſt Ajalone, in terra Zabulonitide.

13. Judicavit poſt eum Habdon, Hillelis filius, Phirhathonita, fuerúntque ei qua-
draginta filii & triginta nepotes, ſeptuaginta aſinis vecti; judicavitque Iſraëlem per octo
annos. 14. Mortuus eſt deinde Habdon, Hillelis filius, Phirhathonita, ſepultúſque eſt
Phirhathone, in terra Ephraïmitide & monte Hamalekitarum.

XIII. Iſraëlitæ in Idololatriam prolapſi ſerviunt Philiſthæis, quadraginta annis. Promittitur Manoacho Danitæ Samſon, qui naſcitur, & adultus ſpiritum Dei accipit.

CAPUT XIII. 1. ISRAELITÆ poſtea fecerunt iterum quod Jehovæ diſplicebat; quamobrem eos,
per quadraginta annos, in manum Philiſthæorum tradidit. 2. Vir autem fuit
Tſo-

Qui evaſerant ex Ephraimitis] פליטי אפרים phlite Ephrajim, *evadentes Ephraimi*, qui aufugerant ex clade.

Liceat mihi tranſire] *Tranſibo.* LXX. Διαβῶμεν. Melius Latinus: *Obſecro ut me tranſire permittatis.* Eſt hæc vis futuri, ut non quod eventurum eſt, ſed quod licet facere ſæpe exprimat. Vide ad Cap. XI, 24.

Ephraimita] האפרתי *haephrathi*, quaſi eſſet ab אפרת *ephrath.* Analogia non ſemper in derivationibus, formationibúſque propriorum nominum obſervatur. Sic ſæpe Benjaminis poſteri dicuntur בני ימיני bne jemini, *filii Jemini*, qui vocari debent analogicè בני בנימין bne Benjamin, *filii Benjamin*, qui numquam ימיני *jemini*, aut ימין *jamin* dictus eſt.

Quod cùm negabat] *Et dicebat non, & dicebant ei.*

6. *Schibboleth*] שבלת. Τὸ ש per pinguem ſonum, quem optimè exprimunt Germani litteris *ſch*, Galli *ch*, & Angli *ſh*, ſemper pronunciabatur; ut dudum ex *Hieronymo* probavit *Joan. Druſius*, in Alphabetho Hebraïco. Eam ergo vocem cùm pinguiter pronunciarent vulgò ceteri Hebræi, Ephraïmitæ tamen per ſimplicem S. pronunciare ſolebant, quaſi ſcriptum eſſet סבלת *ſibboleth.* Notum eſt in una eadémque gente, varias eſſe quarumdam vocum, in diverſis tractibus, pronunciationes, ex quibus loquentium patriam periti Linguæ & regionum ſtatim intelligunt. Sic Jeroſolimitani agnoſcebant Galilæos loquentes, tempore Chriſti. Non malè expreſſit priùs Vulg. Interpres ſcribendo *Scibboleth*, poſterius *Sibboleth.* Sed LXX. Intt. nullo modo exprimere Græcis litteris potuerunt, ideóque legimus in Codice Vaticano στάχυς, *ſpica*, quæ eſt ſignificatio vocis Hebraïcæ, & deteriùs in Alexandrino σύνθημα, nam non erat hæc teſſera, ſed vox quam proferre rectè non poterant Ephraïmitæ.

Rectè pronunciare poterat] יכין לדבר כן jachin ledabber chen, *dirigebat ad loquendum rectè.*

Tum eum arreptum &c.] *Et comprehendebant eum & jugulabant &c.*

Quadraginta duo virorum millia] Cùm in prælio, tum in ſtrage ad Jordanem. Quâ clade Ephraïmitæ ſuperbiæ & avaritiæ ſuæ meritas pœnas dederunt; quas tamen à conſanguineis Tribubus exigi nefas erat. Sed in Heroïbus ejus ævi, non eſt quærenda Evangelica humanitas.

7. *In urbibus Galahaditidis*] בערי גלעד *behare Gilhad.* LXX. habent ἐν πόλει αὐτοῦ Γαλαάδ & Vulg. *in urbe ſua Galaad.* Quaſi legiſſent, aut legendum cenſuiſſent: בעירו *behiro.* Sed nihil opus eſt mutatione, nam Hebræi & alii Scriptores, cùm obſcuriùs quidpiam enunciant, ſæpe numero plurali utuntur, ut oſtendimus Diſſert. 2. *Harmoniæ Evang.* ſubjecta Can. XVII. & Criticæ P. 2. S. 2. C. X, 6.

8. *Bethleehemenſis*] מבית לחם mibbeth-lehhem, *è Bethlechemo.*

9. *Elocavit*] שלח ſchillahh, *miſit.*

Nuptui dedit] הביא hebi, *adduxit*, aut *introduxit.* Non potuit hoc eſſe, ſine πολυγαμίας, eo ævo non illicita.

12. *Ajalone*] Subjicitur, *in terra Zabulonitide*, ut diſtinguatur hæc *Ajalon* à Danitica Ajalone, de qua diximus ad Joſ. c. X, 12.

13. *Phirhathonita*] פרעתני. Ex urbe Phirhathone, de qua v. ultimo.

Septuaginta aſinis vecti] Vide not. ad Cap. X, 4. Ἱππάζειν ἀρίστους vocat *Joſephus*, qui antiquas Hiſtorias ad mores ſui ævi revocare ſolet.

14. *Monte Hamalekitarum*] בהר העמלקי *behar hahamaleki*; hoc eſt, *in monte Hamalekita*, aut *Hamelekitæ.* Sed unde mons in Tribu Ephraïmitica, tam procul ab Hamalekitis, ad auſtrum Judæ habitantibus, ſita, ſic dictus ſit, tacente Hiſtoriâ Sacrâ, conjicere non licet.

In CAPUT XIII.

2. *TSoranus*] מצרעה *mitſorhab.* Vocant hunc locum LXX. Intt Σαραά, ut & *Hieronymo*-

Tſoranus, è Danis familia, cui nomen erat Manoacho & uxor ſterilis, quæ non pa-
riebat. 3. Huic mulieri conſpectus eſt Angelus Jehovæ, qui ei dixit : nunc qui-
dem ſterilis es, nec paris, ſed concipies & filium paries. 4. Cave ergo in poſte-
rum ne bibas vinum, aut inebriantem ullum potum, néve quidquam immundi co-
medas ; 5. nam prægnans continuò fies & paries filium, nec novacula capiti ejus ad-
movebitur, erit enim Naziræus Dei ab utero, iſque Iſraëlem è manu Philiſthæo-
rum liberare incipiet. 6. Mulier verò rem viro ſuo nunciatum ivit, his ver-
bis : vir divinus ad me venit, vultúſque ejus erat inſtar vultûs Angeli Dei, &
qui maximum terrorem injicere poſſet; ſed non interrogavi eum ubi *habitaret*, *aut*
unde eſſet, nec mihi nomen ſuum indicavit. 7. Sed mihi dixit: prægnans continuò
fies, & paries filium ; ne ergo in poſterum bibas vinum, aut inebriantem potum,
néve quidquam immundi comedas, quia puer Naziræus Dei ab utero erit, ad diem
quo morietur.
8. Tum Manoachus Jehovam oravit, hiſce verbis : Domine, vir divinus, quem
miſeras, ad nos obſecro iterum veniat, doceátque nos, quid naſcituro puero facia-
mus. 9. Auſcultavit Deus voci Manoachi, venitque Angelus Dei iterum, ad mu-
lierem, cùm ruri ſederet, nec Manoachus, vir ejus, cum illa eſſet. 10. Feſtinanter
igitur mulier cucurrit, *rémque* nunciavit viro ſuo, hiſce verbis : En *iterum* conſpectus
mihi eſt vir, qui nuper ad me venit. 11. Surrexit itaque Manoachus, uxorémque ſuam
ſequutus ad virum venit, eique, num tu, inquit, vir es, qui *hanc* mulierem alloquutus
eras? Ego verò, inquit. 12. At Manoachus, quando, inquit, evenerit quod dixiſti,
quod-

nymus. Urbs fuit in Danitica Tribu, ut liquet etiam ex Joſ. XIX, 41. Opportunè in iis locis naſciturus erat liberator Iſraëlis, cujus virtute liberandi erant Iſraelitæ à jugo Philiſthæorum, quorum agri Daniticæ Tribui ad occaſum erant vicini.

Manoacho] Is erat, ſi *Joſepho* credimus, Δανιτῶν, ἐν ὀλίγοις, ἄριστος καὶ τῇ πατρίδι ὁμολογούμενος πρῶτος, *Danitarum, inter paucos, optimus & patriæ ſine controverſia princeps.* A. J. Lib. V. c. 10. Sed cùm nulla uſquam proferat monumenta, unde hæc aliáque ſimilia hauſerit, præter Libros Sacros; hæc alio loco habere non poſſumus, quàm ornamentorum Judaicorum, quorum ſanè, in hac hiſtoria, parcus non eſt.

Uxor ſterilis] Erat, ut idem ſcribit Hiſtoricus, γύναιον ἐν εὐμορφίᾳ περίβλεπτον, καὶ τῶν καθ' αὐτὴν διαφέρον, *muliercula formâ inſignis, & inter æquales eximia.* Addit virum ejus fuiſſe amantiſſimum, & præterea ζηλότυπον ἀκρατῶς.

4. *Inebriantem potum*] שכר *ſchechar.* Μέθυσμα, ut eſt in Cod. Vaticano, Σίκερα, ut in Alexandrino, de quo diximus, ad Levit. X, 8.

5. *Prægnans continuò fies*] *Ecce te prægnantem.*

Naziræus] De Naziræis, eorúmque voto, vide dicta à nobis ad Num. VI, 1. & ſeqq.

6. *Mulier verò* &c.] *Et venit mulier & dixit viro ſuo.*

Vir divinus] איש האלהים *vir Dei*, nam Prophetam eſſe putabat.

Inſtar vultûs Angeli Dei] Audiverat enim narrari, quod apud omnes populos obtinuit, Mentes illas cœleſtes naturâ humanâ præſtantiores, à Deo ſummo ad homines miſſas, neſcio quam in vultu majeſtatem præferre, quæ contrà intuentibus motum & reverentiam injiceret. *Jamblichus* de Myſteriis Sect. II. cap. 3. inter varia, quæ de Naturarum illarum apparitionibus habet ex Ægyptiorum placitis : Τὰ μὲν τῶν θεῶν χρηστὰ τῇ ὄψει ἐλλάμπει, τὰ δὲ τῶν ἀρχαγγέλων φοβερὰ ἅμα καὶ ἤπια, πρᾳότερα δὲ τῶν ἀγγέλων, τὰ δὲ τῶν δαιμόνων φοβερά: *Spectra* (φάσματα) *Deorum benefica oculis illucent, Archangelorum terribilia ſunt & mitia, mitiora Angelorum, Dæmonem terribilia.*

Qui maximum terrorem &c.] נורא מאד *noru meod*, terribilis valde. Contrà *Joſephus* nec veri, nec decori obſervans, dicit Angelum fuiſſe νεανίᾳ καλῷ παραπλήσιον καὶ μεγάλῳ, *juveni formoſo & magno ſimilem*; omiſſâ mentione τοῦ φοβεροῦ, quod erat γνώρισμα Angeli. Deinde narrat mulierem deſcriptione formæ ejus, quem viderat, moviſſe zelotypiam viri ; proptereáque Deum oraſſe, ut iterum ad ſe Angelum mitteret, ac pateretur à viro quoque ſuo conſpici.

7. *Ne ergo in poſterum bibas* &c.] *Et nunc ne bibas vinum.* ועתה vehattha, *& nunc* perinde hîc eſt ac ἀπὸ τοῦ νῦν, ab hoc tempore.

Ad diem quo morietur] Hæc verba non leguntur antea in Angeli verbis, ubi tamen, ex regulis rectæ narrationis, commodiùs legi potuiſſent; ſed priſca horum librorum ſimplicitas Rhetorum regulas ſprevit. Ut autem ſanctiùs Nazireatûs votum obſervaretur, Angelus voluit etiam matrem, à tempore ipſo conceptûs, inſtar Naziræorum vivere.

8. *Domine*] בי אדני *bi adonai*, quod poſſit etiam verti, *in me* converte attentionem *Domine*, aut *quæſo.* Poſſit & prætermitti, vitandæ repetitionis causâ, ut hîc.

Naſcituro] יולד *joulad*, quod verti queat & *nato*; hoc eſt, quando natus erit.

10. *Feſtinanter cucurrit*] *Feſtinavit & cucurrit.*

Nuper ad me venit] ביום bajjom, *in die.* Gallicè dicimus : *qui m'étoit venu voir un jour.*

12. *Quando evenerit quod dixiſti*] עתה יבא דבריך *nunc veniet verba tua*; hoc eſt, unumquodque verborum tuorum. Poſſit etiam hæc hujus loci eſſe ſententia : fac nunc quæcumque prædixiſti eſſe impleta; hoc eſt, natum eſſe puerum; quomodo eum educabimus?

Vita

quodnam erit pueri vitæ inſtitutum, quidve faciet? 13. Ibi Angelus Jehovæ Manoacho, caveat, inquit, mulier ab omnibus quæ dixi. 14. Nihil comedat ex omnibus, quæ prodeunt ex vite vini *ferace*, neu vinum, aut potum inebriantem bibat, neu quidquam immundi comedat, obſervétque quæcumque ei præcepi. 15. Manoachus verò Angelo Jehovæ, detineamus quæſo te, inquit, atque adponendum tibi parabimus hædum. 16. Si detinueritis me, inquit Angelus Jehovæ Manoacho, cibum tuum non comedam; ſi verò holocauſto Jehovæ facere velis, facito; neque enim ſciebat Manoachus eum eſſe Angelum Jehovæ. 17. Itaque Angelo Jehovæ, quodnam eſt, inquit, nomen tuum, ut, quando evenerit quod dixiſti, honore te proſequamur? 18. Tum ei Angelus Jehovæ, quare, inquit, hoc ſciſcitaris de nomine meo, cùm ſit occultum? 19. Cepit ergo Manoachus hædum, munúſque *farreum*, atque ea Jehovæ adolevit, in rupe. *Angelus verò* rem mirabilem fecit, Manoacho, ejúſque uxore inſpectantibus. 20. Cùm enim adſcenderet flamma ex altari in cœlum, adſcendit Angelus Jehovæ, unà cum flamma altaris; quod cùm vidiſſent Manoachus & ejus uxor, conciderent in vultus ſuos in terram.

21. Nec Angelus Jehovæ ampliùs fuit Manoacho, ejúſque uxori conſpicuus; intellexit-

Vitæ inſtitutum] משפט *miſchphat*. Vertunt LXX. Intt. κρῖμα aut κρίσις, quæ ſignificatio propria eſt vocis Hebraicæ. Sed nihil huc *judicium* facit. Vulgatus: *Quid vis ut faciat puer*? Sed hoc meliùs reſponderet voci ſequenti מעשה *mahaſcheh*. Satius duximus vertere, *vitæ inſtitutum*, quæ aliquando eſt ſignificatio vocis משפט *miſchphat*, ut 1. Sam. VIII, 9. משפט המלך, *judicium Regis*, eſt ratio quâ Reges ſe ſe gerere ſolent.

Quidve faciet?] *Et opus ejus* ומעשהו *oumahaſcheou*. Vertunt LXX. Intt. ποιήματα aut ἔργα αὐτοῦ. Vulgatus abſurdè: *à quo ſe obſervare debebit*? Liquidum eſt ſignificari occupationes pueri, & Manoachum quærere cuinam occupationis generi eſſet puerum addicturus, quò fieri poſſet aptior ad judicandum Iſraëlem.

13. *Caveat ſibi, inquit, mulier* &c.] Non tam reſpondet de filio, quàm de matre, quam volebat vivere inſtar Naziræorum, dum uterum gereret; quo reſponſo, ſatis ſignificat Naziræum dumtaxat eſſe oportere naſciturum filium, ceteráque Divinæ Providentiæ permittenda. Sed fortè integra Angeli oratio non refertur hîc, dixitque ille disertè puerum oportere Naziræum eſſe; nam ut rerum geſtarum, ſic & orationum compendia proferuntur. Hîc *Joſephus*, poſtquàm ſemel, ſine ulla neceſſitate, fingere ac mentiri cœpit, gnaviter impudentiæ litare pergit; ait enim Manoachum etiamnum ſuſpicioni zelotypicæ indulſiſſe, poſt Angelum conſpectum, nec Angelum ejus quæſtioni quidquam voluiſſe reſpondere. Tum, omiſſis aliis, Angelum nomen rogatum à Manoacho, qui donare eum munere, nato filio, pollicebatur, omnia dona recuſaſſe.

14. *Ex vite vini ferace*] מגפן היין *miggephen hajjajin*. Sic videtur loqui Angelus, quòd nomen גפן *gephen* & ad alia arbuſta transferri ſoleret. Vide Num. VI, 4.

15. *Detineamus, quæſo, te*] נעצרה *nahatſerah*. LXX. in Cod. Vaticano, κατάσχωμεν ὧδέ σε, in Alexandrino, Aldino, & Complutenſi, βιασώμεθα δή σε. Hoc eſt, patiaris te hîc aliquamdiu retineri, ut cibum nobiſcum ſumas. Vulgatus vim vocis non expreſſit, cùm vertit: *obſecro te, ut adquieſcas precibus meis*.

Adponendum tibi parabimus] *Et faciemus ante faciem tuam hædum caprarum.*

16. *Cibum tuum*] בלחמך *in pane tuo*, ſed panis quemvis cibum ſignificat.

Neque enim ſciebat] Hæc, ſi ordo narrationis accuratè ſervaretur, ſubnectenda potiùs erant v. 15.

17. *Quod dixiſti*] דבריך *dbarecha*, ſed Maſſora adnotat legendum דברך *dbareha* in ſingulari. Quod cur adnotatum etiam non ſit ad v. 12. ubi eſt eadem conſtructio, non intelligo. De omiſſione, aut additione τοῦ י, vide collecta à *Lud. Cappello* Crit. Sac. Lib. III. c. XVII, 16.

Honore te proſequamur] וכבדנוך *& honoremus te*. Quod *Joſephus* de donis interpretatur.

18. *Cùm ſit occultum*] פלאי *pheli*, ad quam vocem adpoſita eſt Maſſorethica notula, quâ ſignificatur reſecandum eſſe א. Sed præſtaret, ſervato א, tranſponere litteras & legere פליא *phli*, unde fœmininum פליאה *phliah*, Pſ. CXXXIX, 6. ex ipſa τοῦ קרי lectione, ubi de ſcientia occulta abhibetur. Veteres Interpretes *mirabile* vertunt. Malim *occultum*, quaſi dicat Angelus, nihil hominum intereſſe ſciri nomina Angelorum. Vide not. ad Gen. XXXII, 29. Quomodo μυστικώτερα, quæ hîc à nonnullis quæruntur, de Dei eſſentia mirabili, ex verbis Hiſtorici Sacri exculpi poſſint non intelligo.

19. *Munus farreum*] המנחה *hamminhha*, quod conſtanter, ubi de ſacrificiis ſermo eſt, ſignificat. Vide Levit. II, 1. & ſeqq.

Adolevit] ויעל *vajjahal*, ad verbum *adſcendere fecit*, ſed cum perpetuò eum voce עלה *hola*, hoc eſt, holocautomate conjungatur, vertimus *adolevit*. Quomodo autem adoleverit Manoachus docet Hiſtoricus Sacer, in ſequentibus verbis. Jus quidem adolendi non habuit Manoachus, homo Danita, ſed juſſus ab eo, quem Prophetam putabat, facere non dubitavit; multa enim Prophetæ faciebant, quæ cum jure communi non conſentiebant.

Angelus verò rem mirabilem fecit] Vocem מלאך, *mmleach*, hoc eſt, Angelus, ſupplendam hîc narratio ipſa rei oſtendit. Sequentia verba habent ſic in Hebraïco textu: ומפליא לעשות *oumaphli lahaſchoth*, *& mirabile exhibuit faciendo*. Quæ non poſſunt intelligi, niſi de eo quod fecit Angelus. LXX. Intt. habent in Codice Vaticano: καὶ διεχώρισε ποιῆσαι, quod vix ullum ſenſum parit, ſed oſtendit olim ita lectum fuiſſe hunc locum, quemadmodum nunc à nobis legitur. At in Codicibus Alexandrino, Complutenſi & Vaticano, legimus: τῷ θαυμαστὰ ποιοῦντι κυρίῳ. *Domino mirabilia facienti*. Sic & *Hieronymus*, qui in locis obſcuris ſæpe, etiam ſpretâ conſtructione, LXX. Intt. ſequitur: *Domino*,

Digitized by Google

lexitque tunc Manoachus eum eſſe Angelum Jehovæ. 22. Tum uxori, moriemur, inquit, quia Deum vidimus. 23. Uxor verò, ſi Jehova, inquit, nos occidere voluiſſet, holocauſtum & *farreum* munus è manu noſtra non accepiſſet, nec omnia hæc nobis oſtendiſſet, nec hoc tempore talia nos audire curaſſet.

24. Poſtea peperit mulier filium, eíque nomen Samſoni impoſuit, qui puer adolevit, benedicente ei Jehova. 25. Cœpit autem Spiritus Jehovæ eum agitare, in Danitarum Caſtris, inter Tſoram & Eſthaolem.

XIV. Samſon Thimnathæam mulierem è Philiſthæorum gente ducit, ænigmáque proponit ſolvendum, præmio oblato; cujus explicationem ab eo acceptam uxor alios docet, qui præmium accipiunt, ſed ex Askalonitarum ſpoliis ſumtum. Tum iratus deſerit uxorem, quæ alii collocatur.

1. POSTEA abiit Samſon Thimnatham, ubi vidit mulierem Philiſthæam. 2. Dein redux *Tſoram*, rem parentibus indicavit, & vidi, inquit, Thimnathæ mulierem Phi- CAPUT XIV.

no, qui facit mirabilia. Quæ verſio ſtare non poteſt, niſi deleas τὸ ו, quod eſt præfixum verbo מפליא *maphli*, vel legas המפליא *hammaphli*. Miraculum autem, ut ex ſequentibus colligere eſt, in eo ſitum non fuit, quòd bacillo ignem è rupe excitaverit, ut nonnulli putant, ſed quòd unà cum flamma Angelus in cœlum adſcenderit. Quamvis enim nulla mentio fiat ignis & lignorum quæ adtulerit Monoachus, ad holocauſtum offerendum, non eſt dubitandum quin reverà ab eo allata fuerint & victimæ ſubjecta; quia juſſus Deo holocauſtum offerre ab Angelo, quem Prophetam putabat, ſatis noverat non minùs neceſſaria illa eſſe, quàm victimam, nec miraculum ullum hic futurum eſſe monitus fuerat. Neque neceſſe eſt, in brevi narratione, ſingulas memorari circumſtantias, nedum ut eæ memorentur, quas quivis Lector neceſſariò ſupplet.

Joſephus tamen, qui libenter Scripturæ narrationes additamentis exornat, aut potiùs corrumpit, rem aliter intellexit: ἥψατο τῇ ῥάβδῳ, ἣν εἶχε, τῶν κρεῶν· τῶν δὲ, λάμψαντος πυρὸς, ἅμα τοῖς ἄρτοις, ἐκαίετο: *adtigit carnes, virgâ quam geſtabat, illæ verò, emicante igne, unà cum panibus, ardebant.* Cum ejus rei nulla ſit mentio, in Hebraïcis, nihil hac in parte, præter naturæ ordinem, factum eſſe crediderim; niſi quòd Angelus, in cœlum, unà cum flamma, ſublatus eſt.

20. *Ex altari in cœlum*] Ex rupe, quæ erat altaris loco; nam *altare* poteſt vocari quodvis ſaxum, aut ſuggeſtum ex ceſpitibus, in quo ſacra fiunt, cujuſcumque ſit figuræ; pro illo Virgiliano:

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.

Adſcendit Angelus Jehovæ] Angelorum quippe corpora, quæ ὀχήματα à Platonicis vocantur, non ſunt obnoxia legibus gravitatis, quibus noſtra premuntur. Iis etiam ſolutum fuit corpus Chriſti, poſt reſurrectionem, ut ex Hiſtoria Evangelica liquet. Hinc demum intellexeruut Manoachus & uxor eſſe Dei Angelum, quem alloquuti fuerant.

22. *Quia Deum vidimus*] In Angelo, nempe, ejus legato. Credebant talia viſa non niſi morituris contingere. Vide not. ad Gen. C. XVI, 13.

24. *Nomen Samſoni impoſuit*] ותקרא את שמו שמשון *& vocavit nomen ejus Simſon. Joſephus:* ἰσχυρὸν σημαίνει τὸ ὄνομα, *fortem ſignificat nomen.* Si Hebraïcè doctus fuiſſet *Joſephus*, numquam ita loquutus eſſet, certiſſimum enim eſt eâ voce fortem non ſignificari. Sed ex re ipſa conjecit *Joſephus*, quia fortiſſimus mortalium fuit Samſon. Nihil tamen vetat quominus hoc nomen puero imponeretur, alia quapiam de cauſa, eâque nobis ignota, quæ cum viribus Samſonis commune nihil haberet. Oportet neceſſariò hanc vocem deduci aut à שמש *ſchemeſch*, ſol; aut à שמש *ſchammeſch*, ſervit, aut concubuit, cum muliere, quæ tamen vox eſt Chaldaïca. Rationem autem originationis hujus velle reddere eſt in tenebris quærere, quod ſine luce inveniri nequeat. *Hieronymus* quidem interpretatur, in libro de Nominibus Hebraïcis: *ſol eorum*, vel *ſolis fortitudo.* Prior Etymologia inanis eſt, eſſet enim Hebraïcè dicendum שמשם *ſchimſcham*; nec poſterior minùs vana eſt, nam ון *on* mera eſt terminatio, quæ nihil ſignificat, nec idem eſt ac און on, *vires.* Quod ſat multis oſtendimus, in *Quæſtionibus Hieronymianis*, ubi de libro Nominum. Nos verò quamvis non illibenter diſceremus quæ ſit hujus nominis ratio, æquo tamen animo talia ignoramus.

25. *Spiritus Dei*] Rectè Chaldæus רוח גבורא *ſpiritus roboris*, nullus enim alius ſpiritus fuit in Samſone.

Eum agitare] לפעמו *lphahamo*. LXX. verterunt συνεκπορεύεσθαι, aut συμπορεύεσθαι, & Vulg. *cum eo eſſe.* Meliùs dixeris *agitare*, quod hæc vox ſignificat Gen. XLI, 8. Dan. II, 1, 3. Ceterùm quinam effectus fuerit hujus afflatûs non narrat Hiſtoria Sacra, neque enim ſequentia huc trahi poſſe videntur.

In Danitarum caſtris] Locus fuit, in Danitica Tribu, inter duas urbes quæ memorantur. Ejus loci incolæ idem nomen impoſuerunt alii loco, de quo Cap. XVIII, 12.

In Caput XIV.

1. T*Himnatham*] Aut *Thimnam.* De qua ad Gen. XXXVIII, 12. Nam una eademque urbs eſt quæ tribuitur Danitis Joſ. XIX, 43. & Judæ poſteris Ibid. XV, 10. ubi vide not. Nec obſtat quod Judas Gen. XXXVIII, 12. dicitur *adſcendiſſe Thimnam*, Samſon verò hîc v. 5. *deſcendiſſe*; notum eſt enim *adſcendere* & *deſcendere* promiſcuè ſumi pro τῷ ἰέναι proficiſci; quod miror fugiſſe *Sam. Bochartum*, qui Hieroz. P. 1. Lib. III. cap. 4. propterea duas Thimnas fingit. Vide ad Gen. XXXVIII. 1. & inf. XV, 8, 10, 13.

Philiſthæam] *E filiabus Philiſthæorum.*

2. *Redux Tſoram*] *Et adſcendit* (nempe, Tſoram) *& nunciavit patri ſuo & matri ſuæ, & dixit.*

 3. *In-*

Philiſthæam; nunc verò eam mihi uxorem accipite. 3. At illi parentes, nulláne eſt mulier, inquiunt, inter puellas fratrum tuorum, aut inter omnes populares noſtros, ut tu ductum eas uxorem *natam* ex incircumciſis Philiſtæis? Verùm Samſon patri, accipito mihi eam, inquit, nam oculis meis placet. 4. Parentes neſciebant rem à Jehova proficiſci, nam occaſionem *belli gerendi ſibi offerri* à Philiſthæis quærebat. Tempore autem illo, Philiſthæi Iſraëli dominabantur. 5. Iverunt ergo Samſon & parentes Thimnatham, & cùm perveniſſent ad Thimnathæ vineas, ecce verò catulum leænæ, qui rugiens eis obviam venit. 6. Tunc in Samſonem irruit ſpiritus Jehovæ, iſque feram diſcerpſit ut diſcerpitur hædus, nec quidquam in manibus ejus erat. Parentibus non renunciavit quod fecerat. 7. Ivit ergo & colloquutus eſt cum muliere, eaque oculis ejus placuit.
8. Poſt dies *aliquot*, cùm rediret ad eam ducendam, divertit *à via* ut videret cadaver

3. *Inter omnes populares noſtros*] *In omni populo meo.*

Uxorem natam ex incircumciſis.] Vetitum hoc erat legibus, Exod. XXXIV, 16. & Deut. VII, 3. ratióque ejus rei ſubjicitur, ne Iſraëlitæ ad Idololatriam pelliciantur. Quæ ratio perpetua erat & meritò propterea à parentibus Samſoni negabatur hoc conjugium. *Incircumciſos* autem vocant Philiſthæos, non tantùm quod reverâ eſſent incircumciſi, ſed quòd cum incircumciſione conjuncta eſſet Idololatria; nam ne cum Ægyptiis quidem circumciſis connubia conjungere licuit, niſi fierent Proſelyti.

Oculis meis placet] *Recta eſt oculis meis.* Infirma hæc erat ratio, neque enim quidquid placet licet; ſed parentes, qui, ob Angeli promiſſa, ſingulare quidpiam à filio exſpectabant, non videntur auſi eſſe ei obſiſtere.

4. *Rem à Jehova proficiſci*] כי מיהוה היא *quod à Jehova hoc*; id eſt, injectam ei eam cogitationem à Deo, qui poterat eum legibus catenus ſolvere, ut pateretur ab eo conjugem quæri inter Philiſthæos, ut pœnas de iis ſumeret.

Occaſionem belli gerendi] תאנה מפלשתים *thoana mippheliſchthim*; hoc eſt, anſam quam arriperet, iis nocendi, qui quotidie malè habebant Iſraëlitas; ſed quam volebat ad ſe, ſingulari ratione, pertinere. Noverat autem, aut in contrahendo hoc matrimonio, aut poſt contractum, ſibi à Philiſthæis datum iri occaſionem meritò iis iraſcendi, damnúmque creandi.

5. *Catulus leænæ*] *Catulus leænarum*, qui Hebraïſmus eſt vulgaris, ut *pullus aſinarum*, *hædus caprarum* &c. Leones ſat frequentes fuiſſe in Judæa, populoſa licèt, colligere eſt ex 1. Reg. XIII, 24. XX, 36. ubi non procul ab urbibus diſcerpti narrantur nonnulli à leonibus, & 1. Sam. XVII, 24. 2. Sam. XXIII, 20. ubi à viris fortibus, in eadem regione, leones occiſi dicuntur. Cujus rei ratio eſt, quòd Arabiâ deſertâ regione leonum feraciſſimâ cincta eſſet Judæa, in quam ſpe prædæ alliciebantur feræ. Vide hac de re copioſè agentem *Sam. Bochartum* Hierozoïc. P. I. Lib. III. Cap. 1. & Cap. 4.

6. *Irruit*] הצלח *thitſlahh*. Videtur radix in hac conjugatione, apud Hebræos, ſignificare *inſilire* 2. Sam. XIX, 17. In hoc loco etiam idem ſenſus optimus eſt, unde LXX. in Cod. Romano ἥλατο, quod melius eſt quàm quod eſt in Alexandrino κατεύθυνεν, quæ eſt ſignificatio Conjugationis Hiphil, nec hîc quadrat. Occurrit quoque hæc vox, eodem ſignificatu, in Hiſtoria Saülis, quem melancholici paroxyſmi ſubitò corripiebant 1. Sam. XVIII, 10.

Iſque feram diſcerpſit] *Et diſcerpſit eum*; nempe, catulum leænæ. Sed Latinè loquentibus vitanda fuit ambiguitas.

Diſcerpſit] ישסעהו *jeſchaſſehehon*. Diſcerpſit, nempe, non tantùm feram virium maximarum, nec exiguæ ferocitatis, ſed etiam vivam; ut teneri hædi membra cocta, aut aſſa lacerantur; nam vivi hædi lacerari non ſolent.

Nec quidquam in manibus] Nullus gladius, nullus culter, quo uti poſſet ad diſcerpendum leonem.

Parentibus non renunciavit] Parentes non viderant leonem, quamvis iis obviam veniſſe dicatur, quòd in Samſonem, qui primus videtur inceſſiſſe, inciderit, occurſurus etiam ejus parentibus, niſi à Samſone occupatus fuiſſet; qui aut à via publica nonnihil receſſerat, & illic leonem diſcerpſerat; aut correptum & diſcerptum extra viam publicam ſepoſuerat; quo facto, ad parentes tacitus redierat. Vide v. 8.

7. *Oculis ejus placuit*] *Recta fuit in oculis Samſonis.* Non minùs placuit, quàm antea; quare ei tunc temporis deſponſata fuiſſe videtur.

8. *Poſt dies aliquot*] מימים mijjamim, *à diebus.* Quod *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. IV. c. 10. annum interpretatur, nec ſanè poteſt negari, quin ea ſæpe ſit vocis ſignificatio. Attamen hoc in loco, *poſt aliquot dies*, vertimus, quia veriſimile non eſt Samſonem mulieris amantem, & qui à parentibus eam ſibi peti poſtulaverat, annum integrum poſtea exſpectaſſe. Novi doctiſſimum virum eò adductum fuiſſe iis quæ poſtea, de apibus in cadavere leonis favos facientibus, narrantur; ſed oſtendam nihil opus eſſe tanto interſtitio.

Divertit à via] Igitur, ut dixi, aut illic occiderat leonem, aut alibi occiſum eò tranſtulerat.

In illo examen apum] *In corpore leonis.* Multis oſtendit, ex antiquis Scriptoribus Græcis & Latinis, *Sam. Bochartus* Hierozoïci loco laudato, ex putrefactione cadaveris bovis naſci apes, vulgarem olim opinionem fuiſſe. Sed ea opinio hominum, quorum alios alii exſcripſerunt, ſine examine, falſa planè eſt; ut norunt Phyſicæ peritiores, qui tam facilè conceſſerint ex luto calore agitato naſci elephantem, quàm culicem. Nec rectiùs ſenſerunt, qui ex hoc Hiſtoriæ Sacræ loco finxerunt apes λεοντογενεῖς, natas ex leonibus; cùm quia in hac Hiſtoria nequaquam dicuntur apes ex putrefacto cadavere leonis natæ, tum quia planè falſum eſt mirabiles

ver leonis. Erat verò in illo examen apum & mel. 9. Hoc in manus ſumſit, abiítque comedens & cùm veniſſet ad parentes ex eo illis dedit, qui comederunt, nec tamen indicavit ſe ex cadavere leonis mel ſumſiſſe. 10. Cùm veniſſet ad mulierem pater ejus, convivium ibi fecit Samſon; ſic enim ſolebant facere juvenes. 11. Eum cùm viderunt *Philiſthæi*, adſumſerunt triginta amicos, qui cum eo eſſent. 12. Quibus dixit Samſon: ænigma, quæſo, nunc vobis proponam, cujus *ſolutionem* ſi mihi indicaveritis, intra ſeptem dies convivii, *eám*que inveneritis, dabo vobis triginta ſindones & triginta veſtes, quas mutetis. 13. Sin verò mihi non potueritis *explicationem* indicare, dabitis vos mihi triginta ſindones & triginta veſtes, quas mutem. Illi verò, ænigma, inquiunt, tuum propone, ut id audiamus. 14. Tum eis: ex comedente, inquit, prodiit cibus, atque e forti prodiit dulcedo; nec per triduum ei *interpretationem* indicare potuerunt. 15. Dein-

biles machinas, qualia ſunt inſectorum, non minùs quàm majorum animalium, corpora, ex ſolo materiæ putridæ motu temerè formari. Dudum omnia ex ovis naſci & primordia animalium à Natura quapiam, quæcumque ſit, quam Suprema Mens regit, formari oſtenderunt præſtantiſſimi Theologi & Phyſici.

Objecerunt etiam nonnulli huic Hiſtoriæ, vix intelligi quî apes favos poſuerint in cadavere leonis; cùm conſtet, ut oſtendit, apes omnem tetrum odorem refugere, ac cadavera averſari. Si hoc ſit verum, quod minimè expertus ſum, ſed à Rei Ruſticæ Scriptoribus adfirmatur, ut probavit *Bochartus*; non intelligo quî credere potuerint apes ex putrefacto cadavere natas; mirum enim eſſet ex putredine ortum inſectum uſque adeò putredinem & fœtorem averſari. Verùm rectè reſpondet vir eruditiſſimus, modò laudatus, cadaver leonis priùs eſſe factum ſceleton, quàm in eo favis ſuis operam darent apes; ideóque ſtatuit interſtitium temporis, quod fluxit inter mortem Leonis, & hoc iter, fuiſſe annuum. At non opus fuit tanto ſpatio, in regione calida, corviſque ac feris abundante, quæ intra paucos dies ita denudare oſſa leonis potuerunt, nihil ut ſupereſſet, quod à vermibus breviſſimo tempore non abſumeretur, aut ita exſiccaretur, ut nullum prorſus odorem emitteret. Sic apes in *Oneſili* Amathuſii capite exſiccato, ut narrat *Herodotus* Lib. V. c. 114. prout jam obſervavit *Bochartus*, qui & alia exempla habet, mel fecerunt.

10. *Sic enim ſolebant*] יעשו jahaſchou, *facient*. Futurum, ut ſæpe aliàs, conſuetudinem ſignificat.

11. *Philiſthæi*] Adfines, aut conſanguinei nempe, puellæ, quam ducebat. Supplendus neceſſariò fuit is nominativus. *Hieronymus* minùs commodè: *cives loci illius*.

Qui cum eo eſſent] *Et fuerunt cum illo*. Convivati ſunt & ludis ac jocis tempus cum ſponſo triverunt. Paranymphi ſunt intelligendi, qui plures, aut pauciores, pro arbitrio, eligebantur, de quibus vide quæ collegit *Joan. Seldenus* de Uxore Hebr. Lib. II. c. 16.

12. *Ænigma, quæſo, nunc vobis* &c.] Hinc intelligere eſt, apud Orientales, morem fuiſſe non diſſimilem ei, qui apud Græcos obtinebat. Solebant enim interdum in conviviis ænigmata & griphos proponere, additis præmiis iis qui ſolutionem invenirent, & pœnis in eos, qui rem acu tangere non potuiſſent. *Pollux* Lib. VI. cap. XIX, ubi de variis conviviorum circumſtantiis: Τῶν μὲν τοι συμποτικῶν αἴνιγμα καὶ γρῖφος. τὸ μὲν παιδιὰν εἶχεν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν. καὶ ὁ μὲν λύσας γέρας εἶχε κρεῶν τινα περιφοράν, ὁ δὲ ἀδυνατήσας ἅλμης ποτήριον ἐξέπινεν· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τῶν ἁλιευτικῶν γρίφων: *Inter convivalia ſunt ænigma & griphus, & illud quidem ludum, hoc verò & ſerium quid habebat. Qui ſolviſſet præmium referebat carnium quoddam ferculum, qui verò non potuerat poculum muriæ ebibere neceſſe habebat. Dictus eſt autem à griphis piſcatoriis.* Similia apud *Heſychium*, *Athenæum*, Ariſtophanis *Scholiaſten* & alios. Vide Sam. *Bochartum* Hieroz. P. 2. Lib. IV. c. 12.

Cujus ſolutionem] *Si indicando indicaveritis illud mihi.*

Intra ſeptem dies] Sæpe in nuptiis per ſeptiduum convivia celebrabantur. Vide Gen. XXIX, 27.

Sindones] סדינים *Sdinim*. Quoniam ex Hebraica voce derivatur Græca σινδὼν, qua LXX. Intt. uſi ſunt, idem videtur utraque vox ſignificare; telam, nempe, lineam, & quidem induſium, ſeu interiorem tunicam, quâ lineâ fortè utebantur, more Ægyptio. *Joſephus* habet, in hac hiſtoria ὀθόνην.

Veſtes quas mutetis] *Mutationes veſtium*. חליפות בגדים. LXX. ἀλλασσομένας στολὰς ἱματίων. Singulis veſtem laneam & lineam. Vide not. ad Gen. XLV, 22.

13. *Ænigma, inquiunt, tuum* &c.] His verbis, conditionem accepiſſe videntur. Sed mirum eſt eos ita crediſiſſe bonæ fidei Samſonis, ut minimè juſſerint eum Ænigma cuipiam clam aperire, aut ſcripto obſignato clauſum dare; ne poſſet negare inventam à ſe ſolutionem, ſi fortè eam inveniſſent. Poteſt enim ænigmatica deſcriptio pluribus rebus convenire, unáque à Philiſthæis inventâ, potuiſſet Samſon ad aliam confugere.

14. *E forti prodiit dulcedo*] מעז יצא מתוק *mehaz jatſa mathok*. Quia eſt antitheſis inter *comedentem*, & *cibum*, nulla verò inter *fortem* & *dulcedinem*, Bochartus exiſtimat עז vertendum *acrem*, quæ vox & *fortem* & *acidum* ſignificat. Sed nihil neceſſe eſt tam aptè ſibi invicem reſpondere hæc ἀντίθετα, & ſæpe contigit viros fortes aſperioris fuiſſe indolis. *Joſephus* non malè rem expreſſit his verbis: ὅτι λέοντος ἀνδρειοτάτῳ τι συντυγχάνοντος, ὅτι ἥδιον μέλιτος χαρμονῆς. Nam inter ἀνδρὸς & ἡδὺ eſt oppoſitio. Mirum etiam eſſet Ænigma ejuſmodi propoſitum à Samſone, quod pendet ex ſingulari facto, cujus nemini in mentem venire potuit; niſi conſtaret Samſonem quæſiviſſe occaſionem malè mulctandi Philiſthæos.

15. Ut

15. Deinde ſeptimo die, dixerunt uxori Samſonis: pellicito virum tuum, ut nobis indicet *ſolutionem* ænigmatis, ne te & domum patris tui comburamus; num *enim* ad noſtra invadenda vocaſtis nos, nécne? 16. Flevit ergo uxor Samſonis, apud eum, & profectò, inquit, me odio habes, neque me amas; ænigma enim propoſuiſti popularibus meis, neque mihi *ſolutionem ejus* indicaſti. At ille, parentibus, inquit, meis non indicavi, tibíne verò indicarem? 17. Sic fleverat apud eum ſeptem diebus, quibus fuerat eis convivium, donec tandem die ſeptimo *rem* ei indicaret Samſon, nam ei moleſta erat. Illa verò popularibus ſuis renunciavit. 18. Dixerunt ergo ei oppidani, die ſeptimo, antequàm occideret ſol: quid dulcius eſt melle? quid fortius eſt leone? At ille eis, niſi araſſetis, inquit, meâ juvencâ, non inveniſſetis ænigmatis mei *ſolutionem*. 19. Deinde irruit in eum ſpiritus Dei, ivitque Askalonem, & occidit triginta *Askalonitas*, ſumtáſque iis detractas veſtes dedit iis, qui indicaverant *interpretationem* ænigmatis; accenſáque cùm eſſet ejus ira, domum paternam rediit. 20. Quamobrem elocata eſt uxor Samſonis uni ex ejus amicis, qui paranymphum ejus egerat.

XV.

15. *Ut nobis indicet*] *Nobis*, nempe, Philiſthæis, inter quos & ipſam Samſonis uxorem numerabant. Alioqui dixiſſent *tibi*, *tu verò nobis indicabis.*

Ad noſtra invadenda] הלירשנו *halejoreſchenon*, an ad poſſidendum nos; hoc eſt, ad invadenda quæ habemus.

16. *Popularibus meis*] *Filiis populi mei.*

18. *Niſi araſſetis meâ juvencâ*] Proverbium eſt, cujus ſingula verba ad vivum non ſunt reſecanda. Senſus ejus eſt: niſi opera uxoris meæ uſi eſſetis, ſententiam ænigmatis mei adſequi non potuiſſetis. Argutiùs hæc intelligentium, ſed ſine ratione, ſententias vide apud *Sam. Bochartum* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 41.

19. *Triginta Askalonitas*] *Ex iis triginta.* Non multùm diſtabat Askalon Thimnâ. Cùm autem Philiſthæi omnes malè haberent Iſraëlitas vi oppreſſos, Deus excitavit Samſonem, qui de iis ultionem ſumeret, ſingulari quadam ratione, quæ ſupra vires humanas eſſet; unde intelligere poterant Philiſthæi Hebræos favens ſibi Numen habere. Alioqui multa geſſit Samſon, quæ vix poſſent defendi, niſi Dei, à quo homines pendent, inſtrumentum fuiſſe cenſeatur; quamquam ne ſic quidem per omnia defendendus videtur.

Iis detractas veſtes] חליצותם *hhalitſotham*, quæ propriè ſpolia, aut veſtes detractæ.

Domum paternam rediit] Laudandus non eſt Samſon quòd uxorem à ſe ductam inter Philiſthæos reliquerit, aut enim ambienda non fuit, aut domum ducenda, vel ut ab Idololatria Philiſthæorum revocaretur. Hinc liquet quàm vanum ſit quod ex jure Judaico ſui temporis, de antiquioribus ætatibus, commenti ſunt Rabbini. Volunt aliquot non incelebres Judæi, quorum ſententias collegit *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. V. c. 15. uxorem Samſonis, antequàm ei nuberet, factam eſſe Proſelytam, hoc eſt amplexam Judaïcam Religionem; quod ſi factum ab ea eſſet, ſe ſe ad ſocerum & ſocrum contuliſſet, ut Deum Iſraëlis cum iis coleret; nec remanſiſſet apud ſuos, contrariis ſacris addictos.

20. *Quamobrem elocata &c.*] *Et fuit uxor Samſonis amici ejus, qui amicum ei ſe præſtiterat.* Hoc eſt, qui pronubum, aut paranymphum egerat. Vide v. 11. Rectè, in Alexandrino Codice, is qui duxit relictam à Samſone uxorem νυμφαγωγός, ut à *Joſepho* νυμφοστόλος dicitur.

In Caput XV.

1. A*Liquot poſt diebus*] מימים *mijjamim*, Hic iterum vertimus; *poſt aliquot dies*, ex Vulgati Interp. ſententia, quòd iræ amantium, quæ amoris redintegrationes ſunt, tam longæ eſſe non ſoleant, ut per annum perdurent.

Tempore meſſis tritici] Vide not. ad Joſ. III, 15. Signatur hìc tempus, quod paullò ante meſſem erat, nam erant etiamnum in agris ſegetes. *Joſephus* ita deſcribit hoc tempus: Θέρους ὄντος καὶ τῆς ὥρας ἀμητοῦ ἤδη τῶν καρπῶν ἀκμαζόντων: *cùm æſtas eſſet, & ad meſſem maturæ jam eſſent fruges.*

Inviſit Samſon uxorem] Ergo illam nondum, miſſo divortii libello, repudiarat; nec ſatis ſcio quid velit *Joſephus*, cùm de Samſone dicit: τὸν δὲ γάμον ἐκεῖνον παρῃτεῖτο, *haſce nuptias vitat*, niſi fortè velit conſummatas non fuiſſe nuptias. Quod non eſt credibile, cùm convivium nuptiale per ſeptiduum celebratum eſſet.

Thalamum] החדרה *hehhaaredah*, quæ vox ſignificat interius cubiculum, in quo vir cum uxore cubat. LXX. Intt. verterunt ταμεῖον aut κοιτῶνα. In id cubiculum viro alieno ingredi non licebat.

2. *Dixi*] Cogitavi, ut paſſim, & fortè in antecedentibus verbis.

Inquit] *Et dixit pater ejus.*

Te eam odio habere] Quia ſtatim eam, poſt nuptias celebratas, deſeruerat. Apud eos populos, uxores, quæ deſerebantur à viris, ad ſecundas nuptias convolandi jus habebant.

Sit ea nunc tibi ejus loco] Licitum hoc fuit, apud Philiſthæos, ut apud alios Orientales ante hæc tempora fuerat, ut liquet ex matrimoniis Jacobi. Sed lege Moſis interdictum fuit vivæ uxori ſororem ejus ſuperinducere, aut repudiatæ ſubſtituere. Vide Levit. Cap. XVIII, 18.

3. *Nunc quidem ad Philiſthæos &c.*] *Innocens ſum hac vice à Philiſthæis, quia faciam cum illis malum*; hoc eſt, non potero injuſtitiæ inſimulari, ſi nunc malè mulctem Philiſthæos. Quamvis Deus uteretur manibus Samſonis, ad plectendos Philiſthæos, proptereáque vires inuſitatas ei largiretur; attamen conſilia Dei non erant eadem, ac Samſonis. Hic de ultione privata cogitabat, indulgebátque iræ; Deus verò, judicis inſtar, eo quaſi carnifice utebatur, incipie-

XV. Samſon uxorem conventurus, repulſam patitur, quamobrem urit Philiſthæorum ſegetes, qui viciſſim ejus uxorem cum patre urunt Eos iterum malè mulctat, ſed à popularibus vinctus eis traditur At fractis funibus, arreptáque aſini maxillâ, mille viros occidit, ac ſe recipit. Tum ſitim ejus, fonte ſubitò excitato, reſtinguit Deus.

1. ALIQUOT pòſt diebus, tempore meſſis tritici, inviſit Samſon uxorem ſuam, ferens *ad eam* hædum, dixítque: ingrediar ad uxorem meam, in thalamum; at non paſſus eſt pater mulieris eum ingredi. 2. & dixi, inquit, te eam odio habere, eámque amico tuo collocavi; *ſed* annon ejus ſoror minor natu potior illa eſt? ſit ea nunc tibi ejus loco. 3. At Samſon, nunc quidem, inquit, ad Philiſthæos quod attinet, reus non ero mali, quo eos afficiam. 4. Tum ivit captum trecentas vulpes, ſumſitque faces & caudas vulpium ad caudas convertit, ac inter binas poſuit facem. 5. Accenſis deinde facibus, dimiſit *vulpes* in ſegetes Philiſthæorum, accenditque acervos *jam con*piebátque ejus operâ Iſraëlem liberare à tyrannide Philiſthæorum. CAPUT XV.

4. *Tum ivit captum*] *Et ivit & cepit.*

Trecentas vulpes] שועלים *ſchouhalim*, quod ἀλώπεκας vertunt LXX. Intt. Copioſiſſimè egit de vulpibus, atque hac Hiſtoria *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. III. c. 13. Nos ſatis habebimus indicare quæ huc faciunt, Lectores ceteroquin ad eruditiſſimum Scriptorem amandaturi; neque enim exſcribemus librum, qui omnium manibus teritur. Ante omnia, hìc fermè incredibilis videtur copia vulpium. Sed liquet ex Scriptura non infrequentes fuiſſe in Judæa. Vide Pſ. LXIII, 11. Cant. II, 15. Thren. III, 18. Hinc factum ut circa loca, in quibus verſabatur Samſon, nomina tractibus & urbibus impoſita eſſent à voce שועל *ſchoubal*, quæ vulpem ſonat. Sic fuit *terra Schoubal* 1. Sam. XIII, 17. *Hatſar-ſchoubal* Joſ. XV, 28. XIX, 3. *Schabalabim* Joſ. XIX, 42. Præterea ſub vulpium nomine continentur & Thoes, qui איים *ijim* Hebræis dicuntur, quique gregatim eunt, ita ut interdum ducenti unà inveniantur. De iis egit *Bochartus* Cap. antecedente ejuſdem libri. Denique nec unà die, nec unus dicitur Samſon tot Vulpes, aut Thoas vivos cepiſſe; ſed pluribus diebus, & operâ multorum venatorum rem confeciſſe videtur.

Faces] לפידים *lapphidim*, hoc eſt, tædas, de quibus *Plinius* Lib. XVI. c. 10. ubi de reſiniferis arboribus. *Sextum genus eſt tæda, propriè dicta, abundantior ſucco, quàm reliqua, parciore, liquidioréque, quàm in picea, flammis ac lumini Sacrorum etiam grata.*

Caudas vulpium ad caudas] Geminas, nempe, vulpes caudâ vinxit, uno funiculo, è quo tædam ſuſpendit. Binis autem tædam adligavit, potiuſquàm ſingulis; quia duæ vulpes in varia ſæpe tendentes, nec tam celeriter ut tæda extingui poſſet, nec tam latè vagari poterant. Conſilium enim Samſonis erat ſolas ſegetes Philiſthæorum comburere; quamobrem procul fugere vulpes non oportebat, ne & ſegetes Iſraëlitarum incenderent.

Inter binas poſuit facem] *Inter duas caudas, in medio*; hoc eſt, adnexam duabus caudis.

5. *Accenſis deinde facibus*] *Et accendit ignem in tædis.*

Dimiſit vulpes] Acceſſit, nimirum, ad agros nondum demeſſos & in eos, variis locis, immiſit vulpes.

In ſegetes] בקמות *bkamoth*. Hoc eſt, propriè in ſegetes etiamnum ſtantes, necdum demeſſas.

Acervos] *Ab acervo* (מגדיש *miggadiſch*) *& uſque ad ſegetem ſtantem, & uſque ad vineam, oleam.* LXX. in Cod. Vaticano: ἐκαίετο ἀπὸ ἅλωνος καὶ ἕως σταχύων ὀρθῶν, καὶ ἕως ἀμπελῶνος καὶ ἐλαίας. In Alexandrino: ἐνεπύρισαν τοὺς στάχυας καὶ τὰ προπεφυραμένα ἀπὸ στοβῆς (στοιβῆς ut eſt in Complutenſi) καὶ ἕως ἑστῶτος, καὶ ἕως ἀμπελῶνος. Vulgatus: *comportatæ jam fruges & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt in tantùm, ut vineas quoque & oliveta flamma conſumeret.* Senſus eſt ſine dubio, ad ſummam rei quod adtinet, rectè expreſſus. Primò enim גדיש eſt *acervus* frugum paratarum in agris, ut ad aream transferantur, aut etiam ad ipſam aream congeſtarum. Deinde קמה *kamah*, ut dixi, eſt *ſtans ſeges.* Tandem ſequitur כרם זית *cherem zajit*, pro וזית *vezajith*, & oleam. Flamma ex ſegetibus ad vicinas oleas, & vineas delata eſt.

Ad hanc Hiſtoriam refert *Bochartus* cærimoniam Romæ uſitatam, quâ hoc eodem tempore anni, dum Cerealia celebrarentur, vulpes adligatis tergo tædis emittebantur. *Ovidius* Faſtorum Lib. IV. hanc ſibi proponit quæſtionem, v. 681.

Cur igitur miſſæ, vinctis ardentia tædis,
Terga ferant vulpes, cauſa docenda mihi.

Tum ſubdit à Carſeolanis hoc ortum, quia adoleſcens Carſeolanus, cum vulpem captam vivam urere vellet, involutam ſtipulâ & fœno, quibus ignem ſubjecerat, eam imprudens in ſegetes immiſerat; fabulámque ita claudit:

Captivam ſtipulâ, fœnoque involvit & ignes
Admovet, urentes effugit illa manus.
Quá fugit, incendit veſtitos meſſibus agros
Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit, monumenta manent, nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.
Uſque luat pœnas, gens hæc Cerealibus ardet,
Quoque modo ſegetes perdidit, ipſa perit.

Tam ſingularis inſtituti, & Hiſtoriæ Samſonis uſque adeò adfinis originem vir ſummus referendam putat ad *Phœnicas*; qui incendii à Samſone creati memoriam celebrarint primum apud ſe, deinde etiam paullatim navigationibus per orbem terrarum ſparſerint. Verùm dubium eſt an Philiſthæi fuerint participes navigationum Phœnicum propriè dictorum; nec mihi ſit credibi-

congeſtos & ſegetes quæ ſtabant, vineáſque & oleas. 6. Quæſiverunt Philiſthæi quis hoc feciſſet, dictúmque eſt Samſonem *feciſſe*, generum Thimnæi, eò quòd ereptam ei uxorem ejus amico collocaſſet. Itaque venerunt Philiſthæi, mulierémque & patrem ejus combuſſerunt. 7. At dixit iis Samſon: itáne vos geritis? Ego verò de vobis ultionem ſumam, & poſtea ceſſabo. 8. Deinde magnum vulnùs, crure femori impacto, eis inflixit; *quo facto*, habitatum ivit in verticem rupis Hetami.

9. Venerunt poſtea Philiſthæi, & caſtra metati ſunt in Judæ *agris*, & ad Lechin tetenderunt. 10. Homines verò *tribûs* Judæ *Philiſthæis*, cur, inquiunt, contra nos veniſtis? Venimus, inquiunt, ut Samſonem in vincula conjiciamus, idque ei referamus quod nobis fecit. 11. Tum iverunt tria millia virorum è *Tribu* Judæ, ad verticem rupis Hetami, & Samſoni, an neſciebas, inquiunt, Philiſthæos nobis domi-

dibile aut eos voluiſſe cladis ſuæ memoriam celebrare & ad poſteros propagare, aut rei ejuſmodi μνημόσυνον inter Italos etiam fuiſſe inſtitutum. Multò malim credere in Italia contigiſſe neſcio quid, non abſimile hiſtoriæ, quam narrat *Ovidius*; quamobrem in honorem Cereris vulpes urerentur. Sed vir eruditiſſimus Phœnicas ſuos, quorum remotiſſimas antiquitates feliciſſimè eruit, ubique videt, etiam ubi numquam fuerunt.

Non magis placet quod alii in Samſone, propter nonnullam ſimilitudinem, Herculem quærunt. Plures fuerunt ſine dubio *Hercules*, ſive הרכלים harochelim, *mercatores*, præſertim Phœnices, ut alibi oſtendimus; ſed nullo modo veriſimile eſt Phœnicas facta hominis Hebræi per orbem terrarum ſparſiſſe; & tota Herculis fabula Hiſtoricè dilucidari poteſt, ſine ulla Samſonis mentione; quod experti adfirmamus.

6. *Quæſiverunt Philiſthæi* &c.] *Dixeruntque Philiſthæi: quis fecit hoc? & dixerunt* &c.

Itaque venerunt] *Et adſcenderunt.* Nimirum, ex locis quorum ſegetes combuſtæ fuerant.

Combuſſerunt] Ex ipſa actione, difficile eſt intellectu, utrum ita ſe geſſerint Phariſæi, ut oſtenderent ſe improbare quod fecerat Socer Samſonis, útque injuriam Samſoni illatam ulciſcerentur; an verò ut Samſoni, quâ poſſent, nocerent, occiſis ejus Socero & Uxore, quæ fortè animo ejus nondum prorſus exciderat, útque jacturam ſegetum, morte eorum, qui occaſionem ei præbuerant, ſolarentur. Sed Samſon factum ita interpretatus eſt, quaſi Philiſthæi dolorem ei creare voluiſſent.

7. *Itáne vos geritis?*] *Si facitis ut hoc, ſed ultionem ſumam* &c. Prima verba interrogatione expreſſimus, quia ſequitur כי אם *chi im*, quæ particulæ ſunt adverſativæ. LXX. Intt. in Vaticano Codice: ἐὰν ποιήσητε οὕτως ταύτην ὅτι εἰ μὴ ἐκδικήσω ἐν ὑμῖν, καὶ ἔσχατον κοπάσω. Quæ interpretatio verbo tenus *Aquilam* redolet, & notum alioquin eſt LXX. Intt. Codices ex aliis Interpretibus paſſim interpolatos fuiſſe. At in Alexandrino Aldino & Complutenſi, legere eſt: ἐὰν ποιήσητε οὕτως, οὐκ ἐκδικήσω, ἀλλὰ τὴν ἐκδίκησίν μου ἐκ ἑνὸς καὶ ἑκάστου ὑμῶν ποιήσομαι. Quæ ſunt nimiùm παραφραστικὰ, ſed tamen vera lectio, videntur. At Vulgatus aliter: *licèt hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem*; quaſi Samſon ita loqueretur, ut oſtenderet, quamvis Philiſthæi de Socero & Uxore pœnas ſumſiſſent, ſibi tamen nondum eſſe ſatisfactum. Senſum, quem hinc exſculpſimus, magis particulis Hebraïcis & ordini narrationis conſentaneum putamus.

8. *Magnum vulnus, crure femori impacto, eis inflixit*] ויך אותם שוק על ירך מכה גדולה, *& percuſſit eos crure ad femur, plagâ magnâ.* LXX. ad verbum: ἐπάταξεν αὐτοὺς κνήμην ἐπὶ μηρὸν πληγῇ μεγάλῃ. Vulgatus: *percuſſit eos ingenti plagâ, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent.* Chaldæus: פרשין עם גלאין *equites cum peditibus.* A poſtrema interpretatione ut ordiar, non video quid commune habeat *crus* cum *equitibus*, & *femur* cum *peditibus*; & præterea nullum exercitum habuit Samſon, ut cum exercitu armato equitum & peditum pugnaret, nec unus tela multorum hoſtium vitaſſet, cùm eſſet inermis. Vulgati interpretatio dura eſt, & mera conjectura, quaſi ad exprimendam magnam cladem, dixiſſent Hebræi *crus ſupra femur*, quia is geſtus eſt hominis ſtupentis & mirantis; quod non video aut re ipſâ, aut exemplo ullo confirmari. Cùm autem Samſon viribus inuſitatis corporis à Deo acceptis uteretur, nec ullis armis inſtructus in pugnam deſcenderet; crediderim potiùs, apud Philiſthæos, ludos gymnicos fuiſſe, ad quos quicumque luctari vellent invitabantur ex vicinia; atque ad eos iviſſe Samſonem, luctatoréſque omnes Philiſthæos, qui fortè magno numero erant, & gloriam ſibi eo exercitationis genere paraverant, proſtraviſſe, eorúmque femora, ſolo ictu genuum aut tibiarum, confregiſſe. Igitur *crus femori impingere* fuit, in lucta Philiſthæorum cum Samſone, ſimile quiddam ei quod quod Græci σκελίζειν & ὑποσκελίζειν dicunt, hoc eſt, impacto cruri crure luctatorem dejicere. Luctam autem & ejus artes non fuiſſe ignotas Orientalibus, licèt poſtea, apud Græcos, magis floruerint, intelligere eſt ex Gen. XXV, 26. XXX, 8. XXXII, 24. Hæc noſtra eſt de obſcura loquutione ſententia, aut potiùs conjectura; de quâ, ſi quid meliùs occurrat, non difficulter decedemus.

Ceterùm *magnum vulnus* dicitur illatum Philiſthæis, ex eorum potiùs ſententia, quàm ex re ipſa; tanta enim jactura non fuit amiſiſſe aliquot luctatores, quanta videbatur, cùm præſertim ſuperior fuiſſet homo Hebræus, cujus gentem Philiſthæi gravi ſervitute premebant.

Habitatum ivit] *Et deſcendit & habitavit in cacumine petræ Hetam*; ubi liquidum eſt deſcendit perinde eſſe, ac ivit. Vide not. ad Cap. XI, 37. & infra v. 10. & 13.

Verticem rupis Hetam] בסעיף סלע עיטם. Vox סעיף *ſehiph* eſt ramus arboris, & quidem ſummus, ſi Linguæ præſertim Arabicæ uſum ſpectemus.

minari? Cur nobis hoc feciſti? Iis verò *Samſon*, quemadmodum ſe erga me geſ-
ſerunt: ita me, erga eos, geſſi. 12. At illi, venimus, inquiunt, ut te in vin-
cula conjiciamus, tradamúſque in manum Philiſthæorum. Samſon verò illis, ju-
rate mihi, inquit, vos in me impetum non facturos. 13. Non *faciemus*, in-
quiunt, ſed te vinctum trademus in eorum manum, te non occidemus. *Quibus dic-
tis*, hominem vinxerunt duobus funibus novis, atque ex rupe eduxerunt. 14. Ivit
ergo Lechin uſque, Philiſthæique vociferantes ei obviam venerunt. Ibi in eum ir-
rupit ſpiritus Dei, funéſque, qui brachiis Samſonis injecti fuerant, fuerunt inſtar li-
ni ambuſti, & defluxerunt ex ejus manibus vincula. 15. Invenit *illic* maxillam aſini
recentem, quam exſertâ manu arripiens, mille viros eâ occidit. 16. Tum dixit Sam-
ſon: maxillâ aſini acervum, *imò* acervos duos, maxillâ aſini mille viros occidi.
17. His

temus. Inde ſumitur hîc pro vertice collis, aut rupis, ut & Eſai. LVII, 5. At LXX. Intt. aut τρυμαλιῶν, aut σπηλαίοις verterunt, ut & Vulgatus, qui habet *ſpeluncam*; potiùs ex conjecturâ, quàm ex cognitione ſignificationis. Non capiebant, nimirum, quî poſſet dici quiſpiam *deſcendere in verticem montis*; itaque ſaltem voluerunt Samſonem deſcendiſſe *in ſpeluncam*. Habent Græci in Vaticano Codice κατέβη ἐπὶ σπηλαίου ἐν τρυμαλιᾷ τῆς πέτρας, at in Alexandrino, & Complutenſi παρὰ τῷ χειμάῤῥῳ ἐν τῷ σπηλαίῳ Ἠτάμ. Quomodo legebatur & in codicibus *Euſebii*, quem vide ad vocem *Etam*, quæ nomen fuit rupis, in Tribûs Judæ agris ſitæ.

9. *Venerunt*] *Adſcenderunt.*

Ad Lechin tetenderunt] ינטשו בלחי jinnateſchon ballchhi, *extenſi fuerunt in Lechi*; hoc eſt, ad locum qui poſtea ab ipſo Samſone dictus eſt *Ramath-lechi*, infra v. 17. Nam *Lechi* dicitur per compendium, pro *Ramath-lechi*; moris quippe eſt Hebraici contrahere interdum nomina propria compoſita ex duabus vocibus, quarum altera omittitur, ut *Salem* pro *Jeruſalem* Pſ. LXXVI, 3. *Sittim* pro *Abel-ſittim* Num. XXV, 1. aliáque ejuſmodi quæ congeſſit *Sam. Bochartus* Lib. II. c. 5. P. 1. Hierozoici.

10. *Contra nos veniſtis*] *Ad nos adſcendiſtis.*

Idque ei referamus] *Ad faciendum ei, ſicut fecit nobis.* Jure gentium petebant ſibi tradi auctorem injuriæ, ſin minùs pœnas ſibi negati juris à Tribu Judæ erant repetituri. Qua de re copioſè egit *H. Grotius* de J. B. & P. Lib. II. c. 21. §. IV.

11. *Deſcenderunt —— ad verticem*] Vide ad v. 8.

Nobis dominari] Non jure quidem, & poteſtate, quam excutere non liceret Hebræis, ſi commoda occaſio ſe ſe daret; ſed vi, cui reſiſtere non poſſent, & quam laceſſere tutum non erat. Alioqui numquam religioni duxerunt jugum, vi impoſitum, vi excutere, quoties potuerunt.

Cur nobis hoc feciſti?] Cur iram Philiſthæorum, quibus pares non ſumus, in nos moviſti? Hîc non alloquuntur poſteri Judæ Samſonem, ut Judicem, Ducémque ſuum, ſed ut privatum; qui temerè moviſſet iram Philiſthæorum, ac proinde dignus eſſet qui dederetur vinctus Phariſæis, ut expiaret ipſe pœnis, quas de eos ſumere vellent, injurias quas iis privato conſilio intulerat.

12. *Jurate mihi* &c.] Norat ſe poſſe vincula ſibi impoſita rumpere; ideóque in poteſtatem poſterorum Judæ ſe tradere non renuebat, ſi modò eum non occiderent.

Impetum non facturos] Hoc eſt, ferro non occiſuros, ut liquet ex ſequentibus.

13. *E rupe eduxerunt*] *Fecerunt adſcendere è rupe.* Dicendum fuiſſet *deſcendere*, niſi hæc verba, ut diximus, apud Hebræos, miſcerentur, & *ire*, *abire*, promiſcuè ſignificarent. Vide v. 8.

14. *Vociferantes ei obviam venerunt*] *Clamarunt in occurſum ejus.*

Ambuſti] *Quod ambuſſerunt igne.* Penitus combuſtum in cineres abit, at ambuſtum formam quidem priſtinam ſervat, ſed firmitatem nullam habet.

15. *Maxillam aſini recentem*] טריה terijah. Oſtendit *Sam. Bochartus*, Hieroz. P. I. Lib. II. c. 15. טרי *teri*, apud Arabas, eſſe *recentem*. Ac ſanè oportuit maxillam, quâ uſus fuit Samſon, minimè fragilem eſſe, ac proinde recentem, quamvis carne nudatam; qualis potuit eſſe maxilla aſini nuper occiſi & diſcerpti à feris; nam antiquiora oſſa, & nimiùm ſicca fragilia ſunt. Chaldæus habet בטינתא *btintha*, in humiditate. LXX. Intt. ἐξεῤῥιμμένην aut ἐῤῥιμμένην verterunt, ut Vulgatus, *quæ jacebat*.

Quam exſertâ manu arripiens] *Et miſit manum & cepit.*

Mille homines] Qui fortè inermes eo adcurrerant, ut è manibus Hebræorum Samſonem acciperent, nec hoſtile quidquam metuebant. Ceteri aut terrore panico, aut præſentiâ aliorum Hebræorum, quos putabant Samſoni favere ac ſuppetias ferre, territi properè aufugerunt. Alioqui vel pauci ſagittarii potuiſſent Samſonem ſagittis conficere; niſi fortè Deus tela omnia, armáque ab ejus corpore arcuerit, quod tamen non habet Hiſtoria Sacra.

16. *Maxilla aſini acervum* &c.] Scribi hæc oportere crediderim quatuor verſiculorum inſtar:

בלחי החמור	*maxillâ aſini,*
חמור חמרתים	*cumulum, imo duos;*
בלחי החמור	*maxillâ aſini,*
הכיתי פלשתים	*concidi Philiſthæos.*

Canticum enim eſt ἐπινίκιον, quod credibile eſt verſiculis conſtitiſſe. Pro פלשתים *phliſchthim*, ſcio eſſe אלף איש *mille viros*, ſed ſynonyma frequentiſſimè in hiſce libris, canticiſque confundi liquere poteſt ex collatione Pſalmi XVIII, prout legitur in libro Pſalmorum & 2. Sam. XXII.

Acervum imò acervos duos] Similem loquutionem adhibent Chananææ mulieres in cantico præmaturo, quod habetur ſuprà Cap. V, 30. Intelligit Samſon multitudinem cæſorum, ex quibus non acervus tantum unus ſed & duo fieri potuiſſent, aut facti ab eo fuerant. Non inele-

17. His dictis, projecit maxillam manu, locúſque *propterea* dictus eſt Ramath-lechi. 18. Cùm poſtea vehementer ſitiret, invocavit Jehovam, hiſce verbis: manu ſervi tui, ingentem hanc liberationem conceſſiſti *Iſraëli*, nunc tamen moriar ſiti, in-

inelegans eſt adluſio in duplici ſignificatione vocis חמור *hhamor*, quæ *aſinum* & *acervum* ſignificat. At LXX. Intt. hic verterunt: ἐν σιαγόνι ὄνου, ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτούς, quaſi legiſſent, ut quidem exiſtimat *Sam. Bochartus*: חרוב חרבתם, quia חרב ſignificat *vaſtatus fuit*. Crediderim potiùs ex conjectura eos vertiſſe, cùm non adſequerentur quid ſibi vellent voces Hebraicæ. Vulgatus habet, ſimiliter in tenebris palpans: *in mandibula pulli aſinarum, delevi eos*. Chaldæus רמיתינון דגורין rmithinoun dgourin, *in acervos conjeci*.

17. *His dictis*] *Cùm abſolviſſet loqui*.

Dictus eſt] ויקרא למקום, *& vocavit locum*; nempe, quicumque nomen loci deinde proferri voluit. Subintelligitur הקורא *hakkore* vocans, quicumque fuerit. Vide not. ad Gen. XI, 9.

Ramath-lechi] רמת-לחי *projectio maxillæ*, nam eſt à רמה *projecit*. Infeliciter LXX. Intt. ἀναίρεσις σιαγόνος, quod vertit *Hieronymus*, *elevatio maxillæ*, quaſi eſſet à רום *altus fuit*. Sed actio ipſa Samſonis oſtendit *abjectionis* ſignificationem hic poſtulari.

18. *Incidámque in manus*] De cadavere ſuo intelligit, niſi fortè vertendum ſit, *aut incidam*, quòd ſciret Samſon non procul ab eo loco fontem, aut rivum eſſe per agros Philiſthæorum fluentem.

19. *Fidit foſſam quæ eſt*] המכתש אשר בלחי *hammachthesch aſcher ballechi*, quod verbotenus ſolet verti, *mortarium quod in maxilla*, & ita intelligi quaſi ex cavo dentis, qui deerat in maxilla aſini, & quod מכתש dicatur à ſimilitudine *mortarii*, ut Græcis ὁλμίσκος, eruperit fons copioſus & aqua quæ ſufficeret ad ſedandam Samſonis ſitim. *Si dicas*, ait *Sam. Bochartus* qui multis de hoc loco egit, *in maxillarum aſini mortariolis nullam eſſe aquam, multo minùs tantam aquæ vim, ut inde ſedari potuerit Samſonis ſitis; aio in hoc ipſo eſſe miraculum, quod ex aperta maxilla, pro tabo, aut ſanguine, uberes aquæ manaverint; idque eâ virtute factum, quâ ex rupe aquæ eruperunt, & farina crevit in hydria & oleum in lecytho viduæ Sareptanæ.* Credibile etiam ei videtur à Samſone reſumtam in manus maxillam, cum vidit ex ea manare tam uberes aquas.

Non potui non mirari virum acutiſſimum & doctiſſimum, cùm expenderet hunc locum, non vidiſſe ejuſmodi miraculum contrarium planè eſſe verbis quæ ſequuntur; ne jam dicam verba, quibus narrari cenſetur, alium commodiorem ſenſum nobis ſuppeditare. In ſequentibus enim verbis liquet hunc fontem erupiſſe non ex *mortariolo maxillæ*, ſed ex terra ipſa, in loco qui vocabatur *Lechi*, de quo antea egimus: *nomen ei fonti factum eſt fons invocantis, eſtque Lechi ad hunc uſque diem.* Nemo, ut puto, ſomniet illic jacuiſſe, uſque ad tempus Scriptoris hujus libri, maxillam aſini, éque mortariolo ejus vacuo, perpetuo, inutilíque miraculo, fluxiſſe aquam è nihilo creatam, quæque ex ſubjecta terra fontem non duceret. Hoc cùm ita ſe habeat, nemo non videt poſſe verba Latina verti, quemadmodum nos ea tranſtulimus. Una hæc eſt difficultas, quomodo מכתש *machthesch* poſſit *foſſa* verti; ſed facilè elevabitur, ſi ſciamus propriè quidem dictum ſic mortarium à כתש *chathaſch*, trivit, quòd in eo terantur varia, quæ teri oportet; ſed tralatitio ſenſu quidquid mortario ſimile eſt, ſeu quamvis cavitatem rotundam, quales ſunt cavitates, quibus dentes animalium infixæ ſunt, ut vidimus. Ideò quoque locus Jeroſolimæ profundior dictus eſt מכתש Soph. I, 11. ex ſententia multorum Interpretum. Eadem de ratione, cavitas quævis rotunda ſive in terra, ſive in rupe, מכתש *machthesch*, ſeu mortarium dici potuit. Sic hunc locum intellexere LXX. Intt. qui habent in Codice Vaticano: Καὶ ἔῤῥηξεν ὁ θεὸς τὸν λάκκον, τὸν ἐν Σιαγόνι, καὶ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ ὕδωρ: *& rupit Deus lacum, qui eſt Siagone* (nam hîc eſt nomen proprium, ut antea & in ſequentibus verbis) *& exivit ex eo aqua.* Nimirum, eo loco, ſingulari ſanè miraculo, ne quis calumnietur hîc nos, quaſi miraculum tolleremus, effecit ut in terra foſſa rotunda in mortarii ſpeciem, ſubitò aperiretur; quæ mox aquâ impleta eſt, fónſque illic perennis poſtea ſemper fuit. Alexandrinus Codex habet hîc τὸ τραῦμα τῆς σιαγόνος. Aldinus verò & Complutenſis τὸ τραῦμα ἐν τῇ σιαγόνι. Sed idem eſt ſenſus, & cùm Σιαγὼν ſit nomen proprium, τὸ τραῦμα eſt terræ hiantis cavitas. Hæc explicare volui, quia *Bochartus* negat ſe intelligere quid voluerint Interpretes Græci. Eodem modo intellexit hunc locum *Joſephus* qui ſic loquitur Ant. Jud. Lib. V. c. 10. Πρὸς δὲ τὰς ἱκεσίας ἐπικλασθεὶς ὁ Θεὸς πηγὴν κατά τινος πέτρας ἀνίησιν ἡδεῖαν καὶ πολλήν· ὅθεν ὁ Σαμψὼν ἐκάλεσε τὸ χωρίον Σιαγόνα. *ſupplicationibus Deus permotus fontem ſub quodam lapide emittit dulcem & copioſum. Unde Samſon vocavit eum locum Maxillam.* Hæc eadem fuit ſententia Chaldæi Interpretis, qui hîc habet: ובזע יי ית כיפא די בלחיא ונפקו מניה מיא *& fidit Jehova ſaxum, quod erat in Maxilla* (loco, nempe, ſic à Samſone dicto) *& effuſa eſt ex ea aqua.* Scio proferri alia exemplaria, in quibus ſit non כיפא ſed ככא *chacha*, quod molarem dentem ſonat. Verùm conſenſus LXX. Intt. & *Joſephi* oſtendit hanc olim fuiſſe ſententiam Judæorum, quæ oritur ex priore lectione, quæ proinde mutanda non eſt. Miror etiam verba Paraphraſtæ à *Bocharto* non fuiſſe intellecta, cùm ita de iis loquatur: *Quaſi Samſon maxillam aſini projecerit ſuper rupem; quæ rupes ideò dicatur fuiſſe in maxilla, quod ſub maxilla fuerit.* Atqui in verbis Paraphraſtæ בלחיא non ſignificat *in maxilla aſini*, ſed in loco qui vocabatur *Maxilla*, aut *Lechi*. Si perperam verba Paraphraſtæ intellexit *Kimchius*, quem illic *Bochartus* oppugnat, nihil hoc ad Paraphraſtam, quem meliùs intellectum oportuit à viro doctiſſimo. In hunc laudes quidem meritas, pleno modio, conjicimus, nec diſſimulamus quæ illi debemus; ſed ἀχαρίστως ab eo nihil accipimus, & confutamus magnum virum, quotieſcúmque erraſſe videtur. Idem de *H. Grotio* dixerim, qui in eadem ſententia fuit, ac *Bochartus*, & quem nemo eſt qui pluris faciat, quàm ego.

Magno-

incidámque in manus incircumciſorum. [19]. Tunc Deus fidit foſſam, quæ eſt in Lechi, erupitque ex ea aqua, & refocillatus eſt Samſonis animus ac recreatus. Quare nomen ei *fonti* factum eſt Fons Invocantis; éſtque in Lechi, ad hunc uſque

Magnorum virorum auctoritatem tanti facimus, ut ſine gravibus rationibus ab ea non diſcedamus; ſed non præferimus veritati. Quod ſi quis etiam virum magnum è recentioribus audire velit, pro nobis ſententiam dicentem, audiat *Jac. Uſſerium*, qui ſic loquitur in Annalibus ad annum Per. Julianæ 3578. *In quo loco, à maxilla illa* Lechi *nomen adepto, à Samſone invocatus Deus fiſſo cavo quodam terræ fontem produxit.*

Interpretes in errorem hîc delapſi ſunt, partim ambiguitate vocum Hebraicarum, partim Latini Interpretis auctoritate, qui ſic habet: *aperuit itaque Dominus molarem dentem, in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ.* Sed primùm מכתש *machteſch*, non eſt *dens molaris*, ſed alveolus maxillæ cui dens infixus; deinde Interpres de ſuo addit vocem *aſini*, quæ non eſt in Hebraïcis verbis, nec fuit tempore LXX. Intt. quâ ſublatâ, לחי *lechi* poteſt, ut oſtendimus, ſignificare locum; additâ, non poteſt.

Hæc paullò pluribus, quæ, licèt verbis noſtris expoſita & ratiocinationibus confirmata, ad ſummam rei quod adtinet occupata fuerant à *Ben. Aria Montano*, *Franciſco Junio*, *Joanne Druſio*, *Sixtino Amama*, *Joanne Piſcatore*, *Edmond. Caſtello*, *Sebaſtiano Schmidio* & aliis; quos memoro, ne quis me novitatis inſimulet, etiam ubi multos alios ſequor, quod non ſemel expertus ſum.

Refocillatus &c.] *Rediit ſpiritus ejus & vixit.*

Nomen ei fonti factum eſt] *Vocavit nomen ejus*, nempe, fontis. Omiſſus eſt nominativus ut v. 17. & alibi ſæpe. In voce verò שמה *ſchemah* affixum fœminini generis ſine dubio refertur ad עין *hen*, fontem, quamvis ea vox non anteceſſerit: ut, invitus licèt, agnoſcit *Bochartus*. Satis eſt eam ſequi, & neceſſariò ſuppleri. Vult καταχρηστικῶς hîc adhiberi eam vocem, ut dicitur *fons lacrimarum*, *fons ſanguinis*, quòd fons non vocetur propriè niſi cùm ex terra perennes fluunt aquæ; *qualis*, inquit, *ne hîc patetur eſſe*, *jam antea dictum fuerat eum* è maxilla *exiiſſe*, *& hoc loco vocatur:* fons invocantis, *qui eſt* in Lechi, uſque in hunc diem. *Quaſi velit Scriptor Sacer*, *ſive is ſit Samuël*, *aut alius Propheta poſterior*, *fontem hunc perduraſſe uſque ad ſuam ætatem.* Videtur vir ſummus ſemet ipſe confutare, nec ſatis capio cur ita loquatur, cùm hæc dicantur ex ſententia, quam rejecit; ut & ea quæ addit de illo fonte, quaſi in multa ſæcula ſuperſtite, ex *Hieronymo* & *Michaële Glyca.* Sed poſtea ad ſe veluti rediens, *fontem*, inquit, *qui pro Samſonis fonte oſtenditur*, *ab eo diverſum eſſe conſtat*, *quia fons Samſonis è maxilla ortus eſt & alter ille è terra oritur.* At idem ille fons, qui oritur è terra, hoc in Judicum loco, manifeſtò habetur Samſonis, ſeu *Invocantis Fons*; quidquid contrà dicat vir ſummus, ut mox videbimus. *Unus*, inquit, *fluxit ad momentum*, *manat alter perenni fluxu. Cùm enim non ſoleat Deus miracula exhibere*, *niſi quantùm neceſſe eſt*; *poſtquàm Samſon ſedavit ſitim*, *& abinde potus ex eo loco diſceſſit*, *quorſum duraſſet miraculum*, *& in loco fortaſſe deſerto*, *nemine inſpectante*, *è maxilla manaſſet inutilis humor?* Rectè hæc omnia, de miraculis, obſervat *Bochartus*; ſed ſi paullò attentiùs legiſſet Hiſtorici Sacri verba, vidiſſet hîc unicum memorari fontem; qui miraculo quidem primum à Deo, Samſone ſitiente & precibus ad eum confugiente, excitatus, ſed poſtea ſine miraculo conſervatus fuerit. Nempe, cùm illic nullus eſſet fons, Deus curavit aut ex latice illac ſubter occultè fluente, erumpere venam; aut ex ſubterraneo rivulo, alio loco delabente, ſubitò derivavit; qua in re ſitum fuit miraculum, non in creatione novæ aquæ è nihilo. Verùm aqua, per novam viam erumpens, ex ea defluere ſine miraculo perrexit.

Eſtque in Lechi] Liquidiſſimè hæc oſtendunt eum ipſum fontem, è quo bibit Samſon, in perpetuum fluxiſſe, contrà quàm putabat vir ſummus; qui hoc quidem tandem ſenſit, ideóque vim horum verborum infringere conatus eſt, hoc modo: *Si quis hæc opponat*, *tamquam verba ſacri textûs:* & vocatum eſt nomen ejus Fons Invocantis, qui eſt in Lechi, uſque ad hanc diem; *reſpondebo in hac verſione duplex eſſe peccatum. Prius in his verbis:* fons invocantis, qui eſt in Lechi, *cùm ſit vertendum:* Fons Invocantis, qui fuit in maxilla; *quod docent puncta vocalia in* בַּלְּחִי *ballechi. Aliud enim eſt* בַּלְּחִי ballechi, *aliud* בְּלֶחִי belechi. *Hoc enim eſſet* in Lechi, *quomodo* v. 14. עַד לֶחִי ad Lechi; *illud* ἐν τῇ σιαγόνι, *in maxilla, quia* בַּלְּחִי ballechi, *eſt* pro בְּהַלְּחִי behallechi. Sed quamvis non tantam rationem haberemus hodiernæ punctationis Hebræorum, nihil eſſet cur *Bochartus*, aut qui eum meritò magni faciunt, nobis indignarentur; quia ipſe ſæpe eam rejicit, cujus rei eſt inſigne exemplum, in hoc ipſo Capite *Hierozoici*, ubi vir doctiſſimus interpretatur 2. Sam. XXIII, 11, 12. Verùm hoc quidem in loco, minimè opus eſt, quia ſæpe etiam *He* Emphaticum, ut loquuntur Grammatici, præfigitur nominibus propriis locorum, ut in hoc ipſo libro Judicum C. VIII, 10. בַּקַּרְקֹר *bakkarkor*, & alibi non raro, ut docebit *J. Baxtorfius* Theſ. Gram. Lib. II. c. 5. p. 385. Ed. Baſil. Itaque argumentum viri ſummi nullum eſt. Pergit tamen, his verbis: *Poſterius peccatum in eo eſt quòd hæc jungantur*, qui eſt in Lechi, uſque ad hanc diem, *quæ divellenda eſſe docet accentus Zakeph-katon*, *ſuper* בלחי. *Receptæ igitur lectioni ſi ſtamus*, *Hebræa ſic interpretabimur:* Et vocatum eſt nomen ejus, *En hakkore aſcher ballechi* (id eſt, fons invocantis qui fuit in maxilla) uſque ad hanc diem; *ut ſenſus non ſit fontem durare ad hanc diem*, *ſed ita vocari ad hanc diem*; *nempe*, *ab iis qui hujus miraculi meminerant. Quo modo Nimrodum*, *jam pridem fato functum*, *Moſes vocari obſervat* robuſtum venatorem coram Domino. Ut à poſtremis initium faciam, exemplum ſimile non eſt, nam Gen. X, 9. citatur proverbium his verbis: *propterea dici ſolet*, *ut Nimrodus ſtrenuus venator*, *coram Jehova.* Hic verò, ex ſententia *Bocharti*, non eſt proverbium. Non dicit Hiſtoricus ex hoc facto natum eſſe proverbium, ſed fontem illum, qui

uſque diem. Judicavit *Samſon* Iſraëlem, temporibus Philiſthæorum, per viginti annos.

XVI. Samſon Gazæam meretricem amans, cùm oppreſſus à Philiſthæis crederetur, portas urbis aufert in vicinum Chebroni montem. Inde Delilæ amore captus, poſtquàm mulierem aliquoties deluſiſſet, vinculáque ſibi injecta perfregiſſet, tandem ſe vires portentoſas amiſſurum fatetur, ſi tondeatur; quo facto, viribus amiſſis, excæcatur, ac in piſtrinum detruditur; ſed tandem recuperatâ cæſarie, domum, in quam convenerant Philiſthæi, evertit, ejúſque ruinâ & ipſe & multi hoſtes opprimuntur.

CAPUT XVI. 1. IVIT poſtea Samſon Gazam, viditque illic meretricem, ad quam eſt ingreſſus. 2. *Nunciatum verò eſt* Gazæis veniſſe eò Samſonem; quamobrem *eum* circum-

in gratiam Samſonis erupit, dictum *Fontem invocantis*; planè eadem ratione ac ſupra v. 17. locus, in quo Samſon projecit maxillam, dicitur vocatus *Ramath Lechi*. Quod cum ita ſit, nemo dixerit aut Samſonem, aut poſteros fontem illum, quamvis non ampliùs eſſet, vocaſſe *Fontem Invocantis, qui fuit in maxilla*. Poſſemus diſtinctionem Maſſorethicam ſpernere, quam nec magni faciebat ipſe *Bochartus*; ſed nihil opus eſt, nam Zakeph-katon hoc in loco eſt inſtar commatis, quo ſignificatur hîc eſſe ordo, ex ſententia interpungentium: *quare nomen ei fonti, qui eſt in Lechi, factum eſt ad hunc uſque diem*, Fons invocantis. Quæ verba ſic explicata minimè *Bocharto* favent. Malumus tamen *ad hunc uſque diem* conjungere cum vocibus אשר בלחי *qui eſt in Lechi*; nec vertimus *eſtque*, niſi ad vitandam ambiguitatem, quâ non *Fons*, ſed *Invocans* dici videretur eſſe, aut *fuiſſe in Lechi*.

Si alius dixiſſet, quæ habet hac de re *Sam. Bochartus*, non tam operosè ea in medium protuliſſemus & confutaſſemus; ſed viri auctoritas, in iis quæ ad Sacras Litteras pertinent, meritò magna prolixiorem confutationem à nobis extorſit, ne quis eam nobis objiceret. Ceterùm, ut jam diximus, hîc miraculum agnoſcimus, in educta ſubitò è terræ viſceribus aqua, quæ alioqui non prorupiſſet; ſed non in creata è nihilo aqua, quæ exire videretur ex alveolo dentis aſinini, quo tamen contineri non poterat. Hujuſmodi miracula nequaquam neceſſaria & quæ non nituntur neceſſaria verborum Scripturæ explicatione, ludibrio eam, apud parum religioſos homines, exponunt.

Judicavit Samſon] Non diſplicet eorum ſententia, qui Helin volunt, hoc ipſo tempore, Judicis propriè dicti partes egiſſe, ſeu jus dixiſſe Iſraëlitis; nec Samſonem quidquam egiſſe, in uſum Reipublicæ Populi Hebræi, niſi quòd malè mulctavit aliquoties Philiſthæos, à quibus gravi tyrannide premebantur. Certè quæ de Samſone narrantur non pertinent ad juris dicendi officium, ſed tantùm ad liberationem Iſraëlis, quæ altera pars fuit muneris Judicis. Sed nec prorſus liberavit Iſraëlitas à Philiſthæis, ſed tantùm *cœpit* liberare, ut habet Angelus Cap. XIII, 5.

Temporibus Philiſthæorum] *Diebus Philiſthæorum*; hoc eſt, tempore quo Philiſthæis paruerunt Iſraëlitæ.

Per viginti annos] Nempe, ex quo Samſon puber factus eſt & hoſtes populi Hebræi adgreſſus *judicaſſe* dicitur; hoc eſt, partem aliquam officii Judicis obiiſſe, uſque ad mortem, quâ multos occidit Philiſthæos. Idem repetitur infrà Cap. XVI. poſt narrationem mortis ejus, nec puto ullam aliam repetitionis eſſe cauſam, niſi quòd Canones Rhetorici, de narratione, in hiſce libris minimè ſerventur.

In CAPUT XVI.

1. V*Iditque mulierem*] Hæc quæ ſequuntur turpia ſunt & indigna homine Hebræo, cujuſcumque ſortis eſſet, nedum Naziræo, peculiari voto Deo conſecrato. Ejuſmodi enim votum per ſe inutile, imò etiam ſuperſtitioſum erat, niſi cum morum ſanctitate conjunctum eſſet. Quid enim attinebat abſtinere à vino, ſi à meretricibus non abſtineret, ſique cum incircumciſis familiariter verſaretur?

2. *Nunciatum verò eſt*] Quaſi ſcriptum eſſet, ויגד *vajjuggad*, quod, ut mihi quidem videtur, librariorum culpâ, hinc excidit. LXX. Intt. habent ἀνηγγέλη, aut ἀπηγγέλη & Chaldæus אתחוא ithchavva, *indicatum eſt*. Vulgatus circumloquutione uſus eſt, quæ eumdem ſenſum parit: *Quod cùm audiſſent Philiſthiim*. Volunt viri docti eſſe tantùm loquutionem Ellipticam, ſed ejuſmodi Ellipſeos nullum mihi umquam occurrit exemplum, quâ quiſpiam dixerit, nullo verbo antecedente quod [illegible] repeti poſſit, exempli causâ: לו לאמר *illi dicendo*, pro ויגד לו לאמר & *nunciatum eſt ei dicendo*, quæ frequens eſt loquutio, ut Geneſ. XXII, 20. & alibi.

Veniſſe eò Samſonem] *Dicendo: venit huc Samſon.*

In porta urbis] Quæ pacis tempore aperiebatur etiam noctu, ut ſi fortè tunc elabi vellet Samſon, eum comprehenderent.

Silentium tenuerunt] Hoc eſt, tumultum nullum excitarunt.

Exſpectemus] *Ad lucem matutinam* (nempe, exſpectemus) & *eum occidemus*. His dictis videntur, probè clausâ urbis portâ, obdormiiſſe.

3. *Fores portæ*] Aut valvas.

Duóſque poſtes] Neque limen, neque ſupraliminare memoratur, quod ut porta aperiretur opus non eſſet limen auferri, & fortè ſupraliminare nullum fuit.

Unà cum vecte tranſverſo] עם הבריח *him habberiahh*. Hac voce, ut & Græca μοχλὸς, quâ utun-

Digitized by Google

cumdederunt, inſidiáſque ei per totam noctem in porta urbis ſtruxerunt; ſed totâ nocte ſilentium tenuerunt, cùm dicerent: *exſpectemus* ad lucem matutinam, quâ eum occidemus. 3. Cubuit autem Samſon ad mediam uſque noctem, ſurrexitque mediâ nocte & comprehenſas fores portæ, duóſque poſtes, unà cum vecte *tranſverſo*, revulſit; humeriſque ſuis *hæc* impoſita tulit ad cacumen montis, qui eſt ad Chebronem.

4. Deinde captus iterum eſt amore mulieris, in valle Sorekia, cui *mulieri* nomen erat Delilæ. 5. Ad hanc ſe contulerunt Principes Philiſthæorum, & hominem, inquiunt, pellicito ac vide quanam in re ſitum ſit magnum ejus robur, & quomodo eum ſuperare poſſimus, ita ut vinciamus eum & malè habeamus. Tum tibi quiſque dabimus millenos ac centenos argenteos. 6. Dixit igitur Delila Samſoni: indica, quæſo, mihi quanam in re ſitum magnum tuum robur, & quomodo vinciri poſſis, ut malè habearis. 7. Ei verò Samſon, ſi me, inquit, vinxerint ſeptem *vimineis* vinculis, viridibus, qui non exa-

utuntur LXX. Intt. ſignificatur vectis tranſverſus, qui poſtibus immiſſus, ne valvæ introrſum aperiantur, impedit.

Humeriſque ſuis] *Et poſuit ſuper humeros ſuos & adſcendere ea fecit in verticem montis.* Hæc evellere & bajulare præſertim procul, nam Chebron pluribus milliaribus Gazâ diſtabat, erat ſupra vires humanas; ſed tamen non erat porta hæc Gazæorum inſtar portarum urbium noſtrarum munitarum, quarum valvæ è poſtibus lapideis pendent.

Montis qui eſt ad Chebronem] על פני חברון *ante faciem Chebronis*; hoc eſt, in conſpectu ejus urbis. *Brocardus* in deſcriptione Terræ Sanctæ, ubi tradit iter Acone versùs Auſtrum, p. 331. Ed. Baſileenſ. 1550. *A Gaza quatuor numerantur leucæ uſque ad Berſabee, quæ nunc Giblin dicitur, & eſt terminus Judææ atque terræ promiſſionis contra Auſtrum.* —— *Diſtat ab Hebron, ſicut & Gaza, paullò ampliùs unâ diætâ*, hoc eſt, itinere paullò majore, quàm qui poſſit ante prandium à profectis ſummo mane pedibus confici. Igitur cùm Samſon Chebronem uſque non iverit, ſatis erit ſi quinque horarias leucas, aut circiter, bajulaſſe eum Gazæas valvas dicamus, donec in tutum montem perveniſſet.

4. *In valle Sorekia*] *Euſebius*, in locis Hebraïcis: Σωρὴκ χειμάῤῥους ὅθεν ἦν Δαλιδὰ, ἡ τοῦ Σαμψών. ἔστι δὲ καὶ κώμη ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως Βαρὴχ (l. Σωρὴχ) λεγομένη, πλησίον τῆς Σαάρ, ὅθεν ἦν Σαμψών. *Sorec*, interprete Hieronymo, *nomen torrentis, de quo loco fuit Dalila illa Samſonis; ſed & uſque hodie ad ſeptemtrionalem plagam Eleutheropoleos vicus oſtenditur nomine Capharſorec, juxta villam Saraa, unde & Samſon fuit.* Rectiùs *Hieronymus*, in verſione Latina, vertit נחל שרק *nahhal ſorek*, vallem Sorek; nemo enim habitat in torrente. Attamen LXX. Intt. in pleriſque Codd. habent ἐπὶ τοῦ aut ἐν τῷ χειμάῤῥῳ Σωρήχ, at in Vaticano eſt ἐν Ἀλσωρήχ, pro ἐν Ναλσωρήχ. Vallis fuit ditionis Philiſthæorum. Ceterùm שרק *ſchorek*, præſtans quoddam vitis genus ſignificat, Gen. XLIX, 11. Eſ. V, 2. Jerem. II, 21.

5. *Ad hanc ſe contulerunt*] Cùm intellexiſſent Samſonem ad eam ventitare; unde liquet Samſonem vires quidem à Deo accepiſſe inuſitatas, ſed caſtitate minimè donatum fuiſſe. Adde nec prudentia ulla præditum, qui fidei meretriciæ ſe ſe tradebat. Igitur ſi laudatur Heb. XI, 32. Samſonis fides, intelligendus ſingularis actus fidei, non virtus quæ in eo ſanctitatem morum pepererit, quod vera fides facere ſolet.

Vide quanam in re ſitum ſit] Credebant enim magicâ neſcio quâ arte Samſonem ſibi tantum robur comparare.

Quiſque dabimus millenos] Si quinque erant, pro numero præfecturarum Philiſthæorum, habuiſſet Delila quinquies mille & quingentas argenti ſemiuncias; nam argentei ſimpliciter dicuntur *Sicli*. Sed cur ſinguli polliceantur millenas, & centenas ſemiuncias, non millenas tantum promiſerint, non liquet; niſi fortè, certo genere nummorum, eam ſummam confecerint.

6. *Et quomodo vinciri poſſis*] Si ita verbo tenus loquuta eſſet Delila, nimium apertè malum ſuum conſilium, perfidúmque animum denudaſſet; nec Samſonem apud ſe detinere, aut fallere potuiſſet, niſi ſtatuamus hominem libidine planè dementem fuiſſe. Sed credibilius eſt Hiſtoricum Sacrum hìc tantùm ſummam orationis Delilæ proferre; nam quamvis directa ſit oratio, non eſt propterea putandum eſſe hæc ipſa meretricis verba; cum ſoleant Hebræi omnes omnium ſermones, quos exprimunt, directâ oratione complecti. Ideò *Joſephus*, hanc hiſtoriam narrans, rem ſic exprimit: ἡ δὲ παρὰ πότον καὶ τὴν τοιαύτην συνουσίαν θαυμάζουσα τὰς πράξεις αὐτοῦ, ἐπεχείρησε μαθεῖν τῇ τέχνῃ τίνα τρόπον οὕτως προὔχει κατ' ἀρετήν: *inter pocula & ejuſmodi conſuetudinem admirata res ejus geſtas, arte conabatur cognoſcere quâ ratione uſque adeò virtute excellebat.*

7. *Si me, inquit, vinxerint* &c.] Fraudem intellexit Samſon, ideóque artem arte deluſit; unde intelligere eſt Delilam tam apertè animum non nudaſſe.

Septem vimineis vinculis] יתרים *jetharim*. Epitheta ſubjecta לחים אשר לא חרבו *viridibus, quæ nondum aruerunt*, oſtendunt materiam vinculorum fuiſſe quidpiam quod areſcit, & ſiccitate fragile fit, quale eſt vimen; quod viride lentum eſt & tenax, nec à trahente facilè frangitur, ſiccum verò fragile eſt. Quod cum ita ſit, mirum eſt cur LXX. Intt. verterint νευραῖς ὑγραῖς, & Vulg. *nerviceis funibus, necdum ſiccis*. Neque enim ſermo eſt de vinculis quæ *nervis* conſtarent, ſed ramis arbuſti. Verum abſurdiſſimè omnium *Joſephus*, qui habet κλήμασιν ἀμπελίνοις, quaſi palmites apti eſſent ad vinciendos homines, cum facilè lacerentur.

exaruerint, debilis ero & ſicut quivis alius. 8. Itaque Principes Philiſthæorum ad eam adtulerunt ſeptem *viminea* vincula, viridia, quæ non exaruerant, iiſque hominem ligavit. 9. Inſidiatores *autem* ſedebant apud eam in conclavi, dixitque ei Delila: ô Samſon, tibi inſtant Philiſthæi. Ille verò rupit *viminea* vincula, ut rumpi ſolet filum ſtuppæ ambuſtum. Neque intellecta eſt roboris ejus *ratio*. 10. Ibi Delila Samſoni, en, inquit, me deluſiſti, ac mendacia mihi dixiſti. Verùm indica mihi, quæſo, quomodo vinciri queas. 11. Ille autem mulieri, ſi, inquit, me vinciant funibus novis & quibus nihil ſit factum, debilis ero & inſtar cujuſvis alius. 12. Cepit ergo Delila funes novos, eúmque iis vinxit, ac ei, Philiſthæi, inquit, ô Samſon, tibi inſtant. Inſidiatores autem ſedebant in conclavi. Sed eos *funes* rupit *Samſon*, *atque* è brachiis ſicut filum *excuſſit*. 13. Tum Delila Samſoni, quò uſque, inquit, me deludes, & mendacia mihi dices? Indica mihi, quomodo poſſis vinciri. Ei verò Samſon, ſi capitis mei, inquit, ſeptem cincinnos cum ſtamine texueris, 14. idque clavo fixeris. *Quo facto*, dixit ei: Philiſthæi tibi imminent, ô Samſon. At ille excitatus revulſit clavum textorii inſtrumenti & ſtamen.

Quivis alius] כאחד האדם cheehhad haadam, *ſicut unus homo* è vulgo, aut quivis alius.

8. *Adtulerunt*] Aut *miſerunt*, nam eſt hîc ויעלו *& adſcendere fecerunt*.

9. *Inſidiatores* &c.] Qui miſſi fuerant, ut hominem vinctum & vivum abducerent. Si voluiſſent occidere, facilè potuiſſent, neque enim vulneribus impervius erat, itáque vulnerari poterat dormiens, ut iterari ictum opus non eſſet. Eſt in ſingulari הארב *inſidiator*.

Apud eam] לה lah, *ei*, nempe, mulieri.

In conclavi] Alio, nempe, in quod ſe abdiderant, parati invadere Samſonem, ſi eum ita vinctum ſenſiſſent, ut ſe expedire non poſſet.

Tibi inſtant Philiſthæi] *Philiſthæi ſuper te*, עליך, *balecha*.

Ut rumpi ſolet] *Ut rumpetur*, ינתק *jinnathek*.

Ambuſtum] בהריחו אש *in olfaciendo igne*, hoc cùm amburitur vapore ignis. Metaphora Hebraïca, licèt clara, nimis aliena erat ab ingenio Linguæ Latinæ, quàm ut ſervari poſſet.

10. *En, inquit, me deluſiſti*] In animum hîc revocandum eſt inſidiatores Philiſthæos qui in alio conclavi exſpectabant, nequaquam ingreſſos eſſe thalamum, in quo obdormierat Samſon; ſed cum audiviſſent vincula ejus fracta eſſe, non ſentiente Samſone abiiſſe, aut occultos manſiſſe. Itaque Samſon ludum eſſe potiùs credidit Delilæ, vires ejus experientis, ficto Philiſthæorum adventu; quàm inſidias, quas fruſtra mulier ei tetenderat. Certè non intelligo, niſi hoc ſit, quî Samſon ſe ei credere ſuſtinuerit.

Indica mihi, quæſo,] Alio die, hoc factum videtur, ne ſuſpecta fieret Samſoni Delila, ſed ſolâ curioſitate duci videretur.

Quomodo vinciri queas] במה תאסר bammeh theaſer, in quo vincieris. Sed ea eſt vis Futuri, quam expreſſimus. Sic Vulgarus: *quo ligari debeas*.

11. *Funibus novis*] Hîc eſt עבתים *habothim* ab עבת *hibbeth*, complicavit, conſtrinxit, unde liquet ſignificari funes ex cannabi, aut lino, aliis minoribus contortuplicatis conſtantes, ac proinde multò vimineis vinculis firmiores.

Quibus nihil ſit factum] Qui nulli alii rei vinciendæ adhibiti fuiſſent, ne fortè triti viderentur, minueretúrque ſpecimen virium, quod edere cupiebat Samſon, inſpiciente Delilâ.

13. *Cum ſtamine texueris*] תארגי עם המסכת *texueris cum licio*. LXX. Ἐὰν ὑφάνῃς — σὺν τῷ διάσματι. *Cum licio plexueris*, ut habet Vulgatus. Cùm copioſam & prolixam cæſariem haberet Samſon, jubebat ejus ſeptem cincinnos, inſtar ſtaminis telæ, & unà cum reliquo ſtamine texi, ac miſceri ſubtegmini; ita ut tela fieret, cujus initium conſtaret partim crinibus Samſonis, partim lineo ſtamine & ſubtegmine. Tum volebat eam telam paxillo affigi jugo, ut mox videbimus. מסכת *maſſecheth* vertimus *ſtamen*, quæ ſunt fila recta, quæ juxta longitudinem extenduntur, cùm ſubtegmen tranſverſum inter ea tranſmittatur; quia ea vox venit à נסך quod aliquando *texit* ſignificat, unde מסכה maſſecha, *integumentum*; ex quo ſignificatu tranſlata vox eſt ad ſtamen, quo ſubtegmen tegitur. Hoc ipſum eſt quod δίασμα vocant LXX. Intt. de qua voce, vide Indicem *H. Stephani* ad Theſaurum Linguæ Græcæ. Gloſſas antiquas adde, in quibus διάζεται *orditur*, & δίασμα, *orſum*. Idem eſt quod *licium* vocatur à Vulgato.

Alii intelligunt *jugum*, ſeu lignum rotundum, circa quod tela volvitur; ſed cum jugo non *texitur* quidquàm, tantùm ei adnectitur, & præterea in re obſcura, præſtat ſequi veteres Interpretes, quando nihil eſt cur ab iis recedamus.

Joan. Spencerus, vir doctiſſimus, De Legibus Moſis Ritualibus Lib. III. C. VI. Diſſert. I. §. 1. contendit veteres Hebræos voto Nazireatûs obſtrictos, capillos votivos, more Ethnicorum, plexos, intortos, vel in cincinnos diſtributos geſſiſſe. Quod liquere putat ex his Samſonis verbis, *ſi capitis mei ſeptem cincinnos cum ſtamine texueris*, ubi ejus cæſaries in ſeptem cincinnos diſtributa fuiſſe dicitur. Re verâ מחלפות *mahhlephoth* ſunt crines, in modum catenæ intorti, unde LXX. verterunt σειρὰς, quæ vox quoſvis funes tortos ſonat. Alia hanc in rem habet, quæ non exſcribam. Verùm quamquam non nego eos, qui diu Nazireatûs voto obſtricti jam fuerant, cæſariem promiſſam aliquando in nodos collegiſſe, & contextam geſſiſſe; attamen nec ſemper factum, nec partem voti fuiſſe crediderim. Certè nullo ſat firmo argumento probatum hoc video.

14. *Idque clavo fixeris*] LXX. verterunt: ἐκπήξῃς τῷ πασσάλῳ εἰς τὸν τοῖχον, ſed in Hebræis nulla *muri* mentio. Circumſtantia eſt, quam ſupplevere Interpretes. Vulgatus habet: *& clavum his circumligatum terræ fixeris*, quaſi ageretur hîc

Google

men. 15. Tum illi *Delila :* quomodo dicere potes te mei amantem eſſe, cùm animus
tuus ad me non ſit adjectus : jam enim ter me deluſiſti, nec mihi indicaſti qua in re
magnum tuum robur ſitum ſit? 16. Cùm verò eum quotidie verbis urgeret, moleſtá-
que ei eſſet, tum mortifero tædio correptus eſt ejus animus, 17. ac totum animum ei
aperuit, &, novacula, inquit, capiti meo admota non eſt, quia Nazireus ſum ab utero
matris meæ; at ſi tonſus fuero, recedet à me robur meum, debilis fiam, eróque inſtar
cujuſvis hominis. 18. Tum demum animadvertit Delila eum totum animum ſuum ape-
ruiſſe, accerſivitque Principes Philiſthæorum, his verbis: venite, nam mihi nunc totum
animum ſuum aperuit.

Venerunt itaque ad eam Principes Philiſthæorum, attulerúntque in manibus *nummos* ar-
genteos. 19. Deinde curavit eum in genibus ſuis obdormiſcere, vocavitque virum, qui ſeptem
capitis ejus cincinnos totondit. Poſtea cœpit illa eum malè habere, receſſitque ab eo robur.
20. Itaque *homine vincto*, dixit ei: inſtant tibi Philiſthæi, ô Samſon; *quâ voce* expergefactus
è ſomno, dicebat: egrediar hac quoque vice, méque expediam; neque enim Jehovam
à ſe

hic de paxillo, qualibus utebantur ad funes tentoriorum vinciendos. Maluerim intelligere clavum ferreum, quo cæſariem ejus tramæ miſtam & contextam jugo adfixerit; videtur enim, dormiviſſe Samſon, in cœnaculo quopiam, in quo fuerit inſtrumentum textorium, ad cervical lecti in quo cubabat, unde natum hoc ejus commentum, quo deluſit Delilam.

Clavum textorii inſtrumenti] יתד הארג *jathed haereg.* LXX. Τὸν πάσσαλον τοῦ ὑφάσματος ἐκ τοῦ τοίχου. Vulgatus: *clavum cum crinibus & licio.* Magis ſequuti ſunt ſenſum, quem his verbis ineſſe credebant, quàm verba. Atqui primùm nullo exemplo conſtat ארג *ereg* eſſe texturam. Exſtat ea vox Job. VII, 6. ubi videtur pro *radio textoris* ſumi. Verùm hoc in loco non convenit ea ſignificatio, ideóque pro inſtrumento integro textorio ſumitur, cui infixus erat clavus. LXX. quidem Intt. ὕφασμα vertunt, ſed *texturam* ſignificari non liquet, quia exprimitur ſequenti voce ואת המסכת *veeth hammaſſecheth.* Sed illi Interpretes eam neglexerunt, cùm verterint ἀπὸ τοῦ τοίχου. Senſus igitur eſt, cùm Delila admoto cervicali, cui caput Samſonis impoſitum erat, inſtrumento textorio contexuiſſet extremos ejus crines cum ſtamine & ſubtegmine telæ, aut panni, & quod contextum erat clavo adfixiſſet jugo, Samſonem excitatum nullo negotio clavum revulſiſſe, & quod erat contextum ab inſtrumento textorio ſeparaſſe. Verùm ut fieret ejuſmodi textura crinium cum ſtamine & ſubtegmine, crinéſque, inſtar ſtaminis diſpoſiti unà cum aliis filis in longitudinem dirigerentur, oportuit Samſonem hoc pati datâ opera & ſimulare ſomnum; neque enim tam arcto ſomno teneri quiſquam poteſt, ut ſimile quid fiat, ipſo non animadvertente.

15. *Ad me non ſit adjectus*] *Cor tuum non eſt mecum.*

16. *Mortifero tædio*] *Brevior facta eſt anima ejus ad moriendum.* Apud Hebræos, קצרה נפש *brevior fit anima*, quæ tædio rei alicujus tenetur, ut Num. XXI, 4. qui ſenſus etiam huic loco optimè convenit; nam tædio erat Delila Samſoni, dum quotidianis precibus arcanum ei eblandiri conatur. Si ſapuiſſet, intellexiſſet inſidias latere, ſub iis precibus, & meretrice relictâ ad ſuos rediiſſet. Sed qui patriæ Legis tam parum obſervans erat, ut cum Philiſthæa muliere viveret, támque fœdè libidini obſequebatur, idem etiam occœcatus eſt, ne videret quod quivis alius facilè animadvertiſſet.

17. *Totum animum ei aperuit*] *Indicavit ei omne cor ſuum.*

Capiti meo admota non eſt] *Non adſcendit ſupra caput meum.* Vide ad Num. VI, 5.

At ſi tonſus fuero &c.] Juſſerat quidem Deus eum ab utero matris Naziræi inſtar haberi, quod ipſe poſtea major natu factus ratum habuerat, ut ex ipſa re liquet. Sed nuſquam antea legimus promiſſas ei eſſe à Deo vires extraordinarias, dum in voto perſtaret, aut dum crines promiſſos geſtaret. Oportet tamen, ut videtur, rem ei revelatione innotuiſſe, cùm aliter eam reſcire non poſſet. Quod ſi quis dixerit Samſonem collegiſſe ex voto ſuo, ſibi inuſitatas illas vires defuturas, cùm votum, quod perpetuum eſſe debebat, ſolveret, quia Deo minùs gratus futurus erat; non deerunt qui regerant meretriciis ſuis amoribus Samſonem non minùs ingratum Deo fieri debuiſſe, quàm violatione voti, quod circa res per ſe indifferentes verſabatur. Itaque malim credere Samſonem ſciviſſe ex revelatione tum demum defuturas ſibi vires, cùm cæſariem deponeret, aut cùm ſe tonderi pateretur.

18. *Animadvertit Delila* &c.] Ex ratione & vultu quo Samſon rem declararat, & unde liquebat ſeriò eſſe loquutum.

Accerſivitque principes] *Et miſit & vocavit.*

19. *Eum malè habere*] Ut hominum excitaret.

Receſſit ab eo robur] Voto violato, nam violaverat qui meretrici dixerat quâ ratione poſſet impedire, ne id ſervaret; nec ſibi ullâ ratione ab ea caverat, quam ſuſpectam habere debuit, vel ob curioſitatem ſciendi unde tantas vires haberet, & quod jam ter eum vincire conata eſſet; nam per eam non ſteterat, quo minùs vinctus illic maneret. Ab illo igitur tempore, Deus vires illas portentoſas homini largiri deſiit, qui pluris amorem meretricis, quàm voti religionem fecerat.

20. *Hac quoque vice*] *Sicut vice* alia, *in* hac *vice.*

Neque enim Jehovam &c.] Nondum enim, cùm primùm experrectus erat, noverat ſibi detonſos crines. Jehova ab eo receſſiſſe dicitur, cui non ampliùs adeſt, eo modo, quo ei adeſſe conſuerat.

 21. *Ca-*

à ſe receſſiſſe noverat. 21. Igitur hominem comprehenderunt Philiſthæi, effoderunt ei oculos, abduxerúntque Gazam, & vinxerunt catenis duabus æneis, ac molebat quidem in carcere. 22. Cœpit deinde cæſaries ejus *iterum* creſcere, poſtquàm detonſa erat.

23. Poſtea Philiſthæorum Principes convenerunt, magni ſacrificii Deo ſuo Dagoni faciendi, & hilaritatis cauſâ, dicebant enim: Deus noſter tradidit in manum noſtram Samſonem hoſtem noſtrum; 24. Vidit eum etiam populus, laudavítque Deum ſuum, cùm diceret: tradidit Deus noſter in manum noſtram hoſtem noſtrum, vaſtatorem agri noſtri & qui permultos è noſtris occidit. 25. Cùm jam animus eorum exhilaruiſſet, dixerunt: vocate Samſonem, ut ludat *coram* nobis. 26. Acceſſitus eſt ergo Samſon è carcere, & coram iis luſit. Collocatus autem fuerat inter columnas. Quare dixit Sam-

21. *Catenis duabus*] בנחשתים *baaaebhuſthajim*, quod cùm ſit dualis numeri, non video cur plurali potiùs quàm duali vertatur. LXX. Intt. habent πέδαις χαλκείαις, Vulgatus, *catenis*. Si quis *compedes*, aut *manicas* malit, per me licet; ſi modò geminas compedes in carcere habuiſſe non intelligatur, neque enim ita impeditus molam trudere potuiſſet. Hinc, ut ex antecedentibus circumſtantiis, ſatis liquet Philiſthæis conſilium non fuiſſe interficere Samſonem, ſed potiùs longum ſupplicium de eo ſumere, ido morte majus; qualia fuere cæcitas, la & ludibria, quibus in carcere expoſitus erat.

Ac molebat quidem] Supplicium hoc ſervile fuit, ut ex Comicis ſatis liquet. Vide & Exod. XI, 5. & *Grotium* ad hunc locum. Notum eſt molas tunc temporis truſatiles fuiſſe, eáſque vi brachiorum circumactas; quamobrem heri minantur ſervis ſe illos in piſtrinum miſſuros, ſi quid paullò nequius deſignent. Romæ, etiam temporibus Chriſtianis, Leges fuerunt, quibus *omnes qui in levioribus criminibus rei detegebantur, piſtrinorum exercitio urbis Romæ damnabantur.* Verba ſunt Legis *de piſtrini pœna* Cod. Theodoſiani Tit. de Pœnis.

In carcere] *In domo vinctorum.* Fortè in carcere fuit piſtrinum publicum, cui addicebantur quicumque perpetuo carceri damnabantur. Sic & Romæ, tempore Theodoſii, ἦσαν ἐξ ἀρχαίου οἶκοι παμμεγέθεις, ἐν οἷς ὁ τῇ πόλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίνετο, *erant à priſcis temporibus domus permagnæ in quibus fiebat panis, qui in urbe dividebatur*; & ubi erant μυλῶνες κατὰ βάθους τὴν θέσιν ἔχοντες, *piſtrina in profundo ſita*. Sic loquitur *Socrates* H. E. Lib. V. c. 18. ubi narrat quâ occaſione ea piſtrina ſint à Theodoſio ſublata.

22. *Cœpit deinde cæſaries*] Cùm non ſponte ſuâ Nazireatui finem impoſuiſſet, ſed inſidioſâ detonſione cæſariei ſuæ; iterum eam alere cœpit, quaſi etiamnum durante voto, quod ad mortem uſque ſibi continuandum norat.

23. *Deo ſuo Dagoni*] לדגון *ldagon*. De Dagone, omnia quæ ex Veteribus & Recentioribus colligi poterant corraſit *Joan. Seldenus* de Diis Syris Synt. II. Cap. 3. Quia verò multæ conjecturæ compertæ veritati miſcentur, hæc tantum ex Scriptura conſtant: 1. Deum hunc ſingularem fuiſſe Philiſthæis, nam nuſquam aliis populis tribuitur in Scriptura, ne Phœnicibus quidem, quorum Numen potiſſimum fuit Aſtarte, Hebraïce עשתרת *haſthoreth*: 2. Nomen hujus Dei דגון alludere ſono ad דג *dag*, quod piſcem ſignificat: 3. Dei tamen hujus ſimulacro fuiſſe manus & vultum, quæ non conſentiunt cum piſcis figura. Vide 1. Sam. V, 4. Hinc viri docti conjecerunt huic Dagoni eamdem formam fuiſſe, quæ fuit & Dercetoni Deæ, quam Aſcalonitæ poſtea impensè coluerunt, ut docet *Diodorus* Siculus Biblioth. Lib. II. p. 92. & cui tribuit figuram miſtam ex muliere & piſce: Κατὰ τὴν Συρίαν, inquit, τοίνυν ἔστι πόλις Ἀσκάλων καὶ ταύτης οὐκ ἄποθεν λίμνη μεγάλη καὶ βαθεῖα πλήρης ἰχθύων. παρὰ δὲ ταύτην ὑπάρχει τέμενος θεᾶς ἐπιφανοῦς, ἣν ὀνομάζουσιν οἱ Σύροι Δερκετοῦν· αὕτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικός, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος: *in hac igitur Syria eſt urbs Aſcalon, nec procul ab hac palus magna & profunda, plena piſcibus. Ad hanc templum eſt inſignis Deæ, quam vocant Syri Dercetonem. Hæc vultum quidem habet mulieris, reliquum verò corpus piſcis.* Si Dagon nomen traxit ex figura, huic ſimilem fuiſſe incredibile non eſt, prout viri docti ſuſpicantur. Reliqua, cùm nihil ad Scripturam Sacram faciant, non adjicimus.

Hilaritatis cauſâ] לשמחה *leſchimhha*, quod poſſit etiam verti *convivii cauſâ*, quia illa publica hilaritas cum convivio conjuncta erat. Vide additamenta ad notas *Hammondi*, ad Matth. Cap. XXV, 21.

Deus noſter] Stultè tribuebant Dagoni, quod fuit effectus juſtitiæ Dei Iſraëlis pœnas libidinis Samſonis exigentis. Si Providentiæ Divinæ rem acceptam tuliſſent, nullo nominato Deo, rectiùs eſſent loquuti.

24. *Vaſtatorem agri noſtri*] מחריב ארצנו mahharib artſenou, *vaſtantem terram noſtram*. Reſpiciunt Philiſthæi ad calamitatem vulpium operâ ſibi illatam.

Qui permultos è noſtris occidit] *Multiplicavit occiſos noſtros.*

25. *Cùm jam animus eorum exhilaruiſſet*] *Cùm bonum eſſet cor eorum.* Ubi ſcriptum כיטוב *chitob*, ſed legitur כטוב *chetob*; ſine neceſſitate, nam prius poteſt eſſe infinitivus verbi יטב *jatab*.

Ut ludat] וישחק *viſchahhek*. Videntur in Samſonem immiſiſſe qui illum vellicarent, aut aliter irriderent; ut dum corripere, aut ferire eos homo cæcus conatur, riſum ipſis moveret; niſi fortè ſaltare cum verberibus cogerent, nam ſaltare aliquando eſt *ludere*, ut Exod. XXXII, 6.

26. *Collocatus autem fuerat inter columnas*] *Et fecerant eum ſtare inter columnas.* LXX. Intt. habent hìc, in Cod. Vaticano, ἀναμέσον τῶν κιόνων, in Alexandrino verò Aldino, & Complutenſi, τῶν δύο στύλων. Sic quoque Vulgatus, *inter duas columnas.* At nondum hìc ſermo eſt de duabus columnis, de quibus poſtea. Hinc duntaxat colligere licet Samſonem luſiſſe in periſtylio quodam, in quod undequaque ex vicinis con-

Samſon puero, qui prehensâ ejus manu *eum ducebat:* mitte me & fac ut palper colum-
nas, quibus nititur domus, ut in eas recumbam. 27. Plena autem erat domus viro-
rum & mulierum, & omnes aderant Principes Philiſthæorum Quin & in ſolario erant
circiter tria millia virorum & mulierum, qui Samſonem ludentem ſpectabant. 28. Tum
invocavit Samſon Jehovam, his verbis: Domine Jehova, memento, quæſo, mei, ſup-
pedita tantùm mihi vires, hac vice, ô Deus, & ultionem unam ſumam de Philiſthæis,
ob geminos meos oculos *ab iis confoſſos.* 29. Deinde amplexus eſt duas medias colum-
nas, quibus domus innitebatur; tum iis incubuit, alteram quidem dextrâ; alteram
verò ſiniſtrâ *complexus*, 30. dixitque: moriar nunc cum Philiſthæis, & *ſummâ* vi ſe ſe
inclinavit. Collapſa verò eſt domus in Principes & in totum populum, qui in ea erat:
fueruntque ii, quos occidit moriens, plures iis quos vivus interfecerat. 31. Poſtea eò
ſe

contabulationibus, ſolariiſque erat deſpectus.

Fac ut palper columnas] Audiverat eſſe illic columnas.

Quibus innititur domus] *Quibus domus firma eſt ſuper iis.* Sunt qui velint Templum hic Dagonis ſignificari, ſed quamvis in Templis eſſent columnæ, tamen Templi lapidei ædificium ejuſmodi non fuit, ut totum inniteretur duabus columnis, iiſque ita vicinis, ut eas ſimul amplecti Samſon poſſet. Multò credibilius eſt fuiſſe tumultuarium ædificium ligneum, columnis ligneis ſuſtentatum, & cujus forma à Theatro aut Amphitheatro non multùm differebat; ſed ita ut versùs medium ædificium duæ majores trabes, quibus maxima ejus pars ſuſtineretur, directæ eſſent, duabúſque columnis vicinis & fermè contiguis extremitatibus ſuis niterentur. Si quis dicat minùs hoc conveniſſe Architecturæ, non diffitebor, ſed in tumultuario ædificio rationem artis haberi neceſſe non erat. Hoc autem poſito, ſubtractis columnis, neceſſe fuit trabes cadere & ſecum ruinam vicinæ partis ædificii, quam & aliæ ſequutæ ſunt, trahere.

Ut in eas recumbam] Vel, *ut iis innitar*, quaſi, nempe feſſus.

27. *Quin & in ſolario*] גג *gag*, quod detecto plano paſſim dicitur. Sic autem vocari videtur impropriè, hoc in loco, ſummum Theatri tabulatum.

Tria millia virorum & mulierum] Ingens multitudo hæc eſſe videtur, ſed nihil vetat pro multitudine populi amplum fuiſſe Theatrum. Hîc proferunt viri docti exemplum Theatri lignei multò mirabilioris, quod plures continebat ſpectatores & quod uno verſatili cardine ſuſpenſum erat. Sic deſcribitur à *Plinio* Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. c. 15. ubi de C. Curione, qui bello civili in Cæſarianis partibus obiit. *Theatra*, inquit, *duo juxta fecit, ampliſſima è ligno, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento; in quibus utriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito inter ſe averſis, ne invicem obſtreperent ſcenæ; repente circumactis, ut contrà ſtarent, poſtremo jam die diſcedentibus tabulis, & cornibus inter ſe coëuntibus, faciebat Amphitheatrum & gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quiſque in hoc primum? Inventorem, an inventum? Artificem, an auctorem? Auſum aliquem hoc excogitare, an ſuſcipere? Parere, an jubere? Super omnia erit populi furor, ſedere auſi tam infidâ inſtabilique ſede.* His duobus Theatris populum Romanum univerſum ſpectaſſe, & potuiſſe fractis machinis facilè perire poſtea dicit: *Ecce Populus Romanus univerſus, velut duobus navigiis impoſitus, binis cardinibus ſuſtinetur, & ſe ipſum depugnantem ſpectat, periturus momento aliquo luxatis machinis.* Quibus lectis, nemo mirabitur Gazæorum Theatrum.

28. *Ultionem unam ſumam*] Opponit unam ultionem duplici jacturæ; utriuſque, nempe, oculi. Eo tempore, non erat illicitum ultionem ſumere de hoſtibus Iſraëlitarum, cùm populos devovere & devotos fas & jus eſſet ad internecionem delere. Ideóque Deus exaudivit Samſonem, ſimúlque pœnas ſumſit de Philiſthæis, déque ipſo Samſone, qui ad eam miſeriam, in qua erat, non pervenerat, niſi propter amores meretricios.

29. *Amplexus eſt*] ילפת *jilphoth*, de quo vide dicenda ad Ruth. III, 8.

Quibus domus innitebatur] Vide ad v. 26.

30. *Moriar nunc cum Philiſthæis*] *Moriatur anima mea*, hoc eſt, ego moriar. Poterat ſperare Samſon, ſe iiſdem viribus, quibus everſurus erat Theatrum, ruinæ ejus reſtiturum, ita ut illæſus in media ſtrage ſtaret; ſed ſi moriendum eſſet, æquo animo mortem oppetebat, quia moriens de hoſtibus ſuis ultionem ſumebat, eámque multò graviorem Philiſthæis futuram, quàm ipſius mors poterat eſſe Iſraëlitis.

Ii, quos occidit moriens] *Mortui quos occidit cùm moreretur.* Cùm eſſent in ſummo tabulato tria millia, & plures fortè infrà, non mirum plures hîc periiſſe, quàm in præliis Samſonis, ubi ſummùm mille homines occidit. Vide Cap. XV, 16. Multò plures oppreſſi ſunt Fidenis, ruinâ Amphitheatri lignei, cujus meminit *Tacitus* Annal. Lib. VI. cap. 62. cujus hæc ſunt verba notatu digna: *M. Licinio, L. Calpurnio Coſſ. ingentium bellorum cladem æquavit malum improviſum. Ejus initium ſimul & finis exſtitit, nam cœpto apud Fidenas Amphitheatro, Atilius quidam libertini generis, quo ſpectaculum Gladiatorum celebraret, neque fundamenta per ſolidum ſubdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem ſuperſtruxit; ut qui non abundantiâ pecuniæ, nec municipali ambitione, ſed in ſordida mercede id negotium quæſiviſſet. Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio, procul voluptatibus habiti virile ac muliebre ſexus, omnis ætas, ob propinquitatem loci effuſiùs; unde gravior peſtis fuit, confertâ mole, dein convulsâ, dum ruit intus, atque in exteriora effunditur, immenſámque vim mortalium, ſpectaculo intentos, aut qui circum adſtabant præceps trahit, atque operit —— Quinquaginta hominum millia eo caſu debilitata, vel obtrita ſunt.*

31. *Eúm-*

ſe contulerunt fratres ejus & univerſa familia patris, eúmque ſumſerunt, ac reduces ſepelierunt inter Tſoram & Eſthaolem, in ſepulcro Manoachi patris. Is autem judicavit Iſraëlem per viginti annos.

XVII. Micha Sacerdotium & Simulacra domi ſuæ inſtituit.

Caput XVII.

1. Vir fuit è montanis Ephraïmi, cui nomen erat Michæ. 2. Is dixit matri ſuæ: undecies centeni *nummi* argentei, qui ſurrepti tibi fuerant, & *propter quos* exſecrata es, dixiſtique etiam, me audiente, *diras*; argentum, *inquam*, illud penès me eſt, ego illud ſurripueram. Mater verò ei, benefaciat, inquit, fili mi, tibi Jehova. 3. Reddidit tunc ille undecies centenos argenteos matri ſuæ. Mater verò, conſecravi, inquit, argentum hoc Jehovæ è manu mea, filio meo, ad faciendum ſculptile, ac fuſile *ſimulacrum*; quamobrem tibi reddam. 4. Reddidit tamen ille argentum matri, quæ cepit ducentos argenteos, quos dedit fabro, qui fecit ſculptile & conflatile *ſimulacrum*, quæ domi Michæ fuere. 5. Itaque vir ille; Micha, nempe; ædem Dei

31. *Eúmque ſumſerunt*] Qua de cauſa, Gazæi permiſerint à conſanguineis tolli cadaver Samſonis, non ita liquet. Fortè timuerunt, ne, ſi ſepulturam ei negarent, Deus Iſraëlitarum, à quo tantas vires acceperat, ultionem de ſe ſumeret. Itaque quaſi exhorreſcentes ejus cadaver, auferri facilè paſſi ſunt.

Reduces ſepelierunt] *Et adſcenderunt, & ſepelierunt.*

Tſoram] Vide ad Cap. XIII, 2.

Eſthaolem] *Euſebius*, in locis Hebraïcis: Ἐσθαὼλ κλήρου Δάν. ἔνθεν ὡρμᾶτο Σαμψὼν, καὶ εἰς ἔτι νῦν ἐστιν ἀπὸ ί. σημείων Ἐλευθεροπόλεως εἰς Βοῤῥᾶν, ἀπιόντων εἰς Νικόπολιν. *Hieronymo* interprete: *Eſthaul, in tribu Dan, ubi mortuus eſt* (imò, *unde profectus eſt*) *Samſon, quæ uſque hodie oſtenditur, in decimo Eleutheropoleos milliario, contrà Aquilonem pergentibus Nicopolin.* Fuit primùm Judæ, Joſ. XV, 33. deinde Danis Joſ. XIX, 41. Vide *Jac. Bonfrerium* ad verba *Hieronymi*.

In ſepulcro Manoachi patris] In patrio ſepulcro ſepeliri, etiam apud Hebræos, honorificum fuit. Vide Gen. XLVII, 29, 30.

Judicavit Iſraëlem] Jam antea hoc habuimus Cap. XV, 20. ubi vide not.

In Caput XVII.

1. *Vir fuit* &c.] Ex v. 6. ubi tempore, quo Micha vivebat, negatur fuiſſe Rex in Iſraële, dicitúrque quiſque feciſſe quæ recta ſibi videbantur, collegerunt jam olim Judæi ut liquet ex *Joſephi* Lib. V. c. 2. ubi hanc hiſtoriam collocat ante omnia quæ è libro Judicum narrat, hæc contigiſſe in interregno illo, quo mortuo Joſuâ, ejúſque æqualibus, nullus erat Judex in Iſraële. Nec certè ad ullum aliud tempus aptiùs referri poteſt hæc hiſtoria.

Michæ] מִיכָיְהוּ *michajehou*, & per compendium מִיכָה *micha*.

2. *Qui ſurrepti tibi fuerant*] לֻקַּח לָךְ *lukkahh lach.* LXX. Intt. ὡς ἔλαβες *quos ceperas* in Cod. Vaticano, in aliis ληφθέντας σοι, quod poſſit intelligi de ſurreptis ei mulieri ab aliis. Incommodè Vulgatus: *quos ſeparaveras tibi.*

Exſecrata es] וְאַתְּ אָלִית *veath alith.* Nempe, videtur exſecrata eum, à quo nummi illi fuerant ablati, cùm à filio ſublatos neſciret. In Vaticano Codice eſt καί με ὥρκισας, quaſi Interpretes legiſſent אוֹתִי *othi*, non אַתְּ *ath*, abjecto Jod, ut faciunt Maſſorethæ. Sed horum melior lectio videtur, ac ſanè in aliis Codicibus, eſt tantùm ἐξώρκισας, & Latinus vertit, *ſuper quibus, me audiente, juraveras.* Verùm hîc non eſt ſermo de ſimplici jurejurando, verùm de exſecratione in furem prolata.

Dixiſti etiam diras] Supplevimus אלה *diras*, quod videtur neceſſariò ſubaudiendum, alioqui non eſt quò referatur verbum *dixiſti*.

Me audiente] *In auribus meis.*

Argentum, inquam &c.] Territus videtur diris matris furtum confeſſus eſſe.

Benefaciat, fili mi, tibi Jehova] ברוך בני ליהוה *benedictus eſto, fili mi, Jehovæ.* Revocavit diras, quas in furem pronunciaverat, cùm audiit filium ingenuè furtum fateri; ſed tamen illas ſequutus eſt ſuus effectus, cùm pecuniæ illius pravus uſus reum fecerit Micham, & calamitatem etiam ei crearit.

3. *Conſecravi, inquit, argentum hoc*] Fortaſſe voverat eam pecuniam Deo, ſi eam recuperaret. Sin minus; hæc verba eſſent in tempore præſenti vertenda: *Conſecro* &c. Sed prius magis arridet. Diras imprecata erat retinentibus pecuniam, quam, ſi ſibi redderetur, Deo voverat.

Jehovæ] Cùm hoc ſit nomen Dei Iſraëlis, quod nuſquam in tota Scriptura cum falſis Diis communicatur, mihi manifeſtum videtur Matri Michæ in animo non fuiſſe colere alium Deum, præter Creatorem cœli & terræ, quem ſolum ab Hebræis coli fas erat; quæ ſententia eſt etiam viri eruditiſſimi *Joan. Spenceri*, qui copioſè de hoc loco egit, in Opere de Leg. Moſis ritualibus Lib. III. C. III. Diſſ. VII. Sect. 4. quem adeat Lector, quamvis per omnia cum illo non ſentiam.

E manu mea] Hoc eſt, ita ut è manu mea exeat neceſſe eſt, ſive ita ut id ſervare nequeam.

Ad faciendum ſculptile ac fuſile ſimulacrum] פסל ומסכה *pheſel oumaſſecha.* Cum hæc, in tota hac Michæ Hiſtoria, diſtinguantur, ut reverâ ſignificatione differunt; cenſuit hæc mulier duas ſtatuas, alteram lapideam, aut ligneam, alteram è ſolido argento, conficiendas eſſe; ac ſanè hæc ſimulacra vocantur תרפים *theraphim* v. 5. quæ vox, ubi ſermo eſt de cultu religioſo, ſtatuas ſonat, ut oſtendimus ad Gen. XXXI, 19.

Dei habuit, fecitque Ephodum & Theraphimos; quam in rem conſecravit unum filio-
rum, qui fuit ei inſtar Sacerdotis.
6. Temporibus illis, nullus erat Rex in Iſraële, & quiſque quæ ſibi recta videban-
tur faciebat. 7. Fuit autem adoleſcens Bethlechemo, in *tribûs* Judæ *agris* (*nam ea urbs*
pertinet ad familiam Judæ) iſque erat Levita & illic inquilinus fuerat. 8. Profectus
deinde vir ille ex urbe illa, Bethlechemo Judæ, ut commoraretur ubicumque *commo-
dum* inveniſſet, venit in montana Ephraïmi, domum Michæ, ut *illinc* iter *aliò* faceret.
9. At Micha illi, unde venis? inquit. Ille verò, ſum, inquit, Levita Bethlechemo
Judæ; eóque ut ibi commorer, ubi *commodas ſedes* invenero. 10. Tum Micha illi, ma-
ne, inquit, apud me, mihique Patris ac Sacerdotis loco eſto. 11. Tibi verò quotan-
nis dabo decem argenteos, veſtes neceſſarias, & victum. Ivit ergo *ad eum* Levita 12. &
apud virum habitare voluit, fuitque ei adoleſcens inſtar unius filiorum. 13. Tum eum
conſecravit Micha, & fuit ei adoleſcens Sacerdotis loco, ac domi Michæ habita-
vit. 13. Ibi Micha, jam intelligo, inquit, Jehovam mihi benefacturum, cùm ſit
mihi Levita Sacerdos.

XVIII.

19. Scio virum doctiſſimum, quem modò laudavi, exiſtimare hæc ſimulacra reſpondiſſe τοῖς *Urim & Thummim*, quæ ille etiam imagunculas fuiſſe vult; ſed poſteriorem hanc ejus ſententiam confutavi ad Exod. XXVIII, 30. ac proinde prior per ſe concidat neceſſe eſt. Michæ quidem Mater Deum verum colere voluit, ſed ſub duplice imagine, contra Legem Moſaicam, præ ignorantia, aut ſuperſtitione: quemadmodum Jerobohamus poſtea voluit Deum verum, ſub imagine vitulorum, coli. Qualis autem fuerit forma τῶν *Theraphim*, cujus hîc fit mentio, ex hiſtoria ipſa non liquet. Crediderim tamen fuiſſe iis humanam formam.

Tibi reddam] Ut inde ſimulacra fieri cures. Quo pacto, hæc mulier putabat ſe votum Deo ſolvere, argento in ſtatuas Deo ſacras conflato.

4. *Fabro*] לצורף *leſoreth. Conflatori*, nam eſt à צרף *liquefecit.* Sed ejuſmodi artifices *fabros*, generali nomine vocant Latini.

Qui fecit] ויעשהו *& fecit illud*, nempe, pondus ducentorum ſiclorum, aut centum unciarum Romanarum; hoc eſt, id argentum conflavit in ſimulacra. Quid nongentis reliquis ſiclis fecerit apertè in hac hiſtoria non dicitur, ſed credibile eſt in Ephodum, ſeu pallium ſacerdotale, aram, ſacellum, aliáque ad cultum divinum pertinentia, inſumtos fuiſſe.

Quæ domi Michæ] *Et fuit domi* &c. nempe, ſimulacrum tam conflatum, quàm ſculptum; & hoc quidem videtur argento obductum fuiſſe, quandoquidem in eo faciendo fabri argentarii opera uſa eſt.

5. *Ædem Dei*] בית אלהים, quod LXX. οἶκον θεοῦ & Vulg. *ædiculam* Dei rectè verterunt; nam, ut vidimus, útque ſequentia magis ac magis oſtendent, liquet Micham credidiſſe Deo Hebræorum ſe ſacellum illud conſecrare, quamvis Leges Moſaicas manifeſtò perfringeret.

Ephodum] Pallium ſacerdotale, de quo diximus ad Exod. XXV, 7. Sed & nomine *Ephodi* contineri poſſunt reliqua ornamenta ſacerdotalia. Hæc, quamvis imitatio Legis, ejus tamen erant maxima violatio; neque enim privati fuit, imò ne Regis quidem inſtituere novum Sacerdotium, præter Aharonicum.

Theraphimos] Statuas memoratas.

Conſecravit] *Implevit manum unius filiorum.*

6. *Temporibus illis*] *Diebus illis.*

Nullus Rex erat &c.] Quid diſtet Rex à Judice, propriè dicto, ſatis docuit Samuel Sam. Lib. I. C. VIII. Verùm hic confunditur cum Judice, quòd Judices, antequàm Reges eſſent, regio munere partim fungerentur apud Hebræos; quamvis multò minore poteſtate & dignitate. Sic & Cap. IX, 6. Abimelech *Rex* dicitur. Hinc liquet hæc quæ ſequuntur, ut jam diximus, in interregno contigiſſe.

Quæ ſibi recta videbantur] *Rectum in oculis ſuis.*

7. *Bethlechemo*] Habitatione, nempe, nam alioqui Bethlechemum non erat urbs Levitica. Quamvis Levitis datæ eſſent urbes, quas incolerent & hereditario jure poſſiderent, non vetabantur alibi eſſe inquilini, ſi ita res eorum ferrent, aut poſtularent.

Pertinet ad familiam Judæ] ממשפחת יהודה *è familia Judæ.* Hoc additur ad diſtinguendam hanc urbem à Bethlechemo Zabulonitarum, de quo Joſ. XIX, 15.

10. *Patris ac Sacerdotis loco*] אב *pater* nomen eſt honorificum, ut diximus ad Gen. XLIV, 8. Etiam Prophetæ Patres dicebantur 2. Reg. II, 12. Quamvis hîc Levita eſſet, attamen non ſequebatur Sacerdotem eſſe poſſe, cùm Sacerdotium ad ſolam Aharonis familiam pertineret.

11. *Quotannis*] לימים *lejamim*, in dies. Sed ſæpe ימים annum ſignificat.

Veſtes neceſſarias] ערך בגדים *berech begadim.* LXX. in Cod. Vaticano στολὴν ἱματίων, in Alexandrino ζεῦγος ἱματίων, Vulg. *veſtem duplicem.* Sed cùm ערך *berech* ſignificet *ordinem*, crediderim *ordinem veſtium* dici quidquid facit ad plenum & integrum veſtitum, prout ejuſmodi hominem decebat. Poſſis tamen etiam vertere *pretium veſtium*, quia ערך *berech* ſignificat quoque *pretium*, ut Job. XXVIII, 13. 2. Reg. XXIII, 36. Hoc ſenſu polliceretur Micha pecuniam, ad comparandas veſtes.

13. *Eum conſecravit*] *Implevit manum Levitæ.*

Cùm ſit mihi Levita ſacerdos] Prodit hîc Micha ſuam ignorantiam, qui quemvis Levitam ſacerdotem eſſe poſſe putabat. Attamen hinc liquet, cùm favorem Jehovæ ſibi polliceatur, cúmque Legem ejus aliquatenus obſervare vellet, non fuiſſe eum idololatram in objecto, ſed in modo duntaxat cultûs.

XVIII. Danitæ, cùm nondum ſatis agrorum ſortiti eſſent, invadunt Laïſum, & ſimulacra Michæ rapiunt, Levitámque ſecum abductum Sacerdotem ſibi illic conſtituunt.

CAPUT XVIII.

1. TEMPORIBUS illis, Rex nullus erat in Iſraële, & Tribus Danitica quærebat ſibi poſſeſſiones, in quibus habitaret; nondum enim ei obtigerat, inter Tribus Iſraëlis, *ager* in poſſeſſionem *qui ſatis eſſet.* 2. Miſerunt ergo Danitæ quinque tribules ſuos, viros fortes, è finibus ſuis, Tſorâ & Eſthaole, qui explorarent, quæreréntque terram, dixerúntque iis: ite exploratum terram. Venerunt autem illi ad montana Ephraïmi, & domum quidem Michæ, in qua pernoctarunt. 3. Cùm enim eſſent ad eam domum, agnoverunt vocem Levitæ adoleſcentis; quare eò diverterunt, eique, quis te, inquiunt, adduxit huc? quid facis hîc, & quid tibi hîc *eſt negotii?* 4. Sic, inquit, ſe erga me geſſit Micha, méque conduxit & Sacerdos ejus factus ſum. 5. Tum illi, quæſumus, inquiunt, Deum interroga an ſecundum erit iter noſtrum, *eam in rem,* ob quam id ingreſſi ſumus? 6. Illis verò Sacerdos, ite in pace, iter veſtrum, quod ingreſſi eſtis, Jehovæ probatur.

7. Abierunt ergo quinque illi viri, & pervenerunt Laïſum, viderúntque populum, qui illic erat, habitantem ſecurè, more Sidoniorum, quietúmque & *ſibi* fidentem *eſſe.* Nemo erat in illo tractu, qui ulla in re *alios* contumelioſè haberet, jure quippe coërcendi

In CAPUT XVIII.

1. NUllus Rex erat in Iſraële*] Vide ad Capitis ſuperioris v. 6. Eodem temporis intervallo, ac ſuperiora, hæc contigerunt.

Nondum obtigerat ager in poſſeſſionem, qui ſatis eſſet] לא נפלה לו בנחלה, *non ceciderat ei in poſſeſſionem.* Supplevimus, *ager qui ſatis eſſet*, cum nonnullis Interpretibus, quia Tribus Danitica agros accepit cum aliis Tribubus; ut liquet ex Joſuæ Cap. XIX. ſed arctiùs habitabat, hinc inter Judæ & Simeonis poſteros, illinc inter Philiſthæos. Itaque neceſſe fuit ut pars Danitarum quæreret ſibi ſedes alio in loco, nondum aliis Tribubus diviſo. Sunt qui velint, hoc in loco, שבט הדני *ſchebet baddanm* verti oportere *familiam Daniticam*, nec dubium eſt quin שבט *familiam* aliquando ſignificet, ut liquet vel ex hoc libro Cap. XX, 12. Sed v. 19. oſtendit Danitas, de quibus hîc ſermo eſt, auctoritatem à tota Tribu accepiſſe, ita ut de tota Tribu dici queat quod ad eos propriè pertinebat; nec eſt quidquam frequentius, quàm de tota re enunciari, quod parti duntaxat ejus convenit.

2. *Quinque tribules ſuos* &c.] *E familia ſua, quinque viros, è finibus ſuis, viros filios fortitudinis.*

Tſorâ & Eſthaole] Vide ad Cap. XVI, 31.

3. *Cùm enim eſſent ad eam domum*] *Erant illi juxta domum Michæ & illi agnoverunt* &c. Oportet aliunde notum illis fuiſſe adoleſcentem Levitam.

5. *Deum interroga*] Hinc liquet ſimias veri Sacerdotii ſimulaſſe ſe reponſa accepiſſe à Deo, qui, ut credi volebant, ſimulacris aderat; quæ reſponſa comminiſcebantur, quemadmodum facit hîc Levita.

6. *Jehovæ probatur*] נכח יהוה *ante Jehovam.* Vulgatus: *Dominus reſpicit viam veſtram.* Senſum optimè expreſſit, nam quæ ſunt coram nobis ea adſpicimus; eáque, quæ adſpicimus, probare dicimur, nam quæ odimus ab iis oculos avertimus. Eodem ſenſu occurrit לפני *liphne* Job. XIII, 16.

7. *Laïſum*] ליש *Lajiſch.* Vocatur לשם *leſchem,* Joſ. XIX, 47. ubi vide notas.

Habitantem ſecurè] יושבת לבטח *joſchebeth labetahh*, quæ habitat ſecurè. At præceſſit vox עם *ham*, maſculini generis, & ſequuntur participia maſculini generis שקט & בוטח. Itaque, quidquid in contrarium dici queat, delendum eſt in יושבת ת ut ſit maſculini generis, ut poſtulat nomen עם & reliqua participia ejuſdem generis. Idem dixerim de Exod. V, 16. Eſai. XXVI, 20. Jerem. VIII, 5. ubi hæc vox, contra conſtantem uſum jungitur verbo fœminini generis.

More Sidoniorum] Sidonii divites & mari potentes nihil ſibi timebant à reliquis Chananæis; imò ne ab Iſraëlitis quidem, qui numquam eorum agros invaſerunt. Præterea maritimæ mercaturæ dediti bellum cum nemine vicinorum, agri ampliandi causâ, gerebant.

Qui ulla in re alios contumelioſè haberet] אין מכלים דבר *ein machlim dabar.* LXX. in Vaticano Codice habent: οὐκ ἔστι καταισχύνων ἢ διατρέπων λόγον, in Alexandrino, καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι ῥῆμα ἐν τῇ γῇ. Vulg. *nullo ei penitùs reſiſtente.* Sed hæc omnia nimis abeunt ab Hebraïcis, quæ ad verbum ſonant: *nemo pudore afficiens in ulla re*; hoc eſt, neminem illic fuiſſe, qui Laïſenſes contumelioſè habere poſſet.

Jure quippe coërcendi inſtructus] יורש עצר *joreſch hetſer*, *poſſidens coërcitionem*; hoc eſt, qui poteſtatem haberet coërcendi alios. Videntur Laïſenſes coloni fuiſſe Sidoniorum, & æquo jure inter ſe tunc temporis agitaſſe, ita ut legum ac magiſtratuum exigua auctoritas eſſet. LXX. Intt. in Codd. Vaticano & Complutenſi, habent κληρονόμος ἐκπιέζων θησαυροῦ, quæ nihil ad Hebraïca. In aliis codicibus, nihil occurrit quod iis reſpondeat. Latinus interpres habet, *magnarum opum.* Fortaſſe LXX. Intt. legerunt אוצר *otſar*, theſaurus, aut certè crediderunt ſic eſſe legendum; niſi etiam exiſtimarint עצר idem eſſe, quia litteræ ejuſdem Organi, ut loquuntur Grammatici, ſæpe miſcentur. Chaldæus verò hîc planè contrario ſenſu: ירותין זעירין *jerouthin zeherin*, *poſſidentes parva.* Nihil tutiùs quàm ſequi Hebraïca, ut fecimus.

Remoti procul erant à Sidoniis] Jam diximus nobis videri Laïſenſes colonos fuiſſe Sidoniorum,

Digitized by Google

cendi inſtructus. Remoti procul erant à Sidoniis, neque quidquam illis erat cum ullo negotii. 8. Cùm ergo rediiſſent *Danitæ*, ad fratres ſuos, Tſoram & Eſthaolem; tum verò fratres illis, quid vos *nobis renunciatis.* 9. Reſponderunt: agite, expeditionem in eos ſuſcipiamus; ſpeculati ſumus terram, ea verò viſa eſt optima. Quare tacete, nec pigeat vos iter ingredi, ut ejus tractûs poſſeſſionem adeatis. 10. Cum eò veneritis, incidetis in populum ſecurum, tractúſque eſt amplus. Deus eum in manum veſtram dedit, locúſque eſt, cui nihil eorum omnium deeſt, quæ in terris *inveniuntur.*

11. *His auditis*, profecti ſunt illinc è familiis Danitarum, Tſorâ & Eſthaole, ſexcenti viri armis inſtructi. 12. Abierunt ergo & *primùm quidem* caſtra poſuerunt ad Kirjath-jeharimos, in *Tribu* Judæ; quamobrem vocarunt locum illum Caſtra Danis, *dicitúrque ita* etiamnum hodie. Eſt verò ad tergum Kirjath-jeharimorum. 13. Tranſierunt inde in montana Ephraimi, & domum Michæ venerunt. 14. Quinque verò illi viri, qui exploratum iverant tractum Laiſi fratribus, an ſcitis, inquiunt, in ædibus illis eſſe Ephodum, Theraphimos, & ſculptile ac conflatile *ſimulacrum.* Nunc verò videte quid ſitis facturi. 15. Itaque eò deflexerunt, venerúntque domum adoleſcentis Levitæ, in ædes Michæ, rogarúntque eum, an ſatis rectè omnia. 16. Tum ſexcenti armati Danitæ ſteterunt ad fores; 17. dum quinque illi viri, qui terram exploratum iverant, adſcenderunt, ingreſſique illuc ſurripuerunt ſculptile *ſimulacrum*, Ephodum, Theraphimos & *ſtatuam* conflatilem. Sacerdos interea ſtabat ad oſtium, ut & ſexcenti armati. 18. Cùm ergo

rum, eò quòd dicantur, *Sidoniorum more*, ſecuri tractum illum terrarum habitaſſe. Hoc confirmatur hiſce verbis, quæ ideò videntur addi, quòd Laiſenſes facile expelli poſſe ſperarent Danitæ; quia à Sidone Metropoli ſua longiùs aberant, quàm ut ſubitum ab ea auxilium exſpectare poſſent. Alioqui Sidoniorum, potius quàm aliorum populorum, mentio facta non eſſet. Diſtantia tamen uſque adeò magna non fuit, cùm non diſtarent Sidone pluſquàm itinere unius diei; ſed in regione aperta, nec munimentis ullis tecta, ſat magna fuit diſtantia, ut necopinis Sidoniis poſſet invadi. De diſtantia locorum, ita *Joſephus* Lib. V. cap. 2. ubi hanc hiſtoriam narrat: Οἱ δ' οὐ πόῤῥω τοῦ Λιβάνου ὄρους, καὶ ἐλάσσονος Ἰορδάνου τῶν πηγῶν, κατὰ τὸ μέγα πεδίον, Σιδῶνος πόλεως ὁδὸν ἡμέρας μιᾶς ἀπελθόντες, καὶ κατασκεψάμενοι γῆν ἀγαθὴν καὶ πάμφορον, σημαίνουσι τοῖς αὐτῶν: *illi verò non procul à Libano monte, & minoris Jordanis fontibus in magno campo, itinere unius diei à Sidone urbe progreſſi, & ſpeculati terram bonam & fertilem monent ſuos.*

Neque quidquam illis erat &c.] ודבר אין להם עם אדם, *nec res ulla illis cum homine.* Sic habent noſtri Codices, habuerúntque Codices *Hieronymi*, qui ita vertit ſenſum: *atque à cunctis hominibus ſeparatum*; & Chaldæi qui habet: ופתגם לית להון עם אנש, *nec verbum ullum*, aut *res ulla iis cum homine.* At in Codice Alexandrino, Aldino, Complutenſi & Oxonienſi habent LXX. Intt. λόγος οὐκ ἦν αὐτοῖς μετὰ Συρίας, quaſi pro אדם *adam* legiſſent ארם *aram*, quâ voce *Syri* ſignificantur. Verùm in Vaticano Codice eſt λόγον οὐκ ἔχουσι αὐτοῖς ἀνθρώπων, quam lectionem putarim eſſe, ex aliquo recentiore Interprete. Sed lectio noſtra melior eſt, ut quidem videtur; vix enim fieri potuit ut homines ſubjecti Antilibano nullum commercium habuerint cum incolis Syriæ Cavæ, à quibus monte illo erant ſejuncti. Contrà facilè intelligimus hominibus, commerciis deditis & potentiâ Sidoniorum fretis, nihil fuiſſe cum vicinis diſceptationis.

9. *Agite, expeditionem* &c.] *Surge, adſcendamus.*

Ea vero viſa eſt optima] *Et ecce bona valde.*

Quare tacete] *Et vos tacentes*; ne rumor ullus de veſtro conſilio ad illos perveniat.

10. *Incidetis in populum*] *Venietis ad populum.*

Deus eum in manum veſtram] Eſt in Hebraïco Textu: כי נתנם אלהים *quia dedit eum Deus.* Sed particula כי *chi* abundat, neque enim conjungi poteſt, cum proximè antecedentibus verbis, quæ non videntur parentheſi poſſe claudi, aut hinc divelli.

11. *Sexcenti viri*] Præter ſenes, pueros, mulieres, ſervos, qui unà profecti ſunt, ut docemur v. 21.

12. *Ad Kirjath-jeharimos.*] Quæ vicina urbs fuit, ideóque videntur Danitæ primùm in eo loco caſtra poſuiſſe; in quæ fortè convenire juſſi ſunt, quicumque expeditionis ſocii futuri erant. Vide Joſ. XVIII, 14.

Caſtra Danis.] Sic vocabatur & alius locus, tempore Samſonis, ut liquet ex Cap. XIII, verſu ultimo.

14. *Et ſculptile ac conflatile ſimulacrum*] Adduntur hæc, explicationis gratiâ, ita ut Theraphim dicantur eſſe duo ſimulacra, alterum ſculptum, alterum conflatum. Vide Cap. XVII, 5. *Vau* ſæpe antecedit verba, quæ ſubjiciuntur, non ut aliquid novi dicatur, ſed ut ſuperiora meliùs intelligantur. Vide *Chr. Noldium* ad 27. ſignif. hujus particulæ.

Videte quid ſitis facturi] Quaſi dicerent, velitiſne ea auferre, an relinquere hîc, ut ſequentia docent.

15. *An ſatis rectè omnia*] לשלום *de pace.* Senſum reddidimus, cùm verbum non poſſemus. *Hieronymus*; *ſalutarunt eum verbis pacificis.* Sed שאל לשלום non tam eſt *ſalutare pacificè*, quàm rogare de pace, hoc eſt, de incolumitate.

17. *Dum quinque*] *Et adſcenderunt quinque* &c.

Theraphimos & ſtatuam conflatilem] Antea diximus Theraphimos fuiſſe duplicem illam ſtatuam conflatilem & ſculptilem, quæ Cap. XVII, 4. dicuntur factæ à matre Michæ; quòd omnino conſtet Theraphim fuiſſe imagines, nec mo-

ergo illi ingreſſi domum Michæ ſurripuiſſent ſculptile *ſimulacrum*, Ephodum, Theraphimos, & conflatilem *ſtatuam*; tum verò Sacerdos: quid, inquit, facitis? 19. Tace, inquiunt illi, ori manum adpone, venitóque nobiſcum & eris nobis Patris ac Sacerdotis loco. An ſatius eſt te eſſe Sacerdotem domûs unius viri, quàm Tribûs, familiæque in Iſraële? 20. Placuit hoc Sacerdoti, captiſque Ephodo, Theraphimis & ſculptili *ſimulacro*, inter eos profectus eſt. 21. Igitur converſo agmine, abierunt, collocarúntque impuberes, pecudes, & pretioſiſſima *quæque* ante ſe.

22. Jam longè receſſerant à domo Michæ, cùm viri, qui habitabant domos vicinas domui Michæ, convocati & Danitas adſequuti ſunt. 23. Tum vocarunt Danitas, qui, converſo ad Micham vultu, quid tibi eſt, inquiunt, quamobrem convocaſti *vicinos*? 24. Ille verò ſurripuiſtis, inquit, Deum meum quem mihi feceram & Sacerdotem *abducitis*, atque abitis; quid verò mihi ampliùs eſt? Cur ergo mihi dicitis: quid tibi eſt? 25. Tunc Danitæ illi: cave ne vocem tuam audiamus, ne irruant in vos viri acerbiores,

&

moratis duabus imaginibus, opus eſſet alias fingere. Profectò Theraphimi erant etiam aut פסל *pheſel*, aut מסכה *maſſechah*, hoc eſt, ſculptiles, aut conflatiles. Attamen hîc diſtingui videntur, nam ſeorſim nominantur Theraphimi, & veluti quatuor recenſentur, *ſculptilis ſtatua*, *Ephodum*, *Theraphimi*, & *conflatilis ſtatua*. Sententiam nihilo minùs non muto, ſed putarim minùs accuratam eſſe rationem loquendi, quâ idem repetitur diverſis verbis, quæ Linguæ Hebraicæ infrequens non eſt. Scio *Spencerum* exiſtimare hîc *Theraphim* fuiſſe minores imagines, quæ pectorali Sacerdotis infererentur & reſponſa dare crederentur; ſed hanc ejus opinionem, quæ eo nititur quòd *Urim* & *Thummim* eſſent ejuſmodi ſtatuæ, alibi rejecimus.

19. *Patris ac Sacerdotis loco*] Vide ad Cap. XVII, 10.

20. *Placuit hoc Sacerdoti*] *Et bonum fuit cor Sacerdotis*; hoc eſt, lætatus eſt, libentérque conditionem accepit.

Ephodo, *Theraphimis & ſculptili*] Vel hinc conſtat non eſſe nimis ad vivum reſecandas narrationes Hebræorum, quaſi nihil proferrent, niſi neceſſarium, nihil omitterent, niſi ſupervacaneum. Cur enim in ſuperioribus bis memoratur *ſculptile* & *conflatile*, hîc verò omittitur conflatile? Scilicet, Hebræi verba non numerant, ſatiſque habent intelligi quod dicunt.

Inter eos] *In medio populi.*

21. *Igitur converſo agmine*] *Et verterunt ſe, & iverunt.*

Impuberes] הטף *hattaph*. Vide not. ad Gen. XXXIV, 29. Hîc omiſſæ ſunt mulieres, & ſenes, præter ſervos & ancillas; ſed quæ intelligi ex re ipſa debent.

Ante ſe] Ut clauderent agmen, ne fortè Micha iratus, cum ſuis irrumpens, aliquid auferret.

22. *Jam longè* &c.] *Illi longè* —— *& viri convocati ſunt, & adſequuti.*

23. *Quamobrem convocaſti vicinos*] כי נזעקת chi nizhaktha, *convocatus es*; hoc eſt, conveniſti cum vicinis convocatis. Sic verſu antecedente נזעקו, *convocati ſunt*, perinde eſt ac convenerunt, ut alibi paſſim. At LXX. Intt. ἐβόησαν, Hieronymus *conclamantes*, & in hoc verſu ὅτι ἐβόησας. & Latinus, *cur clamas*? Verùm hoc verbum, in Niphal, ſignificat non *clamare*, ſed *clamoribus vocari*. Fingunt Danitæ, ſe non intelligere, cur cum vicinis collectis venerit.

24. *Deum meum*] אלהי *elohai*, quod poteſt æquè verti *Dii mihi* & *Deus meus*. LXX. habent hîc τὸ γλυπτόν *ſculptile*; credo, ne homo Iſraëlita, qui ſe Jehovam colere jactabat, loqui inſtar Ethnicorum videretur. Vulg. *Deos meos*. Chaldæus: דחלתי *timorem meum*, hoc eſt, id quod cum timore colo. Malui Deum meum, tametſi enim plures ſtatuæ erant, unius tamen ejúſdemque Dei Jehovæ imagines eſſe cenſebat Micha. Vide not. ad Exod. XXXII, 4, 5. Oſtendimus etiam multis exemplis *Deos* dici *ſtatuas* ab Ethnicis, Criticæ P. 2. S. 1. C. XV, 10, 11. Adde tamen, ſi libet, & hæc verba Pollucis Onomaſt. Lib. I. C. I. §. 12. Τοὺς ἢ ἐπὶ τοῖς ἀγάλμασι χειρουργικοὺς, οὐκ ἀγαλματοποιοὺς μόνον, ἀλλ' ἀγαλματουργοὺς, ἀλλὰ καὶ θεοποιοὺς, καὶ θεοπλάστας, ὡς Ἀριστοφάνης. ὥσπερ τὴν τέχνην ἀγαλματοποιΐαν καὶ ἀγαλματουργίαν καὶ ἀγαλματοποιητικὴν, καὶ θεοποιητικήν. Statuarius igitur vocabatur θεοποιός, árſque ejus θεοποιητική, ut dicit hîc Micha ablatum eſſe *Deum*, *quem ſibi fecerat*. Quæ ſunt pudendæ loquutiones, & quas ex ore hominis Hebræi prodire nefas erat. Sed quid faceres? Rudis populus fuit, qui fermè ſe nihil colere putabat, niſi videret quod colebat, aut certè ejus imaginem. Itaque ſe *ſine Deo* eſſe putabat Micha, quia ejus ſtatuas à ſe factas amiſerat.

25. *Cave ne vocem tuam audiamus*] אל תשמע קולך עמנו, *ne fac audire vocem tuam nobiſcum*, vel *apud nos*.

Viri acerbiores] *Viri amari animâ*. Quâ loquutione videntur hîc ſignificari homines iracundæ & acerbæ indolis, ac facilè irritabiles. Alibi verò eos qui re ipſâ indignantur deſignat, ut 1. Sam. XXX, 6.

Vitam tuam &c.] *Colliges animam tuam & animam familiæ tuæ*. Sed apud Hebræos *animam colligere*, aut *colligi* dicitur, qui moritur, quia fructus qui colliguntur in uſus quotidianos abſumuntur. Vide Pſ. XXVI, 9. Num. XII, 15.

26. *Perrexerunt* &c.] *Et iverunt filii Dan in viam ſuam.*

Converſo agmine] *Et convertit ſe & rediit domum ſuam.*

27. *Eúmque gladio ceciderunt*] *Percuſſerunt eos ore gladii.*

28. *Quia remotu erat Sidone*] Vide not. ad v. 7.

Nec quidquam erat oppidanis] *Illis.*

Cum aliis hominibus] Hoc eſt, cum ullo, ut ad eumdem locum vidimus. Heb. עם אדם, quod hîc verterunt LXX. Intt. in Codice Vaticano μετ' ἀνθρώπου, in aliis μετ' ἀνθρώπων. Sed hinc videre eſt quàm ſit interpolata ea verſio, neque enim unus idémque Interpres eamdem

lo-

& vitam tuam, familiæque tuæ amittas. 26. Deinde perrexerunt ire Danitæ, quò contendebant; cúmque videret Micha eos eſſe validiores ſe, converſo agmine, domum rediit.

27. Illi verò abreptis *ſimulacris*, quæ fecerat Micha, *abductóque* Sacerdote, pervenerunt Laïſum ad populum quietum ac ſecurum, eúmque gladio ceciderunt, & urbem ſuccenderunt. 28. Nemo eam liberavit, quia remota erat Sidone, nec quidquam erat oppidanis, cum *aliis* hominibus, *negotii*. Erat in valle Beth-rechobenſi. Tum condiderunt Danitæ *aliam* urbem, quam incoluerunt. 29. Nomen ei impoſuerunt Dani, de nomine Danis progenitoris ſui, qui erat filius Iſraëlis; verùm antea nomen urbis fuerat Laïſum. 30. Illic ſibi collocarunt Danitæ ſculptile *ſimulacrum*, & Jehonathan quidem filius Gerſomi, Manaſſæ filii, ejúſque poſteri fuerunt Sacerdotes Tribus Danis, ad tempus quo *incolæ* tractûs illius migrarunt. 31. Collocaverunt ſibi illic ſculptile *ſimulacrum* Michæ, quod ille fecerat, *fuitque illic tamdiu*, quamdiu domus Dei Silunte.

XIX.

loquutionem, in uno Capite, aliter atque aliter legiſſe videtur, & antea quidem אדם hic verò ארם; verùm alterum locum ex altero emendaſſet.

Beth-rechobenſi] Conſtat *Rechobum* urbem fuiſſe, in limitibus ſeptemtrionalibus, Num. XIII, 22. Conceſſa fuit tribui Aſeriticæ, quæ tamen ejus poſſeſſionem non adiit. Vide Joſ. XIX, 28. & ſup. I, 31. Fuit in hujus urbis vicinia Laiſum, & quidem in valle Antilibano ſubjecta ſitum, quæ vallis nomen à *Beth-rechob*, quod idem ac *Rechob*, trahebat.

29. *Progenitoris ſui*] *Patris eorum, qui natus erat Iſraëli.*

Verùm antea nomen urbis fuerat] Vide not. ad Geneſ. XIV, 14.

30. *Sculptile ſimulacrum*] Hæc generalis eſt deſcriptio Idololatriæ Danitarum, ejúſque durationis, cujus initium diſtinctiùs verſu ſequente traditur.

Jehonathan &c.] Nullam rationem habuerunt inſtitutorum Moſaicorum, quæ Sacerdotium uni familiæ Aharonis contulerant, numquam ad aliam transferendum. Hinc apparet quàm parum obſervata fuerit lex Moſaica, ſi præſertim attendas tempus, quo hæc violatio duravit. Exiſtimant vulgò Intt. hunc *Jonathanem* fuiſſe Levitam, qui Michæ Sacerdos fuerat; nec quiſquam poſſet ea de re dubitare, ſi conſtaret Danitas promiſſorum obſervantes fuiſſe; ſed quis eorum fidem præſtare velit, quam ne Deo quidem ſervarunt?

Manaſſæ] בן מנשה *ben Mnaſche*, ſed נ in poſteriore voce ſuſpenſum eſt, quod Rabbini ideò volunt factum, quòd hic ſit legendum משה *Moſcheh*, ita ut intelligatur filius Gerſomi, & nepos Moſis; quam ſententiam ſequutus eſt *Hieronymus*, qui habet *filii Moyſi*. Sed ſuſpenſiones, ejuſdémque generis aliæ mutationes litterarum Librariorum potiùs ſunt oſcitantiæ, quam conſecrarunt temerè Maſſorethæ. At LXX. Intt. habent Μανασσῆ. nec quidquam vetat Manaſſen hunc fuiſſe Levitam, ut & Gerſomum, ſed non Moſis filium. Poſſit etiam fieri ut reverà ad Tribum Manaſſæ pertinuerit, neque enim prorſus neceſſe eſt hunc eſſe Levitam Michæ.

Ad tempus quo incolæ &c.] *Ad diem migrationis terræ.* עד יום גלות הארץ *had jom gelouth haharets.* Ambigua eſt poſtrema vox *terra* הארץ quæ promiſcuè ſignat aut certum aliquem tractum, cúmque minorem, qualis fuit tractus, quem occuparunt Danitæ, circa fontes Jordanis; aut totam terram promiſſam, quam incolebant Iſraëlitæ. Alios etiam ſignificatus habet, ſed qui huc nihil faciunt, quos bono ordine digeſtos dabit *Val. Schindlerus*. Iterum ambigua eſt vox גלות *gelouth*, captivitas, quia non unius captivitatis mentio fit in Scriptura, quâ abducti ſint tractûs ſeptemtrionalis incolæ; de ejuſmodi enim captivitate hîc ſermo eſt, quâ Danitæ, qui hæc loca habitabant, ſedes antiquas relinquere coacti ſunt, aliorum enim captivitas ad eos nihil adtineret. Ambiguitas igitur vocis *terra* diſcutietur, explicatione vocis *captivitas*.

Duplicis autem captivitatis, quâ Danitæ Jordanis accolæ ſolum mutare coacti fuerint, aut certè cogi potuerint, mentio fit in Scriptura. Prior eſt migratio facta juſſu Thiglathphileſeri qui Nephthalitidem, Galahaditidem & Galilæam invaſit, earúmque regionum incolas captivos in Aſſyriam abduxit 2. Reg. XV, 29. Cùm vicini omnes abducerentur, non eſt credibile Danitas migrationis immunes fuiſſe. Quòd ſi evaſerint eo tempore, non evaſerunt captivitatem Salmaneſeri, quæ aliquantò pòſt contigit & decem Iſraeliticas Tribus complexa eſt. Vide 2. Reg. XVII, 6. & ſeqq. Alterutram harum captivitatum ſpectari neceſſe eſt, nulla enim alia captivitas Danitis Jordanis minoris accolis contigit, ut ſatis liquet ex Hiſtoriæ Sacræ ſilentio. Nec quidquam huic ſententiæ, quod ſit alicujus ponderis, objici video.

Aiunt quidem credibile non eſſe Samuelem, Davidem, ac Salomonem, initio regni, ſimulacra Danitarum non ſuſtuliſſe; nam poſtea ſub Salomone Idololatra, & Regibus Iſraëlis coli ea potuiſſe nemo negat. Sed non mirum eſſet, ſi in ultimo ſeptemtrionis angulo neglecta fuiſſet urbis unius, non magni momenti, idololatria, quæ fortè tum obſcurior fuit.

Quod ſi quis objiciat ſequentia verba, mox videbimus ea, ex hac ſententia, facilè poſſe explicari; ſi priùs monuerimus ex ea ſequi Librum hunc poſt migrationem ſaltem Thiglathphileſeri juſſu factam ſcriptum eſſe. Quod cur negetur hactenus intelligere non potui, cùm nullum argumentum proferatur, ex quo liqueat hunc Librum citiùs ſcriptum fuiſſe, aut à Scriptore Samueli æquali. De qua re agemus ſeorſim in Diſſert. de Auctoribus librorum Hiſtoricorum.

31. *Sculptile ſimulacrum Michæ*] Hoc fuit Idololatriæ initium, aut primum ſimulacrum, quod illic ab Iſraëlitis cultum eſt.

Quamdiu domus Dei Silunte] Hoc eſt, illud ipſum Michæ ſimulacrum, quod ei rapuerant Danitæ, tamdiu fuiſſe Dane, quamdiu Taber-

XIX. Levita, ob pellicem à Gibenſibus conſtupratam & mortuam, omnes Iſraëlitas ad bellum eis inferendum concitat.

CAPUT XIX.

1. ISDEM illis temporibus, quibus nullus erat Rex in Iſraële, vir fuit Levita, qui commorabatur in lateribus montanorum Ephraimi, duxerátque ſibi pellicem Bethlechemo Judæ. 2. Ea verò ejus pellex, apud eum ſcortata, ab eo diſceſſit domum patris ſui Bethlechemum Judæ, & per quatuor menſes ibi manſit. 3. Tum vir ejus ſurrexit, eámque ſequutus eſt, ut ea diceret quæ mulieri eſſent cordi, quò eam reduceret. Secum habebat puerum & par aſinorum. Mulier eum intromiſit domum patris ſui, viditque hominem pater puellæ, & ſibi occurriſſe lætatus eſt. 4. Exceptus eſt ergo à ſocero, puellæ patre, manſitque cum eo, per triduum; comederunt, biberunt, atque illic pernoctarunt. 5. Quarto verò die, mane excitati ſunt & *Levita quidem* ſurrexit ad abeundum. Tum pater puellæ genero, firma, inquit, animum tuum fruſto panis, ac poſtea abibitis. 6. Sederunt itaque & comederunt ambo ſimul, ac biberunt, dixitque pater puellæ homini; adſentire *mihi*, quæſo, *hîc* pernocta, animúmque tuum exhilara. 7. Cúmque ſurrexiſſet ad abeundum, coëgit eum ſocer, remansitque *ille* & illic pernoctavit. 8. Die verò quinto, cùm mane ſurrexiſſet ad diſcedendum, dixit pater puellæ: firma, quæſo, priùs animum tuum; moratique ſunt, donec inclinaretur dies, dum ambo comederent. 9. Tum ſurrexit vir ille, ad abeundum, ipſe, pelléxque ejus & ſervus. Ibi ſocer ejus, pater puellæ; ecce nunc, inquit, dies inclinat ad veſperam, pernoctate, quæſo, *hîc*, en hodiernum *veſtrum* diverſorium; pernoctato, *tu gener*, hîc, exhilara animum tuum, cras verò mane ſurgetis, ut viam ingrediamini, ac domum veſtram eatis.

10. Sed

naculum fuit Silunte, hoc eſt, ad tempora uſque Saulis, quo vivente Tentorium fuit in urbe Noba, ut liquet ex 1. Sam. XXI. unde tranſlatum deinde eſt Gabahonem, ubi fuit initio regni Salomonis, ut docemur 1. Reg. III, 3, 4. ſimulacrum autem illud ab eo tempore non fuit ampliùs Dane; ſed non ſequitur propterea exſtinctam illic Idololatriam fuiſſe, cùm aliud ſignum ejus loco ſubſtitui potuerit, quod, ut diximus, uſque ad captivitatem durarit. Igitur hæc verba: *quamdiu Domus Dei Silunte*, non ſignificant idem temporis intervallum, quod deſcribitur his verbis: *uſque ad tempus, quo incolæ tractûs illius migrarunt*, neque enim in captivitatem abierunt Danitæ eo tempore, quo Tabernaculum Silunte eſſe deſiit.

Scio *Davidem Kimchium*, & Chriſtianos Interpretes quoſdam doctiſſimos in contraria eſſe ſententia, & velle ſignificari tempus quo Arca, Silunte educta, capta eſt à Philiſthæis & in Captivitatem abducta in terram Philiſthæam; nam hoc *captivitas* dicitur Pſ. LXXVIII, 60, 61. Sed ſi captiva abducta fuit Arca, non legimus captivos fuiſſe ullos Danitarum, accolarum Jordanis, qui nimium erant à Philiſthæis remoti. Imò *captivitatem terræ* Iſraëliticæ, cujus incolæ ſint aliò tranſlati, à Philiſthæis, nulla memoratur; nec eo nomine vocari queat pauculorum fortè Iſraëlitarum, in prælio captorum, abductio, uti nec Arcæ captæ in hoſticum tranſlatio.

In CAPUT XIX.

1. *Iſdem illis temporibus* &c.] *Et fuit diebus illis & Rex nullus in Iſraël.* Vide not. ad Cap. XVII, 6. Contigiſſe hæc liquet non ita diu poſt mortem Joſuæ, ex eo quòd, cum contigerunt, etiamnum in vivis erat Phinchaſus, Elehazaris filius, ut docemur Cap. XX, 28.

In lateribus montanorum] *In lateribus montis Ephraim*; ſed non unus *mons* in Ephraïmo fuit.

Pellicem] Aut concubinam, quod eo tempore genus fuit uxoris, cum qua erat duntaxat ſocietas lecti; ſed è qua non naſcebantur legitimi liberi, & qui poſſent ſuccedere in bona patris, niſi adoptarentur. Quid doceant hac de re Rabbini vide apud *Joan. Seldenum* de J. N. & G. Lib. IV. c. 7. Iis de ſuis temporibus, moribúſque loquentibus, credendum puto, ſed nequaquam de antiquioribus agentibus; quæ non aliter norant, quàm ex Libris Scripturæ, ex qua una hauriri, probarique debent quæcumque de priſcis Hebræis proferuntur.

2. *Apud eum ſcortata*] ותזנה עליו *vattbizneh balau*; quod alii vertunt, *ſcortata eſt contra illum*; hoc eſt, contra fidem ei datam. At LXX. Intt. habent in Vaticano Codice, ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ, aut ὠργίσθη ἀπ' αὐτοῦ, ut eſt in Alexandrino. Vulgatus ſimiliter *reliquit eum.* Chaldæus in eumdem ſenſum בסרות עלוהי *bſarath balohi*, contemſit eum. Sed cùm verbum זנה *zanah* conſtanter ſignificet *fornicari*, non video cur hoc in loco mutari eam ſignificationem oporteat. Sunt qui velint, cum *R. Levi, Gerſoni filio*, Levitæ non licuiſſe ſervare pellicem adulteram, aut ideò fugitivam repetere; at nullam video Legem de Levitis ſimilem proferri, nec intelligo cur viro non licuerit ejuſmodi flagitium uxori condonare. Hujus verò mulieris flagitium ſitum non fuit in deſertione viri, ſed in adulterio; cujus causâ, quòd viri juſtam iram metueret, ad patrem aufugerat.

Per quatuor menſes] *Per dies quatuor menſium.*

3. *Quæ mulieri eſſent cordi*] *Ad cor ejus mulieris*, hoc eſt, quæ ei placerent. Vide Geneſ. XXXIV, 3.

Sibi occurriſſe lætatus eſt] *Lætatus eſt ad ejus occurſum.*

4. *Exceptus eſt à ſocero*] *Comprehendit eum ſocer*; nempe, manu in ædes ſuas introduxit.

5. *Fir-*

10. Sed noluit vir ille *ampliùs* illic pernoctare, ſurrexitque & profectus eſt Pervene-
rat è regione Jebuſi (quæ Jeruſalem) unà cum pari aſinorum ſtratorum & pellice,
11. diéſque, quando erant ad Jebuſum, valde inclinarat, cùm puer hero ſuo, age, in-
quit, divertamus ad hanc Jebuſæorum urbem, atque in ea pernoctemus. 12. At ei he-
rus, non divertemus, inquit, ad urbem alienigenarum, quæ non eſt ex Iſraëli-
ticis; Gibham uſque tranſeamus. 13. Ito ergo, inquit, puero, accedemus ad ali-
quem locum, & pernoctabimus aut Gibhæ, aut Ramæ. 14. Tranſierunt igitur &
abierunt, ſólque illis occidit, cùm eſſent propinqui Gibhæ Benjaminis. 15. Itaque
eò diverterunt, ut *urbem* ingrederentur & pernoctarent Gibbæ. Intravit ergo *Levi-*
ta & conſtitit in platea urbis, nec quiſquam eum excipiebat domo ſuâ, ad pernoc-
tandum.

16. Ecce autem vir ſenex venit ab opere ſuo, ex agris; qui vir erat ex montanis
Ephraïmi, & commorabatur Gibhæ. Oppidani verò erant Benjaminitæ. 17 Tum
proſpiciens vidit virum ambulantem, per plateam urbis; cui ſenex, quónam is, inquit,
& unde venis. 18. Tranſimus, inquit ille, Bethlechemo Judæ ad latera montanorum
Ephraïmi. Illinc ego *ſum*, iverámque Bethlechemum Judæ, nunc verò me confero ad
Ædem Jehovæ; nec quiſquam eſt, qui me domo ſuâ excipiat. 19. Habemus *tamen*
paleam & fœnum aſinis noſtris, ſúntque etiam panis & vinum mihi & ancillæ tuæ, pue-
róque qui eſt cum ſervis tuis; nec quidquam nobis deeſt. 20. Tum ſenex, pax tibi *ſit*,
inquit, quidquid tibi deeſt in me *ſupplendum ſuſcipio*, dumtaxat ne pernocta in platea.
21. Igitur eum domum ſuam intromiſit, pabulum aſinis ſuppeditavit, laverúntque pedes
ſuos *hoſpites*, comederunt & biberunt.

22. Cùm

5. *Firma animum*] *Fulci cor*; hoc eſt, ne ti-bi deficiant vires, aut deliquium jejunio nimis longo patiaris, aliquantulum jentato.

6. *Adſentire*] הואל *hoel*, hoc eſt, *velis*. LXX. Ἄγε δή. Omiſit Vulgatus, quod non adſequeretur.

9. *Dies inclinat ad veſperam*] רפה היום לערב *rapha hajjom labarob*. LXX. in Alexandrino Cod. εἰς ἑσπέραν κέκλικεν ἡμέρα, in Vaticano, ἠσθένησεν ἡμέρα, quod reſpondet propriæ ſignificationi verbi רפה *rapha*. Ac ſanè debilior eſt lux, cùm inclinat ad veſperam.

En hodiernum veſtrum] הנה חנות היום *hinnab bhanoth hajjom*, *ecce caſtra metari hodie*; hoc eſt, hoc hodie ſit diverſorium in quo moremini. Infinitivus verbi חנה ſumitur hîc pro nomine חָנוּת, quod apud Chaldæos eſt diverſorium. Sæpe Infinitivus vicem nominis obtinet. Vide 1. Reg. VIII, 52. 2. Reg. XIX, 27.

Domum veſtram] *In tabernaculum tuum.* Ethnicus ſcriptor dixiſſet hîc aliquid ominoſum fuiſſe, quòd filia vix ac ne vix quidem à patre dimitteretur. Sed amicitiæ patris hæc omnia tribuenda, ejuſmodique morarum, quas nulla calamitas ſequuta eſt, multa exempla colligi potuiſſent. Fortè etiam filiam ſuam non pretinus reddebat genero, quòd timeret ne, diſſimulatâ irâ, eam ad ſupplicium repeteret, atque interpoſitis moris viri animum penitus explorare vellet.

10. *Jebuſi*] Vide not. ad Joſ. XV, 8.

11. *Diéſque, quando* &c.] *Illi ad Jebus & dies deſcenderat valde.*

Cùm puer hero ſuo] *Et dixit puer ad dominos ſuos* אדניו. Sed paſſim etiam אדנים *adonim* ſumitur pro *uno domino*. Vid. ad Geneſ. XXXIX, 2.

Jebuſæorum urbem] Quia iis temporibus & diu etiam poſtea, Jebuſæi hujus urbis arcem tenuerunt, oppidúmque unà cum Benjaminitis habitarunt. Vide Cap. I, 21.

12. *Ex Iſraëliticis*] *Ex filiis Iſraël.*

Gibham] גבעה, quam *Gabaam* vocant veteres Interpretes, urbs eſt Benjaminiticæ Tribûs, ad ſeptemtriones Jeroſolimæ. *Joſephus* Lib. V. cap. 2. Gabaam viginti ſtadiis à Jeroſolima removet.

13. *Ramæ*] Quæ Gabaæ vicina fuit.

15. *Conſtitit in platea urbis*] Deerant, nempe, tunc temporis, diverſoria publica, qua de re diximus ad Geneſ. C. XIX, 2. Quamobrem qui hoſpitem neminem in urbe habebat, eum oportebat in platea pernoctare, niſi ſi quis ultro eum domum ſuam invitaret; ut ſolebat fieri in urbibus, quarum incolæ non omnino inhumani erant. Laudi dabatur hominibus ignotis & hoſpitii indigentibus ædes peregrinis patefacere. Vide Job. XXXI, 32.

16. *Commorabatur Gibbæ*] גר בגבעה *gar bgibhah*, hoc eſt, illic inquilinus erat, relictâque patriâ habitabat. Urbs Gibha Sacerdotalis fuit, ut liquet ex Joſ. XXI, 17. Sed cùm pauci eſſent etiamnum Sacerdotes, non poterant incolere omnes urbes ſibi conceſſas. An verò earum ædificia & ſolum, agrúmque ſuburbanum ab iis conduxerint alii Iſraelitæ, qui eas incolebant, non liquet ex Scriptura; nec ſcio an umquam hæ leges accuratè obſervatæ fuerint. Vix crediderim; cùm populus Hebræus ne leges quidem, quas morales vocamus, umquam obſervarit.

Oppidani] *Homines loci.*

17. *Tum proſpiciens*] *Et ſuſtulit oculos ſuos.*

18. *Ad Ædem Jehovæ*] Siluntem, ubi erat Tabernaculum. Vide infra v. 18. & 27.

19. *Habemus tamen* &c.] Ut oſtenderet ſe nemini oneri futurum, cùm haberet viaticum, nec ullâ re indigeret; niſi tecto, ne ſub dio pernoctaret.

20. *Pax tibi ſit*] Salutat, optátque incolumitatem.

In me ſupplendum ſuſcipio] עלי halai, *ſuper me*; hoc eſt, onus tibi neceſſaria ſuppeditandi libens ſuſcipio.

22. *Ut*

22. Cùm verò illi animum ſuum exhilararent, ecce oppidanos, viros nequam, qui circumibant domum & pulſabant oſtium. Dixerunt deinde domino ædium ſeni: edueito virum, qui domum tuam ingreſſus eſt, ut eum cognoſcamus. 23. Tum egreſſus eſt ad eos vir ille ædium dominus, iiſque, ne viro, inquit, poſtquàm ingreſſus eſt domum meam, malefaciatis; ne flagitium hoc admittatis. 24. En filiam meam virginem, ejúſque concubinam; quas, quæſo, ad vos educam, ut eas comprimatis, faciatiſque iis quod videbitur. Sed in virum hunc, ne quid hujuſmodi flagitii facite. 25. Verùm ei auſcultare homines noluerunt. Arreptam tamen pellicem ad eos eduxit, quam cognoverunt & illuſerunt, per totam noctem, ad matutinum tempus; *nec* eam dimiſerunt, *niſi* cùm exoriretur aurora. 26. Venit ergo mulier, cùm inſtaret tempus matutinum, conciditque ad fores viri, apud quem ejus dominus erat, ubi ad lucem uſque *jacuit*. 27. Cùm verò ſurrexiſſet dominus ejus mane, aperuiſſétque fores domûs, ut egrederetur, iterque ſuum facere pergeret, en pellicem ejus jacentem, ad oſtium domûs, ejuſque manum limini impoſitam. 28. Tum illi ſurge, inquit, & abeamus; ſed cùm non reſponderet, impoſuit eam aſino & in locum ſuum abiït.

29. Cùm verò domum ſuam perveniſſet, arrepto cultro & pellicis *cadavere*, id diſſecuit, unà cum oſſibus, in duodecim fruſta, eáque per omnes Iſraëlis fines miſit. 30. Quiſquis ea vidit dixit: nihil ejuſmodi fuit, aut conſpectum eſt, à tempore quo Iſraëlitæ egreſſi ſunt ex Ægypto, uſque ad hodiernum diem. Itaque rem conſiderate, conſilium inite & *quid videatur* eloquimini.

XX.

22. *Ut eum cognoſcamus*] ונדעהו *venedahennou*, & cognoſcemus eum. Poſſent quidem ejuſmodi verba ab aliis & alio tempore prolata ſenſu non malo intelligi; ſed ſtatim ſenex Ephraimita, qui homines norat & tempus, quo hæc dicebantur, perpendebat, intellexit libidine Sodomiticâ exarſiſſe nefarios juvenes. Vide Geneſ. XIX, 5.

Hinc licet intelligere quàm parum profeciſſent Iſraëlitæ, ſub diſciplina Moſis & Joſuæ, & quàm Idololatrarum inſtitutis fuerint addicti; cùm hæc talia facinora perpetrare auderent, quibus plures ſimul ſanctiſſimæ leges violabantur; cúmque ab aliis caſtigati, bellum ſibi inferri mallent, quàm reos dedere, aut alioqui læſo, ac populo Hebræo meritò indignanti ſatisfacere.

24. *En filiam meam* &c.] Vide ad Geneſ. XIX, 8.

25. *Arreptam tamen pellicem*] Noluerunt quidem nefarii juvenes filiam ejus accipere, ſed perſeverarunt petere ut Levita exiret; mortémque ei minitabantur, ni faceret, ut videmur colligere poſſe ex Cap. XX, 5. Attamen ut videret ſenex an poſſet hoſpitem ſuum ſervare, expoſitâ eorum libidini hominis concubinâ, eam domo eduxit; réſque ei bene ceſſit, ſi tanti erat vita Levitæ, ut eo modo redimi deberet. *Joſephus* totam hanc hiſtoriam, ne infamaret gentem ſuam, corrupit; ait enim Gabaënos popoſciſſe dumtaxat uxorem Levitæ, cujus formâ capti fuerant, eámque tandem rapuiſſe, abductæque in aliam domum ita illuſiſſe, ut dolore & pudore mortua ſit. Ant. Jud. Lib. V. cap. 2. Miror hominem veritum non eſſe, ne Ethnici in Libros Sacros Græcè verſos inciderent, fraudéſque ejus intelligerent.

26. *Ejus dominus*] אדניה *domini ejus*. Vide ad v. 11. Hoc eſt, vir, nam eo ævo mulieres viros ſuos *dominos* vocare ſolebant. Vide 1. Pet. III, 5.

27. *Ut egrederetur*] Fortaſſe credebat juvenes Gabaënos rapuiſſe ſibi concubinam, eámque ſervaturos.

28. *Surge, inquit* &c.] Mirum eſt molliùs non eſſe alloquutum infelicem mulierculam. Ideò *Joſephus*, qui humanior erat, ad ævi ſui mores Levitam refingit: ἀνεγείρειν, inquit, ἐπειρᾶτο παραμυθούμενος διηγωνὼς, ὡς οὐκ ἐξ ἑκουσίου γνώμης αὐτὴν παρέχοι τοῖς ὑβρίσασιν, ἀλλὰ ἁρπασθεῖσαν ἐπὶ τὴν ξενίαν αὐτῶν: *excitare conabatur, conſolaturus quòd non ſe ſponte contumelioſis hominibus præbuiſſet, ſed cùm illi eam in alienas ædes rapuiſſent.*

29. *Arrepto cultro & pellicis cadavere*] *Et accepit cultrum & adprehendit pellicem ſuam.* Potuiſſet Levita, apud Magiſtratus Gabaënos, queri de inſigni contumelia, & inhumana libidine juvenum ejus oppidi; ſed videtur monitus ab hoſpite irritas futuras ejuſmodi querelas, fortè quòd potiſſimarum familiarum juvenes flagitii participes fuiſſent. Certè niſi primariæ familiæ juvenes pœnas dare oportuiſſet, non eſt credibile totam urbem & Tribum bellum potiùs elegiſſe, quàm paucorum ſupplicium. Itaque cùm necdum ullus Judex eſſet qui toti Tribui, aut omnibus Tribubus jus diceret, ad cujus tribunal vocari poſſent rei, coactus eſt Levita ad proceres omnium Tribuum confugere; quos ut permoveret, ſimúlque totum concitaret Iſraëlem, horrore ſpectaculi, membratim conſcidit cadaver pellicis, & ad unamquamque Tribum membrum, ſine dubio ſale conditum, aut contra putrefactionem alio modo paratum, miſit. Simul iis qui ferebant mandata dedit de re, prout contigerat, exponenda, ut oratione & conſpectu artûs infelicis mulierculæ moverentur; pro more eorum temporum, quibus non verbis tantùm, ſed factis mentem ſuam homines exprimebant. Apud Hebræos, nihil magis pollutum habebatur, quàm humanum cadaver, cujus membra circumferri non poterant, ſine funeſtatione omnium qui ea contrectarent, aut gerentes hoſpitio exciperent. Itaque non poterat hoc fieri, ſine horrore omnium, qui rem videbant; faciléque inuſitato ſpectaculo adducebantur, ut quærerent quid tandem rei eſſet, velléntque eos, qui accuſabantur, pœ-

XX. Bellum ab Iſraëlitis contra Benjaminitas indicitur, nî tradant flagitii auctores; quibus negatis, bellum negantibus infertur, quod initio quidem undecim Tribubus minùs ſecundum fuit, ſed poſtea Tribui Benjaminiticæ exitiale.

1. POSTEA egreſſi ſunt *domo* omnes Iſraëlitæ, & convenit cœtus, inſtar unius vi- Caput
ri, à Dane uſque Beerſebam, & terra Galahaditis ad Jehovam, Mitſpham. XX.
2. Se ſtiterunt extremitates totius populi, omneſ*que* Tribus Iſraëlis in cœtum
populi Dei, quadringenta millia peditum gladium ſtringentium. 3. Audiverunt Benjami-
nitæ iſraëlitas veniſſe Mitſpham, dixerúntque Iſraëlitæ: proloquimini quomodo malum
hoc contigerit. 4. Tum reſpondit Levita, vir mulieris occiſæ, &, Gibham, inquit, Benja-
minis veneramus ego & mea pellex, ad pernoctandum. 5. Tunc inſurrexerunt contra me
Gibhenſes, circumdederúntque noctu domum; cogitaverant de me occidendo, ſed pelli-
cem meam compreſſerunt, & mortua eſt. 6. Deinde captam concubinam diſſecui, miſíque
per omnes agros poſſeſſionis Iſraëlis; quia ſcelus & flagitium in Iſraële admiſerant Ben-
jaminitæ. 7. Ecce vos omnes Iſraëlitas; itaque colloquimini & conſilium capite. 8. Ibi
conſurrexit univerſus populus, inſtar unius viri, dixitque: non ibimus quiſque in tento-
rium ſuum, neque quiſque domum revertemur; 9. verùm hoc faciemus contra Gibham,
adhibitâ ſorte. 10. Sumemus decem viros è centenis ex omnibus Tribubus Iſraëlis, cen-
tenos è millenis, & millenos è decies millenis, ut populo viaticum quærant, ac parent,
dum

pœnas dare facinoris, propter quod ad ejuſmodi conſilium deveniſſet Levita.

3. *Rem conſiderate*] שימו לכם עליה *ponite vobis ſuper ea.* Subaudiri videtur לב *cor*, nam *ponere cor ſuper aliqua re* dicunt Hebræi, pro eo quod eſt conſiderare, cujus plenæ loquutionis exſtant exempla 1. Sam. XXV, 25. 2. Sam. XVIII, 3. ellipticæ verò Eſai. XLI, 20.

In Caput XX.

1. A *Dane uſque Beerſebam*] Ab extremitate ſeptemtrionali ad meridianam.

Ad Jehovam Mitſpham.] *Mitſpha* urbs ſuit in confinio Judæ & Benjaminis, unde fit ut Judæ quidem Joſ. XV, 38. Benjamini verò, Ibid. C. XVIII, 26. tribuatur. Qui ſitus non incommodus erat, ut ab ultimis finibus eò convocaretur populus Hebræus, cùm fermè in mediis ejus agris eſſet. Hîc potiſſimùm quærunt Interpretes, cur Tribus Mitſpham coactæ dicantur fuiſſe coram Jehova; cùm Arca & Tabernaculum eſſent Silunte, à qua urbs Mitſpha remota non erat. Sunt qui velint Arcam, propter conventum populi, Mitſpham allatam fuiſſe; ſed contrarium liquet ex v. 26. & Cap. XXI, 2. Itaque alii ad alia confugiunt, quæ non referam. Omnibus expenſis, quamvis *ad Jehovam congregari*, & *coram Jehova eſſe* ſit propriè, hiſce temporibus, ante Tabernaculum eſſe; nihil tamen vetat quominùs populus Hebræus, Reipublicæ causâ conveniens, dici poſſit *coram Jehova* fuiſſe, ſi publicè ad Deum fuſis precibus eum conſiliis ſuis ut adeſſet oraret, teſtémque ſuorum factorum invocaret; quemadmodum hoc tempore factum videtur, quo gravis cauſa expendenda erat. Vide not. ad Jud. C. XI, 11.

2. *Extremitates totius populi*] פנות כל העם *phinnoth chol haham.* In Vaticano Codice, hoc prætermittitur; in Alexandrino, Aldino & Complutenſi: Καὶ ἔςη τὸ κλίμα παντὸς τοῦ λαοῦ. Cùm פנה *phinnah* propriè *extremitatem*, aut *angulum* conſtanter ſignificet, malim hoc intelligere de incolis extremorum finium Iſraëlis; quàm de principibus, cum Chaldæo, qui habet רישי כל עמא *capita totius populi*; quòd principes populi ſic vocari nequeant, niſi eâ metaphorâ, quæ ſimplici narrationi non convenit. Ceterum quamvis universè loquatur Hiſtoricus Sacer, quia longè maxima pars populi aderat, excipiendi ſunt Jabeſitæ ex Galahaditide, ut liquet ex Cap. XXI, 9.

5. *Gibbenſes*] *Domini Gibbæ.*

Cogitaverant de me occidendo] Et feciſſent, niſi eorum furori pellicem meam tradidiſſem.

6. *Quia ſcelus & flagitium*] Hoc eſt, quia tantum erat ſcelus ab illis admiſſum, itáque erant violatæ & hoſpitalitas, & ſecuritas publica iter per agros populi Hebræi facientium, ut publicè intereſſet pœnas de reis ſumi. Igitur נבלה *nbelah* hîc non eſt levis error, ſed grave flagitium, ut diximus jam ad Deut. XXII, 21. Erat ſanè boni civis de re tanta, apud ſummam poteſtatem, queri; ne impunitate ſceleris ejuſmodi, creſceret Gabaënorum audacia; ſed ratio, quâ rem hîc Levita adgreſſus eſt, oſtendit non tam de publica utilitate, quàm de privata ultione hominem anxium fuiſſe.

7. *Colloquimini*] *Date vobis verbum & conſilium hic.*

8. *Revertemur*] נסור naſour, *declinabimus.*

9. *Adhibitâ ſorte*] עליה בגורל *haleha begoral*, ſuper ea in ſorte. Videtur ſubaudiendum נפיל *nappbil*, *faciemus cadere*, quod ſolet de ſortibus dici. Nempe, ut ex ſequentibus intelligere eſt, delectum eorum, qui contra Gabaënos pugnaturi erant, ſorte facere conſtituerunt. At LXX. Intt. ſuppleverunt נעלה. *Adſcendemus*, habent enim, ἀναβησόμεθα ἐπ' αὐτὴν ἐν κλήρῳ. Cùm Vulgatus non adſequeretur Hebraïca, vertit: *hoc contra Gabaa in commune faciamus*, qui ſenſus planè diverſus eſt.

10. *Viaticum ſumant ac parent*] *Ad accipiendum viaticum populo, ad faciendum, ad veniendum.* Nimirum, volebant decimum quemque totius conventûs commeatum reliquis pugnaturis curare; & ſorte quidem alii ab aliis diſtincti ſunt.

dum ibit contra Gibham Benjaminis, *ut pœnas det* pro omni flagitio, quod in Iſraële
commiſit. 11. Sic omnes Iſraëlitæ conjunctim convenerunt contra eam urbem, inſtar
unius viri. 12. Deinde miſerunt Tribus Iſraëliticæ viros, per univerſam Tribum Ben-
jaminis, qui dicerent: quodnam eſt hoc malum, quod apud vos contigit? 13. Tradite
nunc nobis viros illos nequam, qui ſunt Gibhæ, ut eos occidamus, & auferamus ma-
lum ex Iſraële. At noluerunt Benjaminitæ voci fratrum ſuorum Iſraëlitarum auſculta-
re; 14. convenerúntque Benjaminitæ ex urbibus *ſuis* Gibham, ut bellum gererent
cum Iſraëlitis. 15. Recenſiti ſunt Benjaminitæ, die illo, ex illorum urbibus viginti
ſex millia virorum gladium ſtringentium, præter Gibhenſes, qui ſeptingenti viri elec-
ti fuerant recenſiti. 16. Ex univerſo illo populo erant ſeptingenti viri electi, qui
dextrâ quidem uti non poterant, ſed funditores erant, qui lapidem ad capillum ja-
ciebant, neque aberrabant. 17. Iſraëlitarum quoque, præter Benjaminitas, recen-
ſita

12. *Conjunctim*] Sic vertimus חברים *hhaberim*, quod eſt in fine verſûs, & *ſocios* ſignificat.

13. *Malum*] רעה *rahab*, hoc eſt, nefas, nam eſt vox fœminini generis, quod eſt inſtar neutrius apud Hebræos. Senſus eſt, ne poſthac in Iſraële talia ſcelera committantur. De ſontis deditione, vide notata ad Cap. XV, 20.

Noluerunt Benjaminitæ] In Codice Maſſoretarum erat omiſſa vox בני *bne*, filii, & erat tantùm בנימין *binjamin*. Sed rectè eam ſupplendam cenſuerunt. Noluerunt autem obſequi Benjaminitæ, quòd factio Gabaënorum potentior eſſet. Fortè & ſuperbia Tribûs acceſſit, quæ ſuaſit ei ἀυτονομίαν ſuam armis contra populares defendere. Crediderim ſanè ſtudium ἀυτονομίας, quod in unaquaque Tribu, ac fortaſſe etiam urbe erat, dum aliæ ab aliis pendere nolunt, impediiſſe ne Hebræi, poſt mortem Joſuæ, fœdere mutuo inter ſe conjungerentur, & Magiſtratum ſummum communem eligerent. Alioqui vires illius Reipublicæ diſcordiâ frangebantur, fiebántque ſingulæ ejus partes vicinis, etiam infirmioribus, ſi modò concordes eſſent, obnoxiæ. Sed videtur vulgus Hebræorum ferocitatem & ἀναρχίαν Scenitarum Arabum etiamnum æmulatum eſſe.

14. *Ut bellum gererent*] *Ut exirent in bellum, vel in prælium.* Ferociſſimum oportuit eſſe populum, qui tam malam cauſam tueri, cum tanto periculo, adgreſſus eſt; cùm non poſſet dubitare quin vires ceterarum Tribuum conjunctæ ſuis multò majores eſſent.

15. *Viginti ſex millia*] LXX. Intt. in Codice Vaticano, εἴκοσι τρεῖς χιλιάδας, in aliis εἴκοσι πέντε, ut Vulgatus, *viginti quinque millia.*

Septingenti] Hinc liquet urbem non magnam fuiſſe, quæ tam exiguum numerum bellatorum, in ſua ipſius cauſa, ſuppeditaret.

16. *Ex univerſo illo populo erant ſeptingenti viri lecti.*] מכל העם הזה שבע מאות איש בחור. Hæc verba ſunt in LXX. Intt. & in Vulgato etiam prætermiſſa; hac niſi fallor de cauſa, quòd præcedens comma deſinat etiam voce בחור *bahhour*, cujus vocis repetitio effecit, ut Interpretes voces interpoſitas omiſerint. Quod erroris genus ſæpe in antiquis Codicibus contigit, ut obſervavimus *Artis Criticæ* P. 3. Sect. I. C. V. Vide ad Joſ. XXI, 36, 37. Nullam certè rationem Hebræi Librarii habere potuerunt inſerendarum harum vocum, ſed Interpretibus Græcis & Latino repetitio vocis facilè imponere potuit. Senſus autem hic eſt, ex tota Benjaminitica Tribu ſeptingentos fuiſſe egregios funditores, qui ſiniſtrâ dumtaxat uterentur. Verùm ſi ſequamur LXX. Intt. & Vulgatam, perabſurdè dicuntur Gabaëni fuiſſe tantùm ſeptingenti ſcævolæ, iique funditores. Quis enim credat non tantùm nullos alios fuiſſe militaris ætatis Gabaæ, præter funditores, ſed omnes illos fuiſſe ſcævolas? Scio eos Interpretes vertere ἀμφοτεροδεξίους. verùm ad eam vertendi rationem non devenerunt, niſi ut memoratam abſurditatem vitarent, ut mox videbimus.

Numeros hîc planè turbat *Joſephus*, qui habet: Βενιαμιτῶν δὲ ὁπλιτῶν δισμυρίων καὶ πεντακισχιλίων καὶ ἑξακοσίων, ὧν ἦσαν εἰς πεντακοσίους τοῖς λαιοῖς τῶν χειρῶν σφενδονᾶν ἄριστοι: *Benjaminitarum armatorum cum eſſent viginti quinque millia ſexcenti, ex quibus erant quingenti, qui ſiniſtrâ optimi erant funditores.*

Qui dextrâ quidem uti non poterant.] אטר יד ימינו *itter jad jemino.* Ea loquutio occurrit ſupra Cap. III, 15. ubi pluribus oſtendimus his vocibus ἀμφοτεροδέξιον non ſignificari, quamvis LXX. Intt. & Vulg. ita hæc verba intellexerint. Si vox אטר *itter* ſignificaret expeditum, ac facilè membro quopiam utentem, quod minimè ſignificat; ne ſic quidem ἀμφοτεροδέξιος dici poſſet, אטר יד ימינו, ſed oporteret rem hoc, aut ſimili modo, concipi אטר יד שמאלו כימינו, *expeditus manu ſuâ ſiniſtra, ut dextrâ.* Itaque rectè *Joſephus* dicit hos λαιοῖς σφενδονᾶν ἀρίστους, ut vidimus, & Chaldæus, גמיר בידיה דימינא *impediti manu dextrâ.* Scio eruditum Interpretem *Jac. Bonfrerium* acerrimè tueri Vulgatum ad Cap. III, 15. Sed quiſquis leget quæ habet & conferet cum hiſce noſtris, facilè intelliget hominem δυσλύτων ἀπορίων, & defendere quod defendendum ab aliis acceperat, non quod ipſe comperat verum eſſe.

Hi autem ſeptingenti ſcævolæ videntur ideò funditores facti ac jaciendis lapidibus ſe ſe exercuiſſe, quòd dextrâ, quâ graviora arma tractantur, uti non poſſent. Quin & *J. Lipſius* (datâne opera & ex antiquis marmoribus?) ſuppeditat nobis imagines tres funditoris, Poliorceticorum Lib. IV. Dial. III. quæ fundam ſiniſtrâ gerunt & circumagunt, dextrâ verò clypeum, aut ſinum lapidibus, vel glandibus plumbeis plenum gerunt. Is eo Dialogo & antecedente & de Militia Romana Lib. V. c. 20. ſuppeditabit fermè quidquid de funda apud Veteres legitur.

Sed funditores erant] Non mirum eſt egregios funditores fuiſſe, apud Iſraëlitas, cum vicini populi artem fundâ utendi inveniſſent. *Plinius* Lib. VII. c. 56. *Phœnicas balliſtam &*
fun-

ſita ſunt quadringenta millia virorum gladium ſtringentium, qui omnes erant viri bel-
licoſi.
18. Tum ſurrexerunt ut irent ad Ædem Dei, & interrogaverunt Deum Iſraëlitæ, his
verbis: quis nobis initio ad prælium cum Benjaminitis committendum progredietur?
Reſpondit verò Jehova: Juda initio *progredietur*. 19. Mane ergo cùm ſurrexiſſent Iſraë-
litæ, caſtra poſuerunt ad Gibham. 20. Tum proceſſerunt Iſraëlitæ, ad prælium cum
Benjaminitis committendum, atque ad Gibham aciem contra eos inſtruxerunt. 21. Dein
egreſſi Benjaminitæ Gibhâ, proſtraverunt in humum, die illo, ex Iſraëlitis, viginti duo
virorum millia. 22. Sed obfirmavit animum populus Iſraëlis, iterúmque inſtruxit aciem,
in loco in quo primo die eam inſtruxerat. 23. Exin iverunt Iſraëlitæ *ad Ædem Dei*, fleve-
rúntque coram Jehova ad veſperam uſque, & eum ſciſcitati ſunt, his verbis: an iterum acce-
dam ad pugnandum cum Benjaminitis fratribus meis? Jehova verò dixit: contra eos vadite.
24. Ac-

fundam inveniſſe dicunt. Quin & eam tranſtulerunt ad gentes, quæ ob peritiam fundendorum lapidum laudatæ poſtea ſunt. *Strabo* Lib. III. de Balearium Inſularum incolis: Καίπερ εἰρηναῖοι ὄντες, ὅμως σφενδονῆται ἄριστοι λέγονται· καὶ τοῦτ' ἤσκησαν, ὥς φασι, διαφερόντως, ἐξότε Φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους: *quamvis pacis amantes ſint, attamen dicuntur optimi funditores, & hanc artem exercuerunt, ut ajunt, maximè ex quo tempore Phœnices tenuerunt eas inſulas.*

Lapidem ad capillum jaciebant] *Sam. Bochartus* hoc loco prolato, Chanaan. Lib. I. cap. 35. ait ita eſſe hyperbolicum, ut tamen ſummam artis illius peritiam, in hiſce viris, fuiſſe oſtendat. At idem Hierozoïci Part. I. Lib. III. c. 11. rationem ejuſmodi hyperboles tradit, confert enim cum hac hiſtoria id quod legitur apud *Q. Smyrnæum* Lib. IV. ubi ſagittis certantibus pro ſcopo ſtatuit Agamemnon

—— ἱππόκομον τρυφάλειαν,

galeam ſetis equinis inſignem, præmiúmque ei pollicetur,

Ὅς κέρσειεν ἀπὸ τρίχας ὀξέϊ χαλκῷ,

qui crines, aut *pilos acuto ferro tonderet.* Ajax, Oilei filius, qui primus ſagittam emiſit, galeam tantum feriit, ſed Teucer Telamonius ipſam galeæ criſtam reſecuit.

—— ἀπέκερσεν ἐθείρας

Ὀξὺ βέλος.

Pilos reſecuit acutum telum. Sic etiam potuit fieri, ad exercitandos funditores, ut è pilo equino quidpiam ſuſpenderetur, quod facilè procul cerni poſſet, iſque victor pronunciaretur, qui pilum equinum lapide rupiſſet. Hinc deinde factum, ut præſtantiſſimi ſagittarii à pilo non aberrare dicerentur.

17. *Iſraelitarum*] *Et vir Iſraëlis* &c.

Qui omnes erant viri bellicoſi] Vel, *& hi quidem erant omnes viri bellatores.*

18. *Surrexerunt ut irent* &c.] *Et ſurrexerunt & iverunt domum Dei.* Hoc eſt, ad Tentorium & Arcam, quæ Silunte in vicinia erant, ut ex ſequentibus liquet. Sic malo בית-אל intelligere, quam de urbe Bethele, in quam Arca ſit tranſlata, tacente planè Hiſtoriâ Sacrâ. I. Libro Samuëlis, ſæpe Tentorium בית יהוה *domus Jehovæ dicitur.* Vide ad Cap. XXI, 12.

Quis nobis initio &c.] *Quis nobis adſcendet initio?* Hoc eſt, quis primam aciem habebit? Cùm hic eſſet honorificus locus, quia periculoſiſſimus, fortiſſimi quique eum ſibi depoſcebant; ideóque videntur ad Collaris Sacri, ſive τῶν *Urim* & *Thummim* oraculum confugiſſe, ut Deus ipſe litem dirimeret, quod ſine ullius offenſione futurum erat. Simile jam aliàs Deus reſponſum ediderat. Vide Cap. I, 1. Hac autem in re, graviter Iſraëlitæ in Deum peccarunt, eò quòd conſilium ceperint, de bello perſequenda fratrum ſuorum Tribu, ipſo inconſulto; res enim tanti momenti erat, ut divinum oraculum conſuli ante par eſſet, quàm Tribum delere adgrederentur. Quamvis enim Benjaminitica Tribus flagitium admiſiſſet, quod non ignoſci intererat Reipublicæ populi Hebræi; attamen Deus fortaſſe juſſiſſet ut ſuo nomine iterum, atque iterum mitterentur Legati ad Benjaminitas; ut ad ſaniorem mentem revocarentur, ſine fraterni ſanguinis tanta effuſione. Itaque ſuæ temeritatis & præcipitis conſilii magnas dederunt pœnas Iſraëlitæ; quamvis Benjaminitæ poſtea multò majus furoris ſui ſupplicium tulerint.

Juda initio] His verbis, Deus minimè probat conſilium, de bello cum fratribus gerendo, neque felicem prælii exitum pollicetur; ſed tantùm reſpondet quæſtioni, de Tribu quam in prima acie ſtare oporteret. Si reſponſum Dei malè interpretati ſunt Iſraëlitæ, eorum culpa fuit, non Dei.

22. *Sed obfirmavit animum*] *Et roboratus eſt populus viri Iſraëlis.* Eos, nempe, puduit plures & meliorem cauſam tuentes à paucioribus tantâ clade adfectos fuiſſe.

23. *Cum Benjaminitis fratribus meis*] *Cum filiis Benjamin fratris mei.* Videntur ex eventu primæ pugnæ ſuſpicati eſſe Iſraëlitæ Deo diſplicere civile bellum, ideóque quæſtioni ſuæ inſeruent hæc verba *fratribus meis*, quaſi occaſionem Deo præbentes mentis ſuæ clariùs explicandæ.

Contra eos vadite] *Adſcendite ad eum.* Eſt reſponſum indignantis Dei, non præcipientis; quaſi diceret: ite, quoniam ita jam, me inconſulto, ſtatuiſtis. Nam Iſraelitæ, ut ex ordine ſuperioris narrationis colligere eſt, die qui ſequutus eſt primam pugnam, inſtruxerunt aciem eodem loco, quo antea; ſed cùm non auderent propiùs ad collem aciem erigere, Benjaminitæ ſe ſe non moverunt, quia nolebant in æquum locum, contra tantam multitudinem, deſcendere; verùm ſuis locis ſe tenebant, non pugnaturi donec Iſraëlitæ aciem contra collem, cui inædificata erat Gibha, erigerent. Dum autem illic ſtabant Iſraëlitæ armati, exſpectantes Benjaminitas, ſi fortè deſcenderent in æquiorem locum; miſerunt legatos (Vide ad v. 25.) Siluntem, ut Deum conſulerent an eſſent pugnaturi cum Benjaminitis cum quibus jam iterum congreſſi eſſent, ſi Benjaminitæ in

V 2 val-

24. Acceſſerunt ergo Iſraëlitæ poſtridie ad Benjaminitas; 25. obviámque egreſſi Ben-
jaminitæ Gibhâ altero die, proſtraverunt adhuc in humum ex Iſraëlitis octodecim mil-
lia virorum, qui omnes gladium ſtringebant. 26. Tum verò abierunt Iſraëlitæ, om-
niſque populus & venerunt ad Ædem Dei, fleverúntque ac manſerunt illic coram Je-
hova, & die illo ad veſperam jejunarunt, obtulerúntque holocauſta & ſalutaria ſa-
cra coram Jehova. 27. Dein interrogaverunt Iſraelitæ Jehovam; eo *enim* tempore,
erat illic Arca Jehovæ. 28. Phinchaſus verò filius Elehazaris, filii Aharonis, ante
eum ſtetit illo tempore, dixitque: an pergam adhuc progredi, ad prælium com-
mittendum cum Benjaminitis fratribus meis, an verò deſinam? Dixit Jehova: vadite,
nam cras eos in manum veſtram tradam. 29. Deinde Iſraëlitæ inſidias ſtruxerunt Gibhæ
circumquaque, 30. & tertio die progreſſi contra Benjaminitas aciem, ut antea, inſtruxe-
runt ad Gibham. 31. Egreſſi ſunt etiam Benjaminitæ obviam populo, ſúntque longiùs
ab urbe prolecti; cœperant enim concidere populum, quemadmodum antea, in viis
ſtratis, quarum una ducit Bethelem, altera Gibham, per agros, fuerúntque cæſi cir-
citer triginta homines in Iſraele. 32. Tum verò dixerunt Benjaminitæ: cæduntur in
conſpectu noſtro ut priùs. Contrà Iſraëlitæ fugiamus, inquiunt, eóſque ex urbe ad
vias ſtratas proliciamus. 33. Itaque omnes Iſraëlitæ, relicto loco ſuo, aciem inſtruxe-
runt Bahal-thamare; inſidiatoréſque Iſraëlitarum exiverunt loco ſuo, è gramineo cam-
po

vallem ſe ſe demittere ſuſtinuiſſent. Itaque gravis erat ratio, cur Deus iis indignaretur, quos videbat ad ſe venire, cùm jam conſilium cepiſſent, quos ad ſe re integrâ venire par fuiſſet.

24. *Acceſſerunt poſtridie* &c.] Non poſtridie prælii, quo die quieverunt uſque ad veſperam, dum oraculum Dei conſuleretur, & reſponſum referretur; ſed die qui hunc ſequutus eſt, & jam tertius erat. Hoc verò die aciem iterum, fiduciâ multitudinis, erexerunt contra collem, & propiùs acceſſerunt ad Benjaminitas, ut eos inde dejicerent.

25. *Qui omnes gladium ſtringebant*] *Hi omnes* &c. Quod additur ne fortè colonos, aut inermes, qui veluti ad ſpectaculum convenerant, intelligerentur. Magnitudo eladis inde quidem orta eſt, quòd Deus adverſaretur Iſraëlitis, eorúmque cœpta improbaret; ſed quia Deus ipſe per ſe, aut per Angelos eos minimè occidit, crediderim Iſraëlitas vulnus hoc iterum accepiſſe; quòd iniquo loco pugnarint, multitudine ſua freti, dum Benjaminitæ fortitudini adderent etiam artem, nec niſi ſuo loco prælium facerent. Facilè enim temerè progreſſos protrudebant, & vel grandine lapidum, per funditores miſſorum, collem ſubeuntes trucidabant.

26. *Tum verò abierunt*] Neminem reliquerunt ad Gibham, ſed omnes ſe ad Tentorium contulerunt; cùm antea caſtris illic relictis, legatos ad Tentorium miſiſſent.

Ad Ædem Dei] בית אל *domum Dei*, ut antea.

Salutaria Sacra] Vide not. ad Exod. XX, 24. Ut abſoluto jejunio, carne victimarum veſcerentur, addiderunt Salutaria Sacra holocauſtis, quæ comedere nefas erat.

27. *Eo enim tempore*] *Et ibi arca fœderis Dei, diebus illis*; hoc eſt, Silunte, unde poſtea aliò, atque aliò tranſlata eſt. Tempore, quo vixit Scriptor libri, Jeroſolimæ erat.

28. *Ante eum*] לפניו *lephanau*, in conſpectu Dei, ante Arcam, indutus veſtibus ſacerdotalibus & Sacro Collari inſtructus, ut reſponſum ab eo eliceret. Alioqui poſſet etiam intelligi de Sacro Miniſterio, quod Deo præſtabat. Vide Deut. X, 8.

An pergam adhuc] Jam verò eladibus domiti à reſponſo Dei pendebant; quo nondum audito, nihil ſtatuerant, ita ut non inviti abiiſſent, ſi juſſiſſet Deus. Ideò videmus interrogationem Sacerdotis, meliùs eſſe enunciatam, quàm antea.

Cum Benjaminitis] *Cum filiis Benjaminis fratris mei.*

Nam cras &c.] Nihil ſimile antea dixerat Deus.

29. *Inſidias ſtruxerant*] Aut, *collocarunt inſidiatores ad Gibham*; quos in vallibus, aut poſt colles occultarunt, ne proſpici poſſent à Gabaenis.

30. *Tertio die*] Poſſit hoc intelligi de tertio die, à ſecundo prælio, nam erat reverâ tertius dies. Poſſit & explicari de tertio prælii die, quod eòdem tamen recidit.

Ut antea] Vel, *ut aliis vicibus.* Eſt Hebraïcè: כפעם בפעם *ſicut vice, in vice*, quæ loquutio eſt nota.

31. *Concidere populum*] *Percutere è populo vulneratos.* Feroces priſtinis victoriis, videntéſque exercitum Iſraëlis quaſi territum fugere, longius à colle Gibhæ progreſſi ſunt. Deus, in concedenda Iſraëlitis victoria, ſuas quidem partes egit, ſed & illorum prudentia uſus eſt.

Viis ſtratis] מסלות *meſilloth.* *Semitas* vertit Vulgatus, ſed perperam, tantus enim exercitus per ſemitas non fugiebat, ſed per vias regias, quæ vix etiam ſatis latæ erant. Præterea radix סלל *ſalal*, quæ *extollere* ſignificat, oſtendit agi de viis quæ terrâ adgeſtâ fiunt; qui labor inſumitur viis regiis, non ſemitis.

33. *Relicto loco ſuo*] *Surrexerant è loco ſuo.* Locum ſibi in acie datum, ut fert mos militaris, non perrexerunt tueri.

Bahal-thamare] Locus fuit vicinus, de quo *Euſebius* in locis Hebraïcis: Βααλθαμάρ, πλησίον Γαβαὰ, ἔνθα παρετάξαντο οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ εἰς πόλεμον τῇ φυλῇ Βενιαμὶν, καὶ καλεῖται ἐν τοῖς τόποις εἰς ἔτι Βηθαμμάρ. *Hieronymo* interprete: *Baalthamar, juxta Gabaa, ubi filii Iſraël adverſus tribum Benjamin iniere certamen. Et uſque hodie Bethamari, in ſupra dictis locis, viculus appellatur.*

E gramineo campo] מַעֲרֵה *mahareh*, quod ſi efferretur מְעָרָה *meharah* ſpeluncam ſignificaret;
ſed

po Gibhæ. 34. Iverunt è regione Gibhæ decem millia virorum lectorum ex omni Iſraële, prælíúmque gravius factum eſt; nec *dum* ſciebant Benjaminitæ calamitatem jam ſibi incubuiſſe. 35. Cecidit ergo Jehova Benjaminem, in conſpectu Iſraëlis, occiderúntque Iſraëlitæ Benjaminitarum die illo viginti quinque millia, & centum, qui omnes gladium ſtringebant. 36. Viderunt demum Benjaminitæ ſe cædi, & Iſraëlitas loco ſibi ceſſiſſe, eò quòd confiderent inſidiatoribus, quos adversùs Gibham collocaverant. 37. Inſidiatores autem illi feſtinanter irruerunt in Gibham, & tubâ canentes totam urbem gladio conciderunt. 38. Conſtitutum etiam fuerat tempus ab Iſraëlitis, cum inſidiatoribus, quo multum fumum tollerent ex urbe. 39. *Primùm* igitur terga verterant Iſraëlitæ in prælio, & Benjaminitæ cœperant cædere ex Iſraëlitis triginta viros, qui confoſſi fuerunt, ita ut dicerent: profectò in conſpectu noſtro cæditur Iſraël, quemadmodum in ſuperioribus præliis. 40. Cùm verò columna fumi ex urbe inciperet adſcendere, reſpexerunt Benjaminitæ, ecce verò incendium urbis ad cœlum adſcendebat. 41. Converterunt etiam ſe Iſraëlitæ, Benjaminitæ verò perturbati ſunt, nam viderunt calamitatem ſibi incumbere. 42. Converterunt ergo *agmen*, in conſpectu Iſraëlitarum, ad viam deſerti, ſed præliantes eos adſequebantur, atque ex urbibus *vicinis prodeuntes*, eos apud ſe occidebant. 43 Circumvenerunt ergo *Iſraëlitæ* Benjaminem, otioſe eum perſequuti ſunt, con-

ſed in ſpelunca tot hominum millia latere non potuiſſent. Maluimus ergo *gramineum campum*, quales in vallibus viciniis fuere. Chaldæus habet מישר meſchar, *planitiem*. In Vaticano Codice LXX. Intt. eſt Μαραγαβὲ, in aliis ἀπὸ δυσμῶν τῆς Γαβαά, quaſi legiſſent ממערב *mimmabarab*. Vulgatus non intellexit, ideóque vertit, *circa urbem*.

34. *E regione Gibhæ*] Videntur ex inſidiatoribus hi fuiſſe, eóque ſe contuliſſe, ut intercipercnt reditum Benjaminitis. Quod habet hîc Vulgatus, & quod non eſt in Hebraicis: *habitatores urbis ad certamen provocabant*, inane eſt.

Necdum ſciebant &c.] *Et illi non noverunt quod adſequuturum ſuper eos erat malum*; hoc eſt, jam eſſe verſas belli vices, daturóſque ſe eſſe pœnas. Credebant ſe Iſraëlitas, qui fugerant, licèt, nunc agmine verſo, ſigna inferrent, facilè victuros; quia nondum ſimulatam duntaxat fuiſſe fugam ſenſerant.

35. *Benjaminitarum*] *In Benjamine.*

36. *Eo quòd confiderent*] Narrationis hujus ordo accuratus non eſt, tum enim Benjaminitæ intellexerunt actum eſſe de ſe, cùm Gibhæ fumum viderunt.

37. *Et tubâ canentes*] *Et tractim cecinit inſidiator, & percuſſit totam urbem ad os gladii.*

38. *Conſtitutum enim fuerat tempus*] Redintegrandi, ut videtur, prælii, ſtatim ac fumum Gibhæ viderent, unde inſidias bene ceſſiſſe intellecturi erant.

Quo multum fumum &c.] *Multiplicare ad tollendam elationem fumi.* Non ſatis ſe expediebant ſingulis vocibus hujus commatis antiqui Intt. LXX. enim, ſi ſequamur Vaticanum codicem, habent: καὶ σημεῖον ἦν τοῖς υἱοῖς ἰσραὴλ μετὰ τοῦ ἐνέδρου τῆς μάχης ἀνενέγκαι αὐτοὺς σύσσημον καπνοῦ ἀπὸ τῆς πόλεως: ſi verò ſequamur Alexandrinum & alios: καὶ ἡ συνταγὴ ἦν ἀνδρὶ ἰσραὴλ αὐτοῖς τὸ ἔνεδρον μαχαίρᾳ τοῦ ἀνενέγκαι αὐτοὺς πυρσὸν τοῦ καπνοῦ τῆς πόλεως. Vulgatus haud abſimiliter: *Signum autem dederant filii Iſrael his, quos in inſidiis collocaverant, ut poſtquam urbem cepiſſent ignem accenderent, ut adſcendente in altum fumo captam urbem demonſtrarent.* Quæ omnia paraphraſes ſunt hominum ſenſum quidem, quaſi per nubila, videntium; ſed qui ſingula verba exprimere neſciebant; quod paſſim contingit, in locis, in quibus eſt vel minima obſcuritas.

39. *Ita ut dicerent*] כי אמרו *chi ameron*, ubi כי non poſſumus vertere *quia*; non enim confoſſi ſunt Iſraëlitæ, quia hæc quæ ſequuntur dixerunt Benjaminitæ; ſed contrà, quia ceciderant illi, ideò hæc dixerunt Benjaminitæ. Vide Gen. XL, 15. & *Chr. Noldium* ad 18. ſignif. hujus particulæ.

In ſuperioribus præliis] במלחמה הראשנה *in prælio priore.* Singularis eſt pro plurali, nam jam duo ſecunda prælia facta fuerant à Benjaminitis.

40. *Cùm verò columna fumi* &c.] *Et elatio cœpit adſcendere ex urbe columna fumi.*

Reſpexerunt Benjaminitæ] *Et convertit ſe Benjamin poſt ſe.*

41. *Calamitatem ſibi incumbere*] *Attigerat ſuper ſe malum*, ut v. 34.

42. *Ad viam deſerti*] Ejus, nempe, quod proximum erat, & quod poſtea Judææ deſertum dictum eſt, nec procul erat Jerichunte. Vide Joſ. XVI, 1.

Præliantes eos adſequebantur] *Bellum ei adhærebat.*

Ex urbibus vicinis] *Et qui ex urbibus occidentes eos in medio ſui.* Cùm confugerent Benjaminitæ ad urbes aliorum Iſraëlitarum, ab iis occidebantur. Nihil eſt ſimplicius. Vulgatus, qui ſat licenter hæc omnia vertit, hîc habet: *ſed & hi qui urbem ſuccenderant occurrerunt eis.* Sed אשר מהערים *qui ex urbibus*, non ſunt qui urbem ſuccenderant, nec reliqua conſentiunt.

43. *Otioſè eos perſequuti ſunt*] הרדיפוהו מנוחה *hirdiphouhou mnoubhah*, ſequi fecerunt in quiete; nam perinde eſt ac ſi legeretur במנוחה *bimnoubhah*, & notum eſt paſſim præpoſitionem ב omitti. Sic Pſ. II, 12. דרך *derech* pro בדרך *bderech*, in via. *Chr. Noldius* plura cupientibus ſuppeditabit. Senſus eſt ita diſſipatos fuiſſe Benjaminitas, itáque perfugio omni deſtitutos, ut minimè opus fuerit eos feſtinanter perſequi ne, reſtitutâ acie, elaberentur, ſed per otium circumquaque fuerint occiſi. Cùm hic ſe offerret ſenſus ſat planus, mirum tamen eſt quàm ſe ſe hîc torſerint LXX. Intt. & Vulgatus. Græci ſic habent in Cod. Vaticano: καὶ ἐδίωξαν αὐτὸν ἀπὸ Νουὰ (מְנוּחָה) in Alexandrino verò & aliis: κατεπάτησαν αὐ-

conculcarúntque ab oriente, è regione Gibhæ. 44. Ceciderunt *ibi* è Benjaminitis octies & decies mille viri, & quidem omnes ſtrenui. 45. *Deinde ex iis, qui* verſo agmine fugerant in ſolitudinem, ad Rupem Rimmonis, racemarunt per vias ſtratas quinque millia virorum, iiſque inhæſerunt Gidhomum uſque, conciderúntque ex iis duo millia virorum. 46. Omnes ergo Benjaminitæ, qui ceciderunt illo die, fuerunt vicies quinquies mille, gladium ſtringentes, omnéſque viri fortes. 47. Sexcenti dumtaxat viri in ſolitudinem, converſo agmine, fugerunt ad Rupem Rimmonis; in qua rupe, per quatuor menſes, manſerunt. 48. Reverſi verò Iſraëlitæ *iverunt ad reliquos* Benjaminitas, & gladio eos conciderunt, urbéſque integras, pecudes, & quidquid *in iis* inventum eſt; omnibus denique urbibus, quas *in agris Benjaminitarum* invenerunt, ignem ſubjecerunt.

XXI. Reliquos Iſraëlitas deletæ per iram Tribus Benjaminiticæ pœnitet. Quamobrem rationes inſtaurandæ quærunt & exſequutioni mandant.

CAPUT XXI. 1. JUREJURANDO autem ſe obſtrinxerant Iſraëlitæ Mitſphæ, in hæc verba: nemo è nobis Benjaminitæ filiam ſuam collocabit. 2. Cùm verò veniſſet populus ad

αὐτὸν κατεπάτησαν. Satis liquet ex his verbis ita in Codicibus Hebraïcis illius ævi ſcriptum fuiſſe, ut nunc in noſtris legimus. Itaque non credemus Vulgato, qui habet: *nec erat ulla requies morientium*, quaſi fuiſſet ואין מנוחה לחללים *veein muoubbab labbabalim.*

Conculcarúntque] הדריכהו *hidrichouhou*, fecerunt calcare; hoc eſt, tot homines occiderunt, ut calcarentur cadavera ad ortum Gibhæ, ubi prælium erat commiſſum. LXX. Intt. in codice Vaticano: *κατὰ πόδα αὐτοῦ.* nempe, *ἐδίωξαν*, qui ſenſus non eſt ineptus, ſed non convenit verbis Hebraïcis. In Alexandrino eſt *κατέπαυσαν*, ſed legendum, ut in Complutenſi, *κατεπάτησαν*. Vulgatus: *ceciderunt, atque proſtrati ſunt*, ubi ſine cauſa ab Hebræis recedit. Quæ & alia id genus noto, ob intolerandam nonnullorum pertinaciam, qui etiam delicta ejus Interpretis exoſculantur, ſpernúntque meliora ſcribentes.

44. *Omnes ſtrenui*] *Omnes illi viri fortitudinis.*

45. *Deinde ex iis qui* &c.] *Et converterunt & fugerunt in deſertum.* Si hæc verbo tenus vertantur, impedita eſt oratio. Itaque ſic vertimus quaſi eſſet: ואחריכם מאלה אשר יפנו *veabbarechem meelleh aſcher jiphnou.*

Ad rupem Rimmonis] Zach. XIV, 10. *Rimmon* videtur collocari *ad meridiem Jeroſolimæ*, *Hieronymus* in locis Hebraïcis: *Remmon petra*, *Remmon in tribu Symeonis, vel Zabulon.* Paullò antea eſt: *Remmon, in tribu Symeonis, vel Judæ, hodiéque eſt vicus Remmon, juxta Æliam, contra Aquilonem, in quinto decimo ejus milliario.* Sic & *Euſebius.* Plura fuere loca ejus nominis. Hic intelligitur locus in deſerto Judææ.

Racemarunt] Hoc eſt, quaſi in racematione, poſt magnam eladem illatam, ad Gibham, alios palantes occiderunt. Irati erant Benjaminitis & propter flagitium & propter elades ab iis, ſcelus pertinaciter defendentibus, ſibi illatas.

Gidhomum] גדעם *gidhom.* Apud Vaticanum Codicem eſt Græcè *Γεδάν*, in aliis abſurdiùs *Γαλαάδ.* Omiſit *Hieronymus*, nec eſt in locis Hebraïcis.

46. *Vicies quinquies mille*] Supra v. 35. habemus *viginti quinque millia & centum*, ſed hic centum illi viri, ſupra viginti quinque millia, negliguntur. Scriptura, nempe, rotundis numeris delectatur; quod perpetuò fit in numeris annorum, quibus quiſpiam regnavit, aut vixit, ubi nulla umquam ratio menſium aut dierum habetur, ſed numerantur dumtaxat integri anni. Antea v. 15 dicuntur fuiſſe Benjaminitæ milites, in Hebraïco textu, vigeſies ſexies mille ſeptingenti; unde ſequitur, ſi fuerint tantùm vigeſies quinquies mille & centum occiſi, ſuperfuiſſe non tantùm ſexcentos, ut hic habemus v. 47. ſed mille ſexcentos. Cùm autem hoc viderent veteres Interpretes reſecuerunt v. 15. mille viros, ut ratio conſtaret; aut, ſi quis malit, ita ſcriptum invenerunt in ſuis Codicibus. Alii tamen malunt hic numerari tantùm occiſos ultimo prælio, duobúſque prioribus Benjaminitas amiſiſſe mille viros; quæ jactura nihili fuit, ſi conferatur cum vulnere Iſraëlitici exercitûs, è quo ſunt duobus illis præliis deſiderata quadraginta virorum millia. Mirum tamen non nemini videri queat Benjaminitarum jacturam, in narratione, in qua non eſt una repetitio, ne verbo quidem memoratam. Sed attendenti ingenium linguæ Hebraïcæ, regulas narrationis paſſim negligentis, ita ut Lectori multa ſint ſupplenda, aut commodâ interpretatione juvanda, nihil mirum videbitur.

48. *Reverſi verò Iſraëlitæ* &c.] *Et vir Iſraël reverſi ſunt ad filios Benjamin.*

Urbéſque integras] *Ab urbe integritatis* (מתום mthom) *uſque ad pecudem.* LXX. Intt. *ἀπὸ πόλεως Μεθλὰ* in Codice Vaticano, *ἀπὸ πόλεως ἑξῆς* in Alexandrino, Aldino & Complutenſi, *διδύμω* in Oxonienſi. Latinus: *à viris uſque ad jumenta*, quaſi eſſet ממתים mimmethim, cùm ſit מעיר מתום, *mehir mthom.* Satis patet ſenſum eſſe oportere *ab hominibus, ad pecudes*, ac animalia omnia eſſe internecione deleta; ſed voces מעיר מתום quæ ſemel occurrunt, obſcuriores ſunt. Fortè hic aliquid corruptum, quod donec retegatur intelligemus, nomine *urbium integrarum*, homines.

Cùm Deus ejuſmodi ultionem non mandarit, imò verò Deut. XXIV. vetuerit innoxios, pro ſontibus, perire; hæc fuit intolerabilis barbaries & indigna planè hominibus Hebræis. Sed imitabantur crudelitatem Ethnicorum, quorum antiquiſſimis illis temporibus internecina bella fuerunt. In memoriam revocandum Scripturam non

ad Ædem Dei, manſit illic coram Deo, uſque ad veſperam, magnúmque ejulatum edidit. 3. Quare verò, inquiebant, ô Jehova Deus Iſraelis, contigit hoc in Iſraële, ut hodie Tribus una Iſraëlis deſideretur? 4. Poſtridie cùm mane ſurrexiſſent, exſtruxerunt altare, atque in eo holocauſta, ſalutariáque ſacra fecerunt. 5. Tum Iſraëlitæ, quiſnam, inquiunt, non venit in cœtum ad Jehovam, ex omnibus Tribubus Iſraëlis? magnum enim jusjurandum interceſſerat, de iis, qui non veniſſent ad Jehovam Mitſpham, in hæc verba: morte afficietur. 6. Cùm pœnitentiâ ducerentur Iſraëlitæ, ad Benjaminitas fratres quod attinet, dicerentque: deleta eſt hodie una Tribus ex Iſraële; 7. quid verò faciemus reliquis, ut uxores *nanciſcantur?* nos enim juravimus per Jehovam, nos iis filias noſtras non collocaturos. 8. Eſtne ergo quiſquam, inquiebant, ex Tribubus Iſraëlis, qui non venerit ad Jehovam Mitſpham? Ecce autem nemo venerat ad caſtra, in cœtum, Jabeſo Galahaditidis. 9. Recenſito enim populo, nemo illic aderat ex incolis Jabeſi Galahaditidis. 10. Itaque cœtus eò miſit duodecim millia virorum, ex fortiſſimis quibuſque, cum hiſce mandatis: ite & gladio occidite incolas Jabeſi Galahaditidis, mulieréſque & impuberes 11. Hoc autem facietis, maſculum omnem & omnem mulierem, viri concubitum expertam, ad internecionem delebitis. 12. Invenerunt illi, apud incolas Jabeſi Galahaditidis, quadringentas puellas virgines, quæ non

non omnia ſemper vituperare, quæ legi divinæ contraria erant. *Habent libri ſancti*, ut ait *Auguſtinus* Lib. contra Mendacium ad Conſentium, n. 29. *conſcripta & mala hominum & bona; illa vitanda, iſta ſectanda; & quædam ita poſita, ut de illis etiam prolata ſit ſententia: quædam vero tacito ibi judicio, nobis judicanda permiſſa.*

In CAPUT XXI.

1. J*Urejurando* &c.] *Et vir Iſraël juravit Mitſphæ, dicendo* &c.

2. *Ad Ædem Dei*] בית-אל, *domum Dei*. Vide ad Cap. XX, 18.

Manſit coram Deo ad veſperam] Jejunus, ut videtur. Vide Cap. XX, 23, 26.

Magnúmque ejulatum edidit] *Suſtulerunt vocem ſuam & fleverunt fletu magno.*

3. *Quare contigit hoc* &c.] Formula querentis infelicitatem ſuam, non ſciſcitantis ejus cauſam. Quod mirere, non queruntur homines crudeles tot innocentes ſenes, mulieres, atque impuberes, eóſque à communi Gentis conditore Jacobo ortos & populares ſuos, à ſe occiſos, quod immane flagitium fuit, ſed unius Tribûs nomen exſtinctum eſſe; quaſi hoc tanti eſſet, apud Deum, quanti erat pro pauculis conſciis ingentem numerum innoxiorum trucidatum fuiſſe. Cùm enim viginti ſex eſſent armatorum millia, oportuit minimùm centum animarum millia præterea fuiſſe, apud Benjaminitas; nam ſatis eſt ſi quinta pars ætatis & ſexûs militaris eſſe ſtatuatur. Qui tot innocentium ſanguine cruenti erant, ejus rei gravem pœnitentiam agere debuiſſent, Deique miſericordiam implorare; non queri infelicitatem ſuam, imminutionémque numeri Tribuum. Sed facinus, quod ſequitur v. 10. & ſeqq. ſatis oſtendit humanitatem illorum temporum & hominum exiguam fuiſſe, nec eſſe mores Chriſtianorum ad illos exigendos.

4. *Holocauſta, ſalutariáque ſacra*] Priora ad expiationem peccatorum, poſteriora ad gratias agendas. Altare autem novum ſtruxerunt, fortè quod priſcum Moſaicum non ſufficeret ad excipiendas victimas totius populi. Vide 1. Reg. VIII, 64.

5. *Morte afficietur*] Non eſt ipſa formula jurisjurandi, ſed ejus ſententia. Oportuiſſet enim dicere eos hæc, aut ſimilia verba protuliſſe: Sic ſe gerat erga nos Deus, & ita ſe gerere pergat: ut occidione occidemus eos, qui ſe ſe huc non contulerint. Oportuit convocationem aliquam anteceſſiſſe, à primoribus uniuſcujuſque Tribûs; alioqui nemo lege teneri potuit, quæ non eſſet lata & promulgata.

6. *Benjaminitas fratres*] *Benjaminem fratrem.* Attamen nondum ſatiata erat crudelitas, ut ex ſequentibus intelligere eſt. Apud humaniorem populum, nimis grave vulnus accepiſſe cladibus Reſpublica populi Hebræi viſa fuiſſet; quàm ut ulterius in ſua ipſius viſcera ſæviret. Itaque noluiſſet de reis, ſi qui eſſent, quæſtionem haberi. Debuiſſent hoc apud ſe reputare, ſatius eſſe veniam temerarii jurisjurandi, ne impium dicam, à Deo petere, quàm ejus exſequutione humanitatem ſummopere violare. Bonitatis eſt divinæ ignoſcere culpam agnoſcentibus, ſed ſanctitatis ejus non eſt probare factum eorum, qui temerario jurejurando, per iram concepto, ſe ad crudele facinus obſtrictos putant, idque Deo veluti imputant; quaſi ne ejus Numinis majeſtas imminueretur admiſſum, quod tamen ipſe vehementer improbat.

7. *Ut uxores nanciſcantur*] לנשים *lenaſchim*, ad uxores.

10. *Ex fortiſſimis quibuſque*] *Ex filiis fortitudinis & præceperunt eis dicendo.*

Gladio] *Ore gladii.*

Mulieréſque & impuberes] Hæc quoque fuit nefanda laniena, quæ nullo colore defendi queat. Si enim voto illo, quod חרם *hherem* dicitur, devoverunt Jebuſitas ad internecionem, virginibus parcere non potuiſſent; nec ſanè quando jusjurandum conceperunt cogitabant de virginum exceptione, cùm ne impuberibus quidem pepercerint.

12. *Puellas virgines*] Volunt Interpretes nonnulli hæc intelligi duntaxat de virginibus nubilibus, hoc eſt, minimùm duodecim annos natis. Sed non video cur non & quædam inferioris ætatis, imò omnes ſervari potuerint, in ſpem prolis futuræ, poſt aliquot annos. Crudelitas hæc jam tanta eſt, ut majorem fieri pravis interpretationibus opus non ſit. Hæc in præ-

fe-

non noverant virum, aut maris concubitum, eáſque adduxerunt in caſtra Siluntem, quæ eſt in terra Chananæa. 13. Miſit etiam univerſus cœtus, qui alloquerentur Benjaminitas, qui erant in Rupe Rimmonis, & pacem eis nunciarent. 14. Reverſi igitur ſunt, eo tempore Benjaminitæ, collocaverúntque iis uxores eas, quas conſervaverant ex mulieribus Jabeſi Galahaditidis, & ne ſic quidem *ſatis uxorum* eis invenerunt.

15. Cúmque populum pœniteret, Benjaminis causâ; eo quòd Jehova, in Tribubus Iſraëlis, ſtragem fecerat, 16. dixerunt ſeniores cœtùs: quid faciemus reliquis, ut uxores *habeant?* Perierant enim Benjaminitides mulieres. 17. Præterea poſſeſſio *hæc* ſit, inquiebant, eorum qui evaſerunt è Benjamine, neque ex Iſraële Tribus deleatur. 18. Nos verò non poſſumus dare eis uxores è filiabus noſtris, quia jurarunt Iſraëlitæ, in hanc ſententiam: maledictus ſit, qui Benjaminitæ *filiam ſuam* uxorem collocabit. 19. At eſt, inquiebant *alii*, feſtum Jehovæ anniverſarium Silunte, quod *celebratur* ad ſeptemtrionem Bethelis, orientem versùs, ad viam ſtratam quæ Bethele tendit Sichemum, à meridie Lebonæ. 20. Tum mandata Benjaminitis dederunt *his verbis:* ite, inſidias collocate in vineis, 21. cúmque videritis egreſſas Siluntinas puellas ad celebrandas choreas, exite ex vineis & rapite vobis quiſque uxorem è puellis Siluntinis; *quo facto*, abite in Benjaminitidem terram. 22. Cùm verò venient patres eorum, vel fratres ad litem apud nos *vobis* intendendam, eis dicemus: condonate nobis illas, quia ſin-

feroce populo toleravit, non probavit Deus, qui ſatis habuit hanc gentem Idololatriæ eripuiſſe; à qua etiam ut abſtineret vix ac ne vix quidem, innumeris benefactis ac præceptis, impetravit.

Siluntem] Ubi erat Tentorium. Atque ex hoc loco liquet voce בית-אל *beth-el*, quæ antea occurrit, ſignificari *Ædem Dei*, non urbem *Bethel.* Non negandum tamen has urbes uſque adeò vicinas fuiſſe, ut neceſſe eſſet tot hominum millia caſtra procul, circa Siluntem, tendere, ac proinde vicina etiam eſſe Betheli.

12. *Quæ eſt in terra Chananæa*] Hoc additur, non ut meliùs ſignetur Siluntis ſitus, ſed ut opponatur ſitui Jabeſi; quod fuit ad ortum Jordanis, ac proinde extra fines terræ Chananææ, quo nomine ut plurimùm tractus ad occaſum ejus fluvii ſiti appellantur.

13. *Miſit* &c.] *Miſerunt* —— *& alloquuti ſunt* —— *& vocarunt* aut *clamarunt pacem*; hoc eſt, pacem iis à reliquo Iſraële concedi pronunciarunt.

15. *Stragem fecerat*] פרץ *pherets*, quod propriè eſt fractio, aut muri everſi hiatus, quod Galli vocant *une brèche.* Latinè commodè exprimi nequit, metaphorico ſenſu. Ideò Vulgatus vertit *interſectionem Tribûs*, & Caſtellio *abſciſſam eſſe Tribum.*

16. *Seniores cœtûs*] Hoc eſt, principes Tribuum & Familiarum.

Perierunt enim] *Deleta eſt è Benjamine mulier.*

17. *Poſſeſſio hæc ſit*] Nempe, agri, quos integra Tribus occupaverat priùs.

18. *Maledictus ſit*] Nempe, à Deo. Vide not. ad Deut. XXVII, 15. Malè autem ei precabantur, qui ſponte filiam ſuam collocaſſet Benjaminitis, non qui raptam ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ pateretur.

19. *Inquiebant alii*] Supplevimus vocem *alii*, quia ſequentibus verbis continetur reſponſio ad aliorum quæſtionem, quæ anteceſſit.

Feſtum Jehovæ] *Ecce feſtum Jehovæ Silunte è diebus in dies.* Cùm fuerint tria tempora feſta anniverſaria totius Iſraëlis, quibus ſe ſiſtere debebat ad Tabernaculum, ſi modò hanc legem tunc temporis obſervabant; nomen illius feſti, hoc eſt, Paſchatis, Hebdomadum, aut Tabernaculorum frondeorum, additum fuiſſet, ſi ejuſmodi feſtum hîc intelligeretur; non potuiſſent enim Benjaminitæ intelligere, quo anni tempore inſidias puellis Siluntinis ſtruere poſſent. Præterea quando ſermo eſt de feſto, cui duo alia ſimilia ſunt, non ſolet ſic deſcribi, ut ab aliis diſtingui nequeat: quemadmodum hîc fieret, ſi unum ex tribus celeberrimis Iſraëliticis feſtis intelligeretur. Huc accedit quòd, ſi hæc tria ſollemnia feſta obſervabantur Silunte, eo ævo, concurſus Iſraëlitarum è tota Chananæa minùs commodus fuit ejuſmodi inſidiis; oportuit enim Iſraëlitas & in urbe & circa urbem diverſoria, aut tentoria habere, ita ut inſidiæ vix occultæ eſſe potuiſſent. Igitur multò malim agi hîc de feſto quopiam Siluntinæ urbi peculiari, quod quare inſtitutum eſſet non liquet, & quo puellæ Siluntinæ ſolebant urbe egredi, ut choreas celebrarent.

Quod celebratur] Hîc τὸ אשר *quod* refero ad vocem חג hhag, *feſtum*, quod magnâ hilaritate celebrabatur extra urbem, in eo loco qui deſcribitur; neque enim hæc pertinent ad ſitum oppidi, ſed ad campum, in quem Siluntinæ puellæ egrediebantur. Ideò ſupplevi *celebratur.*

21. *Cúmque videritis egreſſas*] *Et videbitis, ecce ſi egreſſæ ſint.*

Ad celebrandas choreas] *Ad ſaltandum in choreis.*

22. *Apud nos*] Ad principes, nempe, aliarum Tribuum, aut Ephraimiticæ ſeorſim.

Condonate nobis illas] חנונו אותם *hhonnenou otham*, hoc eſt, noſtri honoris causâ, patimini ut eas abducant, raptoribúſque ignoſcite; quaſi eſſet חנו לנו אותם *hhonnou lanou otham*, gratificamini nobis illas. אותם eſt quidem maſculini generis, ſed de mulieribus dicitur & ſup. Cap. XIX, 24. aut κατ' ἐναλλαγὴν generum, aut quia נשים *mulieres*, habet terminationem maſculinam. Quod ſi quis pati nollet, poſſet emendari אותן *othan.* Non malè etiam fortè vertas *illos*, ut intelligas viros, pro quibus ſibi impunitatem concedi petituri erant proceres Iſraëlitarum; *quibus condonabantur* illi viri, cùm impunes dimittebantur.

Sin-

ſingulis uxorem in bello non cepimus, neque vos dediſtis eis, tum *enim* deliquiſſetis.
23. Sic ergo ſe geſſerunt Bènjaminitæ, ceperúntque uxores, pro numero ſuo; quas rapuerunt è choreis, abierúntque ac reverſi in ſuam hereditatem, inſtaurarunt urbes, in quibus habitarunt.
24. Profecti illinc etiam ſunt Iſraëlitæ, quiſque ad Tribum, familiámque ſuam; unde ſinguli iverunt in ſua prædia.
25. Temporibus illis nullus erat Rex in Iſraële, quiſque faciebat quod ſibi rectum videbatur.

Singulis uxorem] איש *iſch*, quod ita intelleximus quaſi eſſet לאיש *leiſch*, unicuique, ita poſtulante ſenſu. Similis eſt Ellipſis Deut. XX, 19.

In bello] Contra Jabeſitas, ex quibus tantùm quadringentæ virgines confectæ fuerant, cùm ſexcentis opus eſſet. Cùm non intelligeret hæc Vulgatus, ſenſum finxit: *miſeremini eorum, non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum, ſed rogantibus ut acciperent, non dediſtis* &c. Sic ſolet, in locis obſcuris, omnem conſtructionem conculcare.

Tum enim deliquiſſetis] כי לא אתם נתתם להם כעת תאשמו *quia non vos dediſtis eis ſecundùm tempus*, quo *deliquiſſetis*. Obſcurus eſt locus, & qui torſit Interpretes. LXX. in Cod. Vaticano habent: ὡς κλῆρον (lege καιρὸς) πλημμελήσατε, in Alexandrino κατὰ τὸν καιρὸν &c. Vulgatus: *non dediſtis & à veſtra parte peccatum eſt.* Quæ omnia carent ſenſu, aut verbis non conveniunt. Commodiſſimè videntur poſſe intelligi, ſi vocem כעת *chabeth*, vertamus *tunc* aut *tum*; ut velint Iſraëlitæ ſibi condonari Siluntinas raptas, *quia ſingulis* Benjaminitis *uxorem non ceperant in bello* & *quia* (כי pro וכי *vechi*) *non dederant* ipſi Siluntini *eas Benjaminitis*; quod ſi feciſſent, *tum verò peccaſſent*, quia juraverant, ut ceteri, ſe Benjaminitis filias ſuas nuptui non daturos. Igitur כעת hic eſt pro בעת ההיא baheth hahi, *tempore illo*, hoc eſt, tunc.

23. *Quas rapuerunt è choreis*] *E choreis quas rapuerunt.*

Inſtaurarunt urbes] *Et ædificarunt urbes & habitarunt in iis*; urbes dirutas, & incendio abſumtas inſtaurarunt; nam Hebræi eodem verbo בנה *ædificare & iterum ædificare* ſignificant, quia verbis compoſitis carent. Hæc autem ſenſim facta eſſe intelligenda ſunt, pauculi enim Benjaminitæ non potuerunt ſubitò omnes urbes totius Tribus inſtaurare.

24. *Illinc*] *Silunte.*

25. *Non erat Rex*] Vide notata ad Cap. XVII, 6.

LIBRI JUDICUM FINIS.

L I B E R
R U T H Æ.

I. Elimelechus in Moabitide, quò famis cauſâ conceſſerat, moritur. Moriuntur & duo ejus filii, quorum alterius vidua Rutha Bethlehemum venit.

CAPUT I. 1. TEMPORIBUS, quibus jus dicebant Judices, contigit in terra *Iſraëlitide* famem eſſe. Quamobrem vir Bethlehemo Judæ in agros Moa-
biticos peregrinatum ivit, cùm ipſe, tum ejus uxor & duo filii.
2. Nomen illi viro fuit Elimelecho, uxorique ejus Nahomi, & duo-
bus filiis Machloni & Chiljoni. Ephrathæi erant, Bethlehemo Ju-
dæ, iveruntque in Moabiticos agros, atque illic commorati ſunt.
3. Obiit verò Elimelechus vir Nahomis, quæ ſuperſtes ei, cum duobus filiis, fuit.
4. Uxores *hi* ex Moabitidibus duxerunt, quarum uni quidem nomen fuit Horphæ,
alte-

C O M M E N T A R I U S
In CAPUT I.

1. T*Emporibus quibus jus dicebant Judices*] *Et fuit in diebus, quibus judicabant judices.* De hujus hiſtoriæ temporibus, diximus cùm in Diſſertatione de Scriptoribus horum Librorum Hiſtoricorum, tum etiam ad tabulas Chronologicas. Ex his verbis intelligere eſt ſcriptam hanc Hiſtoriam fuiſſe, cùm non ampliùs erant Judices, & quidem tempore Regum, ac, ut videtur, Davidis, aut certè Saülis. Vide ultima Libri verba.

In terra Iſraëlitide] Eſt tantùm בארץ *baarets*, ſed intelligendam eſſe ſolam terram Iſraëlitidem ipſa res oſtendit, cùm non eſſet fames, apud Moabitas. Itaque vocem, cum Interprete Chaldæo, ſupplevimus. Neque quiſquam miretur fame laboraſſe Hebræos, dum vicinorum agri fecundi erant, non poterant enim Hebræis frumentum ſuppeditare; cùm Hebræis nullum, aut exiguum eſſet cum vicinis gentibus commercium; quæ etiam infenſæ populo Hebræo vetare potuerunt, ne frumentum ad eum veheretur.

Famem eſſe] Hujus famis nulla mentio in libro Judicum, quæ tamen ſat gravis fuit; unde intelligere licet compendiariam tantùm eſſe hiſtoriam, nec ex ejus ſolo ſilentio nos argumentari poſſe.

Peregrinatum ivit] Nimirum, ut peregrè viveret, dum Iſraëlitæ cum fame confligerentur.

2. *Nomen illi viro fuit Elimelecho*] Hoc unum de hoc Elimelecho conſtat, quòd eſſet ex eadem familia ex qua Nahaſſon, princeps Tribûs Judæ, temporibus Moſaïcis. Vide Num. I, 7. & infrà Cap. II, 3. ubi Bohazus, Nahaſſone oriundus, ut ex Genealogia Cap. IV, 21. liquet, dicitur eſſe è familia Elimelechi. Verùm quod volunt Elimelechum divitem fuiſſe, quòd conſanguineus eſſet Bohazi, viri nobilis & divitis, nequaquam mihi liquidum eſt; quid enim frequentius, quàm nobilium & divitum virorum pauperes eſſe propinquos? Scio Davidem ex eo ortum eſſe, & vocari Elimelechum à Chaldæo Interprete, גברא רבא *magnum virum*; ſed ne hæc quidem probant divitem fuiſſe Elimelechum, cum ipſe Davidis pater Iſaïs fortè minimè dives fuerit.

Ephrathæi erant] Nam Bethlehemum *Ephratha* etiam dicebatur. Vide ad Gen. XXXV, 19. Hæc ſignificant Elimelechum fuiſſe patriâ Bethlehemitam, nam quod v. 1. dictum erat, ſignificabat tantùm eum Bethlehemo profectum; quod convenire ei etiam potuit, qui Bethlehemita non erat, ſed poſt commorationem aliquam, in eo oppido, in Moabitidem iviſſet.

4. *Uxores ex Moabitidibus*] Qui volunt connubia Hebræorum cum Moabitidibus illicita fuiſſe, non poſſunt niti lege, quæ habetur Deut. VII, 1, 2, 3. ubi Moſes ſeptem dumtaxat devotos populos recenſet, nec Moabitarum mentionem ullam facit. Eſt tantùm locus Deut. XXIII, & ſeqq. ubi nefas eſſe ait Moabitas, ne decimâ quidem pòſt ætate, quàm cœpiſſent vivere inter Iſraëlitas, eodem jure frui ac Hebræos; ſed nihil dicit de Hebræorum connubiis, cum Moabitarum filiabus. Itaque Elimelechi filii non poterant damnari, quòd Moabitidas duxiſſent, modò ne Moabitarum Deos colerent. Damnat tamen hæc matrimonia Thargumiſta, quem & alii Rabbini ſequuntur, qua de re vide *Joan. Buxtorfium* de Sponſalibus P. I. num. 31. Sed ſi bello captam Moabitidem ducere licuit, non video cur hoc in pace illicitum fuerit. Vide Deut. XXI, 10, 11.

6. *Profecta deinde eſt*] *Et ſurrexit ipſa & nurus ejus & reverſa eſt* &c. Res ipſa oſtendit agi hîc non de ipſo reditu perfecto, ſed de profectione ad redeundum. Non infrequenter Hebræi eodem verbo & rei perfectionem & initium ejus ſignificant. Vide *Sal. Glaſſium* Gram. Sac. *Lib. III. Tr. III. Can.* 3. Accurati eſt Interpretis ex re ipſa hæc ſecernere.

Curam geſſiſſe] *Viſitaſſe*, כי פקד *chi phakad.* Vide not. ad Gen. XXI, 1.

8. *Ite, inquit, redite* &c.] Hanc habuit Nahomis orationem, cùm ſat procul eam nurus
co-

alteri verò Ruthæ; ac per decem quidem annos illic ſunt commorati. 5. Tum etiam
ambo illi mortui ſunt, Machlon & Chiljon; muliérque & duobus filiis & viro ſuper-
ſtes fuit.
6. Profecta deinde eſt cùm ipſa, tum nurus, ut reverteretur *in patriam*, ex agris Moa-
biticis; quia illic audiverat Jehovam curam geſſiſſe populi ſui, dato ei pane. 7. Egreſſa
ergo cùm eſſet ex loco, in quo commorabatur, unáque duæ ejus nurus, viam ingreſ-
ſæ ſunt, quâ reverterentur ad terram Judæ. 8. Tum verò Nahomis duabus Nuribus,
ite, inquit, redite unaquæque domum matrum veſtrarum; & vobiſcum Jehova benignè
ſe gerat, quemadmodum vos cum mortuis *viris* & mecum geſſiſtis. 9. Det vobis Je-
hova ambabus invenire ubi conquieſcatis, in ædibus virorum veſtrorum. Dein eas oſ-
culata eſt, unáque ejularunt, ac fleverunt; eique, 10. imò verò, inquiebant *nurus*, ad
populares tuos tecum revertemur. 11. At Nahomis, redite, inquit, filiæ meæ, cur
mecum veniretis? Súntne etiamnum in viſcetibus meis filii, qui viri veſtri fiant? 12. Re-
vertimini, filiæ meæ, atque abite; nam grandioris ætatis ſum, quàm ut nubam. Imò ſi
dicerem ſpem mihi eſſe *liberorum*, & vel hac nocte nuberem, aut etiam parerem filios;
13. an eos exſpectaretis, donec adoleviſſent? An occluſæ viveretis, ne nuberetis, prop-
ter eos? Ne *venite*, filiæ meæ, quamvis *à vobis divelli* amarius multò ſit mihi, quàm
vobis, & manus Jehovæ contra me exſerta fuerit. 14. Ejulatu edito, hic iterum fleve-
runt; ac Horpha quidem oſculata ſocrum *abiit*, verùm Rutha ei adhæſit.
15. Tum

comitatæ eſſent; quæ, ut ex Rutha liquet, pauperculæ erant, nec fortè domi plus habebant quod ſperarent, quàm peregrè. Laudabiles tamen erant, quòd Socrui vetulæ, poſt viros fato functos, comites ſe præberent.

Vobiſcum benignè ſe gerat] *Faciat vobiſcum benignitatem*, חסד *bheſed*; hoc eſt, vobis benefaciat.

9. *Ubi conquieſcatis*] *Et inveniatis requiem*; hoc eſt, quietam vitam nuptæ in patria veſtra.

Unáque ejularunt] *Et ſuſtulerunt vocem ſuam.*

10. *Ad populares tuos*] *Ad populum tuum.*

11. *Qui viri veſtri fiant*] Jure leviratûs, de quo in ſequentibus. Sic fecit Thamara Judæ nurus, Gen. XXXVIII, 8. & ſeqq.

12. *Quàm ut nubam*] *Quàm ut ſim viro.*

Imò ſi dicerem] כי אמרתי *chi amarthi*. Τὸ *chi* vix aliter poteſt hoc in loco verti, & ſupra v. 10. vertimus *imò verò*. Abſurdè LXX. Intt. διότι εἶπα.

Hac nocte] Præteritâ, nempe. Hanc vocem omiſerunt LXX. Intt. qui habent, conſentientibus Codicibus: ὅτι ἐστί μοι ὑπόστασις τοῦ γενηθῆναί με ἀνδρὶ καὶ τέξομαι υἱούς. Incommodè. Latinus qui paraphraſin potiùs locorum paullò obſcuriorum habet, quàm accuratam tranſlationem, nec fortè adſequebatur quid eſſet תקוה *thikvah*, quod ὑπόστασις, hoc eſt, *ſpem* rectè verterunt LXX. Intt. tranſtulit: *etiamſi poſſem hac nocte concipere & parere liberos*. Quæ ſententia quidem eſt verborum Hebraïcorum; ſed ab iis ſine ratione nimis receſſit, cùm liceret æquè clarè verbo tenus vertere.

13. *An eos exſpectaretis*] הלהן תשברנה *halahen theſchabbarnah*. Hic iis adſentimur, qui putant להן *lahen* eſſe pro להם *lahem*, ſed in ejuſmodi loquutione, nihil niſi mendum Librariorum quæſiverim. Rectè LXX. Intt. μὴ αὐτοῖς προσδέξεσθε ἕως οὗ ἀδρυνθῶσι; *Hieronymus* malè: *ſi eos exſpectare velitis, donec creſcant & annos pubertatis impleant.*

An occluſæ viveretis] הלהן תעגנה *halahen thehagenah*. Cùm verbum עגן *hagan* hîc tantùm occurrat, de ejus ſignificatione non conſentiunt Intt. Græci habent, ἢ αὐτοῖς κατασχεθήσεσθε, hoc eſt, *in illorum gratiam vos continebitis?* aut, ut vult *Bonfrerius*: *eis obligatæ eritis*. Vulgatus: *ante eritis vetulæ, quàm nubatis*. Sed nullam vocis הלהן *halahen*, aut conſtructionis rationem habuit. Sequi maluimus eos, qui, ex Chaldaïca lingua, עגן *hagan* interpretantur *claudere*. Ut enim virgines clauſæ vivebant, antequàm nuberent; ſic & ejuſmodi viduæ, quæ veluti deſponſæ erant pueris, quorum adoleſcentiam exſpectabant, ne qua imminutæ caſtitatis ſuſpicio oriretur, domi ſe continebant.

Ne venite] Orationis ſeries oſtendit ſupplendum *venite*.

Quamvis à vobis divelli amarius multò ſit mihi, quàm vobis] כי מר לי מאד מכם *chi mar li meod micchem*, *quia amarum mihi valde à vobis*. Vocula מכם *micchem* ambigua eſt, poteſt enim verti *propter vos*, aut *quàm vobis*. Poſteriorem ſenſum ſequuti ſumus, atque ex re ipſa ſupplevimus, quod ſupplendum videbatur. Volebant nurus Nahomis Socrum comitari in Chananæam, quòd ab ea divelli non poſſent. Id verò diſſuadere adgreditur, eadémque operâ teſtatur ſibi amariorem eſſe eam ſeparationem, quàm ipſis; ſed eas conſultiùs facturas, ſi redeant ad conſanguineos Moabitas, apud quos denuo nubere poterant. כי *chi* vertimus *quamvis*, ut alibi. Vid. ad Exod. XIII, 17.

Contra me exſerta fuerit] *Exierit in me*; nempe, ei viro & filiis, in aliena terra, ereptis; quo fiebat ut ſolatio nuruum indigeret, quarum tamen commodis officere nolebat. Non poteſt intelligi verſio LXX. Intt. ὅτι ἐπικράνθη μοι σφόδρα ὑπὲρ ὑμᾶς, ὅτι ἐξῆλθεν ἐν ἐμοὶ χεὶρ κυρίου. Nec melior eſt paraphraſis Hieronymi: *quia veſtra anguſtia magis me premit, & egreſſa eſt manus Domini contra me.*

14. *Ejulatu edito &c.*] *Et ſuſtulerunt vocem ſuam & fleverunt adhuc.*

Oſculata ſocrum] Hoc eſt, oſculo ei valedixit. Ideò ſuppleverunt LXX. Intt. ἐπέστρεψεν εἰς τὸν λαὸν αὐτῆς & Vulg. *reverſa eſt*. Ipſa res hæc addenda ſuaſit, ſed quidquam legiſſe eos in Codicibus ſuis, præter id quod legimus in noſtris, non credo, quamvis aliter cenſeat *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. IV. c. XIV, 1. Omnes Interpretes paſſim talia ſupplent, ex ingenio.

15. *Ad*

15. Tum Nahomis *Ruthæ*, en, inquit, fratria tua ad populares ac ad Deos ſuos reverſa eſt, ſequere fratriam. 16. Rutha verò, ne mihi, ait, adverſare, ut te deſeram, abeámque à te; quocumque enim iveris, ibo, & ubicumque pernoctabis, pernoctabo; populares tui mei ſunt, Deúſque tuus meus itidem eſt. 17. Ubicumque morieris, ibi moriar, ac ſepeliar. Sic ſe gerat erga me Jehova, & ſic pergat *ſe gerere:* ut mors *ſola* nos divellet. 18. Cùm ergo vidiſſet eam, obſirmato animo, velle ſecum ire, deſiit *ea de re* cum ea agere.

19. Ambæ igitur iverunt, donec Bethlehemum pervenirent; quam cùm eſſent ingreſſæ, tota propter eas urbs commota eſt, dixeruntque mulieres, éſtne hæc Nahomis? 20. At iis Nahomis, ne me vocate, inquit, Nahomin, vocate me Maram; amariſſimum enim *calicem bibendum* mihi dedit Omnipotens. 21. Ego quidem plena abieram, ſed vacuam me reduxit Jehova; cur me Nahomin vocaretis, cùm Jehova teſtatus ſit me non eſſe ejuſmodi, & Omnipotens me malè habuerit? 22. Reverſa *ſic* eſt Nahomis, & Rutha Moabitis ejus nurus unà cum illa, & rediit quidem ex agris Moabiticis; veneruntque unà Bethlehemum, initio hordeaceæ meſſis.

II. Ru-

15. *Ad populares ac Deos ſuos*] Notum eſt *Chemoſum* fuiſſe Moabitarum Deum, déque eo diximus ad Num. XXI, 29. Horpha, vivo viro, videtur Hebræorum Deum coluiſſe, &, ſi unà cum illo in Chananæam redire potuiſſet, cultura fuiſſe. Ideóque dicitur *redire ad Deos ſuos*, quos olim coluerat, & quos apud Hebræos non coluiſſet.

Sequere] *Redi poſt.*

16. *Ne mihi adverſare*] אל תפגעי בי *al thiphgebi bi.* Verbum Hebræum propriè *occurrere* ſignificat, & quidem hoſti, inde *adverſari* hîc ſonat & contrà dicere.

Populares tui] *Populus tuus populus meus.*

Deus tuus &c.] Oportet Nahomin, comitate & morum facilitate, mirè conciliaſſe ſibi nuruum animos, & præſertim quidem Ruthæ; quæ numquam voluit ab ea divelli, & Deos colere quoſcumque eſſet cultura. Noverat quidem, ſine dubio, quid ſentirent Hebræi de uno Deo, eúmque vivo viro coluerat; ſed qui ab infantia plures Deos eſſe crediderant, adeóque ſuum unicuique regioni, quæ Orientalium, aliorúmque populorum erat opinio; mutato ſolo, non ægrè alios Deos colebant, cùm unicuique Deo ἐπιχωρίῳ intra regionis ambitum cultum deberi cenſerent.

17. *Sic ſe gerat* &c.] *Sic faciat Jehova mihi & ſic addat.* Vide 1. Sam. XIV, 44.

Ut mors ſola &c.] *Quia mors dividet inter me & inter te.* Senſus eſt: ita ſe Deus erga me gerat, quemadmodum ex animo juro me tibi ad mortem uſque adfuturam, útque fidem tibi ſervabo. Quæ verba fidem ſervanti cœleſtia beneficia exoptant; ſin minùs, iram Dei in perfidam invocant.

18. *Deſiit ea de re* &c.] *Et deſiit eam alloqui*, in eam, nempe, ſententiam.

19. *Eſtne hæc Nahomis*] Propter mutationem fortunæ, & fortaſſe etiam formæ, cum nunc grandioris ætatis eſſet; nam vox נעמי *nahomi*, *pulcram*, & *gratam* ſonat, quò reſpicit Nahomis ſequenti verſu. Rectè autem interrogativè legitur הזאת *Eſtne hæc*, nec dubito quin ſit interrogationis nota addenda verbis Vulgati Interpretis: *Hæc eſt illa Noëmi?* quamvis aliter cenſeat *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. V. c. VIII, 1. ubi vult Vulgatum legiſſe cum ה demonſtrativo הזאת. Interrogationem hîc quoque habent LXX. Intt. εἰ αὕτη *an hæc*.

20. *Ne me vocate Nahomin*] Conditioni meæ præſenti non convenit nomen, quod *pulcram* & *gratam* ſignificat.

Maram] Amaram.

Amariſſimum enim calicem &c.] המר שדי לי מאד hemar ſchaddai li meod, *fecit amarorum Omnipotens mihi valde*; hoc eſt, amarum calicem bibendum mihi præbuit, quæ loquutio eſt Scripturæ. Vide Jerem. XXV, 15. Lament. IV, 21. & quæ hac de re collegit *Thom. Gatakerus* Miſcell. Poſt. c. V.

21. *Plena abieram*] Incolumi familiâ, nec opibus exhauſtis, nunc verò omnia amiſerat.

Teſtatus ſit me non eſſe ejuſmodi] ענה בי hana bi, *reſpondit contra me*, ut teſtis qui interrogatus teſtimonium contra quempiam dicit. Vide Deut. XIX, 18. Alii huic conjugationi eamdem ſignificationem tribuerunt, ac conjugationi *Piel* ענה *hinnah.* Sic LXX. Intt. habent ἐταπείνωσε, *humiliavit*, quod ſequutus Latinus, qui addidit, *& afflixit.* Sed ob conſtructionem, prætulimus priorem ſignificatum.

22. *Reverſa ſic eſt Nahomis* &c.] Hæc eſt ſuperioris narrationis veluti ἀνακεφαλαίωσις, alioqui mera hæc eſſet repetitio.

Initio meſſis hordeaceæ] Primo vere. Vide not. ad Joſ. III, 15.

In Caput II.

1. *Vir dives*] גבור חיל *gibbor hhajil*, quod aliàs *vir fortis* ſolet verti; ſed חיל *hhajil* non vires tantùm, verùm & divitias ſignificat. Hinc *Hieronymus: homo potens & magnarum opum.*

2. *Spicas legam*] Sic loquuntur Latini, ſed Hebræi dicunt *colligere in ſpicis*, hoc eſt *inter ſpicas*, Hebr. בשבלים *baſſchibolim.* Non eſt cur mutemus loquutionem Latinam, ut volebat *Lud. de Dieu*, cùm ſit idem ſenſus.

Quem mihi faventem inveniam] *In cujus oculis gratiam inveniam.*

3. *Quem caſu contigit eſſe prædium*] ויקר מקרה *vajjiker mikreha*, & contigit caſus ejus pars agri &c. LXX. Intt. περιέπεσε περιπτώματι τῇ μερίδι.

Digitized by Google

II. Rutha ſpicas legit inſcia, in agro Bohazi, à quo perhumaniter agnita habetur, hordeique Epham colligit; quam ad ſocrum defert, à qua accipit propinquum ſibi eſſe Bohazum.

1. NAHOMI adfinis fuit, propter ejus virum, vir dives, è familia Elimelechi, cui no- CAPUT II.
men erat Bohazo. 2. Rutha autem Moabitis Nahomi, in agros, inquit, ibo &
ſpicas legam poſt eum, quem mihi faventem inveniam. Ito verò, ait illa, filia.
3. Ivit igitur, & cùm veniſſet *in agrum qui metebatur*, ſpicas legit in agro, poſt meſſo-
res; quem caſu contigit eſſe prædium Bohazi, gentilis Elimelechi.
4. Ecce verò Bohazus Bethlehemo veniens dixit meſſoribus: Jehova ſit vobiſcum; qui
illi, Jehova, inquiunt, tibi benedicat. 5. Tum Bohazus ſervo, qui præerat meſſoribus,
cujus, inquit, hæc eſt puella? 6. Reſpondit ſervus meſſoribus præfectus, dixitque eſſe
puellam Moabitidem, quæ cum Nahomi ex agris Moabiticis redierat. 7. Dixit *mihi*, *in-
quit*, ſpicas quæſo legam, eáſque colligam in manipulos poſt meſſores. Venit ergo, &
remanſit hìc à *ſummo* mane, uſque ad hoc tempus; nunc verò aliquantulùm ſedet domi.
8. Ibi Bohazus Ruthæ, audiſne, inquit, filia? ne ad legendas ſpicas in alium agrum con-
cedas, néve hinc abeas, hic ſolùm ancillis meis adhæreas. 9. Oculi *tantùm* tui *intenti ſint*
in agrum, quem metent, quò eas ſequeris. Vetui ſervis, ne te attingerent. Quod ſi ſi-
tias, ito ad vaſa, bibitóque ex *aqua*, quam ſervi hauſerint. 10. Procidit illa in faciem,
atque humi proſtrata, illi, cur, inquit, te mihi, faventem experior, ita ut me agnoſcas,
cùm

eâh. Vulg. *accidit autem ut* &c. Apud Hebræos, מקרה *mikreh* eſt improviſum quidpiam, quod *fortuitum* vocant Latini; ſed quod fortuitum fuiſſe videtur, pependiſſéque à libero hominis arbitrio, ſæpe eſt Divinæ Providentiæ arcanus effectus, quæ nobis inſciis multa agit.

Sic, quæ permiſſis fluitare videtur habenis,
Sors patitur frenos, ipſáque lege meat.

Quæ verba ſunt *Boëthii*. Nec mihi dubium videtur quin Providentia Divina Ruthæ immiſerit non ſentienti animum ſpicas legendi, deinde etiam mulierem ad Bohazum deduxerit.

Gentilis] *Qui è familia.*

4. *Jehova ſit vobiſcum* &c.] Sunt formulæ ſalutandi, ut *pax tibi ſit.*

5. *Cujus, inquit* &c.] Filia, nimirum. Peregrinum fortè quiddam in vultu, aut in veſte erat, quod curioſitatem Bohazi movit.

7. *Spicas quæſo legam*] Lex fuit, ex qua non licebat nimis accuratè meſſoribus extremas agrorum ſpicas legere, ut pauperibus ſpicilegium aliquod ſupereſſet, Levit. IX, 9. Sed domino agri licuit huic pauperi, potiùs quàm alii, ſpicilegium concedere, in ſuo prædio. Ideò Rutha à Bohazi ſervo ſpicas in ejus agro legendi poteſtatem ſibi fieri petiit, antequàm manum operi admoveret.

Nunc verò aliquantulum ſedet domi] זה שבתה הבית מעט *zeh ſchibtha habbajith mehat*, hoc eſt ſedere ejus domi parumper. Hic infinitivus שבת *ſchebeth* eſt loco nominis & *ſeſſionem* ſignificat, ut 2. Reg. XIX, 27. Mulier quippe æſtu, aut labore defeſſa aliquantulum ex agro ad villam Bohazi ſeceſſerat, ut quieſceret in umbra. At LXX. Intt. poſtquàm de ſuo dixerunt Rutham fuiſſe in agro ἕως ἑσπέρας, hæc verba ſic vertunt: οὐ κατέπαυσεν ἐν τῷ ἀγρῷ μικρόν, quaſi legiſſent שָׁבְתָה *ceſſavit*, à radice שבת *ceſſare*, ut obſervavit *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. IV. c. II, 21. *Hieronymus* verò, *& ne ad momentum quidem domum reverſa eſt.* Sed ut hoc diceretur, oportuiſſet eſſet in Hebraïcis Codicibus: ולא שָׁבָה לַבַּיִת מְעָט *neque redit domum aliquantum.* Sed & Græci Interpretes & *Hieronymus* ex conjectura verterunt quod non intelligebant, ut alibi paſſim. Præterea domus, de qua hìc ſermo eſt, *domus* eſt ruſtica Bohazi, non urbana, in qua degebat Rutha, quæ veſperi tantùm in urbem rediit.

8. *Audiſne*] Heus tu, filia.

Ancillis meis] נערותי *naharothai*, quod poſſet etiam ſignificare non ſerviles, ſed liberæ ſortis mulieres mercenarias; quæ aut metebant, aut ſegetes in manipulos colligebant.

9. *Quem metent*] Non ancillæ, ſaltem ſolæ, nam eſt verbum maſculinum יקצרון *jiktſeroun*. Itaque ſubaudiendum קוצרים *kotſerim*, meſſores, quæ vox utrumque ſexum complectitur.

Vetui ſervis &c.] *Annon præcepi ſervis* &c. Sic Hebræi interrogatione exprimunt, quæ in aliis Linguis ſine interrogatione proferuntur. Vide Joſ. I, 9. & v. 10.

Ne te attingerent] Nocendi, nempe, aut illudendi causâ. Ex hac oratione Bohazi, ſupplendum quod narrationi deeſt.

Quod ſi ſitias] *Et ſitiiſti, & abiiſti.*

Ex aqua, quam hauſerint] Cùm remoti fortè eſſent fontes, aut putei, vel ad manum non eſſet vas, quo aqua hauriretur, commodum erat aquam hauſtam bibere.

10. *Cur, inquit, te mihi* &c.] Iterum eſt interrogatio Hebraica, ut in verſu antecedente. Senſus eſt, immeritam à te benevolentiam experior. Pro *faventem experior*, eſt, ut ſupra, *inveni gratiam in oculis tuis.*

Me agnoſcas] Hoc eſt, eodem modo me habeas, ac ſi dudum tibi nota eſſem, perſpectíque eſſent tibi mores mei. Hebræi eos *noſci*, aut *agnoſci* dicunt, qui probantur, & benignè quaſi noti habentur. Vide Pſalm. I, 6. & Interpretes ad eum locum. Poſſent & hæc ita intelligi, ut ſcias me eſſe viduam civis Bethlehemenſis, méque ideò liberaliùs alloquaris, quamvis ſim peregrina. Sed priorem prætulerim interpretationem, quia non videtur adhuc Rutha, cùm hæc diceret, intellexiſſe ſe notam eſſe Bohazo. Vide v. 19.

 11. Ac-

cùm ſim peregrina? [11] Reſpondit verò Bohazus, mulierique, accepi, inquit, quidquid feciſti ſocrui tuæ, poſt mortem viri tui, & quomodo reliqueris parentes & ſolum natale, ut venires ad populum, quem antea non noras. [12] Remuneretur Jehova id quod feciſti, ſítque tibi plena merces à Jehova Deo Iſraëlis, ad quem veniſti, ut ſub alis ejus fiduciam haberes. [13] Illa autem, faventem te mihi, Domine, experior, cùm me ſolatus ſis, & quæ ancillæ tuæ cordi ſunt dixeris; quamvis ne unius quidem ancillarum tuarum inſtar ſim. [14] Bohazus iterum illi, tempore, inquit, paſtùs, accede huc, comede panem *noſtrum*, & tinge buccellam tuam in aceto. *Tempore ergo paſtûs*, ſedit juxta meſſores, & porrecta illi eſt polenta, comeditque & ſaturata eſt; reliquiáſque etiam habuit.

[15] Tum ſurrexit ut ſpicas legeret, mandatáque dedit Bohazus ſervis, his verbis: etiam inter manipulos ſpicas legat, neque eam pudore afficiatis. [16] Quin imò detrahite ei quidpiam è faſciculis & relinquite, colligátque; nec eam increpate. [17] Spicas ergo

[11] *Accepi*] *Nunciando nunciatum eſt mihi.*

Quem antea non noras] *Heri & nudius tertius non noras.* Niſi ex relatu viri, ejúſque familiæ. Re verâ ut patriam deſereret Rutha, pauperculámque Socrum ſequeretur, oportet eam viri Machlonis memoriam altè animo impreſſam geſſiſſe, nec exiguâ amicitiâ Socrum proſequutam.

[12] *Ut ſub alis ejus fiduciam haberes*] לחסות תחת כנפיו *lahhaſoth thahhath chnaphau*, ad confidendum ſub alis ejus; hoc eſt, ut ejus providentiâ tecta majori cum fiducia in Iſraëlitide terra vitam agitares, quàm ſi Deos Moabitarum in patria coleres. Metaphora eſt deſumta ab avibus, quæ pullos ſuos alis tegunt & ab injuriis aëris defendunt. Frequenter cum alibi, tum in Pſalmis occurrit, ut Pſalm. XVII, 8. XXXVI, 8. in quo poſteriore loco hæc ipſa Bohazi loquutio legitur: *filii hominum in umbra alarum ejus fiduciam habebunt.* יחסיון *jehhaſajoun.* Hinc liquet Rutham idem ſenſiſſe, de Deo, ac Hebræos; quod dogma à viro, ejúſque familia hauſerat. Ideò Paraphraſtes Chaldæus rem ſtylo ſæculi ſui ſic expreſſit: *quia veniſti ut proſelyta fieres* (לאתגיירא *leithgujara*) *itaque protegereris ſub umbra habitationis gloriæ ejus* (שכינת יקריה ſchechinath jekareh) *ut hoc juſto facto liberareris à judicio gehennæ, ut ſit tua portio cum Sara, Rebekka, Rachela & Lea.*

[13] *Faventem te mihi, Domine, experior.*] *Inveniam gratiam in oculis tuis.* Præſenti vertimus, quoniam vix apta eſt reſponſio ſi Futuro concipiatur, nec conſentit cum ſequentibus. Contra ex noſtra verſione, miratur Rutha felicitatem ſuam, quæ cùm paupercula & peregrina eſſet, tantam Bohazi benevolentiam erga ſe, præter omnem ſpem, experiebatur.

Cùm me ſolatus ſis] כי נחמתני *chi nihhamthani.* Vulgatus qui antea habet *gratiam inveni*, coactus fuit vertere hîc, *qui conſolatus es me*, cùm tamen particula כי *chi* non poſſit ita verti.

Quæ ancillæ tuæ cordi ſunt] *Loquutus es ad cor ancillæ tuæ*; hoc eſt, mihi ea dixiſti quæ cordi mihi eſſe noveras. Vide Gen. XXXIV, 3.

Quamvis ne unius quidem &c.] *Et ego non ero ſicut una.* Hîc & perinde eſt ac *quamvis*, aut certè Latinè loquentes, ſi idem dicere velint, utantur oportet ea particula, quod rectè animadvertit *Chr. Noldius*, in Concordantia particularum, quem vide. Sic ſumitur etiam Geneſ. XVIII, 27. XLVIII, 14. & alibi ſæpe.

[14] *Tempore, inquit, paſtûs*] Aut, *accede tempore paſtûs*, neglecto accentu qui eſt in voce לָאֱכֹל *paſtûs*, quaſi velit Scriptor Sacer dixiſſe hæc Bohazum tempore paſtûs. Vide *Lud. Cappellum* Crit. Sac. Lib. IV. c. III, 9.

Comede panem noſtrum] Hoc eſt, cibum meſſoribus appoſitum.

Tinge buccellam] Propter æſtum, qui ſtomacho faſtidium creat, utebantur etiam aceto, cum pane, aut alio fortè cibo. Hanc in rem, Græcis vaſcula erant, quæ ὀξύβαφα vocabantur.

Porrecta illi eſt polenta] ויצבט לה קלי *vajitsbat lah kali*, porrexit illi polentam; is, nimirum, qui cibum meſſoribus dividebat. Paſſim Hebræi nominativum ſubaudiunt, ex re ipſa colligendum. Oſtendimus ad Levit. XXIII, 14. קלי *kali* eſſe propriè hordeum toſtum, deinde etiam polentam, aut pultem eo factam. LXX. Intt. verterunt hîc ἐβούνισεν αὐτῇ Βοὸζ ἄλφιτον, Hieronymus: *congeſſit polentam ſibi.* Vox צבט *tſabat* in hoc duntaxat loco occurrit, nec tamen dubium videtur quin ſignificet *dare*, *porrigere* aut ſimile quidpiam. Eadem radix, apud Arabas & Æthiopas, ſignificat *comprehendere*, *tenere*, & apud Chaldæos צביטא *tſebita*, *anſam*, aut *manubrium* quo quidpiam tenetur. Hæc adfinia ſunt τῷ *porrigere*, nam tenendo porrigimus. Ideóque *Chaldæus* habet hîc אושיט *oſchit*, hoc eſt, *porrexit.* Mirum eſt unde LXX. Intt. ſumſerint vocem ἐβούνισε, aliis Græcis Scriptoribus ignotam. Fortè Alexandrina fuit ſignificavítque ſtruere εἰς βουνὸν, ſeu *in cumulum*, ut quando magna copia cibi in cumulum ſtructa cuipiam adponitur. Sed vix credo huic loco convenire hunc ſignificatum, quia ſermo eſt de *polenta*, ſive cibo liquido, qui in cumulum non coacervatur; ἄλφιτον enim, ſive farina ſicca non comeditur. Quare miror *Hieronymum* vertiſſe *congeſſit*, cum polentam fuiſſe crediderit.

Reliquias habuit] ותתר *thothar*, reliquum fecit.

[15] *Etiam inter manipulos*] Non fiebat pauperibus poteſtas ſpicas legendi inter manipulos, ne ex ipſis manipulis nonnullas vellerent. Satis iis erat in extremis agris, & unde manipuli jam ablati, aut amoti erant, ſpicas legere poſſe.

Pudore afficiatis] Hoc eſt, increpetis, conviciiſque exagitetis, quibus pudore ſuffundatur, ita ut ſpicas ampliùs legere non auſit.

16. De-

Digitized by Google

ergo legit in agro, uſque ad veſperam, excuſſóque eo quod legerat, fuit ei circiter
Epha hordei.
18. Hoc ſumto, in urbem abiit, viditque ſocrus quod legerat. Tum etiam protulit
Rutha quod ſibi ſatiatæ reliquum fuerat, eique dedit. 19. Socrus verò ei, ubi, inquit, ho-
die ſpicas legiſti, & *ſic* feciſti? Bene illi ſit, qui te agnovit. Ibi narravit ſocrui cum quo
negotium ſibi fuiſſet, & nomen, inquit, viro, cum quo hodie negotium mihi fuit, eſt
Bohazo. 20. At Nahomis nurui, bene, inquit, illi ſit à Jehova, qui non deſiit beneficus
eſſe cùm erga vivos, tum erga mortuos. Subjecit etiam: propinquus eſt nobis vir ille,
ex vindicibus noſtris eſt. 21. Rutha verò Moabitis, quinimò, inquit, mihi dixit: ſer-
vis meis adhæreto, donec totam meſſem meam abſolverint. 22. Tum Nahomis Ruthæ
nurui, bene eſt, inquit, filia, te exire cum ejus ancillis, neque tibi occurrere *homines* in
alio agro *metentes*. 23. Adhæſit ergo ancillis Bohazi, ut ſpicas legeret, donec perfectæ
eſſent meſſes hordei & tritici, habitavitque cum ſocru.

III.

16. *Detrahite ei quidpiam*] של תשלו *ſchol thaſchollou*, ſpoliando ſpoliate; hoc eſt, ſpicas è manipulis jam factis evellite, quas ei legendas relinquatis. Erat liberalis quædam ratio benefaciendi pauperculæ mulieri, quâ ejus pudori ſimul conſulebatur; neque enim generoſioris animi homines, licèt rebus adverſis fracti, facilè dona accipiunt, quæ eis in manum traduntur. Malunt videri ea induſtriæ ſuæ aliquo modo deberi, quemadmodum hîc Rutha, quæ ea tantùm colligere videbatur, quæ cuivis pauperi fuiſſent relicta. Hæc ex Hebraica lectione colliguntur, quæ in Græca verſione non occurrunt; in qua legimus βαστάζοντες βαστάσατε, quæ Hebrææ voci minimè reſpondent. Videntur hanc vocem ex conjectura vertiſſe, ut & *Hieronymus*, qui habet *projicite de induſtria*.

E faſciculis] מן הצבתים, *min hattſebothim*. Hæc quoque vox eſt, quæ uno loco occurrit, ut verſum צבט *tſabat*, de quo antè diximus, & cui eſt, ut nonnulli putant, adfinis ſignificationis. LXX. certè Interpretes verterunt βεβουνισμένα. Vulgatus *manipulos*. Intellexerim majores faſciculos, qui pluribus manipulis conſtant. Apud *Chaldæos* צבת *tſabath*, aliquando eſt *colligere*, unde apud Thalmudicos etiam צבתים tſabathim dicuntur *faſces frugum*.

17. *Excuſſóque*] ותחבט *vatthabhbot*. Quod LXX. verterunt ἐῤῥάβδισε, Hieronymus: *virgâ cædens & excutiens*. Vide Deuter. XXIV, 20. Eſa. XXVIII, 27.

Epha hordei] Hæc menſura fuit pedis cubici Anglici, ex calculo *Ed. Bernardi*, continuitque tritici circiter 57. libras, quod *de Troy* in Anglia dicitur. Hinc intelligere licet ſatis lautam unius diei collectionem fuiſſe. Videtur autem Rutha in area ipſa Bohazi excuſſiſſe hordeum ſuum, atque in ſacco retuliſſe domum. Difficulter enim potuiſſet ipſos culmos, cum granis, bajulare.

18. *Hoc ſumto*] *Et ſuſtulit, & venit in urbem & vidit* &c.

Et vidit Socrus] ותרא חמותה *vattbere hhamotha*, καὶ εἶδεν ἡ πενθερὰ, ut habent LXX. Intt. Sed *Hieronymus* neglectâ conſtructione, vertit *oſtendit ſocrui*, quaſi ſcriptum eſſet וַתַּרְאֶה לַחֲמוֹתָהּ ut obſervavit *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. V. c. IX, 1.

Sibi ſatiatæ reliquum fuerat] *Quod reliquum fecerat è ſatietate ſua.*

19. *Sic feciſti*] Hoc eſt, tantam copiam hordei retuliſti, nam עשה *haſa*, etiam comparare ſibi ſignificat. Vide Cap. IV, 11.

Qui te agnovit] Qui te quaſi notam beneficio affecit. Vide ſup. ad v. 10.

Bene illi ſit qui te agnovit] *Agnoſcens te benedictus.*

Cum quo negotium &c.] *Cum quo feciſſet.*

20. *Bene illi ſit à Jehova*] *Benedictus ille Jehovæ*, ברוך הוא ליהוה *barouch hou ladonai.*

Non deſiit beneficus eſſe] לא עזב חסדו lo hazab hhaſdo, *non reliquit beneficentiam ſuam.*

Cùm erga vivos, tum erga mortuos] *Cum vivis & cum mortuis*; quia, nimirum, dum viduis Elimelechi, ejúſque filii benefaciebat, oſtendebat ſe conſanguineorum memoriam colere, quorum causâ mulieribus benefaciebat.

Ex vindicibus noſtris eſt] מגאלנו הוא *miggoalenou hou*. Ex redemtoribus noſtris ille. *Redemtor*, aut *vindex* dicebatur, qui propinquitatis jure potuit redimere alium, viduámve ejus ducere, & hereditatem adire. Vide Levit. XXV, 25. & Num. XXXV, 12. Hinc *vindex* eſt qui ſibi *vindicat*, ſeu attribuendam contendit, aut poteſt contendere uxorem propinqui. Ἀγχιστεύοντων rectè verterunt LXX. Intt. *Hieronymus* omiſit, aut culpâ Librariorum, quod malim, ex ejus verſione intercidit. Neque enim puto aliter eum legiſſe, ut *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. V. c. X, 1.

21. *Donec totam meſſem abſolverent*] Hæc non ſunt ipſa verba Bohazi, ſed ſenſus ex iis collectus; quamvis directa ſit oratio, pro more Hebræorum.

22. *Te exire*] In agros ad metendum.

Neque tibi occurrere] Hoc eſt, te incidere in alios meſſores, qui non paterentur te quemadmodum feciſti ſpicas legere. Alii יפגעו בך *jiphgehou bach*, interpretantur de occurſu contumelioſo, inter quos Vulgatus qui habet: *ne in alieno agro quiſpiam reſiſtat tibi.* LXX. habent in Codd. Vaticano, Alexandrino & Complutenſi ἀπαντήσονται, in Aldino καταπατήσουσι, *conculcabunt*, quod mendoſum eſſe videtur, & conjecturâ corruptum.

23. *Habitavitque cum ſocru*] ותשב את חמותה *vatteſcheb eth hhamotha*. Sic LXX. καὶ ἐκάθισε μετὰ τῆς πενθερᾶς αὐτῆς. At Hieronymus: *poſtquàm reverſa eſt ad ſocrum*, quaſi ſcriptum eſſet: וַתָּשָׁב אֶל *& rediit ad*, ut obſervavit *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. V. c. I. Sed noſtram lectionem prætulerim.

Digitized by Google

III. Nahomis nurum quâ ratione Bohazi nuptias ambiat docet, conſiliúmque exſequitur Rutha, nec eam ducere renuit Bohazus, niſi propior vindex eam ducere malit.

CAPUT III. 1. DIXIT deinde ei Nahomis ſocrus: annon tibi, filia, quæram locum in quo conquieſcas, ut tibi bene ſit? 2. Nunc verò, annon Bohazus, cum cujus ancillis fuiſti, è cognatione noſtra eſt? En verò hac nocte hordeum in area ventilaturus eſt. 3. Te ablues ergo, inunges, indues veſtibus tuis, ac in aream deſcendes. *At* viro ne innoteſcas, antequàm comedere ac bibere abſolverit. 4. Cùm verò cubitum ibit, reſcies locum in quo cubabit, ibiſque, ac reteges pedes ejus, & illic cubabis. Tum verò indicabit ille quid ſis factura. 5. Quæcumque dixeris, inquit ei Rutha, faciam.

6. Deſ-

In CAPUT III.

1. L*Ocum in quo conquieſcas*] מנוח *manoahh.* Vide not. ad Gen. VIII, 9.

2. *E cognatione noſtra eſt*] *Cognatio noſtra.* Eſt inter eos ad quos vindiciarum, aut redemtionis jus pertinet. Vide ad Cap. II, 20. Itaque cogitabat Nahomis, de offerendis ei Ruthæ nuptiis, cùm jam de ea bene ſentire, eíque bene velle videretur.

Hac nocte hordeum] *Ventilat aream hordeorum hac nocte.* Hoc eſt, hordeum in area tritum. Nocte ventilabant, ſi credimus Paraphraſtæ Chaldæo, propter nocturnam auram, habet enim ברוחא די בליליא *vento qui eſt in nocte.*

3. *Te ablues* &c.] Hæc eò ſpectant, ut ne Bohazo faſtidium crearent odor, pædor, aut ſordes in Rutha; quæ rationem quærebat homini placendi. Solebant enim & viri & mulieres ſe ſe abluere & inungere, antequàm veſtes cultiores ſumerent. Res eſt notiſſima; unum tantùm locum proferam, ex *Plauti* Pœnulo, ubi mulier de ſe & ſorore Veneris Templum ituris, potiùs amatores captandi, quàm Deam colendi gratiâ, Act. I. S. 2.

Nam nos uſque ab aurora ad hoc quod diei eſt,
Ex induſtria ambæ numquam conceſſavimus
Lavari, aut fricari, aut tergere, aut ornari,
Poliri (unguento) *expoliri, pingi, fingi* &c.

Ceterùm de ablutione, & unctione ante cœnam, adi *Joan. Guil. Stuckium* Ant. Convival. Lib. II. c. 25.

Indues veſtibus tuis] Addidit Latinus Interpres *cultioribus*, quod ſanè ſubaudiendum eſt. Mulieres ſe exutas dicunt domi cùm ſunt, antequàm cultioribus veſtibus ſint indutæ.

In aream deſcendes] Hoc eſt, ibis; nam alioquin areæ in editis locis eſſe ſolebant, venti causâ.

Viro ne innoteſcas] Cave ne te videat.

Antequàm comedere ac bibere &c.] Hoc eſt, ante cœnam, ne ſobrius quidpiam ſuſpicetur; ſed ubi hilarior cubitum iverit, tum eum adito.

4. *Cùm verò cubitum ibit* &c.] Sub tentorio quopiam, aut propter æſtum ſub dio, ut fit illis in oris, dormiebat, non in ædibus clauſis; quas nonniſi conſciis ſervis, ingredi poterat Rutha.

Ibiſque ac reteges &c.] Credibile eſt hunc morem fuiſſe viduis, quæ à vindicibus, ſeu redemtoribus duci cupiebant. Alioqui factum hoc potuiſſet ſeni diſplicere. Moribus quidem noſtris non ſatis honeſtum hoc videatur; ſed de antiquis temporibus, ex moribus hodiernis, judicandum non eſt. Polygamia, & divortium, quavis de causâ, neminem olim offendebant, apud Hebræos; nec parum caſtus habebatur, qui aliquot uxores habebat, aut repudiarat. Hodie contrà ſentimus, nec tamen damnamus Veteres aliis moribus adſuetos, quamvis nunc fieri meritò nolimus. Idem dixerim de hoc Ruthæ facto, quod cùm impudicum non haberetur eo ævo, conſuetudinique eſſet conſentaneum, à nobis damnari in illa non debet; quamvis in Chriſtiana vidua non probaremus. Tunc temporis diſcebant, ut cum Paulo loquar, *elementa* pietatis, quæ etiamnum imperfecta erant, ut exempla Polygamiæ & Repudii, ne alia commemorem, oſtendunt.

Tum verò indicabit &c.] Nempe, ſciebat Bohazus hunc eſſe morem viduarum, à vindice duci cupientium. Alioqui, niſi hoc ſtatuamus, debuit timere Nahomis ne offenderetur vir jam provectæ ætatis. Antequàm hæc diceret Nahomis, docuit, ut ex ſequentibus liquet, Rutham Hebraïcorum inſtitutorum ignaram quid reſpondere eam oporteret Bohazo; ſi fortè quæreret quænam eſſet, & cujuſnam rei causâ ad ſe veniſſet. Vide ad v. 17.

7. *Exhilaratus eſt*] *Bonum fuit cor ejus.* Poſt confectam meſſem, triturationem, & ventilationem, hilariùs ſe ſe invitabant.

Ad extremum acervum] Ventilatarum frugum. Sub dio, ut dixi ad v. 4. LXX. Intt. hîc habent ἐν μέρει τῆς στοιβῆς. *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. IV. c. V, 24. putat eos legiſſe pro ערמה *haremah*, acervus, ערשה *hareſchah*, ſponda. Vulg. habet *acervum manipulorum.* Intellexerunt ut videtur excuſſam paleam, nec aliter tamen legerunt, ut rectè *Joannes Buxtorfius*, in Anticritica. P. 2. c. VIII. p. 644.

8. *Pavore correptus eſt*] *Expavit* &c. Quòd, nempe, neſcio quid ad pedes ſenſerit, quod non fuerat cùm ſomno ſe dederat.

Et contrectavit] וילפת *vajillapheth.* Hæc omnino eſt ſignificatio verbi לפת *laphath* Jud. XVI, 29. Hoc unum objici queat, quòd ſit hîc conjugatio *Niphal*, quæ paſſiva eſt; apud Judices verò *Kal*, quæ activa. Sed nihil vetat puncta hîc quoque Futuri Kal addi; quod tamen ſi nolis, poteris activo ſenſu conjugationem paſſivam interpretari, ut Jerem. II, 35. & Joël III, 7. ubi נשפט *niſchphat* & נשפטתי *niſchphatthi* non eſt *judicor*, ſed *judicavi*, aut *judico.* At LXX. Intt. ἐταράχθη, & *Hieronymus*, *conturbatus eſt*, ex conjectura, nullus enim alius ſimilis eſt locus & iidem Interpretes verbum hoc, loco Judi-

Digitized by Google

6. Deſcendit igitur in aream & quæcumque ei mandarat ſocrus fecit. 7. Comedit in-
terea Bohazus, bibit & exhilaratus eſt. Dein cubitum ad extremum acervum ivit; illa
verò ſilentio retexit pedes ejus, & cubuit. 8. At mediâ nocte, vir ille pavore correptus
eſt, & contrectavit *quod ad pedes eſſe ſentiebat;* ecce verò mulier illic jacebat. 9. Quæ-
nam es? ait ille. Sum, inquit, *illa*, Rutha ancilla tua, *& huc veni*, ut pallio tegas
ancillam tuam, cùm *meus* vindex ſis. 10. Tum ille, bene tibi ſit, inquit, à Jehova,
filia. Poſteriorem hanc benevolentiam priore majorem exhibuiſti, quæ non adſectata
es juvenes, ſeu pauperes illi eſſent, ſeu divites. 11. Ne ergo timeas, filia; quidquid
dixeris mihi faciam, novit enim totum popularium meorum oppidum, te eſſe præſtan-
tem virtute mulierem. 12. Sed tametſi verè ego ſum *tuus* vindex, propior tamen eſt
vindex quàm ego. 13. Pernocta hìc, hac nocte; mane verò ſi te vindicaverit, bene
erit,

dicum, ex re ipſa περιλαμβάνειν & *apprehendere* verterunt. Alii verò vertunt *inclinatus eſt*, aut *ſe inclinavit*, quaſi Bohazus primùm erectus ſediſſet; deinde inclinato corpore, porrectâque manu, palpatus eſſet. Ac ſanè eadem Radix, in Arabica Lingua, ſignificat *ſe ſe inflectere;* quem ſignificatum volunt etiam quærendum in loco Jud. XVI. Verùm ſequentia obſtant, ubi Samſon narratur impuliſſe columnas, quas prius *adprehendiſſe* eum oportuit. Exſtat hoc verbum etiam Jobi VI, 18. ſed alio ſignificatu. *Lud. de Dieu* interpretatur, *detentus fuit*, quòd mulier incumbens ſtragulis veſtibus impediret ne moveret pedes. Quæ durior interpretatio eſt.

Quod ad pedes eſſe ſentiebat.] Supplevimus hæc, quæ neceſſariò poſtulabat ſententia, & quæ alioqui ſubaudiri neceſſe eſt, niſi exprimantur.

Ecce verò mulier &c.] Contrectando potuit facilè ex capite aliter ornato, aut ex mammis, quibus turgebat pectus, intelligere mulierem eſſe.

9. *Ut pallio tegas ancillam tuam*] *Ut extendas alam tuam ſuper ancillam tuam.* Intelligenda eſt *ala* veſtis, aut pallii, nam oras pallii vocabant כנפים *chnaphim*, alas, ut Num. XV, 38. Deut. XXII, 12. & alibi ſæpe. *Alam* autem *extendere ſupra mulierem* loquutio eſt proverbialis, quæ idem ſignificat ac eam uxorem ducere, ut Ezech. XVI, 6. *extendi* כנפי chnaphi, *alam meam ſuper te & texi nuditatem tuam*, hoc eſt, te uxorem duxi. Itaque hac formulâ petebat Rutha connubium Bohazi, quod jure propinquitatis ſibi deberi exiſtimabat; quia propinquiorem alium vindicem ſibi eſſe, ut videtur, ignorabat. Oportet à ſocru eam audiviſſe, quî compellandus eſſet Bohazus, quamvis hoc antea memoratum non ſit.

Cùm meus vindex ſis] גאל *goel.* Vide ad v. 20. & legem ipſam de ducenda fratris, aut propinqui, ſine liberis mortui, vidua, Deut. XXV. Ex his verbis liquet nihil, niſi honeſtum & legitimum, petiiſſe Rutham; non verò, ut quidam putabant, ſubitum & ſurtivum concubitum, ut blanditiis Bohazi nuptias conſequeretur.

10. *Poſteriorem hanc benevolentiam* &c.] *Feciſti meliorem benevolentiam tuam hanc poſteriorem, quàm priorem.* Utitur voce חסד *hheſed*, quæ *beneficentiam* ac *benevolentiam* non in miſeros tantùm, ſed in quoſvis ſignificat. Prior benevolentia Ruthæ erga familian. Bohazi fuit amor, quo virum & ſocrum proſequuta ſuerat, de quo Bohazus Cap. II, 11. poſterior hæc ipſa erga Bohazum viri propinquum, ſenem licèt, amicitia, quæ erat conjuncta cum amore prioris viri, cui genus excitare volebat.

Non adſectata es juvenes] Quemadmodum feciſſet libidinoſa mulier, quæ nominis & familiæ prioris viri oblita, juveni aut in patria, aut alibi conata eſſet nubere, non ſeni, qualis erat Bohazus.

11. *Ne ergo*] *Et nunc ne timeas.*

Quidquid dixeris mihi faciam] Hoc ipſo, oſtendit Bohazus, ſe paratum eſſe eam uxorem ducere, ſi modò propinquior vindex pateretur. Ideóque nihil fuit in Ruthæ facto, quod hominem vel minimùm offenderet, quódque honeſtiorum conſuetudini eo ævo adverſaretur.

Totum popularium meorum oppidum] *Tota porta populi mei. Portas* urbes dici notius eſt, quàm ut probari debeat. LXX. habent πᾶσα φυλὴ, quod ſenſum quidem rectè exprimit, ſed puto à Librariis Hebraiſmi imperitis ſcriptum pro πᾶσα πύλη.

Præſtantem virtute mulierem.] אשת חיל eſcheth hhajil, *mulier roboris* ad verbum, nec חיל *hhajil*, ſi de viro ageretur, aliud eſſet præter *fortitudinem;* ſed cum de muliere ſermo ſit, ſignificat virtutes muliebres, amicitiam erga ſuos, caſtitatem, ſedulitatem &c. Similis eſt loquutio Proverb. XXXI, 10. ubi bonæ uxoris virtutes deſcribuntur.

12. *Sed tametſi*] ועתה כי אמנם כי אם *Et nunc quia vero quamvis.* Delet Maſſora אם *im*, quod tamen retineri queat, quia כי אם *chi im* ſignificat *tamen* Num. XXIV, 22. Sic hæc intellecta video à *Lud. de Dieu*, niſi quod prius כי vertit *utique.*

Propior tamen vindex] A quo proinde Rutham petere priùs oportebat, juréne vindiciarum vellet uti; ut, eo negante, jus illud ad Bohazum devolveretur. Cùm uxore defuncti, jus etiam in ejus agros adquirebatur; ac proinde potuiſſet ille, quiſquis erat, queri ſibi à Bohazo jus ſuum fraude eripi, ſi ſe invito, aut inſcio, Rutham domum duxiſſet. Itaque priùs in jus vocandus fuit, ut palam teſtaretur an Rutham ducere vellet, & in jus filii Elimelechi ſuccedere.

13. *Pernocta hic*] ליני *lini.* Hic ל majuſculum eſt, credo quia Librarius voluit obſervari quaſi rem ſingularem, caſtam viduam, ſine imminutione pudicitiæ, pernoctaſſe apud virum. Hiſce de litteris vide Comment. Maſſorethicum *Joannis Buxtorfii* Cap. XIV.

Si te vindicaverit] Quaſi ſuam, jure vindiciarum propinquitatis, ſibi vindicaverit, aut adſeruerit ad ſe pertinere & abduxerit.

erit, vindicet; ſin verò vindicare te noluerit, tum ego *ſic*, *ut* vivit Jehova, te vindicabo. Ad matutinum modò tempus hîc cubato.

14. Cubuit illa ad pedes ejus, ad mane uſque, quo ille ſurrexit, antequàm alius alium agnoſceret, dixitque: nemo ſciat in aream mulierem veniſſe. 15. Deinde cedo, inquit, velum quo tecta es, idque teneto. Quod illa tenuit, dum ille demenſus ſex *menſuras* hordei, mulieri impoſuit, atque is in oppidum ſe contulit.

16. *Interea* venit illa quoque ad ſocrum, quæ dixit, éſne tu filia? Tum narravit ei *Rutha* quidquid vir ille ſibi fecerat; 17. & ſex, inquit, haſce *menſuras* hordei mihi dedit, cùm negaret me vacuam ad ſocrum redire oportere. 18. Exſpecta verò, inquit Nahomis, mea filia, donec ſcias quomodo res ſit caſura; neque enim quieſcet vir ille, donec hodie negotium perfectum dederit.

IV. Bo-

Vivit Jehova] Supplevi *ſic ut*, ſenſus enim horum verborum eſt: ut verè vivit Jehova, ſic te verè ducam.

Ad matutinum tempus] עד הבקר *had babboker*. Hæc vox paullò laxiùs ſumitur, cùm referatur ad tempus, quod auroram anteceſſit, ut ſequentia docent.

14. *Ad pedes ejus*] מרגלותו *marglothau*. Subaudi על *hal*, aut אל *el*, hoc eſt, ad pedem lecti.

Nemo ſciat in aream mulierem &c.] Ne cuiquam ſuſpecta eſſet Ruthæ caſtitas, néve alter vindex mulierem quaſi meretricem, caſtam licèt, infamaret.

15. *Velum quo tecta es*] המטפחת אשר עליך hammitphahhath aſcher halajich, *velum quod eſt ſupra te*. LXX. Intt. verterunt περίζωμα. Vox Hebraïca occurrit iterum Eſai. III, 22. ubi *linteamina* vertit *Hieronymus*, qui hîc habet *pallium*. Græcorum Interpretum verſio adeò illic confuſa eſt & perturbata, ut quomodo verterint ſcire non liceat. Apud Thalmudicos, quodvis *linteum* ſignificat.

Sex menſuras hordei] שש שערים *ſcheſcheh ſcheborim*, ſex hordeorum, nempe, menſuras. Hieronymus, *ſex modios*, qui ſi ſint *Sea*, vel Sata Hebraïca, non efficient centum libras; nec ſanè multò majus pondus hordei eſſe potuit, ut peplo involutum à muliere in urbem bajulari potuerit.

16. *Eſne tu, filia?*] מי את בתי, *quænam tu, filia mea?*

17. *Cùm negaret* &c.] Hoc non fuit in antecedentibus, ſed paſſim proferuntur circumſtantiæ antea omiſſæ. Vide ad v. 4. Munuſculum erat Nahomi oblatum, potiùs quàm Ruthæ, quam norat aut per ipſum, aut per alium brevi à paupertate liberatum iri.

18. *Res ſit caſura*] *Cadet verbum.*

In Caput IV.

1. *Ad portam oppidi adſcendit* &c.] Locus in quem conveniebant Magiſtratus. Vide ad Geneſ. XIX, 1.

Heus tu, inquit] פלני אלמני *phloni almoni*. Sunt vocabula, quæ adhibentur ab Hebræis, quando nomen proprium viri, aut loci reticent. Vide & 1. Sam. XXI, 2. At Dan. VIII, 13. contrahitur in פלמני *phalmoni*, niſi fortè legendum ſit פ׳ אלמני ita ut פ׳ ſit compendiaria ſcriptura. Græci dicunt ὁ δεῖνα, hoc eſt, *quidam*, prout verterant *Aquila* & *Theodotion*. Sic Galli ſermone familiari dicerent: *& il lui dit, un tel, détournez vous*. LXX. Intt. alibi retinuerunt voces Hebraïcas, quamquam in exemplaribus noſtris fermè corruptas à Librariis Hebraïcæ Linguæ imperitis. Hîc verò habent κρύφιε, in antiquiſſimis exemplaribus, excepto Complutenſi, in quo omittitur. *Hieronymus* non vertit, & meritò quidem, nam Latinè verti non poteſt. Probè tamen norat quid hæc verba ſibi velint, ut docet hæc ejus adnotatio ad Matt. XXVI, 18. ubi jubet Chriſtus Apoſtolos ire πρὸς τὸν δεῖνα: *Morem Veteris Teſtamenti nova Scriptura conſervat. Frequenter legimus:* dixit ille illi *&* in loco illo & illo, *quod Hebraïcè dicitur* ALMONI *&* PHELONI, *& tamen locorum, perſonarumque non ponitur nomen.* Vide & quæ habet ad locum Danielis antea citatum, ac in Locis Hebraïcis ad voces *Elmoni* & *Felmoni*.

Diverte, ac ſede] Eſt mihi aliquid negotii tecum, quod poſtulat te nonnihil hîc exſpectare. Facilè autem homines poterant conveniri ad portas, præſertim æſtate; quia cùm omnes fermè eſſent agricolæ, rus mane ſe conferebant, & dum urbe egrederentur compellari poterant.

2. *Ex oppidi ſenibus*] Hoc eſt, magiſtratibus, aut etiam grandioribus natu, quos teſtes adhiberet.

Juſſit ibi ſedere] *Et dixit ſedete hîc & ſederunt.*

3. *Prædium quod fuit* &c.] *Partem agri, quæ fratris noſtri Elimelechi.*

4. *Apud me dixi*] *Dicere* ſæpe eſt cogitare, ſed eſt ſubaudiendum בלבב *belebab*, in corde, quod exprimitur Pſalmo XIV, 1.

Me moniturum te] *Retegam aurem tuam dicendo*. Hoc eſt, monebo, tranſlatione ductâ ab iis qui caput veſte involutum habent, & quibus veſte amotâ retegitur auris, ſiquid in aurem ſit dicendum. Latini, aliam tranſlationem ſequuti, dicunt *vellere aurem*, eodem ſenſu.

Compara] Jure apud Hebræos recepto, prædia in familiis, quarum fuerant, manere oportebat, quoad fieri poterat. Vide Levit. XXV, 23. & ſeqq. Itaque ſi quis præ inopia vendere ad Jubilæum cogeretur prædium, propinqui jus erat id redemtum ſibi vindicare, ad Jubilæum uſque, aut certè donec venditor nanciſci poſſet ſummam, quâ agrum ſuum ab emtore redime-

IV. Bohazus vindicias agri Elimelechi offert propiori vindici, qui accipit, ſed, auditâ conditione matrimonii cum Rutha, renuit. Quam proinde unà cum prædio ſibi vindicat Bohazus, ſollemni ritu adhibito. Tum mulierem ducit, ex quo filium ſuſcipit, cujus nepos fuit Rex David.

1. BOHAZUS interim ad portam *oppidi* adſcendit, ubi ſedit, cúmque *illac* tranſiret vin- CAPUT IV.
dex, de quo dixerat Bohazus, heus tu, inquit, huc diverte, ac ſede? Divertit verò
ille ac ſedit. 2. Tum adſumſit *Bohazus* decem viros, ex oppidi ſenibus; quos juſſie
ibi ſedere & illi quidem ſederunt. 3. Deinde vindici, prædium, inquit, quod fuie Elimelechi
propinqui noſtri, vendit Nahomis ex agro Moabitico reverſa. 4. Ego verò *apud me* dixi me
moniturum te, his verbis: *tibi hoc* compara, coram ſedentibus & popularium meorum ſenibus,
ſi vindicare tibi cupis; ſin verò vindicare tibi nolis, indica mihi, ut norim; neque enim eſt qui
vindicet præter te & me, ſecundùm te. Vindicabo verò, inquit ille. 5. At Bohazus, quo die,
inquit, comparabis tibi agrum è manus Nahomis, & à Rutha Moabitide, uxore defuncti *ejus*

dimeret. In ejuſmodi venditione, proximo conſanguineorum optio emendi dabatur; qnod ſi renueret, res devolvebatur ad remotiorem, ac tandem ad tribulem qnemvis, remanente tamen ſemper illæſo redemtionis & Jubilæi jure. Ea conſuetudine nititnr quod hîc habet Bohazus.

Popularium meorum] *Populi mei.*

Si vindicare tibi cupis] *Si redimendo, redemturus es.* Repetitio verbi תגאל גאל, *thigal geal*, ſignificat hîc certum animi propoſitum faciendi id, de quo agitur. Vide not. ad Exod. IV, 14.

Sin verò vindicare tibi nolis] ואם לא יגאל *veim lo jigal*, ſi non vindicabit. Subaudiunt גאל goel, *vindex*; ſed cùm ipſum vindicem proximum alloqnatur Bohazus, videtur יגאל *jigal*, culpâ Librariorum, ſcriptnm pro תגאל *thigal*, in ſecunda perſona, quemadmodum LXX. habent ἀγχιστεύεις. Ita quoque *Joan. Piſcatorem* ſenſiſſe video. Alioqui punctare vocem ſic poſſemus, יִגָּאֵל *redimetur*; nempe, לך lcha, *tibi.*

5. *A Rutha*] Antea non nominarat Rutham, fortè nt tentaret priùs vindicis animum, an vellet omnino prædium Elimelechi redimere; quod ſi ſtatim negaſſet, non opus erat ullam Ruthæ mentionem injici, re ipſâ enim vindex ſignificaſſet, ſe nolle eam ducere. Hîc pro ומאת רות oumeeth Routh, *& à Rutha. Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. III. c. XII, 11. & Lib. V. c. IX, 2. cenſet legendum ואת רות veeth Routh, *& Rutham.* Sic putat etiam legiſſe *Hieronymum*, qui habet: *quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere* &c. Senſus quidem commodus eſt, ſed *Hieronymum*, qui hîc ſæpe Paraphraſten agit, aliter in exemplari ſuo legiſſe credere nos non ſinnnt LXX. Intt. qui habent in omnibus Codicibus παρὰ Ῥούθ, nec neceſſe eſt aliter legi; cùm non minùs à Rutha redimenda eſſent Machlonis prædia, quàm à Nahomi. Itaque nihil hîc mutarim.

In hoc eodem commate, quod vertimus *comparabis*, ſcriptum eſt קָנִיתִי putántque Maſſorethæ legendum קָנִיתָ ita nt י redundet, nec improbat *Cappellus*, loco priori antea laudato. Suſpicari tamen quempiam poſſe putat ſcriptum קָנִיתִי *comparabo*, in prima perſona; quia fortè cùm Bohazus vellet dicere קָנִיתָ *comparabis*, lapſu linguæ dixit קָנִיתִי *comparabo*, quòd cuperet eam ſibi adquirere & prævideret fore ut propinqnus ille non eam adqnireret. Sed hoc ipſe *Cappellus*, quaſi ſubtilius æquo, admittere non ſuſtinet. Meritò ſanè, nam hic ridiculè induceretur Bohazns ſe gerens inſtar Stalinonis Plautini, qui cùm vellet petere Caſinam Olympioni villico, quam ipſe deperibat, ſibi præ affectu petebat, Act. II. Scen. VI, 11. & ſeqq.

> *Atque ego cenſui abs te poſſe hoc me impetrare, uxor mea,*
> *Caſina ut uxor mihi daretur, & nunc etiam cenſeo.*
> CL. *Tibi daretur illa?* ST. *mihi enim? ah! id non volui dicere.*

Uxore defuncti] Addidimus, perſpicuitatis causâ, *ejus filii*; cùm præſertim vindiciæ fierent eâ lege, ut vindex excitaret ſemen non Elimelecho, ſed ejus filio, qui patris heres erat, & cujus jus in prædium, certè ad uſum fructum quod adtinet, in Rutham viduam erat devolutum; eâ tamen lege ut ne alieno venderet, ſed propinquo vindici ſe & agrum, ex jure Hebræorum, offerret.

Scio virum doctiſſimum *Joan. Seldenum*, in Lib. de Succeſſ. in bona defuncti Cap. XV. pernegare hæc reſpicere ad jus fratriæ ducendæ, & contendere hoc ſine magno errore non dici. Sed ipſe vehementer errat, dum ſequitur Rabbinos Scripturæ parum accuratos Interpretes, & commentitii juris, aliquot ſæculis poſt everſam Rempublicam Hebræam, conditores. Primùm, negat Machlonis fratrem fuiſſe Bohazum; quaſi verò lex leviratûs ulteriùs ad proximum conſanguineum non extenderetur! Quod adnotavimus ad Deut. XXV, 5. Secundò, obſervat hîc non agi de propinquo, qui viduam duceret, ſed de vindice, ſeu גאל *goel*, qni jus habebat redimendi prædii, à propinquo vendendi. Verùm hac quoque in re fallitur, liquet enim ex Cap. III, 9. 12. Rutham à vindice petiiſſe, ut ſe duceret, nec Bohazum dubitaſſe de ejus jure. Quin & propior vindex ea de re à Bohazo conventus eſt, cúmque ille jure ſno ceſſiſſet in ejus locum ſuccedens, & prædium & Rutham ſibi adquiſivit, Cap. IV, 5, 9, 10. Tandem negat hîc cerni ritum, qui adhibebatur, ubi levir gloris matrimonium repudiabat, nempe, conſputam à glore ejus faciem. At hîc duo obſtiterunt, quominùs fieret, abſentia, nimirum, Ruthæ à qua ille conſpui debuit; deinde quòd Buhazus, qui libenter ducebat Rutham,

ejus filii, comparabis *eum*, *eâ lege* ut mortui nomen ejus prædio excites. 6. Tum verò vindex, non poſſum, inquit, mihi vindicare, ne prædium meum perdam; vindica tu tibi haſce vindicias; neque enim vindicare mihi poſſum.

7. Hoc autem *obtinebat* antea in Iſraële, in vindiciis & venditionibus, ad cujuſvis negotii confirmationem: alter ſolvebat calceum ſuum & alteri dabat, idque erat teſtimonium in Iſraële. 8. Dixit ergo vindex Bohazo: tibi comparato, *quo dicto*, calceamentum ſuum ſolvit. 9. Bohazus verò ſenibus & univerſo populo: vos mihi eſtis hodie teſtes, me adquiſiviſſe quidquid erat Elimelecho, & quidquid fuit Chiljoni & Machloni, è manu Nahomis; 10. quin & Rutham Moabitidem, quæ fuit uxor Machlonis, mihi adquiſiviſſe uxorem, ut mortui nomen ejus prædio excitem, néve reſcindatur nomen mortui è fratribus ſuis, éque oppido ſuo; teſtes, inquam, vos mihi hodie eſtis. 11. Reſponderunt & univerſus populus, qui ad portam erat, & ſenes: teſtes ſumus, & faciat Jehova ut mulier, quæ domum tuam ingreditur, ſit inſtar Rachelæ & Leæ, quæ ambæ

tham, gaviſus ſit eum ſuo jure ſibi cedere, nedum ut ullâ illum ignominiâ propterea afficeret. Ideò *Joſephus* in narratione hujus Hiſtoriæ hac eadem lege nititur, quamvis circumſtantias narret, de quibus nihil eſt in Sacra Hiſtoria; nec dubitarim eum præferre Thalmudicis, in interpretatione juris patrii, quidquid ſentiat *Seldenus*.

Ut mortui nomen ejus prædio excites] להקים שם המת על נחלת *ut excites nomen mortui ſuper ejus poſſeſſione*; hoc eſt, ut ducas uxorem Rutham, ut ejus primogenitus vocetur filius, Machlonis (vidua enim ejus erat Rutha) eáque poſſeſſio, nomine patris, à prole poſſideatur. Vid. Deut. XXV, 6, 7. Negat *Seldenus* hoc loquendi genere idem ſignificari ac *excitare nomen mortui*, & meritò quidem, nam hîc ſermo eſt de agro; ſed tamen is demum *prædio nomen defuncti excitabat*, qui uxore ejus ductâ efficiebat ut primogenitus ejus vocaretur filius defuncti, putà Machlonis, agéque ab eo deinde poſſeſſus ad eum à Machlone patre hereditario jure devolutus diceretur. Itaque nemo potuit dici *excitare nomen mortui prædio*, qui mortuo *nomen non excitaſſet*; ductâ ejus uxore, ſuſceptáque ex ea prole, quæ diceretur defuncti proles. Hoc non ſatis adſequutus eſt *Salomo Jarchius*, qui vult prioris loquutionis hanc eſſe vim, ut quando Rutha in prædium redemtum iret homines dicerent זה אשת מחלון *hæc uxor eſt Machlonis*; nam vidua nuſquam dicitur excitare nomen defuncto.

6. *Non poſſum*] Atqui jus fáſque erat per legem, nec quidquam obſtabat quominus fieri poſſet, præter morbum, aut vitium corporis. Verùm hæc non cauſatur vindex, ſed tantùm quòd agrum ſuum perditurus eſſet. Itaque *non poſſum*, perinde eſt, ac nolo, quia è re mea non eſt. *Non poſſe* facere id aliquando dicimur, quod ſine incommodo noſtro facere nequimus, aut quod faciendum nobis non exiſtimamus, ac proinde nolumus. Vid. not. ad Marc. VI, 5.

Ne prædium meum perdam] Non eſt hæc vera ratio, nam volebat quidem hic vindex redimere agrum à Nahomi, quam, cum anus effœta eſſet, ducere neceſſe non habebat. Cur autem potiùs prædium ſuum perdidiſſet, acceptâ hereditate filii Elimelechi & ductâ viduâ ejus Ruthâ; non perdidiſſet verò, ſi ſine Rutha eam habuiſſet? Nulla videtur ejus rei ratio, quæ quidem alicujus ſit momenti, reddi poſſe. Fore autem ut *agrum perdat* dicit vindex, quia eum non poſſet ſatis diligenter colere, unà cum alieno prædio. Mirum eſt *Hieronymum*, cum hæc ſat plana ſint, violenta hac paraphraſi uſum: *Cedo juri propinquitatis, neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo; tu verò utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. Perdere poſſeſſionem* השחית נחלה, *haſchchith nahhalah*, numquam ſignificavit *delere poſteritatem familiæ*, quamvis R. *Salomo Jarchius* ita ſentiat cum *Hieronymo*, qui plus crediciſſe videtur Magiſtro Hebræo, quàm uſui perpetuo Linguæ Hebraicæ; ne dicam rem ipſam ei adverſari. Cùm hæ non eſſent veræ cauſæ, cur Rutham ducere nollet proximus vindex, quæſivere Interpretes & Juriſconſulti Hebræi cur ita ſe gereret, variáſque commenti ſunt cauſas, quas collegit *Joan. Seldenus* Uxoris Hebrææ Lib. I. c. 9. Sed cùm ipſe vindex eas reticeat, quid attinet divinare? Ejuſmodi ariolationes nec quidquam habent certi, nec ad illuſtrationem hujus loci conferre aliquid poſſunt. Quare ab iis proferendis ſuperſedebo.

7. *In vindiciis & venditionibus*] *Super vindicta & permutatione* התמורה. Sic videtur dici quævis venditio, quæ fit mutatione aut pecuniæ, aut alius rei contra id quod emitur; nam hîc ſermo eſt de venditione.

Alter ſolvebat calceum &c.] Paullò aliter fiebat, quando aderat mulier, quæ ſe à leviro, aut propinquo duci poſtulabat. Vide Deut. XXV, 7. & ſeqq. Ideóque Scriptor Sacer quod hîc fit non ad legem perpetuam, qualis eſt Moſaica, ſed ad conſuetudinem jam ſuo tempore mutatam refert. Nulla autem videtur ratio alia hujuſce teſtificationis, niſi quòd vendens teſtabatur hoc facto ſe ipſam exuere jure ſuo in re, quâ alii cedebat, non aliter ac exuebat calceum. Hinc *Hieronymus*: *Hic autem erat mos antiquitus in Iſraël, ut ſi quando alter alteri ſuo jure cedebat, ut eſſet firma conceſſio* &c. verè quidem, ſed nimiùm ſine dubio παραφραστικῶς, cum nihil vetaret locum verbo tenus exprimere. Thargum pro calceo habet Bohazum detraxiſſe propiori vindici נרתק יד ימיניה *chirothecam manûs dextræ ejus*. Quæ ſine dubio conſuetudo fuit temporum Paraphraſtæ.

8. *Vindex Bohazo*] Cùm LXX. Intt. conſentiant cum textu Hebræo, malè *Hieronymus* hæc παραφράζει: *dixit ergo propinquo ſuo Booz Tolle calceamentum tuum.* Hanc verſionem hominis

ambæ liberos domi Iſraëlis pepererunt; compara tibi opes Ephrathæ, famámque conſequere Bethlehemi. [12] Sit domus tua inſtar domûs Pheretſi, quem Judæ peperit Thamara, in prole quam tibi Jehova ex hac muliere dabit.

[13] Duxit igitur Bohazus Rutham, quæ fuit ei uxor, & poſtquàm cum ea congreſſus eſſet, dedit mulieri Jehova ut conciperet, filiúmque pareret. [14] Tum dixerunt mulieres Nahomi: benedictus ſit Jehova, qui non paſſus eſt deeſſe tibi hodie vindicem, cujus nomen in Iſraële celebritatem nanciſcatur. [15] Erit tibi qui animum tuum refocillet, & ſenectutem tuam alat; quandoquidem nurus tua, quæ te amat, eum peperit, quæ & ipſa ſeptem filiis tibi potior eſt. [16] Sumſit Nahomis puerum, eúmque in ſinu ſuo poſuit, & ejus nutrix fuit. [17] Nomen autem ei impoſuerunt vicinæ, cum dicerent: natus eſt filius Nahomi; vocaverúntque eum Hobedum, qui pater fuit Iſaïs patris Davidis.

[18] Hi verò ſunt poſteri Pheretſi: Pherets genuit Chetſronem, [19] Chetſron genuit Ra-

minis parum attenti eſſe puto, non aliter legentis.

9. *Me adquiſiviſſe*] Hoc eſt, me mihi jus comparaſſe ad adquirendos Elimelechi agros, nondum enim res ipſa peracta erat, cùm Nahomin & Rutham nondum eſſet alloquutus.

E manu Nahomis] Nahomin potiſſimùm nominat, quòd eſſet Iſraëlitis, deberétque frui, ſine controverſia, agris viri & filiorum mortuorum; nam de Rutha Moabitide lis fortè aliqua ſuboriri potuiſſet, quaſi peregrina pari jure non eſſet, ac Iſraëlitides.

10. *Mortui nomen* &c.] Vide ad v. 5.

Néve reſcindatur] Nomen enim extinctæ familiæ non ampliùs in genealogicis, aut cenſualibus tabulis gentis adſervari ſolebat.

Eque oppido ſuo] Ex porta loci ſui.

11. *Et univerſus populus & ſenes*] LXX. Intt. habent: ἀπεκρίθησαν πᾶς ὁ λαὸς οἱ ἐν τῇ πύλῃ μάρτυρες, καὶ οἱ πρεσβύτεροι εἴποσαν, quaſi ſenes ſoli bene ſint adprecati, & legendum eſſet, pro והזקנים עדים *& ſenes teſtes*, עדים הזקנים *teſtes & ſenes*. Sed *Hieronymus* nobiſcum conſentit.

Liberos domi Iſraëlis pepererunt] *Ædificarunt domum Iſraëlis.* Vide not. ad Exod. I, 21.

Compara tibi opes] עשה חיל *haſe hhajil*, fac potentiam. Vide not. ad Deut. VIII, 18.

Ephrathæ] Betlehemi. Vide ad Gen. XXXV, 19.

Famámque conſequere] קרא שם *kra ſchem*, voca nomen; fac ut ſæpe proferatur nomen tuum Bethlehemi, quod judicium eſt celebritatis ac famæ, qua carent ii quorum nomen raró pronunciatur. Vid. v. 14.

12. *Inſtar domûs Pheretſi*] Qui conditor fuerat familiæ, ut ex v. 18. liquet. Optabant Bohazo florentem poſteritatem, qualis erat poſteritas Pheretſi. Sic Judæi ex Majoribus ſuis formulas bene precandi deſumere ſolebant. Vide not. ad Geneſ. XII, 3. déque poſteriorum temporum benedictionibus nuptialibus, *Joan. Seldenum.* Lib. II. c. 12.

13. *Ut conciperet* &c.] *Conceptum & filium peperit.*

14. *Non paſſus eſt deeſſe*] *Fecit ceſſare* השבית *hiſchbith.*

Cujus nomen in Iſraële] *Et vocetur nomen ejus in Iſraële.* Quod referendum ad Bohazum. Vide ad v. 11. Alii tamen ad Deum referunt, quaſi vellet Hiſtoricus Sacer, Deum non paſſum fuiſſe deeſſe vindicem Nahomi, *ut invocaretur nomen ejus*, nempe, *Dei in Iſraële.* Sed mirum eſt LXX. Intt. referre ad Nahomin, & vertiſſe καλέσαι ὄνομά σου ἐν Ἰσραήλ, cùm, ex Hebræorum moribus, fœminarum mentio nulla fiat in Genealogiis. Mirum quoque vertiſſe *Hieronymum: non paſſus eſt ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ & vocaretur nomen ejus in Iſraël.*

15. *Qui animum tuum refocillet*] *Qui faciat redire animam tuam.* Vide 1. Sam. XX, 12.

Qui ſenectutem tuam alat] Filius enim Bohazi & Ruthæ habebatur filius Machlonis, ex lege Deut. XXV. de qua ad v. 5. ac proinde nepos Nahomis, qui ei filii officia præſtare debuit.

Eum peperit] ילדתו *jeladthou.* Quamvis ילד jalad, *genuit*, propriè de viro dicatur, tamen de mulieribus etiam uſurpatur. *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. VI. c. IX, 8. putabat meliùs legi hîc ילדתי pro ילדתו quia ſequentia ſunt fœminini generis; nullam video rationem mutationis, non enim ſequitur legendum in ſequentibus הוא *hou* & טוב *tob*, ut referantur ad Ruthæ filium; cùm relativum אשר *aſcher* non conveniat neceſſariò cùm proximè antecedente nomine, ex frequenti Scripturæ uſu, de quo *Sal. Glaſſius* Phil. Sacræ Lib. III. Tr. 2. Can. X.

Septem filiis] Multis filiis.

16. *Ejus nutrix fuit*] *Fuit ei in nutricem*, hoc eſt, loco nutricis, non quæ ubera præberet, ſed quæ bajularet puerum, ejúſque curam gereret.

17. *Impoſuerunt vicinæ*] Hoc eſt, dixerunt vocandum, quod comprobarunt parentes, quorum erat liberis nomina imponere.

Filius Nahomi] Nepos.

Hobedum] עובד *hobed.* Quod ſignificat *ſervientem*, quia, ut vulgò putant, inſerviit commodis aviæ Nahomis. Sic interpretatur *Joſephus* Lib. V. C. 11. Ant. Judaïcarum, & ſic omnes Interpretes. Sed neſcio an עבודה *habodah*, aut ſervitus ejuſmodi officia dici queant; nec quidquam hac in re ſingulare filio Bohazi fuit, cùm omnes liberi, aut nepotes ſimilia officia avo, aviæ, parentibúſque præſtare debeant. Suſpicor עובד, *hobed*, hîc idem eſſe ac אובד *obed* quod *pauperem* ſignificat. Vide not. ad Deut. XXVI, 5. Impoſitum nomen eſſet in memoriam paupertatis matris & aviæ.

 20. *Nach-*

Ramum, Ram genuit Hamminadabum, 20. Hamminadab genuit Nachſonem, Nachſon genuit Salmam, 21. Salmon genuit Bohazum, Bohaz genuit Hobedum, 22. Hobed genuit Iſaïn, & Iſaï genuit Davidem.

20. *Nachſon genuit Salmam*] Nachſon princeps fuit Judæ Tribûs, tempore Moſis. Vide Num. VII, 12. Itaque inter Moſem & Davidem fuere tantùm quatuor viri, ſpatio circiter quadringentorum annorum, aut non multò minore. Ergo oportet non tantùm eos fuiſſe vivaces, ſed etiam ſerò genuiſſe. Nam Genealogia Davidis eadem legitur 1. Paral. II, 11, 12. nec Matthæus Cap. I. in genere Chriſti plures enumerat, inter Nachſonem & Iſaïn, quàm hujus libri ſcriptor. Quod ſi quis exciderit in hac Genealogia, oportuit excidiſſe ante tempora Scriptoris librorum Paralipoménon, dum Judæi erant in Captivitate; nam dum ſtetit Regnum Judæ, credibile non eſt accuratam Regum Genealogiam ſervatam non fuiſſe. Vide *Jac. Uſſerium* Chron. Sacræ P. I. c. 12. In rebus tam antiquis & obſcuris, nihil quaſi compertum proferri poteſt, multóque ſatius eſt adquieſcere in iis quæ habemus, quamvis nonnulla iis inſit difficultas, quàm levibus conjecturis antiquiſſimas hiſtorias ſupplere velle.

21. *Salmon*] Ergo שלמון *ſchalmon* & שלמה *ſchalma* (aut שלמא ut vocatur 1. Par. II, 11.) ſunt unum & idem; quod obſervandum, ne ſimilem nominum varietatem alibi miremur.

Davidem] Cujus tempore, fortè paullò ante regnum ejus. Alioqui dicturus videtur Scriptor Sacer דוד המלך David hammelech, *Rex David*.

LIBRI RUTHÆ FINIS.

S A-

Digitized by Google

SAMUELIS
LIBER PRIMUS.

I. Channa Samuelis mater mœſta ob ſterilitatem, filium, ſi pariat, Deo vovet miniſtrum. Gravida fit, paritque Samuelem, quem Deo ſiſtit ac denuo conſecrat.

1. VIR fuit Ramathajim-tſophimis, è montanis Ephraïmi, cui nomen erat Elkanæ. Filius *fuit* Jerochami, filii Elihui, filii Thochui, filii Tſuphi, & Ephraïmita. CAPUT I.

2. Et

COMMENTARIUS
In CAPUT I.

1. *Vir fuit*] *Et fuit vir* &c. Sunt qui velint copulâ hac conjungi hunc librum cum Jud. XVI, 31. Poſſet hoc ferri, ſi Hiſtoricus Sacer, memorato quopiam facto illic narrato, nexuiſſet narrationem; ſed tot aliis interpoſitis, eò regredi non potuit, ſolâ particulâ conjunctivâ. Itaque malim *Davidi Kimchio* adſentiri, qui hanc particulam etiam ab initio περιττὴν vult, apud Hebræos, ut apud Arabas.

Ramathajim-tſophimis] מן הרמתים *min haramathajim*, à Ramathajim. Eadem vocatur *Rama*, aut *Ramatha* v. 19. & Cap. II, 11. LXX. Intt. Habent hîc LXX. in Codice Alexandrino & Complutenſi, Ἀρμαθαὶμ Σωφὶμ, in Romano verò & Aldino Ἀρμαθαὶμ Σιφά. Apud *Euſebium* legimus: Ἀρμαθὲμ Σειφὰ πόλις Ἑλκανᾶ καὶ Σαμουὴλ, κεῖται δὲ αὕτη πλησίον Διοσπόλεως, ὅθεν ἦν Ἰωσὴφ ἐν Εὐαγγελίοις ἀπὸ Ἀριμαθαίας. Hieronymo interprete: *Armata Tſophim, Civitas Helkanæ & Samuëlis in regione Thamnitica, juxta Dioſpolim, unde fuit Joſeph, qui in Evangeliis ab Arimathia eſſe ſcribitur.* Vereor ne vana ſit hæc poſterior conjectura, nam articulus ה non pertinet ad ipſum nomen, quod propriè fuit *Ramah* רמה, & cum motu ad locum רמתה *Ramathah*. *Joſephus* tamen hanc urbem vocat Ῥαμαθὶν Lib. V. c. 11. Oportuit ergo hujus urbis duplicem fuiſſe appellationem, quarum una erat ſingularis numeri, altera dualis. Sed cur dicta ſit רמתים *ramathajim*, in duali, non ſatis conſtat. Conjiciunt viri docti, nec ſine veriſimilitudine, hanc urbem in duplici colle fuiſſe ſitam, ita ut duplex Rama רמה dici poſſet Hebraïcè רמתים *ramathajim*. Sic urbes *Kimtſajim*, *Choronajim*, duali numero, & multæ aliæ dicuntur. Quod additur vox צופים *tſophim*, credibile eſt factum hoc, quia in alterutro colle ſpecula fuit, in qua collocabantur *ſpeculatores*, qui dicuntur Hebraïcè צופים *tſophim*, ut viderent num quis exercitus hoſtilis, aut globus latronum ex Philiſthæorum agris, quos hi colles proſpectabant, in Ephraïmitidem veniret, ut ſigno monerent eos qui per agros ſparſi erant, & ſibi caverent. Vide Eſai. XXI, 12. Itaque רמתים צופים eſt compendiaria loquutio, pro רמתים אשר בה צופים *Rhamathajim, in qua ſpeculatores.* Alioquin oporteret priorem vocem eſſe in ſtatu conſtructo. Sunt tamen qui putant vocem *Tſophim* eſſe nomen Ethnicum, quo ſignificentur incolæ regionis צוף *tſouph*, de qua infra Cap. IX, 5. alii familiæ eſſe vocabulum, ejúſque Leviticæ, dictæ à *Tſuph*, aut *Tſophai*, qui fuit inter majores Elkanæ, ſicut hinc liquet, ut & ex 1. Par. VI, 26. Itaque ex horum ſententia vertendum eſſet *Ramathajimi Tſophæi*, aut *Rama Tſophæa*. Verùm hæ ſententiæ mihi minùs placent, quòd hæc non eſſet urbs Levitica, quod liquet ex Joſuæ XXI, 20. ubi enumerantur urbes Leviticæ; nec veriſimile ſit à Levitis, qui nonniſi inquilini illic erant, denominatum alienum tractum fuiſſe.

E montanis Ephraïmi] Ut Rama hæc diſtinguatur à Rama Benjaminitica, Saülis patria. Cave autem credas erudito Interpreti *Gaſp. Sanctio*, cui, ad hunc locum, Rama *civitas ſacerdotalis videtur*; *aliter*, inquit, *in ea non habitaſſet Elkana, qui ex familia Levitica propagatus fuit.* Multiplici ratione fallitur vir doctus, nam primùm Sacerdotales & Leviticæ familiæ non erant eædem, neque iis adtributæ eædem urbes, ut docemur Joſuæ Cap. XXI. Deinde nec inter Sacerdotales, nec inter Leviticas urbes hæc fuit, ut idem caput oſtendit. Poſtremùm licuit Levitis, cæteriſque omnibus Hebræis ubivis vellent habitare, in conductis ædibus, aut prædiis, vel ad Jubilæum uſque emtis. Vide not. ad Jud. Cap. VI, 11. XVII, 7, 8. XIX, 16. Itaque falſum planè eſt quod addit Samuëlem in civitate, quæ in Tribu Ephraïm Levitis adſignata fuerat, natum eſſe & educatum.

Filius fuit Jerochami] Aliter proponitur viri Genealogia 1. Par. VI, 26, 27. unde Levitam fuiſſe liquet. De ratione hæc redigendi in concordiam, dicemus ad locum Paralipoménon.

Ephraïmitha] אפרתי *ephrathi*, quod referimus ad Elkanam, qui hîc disertè dicitur habitaſſe in agro Ephraïmitico; cùm de ſedibus Majorum ejus nobis non conſtet. Ac ſanè ſi referretur ad proximè antecedens nomen, potiùs האפרתי, hoc eſt, τοῦ Ἐφραθαίου ſcriberetur. At eſt repetitio, inquiunt, nam antea dictus eſt fuiſ-

ſe

2· Ei fuerunt duæ uxores, *quarum* uni nomen fuit Channæ, alteri verò Pheninnæ; & Pheninnæ quidem liberi fuerunt, Channæ verò nulli. 3· Quotannis vir ille ex oppido ſuo Siluntem ibat, ut Jehovam *Deum* exercituum adoraret, eique ſacra faceret. Erant autem illic duo Helis filii, Chophnis & Phinchaſus, Jehovæ Sacerdotes. 4· Quo autem die ſacra faciebat Elkana, dabat Pheninnæ uxori ſuæ, omnibúſque filiis ejus & filiabus partes. 5· Channæ etiam partem unam adponendam dabat, quia eam amabat, quamvis Jehova uterum ejus occluſiſſet. 6· Verùm æmula ejus eam provocabat, etiam ad iram, ita ut eam ad fremitum adigeret, eò quòd uterum ejus occluſiſſet Jehova. 7· Sic faciebat *ille* quotannis, cùm iret *ea* ad Ædem Jehovæ; & ſic eam provocabat *Pheninna*, ut fleret, nec *quidquam* comederet. 8· Tum ei vir ejus Elkana, Channa, inquit, cur fles? Cur *nihil* comedis? Cur triſtis eſt animus tuus? Annon ego tibi decem filiis potior ſum?

9· *Ali-*

ſe è montanis Ephraïmi. Sit ſanè repetitio, quid enim frequentius repetitione, in ſtylo Hebræorum, minimè rhetorico? Sed poſſet, ut alii animadverterunt, *Ephrathæas è montanis Ephraimi dici*, ut vitaretur ambiguitas vocis אפרתי, quæ poteſt etiam ſignificare civem Bethlehemenſem, nam Bethlehem dicta etiam eſt *Ephratha*, unde analogicè אפרתי. Vide Ruth. IV, 11. Sed Ephraimita etiam dicitur אפרתי *Ephrathi*, ut Jud. XII, 5.

2· *Duæ uxores*] Polygamia, apud Judæos, numquam illicita habita eſt. Vide 2. Sam. XII, 8.

3· *Quotannis*] *A diebus in dies*. Hoc eſt, quotannis, ut Exod. XIII, 10. Jud. XI, 40. XXI, 9. Chaldæus habet: מזמן מועד למועד, *à tempore feſti in feſtum*. Unde Hieronymus, *ſtatutis diebus*. Sed ſatis eſt quotannis intelligi. Vide infra v. 7, & 21. Quamvis enim lege ſancitum eſſet mares omnes adeſſe ter quotannis ad Sanctuarium Exod. XXXIV, & Deut. XVI, 16. hæc lex, ut & multæ aliæ, vix umquam videtur obſervata. Paſcha ipſum omnium feſtorum ſollemniſſimum non accuratè obſervatum ſatis liquet ex 2. Reg. XXIII, 22.

Siluntem] Ubi Tabernaculum tunc temporis erat.

Ibat] *Adſcendebat*. Æquè potuiſſet dicere *deſcendebat*, utrumque enim eſt ſimpliciter ire.

Deum exercituum] Supplevimus, *Deum*, quia vox יהוה *Jehovah* numquam eſt in ſtatu conſtructo, uti nec alia nomina propria. Sic LXX in Aldino, Romano & Alexandrino Codice ſuppleverunt τῷ θεῷ, quod reſectum eſt in Complutenſi. Epitheton *Dei exercituum* hîc minùs convenit, ubi ſermo non eſt de bello. Ideóque aliquando conjeceram voce צבאות *tsbaoth* intelligi non exercitus propriè dictos, ſed eos qui cœleſtes dicuntur; hoc eſt, aut ſtellas aut Angelos. Sed cùm deinde reputarem Rhetoricos Græcorum Canonas hîc minimè obſervari, malui pleroſque Interpretes ſequi.

Jehovæ Sacerdotes] Qui ſene patre ſacris præerant, cum aliquot aliis inferioris ordinis Sacerdotibus.

4· *Quo autem die*] *Et fuit dies & mactavit Elkana & dedit* &c. Non intelligenda hæc de certo quodam die feſto, ſed de omnibus, quibus ad Tabernaculum ſacra faciebat, ſequentia oſtendunt.

Dabat —— partes] E victima, nempe, ſalutari in membra diſſecta & cocta partes diſtribuebat uxori & liberis, ut lautius convivarentur. Vide ad Geneſ. XXXI, 54. & Levit. VII, 16, 17.

5· *Adponendam*] מנה אחת אפים manah ehhath apphajim, *partem unam facieram*; hoc eſt, tantam, ut convivæ adponi poſſet. Nam ut לחם אפים *lehhem apphaim* paſſim dicitur *panis qui Deo adponebatur*: ſic hic *pars una faciei*, eſt quæ coram facie adponitur. Hoc vult Scriptor Sacer Channæ ſeorſim partem ſuam datam, quæ ei ſoli adponebatur; cum alteri uxori & liberis promiſcuè quædam dapes adponerentur, non ſingulis ſuam lancem, quo honore Channam afficiebat. In Complutenſi Editione eſt μερίδα μίαν κατὰ πρόσωπον, ſed in aliis Codicibus deſunt duæ poſtremæ voces. *Hieronymus* habet, *partem unam triſtis*; ſed אפים, *apphajim*, *iram* quidem aliquando ſignificat, *triſtitiam* nuſquam; nec erat Elkana triſtis, ſed tantùm Channa, quæ parere cupiebat. *Chaldæus*, interpretatus eſt חולק חד בחיר, *partem unam electam*, quod & alii ſequuti ſunt; ſed non ſatis intelligo quî hic ſenſus in voce אפים *apphajim* poſſit inveniri, nec exemplum ejuſmodi ullum adfertur. Alii *partem duplicem* vertunt, quod אפים *apphajim* ſit in numero duali, at pluralem numerum hæc vox nullum habet.

Quamvis Jehova] ויהוה, *vejahavoh*, & *Jehova*. Hîc ו ſignificat neceſſario *quamvis*, ut & alibi, qua de re vide *Chr. Noldium*.

Uterum ejus occluſiſſet] Hoc eſt, ſterilis eſſet, haud aliter ac ſi ejus uterus clauſus fuiſſet. Vide Gen. XVI, 2. Non ſunt autem hæc verba ita intelligenda, quaſi miraculo, hoc eſt, ſingulari omnipotentiæ ſuæ efficaciâ, impediret ne Channa conciperet. Sed Hebræi Deo omnia tribuunt, quia nihil ſine ejus providentia fit.

6· *Æmula ejus*] צרתה *tſaratha*, quod eſt *inimica* ejus verti queat.

Ita ut eam ad fremitum] בעבור *bahabour*, quod poteſt ſignificare animum Pheninnæ, aut exitum conſilii. Eò, nempe, adegit Channam, ut irata fremeret, eò quòd non haberet liberos, cùm ſuos illic rivalis oſtentaret. Vox Hebraïca רעם *raham* non tantùm ſignificat tonitru, ſed & murmur aquæ ventis agitatæ Pſ. XCVI, 11. ut rectè obſervavit *Lud. de Dieu*, poſſitque proinde, ubi de hominibus ſermo eſt, fremitum indignantium deſignare. Ac ſane Syriacè רועמא *rouhamah*, eſt querela, fremitus Coloſſ. III, 13. & אתרעם *ithhreham*, Chaldaicè *fremuit*, conqueſtus eſt. LXX. Int. in Codd. Vaticano, Aldino & Alexandrino habent καὶ ἀθυμεῖν διὰ τὸ, in Complutenſi, διὰ τὸ ἐξουθενεῖν αὐτήν. Vulgatus, *in tantùm ut exprobraret*. Chaldæus בדיל אקנאותה *ut ad zelotypiam eam moveret*. Omnia

ex

Digitized by Google

9. *Aliquando* autem, poſtquàm comediſſet, & bibiſſet Silunte, ſurrexit Channa, dum ſederet Helis Sacerdos ad limen Templi Jehovæ, in ſella. 10. Animus autem mulieris amarâ triſtitiâ confectus erat, oravitque illa profuſis lacrimis Jehovam, 11. & concepit votum his verbis: Jehova *Deus* exercituum, ſi reſpexeris triſtitiam ancillæ tuæ, meique recordatus fueris, nec oblivioni ancillam tuam mandaveris, ſed dederis ancillæ tuæ prolem virilem; eam tibi dabo, per omnes vitæ ejus dies, neque novacula umquam capiti ejus admovebitur. 12. Dum verò multis oraret, coram Jehova, Helis os ejus obſervabat. 13. Channa autem apud animum ſuum loquebatur, *ita ut* moverentur tantùm ejus labia, ſed vox non audiretur; quamobrem Helis ebriam eam eſſe putavit, 14. eique, quò uſque tandem, inquit, ebria eris? vinum tuum à te amove. 15. Reſpondit verò Channa, his verbis: nequaquam, Domine mi, ſed mulier ſum mœſta, neque vinum, neque inebriantem ullum potum bibi, ſed ani-

ex conjectura, & ſine certa vocis ſignificatûs cognitione. Channa querebatur infelicitatem ſuam, fremebátque ſubinde, quòd prole careret, propter æmulæ eam laceſſentis dicteria.

7. *Sic faciebat ille*] Addidi *ille* & infra *ea*, ut vitarem ambiguitatem, quæ non eſt in Hebraïca Lingua; ubi prius verbum maſculini generis non poteſt referri, niſi ad Elkanam, poſterius fœminini niſi ad Channam.

8. *Triſtis eſt animus tuus*] *Male habet cor tuum.*

Decem filiis potior ſum] Amor ſingularis, quo te proſequor, potior tibi eſt decem filiis.

9. *Templi Jehovæ*] היכל יהוה *hechal jahaveh.* Vox היכל videtur amplius quiddam, quàm tentorium ſignificare, nec propriè convenire niſi ædificio ſplendidiori. Itaque Scriptor Sacer uſus fuerit voce ſui ævi, quâ ſplendidum ædificium ſignificabatur, ut tentorium, quod tunc erat Templi loco, ſignificaret.

In ſella] Non ut jus diceret, ſed ut quieſceret; ſi enim jus tum dixiſſet, non potuiſſet obſervare quid ageret Channa.

10. *Animus autem* &c.] *Et illa amara animâ.* LXX. κατώδυνος ψυχῇ.

Profuſis lacrimis] *Et flendo flevit.*

11. *Et concepit votum*] *Et vovit votum & dixit.*

Si reſpexeris &c.] *Reſpicere*, *recordari*, *non oblivisci*, unum idémque ſonant. Quia enim nihil facimus in eorum gratiam, quos non reſpicimus, quorum memores non ſumus, aut oblivio nos cepit; ideò tria illa verba ſignificant curam gerere alicujus, rationem ejus habere, adeoque ei concedere quod petit. Vehementia autem affectûs Channæ facit ut ſynonyma hæc accumulet.

Prolem virilem] *Semen virorum.*

Tibi dabo] *Jehovæ dabo.* Nomen eſt proprium, loco pronominis. Levitæ erant miniſterio Tabernaculi conſecrati, ut Sacerdotibus ſubeſſent, cùm trigeſimum ætatis annum attigiſſent, ita ut miſſionem non impetrarent ante quinquageſimum. Vide Num. IV, 2. VIII, 24. Sed per totam vitam neceſſe non habebant adeſſe Tentorio, imò verò, hiſce temporibus, quibus Tentorium & vaſa ſacra loco rariùs movebantur, atque excreverat Sacerdotum & Levitarum numerus, Levitæ omnes minimè aderant Tentorio; ſed ii quos vocabant Sacerdotes ſollemnioribus feſtis, ut ſibi auxilio eſſent. Itaque Channa vovebat hîc rem minimè lege debitam, perpetuum, nempe, filii ſui ab infantia miniſterium, uſque ad mortem. Sic eum *dabat* Deo, cujus ſacris miniſteriis, apud Pontificem Maximum, operam daret.

Neque novacula umquam &c.] Pars hæc fuit voti Nazireatûs, ut liquet ex Num. VI, 7. & Hiſtoria Samſonis Jud. XIII, 5. verùm an hoc tantùm, an verò integrum Nazireatum voverit Channa non ſatis liquet. Videtur autem poſtea Samuel Judex Iſraëlis factus, voti religione ſolutus fuiſſe; neque enim potuiſſet miniſteriis ſacris perpetuò adeſſe, & ſimul Iſraëlitis jus dicere.

Capiti ejus admovebitur] *Adſcendet ſupra ejus caput.*

12. *Coram Jehova*] Ante oſtium Tabernaculi, neque enim licebat Sacrarium ingredi, niſi Sacerdotibus. Itaque eam videbat Helis ſedens extra oſtium Sacrarii.

13. *Apud animum ſuum*] על לבה *hal libbah*, ad cor ſuum; hoc eſt, ſubmiſsâ voce, ita ut ſola ſciret quid peteret.

Ebriam eam eſſe putavit] ויחשבה עלי לשכרה *jahhſchebeah Heli lſchiccorah*, *reputavit Heli in ebriam.* LXX. ἐλογίσατο εἰς μεθύουσαν, unde intelligere licet quid ſit λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην, de qua loquutione vide ad Gen. XV, 6.

14. *Ebria eris*] Aut, *ebrioſè te geres*, in loco ſacro, eſt enim תשתכרין *thiſchthacharin*, in Hithpael.

Vinum tuum à te amove] Hoc eſt, priùs crapulam hanc tuam edormito, quàm ad Sacrarium venias. Credebat eò faciliùs ebriam, quòd convivatam poſt ſacrificium ſciret.

15 *Mœſta*] קשת רוח kſchath rouahh, *dura ſpiritu*, hoc eſt, cujus animus duro affectu premitur, vel mœret. *Joſephus* habet hîc λυπουμένην. Alioqui *durus corde* eſt contumax, Ezech III, 7. LXX. Intt. habent hîc miram loquutionem: γυνὴ ἡ σκληρὰ ἡμέρα ἐγώ εἰμι, in Codicibus Vaticano & Alexandrino, ἐν σκληρᾷ ἡμέρᾳ in Aldino & Complutenſi. Eſt tamen Hebraïca loquutio, quæ occurrit Job. XXX, 25. *Flevi* לקשה יום *ad durum die*, *indoluit anima mea ad egenum.* Itaque credibile eſt Interpretes pro רוח *rouahh* legiſſe יום *jom*, nec omnino ſpernenda eſt ea lectio. *Hieronymus*: *infelix nimis*, quod idem ſignificat. Antiquiſſima autem eſt hæc LXX. Intt. lectio, ſic enim in Codice ſuo legerat *Philo*, qui ſic habet in libro de temulentia, p. 261. Ed. Pariſienſis, ubi de Channa: διὸ λέγεται αὐτῇ ὑπὸ παιδαρίου τινὸς (nam pro *dixit ei Heli* legitur in Codice Vaticano & Alexandrino, εἶπεν αὐτῇ τὸ παιδάριον Ἠλί) οὐχ ἑνὸς ἀλλ' ὑπὸ παντὸς ὃ νεωτερίζειν καὶ τὸ πολλὰ χλευάζειν ἀφορμὴν ἔχοντος, ἕως πότε μεθυσθήσῃ; περίελε τὸν οἶνόν σου.

animum meum coram Jehova effudi. 16. Ne habeas ancillam tuam pro mulie-
re nequam; ex vehementia meditationis & indignationis meæ, adhuc loquuta ſum.
17. Tum verò repoſuit Helis, & abi, inquit, in pace, Deúſque Iſraëlis tibi con-
cedat quod ab eo petiiſti. 18. At illa, gratiam, inquit, apud te inveniat ancilla
tua; abiitque mulier, quò eam ire oportebat, & comedit, nec *idem* vultus ampliùs
ei fuit.

19. Cùm verò *poſtridie* mane ſurrexiſſent, poſtraverunt ſe coram Jehova, reverſi ſunt
ac abierunt domum ſuam Ramam. Tum cognovit Elkana Channam uxorem ſuam, ac
Jehova mulieris recordatus eſt. 20 Itaque intra annum vertentem concepit illa & pe-
perit filium, cui nomen Samuëli impoſuit, quia, inquit, à Jehova eum petii. 21. Deinde
ivit vir ille Elkana & tota ejus domus ad ſacra anniverſaria Jehovæ facienda, votúm-
que ſolvendum. 22. Verùm Channa non ivit, quia viro ſuo dixit: non ibo, donec
puer

Ideò ei dicitur à quodam puerulo, non uno, ſed à quolibet, qui in flore ætatis eſt ut juveniliter ſe gerat, & egregia irrideat, quouſque inebriaberis? Aufer iſtud tuum vinum. Paullò poſt: εἰκότως ἂν ἀποκρίνεται πρὸς τὸν καταγελῶντα καὶ χλευάζοντα παῖδα αἰσθόμενον τὸν σεμνὸν καὶ αὐστηρὸν αὐτῆς βίον, ὦ θαυμάσιε, γυνὴ ἡ σκληρὰ ἡμέρα ἐγώ εἰμι: *meritò igitur reſpondet ad juvenilem agendi rationem, putantémque ſe irriſui expoſiturum gravem & auſteram ejus vitam, ô mirande, mulier dura dies ego ſum.* Tum addit: πρῶτον μὲν σκληρὰν ἡμέραν εἶπεν ἑαυτὴν πρὸς τὸ χλευάζον ἀποβλέπουσα παιδάριον, τούτῳ γὰρ καὶ παντὶ ἄφρονι τραχεῖα καὶ δύσβατος καὶ ἀργαλεωτάτη νομίζεται ἡ ἐπ' ἀρετὴν ἄγουσα ὁδός. *Primum quidem duram diem vocat ſe ipſa, reſpiciens illudentem puerum, nam huic & cuivis inſipienti aſpera, ardua, difficillimáque videtur ad virtutem ducens via.* Locum integrum protuli, ut conſtaret veritas lectionis Codicum Alexandrini & Vaticani. Interea ridiculè hîc Helis vocatur παιδάριον. qui filios habebat, qui ſacerdotio jam fungebantur. Si enim Ἠλὶ genitivo eſſet genere, oporteret additum articulum τοῦ. Præterea mulieris reſponſio non ad puerum, ſed ad Helin refertur. Ejuſmodi erroris incuſare nolim Interpretes, qui fortè ſcripſerant τοπάζων, *conjiciens*, nempe, eſſe Channam ebriam, quia labia movebat ſine voce quæ audiretur, unde poſtea factum τὸ παιδάριον. Non meminit *Joſephus* pueri, in hac hiſtoria, ſed tantùm Helis. Alterum etiam mendum eſſe puto in voce ἡμέρα & legendum ἡμέρᾳ in dativo, hoc eſt, ἐν ἡμέρᾳ, ut alii Codices habent, *dura in die*; hoc eſt, quæ diem hunc infelicem experior.

Animum meum coram Jehova effudi] Hoc eſt, quidquid erat in animo meo & quidquid opto Deo aperui. Vide Pſ. XLII, 5. LXII, 9. CXLII, 3. Sic & Lament. II, 19. *Effunde inſtar aquæ cor tuum, in conſpectu Domini, tolle ad eum manus tuas, propter vitam parvulorum tuorum* &c. Eadem metaphorâ Latini dicunt *fundere preces.*

16. *Ne habeas ancillam tuam* &c.] *Ne dederis ancillam tuam in conſpectum filiæ nequam*; quod poſſet etiam ſignificare: ne me exponas ludibrio puellarum nequam, quæ me irridere poſſent & ſpernere, ſi ſcirent à Pontifice Maximo me quaſi ebriam caſtigatam. Sed ſequuti ſumus Veteres Interpretes.

Meditationis & indignationis] Cùm apud me reputarem quàm objecta eſſem probris rivalis meæ, quia non peperi, animúſque meus æſtuaret.

Loquuta ſum] LXX. Intt. in Codd. Alexandrino & Vaticano ἐκτέτακα, *extendi*, nempe, δέησιν, aut ἐντυχίας, *ſupplicationem* aut *preces.* Mendoſè alii ἐκτέτηκα, *extabui.*

17. *Abi in pace*] Votum eſt in gratiam mulieris, quam ex reſponſione minimè ebriam eſſe ſenſerat.

18. *Gratiam apud te inveniat*] Sis mihi favens, ut adhuc fuiſti.

Quò eam ire oportebat] לדרכה ldarchah, *in viam ſuam.*

Idem vultus] פניה *phaneha.* Hilarior, nempe, fuit, ex fiducia exauditarum precum. LXX. Intt. τὸ πρόσωπον αὐτῆς οὐ συνέπεσεν ἔτι, Vulg. *vultúſque illius non ſunt ampliùs in diverſa mutati.*

19. *Ramam*] הרמתה *haramatha.* LXX. Ἀρμαθαίμ. Malui Ramam, ita ut hîc ſit ה emphaticum & terminatio quæ ſignificet motum ad locum. Vide ad v. 1.

Recordatus eſt] Vide ad v. 11.

20. *Intra annum vertentem*] לתקפות הימים *lithkuphoth hajjamim*, revolutionibus dierum. Diceret *Homerus*, περιπλομένων ἐνιαυτῶν.

Nomen Samuëli &c.] Non eſt hoc nomen analogicè formatum, ſic enim habent verba Hebraica; *vocavit nomen ejus* שמואל *ſchmouel*, *quia à Jehova* שאלתיו *ſcheiltiv.* Analogicè eſſet שאולמאל *ſchaoulmeel*, à Deo petitus; aut per Syncopen, שאומאל, *ſchaoumeel.* Sed mollior viſa pronunciatio vocis שמואל *ſchmouel.* Jam obſervavimus *Diſſertationis de Lingua Hebræa* Geneſi præfixæ §. I. nominum propriorum formationem non ſemper eſſe analogicam. Prolatâ autem verâ nominis Etymologiâ, delirarunt olim qui interpretati ſunt, in Libris de Nominibus Hebraïcis Scripturæ, *Nomen ejus Deus*, Ἀξίωμα ἀκοῆς Θεοῦ, ὁ νόμος Θεοῦ αὐτοῦ, ἢ ὄνομα αὐτοῦ Θεός. Unâ voce compoſitâ *Joſephus* meliùs Θεαίτητον, *petitum à Deo*, vertit.

21. *Sacra anniverſaria*] זבח הימים *ſacrificium dierum*, ſed ימים *dies* annum ſignificare quævis Lexica docebunt. Vide ad v. 1. Hinc quoque liquet Elkanam ſemel tantùm quotannis ſeſe ad Tentorium ſtitiſſe.

Votúmque ſolvendum] Si quod feciſſet, dum erat domi.

22. *Non ibo, donec* &c.] Nullam mulierem neceſſe erat quotannis ad Tabernaculum ire. Itaque potuit domi manere Channa, præſertim cùm voti rea nollet ſe ſe illuc ſiſtere, niſi eadem operâ votum Deo ſolveret; ne rem differre parum religioſè videretur, ſi, relicto domi filio, ipſa illic adeſſet.

Ablacta-

Digitized by Google

puer ablactatus ſit; tum illum ducam, ut conſpiciatur coram Deo & maneat illic in
perpetuum. 23. Elkana verò vir ejus illi, fac, inquit, quod tibi videbitur, mane do-
nec eum ablactaveris; verùm tamen Jehova confirmet quod dixit. Itaque manſit mu-
lier, lactavitque filium, donec eum ablactaret

24. Poſtea cum ablactatum ſecum duxit, cum tribus juvencis, Epha farinæ & utre vi-
ni, ac intromiſit eum in Ædem Jehovæ Silunte, erátque filius *ejus* etiamnum puer.
25. Jugulato juvenco, adduxerunt puerulum ad Helin; 26. cui mulier, attende, inquit,
Domine mi, *ea quæ dico*. *Ut* vivis, mi Domine: *ſic* ego ſum ea mulier, quæ hic *ali-
quando* apud te ſtetit ad orandum. 27. Pueri hujus causâ orabam, conceſſitque mihi
Jehova poſtulatum quod ab eo petebam. 28. Ideóque ego viciſſim eum tradendum
cenſui Jehovæ; *atque* in perpetuum, quamdiu erit, traditus *eſto* Jehovæ. *Quibus dictis*,
Samuel Jehovam adoravit.

II. Chan-

Ablactatus ſit] Lactari ſolebant pueri per triennium, ut liquet ex 2. Macchab. VII, 28. ſi modò tam remotis temporibus eadem conſuetudo obtineret.

Et maneat illic in perpetuum.] Hinc liquet quid ſibi vellet, *dare puerum Jehovæ*. Fuit, nimirum, conſecrare uſibus Tabernaculi, ſub Pontificis Maximi cura, & imperio. Vide & v. 28. & Cap. II, 11. Mirum autem eſt tam tenerum puerum eò fuiſſe deductum, cùm nondum ullius uſûs eſſe poſſet, imò verò muliérculæ cujuſpiam cura indigeret. Sed credibile eſt parentes de ejuſmodi muliere, alimentóque utriuſque puero in aliquot annos proſpexiſſe. Alioquin ejuſmodi vota fuiſſent Pontifici Maximo oneroſa, qui votos pueros ab infantia alere & educare neceſſe habuiſſet.

23. *Quod tibi videbitur*] *Bonum in oculis tuis.*

Confirmet quod dixit] יקם את דברו *jakem eth dbaro*, confirmet verbum ſuum. At LXX. Intt. στήσαι Κύριος τὸ ἐξελθὸν ἐκ τοῦ στόματός σου, quaſi legiſſet דברך *dbarcha*, *verbum tuum*; quo, nempe, conſecraverat Deo Samuëlem, ut per totam vitam ad Tabernaculum, ſacris miniſteriis addictus, maneret. Crediderim tamen eos ita vertiſſe, quòd nulla mentio occurrat ullius *verbi Dei*, ſeu promiſſi de Samuële; nam & *Hieronymus* habet: *impleat verbum ſuum*. Sic & Chaldæus פתגמוהי phithgamohi; *verbum ſuum*. Sunt qui velint verti, *rem ſuam*, aut *negotium ſuum*, quia דבר *dabar*, frequenter *rem* ſignificat, at vix credo uſquam eum ſignificatum inveniri, quando conjunctim legitur, cum verbo הקים *hakim*, confirmare, quod promiſſi expletionem ſemper ſonat. Itaque malim intelligi promiſſum, ut ita dicam, tacitum; ſed quod ex conceptione Channæ, geſtationéque uteri & partu intelligi potuerat. Quando enim voverat quidem illa Deo puerum, ſi gravida fieret, eniteretúrque eum; Deus verò voti ream fecerat, perinde erat ac ſi Deus mulieri promiſiſſet fore, ut puer ille, qui eâ lege mulieri conceſſus erat, Tabernaculo inſerviret, ac proinde vitalis eſſet. Deus ergo non verbis, ſed rebus ipſis oſtenderat ſe probare votum Channæ, promiſerátque ei vitalem filium; quod ut præſtet, eum orat Elkana. Itaque nihil opus eſt fingere cum Rabbinis oraculum, de naſcituro puero matri editum.

24. *Cum tribus juvencis*] בפרים שלשה, *bpharim ſchloſchah*. Mirum eſt LXX. Intt. vertiſſe, ἐν μόσχῳ τριετίζοντι. Fortè quia poſtea unius tantùm juvenci mactati mentio fit, ita vertendum putarunt.

Epha farinæ] Hoc eſt, ex calculo *Ed. Bernardi*, 38 libras *de Troy*, ut Angli loquuntur, farinæ triticeæ. Apparatus hic fuit ad ſacra facienda, & convivandum, propter conſecrationem pueri.

Intromiſit eum in Ædem Jehovæ] Excipiente ac ducente eum ad Altare Heli, aut alio Sacerdote. Omnis enim ille ambitus, intra quem Sacra fiebant, adeóque ipſum Atrium ſubdiale, in quo Altare fuit, Ædes Jehovæ habebatur; nam non videtur puer ipſum Sacrarium ingreſſus.

Filius ejus etiamnum puer] והנער נער *vehannahar nahar*, & adoleſcentulus puer. Prius filium ſignificat, poſterius ætatem. Si triennis tantùm erat, puer ſanè fuit, qui nondum ulli miniſterio adhiberi potuit.

25. *Jugulato juvenco*] *Et jugularunt juvencum & duxerunt puerum.* Poſt jugulatum juvencum, aut hoſtiam pro peccato, aut votivam, aut ſalutarem.

26. *Ut vivis*] *Viva anima tua*, *Domine mi*, *ego mulier* &c. Ut *anima mea* perinde eſt, ac *ego*; ſic & *anima tua* eſt *tu*. Genus hoc fuit jurisjurandi, aut certè adfirmationis, quo frequenter utebantur. Vide infrà C. XVII, 55.

Steſit ad orandum.] *Stantes enim Deum orabant.* Vide ad Gen. XVIII, 22.

28. *Ideóque ego viciſſim*] וגם אנכי vegam anochi, *& etiam ego*. Sic ſumitur ea particula Job. VII, 11. ut notavit *Ch. Noldius*, cui loco & hic addendus.

Tradendum cenſui Jehova] השאלתיהו ליהוה hiſchilthihou lejahovoh, *feci eum petere Jehovæ*. Eſt antecedens, pro conſequente; quia enim petenti Deo puerum non erat negatura, ideò *facere ut petat Jehova*, perinde eſt ac Jehovæ tradere. Vide Exod. XII, 36. LXX. Intt. κιχρῶ, Vulgatus, *commodavi*. Malui *tradendum cenſui*, quia quod commodatur repetitur, Channa verò filium, ſine ſpe repetitionis, ac reditûs, addicebat Sanctuario.

In perpetuum] *Omnibus diebus, quibus fuit*, היה, pro יהיה *jihjeh*, erit.

Traditus eſto] שאול *ſchaoul.*

Samuel] Hoc ſupplevimus, ne verbum maſculinum ad Channam referretur. Hac adoratione confirmavit puer votum matris ſuæ.

II. Channa canticum Deo, gratias agens, canit. Filii Helis homines nequam erant, dum Samuel religioſus ac probus eſſet. Cùm verò Helis non compeſceret nequitiam filiorum, caſtigatur à Propheta, qui eorum interitum, calamitatéſque Sacerdotali familiæ prædicit.

CAPUT II. 1. DEINDE Channa preces fudit, hiſce verbis: Exſultavit animus meus per Jehovam, altum evaſit cornu meum per Jehovam; dilatatum eſt, contra inimicos meos, os meum, quia ob liberationem tuam lætata ſum. 2. Nemo eſt ſanctus, ſicut Jehova, nemo eſt præter te; nulla eſt rupes, *ad quam confugiamus*,

In CAPUT II.

1. PReces fudit] תתפלל *thithphallel*, quod ſumitur ἀντὶ τῦ *canticum cecinit*; hic enim potiùs laudes Dei canit Channa, quàm quidquam ab eo petit. Similiter Pſalmi Davidis generali nomine תפלות *thephilloth* appellantur, Pſal. LXXVI, 20.

Per Jehovam] ביהוה *bejahavoh*, in Jehova; hoc eſt, Jehova, precibus meis exauditis, effecit ut animus meus gaudio exſultaret.

Altum evaſit cornu meum] Metaphora deſumta à bubus, aliiſque cornutis animalibus, quæ cùm creſcunt cornua altiora habent. Quamobrem, apud Hebræos, *cornu* paſſim vires & gloriam, & potentiam ſignificat. Vide Num. XXIII, 22. & Deut. XXXII, 17. Itaque gloriatur hîc Channa, fore ut pluris fieret à popularibus & majore gratiâ valeret apud virum, poſtquàm filium enixa erat, quàm cùm ſterilis habebatur.

Dilatatum eſt os meum] Eſt jam quod reſpondeam æmulæ meæ, quæ mihi ſterilitatem meam exprobrabat, cùm antea ſilendum mihi eſſet.

Liberationem tuam] בישועתך biſchouhathecha, *in ſalute tua*; ſed ſervare & liberare unum, idémque ſunt. Liberata fuerat Channa ſterilitate, incommodiſque, ac mœroribus, qui eam ſequebantur.

2. *Nemo eſt ſanctus, ſicut Jehova*] Quia nemo ſanctitatem Numinis æquat, aut æquare poteſt, & ſancta habentur, quæcumque ad ejus cultum pertinent, unde מקדש *mikdaſch*, Sanctuarium Templum ejus vocatur; ideò *Sanctus* ſignificavit Deum; ita ut Channa velit *nullum eſſe Deum*, præter Jehovam, ſeu Creatorem quem colebat Iſraël; quod ſequentia verba confirmant. Sic Job. VI, 10. אמרי קדוש imre kadoſch, *verba ſancti* ſunt verba Dei, & Eſaiæ XLIII, 15. *Ego Jehova* קדושכם *ſanctus veſter* (id eſt, Deus) *creans Iſraëlem, rex veſter*; & Habak. I, 12. *Nonne tu ab antiquis temporibus, ô Jehova, Deus meus, ſanctus meus*, קדושי. Ideò dicitur *ſanctus*, hoc eſt, Deus *Iſraëlis* Eſai. XLI, 14. & alibi, ut rectè obſervavit *Gaſpar. Sanctius*, qui & alia loca profert.

Nemo eſt præter te] Nimirum, Deus. Creſcit hîc oratio: nemo eſt Deus ſicut Jehova, imò nullus præter illum.

Nulla eſt rupes] Hoc eſt, nullum habemus certum perfugium, in quod in rebus adverſis confugiamus, præter Deum. Vide Deut. XXXII, 4. & quæ illic notavimus.

3. *Ne tam multis verbis ſuperbiatis*] *Ne multiplicetis, loquamini altum, altum*, quod non potuit Latinè magis ad verbum exprimi, quàm fecimus. *Altum, altum* eſt circumloquutio ſuperlativi, quo carent Hebræi, & quâ ſuperbiſſima oratio ſignificatur. Vide *Sal. Glaſſium* Philol. Sacr. Lib. III. Tr. I. Can. 16. Channa arguit æmulam ſuam, ejúſque liberos, qui ſe contemtâ ſuperbiebant. Nihil tamen vetat hæc ſimilia facientibus aptari.

Aſperum nihil] עתק *hathak*. Primùm negationem ἀπὸ τῦ κοινῦ repetiimus, deinde vertimus עתק *aſperum*, aut *durum*, ut Pſ. XXXI, 19. LXXV, 6. XCIV, 4. LXX. Intt. habent μεγαλοῤῥημοσύνην, quod eſt adfinis ſignificationis, ſed vim vocis non ſatis exprimit. Vulgatus: *recedant vetera ab ore veſtro*. Verùm *exire ex ore*, apud Hebræos, ſola dicuntur verba. Vid. Deut. VIII, 3.

Deus ſit, qui omnia norit] *Deus ſcientiarum* אל דעות *el deboth*, hoc eſt, qui omnia norit; nam דעות *deboth* videtur plurali numero dici, ad præſtantiam Divinæ Scientiæ ſignificandam, ut חכמות *ſapientiæ*, Prov. I, 20. ſummam ſapientiam ſignificat. Conſuetudo hæc eſt Hebræorum, de qua *Sal. Glaſſius* Phil. Sac. Lib. III. Tr. I. Can. 24. Alioqui *Deus ſcientiæ* Hebraico more diceretur Deus ſciens, ut *Deus pacis* eſt Deus pacificus, aliáque idgenus innumera. Senſus eſt, aſperius nihil in quemquam eſſe jaciendum, quia Deus, qui omnia novit, varia fieri patitur, propter fines nobis ignotos; nec minùs perfecta opera ejus eſſe, licet primâ fronte vitio quopiam laborare videantur. Exemplo erat Channa, quam, ſterilis ad inſtar arboris, quia nihil pariebat, traducebant; ac proinde inutilem habebant in genere humano, cujus propagationi minimè inſerviebat. His probris opponit omnia Dei opera, in ſuo genere, eſſe perfecta; cùm omnia norit, ac proinde ſteriles mulieres eſſe non patiatur, niſi certis de cauſis, tandémque earum ope perficiantur opera Dei, ſeu eas ſobole donet, ſeu ſteriles eſſe ad mortem ſinat. Sic è ſterili primùm Channa natus erat Samuel, ut Deus oſtenderet ſe precibus ſterilium poſſe ſobolem concedere, ac proinde ad ipſum, in ejuſmodi caſu, eſſe confugiendum.

Per-

mus, præter Deum noſtrum. 3. Ne tam multis verbis ſuperbiatis, aſperum *nihil* prodeat ex ore veſtro; cùm enim Jehova Deus ſit, qui *omnia* novit, annon perfecta eſſent *ejus* opera? 4. Arcus fortium virorum fracti, & ſuccincti robore ſunt qui ceſpitabant. 5. Saturi *antea*, panis cauſâ, mercenarii facti ſunt, & famelici *fame laborare* deſierunt. Quinimo ſterilis *quæ fuerat* ſeptem *liberos* peperit, & quæ multos habebat filios infirma facta eſt. 6. Deus occidit, & vitam reddit; demittit in ſepulcrum & ex eo revocat. 7. Jehova *hominem* pauperem facit & divitem, humilem reddit & extollit. 8. Excitat tenuem è pulvere, atque è ſterquilinio egentem erigit, ut *eos* ſedere faciat cum principibus, ſellámque glorioſam poſſidendam eis det; quia Jehovæ ſunt baſes terræ, quibus orbem impoſuit. 9. Pedes beneficorum ſuorum ſervabit, ſed mali in tenebris conticeſcent, quia nemo viribus *ſuis* fortis eſt. 10. Conterentur qui contendunt contra Jehovam; tonabit in cœlo, Jehova de

Perfecta eſſent ejus opera] נתכנו עלילות *nithkenou hali lotb*, quòd poſſit etiam verti *rectè facta ſunt ejus opera*? LXX. Intt. ἑτοιμάζων ἐπιτηδεύματα. Vulg. *ipſi præparantur cogitationes.* Senſus noſter commodior eſt, & certæ vocum ſignificationi convenientior.

4. *Fracti ſunt*] Nempe, à Deo. Vult hiſce exemplis oſtendere à Deo ſuperbos deprimi, humiléſque, prout libet, attolli. Cùm autem קשת *keſcheth* ſingularis numeri referatur hîc ad חתים *bhatthim* pluralis, oportet ſubaudiri *omnis*, ita ut *omnis arcus* regat adjectivum plurale.

5. *Saturi*] Qui habebant de ſuo unde ſaturarentur.

Panis cauſâ mercenarii] בלחם נשכרו ballehhem niſchcharou, *in pane conducti ſunt*; vel operam ſuam locarunt, ut panem ſibi compararent. Rectè hîc Channa Divinæ Providentiæ tribuit, quod Ethnici perperam Fortunæ, cujus inſtabilitatem ad nauſeam uſque prædicant. Vide *Joannis Stobæi* Florileg. Tit. CV.

Quinimo] עד had, *uſque ad*. Poſſit & hîc aliquid Ellipticum eſſe, quaſi diceret, omnes rerum humanarum varietatem experiri uſque ad ſterilem, quæ aliquando ſeptem liberos parit, &c.

Infirma] Effœta ante annos, quibus mulieres parere deſinunt, & fortè morientibus liberis orba. *Multi* liberi, & *ſeptem* hîc idem ſonant, ut ex oppoſitione hemiſtichiorum liquet. Vide not. ad Gen. IV, 15.

6. *Vitam reddit* &c.] *Vitam reddere* dicitur Deus, quando ægris jam fermè conclamatis ſanitatem reſtituit, aut cùm in periculis vitæ maximis verſantes liberat. Talia ſæpe in Pſalmis occurrunt, ut Pſ. XXX, 3, 4. *Jehova Deus mi, clamore te invocavi, & ſanaſti me. Jehova, eduxiſti ex ſepulcro* (שאול) *animam meam*, id eſt, me; *revocaſti me ad vitam, ex deſcendentibus in foveam.* Vide Pſ. LXXXVI, 13. LXXXVIII, 4. & ſeqq. CXVI, 3, 4.

Demittit in ſepulcrum] מוריד שאול *morid ſcheol*, facit deſcendere in ſepulcrum, & facit adſcendere.

8. *Sellámque glorioſam*] כסא כבוד *chiſſe chabod*, hoc eſt, ſellam honorificam, vel jus ſedendi inter illuſtres viros.

Baſes terræ, quibus orbem impoſuit] מצוקי metſouke, *terræ, & impoſuit iis orbem.* Quæ poſtrema verba oſtendunt מצוקים eſſe oportere quiddam, cui pondus aliquod imponitur; quale eſt *fundamentum*, aut *baſis*. Itaque hanc vocem deduxerim à צוק, eo ſenſu quo *arctare* ſonat, quia pleraque arctando firmantur, & quò magis arctantur eò ſunt firmiora. Hinc metaphoricè מצוק *matſouk* dicitur firmum præſidium infrà Cap. XIV, 5. Difficile eſt dictu quid legerint LXX. Intt. qui hîc habent, διδοὺς εὐχὴν τῷ εὐχομένῳ, cùm *Hieronymus* haud aliter legerit, quàm nos, quippe qui habet: *Domini enim ſunt cardines terræ & poſuit ſuper eos orbem.* Tralatitio autem ſignificatu dicitur vis, quæ Terram in eodem ſtatu ſervat, *baſes terræ*; ut Job. IX, 6. *columnæ terræ* dicuntur à Deo commoveri, quando concutitur. Hoc igitur vult Channa Deum facilè rebus humanis quamvis mutationem afferre, cum ſit ipſius Terrarum orbis conditor & dominus.

9. *Pedes beneficorum ſuorum ſervavit*] *Benefici* ſunt חסידים *bhaſidim*, ſic dicti à voce חסד *bheſed*, quæ *beneficentia* eſt, ut oſtendimus ad Gen. XXIV, 27. Vide & *Davidis Clerici* Quæſt. Sacram XXXVI. *Pedes* autem *ſervare* eſt impedire ne ceſpitent, aut labantur, quod metaphoricè calamitatem ſignificat. Vide Pſ. LVI, 14. CXVI, 8. CXXI, 3. Mirum eſt cur LXX. Intt. hîc verterint εὐλογῶν ἔτη δικαίου. Rectè *Hieronymus*: *pedes ſanctorum ſuorum ſervabit.*

In tenebris conticeſcent] In infelici ſorte, quæ *tenebris* ſignificari ſolet, jacebunt, ita ut ne mutire quidem audeant. De tenebris vide Job. XV, 22. XVIII, 5, 6. Poſſet etiam de morte intelligi, ut Pſalm. XXXI, 18. *mali in ſepulcro tacebunt*, hoc eſt, mortui erunt.

Nemo viribus ſuis fortis eſt] לא בכח יגבר איש *non in robore fortis erit homo*; hoc eſt, nemo viribus ſuis calamitatem vitare poteſt, niſi à Divina Providentia adjuvetur. Lacinia hîc addita eſt, in Codicibus Aldino, Vaticano & Alexandrino: Κύριος ἀσθενῆ ποιήσει τὸν ἀντίδικον αὐτοῦ, Κύριος ἅγιος. μὴ καυχάσθω ὁ φρόνιμος ἐν τῇ φρονήσει αὐτοῦ, καὶ μὴ καυχάσθω ὁ δυνατὸς ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ, καὶ μὴ καυχάσθω ὁ πλούσιος ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος, ἐν τῷ συνιεῖν καὶ γινώσκειν τὸν Κύριον καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐν μέσῳ τῆς γῆς. Petita hæc ſunt ex Jerem. IX, 23, 24. & forte ex margine in textum irrepſerunt. Poſtea ſequitur Κύριος ἀνέβη, quia pro עלו halau, *contra eos*, legerunt עלה halah, adſcendit.

10. *Qui contendunt contra Jehovam*] *Jehova conterentur contendentes ejus contra eum.* Eſt inverſio verborum non infrequens in Canticis. Significantur hoſtes populi Hebræi.

Digitized by Google

de finibus terræ judicabit; corroborabitque regem ſuum, & cornu uncti ſui attoll[et]

11. Tum abiit Elkana Ramam, domum ſuam, puérque *Samuel* Jehovæ, in conſpe-
tu Helis Sacerdotis, miniſtravit.
12. Filii verò Helis erant homines nequam, qui Je-
hovam non norant.
13. Erat autem mos hic Sacerdotum erga populum; cùm quivis
ſacra fecerat, veniebat puer Sacerdotis, dum caro coqueretur, erátque fuſcina tridens
in ejus manu.
14. *Eam* immittebat in cacabum, vel ahenum, vel lebetem, vel ollam,
& quidquid educebat fuſcina, id Sacerdos accipiebat. Ita ſe gerebant erga omnes
Iſraë-

De finibus terræ] Hoc eſt, de tota ditione populi Hebræi, ad fines uſque, ut Pſalmo II, 9.

Regem ſuum] Cùm nondum eſſent Reges in Iſraële, neque quiſquam ſuſpicari poſſet futuros; plerique omnes interpretes hæc propheticè dicta interpretantur, aut de Rege futuro in Iſraële, & præſertim quidem de Davide, quem ſingulari favore proſequutus eſt Deus; aut etiam de ipſo Chriſto, quia in ſequente Hemiſtichio prima mentio τοῦ משיח maſchiahh, *uncti* occurrit. Erat quidem tunc temporis *unctus* Domini; nimirum, Pontifex Maximus Helis, cúmque eſſet Judex populi Hebræi poterat dici tralatitio ſenſu *Rex*; quia cùm eſſet ſumma Judicis dignitus, apud Hebræos, iis erat quod Reges aliis gentibus, quamvis diſſimili poteſtate. Verùm in hoc ipſo Cap. v. 35. משיח *maſchiahh* diſtinguitur à Sacerdote. Itaque malim ad eos accedere, qui de Rege mox futuro vaticinium hoc eſſe putant. LXX. Int. habent δώσει ἰσχὺν τοῖς βασιλεῦσιν ἡμῶν, plurali numero.

Cornu uncti ſui attollet] Vide ad v. 1. & Pſ. LXXXIX, 18, 26. Poſſumus etiam hoc Canticum in ſimiliter deſinentes verſus diſtinguere, ut Canticum Deboræ Jud. V.

Canticum Channæ in ſimiliter deſinentes verſus diſtinctum.

עלץ לבי ביהוה	Exſultavit animus meus, per Jehovam;
רמה קרני ביהוה	altum evaſit cornu meum, per Jehovam.
רחב פי על אויבי	Dilatatum eſt os meum contra inimicos meos,
כי שמחתי בישועתך:	quia gaviſus ſum in liberatione tua.
אין קדוש כאדני	Nullus ſanctus, inſtar Domini,
כי אין בלתך	nam nullus eſt *Deus* præter te,
ואין צור כאלהינו:	nec ulla rupes inſtar Dei noſtri.
אל תרבו גבהה גבהה תדברו	Ne tam multis verbis ſuperbiatis,
יצא עתק מפיכם כי אל דעות	ne quid aſperum ex ore veſtro exeat, nam Deus om-
ולא נתקנו עלילות:	*annon* perfecta eſſent ejus opera? (niſcius,
קשת גברים חתים	Arcus fortium fracti,
ואזרו חיל נשכלים:	cincti ſunt robore ceſpitantes.
שבעים בלחם נשכרו	Saturi, panis causâ, mercenarii facti ſunt,
ורעבים חדל	& famelici *eſſe* deſierunt.
עד עקרה ילדה שבעה	Etiam ſterilis peperit ſeptem *liberos*,
ורבת בנים אמללה:	& quæ liberos multos habebat elanguit.
יהוה ממית ומחיה	Jehova occidit & ad vitam revocat,
מוריד שאול ויעלה:	demittit in ſepulcrum, & *ex eo* educit,
יהוה מוריש ומעשיר	Jehova pauperem facit & ditat,
משפיל אף מעיר	dejicit & excitat.
מעפר דל מקים	E pulvere tenuem extollit,
מאשפת אביון ירים	è ſtercore egenum erigit,
להושיב עם נדיבים	ut ſedeat cum principibus,
וכסא כבוד ינחלם	& ſellam honorificam eis concedit,
כי ליהוה מצקי ארץ	quia Jehovæ ſunt baſes terræ.
* * * * * *	* * * * * *
וישת תבל עליהם:	& ponit orbem ſuper eas.
רגלי חסידיו ישמור	Pedes beneficorum ſuorum ſervat,
ורשעים בחשך ידמו	at mali in tenebris ſilebunt,
כי לא איש בכח יגבור:	quia nemo viribus *ſuis* fortis eſt.
יהוה מריביו יחתו	Qui contendunt cum Jehova frangentur,
עליו בשמים ירעם	contra eos in cœlo tonabit.
יהוה ידין אפסי ארצם	Jehova judicabit de finibus eorum terræ,
ויתן עז למלכו	concedétque robur Regi ſuo,
וירם קרן משיחו:	& extollet cornu Uncti ſui.

Notulæ in Canticum Channæ.

5. כאדני] Pro ſynonyma ביהוה versûs causâ.

8. תדברו] Eſt ante duas voces antecedentes, ſed tranſpoſui ob verſum.

13. נשכלים] Eſt etiam hæc ante duas voces præcedentes, at eadem de cauſa tranſpoſita eſt.

18. ויעלה] *Vajjahaleh*, ſic integrè ſcripſi, pro ויעל *vajjahal*, propter finem ſuperioris verſus.

20. מעיר] *Mebir*, quod ſcripſi pro מרומם *mromem*, quod ſynonymum eſt, propter verſum antecedentem. Synonyma in omnibus libris ſæpe miſta ſciunt, qui varias lectiones Codd. MSS. verſarunt, quales ſunt quæ ex variis exempla-

Iſraëlitas, qui illuc Siluntem veniebant. 15. Etiam antequàm adoleviſſent adipem, ve-
niebat puer Sacerdotis, &, ſacra facienti, da carnem, inquiebat, Sacerdoti quam aſ-
ſet; neque enim elixam carnem à te accipiet, ſed tantùm crudam. 16. Si vir ille ei
diceret: *primùm* hodie adipem adoleant, deinde cape *tibi* ut cupies; nunc, inquiebat
ille, dabis, ſin minùs vi capiam. 17. Peccatum adoleſcentium magnum fuit coram
Jehova, quia faſtidiebant homines munus *offerre* Jehovæ.
18. Samuel verò puer miniſtrabat coram Jehova, pallio lineo indutus,
19. tu-

plaribus LXX. Int. ſunt collectæ. Conferatur & Pſ. XVIII, cum 2. Sam. XXII, 2.

21. מקים] Hîc & in ſeqq. verſu leves ſunt metatheſes.

25. ארץ] Quid reſpondeat huic verſui non invenio. Itaque antè, aut pòſt omiſſum aliquid ſuſpicor.

30. יגבר] Lego *jigbor*, ut antea *jiſchmor* ישמור. Hîc levis eſt metatheſis, ut & in ſeq. verſu.

32. ירעם] Effero *jirham*, ut ſit futurum kal.

33. ארצם] Addidi ם à fine, propter verſum; ut ſit *artſam*, terra eorum, nempe, hoſtium. Ceterùm ſi quis meliora invenerit, aut minore mutatione verſus confecerit, laudem & gratias à me feret.

11. *In conſpectu Helis*] Hoc eſt, prout imperabat Helis. Intelligendum autem hoc non de quarto, aut quinto anno Samuelis, ſed de ætatula paullò provectiore, quâ jam res minoris momenti poterat puer facere.

12. *Homines nequam*] בני בליעל *bne blijabal*, filii nebulonis, quod non eſt referendum ad Patrem Helin, ſed eſt loquutio vulgaris, quâ ſignificantur homines nihili, ut ſupra Cap. I, 16.

Jehovam non norant] Vivebant quaſi ejus præcepta ignoraſſent. Eſt antecedens, pro conſequente. Sic Jeremias de ſimilibus Sacerdotibus, Cap. II, 8. *Annon Sacerdotes dixerunt: ubi Jehova? Tractantes legem ignorarunt me*, לא ידעני. Ejuſmodi ſunt quos deſcribit Paulus ad Titum I, 16. qui Deum *noſſe profeſſi factis eum abnegant.*

13. *Mos hic*] ומשפט *oumiſchphath*, quod poſſet *jus* etiam verti, ſi ita res poſtularet, nam propriè eſt *judicium*. Sed cùm ejuſmodi jus nullum Lex concederet Sacerdotibus, ut liquet ex Levit. VII, 30. *& ſeqq.* ubi tantùm iis adtribuuntur pectus & armus dexter ſalutarium victimarum, de quibus hîc agi videtur; ideò משפט vertendum eſt *conſuetudo*, ut & Cap. VIII, 9. LXX. tamen Intt. *jus* intellexerunt, eò quod junxerint verba hæc cum antecedentibus: οὐκ εἰδότες τὸν Κύριον, καὶ τὸ δικαίωμα τοῦ ἱερέως παρὰ τοῦ λαοῦ. Sic & *Hieronymus*: *neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotis ad populum.* Sed Interpunctio Maſſorethica potior videtur.

14. *Eam immittebat*] *Et percutiebat*, nimirum, carnem immiſsâ fuſcinâ.

In cacabum &c.] Sunt quatuor nomina Hebraïca ſignificantia vaſa, in quibus elixabatur caro, כיור *chijor*, דוד *doud*, קלחת *kallabbath*, פרור *pharour*, ſed quæ quomodo differrent non conſtat.

Id Sacerdos accipiebat] Hæ rapinæ eo minùs erant tolerandæ, quò munificentiùs Sacerdotibus proſpexerat Deus, ut oſtendimus ad Num. XVIII, 20. Sed id genus homines, niſi majori poteſtate coërceantur, & in officio perpetuò contineantur, nullum modum cupiditati ſuæ ſtatuunt.

15. *Adoleviſſent adipem*] Ex lege, nimirum, quæ exſtat Levit. III, 9, 10, 11.

Da carnem] Armum, nempe, dextrum & pectus, ut jubet Moſes Levit. VII, 31. *& ſeqq.*

Crudam] Ut juberet eam parari quemadmodum vellet. Qui elixas tantum eas partes Sacerdoti dabant earum juſculo utebantur; qui crudas, minus pingue juſculum habebant. Videntur autem qui aliunde ad Tabernaculum veniebant faciliùs elixare potuiſſe carnem, quàm aſſare, ideóque Sacerdotibus elixam carnem dediſſe.

16. *Si vir ille ei diceret*] ויאמר vajjomer, *& dixit*, ſed hîc ו eſt pro ואם veim, ſi verò.

Adoleant] *Adolendo adolebunt*. Mos erat priùs proſicias victimæ ad Deum pertinentes adolere, dein Sacerdoti carnem dare; quòd meritò major ratio haberetur Dei, quàm Sacerdotis.

Ut cupies] *Prout cupiet anima tua*. Non tamen de quavis parte, aut de quovis pondere carnis hæc intelligi debere videtur; ſed tantum de iis quæ Lex præſcripſerat. Alioqui totam ſalutarem victimam potuiſſet ſibi ſumere Sacerdos æquo avidior.

17. *Faſtidiebant*] Propter hoſce Sacerdotes gravabantur venire ad Tentorium, ut Sacra illic facerent, quòd non poſſent rapinas & ſuperbiam filiorum Helis ferre.

Munus] מנחה *minhhah*, quod hîc oblationem quamvis ſignificat. Supplevi *offerre*, quia Iſraëlitæ non ſpernebant quidem oblationem, in ſe ſpectatam; ſed ægrè offerebant, propter Sacerdotes, quibus erat prædæ.

18. *Pallio lineo*] אפוד בד *ephod bad*. LXX. Intt. in Codice Vaticano, habent περιεζωσμένον Ἐφοὺδ βάδ, in Aldino & Alexandrino eſt βὰρ, quæ vocula in Complutenſi malè omiſſa eſt. *Procopius* in hunc locum ſic Veterum Interpretum diſcrepantias exponit. Ἀκύλας φησὶν, ἐπένδυμα ἐξαίρετον. Σύμμαχος Ἐφοὺδ λινοῦν καὶ ἐφεστρίδα μακράν. Θεοδοτίων, Ἐφοὺδ βὰρ καὶ ἐπενδύτην μακρόν. Hinc liquet *Aquilam*, ut & *Theodotionem*, legiſſe בר *bar*, quod eſt *purum & electum*, ut rectè obſervavit *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. V. c. V, 8. Præſtat בד *bad* retinere & *lineum* vertere, quia gregarii Sacerdotes lineas dumtaxat veſtes in Sanctuarium inferebant, ut liquet ex Levit. VI, 10. Ezech. XLIV, 19. *Ephodum* autem oſtendimus ad Exod. XXV, 7. fuiſſe pallium duabus quadratis plagulis conſtans, quod in humeris fibulis revinctum erat. Veſtimentum ceteroqui minimè ſacrum erat, cùm David, qui Sacerdotalis generis non fuit, eo uſus ſit in ſollenniore feſto, ut liquet ex 2. Sam. VI, 14.

Digitized by Google

19. tuniculámque ei faciebat mater ejus, quam ei adferebat quotannis, quando ibat cum viro ad ſacra anniverſaria facienda. 20. Bene verò precatus eſt Helis Elkanæ & ejus uxori, & det tibi, inquit, Jehova prolem ex hac muliere, pro poſtulato quod petiit à Jehova. Deinde ad ſuum locum diſceſſerunt. 21. *Nec irritæ fuerunt Helis preces*, cùm Jehova curam geſſerit Channæ, conceperitque ea & pepererit tres filios & duas filias. Interea, apud Jehovam, adolevit puer Samuel.

22. Helis autem valde ſenex erat, cùm audivit quæcumque faciebant filii univerſo Iſraëli & eos cubare cum mulieribus, quæ ad oſtium Tabernaculi Conventûs conveniebant.

14. Itaque eam veſtem geſſit Samuel, non ut Pontificem Maximum imitaretur, ut nonnulli ſuſpicantur; ſed ut veſtitus eſſet, ut alii diebus ſollemnibus ſolebant. Ephodum Pontificis lino & lanâ conſtabat, erátque ſingulari artificio contextum, ut liquet ex Exod. XXVIII, 6. *& ſeqq.* Fortè autem palliolum, ſeu Ephodum gerebat Samuel, ut ſecerneretur à Sacerdotibus, qui tunicis dumtaxat induti erant, ut liquet ex Exod. XXVIII, 40. Itaque nullo honore, hac in re, adficiebatur Samuel, contrà quam exiſtimarunt *Procopius* & alii.

19. *Tuniculam*] מעיל קטן *mehil katon*. Oſtendimus מעיל fuiſſe tunicam ſuperiorem ad Exod. XXV, 7. Videtur hac tunica, extra Sacra uſus Samuel. LXX. Int. διπλοΐδα, alii meliùs, quorum verba ad verſum ſuperiorem attulimus.

Quotannis] Ut Cap. I, 3.

Ad ſacra anniverſaria facienda] Ad mactandam victimam dierum ימים, hoc eſt, anui.

21. *Nec irritæ fuerant Helis precet*] Hujuſmodi ſenſus omnino hîc deeſt, nam ſequitur: כי פקד chi phakad, *nam viſitavit Jehova* &c. Non ſolent autem ita loqui Hebræi, quamvis non ignorem πολύσημον eſſe particulam כי *chi*, & infra oſtenſurus ſim eam ſignificare *propterea*; certè uumquam ſic occurrit, initio periodi. Itaque planè exiſtimarim excidiſſe hæc, aut ſimilia verba: לא תפל ברכת עלי, *non cecidit benedictio Helis*, quæ optimè ſequetur כי *chi*. Si vertas *propterea*, aut *itaque*, non ſat bene connexa erit oratio, neque enim preces Helis propriè dicta cauſa fuerunt fertilitatis à Deo concedendæ Channæ, ſed ſingularis ejus mulieris religio, ac virtus.

Curam geſſerit] *Viſitaverit*, de quo vide not. ad Gen. XXI, 1.

Apud Jehovam] עם יהוה *cum Jehova*, hoc eſt, dum ad Tabernaculum habitat.

22. *Conveniebant*] הצבאות *hattſobeoth*. Eſt in Editione Complutenſi, παρεμβολῶν, nam hæc abſunt ex aliis Codicibus Græcis. Vide not. ad Exod. XXXVIII, 8.

23. *Cur ita vos geritis*] *Cur facitis ſecundùm verba illa?*

Prout malos rumores] *Quos ego audio ſermones malos* &c.

24. *Adducatis ad violandas*] מעבירים *mahabirim*, facientes tranſilire. Cùm malo exemplo ad peccandum allicientes, tum etiam rapinis ſuis impedientes, ne populus ad Sacra facienda veniret, ut eſt dictum ad v. 17.

Judicabit de eo magiſtratus] פללו אלהים *philelo elohim*. Hîc אלהים *elohim* cum pleriſque Recentioribus *Magiſtratum* interpretati ſumus, optimo ſenſu. Si quis, nimirum, privatus privatum læſerit, vocetúrque propterea in jus, eſt Magiſtratus, qui mulctæ, aut ſatisfactioni ſtatuat modum; in quo læſus adquieſcere neceſſe habet, quippe qui jus ſuum ulciſcendæ injuriæ in Magiſtratum tranſtulit. De voce אלהים ſic ſumta, vide ad Exod. XXI, 6. Cur autem ea vox Magiſtratum, non Deum, ſonare videatur facit oppoſitio Dei cum hominibus, quam in ſequentibus verbis cernimus. Verùm LXX. Int. aliter ſenſerunt, qui habent: ἐὰν ἁμαρτάνων ἁμάρτῃ ἀνὴρ εἰς ἄνδρα, καὶ προσεύξονται ὑπὲρ αὐτοῦ πρὸς Κύριον, καὶ ἐὰν τῷ Κυρίῳ ἁμάρτῃ, τίς προσεύξεται περὶ αὐτοῦ; Poſtrema verba ad amuſſim Hebraïcis reſpondent, ſed priora uſui Linguæ adverſantur, nec conveniunt noſtræ punctationi. *Hieronymus* verò: *Si peccaverit vir in virum, placari poteſt Deus*, quibus non ſatis convenit cum Lingua Hebraica. Hoc ſummùm poſſet dici, quod nonnullis Recentioribus placuiſſe video, פללו אלהים vertendum, *expiat eum Deus*, quo ſenſu occurrit hoc verbum Pſ. CVI, 30. Verum non conſentit hic ſenſus cum ſequentibus; *ſed ſi quis deliquerit in Jehovam, quis pro illo orabit?* Verba autem hæc Helis ſunt intelligenda de peccato, quod *elatâ manu*, additóque Dei contemtu, aut verbis contumelioſis committebatur, de quo ad Num. XV, 30. Alioquin aliorum peccatorum venia poterat impetrari, ab iis ipſis qui deliquerant, quia pœnitentia ab iis agi poterat; cujus nulla erat ſpes ab iis, qui contumelioſè erga Deum ſe geſſerant, ſeu apertè ſpreverant Deum Iſraëlis & ejus leges. Peccatum autem filiorum Helis ejuſmodi peccato adfine fuit, cùm Religione apertè abuterentur in rapinis, adulteriiſque ſuis, cum mulieribus, quæ Dei colendi cauſâ Siluntem veniebant.

Quare Deo viſum eſt eos morte afficere] כי חפץ יהוה להמיתם quod verterunt LXX. Int. ὅτι βουλόμενος ἐβούλετο Κύριος διαφθεῖραι αὐτούς, quaſi ſcriptum fuiſſet חפוץ חפץ *hhaphotz hhaphats*. Vulgatus: *quia voluit Dominus occidere eos*. Verum cùm nemo Religionis amans poſſit dicere, ideò peccare homines, quia Deus eos perdere vult, ne Deus auctor peccati quod punit eſſe videatur; ſatius duxerunt viri doctiſſimi כי *chi* vertere *ideò*, aut *quare*, ut fecimus. Sic decreti de iis plectendis ratio eſt peccatum, non verò peccati decretum de pœnis ſumendis, quod cum ſanctitate & juſtitia divina pugnat. Ac ſanè כי *chi* aliquando idem eſt ac לכן *lachen*, id eſt, propterea, ut Gen. XXII, 17. *Quia hoc feciſti, nec filium tuum unicum mihi ſubtraxiſti, ideò* (כי chi) *tibi benedicam*, & XXIX, 32. *Concepit ergo Lea, filium peperit, noménque Rubeni ei impoſuit; dolorem enim meum, inquit, vidit Jehova, ideoque* (כי *chi*) *me nunc amabit vir meus*. Similiter Pſalm. CXVI, 10. *Credidi, ideò* (כי ארבר chi adabber) *lo-*

bant. 23. Illis verò, cur ita, inquit, vos geritis, prout malos rumores de vobis au-
dio, ab univerſo hoc populo? 24. Ne, filii mei, *ita vos geratis*; neque enim bonus
eſt rumor, quem audio, cùm adducatis ad violandas *leges divinas* populum Jehovæ.
25. Si quis in alium peccarit, judicabit de eo Magiſtratus; ſed ſi quis deliquerit in Je-
hovam, quis pro illo orabit? Nec tamen auſcultarunt voci patris ſui, quare Deo vi-
ſum eſt eos morte afficere. 26. At puer Samuel adoleſcebat, gratúſque erat Jehovæ &
hominibus.
27. Poſtea venit vir divinus ad Helin, eique, ſic, inquit, dixit Jehova: annon mani-
feſtum me feci familiæ progenitoris tui, cùm eſſent *Iſraëlitæ* in Ægypto, domi Pharaonis?
28. Elegi eum mihi ex omnibus Tribubus Iſraëlis, ut eſſet mihi Sacerdos, ut ſacra faceret
in

loquar. LXX. Intt. quos ſequutus eſt Paulus 2. Cor. IV, 13. *ἐπίστευσα διὸ ἐλάλησα*. Hieronymus etiam in verſione ex Hebræo: *credidi propter quod loquutus ſum*. Vide & Jerem. XXIX, 16. initio verſûs, & *Chr. Noldium* ſign. 8. hujus particulæ.

At viro docto *Theod. Hackſpanio* non placet hæc interpretatio variis de cauſis, quas expendere inutile non erit. I. Helis aliam profert rationem, *quòd, ſcilicet, peccaverint in Deum, cum ſacrificia minùs reverenter tractarent, & conſueſcerent cum mulieribus, quæ in Tabernaculo Conventûs rebus ſacris erant deditæ*. Verum hæc ratio non pugnat cum noſtra, nam hoc ipſum filiis exprobrabat Helis, & quòd hiſce, ne patre quidem monente, nuncium non remiſerint Hophnis & Phinchaſus, pœnas de iis ſumſit Deus. II. *Si*, inquit, *per* idcirco כי *reddi debeat, adeóque interficiendi fuiſſent, ea tantùm de causâ, quod voci patris non obediverint, Heli fuiſſet excuſatus; at verò Heli pœnas dedit*. Sed quis dicit ideò *tantùm* pœnas luiſſe Helis filios, quòd patri non paruerint? Supplicium Deo dederunt, quòd leges ejus violaſſent, idque eo gravius, quòd ne patri quidem eos propterea objurganti obtemperarint; cui ſi auſcultaſſent, actâ pœnitentiâ, potuiſſent veniam à Deo impetrare. Attamen Helis non fuit excuſatus, non quòd filios non monuerit, ſed quòd nimis molliter eos caſtigarit, nec pertinaciter licèt peccantes ab officio Sacerdotali amoverit. III. *Si per* idcirco *reddi debuiſſet, fuiſſet in promtu vox* לכן, *quæ* idcirco *ſignificat, qua etiam Spiritus Sanctus uſus eſt in hoc ipſo Capite*, v. 30. & *Cap*. III, 14. Verùm idem dicendum eſſet de omnibus aliis locis, in quibus כי occurrit eodem ſenſu, & ſimilia objici poſſent, ubicumque vox quæpiam ſenſu paullò rariore occurrit.

Joannes Tarnovius, ut idem monet, in Exercitationibus Biblicis, כי exponit *quamvis*, ut verſio hæc ſit: *non obediverunt voci parentis, quamvis Dominus eos vellet interficere*. Verum nec ea *Hackſpanio* probatur interpretatio: *nulla enim*, inquit, *ſpecialis facta erat de morte comminatio & generalis aliàs è lege petenda hîc Emphaſi caret*. Sed ſi liberet *Tarnovium* tueri, facile dictu eſſet Helin reverâ mortem à Deo minatum eſſe filiis, quamvis Hiſtoricus Sacer hoc non narret; qui, licèt directam orationem Helis proferat, propterea non eſt cenſendus omnia ejus verba protuliſſe.

Verùm hoc omiſſo, videamus quid viro docto magis placeat. *Nihil igitur*, inquit, *ſuperat, niſi ut propriè accipiamus, ceu tranſtulit etiam Vulgatus Interpres; ac ut reddatur ratio cur illi non obediverint; quia, ſcilicet, Deus eos voluerit interficere ac exemplum ſtatuere in obduratos. Dicet: hoc verò durum eſt, aliáque potiùs locum habere debet expoſitio. Si hoc durum eſt, fuerit etiam illud quod legitur Joſ. XI*, 19, 20. *ubi tamen effugiis hiſce nullus locus, nam verba ſic habent:* non fuit civitas, quæ pacem fecerit cum filiis Iſraël, præter Chivæos, in Gibeon habitantes, quia (כי) à Domino fuit, ut induraret cor eorum, in occurſum belli cum Iſraël, ut occideret eos &c. Verum hoc Joſuæ loco, non agitur de peccato; neque enim Chananæi peccabant, cùm ſe & ſua contra Iſraëlitas tuerentur, qui bellum, aut ſervitutem Chananææ populis indicebant. Hic verò non poterant filii Helis monita patris ſpernere, ſine graviſſimo peccato. *At*, inquit Hackſpanius, *indurati ita ſe habent, ut pœnas dent in ſequentibus actionibus & Satanæ jam ſint traditi, non ex abſoluto quodam, ſed ordinato, juſtiſſimóque decreto, ob antecedentia, ſcilicet, peccata*. At Deus non curat ut etiam ei, quos deſeruit ob antecedentia flagitia, hoc aut illud peccatum committant; ideóque non ſatisfacit hæc interpretatio. Deus nihil cuiquam, quamlibet flagitioſo, detrahit, aut addit, quo neceſſariò fiat ut peccet.

At *Seb. Schmidius*, vir itidem eruditus, exiſtimabat, poſſe hunc locum ſic intelligi: *at non auſcultarunt voci patris ſui* (monentis) *Deum velle eos interficere*; niſi, ſcilicet, ad meliorem frugem redirent. Abſurda ſanè hæc non eſt interpretatio, nihil enim vetat hoc quoque dixiſſe Helin; ſed verbum חפץ *hhaphats*, quod hîc adhibetur, non ſolet in minis adhiberi, quæ potiùs tempore futuro concipiuntur, hoc modo: כי ימית אותם יהוה אם לא ישובו מדרכיהם *quod morte affecturus eos eſſet Jehova, niſi reſipiſcerent à moribus ſuis*. Itaque malim כי vertere *quare*, cùm multa ſint ejus ſignificatûs exempla.

26. *Adoleſcebat*] *Ibat & creſcebat*.

Gratúſque erat] *Bonus erat etiam cum Jehova*. Vide Luc. II, 52.

27. *Vir divinus*] *Vir Dei*, hoc eſt, Propheta à Deo miſſus, & cujus nomen reticetur.

Manifeſtum me feci] *Annon revelando revelatus ſum*.

Progenitoris] אביך *patris tui*, quod hîc conditorem ſacerdotalis gentis Aharonem ſignificat.

Domi Pharaonis] In regno Regis Ægypti.

28. *Ut ſacra faceret* &c.] Potiſſima hæc ſunt munera ſacerdotalia.

Digitized by Google

in altari meo, ut offerret ſuffitum, gererétque Ephodum coram me. Donavi domum progenitoris tui omnibus *oblationibus* igne abſumendis Iſraëlitarum. 29. Cur calcitratis in ſacrificium meum, meúmque munus, quod huic habitaculo conſtitui? Tu verò majore in honore habuiſti filios tuos, quàm me; ut pingues fieretis ex primitiis omnium munerum populi mei Iſraëlis. 30. Propterea, ait Jehova Deus Iſraëlis, dixeram: domus tua & domus patris tui incedent in conſpectu meo, in perpetuum. Nunc verò, ait Jehova, abſit ut hoc fiat! Etenim eos quidem honorabo, qui me in honore habebunt; at me parvi facientes contemnam. 31. Ecce dies veniunt, quibus excîdam brachium tuum & brachium domûs patris tui, ne ſit in familia tua ſenex. 32. Videbis

Gereret Ephodum] Sollemnioribus feſtis, aut ut Deum eo indutus interrogaret. Vide Exod. XXVII.

Omnibus oblationibus] Partibus, nempe, quæ memorantur Levit. VII.

29. *Calcitratis*] תבעטו *thibbathou*. LXX. Intt. ἐπέβλεψας, aut ἐπεβλέψατε ὀφθαλμῷ ἀναιδεῖ, hoc eſt, ut videtur, concupiviſtis quod ad vos non pertinet. Sed iidem Interpretes Deut. XXXII, 15. ἀπελάκτισεν verterunt, ut hic Latinus: *calce abjeciſtis victimam* &c. Quia calcibus impetimus quæ ſpernimus; ideò *calcitrare* hîc eſt ſpernere. Potuiſſet etiam verti *calcare*, ex Syriacæ Linguæ uſu, eodem ſenſu.

Munus] Aut farreum, aut quodvis, eſt enim מנחתי *minhbathi*.

Quæ huic habitaculo conſtitui] אשר צויתי מעון *aſcher tſivithi mahon*, pro למעון הזה lamahon hazzeh, *huic habitaculo*, hoc eſt, Tentorio. Omiſſa ſunt à LXX. Interpretibus, niſi fortè lateant in verbis ὀφθαλμῷ ἀναιδεῖ, quæ ſunt eo ſitu, ubi oporteret verſionem horum verborum legi. At non intelligo quomodo legerint, ut ita vertere potuerint. Vulg. meliùs: *quæ præcepi, ut offerrentur in Templo.*

Majore in honore habuiſti] Maluiſti hoc pati fieri à filiis tuis, quod vetui; quàm honoris mei causâ, eos à ſacris muneribus arcere, donec pœnitentiam egiſſent. Conſuluerat honori filiorum, potiùs quàm reverentiæ Sacrorum.

Primitiis] ראשית & ἀπαρχαὶ dicuntur quidquid priùs detrahitur rei cuipiam, quàm uſui, cui deſtinata eſt, adhibeatur. Ideóque quæcumque cedebant in uſum Sacerdotum *primitiæ* dicuntur.

30. *Incedent in conſpectu meo*] יתהלכו לפני *jithallechou lephanai*. De miniſteriis ſacerdotalibus hoc intelligendum; unde *Hieronymus* vertit *miniſtrare*. Non exigua autem hîc ſuboritur difficultas, de hac promiſſione, cujus nulla alibi in Scriptura mentio. Conſtat enim perpetuum Sacerdotium promitti Phinchaſo, *Elehazaris* F. *Aharonis* N. Num. XXV, 13. Sed de Ithamaris prole alibi ſimile nihil occurrit. Attamen ex illius familia ad breve tempus tranſlatum eſt in familiam *Ithamaris*, *Aharonis* F. ex qua erat *Helis*, ut ex eo liquet quòd *Achimelechus*, Achitobi F. & Helis pronepos dicatur eſſe è poſteris *Ithamaris* 1. Par. XXIV, 3. Confirmat hoc *Joſephus* Ant. Jud. Lib. V. deſinente: ἦρξε δὲ πρῶτος Ἠλὶς Ἰθάμαρος τοῦ ἑτέρου τῶν Ἀαρῶνος υἱῶν οἰκίας· ἡ γὰρ Ἐλεαζάρου οἰκία τὸ πρῶτον ἱερᾶτο, παῖς παρὰ πατρὸς ἐπιδεχόμενοι τὴν τιμήν, ἐκεῖνος δὲ Φινεέσῃ τῷ παιδὶ αὐτοῦ παραδίδωσι, μεθ' ὃν Ἀβιέζερος υἱὸς ὢν αὐτοῦ τὴν τιμὴν παραλαβὼν παιδὶ αὐτοῦ Βοκκὶ τὸ ὄνομα αὐτοῖς αὐτὴν κατέλιπεν αὐτοῦ. παρ' οὗ διεδέξατο Ὀζὶς υἱὸς ὤν, μεθ' ὃν Ἠλὶς ἔσχε τὴν ἱερωσύνην, περὶ οὗ νῦν ὁ λόγος, καὶ τὸ γένος τὸ ἀπ' ἐκείνου μέχρι τῶν κατὰ τὴν Σολομῶνος βασιλείας χρόνων· τότε δὲ οἱ Ἐλεαζάρου πάλιν αὐτὴν ἀπέλαβον. Primus *autem hic Elis, cœpit* (Sacerdotio fungi) *ex familia Ithamaris alterius Aaronis filii; nam antè in Eleazaris familia fuit ſacerdotium, quem honorem filius à patre ſuccedens accipiebat; ille enim Phineeſi filio tradidit, poſt quem Abiezeres, qui filius ejus fuit, ſumtum honorem, filio ſuo, cui nomen erat Boccia, reliquit; à quo accepit Ozis, qui filius ejus fuit; poſt quem Elis habuit Sacerdotium, de quo nunc nobis ſermo eſt, ut & ſtirps ejus uſque ad tempora regni Salomonis. Tunc Eleazaris poſteri id recuperarunt.* Qui plura hac de re volent conſulant Chronologiam Sacram *Lud. Cappelli*, ſub finem & *Joannis Seldeni* de Succeſſione in Pontificatum Lib. II. c. 2, 3, & 4. Verùm duo hîc ſunt ignota, unde duæ naſcuntur quæſtiones; quarum altera eſt, qua de cauſa ab Elehazaridis tranſlatus ſit Pontificatus Maximus ad Ithamaridas: altera verò cur & quando Ithamaridis facta ſit promiſſio, quæ hîc legitur, quomodóve potuerit fieri, cùm antea æternus Pontificatus eſſet Elehazaridis promiſſus.

Ad priorem quæſtionem quod attinet, tacente Scripturâ, nihil certi poſſumus comminiſci. Hoc unum conſtat non ſine gravi cauſa, nec ſine auctoritate divina, eam tranſlationem factam fuiſſe; quandoquidem hinc liquet Deum perpetuum Pontificatum Maximum Helis familiæ pollicitum eſſe. Quare miror doctiſſimum virum, quem laudavi, Chronol. Sacræ p. 281. Edit. Pariſinæ, affirmare, cùm Sacerdotium Phinchaſi poſteris à Deo adtributum fuiſſet, omnino dicendum eſſe Heliu invaſiſſe Pontificatum, contra Dei præſcriptum; *quod eo ſecuriùs*, inquit, *feciſſe videtur, quod, cùm Judex populi eſſet, nemo erat, qui eum hac de re arguere, aut ei obſiſtere auderet.* Divina promiſſio, de qua hîc ſermo eſt, manifeſtò oſtendit rem, ſine favente Dei numine, factam non eſſe.

Verùm, quæ altera hîc exſurgit quæſtio, cur & quando facta ſit ea promiſſio, nemo divinarit. Jure tamen, revocatâ priore in gratiam Elehazaridarum, à Deo fieri potuit; quia omnes ejuſmodi Dei promiſſiones nituntur ſemper conditione, ſive diſertè expreſſâ, ſive prætermiſſâ; quæ niſi præſtetur ab hominibus, promiſſio per ſe nulla eſt. Ea autem conditio eſt pietas & virtus, quas Deus numquam non exigit ab hominibus. Excipiendæ dumtaxat promiſſiones quædam abſolutæ, neque ex actionibus hominum ſuſpenſæ; quales ſunt promiſſiones de primo & ſecundo adventu Meſſiæ, & ſi quæ aliæ ſunt. Itaque cùm Elehazarides Pontifex

Digitized by Google

bis æmulum *ad* habitaculum meum, per totum *tempus*, quo bene ſe geret cum Iſraële, neque umquam erit ſenex in familia tua. 33. Non exſcindam tamen viros tibi, ne accedant ad altare meum, ut contabeſcant oculi tui, doloréque afficiam animum tuum; verùm omnis multitudo familiæ tuæ, in ætate virili morietur. 34. Signum autem hoc tibi erit, quod duobus filiis tuis, Chophni & Phinchaſo eveniet; ambo *enim* unò die morientur. 35. Excitabo autem mihi Sacerdotem fidelem, qui quod mihi cordi erit, animóque meo *placebit* faciet. Ædificabo ei domum firmam & in conſpectu Uncti mei in perpetuum incedet. 36. Quiſquis ſupererit, è familia tua, veniet, ut coram eo procumbat, num-

fex Maximus in Deum peccaſſet, Pontificatus in Helin Ithamaridam, eo jubente, tranſlatus eſt. Similiter cùm promiſſus quoque eſſet perpetuus, ſed eadem lege, Ithamaridis; hiſce graviter delinquentibus ablatus eſt & redditus Elehazaridis, eadem conditione, quæ exprimitur v. 32. De hiſce promiſſionibus, ex lege aut tacita, aut expreſſa pendentibus, vide diſertiſſima Dei verba, apud Jerem. XVIII, 7, 8, 9, 10.

31. *Dies veniunt*] הנה ימים באים *ecce dies venientes*, quod propriè dicitur de re cujus tempus adventat. Vide Luc. XXIII, 29.

Exſcidam brachium tuum] גדעתי את זרעך *gadahthi eth zeroahcha.* LXX. Intt. pro זְרֹעַ quod *brachium* ſonat, legerunt זֶרַע quod eſt *ſemen*. Habent enim: ἐξολοθρεύσω τὸ σπέρμα σου, καὶ τὸ σπέρμα οἴκου πατρός σου. Quam lectionem veram eſſe non dubito, aptius enim dicatur *exſcindi ſemen domûs*, quàm *brachium domûs*, cujus loquutionis nullum legitur exemplum. Attamen *Hieronymus* habet etiam *brachium*, quâ voce aiunt ſignificari robur familiæ, quod in juvenibus ſitum erat. Ita ſenſit Chaldæus Interpres, qui habet: תקוף דרע *thekoph derah*, robur ſeminis, ita ut videatur ſimul ſubinnuiſſe & זְרֹעַ & זֶרַע poſſe legi. Attamen exemplum loquutionis requiro.

Senex] Quando poſteri juvenes moriuntur, ſeu *exſcinditur ſemen*, ſenes non cernuntur in ea familia. Contigit hoc in Phinchaſo & Hophni, quorum mors narratur Cap. IV, 11. & in Nobenſibus illis, juſſu Saülis trucidatis, de quibus Cap. XXII, 18. Sed in perpetuum hoc fuiſſe in ea familia liquet ex III, 14. quia ejuſmodi minæ, conjunctæ cum jurejurando, ex conditione non pendent. Deus, nimirum, eas exſequitur, etſi homines ad meliorem frugem ſeſe referunt, nec revocat ſi meliores fiant. Vide not. ad C. III, 18.

32. *Æmulum ad habitaculum*] צר מעון *tſar mahon*, pro למען *lemahon* ut ſupra v. 29. aut במען *bmahon*, unde *Hieronymus: videbis æmulum tuum in Templo.* Liquidum eſt ſignificari Deum excitaturum fuiſſe Pontificem Maximum, qui Ithamaridas è Pontificatu dejecturus eſſet; quod contigit, cùm Salomo Abiathari expulſo ſubſtituit Tſadockum, 1. Reg. II, 27. צר *tſar* hic eſt *æmulus*, aut *inimicus*, ut צרה *tſarah*, *æmula*, vel *inimica* Cap. I, 5. Alii *anguſtiam* minus commodè vertunt. Nos Vulgatum ſequuti ſumus, cujus interpretatio & rei & Linguæ convenientiſſima viſa eſt. Paraphraſis Chaldaïca hæc ſic reddidit: *videbis afflictionem quæ veniet ſuper homines domûs tuæ, propter peccata*, במקדש, *quæ feciſtis in Sanctuario domûs meæ*; unde *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. V. C. II, 2. non ineptè colligit Interpretem Chaldæum, præter hodiernam lectionem מעון *mahon*, exiſtimaviſſe legi etiam poſſe מִעָוֹן *ob peccatum*; nam hæc verba: *propter peccata, quæ feciſtis*, ſunt Paraphraſis hujus vocis מִעָוֹן; illa verò, *in Sanctuario domûs meæ*, ſunt explicatio vocis מְעוֹן. Nec rarò, ut idem obſervat, illi Paraphraſtæ duas lectiones conjungunt, quod & antea animadvertimus ad v. 31. Sed hîc punctatio Maſorethica ſine dubio melior eſt.

33. *Tibi*] Hoc eſt, familiæ tuæ. Quod fit poſteris, id Majoribus fieri dicitur, & viciſſim. Vide ad Gen. XIII, 15.

Ut contabeſcant oculi tui] *Ad conſumendos oculos tuos*; hoc eſt, ut poſteris tuis doleant oculi præ invidia, cùm videbunt æmulam familiam Pontificatu Maximo defungentem. Hoc enim non vidit ipſe Helis, qui mortuus eſt antequàm Pontificatum reciperent Elehazaridæ.

34. *Signum*] Sæpe Prophetæ, ut fidem facerent vaticiniis, quorum impletio in plures annos differebatur, aliquid prædicebant brevi implendum; ut intelligerent homines non minùs cetera, quæ differebantur, impletum iri. Vide Eſaiæ VII, 11. & ſeqq. XXXVIII, 7, 8.

Ambo uno die morientur] Vide Cap. IV, 11.

35. *Sacerdotem fidelem*] Tſadokum. Vide 1. Reg. II, 28. & 1. Par. XXIX, 22.

Quod mihi cordi erit] *Quemadmodum in corde meo & in anima mea faciat.*

Ædificabo ei domum firmam] Hoc eſt, dabo ei prolem, quæ non deficiet.

Uncti mei] Salomonis, & aliorum deinceps Regum. Reverâ ad captivitatem uſque & ulteriùs functi ſunt Elehazaridæ Pontificatu Maximo, quorum ſeriem ſuppeditabunt *Lud. Cappellus* in Chron. Sacra, & *Joan. Seldenus*, in opere de Succeſſione in Pontificatum. Hic obſervandum jam à temporibus Helis notum fuiſſe, ex hoc vaticinio, aliiſque, brevi adfuturum fuiſſe tempus, quo Hebræi Regem habituri eſſent. Vide & v. 10.

36. *Ut coram eo procumbat*] להשתחות לו *lehiſchthahhavoth lo*, LXX. Intt. rectè προσκυνεῖν αὐτῷ, nam conſuetudo illa procumbendi coram viris honoratis, & adorandæ dignitatis, per totum Orientem invaluerat. Hinc tamen liquet quàm magnum eſſet diſcrimen inter Pontificem Maximum & Sacerdotes gregarios, quamvis ab eodem Aharone oriundos. A ſenſu hujus loci planè aberravit Latinus Interpres, qui habet: *ut oretur pro eo & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicátque: dimitte me, obſecro, ad unam partem ſacerdotalem, ut comedam buccellam panis.* Quis umquam legit ſub Vetere Teſtamento iviſſe homines ad Sacerdotes, ut, acceptâ pecuniâ & placentâ, pro ſe orarent? Eo tempore, preces nec emebantur, nec vendebantur, ut poſtea à Sacerdotibus Chriſtianis, con-

Digitized by Google

nummuli argentei, aut placentæ panis cauſâ, dicetque: adgrega me, quæſo, uni è ſacerdotalibus claſſibus, ut buccellam panis comedam.

III. Samuel à Deo revelationem accipit, de calamitatibus familiæ Helis, quas ei ſacramento adactus patefacit, Prophetáque à toto populo Hebræo habetur.

CAPUT III. 1. MINISTRABAT autem puer Samuel Jehovæ, in conſpectu Helis, verbúm-
que Jehovæ temporibus illis rarum erat, neque viſiones *erant* frequentes.
2. Cùm ergo tunc temporis Helis loco ſuo cubaret, oculique ejus cœpiſſent
caligare, nec poſſet videre; 3. cùmque lucerna Dei nondum exſtincta eſſet, & Samuel
cubaret in Templo Jehovæ, ubi erat Arca Dei; 4. vocavit Jehova Samuelem, qui dixit:
en adſum; 5. cucurritque ad Helin, & en adſum, inquit, nam me vocaſti. Non te
vocavi, ait Helis, redi cubitum. *Samuel* ergo cubitum ivit. 6. At Jehova iterum vo-
cavit Samuelem, & ſurrexit Samuel, ivitque ad Helin, & dixit: en adſum, nam me
vocaſti. Non te vocavi, inquit Helis, fili, redi cubitum. 7. Samuel autem nondum
cognoverat Jehovam, nec dum verbum Jehovæ ei revelatum fuerat. 8. Tertiùm vo-
cavit

contra indolem Chriſtianæ Religionis, fieri cœpit. Itaque *Hieronymus* conſuetudinem ſui ævi, antiquis ignotam, in hoc loco perperam quæſivit.

Nummuli argentei &c.] לאגורת כסף *leagorath chesepb.* Si אגורה *agorah* ſit idem ac גרה *gerah*, ut vulgò credunt, nummulus fuit, qui æquavit tantùm vigeſimam partem ſicli, hoc eſt, ſemiunciæ argenti, ex calculo *Ed. Bernardi*. Inde LXX. ὀβολοῦ ἀργυρίου, ubi ſubaudiendum ἕνεκα. Hîc prædicitur tanta paupertas Ithamaridis, ut vel exigui lucelli cauſâ, ad pedes Pontificis Eleazaridæ ſint humiles procubituri.

Uni è Sacerdotalibus claſſibus] אל אחת הכהנות *uni è Sacerdotiis*, hoc eſt, uni è claſſibus Sacerdotalibus. LXX. ἐπὶ μίαν τῶν ἱερατειῶν σου. Nempe, ut Sacerdotes fructus Sacerdotii capere poſſent, poſt inſtitutas à Davide ſacerdotales claſſes, ut habemus 1. Par. XXIV. oportuit filios Sacerdotum, poſtquàm ætatem viginti quinque annorum expleverant, nomen ſuum dare Pontifici Maximo, ut claſſi cuipiam adſcriberentur, & miniſterio ſacro eum ea claſſe defuncti emolumenta Sacerdotii capere poſſent, indéque tenuiter victitare.

Ut buccellam panis comedam] Hoc eſt, ut poſſim victum neceſſarium conſequi, ex iis quæ jure ad Sacerdotes pertinent. Antiquis temporibus, cùm frequenter Iſraëlitæ in Idololatriam laberentur, nec accuratè Lex obſervaretur, Sacerdotibus non ſolvebantur decimæ, neque victimarum partes, aliáve dabantur; quæ ſi conſequuti eſſent, lautè omnes vivere potuiſſent. Vide 2. Paral. XXXI, 4.

In CAPUT III.

1. *VErbum Jehovæ*] Hoc eſt, revelationes propheticæ, quæ ſic ſolent deſcribi: ויהי דבר יהוה אל פלוני אלמני *& fuit verbum Jehovæ, ad illum, aut illum.* Vide Jerem. I, 2. II, 1. &c.

Temporibus illis rarum erat] *Pretioſum* (יקר *jakar*) *diebus illis*; hoc eſt, rarum, nam rara ſunt pretioſa.

Neque viſiones erant frequentes] אין חזון נפרץ *nulla viſio frequens*; ſic enim interpretor vocem נפרץ *niphrats*, ab ea ſignificatione Radicis פרץ quâ deſignat *copioſum eſſe*, ut Gen. XXVIII, 14. Job. I, 10. Poſſet etiam verti: *nulla viſio diffundebatur*, ſeu ſpargebatur per populum, nam dicitur mandatum פרוץ phrots, *erumpere*, aut diffundere ſe ſe, cùm ſpargitur, 2. Par. XXXI, 5. LXX. Intt. verterunt ὅρασις διαστέλλουσα, quo ſenſu neſcio, Vulgatus: *viſio manifeſta*, quia quæ erumpunt manifeſta fiunt. Sic & Chaldæus: נבואה גליא *prophetia retecta*. Maluimus *frequentem* vertere, propter antecedentia verba; ſolent enim Hebræi, cùm volunt quidpiam vehementiùs adſeverare, primùm rem affirmare, deinde negare contrarium. Sic ſupra C. I, 11. *ſi recordatus fueris, nec oblivioni mandaveris.* Ita & hîc: *verbum Dei rarum erat, nec viſiones frequentes.* Vide Intt. ad Joan. I, 3.

2. *Cum ergo tunc temporis* &c.] *Et fuit die illo & Heli* &c. יום ההוא *jom hahou* perinde eſt ac *aliquando*, Gallicè, *un jour.*

3. *Lucerna Dei*] Intelligitur Candelabrum, quod erat in Sanctuario, & cujus lucernas accenſas eſſe ad diem uſque oportebat, quo tempore exſtinguebantur. Vide Exod. XXVII, 21. XXX, 7. Itaque deſignatur tertia vigilia nocturna, ſeu tempus illud noctis quod lucem proximè anteceſſit, & quod citius, aut ſerius fuit, pro anni tempeſtate.

Cubaret in Templo] בהיכל *behechal*, non in Sacrario, aut Adyto, ubi nemo cubabat, ſed intra Atrii ſacri Aulæa, aut clauſtra, quæcumque eſſent. Chaldæus Interpres, ex more poſtremi ævi בעזרת לואי *in atrio Levitarum.* Templum hîc ſumitur pro toto ambitu ædificiorum ſacrorum, & ſacerdotalium, quæ illic erant.

Ubi erat Arca Dei] Hoc additur, quia cùm ex ea prodirent oracula, inde prodiit vox quæ Samuëlem vocavit.

4. *Qui dixit*] *Et dixit, ecce me.*

5. *Nam me vocaſti*] Vocem audiverat humanæ inſtar, aut fortè paullò majorem, & ſimilem ceteroqui voci Helis, à quo ſe vocatum ideò putabat.

6. *Iteram vocavit*] *Et addidit vocare adhuc.*

7. *Nondum cognoverat*] Suâ ipſius experientiâ, nondum norat quâ ratione Deus ſe ſe revelare

Digitized by Google

eavit Jehova Samuelem, qui ſurrexit & abiit ad Helin, dixitque: en adſum, nam me
vocaſti. Tum *demum* intellexit Helis à Jehova vocatum fuiſſe puerum, 9. dixitque Sa-
mueli: i cubitum, ſi verò voceris, dices: loquere, Jehova, quoniam ſervus tuus audit.
Abiit ergo Samuel & loco ſuo cubuit. 10. Venit deinde Jehova, ſtetitque & clama-
vit, ut antea: Samuel, Samuel. Loquere verò, ait Samuel, nam ſervus tuus audit.
11. Tum Jehova Samueli, mox, inquit, facturus ſum in Iſraële rem, quam quiſquis
audiet, ei ambæ aures tinnient. 12. Eo die, præſtabo Heli, quæcumque dixi de fa-
milia ejus, ab initio ad finem. 13. Indicavi ei me pœnas ſumturum de ejus familia, in
perpetuum, propter peccatum, quo novit filios ſuos maledicta ſibi contrahere; nec
eos vetuit. 14. Ideirco juravi familiæ Helis, numquam fore ut ea familia ſacrificio,
aut munere *farreo* ſuum expiet delictum.

15. *His auditis*, Samuel ad matutinum uſque tempus in lecto remanſit, & *cùm ſur-
rexiſſet*, aperuit fores Ædis Jehovæ, verebatúrque viſionem aperire Heli. 16. Sed vo-
cavit Helis Samuelem, &, Samuel inquit, fili. Ille verò, en, inquit, adſum. 17. Quid
tibi dixit *Jehova?* inquit; ne quæſo, id me celes. Ita ſe tecum Deus gerat, pergátque
ſe gerere, ut quidquam me celaveris eorum omnium quæ tibi dixit. 18. Igitur omnia
verba ei indicavit Samuel, nec quidquam eum celavit. Tum *Helis*, eſt Jehova, inquit,
quidquid ipſi videbitur faciat.

19. Sa-

lare ſoleret. Sequens membrum hunc verborum ſenſum eſſe docet.

8. *Tum demum intellexit*] *Et intellexit*. Quia norat neminem hominem eſſe illic, qui Samuelem vocare poſſet, præter ſe. Oportet ergo neminem illic cubuiſſe, præter Helin & Samuelem.

9. *Si verò voceris*] אם יקרא אליך *ſi clamat ad te*; nempe, הקורא, *qui clamat*, quicumque ſit, cujus vocis frequentiſſima eſt Ellipſis.

10. *Venit, ſtetitque*] Quia fortè auditus eſt quaſi ſtrepitus pedum primùm venientis, deinde veluti conſiſtentis.

11. *Mox facturus ſum*] הנה אנכי עשה *ecce ego faciens*.

Ei ambæ aures tinnient] Eſt proverbium Hebraïcum, quo ſignificatur res quæ ſummam admirationem, cum terrore maximo conjunctam, in hominibus excitat. Vide Jerem. XIX, 3. Non abſimili metaphorâ Latini *attonitum* vocant hominem ita ſtupefactum, ut cerebrum ejus tonitru perturbatum videatur. Vide *Voſſium* in Etymologico, ad vocem *Tono*. Cui enim ambæ aures ſubitò vehementer tinniunt videtur attonitus, ſeu tonitru ſono concuſſum ei nimium fuiſſe aurium tympanum.

12. *Præſtabo*] אקים akim, *ratum faciam*.

Ab initio ad finem] *Incipiendo & finiendo*. Reſpicit ad admonitionem Prophetæ, quæ Capite antecedente habetur.

13. *Me pœnas ſumturum*] *Quòd judicans ego*. Eſt antecedens, pro conſequente. Vide Gen. XV, 14.

Maledicta ſibi contrahere] מקללים להם *mkallelim lahem*, maledicentes ſibi, hoc eſt, ſceleribus & rapinis maledicta ſibi populi Hebræi contrahentes; nam conjugatio Pihel ſæpe habet ſignificationem reciprocam conjugationis Hiphil, ut docebit *Sal. Glaſſius* Phil. Sacræ Lib. III. Tr. 3. can. XXVI. Cùm hic ſenſus facilis ſit & commodus, nec ingenio Linguæ Hebraïcæ ulla in re repugnet, alium quærendum eſſe non exiſtimo. Attamen LXX. Intt. habent hìc ὡς κακολογοῦντες θεὸν, quaſi pro להם legiſſent לאל *lael*, aut לאלהים *lelohim*. Sunt etiam inter Rabbinos, qui hunc locum referant inter ea quæ paſſa ſunt *thikkun Sopherim*, vel emendationem Scribarum, & lectum priùs fuiſſe velint לי *mihi*; ita ut Deus dicat, ſibi, hoc eſt, Deo ipſi, maledixiſſe filios Helis; quod cùm Scribæ exhorreſcerent, mutarunt לי in להם. At multò melior & ſimplicior videtur noſtra interpretatio, nec hiſtoriolæ de Scribarum correctione fidem haberi oportere exiſtimo. *Hieronymus* paraphraſin hìc exhibet: *indignè ſe gerere*.

Vetuit] כהה *chihah*; non verbis mollioribus objurgavit, ſed planè impedivit, iis à ſacro miniſterio amotis, niſi aliter ſe gererent. LXX. Intt. incommodè ἐνουθέτει, & Vulgatus *corripuerit*, nam hoc factum ab Heli. Verbum hoc Hebraïcum eſt in Cal *hebeſcere*, & in Pihel *ſiſtere*, *retundere*, ut Lexica docebunt.

14. *Sacrificio* &c.] Poterant enim expiari peccata, ob quæ homines morti non damnabantur Lege, ſacrificiis, & delicta leviora filiorum Helis condonari eis potuiſſent, ſi victimas pro peccatis ritè obtuliſſent; ſed quia propemodum elatâ manu peccarant, ut diximus, ne veniam ſperarent, Deus, jurat ſe non condonaturum; nam addito jurejurando, excluditur omnis mutatio. Quod Deus poſteris innoxiis Helis Pontificatum aufert, & alia mala imponit; id non fit, ut luant pœnas alieni peccati, ſed perinde eſt ac ſi Deus diceret eos eâ conditione naſcituros, quoniam ita ſe ſe geſſerat Helis, unà cum filiis. Pœna hæc hiſce fuit, ſed poſteris ſors naſcendi.

15. *Fores Ædis Jehovæ*] Fores atrii, ut videtur, nam Sacrarii ipſius janua non aperiebatur, niſi à Sacerdote; qui curam lucernæ gerebat, cùm eam matutino tempore extingueret.

17. *Ita ſe tecum gerat*] *Sic faciat tibi Deus & ſic pergat ſi* &c. Formula cenſueta jurisjurandi, quæ verbo tenus exprimi nequit, nam אם *ſi* habet vim negativam. Ceterùm hìc eſt adjuratio, quâ ex ore Pontificis Maximi prolatâ, non licebat Samueli quidquam diſſimulare. Vide not. ad Levit. V, 1.

18. *Eſt Jehova* &c.] Perinde eſt ac ſi diceret: creator & dominus eſt omnium noſtrûm, ideóque in ejus voluntate nos, poſteróſque noſtros adquieſcere par eſt. Si me & filios malè mulctare velit, & poſteros noſtros eâ lege

Aa 3 naſci

Digitized by Google

19. Samuel adolevit, Jehováque ei aderat, nec quidquam ejus verborum irritum cadere patiebatur. 20. Intellexit igitur omnis Iſraël, Dane Beerſebam uſque, Samuelem fidelem eſſe Jehovæ Prophetam. 21. Perrexit autem Jehova manifeſtus fieri Silunte, nam Silunte Samueli ſe ſe verbo ſuo revelaverat.

IV. Exorto inter Iſraëlitas & Philiſthæos bello, quo Philiſthæi ſuperiores erant, Arcam Iſraëlitæ in caſtra ſua adduci curant; quæ, victis Iſraëlitis, & occiſis duobus Helis filiis, capitur. Eo nuncio audito, Helis collapſus moritur, ut & nurus ejus Phinchaſi uxor, cùm peperiſſet.

Caput IV. 1. CUm alloquutus eſſet Samuel totum Iſraëlem, egreſſus eſt Iſraël obviam Philiſthæis, ad bellum *cum iis gerendum*, caſtráque poſuit ad Eben-hezerum, dum Philiſthæi caſtra Aphekæ habebant. 2. Tum aciem inſtruxerunt Philiſthæi contra Iſraëlem, inclinatóque prælio, cæſus eſt Iſraël ante Philiſthæos, occiderúntque in acie, in agro, circiter quatuor millia virorum. 3. Cùm rediiſſet populus in caſtra, ſenes Iſraëlis dixerunt; cur Jehova nos hodie cecîdit in conſpectu Philiſthæorum? Sumamus ad nos Silunte Arcam fœderis Jehovæ, veniátque inter nos, & nos à manu hoſtium noſtrorum liberet. 4. Miſit ergo populus Siluntem, atque illinc adtulerunt Arcam fœderis Jehovæ *Dei* exercituum, inſidentis Cherubis. Illic erant etiam duo filii Helis,

naſci ut brevis ævi ſint, & in paupertate vitam traducant; nihil eſt quod ejus juſtitiæ, aut bonitati objiciamus. Jus, fâſque eſt peccata noſtra ab eo puniri & poſteros noſtros tales eſſe, quales velit. Non loquitur de expiando pœnitentiâ peccato, propter jusjurandum, quod decreti non revocandi indicium erat. Vide Heb. VII, 21. & ad eum locum Interpretes.

19. *Et aderat*] *Erat cum illo.*

Cadere patiebatur] *Cadere faciebat*, הפיל *hippil*, *in terram*; hoc eſt, contingere curabat.

20. *Dane Beerſebam*] A finibus borealibus ad meridianos, hoc eſt, per totam Chananæam.

21. *Nam Silunte Samueli* &c.] *Revelabatur Jehova Samueli Silunte, in verbo Jehovæ* בדבר יהוה; hoc eſt, ſermonibus quos cum illo habebat. Ultimum nomen ſubſtantivum eſt pronominis poſſeſſivi loco, בדברו *verbo ſuo*. Vide ad v. 1. *Hieronymus* hîc habet: *juxta verbum Domini*, quaſi legiſſet כדבר *chidbar*. Tum addit, *& evenit ſermo Samuelis univerſo Iſraëli*, ex ſequente verſu. Lacinia major eſt in verſione LXX. Intt. eâque inutilis.

In Caput IV.

1. C*Um alloquutus* &c.] *Et fuit verbum Samuelis univerſo Iſraëli, & egreſſus eſt Iſraël* &c. Hoc eſt, jubente, nomine Dei, Samuële, expeditionem hanc ſuſceperunt Iſraëlitæ; ſed ut pœnas Deo darent. Vide Jud. XX, 23. ſimilis eventûs exemplum.

Obviam Philiſthæis] Qui armatâ manu in agros populi Hebræi ingreſſi erant.

Ad bellum] Vel, ad prælium, nam מלחמה *milhhamah* utrumque ſignificat.

Eben-hezerum] Ad locum, qui aliquot annis poſtea dictus eſt: *lapis auxilii* האבן העזר *haeben haezer*. Vide Cap. VII, 12. *Euſebius* de hoc loco: Ἀβενέζερ, λίθος βοηθοῦ, τόπος ὅθεν τὴν κιβωτὸν ἦραν οἱ ἀλλόφυλοι, μεταξὺ Αἰλίας καὶ Ἀσκάλωνος, πλησίον Βηθσαμὶς κώμης: interprete Hieronymo: *Abenezer, quod interpretatur* lapis adjutorii, *ſive* lapis auxiliator. *Eſt autem locus, unde tulerunt Philiſthiim arcam Teſtamenti, inter Æliam & Aſcalonem, juxta villam Bethſamis.*

Aphekæ] באפק *beaphek*. Intelligendum Aphek Tribûs Judæ, de qua urbe Joſ. XV, 13. & infra XXIX, 1. Fuit in occidentali tractu agrorum Tribûs Judæ.

2. *Contra Iſraëlem*] *Obviam Iſraëli*; hoc eſt, inſtructâ acie obviam illi iverunt.

Inclinato prælio] ותטש המלחמה *vatthittoſch bammilhhamah*. Sequuti ſumus τοῖς LXX. qui habent ἔκλινεν ὁ πόλεμος, qui videtur eſſe ſenſus loquutionis Hebraïcæ, quæ vertitur: *diffuſum eſt prælium*; quod perinde eſt ac, inclinata eſt acies, quia quorum acies inclinatur, ii non conferti pugnant atque uno in loco, ſed hîc illic malè repugnant. *Hieronymus: inito certamine*, non ſatis commodè.

3. *Senes Iſraëlis*] Magiſtratus, qui duces etiam erant.

Cur Jehova &c.] Ex hiſce verbis intelligere eſt Hebræos non ſine fiducia ad prælium progreſſos, fortè quod multò plures eſſent Philiſthæis, miratóſque propterea ſe vulnus accepiſſe. Certè ora maritima, quam colebant Philiſthæi, exigua erat, ſi conferatur cum agris Hebræorum, quorum multò majores exercitus eſſe poterant. Itaque Hebræi cladem hanc ſibi divinitus immiſſam exiſtimabant.

3. *Et nos à manu hoſtium* &c.] Exiſtimabant quidem Deum, etiam abſente Arcâ, ſibi ferre poſſe auxilium; ſed tamen, ſi adeſſet, certiorem opem exſpectabant, quia tum demum honor ipſe Dei agebatur, qui, ut putabant, pati non poterat Arcam capi & ludibrio haberi ab hoſtibus; quamobrem putabant ſe certam victoriam relaturos.

4. *Inſidentis Cherubis*] ישב הכרבים *joſcheb haccherubim*, quia Arcæ Cherubis tectæ præſens adeſſe ſolebat, & inde oracula edere. Vide ad Exod. XXV, 8, 22.

Chophnis & Phinehaſus] Non quidem ad bajulandam Arcam, quod officium erat Kehathi-

Helis, Chophnis & Phinchaſus, unà cum Arca fœderis Jehovæ. 5· Cùm verò veniret
Arca fœderis Jehovæ in caſtra, ediderunt Iſraëlitæ magnam vociferationem, quâ trac-
tus ille perſonuit. 6· Philiſthæi verò, auditâ vociferatione, dixerunt: quid *ſibi vult*
magna illa vociferatio, in caſtris Hebræorum? Intellexerúntque Arcam Jehovæ in caſ-
tra veniſſe.

7· Timuerunt ergo Philiſthæi, nam, inquiebant, venit Deus in caſtra, & væ nobis,
cùm res noſtræ non ſint quales erant antea. 8· Væ nobis, quis enim nos liberabit è
manu Dei illius potentis? Hic ipſe Deus eſt, qui omnis generis vulnera inflixit Ægyptiis,
in ſolitudine. 9· Fortes *tamen* eſtote, *inquiebant alii*, vitilitérque vos gerite, o Phi-
liſthæi; ne ſerviatis Hebræis, ut vobis ſervierunt; eſtote ergo viri & pugnate. 10· Præ-
lium commiſerunt poſtea Philiſthæi, cæſique ſunt Iſraëlitæ, & ſinguli domum fugerunt.
Fuit maximum vulnus, ceciderúntque ex Iſraële triginta millia peditum. 11· Arca
etiam Dei capta eſt, perierúntque duo filii Helis, Cophnis & Phinchaſus

12· Curſu Benjaminita quidam effugit ex acie, Silúntemque die illo venit. Sciſſæ
erant ejus veſtes, & pulvis capiti ejus impoſitus. 13· Cùm veniret, Helis in ſella jux-
ta viam ſedebat, ſpeculaturus *quid futurum eſſet*; pavidus enim erat ejus animus, propter
Arcam Dei. Tum vir ille venit in urbem, ut *rem* nunciaret, totáque urbs clamoribus
miſta eſt. 14· Audivit Helis clamorem, & quis eſt, inquit, hic tumultus? vir verò
ille feſtinanter venit, ut rem Heli nunciaret. 15· Helis erat nonaginta octo annos na-
tus, ejúſque oculi caligabant, nec videre ampliùs poterat. 16· Vir autem ille Heli,
venio, inquit, ex acie ex qua hodie fugi. Quo modo verò, fili, inquit *Helis*, res
ha-

bitarum, ſed ad illam tegendam, ne ab iis tangeretur. Vide Num. IV, 4 & ſeqq.

5· *Tractus ille perſonuit*] ותהם הארץ *vattehom haarets*, & tumultuata eſt terra illa.

6· *Auditâ vociferatione*] *Et audiverunt ſonitum vociferationis.*

Intellexerunt] Aut à transfugis, aut à captivis.

7· *Nam, inquiebant* &c.] *Quia dixerunt: venit Deus in caſtra; & dixerunt: væ nobis* &c. Voce אלהים *Deus* intelligendum אלהי עברים *Deus Hebræorum*, nam Philiſthæi ſic eum κατ' ἐξοχὴν minimè vocabant.

Res noſtræ non ſint quales &c.] *Non fuit ſicut hoc, heri & nudius tertius.*

8· *Dei illius potentis*] האלהים האדירים האלה *Deorum magnificorum illorum.* Hic Philiſthæi, more linguæ Phœniciæ, de uno Deo, de quo uſurparunt antea verbum ſingulare בא *venit*, pluraliter loquuntur, quamvis non ignorarent unum Deum ab Hebræis coli. Is uſus fuit Phœniciæ Linguæ, ex opinione de pluribus Diis ortus; neque enim veriſimile eſt Gentem, quæ unum Deum credidit, nomen plurale fermè ſemper loco ſingularis adhibituram fuiſſe. Itaque Hebræi hac in re uſum Chananæorum ſequuti ſunt. Sic & אדונים adonim, *domini* etiam vir unus dicitur, quòd mancipia ſolerent Patrem & Matrem familias, liberóſque, ſi qui eſſent, vocare אדוניו *dominos ſuos*; unde poſtea videtur factum ut, etiam de uno, אדונים *adonim* dicant. Additur hic epitheton אדירים *addirim*, quod στερεούς. hoc eſt, *validos* verterunt LXX. Int. Vulgatus *ſublimes.*

Omnis generis vulnera] *In omni vulnere. Ægyptios* vertimus, quaſi eſſet מִצְרִים, non מִצְרַיִם, quia hic non agitur tam de Ægypto, quàm de Ægyptiis, qui in mari Erythræo ad ſolitudines Arabicas ſunt ſubmerſi. *Omne vulnus* vocant hoc Philiſthæi, quia præter mortem eorum, qui in mari perierunt, multa ſequuta ſunt apud Ægyptios mala, qualia ſunt orbitas parentum & liberorum, viduitas mulierum, paupertas familiarum, aliáque quæ magnas clades ſequi ſolent. Itaque non opus eſt ut eò confugiamus, ut dicamus Philiſthæis non ſatis notam fuiſſe hanc hiſtoriam.

9· *Fortes eſtote*] התחזקו *bithbhazzekon*, quod verti etiam queat: *animos veſtros confirmate*, κραταιοῦσθε, ut habent LXX. Int.

Inquiebant alii] Hoc ſupplevimus, quia hi ſermones aliorum erant, quàm ſuperiores, qui timorem arguunt, cùm hi ſint animoſi.

Viriliterque vos gerite] *Fiatis viri.* Verſu Homerico dixeris:

Ἀνέρες ἐστὲ, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.

Viri eſtote, amici, & recordamini martialis roboris.

Serviatis] Stipendiarii fiatis.

10· *Iſraëlitæ*] *Iſraël.*

Domum] *Tabernacula ſua.*

12· *Curſu Benjaminita* &c.] *Et cucurrit vir Benjamin ex acie & venit* &c.

Sciſſæ erant ejus veſtes] Ut in calamitate. Vide Joſ. VII, 6. Ezech. XXVII, 30.

13· *Juxta viam*] Legitur in textu יך דרך *jach derech*, ſed rectè in margine emendatur יד *jad*, pro אל יד *el jad*, hoc eſt, *ad latus viæ*. Vide v. 18. LXX. Int. verterunt παρὰ τὴν θύραν τῆς πύλης, σκοπεύων τὴν ὁδόν. Sic & Chaldæus: *ad clivum viæ portæ*. Vulgatus: *contra viam*. Ex re ipſa conjecerunt Græci & Chaldæus, quia Helis anxius erat propter Arcæ & filiorum periculum, & quamprimùm quo loco res eſſent ſcire cupiebat; adeóque ſellam juſſerat collocari ad viam, ut venientes interrogaret. Sed non opus fuit hæc ſuppleri. Verè conjecit *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. III. C. IX, 17. Chaph finale poſitum fuiſſe pro Daleth, ob figuræ ſimilitudinem.

Clamoribus miſta eſt] *Clamavit.*

14· *Clamorem*] *Vocem clamoris.*

Tumultûs] *Vox Tumultûs.*

Feſtinanter venit] *Et feſtinavit, & venit & nunciavit.*

15· *Caligabant*] קמה *kamah*, ſteterat, nempe, uterque oculus. Antea uſus eſt hunc in rem voce כהות, Cap. III, 2.

16· *Ex qua hodie fugi*] *Fugi ex acie hodie.*

18· *Cer-*

habent? 17. Reſpondit nuncius, & fugit, inquit, Iſraël, è conſpectu Philiſthæorum, magnum vulnus inflictum eſt populo, duo filii tui Chophnis & Phinchaſus mortui ſunt, & capta eſt Arca Dei. 18. Cùm verò memoraret ille Arcam Dei, cecidit *Helis* retrorſum è ſella juxta januam, fractáque eſt cervix ejus & mortuus eſt, nam ſenex erat & gravis; & per quadraginta quidem annos Iſraëlem judicavit.

19. Nurus verò ejus, uxor Phinchaſi, gravida erat & partui vicina, cùm audivit nuncium de capta arca Dei, mortuóſque ſocerum & virum. Quare in genua concidens peperit, aderant enim *partûs* dolores. 20. Cúmque moribunda eſſet, mulieres quæ ei aderant, ne timeas, inquiunt, nam filium peperiſti; ſed nihil reſpondit, neque animum attendit. 21. Vocavit *tamen* puerum Ichabodum, cùm diceret: migravit gloria ex Iſraële, propter captam Arcam Dei, propterque ſocerum & virum; 22. & migravit, inquit, gloria ex Iſraële, quandoquidem capta eſt Arca Dei.

V. Arca Dei à Philiſthæis ablata, inter eos portenta edit, gravibuſque calamitatibus eos adfligit. Quare de ea reddenda conſilium capiunt, eámque de ſententia Sacerdotum ſuorum cum muneribus remittunt. Excipitur à Beth-ſemeſitis, qui cùm eam ſat reverenter non haberent, dant pœnas Deo. Itaque eam Kirjath-jeharimos mittunt, ubi diu manſit.

CAPUT V. 1. PHILISTHÆI captam Arcam Eben-hezero Aſdodum tranſtulerunt. 2. Cùm ergo Arcam cepiſſent, intromiſerunt eam in Ædem Dagonis, & juxta Dagonem collocarunt. 3. At poſtridie mane ſurgentes Aſdodii invenerunt Dagonem collapſum in faciem, in terram, ante Arcam Jehovæ, ſumſerúntque Dagonem & eum in loco

18. *Cervix ejus*] מפרקתו *maphraktho*. LXX. Intt. νῶτος verterunt. Aptiùs *Hieronymus*, *cervices*, in occiput enim & collum averſus cecidit; quod conjunctum cum triſtiſſimo nuncio, de filiis occiſis & præſertim capta Arca, grandævo ſeni mortem ſubitam creavit.

19. *Partui vicina*] ללת *lalath*, pro ללדת *laledeth*, ad pariendum, quomodo fortè legendum. Suſpecta certè mihi eſt ejuſmodi Anomalia.

In genua concidens] ותכרע *vatthichrah*, hoc eſt, propriè *crura flexit*, ut obſervavit *J. Ludolphus*, in Hiſt. Æthiop. Lib. I. c. XV. *num.* CI. ubi notat Æthiopiſſas in genua procumbentes parere, quod partus ſit facilior in calidis regionibus. Nos quoque oſtendimus dici de brutis Gen. XLIX, 8. quæ *curvari* dici non poſſunt, quando procumbunt, ſed crura flectere. Ac ſanè ſi loca excutiamus, ubi hæc vox occurrit, nullum inveniemus cui ſenſus flexionis genuum, aut ſimilis, non optimè conveniat. Diſertiſſimus eſt Eſai. XLV, 23. לי תכרע כל ברך *mihi flectetur omne genu.*

Aderant enim partûs dolores] *Verſi erant in eam dolores ejus.*

21. *Ichabodum*] אי כבוד i chabod, *ubi gloria?* Quaſi diceret natum eſſe filium ſuum eo tempore, quo Arca, quâ uſque adeò gloriabantur Iſraëlitæ & in qua gloria Dei ſolebat ſe ſe patefacere & oracula edere, extra agros populi Hebræi ab hoſtibus erat avecta. Simplicior mihi multò videtur hæc interpretatio, quàm eorum ſententia, qui ad Deum ipſum, qui *gloria Iſraëlis* dicitur, referunt.

In CAPUT V.

1. A*Sdodum*] In urbem Philiſthæorum, quæ Azotus poſtea dicta eſt.

2. *Ædem Dagonis*] De Dagone vide quæ notavimus ad Jud. XVI, 23.

Juxta Dagonem] Juxta ſtatuam Dagonis, cui Arcam, quaſi ſpolium hoſtibus ablatum, veluti conſecrabant.

3. *Collapſum in faciem* &c.] Significabat Deus Iſraëlis, qui coram Arca dejecerat Dagonem, in ea ſtatua nihil fuiſſe, quod non ſibi ſubjaceret.

In loco ſuo repoſuerunt] In ſua baſi ſtatuam iterum collocarunt.

4. *Capútque Dagonis* &c.] Potuiſſent Aſdodii ſuſpicari primùm Dagonis ſtatuam collapſam eſſe, eo tempore quo illic erat Arca, caſu quodam: ut, vitio baſis, aut ponderis ſtatuæ non ſatis aptè librati, aut etiam fortuito Terræ motu; ſed poſtquàm iterum ſtatuam non tantùm collapſam, ſed capite & manibus amputatis, procúlque illinc abjectis, viderunt, non potuerunt dubitare quin hoc factum eſſet potentiâ Dei Hebræorum, qui Cherubis inſidebat, & quin Deus ille potentior ſaltem Dagone ſuo eſſet; præſertim ſi ſtatua illa metallo conſtabat, quod poterat cadere ſine fractione ulla, & cujus membra non poterant facilè divelli. Admittebant enim Ethnici Deos variorum ordinum & locorum.

5. *Calcare non ſolent*] *Non calcabunt.* Futurum conſuetudinem ſignificat. Exiſtimabant Aſdodii limen Templi ſui conſecratum fuiſſe, tactu capitis & manuum *Dagonis.* Huc reſpici vult *Hieronymus* Sophoniæ C. I, 9. *In viſam omnes tranſilientes limen*, כל הדלג על המפתן, quod an verum ſit ſatis mihi non liquet.

6. *Affecit mariſcis*] ויך בעפלים *vajjach babpholim*, percuſſit mariſcis. Vox hæc exſtat tantùm hic & Deut. XXVIII, 27. LXX. Intt. verterunt ἕδρας. quamvis hîc multa ſint in eorum verſione luxata & confuſa; *Hieronymus*, *in ſecretiori parte natium*; *Joſephus* Lib. VI. cap. 1.

ὡς

loco ſuo repoſuerunt. 4. Poſtridie iterum mane ſurrexerunt, ecce verò Dagonem in
faciem ſuam collapſum in humum, ante Arcam Jehovæ; capútque Dagonis, & duæ
manus ejus abſciſſæ ad limen erant; *truncus* tantùm Dagonis ad eam remanſerat. 5. Qua-
propter Sacerdotes Dagonis & quicumque Ædem Dagonis ingrediuntur Aſdodi, ad hunc
uſque diem, limen ejus calcare non ſolent. 6. Interea gravior incubuit manus Jehovæ
Aſdodiis, devaſtavitque eos ac affecit mariſcis Aſdodum & omnes ejus fines. 7. Cùm
hæc ita *habere* viderent Aſdodii, dixerunt: ne maneat Arca Dei Iſraëlis apud nos,
nam dura eſt manus ejus in nos & in Deum noſtrum Dagonem. 8. Itaque accerſive-
runt, coëgerúntque ad ſe principes omnes Philiſthæorum, & quid faciemus, inquiunt,
Arcâ Dei Iſraëlis? Circumferatur, dixerunt *alii*, Gathum Arca Dei Iſraëlis; eámque
circumtulerunt.
9. Poſtquàm verò eam circumtuliſſent, incubuit manus Jehovæ in urbem, vehemen-
térque eam perturbavit, & percuſſit oppidanos *omnes*, à minoribus ad majores natu,
iiſque mariſcæ occultæ erant. 10. Miſerunt ergo Arcam Dei Hekronem, at exclama-
runt Hekronitæ, cùm Hekronem venit Arca Dei, & circumduxerunt ad nos, inquie-
bant, Arcam Dei Iſraëlis, ut nos, populúmque noſtrum interficerent. 11. Itaque ac-
cerſiverunt & convocarunt omnes Philiſthæorum Principes, iique, dimittite, inquiunt,
Arcam Dei Iſraëlis, revertatur in locum ſuum, neque nos, populúmque noſtrum per-
dat; erat enim lethalis perturbatio per totam urbem, atque illic graviſſima incubuit
manus Dei. 12. Quicumque non ſunt mortui, mariſcis affecti fuerunt, clamòrque ur-
bis ad cœlum adſcendit.
1. Fuit Arca Jehovæ in agro Philiſthæo, per ſeptem menſes; 2. ſed convocarunt CAPUT
Philiſthæi Sacerdotes & vates, & docete nos, inquiunt, quid faciemus Arcâ Jehovæ, VI.
quáve ratione eam in locum ſuum dimittemus. 3. Illi verò ſi dimittitis, inquiunt,
Arcam Dei Iſraëlis, ne eam vacuam dimittite, ſed reddite ei donarium pro delicto;
tum

τὸ τῆς ἀποπατήσεως τόπον; *Symmachus* τὸ κρυπτὸν, aut ἐξειλοῦσαι τὴν ἕδραν, hoc eſt, ſedem prociduam, qui morbus eſt puerorum; *Aquila*, τὸ τῆς φαγεδαίνης ἕλκος, quod genus eſt cancri. Maſſorethæ in margine ſcribunt טחורים *tebborim*, podices. Sed, ut rectè *Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 36. טחורים videntur eſſe *podices*, ſic dicti à טחר *claudere*, *conſtringere*; עפלים *hapbolim* verò tumores in ea parte, quòd Radix עפל in Puhal ſit *tumere*, in Hiphil *in altum contendere*; adeóque ſignificari mariſcæ, quarum, ut & podicis, formas aureas conſecrarunt Philiſthæi. Eum vide, pluribus hac de re agentem.

7. *In Deum noſtrum Dagonem*] Jam potentiam Dei Iſraëlis agnoſcebant qui ita loquebantur, exiſtimabántque majorem eſſe Deum Dagone; attamen huic honorem omnem non detrahebant, ſed eum quaſi inferioris ordinis Deum habebant. Alii Philiſthæi etiamnum dubitabant, ut liquet ex v. 9.

9. *Incubuit manus Jehovæ*] *Fuit manus Jehovæ in urbem, perturbatione magnâ*, propter mariſcas iis immiſſas.

Iiſque mariſcæ occultæ erant] *Et occultatæ ſunt iis mariſcæ*. Hæmorroïdas intelligit Scriptor Sacer interiores, quæ maximum dolorem creant. LXX. Intt. ἐποίησαν οἱ Γεθαῖοι ἑαυτοῖς ἕδρας. quæ nimis abeunt ab Hebraïcis: וישתרו להם עפלים *vajiſſchatherou lahem hapholim*. Vulgatus: *computreſcebant prominentes extales eorum*. Sed *putrefactionis* nullum in Hebraïcis veſtigium.

10. *Ad nos* &c.] *Ad me, ut me interficiant & populum meum*. Sunt verba ſingulorum, aut ejus qui ſummum Magiſtratum gerebat, quæ plurali numero expreſſimus. Non erat quidem hoc conſilium Gathenſium, ut Hekronitis nocerent; exitialem duntaxat Arcam à ſe amovebant, volebántque experiri, utrum alibi ſine noxa ſervari poſſet.

11. *Nos populúmque noſtrum*] *Me & populum meum*.

Lethalis perturbatio] Tumultus qui in peſte ſubita, ob mortes civium frequentes & promiſcuas, exoritur.

12. *Clamórque urbis ad cœlum adſcendit*] Hoc eſt, maximi & graviſſimi fuere ululatus hominum ægrorum, aut ſuos lugentium. Simili Hyperbole utuntur & Latini, præſertim Poetæ, ut Æn. II, 488. ubi de invaſione regiæ Priami:

—— *penitúſque cavæ plangoribus ædes*
Fœmineis ululant, ferit aurea ſidera clamor.

Vide & vſſ. 233, & 338.

In CAPUT VI.

2. *Sed convocarunt*] Quamvis Philiſthæorum proceres cenſuiſſent Arcam remittendam in terram Iſraëlitidem, non videntur tamen id conſilium exſequuti, priuſquàm conſuluiſſent Sacerdotes & hariolos; ne quid ea in re peccarent, & ſibi novas calamitates crearent.

Vates] קוסמים *koſemim*. LXX. Intt. habent μάντεις καὶ ἐπαοιδοὺς, quæ ſunt duæ verſiones unius vocis conjunctæ.

3. *Donarium pro delicto*] Eſt אשם *aſcham*, quod, ubi ſermo eſt de victima, vertimus ſemper *victimam pro delicto*; ſed hîc, ubi Sacer Hiſtoricus de donario agit, tranſtulimus, *donarium pro delicto*. LXX. Intt. verterunt τὸ τῆς βασάνου, aut τῆς βασάνου, nempe, ἐξίλασμα, aut ἀποτροπίασμα, ſeu donarium quo ira ejus expietur, ne vos ampliùs cruciet. Eodem ſenſu *Hieronymus: quod debetis reddite ei pro peccato*. Fortaſſe Sacerdotes hi Philiſthæi norant legem Exod. XXIII, 15. quâ Deus *negat faciem ſuam conſpiciendam à vacuis*: id eſt, ſine oblatione quapiam. Quamobrem nolebant etiam vacuam à ſuis Arcam dimitti.

Tum

tum *ſi* curabimini, manifeſtum vobis fiet cur manus ejus à vobis non receſſerit. 4. Quodnam verò, inquiunt illi, *donarium* pro delicto ei reddemus? *Pro* numero, inquiunt *Sacerdotes*, Principum Philiſthæorum, quinque mariſcas aureas & quinque mures aureos; quia una plaga omnibus illis & Principibus veſtris fuit. 5. Facietis imagines mariſcarum & imagines murium veſtrorum, qui terram corrumpunt, tribuetiſque Deo Iſraëlis gloriam. Fortaſſe vobis, Diiſque & agris veſtris manus ejus levior incumbet. 6. Cur animum obfirmaretis, quemadmodum fecerunt Ægyptii & Pharaho? Annon poſtquàm *Jehova* eos malè habuit, dimiſerunt Iſraëlitas, qui abierunt? 7. Nunc ergo *lignum* ſumite ac facite plauſtrum novum, & duas juvencas lactantes, quibus nondum impoſitum fuerit jugum; tum eas jungetis plauſtro, abducetiſque ab iis pullos in ſtabulum. 8. Deinde ſumtam Arcam Jehovæ imponetis plauſtro, aureáque vaſa, quæ ei reddideritis, *quaſi donaria* pro delicto, in capſa ponetis ad ejus latus. Sic eam dimittetis, abibit & adſpicietis. 9. Si ingredietur viam finium ſuorum, Bethſemeſum versùs; tum verò, affecerit ille nos magno hoc malo: ſin minùs, intelligemus

Tum ſi curabimini] אז תרפאו ונודע לכם *tunc curabimini, & manifeſtum vobis* &c. Supplevimus hic *ſi*, quia liquet ex verſu 9. Sacerdotes hoſce dubitaſſe utrùm Hæmorroides Deo Iſraëlis irato, an caſui eſſent tribuendæ. Sequentia etiam verba hunc ſenſum poſtulant, quippe quæ oſtendunt Philiſthæos nondum liquidò ſciviſſe, cur calamitatibus illis affecti eſſent, quamvis vehementer ſuſpicarentur acceptas eſſe ferendas Deo Iſraëlis. Ac ſanè τὸ *ſi* ſæpiùs eſt ſupplendum. Vide Exod. XXXIII, 5. & infra Cap. XX, 12, 13. & *Chr. Noldium* ad ſign. XXIV. hujus particulæ. Ut hoc intelligatur, demenda tantùm ex hoc loco eſt, & attentè legendus. Certè ea omiſſio minimè animadverſa Veteres Interpretes valde impedivit: LXX. Intt. habent: καὶ τότε ἰαθήσεσθε, καὶ ἐξιλασθήσεται ὑμῖν. Vulgatus: *& tunc curabimini & ſcietis quare.* &c. Verùm inducit affirmantes id, de quo, ut dixi, dubitabant.

Cur manus ejus &c.] Manus Dei ei incumbere dicitur, quem malè habet, & *ab eo recedit*, quem deſiit malè mulctare.

4. *Principum*] Ubi ſermo eſt de Philiſthæis, præfecti eorum סרנים *ſranim* dicuntur, qui Hebraïcè שרים *ſcharim* vocarentur. Itaque prior videtur vox eſſe Philiſthæa.

Quinque mariſcas] Veluti monumenta quædam publica, quibus, ſi curatio ſequeretur, ſanatos ſe à Deo Iſraëlis agnoſcerent; ſin minùs, abſurda donaria, & adſpectu ipſo riſum motura. Hinc etiam factum crediderim, ut relicta ſint in agro Jehoſuæ Beth-ſemeſitæ, neque cum Arca ablata, ut in Sacrario adſervarentur.

Quinque mures] Hinc liquet, præter Hæmorrhoïdas, immiſſos fuiſſe Philiſthæis mures, qui eorum agros devaſtabant; quamvis antea res ſuo loco narrata non fuerit. Sed ſæpe ad aliquid antea prætermiſſum, in ſequentibus, occaſione datâ, adluditur. Vide Indicem Pentateuchi in voce *Circumſtantia*. Hoc cùm animadvertiſſent LXX. Intt. exiſtimarunt eladis hujus mentionem ſuis locis eſſe inſerendam, unde Cap: V, 6. addiderunt: καὶ μέσον τῆς χώρας αὐτῆς ἀνεφύησαν μύες & Cap. VI, 1. ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας. Certè ſic legimus in Codicibus Alexandrino & Vaticano, quibus, poſteriore loco, adſentitur & Aldinus; quamvis utrobique in Complutenſi Editione ſit mentio murium omiſſa, quod datâ operâ factum arbitror. In verſione Vulgata Cap. V, 6. *Ebullierunt villæ & agri, in medio regionis illius & nati ſunt mures*, quæ tamen à multis exemplaribus abſunt.

Non putat *Gaſp. Sanctius* hæc antiquis temporibus abfuiſſe à textu Hebraïco, quamvis in illo modò non inveniantur. *Quod ideò*, inquit, *mihi perſuadeo, quia ante Hieronymum, alii quoque hoc ipſum tradiderunt, ut Joſephus Lib. VI. c. 1. & Septuaginta, quos credibile non eſt aliquid in ſuam tranſlationem contuliſſe, quod non eſſet ex Hebræo deſumtum.* Ut à poſtremis incipiam, credibile contra eſt LXX. Intt. aut quicumque eam verſionem fecerint, multa addidiſſe textui Hebræo, ut lectionem Librorum Sacrorum clariorem & commodiorem redderent Ethnicis, aut aliis; quia paſſim ſunt in ea laciniæ additæ, quæ nec in Hebraïcis, nec in Latina Verſione inveniuntur, ut antea Cap. II, 10. & alibi ſæpe. Hîc etiam fuit ratio peculiaris addendæ circumſtantiæ, quæ ſuo loco omiſſa erat. *Joſephus* verò & alia addidit, quæ non habentur in Hebraïca narratione, & ſuo loco rem narrandam non malè cenſuit; nam Hiſtoriam ſcribit ex Libris Hebraïcis, non verſionem. Cùm autem illum puderet quinque podicum, & quinque murium, timerétque riſum Ethnicorum; mutavit homo vafer hæc in *quinque ſtatuas*, πέντε ἀνδριάντας.

Omnibus illis & Principibus] Hoc eſt, omnes privatos & ſummos Magiſtratus fuiſſe unâ clade affectos.

5. *Qui terram corrumpunt*] Magnam calamitatem à muribus agreſtibus regionibus integris allatam oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. III. c. 34.

Tribuetiſque Deo Iſraëlis gloriam] Hoc eſt, fatebimini haſce calamitates vobis à Deo Iſraëlis immiſſas; quod ſi verum eſt, vobis proderit; ſin minùs, nocere non poterit.

6. *Fecerunt*] *Obfirmarunt*, aut *gravius reddiderunt.*

Ægyptii & Pharaho] Erat quoque Pharaho Ægyptius, ſed nominatur quaſi eximius; ut eſt apud Marc. XVI, 7. *Dicite diſcipulis ejus & Petro*, ubi vide Interpretes.

Jehova eos malè habuit] התעלל בהם *hithhalel bahem*, operatus eſt in illos; nimirum, Deus. Vide Exod. X, 2.

7. *Plauſtrum novum*] Ne aliis uſibus adhibitum Deus, quaſi pollutum, aſpernaretur, & malè mulctaret Philiſthæos.

Duas juvencas lactantes] Quæ στοργῇ erga catulos retineri, aut revocari in Philiſthæorum agros

Digitized by Google

mus ejus manu nos tactos non fuiſſe, *ſed* caſu hoc nobis contigiſſe. 10. Sic homines fecerunt, ſumſerúntque duas vaccas lactantes, quas junxerunt plauſtro, earúmque pullos ſtabulo clauſerunt. 11. Deinde impoſuerunt Arcam Jehovæ plauſtro, & capſam cum muribus aureis & mariſcarum imaginibus.

12. Rectam verò viam iniverunt vaccæ, & viam quidem Beth-ſemeſi; ac per viam unam ſtratam iverunt mugientes, nec ad dextram, aut ad ſiniſtram declinarunt. Principes Philiſthæorum eas ſequuti ſunt, ad Beth-ſemeſi fines. 13. Beth-ſemeſitæ autem triticum metebant in valle, unde oculis ſublatis, viderunt Arcam; eáque conſpectâ, lætati ſunt. 14. Plauſtrum verò venit in agrum Jehoſuæ Beth-ſemeſitæ atque in eo conſtitit, ubi erat ingens lapis. *Eo in loco* conſciſſa ſunt ligna plauſtri, vaccæque in holocauſtum Jehovæ oblatæ; 15. nam Levitæ demiſerant Arcam Jehovæ, capſámque quæ cum ea erat, ubi erant aurea vaſa, eáſque magno illi lapidi impoſuerant. Beth-ſemeſitæ verò holocauſta obtulerunt, Sacráque *ſalutaria* fecerunt die illo Jehovæ. 16. Cùm

agros poterant; ni vi divinâ Beth-ſemeſum ductæ fuiſſent.

Quibus nondum impoſitum fuerit jugum] Paronomaſia eſt hîc in verbis Hebraïcis, עלות אשר לא עלה עליהם על *baloth aſcher lo balah balebem bol.* Sed quæ in ſimpliciſſima narratione, & propriis loquutionibus concepta, non ſtudio ſcribentis quæſita eſt; verùm ob ipſam Linguæ naturam, ex ejus calamo fluxit. Tales quidem juvencæ ſacris admovebantur, ut oſtendimus ad Num. XIX, 2. Sed potiſſima ratio eligendarum nunc ejuſmodi juvencarum fuiſſe videtur, quia ſunt parum aptæ ad trahendum concordi niſu plauſtrum; præſertim ſi utraque ſit minimè jugo adſueta; & ad rectà progrediendum, certâ quadam viâ. Si ergo contingeret ejuſmodi vaccas rectà in Iſraëlitidem terram, ſine ullius ductu, contendere, nec in contraria nitentes quaſſare, aut ſiſtere plauſtrum, nec catulorum mugitibus revocari; non immeritò poterant credere Philiſthæi hoc non fieri, ſine numine Dei Iſraëlis.

In ſtabulum] ביתה *betbah*, domum.

8. *In capſa*] בארגז *beargaz.* LXX. Intt. ἐν θέματι ἐργὰζ. in Alexandrino Codice. Videntur reliquiſſe vocem ארגז, quam non intelligebant, quippe in loco hoc ſolo occurrentem; ſed aliquis in margine interpretationis cauſâ addidit ἐν θέματι. In Vaticano & Aldino Codicibus, eſt mendosè βερεχθὰν, in Complutenſi eſt planè reſecta. *Hieronymus* habet *capſellam*, *Symmachus* ſimiliter λαρνάκιον. *Joſephus* γλωσσόκομον, & *Aquila* ἐν ὑφῇ κυρῶν, quaſi compoſita eſſet vox ex ארג arag, *texuit* & גז *gez* tonſio. Putat *Bocharτus* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 36. fuiſſe vocem Philiſthæam, quam ex Syriaca Lingua interpretatur ſacculos utrimque pendulos. Crederem, ſi in duali eſſet ארגזים *argazajim*, aut ſi *laterum* Arcæ, non *lateris* mentio fieret.

9. *Beth-ſemeſum*] בית-שמש *beth-ſchemeſch.* *Euſebius:* Βεθσάμες πόλις ἱερατικὴ φυλῆς Βενιαμὶν, καὶ ἔστι εἰς ἔτι νῦν ἀπέχουσα Ἐλευθεροπόλεως σημείοις ί. πρὸς ἀνατολὰς μεταξὺ Νικοπόλεως. *Hieronymo* interprete: *Bethſamis, civitas Sacerdotalis, in Tribu Benjamin, quæ uſque hodie demonſtratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolin in decimo milliario contra orientalem plagam.* Fuit quidem urbs Sacerdotalis, nam hoc liquet ex Joſ. XXI, 16. ſed non in Tribu Benjaminis, verùm in Tribu Judæ, ut rectè animadvertit *Jac. Bonfrerius.*

Philiſthæi hîc, more Orientalium, ſigna quædam Deo veluti præſcribunt, ex quibus intelligant rem ejus ſingulari potentiâ factam. Ea de conſuetudine diximus ad Gen. XXIV, 13.

Ille] Deus Iſraëlis.

Caſu hoc nobis contigiſſe] *Caſus*, מקרה mikreh, *is fuit nobis.* Hoc eſt, caſu contigerit nos iis incommodis laboraſſe, dum apud nos eſſet Arca Dei Iſraëlis, ſine ullo ſingulari ejus Numinis interventu.

12. *Mugientes*] *Eundo & mugiendo.* Deus hac in re ſe ſe aliquatenus adtemperavit moribus Ethnicorum, qui ex intactis bubus aliquando conjecturam de Numinis voluntate faciebant. *Ovidius* Metamorph. Lib. III, 10. & *ſeqq.* de Oraculo, quod Cadmo Phœnici editum eſt:

Bos tibi, Phœbus ait, ſolis occurret in arvis,
Nullum paſſa jugum, curvique immunis aratri,
Hac duce carpe vias.

14. *Conſciſſa ſunt*] *Conſciderunt*, nempe, Sacerdotes, qui Bethſemeſi erant, nam urbs erat Sacerdotalis.

15. *Nam Levitæ demiſerant*] *Et Levitæ demiſerunt*; ſed hoc priùs factum oportuit, quàm Sacra fierent, cùm ligna plauſtri adolendis victimis inſervierint.

Sacra ſalutaria] זבחים *zebachim*, quod quaſvis quidem victimas ſignificat, ſed hîc, ut alibi, ſalutares præſertim ſignificare videtur; quæ, ut pro incolumitate gratiæ agerentur, mactari ſolebant. Vide not. ad Levit. XVII, 8.

Nonnulla hîc Interpretes obſervant, præter ordinem, facta. Primùm non erat, inquiunt, Beth-ſemeſi Tabernaculum; verùm erat Arca, quæ Sacrarii totius potiſſima pars fuit, quòd ei adeſſe peculiari ratione Deus ſoleret. Deinde non licebat, inquiunt, vaccas offerre in holocautoma, ſed victimas maſculas eſſe oportebat. Quod verum eſt de holocautomate quotidiano, ſed cùm vacca rufa adoleretur etiam Dei juſſu; nihil vetabat juvencas haſce præter ordinem Deo mactari, cùm non ſine ejus Numine ſe ſe obtuliſſent. Tandem altare & ignem ſacrum hinc abfuiſſe notant, quippe quæ remanſiſſe ad Tabernaculum videntur; ſed in tumultuario altari ex ſilicibus ſubitò confecto, hiſce temporibus, Sacra facta fuiſſe conſtat, cùm Samuel Propheta Sacra in iis locis fecerit in quibus nec Tabernaculum, nec Arca, nec altare fuit. Denique leges latæ erant de iis, quæ conſtanter in cultu divino facienda erant à Sacerdotibus, non de caſibus inuſitatis, & prorſus ſingularibus.

 16. *Die*

16. Cùm hæc vidiſſent quinque Principes Philiſthæorum, die illo Hekronem redierunt. 17. Hæ ſunt autem mariſcæ aureæ, quas reddiderunt Philiſthæi, *quaſi donaria* pro delicto, Jehovæ; una fuit Aſdodi, una Gazæ, una Askalonis, una Gathi, una Hekronis. 18. Aurei verò mures *fuerunt* ſecundùm numerum omnium urbium Philiſthæorum, ad quinque Principes pertinentium, ab urbibus munitis, ad pagos uſque apertos; *advectique ſunt* uſque ad lapidem magnum, cui impoſuerunt Arcam Jehovæ, *ubi ſunt* ad hunc uſque diem, in agro Jehoſuæ Beth-ſemeſitæ.

19. Plagâ verò affecit Jehova Beth-ſemeſitas, quia Arcam introſpexerant; & percuſſit

16. *Die illo Hekronem redierunt*] Beth-ſemeſum igitur paucis horis abfuiſſe Hekrone neceſſe eſt; cùm uno eodémque die à juvencis Area Hekrone Beth-ſemeſum tranſlata fuerit, & Beth-ſemeſo Hekronem redierint Philiſthæi.

18. *Secundùm numerum omnium urbium*] מִסְפַּר *miſphar*, pro לְמִסְפַּר *lmiſphar*, ut paſſim τὸ ל omittitur. Cùm eſſent tantùm quinque Metropoles, antea memoratæ, erant dumtaxat quinque mures aurei, ut dictum eſt v. 4. ſed hîc aliarum urbium & vicorum fit mentio, quòd omnes urbes & vici ſumtus contulerint, ad conflandos mures aureos, quia omnes agri fuerant à muribus vaſtati.

Advectique ſunt] Supplendum neceſſariò hoc fuit, aut ſimile quiddam, quod fortè excidit. Alioqui ſi nihil ſuppleamus, videbitur hic ager Jehoſuæ fuiſſe in finibus Philiſthæorum, cùm eſſet in finibus Iſraëlis, ut hæc ipſa Hiſtoria nos docet. LXX. Intt. habent: *ἀπὸ πόλεως ἐστερεωμένης καὶ ἕως κώμης τοῦ Φερεζαίου* (ſic vertunt כפר הפרזי chopher happherazi, *villam apertam*) *καὶ ἕως λίθου τοῦ μεγάλου*, quaſi *Lapis Magnus* eſſet etiam inter ea loca, quæ aurum coutulerunt ad conflandos mures aureos. Sic quoque Vulgatus: *ab urbe munita uſque ad villam, quæ erat abſque muro, & uſque ad Abel magnum.*

Ad lapidem magnum] Eſt in noſtro Codice Hebraico אבל גדולה *abel gedolah*, quod *magnum luctum* ſignificat, & ſic quoque legit *Symmachus*, quem ſequutus *Hieronymus*, cùm habeat: *& uſque ad Abel magnum.* Attamen LXX. Intt. legerunt אבן *eben*, nam habent *λίθου*, ut & Chaldæus Paraphraſtes, qui interpretatur אבנא רבתא *abna rabbetha*, lapidem magnum. Ac ſanè ita legendum eſſe res ipſa oſtendit, nam v. 14, & 15. ingenti lapidi, ut & hîc, impoſita fuiſſe Arca dicitur. Sed Judæi propter triſtem caſum Beth-ſemeſitarum, qui manu Dei interierunt quòd curioſiùs introſpexiſſent Arcam, hunc lapidem voluerunt vocari non אבן גדולה *magnum lapidem*, ſed אבל גדולה *magnum luctum*; hujúſque argutiæ causâ mutarunt lectionem, quam ipſa res neceſſariò poſtulat. Igitur verè *Lud. Cappellus* Crit. Sac. Lib. IV. c. XVII, 6. hunc locum recenſet, inter eos qui emendatiùs leguntur à LXX. Intt. quàm à Maſſorethis, exiſtimátque quod Rabbini aiunt lapidem illum dictum eſſe אבל *abel*, ob populi luctum, conjecturam tantum eſſe, cujus Scriptura non meminit. Nec quidquam ſanum repoſuit *Joan. Buxtorfius*. Itaque ſequuti ſumus *Genevenſes*, *Fr. Junium*, *Joan. Piſcatorem* & alios, qui verterunt quaſi in textu haberetur אבן eben, *lapis*.

Ubi ſunt ad hunc uſque diem] Supplevimus *ubi ſunt*, quæ ex Hebraico Codice abſunt, & quæ tamen res ipſa flagitat; nam niſi ſimile quid ſuppleatur, inde ſequetur eo tempore, quo Hiſtoricus Sacer ſcribebat, Arcam fuiſſe etiamnum impoſitam lapidi, in agro Jehoſuæ Beth-ſemeſitæ; cùm contrarium liqueat ex proximè ſequente Hiſtoria, de tranſlatione Arcæ Kirjath-jeharimos. Itaque ſupereſt ut hæc verba *ad hunc uſque diem*, intelligamus de donariis Philiſthæorum; nam quod alii ſupplent *& hic lapis eſt*, ut ea referant ad lapidem, minùs commodum videtur, quia non eſt mirum ingentem lapidem ex agro Jehoſuæ Beth-ſemeſitæ aliò non eſſe tranſlatum; neque enim ejuſmodi lapides aliò transferri ſolent, & præterea nexus verborum commodior eſt, prout à nobis conſtituitur, ut liquebit ex locis ubi occurrit hæc loquutio *ad hunc uſque diem*, quæ ſolet ad ea quæ narrata ſunt referri.

In agro Jehoſuæ] Sat tutò erant ejuſmodi donaria in locis nequaquam munitis, quia Numini conſecrata tollere nemo audebat; nec ſine maxima infamia poterat, etiam apud Ethnicos.

19. *Et percuſſit &c.*] *Et percuſſit in populo ſeptuaginta viros, quinquaginta mille viros*, שבעים איש חמשים אלף איש, quod vulgò vertunt *quinquaginta millia virorum, & ſeptuaginta viros.* Hanc interpretationem meritò repudiat *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. 2. Cap. XXXVI. atque hiſce rationibus, quibus ſani nihil opponi queat, oppugnat. I. Ex vulgari ſententia, verba Hebraica ad verbum ſic ſonabunt: *& percuſſit in populo ſeptuaginta homines, quinquaginta millia hominum.* Quæ erunt *ἀσύνδετα*, & quæ ut ſimul jungantur, tamquam partes ejuſdem numeri, ſupplenda erit conjunctio ET. II. Vocum ordo planè erit inverſus, debent enim millenarii præcedere numeros minores, quod in Scriptura perpetuum, æquè ac in Linguis noſtris. Itaque dicendum fuiſſet, *quinquaginta hominum millia & ſeptuaginta*, non contrà. III. Vox *hominum* fruſtra repeteretur, ſatis enim erat dicere: חמשים אלף ושבעים איש *quinquageſies mille & ſeptuaginta homines.* Hiſce argumentis, ex verbis deductis; ad rem quod adtinet, addit abſimile vero eſſe Deum Opt. Max. tantam eorum ſtragem edidiſſe, qui redeuntem Arcam cum gaudio exceperant & lætitiam ſuam, multis ſacrificiis oblatis, teſtati fuerant; aut in extrema Judæa oppidum, vel pagum veriùs, ut à *Joſepho* appellatur, tot hominum myriadas mœnibus ſuis incluſiſſe. *Qui advenas fuiſſe regerunt*, ſubjicit Vir Magnus, *quos reverſæ Arcæ fama ex vicinis urbibus exciverit, non ſolum id gratis adſerunt, ſed & contra Scripturam. Neque enim ulli alii a Deo percuſſi leguntur, quam* Beth-ſemeſitæ, *qui Arcam introſpexerant.*

Om-

Digitized by Google

cuſſit in populo ſeptuaginta homines, *è* quinquaginta millibus virorum; luxitque populus, quia affecerat eum Jehova ingenti plagâ. 20. Tum Beth-ſemeſitæ, quis ſtare poſſit, inquiunt, coram Jehova, Deo hoc ſancto? Ad quem à nobis abibit? 21. Deinde legatos miſerunt ad incolas Kirjath-jeharimorum, qui dicerent: Arcam Jehovæ reduxerunt Philiſthæi; venite, eámque ad vos transferte. 1. Iverunt Caput VII.
Kirjath-jeharimenſes. Arcámque Jehovæ tranſduxerunt, & intromiſerunt domum Abinadabi, *quæ erat* in colle, filiúmque ejus Elehazarem, ad ſervandam Arcam Jehovæ conſecrarunt. 2. Diu manſit Arca Kirjath-jeharimis, effluxerúntque anni viginti.

VI. Iſraë-

Omnia probarim, præter ultima hæc verba, fieri enim primùm non potuit, quin adventus Arcæ ingentem concurſum populi ex Judæ, Danis, & Benjaminis agris, & fortaſſe etiam remotioribus excitaret, non primo quidem die, ſed ſequentibus. Sic facilè quinquaginta millia hominum, & plura eò concurriſſe potuerunt. Nec verum eſt è Scriptura conſtare ſolos Beth-ſemeſitas occiſos, nam præter eos memoratur *populus*, hoc eſt, populus Hebræus; quamobrem etiam bis repetitur ויך *& percuſſit: Et percuſſit in hominibus Beth-ſemes, quia introſpexerunt Arcam Jehovæ & percuſſit in populo ſeptuaginta viros è quinquaginta millibus virorum*; hoc eſt, tam ex Beth-ſemeſitis, quàm ex reliquo populo Hebræo, qui ad quinquaginta millia hominum concurrerat, occiſos fuiſſe quinquaginta. Nimirum ante חמשים ſupplemus מ, ita ut plena loquutio ſit שבעים איש מחמשים *ſeptuaginta homines è quinquaginta millibus hominum.* Ac ſanè מ, hoc ſenſu ſumtum, non rarò ſupplendum eſt, ut infra Cap. XXVI, 16. Venit אחד העם *ebbad haham*, pro מהעם *mehaham.*

Vir doctiſſimus antea laudatus, qui, ne quid diſſimulem, viam mihi munivit ad interpretationem hujus loci, verba Hebraïca aliter interpretatur, & ſic vertenda exiſtimat: *Et percuſſit è Beth-ſemeſitis, quia Domini Arcam introſpexerunt, percuſſit*, inquam, *ex illo populo ſeptuaginta homines, quinquaginta*, ſcilicet, *ex mille hominibus.* Senſus eſt, ſi illi credimus, Deum pro indulgentia ſua noluiſſe in omnes reos animadvertere, ſed è reis multò pluribus ſolùm ſeptuaginta morte mulctaſſe; hac proportione obſervatâ, ut pro mille reis nonniſi quinquaginta perirent, id eſt, pars vigeſima. *Reos igitur*, inquit, *Arcæ introſpectæ ſic ſequatur fuiſſe mille quadringentos, quorum partem vigeſimam, id eſt, ſeptuaginta Deus percuſſerit*; quod confert poſtea cum decimationibus militiæ Romanæ. Verùm hoc nimis argutum videtur, & longè accerſitum; & cùm ter fiat mentio *populi*, העם *haham*, præter Beth-ſemeſitas, omnino hac vocula deſignatur populus Hebræus, qui ſine dubio eò concurrit. Profert etiam vir ſummus multa exempla, in quibus deeſt præpoſitio מ, ſed nullum eo ſenſu, quo hîc ſumitur.

Idem obſervavit *Joſephum* Lib. VI. c. 2. hunc locum ita intellexiſſe, ut tantùm ſeptuaginta viros è Beth-ſemeſitis mortuos fuiſſe velit. Ὀργὴ δὲ, inquit, καὶ χόλος τοῦ Θεοῦ μέτεισιν, ὥστε ἑβδομήκοντα τῶν ἐκ τῆς Βαιθσάμης κώμης, ὡς οὐκ ὄντας ἀξίους ἅψασθαι τῆς κιβωτοῦ, ἱερεῖς γὰρ οὐκ ἦσαν, καὶ προσελθόντας αὐτῇ βαλὼν ἀπέκτεινεν. *Ira verò & indignatio Dei ſubiit; itaque LXX. viros ex pago Beth-ſames, quippe indignos qui attingerent Arcam, Sacerdotes enim non erant, & ad eam accedentes, fulmine jacto occidit.* Sed hic *Joſephus* diſſimulat quod de populo habetur, in Hebraïco textu.

Non capio quid legerint hîc LXX. Int. ſi ſcripſeriut quod legimus in Codd. Aldino, Romano & Alexandrino: Καὶ οὐκ ἠσμένισαν οἱ υἱοὶ Ἰεχονίου ἐν τοῖς ἀνδράσι Βαιθσαμυς. Complutenſis Editio videtur ad Hebraïcam refecta. Vulgatus haud aliter legit, quàm nos. Sententias porrò Rabbinorum hac de re vide apud *Joan. Buxtorfium*, in Hiſtoria Arcæ Fœderis C. XVIII

20. *Deo hoc Sancto*] האלהים הקדוש *elohim hakkadoſch.* Adjectivum ſingulare cum nomine plurali jungitur, quia rei ratio habetur, potiuſquàm numeri & analogiæ. Antea Cap. IV, 8. ſervatur conſtructio Grammatica, nam adjectivum plurale cum voce אלהים conjungitur. *Sanctum* autem Deum vocant, qui nollet pati Arcam ſuam introſpici ab hominibus minimè ſibi conſecratis. Vide Num. IV, 20. Hæ querelæ videntur fuiſſe non Sacerdotum, qui degebant Beth-Semeſi, ſed aliorum, qui hanc ſacerdotalem urbem incolebant.

21. *Kirjath-jeharimorum*] Urbem Tribûs Judæ, in qua deinceps fuit Arca, uſque ad tempora Davidis, quaſi in tutiore loco.

In Caput VII.

1. *Quæ erat in colle*] בגבעה *baggibbah*, hoc eſt, ut rectè LXX. ἐν τῷ βουνῷ. Vide 1. Par. XIII, 6. Malè Vulgatus *in Gabaa*, cùm ſermo ſit de colle qui erat in *Urbe Saltuum*, hoc eſt, Kirjath-jeharimis.

Conſecrarunt] Hoc eſt, conſtituerunt. Videtur enim fuiſſe Sacerdotalis, aut certè Levitici generis. Propter cladem, quam paſſi erant Beth-ſemeſitæ, aut non auſi ſunt Sacerdotes reducere Arcam Siluntem, ubi erat Tentorium, aut neglexerunt munere ſuo defungi. Tentorium enim erat propter Arcam factum. Sed hiſce temporibus, Lex parum diligenter obſervabatur.

Digitized by Google

edidit Jehova contra Philiſthæos, eóſque conturbavit, ac in conſpectu Iſraëlis cæſi ſunt. 11. Egreſſi autem Iſraëlitæ Mitſphâ perſequuti ſunt Philiſthæos, eóſque conciderunt uſque ad loca Beth-chari ſubjecta. 12. Tum cepit Samuel lapidem unum, quem collocavit inter Mitſpham & Senem, vocavitque eum Eben-hezerum; cùm diceret: hactenus nobis auxiliatus eſt Jehova.

13. Humiles verò facti Philiſthæi, nec poſtea ſunt ingreſſi fines Iſraëlis, & manus Jehovæ, per omnem Samuelis vitam, Philiſthæis adverſa fuit. 14. Redierunt ad Iſraëlem urbes omnes, quas Philiſthæi Iſraelitis eripuerant, ab Hekrone ad Gathum, finéſque earum Iſraël è manu Philiſthæorum liberavit. Fuit etiam pax inter Iſraëlem & Emoræos. 15 Samuel verò judicavit Iſraëlem, per omnes vitæ ſuæ dies. 16. Quotannis autem circumibat Bethele Gilgalem & Mitſpham, júſque dicebat Iſraëli, in omnibus illis locis. 17. Tum redibat Ramam, quia ibi erat domus ejus, júſque *etiam* illic Iſraëli dicebat, & ædificarat altare Jehovæ.

VII. Samuel ſenex præficit filios ſuos Iſraëli, qui cùm avarè ſe gererent, adegerunt populum ad petendum Regem. Quod poſtulatum improbat quidem Samuel, ſed à Deo monitus Regem iis pollicetur.

1. CUM Samuel conſenuiſſet, filios ſuos Judices Iſraëli præfecit. 2. Nomen quidem majori natu fuit Joëli, minori verò natu Abiæ, qui jus dicebant Beerſebæ. CAPUT VIII.

3. Se-

thæum ad fines Tribûs Judæ.

12. *Senem*] השן *haſſchen*. Aut urbs fuit, aut rupes acuta, inſtar dentis, qui שן *ſchen* dicitur. Vide infra XIV, 4.

Eben-hezerum] *Lapidem auxilii* אבן עזר *eben-hezer*. Vide ſup. C. IV, 1.

13. *Per omnem Samuëlis vitam*] *Per omnes dies Samuëlis.*

Philiſthæis adverſa fuit.] *Fuit in Philiſthæos,* בפלשתים *happheliſchthim*. Fieri non potuit ut Philiſthæi ita vincerentur, ſine divino miraculo, cùm Iſraëlitis arma graviora ac ferrea defuerint, ut liquet ex Cap. XIII, 22. ac proinde contis dumtaxat, aut lapidibus pugnare potuerint.

14. *Ab Hekrone ad Gathum*] Hoc eſt, urbes totius illius tractûs, qui ab Hekrone, quæ eſt ad Meridiem, ad Gathum quod eſt ad ſeptemtrionem, ad occidentalem oram Tribuum Danis, ac Judæ, porrigitur.

Inter Iſraëlem & Emoræos] Videntur hîc, nomine Emoræorum, intelligendi omnes Chananæi; qui in vicinia Iſraëlitarum ſupererant, quales erant Sidonii, aliique finitimi ad ſeptemtriones populi.

15. *Per omnes vitæ ſuæ dies*] Excipienda ſunt tempora regni Saülis, quorum initio mortuus eſt Samuel; ſed propter brevitatem, nulla eorum hîc ratio habetur. Neque enim placet eorum interpretatio, qui hæc ita intelligunt, quaſi Hiſtoricus Sacer velit Samuelem ſingulis diebus vitæ ſuæ jus dixiſſe, ſeu numquam intermiſiſſe jus Iſraëlitis dicere; quod nec ſine exceptione intelligi poſſet.

16. *Bethele Gilgalem & Mitſpham*] Duæ priores urbes erant in Benjaminitica Tribu, poſtrema in Judæ agris. Iis peragratis, redibat Ramam, quæ Benjaminis erat. Itaque agrorum Iſraëliticorum latitudinem ab occaſu in ortum peragrabat, cis Jordanem. Potuit ita ſe gerere Samuel, in gratiam vicinorum aliquot oppidorum. Alioquin ad remotiora quod adtinet, non multùm intererat in quacumque tandem memoratarum urbium moraretur.

In omnibus illis locis] Addunt LXX. Intt. [illegible] *ſanctificatis*, fortè præſentiâ Samuelis.

17. *Redibat Ramam*] Vide ad Cap. I, 1.

Ædificavit altare Jehovæ] Nec tamen erat illic, aut Tabernaculum, aut Arca; nec deerant etiam Sacerdotes, qui Sacra facere potuiſſent. Hinc ergo intelligere licèt multas Leges eo tempore minimè fuiſſe obſervatas, etiam à viris ſanctis. Nec dixeris hæc omnia, auctoritate propheticâ eſſe facta, quâ Samuel legibus ſolutus fuerit. Hoc enim de ſubito quodam caſu dici fortè queat, & cùm non licuit ire ad altare Moſaïcum, ad Tentorium poſitum; ſed altare perpetuum non collocaſſet Samuel Ramæ, ut illic ipſe Sacra faceret, ſi Leges obſervatæ fuiſſent. Tametſi origo divina fuit Legibus Populi Hebræi, eadem tamen illarum ſors fuit, quæ Legum aliorum omnium populorum; nec niſi partim obſervatæ ſunt, pro temporibus & locis, hominúmque varia indole.

In CAPUT VIII.

1. F*ilios ſuos Judices Iſraëli præfecit*] Hinc ſatis liquet nullum fuiſſe, temporibus illis, Synedrium LXXII virorum, quale fingunt Rabbini perpetuum Magiſtratum in Republica Populi Hebræi obtinuiſſe. Aiunt enim Synedrii fuiſſe conſtituere Judices, qua de re *Joan. Seldenus*, de Synedriis Judæorum Lib. III. cap. 1. Synedrii autem hîc nulla vel minima mentio, imò verò ea narrantur, quæ pugnant cum Rabbinorum ſententia. Conſeſſûs enim ejuſmodi fuiſſet & creare Judices, per Iſraëlis oppida, & creatos ab officio amovere, ſi fortè malè ſe geſſiſſent. Quæ dudum in Opere Gallico copioſiùs proſequuti ſumus.

2. *Jus dicebant Beerſebæ*] In meridianis finibus populi Hebræi, dum pater in medio circiter tractu habitaret. Itaque meridianæ oræ incolæ apud filios Conventus Juridicos habere poterant, ſeptemtrionalis verò apud Patrem. Sed fingendi tamen non ſunt Juridicorum Conventuum uſque adeò diſtincti fines, ut Iſraëlitæ neceſſe habuerint ad patrem, aut ad filios ire, pro ſitu locorum.

3. *Se-*

Digitized by Google

3. Sequuti verò non ſunt ejus veſtigia, ſed declinarunt ad lucrum, acceperúntque munera, & jus perverterunt. 4. Quamobrem congregati ſunt ſenes omnes Iſraëlis & ad Samuelem Ramam venerunt, 5. eique dixerunt: jam quidem conſenuiſti, filii verò tui veſtigia tua non ſequuntur; impone ergo nobis Regem, qui nos judicet, ut *ſit apud* omnes gentes.

6. Res Samueli diſplicuit, cùm dicerent: da nobis Regem, qui nos judicet; Jehovámque *ea de re* oravit. 7. Tum Jehova Samueli, auſculta, inquit, voci populi, per omnia quæ tibi dicet; neque enim te faſtidiverunt, ſed me, ne in eos regnarem; 8. pro *ceteris* omnibus eorum factis, à die quo eos eduxi ex Ægypto, ad hunc uſque diem. *Ut* me relicto, *olim* coluerunt Deos alienos: ſic hi ſe gerunt etiam erga te. 9. At nunc auſculta eorum voci, veruntamen eos conteſtare ac doce conſuetudinem Regum, qui in eos

3. *Sequuti non ſunt ejus veſtigia*] *Non iverunt filii ejus in viis ejus.*

Ad lucrum] ויטו אחרי בצע *& declinarunt poſt lucrum.* LXX. ὀπίσω τῆς συντελείας, Latinus, *poſt avaritiam.* Nempe, συντέλεια hìc collationem pecuniæ ſignificat, quam Samuëlis filii exigebant.

Jus perverterunt] *Inclinarunt judicium*, hoc eſt, eò jus inclinarunt, unde munera acceperant, aut exſpectabant.

4. *Senes omnes* &c.] Honoratiſſimi quique ſingulorum oppidorum homines.

5. *Jam quidem* &c.] *Ecce conſenuiſti*, quo fiebat ut juris dicendi toti Iſraëli moleſtiam & laborem ferre ampliùs non poſſet.

Qui nos judicet] Qui jus ſumma cum poteſtate dicat, præſitque exercitibus; nam illa fuerant Judicum munera, ſed quæ à Rege, majore cum auctoritate, gerenda erant.

Ut ſit apud omnes Gentes] ככל הגוים *ut omnes gentes.* Sanè apud omnes Orientis vicinos populos florebant Monarchiæ, non Democratiæ, aut Ariſtocratiæ; ſi excipias Philiſthæos, qui habebant quinque סרנים *ſranim*, ſeu Præfectos, in una Republica. Alioquin omnium locorum, quos invaſit Joſua, Reges memorantur Joſ. Cap. XII. Sed Regum Iſraëlitici populi, multò potentioris, auguſtior fuit majeſtas. Mirum autem eſt Iſraëlitas, tædio avaritiæ duorum Samuelis filiorum, conſilium de Rege habendo cepiſſe; quaſi Rex, ejúſve miniſtri, majorem juris rationem fuiſſent habituri; cùm legitimæ Monarchiæ facillimè in tyrannidem degenerent, ut docet ipſe Samuel inferiùs, nec poſſint magis ſibi cavere ab injuſtis, aut avaris Judicibus, quàm alia regiminum genera. Sed ea eſt indoles populi, ut faſtidio rerum præſentium captus, putet quodvis aliud regimen melius eſſe eo, cui ſubeſt.

6. *Diſplicuit*] *Mala fuit in oculis.*

7. *Auſculta voci populi* &c.] Hæc non ſunt verba conſilium probantis, ut ſequentia ſatis oſtendunt, ſed cedentis pertinaciæ populi. Deus enim non ita regit homines, ut animos eorum arcano & ineluctabili adflatu, ad id faciendum quod vult, flectat; ſed ita ut poſſint non obſequi, & nimis ſæpe non obſequantur.

Neque enim te faſtidiverunt, ſed me] Hoc eſt, non tam te, quàm me; nam reverâ faſtidierant Samuelem, propter ejus filiorum avaritiam. Sed quia formam regiminis ſibi propterea novam conſtitui volebant, eâ ſpretâ quam ad hæc tempora conſervarat Divina Providentia; quæ nullâ re ſignificarat eam ſibi minùs placere, aut ſatius eſſe mutari, ideò Deus ſe ab Iſraëlitis faſtiditum ait, quippe qui contenti non fuerant Θεοκρατίᾳ quæ antea obtinuerat. Deus enim huc uſque fuerat veluti Rex Hebræorum, cujus adflatu, ubi opus erat, excitabantur Judices; qui conſulebant oracula ejus, ſi quid difficilius incidiſſet. Beatiſſima profectò hæc fuiſſet Regiminis forma, ſi paullò ſapientior, ac libertatis amantior fuiſſet Populus Hebræus; qui eâ ratione ſolis legibus divinis obſequi neceſſe habebat, quâ libertate nulla major eſſe poteſt, quia homines numquam divinis legibus, ſeu revelatæ illæ ſint, ſeu uſu ipſo vitæ inventæ, ſubtrahi poſſunt, ſine pernicie ſua. Stultè ergo Populus Hebræus hac ſuâ libertate ſe exuere voluit, ut præter Leges divinas voluntati Regis ſubeſſet. Si ſapuiſſet, Ariſtocratiam ſibi ex Judicibus à populo eligendis, iiſque variorum ordinum, ſub ſummo capite Deo, conſtituiſſet; ita ut divinæ leges ſolæ obtinerent. Sed quid eſſet libertas, & quanta ejus commoda ignorarunt ferè ſemper orientales populi. *Ariſtoteles* Polit. Lib. VII. cap. 7. τὰ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν ἔθνη διανοητικὰ μὲν καὶ τεχνικὰ τὴν ψυχὴν, ἄθυμα δέ· διόπερ ἀρχόμενα καὶ δουλεύοντα διατελεῖ: *Gentes verò Aſiæ ingenioſæ ſunt & ſollertis ingenii, ſed ſine animo; ideò ſemper parent ac ſerviunt.*

Ne in eos regnarem] Nempe, ſolus, per leges & Prophetas; quamobrem non male à *Joſepho* forma illa regiminis Θεοκρατία dicta eſt.

8. *Pro ceteris* &c.] Semper ſe contumaces, ac rigidæ cervicis præbuerant.

Ut me relicto] *Et reliquerunt me & coluerunt* &c. Hic ſupplevimus *Ut*, perſpicuitatis causâ, quamvis ab initio verſûs potuiſſet repeti.

9. *Eos conteſtare* &c.] *Conteſtando conteſtaberis in eos* &c. Hoc eſt, publicè pronunciabis, teſtéſque eos adhibebis, ut omnes audiant rem non fieri te volente, ſed quia illi ſic cupiunt.

Conſuetudinem Regum] משפט המלך *judicium Regis*, ſed משפט ſæpe rationem ac inſtitutum vitæ ſignificat, ut Gen. XL, 13. Jud. XIII, 12. & antea in hoc libro C. II, 13. Vide quoque infra v. 11. & ſeqq. & C. X, 25. XXVII, 11.

11. *Hi erunt mores Regum*] *Hoc erit judicium Regis, qui in vos regnabit*; hoc eſt, ut dicebam, conſuetudo, non jus, nam plura injuſta poſtea memorantur, ex conſuetudinibus vicinorum Regum, quas reverâ Hebræorum Reges poſtea imitati ſunt. LXX. Intt. verterunt δικαίωμα, quod quidem jus propriè ſignificat, ſed ſumi etiam poteſt pro conſuetudine. Sic certè ſumitur apud *Homerum* δίκη. Odyſſ. Δ. v. 691. ubi etiam de Regibus, eorúmque pravis moribus ſermo eſt. Penelope ergo ſic loquitur:

— ἐστὶ

eos regnaturi ſunt. 10. Hæc omnia verba Jehovæ recitavit Samuel populo, Regem à ſe petenti; 11. dixitque: hi erunt mores Regum, qui in vos regnaturi ſunt. Sument filios veſtros, quos præficiant ſuis curribus & equis, útque ſint curſores ante currum ſuum; 12. ac ſibi conſtituant Chiliarchos & Pentecontarchos; tum ad aranda prædia ſua, ac ad metendas ſegetes ſuas; ad fabricanda ſibi arma & curruum ſupellectilia. 13. Sument ſimiliter filias veſtras, ut ſint illis unguentariæ, coquæ & piſtrices. 14. Invadent veſtros agros, vineta & oliveta optima, iiſque ſervos ſuos donabunt. 15. Sementibus & vineis veſtris decimas imponent, quas aulicis, ſerviſque ſuis largiantur. 16. Servos veſtros, ancillas, juvenes lectiſſimos, & aſinos veſtros rapient, quibus opus ſuum faciant. 17. Ovilli & caprini pecoris decimas exigent, vóſque eorum ſervi fietis. 18. Tunc

——— ἠδέ τι πατρῶν
Ὑμετέρων τὸ πρόσθεν ἀκούετε παῖδες ἐόντες,
Οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε μεθ' ὑμετέροισι τοκεῦσιν;
Οὔτε τινὰ ῥέξας ἐξαίσιον, οὔτε τι εἰπὼν
Ἐν δήμῳ· ἥ τ' ἐστὶ ΔΙΚΗ θείων βασιλήων,
Ἄλλον κ' ἐχθαίρῃσι βροτῶν, ἄλλον κε φιλοίη.

Numquámne à patribus veſtris priùs audiviſtis, cùm eſſetis juvenes, qualis Ulyſſes fuerit cum veſtris genitoribus, quomodo neque cuiquam injuriam fecerit, neque in populo iniqua loquutus, & quod eſt Jus (id eſt, conſuetudo) *Regum divinorum, ut quiſque eorum hunc odio proſequatur, illum verò amet.* Ibi Δίκη, quæ vox *juſtitiam* quidem propriè & *jus*, ſed tralatitio ſenſu *conſuetudinem*, ſeu recta ea ſit, ſeu prava, ſignificat, quod docebit Index Euſthatianus. Hæ tranſlationes cùm in Hebraïca, tum in Græca Lingua, inde videntur natæ, quòd leges ac jura ſint partim ex conſuetudinibus derivata, ita ut quod *conſuetudine* obtinuerat tandem ſit factum *jus*: unde factum ut poſterius nomen utrumque ſignificarit. Sic & apud Græcos νόμος & *morem* & *legem* ſignificat.

Hæc paullò copioſiùs dicenda fuerunt, ne iis fides habeatur, qui *jus* propriè dictum (certè ad homines quod attinet, qui nullam rationem ab iis repetere poſſunt) Regibus volunt eſſe faciendi quidquid libet; contra quos vide quæ habeat ad hunc locum *Gaſp. Sanctius.*

Suis curribus] וישם לו במרכבתו *& ponet ſibi in curru*; hoc eſt, ut ſint ἁρματηλάται, *aurigæ*, ut loquitur *Joſephus* Ant. Lib. VI. cap. 4. alioquin honorificum eſſet ſedere in curru cum Rege.

Et equis] בפרשיו bpharaſchau, *& equis ſuis.* Sic vertimus cum *Sam. Bocharto* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 6. ubi oſtendit eâ voce ſignificari ſæpe equos, potiùs quàm equites, quod liquet ex 2. Sam. I, 6. Intelligit igitur Regibus fore equiſones ex Iſraëlitis, quod tum vile habebatur & indignum homine libero; non præfectum iri equitatui, quod in exercitu erat munus minimè ſpernendum.

Curſores] *Et currant ante currum ejus*, ſive pedibus, ſive equo vecti.

12. *Chiliarchos*] Ita ut cogantur in bellum egredi etiam inviti, non patriæ causâ, ſed ob Regum aviditatem, quod genus eſt ſervitutis.

Ad aranda prædia &c.] *Ad arandam arationem ſuam, & metendam meſſem ſuam.* Villicos enim, ſeu prædiis præfectos, ἰδίων ἀγρῶν ἐπιμελητάς, habebant homines liberos.

Arma] *Vaſa belli.*

Curruum ſupellectilia] *Vaſa currûs ejus*, nimirum, bellici in quo multa erunt ferramenta. Hæc omnia ignota erant Iſraëlitis, quibus nullæ erant niſi pedeſtres copiæ, eæque malè armatæ.

13. *Unguentariæ* &c.] Omnia hæc ignota erant ingenuis puellis, apud Hebræos, ante tempora Regum.

14. *Invadent veſtros agros* &c.] Hoc verò planè tyrannicum eſt, cum quæ jure poſſidentur eripiuntur; quod nullâ juris ſpecie fieri poteſt. Hinc liquet nuda facta hîc ſpectari, quamvis aliter ſentiat *H. Grotius* de J. P. & B. Lib. I. c. IV. §. 3. quis enim jure hæc fieri poſſe putet, lectâ duntaxat Nabothi Hiſtoriâ? Sed, inquit vir ſummus, *nihil eſſet in eo eximium, cùm injurias facere etiam privati privatis ſoleant.* At privati, ſtante Republicâ, non ſolent apertâ vi alienos agros invadere. Vult tamen ille *indicari factum quod effectum aliquem juris habeat, id eſt, non reſiſtendi obligationem*; imò verò factum, cui impediendo vires pares futuræ non eſſent. Alioquin Iſraëlitæ numquam crediderunt neminem eſſe, ne populum quidem totum conſentientem, qui Regi reſiſtere poſſet. Liquet hoc ex ratione, quâ decem Tribus Robohami jugum excuſſerunt, & occiſione Tyrannorum, in eodem decem Tribuum regno.

Optima] הטובים *hattobim*, hoc eſt, *bona illa*, ſeu optima, nam articulus hîc habet vim ſuperlativi.

15. *Decimas imponent* &c.] Vide not. ad Gen. XLVII, 26. Si Populus Hebræus quotannis geminas decimas ſolviſſet, unam Levitis, alteram Regibus, eæque acerbè fuiſſent exactæ; profectò felicem vitam non egiſſet. Vide & v. 16.

Aulicis] לסריסיו *lſariſau.* LXX. Intt. εὐνούχοις & Vulg. *Eunuchis.* Sed cùm Eunuchos facere, apud Iſraëlitas, illicitum eſſet, malui סריסים *ſariſim* vertere aulicos, quemadmodum Gen. XXXIX. Ubi ſic vocatur *Putiphar*, qui conjugem habuit.

16. *Juvenes lectiſſimos*] בחוריכם הטובים *juvenes veſtros bonos.* Vide v. 14. LXX. Intt. habent τὰ βουκόλια, quia legerunt בקריכם *bkarechem*, boves veſtros.

17. *Ovilli & caprini generis*] צאנכם *tſonchem*, quod utrumque genus paſſim ſonat.

Servi] Proprio ſenſu, non illo metaphorico, quo quicumque parent Regi *ſervi ejus* dicuntur. Reverâ mancipia eritis, qui pendebitis à Rege, cujus voluntatem vobis legis loco eſſe oportebit. Sanè talia erant Orientis regna, ut viri docti dudum obſervarunt ex *Ariſtotelis* Politicis Lib. III. c. 14. Διὰ γὰρ τὸ δουλικώτεροι εἶναι τὰ ἤθη φύσει, οἱ μὲν βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν τῶν περὶ τὴν Εὐρώπην, ὑπομένουσι τὴν δεσποτι-

Digitized by Google

18. Tunc temporis clamoribus invocabitis *Jehovam*, propter Regem quem vobis elegeritis, nec Jehova vos tunc exaudiet.

19. Noluit tamen populus auſcultare voci Samuelis, dixitque: nequaquam, ſed Rex nobis imponatur. 20. Simus etiam nos, inſtar omnium gentium, jus dicat nobis Rex noſter, præeat nobis, ac bella noſtra adminiſtret. 21. Cùm hæc omnia verba audiviſſet Samuel, ea audiente Jehovâ pronunciavit, 22. dixitque Jehova Samueli: voci eorum auſculta, atque iis imponito Regem. Tum juſſit Samuel Iſraëlitas redire quemque ad urbem ſuam.

VIII. Saül ad Samuelem veniens, ut de amiſſis aſinabus percunctaretur, benignè ab eo excipitur, convivióque admovetur. Poſtea ſolus ſolum inungit Regem Samuel, qui deinde eum per Oraculum populo patefacit, adclamantibus & probantibus omnibus bonis, quamquam invitis malis viris.

CAPUT IX. 1. VIR fuit è *Tribu* Benjaminis, eique nomen erat Kiſo. Filius *fuit* Abielis, filii Tſeroris, filii Bechorathi, filii Aphiachi, filii viri Benjaminitæ. *Fuit is* vir fortis, 2. erátque ei filius, cui nomen fuit Saüli, juvenis & formoſus, neque illo

καὶ ἀρχὴν οὐδὲν δυσχεραίνοντες: *quia enim magis ſerviles ſunt gentes naturâ, Barbari quidem Græcis, qui autem Aſiam incolunt his qui in Europa, tolerant herile imperium, nihil ſtomachantes.* Nec aliud imperium homines imperiti videntur expetiviſſe. Hinc Samuelem *Joſephus* ſic loquentem inducit: συνελόντι δ' εἰπεῖν δουλεύσετε μετὰ πάντων τῶν ὑμετέρων τῷ βασιλεῖ καὶ τοῖς αὐτοῦ οἰκέταις ἔσεσθε χείρονες: *ut paucis dicam, ſervietis, cum omnibus veſtris, Regi, ipſis ejus ſervis pares facti.*

18. *Tunc*] *Die illo.*

Nec Jehova vos tunc exaudiet] Hoc eſt, Deus non mutabit, veſtri causâ herile imperium, in Rempublicam liberam; qualis adhuc fuit Reſpublica Populi Hebræi. Jugum ſemel ſuſceptum in æternum ferendum vobis erit. Ac ſanè mutarunt quidem dominos Iſraëlitæ, ſive in regno Judæ, ſive in regno decem Tribuum, & tyrannicè regnantes occiderunt; ſed dominationem non mutarunt. Probè animadvertendum Samuelem hic nequaquam dicere Iſraëlitas amiſſuros in perpetuum jus ſuum vivendi ſub æquis legibus, ſed Deum tantùm eos non exauditurum. Quod *H. Grotius* ait: *ideo addi, populum preſſum iſtis injuriis Dei opem imploraturum, quia, ſcilicet, humana remedia nulla exſtarent;* non per omnia verum eſt, quia ad Deum confugiunt ſinguli homines, ut aliis, aut univerſis eam mentem immittat, quâ audeant tyrannicum jugum excutere, júſque ſuum priſtinum recuperare.

19. *Nobis imponatur*] *Sit ſupra nos.*

20. *Præeat nobis*] *Eat ante nos & pugnet pugnas noſtras*, aut *bella noſtra gerat.*

21. *Audiente Jehovâ, pronunciavit*] *Dixit ea, in auribus Jehovæ.* Nempe, ne Iſraëlitæ poſtea, mutato conſilio, & pœnitentiâ adducti negarent ſe ea dixiſſe quæ dixerant, Samuel, invocato teſte Deo, ea clarâ voce coram omnibus pronunciavit. Vide Jud. c. XI, 11.

22. *Juſſit*] *Dixit.* Addidit ſine dubio Samuel ſe conſideraturum, aut potiùs Deum conſulturum de eo, qui Rex Iſraëlis eligi poſſet. Alioqui ſi hoc tantùm dixiſſet, quod hic habetur, videretur negaſſe Regem Iſraëlitis. Ideò adjecit *Joſephus* orationi Samuelis: μετακαλέσω δὲ ὑμᾶς εἰς αὖθις, ὅταν μάθω παρὰ τοῦ θεοῦ τίνα δίδωσιν ὑμῖν βασιλέα: *vos verò accerſam cùm opus erit, poſtquàm accepero à Deo quem vobis det Regem.*

In CAPUT IX.

1. *VIri Benjaminitæ*] בן איש ימיני *ben iſch Jemini*, filii viri Jaminitæ.

Fuit is vir fortis] *Fortis robore.* Referendum hoc ad *Kiſum.* Vide Cap. I, 1.

2. *Formoſus*] טוב *tob*, bonus, quod hîc ſumitur pro *pulcro*, ut καλὸς Græcè, quod refertur & ad animum & ad corpus. Simile quidpiam habet de Xerxe *Herodotus* Lib. VII. c. 187. ubi negat ullum in toto ejus exercitu, multis myriadibus delectorum militum conſtante, fuiſſe κάλλεός τε εἵνεκα καὶ μεγάθεος ἀξιονικώτερος αὐτοῦ Ξέρξεω ἔχειν τοῦτο τὸ κράτος, *formæ & proceritatis causâ, digniorem fuiſſe ipſo Xerxe, qui haberet hoc imperium.* Imò etiam, apud quaſdam Gentes, ſolebant Regem eligere eum, cujus forma & ſtatura eximiæ eſſent, ſi credimus eidem *Herodoto* Lib. III. c. 20. ubi de Æthiopibus: τὸν ἂν τῶν ἀστῶν κρίνωσι μέγιστόν τε εἶναι καὶ κατὰ τὸ μέγαθος ἔχειν τὴν ἰσχύν, τοῦτον ἀξιοῦσι βασιλεύειν: *quem è popularibus judicarint maximum eſſe, & pro proceritate vires habere, hunc judicant regnare oportere.* Huc reſpicere videtur *Ariſtoteles* Polit. Lib. IV. c. 4. Καὶ γὰρ ἂν εἰ κατὰ μέγεθος διενέμοντο τὰς ἀρχὰς, ὥσπερ ἐν Αἰθιοπίᾳ φασί τινες, ἢ κατὰ κάλλος, ὀλιγαρχία ἂν ἦν, ὀλίγον γὰρ τὸ πλῆθος, καὶ τὸ τῶν καλῶν καὶ τὸ τῶν μεγάλων: *etenim ſi ratione proceritatis tribuiſſent Magiſtratus, quemadmodum in Æthiopia fieri ſunt qui adfirment, aut pulcritudinis, dominatus paucorum exſtitiſſet, parvus enim numerus eſt & pulcrorum & magnorum.* Alia loca ſuppeditabit *Joan. Doughtæus* Analect. Sacr. P. I. Excurſ LXXVI. Nec ſanè dubium eſt, quin plebs paratior ſit revereri virum cui eſt, ut loquitur *Euripides*, εἶδος ἄξιον τυραννίδος, quàm deformem, aut minoris ſtaturæ. Cujus rei rationem etiam, in electione Saülis, habuiſſe videtur.

3. *Surgéque & ito quæſitum*] *Surge, ito, quære.*

Digitized by Google

illo formoſior quiſquam apud Iſraëlitas, & humeris procerior erat univerſo populo
1. Amiſſæ erant aſinæ Kiſi patris Saülis, dixitque Kiſus Saüli filio: adſume, quæſo,
tecum unum ex ſervis, ſurgéque & ito quæſitum aſinas. 4. Tranſivit ergo in montana
Ephraimi, atque illinc in tractum Saliſæ, nec eas invenerunt. Iverunt & in tractum
Sahalimorum, nec *illic* erant; tranſieruntque in Benjaminiticum agrum, nec eas inve-
nerunt. 5. *Tandem* venerunt in Tſuphi tractum, Saülque dixit ſervo, qui cum eo erat:
age, revertamur, ne pater deſinat anxius eſſe, propter aſinas, ſed ſit propter nos.
6. At ille, ecce *tibi*, inquit, virum divinum, in illa urbe; vir eſt honoratus, & quid-
quid dicit evenit. Nunc ergo illuc eamus, fortaſſe nobis indicabit viam, quam nos
inire oportet. 7. Tum Saül ſervo: fac nos ire, inquit, quid feremus illi viro, cùm
panis è vaſibus noſtris deſit? Nullum eſt munus, quod feramus viro divino; quid enim
habemus? 8. Servus perrexit reſpondere Saüli, & ecce eſt in manu mea, inquit,
quarta pars Sicli argentei, eam dabo viro divino, nobiſque viam noſtram indica-
bit. (9. Antehac dicebat in Iſraële quiſquis ibat ſciſcitatum Deum: venite, eamus
ad Videntem, quia qui dicitur hodie Propheta vocabatur antea Videns.) 10. Rec-
te dicis, inquit Saul ſervo, age, eamus; iveruntque in urbem, in qua erat vir di-
vinus.
11. Cùm autem per clivum urbis adſcenderent, invenerunt puellas egredientes ad
hau-

4. *In tractum Saliſæ*] Tractus fuit vicinus Benjaminiticæ Tribûs, fortè in finibus Ephraïmiticis. Conſtat certè, ut quidem mihi videtur, non eſſe *Tſóharem*, quam fingunt ex loco Jerem. XLVIII, 34. dictam ſaliſam, vel ex ipſo ſitu. Quis enim credat Saülem quæſiviſſe aſinas, in Benjaminiticæ Tribûs agro amiſſas, ad orientalem ripam lacûs Aſphaltitæ, meridiem versùs? Scio *Jac. Bonfrerium* Tſoharem non procul à finibus Benjaminis collocare, ſed ſine dubio errat. Vide *Diſſert. de Statura Saülis* §. V.

In tractum Sahalimorum] *Euſebius*: *Σααλιμ, ἐν ᾗ διῆλθε Σαοὺλ, κώμη ἐστὶν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως πρὸς δυσμὰς, ὡς ἀπὸ σημείων ζ.* *Hieronymus*: *Saalim, per quam pertranſiit Saül, in finibus Eleutheropoleos contra occidentem, ſeptem ab ea millibus diſtans.* Vix tam procul hunc tractum putarim fuiſſe.

5. *In Tſuphi tractum*] Non procul à Rama, Samuelis ſede. LXX. Intt. vocant Σιφ aut Σείφ, legeruntque צִיף *tſiph*, pro צוּף *tſouph*.

6. *Virum divinum*] *Virum Dei*.

Viam quam nos inire oportet] *Viam noſtram, ad quam imus.*

7. *Fac nos ire*] *Ecce ibimus & quid feremus* &c.

Cùm panis &c.] Moris enim erat, non quidem oblatâ pecuniâ divinationem licitari; ſed aut ante reſponſum, aut accepto reſponſo, ſponte munuſculum dare Prophetis, qui pauperes erant. Hoc ex hiſce verbis colligere poſſe videmur, ſine ulla Prophetarum contumelia; contrà quàm cenſet *Joſephus* qui, κατὰ παρενθήκην, huic Hiſtoriæ inſerit: *ἀμὰ γὰρ ἀγνοίᾳ τοῦ μὴ λαμβάνειν τὸν προφήτην μισθὸν ἐπλανῶντο*: *errabant enim eo quòd ignorarent Prophetam mercedem non accipere.* Non erat hæc merces, ſed levis quædam grati animi teſtificatio, qualis in ſimili caſu legitur 1. Reg. XIV, 3.

8. *Quarta pars ſicli argentei*] Octava pars unciæ Romanæ argenti.

9. *Qui dicitur hodie Propheta* &c.] Cùm vox נביא nabi, *Propheta* in ſcriptis Moſaïcis occurrat, nec minùs frequens ſit in aliis libris Sacris, ac in ipſo Samuële; credibile eſt hanc vocem poſt Moſis tempora minùs uſurpari cœpiſſe, deinde iterum in uſum revocatam, tempore Scriptoris hujus libri; cui rei conſentanea eſt obſervatio Horatiana:

Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadéntque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus.

Negandum non eſt, ut mihi quidem videtur, parentheſin hanc eſſe manûs Samuele recentioris, quæ eſt ſententia doctiſſimorum virorum. Quamvis enim ſtatuatur Samuel librum hunc ſcripſiſſe paullò ante mortem; non potuit ita loqui de uſu uſque adeò recente, nam ſenex erat Samuel quo tempore unxit Samuelem, ut dictum eſt Cap. VIII, 1. nec diu poſtea vixit: *antehac dicebat in Iſraële quiſquis ibat ſciſcitatum Deum —— qui dicitur hodie Propheta vocabatur antea Videns.* Non ita mutabatur Lingua Hebraica, ut Samuele ſene uſurparetur vox *Videns*, & ante ejus mortem deſineret uſurpari. Sed hoc quoque mirum eſt, cur inſerta hîc ſit hæc Parentheſis, cùm in ſuperioribus verbis nuſquam Samuel vocetur *Videns*, cujus tamen vocis interpretatio hîc traditur, ſed ſemper *vir Dei*. Si Parentheſes orationi infererent Hebræi, more Græcorum & Latinorum, hodiernarúmque adeò Linguarum, oportuiſſet ſervum Saülis dixiſſe antea, non, *dabo viro Dei*; ſed, *dabo Videnti* נתתי לראה, quâ loquutione præmiſsâ, opportunè Parentheſis, explicationis causâ, adderetur. Alioqui meliùs collocaretur poſt verſum undecimum, quo occurrit vox הראה *haroeh*; & fortè quis poſſet ſuſpicari eam primùm in margine ad eum verſum collocatam fuiſſe, deinde è margine in textum irrepſiſſe, & quidem alienum in locum, incuriâ Scribarum. Verùm Hebræi non ſunt uſque adeò ordinis obſervantes, ac gentes ſtudiis rhetoricis excultæ.

10. *Rectè dicis*] *Bonum verbum tuum.*

11. *Per clivum urbis adſcenderent*] Nam *Rama* רמה, quæ videtur hîc ſignificari & patria erat Samuelis, urbs erat edita, ut ipſum nomen, quod *altum* ſonat, oſtendit.

Puellas egredientes &c.] Sub veſperam. Vide not. ad Gen. XXIV, 11.

Digitized by Google

hauriendam aquam, quibus dixerunt: num hîc eſt Videns? 12. Reſponderunt iis puellæ:
& ecce eum, inquiunt, ante te; feſtina, nam hodie venit in urbem, quia hodie ſacri-
ficium eſt populo in loco excelſo. 13. Cùm ingrediemini in urbem, eum invenietis,
antequàm adſcendat in locum excelſum ad convivandum; neque enim convivabitur po-
pulus, antequàm veniat; quia benedicet convivio, quo facto, convivabuntur vocati.
Nunc ergo adſcendite, nam eum, hoc diei tempore, invenietis. 14. Adſcenderunt
ergo in urbem, & cùm per mediam urbem incederent, ecce verò Samuelem, qui ob-
viam illis egrediebatur, ut in excelſum locum adſcenderet. 15. Jehova autem monue-
rat Samuelem, die uno, antequàm veniret Saül, his verbis: 16. cras hoc tempore,
mittam ad te virum, ex Benjaminitide terra; ungito eum, ut ſit dux populi mei Iſraë-
lis, liberétque populum meum è manu Philiſthæorum; reſpexi enim populum meum,
quia clamor ejus ad me venit. 17. Cùm ergo videret Saülem Samuel, dixit huic Je-
hova: en virum, quem tibi dixi; hic *in officio* continebit populum meum.
18. Convenit ergo Saül Samuelem, in media urbe, & indica mihi, inquit, quæſo,
ubi ſit domus Videntis. 19. Reſpondit Samuel Saüli, his verbis: Ego ſum Videns,
adſcende ante me in locum excelſum, atque hodie mecum convivabimini, tum te di-
mittam *cras* mane, & quidquid cupies tibi aperiam. 20. Ad aſinas quod adtinet, quæ
tibi ante triduum amiſſæ fuerant, ne res tibi cordi ſit; ſunt enim inventæ. Cui verò
eſt

12. *In loco excelſo*] בבמה *babbamah*. De editis locis, in quibus ſacra fiebant, dixi ad Levit. XXVI, 30. Dum ſeparata eſſent Arca & Tabernaculum; quod tamen mirum eſt paſſos eſſe Hebræos, & præſertim Sacerdotes quorum curæ commiſſa erant; variis in locis, in quibus neutrum erat, Sacra fiebant; fortè Sacerdotum ignaviâ, aut etiam odio. Sacrificiis autem apta edita loca, ex quibus faciliùs ſine viciniæ incommodo ſacrorum fumus, nidórque evaneſcebant, putabant, nec Deus vetuerat. Damnatum hoc demum, condito Templo, in quo ſolo Sacra facere licuit.

13. *Benedicet convivio*] יברך זבח *jebarech zebach*, benedicet victimæ, at non oblatæ in altari, verùm diſſectæ, & menſæ impoſitæ, ad convivandum. Ideóque vertimus *convivium*. Vide not. ad Deut. XVIII, 3. *Benedicere* autem *convivio*, eſt Deo gratias agere ciborum causâ, ut ſatis liquet ex uſu Novi Teſtamenti, ubi εὐλογεῖν ἄρτον aut ποτήριον, perinde eſt ac benedicere Deo, qui panem & vitam dedit. Hunc autem pium uſum, vel ex hoc Samuëlis loco, antiquiſſimum fuiſſe, apud Judæos, liquet.

Vocati] הקראים *hakkerouim*; nempe, in ſalutaribus ſacris, vocabantur amici, ad comedendas victimæ carnes; quia in tertium diem eas ſervari nefas erat. Vide Levit. VII, 16. & ſeqq. & quæ illic notavimus.

Hoc diei tempore] כהיום chehajjom, *ut die*.

15. *Monuerat Samuelem*] *Retexerat aurem Samueli*. Vide not. ad Ruth. IV, 4.

16. *Mittam ad te virum*] Curabo ut veniat ad te. Nam Saül neſcius erat totius negotii, & dum aſinas fruſtra quæreret, regnum inſperatum conſequutus eſt.

Reſpexi] Hoc eſt, rationem habui ejus precum. Vide Exod. II, 25. III, 7.

17. *In officio continebit populum meum*] יעצר בעמי *jahtſor behammi*. LXX. Intt. ἄρξει ἐν τῷ λαῷ μου. Vulg. *dominabitur populo meo*. Ad verbum *coërcebit*, quare *continere in officio* vertimus. Vide Jud. XVIII, 7. & not.

19. *Quidquid cupies*] *Quidquid eſt in corde tuo*.

20. *Ad aſinas quod adtinet* &c.] His verbis, ſatis oſtendit ſe eſſe Videntem, ne fortè rem in dubium revocaret Saül & ſe rideri credere poſſet. Quî enim homo, cui erat ignotus, ſcire potuiſſet aſinas ab eo eſſe amiſſas, & tunc quæri? Quis potuiſſet, præter Prophetam, ſcire quid vellet Saül ſciſcitari?

Cui verò eſt &c.] Rex, nimirum, futurus brevi eas opes habiturus erat, quibus præſtantiſſima quæque jumenta, quæ apud Hebræos emi poterant, ſibi compararet.

Quidquid adpeti poteſt] כל חמדת ישראל chol hhemdath Jiſchraël, *omnis cupiditas Iſraëlis*.

21. *Quæ eſt è minimis* &c.] *E parvis*; propter cladem, de qua Jud. XX. quâ propemodum exſtincta fuerat, nec poſtea æquare multitudine alias Tribus potuerat.

22. *In ſummo loco ante* &c.] *In capite vocatorum*, in ſummo, nempe, loco menſæ, circa quam more antiquo adſidebant convivæ. LXX. Intt. habent ἐν πρώτοις τῶν κεκλημένων. Vulg. *in capite eorum, qui fuerant vocati*.

Qui erant circiter triginta] *Et illi circiter triginta* (כשלשים chiſchloſchim) *viri*. Sic legerunt etiam Chaldæus & Vulgatus Interpretes. Attamen LXX. Intt. & ex iis *Joſephus* habent ἑβδομήκοντα, quod fortè additum, ut videretur Synedrium Magnum adfuiſſe, quod erat quidem LXXII. virorum, ſed numero rotundo commodiùs exprimebatur. Attamen nullum fuiſſe iis temporibus ejuſmodi Synedrium ſatis liquet ex hac ipſa hiſtoria, ut oſtendimus ad Cap. VIII, 1.

23. *Quam dedi tibi* &c.] Adfuerat ergo Samuel diſſectioni membrorum victimarum, & armum arietis aut hædi ſeponi juſſerat. Sumtibúſne Samuelis hæc Sacra fierent, an aliorum, non facilè dixerim; quia tanto Prophetæ eidemque Judici Iſraëlis etiam ad alienum ſacrificium vocare aliquem licuit, ac proinde ſeponere ei dapes. Quis enim talia ei negaſſet?

24. *Suſtulit*] E veru, aut olla, in menſam.

In hoc præſtitutum tempus] למועד *lammohed*, quod ſignificat præſtitutum tempus, ac præſertim feſtum. Attamen LXX. Intt. verterunt hîc, ut alibi ſæpe, παράθες, quæ vox etiam in antiquis Codicibus erat loco vocis ὑπόλειμμα quæ anteceſſit, ut teſtatur *Procopius* ad hunc locum.
Me-

Digitized by Google

eſt quidquid in Iſraële adpeti poteſt? Annon tibi & omni familiæ patris tui? 21. Reſ-
pondit Saül, his verbis: annon ego ſum Benjaminita, *è Tribu* quæ eſt è minimis Iſraë-
lis Tribubus? Mea verò familia minima eſt omnium familiarum Benjaminis. Quare ita
me alloquutus es? 22. Adſumſit deinde Samuel Saülem & ejus ſervum, introduxitque
eos in cœnaculum, & locum eis dedit in ſummo loco, ante *reliquos* vocatos, qui erant
circiter triginta viri. 23. Tum Samuel coquo, da mihi, inquit, partem quam dedi
tibi, & quam apud te ſeponere te juſſi. 24. Suſtulit ergo coquus armum & quod ſu-
pra eum eſt, adpoſuitque Saüli, & dixit: ecce quod reliquum *erat*, id ante te ponito,
comede, quia in hoc præſtitutum tempus tibi ſervatum fuit, *ab eo qui* dixit: nonnullos
vocavi. Itaque eo die Saül convivatus eſt cum Samuele.
25. Deſcenderunt deinde *è loco excelſo*, in urbem, colloquutúſque eſt in ſolario *Sa-
muel* cum Saüle. 26. Mane *poſtridie* ſurrexerunt, cùm enim exoriretur aurora, voca-
vit Saülem Samuel in ſolarium, & ſurge, inquit, ut te dimittam. Surrexit itaque Saül,
& ambo egreſſi ſunt, cùm ipſe, tum Samuel. 27. Cùm verò deſcenderent per extre-
mam urbem, Samuel dixit Saüli: jube ſervum tuum tranſire ante nos. Is verò tranſi-
vit. *Tum Samuel Saüli*, conſiſte tu, *inquit*, hac horâ, faciámque ut verbum Dei audias.
1. Poſtea ſumſit Samuel lenticulam olei, ídque capiti ejus adfudit, homi- CAPUT
némque oſculatus, annon, inquit, unxit te Jehova in ducem ſuæ hereditatis? X.
2. Cùm

Meliùs verterat Symmachus ὑπελείφθη, ſed non intelligo cur verterit hîc: *ὅτι ἐπίτηδες τετήρηταί σοι*, quamvis illum etiam ſit imitatus *Hieronymus*, qui multa potiùs vertit ex ſententia Græcorum interpretum, quos in Hexaplis habebat, quàm ex certa cognitione vocum, & generum loquendi.

Ab eo qui dixit] *Dicendo*. A Samuele, nempe, qui dixerat ſe aliquem vocaſſe, præter triginta convivas.

Nonnullos vocavi] העם קראתי *populum vocavi*; hoc eſt, quoſdam, nonnullos, ut rectè ad hunc locum animadvertit *Lud. de Dieu*. In linguis hodiernis etiam, ut Anglica, & Belgica, ſimiles ſunt loquutiones. *Aquila* verterat ad verbum: τῷ (ſic lego, non τὸ) λέγειν, τὸν λαὸν κέκληκα. *Theodotion*: ὅτι ἐλέχθη τὸν λαὸν ἐκάλεσα. *Symmachus* denique, τὰ περὶ τοῦ λαοῦ, quæ paraphraſin redolent, ut multa ejuſdem Interpretis.

25. *In urbem*] Ubi habitabat Samuel, apud quem pernoctavit Saül.

Colloquutúſque eſt in ſolario cum Saüle] וידבר עם שאול על הגג, quæ verba verterunt LXX. Intt. καὶ διέστρωσαν τῷ Σαοὺλ ἐπὶ τῷ δώματι, addideruntque καὶ ἐκοιμήθη. Videntur legiſſe וירבדו לשאול *vajjerabbedou leſchaoul*, nam רבד eſt ſternere, ut & רפד; & poſtea fortè וישכב *vajiſchab*, & cubuit, aut dormivit, niſi ex ingenio ſuppleverint, ita ſenſu poſtulante. Itaque non omnino rectè *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. IV. Cap. XIV, 1, 2. putat à LXX. Intt. omiſſa quæ nunc legimus in textu Hebræo, aliáque addita. At Vulgatus utramque lectionem conjunxit: *Et loquutus eſt cum Saule in ſolario, ſtravitque Saul in ſolario & dormivit*. Sed nihil opus eſt utramque lectionem conjungere, cùm alterutra ſufficiat. Ex noſtra colloquutus eſt Samuel in ſolario cum Saüle, ut eum doceret ſeorſim quid de ipſo ſibi à Deo eſſet revelatum. Sic & Petrus Act. X, 9. ut ſine interpellatione oraret, adſcendit in δῶμα, ſive tectum. Vide ad Deut. XXII, 8. *Hieronymus* in Epiſt. ad Sunniam & Fretelam, col. 654. Ed. Benedictinorum Pariſinæ: *Δῶμα in orientalibus Provinciis ipſum dicitur quod apud nos* tectum. *In Palæſtina enim & Ægypto, ubi vel ſcripti ſunt divini libri, vel interpretati, non habent in tectis culmina, ſed δώματα, quæ Romæ vel* ſolaria, *vel* mœniana *vocant*, id eſt, *plana tecta, quæ tranſverſis trabibus ſuſtentantur*. Sic legendum, non *mennianæ*, ut habebant priores editiones, neque *mediana* ut habet editio Pariſina ab imperito Monacho curata; qua de re conſule *Feſtum*, & ad eum Interpretes.

26. *In Solarium*] Eſt הגג *baggag*, pro quo in margine monemur legendum eſſe הגגה *bagagah*, quæ forma ſignificat motum ad locum, & quæ ſi recta ſit, Saül in ſolario non cubuerat. Sed LXX. Intt. habent ἐπὶ τῷ δώματι, quaſi legiſſent בגג *baggag*.

27. *Hac horâ*] כיום *chajjom*, hac diei horâ, ut ſupra v. 13.

In CAPUT X.

1. LEnticulam olei] פך השמן *phach haſſchemen*. LXX. τὸν φακὸν τοῦ ἐλαίου, ſervatâ voce Hebraïcâ, quia contigit caſu φακὸν apud Græcos nomen eſſe lagenæ lenticularis formæ, quia φακὸς propriè *lens* eſt. Vas verò Hebraïcum פך *phach* derivat nomen à radice פכה *phachah*, quæ ſignificat *guttatim cadere*; videtúrque id vaſis genus fuiſſe oris arctioris, qualia ſunt ea in quibus pretioſiora unguenta ſervantur. Ac ſanè oleo pretioſiore ſolebant ungi Reges. Vide 1. Reg. I, 29. Pſ. LXXXIX, 21. ubi oleo Sanctuarii uncti dicuntur Salomon, & David.

Capiti ejus adfudit] Paullò aliter ungebantur Sacerdotes, ut liquet ex Exod. XXIX. Sed utrique ſingulari quadam ratione ſic Deo conſecrabantur; ita ut ſacri ac inviolabiles cenſerentur, niſi graviſſimis de cauſis.

Hominémque oſculatus] Salutationis genus hoc fuit, quo Propheta benevolentiam & reverentiam ſuam teſtabatur Saüli. Eò reſpicitur Pſ. II, 12. ubi poſtquàm Regis inunctio deſcripta eſt, jubentur Hebræi *oſculari filium*.

In ducem ſuæ hereditatis] *Supra ſuam hereditatem, in ducem*; hoc eſt, ut ſis dux ipſius populi, quod munus fuerat Judicum, deinde Regum. Ceterùm hîc eſt, more Hebraïco, interrogatio loco adfirmationis.

 2. *Ad*

2. Cùm verò abiveris à me hodie, invenies duos viros ad ſepulcrum Rachelæ, in finibus Benjaminis, Tſeltſachi, tibique dicent: inventæ ſunt aſinæ, quas iveras quæſitum, pater verò tuus deſiit cogitare de aſinabus, ſed propter vos anxius eſt, dicitque; quid filii mei causâ faciam? 3. Inde ulteriùs prætergreſſus ibis Elon-thaborem, occurréntque tibi illic tres viri adſcendentes ad Deum Bethelem; quorum unus feret tres hædos, alter tres placentas panis, tertius utrem vini. 4. Petent à te an ſatis rectè habeas, dabúntque tibi duos panes, quos ab eorum manu accipies. 5. Poſtea venies ad collem Dei, in quo ſunt Philiſthæorum præfecti, cùmque ingreſſus fueris urbem, *quæ* illic *eſt*, incides in chorum Prophetarum, è loco excelſo deſcendentium, & ante eos quidem erunt nablium, tympanum, tibia & cithara; ipſi verò vaticinabuntur. 6. Tum te invadet Spiritus Jehovæ, vaticinaberíſque cum eis, & in alium virum commutaberis.

7. Cùm

2. *Ad ſepulcrum Rachelæ*] Cùm Rachelæ ſepulcrum fuerit ad meridiem Jeroſolimæ, inter hanc urbem & Bethlechemum, ut docemur Gen. XXXV, 19. Gibha verò Saülis patria eſſet ad ſeptemtrionem Jeroſolimæ; ſatis liquet Saulem rectâ viâ non juberi redire in patriam. Sequutus, nimirum, eſt indicationem Prophetæ, ut videret an contingerent, quæ prædixerat. Erant enim ſigna, ex quibus intelligere certò ei licebat, ſe juſſu Dei unctum eſſe Regem Iſraëlis, neque rem fore irritam.

In finibus Benjaminis] Non remoti erant fines Benjaminis Bethlechemo, ut liquet vel ex itinere Levitæ, quod narratur Jud. XIX.

Tſeltſachi] בצלצח *beſeltſahh.* Res ipſa oſtendit locum fuiſſe à ſepulcro Rachelæ non remotum, nam non eſt nomen hoc appellativum. Attamen mirè hîc impediti fuerunt LXX. Intt. qui, ſi ſequimur Alexandrinum & Romanum Codices, habent: ἐν τῷ ὄρει Βενιαμεὶν ἁλλομένους μεγάλα; ſi Aldinum: ἐν τῷ ὄρει Βενιαμεὶν, ἐν Σηλὼ, ἐν Βακαλὰθ, ἁλλομένους μεγάλα: ſi Complutenſem: ἐν τοῖς ὁρίοις Βενιαμὶν μεσημβρίας ἁλλομένους μεγάλα. Satis quidem liquet ἐν ὄρει eſſe pro ἐν ὁρίοις *in finibus*, prout eſt in Hebraïcis Codicibus; ſed unde ſint reliqua verba nata dictu difficile eſt. *Hieronymus* habet: *in finibus Benjamin, in meridie*, quamvis צלצח *tſeltſahh* nihil cum meridie adfine habeat; nam quod *nitidam umbram* interpretantur, id meridici tam oppoſitum eſt, quàm tenebræ luci.

Deſiit cogitare] *Dimiſit verbu aſinarum.*

3. *Elon-thaborem*] LXX. Intt. ἕως τῆς δρυὸς Θαβὼρ, & Vulg. *ad quercum Thabor*. Cùm mons Thabor in ea parte Judææ non ſit, ſed in agris Tribûs Zabulonis, malui vertere *Elon-thabor*, ne error inde legenti objiceretur.

Bethelem] Cùm Bethel Silunti vicina eſſet, & Silunte eſſet Tabernaculum; ideò, propter viciniam, qui ad Tabernaculum ſe conferebat ibat etiam Bethelem; quâ fortè ei tranſeundum erat, ſi à Tribûs Benjaminis partibus occidentalibus veniret.

Tres hædos] Fortè ad Sacra facienda.

4. *An ſatis rectè habeas*] לשלום *liſchalom.*

5. *Collem Dei*] גבעת האלהים *gibhath haelohim.* Sic crediderim vocari hunc collem, quicumque eſſet, nam ſunt eo in tractu colles; quòd eſſet illic Schola Prophetarum, ut liquet ex ſequentibus. Sunt qui velint hanc fuiſſe ipſam Saülis patriam, ſed malim fuiſſe collem eâ quidem non remotum, ſed planè diverſum, in quo fuerit præſidium Philiſthæorum, quod non erat in patria Saülis, ut oſtendemus ad v. 26. & Cap. XIII, 2.

Philiſthæorum præfecti] נציבי פלשתים *ntſibe phliſchthim.* Cùm נציב propriè *præfectum* ſignificet, ſic maluimus vertere, quàm *præſidium*, quamvis præfecti ſine præſidio non eſſent. Licèt Philiſthæi victi fuiſſent ab Hebræis, neque ampliùs armatâ manu eorum agros ingreſſi ſint, ut docemur Cap. VII, 13. nihil tamen obſtat, quin locis nonnullis munitioribus præfectos & præſidia adhuc haberent. Ejuſmodi fuit collis, de quo hîc ſermo eſt. LXX. Intt. duplicem hic habent verſionem conjunctam: ὃ ἐστιν ἐκεῖ τὸ ἀνάστημα τῶν ἀλλοφύλων, ἐκεῖ Νασὶβ ὁ ἀλλόφυλος. Poſterior quidem abeſt ab Editione Complutenſi, ſed, ut puto, datâ operâ reſecta.

Urbem quæ illic eſt] Aut *illuc in urbem*, colli, ut videtur, ſubjectam.

In chorum Prophetarum] חבל נבאים *hhebel nbiim*, funem Prophetarum. Sequuti ſumus LXX. Intt. qui χορὸν verterunt, ex re ipſa, quia erat reverà chorus canentium. Vulgatus, *gregem* vertit. Fortè *reſtim* quis vertere poſſit, quòd *reſtim duceret* aliquis eorum, quam reſtim reliqui tenerent, omnéſque ſaltando canerent. Certè genus hoc fuit choreæ, apud veteres Italiæ populos.

E loco excelſo deſcendentium] Qui videtur *collis Dei* propterea dictus, quòd *virorum Dei* habitaculum eſſet.

Nablium] נבל *nebel. Joſephus* Lib. VII. c. 10. ubi deſcribit muſica inſtrumenta Davidis, ſic loquitur de hoc inſtrumento, eóque quod poſtea כנור *chinnor* vocatur: ἡ δὲ τῶν ὀργάνων ἐστὶν ἰδέα τοιαύτη τις τὸν τρόπον. ἡ μὲν Κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ· ἡ δὲ νάβλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσα τοῖς δακτύλοις κρούεται· *Inſtrumentorum autem forma hæc erat: Cinnyra decem chordis aptata pulſatur plectro. Nabla verò duodecim ſonos habens pulſatur digitis.* Hoc poſterius inſtrumentum ad Græcos, etiam à Phœnicibus tranſiit, ut docet *Athenæus* Lib. IV. p. 175. Edit. Commelin. Πόσῳ δὲ κρείττων, ὦ Οὐλπιανὲ σοφώτατε, τὸ ὑδραυλικὸν τοῦτο ὄργανον τοῦ καλουμένου Νάβλα; ὃν φησι Σώπατρος ὁ παρῳδὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Πύλαις, Φοινίκων εἶναι καὶ τοῦτον εὕρημα· λέγει δὲ οὕτως·

——— Οὔτε τοῦ Σιδωνίου Νάβλα
Λαρυγγόφωνος ἐκκεχόρδευται τύπος·

Καὶ ἐν μυσταῖς δὲ Θηρίων φησί·

Νάβλας ἐν ἄρθροις γραμμάτων οὐκ εὐμελής,
Ὡς λωτὸς ἐν πλάγοισιν ἄψυχος πνοαῖς
Ἔμπνουν ἀεὶ Μοῦσαν· ἐγείρει δέ τις
Τὸν ἡδονῆς μελῳδὸν εὐάζων χορόν·

Φιλήμων ἐν Μοιχῷ.

Α. Ἔδει παρεῖναι, Παρμένων, αὐλητρίδ' ἢ
Νάβλαν τιν'. Π. ὁ δὲ Νάβλας τί ἐστι;

Β. Οὐκ

Digitized by Google

7. Cùm verò tibi contigerint hæc ſigna, fac quod tibi videbitur, Deus enim tibi aderit. 8. Deinde ibis ante me Gilgalem, nam ego quidem ad te ibo, ut offeramus holocautomata, & ſalutaria ſacra faciamus, per ſeptem dies. Exſpectabis, donec venero ad te, patefaciámque tibi quid ſis facturus.

9. Cùm autem humerum convertiſſet, ut diſcederet à Samuele, commutavit animum ejus Deus, *ita ut* alius *videretur*, contigerúntque ei illo die omnia ſigna illa, *quæ Samuel dixerat*. 10. Poſtquàm veniſſent ad collem, ecce chorum Prophetarum ei occurrentium; *quibus conſpectis*, invaſit eum ſpiritus Dei, atque inter eos vaticinatus eſt. 11. Quicumque verò antea eum noverant, viderúntque vaticinantem, ſibi invicem dicebant: quid contigit Kiſi filio? an etiam Saül inter Prophetas? 12. *Alius* verò vir, qui illinc erat, quis verò, inquit, eorum pater eſt? Propterea in proverbium abiit, an

B. Οὐκ οἶδας, ἐμβεβρόντητέ συ; Π. μὰ Δί' οὔ. Α. τί φής;
Οὐκ οἶδας Νάβλαν; οὐδὲν ἂν οἶσθ' ἀγαθόν,
Σύ γ', οὐδὲ Σαμβυκιστρίαν;

Quantò vero Hydraulicum hoc organum, Ulpiane ſapientiſſime, præſtantius eſt, eo quod vocatur Nabla? & quod Sopater Parodus in Poëmate, cui titulus eſt Portæ, Phœnicum inventum fuiſſe ait. Sic autem habet: neque Sidonii Nablæ ſonitus veluti è faucibus prodiens eſt corruptus. *Dicit etiam in Myſtaci Mercenario.* Nabla in articulis litterarum non bene ſonat, cui tibia inanima latcribus adfixa animatum emittit cantum, & excitati aliquis chorum voluptatis cantantem exhilarans. *Philemon in Adultero.* A. Oportebat adeſſe, ô Parmeno, fidicinam aliquam, aut Nablam quempiam. P. Nablas vero quid eſt? A. Neſcis, ô ſtupide? P. per Jovem neſcio. A Quid ais? non noſti Nablam? Igitur nihil boni noſti. Neque Sambuciſtriam?

Loca illa Poëtarum nec ſunt ſatis integra & vitiis præterea laborant. Locus *Philemonis* partim etiam profertur à *Polluce* Lib. IV. cap. 9. *Strabo* quoque Lib. X. inter barbara inſtrumentorum nomina Nablam etiam recenſet.

Tympanum] De tympano diximus ad Geneſ. XXXI, 27.

Vaticinabuntur] Hoc eſt, canent, cantica, nimirum, in honorem Dei Iſraëlis compoſita. Sic 1. Par. XXV, 1. Levitæ dicuntur מנבאים *vaticinantes Cytharis, Nablis & Siſtris*; hoc eſt, canentes.

6. *Tum te invadet Spiritus Dei*] Adflatu quodam ſubito corripieris. Vide ad Jud. IX, 6. Non ad omnia adflatus ille extendendus, ſed tantùm ad quædam, quæ faciebat Saul.

Vaticinaberis] Canes, & fortè etiam ſaltabis.

In alium virum] Senties te aliter adfectum & de majoribus cœptis incipies cogitare; qualia, nempe, futurum Hebræorum Regem decebant.

7. *Quod tibi videbitur*] *Quod inveniet manus tua*; hoc eſt, de iis quæ tibi facienda videbuntur, non eſt cur quempiam conſulas, Deus enim conſilia ſua ſecundabit. Alioquin ea loquutio ſignificat, *quod poteris*.

8. *Gilgalem*] Locum inter Jerichuntem & Jordanem. Vide ad Joſ. IV, 19. Is locus videtur electus in Benjaminitica Tribu, quia remotiſſimus erat à finibus Philiſthæorum, quorum non intererat Regem Hebræis creari.

Ut offeramus] Nam his temporibus, exigua ratio Arcæ, aut Tabernaculi habebatur, ut non ſemel vidimus.

Salutaria Sacra] זבחי שלמים *zibhhe ſchelamim*, victimas pacificorum, aut ſalutarium; ut gratiis Deo actis, unà illic convivarentur.

Per ſeptem dies] Neglecto accentu ſuperioris vocis, hæc cum antecedentibus conjunximus; quia moris fuit ſollemniora feſta per ſeptem dies agitare; quale ſacrificium fecit Salomo, in conſecratione Templi, 1. Reg. VIII, 65. Attamen LXX. Intt. ſepararunt hæc à ſuperioribus: Ἑπτὰ ἡμέρας διαλείψεις ἕως τοῦ ἐλθεῖν. Vulgati verba ſunt dubia; poſſunt enim referri æquè ad ſuperiora, ac ad ſequentia, ſi ſine interpunctionibus ſpectentur. Ceterum oportet hoc privatum fuiſſe ſacrum Saülis, idque diverſum ab eo quod memoratur factum regno inito Gilgale Cap. XI, 15, 16. & quod factum etiam eſt poſtea Cap. XIII, 8. & ſeqq. Neque enim credibile eſt Saüli mandaſſe Samuelem iter & Sacrum, quorum tempus etiamnum ignotum erat Saüli, & quæ diu poſtea fecit. Neque ſignum hoc eſſe potuit, quo intelligeret ſe divino juſſu Regem factum, in quo nihil eſt præter naturam rerum, & quod poſtquàm Saül ſe palam quaſi Regem geſſerat contigit.

Patefaciámque tibi &c.] Factum hoc eſſe nihil vetat, quamvis non narretur in ſequentibus; ut nec omnium ſignorum à Samuële memoratorum eventus. Sanè indiguit Saül conſiliis Samuëlis, ne quid perperam faceret initio regni.

9. *Commutavit animum ejus.*] *Et vertit ei Deus cor aliud*, לב אחר, *leb ahher*. Aut abundat ultima vox, nec Latinè exprimi debet, quamvis expreſſerint LXX. & Vulg. Interpretes; aut aliquid ſupplendum, ut plenior ſit oratio, quemadmodum fecimus.

11. *Sibi invicem dicebant*] *Et fuit omnis eum noſcens —— & viderunt & ecce vaticinabatur —— dixitque populus quiſque ad ſocium ſuum.*

An etiam Saül inter Prophetas?] Hæc videntur indicare Saülem vitam egiſſe planè diverſam ab iis, qui cum Prophetis verſabantur; neque enim rem alioquin uſque adeò mirati eſſent Benjaminitæ.

12. *Quis verò eorum pater eſt?*] LXX. Intt. habent: καὶ τίς πατὴρ αὐτοῦ, in Vaticano, & Complutenſi Codd. quibus verbis in Aldino & Alexandrino additur, ὁ Κείς, quaſi ſcriptum fuiſſet in eorum Codice: ומי אביו הלא קיש, & *quis pater ejus? annon Kis?* ita ut intelligatur vir hic dixiſſe, neque ipſum Saülem Scholæ Propheticæ antea ſectatorem fuiſſe, neque Kiſum patrem ejus Prophetam. Sic Hamoſus, cum vaticinari inciperet, negabat Cap. VII, 14. *ſe eſſe Prophetam, aut filium Prophetæ.* Itaque ſi

an etiam Saül inter Prophetas? Cùm autem abſolviſſet vaticinari, in locum excelſum ivit.

13· Poſtea patruus Saülis, cùm ei, tum ſervo, quò abieratis? inquit. 14· Ad quærendas, ait Saül, aſinas; quas cùm nuſquam videremus, ivimus ad Samuelem. 15· Tum patruus Saülis, dic mihi, quæſo, inquit, quid vobis dixerit Samuel. 16· Saül verò patruo, indicavit, inquit, nobis eas eſſe repertas. Sed non aperuit ei quid de regno dixiſſet Samuel.

17· Deinde convocavit populum Samuel ad Jehovam Mitſpham, 18· *ubi* Iſraëlitis, ſic dixit, inquit, Jèhova Deus Iſraëlis: Iſraëlem eduxi ex Ægypto, vóſque liberavi è manu Ægyptiorum, & omnium regnorum, quæ vos oppreſſerunt. 19· Vos verò hodie repudiaſtis Deum veſtrum, qui vos omnibus calamitatibus, anguſtiiſque eripit, dixiſtiſque: Regem nobis impone. Nunc ergo coram Jehova conſiſtite, pro Tribubus, Chiliadibúſque veſtris. 20· Tum admovit Samuel Tribus omnes Iſraëlis & capta eſt Tribus Benjaminis. 21· Admotâ deinde Benjaminis Tribu, pro familiis ſuis, capta eſt Matris familia, deinde etiam Saül, Kiſi filius, quem quæſiverunt, nec inventus eſt. 22· Sciſcitati ſunt ergo denuo Jehovam, an adhuc vir ille venturus eſſet illuc? *Ibi* verò Jehova, en eum, inquit, inter impedimenta latentem. 23· Cucurrerunt ergo, eúmque illinc ſumſerunt, & conſtitit in medio populo, quem totum humeris ſupereminebat. 24· Tum verò Samuel univerſo populo, annon, inquit, vidiſtis quem Jehova elegerit, nec quemquam eſſe in toto populo ei ſimilem? Tunc totus populus exclamavit *præ lætitia*, & vivat Rex, inquit.

25· Dein-

ſi hæc obtineret lectio, nulla eſſet hîc difficultas; ſed quia legimus אביהם *abihem*, pater eorum, ut legit etiam Vulgatus Interpres, nonnulla hîc eſt obſcuritas. Poterit tamen facilè diſcuti, ſi rem hac paraphraſi Interpretemur: miramini Kiſi filium eſſe inter Prophetas; quinam verò eſt pater ſingulorum illorum Prophetarum, inter quos vaticinatur? Omnes illorum Patres non fuerunt Prophetæ, nec eo ſecius omnes vaticinantur. Eſt אביהם in ſingulari, pro אבותם *patres eorum*, in plurali, niſi fortè chorus horum Prophetarum eſſet uno Patre natus. Simili ratione Judæi loquuti ſunt de Chriſto, prophetico docendi munere fungente Matth. XIII, 54. *Unde huic hæc ſapientia & hæ virtutes? Non hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria?* &c.

An etiam Saül inter Prophetas?] Proverbium de mutatione ſubita hominis aliud vitæ inſtitutum amplexi, præter aliorum exſpectationem.

Cùm autem abſolviſſet] *Et abſolvit & ivit*; nempe, cùm deſiiſſent canere Prophetæ, in collem Dei redierunt.

13· *Patruus*] Qui in vicinia habitabat. Abnerum fuiſſe putat *Joſephus* Lib. VI. c. 5.

16· *Indicavit nobis eas eſſe repertas*] In hac reſponſione adquievit Saülis patruus, quia norat moris eſſe, ut Prophetæ de rebus ejuſcemodi conſulerentur. Vide Cap. IX, 6. Cùm vicini populi mirâ cupiditate tenerentur cognoſcendi futura, & occulta, non tantùm de rebus magni momenti, ſed etiam de levioribus; nec deeſſent homines callidi, qui divinationem inter eas profitebantur, credebantúrque de iis rebus vera reſpondere; acerrimè vetuit Deus ne Iſraëlitæ ad eos irent, útque intelligerent nihil eſſe quod inviderent finitimis propterea, promiſit ſe excitaturum, etiam inter Hebræos, qui reſponderent de rebus occultis & futuris. Vide quæ notavimus ad Deut. XVIII, 15. Promiſſionis hujus effectum hîc videmus, in Samuelis reſponſo de aſinabus Kiſi.

17· *Convocavit populum* &c.] Hoc eſt, Magiſtratus Oppidorum, Principes familiarum & honoratiſſimos quoſque, cum quibus & quicumque alii volebant concurrebant.

Ad Jehovam Mitſpham] Populus Hebræus dicebatur convocari ad Jehovam, vel quando ad Tabernaculum & Arcam vocabatur, vel quando conveniebat juſſu Prophetæ ad Sacra Deo facienda, aut aliquid invocato Deo agendum. Poſteriori modo res hîc eſt intelligenda. Vide not. ad Jud. XX, 1. & ſupra VII, 16.

18· *Regnorum, quæ vos oppreſſerunt*] Quarum liberationum Hiſtoria continetur libro Judicum.

19· *Repudiaſtis*] Regimen, nempe, ab eo inſtitutum, per Judices & Prophetas.

Coram Jehova] Qui invocatus aderat cœtui. Vide ad v. 17.

Pro Tribubus &c.] Quorum nomine Proceres aderant, aliique minoris dignitatis homines, ut Chiliarchi, Centuriones, Pentecontarchi, Familiarum principes &c.

Chiliadibus] Vide Exod. XVIII, 25. & ſeqq. LXX. Intt. hîc habent incommodè: κατὰ τὰ σκῆπτρα ὑμῶν καὶ κατὰ τὰς φυλὰς ὑμῶν. Vulg. *per tribus veſtras & per familias.*

20· *Admovit Samuel* &c.] Crediderim adfuiſſe Pontificem Maximum veſte Sacrâ indutum, collarique carbunculorum, & unionum ornatum; qui interrogatus nomine & adflatu Dei reſpondit. Simile quid factum à Joſua, de quo vide ejus libri Caput VII, 14. & ſeqq. *Joſephus* quidem Lib. VI. c. 5. ſortes adhibitas fuiſſe vult, ſed in narratione Hebraïca nullum eorum veſtigium invenio.

Capta eſt] Hoc eſt, indicata ore Pontificis Maximi, cùm coram eo tranſiret.

21· *Nec inventus eſt*] Inter Benjaminitas, qui coram Sacerdote tranſierant.

22· *Inter impedimenta*] *Ad vaſa.* Videtur Saül præmonitus à Samuele, de eo quod futurum eſſet, ſe ſe abdidiſſe, ne regiam dignitatem ambiviſſe videretur, eóque animo Mitſpham veniſſe, ut ſuffragia populi ſibi conciliaret.

23· *Quem totum humeris* &c.] Vide not. ad Cap. IX, 2.

25· Con-

25. Deinde recitavit Samuel populo conſuetudinem regni, ſcripſitque in libro, quem
repoſuit coram Jehova. *Quo facto*, dimiſit univerſum populum, quemque domum
ſuam. 26. Saül etiam ivit domum Gibam, eúmque comitatæ ſunt copiæ, quarum ani-
mum perculſerat Deus. 27. At homines nequam, quomodo, inquiebant, nos hic li-
beraret? Itaque eum deſpexerunt, nec munera ei tulerunt; verùm ille ſurdum egit.

IX. Nachaſus Hammonita obſidet Jabeſum Galahaditidis, nec oppidanos in deditionem accipere vult, niſi iniquiſſimis conditionibus. Verùm eos liberat Saül, qui propterea in regno confirmatur.

1. INTER hæc venit Nachaſus Hammonita, & caſtra poſuit ad Jabeſum Galahaditi- CAPUT XI.
dis. Tum omnes Jabeſitæ Nachaſo, fac, inquiunt, fœdus nobiſcum, & tibi ſer-
viemus. 2. Nachaſus verò Hammonita, hac lege, inquit, feriam vobiſcum *fœ-
dus*, ſi effodero omnibus vobis oculum dextrum, & hoc dedecore univerſum Iſraëlem
affecero. 3. Ibi ſenes Jabeſitæ illi, concede nobis, inquiunt, ſeptem dies, dimitte-
múſque nuncios per omnes fines Iſraëlis; *quibus elapſis*, ſi nemo nos liberet, ad te egre-
diemur. 4. Venerunt ergo Gibam ad Saülem, & ea verba, audiente populo, recita-
runt. *Quibus auditis*, univerſus populus ejulavit. 5. At Saül tum venit rure, à bu-
bus, dixitque: quid eſt populo, ut fleat? Narraverunt verò ei verba Jabeſitarum.
6. Quæ cùm audiret, invaſit eum ſpiritus Dei, vehementique irâ correptus eſt.
7. Tum

25. *Conſuetudinem regni*] Quid ſoleret fieri à Regibus, & quod aliquo modo fiebat jus, propter conſenſum populi; neque enim volenti fit injuria. Vide not. ad Cap. VIII, 11. Attamen nimiæ tyrannidis causâ fiebat Rex, non tantùm Deo inviſus, ſed etiam populo, qui amovere eum poterat; quia quidquid antea dictum eſſet, in perniciem ſuam populus numquam conſentire in animo habuerat; nec ſi conſenſiſſet una ætas, ſequens ejus conſenſu teneri putabatur. Qua tamen in re, maximam moderationem adhibendam ratio ſuadet, ne ad extrema remedia, niſi propter extremos morbos, deveniatur.

Scripſitque in libro] Non ut hinc jus malè habendi populi Rex electus, ejúſque ſucceſſores ſibi eſſe intelligerent; ſed ut eſſet hoc monumentum, ex quo populus ſciret invito Samuele mutatam eſſe Reipublicæ formam, & ſi quid mali inde ſequeretur, prædictum hoc fuiſſe ab ultimo Judicum. Non poterant ergo Divinam Providentiam incuſare, quòd mutati regiminis pœnas poſtea darent; quia Dei juſſu à Propheta fuerant præmoniti, nec monenti auſcultare voluerant.

Coram Jehova] Ad Arcam, aut ad Tabernáculum.

Dimiſit populum &c.] Judicis hac in re munere functus eſt, nondum ſatis confirmatâ Saülis poteſtate.

26. *Gibam*] Ergo illic non erat præſidium ullum Philiſthæorum, qui novo Regi non pepercíſſent, quia dominos ſe eſſe Iſraëlitarum contendebant. Vide ſupra ad v. 5.

Comitatæ ſunt copiæ] חיל *hhajil*, quod exercitum ſæpe ſonat, & hic ſignificat fortes aliquot viros, qui honoris causâ Saülem comitati ſunt, & ejus imperiis parere ſe ſe paratos eſſe oſtenderunt. LXX. Intt. legerunt בני חיל *bne hhajil*, cùm habeant υἱοὺς δυνάμεως, hoc eſt, *fortes viros*.

Quarum animum perculſerat Deus.] Non eſt hoc ita intelligendum, quaſi ſingulari adflatu & ceteris negato, Deus hoſce homines Saüli conciliarit. Non opus erat adflatu ad rem apud eos comprobandam, quæ iis volentibus facta erat. Sed Hebræi bona omnia Deo tribuere ſolent, quia nihil fit ſine ejus Providentia. Sic & hodie omnia boni quique Deo accepta ferunt, quamvis præter naturam contigiſſe non putent.

27. *Nec munera ei tulerunt*] Ergo alii, qui meliùs de ejus electione ſentiebant, munera ei obtulerunt, ut poſſet dignitatem Regiam, ſine dedecore, tueri. Antequàm confirmatum eſſet regnum, nihil niſi à volentibus exigere poterat.

Surdum egit] ויהי כמחריש *& fuit quaſi ſurdus*; hoc eſt, hominum illorum contumelias diſſimulavit, ne regni initium cruentaret.

In CAPUT XI.

1. *JAbeſum*] Καὶ νῦν ἔτι, inquit *Euſebius*, κώμη πέραν τοῦ Ἰορδάνου ἀπὸ ϛ'. σημείων Πέλλης πόλεως, ἐπὶ τοῦ ὄρους κειμένη ἀπιόντων εἰς Γέρασαν: interprete *Hieronymo: nunc eſt vicus trans Jordanem, in ſexto milliario civitatis Pellæ, ſuper montem euntibus Geraſam.*

Fac fœdus nobiſcum] Certis legibus, nos dedititios & in clientelam tuam accipito. Nachaſus hîc Rex fuit *Hammonitarum*. Vide C. XII, 12.

2. *Hoc dedecore* &c.] Revera, non ſine maxima infamia poterant Iſraëlitæ pati populares ſuos uſque adeò malè haberi.

4. *Gibam ad Saülem*] *Gibam Saülis.*

Ejulavit] *Suſtulerunt vocem ſuam & fleverunt.*

5. *A bubus*] אחרי הבקר *abhare habbakar* pro מאחרי *meabhare.* Iterum privatam vitam agebat, cùm regnum ejus nondum ſatis confirmatum eſſet, nec haberet unde tanti faſtigii ſumtus ſuſtentaret. Univerſus populus Hebræus tunc temporis agriculturæ & pecuariæ deditus erat. LXX. Intt. habent μετὰ τὸ πρωΐ, quia legerunt *habboker* הבוקר, *mane*, ſed perperam, ſic enim non loquuntur Hebræi.

Jabeſitarum] *Virorum Jabes.*

7. Tum captum par boum conſcidit in fruſta, quæ miſit per omnes fines Iſraëlis, per legatos, qui dicerent: quiſquis non ſequutus fuerit Saülem & Samuelem, ſic fiet ejus bubus. Pavor verò Jehovæ incidit in univerſum populum, qui inſtar unius viri in expeditionem venit. 8. Recenſuit eos Bezeki, fuerúntque Iſraëlitarum trecenta millia, atque ex *Tribu* Judæ triginta millia virorum. 9. Tum dixerunt legatis, qui *Jabeſo* venerant; ſic dicetis Jabeſitis Galahaditidis: cras vobis liberatio continget, cùm ſol incaluerit.

Abierunt ergo legati, rémque renunciarunt Jabeſitis, qui gaviſi ſunt, 10. dixerúntque *Hammonitis:* cras ad vos egrediemur, facietiſque per omnia, prout vobis videbitur. 11. Poſtero die, Saül populum in tria agmina diviſit; ingreſſique caſtra, vigiliâ matutinâ, concîderunt Hammonitas, donec dies incaleſceret. Reliqui verò *ita* diſperſi ſunt, *ut* ne duo quidem unà remanſerint.

12. Tum populus Samueli, quis dicebat, inquit, Saülne in nos regnabit? tradite nobis homines, ut eos morte afficiamus. 13. At Saül, nemo, inquit, hodie morietur, cùm hodie Jehova liberationem Iſraëli pepererit. 14. Samuel verò dixit populo: age, eamus Gilgalem, & regni *inaugurationem* illic renovemus. 15. Abiit ergo totus populus Gilgalem, ubi Saülem, coram Jehova, Regem conſtituerunt, & ſalutaria ſacra fecerunt. Quamobrem illic Saül & omnes Iſraëlitæ vehementer lætati ſunt.

X. Denuo inſtauratâ inauguratione Saülis, Samuël munere Judicis ſe abdicat, commemorat innocentiam ſuam, ingratum populo Hebræo erga Deum animum exprobrat, illúmque ad conſtanter Deum colendum adhortatur.

CAPUT XII. 1. TUM Samuel univerſo Iſraëli, en, inquit, voci veſtræ per omnia, quæ mihi dixiſtis, obtemperavi, Regémque vobis impoſui. 2. Nunc ergo, en Regem vo-

7. *Captum par boum* &c.] *Et cepit per boum & diſcidit illud* &c. Symbolica hæc fuit actio, quæ, oblatis boum membris, magis percellebat animos, quàm ſola feciſſet oratio. Vide 1. Reg. XXII, 11.

Saülem & Samuelem] Jam quidem inſtar Regis, quandoquidem nomen ſuum præponebat nomini Samuëlis, Prophetæ & Judicis; attamen addito ejus nomine, edictum ſuum tanti viri auctoritate firmabat.

Pavor Jehovæ] Vel timor à Deo immiſſus, aut injectus ſingulari modo hominum animis; vel metus ne Deum offenderent, ſi edicto Regis & Prophetæ obſequi recuſarent.

In expeditionem venit] *Exiverunt.*

8. *Bezeki*] *Euſebius* in locis: Βεζὲκ, πόλις Ἀδωνιβεζὲκ, καὶ νῦν εἰσι κῶμαι δύο Βεζὲκ, πλησίον ἀλλήλων, νέας πόλεως ἀπέχουσαι σημείοις ιζ΄. κατιόντων ἐπὶ Σκυθόπολιν. *Hieronymo* interprete: *Bezec, urbs Regis Adonibezec, & hodiéque duæ villæ ſunt, nomine Bezec vicinæ ſibi, in ſeptimo decimo lapide à Neapoli deſcendentibus Scythopolin.* Rectè obſervavit *J. Bonfrerius*, Bezekum, cujus Rex fuit Adonibezekus, fuiſſe in Tribu Judæ, & diſtinctum à vicis, qui in dimidia Tribu Manaſſæ, ad occaſum Jordanis, erant. In hiſce recenſuit exercitum Saül, mox Jordanem trajecturus. LXX. Intt. habent hîc ἐν Βεζὲκ ἐν Βαμᾷ.

Trecenta millia &c.] Intelligenda hæc ſunt de delectis, nam aliàs militaris ætas multò plures complectebatur, à temporibus Moſis. Vide Num. XXVI.

Iſraëlitarum &c.] Cùm Iſraëlitæ diſtinguantur hîc à Tribu Judæ, hæc redolent tempora, quæ diviſionem Iſraëlitarum in duo regna ſequuta ſunt.

11. *Vigiliâ matutinâ*] Hoc eſt, ultimâ vigiliâ noctis, de qua vide ad Jud. VII, 19. Rectè autem & prudenter Saül ante lucem Hammonitas eſt adgreſſus, quia exercitum armis malè inſtructum ducebat, & qui potiùs terrore ſubito cladem inferre poterat, quàm ſignis collatis initâ pugnâ, & aperto Marte. Vide infra Cap. XIII, 19. & ſeq.

12. *Quis dicebat* &c.] Poſt inſignem victoriam, quam prudentiâ & fortitudine retulerat, indignabantur fuiſſe homines, qui ei parere detrectarent.

13. *Liberationem Iſraëli pepererit*] *Fecerit ſalutem in Iſraële.* Vide 2. Sam. XIX, 20.

14. *Regni inaugurationem* &c.] *Renovemus ibi regnum*; hoc eſt, iterum ſollemniùs Saülem Regem agnoſcamus, ejúſque regni initium celebremus.

15. *Coram Jehova*] Invocato nomine Dei, ſacrificiiſque ei oblatis.

Regem conſtituerunt] Ita ut inciperet reverâ regnare, inſtrueretúrque iis, quæ in eam rem erant neceſſaria, cùm antea fermè ſolum nomen Regis accepiſſet. LXX. Intt. habent ἔχρισε Σαμουὴλ, quaſi Propheta denuo Samuëlem unxerit. Vulgatus non aliter quàm nos legit.

Salutaria Sacra] זבחים שלמים *zbahhim ſchlamim.* Alibi זבחי שלמים *zibhhe ſchlamim*, priore voculâ in ſtatu conſtructo, ut Cap. X, 8.

In CAPUT XII.

1. F*Ilii mei* &c.] Qui licèt avari, fidelem tamen & ſtrenuam in multis operam poterant Populo Hebræo navare.

In conſpectu veſtro vixi] *Inceſſi coram vobis*, quod miniſterium publicum aliquando ſignificat, ut ſuprà Cap. II, 30.

3. *Reſpondete contra me*] Hoc eſt, teſtimonium hîc interrogati contra me dicite, ſi me ſontem eſſe putatis. Vide Exod. XX, 16.

Pretio accepto] לקחתי כפר *lakahhthi chopher.* LXX. Intt. verterunt ἐξίλασμα *expiationem*, pro ſignificatione radicis כפר in conjugatione Pihel. Verùm hîc ſignificatur pretium datum Judici, ut

vobis præiturum, nam ego quidem conſenui & incanui, & filii mei vobiſcum
ſunt. Ego in conſpectu veſtro ab adoleſcentia, ad hunc uſque diem, vixi. 3. En
adſum, reſpondete contra me, coram Jehova & ejus Uncto, an cujuſquam bo-
vem aut aſinum ceperim, an quemquam oppreſſerim, aut malè habuerim, an è
manu cujuſquam, pretio accepto, diſſimularim ejus causâ; & vobis reſtituam.
4. Illi verò, neque nos oppreſſiſti, inquiunt, neque malè habuiſti, neque ab ul-
lius manu quidquam accepiſti. 5. Tum ille, teſtis *ergo eſt*, inquit, Jehova, con-
tra vos; teſtis item Unctus ejus hodierno die, vos nihil in manu mea inveniſ-
ſe. Teſtes *ſunt*, inquiunt. 6. Ibi Samuel populo, Jehova, inquit, *eſt* qui conſti-
tuit Moſem & Aharonem, quique Majores veſtros ex terra Ægyptia eduxit.
7. Nunc ergo conſiſtite & diſceptabo vobiſcum coram Jehova, de omnibus bene-
ficiis, quibus Jehova vos, Majoreſque veſtros affecit. 8. Cùm ingreſſus eſſet Ja-
cobus Ægyptum, clamoribus invocarunt Majores veſtri Jehovam, Moſémque &
Aharonem miſit, qui eos ex Ægypto eduxerunt, atque in hocce loco ſedes iis
dederunt. 9. Verùm obliti ſunt Jehovæ Dei ſui, eóſque tradidit in manum Si-
ſeræ ducis exercitûs Chatſoris, inque manus Philiſthæorum & Regis Moabita-
rum, qui bellum iis intulerunt. 10. Invocarunt ergo *Iſraëlitæ* Jehovam, dixerúnt-
que: peccavimus, quia deſeruimus Jehovam, coluimúſque Bahales & Aſtharthas;
nunc verò libera nos è manu hoſtium noſtrorum, & te colemus. 11. Miſit verò
Jehova Jerubbahalem, Bedanem, Jephtheum, & Samuelem, liberavítque vos è ma-
nu hoſtium veſtrorum circumquaque & *agros veſtros* ſecurè habitaſtis. 12. Deinde
vidiſtis Nachaſum Hammonitarum Regem contra vos veniſſe, & mihi dixiſtis: non
ampliùs ſine Rege erimus, ſed Rex in nos regnabit; quamvis Jehova, Deus veſter,
Rex

ut damnatio ab eo redimatur. Vulgatus rectè *munus* vertit. Itinerariorum per Orientem Scriptores docent nos Arabas paſſim à viatoribus exigere כפרה *chapharaton*, ſeu munus quo expilationem bonorum, aut etiam vitam ſuam redimant.

Diſſimularim ejus causâ.] *Occultarim oculos meos in illum*; quæ eſt periphraſis diſſimulationis, quâ Judex negat ſe videre rationem cur quempiam ſontem damnet; quaſi velaviſſet oculos ſuos, ne videret quod geſtum eſt. Vide Levit. XX, 4. & Prov. XXVIII, 27. Plura alia exempla in Scriptura hujus loquutionis occurrunt, nec obſcura eſt; quare miror LXX. Intt. hîc verba ואעלים עיני בו *veablim henai bo*, vertiſſe ἐξίλασμα; ἀποκρίθητε κατ' ἐμοῦ; *calceum*, quaſi eſſet נעלים *nahalajim*, calceos, deinde ענו בי *henou bi*, reſpondete contra me, ut obſervavit *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. IV. Cap. VI, 3. & Vulgatum, *& contemnam illud hodie.*

Inquiunt] ויאמר *& dixit* pro ויאמרו & dixerunt, καὶ εἶπαν, ut habent Græci.

6. *Qui conſtituit Moſem & Aharonem*] *Qui fecit Moſem & Aharonem*; hoc eſt, qui conſtituit Moſem quidem Judicem Populi, Aharonem verò Pontificem Maximum; nam hîc non eſt ſermo de creatione hominum, ſed de iis quæ ſingularia Deus in Moſem & Aharonem contulit. Ac ſanè ea eſt aliquando ſignificatio verbi עשה, ut Jerem. XXXVII, 15. *Illum fecerant* (עשו) *domui carceris*, hoc eſt præfecerant, commentarienſem conſtituerant.

7. *Diſceptabo vobiſcum*] אשפטה אתכם iſſchaphetah itthechem, *judicabor vobiſcum*; hoc eſt, ut bene Vulgatus, *judicio contendam*, vel quaſi apud Judicem cauſam agam.

Beneficiis] צדקות *tſidkoth*, juſtitiis. Quod *miſericordias* vertit Vulgatus. Ut in Vetere & Novo Teſtamento *juſti* צדיקים, *tſadikim*, dicuntur non ſimpliciter ejus virtutis quæ *juſtitia* propriè dicitur obſervantes, ſed religioſi ac probi homines: ſic *juſtitia* צדקה, *tſdakah*, dicitur bona quævis actio, qualis eſt beneficium in aliquem collatum, aut miſericordiæ in miſerum exercitium. Vide Pſ. XXIV, 5. Prov. X, 2. Dan. IV, 24. ubi צדקה *beneficia*, aut beneficentiam ſignificat. Vide & Matth. I, 19.

8. *Qui eos* &c.] *Et eduxerunt Patres veſtros ex Ægypto.*

9. *In manum Siſeræ*] Potiſſimarum rerum capita, prout ſe ſe memoriæ offerebant, commemorat Propheta, neglecto rerum & temporis ordine, qui ad rem nihil hîc faciebat. Vide Jud. IV, 2. & ſeqq.

Philiſthæorum] Vide Jud. XI, 7.

Regis Moabitarum] Vide Jud. III, 12.

10. *Invocarunt*] Vide Jud. II, 26. & ſeqq.

11. *Jerubbahalem*] Vide Jud. VI, 11. & ſeqq.

Bedanem] Reliquorum, qui hîc memorantur, nomina & hiſtorias legimus in Libro Judicum, & in ſuperioribus hujus Libri capitibus; ſed *Bedanis* nulla alibi mentio occurrit, niſi 1. Par. VII, 17. ubi inter Manaſſæ poſteros recenſetur quidam בדן *bdan*, qui an idem ſit, qui hîc memoratur, non liquet. Inde tamen colligere licet verum hoc fuiſſe nomen proprium. Hoc verò in loco, videtur eſſe aut alterum nomen, aut cognomen Judicis cujuſpiam alio nomine in Libro Judicum memorati. LXX. Intt. habent Βαρὰκ, ſeu ſcriptum fuerit in eorum Codice ברק *barak*, pro בדן *bdan*, quod eſt in noſtris Codicibus à temporibus *Hieronymi*, ſeu ita ipſi legendum conjecerint, ſeu etiam *Bedanem* dictum *Barakum* exiſtimarint. Alii eumdem ac עבדן *Habdonem* fuiſſe, alii Jaïrem Manaſſitam, alii ſic dictum Samſonem quaſi בן דן *ben Dan*, hoc eſt, Danitam, crediderunt. Quæcumque harum ſententiarum vera videatur, perinde nobis eſt, quamvis בדן *bdan*, ſcribi culpâ librariorum pro ברק *barak*, aut pro עבדן *habdon*, facilè potuerit.

12. *Et mihi dixiſtis*] Hinc credibile ſit Nachaſum incurſiones feciſſe in agrum Hebræum,

etiam

Digitized by Google

Rex veſter eſſet. 13. Nunc verò en Regem quem elegiſtis, quémque petiiſtis; en Je-
hova vobis eum Regem impoſuit. 14. Si timueritis Jehovam, eúmque coluеritis, &
voci ejus auſcultaveritis, nec in ejus mandata contumaces fueritis; eritis *incolumes* cùm
vos, tum etiam Rex veſter, qui in vos, poſt Jehovam Deum veſtrum, regnat. 15. At
ſi non audiveritis vocem Jehovæ, & in ejus mandata contumaces fueritis, manus ejus
erit contra vos, ut fuit contra Majores veſtros. 16. Nunc ergo conſiſtite & videte
rem magnam, quam Jehova in oculis veſtris mox faciet. 17. Annon eſt nunc meſſis tri-
tici? Ego verò Deum invocabo, edétque tonitrua & pluviam. *Hinc* intelligite & vi-
dete magnum eſſe malum, quod feciſtis coram Jehova, cùm vobis Regem petiiſtis.
18. Invocavit ergo Samuel Jehovam, qui die illo edidit tonitrua & pluviam. Quare
populus omnis vehementer timuit Jehovam & Samuelem. 19. Tum verò univerſus po-
pulus Samueli, ora, inquiunt, Jehovam Deum tuum, pro ſervis tuis, ne moriamur;
quia omnibus peccatis noſtris hoc adjecimus malum, quòd Regem nobis petierimus.
20. Samuel verò populo, ne timeatis, inquit, tametſi enim omne hoc malum admi-
ſiſtis, tamen ne deſinatis Jehovam ſequi, ſed toto animo veſtro eum colatis. 21. Ne
ab eo declinetis, etenim inania ſequeremini, quæ nec prodeſſe, nec liberare poſſunt,
ſunt enim illa inania *numina*. 22. Neque enim deſeret Jehova populum ſuum, magni
ſui

etiam priuſquàm Iſraëlitæ popoſcerint ſibi Regem; eóque electo, iterum eoſdem fines ingreſſum Jabeſum obſidere cœpiſſe. Sæpe in his libris circumſtantia, loco ſuo priùs omiſſa, alieniore deinde loco memoratur. Vide Cap. VI, 4. & indicem Pentateuchi, ad vocem *Circumſtantia*.

Rex veſter eſſet] De Theocratia Judaïca copiosè egit vir doctiſſimus *Joan. Spencerus*, in ſingulari Diſſertatione, quam inſeruit Lib. I. Operis de Legibus Ritualibus Hebræorum. Ad eam Lectorem amandamus.

13. *Quem elegiſtis*] Non elegerant quidem ipſi Saülem, ſed primùm Regem à Deo petierant, deinde hunc ſibi propoſitum comprobarant. Qua de cauſa, eum elegiſſe dicuntur.

14. *Nec erga ejus mandata contumaces fueritis*] *Os Jehovæ amarè neglexeritis*, תמרו את פי יהוה *thameron eth phi Jehovah*. LXX. ἐρίσητε τῷ στόματι τοῦ κυρίου. Vulgatus: *exaſperare os Domini*. Sed מרה *marah* ſignificat ſimpliciter immorigerum eſſe, quamvis affinis ſit ea ſignificatio voci מר mar, *amarus*.

Eritis incolumes] Eſt ſimpliciter והיתם *vihjithem*, eritis; hoc eſt, eritis Regnum, ſtabit Regnum veſtrum; nam Regna, quæ deſtruuntur, non ſunt ampliùs. Commodior multò eſt hæc orationis ſeries, quàm ſi *eritis* conjungamus cum his verbis, *poſt Jehovam Deum veſtrum*, ut fecerunt LXX. Intt. & Vulgatus, qui habent: καὶ ἔσῃ — ὀπίσω κυρίου πορευόμενοι, *eritis — ſequentes Deum veſtrum*. Hoc enim modo aut pendet oratio, poſitâ enim conditione obedientiæ, nullus ejus ſubjicitur effectus, in verſione Græca; in Latina verò *eritis ſequentes Deum veſtrum*, quaſi fructus obedientiæ profertur, qui eſt ipſa obedientia. Nec puto *eſſe poſt Deum* היות אחרי אלהים loquutionem eſſe Hebraïcam, quamvis *ire poſt Deum* הלך אחרי אלהים ſit frequens loquutio. Itaque perſpicuitatis causâ, ſupplevimus *incolumes*, שלמים *ſchalemim*.

15. *Manus ejus erit contra vos*] Cœptis veſtris adverſabitur, nihil vobis bene cedet.

Ut fuit] ובאבותיכם *oubaabothechem*, & in patres veſtros; quod eſt pro כאשר היתה באבותיכם *ut fuit contra patres veſtros*

16. *Conſiſtite*] Hoc eſt, ne abeatis, ſed mecum hìc exſpectate ac ſtate coram Deo, judice noſtro.

Mox faciet] עשה *faciens*, quod paullò poſt futurum ſignificat.

17. *Nunc*] *Hodie*.

Meſſis tritici] Quæ æſtate fit, ſudo ut plurimum cœlo, præſertim in Palæſtina; qua de re audiendus eſt *Hieronymus*, ad Amoſ. IV, col. 1401. Edit. Bened. *Prohibui à vobis imbrem* (verba ſuperiora ſunt Dei apud Prophetam, ſequentia Hieronymi) *cùm adhuc ſupereſſent tres menſes uſque ad meſſem; quæ appellatur pluvia ſerotina, & agris Palæſtinæ, arviſque ſitientibus vel maximè neceſſaria eſt; ut quando herba turgeret in meſſem & triticum parturiret, nimiâ ſiccitate areſceret. Significat autem vernum tempus extremi menſis Aprilis, à quo uſque ad meſſem frumenti tres menſes ſuperſunt, Maius, Junius, Julius. Pro* meſſe, *LXX. ſuo more* vindemiam *tranſtulerunt. Quod ſi recipimus, omnino juxta Orientis omnes regiones, & inſolitum & impoſſibile eſt. Numquam enim in fine menſis Junii, ſive in menſe Julio, in his provinciis, maximéque in Judæa pluvias vidimus. Denique in Regum libris*, (hoc nempe, loco) *pro ſigno magno, atque portento, diebus æſtatis & meſſis, orante Samuele, pluviæ concitatæ ſunt. Et ſuperfluum erat nunc comminari menſis Julii ſiccitatem, in quo numquam pluvias dederat*. Locum integrum adſcripſi, ut manifeſtius liqueret cur Samuel obſervet tempus hoc fuiſſe meſſis triticeæ.

Hinc intelligite &c.] Deus enim ſubitis tonitribus & pluviâ oſtendit ſe probare verba Samuëlis; quem alioqui non exaudiviſſet, ſi orationem ejus improbaſſet. Præterea pauci futuri erant Reges, qui talia à Deo impetrare poſſent, cùm pauci fuerint Prophetæ; ac proinde ſatius erat à Prophetis regi, tanta miracula à Deo impetrantibus, quàm à Regibus, Deo plerumque parum gratis.

20. *Toto animo veſtro*] Hoc eſt, ſolum colatis, ut ſæpe diximus. Vide ad Cap. VII, 3.

21. *Etenim inania ſequeremini*] Eſt in Hebraïco textu: כי אחרי התהו *chi abhare batthohou*, nam poſt inanitatem. Sed repetendum ab initio verſûs תסורו *thaſouron*, declinaretis, *declinare* autem *poſt aliquem* eſt eum ſequi. LXX.
Intt.

ſui nominis cauſâ, quia voluit Jehova vos populum ſuum facere. 23. Ad me etiam quod adtinet, abſit ut delinquam in Jehovam, deſinendo orare pro vobis! Sed viam bonam ac rectam vos docebo. 24. Timete tantummodò Jehovam, eúmque verè colite toto animo veſtro; conſiderate enim quàm magnificè ſe ſe vobiſcum geſſerit. 25. Si verò malè vos geſſeritis, & vos & Rex veſter peribitis.

XI. Saül, dimiſſo reliquo populo, tria virorum millia ſecum remanere jubet, bellúmque gerit cum Philiſthæis. Sed cùm Sacra feciſſet, abſente Samuele, ab eo caſtigatur, regnúmque ad alium tranſlatum iri accipit. Iſraëlitæ inermes, arte Philiſthæorum.

1. JAM per annum regnaverat Saül in Iſraëlem, & altero anno regnabat, 2. cùm elegit ſibi tria millia virorum ex Iſraële; fuerúntque cum illo quidem duo millia Michmaſi, & in monte Bethelis, mille verò cum Jonathane Gibæ Benjaminis; at ad reliquum populum quod adtinet, unumquemque domum dimiſit. 3. Occîdit autem Jonathan præfectum Philiſthæorum, qui erat Gibæ, idque audiverunt Philiſthæi. Saül CAPUT XIII.

Intt. *καὶ μὴ ἐκκλίνητε ὀπίσω τῶν μηθὲν ὄντων*, neglectâ, aut non comparente in eorum Codice particulâ כי *chi*. Sic & Vulgatus: *nolite declinare poſt vana*. Sanè, niſi deleatur, ſubaudiendum eſt antea ממנו mimmennou, *ab eo*. De voce תהו *thohou* diximus ad Gen. I, 2. oſtendimúſque ea *hiatum* & *inanitatem* ſignificari. Ad hunc locum verſionis Græcæ alludebant Corinthii, qui dicebant *ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ*, *idola nihil eſſe in mundo*, 1. Cor. VIII, 4.

Nec prodeſſe, nec liberare poſſunt] *Non proderunt, nec liberabunt*. Non tantùm negat hoc futurum, ſed etiam fieri poſſe, ut proſint commentitia & ab hominibus ficta Numina. Ea ſæpe eſt vis Futuri, ab Interpretibus non ſatis animadverſa; cujus tamen in Sententiis moralibus & Proverbiis frequentia ſunt exempla; ubi paſſim Futurum id quod ſolet, aut poteſt fieri exprimit.

22. *Non deſeret*] Nempe, prior, aut peccatis atrocioribus minimè provocatus.

Magni ſui nominis cauſâ] Quia intereſt ejus famæ inter homines, ne ſinat perire eum populum, qui ſolus verum Deum colit; non quòd Deus neceſſariò curet, ſi res in ſe introſpiciatur, quid dicant homines de ipſo; ſed eum in finem ut iis benefaciat, conſervatâ cognitione Numinis ſui, ſine qua homines omnes in meris tenebris palparentur, & miſerrimi eſſent. Vide Pſalm. CXV, 1.

23. *Abſit ut delinquam* &c.] Quamvis enim peccent homines mali, Deus tamen vult bonos in ea quoque re humanitatis eſſe memores, ut communem Creatorem pro illis deprecentur.

24. *Verè colite*] *In veritate*, non fictè, ut pietatis ſimulatores.

Conſiderate enim] כי ראו chi reou, *nam videte*. Hic כי eſt *nam*, non *quod*.

In CAPUT XIII.

1. J*Am per annum* &c.] In Hebraïcis eſt, *filius anni Saul in regnando & duobus annis regnavit*, aut *regnarat*, aut *regnabat*: בן שנה שאול במלכו ושתי שנים מלך. Hæc mihi videtur ſimpliciſſima & verbis convenientiſſima interpretatio. Regnum Saülis hîc veluti confertur cum ejus ætate, & ut exactis duodecim & aliquot menſibus, poſt natales ſuos, dici potuiſſet *filius unius anni*, & ſecundo anno vivere: ſic quoque exacto integro anno regni, & maximâ parte ſecundi elapsâ, dici potuit *rex unius anni*, qui *per duos annos regnabat*. Hîc verſus in Codicibus Aldino, Romano & Alexandrino non exſtat. In Complutenſi editione ſuppletus, è veteribus fortè Scholiis, quorum meminit *Flam. Nobilius*. Eodem modo exſtat & apud *Procopium* Gazæum, qui obſervat Symmachum legiſſe *υἱὸς ὡς ἐνιαύσιος Σαοὺλ*. Vulgatus: *filius unius anni erat Saül, cùm regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnavit ſuper Iſraël*. Sed nemo, lectâ Saülis hiſtoriâ, credat Saülem anno uno natum regnaſſe, aut per biennium tantùm regnum tenuiſſe ſibi perſuadeat. Itaque ad aliam vertendi rationem confugiendum eſt. Quæ nobis commodiſſima interpretatio viſa eſt, ea à nobis expoſita eſt; qui alias ſcire volent alios Interpretes conſulent, plura enim eſſent nobis ſcribenda volumina ſi omnium ſententiæ, in locis obſcuris, adferendæ & confutandæ eſſent.

2. *Cùm legit*] *Et legit* ויבחר *vajjibhhar*, unde liquet hæc eſſe conjungenda cum antecedentibus, ita ut ſub finem ſecundi anni regni Saül dicatur hoc feciſſe quod ſequitur.

Michmaſi] *Euſebius*. *Μαχμὰς, εἰς ἔτι νῦν κώμη μεγίστη ἐν ὁρίοις Αἰλίας, Μαχμὰς ἐπιλεγομένη, ἀπὸ σημείων θ'. πλησίον Ῥαμᾶ*. Hieronymus: *Machmas uſque hodie vicus grandis oſtenditur in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, novem ab ea millibus diſtans, juxta villam Rama*. Erat ergo in confinio circiter Benjaminis & Ephraïmi.

In monte Bethelis] Non procul ad orientem Michmaſi.

Gibæ Benjaminis] Ad meridiem Michmaſi, nec procul. Hiſce tribus præſidiis videtur Saül Benjaminis agros, contra Philiſthæorum excurſiones, potiſſimum texiſſe.

3. *Qui erat Gibæ*] Hic, ut diximus ad Cap. X, 5. erat alius collis, qui dicebatur *collis Dei*; neque enim Saül miſiſſet filium in collem jam occupatum à Philiſthæis. Nec Philiſthæi paſſi eſſent filium hominis, qui nuper electus erat Rex Hebræorum, temerè illic verſari, ubi præſidium habebant.

Saül verò tubâ clanxit per univerſam terram *Iſraëlis*, dicendo: audiant Hebræi. 4. Omnis ergo Iſraël audivit dicentes: Saül occidit præfectum Philiſthæorum, Iſraëlque etiam infamis eſt apud Philiſthæos. Itaque convenit populus ad Saülem Gilgalem.
5. Coacti ſunt etiam Philiſthæi, ad bellum cum Iſraële gerendum, *habebánt*que triginta millia curruum, & equitum ſex millia. *Ceteræ* copiæ æquabant multitudine arenam, quæ eſt in littore maris; venerúntque & caſtra poſuerunt Michmaſi, ad ortum Bethavenis.
6. Viderunt Iſraëlitæ ſe in *magnas* anguſtias *conjectos*; nam populus premebatur, abdebátque ſe in ſpeluncas, in ſaltus, in rupes, in loca munita, & in foveas.
7. Quin etiam Hebræi, trajecto Jordane, iverunt *in* Gaditidem, & Galahaditidem. At Saül etiamnum erat Gilgale, ſed univerſus populus ſub ejus ductu trepidabat.
8. Ex-

Dicendo, audiant Hebræi.] Tubicines, nempe, congregato tubæ ſonitu populo, dicebant quæ ſequuntur verſu 4. & quibus ad arma convocabatur. LXX. Intt. abſurdè pro ישמעו העברים *jiſchmehou habibrim* legerunt ישקרו העבדים *jiſchkerou hababadim*, ἠθετήκασιν οἱ δοῦλοι, ſine ſenſu. Non multò meliùs *Aquila*, ἀκουσάτωσαν οἱ δοῦλοι.

4. *Dicentes*] *Dicendo.*

Saül occidit] Per filium, nempe, qui patris juſſu præfectum Philiſthæum adgreſſus erat.

Infamis eſt] *Fœtidus factus eſt*; hoc eſt, infamis & ſuſpectus rerum novarum. Vide ad Gen. XXXIV, 30.

5. *Triginta millia curruum* &c.] *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. 2. C. IX. poſt memoratum numerum curruum multò minorem, qui, in Hiſtoria Sacra & Profana, perhibetur fuiſſe in maximis exercitibus Regum Philiſthæis multò potentiorum, non dubitat quin ſequi nos oporteat Syrum & Arabem, qui habent *tria millia curruum*, quaſi legerint שלשת אלפים *ſchloſcheth alaphim* tria millia, pro eo quod eſt in noſtris exemplaribus שלשים אלף *ſchloſchim eleph*, triginta millia. Profectò, ut rectè obſervat, ſicubi major æquo eſt numerus rerum, quæ memorantur, loca poſſunt eſſe de mendo ſuſpecta; quod in numeris paſſim accidere nemo negaverit, qui non ſit idem harum litterarum planè rudis atque imperitus. Sic ſanè etiam de Libris Sacris præſtat loqui, quàm abſurda tueri, & fidem, quæ iis meritò habetur, in periculum ſic adducere. Hîc ad animum revocare nos oportet 1. Philiſthæorum agros exiguos fuiſſe & paucorum milliarium in ora maris Mediterranei, juxta agros Tribuum Simeonis & Danis; ac proinde nullo modo potuiſſe ex ſuis incolis ſuppeditare ſex millia equitum & triginta millia curruum, quibus ſexaginta millia equorum ſunt minimùm tribuenda; ut jam pedites omittamus, aurigáſque & equites qui è curribus erant pugnaturi: 2. quòd ſi quis dicat mercenarios fuiſſe milites, quos in Ægypto & alibi conduxerint Philiſthæi, aut qui ſpe prædæ ex finitimis populis concurrerint; primùm periculoſum fuiſſe tantum exercitum peregrinum conducere, aut in unum cogere, qui facilè potuit ipſos Philiſthæos ſubigere; deinde immenſam pecuniæ ſummam paratam eſſe oportuiſſe, quæ tot copiis vel ut proficiſcerentur ſolvi debuit, quantam vix credibile eſt Philiſthæis fuiſſe; aut certè cogitandum fuiſſe de commeatu, quo tantus exercitus poſſet ali, ſaltem in aliquot hebdomadas, & tot jumenta ſuſtentari: 3. plures ſemper ſolere eſſe equites, quàm currus, quia in curribus duplo plures ſunt homines & equi. Qui hæc ſeriò expendent facilè credent hîc, ut & alibi, à Librariis, aut dormitantibus, aut inſano ſtudio amplificandarum rerum à gente ſua geſtarum abreptis, auctos eſſe numeros; nec ægrè *Bocharto* minuendos eſſe cenſenti, poſt Interpretes Syrum & Arabum, adſentientur.

Quin & multùm eſſe putat ſi concedamus Philiſthæis tria millia curruum, vúltque maximam partem eorum fuiſſe ſarcinariorum. Verùm ſarcinarii currus, in apparatu exercituum, non ſolent magis numerari, quàm calones, & alia turba, quæ exercitus ſequi ſolet. Poſtremò ſi partem tantùm ſarcinariorum curruum hîc memorari credas, exigua profectò erit tanto exercitui, quantus hîc deſcribitur. Itaque ſatius mihi videatur dicere auctum hîc quidem eſſe numerum à Librariis, ſed augmenti rationem minimè definire. Certè magna copia equitum & curruum opus non fuit ad pugnandum cum Iſraëlitis, quibus erant tantùm copiæ pedeſtres; eo enim tempore nondum equos alebant; cùm præſertim Philiſthæis eſſent etiam magnæ pedeſtres copiæ. Si quis talia admittere nolit, inveniat rationem commodiorem defendendæ auctoritatis Sacræ Hiſtoriæ, quæque cum recta ratione conſentiat, & nos non ægrè adſentientes habebit.

Ceteræ copiæ &c.] *Et populus ut arena, quæ eſt in littore maris.* Hyperbole eſt, quâ magna multitudo ſignificatur, quæ tamen non eſt augenda ultra copias eorum de quibus agitur. Credibile eſt omnes ætatis militaris viros, ut ſolebat fieri, arma cepiſſe.

Michmaſi ad ortum Bethavenis] Hoc eſt à Michmaſo ad ortum Bethavenis, nam magna hominum copia, ne aqua, aut pabulum deſit, neceſſe habet latiùs ſe ſe extendere. De hac Beth-avene, ſic *Euſebius* Βηθὰν (aut potiùs Βαιθαὼν) φυλῆς Βενιαμὶν πλησίον τῆς Γαιῆς (Γαὶ) καὶ Βεθὴλ ἄντικρυ Μάχμας. *Bethaun* (aut *Bethaun*) *in Tribu Benjamin, juxta Gas & Bethel, contra Machmas, licet plerique eamdem putent eſſe Bethel.* Sic *Hieronymus*. Si Bethaven, de qua hîc ſermo eſt, ſit eadem quæ Bethel; oporteret Michmaſum fuiſſe in Tribu Ephraïmi, cùm eſſet ad ortum Bethelis, quæ ſine dubio fuit in Tribu Ephraïmi, non in Tribu Benjaminis. Atqui *Euſebius* & *Hieronymus* collocarunt, ut vidimus ad v. 2. Michmaſum *in finibus Æliæ*, hoc eſt, Jeroſolimæ. Sic ergo res eſt intelligenda, ut copiæ illæ à Michmaſo ad Bethelem uſque porrectæ fuerint. Vaticanus, Aldinus & Alexandrinus Codd. habent hîc, ἐν Μαχμὰς ἐξ ἐναντίας Βαιθωρὼν κατὰ νότου, Complutenſis verò κατὰ νότου Βαιθαυῶν.

6. *Se in magnas anguſtias*] *Quòd ſibi anguſtia eſſet.*

Premebatur] נגש *niggaſch*. Quod vulgò eſt ex-

8. Exſpectavit *illic* per ſeptem dies, quod erat ſtatutum tempus à Samuele, nec venit Samuel Gilgalem; quare ab eo diffluebat populus. 9. Igitur Saül adducite, inquit, ad me holocauſtum & ſalutares victimas, obtulitque holocauſtum. 10. Cùm verò abſolviſſet holocauſtum offerre, en Samuelem, qui veniebat; eique obviam egreſſus eſt Saül, ut eum ſalutaret. 11. Tum Samuel, quid feciſti? inquit. Quia, inquit Saül, videbam populum à me diffluere, nec tu veniebas ſtatuto dierum numero, Philiſthæi verò Michmaſum convenerant; 12. dixi: nunc ad me Philiſthæi Gilgalem venient, nec dum tamen Jehovam precatus ſum. Itaque ſumto animo, holocauſtum obtuli. 13. Ibi Samuel Saüli, ſtultè, inquit, feciſti, qui non obſervaſti præceptum Jehovæ Dei tui, quod tibi dedit; quia nunc regnum tuum in Iſraëlem in

exactionem patiebatur, ſed ſequentia oſtendunt populum Hebræum planè oppreſſum fuiſſe, unde rectè Vulgatus: *adflictus erat populus*. Græci, ſine ſenſu: μὴ προσάγειν αὐτόν.

In ſpeluncas] Montium, de quibus vide not. ad Jud. V, 2.

In ſaltus] בחוחים *babhavabbim*. Cùm חוח, *hhoahh*, propriè ſpinam ſignificet, ſaltus impervios, quòd ſpinis & dumis ſint cincti, intelleximus. LXX. ἐν ταῖς μάνδραις, ſed *mandræ* ſunt ſpeluncæ, quæ voce antecedente ſignificantur. Vulgatus: *in abditis*, quod nimis generale eſt. Chaldæus, במצדתא bimtſadatha, *in munitionibus*, quod nullum habet nexum cum ſignificatione ſolita vocis. Res ex omnibus hiſtoriis nota eſt, tempore belli ſæpe populos territos in impeditiores ſilvas, aut montanos ſaltus confugiſſe, quia eò exercitus ire non poterant.

In loca munita] ובצריחים *oubatſeribhim*. Vide Jud. IX, 43. Loca ſunt edita & excelſo ſitu munita, ut vel ex Arabica Lingua liquet, in qua צרח *tſarbh* eſt quævis excelſior ſtructura. Malè ergo βόθρους verterunt LXX. Intt. & Vulg. *antra*.

In foveas] בבורות *babboroth*, quod alii *ciſternas* vocant, *Joſephus* ὑπονόμους. Ac ſanè ea in regione ſiticuloſâ ciſternæ ingentes, & aquæductus excavati erant, in quos, ſi aqua carerent, ut ſub finem æſtatis, ſe ſe occultare licebat. Sic in ὑπονόμοις Templi ſe ſe abdiderant, ut idem *Joſephus* notat, de Bello Judaico Lib. VII. ſub finem, Joannes & Simon duces ſeditioſorum. Sed poſſunt intelligi foſſæ, in locis paullo remotioribus, in quibus inſciis Philiſthæis latere poterant.

7. *In Gaditidem*] Regiones erant ad ortum Jordanis, eæque montoſæ, & quæ difficiliùs ab exercitu Philiſthæorum adiri poterant.

Sub ejus ductu] *Trepidarunt poſt eum*; animos, nempe, eis addere non poterat.

8. *Quod erat ſtatutum tempus à Samuele*] למועד אשר שמואל *lammobed aſcher Schmouël*; aut eſt pro לשמואל *liſchmouël*, aut ſubaudiendum verbum הועיד *hobid*, condixit. LXX. Intt. malè τῷ μαρτυρίῳ ὡς εἶπε Σαμουήλ. Vulgatus minùs propriè, *juxta placitum Samuëlis*. Non ſunt hæc referenda ad Cap. X, 8. nam hæc diu poſtea contigerunt, nec quidquam vetat quominùs Samuel aut iterum juſſerit ſe per ſeptiduum exſpectari, ſi ita ſit intelligendus prior locus; aut tale quid hoc primùm tempore à Saüle exegerit.

Ab eo diffluebat populus] Qui videbat Saülem anxium ob abſentiam Samuelis, nec quidquam incipere audentem, cùm nondum pacem Dei ſacrificiis exoraſſet.

9. *Obtulitque holocauſtum*] Per Sacerdotem fortè aliquem, qui aderat; quamvis hoc tempore Lex accuratè obſervata non fuerit, potueritque ipſe etiam ſacerdotali munere fungi, præſertim in loco à Tabernaculo remoto.

10. *Ut eum ſalutaret*] *Ut ei benediceret*, formulâ ſolitâ שלום לך ſchalom lecha, *pax tibi*, aut ſimili quæ fauſtam adprecationem complectebatur.

11. *Quid feciſti?*] Voce & vultu caſtigantis hæc pronunciata ſunt, ut caſtigatio ob factum quodpiam, quod factum non oportuit.

12. *Venient*] *Deſcendent*.

Jehovam] *Faciem Jehovæ*. Eſt periphraſis quæ idem ſignificat ac *Jehovam*, quia *ante faciem Jehovæ* Sacra fieri dicebantur. Vide & ad Gen. XXXIII, 14.

Sumto animo] ואתאפק *ethappbek*, hoc eſt, confirmavi me.

13. *Præceptum Jehovæ*] Per ipſum Samuëlem ei datum, quo jubebatur exſpectare *ſeptem dies*, integros, nempe, antequàm Sacra facere adgrederetur. Qui plura addunt, ii eadem operâ Scripturæ quod deeſt ex ingenio ſupplent. Sed quonam eſt, inquies, hac in re tantum delictum, ut propterea regnum in aliam familiam eſſet transferendum? Quam in rem, primùm recordandum eſt, ſub Oeconomia Moſaïca Deum ſe ſe ſeveriùs geſſiſſe cum hominibus, quàm ſub Evangelica facit. Deinde ſpectandus hîc quoque Saülis animus, qui multò deterior fuit, quàm ex ſolis ejus verbis, quibus culpam ſuam elevat, colligere licet. Fortè citiùs æquo Sacra facturus, contemtim de Samuele aut cogitavit, aut etiam loquutus eſt. Quin & culpa ejus major fiet, ſi ſtatuamus Samuëlem diſertè ei nomine Dei præcepiſſe, ut integrum ſeptiduum exſpectaret, caverétque ne Sacra ante adventum ſuum faceret; iram divinam interminatus, nî parêret. Si hæc, aut ſimilia antecesſerant, quid mirum Saülem, propter neglectum Samuëlis interdictum, graves pœnas dediſſe? Profectò agebatur auctoritas Prophetæ, imò Dei ipſius, quæ, ſi impune graviſſima mandata negligere Saül potuiſſet, à Gente pervicace & jugi impatiente, ipſóque Rege poſtea ſpreta fuiſſet.

Præceptum Jehovæ &c.] Singulare interdictum, nomine Dei, paullò antea à Propheta pronunciatum; non quod habetur Cap. X, 8. biennio antea à Samuele dictum, & cujus etiam alius videtur fuiſſe ſenſus. Quis enim colligere potuiſſet ejuſmodi verbis vetari Saülem, quandocumque Gilgalem, Sacrorum faciendorum causâ, iviſſet, mactare victimas, niſi poſtquàm per ſeptiduum integrum Samuelem exſpectaſſet?

In

Digitized by Google

in perpetuum confirmaſſet. 14. Verùm regnum tuum firmum non erit, quæſivit enim
Jehova ſibi virum, qui ſibi placeat, conſtituétque eum ducem populi ſui, quia non ob-
ſervaſti quod tibi præceperat Jehova.

15. Tum ſurrexit Samuel, abiitque Gilgale Gibam Benjaminis, *ubi* Saül recenſuit copias,
quæ ſecum inveniebantur, & quæ fuerunt ſexcentorum circiter virorum. 16. Saül quidem
Jonathánque ejus filius & copiæ, quæ cum eo inventæ ſunt, conſederunt Gebæ Benjaminis;
Philiſthæi verò caſtra habebant Michmaſi. 17. Egreſſi autem ſunt, qui *Iſraëlitarum agros*
vaſtarent, è caſtris, in tria agmina diviſi; quorum unum inivit viam Hophræ, in Suhalitem
tractum. 18. Alterum verò agmen ſe convertit ad viam Beth-choronis, tertium ad viam
finium, quæ vallem Tſeboïmorum reſpicit, ſolitudinem versùs.

19. Faber nullus *ferrarius* inveniebatur, in tota Iſraëlitide terra; dixerant enim Philiſthæi,
cavendum eſſe ne Hebræi gladium, aut haſtam facerent. 20. Ibant omnes Iſraëlitæ ad Philiſ-
thæos, ad acuendum vomerem, ligonem, ſecurim, palámque ſuam, *prout* cuique *neceſſe erat*.
21. Habuerunt tantùm limas, ad acuendam aciem vomerum, ligonum, & tridentium, facien-
dóſque ſtimulos. 22. Itaque tempore belli, non eſt inventus gladius, & haſta in manu totius
populi, qui cum Saüle & Jonathane ejus filio inventus eſt. 23. Poſtea exivit præſidium Phi-
liſthæorum, ad vadum Michmaſi.

XII. Jo-

In perpetuum confirmaſſet] Hoc eſt, in familia tua. Ceteroqui vivo Saüle, nullus alius Rex præter ipſum fuit.

14. *Verùm regnum tuum* &c.] *Et nunc regnum tuum non ſtabit*; nempe, in familia Saülis.

Qui ſibi placeat] *Secundùm cor ſuum* כלבבו *chilbabo*. Homericâ voce καταθύμιον dicere poſſis.

15. *Ubi Saül*] Supplevimus *ubi*, propter ſequentem verſum, unde Saülem ſequutum eſſe Samuelem in eam urbem liquet.

Sexcentorum circiter virorum] Nam ceteri metu & morâ Saülis erant dilapſi.

16. *Gebæ*] גבעה *gibhah* & גבע *gebah*, ut hîc vocatur Patria Saülis, ſunt unum & idem. Poſt *Benjaminis* ſubjiciunt LXX. Intt. καὶ ἔκλαιον, *& flebant*.

17. *Qui Iſraëlitarum agros vaſtarent*] המשחית hammaſchhhith, *vaſtator*.

Hophræ] עפרה *hophrah*, quod efferunt Græci Γοφερὰ, quia ſæpe ע mutatur in Γ, ut in *Gomorrha*, *Gaza*, &c. Fuit urbs Tribûs Benjaminis, de qua ad Jud. VI, 11.

Suhalitem tractum] אל ארץ שועל *el erets ſuhal*, quod ambiguum eſt; poſſet enim intelligi de tractu circa Hophram, aut de tractu qui adiri ab eo exercitu non poterat, niſi tranſeundo per Hophram. *Euſebius* tractûs meminit quem *Salim* vocat, & per quem Saülem tranſiiſſe ait. Hunc putat *Bonfrerius* eſſe, de quo hîc ſermo eſt; quod vix putarim, cum tranſitûs illius Saülis nulla ſit hîc mentio. Præterea non convenit ſitus, cùm *Saalim* in Tribu Judæ fuerit.

18. *Beth-choronis*] De qua egimus ad Joſ. Cap. X, 10. XVI, 5.

Vallem Tſeboïmorum] גי הצבעים *ge hattſebohim*. Urbs fuit ſubverſa cum Sodoma & Gomorrha, quæ Tſeboim dicebatur. Vide Gen. XIV, 2. & diſſertationem *de ſubverſione Sodomæ*. §. IV. Vallis, quâ ad eam urbem antea ibatur, potuit eſſe ad Lacum Aſphaltiten, ubi fuerunt fines Judæ, & ultra quem ad meridiem fuit ſolitudo. Is tractus hîc ſignificari videtur.

19. *Cavendum eſſe*] Vocis hujus Ellipſin obſervavimus jam ad Gen. III, 22.

20. *Omnes Iſraëlitæ* &c.] Non omnes omnino, ſed qui ad occaſum Jordanis incolebant, viciniorésque erant Philiſthæis, ut Tribus Ephraïm, Benjaminis, Judæ, Danis & Simeonis.

21. *Limas*] Sed quæ non ſufficiebant, ſi potiùs procudendus eſſet vomer, quàm limâ acuendus.

22. *Tempore belli*] *Dei belli*.

Non eſt inventus gladius & haſta] Hæc ita non ſunt intelligenda, quaſi in toto populo Hebræo fuerint tantùm duo gladii & duæ haſtæ, in manibus Saülis ejúſque filii; nam hîc ſermo eſt tantùm de ſexcentis viris, qui cum Saüle erant. Præterea crediderim hoc tantùm velle Scriptorem Sacrum, ex illis ſexcentis ne unum quidem fuiſſe qui haberet haſtam & gladium ſimul; ita ut qui habebant gladium ii carerent haſta, & qui haſta inſtructi erant, ii gladio carerent. Ceteroqui quantacumque fuerit cura Philiſthæorum in exarmandis Hebræis, fabriſque in Philiſthæorum agros transferendis; vix ac ne vix quidem fieri potuit quin Iſraëlitæ occultaverint arma nonnulla, quæ tradere noluerunt, quǽve remotiores nonnulli ſibi compararint à Sidoniis, ad occaſum Jordanis, aut à Syriæ, Arabiæve populis ad ortum ejus fluvii. Potuerant etiam ex clade Hammonitarum, ad Jabeſum Galahadi, arma quædam nacti eſſe. Magnâ tamen copiâ coëmta, aut collata non fuiſſe oſtendit hic locus; ex quo intelligimus ſexcentos viros fortes tam malè inſtructos fuiſſe, ut nemo juſta arma haberet. Hinc quoque colligere licet, quàm aut imperitus, aut inops fuerit Saül, qui bellum imminere ſentiens nullum armorum adparatum ſibi congeſſerat. Sed Hebræi, ut alii Orientis populi, artis militaris parum erant periti & in prælium ſæpe malè inſtructi procedebant. Pro cuſpidibus ferreis haſtarum, præuſtas ſtipitum extremitates habebant, & ejuſmodi etiam ſagittis utebantur. *Curtius* Lib. III. c. 2. de aliquot copiis Perſicis: *Pluribus hærebant ferro præfixæ haſtæ, quidam lignum igni duraverant.* Ad quem locum vide *Joan. Freinshemium*. Ridet hæc arma Charidemus Athenienſis. *Jam Theſſali equites*, inquit, *& Acharnanes, Ætolique, invicta bello manus, fundis, credo, & haſtis igne duratis repellentur!* Sic tamen armatos eſſe oportuit, his temporibus, Hebræos, antequàm ferrarias officinas apud ſe inſtituiſſent.

23. *Ad vadum Michmaſi*] Aut *ad tranſitum* (מעבר mahabar) *Michmaſi*.

In

Digitized by Google

XII. Jonathan fortiter ſe gerit contra Philiſthæos, qui cæduntur. Saül ſacramento adigit exercitum ne quidquam comederet, antequàm à perſequendis Philiſthæis rediiſſet. Quod abſens Jonathan non obſervavit, quare Saülis iræ, eum propterea pœnas dare cupientis, ab exercitu eripitur. Saülis facinora alia & conſanguinei memorantur.

1. QUODAM die dixit Jonathan, Saülis filius, armigero: age tranſeamus in præſidium Caput XIV.
Philiſthæorum, quod eſt trans eum locum; nec patri ſuo *rem* indicavit. 2. Sedebat
autem Saül, ſub Malo Punica, quæ erat Migrone, in extremis Gibæ *finibus*, erántque cum eo circiter ſexcenti viri. 3. *Erat illic* & Achia filius Achitubi, fratris Ichabodi, filii
Phinchaſi, filii Helis, Sacerdos Jehovæ Silunte, qui gerebat Ephodum. Populus autem
neſciebat abiiſſe Jonathanem. 4. Inter vada, quibus conabatur tranſire Jonathan ad præſidium Philiſthæorum, eſt acuta rupes cis vadum & alia acuta rupes trans vadum; uni nomen
eſt Botſets, alteri Sene. 5. Unius acutæ rupis præſidium erat ab aquilone, è regione Michmaſi; alterius à meridie, è regione Gebæ. 6. Dixit quidem Jonathan armigero ſuo: age,
tranſeamus in ſtationem incircumciſorum illorum, fortaſſe faciet Jehova nobiſcum, nihil
enim vetat Jehovam liberare per multos, vel per paucos. 7. Armiger verò, fac, inquit,
quidquid eſt in animo tuo, converte te *quà voles*; en adſum tibi, quemadmodum cupis. 8. At
Jonathan, en, inquit, tranſibimus ad viros illos, iiſque nos oſtendemus. 9. Si ſic nobis dixerint: conſiſtite, donec ad vos pervenerimus; tum conſiſtemus eodem loco, nec ad eos adſcendemus. 10. Si verò ſic dixerint: adſcendite ad nos; tum adſcendemus, quia eos tradiderit Jehova in manum noſtram; atque hoc erit nobis ſignum. 11. Igitur ſe ſe ambo oſtenderunt præſidio Philiſthæorum, qui dixerunt: ecce Hebræos, qui egrediuntur ex antris, in quæ
ſe ſe abdiderant. 12. Deinde præſidiarii adloquuti ſunt Jonathanem & armigerum, dixeruntque: adſcendite ad nos, & aliquid vobis patefaciemus. Tum Jonathan armigero: adſcende,
inquit, poſt me, nam tradidit eos Jehova in manum Iſraëlis. 13. Adſcendit ergo Jonathan
manibus & pedibus nixus, cúmque ſequutus eſt armiger. Tum ceciderunt Philiſthæi coram
Jo-

In Caput XIV.

1. Q*Uodam die*] *Et fuit dies, & dixit.*

Tranſeamus] Eâ ſpe, nimirum, quâ putabat fore ut eos dormientes, aut ſaltem imparatos eſſent deprehenſuri. Apud ejuſmodi gentes ignavas & artis militaris imperitas, parum intentæ vigiliæ agebautur, & ſæpe contigerat multos imparatos à paucis paratis cædi. Non puto certè talia lectum iri, apud Poëtas, niſi aliquando ſimilia contigiſſent. Sic apud *Homerum*, Ulyſſes & Diomedes, Iliad. K. auſi caſtra Trojana ingredi, multos Thracum dormientes occiderunt.

2. *Migron*] מגרון. LXX. Intt. legerunt מגדון *magdon*, ſed Vulgatus habet *Magron*.

3. *Achia* &c.] Adoleſcens pronepos Helis, qui Pontificatu Maximo fungebatur, ob mortem patris Achitubi, qui adoleſcens mortuus erat, pro minis quæ habentur Cap. II, 31, 32. Idem vocatur Achimelech infra XXII, 9, Mentio autem fit Sacerdotis Ephodum gerentis, hoc eſt, Pontificis Maximi, quia Arca Gibham allata erat, ut docemur v. 18. Scriptor Græcus, aut Latinus ſtatim ſubjeciſſet rationem præſentiæ Achiæ; ſed Hebræi non eodem modo narrant, ac illi.

4. *Acuta rupes*] *Dens rupis.*

5. *A meridie* &c.] Ergo Michmaſus fuit à ſeptemtrione Gibæ.

6. *Faciet Jehova nobiſcum*] יעשה לנו jahaſche lanou, *faciet nobis*. LXX. Intt. εἴ τι ποιήσῃ κύριος ἡμῖν. Vulg. *ſi fortè faciat Dominus pro nobis*. Latinâ loquutione quàm proximâ uſi ſumus.

Nihil vetat] *Nullum eſt Jehovæ impedimentum.*

7. *En adſum tibi*] *Ecce me tecum, ſecundùm cor tuum.*

9. *Conſiſtite*] דמו *dommou*. Vide Joſ. X, 12.

Eodem loco] *Sub nobis*, eodem loco, qui ſub nobis erit, hoc eſt, in iiſdem veſtigiis.

10. *Erit hoc nobis ſignum.*] Vide de hac conſuetudine notata ad Gen. XXIV, 14. Talia tutò, ſine adflatu quodam prophetico, dici non potuerunt; neque enim Deus hominibus promiſit, ſe ſigna ejuſmodi daturum, aut eorum verba rata habiturum, quotieſcumque iis videbitur.

11. *Ex antris*] מן החורים *de cavernis*, ut habet Vulgatus, ἐκ τῶν τρωγλῶν, ut eſt apud LXX. Intt.

12. *Aliquid vobis patefaciemus*] Ludibrio ſe eos habituros eſſe ſperabant, neque enim putabant illac rupem poſſe adſcendi.

Nam tradidit] Ex verbis eorum intelligebat Deum rata habuiſſe verba ſua, quia ſine ejus Numine factum eſſe non putabat, ut hoſtes id reſponderent quod optaverat.

13. *Manibus & pedibus nixus*] *Supra manus ſuas & pedes ſuos*, propter difficultatem & aſperitatem viæ, quam Philiſthæi crediderant illac eſſe inſuperabilem.

Ceciderunt Philiſthæi] Qui Jonathanem adſcendere ad ſe poſſe non putarant, nec animadverterant an ad ſe eniteretur; eo ſubitò conſpecto, adeò territi fuerunt, cùm fortè plures eum ſequi putarent, ut ejus in ipſos ruentis audaciam & impetum ferre non potuerint. Itaque ne ad ſe redirent, juvenis impiger magnâ vi obvios quoſque umbone & gladio proturbabat, quos lapſos occidebat armiger. *Salluſtius* in Bello Jugurthino, in deſcriptione expugna-

Digitized by Google

Jonathane, & armiger quidem eos poſt eum occidebat. [14] Hæc fuit prima clades, quâ Jonathan & ejus armiger occiderunt circiter viginti viros, in dimidio jugero agri. [15] Propterea trepidatio fuit in caſtris, in agris, atque in omnibus *Philiſthæorum* copiis. Præſidium & vaſtatores ipſi trepidarunt, cúmque terra commota fuiſſet, pavor divinitus immiſſus eis incubuit.

[16] Viderunt verò ſpeculatores Saülis, qui erant Gibæ Benjaminis, multitudinem *Philiſthæorum* diffluere, abire & tumultuari. [17] Itaque Saül populo, qui ſecum erat, recenſete, quæſo, inquit, *copias* & videte quis à nobis abierit. Recenſuerunt verò copias, in quibus Jonathan & ejus armiger deſiderabantur. [18] Tum Saul Achiæ, admove, inquit, Arcam Dei; nam erat tunc temporis Arca Dei, apud Iſraëlitas. [19] Dum autem Saül etiamnum alloqueretur Sacerdotem, tumultus, qui erat in caſtris Philiſthæorum, increbeſcebat & augebatur; dixitque Saül Sacerdoti: retrahe manum tuam. [20] Quare convenerunt Saül, & omnes copiæ, quæ cum eo erant, progreſſique ſunt ad prælium committendum. Ecce verò alii in alios ſtrinxerant gladios, erátque

tionis montis ſaxei in Numidia, in cujus cacumen pauci milites adſcenderant. *Quod ubi accidis*, inquit, (hoc eſt, cùm ſigna Romana à tergo cecinîſſent) *eo acriùs Romani inſtare, fundere, ac pleroſque tantummodo ſauciare, dein ſuper occiſorum corpora vadere* &c.

[14] *In dimidio jugero agri*] כבחצי מענה צמד שדה *chmahhatſi mahaneh tſemed ſchadeh*, in dimidia parte reſponſionis paris agri; hoc eſt, in dimidia parte ejus ſpatii agri in quo par boum, uno die, ſulcos ducit, quorum alii aliis reſpondent. Nam ſulcus in apertis agris extenditur ad certam longitudinem, deinde converſo in contrariam partem aratro, fit alius ſulcus, qui illi parallelus eſt, atque ex adverſo reſpondet; quod ſpatium vocari puto מענה *mahaneh*. *Jugerum* autem reſpici, aut ſpatium non abſimile credo, propter vocem צמד *tſemed*, quæ *jugum*, ſeu *par boum* ſignificat: quemadmodum &, apud Latinos, *jugerum* eſt à *jugo* dictum. Tantum autem patuiſſe cacumen rupis, quam occuparant Philiſthæi videtur. LXX. Intt. ἐν βολίσι ϗ ἐν πετροβόλοις ϗ ἐν κόχλαξι τοῦ πεδίου, quorum verborum nullum eſt in Hebraïco textu, excepto ultimo; unde intelligere licet ex conjectura eos vertiſſe, quæ non intelligebant. Multò meliùs *Hieronymus: in media parte jugeri, quam par boum in die arare conſuevit.* Sic & Chaldæus, *circiter ſpatium dimidiæ itionis agri taurorum in agro.*

[15] *In Caſtris*, &c.] Hoc eſt, copiæ quæ erant in caſtris, quæ per agros vicinos Hebræorum temerè vagabantur, quæ erant in altera rupe vicina, & quæ triplici agmine Judæam populabantur; quibus continetur totus Philiſthæorum exercitus. Cùm audiverunt ex inacceſſa rupe dejectum eſſe præſidium ſuum, omnes cœperunt trepidare; ſeu crederent majores copias eſſe Hebræorum, quàm reverâ erant, ſeu cæco metu acti nec hoſtium, nec ſuas vires ſatis penſitarent; quod ſæpe contigit. Verùm tamen hinc ſatis liquet Philiſthæos nec tantas copias habuiſſe, quantæ vulgò putantur, nec rei militaris fuiſſe peritos.

Cùmque terra commota eſſet] ותרגז הארץ *vattirgaz haarets*, quod & motum terræ propriè dictum & tumultum populi ſignificare poteſt. Poſteriori ſenſu ſumſerunt Veteres Interpretes, nam LXX. Intt. habent, ϗ ἐθάμβησεν ἡ γῆ. Vulgatus: *conturbata eſt terra.* Attamen motus terræ verus huic loco, ob ſequentia, non malè conveniret; nullâ enim re magis conturbari potuerunt Philiſthæi, quàm motu terræ, quod aliàs & alibi factum memoriæ proditum eſt. *Xenophon* Hiſt. Græcar. Lib. III. c. 17. Ἄγων δὲ τὸ στράτευμα Ἄγις, ἐσβαλὼν διὰ τῆς Ἀχαΐας εἰς τὴν Ἠλείαν, κατὰ Λάρισαν· ἄρτι δὲ τοῦ στρατεύματος ἐν τῇ πολεμίᾳ ὄντος καὶ κοπτομένης τῆς χώρας, σεισμὸς ἐπιγίγνεται, ὁ δ' Ἄγις θεῖον ἡγησάμενος ἐξελθὼν πάλιν ἐκ τῆς χώρας διέλυσε τὸ στράτευμα: *cum exercitum Agis ducens per Achaiam, non procul à Lariſſa Eleorum agrum eſt ingreſſus. Cùmque jam in hoſtico eſſet exercitus, ac regio vaſtaretur, terra concuti cœpit. Tum Agis, qui divinitus hoc accidiſſe duceret, relicto Eleorum agro, dimiſit exercitum.* Sic quoque *Curtius* de Petrâ Aorno, apud Indos, Lib. VIII. c. 11. *Hanc ab Hercule fruſtra obſeſſam eſſe, terræque motu coactum abſiſtere fama vulgaverat.*

Pavor divinitus immiſſus] ותהי לחרדת אלהים *& fuit in trepidationem Dei*, hoc eſt, tanta evaſit totius exercitûs trepidatio, ut divinitus immiſſa videretur, ut re verâ erat. Vide Cap. XI, 7. LXX. Intt. καὶ ἐγενήθη ἔκστασις παρὰ Κυρίου. Vulgatus malè: *& accidit quaſi miraculum à Deo.* Sic & initio verſûs חרדה *hharadah*, miraculum vertit, quæ vox ſine dubio terrorem, aut trepidationem ſignificat. Vide Cap. XI, 7.

[16] *Speculatores*] הצפים hattſophim, *ſpeculatores*, qui, nimirum, ex editiſſima parte Gibhæ, & turri fortè aliqua perpetuò ſpeculabantur; ut ſi quid apud hoſtes animadverterent, id renunciarent. Vide ad Cap. I, 1.

[17] *Recenſete* &c.] Suſpicabatur, nempe, quempiam ex urbe egreſſum invaſiſſe, aliorum fortè concurrentium auxilio, caſtra Philiſthæorum.

[18] *Admove Arcam Dei*] Allata, nempe, fuerat Kirjath-jeharimis Gibam, aut quaſi in locum tutiorem, aut ut in illis anguſtiis conſuli poſſet Deus à Saüle & præſentiori auxilio populum ſuum tueretur. Hoc nos docent ſequentia verba, nam quod Rabbini hîc contendunt, fuiſſe arcam, in qua adſervabantur veſtes Sacerdotales, quam admoveri jubet Saül, ut Achija veſtes illas indueret, merum eſt commentum; cùm ארון האלהים, *Arca Dei*, dicatur tantùm inſignis illa Arca, quæ in ſanctiſſimo Adyto adſervanda erat; quamvis Hebræorum negligentiâ Tabernaculum, his temporibus, ſeorſim ab Arca eſſet. Rabbinorum ſententias invenire licet in Hiſtoria Arcæ Fœderis, apud *Joan. Buxtorfium* Cap. III. Sed cur, inquies, Saül jubet Arcam admoveri, ipſe verò ad Arcam non ſe confert, unà cum Pontifice? Hoc verò

que tumultuatio maxima. 21. Hebræi, qui venerant cum eis in caſtra, circum-
quaque, Philiſthæis erant ut antea, & ipſi etiam *venerunt*, ut adeſſent Iſraëlitis, qui
erant cum Saüle & Jonathane. 22. Omnes quoque Iſraëlitæ, qui latebant in mon-
tanis Ephraimi, audiverunt fugiſſe Philiſthæos; itaque ipſi hoſtiliter eos perſequu-
ti ſunt.

23. Liberavit illo die Jehova Iſraëlem, & prælitantes ultra Bethavenem progreſſi ſunt.
24. Iſraëlitæ eo die urgebantur *à Saule*, qui populum hiſce verbis in ſacramentum ade-
git: maledictus quiſquis cibum comederit *hinc* ad veſperam, ut ultionem ſumam de
hoſtibus meis; nec populus cibum ullum deguſtavit. 25. Venerunt poſtea omnes trac-
tûs incolæ in ſilvam, erátque mel in agro. 26. Populus ingreſſus eſt ſilvam, ubi de-
fluxus mellis erat, neque quiſquam *mel* manu attigit, quam ori deinde admoveret, re-
veritus enim eſt populus jusjurandum. 27. Verùm Jonathan non audiverat, cùm ejus
pater populum ſacramento rogaret, immiſitque extremam virgam, quam manu gere-
bat, eámque mellis favo tinxit, quod ori ſuo admovit, & *acutiùs* viderunt oculi ejus.
28. Ibi

verò pendet ex circumſtantiis prorſus ignotis, quas ex conjectura ſupplere non licet.

Apud Iſraelitas] ובני ישראל *oubne Jiſchraël*, & filii Iſraël. Si hæc recta ſit lectio, videretur ſubaudiendum יחדו jahhdau, *ſimul*; neque enim puto Hebraïcè dici poſſe: *erat arca Dei, die illo, & filii Iſraël*, pro *apud filios Iſraël*, nullâ additâ loci, aut temporis circumſtantiâ. Quamvis particula *Vau* ſit πολύσημος, nullum ſimile exemplum proferri video, nec à *Chr. Noldio*, nec à *Sal. Glaſſio*; qui tamen putant hîc ו perinde eſſe ac עם *cum*, vel *apud*. LXX. Intt. hîc habent ἐνώπιον Ἰσραήλ; unde liquet eos pro ובני, *oubene*, legiſſe לפני *liphne*, coram; quæ lectio mihi melior videtur, ita ut vertendum ſit: *arca erat coram Iſraële*, vel *in conſpectu Iſraëlis*. Vulgatus tamen habet, *cum filiis Iſraël*, & ita quoque Chaldæus.

19. *Increbeſcebat & augebatur*] *Ibat eundo & multus erat*. Etiam ad pugnam devenerunt.

Retrahe manum] Ne admoveto Arcam. Intelligebat enim Saül terrore neſcio quo impulſos Philiſthæos tumultuari & fugere è terra Iſraëlitide, ideóque non putabat neceſſe eſſe Deum interrogari de eo quod agendum erat, cùm res ipſa loqueretur, oſtenderétque impetum in extremum agmen eſſe faciendum.

20. *Alii in alios* &c.] *Erat gladius cujuſque in proximum ſuum*. In ſubito pavore exercitûs variis gentibus conſtantis, facilè poteſt fieri ut naſcatur inter eas ſuſpicio, deinde rixæ, unde ad arma devenitur. Vide *Joſephum* Lib. VI. c. 7. Ant. Jud.

21. *Hebræi* &c.] Hoc eſt, illi ex Hebræis, qui, quia propiores erant Philiſthæis, iis etiamnum ſerviebant, coactique fuerant ab iis ſecum fratribus bellum inferre & circumquaque tetenderant; iidem fuerunt erga Philiſthæos, qui antea fuerant; hoc eſt, hoſtili animo, & ſe ſe adjunxerunt Saüli & Iſraëlitis. Inverſa ſunt verba in textu Hebræo, ubi hoc ordine leguntur: *& Hebræi fuerunt Philiſthæis, ut heri nudius tertius, qui adſcenderant cum illis in caſtra circa, & etiam illi, ut eſſent cum Iſraele, qui cum Saüle & Jonathane*. LXX. Intt. pro והעברים vehahibrim, & Hebræi, legerunt העבדים hahabadim, *ſervi*, habent enim: οἱ δοῦλοι ὄντες ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν μετὰ τῶν ἀλλοφύλων, οἱ ἀναβαίνοντες εἰς τὴν παρεμβολὴν, ἐπεστράφησαν καὶ αὐτοὶ εἶναι μετὰ Ἰσραὴλ &c. Idem ſenſus eſt, quem ſequutus eſt & Vulgatus.

22. *Itaque ipſi quoque hoſtiliter* &c.] *Et adhæſerunt etiam illi poſt eos, in prælio*. Huic verſui adtexit hæc verba Latinus Interpres: *Et erant cum Saül, quaſi decem millia virorum*; quæ in verſione LXX. Intt. leguntur poſt ſequentem: Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἦν μετὰ Σαοὺλ ὡς δέκα χιλιάδες ἀνδρῶν, additis hiſce: καὶ ἦν ὁ πόλεμος διεσπαρμένος εἰς ὅλην πόλιν ἐν τῷ ὄρει Ἐφραίμ, quæ carent ſenſu.

23. *Prælitantes ultra Bethavenem*] *Et prælium tranſiit Bethaven*. LXX. habent τὴν Βαμώθ. Si Bethaven recta ſit lectio, oporteret fuiſſe locum ſic dictum ad occaſum Michmaſi, ut fuit celebrior ejuſdem nominis ad ortum; nam Philiſthæi ex agris Hebræorum in ſuos, hoc eſt, ab ortu ad occaſum fugerunt, ut liquet ex v. 31. Ita cenſebat *Jac. Bonfrerius*.

24. *Iſraëlitæ urgebantur*] איש ישראל נגש iſch Jiſchraël niggaſch, *vir Iſraël cogebatur*, nempe, perſequi Philiſthæos palantes, ne recollecto animo redirent. LXX. Intt. habent loco eorum verborum paraphraſin hanc: Καὶ Σαοὺλ ἠγνόησεν ἄγνοιαν μεγάλην. Vulgatus: *& filii Iſraelis ſociati ſunt ſibi in die illo*.

Maledictus quiſquis &c.] Ut populus ſe ſacramento adactum eſſe putaret, & jurisjurandi religione obſtrictum, oportet eum reſpondiſſe AMEN verbis Saülis, quamquam hoc reticeatur. Vide ad Deut. XXVII, 15. Infra v. 39. cùm Iſraëlitæ non probarent aliud jusjurandum Saülis, nihil reſponderunt.

Cibum] לחם lehhem, *panem*, quod pro quovis cibo paſſim ſumitur.

25. *Omnes tractûs incolæ*] *Omnis terra*, omnes Iſraëlitæ, qui tractum illum terræ Iſraëliticæ colebant; nam univerſus Iſraël convenire nondum potuerat. Vide v. 22.

Mel in agro] *In facie agri*. Mel intelligitur ſilveſtre, quod apes in truncis arborum, aut in cavernis fecerant; de quo vide quæ collegit *Sam. Bochartus*, *Hieroz.* P. 2. Lib. IV. c. 12.

26. *Defluxus mellis*] הלך דבש *helech debaſch*, fluxio mellis; hoc eſt, mel defluens ex arboribus, aut cavernis. LXX. verterunt ἐπορεύετο λαλῶν, quaſi eſſet הלך דבר *halach dober*, ſed perperam.

Mel manu attigit] *Adplicuit manum ſuam ad os ſuum*; hoc eſt, tacto melle manum ori admovit.

27. *Acutiùs viderunt*] ותראנה *vattharonah*. Sic vocem efferunt Maſſorethæ, quia putant legendum ותארנה *vatthaorna*, à radice אור, *our*, vertendúmque, *illuminati ſunt*. Qui, ſine dubio,

Digitized by Google

28. Ibi quiſpiam è populo cœpit dicere : jurejurando adegit pater tuus populum, his
verbis : maledictus erit quiſquis hodie cibum comederit. Quamobrem defeſſus eſt po-
pulus. 29. Jonathan verò, perturbavit, inquit, pater meus terram *Iſraëlitidem*; vide-
te, quæſo, oculos meos *acutiùs* videre, quia aliquantulùm hujus mellis deguſtavi. 30. Uti-
nam etiam hodie populus paſtum cepiſſet, ex ſpoliis hoſtium ſuorum, quæ invenit!
Etenim nunc non magno vulnere affecti ſunt Philiſthæi.

31. Conciderunt autem illo die Philiſthæos Michmaſo Ajalonem uſque, vehemen-
térque defatigatus fuit populus. 32. Cùm verò ſe convertiſſet ad prædam, cepit minores
pecudes, boves & juvencos, quos in terram mactavit, comeditque unà cum ſanguine.
33. Quod nunciarunt Saüli, dicentes : en populus peccat in Jehovam, dum comedit
cum ſanguine. Ille verò, peccaviſtis, inquit, volvite ad me hodie magnum lapidem.
34. Tum mandavit Saül *nonnullis*, ut ſparſi per populum dicerent *ipſius nomine:* admo-
vete ad me quiſque bovem ſuum, vel minorem ſuam pecudem, quam hic mactabitis;
comedetiſque nec peccabitis in Jehovam, comedendo cum ſanguine. Igitur adduxit
univerſus populus quiſque bovem ſuum manu ſuâ eâ nocte, eúmque ibi mactarunt.
35. Exſtruxit etiam illic Saül altare Jehovæ, atque hoc primum ædificavit Jehovæ altare.
36. Tum

ſenſus eſt hujus loci. At nihil vetat quominùs legamus וַתִּרְאֶנָה à verbo ראה *raah*, vidit, mutatis punctis, & ſervato conſonantium ordine, ita ut de viſu acutiori intelligantur. Certè utriuſque lectionis eſt idem ſenſus. Poſteriori modo, legerunt LXX. Intt. qui habent ἀνέβλεψαν; priori Vulgatus, qui vertit *& illuminati ſunt*. Certum eſt præ fame non tantùm corporis vires minui, ſed etiam hebeſcere oculos, qui ſiqnid comedatur, priſtinum vigorem recuperant. De comeſtione mellis, vide *Sam. Bochartum*, loco laudato.

28. *Quamobrem defeſſus eſt*] ויעף העם vejahaph haham, *& defeſſus*, aut *defatigatus eſt populus*.

29. *Perturbavit*] Hoc eſt, ei nocuit. Vide ad Joſ. VII, 25.

Acutiùs videre] ארו *orou*. Si hîc tranſponas conſonantes, erit ראו *raou*, ut legerunt LXX. Intt. qui habent εἶδον. *Hieronymus* vertit, *illuminati ſunt*. Hinc Curculio Plautinus Act. II, S. 3. eſuriens ait ſibi *tenebras oboriri*, & ſe *proſpicere parum*.

30. *Etenim nunc non mágno* &c.] *Quia nunc non multiplicata eſt plaga in Philiſthæis*. Alii interrogationem hîc habent : *nonne major plaga fuiſſes?* Sic *Hieronymus*. LXX. reſectâ negatione, ὅτι μείζων ἂν ἦν ἡ πληγή.

31. *Ajalonem uſque*] Fugerunt enim Philiſthæi primùm ad occaſum, deinde ad meridiem. Vide not. ad Joſ. X, 12.

32. *Cùm ſe convertiſſet*] Sequuti ſumus τὸ Keri, ויעש vajjabat pro ויעש *& fecit*.

In terram mactavit] Hoc eſt, ictu mallei inter cornua impacto ad terram proſtravit, nec ſanguine ſatis diligenter emiſſo, comedit. Quod erat contra Legem, de qua vide ad Lev. XVII, 10. Sed famelicorum nimia erat feſtinatio.

Unà cum ſanguine] על הדם *hal haddam*. Præpoſitionem על *hal* hîc eſſe *cum* oſtendimus ad Levit. XIX, 26. Sic habet hîc *Joſephus*, σὺν τῷ αἵματι δαίνυσθαι, *cum ſanguine edere*.

33. *Quod nunciarunt*] *Et nunciarunt*.

34. *Tum mandavit* &c.] *Et dixit Saül diſpergimini per populum & dicetis eis*.

Quam hic mactabitis] Ad lapidem, nempe, quem advolvi juſſerat, ubi præfecit homines, qui curarent ſanguinem pecudum probè emitti.

35. *Exſtruxit etiam illic* &c.] In quo Sacra fecit, propter liberationem, quâ Deus Philiſthæis eripuerat Iſraëlitas.

Hoc primum ædificavit] *Illud cœpit ædificare altare*. Itaque & aliàs ſimile quidpiam fecit, quod eo tempore vitio non vertebatur.

36. *Tum dixit Saül*] Poſtquàm populus cibo refectus eſſet.

37. *Accedamus huc ad Deum*] Cùm antea, præ feſtinatione, Saül Deum non interrogaſſet, ſed, inconſulto Oraculo, irruiſſet in hoſtes, populúſque Hebræus poſtea, ſanguine deguſtato, legem violaſſet; timebat Pontifex Maximus ne Deus indignaretur Iſraëlitis. Quamobrem nolebat temerè ſequi Philiſthæos, ne fortè redintegrato prælio, Iſraëlitas cæderent, ſi Deus eos deſereret.

38. *Accedite huc, inquit* &c.] Ex ſilentio enim Dei, nihil Pontifici Maximo quod reſponderet ſuggerentis, intellexit Deum Iſraëlitis quapiam de cauſa indignari; quam cùm ignoraret, ab ipſo Deo reſcire voluit. Itaque juſſit Tribuum principes ad Deum accedere, qui Tribum, & familiam Tribûs, è qua reus erat, ac tandem ipſum hominem indicaret. *Joſephus* ita hanc narrat Hiſtoriam : καλέσας ὁ βασιλεὺς Ἀχίτωβον (imò Ἀχίαν) τὸν ἀρχιερέα ἐκέλευεν αὐτὸν γνῶναι εἰ δίδωσιν ὁ Θεὸς αὐτοῖς καὶ συγχωρεῖ βαδίσασιν ἐπὶ τὸ στρατόπεδον τῶν ἐχθρῶν διαφθεῖραι τοὺς ἐν αὐτῷ τυγχάνοντας· εἰπόντος δὲ τοῦ ἱερέως μὴ ἀποκρίνεσθαι τὸν Θεόν, οὐκ ἔστι δίχα αἰτίας, εἶπεν ὁ Σάουλος, πυνθανομένοις ἡμῖν φωνὴν οὐ δίδωσιν ἡμῖν ὁ Θεός, ὃς πρότερον αὐτὸς προεμήνυεν πάντα, καὶ μηδ' ἐπερωτῶσιν ἔφθανε λέγων. ἀλλ' ἔστι τι λανθάνον ἐξ ἡμῶν ἁμάρτημα πρὸς αὐτὸν αἴτιον τῆς σιωπῆς : *Rex vocatum Achitobum, Pontificem Maximum, juſſit ipſum reſcire an permitteret illis Deus, concederetque euntibus ad caſtra hoſtium, delere eos qui in iis erant; cùmque dixiſſet Pontifex non reſpondere Deum; atqui non ſine cauſa, inquit Saül, ſciſcitantibus nobis oraculum non edit Deus, qui antea ipſe* (lego αὐτὸς) *prænunciabat omnia, & ne interrogantes quidem occupabat; ſed eſt latens aliquod à nobis peccatum in illum cauſa ſilentii*. Rectè conjiciebat, quamvis Deus ſileret potiùs ut ipſum ad ſaniorem mortem adduceret, quam ut plecteret reum, qui ignorantiâ tantùm peccarat.

Extremitates populi] פנות העם *phinnoth haham*; hoc eſt, univerſus populus à prima Tribu, Familiáque ad ultimam.

Per-

Digitized by Google

36. Tum dixit Saül: perſequamur Philiſthæos, hac nocte, ſpoliemúſque eos, donec
illuceſcat mane, nec ullum inter eos ſuperſtitem relinquamus. Fac verò, reſpondit *po-
pulus*, quidquid tibi videbitur. 37. At dixit Sacerdos: accedamus huc ad Deum; in-
terrogavitque Saül Deum, *his verbis:* an perſequemur Philiſthæos, ánve eos trades in
manum Iſraëlis? Sed die illo nihil reſpondit Deus. 38. Tum Saül, accedite huc, in-
quit, omnes extremitates populi, reſciſcitéque & videte, quanam in re peccatum hoc
ſit hodie admiſſum. 39. *Ut* enim vivit Jehova liberator Iſraëlis, ſi id fuerit in Jona-
thane, filio meo, morte afficietur. Nemo autem ex univerſo populo *quidquam* ei reſ-
pondit. 40. Dixit præterea toti populo: vos illinc eritis, ego verò & filius meus Jo-
nathan hinc; populúſque Saüli, fac, inquit, quod tibi videbitur. 41. Deinde Saül
Jehovæ Deo Iſraëlis: cedò, inquit, innocentem. Adprehenſi verò ſunt Jonathan &
Saül, populúſque elapſus eſt. 42. Ibi Saül, projicite, inquit, *ſortem*, inter me & Jo-
nathanem filium meum; adprehenſúſque eſt Jonathan. 43. Saül verò Jonathani, indi-
ca mihi, inquit, quid feceris. *Quod* indicavit ei Jonathan, & deguſtavi, inquit, in ex-
tremitate virgæ, quæ in manu mea erat, aliquantulum mellis. En adſum, *ut* moriar.
44. At Saül, ita ſe *erga me* gerat, inquit, Deus & ſic pergat, ut tu, ô Jonathan,
morte

Peccatum hoc] Quo fiebat ut Deus taceret.

39. *Si id fuerit in Jonathane*] Nimis audacter jurabat perniciem filii, de quo prius fuiſſet judicium, omnibus expenſis, ferendum. Sed fuit indoles Saülis præceps & violenta, ut ex tota ejus vita liquet.

Nemo autem &c.] Omnes, auditis ejus verbis, cohorruerunt, oſtenderúntque vel ſilentio ſuo ſibi non probari ejuſmodi ſeveritatem. Vide ad v. 24.

40. *Vos illic eritis*] לעבר אחד leheber ehhad, *ad unum latus*. LXX. Intt. ex pleriſque Codd. verterunt, ἔσεσθε εἰς δουλείαν, quaſi legiſſent לעבודה lahabodah, *in ſervitutem*. Melius Vulgatus, *in partem unam*. Sic & Codex Complutenſis εἰς ἓν μέρος.

Hinc] Iterum לעבר אחד *ad latus unum*, & LXX. εἰς δουλείαν, לעבדים *lehabadim*.

Quod tibi videbitur] *Quod bonum erit oculis tuis*.

41. *Cedò, inquit, innocentem*] Hoc eſt, indicato nocente, innocentem dimittito. הבה תמים *habah thamim*, da integrum, aut innoxium. Qui ſenſus cùm ſat perſpicuus eſſet, mirum eſt LXX. Intt. de ſuo tot verba infarſiſſe. τί ὅτι οὐκ ἀπεκρίθης τῷ δούλῳ σου σήμερον, εἰ ἐν ἐμοὶ ἢ ἐν Ἰωνάθαν τῷ υἱῷ μου ἡ ἀδικία; Κύριε ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ δὸς δήλους (quaſi legiſſent תֻּמִּים, quod δῆλοι aliquando vertitur) καὶ ἐὰν τάδε εἴπῃ δὸς δὴ τῷ λαῷ σου Ἰσραὴλ, δὸς δὴ ὁσιότητα, quaſi eſſet תם *thom*. Scio quidem in Complutenſi editione eſſe tantùm δὸς δήλους, ſed videtur reficta ad Hebraicum Codicem, cùm legamus in Vulg. Interprete ſimilia: *Domine Deus Iſraël, da indicium, quid eſt quod non reſponderis ſervo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo, eſt iniquitas hæc, da offenſionem, aut ſi hæc iniquitas eſt in populo tuo, da ſanctitatem.*

41. *Adprehenſi ſunt* &c.] Vide not. ad Joſ. VII, 14.

Elapſus eſt] *Egreſſi ſunt*, innocentes, nempe, declarati; cùm regia familia delicti, quod quærebatur, rea facta eſt. Hactenus omnia facta videntur, voce Pontificis Maximi, ſacris veſtibus & collari ornati; quæ verò ſequuntur ſorte facta ſunt.

42. *Adprehenſus eſt Jonathan*] Sorte damnatus.

43. *En adſum, ut moriar*] הנני אמות *hinneni, amouth.* Dubium eſt an ſint hæc verba admirantis, & dicentis: ideóne quia aliquantulum mellis comedi, mori me oportet? an verò ſignificantis ſe paratum eſſe æquo animo mortem adpetere. Poſterius maluit *Joſephus* Ant. Lib. VI. cap. 7. Ὑποστάμενος τε εὐγενῶς καὶ μεγαλοφρόνως, οὐδ' ἐγώ σε, φησὶν, ἱκετεύσω φείσασθαί μου, πάτερ· ἥδιστος δέ μοι ὁ θάνατος ὑπέρ τε τῆς εὐσεβείας γενόμενος, καὶ ἐπὶ νίκῃ λαμπρᾷ· μέγιστον γὰρ παραμύθιον τὸ καταλιπεῖν Ἑβραίους Παλαιστινῶν κεκρατηκότας: *cùm ſe ſtitiſſet generosè & magno animo, ne ego quidem, inquit, orabo te ut mihi parcas, pater. Dulciſſima mihi eſt mors, quæ ob pietatem contingit, & poſt victoriam ſplendidam; maxima enim conſolatio eſt relinquere Hebræos Palæſtinorum victores.* Sed fortaſſe alia omnia dixit Jonathan, neque enim neceſſe eſt conſervatum poſteris eſſe à Scriptore hujus libri quidquid dixit.

Si rem in ſe ſpectemus, potuit Jonathan factum ſuum ignorantiâ rectè excuſare, ut liquet ex v. 27. & renovatum Saülis jusjurandum, videtur indicare Saülem ita ejus verba intellexiſſe, quaſi mortem adoleſcens vitare cuperet; alioqui nihil adtinuiſſet iterum jurare. Sed ſi Jonathan meritò factum hoc ſuum excuſare potuit, quia ignoraverat exercitum à patre jurejurando adactum; quærunt Interpretes cur tamen, ejus causâ, ſiluiſſet Oraculum, à Saüle more Majorum interrogatum, cúrve rea facta eſſet Saülis familia, ac tandem ſorte convictus Jonathan. Si licet, in re obſcura, conjicere, exiſtimarim Deum nihil reſpondiſſe ſciſcitanti Saüli, non ut hominem adduceret ad neceſſitatem occidendi filii, ſi ſe ſolutum Religione vellet; ſi enim hoc fuiſſet Dei conſilium, Jonathanem ſibi eripi & gratiâ apud populum elabi paſſus non eſſet: nec etiam quaſi adoleſcentis factum innoxium damnaret; ſed ut fervidum nimis ac ferocem Saülis animum mitius ac prudentius in poſterum redderet, quandoquidem temerariâ illâ populi in ſua verba jurantis adactione, eò devenerat, ut niſi fidem Deo datam fallere vellet, occidendus eſſet filius, idémque de populo Hebræo bene meritus. Fuit ergo hoc admonitionis inſtar, ne poſthac uſque adeò præceps eſſet; cùm videret temeritate ſuâ propemodum interiiſſe filium innocentem. Alioqui ſi ſciens ac volens fidem fefelliſſet Jonathan, infidelitatis pœnas Deo dediſſet, nec à populo ejus juſtitiæ eripi umquam potuiſſet.

 45. *Qui*

morte afficieris. 45. Dixit verò populus Saüli; an moreretur Jonathan, qui auctor fuit magnæ hujus liberationis, in Iſraële? Abſit! *Ut* vivit Jehova, ſic non cadet è capite ejus capillus in terram; Deo enim favente, fecit hodie *quod fecit*. Itaque populus liberavit Jonathanem, nec mortuus eſt.

46. Abiit ergo Saül à perſequutione Philiſthæorum, Philiſthæique in locum ſuum redierunt. 47. Cùm autem ſuſcepiſſet Saül regnum in Iſraëlem, bellum geſſit circumquaque cum omnibus ejus hoſtibus, cum Moabitis, cum Hammonitis, cum Idumæis, cum Regibus Tſobæ, & cum Philiſthæis, & quacumque ſe converteret eos malè habebat. 48. Fortiter ſe geſſit, conciditque Hamalekitas, & liberavit Iſraëlem è manu eorum qui eum diripiebant. 49. Filii autem Saülis fuerunt Jonathan, Jiſvis & Malchiſua. Duarum verò filiarum ejus majori natu fuit nomen Merabæ, minori Michalæ. 50. Uxor Saülis vocabatur Achinohama, dux verò ejus exercitûs Abner, filius Neris, patrui Saülis. 51. Kiſus autem, pater Saülis & Ner, pater Abneris, fuerunt filii Abielis. 52. Grave bellum fuit cum Philiſthæis, per totam Saülis vitam, & Saül quidem perſpexit omnes, qui fortes ac ſtrenui erant, eóſque ad ſe collegit.

XIII. Deus

45. *Qui auctor fuit* &c.] *Qui fecit hanc magnam ſalutem* &c.

Sic non cadet] *Si cadet.* Ita ſacramenta ab Hebræis concipi ſolent. Senſus eſt, propterea mali nihil ei continget. Vide Luc. XXI, 18. Act. XXVII, 34.

Deo enim favente] עם אלהים, *cum Deo.* Sic malim interpretari, quàm, cauſam Dei defendit; nam peculiare hoc non fuit Jonathani, ſed quòd ſingulari favore Dei cœpiſſet cladem Philiſthæis inferre. Pro עם him, *cum*, legerunt LXX. Intt. עם ham, *populus*, habent enim ὁ λάος τῦ θεῦ ἐποίησε τὴν ἡμέραν ταύτην. Scio in Codd. Aldino & Complutenſi pro ὁ λάος legi ἔλεος. ſed quod diximus oſtendit mendum eſſe, aut temerariam emendationem. Rectiùs Vulgatus, *cum Deo*.

Liberavit] יפדו jiphdou, *liberarunt*; nempe à Saüle, qui eum occidi volebat. Sic Vulgatus, at LXX. Intt. habent προσηύξατο ὁ λάος περὶ Ἰωνάθαν, quod ſic interpretatur *Joſephus* Ant. Lib. VI. cap. 7. αὐτοὶ δὲ εὐχὰς ὑπὲρ τῦ νεανίσκυ ποιῦνται τῷ θεῷ, ὥς' αὐτὸν ἀπολῦσαι τῦ ἁμαρτήματος: *ipſi vota pro adoleſcente Deo faciunt, ut peccati veniam obtineat.*

46. *Abiit*] *Adſcendit.*

47. *Cùm autem ſuſcepiſſet* &c.] *Et Saül cepit regnum*; hoc eſt, poſt victoriam hanc de Philiſthæis, prorſus regio more ſe geſſit & Reipublicæ totius adminiſtrationem ſeriò capeſſivit, cùm antea auctoritatem propemodum precariam obtinere videretur, & timidè omnia faceret.

Regibus Tſobæ] צובה *Tſoba* dicebatur Syriæ, quæ Damaſcena poſtea dicta eſt, pars. Apud *Joſephum* perperam legitur βασιλέα τ' Ὠβας, pro τῆς Σώβας. Vide 2. Sam. VIII, 3.

49. *Melchiſua*] Habuit præterea *Iſch-boſcheth*, qui etiam vocatur *Eſh-bahal* 1. Par. VIII, 33. Sed fortè his temporibus natus non erat, aut admodum puer fuit, quo fit etiam ut non memoretur inferiùs Cap. XXXI, 2.

50. *Achinohama*] Videtur unam hanc habuiſſe uxorem, certè ex qua liberos ſuſceperit.

51. *Abielis*] Vide Cap. XI, 1.

52. *Per totam vitam*] *Per omnes dies.*

Perſpexit] Hoc eſt, in bellis vidit quinam eſſent ſpectatæ fortitudinis, eóſque ſibi ſemper præſto eſſe voluit, ut eorum opera in bellis ingruentibus uteretur.

Fortes ac ſtrenui] *Omnem virum fortem & omnem filium roboris.*

In Caput XV.

1. V*Ocem Jehovæ*] *Vocem verborum Jehovæ.*

2. *Ad animum revocavi*] *Viſitavi* פקדתי *phakadthi.* Quia eorum recordamur quæ inviſimus, ideò verbum hoc ſignificat aliquando in animum, aut in memoriam revocare.

Quod fecerunt Hamalekitæ] Vide Exod. XVII, 8. Deut. XXV, 22. Addendum Hamalekitas ſemper fuiſſe hoſtili animo in Hebræos, & vitiis deditos, propter quos Chananææ incolas deleverat Deus.

Inſidias] Hanc vocem ſupplevi, quæ videtur ſubaudienda; quid enim poſſet aliud intelligi in hac loquutione אשר שם לו *quod poſuit illi*, præter ארב ereb, *inſidias*? LXX. habent ἀπήντησεν & Vulg. *reſtitit.*

3. *Omnes interficietis*] Internecio ejuſmodi quaſi peſtis quædam eſt habenda, quâ tolluntur innoxii, cum noxiis; quia noxii plectuntur morte innoxiorum, quos Deus aliunde ſat magnis beneficiis cumulare poteſt. Certè nullus infans, licèt parentibus multùm deflectus, non habebit Deo gratias, quia in infantia mortuus, hoc eſt, ereptus vitæ miſeriis fuerit, ut bearetur.

4. *Telaimis*] בטלאים *battelaim.* Non malè conjicit *D. Kimchius* eamdem eſſe urbem, ac טלם *telem*, Joſ. XV, 24. quæ fuit Tribûs Judæ. Sic una urbs, in hoc ipſo libro, dicitur רמה *ramah* & רמתים *ramathajim.* Vulgatus Interpres legit כטלאים chitlaim, vertit enim *quaſi agnos*; unde confinxerunt nonnulli tempore paſchali hanc enumerationem eſſe factam, & numeratos eſſe dumtaxat agnos, atque inde de exercitûs numero conjecturam eſſe factam, qua de re vide *Sam. Bochartum*, Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 43. Multò ſatius eſt *Telaim* nomen proprium habere, quàm ad ejuſmodi argutias confugere.

Ducentorum millium peditum] מאתים אלף רגלי *mathajim eleph ragli.* LXX. Intt. in Codice Vaticano, τετρακοσίας χιλιάδας ταγμάτων, in Alexandrino

XIII. Deus mittit Saülem ad Hamalekitas ad internecionem delendos; quibus victis, parcit eorum Regi; quamobrem ei exſcandeſcit Samuel, prædicitque fore ut regnum ejus familiæ auferatur. Idem invitatus ad ſacrificium ægrè perſuadetur, occiſóque Hamalekitarum Rege domum redit.

1. POSTEA dixit Samuel Saüli: miſit me Jehova, ad te inungendum Regem in po- CAPUT
pulum ſuum, in Iſraëlem, nunc autem audi vocem Jehovæ. 2. Sic dicit Jehova, Deus XV.
exercituum: ad animum revocavi quod fecerunt Hamalekitæ Iſraëli, *inſidiaſque*
quas ei poſuerunt in via, cùm Ægypto egreſſus eſſet. 3. Nunc ergo vade ac cæde Hamale-
tas. Devovebitis autem quæcumque ei ſunt, eis non parcetis, ſed *omnes* interficietis, à vi-
ris ad mulieres, à pueris ad lactentes, à bove ad minores pecudes, à camelis ad aſinos.
4. *Rem* Saül à populo audiri curavit, *collectáſque copias* recenſuit Telaïmis, quæ erant du-
centorum millium peditum *ex Iſraële*, & decem millium virorum ex *tribu* Judæ. 5. Pervenit
Saül ad urbem Hamalekitarum, iiſque inſidias in valle ſtruxit. Dixit verò Saül Kenæis:
agite, recedite atque abite ab Hamalekitis, ne vos deleam unà cum illis. 6. Vos enim
benignos præbuiſtis omnibus Iſraëlitis, cùm Ægypto egreſſi eſſent. Igitur ſeceſſe-
runt Kenæi ab Hamalekitis, 7. & cecidit Saül Hamalekitas à Chavila, quà Suritidem
venis, qui *tractus* eſt è regione Ægypti. 8. Cepit etiam Agagum Hamalekitarum Re-
gem vivum, ſed omnem populum gladio ad internecionem delevit. 9. Pepercerunt Saül
& populus Agago, & opimis pecudibus minoribus ac bubus, pinguibus *quibuſvis*
&

drino δέκα χιλιάδας ταγμάτων, in Aldino & Complutenſi διακοσίας χιλιάδας ταγμάτων. *Joſephus* τεσσαράκοντα μυριάδας. Videntur LXX. Intt. legiſſe דגלים *degalim*, vexilla, pro רגלי *ragli*, quod *peditem* ſonat; nam vocem דגל degel, *vexillum* ſæpe verterunt τάγμα, in libro Numerorum. Vide Cap. II, 2, 17. III, 10, 18, 25 &c. Facilè tamen erat intellectu legendum non eſſe דגלים *dgalim*, cùm *quadringenta millia vexillorum*, licèt exiguus ſit in ſingulis vexillis numerus, nimium numerum complectantur, quàm ut poſſet tantus exercitus apud Iſraëlitas contrahi; fac enim fuiſſe decem homines in ſingulis vexillis, fuiſſent quadrageſies centies millies hominum, in illo exercitu. Itaque alii legerunt, dimidiâ parte minùs, διακοσίας χιλιάδας ταγμάτων, ſeu *vexillorum ducenta millia*, qui numerus etiam major eſt æquo, licèt priori duplo minor. Quamobrem exſcriptor Codicis Alexandrini tantùm δέκα χιλιάδας habet, quæ conficerent centum millia hominum; ſi vexillum, ut dixi, denos homines complectatur. *Joſephus quadraginta myriadas* ponit, non additâ voce τάγμα, unde liquet eum vidiſſe nimium eſſe numerum. Hæc ſunt notatu digna, ne quis miretur aliquando Codices Hebraicos dici in numeris vitiatos. Tam enim reverebantur Scripturam Græcam, qui eam vitiarunt, quàm Judæi Hebraicam.

Ex Iſraële] Hoc addendum fuit, quia mox ſequitur *ex Juda*; neque enim dubitare poſſumus, quin exercitus ex ſolis Hebræis ſit conſcriptus, & quin ex aliis Tribubus ii eſſent, qui non erant è Tribu Judæ. Ii autem, tempore Regum, dividebantur in Iſraëlem & Judam. Vide Cap. XI, 8.

Decem millium virorum] עשרת אלפים את איש יהודה, *& decies mille viros Judæ*. Complutenſis verbo tenus δέκα χιλιάδας τῶν ἀνδρῶν. Tres alii, Aldinus, Romanus & Alexandrinus τριάκοντα χιλιάδας ταγμάτων, *Joſephus* τρισμυρίους.

5. *Ad urbem Hamalekitarum*] Eſt hîc עמלק *hamalek*, quæ vox conſtanter populum ſignificat. Quare non crediderim hoc in loco nomen eſſe urbis, quæ nuſquam aliàs memoratur. Fortè ſola fuit urbs ejus populi, & quæ dicebatur *urbs Hamalek*, quia nullam aliam habebat. Attamen LXX. hîc habent πόλεως Ἀμαλήκ, & ſic quoque *Joſephus*,

Inſidias ſtruxit.] וירב *vajjareb*, pro ויארב *vajjeareb*, ab ארב *inſidias tetendit*. Vix poteſt deduci à ריב *roub*, quia hac voce non tam pugnam, quæ ferro cernitur; quàm diſceptationem, quæ verbis fit, ſignificari conſtat. Ideoque LXX. Intt. ἐνήδρευσεν, & Vulg. *tetendit inſidias*.

Kenæis] *Kenæo*. Non erant *Kenæi* inimici populi Hebræi, erant enim cum familia Jethronis fœderati, & connubiis conjuncti, habitabántque inter Hamalekitas. Vide ad Num. XXIV, 21. & Jud. IV, 10.

6. *Benignos vos præbuiſtis*] עשיתה חסד *feciſti benignitatem cum* &c. Nihil hac de re exſtat in Hiſtoria Moſaica, niſi huc trahantur quæ de Jethrone habentur Exod. XVIII, 12. Num. X, 31. quod neſcio an huc faciat.

7. *A Chavila*] Oſtendimus ad Gen. II, 11. Chavilam tractum eſſe Arabiæ, non procul à Cœle Syria.

Suritidem] *Sur* שור. Tractus fuit Arabiæ verſùs mare rubrum, non procul ab Ægypto. Vide not. ad Gen. XVI, 7. Hi erant fines Auſtrales Hamalekitarum, qui latè per deſerta vagabantur.

9. *Opimis pecudibus*] מיטב הצאן והבקר *bonitati minorum pecudum & boum*, hoc eſt, præſtantiſſimis quibuſque pecudibus ovilli, caprini & bubuli generis. LXX. habent τὰ ἀγαθὰ τῶν ποιμνίων καὶ τῶν βουκολίων, Vulg. *optimis gregibus ovium & armentorum.*

Pinguibus quibuſvis] המשנים *hammiſchnim*, quæ vox cùm ſit inuſitata, apud Hebræos, ubi ſermo eſt de pecudibus, optimè omnium mihi ſentire videntur qui tranſpoſitas eſſe conſonantes, ut ſæpe alibi, etiam hîc volunt, legendúmque השמנים *haſchmenim*, hoc eſt, pingues. Sic Thargum habet שמניא ſchmenaja, *pingues*. LXX.
ver-

Digitized by Google

& agnis, ac omnibus *denique* quæ bona erant, nec voluerunt ea devovere; ſed omnia opera vilia ac detrita devoverunt.

10. Tunc alloquutus eſt Jehova Samuelem, his verbis: pœnitet me Regem creaviſſe Saülem, quia à me deflexit, neque verba mea rata habuit. Quamobrem iratus eſt Samuel & totâ nocte Deum invocavit. 12. At mane ſurrexit, *ut* obviam Saüli *iret*; ſed nuncius eſt ad Samuelem allatus, his verbis: venit Saül Charmelum, ubi ſibi monumentum conſtituit; deinde circumivit, tranſivítque & ſe contulit Gilgalem. 13. *Eò* ivit Samuel, ad Saülem, eique Saül; benefaciat, inquit, tibi Jehova; verbum Jehovæ ratum habui. 14. Samuel verò, quænam ergo hæc eſt vox pecudum minorum, quæ aures meas verberat, & vox boum quam audio? 15. Ab Hamalekitis, inquit Saül, *pecudes* eas adduxerunt, quibus pepercit populus; *pepercit enim* opimis pecudibus minoribus & bubus, ut Sacra faceret Jehovæ Deo tuo; cetera verò devovimus. 16. At Samuel Saüli, patere, inquit, me tibi indicare quæ hac nocte mihi dixit Jehova. Loquere verò, ei inquit *Saül*. 17. Tum Samuel, annon, inquit, cùm ipſe tibi parvus videreris, *factus es* caput Tribuum Iſraëlis, unxitque te Jehova ut eſſes Rex Iſraëlitarum? 18. Viam autem hanc te inire juſſit Jehova, dixitque: abi, devovete peccatores Hama-

verterunt τοῖς ἰδιωμένοις, Vulg. *veſtibus*. Alii aliter. *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 43. putat ſic dictas fuiſſe pecudes, & præſertim oves, vel cùm eminebant, vel cùm excidebant duo dentes; quod cùm ſit adultæ ætatis indicium, hoc ipſo maximè præſtabant. Verùm hic ſenſus continetur antecedentibus verbis. Si vellem à prima conjectura recedere, ſuſpicarer המשנים *bammiſchnim* quaſi *duplices* dici Camelos, qui duplicem habent gibbum, & qui Bactriani à Græcis dicebantur. De iis multis egit idem vir doctiſſimus, Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 4. Sed cùm nullum occurrat exemplum ejus vocis ſic ſumtæ, in prima conjectura adquieſco.

Agnis] הכרים *haccharim*. LXX. Intt. habent ἀμπελώνων, quaſi legiſſent כרמים *chramim*. Vulg. *arietibus*. Thargum, פטימיא *ſaginata*. Si poſſem certis rationibus tueri conjecturam modò prolatam, de משנים *miſchnim*, ſumtis pro camelis duplici gibbo præditis; facilè mihi perſuaderem כרים, *charim*, hîc non eſſe *agnos*; qui ſub minoribus pecudibus jam memoratis continentur; ſed camelos, qui Arabicè dicuntur כרוב *charb*. Profectò mirum eſt in ſpoliis populi, qui per Arabicas ſolitudines circa Hebræorum agros habitabat, nullos memorari camelos, qui maximæ Arabum divitiæ fuerunt.

Omnia opera] *Omne opificium contemtum & tritum*. Hæc cupiditas populi Hebræi planè contraria erat mandatis divinis, ex quibus omne חרם *hherem*, ſeu rem exſcidio devotam deſtrui oportuit; ut vel hinc conſtaret devotam non fuiſſe, cupiditate ullâ, aut ſatiandæ avaritiæ cauſâ, ſed ut divinis imperiis pareretur. Alioquin Hebræi viſi fuiſſent non tam nomine Dei de Chananæis pœnas exegiſſe, quàm divitias ſibi ex eorum internecione quæſiviſſe.

10. *Tunc alloquutus eſt &c.*] *Et fuit verbum Jehovæ ad Samuelem.*

Pœnitet me] Quia homines pœnitentiâ ducti contraria agunt iis, quæ antea egerant; ideò eùm Deus aliter ſe gerere incipit, quàm antea, eum pœnitere homines dicunt. Qua de re, & de hoc ipſo loco pluribus egimus ad Gen. VI, 6.

Iratus eſt Samuel] ויחר לשמואל *vajjihhar liſchmouel*. Doluit ſe fuiſſe inſtrumentum unctionis & electionis Saülis, eique indignabatur, quòd delicto ſuo alienum à ſe Deum reddidiſſet; nec eo ſeciùs Deum ei placare conatus eſt. Hoc fuit ingenium Prophetæ, ut liquet ex Cap. XII, 20.

12. *Charmelum*] Urbs fuit in montanis Judæ, de qua Joſ. XV, 55. & infra Cap. XXVII, 3. Nec confundenda cum monte Charmelo, qui fuit in Aſeritica Tribu ad mare. Cùm Saul rediret ex tractu, qui ab Ægypto remotus non erat, tranſeundum priùs ei fuit per agros Tribûs Judæ, quàm Gilgalem ire poſſet.

Monumentum conſtituit] והנה מציב לו יד *& ecce conſtituit ſibi manum*. Ad verbum verterunt LXX. Intt. ἀνέστακεν αὐτῷ χεῖρα. At Hieronymus, *erexiſſet ſibi fornicem triumphalem*, ex moribus Romanorum, qui victoribus triumphales arcus ædificabant, quorum etiamnum hodie ſtupendæ ſuperſunt reliquiæ. Generaliori voce *monumentum* vertimus, quæ eſt ſignificatio vocis יד *jad*, 2. Sam. XVIII, 18. Videtur fuiſſe aut columna, aut moles lapidea, aut ſimile quidpiam, quod vocaretur *monumentum Saülis*, in memoriam victoriæ de Hamalekitis relatæ.

Gilgalem] Ut ſacra illic faceret.

13. *Benefaciat tibi Jehova &c.*] *Benedictus tu Jehovæ.*

Ratum habui] הקימותי *hakimothi*. Quia deleverat Hamalekitas, quicumque in manus ejus inciderant, excepto Agago; ſive non ſatis intellexiſſet mandata Dei, ſive audaciùs ea interpretatus eſſet.

14. *Quæ aures meas verberat*] *In auribus meis.*

15. *Pepercit enim*] Hoc ſupplevi, cùm verbum חמל *hhamal* nonniſi ad ſuperiora referri poſſet, & fortè excidit hîc כי חמל *chi hhamal*, ob repetitionem; quod non rarò contigit.

Ut Sacra faceret Jehovæ] Ne hoc quidem prorſus verum erat, ut ex narratione liquet; nam & optimas quaſque pecudes ſervaverat populus, quæ nimio erant numero, quàm ut omnes eſſent mactandæ, & præterea ſepoſuerat ſibi Hamalekitarum opes, devotis tantùm rebus vilibus & tritis, quas auferre operæ pretium non erat.

16. *Patere me tibi indicare*] *Patere & indicabo tibi.*

17. *Cùm ipſe tibi parvus videreris*] *Si* (אם im) *parvus tu in oculis tuis*. Hoc eſt, cùm parvus eſſes & te parvum putares. Vide Cap. IX, 21.

De

Digitized by Google

malekitas, bellúmque cum iis gerito donec eos deleveris. 19. Cur non auſcultaſti voci Jehovæ, ſed te convertiſti ad ſpolia, ac feciſti quod Jehovæ diſplicet? 20. Saul verò Samueli, imò, inquit, auſcultavi voci Jehovæ, ingreſſus ſum viam in quam me miſit. Adduxi Agagum Regem Hamalekitarum, ſed Hamalekitas internecione delevi. 21. Populus tantùm cepit ex præda minores pecudes & boves, primitias rerum devotarum, ad Sacra Jehovæ Deo tuo Gilgale facienda. 22. At Samuel, an delectatur, inquit, Jehova holocauſtis & victimis, ut obſequio quod voci ejus præbetur? Imò parere melius eſt ſacrificio, & obtemperare *ſatius* adipe arietum. 23. Imò peccatum eſt incantationis rebellio, & delictum Theraphimorum perruptio *legum*. Quia repudiaſti verbum Jehovæ, ideò te repudiavit, ne ſis *ampliùs* Rex. 24. Ibi verò Saul Samueli, deliqui, inquit, nam violavi imperium Jehovæ & verba tua, quia timui populum, ejúſque voci obſequutus ſum. 25. Nunc verò ignoſce peccato meo, revertere mecum, & adorabo Jehovam. 26. At Samuel, tecum, inquit, non revertar, quia repudiaſti verbum Jehovæ, téque *viciſſim* repudiavit Jehova, ne ſis Rex Iſraëlis. 27. *His dictis*, convertit ſe Samuel ad abeundum; ſed apprehendit oram ejus pallii *Saül*, & lacerata eſt. 28. *Ibi* Samuel illi, diſcidit, inquit, Jehova regnum Iſraëlis hodie à te, idque tradidit proximo tuo, qui te melior eſt. 29. Pro-

De hac ſignificatione τοῦ אם adi 18 ſign. particulæ, apud *Chr. Noldium.*

Factus es caput] Eſt tantùm ראש, ſed ita vertendum fuit, quaſi eſſet היית לראש *bajithah leroſch.*

18. *Viam hanc te inire juſſit*] *Miſit te Jehova in viam.* Hoc eſt, juſſit te hoc iter ſuſcipere.

Peccatores Hamalekitas] Satis quidem liquet ex Hiſtoria Sacra Judæos minimè immunes fuiſſe peccatorum; ſed tamen quia deteriores multò erant Idololatræ, eos ſolebant κατ' ἐξοχὴν *peccatores* vocare. Vide Gal. II, 5.

19. *Te convertiſti ad ſpolia*] *Te convertiſti ad ſpolium*, aut *celeriter invaſiſti ſpolium.* Vide Cap. XIV, 32.

20. *Auſcultavi voci Jehovæ*] Malè LXX. Intt. Διὰ τὸ ἀκοῦσαί με τῆς φωνῆς τοῦ λαοῦ. Nam oratio non cohæret.

Adduxi Agagum] At Joſua nulli devotarum Gentium Regi pepercerat, magis quàm alii cuivis è plebe; ac ſanè ſine exceptione omnes occidi jubebantur. Sed Rex Regi, dignitatis causâ, parcendum duxerat.

21. *Primitias rerum devotarum*] Partem quamdam prædæ devotæ, antequàm incenderetur. Sed & plura ceperant Iſraëlitæ.

22. *An delectatur Jehova* &c.] *An eſt delectatio Jehovæ, in holocauſtis & victimis*, nempe, ſalutaribus.

Ut obſequio &c.] כשמע בקול יהוה chiſchmoah bkol jehovah, *ut audire vocem Jehovæ.* Eſt pro כבשמע *chbiſchmoah*, nam antea anteceſſit בעלות *beholoth*, in holocauſtis. *Jehova* hîc eſt, ut paſſim, loco pronominis poſſeſſivi.

Imò parere] *Ecce audire* &c. Sacrificia quidem etiam mandaverat Deus, ſed erant tantùm in ſe ſpectata ritus externus; quo homines teſtabantur ſe peccaſſe, veniámque peccati petebant, aut vota ſolvebant, vel gratias agebant. Non poterat ejuſmodi ritus gratus eſſe Deo, niſi ſimul adeſſet ſtudium Deo per omnia parendi, gratúſque erga eum animus. Non eſt enim animi verè religioſi ſecernere ex religione divinitus inſtituta quæ obſervare velit, & reliqua miſſa facere. Ideóque Samuel opponit hîc obſequium ſacrificio, quia populus hanc partem mandatorum divinorum ſibi ſumſerat obſervandam, omiſſo præcepto de devotione, ſeu ἀντὶ τοῦ חרם. Similis ſenſus ſæpe occurrit in Veteri Teſtamento, ut Pſ. L, 13, 14. LI, 16, 17. Eccleſ. V, 1. Eſai. I, 11, 12. LXVI, 3. Hoſ. VI, 6. &c. Vide & Matth. IX, 13. XII, 7. & ad hunc locum *Grotium*, ubi & conſenſus ſapientiorum Ethnicorum hanc in rem invenietur.

Et obtemperare] להקשיב *lehakſchib.* Omnes Interpretes verterunt, quaſi eſſet והקשיב vehakſchib, *& obtemperare*; ac ſanè ſic ſcribi poſtulat Linguæ analogia, nec dubito quin ingens numerus ejuſmodi anomaliarum ſint meræ mendæ in noſtris Codicibus, quas oportuiſſet קרי לי à Maſſorethis emendatas. Subaudienda autem hic eſt vox אזן ozen, *auris*, aut לב leb, *cor*, quia verbum eſt in Hiphil.

Adipe arietum] Quæ comburebatur in altari. Vide Levit. Cap. VII, 3.

23. *Peccatum eſt incantationis*] קסם *keſem*; hoc eſt, non minùs grave, quàm ſi conſuleretur incantionum peritus, qui קוסם *koſem* dicitur. Vide Deut. XVIII, 10.

Delictum Theraphimorum] Hoc eſt, cultus ſimulacrorum, quæ תרפים *theraphim* dicuntur. Vide ad Gen. XXXI, 19. Senſus eſt, perinde eſſe ſive præcepta de incantationibus & ſimulacris fugiendis violes, ſive aliud diſertum Dei mandatum negligas. Te Deo obſequi dicere non potes, ut faciebat Saül, quia nec cultor imaginum, nec conſultor hariolorum es; ſi ſimul facias alia, quæ Deus æquè apertè vetuit.

Ne ſis ampliùs Rex] Hoc potiùs ad familiam Saülis referendum, quàm ad ipſum, qui Rex Iſraëlis obiit. Vide ad Cap. XIII, 13, 14.

24. *Imperium Jehovæ*] Os Jehovæ.

Populum timui] Qui partem opimæ prædæ auferre maluit, quàm eam totam comburere, & cui Rex gratificari voluit.

25. *Revertere mecum*] Speciem enim abituríentis præ ſe ferebat Samuel.

27. *Oram ejus pallii*] כנף מעילו *alam pallii ejus.* Vide not. ad Ruth. C. III, 9.

28. *Diſcidit regnum* &c.] Symbolicam hoc actionem habuit Samuël, quâ ob oculos ablationem regni Saüli poſuit.

Proximo tuo] Nondum noto; ſed jam antea norat Samuel dignitatem regiam alii collatum iri, ut liquet ex Cap. XIII, 13, 14.

29. Profectò victoria Iſraëlis non mentietur, neque *Deum* pœnitebit; nam non eſt homo, ut eum pœniteat. 30. Peccavi, inquit *Saül*, ſed honorem nunc mihi exhibeto coram ſenibus populi mei, & coram Iſraële, mecúmque revertere & Jehovam Deum tuum adorabo.

31. Reverſus Samuel Saülem ſequutus eſt, adoravitque Saül Jehovam. 32. Tum Samuel, ad me, inquit, jubete accedere Agagum Regem Hamalekitarum. Itaque ad eum venit Agagus delicatè *incedens*; dicebat enim *apud ſe* Agagus: profectò amaror mortis *à me* receſſit. 33. Samuel verò *illi*, quemadmodum, inquit, gladius tuus mulieres orbavit: ſic & inter mulieres mater tua orbabitur. *Quibus dictis*, diſcerpi juſſit Agagum, coram Jehova Gilgale. 34. Poſtea Samuel quidem Ramam, Saül verò domum ſuam, Gibam Saülis, abiit. 35. Nec poſtea ampliùs vidit Saülem Samuel, ad diem uſque mortis ſuæ; nam Samuel lugebat Saülis causâ, quòd conſtituti ejus Regis in Iſraëlem Jehovam pœniteret.

XIV. Samuel, juſſu Dei, Bethlechemum it, ubi ungit Jiſaïs filium Davidem, qui melancholico morbo laborantem Saülem, citharæ cantu, ad eum vocatus, reficit.

CAPUT XVI. 1. DIxit verò Jehova Samueli: quouſque lugebis Saülis causâ, quem ego repudiavi, ne regnaret in Iſraëlem? Impleto cornu tuum oleo, & ito *quò* te mittam, ad Jiſaïn Bethleehemitam, nam ex ejus filiis Regem mihi diſpexi. 2. Samuel autem, quomodo, inquit, ibo? Audiet enim Saül *me iviſſe*, méque interficiet. Jeho-

29. *Victoria Iſraëlis*] נצח ישראל *netſahh Jiſchraël*, quod verterunt LXX. Intt. καὶ διαιρεθήσεται Ἰσραὴλ εἰς δύο, quod caret hìc ſenſu. *Hieronymus* habet, *triumphator in Iſraël*, quia נצחא *netſibbo*, apud Syros, eſt *victor*. Sane *victoria Iſraëlis* aliter dici non poteſt Deus, quàm quia Iſraëlitas victores præſtabat, aut vincebat eorum hoſtes. Quia tamen hoc epitheton hìc, ubi de immutabilitate tantùm decreti ſermo eſt, non convenit; ſuſpicari quis poſſet נצח poſſe hìc *æternitatem* verti, ut alibi, quia Deus æternus Iſraëlis eſt immutabilis. Poſſet fortè etiam ex Arabica Lingua, in qua נצח *natſibbon* fidelem ſignificat, ſenſus hujus vocis deſumi, vertique: *fidelis Iſraëlis*, hoc eſt, qui fidem Iſraëli præſtat, ita ut idem ſignificet ac נאמן *neeman*. Certè huic ſignificatui optimè convenit cum ſequentibus.

Neque Deum pœnitebit] Nempe, eum non pœnitet, ut homines, qui mutant conſilium; quamvis impropriè in hoc ipſo Capite pœnitentia ei tribuatur, v. 11. ubi vide notata. Hìc igitur propriè & θεοπρεπῶς loquitur Propheta, illic verò impropriè & ἀνθρωποπαθῶς loquens inducitur Deus; nec ulla eſt pugna inter hæc verba & ſuperiora, ſúntque ea, quæ propriè intellecta Deum non decent, ex iis quæ ſunt præſtantiſſimæ ejus naturæ convenientia, ſi propriè intelligantur, explicanda.

Non poteſt ergo contradictio objici Scriptori Sacro, ſine ſumma iniquitate; cùm tam facilè poſſint hæc in concordiam redigi, nec poſſimus ei ſenſum communem tribuere, niſi ſimul agnoſcamus ab eo ejuſmodi ſolutionem intellectam fuiſſe. Attamen Veteres Interpretes hæc loca non ſatis aptè verterunt, ea ſolùm de causâ, ne Sacer Hiſtoricus pugnantia dicere videretur. Sic LXX. Intt. v. 11. pro *pœnitet me*, μετανοῶ, verterunt *conſolationem percepi quia Saülem regem conſtitui*, παρακέκλημαι ὅτι ἐβασίλευσα τὸν Σαοὺλ εἰς βασιλέα. *Hieronymus* verò, qui bene verterat v. 11. *pœnitet me*, malè hìc habet: *triumphator in Iſraël non parcet* (ישקר, mentietur) *& pœnitudine non flectetur*, quaſi ageretur de pœnitudine Saülis.

30. *Senibus populi mei*] Magiſtratibus oppidorum, præfectiſque Iſraëlitarum, qui *ſenes* honoris causâ dicuntur.

31. *Reverſus Samuel &c.*] *Et rediit Samuel, poſt Saülem*; ſtatim ac audivit Saülem peccatum ſuum confitentem, orantémque dumtaxat ut ſuæ dignitatis rationem haberet.

32. *Delicatè incedens*] מעדנת *mahadanoth*, pro במעדנות *in deliciis*, hoc eſt, molli greſſu, & quaſi delicias faciens. LXX. Intt. habent τρέμων, & Vulgatus: *pinguiſſimus & tremens*. Sic verterunt ex conjectura, nam hi ſignificatus nihil habent commune cum Hebraïcæ vocis poteſtate, & ſequentia oſtendunt *Agagum* bene de rebus ſuis ſperaſſe.

Profectò amaror mortis] Sperabat ſibi vitam conceſſum iri, quia ſtatim interfectus non fuerat, & in conſpectum Prophetæ ducebatur.

33. *Quemadmodum gladius tuus &c.*] Bellis injuſtis ſuſceptis, aut tyrannicis cædibus in tuos graſſatus, effeciſti ut multæ mulieres orbæ eſſent. Hæc penſitare deberent, qui tam facilè bellum vicinis quietis inferunt.

Coram Jehova] Ad altare ejus, ad quod à populo invocatus fuerat. Verbum וישסף *jeſchaſſeph*, vertimus *diſcerpi juſſit*, quia hoc convenientius Prophetæ viſum eſt. LXX. Intt. ἔσφαξε, Hieronymus: *in fruſtra conſcidit*. Sic *Joſephus* Lib. VI. c. 9. κελεύει παραχρῆμα αὐτὸν ἐν Γαλγάλοις ἀποθανεῖν, *jubet ſtatim eum Galgalis mori*.

35. *Quòd conſtituti &c.*] *Et Jehovam pœnituerat quòd regnare feciſſet Saülem in Iſraëlem*. Dolebat, nimirum, Samueli conſtitutum à ſe Regem, cum magna ſpe & exſpectatione totius populi, uſque adeò Deo diſplicere.

In CAPUT XVI.

1. IMpleto cornu tuum oleo] Nimirum, ſacro. Vide not. ad Cap. X, 1. Cornu bubulum aliquando pyxidis uſum præſtat.

Ad Jiſaïn &c.] Vide Ruthæ finem.

2. *Du-*

Digitized by Google

Jehova verò, juvencam, inquit, duces manu tuâ, dicéſque te veniſſe ad Sacra Jehovæ
facienda. 3. Deinde vocabis Jiſaïn ad convivium, ego verò tibi patefaciam quid ſis
facturus, ungéſque mihi eum, quem tibi dixero.
4. Fecit quidem Samuel quod dixerat Jehova, ivitque Bethlechemum. Trepidantes
verò urbis ſenes obviam illi iverunt, & pacatúſne, inquiunt, venis? 5. Pacatus, in-
quit; venio *enim* ad Sacra Jehovæ facienda. Itaque ſanctificate vos ac venite mecum
ad convivium. Sanctificarunt ergo ſe Jiſaïs & filii, nam vocaverat eos Samuel ad con-
vivium. 6. Cùm autem venirent, vidit Eliabum, dixitque: certè coram Jehova *eſt*
ejus Unctus. 7. At Jehova Samueli, ne, inquit, reſpicias ad faciem, proceritatém-
ve ſtaturæ, hunc enim habere nolo; quippe *qui rationem* non *habeo* eorum quæ homines
ſpectant, nam homines id ſpectant quod oculos percellit, Jehova verò animum ſpectat.
8. Vocavit Jiſaïs Abinadabum, cúmque tranſire juſſit coram Samuele, ſed dixit *Samuel:*
neque hunc elegit Jehova. 9. Deinceps juſſit Jiſaïs tranſire Sammam; ſed nec hunc
quoque, inquit, elegit Jehova. 10. *Eodem modo* Jiſaïs tranſire juſſit ſeptem filios ſuos co-
ram Samuele, qui ei, hoſce, inquit, non elegit Jehova. 11. Jámne autem abſolverunt
tranſire adoleſcentes? Supereſt, inquit Jiſaïs, natu minimus, qui paſcit minores pecudes.
Tum Samuel Jiſaï, eum, inquit, accerſe, neque enim *circa menſam* conſidebimus, ante-
quàm huc venerit. 12. Accerſivit ergo eum, iſque rubicundus erat ac formoſus, deco-
rúſque adſpectu. Jehova verò, ſurge, inquit, eum innnge, nam hic eſt. 13. Capto verò
cornu olei, inunxit eum Samuel, inter fratres ſuos; invaſitque eum ab eo die & dein-
ceps Spiritus Dei. *Convivio verò peracto*, ſurrexit Samuel & Ramam abiit.

2. *Duces manu tuâ*] *Capies in manum tuam.* Pro *juvenca*, aut ut eſt in Hebraicis עגלת בקר *beglath bakar*, vitula bovis, quod δάμαλιν βοῶν verterunt LXX. Intt. Vulgatus habet *vitulum*, fortè quòd crederet nonniſi maſculam victimam mactari licuiſſe. Sed hoc verum fuit de holocautomate, ut liquet ex Levit. I, 3. falſum verò de ſalutari victima, ut docemur, ejuſdem Libri Cap. III, 1.

3. *Ad convivium*] בזבח *bazzebahh*, in victimam, ſed ſumi pro convivio oſtendimus ad Deut. XVIII, 3. Vide & hujus libri Cap. IX, 13.

4. *Trepidantes verò*] יחרדו לקראתו jehheredou likratho, *trepidarunt obviam ejus.* Cùm non ſoleret Bethlechemum ire, Magiſtratus oppidi timebant, ne ad iram cœleſtem nunciandam veniret; ſæpe enim Prophetæ ejuſmodi nuncios adferebant. LXX. Intt. ἐξέστησαν, & Vulg. *admirati ſunt* minùs commodè.

Pacatúſne, inquiunt, venis] *Et dixit*, nempe, aliquis ſenum, *pax adventus tuus*; hoc eſt, an calamitatis alicujus nuncius, an verò incolumitatis venis. Cùm iram Dei nunciabant Prophetæ, *pacati* non veniebant; ſin minùs, *pacati* erant.

5. *Sanctificate vos*] Abluite corpus, & mundas veſtes induite. Vide not. ad Gen. XXXV, 2. & Exod. XIX, 10, 14.

Ad convivium] *Ad victimam* ut v. 3.

6. *Coram Jehova*] Quia Deus invocatus aderat Sacris, ſingulari ratione. *Unctus ejus*, hoc eſt, qui mox ejus juſſu inungendus erat, ut putabat Samuel.

7. *Ne reſpicias ad faciem* &c.] Hoc antea in Saüle malè ceſſerat. Vide cap. IX, 2.

Quippe qui rationem non habeo] כי לא אשר יראה האדם, *quia non quod videbit homo.* Supplendum, אראה *ereh*, videbo, כי לא אראה. Sic LXX. Intt. ſuppleverunt ὄψεται ὁ θεός, & Vulgatus: *ego judico.*

Spectant quod oculos percellit] *Vident ad oculos*, hoc eſt, ut habet Vulgatus: *ea quæ parent*, & LXX. εἰς πρόσωπον.

8. *Vocavit Jiſaïs Abinadabum* &c.] Sine dubio non tantùm vocarat ad convivium Samuel Jiſaïn, cum omnibus filiis, ſed & optarat ſingulos propiùs intueri, ob rationem quam patri aperuit; quo factum ut pater ſingulos vocaret filios.

10. *Hoſce non elegit*] Adflatu, nempe, divino de ſingulis monebatur.

11. *Natu minimus*] קטן *katon*, parvus, hoc eſt, ætate minimus, non parvulus, ut eſt in Vulgata. Vide Gen. XLIII, 29. Non multò minor fuit David viginti annis.

Accerſe] *Mitte & capito eum.*

Circa menſam conſidebimus] נסב *naſob*, hoc eſt, circumdabimus, nempe, menſam. Hinc LXX. κατακλιθῶμεν. & Vulgatus, *diſcumbemus.* Sed illo tempore ad menſam ſedebant. Vide hujus libri Cap. XX, 25.

12. *Rubicundus erat*] אדמוני *admoni*, quod LXX. verterunt πυῤῥάκης, Latinus *rufus.* Sed poteſt hoc æquè ad gratum ruborem faciei referri, ac colorem cæſariei. Vide Cant. V, 10. ubi filius Davidis dicitur eſſe צח ואדום *albus & rubicundus.* Adi tamen *Sam. Bochartum* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 34. ubi rufum fuiſſe contendit.

Ac formoſus] עם יפה *cum pulchro.* Fortè legendum יפי *jophi*, μετὰ κάλλους, ut habent LXX. Intt. Vix Hebraica eſt vulgaris lectio.

13. *Invaſitque eum*] ותצלח *vattitſlahh.* Vide ad Jud. XIV, 6.

Spiritus Jehovæ] Angelus fortè, qui datus illi comes & adjutor, incitatórque ad egregia facinora; aut adfectio ſingularis animi à Deo illi immiſſa, quâ ad virtutes, artéſque regias ſibi comparandas impellebatur.

Convivio vero peracto] Hoc ſupplevimus, nexûs causâ, quod neceſſariò intelligendum eſt; neque enim Samuel, ante convivium, domum rediit; unde intelligere licuiſſet, non Sacrorum, conviviique causâ, veniſſe eum Bethlechemum, ſed ut clam Jiſaïn alloqueretur, quod multas ſuſpiciones peperiſſet, quas vitari intererat & Samuelis & Jiſaïs.

14. *Exinde* ſpiritus Jehovæ receſſit à Saüle, exagitavitque cum ſpiritus malus à Jehova *profectus*. 15. At ſervi Saülis illi, en, inquiunt, ſpiritus Dei malus te exagitat. 16. Jubeat, quæſo Dominus noſter, *&* ſervi tui, *qui* tibi adſtant, quærent virum ſcientem citharâ canere; cúmque tibi incumbet ſpiritus Dei malus, pulſabit *citharam* manu ſuâ, & tibi bene erit. 17. Saül verò ſervis, diſpicite, quæſo, mihi virum, inquit, pulſandæ *citharæ* peritum, eúmque mihi adducite.

18. Tum unus ex ſervis reſpondit his verbis: novi filium Jiſaïs Bethlechemitæ, qui novit pulſare *citharam*, qui vir fortis eſt, bellicoſus, prudens in verbis, formoſus, & cui Jehova adeſt. 19. Miſit igitur Saül nuncios ad Jiſaïn, & mitte, inquit, ad me Davidem filium tuum, qui *eſt* apud minores pecudes. 20. Tum Jiſaïs ſumto aſino, panem, utrem vini, & hædum unum miſit per Davidem filium ad Saülem. 21. Venit David ad Saülem, eique adſtitit, cariſſimus fuit, ac ejus armiger factus eſt. 22. Deinde miſit Saül ad Jiſaïn, qui *ſuo nomine* dicerent, adſtet quæſo mihi David, gratiam enim

14. *Spiritus Jehovæ*] Vide ad antecedentem verſum.

Spiritus malus à Jehova] Nonnulli volunt à Cacodæmone agitatum Saülem, alii verò melancholico dumtaxat affectu perturbatum fuiſſe, qui Muſici inſtrumenti ſono leniretur, quod videtur veriſimilius. Morbus autem ejuſmodi ei eſt à Deo immiſſus, in delictorum pœnam.

15. *Spiritus Dei malus*] Qui hic dicitur רוח אלהים *rouahh elohim* antea dicitur רוח מאת יהוה *rouahh meeth Jehovah*, quæ loquutiones oſtendunt eſſe morbum à Deo immiſſum; qui ita fortè deſcribitur, quòd Hebræi exiſtimarent paroxyſmos, quales patiebatur Saül, effectus fuiſſe Spiritûs malefici, qui ſic Regem Iſraëlis vexaret, ut furioſum ageret. Hæc certè Judæorum fuit, tempore *Joſephi* Hiſtorici, ſententia, ut videbimus ad v. 32. Hæc autem dicebant Saülis miniſtri tempore, quo morbus intervallum ſanioris mentis ei præbebat.

16. *Jubeat* &c.] *Dicat quæſo Dominus noſter & ſervi tui, ante faciem tuam* &c.

Cithara] כנור *chinnor*. Vide not. ad Cap. X, 5.

Pulſabit citharam manu ſuâ & tibi bene erit.] Ex hiſce verbis liquet hanc fuiſſe iis temporibus, apud Hebræos, opinionem, inſtrumenti muſici ſonum aptum eſſe ad leniendos ejuſmodi morbos. Profectò cùm melancholici paroxyſmi ex incompoſitis motibus ſpirituum videantur naſci; muſici inſtrumenti ſonus, alio motu in iis excitato, eóque ordinato, nec nimis violento, placare tumultum ſpirituum interdum poteſt. Ejus rei exempla, etiam apud Græcos, narrabantur. H. *Grotius* & alii viri docti ad hunc locum verba Veterum Scriptorum attulerunt; ſed nihil vetat inſignia aliquot hic à nobis proferri. Primùm iram, quæ furor brevis eſt, Muſicâ leniri conſtat. *Theophraſtus* in libro περὶ ἐνθουσιασμῶν, apud *Apollonium* Hiſt. Mirab. c. 48. φησὶν αὐτὸς τὴν μουσικὴν πολλὰ τῶν ἐπὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γινομένων παθῶν ἰατρεύειν· οἷον λειποθυμίας, φόβους καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γινομένας τῆς διανοίας ἐκστάσεις. Ἰᾶται γάρ φησιν ἡ καταύλησις καὶ ἰσχιάδα καὶ ἐπιληψίαν: *ait ille muſicam multis animi, corporiſque affectionibus mederi, ut animi deliquio, timoribus & diuturnis mentis alienationibus. Sanat, inquit, tibiæ cantus etiam iſchiadem & morbum comitialem.* *Ælianus* V. H. Lib. XIV, cap. 27. de Clinia Pythagorico: ὅτε, inquit, εἴ ποτε εἰς ὀργὴν προήχθη, καὶ εἶχεν αἰσθητικῶς ἑαυτοῦ εἰς θυμὸν ἐξαγόμενον, πρὶν ἢ ἀνάπλεως αὐτοῦ ἡ ὀργὴ καὶ ἐπίδηλος γίνεται, ὅπως διάκειται, τὴν λύραν ἁρμοσάμενος ἐκιθάριζε· πρὸς δὲ τοὺς πυνθανομένους τὴν αἰτίαν ἀπεκρίνετο ἐμμελῶς ὅτι πραΰνομαι. *Is ſi quando in iram delapſus eſſet, ac ſentiret ſe ſe in indignationem rapi, illico antequàm ira plenior eſſet, & manifeſtum fieret qui eſſet affectus, aptatam lyram pulſabat. Quærentibus verò cauſam reſpondebat eleganter ſe mitigari.* Ad quem locum vide quæ adnotavit *Joan. Schefferus*. *Cenſorinus* de Die Natali, Cap. XII. *Pythagoras ut animum ſuû ſemper divinitate imbueret, priuſquàm ſe ſomno daret & cùm eſſet expergitus citharâ, ut ferunt, cantare conſueverat, & Aſclepiades Medicus phreneticorum mentes morbo turbatas ſæpe per ſymphoniam ſuæ naturæ reddidit.* Adi & quæ habet *Henr. Lindenbrogius*. *Macrobius* in ſomnium Scipionis Lib. II. cap. 3. de Muſica multis agit, & inter alia hæc habet: *Dat ſomnos, adimitque, nec non curas & immittit & retrahit; iram ſuggerit, clementiam ſuadet, corporum quoque morbis medetur; nam hinc eſt, quod ægris remedia præſtantes præcinere dicuntur.* *Martianus Capella* Lib. IX. de Nuptiis Philologiæ, ſic Muſicam ipſam nonnulla eorum, quæ ex aliis protulimus, ſibi vindicantem inducit p. 313. Ed. Grot. *Perturbationibus animorum, corporeiſque morbis medicabile crebrius carmen inſonui. Nam phreneticos Symphoniâ reſanavi. Quod Aſclepiades quoque Medicus imitatus, cùm conſulentibus urbium patribus plebis inconditæ vulgus infremeret, ſeditiones accenſas crebrior cantus inhibuit. Ebrios juvenes, proindéque improbiùs petulantes, Damon unus è ſectatoribus meis modulorum gravitate perdomuit; quippe tibicinem ſpondæum canere jubens temulentæ perturbationis dementiam infregit. Quid? aſflictionibus corporeis nonne adſiduâ meditatione ſuccurri? Febrim curabant, vulneráque veteres, cantione.* Jam nemo mirabitur muſicâ refocillatum Saülem à Davide. Vide plura collecta à *Sam. Bocharto* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 44.

18. *Qui vir fortis eſt & bellicoſus*] גבור חיל ואיש מלחמה, *fortis robore & vir belli.* Adoleſcens etiamnum erat David, ſed præcox virtus effecit ut maturè robur animi & corporis ſingulare oſtenderet. Vide Cap XXII, 34. Ita autem deſcribitur hîc David Saüli, quaſi eum non noſſet; quod probè notandum, contra eos qui hæc contigiſſe volunt poſt pugnam cum Goliatho. Alioqui non potuiſſet meliùs deſcribi, Regique magis commendari, quàm commemoratâ ejus de Goliatho victoriâ.

19. *Miſit nuncios ad Jiſaïn* &c.] Hæc quoque fieri non potuerunt, poſt eam victoriam, quia cùm id fortitudinis ſpecimen edidiſſet, Iſraë-

enim apud me nactus eſt. 23. Cùm autem ſpiritus Dei eſſet in Saüle, ſumebat in ma-
num citharam, quam manu pulſabat; reſpirabátque Saül, meliùs ei erat, & ſpiritus
malus ab eo recedebat.

XV. Bellum cum Philiſthæis gerunt Iſraëlitæ, in quo David fundâ occidit Goliathum, fortiſſimos quoſque Iſraëlitarum provocantem, territique Philiſthæi cæduntur.

1. CONVENERUNT deinde in caſtra ſua Philiſthæi, ad bellum gerendum, & coacti CAPUT
quidem ſunt Sochuntem, quæ eſt Judæ, caſtráque habuerunt inter Sochuntem XVII.
& Hazekam, ad fines Dammorum. 2. Saül verò & Iſraëlitæ convenerunt etiam,
& caſtra fecerunt in valle Elæ, atque aciem contra Philiſthæos inſtruxerunt.
3. Phi-

Iſraëlémque liberaſſet, non paſſus eſt ampliùs Saül eum domum redire, ut liquet ex Cap. XVIII, 2. De ratione quâ hæc cum ſequentibus in concordiam redigi queant, videbimus ad calcem Capitis ſequentis.

20. *Sumto aſino* &c.] ויקח ישי חמור לחם ונאד יין *& ſumſit Jiſais aſinum, panem & utrem vini*, hoc eſt, aſinum cui impoſuit panem, vini utrem & hædum. Nihil eſſet hîc quod vel minimâ Interpretum operâ indigeret, niſi LXX. Intt. malè verba hæc convertiſſent γόμορ ἄρτων καὶ ἀσκὸν οἴνου, quaſi legendum eſſet חמר *hhomer*, quod nomen eſt menſuræ, non חמור *hhamor*. Sed primò ſcribendum fuiſſet χόμορ, quæ eſt eadem ac *Corus*; non γόμορ, quæ eſt eadem ac עמר *homer*, & quæ minor multò eſt menſura. Deinde nihil nos cogit conſtruere חמור *hhamor* cum לחם *lehhem*. *Hieronymus* habet, *aſinum plenum panibus & lagenam vini* &c. Malim aſinum onuſtum pane, utro vini & hædo; ita ut David nihil bajularet. Modicum hoc fuit munus, pro captu temporum illorum, & tenuitate facultatum Jiſaïs. Vide Cap. XVIII, 18, 23.

21. *Venit David* &c.] Hæc ſatis oſtendunt unctionem Davidis occultam planè fuiſſe Saüli. Alioqui nec Saül hominem umquam ad ſe vocaſſet, nec David, ſi rem illi ſuboluiſſe ſuſpicatus eſſet, domum regiam adire ſuſtinuiſſet; ubi vel minima rumuſculi aura hominem perdere potuit. Clam ergo res fuit & perpaucis nota.

Eique adſtitit] Hoc eſt, inter miniſtros fuit Regi perpetuò adſtantes, ut imperiis ejus parerent, mandatáque è veſtigio exſequerentur.

Cariſſimus ei fuit] *Amavit eum valde.*

Ejus armiger factus eſt] ויהי לו לנשא כלים *& fuit illi inferentem vaſa*; quæ planius dicerentur כלי מלחמה *chle milhhamah*, vaſa belli, nempe, arma, ut Cap. XIV, 1. & alibi ſæpe.

22. *Apud me*] *In oculis meis.*

23. *Spiritus Dei*] Intelligendum, *malus*, ut v. 16, & in ſequentibus.

Reſpirabátque Saül] *Et reſpiratio Saüli.* Rem ſic exprimit *Joſephus* Ant. Jud. Lib. VI. cap. 9. Σάυλον δὲ περιήρχετο πάθη τινὰ καὶ δαιμόνια, πνιγμοὺς αὐτῷ καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα, ὡς τοὺς ἰατροὺς ἄλλην μὲν αὐτῷ θεραπείαν μὴ ἐπινοεῖν, εἰ δέ τις ἐξᾴδειν δυνάμενος καὶ ψάλλειν ἐπὶ κινύρᾳ, τοῦτον ἐκέλευον ζητήσαντας, ὁπόταν αὐτῷ προσίῃ τὰ δαιμόνια καὶ ταράττῃ, ποιεῖν ὑπὲρ κεφαλῆς ἑστῶτα ψάλλειν καὶ τοὺς ὕμνους ἐπιλέγειν: *Saulum verò circumvenerunt affectus graves & dæmoniaci, qui ſuffocationes illi & ſtrangulationes creabant, ita ut Medici aliam curationem illi non comminiſcerentur, niſi ſi quem excantare ſcientem & pallere citharâ juberent quæri, ut quando affectus dæmoniaci eum arriperent & turbarent, curarent eum ad cervical ejus ſtantem pallere, & hymnos recitare.* Exiſtimabat, nempe, Cacodæmonas, qui Saülem vexabant, non muſicâ, ſed excantatione quadam, cujus efficacia in hymnis erat, ad certum tempus expulſos fuiſſe; reique exitum his verbis deſcribit: ποιήσας ὁπλοφόρον διὰ πάσης εἶχε τιμῆς. ἐξῄδετο δὲ ὑπ' αὐτοῦ καὶ πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν δαιμονίων ταραχήν, ὁπότε αὐτῷ ταῦτα προσέλθοι, μόνος ἰατρὸς ἦν λέγων τε τοὺς ὕμνους καὶ ψάλλων ἐν τῇ κινύρᾳ καὶ ποιῶν ἑαυτοῦ γίνεσθαι τὸν Σάυλον: *cùm eum feciſſet armigerum ſuum, omni honore hominem afficiebat. Excantabatur verò ab illo, & contra perturbationem à Dæmonibus illatam, cùm hæc ei contingerent, ſolus erat medicus recitans hymnos & citharâ pſallens, ut Saul ſui compos fieret efficiens.* Quæ videtur potiùs ex opinionibus ſui ævi dixiſſe, quàm ex Veteri Teſtamento hauſiſſe. Certè nulla hîc eſt hymnorum ullorum, & excantationis mentio.

Spiritus malus ab eo recedebat] Hoc eſt, aut morbus ipſe, ſive inuſitatus ſpirituum animalium motus, mechanicâ ratione, ope contrarii motûs, ſono citharæ excitati, compeſcebatur; aut Cacodæmon ab eo recedebat, imaginationis motu coërcito. Præſtat hîc ἐπέχειν, quàm incerta affirmare.

In CAPUT XVII.

1. *SOchuntem*] שוכה *ſchochoh.* De hoc loco, ſic *Euſebius*: Σοχχὼ κώμη· εἰσὶ δύο ἀνιόντων ἀπὸ Ἐλευθεροπόλεως εἰς Αἰλίαν ἐν τῷ θ' σημείῳ· ἡ μὲν ἀνωτέρα ἡ δὲ κατωτέρα Σοχχὼθ χρηματίζουσαι φυλῆς Ἰούδα. *Hieronymo* interprete: *Soccho in Tribu Juda. Sunt autem uſque hodie viculi duo, pergentibus Æliam de Eleutheropoli, in nono milliario viæ publicæ, unus in monte, alter in campo ſitus, qui Soccoth nominantur.*

Hazekam] עזקה *hazekah.* Vide ad Joſ. X, 10.

Ad fines Dammorum] באפס דמים *beephes dammim.* Hic locus 1. Par. XI, 13. פס דמים *phas dammim* vocatur.

2. *In valle Elæ*] בעמק האלה *behemek haelah.* LXX. Intt. in Codd. Romano & Alexandrino, ἐν κοιλάδι αὐτοί, quaſi poſtremum vocabulum legendum eſſet *haelleh*. In Codice Complutenſi, eſt δρυός, in Aldino τῆς τερεβίνθου, ut & apud Vulgatum.

3. Con-

3· Philiſthæi quidem conſtiterant ad montem illinc, Iſraëlitæ verò hinc ad montem ſtabant, valliſque inter eos erat. 4· Tum egreſſus eſt vir in medium, è caſtris Philiſthæorum, cui nomen Goliatho; Gathenſis *fuit*, ejúſque ſtatura erat ſex cubitorum & ſpithamæ. 5· Galea ænea capiti ejus impoſita erat, loricámque ſquamatam induerat, & ejus loricæ pondus fuit quinque millium ſiclorum æneorum. 6· Ocreas æneas pedibus gerebat, clypeúſque æneus inter ejus humeros erat. 7· Lignum verò haſtæ ejus erat inſtar liciatorii textorum, & cuſpis ſexcentorum ſiclorum ferri. Armiger autem ejus ante eum incedebat. 8· Conſtitit ille & clamavit *converſus* ad aciem Iſraëlitarum, & cur, inquit illis, egredimini ut acie inſtructâ pugnetis? Annon ego ſum Philiſthæus, vos verò ſervi Saülis? Eligite vobis virum, qui contra me deſcendat. 9· Si quidem potuerit pugnare mecum, méque occiderit, vobis ſerviemus; ſin verò ſuperior ego fuero illo, eúmque occidero, eritis ſubditi & ſervietis nobis. 10· Dein dixit Philiſthæus: hodie probro affeci aciem Iſraëlis. Date mihi virum, unáque pugnemus.

11· Au-

3· *Conſtiterant ad montem illinc*] Veluti utrimque exſpectantes ſi fortè hoſtes ſe ſe in vallem eſſent demiſſuri, & contra ſe iniquo loco aciem erecturi.

4· *Vir in medium*] איש הבנים *iſch babbenajim*. Verterunt LXX. Intt. ἀνὴρ δυνατὸς, ex conjectura; *Hieronymus*, *ſpurium*, cujus interpretationis reddere rationem fruſtra conatur H. *Grotius*. Mihi maximè arridet eorum interpretatio, qui intelligunt בנים, quaſi eſſet *medietatum*, à בין *ben*, inter; quòd auderet ſolus procedere in ſpatium, quod erat inter duas acies, ſeu vallem. Infra v. 23. in Codd. Alexandrino & Aldino vertitur ὁ Ἀμεσσαῖος, quod meliùs in Complutenſi editione legitur ὁ μεσαῖος, hoc eſt, medius. Verum is locus abeſt à Codice Vaticano, & fortaſſe ex alio Interprete petitus eſt, cùm vix credibile ſit unum Interpretem in eodem Capite à ſe diſſenſurum fuiſſe.

Sex cubitorum & palmi] Cùm ceteri homines ſint plerumque ſex pedum, hic erat undecim pedum & trium pollicum; quæ eſt gigantea ſtatua. Vide ad Deut. III, 11. LXX. Intt. habent τεσσάρων πήχεων & ſic quoque *Joſephus* Lib. VI. c. 10. Fortè ne incredibilis ſtatura hominis lectoribus Ethnicis videretur, ſatis habuerunt dicere hominem fuiſſe circiter octo pedes altum, pro menſura cubiti tradita ad Gen. VI.

5· *Loricámque ſquamatam*] שריון קשקשים *ſchirjon kaſchkaſchim*, lorica ſquamarum; hoc eſt, conſtans laminis quarum aliis aliæ impoſitæ ſunt, inſtar ſquamarum. Quod armaturæ genus notiſſimum erat in Oriente, ut multis oſtendit *Sam. Bochartus*, Phalegi Lib. III. cap. 13.

Quinque millium ſiclorum æneorum] Cùm Siclus ſit ſemiuncia Romana, eſſent unciæ bis mille quingentæ, ac proinde circiter ducentæ octo Libræ Romanæ duodecim unciarum. Quod pondus magnum quidem eſt, ſed non nimium corpori tantæ ſtaturæ; nec multò minus eſſe potuit ut ſquamæ illæ gladiis, haſtis & ſagittis reſiſtere poſſent. Itaque non eſt mutandum hic ejus pondus in pretium, ita ut ſignificetur lorica emta fuiſſe quinquies mille ſiclis æneis, quemadmodum volunt nonnulli. Erat ergo pondus æris, in hac lorica facienda inſumti, ducentis Romanis libris gravius.

6· *Ocreas æneas*] מצחת נחשת *mitsbhath nbboſcheth*. LXX. Intt. κνημῖδες χαλκαῖ & Vulg. *ocreæ æneæ*. Militare fuit calceamentum, unde Græci ab *Homero* dicuntur χαλκοκνήμιδες Iliad. H. 41. Mirum eſt eumdem Poëtam Achilli tribuere Iliados Σ, 612. κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο, *ocreas ex ſplendido ſtanno*, cùm mollius hoc ſit metallum. Sed tamen fingit telis impervium fuiſſe, Iliad. Φ. ubi ita de telo Agenoris, Antenoris filio, v. 591.

Καί ῥ' ἔβαλε κνήμην ὑπὸ γούνατος, οὐδ' ἀφάμαρτεν,
Ἀμφὶ δέ μιν κνημὶς νεοτεύκτου κασσιτέροιο
Σμερδαλέον κονάβησε· πάλιν δ' ἀπὸ χαλκὸς ὄρουσε
Βλημένου, οὐδ' ἐπέρησε, Θεοῦ δ' ἠρύκακε δῶρα.

Et percuſſit tibiam ſub genu, neque aberravit; & circa illam ocrea recens facricati ſtanni graviter inſonuit, ferrum autem reſultavit à percuſſo, neque pertudit, ac Dei obſtiterunt dona.

Clypeúſque æneus inter ejus humeros] Clypeus hic כידון *chidon* dicitur. LXX. Intt. ἀσπὶς χαλκῆ, & Vulg. *clypeus æreus*; nec ſanè quidquam huic militi, qui fuit graviter armatus, potuit eſſe inter humeros præter clypeum illuc rejectum, antequàm pugnaret. At *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 8. *lanceam* eſſe contendit, & quater quidem in Scriptura occurrere obſervat. Primùm legitur Joſ. VIII, 18, & 26. & illic quidem optimè verti clypeum oſtendimus. Secundùm hoc in loco, in quo res non minùs eſt plana, cùm ob rationem modò allatam, tum etiam quòd diſtinguatur ab haſta v. 45.

Verùm objicit nobis, quod dicitur verſu ſequente: *& ferens* הצנה, *clypeum*, *ante eum incedebat*. Verùm hic *ferens clypeum* eſt ſimpliciter armiger, ut alibi נשא כלים *ferens vaſa*, dicitur ab eo officio, quamvis nihil ferat. Hinc LXX. Intt. verterunt αἴρων ὅπλα & Vulgatus *armigerum*. Igitur quamvis Goliathus clypeum ad humeros rejectum ipſe geſtaret, attamen dicitur *clypeum ferens*, hoc eſt, armiger ante eum inceſſiſſe. Neque contrarium liquet ex v. 45. ubi David Philiſthæo: *tu venis, contra me gladiô, haſtâ*, & כידון chidon, *inſtructus*; nec licet inde colligere poſtremum hoc fuiſſe teli genus, æquè ac gladium & haſtam. Satis enim eſt militi graviter armato unum teli genus geſtaſſe, nempe, haſtam, præter gladium, nec ſolebant ejuſmodi milites duobus generibus telorum inſtrui. Ut reponat vir magnus argumento eorum, qui כידון *chidon* clypeum eſſe colligunt, quòd eſſet inter humeros, multis probat arma, qualia ſunt gladius & ſagittæ, ab humeris ſuſpenſa, quod verum eſt; ſed haſtam, quippe lon-

11. Audiverunt Saül & omnes Iſraëlitæ hæc Philiſthæi verba, territique ſunt & vehementer timuerunt. 12. David autem, filius fuit Ephrathæi illius *quem dixi*, Bethlechemo Judæ, cui nomen fuit Jiſaï, & octo erant filii; qui vir temporibus Saülis ſenex erat & provectæ ætatis. 13. Filii ejus tres, maximi natu, ſequuti fuerant Saülem in bellum, & trium quidem illorum, qui militatum iverant, nomina erant maximi quidem natu Eliabus, alterius Abinadabus, tertii Samma. 14. David verò minimus natu *erat*, & tres illi maximi natu Saülem ſequuti fuerant; 15. *nam* David quidem à Saüle ultro, citróque commeabat, ad paſcendas patris ſui minores pecudes Bethlechemi. 16. Accedebat interea Philiſthæus mane & veſperi *ad Iſraëlitarum caſtra*, atque *illic* conſtitit per quadraginta dies. 17. Dixit autem Jiſaïs Davidi filio: accipe, quæſo, fratribus tuis Epham *hordei* toſti hujus, & decem hoſce panes, excurritóque ad fratres in caſtra. 18. Decem verò caſeos illos lacteos feres ad Chiliarchum, fratréſ-

longiorem, inde ſuſpenſam fuiſſe nequaquam probat. Armiger potiùs alteram haſtam tuliſſet, quàm clypeum.

De locis Jobi & Jeremiæ quod attinet, ubi hæc vox occurrit, agemus, Deo juvante, cum ad ea devenerimus, oſtendemúſque ubique optimè convenire clypei ſignificationem. Vir ſummus *Joſephum* quaſi clypeum hîc nobis objicit, ſed Hiſtoricum Hebræum hîc ineptire nemo non animadvertat, lectis ejus verbis, quæ ſic habent: ὅπλα τῇ φύσει τοῦ σώματος ἀναλογοῦντα περικείμενος· θώρακα μὲν γὰρ ἐνεδέδυτο σταθμὸν ἄγοντα πέντε χιλιάδας σίκλων, κόρυθα δὲ καὶ κνημῖδας χαλκέας ὁποίας εἰκὸς ἦν ἀνδρὸς οὕτω παραδόξου τὸ μέγεθος σκεπάσαι μέλη· δόρυ δ' ἦν οὐ κοῦφον βάσταγμα δεξιᾶς ἀλλ' ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτὸ αἴρων ἔφερεν, εἶχε δὲ καὶ λόγχην ἑξακοσίων σίκλων· εἵποντο δὲ πολλοὶ βαστάζοντες τὰ ὅπλα. *Cinctus erat armis magnitudini corporis congruentibus, thorace enim indutus erat, qui quinque millia ſiclorum pendebat, caſſide verò & ocreis æneis qualibus par erat viri magnitudinis adeò inuſitatæ membra tegi. Haſta erat non leve geſtamen dextræ, ſed in humeris ipſe ferens eam geſtabat. Habebat etiam lanceam ſexcentorum ſiclorum. Sequebantur & multi ferentes arma.* Nemo non videt omiſſum hîc eſſe clypeum, datáque Goliatho duo haſtæ genera; & perabſurdè multos induci armigeros, cùm unum Scriptura memoret.

7. *Lignum*] Sequuti ſumus marginem, in qua חץ *hhets*, quod eſt in textu, mutatur in עץ *hets*. Attamen *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. III. C. VIII, 11. præfert τὸ כתיב interpretatúrque *ſagittam*, ſive *haſtile*.

Inſtar liciatorii] כמנור *chimnor*. LXX. Intt. ὡσεὶ μέσακλον, Hieronymus: *inſtar liciatorii*. Ut rectè hæc intelligere poſſemus, oporteret nos deſcriptiones antiquas ejuſmodi inſtrumentorum habere.

Sexcentorum ſiclorum] Hoc eſt, viginti quinque librarum Romanarum. Erant ſine dubio cum lamina junctæ appendices quædam ferreæ, quarum ope ligno adhærebat cuſpis.

Armiger] נשא הצנה *noſche hatsinnah*, ferens clypeum. Eſt σκευοφόρος, ut jam anteà diximus.

8. *Ut acie inſtructâ pugnetis*] לערך למלחמה *laharoch lammilhhamah*, *ad inſtruendum ad bellum*, aut *ad prælium*.

Servi Saülis] Hebræi non habent vocem quâ liberos homines, qui Regi parent, diſtinguant à mancipiis; nec ſine nimia libertate poterat hoc Latinè exprimi.

9. *Vobis ſerviemus*] Ut ita loqueretur, præſertim per quadraginta dies, poteſtatem accepiſſe à primoribus Philiſthæorum oportuit; qui facilè conſenſerant, quòd ſimilem viribus & virtute, apud Hebræos, eſſe non putarent. Nec tamen victo Goliatho, voluerunt promiſſis ejus ſtare, ut ſatis liquet ex Hiſtoria. Poteſt hoc conferri cum Horatiorum & Curiatiorum prælio, ante quod, ut habet *Livius* Lib. I. c. 23. fœdus ictum inter Romanos & Albanos eſt, his legibus *ut cujuſque populi cives eo certamine viciſſent, is alteri populo cum bona pace imperitaret.*

12. *Ephrathæi illius quem dixi*] Eſt tantùm Hebraïcè הזה *hujus*. Sed Latinè loquenti ſupplendum aliquid fuit, ut & v. 23.

Octo erant filii] Idem liquet ex Cap. XVI, 10, 11. ubi etiam minimus David dicitur. Itaque 1. Par. II, 15. ubi David dicitur *ſeptimus* filiorum Jiſaïs mendum eſſe crediderim, noménque unius Davidis fratrum omiſſum.

Provectæ ætatis] בא באנשים *ba baanaſchim*, veniens inter viros. Aliàs Hebræi dicant בא בימים ba bajjamim, *veniens in dies*.

13. *Filii ejus tres* &c.] *Et abierunt tres filii Jiſaïs magni, abierunt poſt Saülem in bellum.*

14. *Minimus natu*] *Parvus*. Natus erat David tunc temporis minimùm viginti annos, jámque ſpecimina roboris & audaciæ magna ediderat, quæ narrat inferiùs Saüli.

15. *Ultro citróque commeabat* &c.] *Ibat & redibat*. Hinc liquet nec quæ dicta ſunt antea Cap. XVI, 22. obſtitiſſe quominùs David ſubinde à Saüle ad patrem iret; nec munus armigeri ſolum obtinuiſſe, cùm ſine Davide Saül expeditionem hanc ſuſcepiſſet. Eadem operâ, intelligere eſt hæc contigiſſe poſtquàm David Saüli innotuerat; nec capio quî poſſit hoc ab eruditis nonnullis Interpretibus negari.

16. *Mane & veſperi*] השכם והערב, *manè ſurgendo & veſperi veniendo*. Vocabula finxerunt LXX. Intt. aut alius Græcus interpres: ὀρθρίζων καὶ ὀψίζων.

17. *Epham hordei toſti*] איפת הקלי *ephath bakkali*. De *kali* vide dicta ad Levit. XXIII, 14. Epha continebat, ex calculo *Eduardi Bernardi*, circiter libras 50 hordei, ex eo pondere qui dicitur *Avoir du poids*, in Anglia, pauciores toſti, quia toſtum levius eſt. Hinc polentam conficiebant. Exercitus autem Hebræorum, qui civibus conſtabant, alebantur à civibus, non à Regibus.

18. *Feres ad Chiliarchum*] Honoris causâ, ut filios benigniùs haberet.

In-

Digitized by Google

tréſque inviſes, *ut ſcias* ſatiſne bene ſe habeant, ac pignus eorum ſumes. 19. Saül autem & illi & omnes reliqui Iſraëlitæ ſunt in valle Elæ, bellum cum Philiſthæis gerentes.

20. Mane ſurrexit David, commiſſiſque cuſtodi pecudibus, *ſibi tradita* ſuſtulit, abiitque, prout ei præceperat Jiſaïs. Cùm verò ad vallem perveniſſet, exercitus, qui exibat inſtructus, clamore ad prælium procedebat. 21. Inſtructi erant Iſraëlitæ & Philiſthæi, ita ut acies aciei oppoſita eſſet. 22. Tum David, depoſitis impedimentis ſuis, apud eorum cuſtodem, cucurrit in aciem, venitque ad fratres, atque ab iis petiit an ſatis rectè haberent? 23. Dum colloqueretur cum illis, ecce verò in medium prodiit Philiſthæus Gathenſis, cui Goliatho nomen erat, ex acie Philiſthæorum, protulitque verba illa *antea memorata*, audiente Davide. 24. Omnes verò Iſraëlitæ, cùm virum viderunt, aufugerunt ab ejus conſpectu, & vehementer timuerunt.

25. Tum quidam Iſraëlita *aliis*, an vidiſtis, inquiebat, virum illum qui progreſſus eſt, eúmque progreſſum eſſe, ut probro Iſraëlem afficeret? Atqui quiſquis eum occiderit, Rex eum magnis divitiis donabit, filiámque ſuam ei collocabit & familiam ejus immunem in Iſraële faciet. 26. Ibi David viris qui adſtabant, quid fiet, inquit, viro, qui Philiſthæum hunc occiderit, & probrum ab Iſraële amoverit? Quis autem hic eſt Philiſthæus incircumciſus, ut probra jaciat in aciem Dei viventis? 27. Reſpondit verò

Inviſes ut ſcias, ſatiſne bene] תפקד לשלום thiphkod lſchalom, *inviſes de pace*. Quæres ab illis השלום להם *an pax* (id eſt, incolumitas) *illis ſit*.

Pignus eorum ſumes] את ערבתם תקח *eth harubbatham thikkahh*. LXX. Intt. καὶ ὅσα ἂν χρήζωσι γνώσῃ. Ex conjectura ſic verterunt, niſi malimus cum *Lud. Cappello* Criticæ Sacræ Lib. IV. C. XII, 4. dicere eos legiſſe צרכתם *tſorchatham*. Vulgatus habet: & *cum quibus ordinati ſint diſce*, quòd legerit, ut idem putat, ערכתם *baruchatham*, ejuſdem operis Lib. V. c. IX, 14. Sed poſſet lectio noſtra ſic quoque converti, nam ערב eſt *miſcere*, ac proinde ערבה poſſet ſignificare *miſturam*, & hoc in loco eos quibuſcum ordinati erant. *Pignus* vertimus, quia potuit fieri ut inter Jiſaïn & filios conventum eſſet, ſe miſſuros & accepturos *pignus*, aut *teſſeram*; ex qua intelligerent fidem haberi oportere nuncio eorum nomine venienti. Chaldæus habet וית טיבותהון תיתי & *bonum eorum ſtatum adferes*, ex mera etiam conjectura.

20. *Ad vallum perveniſſet*] *Et venit* המעגלה *in ambitum plauſtrorum*, nam hæc eſt propria ſignificatio vocis, quæ aut orbitam, aut plauſtrorum ambitum ſignificat. Poteſt ſanè fieri, ut Hebræi caſtra ſua plauſtris cingerent, quod & aliæ gentes ſolebant facere. Sed cùm res certa non ſit, & agatur hîc de caſtris, generali nomine *valli* uti maluimus; quia hac voce ſignificatur aut vallum propriè dictum, aut quidquid valli loco fuit. In Editione Romana multi verſus hic omiſſi ſunt, ſed in Codice Alexandrino & Aldino, quibus hi verſus non deſunt, hæc vox omiſſa eſt; in Codice verò Complutenſi eſt εἰς στρογγύλωσιν, *in ambitum*. Hieronymus: *ad locum Magalah*, incommodiſſimè omnium.

Exercitus qui exibat] *Exercitus exiens in aciem*, & *clamabant in bello*, aut *in prælio*. Exibant animo pugnandi, ſi Philiſthæi ſe in locum iniquum demiſiſſent, at vallem ipſi tranſgreſſuri non videbantur.

22. *Impedimentis*] *Vaſibus*, כלים, quibus, nempe, panes, caſeos & hordeum toſtum ferebat.

Venitque ad fratres] Norat enim Judæ Tribum in prima acie verſari. Vide Num. C. II, 3. X, 14.

An ſatis rectè haberent] לשלום *de pace*.

23. *In medium prodiit*] *Vir medietatum adſcendens*. Veniens, nempe, ad radices collis, quem occuparant Iſraëlitæ.

Ex acie Philiſthæorum] ממערכות *mimmaharuchoth*, *ex ordinibus*. Sic rectè legendum cenſuerunt Maſſorethæ, nam eſt ſcriptum in textu ממערות *mimmaharoth*, quod *ſpeluncas* ſonat; in quas ſe abdidiſſe non videntur Philiſthæi, qui rebus ſuis tum confidebant.

Verba illa antea memorata] Supplevimus Latinè loquentes *antea memorata*, ut ſupra v. 12.

24. *Aufugerunt*] Hoc eſt, nemo in æquum locum auſus eſt deſcendere, ſingularis certaminis ineundi causâ; nam ceteroquin eumdem caſtrorum locum tenuiſſe Hebræos ſequentia oſtendunt.

25. *Atqui quiſquis eum*] *Et erit vir qui eum percutiet ditabit eum*.

Immunem] חפשי *hhophſchi*, hoc eſt, nullis tributis, vectigalibúſque obnoxiam.

26. *Quid fiet*] Volebat rem repeti, ut meliùs intelligeret.

Philiſthæus incircumciſus] Sunt verba plena contemtu, ut oſtendat rem indignam eſſe, nec ab Hebræis tolerandam, Philiſthæum impunè ita laceſſere populum Hebræum.

27. *Quæ dixi*] *Secundùm verbum hoc*.

28. *Cui demandaſti curam*] *Supra quem reliquiſti*.

29. *Ita res habet*] *Annon verbum illud*? Res, nempe, quam dixi vera eſt. Moroſior æquo erat Eliabus, erga minimum natu fratrem.

30. *Simili ratione*] *Secundùm verbum hoc*.

Ut antea dictum] *Verbum ſicut verbum prius*.

31. *Sumſit*] Acceſſivit ad ſe, in tentorium ſuum.

32. *Ullius animus*] לב אדם *leb adam*. LXX. Intt. καρδία τοῦ κυρίου μου. Legerunt אדני *adoni*.

Servus tuus vadet] Effectus hoc fuit ſpiritûs illius, qui magnum & excelſum animum in

rò ei populus quæ dixi, & ſic, inquit, fiet viro qui eum occiderit. 28. Audivit autem Eliabus frater ejus natu maximus, cùm homines alloqueretur, accenſáque eſt ejus ira in Davidem, & cur ſic, inquit, huc veniſti, & cui demandaſti *curam* paucarum illarum pecudum, quæ in deſerto paſcuntur? Novi ego ſuperbiam tuam, & nequitiam animi tui; propterea veniſti huc, ut prælium videres. 29. Quid verò feci, inquit David? Nonne ita res habet? 30. Deinde ſe ex ejus conſpectu amovit, & ad alium *ſe convertit*, quem ſimili ratione alloquutus eſt; reſponditque ei populus, ut antea dictum eſt.

31. Cùm audita eſſent verba, quæ dixerat David, ea *nonnulli* renunciarunt Saüli, qui eum ſumſit. 32. Saüli verò David, ne, inquit, ullius animus ejus causâ concidat. Servus tuus vadet & pugnabit cum illo Philiſthæo. 33. At Saül Davidi, non poteris, inquit, ire contra Philiſthæum illum, ut cum eo pugnes; tu enim adoleſcens es, ille verò vir ab adoleſcentia bellicoſus. 34. Ad hæc David Saüli, dum ſervus tuus, inquit, paſtor fuit minorum pecudum patris ſui, cùm venit leo, aut urſus, qui è grege agnum rapuit, poſt eum egreſſus eum occidi & ori ejus pecudem eripui. *Fera quidem* in me inſurrexit, ſed arreptâ ejus barbâ, eam ferii & occidi. 36. Et leonem & urſum occidit ſervus tuus, eorúmque inſtar erit hic Philiſthæus incircumciſus, quia in aciem Dei vivi probra jecit. 37. Jehova, inquiebat præterea David, qui me à leone & ab urſo liberavit, idem me manui hujuſce Philiſthæi eripiet. Vade ergo, inquit Saül, & adſit tibi

in Davide peperit, poſtquàm à Samuele unctus eſt.

31. *Adoleſcens es*] נער אתה *nahar atthah*. LXX. Intt. παιδάριον εἶ σύ. Vulg. *puer es*. Quæ de adoleſcente intelligenda ſunt.

34. *Paſtor fuit minorum pecudum*] *Paſtor fuit patris ſui in minores pecudes, & venit* &c.

Cùm veniret leo, aut urſus] ובא הארי ואת הדוב *ouba haari veeth haddob*, *& venit leo & urſus*. Rectè vidit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. III. c. 4. oportere verti ואת *veeth*, non *&*, ſed *aut*, primùm quia eſt בא *ba* in ſingulari, & reliqua omnia ſunt in eodem numero, unde colligere eſt non utramque feram ſimul ſpectari, ſed alterutram; deinde quia David urſo & leoni ſimul irruentibus reſiſtere non potuiſſet, aut etiam pecudem raptam eripere. Addit vir doctiſſimus ſolum leonem venari, nec ſocium ullum admittere, quam in rem profert quædam loca Veterum. Sed cùm difficillimum ſcitu ſit annon leo patiatur, dum gregem ex una parte invadit, cum ex altera invadi ab urſo, aut alia fera, ea teſtimonia miſſa fecerim. Obſervandum potiùs ואת non neceſſariò verti *& eum*, ut nonnulli fecerunt, quia את conjungitur etiam cum nominativo, & quidem, ut hoc loco, cum verbo בא, Dan. IX, 13. Vide *Sal. Glaſſium* Phil. Sacr. Lib. III. Tr. I. can. 29. Hic igitur David, ut optimè idem vir ſummus, non unum aliquod factum narrat, ſed dicit ſe, dum fuerat paſtor ovium & caprarum patris ſui, leone aut urſo rapiente pecudem, non ſolitum eſſe fugere; ſed contrà eos inſequi, & leonem quidem ac urſum occidiſſe, at non eodem tempore.

Agnum rapuit] נשא שה *naſcha ſche*, ſic enim legendum ut eſt in Plantinianis Editionibus, non זה *zeh*, ut in aliis nonnullis. Ideò LXX. habent πρόβατον, & Vulg. *arietem*, quia שה minorem quamvis pecudem ſonat de ovillo, aut caprino genere.

Fera quidem in me inſurrexit] Narrat tamen hîc David ſingulare quidpiam, neque enim putandum ſæpius contigiſſe, ut tam periculosè cum fera luctaretur. Nec credendum Davidem nudâ vi reſtitiſſe leoni, aut urſo; ſed dum ſiniſtrâ barbam leonis teneret, venabulo, aut gladio feram confodiebat. Nec hoc nimis mirum videri debet, cùm leones ſæpe ab hominibus terreantur, & capiantur etiam ab inermibus. *Melchior Thevenotius* in Continuatione Itineris per Orientem Lib. I. c. 13. ubi navigationem per Tigrin deſcribit: *Arabes*, inquit, *non timent leones*, *& modo Arabs inſtructus ſit baculo, leonem ſequetur; ſique eum adipiſcatur, occidet.* At in Davide adoleſcentulo animus ad tam audacia facinora, non ſine Numine, excitabatur, quaſi ad rerum ab eo poſtea gerendarum proludia, & exercitationes quibus ad majora confirmabatur.

Arreptâ ejus barba] Leoni, vel leænæ hoc convenit, ut obſervat *Bochartus*, non urſo; nec neceſſe eſt ut David urſum eodem modo occiderit, ac leonem. Satis eſt ſemel hoc contigiſſe leoni, ut ita loqui poſſit. Cùm *Hieronymus* vertit hic *mentum*, intellexit barbam, ut Græcè γένειον utrumque ſignificat. LXX. verò Interpretes qui habent τοῦ φάρυγγος videntur difficultatem minuere voluiſſe, quia facilius videtur ſuffocando feram eam vincere, quàm barbâ arreptam occidere. Talia ſæpe in ea verſione occurrunt, ut & in *Joſepho*, qui hac in re etiam Scripturam emendare voluit. Sic enim inducit Davidem loquentem: λέοντα γὰρ ἐπελθόντα μου ποτὲ τοῖς ποιμνίοις καὶ ἁρπάσαντα ἄρνα διώξας καταλαμβάνω, καὶ τὸν μὲν ἄρνα ἐκ τοῦ στόματος ἐξαρπάζω τοῦ θηρός· αὐτὸν δὲ ὁρμήσαντα ἐπ' ἐμὲ τῆς οὐρᾶς βαστάσας καὶ προσρήξας τῇ γῇ διαφθείρω· ταὐτὸ δὲ καὶ ἄρκτον ἀμυνόμενος διέθηκα: *leonem enim, qui irruerat aliquando in meos greges, & rapuerat agnum perſequutus, corripio & agnum quidem ex ore feræ rapio, ac illam in me cùm impetum feciſſet, caudâ ſublatam ac in humum adflictam occido. Sic etiam urſum defendens gregem excepi.*

36. *Dei vivi*] אלהים חיים *elohim hhajim*, Deorum viventium. Promiſcuè אלהים *elohim* cum adjectivo ſingulari & plurali conſtruitur. Vide antea C. VII, 20.

37. *A leone & ab urſo*] *A manu leonis & à manu urſi.*

tibi Jehova. 38. Deinde induit Saul Davidem armis ſuis, impoſuitque capiti ejus galeam æneam, & veſtivit eum loricâ. 39. Accinxit denique David ſibi gladium ejus, ſuper armis, & voluit gradi, neque enim *ea arma* expertus erat. Tum dixit Saüli David: non potero procedere in hiſce *armis*, quia earum periculum non feci; eáque à ſe amovit.

40. Poſtea cepit baculum ſuum in manum, elegitque ſibi quinque læves ſilices è valle, eóſque poſuit in pera paſtoritia, quam habebat; cúmque ea pera & fundam manu gerens acceſſit ad Philiſthæum. 41. Progreſſus verò Philiſthæus paullatim, acceſſit ad Davidem, ut & vir, qui clypeum ei præferebat. 42. Adſpexit autem Philiſthæus Davidem, eúmque vidit ac ſprevit; quia adoleſcens erat & rubicundus, idémque formoſus adſpectu. 43. Ibi Davidi Philiſthæus, an ſum, inquit, canis, cùm tu venias contra me baculo inſtructus? Dein per Deos ſuos ei malè precatus eſt Philiſthæus. 44. Veni verò ad me, inquiebat ille Davidi, dabóque carnem tuam avibus cœli, & ſilveſtribus feris. 45. At David Philiſthæo, tu verò, inquit, venis contra me gladio, haſtâ & clypeo inſtructus; ego autem contra te venio fretus nomine Jehovæ *Dei* exercituum, Deique aciei Iſraëlis, in quam probra jeciſti. 46. Hodie tradet te Jehova in manum meam, te occidam, ac capite truncabo; dabóque cadavera caſtrorum Philiſthæorum hodie avibus cœli, & feris terræ; ac ſciet tota regio Deum eſſe Iſraëli. 47. Intelliget etiam omnis illa multitudo non gladio, neque haſtâ liberare Jehovam; nam à Jehova pendet bellum, vóſque hodie in manus noſtras tradet.

48. Cùm autem ſurrexiſſet Philiſthæus, vaderétque, ac adpropinquaret obviam *veniens*

38. *Armis ſuis*] מדיו *maddau*, quod veſtes propriè ſignificat, ſed hîc pro lorica ſumitur. LXX. Intt. ſervarunt hîc vocem μανδύαν, quâ loricam intellexerunt, cùm non repetierint *veſtivit loricâ*; at nihil vetat poſtea particulatim repeti, quod priùs ſummatim dictum eſt.

Galeam æneam] Quamvis aliquando נחשת nhhoſcheth *ferrum* ſignificet, cùm propria ſignificatio ſit æris, crediderim reverâ æneam fuiſſe galeam: ut & Græcis, qui paſſim χαλκοκορυσταὶ ab Homero dicuntur.

39. *Neque enim ea arma expertus erat*] לא נסה *lo niſſah*; numquam graviter armatus fuerat, nec ita ornatus inceſſerat. Memoratis autem armis adjungi debere videntur clypeus & ocreæ; neque enim ad pugnam inſtrui debuit David paucioribus armis, quàm Philiſthæus, ſi ejuſmodi armis utendum fuiſſet.

40. *Quinque læves ſilices*] חלקי אבנים *lævitates ſilicum*. Hoc eſt, læves lapides, qui facilè fundâ contineri poſſunt, & vehementiùs excuti. Miror cur *limpidiſſimos* vocet Vulgatus, cùm λείους, *læves* bene verterint LXX. Intt.

Pera paſtoritia] *In vaſe paſtorum.*

Cúmque ea pera] ובילקוט *oubajjalkout*. Eſt nomen proprium ejus ſacculi, qui dictus eſt *vas paſtorum*. LXX. habent εἰς συλλογὴν, quia vas fuit in quod ſimul recondebantur quæ neceſſaria erant. Vulgatus omiſit, credo, quia non intelligebat.

41. *Progreſſus paullatim*] *Et ibat iens & adpropinquans.*

Qui clypeum ei præferebat] Qui præferre ſolebat, hoc eſt, armiger.

42. *Adoleſcens erat & rubicundus*] Videbatur adoleſcentulus bello nondum adſuetus.

43. *Baculo inſtructus*] במקלות *bmakloth*, in baculis. LXX. habent ἐν ῥάβδῳ καὶ λίθοις.

Per Deos ſuos] באלהיו *in Diis ſuis*, hoc eſt, dicendo ארור אתה לדגון *maledictus ſis à Dagone*, aut ſimile quidpiam.

44. *Ille*] *Philiſthæus.*

Silveſtribus feris] לבהמת השדה *lbehemath haſſchadeh*, beſtiis agri. Hîc בהמה eſt pro חיה quod propriè feram ſignificat. Vide ad Gen. I, 24.

45. *Gladio, haſtâ* &c.] *In gladio, in haſta* &c.

Fretus nomine] *In nomine*, hoc eſt, invocato nomine Jehovæ, ejúſque auxilio fretus.

46. *Hodie tradet te* &c.] Vaticinium hoc fuit, Davidque potiùs adflatu hæc dixit & fecit, quàm ſolo animi ſui impetu.

Cadavera] פגר pheger, *cadaver.*

Deum eſſe Iſraëli] Hoc eſt, qui verè ſit dignus eo nomine, & qui *coli* ideò debeat, nam אלהים *elohim* perinde eſt ac σέβασμα, ut oſtendimus ad Gen. I, 1. Contrà à Judæis Ethnici dicebantur ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ *ſine Deo in mundo*, Epheſ. II, 12. quòd colerent eos qui non eſſent Dii, aut cultu aliquo digni.

47. *A Jehova pendet bellum*] כי ליהוה המלחמה, *nam Jehovæ eſt bellum*; qua de cauſa, dicebatur אלהי צבאות *Deus exercituum.*

48. *Cùm ſurrexiſſet*] *Et fuit cùm ſurrexit* &c. Fortè ſederat, præ contemtu Davidis; aut etiam merus eſt Hebraïſmus, ex quo dicuntur *ſurgere*, quicumque incipiunt aliquò ire, aut quidpiam agrediuntur.

Cucurritque rectâ] וירץ המערכה *vajjarots hammaharachah*. Quæ vox in hac ipſa hiſtoria ſæpe *aciem* ſignificat; ſed cum ſinguli certamine pugnantes non dicantur *acies*, intelleximus vocem quaſi ſignificaret hîc actionem hominis *rectâ* in hoſtem vadentis, quaſi eſſet integra acies, quæ adverſâ fronte in aliam aciem moveretur. LXX. Intt. habent ἔδραμεν εἰς τὴν παράταξιν, verba enim hæc perperam in Editione Romana omiſſa videntur, cùm in aliis Codicibus legantur. *Hieronymus* habet: *in pugnam.*

49. *In fronte*] Non videtur dignatus ſe ſe clypeo tegere, cùm tam malè armis inſtructum Davidem videret. David verò fiduciâ, ex divino adflatu conceptâ, plenus & funditor peritus hominem feriit eo loco, quo lethalis eſt ictus lapidis violentiùs fundâ excuſſi.

50. *Goliathum*] *Philiſthæum.*

51. Ho-

Digitized by Google

niens Davidi ; feſtinavit David, cucurritque rectà obviam Philiſthæo. 49. Tum miſsâ manu in peram, inde ſumſit lapidem, quem fundâ jecit, percuſſitque Philiſthæum in fronte, & fronti infixus eſt lapis, ita ut Goliathus pronus in terram conciderit. 50. Sic David Philiſthæum fundâ & lapide vicit, percuſſitque Goliathum & eum interfecit; cùm David nullum manu gereret gladium. 51. Sed cucurrit, adſtititque Philiſthæo, cepitque gladium ejus, quem è vagina eduxit, ac hominem, abſciſſo ejus capite, interfecit.

Cùm verò vidiſſent Philiſthæi mortuum eſſe virum ſuum fortem, aufugerunt. 52. At ſurrexerunt viri Iſraëlis & Judæ vociferantes, & perſequuti ſunt Philiſthæos, donec venias ad vallem & ad portas Hekronis; cecideruntque confoſſi Philiſthæi in via Saharajimorum, ad Gathum atque ad Hekronem uſque. 53. Deinde reverſi Iſraëlitæ à perſequutione Philiſthæorum caſtra eorum diripuerunt. 54. Cepit etiam David caput Philiſthæi, idque Jeroſolimam tulit, & ejus arma domi ſuæ poſuit.

55. Cùm autem videret Saül Davidem egredientem obviam Philiſthæo, dixit Abneri duci exercitûs: cujus filius eſt ille adoleſcens ? Abner verò, ut tu vivis, inquit, ô Rex : ſic ego ignoro. 56. Tum Rex juſſit eum quærere cujus filius eſſet ille adoleſcens? 57. Itaque Davidem reverſum à cæde Philiſthæi adſumſit Abner, duxitque in conſpectum Saülis, cùm caput Philiſthæi manu gereret. 58. Ibi Saül, cujuſnam, inquit, filius es, ô adoleſcens. Filius, inquit David, ſum ſervi tui Jiſais Bethlechemitæ.

XVI. Jo-

51. *Hominem, abſciſſo ejus capite, interfecit.*] *Et interfecit eum & amputavit eo caput ejus.* Occidit amputatione illa capitis, cùm ictu lapidis attonitus quidem, ſed nondum mortuus eſſet, quamvis poſteà fortè moriturus.

52. *Iſraëlis & Judæ*] Alibi etiam obſervavimus hanc loquutionem redolere tempora, quæ regnum Robohami ſequuta ſunt, cùm Hebræi in Iſraëlem & Judam eſſent diſtincti. Vide ad Cap. XV, 4.

Saharajimorum] Nomen eſt proprium. At LXX. habent ἐν τῇ ὁδῷ τῶν πυλῶν, *in via portarum.* Urbs fuit in Tribu Judæ, vel Danis.

54. *Idque Jeroſolimam tulit*] Hæc videntur referenda ad tempus, quo David Regnum adeptus in Jeroſolima capta ſedes fixit; nulla enim ratio fuit cur in patriam potiùs Bethlechemum hæc non ferret.

Et ejus arma &c.] Gladius quidem fuit Nobi, ut liquet ex Cap. XXI, 9. ſed poſtea videtur David omnia arma Goliathi domum tranſtuliſſe, æternum monumentum victoriæ tam inſignis adſervanda.

Domi] *In tentorio ſuo.*

55. *Cujus filius eſt ille adoleſcens*] Hic locus maximam Interpretibus moleſtiam creavit, quia non ceperunt qui fieri poſſet ut Saül de Davide loqueretur, quaſi de ignoto; cùm ſæpe eum citharâ canentem coram ſe vidiſſet & audiſſet, cùm hominem amaret, armigerum ſuum conſtituiſſet, & diu, apud ſe, cum bona Jiſaïs patris venia, retinuiſſet, ut liquet ex Cap. XVI, 19. & ſeqq. cùm denique eum operam ſuam offerentem, contra Goliathum, alloquutus eſſet, armáque induentem & exuentem vidiſſet, ut in hoc Capite habetur. Omnibus expenſis, nihil rectius videtur, quàm ſi dicamus Saüli quidem de facie ſat notum fuiſſe Davidem, quamvis ad oves paternas rediiſſet; ſed Saülem, ut & Abnerem, aut neſciviſſe cujus eſſet filius, aut certè oblitos fuiſſe; quod facilè poteſt contingere Regi & Duci exercitûs, qui quotidie multos homines videbant, nec aliter Davidem norant, niſi ex citharæ cantu, aut aliis in Aula miniſteriis non ita magni momenti. Itaque nihil mirum eſt Saülem quærere, permotum hac de Goliatho victoriâ, cujus eſſet filius, Abnerémque id ignoraſſe; potuere enim antea eum pro citharœdo habere, & armigerum Regis conſtituere, quamvis non quæſiviſſent quodnam eſſet ejus genus, præſertim cùm ſubinde domum rediret.

Non ignoro Cap. XVII, 18. eum, qui primùm Davidem Saüli commendavit, patris ejus nomen proferentem induci, & v. 21. narrari ad patrem ejus Jiſaïn miſſos à Saüle nuncios, qui ei ſignificarent neceſſariam ſibi eſſe Davidis operam, & peterent à patre, ut pateretur adoleſcentem paullò diutiùs in Aula commorari. Verùm hæc omnia non ſunt ab ipſo Saüle geſta, ſed ab ejus Miniſtris, ex quo ſibi placere Davidem teſtatus erat, levatúſque ejus cantu in melancholicis paroxyſmis fuerat. Hi iverunt nomine Regis ad Jiſaïn, quamvis ne ejus quidem fortè nomen audiente Rege protulerint; nam quod habetur v. 18. potiùs ſummam orationis Miniſtri Saülis, quàm ipſa verba complectitur, quamvis ſit directa, more Orientalium. Quod ſi quis malit Saülem oblitum eſſe patris Davidis, per me licet. Si quis etiam commodiorem rationem redigendi in concordiam, quæ hîc narrantur, invenerit, facilè ei adſentiemur.

Ut tu vivis, inquit &c.] *Vivit anima tua, ô Rex, ſi ſcio.*

56. *Juſſit eum quærere*] *Dixit Rex, interroga tu* &c.

Digitized by Google

XVI. Jonathan, Saülis filius, ſit amicus Davidis, qui feliciter bellum gerit cum Philiſthæis, ſed invidiam Saülis in ſe movet, à quo propemodum occiditur. Cùm tamen pergeret David fortem ac fidelem operam Saüli navare, pollicetur ei Merabam filiam; ſed collocat ei Michalam, quam cæde Philiſthæorum ſibi emit.

CAPUT XVIII.

1. CUM verò abſolveret *David* Saülem alloqui, animus Jonathanis cum animo Davidis vinctus eſt, amavitque eum Jonathan ſui inſtar. 2. Eo autem die, Saül eum ſibi adſumſit, nec paſſus eſt domum patris ſui redire. 3. Jonathan verò & David fœdus inter ſe fecerunt, ita ut *alter alterum* inſtar ſui amaret. 4. Exuit ſe Jonathan pallio quod gerebat, eóque donavit Davidem, ut & veſtibus, gladio, arcu & cingulo. 5. Ibat autem David ad omnia *negotia*, ad quæ eum mittebat Saül, prudentérque ſe gerebat. Quare eum Saül præfecit *aliquot* militibus, iſque toti populo, imò etiam ſervis Saülis gratus fuit. 6. Cùm *aliquando unà* venirent, redirétque David à cædendis Philiſthæis, egreſſæ ſunt mulieres ex omnibus urbibus Iſraëlis, canentes, & choros celebrantes, obviam Saüli Regi, cum tympanis, lætitia & trichordis. 7. Reſpondebant autem *ſibi invicem* mulieres ſaltantes, dicebántque: Saül occidit mille homines, ſed David decies mille. 8. Eapropter vehementer iratus eſt Saül, réſque ei diſplicuit, &

In CAPUT XVIII.

1. *CUm verò abſolveret David* &c.] Prolixiores videtur tunc habuiſſe cum Saüle ſermones, quibus prudentiam ſuam patefecit, & quibus ad heroïcum facinus accedentibus, ſibi animum Jonathanis, qui aderat, conciliavit.

Cum animo Davidis vinctus eſt] נקשרה בנפש *nikſcherah bnepheſch*. In omnibus fermè Linguis, amicitia quaſi conjunctio quædam animorum, vinculo amoris conjunctorum, habetur.

Sui inſtar] *Sicut animam ſuam.* Molliùs LXX. Intt. in Codd. Complutenſi, Aldino, & Alexandrino, nam aliquot commata in Romano hîc deſiderantur: κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. Hic *anima ejus* eſt ipſe, de quo ſermo eſt, ut paſſim. Vide C. XVII, 55.

2. *Nec paſſus eſt* &c.] Quemadmodum fecerat, C. XVII, 15.

3. *Fœdus*] Latini dicerent mutuam amicitiam inter eos fuiſſe, nam fœdera ſunt Populorum & Regum inter ſe, non privatorum. Sed Hebræi quamvis pactionem, conjunctionémque *fœdus* vocant.

Alter alterum] Hoc addidimus, quia in fœdere omnia ſunt mutua, nec David minùs amabat, quàm amabatur.

4. *Exuit ſe Jonathan* &c.] Cùm David parum cultis veſtibus indutus eſſet, ut in Aula verſaretur, Jonathan ſuis illico eum donavit, honoris & amicitiæ causâ.

5. *Ibat ad omnia negotia*] *Exibat ad omnia, ad quæ* &c. Apud Hebræos, *exire & ingredi* ſignificat omnia vitæ negotia obire. Idcóque *exire* hîc, non tantùm de expeditione militari intelligendum, ſed & de quovis alio negotio.

Prudenter ſe gerebat] ישכיל *jaſchchil*. Subaudio דרכו *darcho*, viam ſuam, aut ſimile quidpiam; nam verba in *Hiphil* caſum ſemper regunt, aut expreſſum, aut ſubauditum.

Gratus fuit] *Bonus fuit in oculis.* Nec tantùm placuit populo, ſed & aulicis, qui invidi eſſe ſolent, præſertim erga eos quorum recens eſt apud Regem gratia.

6. *Canentes*] לשור *laſſchor*, ſed legunt Maſſorethæ לשיר *laſſchir*, in canticum, quia ſequitur nomen והמחלות *vehammehholoth*, & choros. Rectè LXX. ᾄδουσαι καὶ χορεύουσαι. Vulg. *cantantes, choroſque ducentes.*

Trichordis] שלישים *ſchaliſchim*. LXX. Intt. κυμβάλοις. Sed quæ cymbalis, quæ conſtabant duobus hemiſpheriis concavis quæ complodebantur, convenientia eſt cum radice hujus vocis שלש *ſchloſch* tria? Itaque malui vertere *trichordis*, quod potuit eſſe genus inſtrumenti muſici. *Hieronymus* habet *ſiſtra*, quæ ſolent צלצל *tſiltſel*, κατ' ὀνοματοποιΐαν, dici; nec video quomodo poſſint vocari שלישים *ſchaliſchim*, niſi fortè intelligerentur ſiſtra, quibus tres fuiſſent bacilli ænei tranſverſi.

7. *Reſpondebant ſibi invicem*] Supplevimus duo poſteriora verba, ut exprimeremus morem chororum, in quibus cantabatur particula cantilenæ cujuſpiam, à parte chori; alia verò, ab alia canentium turba. Aliæ igitur dicebant הכה שאול באלפיו *occidit Saül ſua millia*, ſubjiciebántque continuò aliæ: ודוד ברבבותיו *vedavid bribebothan*. Rem ſic interpretatur *Joſephus* Lib. VI. Ant. cap. 11. ᾖδον αἱ μὲν γυναῖκες, ὡς πολλὰς Σαοῦλος ἀπώλεσε Παλαιστινῶν χιλιάδας· αἱ παρθένοι δὲ, ὡς μυριάδας Δαυίδης ἀφανίσειε: *canebant quidem mulieres, multas à Saüle occiſas eſſe Palæſtinorum chiliadas, virgines verò myriadas à Davide delectas.* Vide not. ad Exod. XV, 20, 21.

8. *Si diſplicuit*] *Mala in ejus oculis fuit.*

Supereſt tantùm ut &c.] *Et adhuc illi tantùm regnum.*

9. *Limis adſpiciebat*] עון *hoven*. Sed in margine legendum dicitur עוין *hojen*, quod eſt Benoni Kal radicis עין *hajan*, deductæ ab עין *hajin*, oculus. Sed *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. III. c. XIII, 15. putat potuiſſe hîc *Jod* radicale mutatum eſſe in *Vau*, idque Sacri Scriptoris certo conſilio, ut vox illa eſſet dubia, referrique poſ-

& tribuerunt, inquit, Davidi decem millia, mihi verò mille; ſupereſt tantùm ut ei
regnum *tribuant*. 9. Ab illo die & deinceps Saül Davidem limis adſpiciebat. 10. Poſ-
tero verò die, Saülem invaſit ſpiritus Dei malus, vatémque egit in media domo; Da-
vid verò pulſavit citharam, ut quotidie ſolebat. Cùm autem haſta eſſet in manu Saülis,
11. eam miſit, cùm *apud ſe* diceret: feriam Davidem, *affigám*que parieti. Sed David bis
ab ejus conſpectu declinavit.

12. Timebat Saül Davidem, quia ei aderat Jehova, qui à Saüle receſſerat, 13. eúm-
que à ſe amovit præfectum mille viris. Quare David egredienti ac redeunti populo
præibat, 14. inque omnibus quidem conſiliis ſuis prudenter ſe gerebat, & ei aderat Je-
hova. 15. Cùm autem animadverteret Saül eum prudentiſſimè ſe gerere, *eò magis* ho-
minem metuebat. 16. Omnis verò Iſraël & Juda amabat Davidem, quia iis egredien-
tibus & ingredientibus præibat. 17 Tum Saül Davidi, en filiam, inquit, meam ma-
jorem natu Merabam uxorem tibi collocabo; eſto dumtaxat vir fortis & bella Jehovæ
adminiſtrato. Dicebat enim Saül *apud ſe:* ne manus mea, ſed manus Philiſthæorum
contra eum ſit. 18. David verò Saüli, quiſnam ego ſum, inquit, & quænam vita mea,
aut familia patris mei in Iſraële, ut gener Regis fiam?

19. Tempore verò, quo Merabam, Saülis filiam, Davidi collocari oportebat, nuptui
data eſt Hadrieli Mecholathitæ. 20. At Michala, *altèra* Saülis filia, amore Davidis
capta eſt; quod cùm nunciatum eſſet Saüli, res ei placuit; 21. nam *apud ſe* dicebat
Saül: eam illi collocabo, ut ſit ei laqueo, ſitque manus Philiſthæorum contra eum.
Tum

poſſet aut ad עין *bajin*, oculus, aut ad עון *havon*, iniquitas; ita ut ſignificaretur Saül oculo maligno intuitus eſſe Davidem. Verùm hoc nimis argutum eſt. LXX. habent ὑποβλεπόμενος, & Vulgatus, *non rectis oculis adſpiciebat*. Rectè, nam his verbis invidiam & ſimultatem ſignificari videmus.

10. *Vatémque, egit*] ויתנבא *vajjithnabbe*. LXX. Intt. habent ἐπροφήτευσε, & Vulg. *prophetabat*. Sed rectiùs loqui videntur, qui vertunt *prophetam*, aut *vatem agebat*; hoc eſt, corpus ſuum torquebat, aut alios motus violentos patiebatur; qui animadverti ſolent, in vatibus fatidico ſpiritu agitatis. *Lucanus* de Phœbade Lib. V, 169.

Bacchatur demens alienu per antrum
Colla ferens, vittáſque Dei, Phœbeáque ſerta,
Erectis diſcuſſa comis, per inanu templi
Ancipiti cervice rotat.

Vide Cap. XIX, 23, 24.

Cum autem haſta eſſet &c.] Videtur Saül hoc quidem tempore arripuiſſe haſtam, datâ operâ, ut occideret Davidem; ſed tamen ſemper haud procul eam à ſe haſtam habuiſſe, colligere eſt ex Cap. XIX, 9. XX, 33.

11. *Feriam Davidem* &c.] *Feriam in Davide, & in pariete.* Similis conſtructio eſt v. 7.

13. *Præfectum mille viris*] *Et poſuit eum ſibi ducem mille.*

Egredienti &c.] *Egrediebatur & ingrediebatur ante populum.* In expeditionem ducebat & reducebat.

14. *Conſiliis*] *Viis.*

15. *Eò magis hominem metuebat*] *Timuit à facie ejus.* Verebatur enim ne ſibi ita populi exercitúſque Hebræi gratiam conciliaret, ut ipſum, ejúſve familiam regiâ dignitate ſpoliare poſſet; cùm præſertim Samuel in aliam familiam eam tranſlatum iri plus ſemel prædixiſſet.

16. *Omnis Iſraël & Juda*] Jam aliquoties hanc diſtinctionem invenimus, quæ tempora Robohami regnum ſequuta apertè redolet.

Egredientibus &c.] *Egrediebatur & ingrediebatur ante eos.*

17. *Majorem natu*] *Magnam.* Sic *parvus* ſignificat minimum natu. Cap. XVI, 11.

Eſto dumtaxat vir fortis] *Tantummodo ſit mihi in filium roboris.*

Ne manus mea &c.] Poſtquàm fruſtra tentaverat quaſi aliud agens & in furoris paroxyſmo eum occidere; ſatius eſſe ducebat periculis hominem objicere, ita ut tandem manu hoſtium caderet.

18. *Quænam vita mea*] Quaſi diceret: vita mea non eſt tanti momenti, ut ullum periculum defugiam, ejus honoris, præmiique causâ; aut, vitæ meæ inſtitutum, quod priùs fuit paſtoralis vita, ejuſmodi non eſt, ut poſſim ad nuptias filiæ Regis adſpirare.

Familia patris mei] Potiùs patris modicas opes, eáſque octo fratribus dividendas ſpectare videtur, quàm nobilitatem familiæ; nam Davidica alioqui familia nulli in Hebraica gente nobilitate inferior erat, cùm oriunda eſſet à Nachſone Tribûs Judæ, temporibus Moſis, principe. Vide & v. 23.

19. *Tempore —— quo —— collocari oportebat*] *Tempore dandi Merabam* &c. Eo tempore, quo omnes exſpectabant Merabam Davidi collocatum iri, aut etiam quo promiſerat Saül ſe eam collocaturum, alii collocata eſt.

Mecholathitæ] Civis, ut videtur, urbis quæ pleniùs dicebatur אבל-מחלה, *Abel-mecholah*, quæ fuit in Dimidia Tribu Manaſſæ ad occaſum Jordanis. Sic cenſebat, nec malè, *Jac. Bonfrerius*, in Onomaſtico.

20. *Res ei placuit*] *Recta res fuit in oculis ejus.* Hoc eſt, ut ſequentia oſtendunt, gaviſus eſt inde ſpem aliquam oboriri Davidi ducendæ minoris ejus filiæ; quâ ſpe eum lactare volebat, ut ſe ſe in pericula conjiceret, eo modo qui ſequitur.

21. *Contra eum*] בו *in illum*; id eſt, hominem occidant.

Tum Davidi, nunc bis, inquit, meam adfinitatem ambiveris. 22. Mandata etiam dedit ſervis ſuis, ut alloquerentur clam Davidem, in hanc ſententiam: Regi es acceptus, omnéſque ejus ſervi te amant, nunc ergo ambito filiam Regis. 23. Hæc ergo dixerunt ſervi Saülis, audiente Davide; quibus David, num vobis, inquit, res vilis videtur Regis generum fieri? Ego verò vir pauper ſum, & deſpectus. 24. Servi Saülis hæc ei renunciarunt, atque ita loquutum eſſe Davidem dixerunt. 25. At Saül, ſic, inquit, dicetis Davidi: *aliâ* nullâ dote delectatur Rex, niſi centum præputiis Philiſthæorum, ut ultionem de ſuis hoſtibus ſumat. Saül enim cogitabat, qui efficere poſſet ut David in manus Philiſthæorum incideret. 26. Servi igitur ejus hæc verba renunciaverunt Davidi; eique conditio placuit, ut fieret Regis gener.

Nondum effluxerant dies *à Rege præfiniti*, 27. cùm ſurrexit David, ivítque cùm ipſe, tum viri, quibus præerat, & occidit ducentos viros Philiſthæos; quorum attulit præputia, eáque omnia adnumeravit Regi, ut gener ejus fieret. Quare Michalam filiam ei Saül uxorem collocavit. 28. Vidit deinde Saül & perſpexit Jehovam adeſſe Davidi, & Michala quidem eum amabat. 29. Quapropter ſibi à Davide timere non deſiit, & in perpetuum ejus inimicus fuit. 30. Poſtea etiam egreſſi ſunt *ad bellum gerendum* principes Philiſthæorum, & ex quo egreſſi fuerunt prudentiùs ſe geſſit David omnibus ſervis Saülis, & clariſſimum nomen ejus factum eſt.

XVII.

Nunc bis &c.] בשתים תתחתן בי היום biſchthajim thithhatthen bi hajjom, *in duabus adfinitatem ambies in me hodie.* Primùm בשתים *biſchthajim* interpretatus ſum *bis*, aut *duabus vicibus*, ita ut ſubaudiatur פעמים *phahamajim*. Ita שתים ſumitur. Pſ. LXXII, 12. Job. XXXIII, 14. & Nehem. XIII, 20.

Scio alios hîc malle ſubaudiri בנותי *filiabus*, ſed ſuperioris ellipſeos exempla leguntur, hujus nulla; ideóque ſuperiorem prætuli, cùm ad rem ipſam quod adtinet, ſit idem ſenſus. Non poterat David, poſt collocatam Merabam, viventéque, nec repudiante ejus viro, bis ejus adfinitatem ambire; niſi alterius filiæ Michalæ nuptias ambiret. Deinde בי תתחתן verti *ambiveris adfinitatem meam*, quia aliter intelligi non poteſt, neque enim utramque Saülis filiam duxit, aut voluit ducere David, ſed unam tantùm. Propriè quidem התחתן בפלוני אלמוני eſt *adfinitatem cum eo contrahere*, ſeu ducendo ejus filiam, ſeu collocando ei ſuam, ut Deut. VII, 3. ſed ubi effectus non eſt ſequutus, debet hoc de voluntate intelligi, pro uſu Linguæ Hebraïcæ, de quo vide *Sal. Glaſſium* Phil. Sacræ Lib. III. Tr. III. can. 7. LXX. Intt. habent ἐν ταῖς δυσὶν (nam δυνάμεσιν Editionis Aldinæ vitioſum eſt) ἐπιγαμβρεύσεις μοι σήμερον. Vulgatus verò, *in duabus rebus* (alii hanc vocem omittunt) *gener meus eris hodie*; quaſi voluiſſet dicere: in duabus meis filiabus adfinitatem meam ambiiſti. Recentiores duriùs hæc verba verterunt, quorum interpretationes non proferam.

22. *Ut colloquerentur* &c.] *Loquimini Davidi clam, dicendo.*

Regi es acceptus] *Ecce delectatur in te Rex.*

Ambito filiam Regis] התחתן במלך *hithhatthen bammelech*, hoc eſt, conare fieri gener Regis; nam hoc unum poterat David, cum eventus à Saüle penderet.

23. *Audiente Davide*] *In auribus Davidis.*

24. *Atque ita loquutum* &c.] *Dicendo, ſecundùm verba illa loquutus eſt David.*

25. *Aliâ nullâ dote*] *Nulla delectatio Regi, in dote.* Tunc temporis ſponſus, aut procus ſocero munus offerebat, quod *dotem* impropriè vocamus. Vide ad Gen. XXXIV, 12.

Niſi centum] כי במאה *chi bmeah.* Hæc lectio eſt Occidentalium, ſed Orientales legunt כי אם *chi im*, quod meritò melius videtur *Lud. Cappello* Crit. Sacr. Lib. III. C. XVII, 8.

De ſuis hoſtibus] *De hoſtibus Regis.*

26. *Eique conditio placuit*] *Recta fuit res in oculis Davidis.*

A Rege præfiniti] Quaſi eſſet מועדים במלך *mohadim bammelech*, quod neceſſariò intelligendum videtur, quamvis in ipſa narratione conditionis à Rege Davidi impoſitæ nulla ſit ejus rei mentio.

27. *Viri quibus præerat*] *Viri ejus*, אנשיו *anaſchau.* Gallicè *ſes gens.*

Præputia] Membra ipſa virilia adſervaſſe videtur, alioqui potuiſſet eſſe fallacia in pelliculis pro præputiis traditis. Fœda hæc & barbara conditio à Saüle exigebatur, primùm quidem ut David in vitæ periculum conjiceretur, ſed & fortè ut ei illuderet. *Joſephus*, cùm timeret ne Græcis & Romanis nimis barbarum hoc videretur, centum præputia mutavit in ἑξακοσίας κεφαλὰς Philiſthæorum, Ant. Jud. Lib. VI. cap. 11. Gallani, Æthiopiæ ſuperioris populi, non capita hoſtium occiſorum, ſed membra virilia ducibus ſuis adnumerare ſolent, qua de re vide *Jobum Ludolphum* Hiſtor. Æthiopicæ Lib. I. cap. 16.

Omnia adnumeravit] ימלאום *impleverunt ea*; nempe, David & ejus milites plenum numerum ad Regem attulerunt.

28. *Jehovam adeſſe Davidi*] Hoc eſt, quæcumque adgrederetur feliciter ei cedere; quamobrem timuit ne ſecundis eventibus elatus David, & exercitui, quem ſæpe victorem reduxerat, acceptus ſolium Regium invadere adgrederetur.

29. *Timere non deſiit*] *Addidit timere è conſpectu Davidis.*

Et in perpetuum] *Et fuit Saül hoſtili odio in Davidem omnibus diebus.*

30. *Principes Philiſthæorum*] Hîc more Hebræo שרים *ſcharim* dicuntur, aliàs Philiſthæo סרנים *ſranim.*

Clariſſimum nomen ejus factum eſt] *Et valde pretioſum nomen ejus.*

In

XVII. Saül conſilium ſuum de occidendo Davide Jonathani filio aperit, à quo David in priſtinum gratiæ locum reſtituitur. Conatur tamen Saül inſaniens Davidem occidere, qui fugit, & arte Michalæ ſatellitibus ejus eripitur. Ad Samuëlem profugit David, quò nuncios miſit Saül Davidem capturos, qui ſpiritu prophetico correpti vaticinantur; quod fecit & ipſe Saül, cùm eò ſe contuliſſet.

1. POSTEA colloquutus eſt Saül cum Jonathane filio, omnibúſque ſervis ſuis, de oc- CAPUT
cidendo Davide. At Jonathani, Saülis filio, acceptiſſimus erat David. 2. *Iſque rem* XIX.
ei renunciavit, his verbis: quærit Saül pater meus quî te interficiat. Itaque cave ti-
bi, obſecro, *cras* mane, in occulto loco ſede & te abdito. 3. Ego verò egrediar, adſtabóque
lateri patris mei ruri, ubi tu eris; tum alloquar patrem de te, videbóque quid *dicturus ſit* &
tibi renunciabo. 4. Bene ergo de Davide loquutus eſt Jonathan, apud Saülem, patrem ſuum,
eique dixit: ne Rex peccet in ſervum ſuum Davidem, nam non deliquit contra te, imò res
ejus geſtæ tibi utiliſſimæ ſunt. 5. Animam in manu ſua poſuit, occiditque Philiſthæum, &
magnam peperit Jehova liberationem toti Iſraëli. Vidiſti & lætatus es. Quare ergo pecca-
res in ſanguinem innoxium, interficiendo Davidem, ſine cauſa? 6. Auſcultavit Saül voci
Jonathanis, juravitque: ut vivit Jehova, ſic morte non adficietur.
7. Vocavit ergo *ad ſe* Jonathan Davidem, eique omnia hæc narravit, & ad Saülem eum
adduxit, in cujus conſpectu fuit quemadmodum antea. 8. Iterum exortum eſt bellum & Da-
vid quidem egreſſus pugnavit contra Philiſthæos, magnúmque vulnus eis inflixit, & ab ejus
conſpectu fugerunt. 9. Poſtea ſpiritus Jehovæ malus incubuit Saüli, ſedebátque domi ſuæ,
manu haſtam gerens; David verò manu pulſabat *citharam*. 10. Quærebat autem Saül, quî
haſtâ ferire Davidem poſſet & *affigere* parieti; at declinavit è conſpectu Saülis, iſque emiſsâ
haſtâ percuſſit parietem, David verò aufugit, & illâ nocte evaſit. 11. Miſit deinde Saül nun-
cios domum Davidis, qui eum cuſtodirent & matutino tempore occiderent; quod indica-
vit Davidi Michala uxor, his verbis: niſi vitæ tuæ hac nocte conſulas, cras interficieris.
12. Demiſit ergo Michala Davidem per feneſtram, & abiit, fugitque & evaſit. 13. Tum
cepit Michala ſimulacrum, idque collocavit in lecto, villos deinde caprinos *ad* pulvinar
ad-

In Caput XIX.

5. A*Cceptiſſimus erat David*] *Jonathan — delectabatur valde in Davide.*

3. *De te*] בך *beha*, ut v. 14.

Dicturus ſit] Supplendum neceſſariò hoc fuit, aut ſimile quidpiam. Sic LXX. ὄψομαι ὅ, τι ἂν ᾖ, & Vulg. *quodcumque videro.*

4. *Res ejus geſtæ*] *Opera ejus bona tibi valde.*

5. *Animam in manu ſua poſuit* &c.] Vide not. ad Jud. XII, 3. Videtur reſpicere ad ſingulare certamen cum Goliatho, in quo certamine verè fuit in manu Davidis ejus vita; niſi enim fundam dextrè libraſſet, à Philiſthæo fuiſſet occiſus.

6. *Ut vivit Jehova*] *Vivit Jehova, ſi morte afficiatur.* Ex ſuperioribus & ex hoc jurejurando liquet Saülem præcipitem fuiſſe, & qui jurisjurandi religionem non ſatis reverebatur; nam, ut ſolet fieri ab hominibus parum religioſis, & facilè jurabat, & jurisjurandi facilè obliviſcebatur.

7. *In cujus conſpectu* &c.] *Et fuit ante faciem ejus, ſicut heri nudius tertius.*

8. *Iterum exortum eſt*] *Et addidit bellum eſſe.*

9. *Spiritus Jehovæ malus*] Vide not. ad Cap. XVI, 14.

10. *Ferire Davidem* &c.] Vide Cap. XVIII, 11. Mirum eſt à Saülis ſervis amotam non fuiſſe haſtam, cùm videbant in eo furoris paroxyſmum incipere; ni fortè poſtquam ſedatâ mente eſſe viſus erat, ſubitò fureret, aut certè furere ſe ſimularet. Satis enim liquet cum ejuſmodi furore magnam conjunctam fuiſſe malitiam, cùm bis veluti furens hominem occidere tentarit.

11. *Niſi vitæ tuæ conſulas*] *Niſi evadere facias animam tuam.*

12. *Per feneſtram*] Quia janua domûs à Satellitibus Saülis ſervabatur.

13. *Simulacrum*] התרפים *hattheraphim*, de qua voce multis egimus ad Gen. XXXI, 19. ubi etiam nonnulla de hoc loco. Sumitur ea vox hîc pro uno ſimulacro, & quod magnitudine accedebat ad ſtaturam virilem; neque enim alioqui ſub ſtragulis Davidi dormienti ſimilis eſſe potuiſſet. Sic אלהים, *elohim*, numero plurali paſſim Deum unum ſignificat. Itaque rectè *Hieronymus* vertit *ſtatuam*. LXX. Int. habent hic κενοτάφια, qui alibi εἴδωλα & γλυπτὰ meliùs vertunt. Crediderim Judæos Græcè loquentes vocaſſe ſtatuas Deorum Ethnicorum κενοτάφια, eò quod crederent eos Deos homines fuiſſe, eóſque fato functos; quamobrem ſtatuas eorum quaſi inania eorum ſepulcra habebant, quia etiam Cenotaphiis ſtatuæ imponi ſolebant eorum, quibus erant conſecrata. Certè nullam aliam tam miræ tranſlationis rationem comminiſci queo. *Aquila* hîc verterat μορφώματα. *Joſephus* in hac hiſtoria, circumſtantiam hanc, neceſſariam licèt, diſſimulavit.

Villos caprinos ad pulvinar] כביר העזים שמה מראשתיו chbir hahizzim ſchamah mraſchathau; *pulvinaria ejus poſuit* כביר *caprarum.* *Hieronymus* habet: *& pellem piloſam caprarum, poſuit ad caput ejus*; quem multi alii ſequuti ſunt. *Aquila* verterat φολίδωμα τριχῶν, *pilorum*, nempe,

addidit, & veſtibus id texit. 14. Poſtea miſit Saül nuncios ad capiendum Davidem,
at eum dixit Michala ægrotare. 15. Miſit deinde Saül *alios* nuncios, qui viderent Da-
videm, & adferte, inquit, eum ad me, in lecto, ut interficiatur. 16. Cùm veniſſent
hi nuncii, ecce verò ſimulacrum erat in lecto, & villi caprini *ad* pulvinar. 17. Tum
Saül Michalæ, cur, inquit, me ſic decepiſti, & dimiſiſti inimicum meum, ita ut eva-
ſerit. Michala verò Saüli, mihi ipſe, inquit, dixit: dimitte me, cur te occide-
rem?
18. David ergo fugit, evaſitque, & Ramam quidem ivit ad Samuelem, cui narra-
vit quæcumque ſibi fecerat Saül; abierúntque ipſe & Samuel, ac habitarunt in tugu-
riis. 19. Nunciatum verò eſt Saüli, & ecce, inquiebant, Davidem in tuguriis ad Ra-
mam. 20. Miſit itaque *illuc* nuncios Saül, ad capiendum Davidem, viderúntque cœ-
tum Prophetarum vaticinantium & Samuelem iis præfectum adſtantem. Nunciis verò
Saülis incubuit ſpiritus Dei, & ipſi quoque vaticinati ſunt. 21. Re Saüli nunciatâ,
miſit alios nuncios, qui & ipſi vaticinati ſunt. Miſit præterea & tertios Saül, qui etiam
ſunt vaticinati. 22. Poſtea ipſe quoque Ramam profectus eſt, & cùm perveniſſet ad
magnam ciſternam, quæ eſt Sechunte, ſciſcitatus eſt *quemdam*, & ubi, inquit, ſunt
Samuel & David? Ecce eos, inquit *ille*, in tuguriis ad Ramam. 23. Illinc ergo abiit
in

pe, *caprinorum rotundam congeriem*. Ex re ipſa videntur conjeciſſe quid eſſet, cùm enim Michala Davidem dormientem effingere voluiſſet, primùm ſtatuam lecto impoſuit jacentem, deinde poſticam capitis ſtatuæ partem ſpectatoribus obverſam, texit villis caprinis, aut pelle caprinâ villosâ ad pulvinar poſita, ut videretur eſſe cæſaries flava Davidis. *Samuel Bochartus*, qui multis hac de re egit Hieroz. P. I. Lib. II. c. 51. putat כביר *chebir* hîc, ut alibi, nomen eſſe adjectivum quod *magnum* ſignificet, ita ut ſubaudiendum ſit שער ſchahar, *pilus*, quod ſæpe ante עזים *bizzim* ſubauditur, vertendúmque ſit ad verbum: *& magnum* pilum *caprarum poſuit ad cervical ejus*. Qui verus omnino videtur ſenſus, ſed nihil fortè vetat quominùs כביר העזים *chbir habizzim*, ſignificat *villos caprarum*, ſine ellipſi vocis שער *ſchahar*. Certè כביר quando *magnum* ſignificat, cum eo vocabulo, aut ſimilibus non jungitur.

At LXX. Intt. verterunt hîc: καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν ἔθετο πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ, quòd legerint כבד *chabed*, quâ voce *jecur* ſignificatur. At res ipſa ſatis oſtendebat hîc jecinori locum nullum eſſe. Attamen *Joſephus*, aut Judæus Helleniſta, qui in Græcè conſcribenda Hiſtoria hominem adjuvit, hinc mirum quidpiam & prorſus ridiculum confinxit; rem enim ſic narrat: ἐπισκευάσασα τὴν κλίνην, ὡς ἐπὶ νοσοῦντι, καὶ ὑποθεῖσα τοῖς ἐπιβολαίοις ἧπαρ αἰγὸς, ἅμα ἡμέρᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῆς πέμψαντος ἐπὶ τὸν Δαβίδην, ὀχλῆσαι διὰ τῆς νυκτὸς εἶπε, τοῖς παροῦσιν ἐπιδείξασα τὴν κλίνην κατακεκαλυμμένην καὶ τῷ πηδήματι τοῦ ἥπατος σαλεύοντι τὴν ἐπὶ τὸ ἐπιβόλαιον πιστωσαμένη τὸ κατακείμενον τὸν Δαβίδην ἀσθμαίνειν: *deinde cùm lectum ſtraviſſet, quaſi propter ægrum, & ſubjeciſſet ſtragulis jecur capræ, orto die cùm pater ejus ad Davidem miſiſſet, laboraſſe eum per noctem dixit, præſentibus oſtenſo lecto tecto, & motu jecinoris commovente ſtragula, fide factâ id quod jacebat eſſe Davidem reſpirantem*. Meritò viri docti commentum Judaïcum, quo pravæ verſionis ratio redderetur, riſerunt.

15. *Qui viderent Davidem*] Nam alii videntur fidem habuiſſe Michalæ affirmanti virum ægrotare, unde collegerant nihil illum de fuga meditari & ad Regem redierant. Interea Davidi majus fuit temporis intervallum, quo fugeret. Quod ſi eum videre voluiſſent, è longinquo oſtenſura erat lectum in quo ſtatua jacebat.

17. *Dimitte me* &c.] Michala quæ violentam indolem Saülis norat, non auſa eſt iniquitatem, crudelitatémque ejus conſilii arguere, quod ſimplicius & facilius erat; quia ſciebat atram bilem patris ejuſmodi oratione incenſum iri. Ideò coacta eſt ad fictam cauſam confugere, ut ejus iræ obviam iret. Sic ſæpe cum inſanis agendum eſt, ne ex inſanientibus inſaniores fiant.

18. *In tuguriis*] בנוית *benavoth*, ſed in margine eſt בניות *bnajoth*, ut in ſequentibus verbis. LXX. habent hîc Ναυὰθ, unde vitioſè, apud *Joſephum*, factum eſt Γαλβαὰθ, ut ſunt nomina Hebraïca frequentiſſimè ab imperitis corrupta. Latinus habet *in Najoth*. Verùm hac voce *tuguria paſtorum* propriè ſignificari optimi oſtendunt Lexicographi, nec quidquam nos cogit à propria vocis ſignificatione diſcedere. In ſequentibus verbis & v. 22. & 23. dicuntur hæc tuguria ברמה *in Rama*, hoc eſt, ad Ramam, vel in Ramenſi agro; tuguria enim paſtorum ſunt extra urbes. Perperam *Euſebius* ait Ναυιὼθ ἐν Ῥαμᾷ eſſe *urbem* πόλιν, meliùs *Hieronymus* locum vocat.

20. *Cœtum Prophetarum*] להקת הנביאים *lahakath hannebiim*. LXX. Intt. habent τὴν ἐκκλησίαν, quaſi idem eſſet ac קהלה *kehillah*, quod idem ac קהל *kahal*; quam vocem ἐκκλησίαν, ſeu concionem populi paſſim vertunt LXX. Intt. *Hieronymus* vertit *cuneum*. Cùm nulla ſit in Lingua Hebraïca radix להק, plerique in hac voce Metatheſin eſſe, quam dixi, cenſuerunt; ſed cùm ea radix in Lingua Æthiopica uſitata ſit, ſignificétque *creſcere*, aut etiam *ſeneſcere*, *Lud. de Dieu* exiſtimavit poſſe vocem להקת verti aut *multitudinem*, aut *ſenatum* Prophetarum, & *Edmondus* quidem *Caſtellus ſenatum* maluit. At cùm in Syriaca Lingua hæc eadem radix ſignificet *inflammavit*, & quidem figurato ſenſu dicatur de cupiditate, aliiſque animi motibus; poſſet להקת *Prophetarum* cœtus eſſe divino vaticinandi *ardore* correptorum.

Iis præfectum] Quippe excellentiſſimum omnium Prophetarum illorum. Colligere eſt his tem-

Digitized by Google

in tuguria ad Ramam, incubuitque etiam illi ſpiritus Dei, & dum iter faceret vaticinabatur, donec veniſſet in tuguria ad Ramam. 24. *Ibi* depoſitis etiam veſtibus, prophetavit quoque ipſe coram Samuele, jacuitque nudus toto die & totâ nocte illâ. Quamobrem dicit ſolet: etiámne Saül inter Prophetas?

XVIII. *Arctiorem amicitiam contrahunt inter ſe David & Jonathan, qui de malo animo patris amicum monet, æternámque cum eo pactus amicitiam hominem à ſe dimittit.*

CAPUT XX.

1. ET TUGURIIS ad Ramam aufugit David, ac ſe contulit *ad Jonathanem*, quem coram alloquutus eſt, &, quid, *inquit*, feci? quodnam meum eſt delictum, quodnam peccatum, apud patrem tuum, cujus causâ vitæ meæ inſidiatur? 2. Abſit! inquit ille, non morieris. Nihil facit pater meus, neque magnum, neque parvum, quod mihi non aperiat. Quare verò hoc me celaſſet pater meus? Nihil ejuſmodi eſt. 3. Tum David, adhibito jurejurando, novit, inquit, pater tuus me apud te gratiâ valere, dixitque; ne ſciat hoc Jonathan, ne illi doleat. Attamen ſicut vivit Jehova, & ſicut tu

temporibus, ex Cap. X, 10. multos Prophetas aut unà vixiſſe, aut certè aliquando conveniſſe & ſimul propheticis muneribus eſſe defunctos; inter quæ erat celebratio Dei hymnis, adflatu prophetico effuſis & decantatis. Qua in re ſitam etiam fuiſſe exiſtimarim *vaticinationem*, de qua hîc ſermo eſt. Vide ad v. 5. Capitis memorati. Sed præterea Prophetis illis gregariis, ſi ita loqui licet, videtur præfuiſſe inſignior quiſpiam Propheta; quem quaſi *Patrem*, ſeu Magiſtrum habebant, ut hîc Samuelem, & Eliſæum 2. Reg. IV, 38. & ſeq. IX, 1. Hæ *ſcholæ Prophetarum* poſtea dictæ ſunt, in quibus ſancti viri *filios Prophetarum*, ſeu diſcipulos, eoſdémque prophetici ſpiritûs candidatos videntur inſtituiſſe, quod quomodo fieret non conſtat. Ceteræ etiam cœtuum, aut Cœnobiorum Propheticorum circumſtantiæ parum notæ ſunt, nec conjecturis noſtris inveniri poſſunt.

Vaticinati ſunt] Cecinerunt laudes divinas ſubito adflatu, cui reſiſtere non poterant, correpti, ut Saül Cap. X, 10. adeò ut ſui compotes ampliùs non eſſent.

21. *Re Saüli nunciatâ*] *Et nunciarunt Saüli & miſit.*

Miſit præterea] *Et addidit Saül & miſit.*

22. *Ad magnam ciſternam*] עד בור הגדול *bad bor haggadol.* Nobilem ciſternam, quales multæ erant in Judæa, ad excipiendam aquam pluviam. LXX. Intt. ἕως τοῦ φρέατος τοῦ ἅλω, quaſi legiſſent באר הגרן beer haggoren, *puteum areæ.*

Secbunte] בשכו *baſſchecho.* Hieronymus legit *Socho*, ut Cap. XVII, 1. At LXX. Intt. habent ἐν Σεφὶ, aut Σιφὶ.

Inquit ille] ויאמר, *& dixit*; nempe is quem interrogaverat Saül. Sic paſſim omittitur Nominativus, cùm ex re ipſa facilè intelligi à Lectore poteſt. Vide ad Cap. XXIII, 22.

23. *Et dum iter faceret* &c.] *Et ibat eundo & vaticinabatur.*

24. *Depoſitis etiam veſtibus*] *Et exuit etiam ipſe veſtimenta ſua.* Hæc & ſequentia verba, de *nuditate* Saülis, ſunt ambigua. *Nudus* enim dici ſolet & qui omnes omnino veſtes exuit, & qui tantùm exterioribus ſe ſpoliavit. Itaque potuit Saül abjeciſſe pallium, & tunicâ tantùm veſtitus fuiſſe, qua de re conſule *H. Grotium* ad Joan. C. XXI, 9. Potuit, conjuncto melancholico morbo adflatui prophetico, nudus omnino eſſe. Non capio cur *Joſephus* contrarium dixerit Ant. Jud. Lib. VI. c. 14. Σάυλος ὑπὸ πολλοῦ πνεύματος ἐλαυνόμενος ἔκφρων γίνεται, καὶ τὴν ἐσθῆτα ἀποδυσάμενος αὐτὸν καταπεσὼν ἔκειτο δι' ὅλης τῆς ἡμέρας τε καὶ νυκτός: *Saül multo ſpiritu actus alienatus à mente, & veſte involutus ac in humum collapſus jacuit per totum diem & noctem.*

Coram Samuële] Quærunt Interpretes, quî hæc verba in concordiam redigi poſſint cum Cap. XV, 35. ubi Samuel negatur vidiſſe Saülem, à tempore quo ab expeditione Hamelekitica redierat, ad mortem uſque. Sed rectiſſimè ii ſentire videntur, qui putant Hiſtoricum Sacrum Cap. XV. hoc velle, ad Saülem numquam poſtea, viſendi causâ, ut antea ſolebat, iviſſe Samuëlem; quamvis fortè quidem illum aliquando viderit nequaquam quæſitum, ſed alicubi ſponte ſe ſe offerentem.

Etiámne Saül &c.] Hoc proverbium ex alia hiſtoria jam natum erat, ſed hac videtur confirmatum, quia ejus repetendi occaſio oblata eſt.

In CAPUT XX.

1. SE *contulit ad Jonathanem* &c.] *Et venit & dixit coram Jonathane.* Dum Saül Ramæ vaticinaretur.

Vitæ meæ inſidiatur] *Quærit animam meam.* Vide Exod. IV, 19.

2. *Nihil facit pater meus*] *Ecce nihil faciet.* In Codice, quem Maſſorethæ ſequuti ſunt, ad conſtituendum textum Hebraicum, vitiosè ſcriptum erat לו-עשה pro לא יעשה *lo jahaſcheh.* Sic etiam legerunt LXX. Intt. & Vulgatus, qui habent οὐ μὴ ποιήσῃ, &, *neque enim faciet*; quo futuro, conſuetudo ſignificatur, ut v. 5.

Mihi non aperiat] *Et non retegat aurem meam.* Vide not. ad Ruth. C. IV, 4.

3. *Tum David adhibito jurejurando*] *Et juravit adhuc David & dixit.*

Me apud te gratiâ valere] *Me inveniſſe gratiam in oculis tuis.*

Sicut vivit &c.] *Vivit Jehova & vivit anima tua, quòd veluti paſſus,*

tu vivis: ſic *verum eſt eſſe* veluti paſſum inter me & mortem. 4. Tum Jonathan Davi-
di, quidquid, inquit, mihi dixeris, hoc tibi faciam. 5. David verò Jonathani, cras,
inquit, eſt Neomenia, ego verò ſoleo adſidere *menſæ* cum Rege, ad convivandum. Tu
autem me dimittes, méque abdam ruri, ad tertii diei veſperam. 6. Si pater tuus me
deſideraverit, dices: poſtulavit à me David, *ut ſibi liceret* excurrere Bethlechemum,
in patriam ſuam; quia toti familiæ illic eſt anniverſarium Sacrum. 7. Si ſic dixerit:
rectè, ſecuritas erit ſervo tuo; ſin verò ira ejus accenſa fuerit, ſcito malum ab eo mi-
hi eſſe decretum. 8. Tum benignè te geres erga ſervum tuum, quoniam per fœdus Je-
hovæ adduxiſti ſervum tuum tecum. Si quid verò in me delicti eſt, interfice me tu;
cur me tu ad patrem tuum adduceres? 9. Ibi Jonathan, abſit inquit, ut, ſi cognovero
malum tibi à patre meo decretum eſſe, tibi id non aperiam! 10. At David Jonatha-
ni, quis mihi, inquit, renunciabit, an tibi dura de me reſponderit pater tuus?
11. Age verò, inquit Jonathan Davidi, rus egrediamur; ambóque rus egreſſi ſunt.
12. Ibi Jonathan Davidi: Jehova Deus Iſraëlis *teſtis eſto* me craſtino die hac horâ, *aut*
perendie, exploraturum patrem meum; ſique bene erga te ſit affectus, me ad te miſſu-
rum, téque moniturum. 13. Sic ſe gerat Jehova erga Jonathanem & ſic ſe gerere per-
gat,

Veluti paſſum] כפשע *chpheſchuh*. LXX. Intt. ἐμπέπλησται ἀναμέσον ἐμοῦ καὶ θανάτου, quæ carent ſenſu. Multò meliùs *Aquila & Symmachus* verterunt ἑνὶ βήματι, quod ſequutus *Hieronymus* qui habet: *uno tantùm, ut ita dicam, gradu, ego morſque dividimur.* Apud Chaldæos, radix פסע *pheſah* eſt *gradi*; & פסיעה *phſihah*, greſſus. Vult David ſe verſari in præſentiſſimo mortis periculo, non aliter ac qui paſſum unum abeſſet à barathro, in quod mox eſſet conjiciendus.

4. *Quidquid, inquit, dixeris*] *Quid dicet anima tua? & faciam tibi.* Offert illi operam ſuam in tanto periculo, oſtenditque ſe ejus causâ quidvis facturum.

5. *Neomenia*] חדש *hhodeſch*, menſis; notum eſt autem menſes fuiſſe Lunares, apud Hebræos, & Neomenias feſtas. Vide not. ad Num. XXVIII, 11.

Soleo adſidere menſæ] *Sedendo ſedebo cum Rege.* Conſuetudinem hîc manifeſtò ſignificat David, non actum ipſum, à quo ſtatuerat abſtinere. Vide v. 2. Quod cùm non intelligerent LXX. Intt. verterunt: καθίσας οὐ καθίσομαι, additâ negatione, ubi nullam eſſe oportet. Meliùs Vulgatus: *ex more ſedere ſoleo.* Sic *Joſephus* in hac hiſtoria: ἔθος δ' ἔχω δειπνεῖν σὺν τῷ βασιλεῖ, *habeo conſuetudinem convivandi cum Rege.* De ſeſſione ad menſam, vide etiam Cap. XVI, 21.

Me dimittes] Hoc eſt, patieris me ex aula abeſſe, facultatémque abeundi te mihi dediſſe dices.

6. *Me deſideraverit*] פקד יפקדני *phakod jiphkedeni*, ad verbum *viſitando me viſitaverit*, hoc eſt, me ad animum revocaverit, animadverteritque me abeſſe, & adeſſe optaverit. Vide vſſ. 18, 25, 27.

Anniverſarium ſacrum] זבח ימים *ſacrificium dierum*; hoc eſt, anni, vel anniverſarium. Vide Cap. I, 1.

7. *Malum ab eo mihi eſſe decretum*] כי כלתה הרעה מעמו *quod conſummatum eſt malum ab illo*; hoc eſt, non dubitat ampliùs an me malè mulctaturus ſit, ſed mala ejus voluntas eum perfectionis gradum conſequuta eſt, ut major fieri nequeat. *Joſephus* rectè: τοῦτ' ἔσται σημεῖον τῶν κατ' ἐμοῦ βεβουλευμένων, *hoc ſignum erit conſiliorum contra me captorum.* Vulg. *completa eſt malitia ejus.* Sed non tam malitiam animi ſignificari voce רעה *rahah*, quàm malum quod imminebat Davidi à Saüle, oſtendit vocula מעמו mehimmo, παρ' αὐτοῦ.

8. *Benignè te geres*] *Facies benignitatem erga ſervum tuum.*

Per fœdus Jehovæ] בברית יהוה *in fœdere Jehovæ*, confirmato, nempe, jurejurando, per nomen Jehovæ concepto; quo Jonathan promiſerat æternam amicitiam Davidi & ſimilem ipſe promiſſionem acceperat à Davide. Hoc ergo jurejurando fretus David Jonathanem convenerat.

9. *Abſit, inquit*] חלילה לך *abſit tibi*, ubi לך *lach*, abundat, ut ſequentia oſtendunt. LXX. Intt. μηδαμῶς σοι. Vulg. *Abſit hoc à te*, ſed turbatur conſtructio totius commatis, ut ſolâ lectione liquebit. Sic ſæpe לך לך *lech lach*, ito tibi, pro *ito*.

10. *An tibi dura* &c.] *An* (או o) *quid reſponderit tibi pater tuus durum.* Nam או o ſignificat *an, num.* Vide 2. Sam. XVIII, 3.

11. *Rus egrediamur*] Erant ergo in urbe Giba, dum aberat Saül.

12. *Teſtis eſto*] Supplevi יהי עד *jehi hed*, teſtis ſit, quia alioqui pendet conſtructio, nec verba hæc, *Jehova Deus Iſraëlis*, habent quò referantur. Simile ſupplementum neceſſarium eſt v. 23. LXX. Intt. ſupplent οἶδε, *novit*.

Craſtino die hac horâ, aut perendie] כעת מחר השלישית *chaheth mahhar haſſchliſchith*, ſecundùm tempus hoc, craſtino tertio. Supplevimus *aut*, ante השלישית *haſſchliſchith*, quia David antea oravit Jonathanem, ut craſtino die voluntatem patris exploraret. Sic Vulgatus: *craſtino vel perendie.* At LXX. Intt. abſurdè, ὡς ἂν ὁ καιρὸς, τρισσῶς.

Sique bene erga te ſit affectus] *Et ecce bonus erga Davidem.*

Me ad te miſſurum] *Et non miſero ad te.* Subintelligitur, *de me pœnas ſumat*, aut ſimile quid. Sed Latinè loquentes aliter loquendi hoc genus exprimere coacti ſumus, ne planè hiulca oratio eſſet, ut eſt apud Latinum Interpretem qui habet: *Domine Deus Iſraël, ſi inveſtigaro ſententiam patris mei craſtino vel perendie, & aliquid boni fuerit ſuper David & non ſtatim miſero ad te & notum tibi fecero.* Rectè obſervat *Gaſp. Sanctius* hiulcam eſſe hanc orationem,

gat, ut, *ſi* malus ſit animus patris mei erga te, monebo te, ac dimittam, ita ut inco-
lumis abeas, ſitque Jehova tecum, quemadmodum fuit cum patre meo. 14. Sin mi-
nùs, ac in vivis fuero, te mecum benignè non geres, ô Jehova, ita ut non moriar.
15. Non deſines verò, *tu David*, benignus eſſe erga meam familiam, in perpetuum; ne
eo quidem tempore, quo Jehova è terra ſingulos inimicos tuos exſciderit. 16. Sic fe-
cit *fœdus* Jonathan cum familia Davidis; &, *rationem*, inquit, repoſcat Jehova è manu
hoſtium Davidis. 17. Præterea Jonathan jurejurando adegit Davidem, ut ſe amaret,
nam ipſe ſui inſtar illum amabat.
18. Dixit ad hæc illi Jonathan: cras eſt Neomenia, & deſideraberis *inter convivas*,
nam ſedes tua vacabit. 19. Cùm tertiam lucem videbis, valde adpropinquabis, ve-
nieſque in locum, in quem te abdidiſti die negotii, & conſiſtes ad lapidem Ezel. 20. Ego
verò ad ejus latus jaculabor tres ſagittas, quaſi eas emitterem ad ſcopum. 21. Tum
mittam puerum, *his prolatis verbis:* ito, invenito ſagittas. Si dixero *præterea* puero:
ecce ſagittæ ſunt præter te, hanc in partem, cape eas; tum venito, tibi enim ſecuro
eſſe licet, nec quidquam eſt quod timeas. *Sic* vivit Jehova. 22. Si verò ſic dixero ado-
leſcenti: ecce ſagittæ ſunt præter te, ulteriùs; abito, nam dimittit te Jehova.
23. Quod

nem, ſed in formulis jurandi ſolere aliquid intelligi, quod non exprimitur. Sic enim revera ſolent Hebræi; ſed Latinè ita loqui non licet.

13. *Si malus ſit animus patris mei*] *Si bonum erit apud patrem meum malum contra te*; hoc eſt, ſi ei viſum fuerit te malè mulctare. כי *chi* vertimus *ſi*, ita ſenſu poſtulante, ut & alibi.

Ita ut incolumis abeas] *Et ibis in pace.*

Sitque Jehova tecum &c.] Hæc verba propemodum perſuadent Jonathani ignotam non fuiſſe unctionem Davidis, ut Saüli ſuccederet; quamvis ignoraret, an ſe vivo futurum hoc eſſet.

14. *Ac in vivis fuero*] *Si adhuc ego vivus.*

15. *Non deſines verò, tu David* &c.] Supplevi *tu David*, quia iterum ſe ad Davidem convertit Jonathan, à quo perpetuam amicitiam in ſe & ſuos exigit. In Hebraïcis eſt: *non abſcindes benignitatem tuam à familia mea.*

Ne eo quidem tempore quo &c.] *Neque cùm exſciderit*, aut *cùm exſcindet* (בהכרית behachroth) *Jehova hoſtes Davidis* &c.

16. *Sic fecit fœdus*] ויכרות *vajjicbroth*, & cecidit; ſubaudiendum ברית brith, *fœdus*, hoc eſt, mutuam amicitiam. Vide rationem hujus loquutionis, ad Gen. XV, 10.

Rationem repoſcat] ובקש יהוה *oubikkeſch Jehovah*, inquirat Jehova. Vide Joſ. XXII, 23.

17. *Ut ſe amaret*] באהבתו beahabatho, *in amore ſui.*

Nam ipſe ſui inſtar &c.] *Nam amore animæ ſuæ eum amabat*; ſimili amore quo *animam ſuam*, hoc eſt, ſe proſequebatur, Davidem amabat.

19. *Cùm tertiam lucem videbis*] ושלשת veſchillaſchtha, *& perveneris ad tertium diem.* Vocem finxerunt LXX. Intt. qui habent τρισσεύσεις. Vulgatus, *uſque perendie*, conjungit verbum hoc cum ſuperioribus, durè & incommodè. Sequuti ſumus *Aquilam*, qui habebat τρεῖς ἡμέρας ἀναβήσῃ, ut teſtatur *Procopius*.

Valde adpropinquabis] תרד מאד thered meod, *valde deſcendes.* Vulgatus: *deſcendes feſtinus.* Videtur hoc velle Jonathan, Davidem ſe in imam vallem demiſſurum quàm proximè ad Gibam, ubi Jonathan ipſe eſſet ei ſignificaturus quid factu opus eſſet,

Die negotii] ביום המעשה bejom hammahaſcheh, *die operis.* Unde LXX. Intt. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἐργασίμῃ. Vulgatus, *die quâ operari licet:* Videtur potiùs ad diem alludi, quo negotium hoc ipſum, de ſalute Davidis, Jonathani curæ fuerat; ſe ſe enim eo die occultaverat, ut liquet ex Cap. XIX, 2. Nuſquam legimus Neomeniæ die fuiſſe ferias, quibus opus facere non liceret.

Ad lapidem Ezel] אצל האבן האזל *etſel haeben haazel.* LXX. Intt. hìc mirè vertunt: παρὰ τὸ ἐργὰβ ἐκεῖνο, ſi credimus Aldino & Romano Codicibus, quomodo etiam Veteres nonnulli citarunt. Alexandrinus habet ἔργον, Complutenſis παρὰ τῷ λίθῳ ἐκείνῳ, unde liquet, pro האבן האזל *haeben haezel*, in Codicibus LXX. Intt. ſcriptum fuiſſe, ut conjecit *Lud. Cappellus* Crit. Sac. Lib. IV. C. XII, 5. ארגב הלז *ergab hallaz.* Alludit autem ἐργὰβ, ad רגב *regeb*, quod LXX. Intt. vertunt χάλικα, aut λίθοι apud Jobum XXI, 33. XXVIII, 38. *Aquila & Symmachus lapides* aut *lapidem* verterant, ut teſtantur *Euſebius* in Ἑβραϊκῷ & *Procopius* ad hunc locum.

20. *Quaſi eas emitterem ad ſcopum*] לשלח לי למטרה *ad mittendum mihi ad ſcopum*, nam eſt à נטר nathar, *obſervavit*; obſervari autem debet ſcopus à jaculante, ſi eum ferire velit. Vide Job. XVI, 12. LXX. Intt. in Cod. Romano εἰς τὴν ἀματταρί, in Alexandrino διαμαρτυρίαν, in Aldino ἀμαγγαρί, in Complutenſi ἀμαρτάρα. Meliùs Latinus, *jaciam quaſi exercens me ad ſignum*, qua in re ſequutus eſt *Aquilam*, qui verterat σκοπὸν, aut φυλακὴν, ut *Symmachus* εἰς τὸν συντεταγμένον, quod teſtatur *Procopius*. *Joſephus* etiam habet εἰς τὸν σκοπόν.

21. *Sagittæ ſunt præter te* &c.] Quaſi ſignificaſſet his verbis nihil eſſe quod David timeret, ut non eſt quod timeat qui ſagittis impetitur, quando præter ipſum tranſierunt. Addita vox *veni* rem ſic intelligendam oſtendebat.

Tibi enim ſecuro eſſe licet] *Quia pax tibi.*

22. *Abito*] In hac voce ſignum erat abeundi, quamvis antecedentia verba contrarium innuere videri poſſent; quod fiebat, ne quis rem intelligere poſſet.

Dimittit te Jehova] Per me, aut admonitione meâ.

 23. *Teſ-*

Digitized by Google

23. Quod autem ego & tu diximus, eorum Jehova *ſit teſtis* inter nos, in perpetuum.

24. Se abdidit ergo David ruri, cúmque eſſet Neomenia, Rex ſedit ad convivandum, 25. & ſedit quidem, ut ſolebat, in ſede ſua parietem verſùs. Cùm ſurrexiſſet Jonathan, ſedit Abner ad latus Saülis, & vacavit locus Davidis. 26. Die tamen illo, nihil dixit Saül, dicebat enim *apud ſe:* fluxus eſt, non eſt mundus, *non venit* quia non eſt mundus. 27. Poſtridie verò Neomeniæ, die *menſis* ſecundo; vacavit etiam locus Davidis, dixitque Saül Jonathani filio: cur non venit Jiſaïs filius, nec heri, nec hodie, ad convivium? 28. Reſpondit verò Jonathan Saüli: poſtulavit à me David, *ut ſibi liceret excurrere* Beth-lechemum uſque, 29. & dimitte me quæſo, inquit, eſt enim nobis Sacrum domeſticum in urbe, juſſitque me *eò venire* frater meus. Itaque ſi quâ apud te gratiâ valeo, hinc, quæſo, abeam, videámque fratres meos. Ea de cauſa, non venit ad menſam Regis. 30. Tum verò accenſa eſt ira Saülis in Jonathanem, &, fili, inquit, perverſe ac immorigere, annon ſcio te *tibi amicum* elegiſſe filium Jiſaïs, in tuam infamiam, infamiámque ignominiæ matris tuæ? 31. Quamdiu enim filius Jiſaïs in terris vixerit, tamdiu neque tu firmus eris, neque regnum tuum. Nunc ergo mitte qui eum capiant ad me *adducendum*, eſt enim reus mortis. 32. Reſpondit verò Jonathan Saüli patri &, cur, inquit, morte afficeretur? quid commiſit? 33. Ibi vibravit contra eum

23. *Teſtis ſit Jehova*] *Ecce Jehova*, ſed ſupplendum omnino *teſtis*, cum LXX. Intt. qui habent ἴδε Κύριος μάρτυς.

24. *Ad convivandum*] על הלחם *ad panem*, aut *cibum*, *ad comedendum*. Maſſorethæ voculæ על ſubjiciunt *ſegol*, & in margine notant legendum אל *el.* At *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. III. c. VIII, 18. præfert τὸ *Chethib*, vúltque legi על *hal*, non ſine ratione. LXX. Intt. ἐπὶ τὴν τράπεζαν τοῦ φαγεῖν, quaſi ſcriptum fuiſſet על שלחן *hal ſchulhhan*. Vulgatus, *ad comedendum panem*.

25. *Et ſedit quidem*] *Et ſedit Rex in ſella ſua ſicut vice in vice*, *in ſella parietis*, hoc eſt, ad parietem, ubi ſummus locus. Sed quâ ratione diſpoſita eſſet menſa, temporibus illis, non conſtat. Hinc & ex aliis locis liquet eos adſediſſe. Vide ad Geneſ. XXXVII, 25.

Cùm ſurrexiſſet Jonathan] ויקם יונתן *& ſurrexit Jonathan*. Nemo non exſpectaſſet hîc dici, poſtquàm Rex adſederat, *& ſedit Jonathan*. LXX. hîc habent καὶ προέφθασεν τὸν Ἰωνάθαν, quia legerunt, aut legendum cenſuerunt ויקדם *vajjekaddem*, pro ויקום *vajjakom*, ſenſu optimo; ita ut intelligatur ſolus Saül anteceſſiſſe Jonathanem, ſeu Jonathan proximè poſt eum ſediſſe, deinde ad alterum Regis latus ſedem habuiſſe Abnerem. *Joſephus* deſcribit Ant. Jud. Lib. VI. c. 14. παρακαθιζόντων Σαούλῳ τὸν μὲν παῖδα Ἰωνάθαν ἐκ δεξιῶν, Ἀβέννηρον δὲ τὸν ἀρχιστράτηγον ἐκ τῶν ἑτέρων: *adſidentes Saülo filium quidem Jonathanem à dextris*, *Abenerum verò legatum exercitûs à ſiniſtris.* Volunt quidem Interpretes Jonathanem *adſurrexiſſe* Saüli, aut ingredienti conclave, aut mox ſeſſuro; nam adſurgere jam ſedenti ſerum fuiſſet. Sed omnia ſunt præter rem, cùm hîc de ſedendo, & de ſedentium ordine ſermo ſit. Itaque aut hîc legere nos oportet quod legerunt LXX. Intt. aut aliud corruptionis genus hîc eſſet ſtatuendum.

Vacavit locus Davidis] Qui fortè poſt Jonathanem proximè ſedebat.

26. *Fluxus eſt*] מקרה הוא *fluxus hic*. Intelligit ſeminis profuſionem voluntariam, aut involuntariam, ut ſequentia verba oſtendunt. Qua de re, vide notata ad Deuter. XXXIII, 10.

Non eſt mundus] Ordinariæ quidem menſæ ſic immundi aderant, ſed ſi victimæ carnes eſſent comedendæ, ut hîc, adeſſe non audebant; ſeu fuiſſet ὀνειρωγμὸς, ſeu concubitus cum uxore. Hinc *Joſephus*, in hac Hiſtoria: ὑπονοήσας ὡς ἀφαγνεύοντα αὐτὸν διὰ συνουσίαν ὑστερεῖν, *ſuſpicatus* (Saül) *ideo eum abeſſe*, *quod à coitu uxoris non eſſet purus.*

27. *Cur non venit* &c.] Hinc colligere licet, apud Regem, convivium Neomeniæ etiam ſequente die, fortè ut victimæ abſumerentur, agitatum. Sed mirum eſt Saülem, qui norat Davidem metu mortis abiiſſe, mirari cur ſollemni convivio non adſit. Fortè exiſtimavit Davidem crediturum, quidquid à ſe factum fuerat, id in paroxyſmo melancholico eſſe factum.

Ad convivium] אל הלחם *el hallehhem*, hoc eſt, *ad panem*, aut *ad paſtum*. LXX. Intt. ἐπὶ τὴν τράπεζαν.

28. *Beth-lechemum*] Subaudiendum לרוץ *larouts*, quod expreſſum antea v. 6.

29. *Sacrum domeſticum*] *Sacrificium familiæ*, quale potuit eſſe votivum ſacrificium à Jiſaï quotannis factum.

30. *Fili perverſe ac immorigere*] בן נעות המרדות, *ben nahavath hammardouth*, filii perverſitatis rebellionis; nam נעות eſt nomen ſubſtantivum, in ſtatu conſtructo, ut loquuntur Grammatici, nec video quî aliter verti poſſit. Qui volunt eſſe participium Niphal, primùm eos reddere oportet rationem cur ſit in ſtatu conſtructo; deinde cur ſit ante nomen ſubſtantivum, quod ex Analogia Linguæ ſequi debet. LXX. Intt. habent υἱὲ κορασίων αὐτομολούντων, *fili puellarum transfugarum*, quaſi legiſſent נערות המרדות *naharoth hammoredoth*. Vulgatus, *fili mulieris virum ultro rapientis*; quia legit נערת מרדות naharath mardouth, *puellæ rebellionis.* Multò ſatius eſt dicere Jonathanem dici *filium perverſitatis rebellionis*, Hebraiſmo vulgari, pro homine perverſæ ac immorigeræ indolis.

Infa-

eum Saül haſtam, ad eum feriendum; *unde* intellexit Jonathan rem eſſe à Saüle decre-
tam, occidere Davidem. 34. Tunc iratus ſurrexit Jonathan à menſa, neque ſecundo
die menſis cibum ſumſit, quia dolebat Davidis causâ, quòd eſſet à patre contumelioſè
habitus. 35. Mane verò egreſſus eſt rus Jonathan, tempore cum Davide præſtituto,
erátque cum eo puerulus. 36. Dixit verò puero: curre, & inveni ſagittas, quas ego
jaculabor. Cucurrit verò ille, & trans illum ſagittam jaculatus eſt *Jonathan*. 37. Puer
ergo venit ad locum ſagittæ, quam jaculatus erat Jonathan, clamavitque à tergo pueri
& dixit: annon ſagitta eſt præter te, ulteriùs. 38. Clamavit præterea Jonathan à ter-
go pueri, feſtina ocyùs, ne conſiſtas. 39. Itaque collegit puer ſagittam, rediitque ad
herum ſuum, nec quidquam de re noverat. Jonathan tantùm & David rem ſcie-
bant. 40. Tum dedit Jonathan arma ſua puero, eique, ito, inquit, refer hæc in
urbem.

41. Puer igitur abiit, Davidque ſurrexit à meridie, pronúſque in humum concidit,
& ter ſe ſe proſtravit. Tum alter alterum oſculati ſunt, unáque fleverunt, & David
quidem vehementiùs. 42. Dein Jonathan Davidi, abito, inquit, incolumis. Quod
verò ambo juravimus, per nomen Jehovæ, his verbis: *teſtis* ſit Jehova, inter me &
te, itémque inter prolem meam & tuam in perpetuum; *ratum eſto*. Itaque ſurrexit Da-
vid & abiit, Jonathan verò in urbem reverſus eſt.

XIX. Da-

Infamiámque ignominiæ matris] Vult dicere: in infamiam tuam, familiæque tuæ, cui Davidem præfers, cùm eo ſuperſtite neque tu, neque filii, fratréſve tui umquam regnaturi ſitis. Sequentia verba hunc ſenſum eſſe oſtendunt, Saülémque exprobrare Jonathani ſtultitiam; quâ tuebatur eum qui regiæ familiæ, ut Saül putabat, pernicies futurus erat; quòd militibus & populo multò gratior eſſet, quàm Saül, ejúſque filii, ac proinde regiam dignitatem aliquando poſſet invadere.

31. *Firmus eris*] Hoc eſt, incolumitatis tuæ ſecurus. Putabat, nempe, Davidem omnem lapidem moturum, ut regiam familiam exſtingueret, quò tutiùs regnaret.

Mitte qui &c.] *Mitte & capito eum ad me*; nempe, adducendum.

Reus mortis] *Filius mortis*. Neſcio annon ſuſpicaretur, hoc tempore, Saül à Samuële unctum fuiſſe, ut poſt ſe regnaret; ſanè hæc verba eam ſuſpicionem redolent, ſi præſertim antecedentia attendamus.

33. *Vibravit contra eum Saül haſtam*] Oportet, ut alibi diximus, ſemper ad manum fuiſſe haſtam Saüli.

Rem eſſe à Saüle decretam] כי כלה היא מעם אביו להמית. Hîc כלה *chalah* ſignificat *rem conſummatam*, ſeu decretam. Hinc *Hieronymus: intellexit quod definitum eſſet à patre ſuo, ut interficeret* &c. LXX. verò Intt. hîc verterunt, quaſi eodem modo legeretur ac v. 7, & 9. כי כלתה רעה, habent enim: συντετέλεσται ἡ κακία αὐτὴ παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐξολοθρεῦσαι τὸν Δαυίδ. Sed nihil vetat כלה *chalah* hîc nomen eſſe ſubſtantivum.

34. *Iratus*] בחרי אף *in excandeſcentia iræ*.

Contumelioſè habitus] הכלימו hichlimo, *contumelioſè eum habuerat*. Si præſens fuiſſet David, vertendum eſſet, *pudore affecerat*. LXX. Intt. habent συνετέλεσε, quaſi eſſet à כלה *chalah*, & legendum בכליבו *bichlibou*, ſed hoc caret ſenſu. Vulgatus, *eo quòd confudiſſet eum pater ſuus*, quod de Davide præſente meliùs diceretur, abſenti non convenit.

36. *Trans illum ſagittam* &c.] *Jaculatus eſt ſagittam, ut ultra eum mitteret.*

38. *Feſtina ocyùs*] *Feſtina, accelera.*

39. *Ad herum ſuum*] *Ad heros ſuos.*

40. *Arma*] כליו chelau, *vaſa*. Arcum & ſagittas.

41. *A meridie*] Rectè. *Aquila* ἐχόμενα τοῦ Νότου, &c. *Hieronymus: de loco qui vergebat ad auſtrum:* מאצל הנגב, *meetſel hannegeb*. Sic & LXX. Intt. in Complutenſi Editione ἀπὸ τοῦ νότου, & apud *Procopium* ἀπὸ ἀνεγαβ. In Vaticano & Aldino hîc iterum eſt ἀπὸ τοῦ ἐργὰβ, in Alexandrino locus eſt vitiatus. Vide not. ad v. 19.

Pronúſque in humum concidit &c.] Honoris causâ, ut Jonathanis opem imploraret, aut beneficium gratus agnoſceret. Vide not. ad Gen. XXXIII, 3. *Joſephus*, In hac Hiſtoria: πεσὼν αὐτῷ τῶν Ἰωνάθου ποδῶν καὶ προσκυνῶν σωτῆρα αὐτοῦ τῆς ψυχῆς ἀπεκάλει: *accidit ad pedes Jonathæ, & adorans ſervatorem animæ ſuæ vocabat.*

Et David quidem vehementiùs] עד דוד הגדיל *had David higdil*, donec David magnopere fleret. Rectè Latinus: *David autem ampliùs*. LXX. Intt. ἕως συντελείας μεγάλης, quaſi legiſſent עד כלה הגדולה had chalah haggedolah, *ad conſummationem magnam*, hoc eſt, ita ut ſummopere flerent. Fallitur enim *Lud. Cappellus*, qui Crit. Lib. IV. Cap. V, 3. vult legiſſe LXX. Intt. דור הגדול dor haggadol, *generationem magnam*; quod caret ſenſu, nec Hebraïcum eſt.

42. *Incolumis*] *In pace.*

Ratum eſto] Simile quid intelligendum eſt. Alioqui pendet oratio. Hebraïcè diceres הקם נקים hakem nakim, *ratum habebimus*.

In CA-

XIX. David fugiens Nobum venit, unde panes Deo adpoſitos ſumit, gladiúmque Goliathi, vidente Doëgo Idumæo. Hinc confugit ad Achiſum Gathi Regem, ubi ſibi ad aulicis timens inſaniam ſimulat.

CAPUT XXI.

1. IVIT autem David Nobum, ad Achimelechum Sacerdotem, trepidúſque ei ob-
viam venit Achimelechus, atque dixit: cur ſolus es, neque quiſquam eſt tecum?
2. David verò Achimelecho Sacerdoti: Rex, inquit, rem mihi mandavit, de
qua dixit: nemo quidquam ſciat de re, propter quam ego te mitto, quámque tibi
mando. Itaque juvenibus certum quemdam locum, *in quo me exſpectarent*, conſtitui.
3. Nunc verò quid tibi eſt ad manum? Da mihi in manum quinque panes, aut quod
invenietur. 4. Reſpondit verò Sacerdos Davidi, nec eſt ad manum, inquit, panis
communis, ſed tantùm panis ſacer. An juvenes puros ſe ſaltem ſervarunt à mulieri-
bus? 5. Reſpondit David Sacerdoti & dixit; heſterno die & antecedente abſtinui-
mus à mulieribus, poſtquàm egreſſus ſum, jámque erant vaſa juvenum ſanctificata.
Is verò *panis eſt* inſtar communis, & præterea vaſibus hodie *alius* conſecrabitur. 6. Ita-
que dedit ei Sacerdos *panem* ſacrum, quia illic nullus erat panis, præter panem *Deo*
ad-

In CAPUT XXI.

1. N*Obam*] נבה *nobeh.* Hanc urbem ſacerdotalem fuiſſe liquet ex v. 19. C. XXII. nec tamen memoratur, hoc certè nomine, Joſ. XXI. & 1. Par. VI. ubi urbes Sacerdotales recenſentur. Videtur autem ea in Tribu Benjaminis fuiſſe, cùm Nehem. XI, 32. memoretur inter urbes ejus Tribûs, nec eſſet Jeroſolimâ remota, ut liquet ex Eſa. X, 32.

Ad Achimelechum] Qui *Achia* dicitur Cap. XIV, 3.

Trepidúſque] Quòd timeret, videns Davidem Regis generum, & præfectum militum, ſolum & citato gradu ad ſe venientem, ne cujuſpiam mali nuncius adveniret.

2. *Rex* &c.] Ficta hæc omnia ſunt, ſed nihil vetat in gravi periculo figmentis, quæ nemini nocent, nec nocere poſſunt, uti: quamvis non liceat mentiri, ſine gravi cauſa & ubi mendacium nocere poſſet. Vide & ſup. Cap. XX, 8.

Juvenibus &c.] Videtur habuiſſe fidos ſibi aliquot viros, qui illum comitati ſunt, ſaltem ad Philiſthæorum fines, & quibus locum indicarat, in quo eos eſſet conventurus.

Certam quemdam locum] *Locum phloni almoni*, de qua loquutione vide not. ad Ruth. Cap. IV, 1. Voces ipſas Hebraïcas hîc adhibuerant LXX. Intt. ſed quæ mirè ſunt in noſtris Codicibus corruptæ.

3. *Quid tibi eſt ad manum* &c.] Hoc eſt, an victus aliquos habes paratos?

4. *Panis communis*] לחם חל *lechem chol*, quod vertunt LXX. Intt. ἄρτοι βέβηλοι, Vulg. *laicos panes*, poſt *Aquilam*, qui λαϊκὸς verterat. Significatur panis, quem quivis è populo comedere poſſet; nam ſacer à Sacerdotibus, eorúmque familiis abſumendus erat, ex Lege quæ exſtat Levit. XXIV, 9.

An juvenes puros &c.] Ex hac Achimelechi quæſtione liquet, uſu ejus temporis, non prorſus illicitum fuiſſe Laïcis, comedere panes ſacros, urgente neceſſitate; quandoquidem Pontifex Maximus hoc unum poſtulavit, ut à mulieribus abſtinuiſſent David, & comites. Ac ſanè ea conſuetudo ratione clarâ nitebatur, ex qua multò præſtat legem ritualem negligi, quàm nimium incommodum ſubire. Vide Matth. XII, 5. ubi Chriſtus ejuſmodi legem neceſſitati vult poſthaberi.

Quod autem hîc exigit à Laïcis Achimelechus, id à Sacerdotibus potiori jure exigebatur, qui immundi res ſacras attingere non poterant. Vide Levit. XV, 16, 17, 18.

5. *Abſtinuimus à mulieribus*] *Mulier prohibita nobis.* Certè David abſtinuerat, qui ab aliquot diebus latitabat.

Vaſa juvenum ſanctificata] כלי הנערים קדש *chle hannearim kodeſch.* Videntur intelligi non corpora ſummatim ſpectata, ſed ea præſertim membra, quæ polluere cenſebantur reliquum corpus. *Sanctitas* autem dicuntur vaſa Davidis & comitum, propter abſtinentiam à mulieribus, quas non attigerant, ut poſſent Novilunii victimis veſci. Vide Cap. XX, 26.

Is verò panis eſt inſtar communis] והוא דרך חל. *& ipſe via profanus.* Supplevimus *panis*, quia nullus alioquin eſt loci ſenſus; deinde דרך *derech*, explicuimus *aliquo modo*, quia *via* paſſim pro modo & ratione faciendi aliquid ſumitur. Panis autem ſacer, ablatus è conſpectu Dei, fiebat aliquo modo profanus, quia alius erat illo die ſubſtituendus; quod fiebat ineunte Sabbatho, ut docemur Levit. XXIV, 8.

Vaſibus hodie alius conſecrabitur] *Hodie ſanctificabitur in vaſe*; hoc eſt, in vaſibus in quibus collocandus erat, ut ferretur in Locum Sanctum, menſæque imponeretur. Abſurdè habent LXX. Intt. καὶ αὐτὴ ἡ ὁδὸς βέβηλος, διότι ἁγιασθήσεται σήμερον διὰ τὰ σκεύη μου. Sic & Vulgatus: *porrò via hæc polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis.* Quàm hæc ſint obſcura & præter rem, ſola eorum lectio ſatis oſtendit; ſed & Interpretes, qui haſce tranſlationes ſequuntur & nituntur enarrare, idem irritis conatibus demonſtrant.

6. *Panem ſacrum*] קדש kodeſch, *ſanctitatem*, hoc eſt, rem ſanctam, ſeu ſacram, aut לחם קדש *panem ſanctitatis.*

Nullus erat panis.] Ipſo illo die videntur, in ædibus Pontificis, panes cocturi fuiſſe, non pote-

Digitized by Google

adpoſitum, amotum à facie Jehovæ, ut ſubſtitueretur panis calidus eodem die, *quo*
auferebatur. 7. Erat autem illic eo die vir è ſervis Saülis, qui captivus detinebatur
coram Jehova. Ei nomen fuit Doëgo, erátque Idumæus, & præfectus paſtorum Saü-
lis. 8. Dixit etiam David Achimelecho: annon eſt tibi hic ad manum, aut haſta,
aut gladius; neque enim gladium meum, aut arma in manum cepi, quia negotium
Regis urgebat. 9. Eſt, inquit Sacerdos, hic gladius Goliathi Philiſthæi, quem oc-
cidiſti in valle Elæ. En hic eſt veſte involutus, poſt Ephodum; ſi *gladium* hunc vis
capere, capito; nullus enim hic præter eum alius eſt. Non eſt, inquit, ei ſimilis *alius*,
eum mihi dato.

10. Surrexit ergo David & fugit eo die Saülem, ivitque ad Achiſum Gathi Re-
gem. 11. Sed ſervi Achiſi ei dixerunt: annon iſte David eſt Rex terræ *Iſraëliti-
dis?* annon de hoc in choris reſpondebant dicentes: occidit Saul mille, David ve-
rò decies mille viros? 12. Hæc verba David ad animum revocavit, ſibique vehe-
menter timuit ab Achiſo Gathi Rege. 13. Igitur mutavit vultum, iis inſpicienti-
bus, & ſimulavit ſe furere in eorum manibus; dum in januæ valvis ductus pinge-
ret, ſalivámque in barbam ſuam demitteret. 14. Achiſus verò ſervis: en, inquit,
videtis hominem inſanientem, quare eum ad me adduxiſtis? 15. An mihi deſunt in-
ſani, ut hunc adducatis, qui apud me inſaniat? An ejuſmodi vir domum meam in-
gredietur?

XX. Da-

terant enim tot Sacerdotes diu carere pane; ſed & duodecim panes ſacros, qui è ſacra menſa auferebantur, mox habituri erant, niſi eorum partem abſtuliſſet David.

Deo adpoſitum] *Faciei*, quaſi faciei Dei adpoſitum.

7. *Coram Jehova*] Cujus cuſtodia commiſſa erat Sacerdotibus, ad Tabernaculum agentibus. Mirum eſt hîc pro נעצר *nebetſar*, quod detentum, vel captivum ſignificat, eſſe in LXX. Intt. tranſlatione non tantùm συνεχόμενος, ſed & Νεεσσαρὰν in Codicibus Vaticano, Alexandrino & Aldino; nam vox deleta eſt in Complutenſi editione.

Erátque Idumæus] האדמי *haadomi*. Sic etiam legit *Hieronymus*. Sed LXX. habent ὁ Σύρος, quia legerunt הארמי *haarami*, quomodo Syrus Hebraïcè dicitur. Sæpe ד & ר confuſas fuiſſe docebit, ſi neceſſe ſit, *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. IV. C. V, 3, 4. Exemplum hujus mutationis, in hac ipſa voce, vide 2. Reg. XVI, 6.

Præfectus paſtorum] אביר הרעים abbir harohim, *potens paſtorum*. Vulg. *potentiſſimum paſtorum*. Sed LXX. Intt. νέμων τὰς ἡμιόνους. Vide & infra Cap. XXII, 9. Præſtat intelligere ἀρχιποιμένα, ſeu præfectum paſtorum, cum *Sam. Bocharto* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 44.

8. *Gladium meum* &c.] Mirum eſt Davidem, in tanto periculo, in quo ab aliquo tempore verſabatur, ſine gladio inceſſiſſe; ſed fortè timuit ne agnoſceretur, néve vir armatus ſe ſe occultans ſuſpectus fieret.

9. *Poſt Ephodum*] Sacerdotalem veſtem, quæ alicubi ſuſpenſa erat. Antea minimè dictum eſt quomodo gladius ad Tabernaculum adpenſus fuiſſet. Vide Cap. XVII, 54.

Si gladium hunc vis tibi capere] אם אותה תקח *ſi hunc capturus es*. Futurum aliquando non tantùm quod facturus eſt quiſpiam, ſed & quod vult facere ſignificat. Vide ad Ruth. IV, 4.

10. *Achiſum Regem Gathi*] Antehac nulla mentio Regum, apud Philiſthæos, quos regebant סרנים *ſeranim*, aut שרים *ſcharim*, principes. Fortè, imitati Hebræos, hiſce temporibus Reges & ipſi ſibi elegerunt.

11. *Rex terræ*] Supplevimus *Iſraëlitidis*, prout res poſtulabat. Ceterùm errore ducti Davidem Regem vocabant, qui fuerat tantùm præfectus regius.

In choris reſpondebant] Vide ad Cap. XVIII, 7.

12. *Ad animum revocavit*] *Poſuit in corde ſuo*. Ex iis enim collegit facilè poſſe fieri ut memoria cladium, ab ipſo acceptarum, exitio ſibi apud Philiſthæos eſſet. Antea crediderat odium Philiſthæorum in Hebræos & præſertim in Saülem, qui Philiſthæorum jugum excuſſerat, effecturum, ut ſe ſe malè à Saüle habitum & ad necem quæſitum, libentes exciperent; ſed veritus eſt ne cladium memoria plus in eorum animis valeret; cùm audivit non ignotum eſſe illic canticum Iſraëlitidum, in victorias à ſe de Philiſthæis reportatas, nullâ enim re magis offenduntur homines, quàm ejuſmodi jactationibus.

13. *Mutavit vultum*] וישנו את טעמו *vajjeſchanno eth tahmo*. LXX. καὶ ἠλλοίωσε τὸ πρόσωπον. Latinus, *immutavit os ſuum*. טעם *taham* hîc vultum ſignificat, non faciem; hoc eſt, totius oris habitum, quo David contorſionibus ſimulabat ſe inſanire, ut ſperneretur à Philiſthæis; quod conſilium ei bene ceſſit. Vide Pſ. XXXIV, 1.

Iis inſpicientibus] *In eorum oculis*.

In januæ valvis ductus pingeret] ויתו על דלתות השער *vajjethau hal dalthoth haſchahar*. LXX. habent: ἐτυμπάνιζεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πόλεως. Sic & Vulgatus: *impingebat in oſtia portæ*. Legerunt, ut rectè conjecit *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. IV. c. V, 34. ויתף *vajjathoph*, à radice תפף thaphaph, *pulſavit tympanum*. Si ſequamur lectionem hodiernam, videbitur David, aut digito, aut cretâ, in valvis ridiculas figuras pinxiſſe; quod conjunctum cum motibus, contorſionibúſque & faciei & corporis facilè potuit perſuadere ſpectatoribus hominem inſanire.

15. *An ejuſmodi vir* &c.] LXX. Intt. οὗτος οὐκ εἰσελεύσεται εἰς οἰκίαν. Interrogationis vim obtinet ejuſmodi negatio. Sic loco Mich. V, 2. Matthæus addidit negationem, quæ non eſt in Hebraïcis, quia in iis interrogationem contineri vidit. Vide *Joan. Druſium* & *Hug. Grotium* ad Matt. II, 6.

In Ca-

Digitized by Google

XX. *David familiam ſuam ad ſe venientem accipit, & ſibi cavet à Saüle. Saül occidit Sacerdotes, quos Davidi favere ſuſpicabatur; excepto Abiathare, qui ad Davidem confugit.*

CAPUT XXII. 1. ILLINC ergo abiit David, fugitque in ſpeluncam Hadullami; quod cùm audiſſent fratres ejus, & omnis patris ejus familia, illuc ad eum ſe contulerunt. 2. Convenerunt etiam ad eum quicumque in anguſtiis verſabantur, quicumque ære alieno premebantur, ac omnes *denique* quibus æger erat animus. Eorum dux fuit *David*, & erant quidem cum eo circiter quadringenti viri.

3. Deinde illinc abiit David Mitſphen Moabitidis, dixitque Regi Moabitarum: egrediantur, quæſo, parentes mei ad vos, donec ſciam quid mihi facturus ſit Deus. 4. Tum duxit eos in conſpectum Regis Moabitarum, manſerúntque apud eum, toto tempore quo David in loco munito fuit. 5. At ei dixit Gad Propheta: ne maneas in munito hoc loco, ſed ito, ingredere terram Judæ; profectúſque illinc David, venit in Cherethiam ſilvam.

6. Audivit *tunc temporis* Saül, notum eſſe *ubi eſſent* David, & viri qui cum illo erant. Cùm autem Gibæ ſederet ſub arboribus, in loco edito, haſtam manu gerens, omnéſque ejus

In CAPUT XXII.

1. IN *ſpeluncam Hadullami*] עדלם *badullam*. *Euſebius:* Ἀδολλάμ, φυλῆς Ἰούδα· κώμη νῦν ἐστι μεγίστη πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως, ὡς ἀπὸ σημείων ι'. *Hieronymo* interprete: ADOLLAM, *in Tribu Juda, & uſque hodie vicus non parvus, ad orientem Eleutheropoleos, in decimo ejus milliario hoc nomine vocatur.*

Fratres ejus &c.] Timebant, nimirum, ſibi ne Davidis causâ omnes perirent; Saül enim eos accuſaſſet quaſi conſcios conſpirationis, cujus Davidem inſimulabat, & omnes occidiſſet, quemadmodum Sacerdotes Nobenſes C. XXII. leviori multo ſuſpicione ductus interfecit. Mores aut leges Regnorum, in Oriente, fortè jam ab eo tempore non erant æquiores; quàm fuerunt poſtea apud Perſas, per quorum leges, *ob noxam unius, tota propinquitas peribat*, ut habet *Marcellinus* Lib. XXIII, c. 6. ubi vide *Frid. Lindenbrogium.*

2. *Quicumque in anguſtiis verſabantur*] כל איש מצוק *omnis vir anguſtiæ*; hoc eſt, qui res adverſas patiebantur, nec poterant ampliùs locum, dignitatémve ſuam domi tueri; ſeu iniquitate temporum, ſeu potentiâ inimicorum, ſeu ſuâ ipſorum culpâ. Ita ſemper factum eſt in diſſentionibus civilibus, quibus infelices, aut ære alieno oppreſſi abutuntur. *Salluſtius* ad Cæſarem Ep. I. de Republica Ordinanda: *Per idem tempus* (belli civilis cum Pompeio) *maledictis iniquorum occupandæ Reipublicæ in ſpem adducti homines, quibus omnia probro ac luxuriâ polluta erant, concurrere in caſtra tua & apertè quietis mortem, rapinas, poſtremò omnia quæ corruptus animus jubebat, minitari —— Sed & ob eaſdem cauſas immane dictu eſt quanti & quàm multi mortales poſtea ad Pompeium diſceſſerint, eoque, per omne tempus belli, quaſi ſacro atque inſpoliato fano, debitores uſi.* Sic & ad Davidem multi haudquaquam meliores confugerunt, qui tamen numquam eſt paſſus eos in cives ſuos graſſari, nec bellum civile concitavit, ſed in populi Hebræi hoſtes arma convertit.

Quicumque ære alieno premebantur] *Omnis vir cui erat debitor*; cui non poterat mutuam acceptam pecuniam reddere, ſibique ſervitutem propterea timebat.

Omnes quibus æger erat animus] *Omnis vir* מר נפש mar nepheſch, *amarus animâ*, quâ loquutione ſignificantur omnes, quibus præſens ſuarum rerum conditio diſplicebat, & qui rerum novarum cupidi erant. Quamvis nullâ ratione ſit Catilina cum Davide, vir conſceleratus cum optimo, conferendus; hanc in rem tamen adferre poſſumus quod dixit *Salluſtius* de Manlio Catilinæ legato Cap. 28. B. C. *Interea Manlius in Etruria plebem ſollicitare, egeſtate ſimul ac* DOLORE INJURIAE (Hebraïco more, *amaram animo*) *novarum rerum cupidam, quòd Sullæ* (tu dicito, Saülis) *dominatione agros, bonáque omnia amiſerat; præterea latrones cujúſque generis, quorum in ea regione magna copia erat* &c.

3. *Mitſphen Moabitidis*] Itaque David ad ortum Jordanis tranſiit. Mitſphe enim hæc fuit dimidiæ Tribûs Manaſſis, ad ortum ejus fluvii. Vide Joſ. XI, 3. & Jud. X, 17. Sed quoniam hîc habetur מצפה מאב *mitſpheh Moab*, oportet Moabitas eam poſtea occupaſſe, atque his temporibus poſſediſſe.

Parentes mei] *Pater meus & mater mea*; qui grandævi erant, nec tutò in Judæa ampliùs eſſe poterant, propter iram Saülis, qui in Davidis odium familiam ejus facilè deleturus fuiſſet; ut ſacerdotum Nobenſium exemplo ſatis conſtat. Vide ad v. 1.

4. *Toto tempore*] *Omnibus diebus.*

In loco munito] במצודה *bammetſoudah*, in loco munito Mitſphæ.

5. *Gad Propheta*] Qui poſtea dictus eſt *Videns Davidis* 1. Par. XXI, 9. Vide & 2. Sam. XXIV, 11. & ſeqq.

In Cherethiam ſilvam] יער חרת *jahar Hhareth.* *Hieronymus: in ſaltum Haret. Euſebius.* Ἀρίθ, ἔνθα ἐκάθισε Δαυίδ. κώμη Ἀρὲθ Αἰλίας πρὸς δυσμαῖς. *Hieronymo* interprete: *Arith, ubi ſedit David. Eſt villa Arath nomine, ad occidentem Æliæ.*

6. *Notum eſſe, ubi eſſent David*] *Quod notus eſſet David* (כי נודע דוד) *& viri* &c.

Cùm autem Gibæ ſederet &c.] גבעה *gibah* eſſe nomen patriæ Saülis, hoc in loco, credidimus, cum Vulgato Int. qui habet *cùm maneres*

ejus ſervi ei adſtarent, 7. adſtantibus ſibi ſervis: audite, inquit, quæſo Benjaminitæ;
an vobis etiam omnibus dabit Jiſaïs filius agros & vineas? An vos omnes conſtituet
Chiliarchos & Centuriones; 8. ut omnes contra me conſpiraveritis, neque quiſquam
me monuerit filium meum *fœdus* feciſſe cum filio Jiſaïs, aut quiſquam mei causâ dolens
docuerit filium meum concitare contra me ſervum meum, qui mihi inſidietur, ut ho-
die *facit?*

9. Reſpondit verò Doëgus Idumæus, qui præerat ſervis Saülis, &, vidi, inquit, Ji-
ſaïs filium, cùm venit Nobum ad Achimelechum, Achitubi filium. 10. Ejus causâ,
interrogavit Jehovam, viaticúmque ei dedit, ut & gladium Goliathi Philiſthæi. 11. Ita-
que miſit Rex, qui vocaret Achimelechum, Achitubi filium, Sacerdotem & omnem
familiam patris ejus, Sacerdotes qui Nobi erant, venerúntque omnes ad Regem.
12. Tum Saül, audi, quæſo, inquit, fili Achitubi. Ille verò, en, inquit, adſum, do-
mine. 13. Ibi Saül, cur, inquit, conſpiraſtis contra me, tu & filius Jiſaïs, cùm ei
dediſti panem & gladium, & ſciſcitatus es Deum, ejus gratiâ, ut in me inſurgeret,
mihique inſidiaretur, quemadmodum hodie *facit?* 14. Reſpondit verò Achimelechus
Regi, &, quis *fuit*, inquit, inter omnes ſervos tuos, fidelis inſtar Davidis, qui & ge-
ner Regis eſt, qui tuo juſſu diſceſſit, & honorificum locum obtinet in tua familia?
15. An hodie demum incepi Deum, in ejus gratiam, interrogare? Abſit mihi!
Ne

ret in Gabaa. Sed maluimus hîc vertere *ſederet*, quàm *maneret*; quia non convenit huic verbo cum ſequentibus. Quod incommodum ut vitaret *Hieronymus*, ſupplevit *& eſſet*, ſic enim habet: *cùm maneret in Gabaa* & eſſet *in nemore.* At LXX. Intt. ἐκάθητο ἐν τῷ βουνῷ, putarunt enim גבעה hîc nomen eſſe appellativum.

Sub arboribus] תחת האשל *thahhath haeſchel*; quæ vox *nemus* ſignificat, ſive *arboretum.* Vide Gen. XXI, 33. Mirum eſt ἄρουραν & illo Geneſeos loco & hîc & Cap. XXXI, 13. verti à LXX. Intt. Sed magis mirum eſt *Joſephum* Ant. Jud. Lib. VI. c. 14. ita loqui de Saüle, καὶ καθίσας ἐπ' ἀρούρης, τόπος δ' ἦν τις οὕτω προσαγορευόμενος: *ſedens in arura, locus quidam erat ſic dictus.* Helleniſtam Judæum, pendentem è verſone Græca, hæc potiùs redolent, quàm Sacerdotem Jeroſolimitanum Hebraïcè ſcientem.

In loco edito] ברמה *baramah.* Hieronymus, *quod eſt in Rama*; LXX. Intt. τῷ ἐν Ῥαμᾶ. Sed nomen eſt appellativum, ſi modo Giba ſit nomen proprium, quod ſeries orationis ſuadere videtur.

Haſtam manu gerens] Quâ vir violenti ingenii utebatur in eos, qui ei adverſabantur, ut Cap. XX, 33. Vide ad Cap. XVIII, 10.

7. *Adſtantibus ſibi ſervis*] *Et dixit Saül ſervis* &c.

Chiliarchos &c.] *Duces mille & duces centum.* Exprobrat hîc Saül ſuis data prædia & munera, quæ ab ipſo acceperant; pluráque non obſcurè pollicetur, ſi modò ſe, in opprimendo Davide, adjuvarent.

8. *Monuerit*] *Aurem meam retexerit.*

Fœdus feciſſe] בכרות *cùm cæderet*; nempe, fœdus.

Docuerit] *Aurem meam retexerit.* Hæc poſtea aut ex confeſſione Jonathanis, aut aliâ ratione reſcivit Saül.

9. *Idumæus*] האדמי *haadomi.* Legerunt hîc quoque LXX. Intt. הארמי *haarami*, ut ſupra Cap. XXI, 7. habent enim Δωὴκ ὁ Σύρος.

Qui præerat ſervis &c.] *Et ille præerat.* LXX. Intt. ὁ καθεστηκὼς ἐπὶ τὰς ἡμιόνους Σαοὺλ, ut ſup. XXI, 7. Attamen ſcriptum eſt עבדי שאול *habde ſchaoul*, non פרדי *pharde*, quæ vox *mulos* ſignificat. Itáne legerint, an ex traditione aut interpretatione neſcio quâ Judaïca verterint non liquet.

10. *Ejus causâ interrogavit Jehovam*] Niſi rem apertè fateretur Achimelechus paullò inferiùs, facilè crederemus hanc eſſe calumniam Doëgi, cùm Cap. XXI. nihil hac de re legatur, ubi Hiſtoria narratur. Sed jam ſæpe notavimus ita ſolere Scriptores Sacros omittere circumſtantiam ſuo loco, quam poſtea narrent. Vide Indicem in *Circumſtantia.* An autem reſponderit Deus non docet Hiſtoria; nec conjecturis indulgere tutum eſt. Cùm David fugam, inſcio Pontifice Maximo, moliretur; de ea non potuit, niſi obſcurè, Deum interrogare; qui fortè obſcurè etiam reſpondit, qui factum ut fuga ad Philiſthæos malè Davidi ceſſerit; quamvis, non ſine divina Providentia, maximo periculo ereptus ſit.

14. *Quis fuit*] Addidi verbum *fuit*, quia iis auditis, quæ dixit Saül, non poterat apertè contraria adfirmare, & quia, hoc tempore, aliquam ſine dubio partem norat eorum quæ contigerant Davidi, apud Saülem, ejúſque fugam ab aula.

Tuo juſſu diſceſſit] וסר אל משמעתך *& recedens ad auditum tuum.* Hîc *auditus* eſt quod auditur, ſeu imperium ut 2. Sam. XXIII, 23. idémque Achimelechus dicit, ac ſi contenderet Davidem fuiſſe Saüli dicto audientem, & abiiſſe quò Rex eum juberet. LXX. Intt. habent ἄρχων παντὸς παραγγέλματός σου, quaſi סר *ſar* & שר *ſchar* princeps idem eſſent; ſed nec res, nec conſtructio hoc patiuntur. Meliùs *Hieronymus: pergens ad imperium tuum.*

Honorificum locum obtinet] נכבד nichbad, *honoratus eſt domi tuæ.*

15. *An hodie demum incepi*] Hinc liquet non opus fuiſſe, ut & Rex per ſe ipſe conſuleret Deum, ope τῶν *Urim & Thummim*; ſed & Miniſtrum Regium, qualem ſe eſſe præ ſe ferebat David, potuiſſe oraculum interrogare de negotio, ad quod mittebatur. Thalmudiei in Libro Joma C. VII. אין נשאלין אלא למלך ולאב בית דין ולמי שהצבור צריך בו. *Non conſulebantur niſi in gratiam Regis, Patris Domûs Judicii* (Synedrii) *aut ejus quo cœtus opus habebat.*

Abſit mihi!] Graviter enim hoc tuliſſet Saül, eo tempore, quo Davidis operâ utebatur; quia ſciſcitatio illa Oraculi non tam Davidi, quàm Regi negata fuiſſet. LXX. Intt. pro חלילה *hhalilah*, abſit, habent μηδαμῶς.

Ii

Ne

Ne quid *ſequius* tribuat Rex ſervo ſuo, aut toti familiæ patris mei; nihil quid-
quam enim, ſeu parvum, ſeu magnum, hac in tota re novit ſervus tuus. 16. Rex ve-
rò, morte, inquit, afficiemini, ô Achimeleche, tu & univerſa patris tui domus.
17. Deinde curſoribus, qui illic adſtabant: convertimini, inquit, & interficite Sacer-
dotes Jehovæ, quia operas cum Davide conjunxerunt & quia ſciverunt eum fugere,
nec tamen me monuerunt. At noluerunt ſervi Regis manum injicere in Sacerdotes Je-
hovæ, ut in eos irruerent. 18. Rex verò Doëgo, convertere tu, inquit, & in Sacer-
dotes irruito. Itaque converſus Doëgus Idumæus irruit ipſe in Sacerdotes, occiditque
illo die octoginta quinque viros, Ephodum lineum gerentes. 19. Præterea *Saül* No-
bum, urbem ſacerdotalem, gladio delevit, à viro ad mulierem, ab infante ad lacten-
tem. Quin etiam boves, aſinos, minoréſque pecudes ferro occîdit.
20. Unus evaſit filius Achimelechi, Achitubi filii, cui Ebiathari nomen fuit, & ad
Davidem fugit. 21. Is à Saüle occiſos Sacerdotes Jehovæ Davidi narravit. 22. Tum
David Ebiathari, intellexi, inquit, eo die, quandoquidem Doëgus Idumæus aderat,
fore ut rem renunciaret Saüli. Ego quidem cauſa fui cur omnis anima domûs patris
tui periret. 23. Tu verò mane mecum, nec timeto; quiſquis enim vitam mihi eripere
conabitur, eam tibi conabitur eripere; nam tu mecum eodem præſidio *ſervaberis*.

XXI. Ke-

Ne quid ſequius &c.] *Ne ponat Rex in ſervo ſuo verbum, in tota domo patris mei, quia non novit ſervus tuus, in omni hoc verbo, parvum aut magnum.* Hoc eſt, de conſpiratione Davidis, aut aliorum contra te nos Sacerdotes nihil noveramus.

16. *Morte afficiemini*] *Morte morieris* &c. Quamvis veriſſima & juſtiſſima defenſione uſus eſſet Achimelechus; Saül hominem damnavit, cùm ingenitâ crudelitate adductus, tum etiam quòd ſuſpicari potuit Achimelechus Davidem, inſcio Rege, ac invito etiam, fugere; cùm ſine armis, ſine viatico & ſine comitibus abeuntem eum videret. Sed hæc licèt mira viſa fuerint Sacerdoti, tanta erat exiſtimatio Davidis, eæque res geſtæ ſub auſpiciis Saülis, tantáque Hebræi Populi erga eum benevolentia, ut nihil mali ſuſpicatus ſit.

Et univerſa patris tui domus] Contra legem quæ exſtat Deut. XXIV, 16. Sed tyranni nullam rationem habent Legum, aut æquitatis. Hoc erat *jus regium*, aut *conſuetudo regia*, de qua ne Samuel quidem tam atrocia prædixerat, quàm paullò pòſt contigerunt. Itaque nullus Rex potuit verbis Samuelis niti, ut ſibi tam injuſtum jus adtribueret.

17. *Operas cum Davide conjunxerunt*] *Etiam manus eorum cum Davide.*

Me monuerunt] *Retexerunt aurem meam.*

At noluerunt &c.] Qua in re laudandi ſine dubio ſunt; ſed majore laude digni fuiſſent, ſi pro innoxiis omnes eſſent deprecati, oſtendiſſéntque Regem ea moliti quæ nec humanis, nec divinis legibus licita eſſent; poſtremò poſtquàm precibus rationibúſve flecti non poſſe Regem vidiſſent, ſi hanc ejus voluntatem pro melancholici paroxyſmi ſymptomate habuiſſent, ſíque hominem correptum amoliti eſſent, donec Sacerdotes fugâ ſibi conſuluiſſent, Réxque ad ſaniorem mentem rediiſſet. Nam ſpectare cædem innoxiorum Sacerdotum, complicatis manibus, & pati peregrinos ſatellites tyrannidis eſſe miniſtros; perinde fermè fuit ac omnia divina & humana jura, in gratiam tyranni, prodere. Neque enim ejuſmodi hominibus umquam deſunt peregrini ſaltem ſatellites, qui auſint omnia, quæ paſſuros cives norunt; nec ulla eſt auctoritas Legum, quas tyrannis impunè perfringere liceat. Verùm inquies, Deus eſt talium ultor, aut in hac, aut in altera vita. Non nego, ſed tyranni Dei metu non aguntur, & ſera eſt alterius vitæ vindicta, ad Societatem Humanam quod attinet; quæ interea ſub perpetuo intolerandæ ſervitutis jugo gemeret. Verùm hæc non ſunt hujus loci.

18. *Doëgus Idumæus*] Meritò repetitur hîc patria ſcelerati hominis, ut intelligant Lectores tam nefariam cædem ab hominibus Hebræis non fuiſſe commiſſam. Hinc *Joſephus*, in hac Hiſtoria, τῷ Σύρῳ, inquit, Δωήκῳ προσέταξε τὸν φόνον, καὶ προσλαβὼν ὁμοίους αὐτῷ πονηροὺς ἐκεῖνος ἀποκτείνει τὸν Ἀχιμέλεχον καὶ τὴν γενεὰν αὐτοῦ. ἦσαν δὲ πάντες ὡς πέντε καὶ ὀγδοήκοντα καὶ τριακόσιοι. *Syro Doeko mandat cædem, illéque, adſumtis malis viris ſibi ſimilibus, occidit Achimelechum, ejuſque ſtirpem. Erant autem omnes circiter, trecenti octoginta quinque.* Quamvis numerum Sacerdotum trecentis augeat, vix unus vir tot alios, inermes licèt, occidere potuit; nec ſanè umquam deſunt inſtrumenta ſcelerum, ubi impunè admitti poſſunt. Ex his etiam verbis *Joſephi* liquet Codices Græcos, qui non Syrum, sed Ἰδουμαῖον vocant Doëgum, qualis eſt Complutenſis, emendatos fuiſſe ad Hebraïcum.

Octoginta quinque] שמנים וחמשה *octoginta quinque*. LXX. Intt. τριακοσίους καὶ πέντε, in Codicibus Vaticano, Alexandrino & Aldino. In Editione Complutenſi, eſt tantùm ὀγδοήκοντα πέντε, ex emendatione, ut puto, Editorum. *Joſephus*, ut modò vidimus, habet *trecentos octoginta quinque.*

Ephodum lineum gerentes] Aliis quidem etiam Ephodum, ſeu pallium ejuſmodi gerere licuit, ut oſtendimus ad Cap. II, 18. ſed frequentiùs ſic induebantur Sacerdotes. Eum autem veſtitum, quippe ſollemniorem, induerant ut Regem inviſerent. Poſſemus hîc *linigerorum* Sacerdotum apud Ægyptios meminiſſe, niſi res eſſet notiſſima.

19. *Urbem Sacerdotalem*] Vide ad C. XXI, 1.

Gladio delevit] *Percuſſit ore gladii.*

A viro ad mulierem &c.] Quaſi, nempe, urbem eam devoviſſet, eâ devotione, quæ חרם *hherem* dicitur, & quæ in cives innoxios non minùs illicita erat, quàm quævis alias cædes à ſciente & volente commiſſa. Credibile eſt, hac quo-

XXI. Kehilam urbem à Philiſthæis obſeſſam liberat David, qui tamen proditionem timens, ne Saüli traderetur, eâ deſertâ, in ſolitudinem Ziphenſem abit, ubi Jonathan cum eo amicitiam renovat. Ziphenſes monent Saülem de loco ubi David erat. Saül mox adeſt, ſed irruptione Philiſthæorum revocatus ad ſua redit.

1. NUNCIUS allatus eſt Davidi, his verbis: Philiſthæi oppugnant Kehilam, & areas diripiunt. 2. Tum interrogavit David Jehovam his verbis: an ibo & Philiſthæos illos concîdam? Ito, inquit Jehova, Philiſthæos *enim* concides & Kehilam liberabis. 3. At qui cum Davide erant, en ſumus, inquiunt, hîc in Judæ tractu & quidem timemus; an verò etiam ibimus Kehilam, ad aciem Philiſthæorum? 4. Igitur iterum Jehovam interrogavit David, reſponditque Jehova, his verbis: ſurge, deſcende Kehilam, nam in manum tuam Philiſthæos trado. 5. Ivit itaque David cum ſuis Kehilam, *ubi* pugnavit cum Philiſthæis, pecudes eorum abduxit, magnum vulnus iis impoſuit, & incolas Kehilæ liberavit. 6. Cùm autem fugeret Ebiathar, Achi- CAPUT XXIII.

quoque in re, Saülem opera Doëgi, peregriniſque copiis uſum eſſe; quòd ſi fuerint Iſraelitæ, qui nefariam illam ſtragem adjuverint, ſceleratiſſimos mortalium eſſe oportuit. Sed & qui hanc lanienam ſpectarunt, cùm poſſent impedire, etiam cum aliquo ſuo periculo; aut qui poſt factam, indignationem ſuam teſtati non ſunt, abjectiſſima fuere mancipia, & digna quæ æternum ſervirent. Si talia enim impunè, omnibúſque muſſantibus, poſſunt facere imperantes; actum eſt de omnibus Legibus, déque Humana Societate; quid enim audere non poſſint, qui ſe tot innocentium ſanguine commaculare non verentur? Multa hîc habet egregia *Joſephus*, de prava hominum indole, qui dum privati ſunt juris obſervantiſſimi haberi volunt; cùm verò ad ſummam poteſtatem evecti ſunt, omnia divina & humana jura conculcant, & quia continuò hominibus pœnas non dant, ſe etiam Deo probari ſtultè putant. Quæ cùm ita ſint, omnium populorum intereſt nemini uni tantam credere poteſtatem & tantas copias concedere, ut impunè poſſit Leges conculcare. Qui aliter faciunt, divina & humana jura proditum eunt, Societatiſque Humanæ hoſtes ſe ſe præbent; dum volunt videri tranquillitati ſtudere, quæ nulla eſt ſub tyrannide, niſi mancipiorum.

20. *Cui Ebiathari nomen fuit*] Ille ergo unicus fuit ſtirpis Ithamaridarum ſurculus; qui poſtea etiam Pontificatu Maximo eſt amotus. Vide 1. Reg. II, 26, 27.

22. *Ego cauſa fui* &c.] אנכי סבתי בכל נפש בית אביך *Ego occaſio fui in omnem animam domûs patris tui*; hoc eſt, cur omnes Ithamaridæ ſint occiſi. LXX. Intt. ad verbum: ἐγώ εἰμι αἴτιος τῶν ψυχῶν. Vulgatus: *ego ſum reus omnium animarum patris tui*. Quæ ſunt incommodè verſa, cùm Hebraïſmi ſenſus ſit certus, debeátque exprimi potiùs quàm verba, cùm ſunt in aliis Linguis obſcura.

23. *Quiſquis enim vitam*] *Qui quæſiverit animam meam, quæſiverit animam tuam.* Sunt inverſa verba, nam hoc vult David: *qui quæſiverit animam tuam, is quæret meam*; hoc eſt, eodem loco habebo eos qui tibi inſidias ſtruent, ac eos qui mihi inſidiabuntur. Sed in Lingua Hebraica tales ſunt aliquando inverſiones, ut Exod. XXXIII, 18. *Ejus miſertus ſum, cujus miſerebor*, quod Latinè diceremus: *ejus miſerebor, cujus miſertus ſum.* A ſenſu aberrarunt Græci, qui habent: ὃ ἐὰν ζητῶ τῇ ψυχῇ μου τόπον ζητήσω καὶ τῇ ψυχῇ σου.

Nam tu mecum eodem præſidio &c.] *Quia cuſtodia tu mecum*; hoc eſt, *mecum* ſervaberis, ut habet Vulgatus.

In CAPUT XXIII.

1. K*Ehilam*] Urbs fuit Tribûs Judæ, ut liquet ex Joſ. XV, 44. De ea ſic *Euſebius*: Κεϊλά, φυλῆς Ἰούδα, ἔνθα Δαβὶδ ἐκάθισε, καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη Κηλὰ πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως ἀπιόντων εἰς Χεβρὼν ὡς ἀπὸ σημείων ιζ'. Interprete Hieronymo: *Ceila, in Tribu Juda, ubi quondam ſedit David & nunc villula Ceila ad orientalem plagam Eleutheropoleos pergentibus Chebron, quaſi octavo milliario.*

2. *Interrogavit Jehovam*] Quia Abiathar Ephodum, ſeu veſtes ſacras abſtulerat, quibus induto Deus reſponſa ſuggerebat. Vide v. 6.

3. *Qui cum Davide erant*] *Viri Davidis.*

In Judæ tractu] Intelligunt interiores Tribûs Judæ agros, & remotiores multò à Philiſthæis; nam erat Aſphaltiten lacum versùs ſolitudo Ziphenſis. At Kehila erat versùs fines Judæ ad Tribum Danis, cujus partem occupabant Philiſthæi. Cùm nulla mentio fiat legationis Kehilenſium ad Davidem miſſæ, auxilii petendi causâ, nec ceteroqui ei bene vellent; credibile eſt Davidem, mero ſtudio populares juvandi, iis ſuppetias ferre voluiſſe; ut oſtenderet quàm utilem operam præſtare poſſet populo Hebræo, ſi in priſtinum dignitatis locum reſtitueretur, ſéque ſemper civibus ſuis bene velle, quamvis à Saüle malè haberetur.

6. *Cùm autem fugeret Ebiathar* &c.] Scriptor Græcus, aut Latinus narrationis canonum non imperitus hæc verba præpoſuiſſet, aut proximè ſubjeciſſet verſui 4. nam adduntur dumtaxat, ut oſtendatur quâ ratione David Deum conſulere potuerit; quia, nempe, Ebiathar, qui ad eum confugerat, ſecum veſtes ſacras conſulturo Deum neceſſarias, abſtulerat. Vide not. ad Cap. XIV, 3. ubi ſimilis inverſio.

Achimelechi filius, ad Davidem Kehilam, Ephodum in ejus manus inciderat.
7. Nunciatum verò eſt Saüli Davidem iviſſe Kehilam; & dixit: tradidit eum Deus
in manum meam, nam incluſus eſt, cùm ingreſſus ſit urbem portis & vectibus clauſam.
8. Igitur convocavit Saül univerſum populum ad bellum, ut contenderet Kehilam, ad
obſidendum Davidem, viróſque, qui cum eo erant. 9. Intellexit verò David Saülem
in ſe clam aliquid mali moliri, & Ebiathari Sacerdoti, admove, inquit Ephodum,
10. dixitque: ô Jehova, Deus Iſraëlis, audivit ſervus tuus Saülem conari venire Kehi-
lam; ut eam, mei causâ, evertat. 11. An tradent me Kehilenſes in manum ejus?
Numquid veniet Saül, ut audivit ſervus tuus? O Jehova, Deus Iſraëlis, indica, quæ-
ſo, rem ſervo tuo. Dixit verò Jehova: veniet. 12. Ibi David, an tradent, inquit,
Kehilenſes me & meos in manum Saülis? Dixit Jehova: tradent.

13. Surrexit ergo David cum ſuis, qui erant circiter ſexcenti viri, egreſſique Kehilâ
iverunt quà ire potuerunt. Tunc Saüli nunciatum eſt egreſſum eſſe Davidem Kehi-
lâ, quare deſiit expeditionem moliri. 14. David verò in deſerto in munitis locis con-
ſtitit, & quidem in monte ſolitudinis Ziphenſis. Semper cum quæſivit Saül, ſed Je-
hova in ejus manum hominem non tradidit; 15. intellexitque David egreſſum eſſe Saü-
lem, ut ipſum interficere conaretur, cùm eſſet in Ziphenſi ſolitudine, in ſilva. 16. Tum
ſur-

Ephodum] Quamvis propriè *Ephod* dicatur pallium Sacerdotale Pontificis Maximi, attamen ſimul intelliguntur omnia, quæ cum eo erant connexa, & quæ ſeparari ab eo nefas erat; nempe, חשן *hhoſchen*, ſeu pectorale, & collare אורים ותמים *carbunculorum & unionum*. Vide Exod. XXVIII, 28, 29, 30.

7. *Tradidit enim Deus*] נכר *niccbar*, alienavit; hoc eſt, tradidit, nam quæ alienantur ea aliis in manum traduntur. Hinc LXX. πέπρακεν, & Chaldæus, מכר mchar, *vendidit*. Mirum eſt Saülem, hominem perfidum & crudelem, nec religioſum ſibi tamen auxilium Dei, cujus Leges perſtringebat, in opprimendo homine innocente, polliceri. Sed verum eſt quod habet hic *Joſephus* de tyrannis: Καὶ ἐπὶ μεγάλων δεῖ τῆς εὐσεβείας αὐτοῖς καὶ τῆς δικαιοσύνης ἔγγιστα τοῦ φθόνου γεγενημένοις, καὶ πᾶσι φανερῶν ἐφ' οἷς ἂν νοήσωσιν ἢ πράξωσιν τυγχανόντων, τότ' ἂν οὐκέτι βλέποντος αὐτοὺς τοῦ Θεοῦ ἢ διὰ τὴν ἐξουσίαν δεδιότος, οὕτως ἐμπαροινοῦσι τοῖς πράγμασιν. ἃ δ' ἂν ἢ φοβηθῶσιν ἀκούσαντες, ἢ μισήσωσι θελήσαντες, ἢ στέρξωσιν ἀλόγως, ταῦτα κύρια καὶ βέβαια καὶ ἀληθῆ τοῖς ἀνθρώποις καὶ ἀρεστὰ τῷ Θεῷ δοκεῖν, τῶν δὲ μελλόντων λόγος αὐτοῖς οὐδὲ εἷς. *Cùm maximè illis opus eſt pietate & juſtitia, quippè qui ſummopere invidiæ obnoxii facti ſunt, & quorum cogitata & facta omnibus conſpicua evaſerunt; tum verò, quaſi non ampliùs inſpiciente Deo, aut timente propter eorum poteſtatem, ſic in rerum adminiſtratione ſuperbiunt. Quæ timent, quia neſcio quid audiverunt, vel ſponte oderunt, aut ſine ratione amant, hæc rata, firma & vera hominibus & grata Deo exiſtimant; futurorum verò nullam rationem habent.* Putant Deum eorum affectus inducere, poſtquàm ſecundis aliquamdiu uſi ſunt.

Portis & vectibus clauſam] *Valvarum* (דלתים *dlathajim*) *& vectis.*

9. *Clam aliquid mali moliri*] מחריש הרעה *mahhariſch harahah*, hoc eſt, *facere ſilere malum*. LXX Intt. habent ὅτι παρασιωπᾷ τὴν κακίαν, ſatis eleganter. Latinus, *clam præparares malum.*

Admove Ephodum] הגישה האפוד *haggiſchah haephod*. Sic antea Cap. XIV, 18. *admoveri* Arca ei dicitur, qui Deum erat conſulturus.

10. *Conari venire*] *Quærit venire.*

11. *Veniet*] Deus ultimæ tantùm quæſtioni reſpondet, & quidem conditione poſitâ, quamvis non exprimatur; nimirum, ſi manſiſſet David intra Kehilæ mœnia, eáque defendere adgreſſus eſſet contra Saülem. Eam enim conditionem aut expreſſit, aut ſubaudivit David. Reſponſio autem Dei hæc nitebatur certâ cognitione conſilii Saülis, qui parabat jam copias, ad obſidendam Kehilam; altera verò reſponſio, quæ mox ſequitur, cognitione etiam indolis & affectionis animi Kehilenſium, quos Deus ita animatos erga Saülem & Davidem videbat, ut certò hinc colligeret fore ut traderent Davidem Saüli, ſi hic exercitum eorum mœnibus admoviſſet, ſique David tum intra ea fuiſſet. Deus quidem eventuum illorum dominus erat, potuiſſétque impedire ne veniret Saül, quamvis David illic manſiſſet; néve David ei traderetur, à Kehilenſibus, quamvis exercitus Saülis ad portas eorum fuiſſet. Sed Deus omnipotentiâ ſuâ in rerum illarum ſtatu mutatum nihil volebat, quia prudentiâ humanâ David, poſtquàm erat à ſe de voluntate Saülis & Kehilenſium monitus, ſaluti ſuæ fugâ conſulere poterat.

13. *Iveruntque quà ire potuerunt*] ויתהלכו באשר יתהלכו *& iverunt in quo iverunt*, quod Vulgatus interpretatur, *huc atque illuc vagabantur incerti*. Chaldæus: והליכו לאתר דכשר להלכא *& iverunt in locum aptum ad eundum*. Quem ſenſum ſequuti ſumus.

Expeditionem moliri] לצאת latſeth, *exire*; nempe, in expeditionem contra Davidem. *Exire* paſſim eſt expeditionem ſuſcipere, eámque exſequi, quia qui in hoſtem vadunt domo atque oppido exeunt.

14. *In munitis locis*] במצדות *bammetſadoth*, hoc eſt, in locis naturâ munitis, ut ſunt ſaltus, rupes aditu difficiles, cavernæ &c. ubi pauci pluribus reſiſtere poſſunt. In verſione LXX. Intt. vox hæc quaſi nomen proprium profertur, deinde quaſi appellativum vertitur; unde colligere eſt duas verſiones hic, ut alibi, eſſe miſtas. Legimus in Codd. quidem Aldino & Romano: ἐν Μασερεμ, ἐν τῷ ἐρήμῳ ἐν τοῖς στενοῖς. In Codice verò Alexandrino Μασερεθ, ut & apud *Procopium*, quod paullò melius eſt. In Complutenſi ab editoribus, quaſi ſuperfluum, ut puto, deletum eſt. Sed cùm non conſtet, quæ fuerit manus Interpretum, erat edendum quod inve-
nie-

Digitized by Google

ſurrexit Jonathan, Saülis filius, ivitque ad Davidem in ſilvam, manúmque ejus, *ut*
Deo *confideret*, confirmavit, 17. & ei, ne timeas, inquit, te enim non deprehendet
manus Saülis, patris mei; ſed tu regnabis in Iſraëlem, ego verò ſecundus à te ero,
& novit etiam Saül pater meus *rem* ſic *fore*. 18. Deinde unà fecerunt fœdus, coram
Jehova; manſitque David in ſilva, ſed Jonathan domum abiit.

19. At Ziphenſes iverunt ad Saülem Gibam, ut dicerent: annon David latet, apud
nos, in locis munitis ſilvæ, & quidem in colle Chachilæ, qui eſt ad dextram Jeſimo-
monis? 20. Nunc ergo, ô Rex, ſi animo tuo libet venire, veni; noſtrum verò erit
eum tradere in manum Regis. 21. At Saül, benefaciat vobis, inquit, Jehova, qui
mei miſerti eſtis. 22. Ite, quæſo, *rem*que adhuc certiùs cognoſcite, ſcitote ac videte
locum, in quo pes ejus conſiſtit, & quis eum ibi viderit; nam dixit *aliquis* mihi, cal-
lidè eum ſe gerere. 23. Videte ergo & ſcitote quænam ſint omnia latibula, in quæ ſe ab-
dit; & revertimini ad me, certò re cognitâ. Tum vobiſcum ibo, ſique ſit in tractu,
quæram eum, per omnes Chiliadas Judæ. 24. Surrexerunt ergo & abierunt Ziphum,
ante Saülem; cùm David cum ſuis eſſet in deſerto Mahonenſi, in campeſtribus, ad
dextram Jeſimonis. 25. Ivit ergo Saül, cum ſuis, ut *eum* quæreret; quod nunciatum
eſt Davidi, ivitque ad rupem & manſit in ſolitudine Mahonenſi. Hoc audito, Saül
per-

nicbatur in MSS. Alii Græci Interpretes verterunt ἐν στενολαίοις, ut idem *Procopius* teſtatur.

Semper] *Omnibus diebus*. Submittebat, nempe, homines certos qui eum inveſtigarent.

15. *Intellexit*] *Vidit*.

Ut ipſam interficere conaretur] *Ad quærendam animam ejus*.

In Ziphenſi ſolitudine, in ſilva] במדבר זיף בחרשה *bmidbar zaph babboreſchah*. LXX. Intt. in Codd. Vaticano & Aldino: ἐν τῷ ὄρει τῷ αὐχμώδει ἐν τῇ Καινῇ Ζίφ, in Alexandrino & Aldino ἐν τῷ ἐρήμῳ Ζὶφ ἐν τῇ Καινῇ. Legerunt בחדשה *bhadaſchah*, perperam, nam חרשה *bhoreſchah*, *ſilvam* aut *ſaltum* ſignificat, quæ optimè hîc convenit ſignificatio. *Aquila* verterat ἐν δρυμῷ, quod *ſilvam impeditam* ſignificat. *Joſephus* tamen Καινῇ, in hac hiſtoria habet.

16. *Manúmque, ejus ut Deo confideret, confirmavit*] Vox באלהים belohim, *in Deo*, neceſſariò paraphraſi explicanda fuit. *Confirmavit* Jonathan *manum Davidis*, hoc eſt, ejus animum, non copiis, aut pecuniâ, alióve ejuſmodi ſubſidio; ſed conſolatione deductâ ex ejus innocentia, promiſſionibúſque Dei; videtur enim jam noviſſe Davidem fuiſſe à Samuële unctum, ut Saüli ſuccederet, quod irritum fieri non poterat. Sequentia verba hoc ſuadent, & conſanguinei Davidis, ut videtur, decrepito jam Samuele, rem propalarant, ut populi Hebræi animos ei conciliarent.

17. *Tu regnabis* &c.] Ex facto Samuelis, qui Davidem non fruſtra unxerat, hoc colligebat Jonathan; ſed fallebatur, in eo quod addebat ſe fore *alterum à Rege*.

18. *Fœdus fecerunt coram Jehova*] Æternam amicitiam ſibi mutuò per Jehovam jurarunt.

19. *Chachila*] חכילה *bhachila*, non procul à Mari Mortuo. Vide *Jac. Bonfrerium*, ad vocem *Hechila*, in Onomaſtico.

20. *Si animo tuo libet*] *Ad omne deſiderium animæ tuæ, ô Rex, ad deſcendendum deſcende*.

21. *Benefaciat vobis Jehova*] *Benedicti vos Jehovæ*.

Mei miſerti eſtis] חמלתם עלי *bhamaltem halai*. Senſum expreſſit Vulgatus: *doluiſtis vicem meam*. At LXX. ἐπονέσατε περὶ ἐμοῦ, quaſi legiſſent עמלתם hamalthem, *laboraſtis*, ut rectè *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. IV. Cap. IV, 4.

22. *Certiùs cognoſcite*] הכינו *bachinou*, quod ſolet verti *præparate*, ſed cùm נכון *nachon*, in Niphal, ſignificet aliquando *certus fuit*, & נכונה *nehonnah*, veritatem, ſeu id quod firmum & ratum eſt, Pſ. V, 10. vertendum hîc cenſuimus *certiùs cognoſcite*. Sic v. 23. אל נכון eſt *ad liquidum*, *certò*, non vacillante conjecturâ, aut rumore incerto. Ac ſanè res ipſa poſtulat ita verti, non ἑτοιμάσατε, aut *diligentiùs præparate*, ut habent LXX. Intt. & Vulgatus.

Dixit aliquis mihi] אמר אלי *dixit mihi*; nempe, אמר *dicens*, ſeu quicumque intellectus fuerit à Saüle. Hoc non intellectum fefellit veteres Interpretes. Οἱ LXX. habent: ἐν τάχει ἐκεῖ οὗ εἴπατε μήποτε πανουργεύσηται, quaſi pro מי ראהו mi raahou, *quis eum vidit*, legiſſent מהרו maharou, *feſtinate*, deinde pro כי אמר אלי *quia dixit mihi* אמרתם פן *amarthem phen*; aut certè ita legendum cenſuiſſent, licèt aliter haberent eorum Codices. *Hieronymus* non feliciùs: *recogitat enim de me, quod inſidier ei*. Sed eſt ערום יערים הוא *aſtutè agendo aſtutè aget*, in tertia perſona, quod commodiùs de Davide intelligitur, quam de Saüle.

23. *Certò re cognitâ*] אל נכון *el nachon*. Rectè Vulgatus: *ad rem certam*, non εἰς ἕτοιμον, ut eſt in Codd. Alexandrino & Complutenſi, alii enim omittunt.

Per omnes Chiliadas] Vide ad Jud. VI, 15.

24. *Mahonenſi*] מעון *mahon*. Urbs fuit in Tribu Judæ, ut liquet ex Joſ. XV, 55. & quidem in meridiano tractu ad ortum. *Euſebius*: Μαὼν (non Μαών) φυλῆς Ἰούδα. ἔρημός ἐστιν ἐν ἀνατολαῖς τοῦ Δαρωμᾶ. Hieronymus: *Maon, in Tribu Juda, contra ſolis ortum Daromæ*. *Daroma* dicitur, ut notum eſt, pars meridiana Judææ; itaque fuit Mahon ad Aſphaltitæ lacûs occidentalem ripam, meridiem verſus. Igitur quod dicitur hîc *ad dextram*, idem eſt ac ad orientem, Ziphæi, nempe, converſi ad eundum Gibam, hoc eſt, ſeptemtriones ſpectantes ad dextram hanc ſolitudinem habebant.

25. *Ivitque ad rupem*] *Deſcendit ad petram*, hoc eſt, ivit, ut alibi ſæpe. Vide Jud. XV, 11.

Digitized by Google

perſequutus eſt Davidem, in deſertum Mahonenſe. 26. Ibat Saül juxta latus montis, hinc; David verò, cùm ſuis, juxta latus montis, illinc. Feſtinabat David abire, è conſpectu Saülis; Saül verò, cum ſuis, cingebat Davidem eóſque, qui cum illo erant, ut eos comprehenderet. 27. Sed nuncius ad Saülem venit, ut diceret: feſtina venire, quia Philiſthæi irruerunt in *Iſraëlitidem* terram. 28. Itaque Saül ab inſequendo Davide rediit, ivitque obviam Philiſthæis. Quamobrem vocarunt eum locum, Rupem diremtionis.

XXII. Saül iterum inſequens Davidem ab eo deprehenditur in ſpelunca, nec tamen occiditur. Quare innocentiam Davidis agnoſcit, fidéque ab eo acceptâ, fore ut poſteris ſuis parcat, ei pacatus abit.

CAPUT XXIV. 1. ILLINC deinde abivit David, manſitque in locis munitis Hen-gedis. 2. At cùm reverſus eſſet Saül à perſequendis Philiſthæis, nuncium attulerunt ei, his verbis: ecce Davidem in ſolitudine Hen-gedis. 3. Igitur adſumtis tribus virorum electorum ex omni Iſraële millibus, ivit ad quærendum Davidem & viros qui cum eo erant, per rupes ibicum. 4. Cùm autem veniſſet ad caulas ovium, quæ ſunt ad viam, ubi etiam eſt ſpelunca, in hanc ingreſſus eſt Saül, ut alvum exoneraret. David verò & ejus co-

27. *Feſtina venire*] *Feſtina & ito.*

Irruerunt] פשטו *phaſchethou.* Sic ſumitur Jud. IX, 33. & infra XXX, 14.

28. *Rupem diremtionis*] סלע המחלקות *petram diviſionum*; hoc eſt, ad quam diremti ſunt Saül & David. Incommodè habent LXX. Intt. πέτρα μερισθεῖσα, meliùs Latinus, *petram dividentem.*

In CAPUT XXIV.

1. *HEn-gedis*] עין-גדי *hen-gedi* fons hædi. De eo tractu ita *Euſebius*: Ἐγγαδδὶ φυλῆς Ἰούδα, ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβὶδ, ἐπὶ τῆς ἐρήμου τῆς ἐν Αὐλῶνι (ſic lego) Ἱεριχοῦς· καὶ νῦν ἔστι κώμη μεγίστη Ἰουδαίων Ἐγγαδδὶ, παρακειμένη τῇ νεκρᾷ θαλάσσῃ, ὅθεν τὸ ὀποβάλσαμον. *Hieronymus* interpretatus eſt: ENGADDI, *in Tribu Juda, ubi abſconditus eſt David, in ſolitudine, quæ eſt in Aulone Hierichûs, hoc eſt, in regione illa campeſtri, de qua ſupra diximus.* (ad vocem *Aulon*) *Vocatur autem uſque hodie vicus prægrandis Engaddi, juxta mare mortuum; unde & opobalſamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat.* Poſtea etiam de hoc eodem deſerto: παράκειται τῇ νεκρᾷ θαλάσσῃ εἰς δυσμὰς, *adjacet mari mortuo ad occidentem.*

3. *Per rupes ibicum*] Hoc eſt, in altiſſimas, & maximè arduas rupes, in quas ſoli ibices adſcendere ſolent. *Ibices* autem ſunt genus caprearum, quibus maxima ſunt cornua. Hos ſignificari voce יעלים *jehalim* multis oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. I. cap. 23. Eſt in Codd. Romano & Aldino ἐπὶ πρόσωπον Σαδδαιίμ, in Alexandrino Ἀειαμείν, in Complutenſi κατὰ πρόσωπον τῆς θήρας τῶν ἐλάφων. Sed in Codicibus, quibus utebatur *Euſebius*, erat Αἰαλείμ, multò propiùs ad Hebraïcam vocem, ſic enim habet in locis Hebraicis: Ἀϊαλίμ (lege ex *Hieronymo* Αἰαλείμ) Ἀκύλας τῶν ἐλάφων. Θεοδοτίων τῶν πετρῶν τῶν ἐλάφων. *Hieronymo* interprete: AIALIM, *pro quo Aquila tranſtulit cervorum: Theodotio, lapides cervorum.*

4. *Ut alvum exoneraret*] *Ad tegendum pedes ſuos.* Vide not. ad Jud. III, 24.

David verò & ejus comites] *Ejus viri.* Deſperatum propemodum hoc fuit conſilium; cùm, ſi fortè innotuiſſet Saüli eos illic latere, nullo negotio omnes malè perdere potuerit, obturato ſpeluncæ oſtio. Sed oportet Davidem, fermè deprehenſum à Saüle, non habuiſſe quò ſe ſe abderet, niſi in eam ſpeluncam. Ac ſanè quanta in anxietate fuerit, oſtendunt Pſalmi LVII & CXLII. Cùm verò in ultimis receſſibus ſpeluncæ laterent, in tenebris, ab ingredientibus cerni non poterant; ſed ipſi ingredientes, in luce verſantes, facilè videbant. Quare Saülem ingredientem non difficulter agnoverunt. *Joſephus* Ant. Jud. Lib. VI, c. 14. deſcribit hoc antrum βαθὺ καὶ κοῖλον εἰς πολὺ καὶ μῆκος ἀνεῳγὸς καὶ πλάτος, *profundum & cavum, atque in multam longitudinem & latitudinem patens.*

5. *Tum hi Davidi* &c.] *Et dixerunt viri Davidis illi.*

En, inquiunt, diem de quo &c.] Iis adſentior, qui putant Prophetam quempiam à Deo ad Davidem miſſum, ut hominem ſolaretur, ei dixiſſe fore aliquando tempus, quo, omnibus hoſtibus ſuis victis & proſtratis, tranquillè Iſraëlitis imperaret. Eò videntur reſpicere quæ Pſalmo II. poſtea à Davide compoſito continentur, & eò ſpectant hîc verba comitum Davidis. At malè Dei promiſſa interpretabantur, quæ effectum ſuum aliter & aliquantò pòſt ſortiri oportebat. Poterant autem facilè in aurem inter ſe colloqui, non ſentiente Saüle, præſertim ſi ventus aliquis in ea ſolitudine arborum folia agitaret

Eúmque habebis &c.] *Facies illi quemadmodum bonum erit in oculis tuis.*

Oram pallii] כנף המעיל *alam pallii*; eum in finem, qui verſu 12. aperitur, ne falſum eſſe crederet quod David dicere ſpeluncâ egreſſo ſtatuerat.

6. *Sollicitus fuit* &c.] ויך לב דוד אתו *& percuſſit cor Davidis illum*; hoc eſt, cor cœpit vehementiùs in eo palpitare, quod eſt anxietatis indicium. Anxius, nimirum, erat David ne hoc ipſum, quamvis magnanimitatis ſuæ clarum ſpecimen, Saül, moroſi ingenii homo, in ſequiorem partem acciperet & imminutionem Regiæ Majeſtatis haberet.

7. *Ne fuerit Jehova* &c.] *Abſit mihi à Jehova, ſi faciam hanc rem.*

Unc-

comites in lateribus ſpelunc æ conſtiterant. 5. Tum hi Davidi, en, inquiunt, diem de
quo tibi dixit Jehova: tradam inimicum tuum in manum tuam, eúmque habebis, ut
tibi videbitur. Surrexit verò David & clam abſcidit oram pallii Saülis. 6. Sed poſtea
ſollicitus fuit animus Davidis, eò quòd oram *pallii* Saülis abſcidiſſet, 7. dixitque ſuis:
ne ſiverit Jehova me facere hoc domino meo, uncto Jehovæ, ut manum ei injiciam,
nam eſt unctus Jehovæ! 8. Suos David verbis illis compeſcuit, nec paſſus eſt eos in
Saülem conſurgere. Itaque Saül ſurrexit è ſpelunca, & viam ſuam conficere perrexit.
9. Poſtea ſurrexit David, egreſſúſque è ſpelunca clamavit à tergo Saülis, his verbis:
domine mi Rex. Itaque reſpexit Saül, David verò, vultu in humum inclinato, eum
adoravit. 10. Dein Saüli, cur, inquit, auſcultas verbis hominum, qui tibi dicunt
Davidem tibi malum moliri? 11. En nunc viderunt oculi tui Jehovam te hodie tra-
didiſſe in manum meam, in ſpelunca, & dixere *mihi* ut te occiderem; at tibi pepercit
animus meus, & dixi: non injiciam manum meam in dominum meum, qui eſt unctus
Jehovæ. 12. Vide, pater mi; vide etiam oram pallii tui, in manu mea; & ex eo
quòd, cùm abſcinderem oram pallii tui, te non interfeci, ſcito & intelligito nullum
eſſe malum, quod in te moliar, *nullam* defectionem, nullum in te delictum; dum tu vi-
tam meam venaris, ut eam mihi eripias. 13. Judicabit de me & de te Jehova, & ultionem
mei causâ de te ſumet, at manum tibi non injiciam; *nam*, 14. ut fert proverbium vetus:
à ſon-

Unctus Jehovæ] Si David Saülem occidiſſet, qui auctoritate ſuâ tam crudeliter abutebatur, ut ipſum innocentem hoſtiliter dudum perſequeretur, omnéſque occideret, quos ei favere ſuſpicabatur, & qui præſertim innoxios Sacerdotes trucidaverat; nemo miratus eſſet, aut quaſi indignum facinus ei exprobraſſet. Sed vir magnanimus non quod licebat ſibi, per populares ſuos, ſpectavit: verùm ita ſe gerere voluit, ut omnes intelligerent innocentiam ſuam, affectúmque erga Regem ipſum, uſque adeò ſibi infenſum: nec, ſi unctus fuiſſet ut ſuccederet Saüli, ſe eam dignitatem ullo modo ambiſſe, aut præ imperandi cupiditate longam ſibi videri Saülis vitam. Antevertere voluit omnes calumnias inimicorum, aut invidorum, qui eum ambitionis, & ſeditionis inſimulare potuiſſent; & ad thronum regium pervenire, eo modo, in quo ne invidia quidem ipſa quidquam carpere poſſet.

Itaque duas rationes prætexit ſuæ magnanimitati, quòd Saül ejus eſſet *Dominus*, & quod *Unctus* fuiſſet juſſu Dei. Verùm hæc debentur humanitati & prudentiæ Davidis; nam alioqui qui erga miniſtros nulla amplius jura ſervat, is eorum dominus eſſe deſinit; ſunt enim hæc reciproca, inter ſe, ut qui à miniſtris obſequium poſtulat, is ſe æquum dominum præbeat; & qui non dominum, ſed feram habet, quæ ſibi immeritò inſidiatur, is miniſter ejus eſſe deſinat. Nemo imperat, aut paret, niſi certis legibus, quas utrimque obſervari oportet; ſin minùs, planè diſſolvitur Humana Societas, ejúſque jura conculcantur. Similiter & unctionis jure excidit, qui ſe planè indignum præſtat Deo, cujus juſſu unctus eſt. Sed ſuo jure uti noluit David, cùm propter rationes allatas, tum quia præſertim contentio ei eſſet cum ſocero. Adde &, ſi ita videtur, Davidem, qui unctus fuerat & Rex mox futurus erat, eâ ratione ſibi ipſum conſuluiſſe; res enim ejus agebatur, non minùs quàm Saülis.

8. *Compeſcuit*] ישסע *jeſchaſſah*. LXX. Intt. verterunt ἔπεισε, & Thargum, פיס phajjes, *placavit*, unde colligit *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. V. C. I, 5. legiſſe eos ישמיע *jeſchammeah*, hoc eſt, *audientes*, vel *obedientes fecit*; quæ lectio ei commodior videtur, quia שסע, *ſchaſah*, uſurpatur tantùm, ut putat, de ungula biſida; quæ ſignificatio non quadrat hîc, neque poteſt aptari, niſi violenter & coactè. Sed obſervat *Joan. Buxtorfius* in Vindiciis Ver. Hebraïcæ P. 2. C. X. hoc verbo ſignificari etiam *diſcerpere*, & tralatitio ſenſu potuiſſe ſumi, ut ſumſit Vulgatus, qui habet: *& fregit viros verbis.*

Viam ſuam conficere] וילך בדרך *& ivit in viam.*

9. *Adoravit*] Inflexo, nempe, corpore, וישתחו *vajjiſchthabhou.*

11. *Dixere mihi*] *Dixit*, nempe, aliquis, ut Cap. XXIII, 22. Malè Vulgatus: *cogitavi ut occiderem te.*

Tibi pepercit animus meus] ותחס עליך *vatthabhos halecha.* Subaudiendum נפשי *anima mea*, aut עיני *heni*, oculus meus, cum Vulgato Interprete, qui habet: *pepercit tibi oculus meus*; aut ידי jadi, *manus mea*, quod antea in hoc ipſo commate occurrit.

12. *Pater mi*] Erat quidam Saül ſocer Davidis, quare eum *patrem* vocare poterat; ſed eſt etiam honorifica appellatio.

Quod in te moliar] *In manu mea.*

Nullam defectionem] *Et defectionem, neque peccavi tibi.* Hæc tanta & tam inſignis Davidis magnanimitas manifeſtò oſtendebat eum in Saülem nihil moliri; & quo major fuit, eò deteriorem erga illum ſe poſtea tyrannus præbuit.

Venaris] צדה *tſodeh*, quod affine eſt radici צוד *tſoud*, quæ *venari* ſonat & cujus ſignificatus hic optimè convenit, ubi ſermo eſt de homine, quem inimicus perſequebatur inſtar feræ, per montes & ſilvas. Vide v. 2. Eodem metaphorico ſenſu, occurrit hoc verbum Lam. III, 52. IV, 18. Hoc ſpectarunt LXX. Intt. qui habent δεσμεύεις τὴν ψυχήν μου, reſpiciunt enim vincula & retia venatorum.

13. *De me & de te*] *Inter me & inter te.*

14. *Proverbium vetus*] Aut *proverbium veteris*, ſi punctationem rigidè ſequamur, eſt enim מְשַׁל הַקַּדְמֹנִי. Sed LXX. habent ἡ παραβολὴ ἡ ἀρχαία, & Vulg. *proverbium antiquum*, quomodo loqui Latini ſolent. Quare ſic loquutus ſum, cùm ſit idem ſenſus.

à fontibus prodit delictum; manum, *inquam*, tibi non injiciam. 15. Quemnam inſequuturus egreſſus eſt Rex Iſraëlis? quemnam perſequeris? *Nimirum*, canem mortuum, aut pulicem unum. 16. Sit verò Jehova judex, de me ac de te judicet, diſpiciat, cauſam meam defendat, ac è manu tua me vindicet!

17. Cùm hæc Saüli dicere abſolviſſet David, tum Saül, an hæc, inquit, tua vox eſt, fili mi David? cœpitque ejulare, 18. & Davidi, juſtior es, inquit, quàm ego; quia mihi rependiſti bonum, cùm tibi malum rependerem. 19. Oſtendiſti tu hodie te mihi bene feciſſe, quandoquidem cùm tradidiſſet me Jehova in manum tuam, me non occidiſti. 20. Quis inventum inimicum ſuum per viam rectam dimiſerit? At Jehova tibi rependat bonum, pro eo quo me hodie effeciſti! 21. Nunc intelligo te regnaturum & manſurum in manu tua regnum Iſraëlis. 22. Nunc autem jura mihi, per Jehovam, numquam fore ut exſcindas prolem meam poſt me, deleáſve nomen meum è patris mei familia. 23. Juravit hoc David Saüli, abiitque Saül domum ſuam; David verò, cum ſuis, ad locum munitum adſcendit.

XXIII. *Poſt mortem Samuelis, David in Pharanica ſolitudine verſatur. A Nabale, de quo bene meritus erat, malè habitus, de ultione cogitat, ſed ab ejus uxore placatur; quam, mortuo Nabale, uxorem ducit, ut & Achinobamam, cùm Michalam alii collocaſſet Saül.*

CAPUT XXV.

1. POSTEA mortuus eſt Samuel, omniſque Iſraël convocatus eum luxit, & ſepeliit domi ipſius Ramæ. Tum ſurrexit David, & in Pharanicam ſolitudinem ivit. 2. Vir autem fuit Mahone, ſed cujus negotia erant in Charmelo. Opulentiſſimus

A fontibus prodit delictum] מרשעים יצא רשע, *mireſchabim jetſe reſchab*, à reis prodibit delictum; hoc eſt, qui ſunt fontes alicujus ſceleris (nam hæc eſt propria ſignificatio τῶ רשע) ipſi tandem malum animum ſuum produnt, cùm ſe ſe dat occaſio ſimiliter peccandi, ſine metu ſupplicii. Hoc ergo vult David, ſi reus fuiſſet conſpirationis in Regem, non prætermiſſurum fuiſſe occaſionem tam commodam interficiendi Regis; cùm homines affectibus ſuis indulgere ſoleant, & ex animo conſpirationis reo, nihil niſi conſentanea facta prodire, pro veteri adagione: *à fontibus prodit delictum*; verùm Saüli ſe numquam manum injecturum. LXX. Intt. ἐξ ἀνόμων ἐξελεύσεται πλημμέλεια. Vulgatus: *ab impiis egredietur impietas*. Sed רשע neque ἄνομον, neque *impium* propriè ſignificat. Vide ad Exod. II, 13. Deut. XXV, 1.

15. *Quem inſequuturus* &c.] *Poſt quem exiit.*

Nimirum, canem] *Poſt canem & poſt* &c. Nihil poterant Hebræi contemtius dicere, quàm *canem mortuum*. Vide 2. Sam. IX, 8. & XVI, 9. &, ſi opus eſt, *Sam. Bochartum* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 56.

16. *Vindicet me*] *Judicet me*; hoc eſt, latâ & exſequutioni mandatâ ſententiâ, pro mea innocentia, à te liberet.

17. *Fili mi David* &c.] Re ipsâ convictus Saülis animus non potuit magnanimitati Davidis ampliùs reſiſtere; itaque agnovit ejus innocentiam ἑκών, ἀέκοντί γε θυμῷ, ut loquitur *Homerus*.

Cœpitque ejulare] *Suſtulit Saül vocem ſuam & flevit.*

18. *Cùm tibi malum rependerem*] Pro bona ac ſtrenua opera, quam ei antea navaverat David. Itaque hîc quàm maximè elucebat ejus magnanimitas, qui bene mereri de eo non deſineret, quem uſque adeò ingratum experiebatur, ut occidere benefactorem conaretur.

20. *Quis inventum* &c.] Proverbium hoc quoque redolet, deſumtum ex iis qui viam neſcientes rogant quænam ſit, & qui poſſent imprudentes inimicum rogare, à quo fallerentur.

21. *Nunc intelligo* &c.] *Nunc ecce cognovi* &c. Ex tanta magnanimitate Davidis, colligebat non poſſe fieri quin vir, qui Regum animos multùm ſuperabat, non regnaret; cùm à Deo hoc ei eſſet promiſſum.

In manu tua] In poteſtate tua, nec in alium virum, aliámve familiam tranſlatum iri.

22. *Numquam fore ut* &c.] *Si exſcindes.* Sic ſolent jusjurandum Hebræi concipere.

Deleáſve nomen meum] Nam omnibus poſteris exſtinctis, non ampliùs in cenſualibus tabulis memoratur nomen ejus, à quo prognati erant.

23. *Ad locum munitum adſcendit*] Norat indolem Saülis mutabilem & perfidam, ſibique ab ejus inſidiis metuebat. Alioqui Davidi etiam licere debuit domum redire.

In CAPUT XXV.

1. *OMniſque Iſraël* &c.] *Et congregati ſunt omnis Iſraël & planxerunt eum.* Quia, nimirum, Judex Iſraëlis fuerat, publico funere eſt elatus.

In Pharanicam ſolitudinem] Hæc ſolitudo planè ad auſtrum Judæ Tribûs erat, & pertinebat ad Arabicas ſolitudines. Sed quouſque porrigerentur fines deſerti ſic dicti, non ſatis liquet.

2. *Charmelo*] Monte auſtrali Tribûs Judæ. Vide Cap. XV, 12.

Opulentiſſimus erat] *Et vir magnus valde.*

3. *Eximiâ prudentiâ & formâ*] *Bona intellectu & pulcra formâ.*

Chalibbita] Eſt in textu כלבו, ſed in margine legitur *Chalibbi* כלבי. LXX. Intt. vertunt,

muſ erat, cùm eſſent ei tria millia ovium, & mille capræ. Pecudes ſuas tondebat in
Charmelo. 3. Viro illi nomen erat Nabali, uxori verò ejus Abigailæ, quæ mulier erat
eximiâ prudentiâ, & formâ. Maritus verò ejus erat durus & malis moribus; ac fuit
quidem Chalibbita. 4. Audivit David, in ſolitudine, Nabalem pecudes ſuas tondere.
5. Itaque miſit *ad eum* David decem adoleſcentes, quibus dixit: adſcendite in Char-
melum, atque ite ad Nabalem, à quo nomine meo petetis ſatiſne rectè habeat. 6. Sic
autem dicetis ei vivo: tu ſis incolumis, familia tua ſit incolumis, & quidquid tibi eſt
incolume. 7. Nunc audivi tibi tonſores eſſe; tui autem paſtores fuerunt nobiſcum,
nec eos probro ullo affecimus, neque deſideratum eſt ab iis quidquam, omnibus die-
bus, quibus fuerunt in Charmelo. 8. Quære à ſervis tuis, rémque tibi aperient. Ali-
quâ gratiâ apud te valeant ſervi tui, quoniam die feſto venimus, déſque, obſecro,
quod ad manum erit ſervis tuis & filio tuo Davidi.

9. Iverunt adoleſcentes Davidis, & alloquuti ſunt Nabalem in hæc omnia verba,
nomine Davidis; & conquieverunt. 10. Reſpondit verò Nabal ſervis Davidis, & quis
eſt, inquit, David, & quis filius Jiſaïs? Multi ſunt hodie ſervi, quorum unuſquiſque
è conſpectu heri ſui fugit. 11. Sumámne panem meum, & aquam meam, & carnes
pecudum, quas tonſoribus meis mactavi, ut iis donem homines, qui unde ſint non
novi?

12. *His auditis*, Davidis adoleſcentes converſi viam ſuam *remenſi ſunt*, redierúnt-
que & nunciarunt illi omnia, prout erant dicta. 13. *Ibi* viris ſuis David, cingite,
inquit, quiſque gladium ſuum. Quiſque gladium cinxit, quod fecit etiam Da-
vid, eúmque adſcendentem ſequuti ſunt circiter quadringenti viri, ducenti verò
manſerunt ad *cuſtodiam* impedimentorum. 14. Abigailæ interea uxori Nabalis
rem renunciavit adoleſcens è ſervis Nabalis, his verbis: en David miſit nuncios
è ſolitudine, qui bene precarentur hero noſtro; ille verò invectus eſt in eos.
15. At-

ἄνθρωπος κυνικὸς, quia כלב, cheleb, *canem* ſigni-
ficat. Sed ejuſmodi adjectivi nullum alibi exem-
plum occurrit. Ideò Thargum habet מדבית כלב
è domo Chaleb & Vulgatus, *de genere Chaleb.*
Joſephus perabſurdè, niſi potiùs hoc tribuatur
Helleniſtæ, qui eum in ſcribenda Hiſtoria ad-
juvit: ὡς κυνικὸς ἀσκήσεως πεποιημένος τὸν βίον, *ex
cynica exercitatione vitam inſtituens*, quaſi Dio-
genis fuiſſet ſectator, aut anteceſſor.

5. *Quibus dixit*] *Et dixit adoleſcentibus.*

Satiſne rectè habeat] לשלום lſchalom, *de
pace.*

6. *Ei vivo*] לחי lebhai, vivo; ſi vivum inve-
niatis. LXX. Intt. habent εἰς ὥρας, de qua lo-
quutione vide ad Gen. XVIII, 10. Vulg. habet:
ſit fratribus meis & tibi pax, quaſi legiſſet לאחי
laahhai. Sed mox ſequitur ואתה *veatthah*, tu,
quod non convenit cum לאחי *laahhai*, poſt quod
deberet eſſe ולך *vilcha*, & tibi. Chaldæus vertit:
לחיך lhhajach, *in vitam tuam*. Videtur hic
aliquid mendi latere. Fortè legendum לחיך אתה
שלום *in vitam tuam, tu in pace* &c.

Incolumis] שלום *ſchalom*, pax. Quod ter hic
repetitur, pro בשלום *bſchalom*, in pace.

7. *Tibi tonſores eſſe*] Eo tempore ſolebant
Hebræi ad greges ſe conferre, amicos vocare
& convivia celebrare, ut oſtendimus ad Gen.
XXXVIII, 12. Tempus hoc non tantùm præ-
ſentiæ Nabalis, ſed etiam hilaritatis captavit
David, ut faciliùs aliquid à Nabale impetraret;
cùm præſertim eſſet homo ditiſſimus, & cujus
intererat amicum habere Davidem & ſuos, qui
impediebant quominùs ab Arabibus greges ejus
abigerentur.

Deſideratum eſt] Quòd neque Davidis co-
mites quidpiam ipſi auferrent, neque ab erro-
nibus Arabiæ auferri paterentur.

8. *Aliquâ gratiâ* &c.] *Inveniant juvenes gra-
tiam in oculis tuis.*

Die feſto] *Die bono.*

Filio tuo] Perinde erat ac ſi vocaret eum Da-
vid *patrem*, quæ honorifica erat compellatio.
Vide Cap. XXIV, 12.

9. *Conquieverunt*] Tacuerunt. Vulg. *& ſilue-
runt.* LXX. Intt. habent ἀνεπήδησεν, ita ut refe-
ratur ad Nabalem; ſed quî poſſit וינוחו, *vajja-
nouhou*, ſic verti non video.

10. *Quis eſt David?*] Verba contumelioſa,
quibus ſignificat ſe nec jure quidquam Davidi,
nec benevolentiæ causâ, aut grati animi adfec-
tu debere.

Fugit] המתפרצים *hammithpharetſim*, hoc
eſt, ſe ſe vi ſeparantes, fugâ, nimirum. Ita-
que Davidem quaſi *fugitivum ſervum*, quo con-
vicio vix ullum homini libero & innocenti atro-
cius erat, habebat, audebátque hoc comitibus
ejus in os dicere, quamvis ſe ſe contra eum
tueri non poſſet; quod erat hominis ſtulti.

11. *Aquas meas*] מימי *memai*. LXX. Intt. ver-
terunt οἶνόν μου, quia aqua indigere poſſe non vi-
debatur David. Sed in arida regione, aqua ali-
quando pretioſa eſt.

Carnes pecudum] טבחתי *tibhbathi*, mactatio-
nem meam; hoc eſt, carnes pecudum quas mac-
taverat ad excipiendos lautiùs tonſores. LXX.
habent, τὰ θύματά μου, & reverâ poterant eſſe
victimæ.

12. *Converſi viam*] *Et converſi ſunt juvenes
Davidis ad viam ſuam.*

13. *Adſcendentem ſequuti*] *Et adſcenderunt
poſt Davidem.*

14. *Ut bene precarentur*] Vel, *ut ſalutarent.*

Invectus eſt in illos] ויעט בהם *vajjahat ba-
hem*, volavit in eos. Metaphora petita ex avi-
bus rapacibus. Sic & Latini dicunt *involare in
aliquem* eos, qui eum ſubitò arripiunt & invadunt.
LXX. ἐξέκλινεν ἀπ' αὐτῶν. Vulgatus: *& aver-
ſatus eſt eos.*

[15] Attamen viri illi fuerunt benigniſſimi erga nos; nullâ nos contumeliâ affecerunt, ne-
que quidquam deſideravimus, omnibus diebus, quibus erravimus cum eis, dum ruri
eſſemus. [16] Muri inſtar nobis fuerunt noctu & interdiu, quamdiu juxta illos pecudes
pavimus. [17] Nunc autem diſpice & vide quid factura ſis, quia decreta eſt clades he-
ri noſtri & totius ejus familiæ; ipſe verò nequior eſt, quàm ut eum alloquamur. [18] Ita-
que Abigaïla feſtinanter cepit ducentos panes, duos utres vini, quinque oves paratas,
quinque ſata hordei toſti, centum faſciculos uvæ paſſæ, & ducentas palathas ficuum,
quas impoſuit aſinis. [19] Deinde ſervis ſuis, tranſite, inquit, ante me, en vos ſe-
quor;

[15] *Erravimus*] התהלכנו *bithallachnou*, indeſinenter ivimus; hoc eſt, huc illuc cum pecudibus, quà erant paſcua, erravimus.

[16] *Muri inſtar*] *Murus fuerunt ad nos*; hoc eſt, nos texerunt contra incurſiones Arabum.

[17] *Decreta eſt clades*] *Conſummatum eſt malum in herum noſtrum.* Vide ad Cap. XX, 7. Oportet ſervum hunc Nabalis audiviſſe verba Davidis ſuos gladium capere jubentis, aut monitum ab aliquo ejus comitum; audiráque admonitione, ad heram cucurriſſe, ut malum anteverteret.

Nequior eſt] בליעל מדבר אליו *blijabal middabber elau*; hoc eſt, nimis eſt iracundus, & ſuperbus, quàm ut ſervus eum de ejuſmodi re alloqui auſit. Ejus indolis homines contemnunt admonitiones & indignantur monitoribus, ſi præſertim humilioris ſortis ſint.

[18] *Quinque oves paratas*] עשויות *haſchoujoth*, factas. *Hieronymus* habet: *quinque arietes coctos.* Rectè, vide Gen. XVIII, 7, 18. Attamen Thargum habet תכבירא thachbera, *ſaginatas.*

Quinque ſata hordei toſti] סאה *ſea*, aut *ſatum*, ex calculo *Ed. Bernardi* libras Romanas circiter viginti unam hordei continebat, hoc eſt, ponderis qui *de Troy* in Anglia dicitur viginti. De hordeo toſto, qui קלי *kali* dicitur, egimus ad Levit. XXIII, 14.

Faſciculos uvæ paſſæ] צמקים *tſimmukim.* LXX. Intt. *σταφίδα* interpretantur, & *Hieronymus*, *ligaturas uvæ paſſæ*; à radice צמק *tſamak*, quæ ſignificat *ſiccus fuit.* Mirum eſt hîc mutatas eſſe aliquot menſuras in verſione LXX. Intt. cùm habeant *πέντε οἰφὶ ἀλφίτου καὶ γόμορ ἓν σταφίδος.*

[20] *Deſcendentes*] Cùm è monte Abigaïla quidem deſcenderet, David verò in montem adſcenderet, non potuerunt utrimque obviam ſibi *deſcendere*; niſi fortè eſſet in monte exigua convallis, in quam ex colle ſuperiore Davidem ſe demittere oportebat, ut Nabalis domum iret, & in quam etiam Abigaïla neceſſe habebat deſcendere, ut Davidem conveniret. Quòd ſi hoc fortè minus placeat, *deſcendentes* perinde erit hîc ac *venientes*, ut paſſim.

[21] *Fruſtra ſervavi*] Meritò querebatur illiberaliter ſecum agi à Nabale, quamvis enim nullo jure poterat pecudes ejus abigere, nullâ lege jubebatur eas defendere contra Arabas; quod cùm feciſſet, jure gratum animum Nabalis erga ſe, & munuſculum quodpiam exigere poterat.

Malum pro bono] Quod loqueretur de Davide & ſuis, quaſi de ſervis fugitivis, quibus tamen gratias habere debebat, ac proinde inopiam eorum nonnihil levare, cùm ditiſſimus eſſet.

[22] *Sic ſe gerat Deus* &c.] Quoniam ſic loquitur David de inimicis ſuis, hæc verba ſunt intelligenda, in hanc ſententiam: Deus iterum, atque iterum benefaciat hoſtibus meis, ac proinde mihi malefaciat, ſi hunc inultum dimiſero. Conſilium Davidis crudele erat, & juſjurandum nequaquam religioſum, quo Deum teſtem ſceleris invocabat. Nam, præterquàm quòd illicitum erat Hebræo ultionem de Hebræis ſumere; propter mercedem operæ cujuſpiam negatam & duriora verba, numquam licuit occidere hominem, & multò minus innocentes cum nocente trucidare. Hæc nullo modo poſſunt excuſari, præſertim in viro Dei alioqui timente & Legum ejus perito.

Sed quatuor fuerunt quæ Davidem in ejuſmodi facinus præcipitem agere potuerunt, & quæ homines, ſi in animum admittantur, ad nefaria perpetranda adducere ſolent. Primum eſt inopia cùm ipſius, tum comitum, quam ab homine divite ſublevatum iri ſperaverat. Alterum, quòd ſe illuſum videret, cui pro diligenti cura, quâ impediverat ne ſui & alieni quidquam ex gregibus Nabalis raperent, nihil prorſus rependebatur; cùm & fortè ſuis omnium egenis promiſiſſet, fore ut Nabal illis gratiam referret, ſi gregibus ejus abſtinerent & præſidio eſſent. Tertium affectus, qui facilè in generoſo animo excitantur, cùm pro merita laude & debita gratiâ, convicia audit, contumelioſéque excipitur: ut hîc David à Nabale exceptus eſt. Certè quamvis David jure potuiſſet *ſervus fugitivus* dici, non erat Nabalis, de quo bene meritus erat, ejuſmodi convicium ei oggerere. Denique Davidi dolebat ſe innocentem erga Saülem, quod jam ſatis notum erat, & rebus ſuis geſtis à Gente ſua ac Rege præmia merita exſpectantem, pro nebulone ac nullius pretii homine haberi. Vel unum horum excelſum etiam animum vehementer irritare queat; ſi verò omnia conjungantur, faces planè ſubjiciunt iræ, vix hominem compotem ſui eſſe patiuntur, & ad acrem vindictam concitant; in quam præterea, eámque ſæpe immodicam, procliviores ſunt militares viri, & fortiſſimi quique; qui ſunt elatioris animi & cædibus, etiam in pio ac legitimo bello, nimiùm adſueti, nec ita à nefariis ſtragibus abhorrent, quàm reliqui homines, qui in umbra tranquilliorem & pacatiorem vitam egerunt. Paullatim militares homines feroces & crudeles fiunt, nec privatos inimicos, etiam cives ſuos, alio loco habent quàm hoſtes publicos totius Reipublicæ, quibus bellum eſt à ſumma poteſtate denunciatum.

Qui mingat in parietem] De hoc loco copioſiſſimè egit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 56. Conſtat hoc inter omnes hac loquutione ſignificari internecionem familiæ, aut gentis. Vide 1. Reg. XIV, 10. XVI, 10. XXI, 21. & 2. Reg. IX, 8. Verùm quærunt viri viri docti unde orta ſit ejuſmodi loquutio; & à canibus quidem

quor; nec rem indicavit Nabali viro.
20. Cùm ergo aſino vecta deſcenderet per *viam* occultam montis, ecce verò Davidem & ſuos ei obviam deſcendentes, quibus occurrit.
21. Dicebat autem David: profectò fruſtra ſervavi quæcumque huic erant in ſolitudine, neque quidquam eorum deſideratum eſt; *etenim* mihi malum pro bono reddit.
22. Sic ſe gerat Deus erga inimicos Davidis, & ſic *ſe gerere* pergat, ſi ullum reliquero ex omnibus qui ejus ſunt, ad matutinum tempus, qui mingat in parietem.
23. At Abigaïla, conſpecto Davide, confeſtim ex aſino deſcendit, ſéque coram eo in vultum dejecit, ac in terram proſtravit,
24. & cùm ad pedes ejus procidiſſet, attende, inquit, domine mi, ego

dem alii eam deducunt, alii à viris. Plerique Interpretes Judæi & Chriſtiani, à canibus ortam volunt. Attamen eam opinionem ipſe non ſequitur, ſed contendit viros eâ loquutione ſignificari; qua in re falli eum puto. Paucis expendam quæ contra alteram ſententiam profert.

Primùm, inquit, *hæc deſcriptio pertinere non poteſt ad canum genus univerſum; neque enim omnes canes ad parietem, ſublato crure, mingunt, ſed ſoli mares, iique ſexto demum aut etiam octavo menſe.* Quod probat auctoritate *Ariſtotelis*, & *Plinii*, quaſi ageretur de raro quopiam animali, & paucis in Occidente noſtro noto. Sed levis eſt ejus ratio, quia proverbia minimè nituntur mathematicis quibuſdam axiomatibus, ſine exceptione ulla veris, ſed tantùm iis quæ ex parte vera ſunt. Itaque ſatis eſt canes maſculos mingere in parietem, ut genus canum proverbio illi ortum dederit; quo internecio tanta ſignificatur, ut ne beſtiis quidem domeſticis, inter quas ſunt canes, parcatur; quæ tamen deſcriptio hyperbolica eſſe videtur, cùm non quærantur canes, ut occidantur. Reverâ tamen canes non manent in locis, in quibus nemo homo relinquitur; ac proinde quando ne canis quidem alicubi remanet, certum hoc indicium eſt homines nullos illic ſupereſſe. Eam in rem jam olim *Joachim. Zehnerus* Proverbior. Sacr. Cent. XI. Adag. 23. protulerat dictum Aureliani Imp. Tyanæ minantis, apud Flavium Vopiſcum: *Num cùm Tyanam veniſſet eámque occluſam reperiſſet, iratus dixiſſe fertur:* canem in hoc oppido non relinquam. *Tunc & militibus acriùs incumbentibus ſpe prædæ, & Heraclammone quodam, timore, ne inter ceteros occideretur, patriam ſuam prodente, civitas capta eſt. Sed Aurelianus duo ſtatim præcipua, quod unum ſeveritatem oſtenderet, alterum lenitatem, ex imperatoria mente monſtravit. Nam & Heraclammonem proditorem patriæ ſuæ ſapiens victor occidit; & cùm milites, juxta illud dictum, quo canem ſe relicturum apud Tyanæos negarat, everſionem urbis expoſcerent, reſpondit iis*, canem, *inquit*, negavi in hac urbe me relicturum, canes omnes occidite. *Grande principis dictum* &c.

Secundò, inquit Bochartus, *in his dictis:* exſcindam משתין בקיר עצור ועזוב בישראל mingentem ad parietem, clauſum & derelictum in Iſraële 1. *Reg.* XIV, 10. *&c. ad canes ſi referas τὸ* mingentem ad parietem, *nullâ ratione cohærebunt quæ ſequuntur*, clauſum & derelictum in Iſraële, *quoquo modo interpreteris.* Verum hoc eſt, ſi עצור ועזוב interpreteris de viro, ſed ſunt intelligenda de cane, aut *clauſo*, ut ſunt venatici, & qui à matronis deliciarum causâ aluntur; aut *neglecto*, ut ſunt viliores canes qui liberè per plateas & vias vagantur. Addit vir doctiſſimus, *in his* 1. *Reg.* XVI, 11. Percuſſit omnem domum Bahaſæ, non reliquit ei mingentem ad parietem, & cognatos & amicos ejus, *eamdem fore ἀναγλυφίαν. Neque enim*, inquit, *dixeris alicujus familiam ita fuiſſe deletam, ut neque canis in ea relictus ſit, neque cognatus aut amicus ullus.* Sed non video cur dicere non poſſimus, in familia quapiam ne canem quidem relictum, cognatóſque ejus & amicos occiſos eſſe.

Objecerunt iis qui ſententiam *Bocharti* ſequuntur & *Conſtantinus l'Empereur* & *Ludovicus de Dieu*, in Oriente, propter longas veſtes, viros ſedentes etiam minxiſſe. Negat verò ille ullum locum Scripturæ exſtare, ex quo hoc probari poſſit, contenditque, ubi de *ſectione pedum* mentio fit, intelligendam eſſe non lotii emiſſionem, ſed exonerationem ventris. Nec ſanè contrarium liquet, & quamvis hodie Turcæ ſtantes mingant, ut ex *Oleario* oſtendit, fatetur Perſas ſedentes mingere, quemadmodum olim faciebant Ægyptii, tempore *Herodoti*, ut teſtatur Lib. II. c. 35. Sed ſic & veteres Perſæ ſolebant, quod *Bocharto* non notatum, ut teſtatur *Ammianus Marcellinus* Lib. XXIII. c. 6. *Super his*, inquit, *nec ſtando mingens, nec ad requiſita naturæ ſecedens facilè viſitur Perſa.* Itaque poſſet etiam fieri ut apud Hebræos, ſimiliter veſtitos, & qui multa Ægyptiaca inſtituta habebant, ſimilis fuiſſet conſuetudo. Sed res eſt exigui momenti. Probat vir ſummus, etiam in atrocibus bellis, ſolitos fuiſſe victores ignoſcere mulieribus; itaque eas negat contineri ſub hac comminatione, *non relinquam mingentem ad parietem.* Quod poſſumus concedere, nec eò minùs contendere hanc metaphoricam loquutionem deductam eſſe à canibus; quia eâ ſignificatur tantum internecio eorum omnium, qui occidi ſolebant; nec ſunt proverbiales id genus loquutiones nimiùm urgendæ.

23. *At Abigaïla* &c.] *Et vidit — & feſtinavit & deſcendit — & cecidit* &c.

24. *Attende, domine mi*, &c.] כי אני אדני העון *in me, ego, domine mi, delictum.* Si abeſſet אני *ani*, quod Græci & Latinus Intt. omittunt, nulla eſſet in conſtructione verborum difficultas, nam בי העון *bi hehavon*, ſignificaret *in me eſt delictum*, aut *in me ſit pœna delicti*; hoc eſt, luam ego pœnas delicti, à Nabale admiſſi. Similis eſt loquutio alius mulieris Davidem alloquentis, 2. Sam. XIV, 9. עלי אדני המלך העון *in me, ô domine Rex, delictum recidat.* Sed ſi hîc locus ſit ita à Scriptore Sacro exaratus, conjungendum אני cum העון, adeò ut *ego delictum* ſumatur eodem modo, ac ſi ſubſtantivum *delictum* ſit loco participii, aut adjectivi, quemadmodum in hoc ipſo Capite v. 6. שלום *ſchalom*, pax eſt pro incolumi. Vide alia exempla apud *Glaſ-*

ego ſum rea; ſed loquatur, quæſo, ancilla tua, te audiente, & auſculta verbis ancillæ tuæ. 25. Ne, quæſo, dominus meus animum ad virum hunc nihili attendat, ad Nabalem, *inquam*; quale enim eſt nomen ejus, talis & ipſe eſt, & ſtultitiâ laborat. Ego verò ancilla tua non vidi ſervos domini mei, quos miſiſti. 26. Nunc ergo, domine mi, *ut* vivit Jehova, *útque* ipſe vivis, ſic prohibeat Jehova ne ad cædem devenias, manúmque tuam *puram* tibi ſervet. Sint verò inimici tui & qui tibi malum moliuntur, inſtar Nabalis. 27. Hoc autem eſt munus, quod ancilla tua domino meo attulit; detur illud juvenibus, qui dominum meum ſequuntur. 28. Ig-

Glaſſium Phil. Sacr. Lib. III. Tr. I. can. VII. Sed fortè legendum בִּי אֲנִי אֲדֹנִי הָטֵאתִי, hoc eſt, *attende, ego, Domine mi, deliqui*, ut 2. Sam. XXIV, 17. Verum quomodocumque legamus, unus idémque ſit ſenſus neceſſe eſt. LXX. Intt. habent: ἐν ἐμοὶ, κύριέ μου, ἡ ἀδικία μου. Vulgatus: *in me ſit, domine mi, hæc iniquitas*; hoc eſt, fateor me deliquiſſe, delictique pœnas ſubire non recuſo.

Te audiente] *In auribus tuis.*

25. *Virum hunc nihili*] בְּלִיַּעַל blijahal, *nebulo*. Sed Latinè paullò molliùs loqui debuit Nabalis uxor, cùm ejus prudentia laudetur, & *homo nihili*, ac vir nullius pretii, aut *ſine utilitate*, quæ ſignificatio eſt vocis Hebraïcæ, unum idemque ſunt. Sic de viro loqui cogitur Abigaïla, in extremo periculo, ne ſi eum defenderet, Davidis iram jam ſatis tumentem magis moveret; nam

Cauſa patrocinio, non bona, pejor erit.

Qualis enim eſt nomen ejus] Nam *Nabal* נבל *inſanum* ſignificat. Non eſt credibile nomen hoc fuiſſe Nabali naſcenti à parentibus inditum; cùm parentes qualis futurus eſſet ſcire non poſſent. Cognomen fuit à moribus ei factum, quódque tandem proprium nomen, ut fit, delevit. נבל *nabal* autem non ſignificat propriè mente captum, & innocenti, ut ſic loquar, inſaniâ laborantem; ſed hominem ferocem & ſuperbum, ac præ ejuſmodi affectibus ſtultè ratiocinantem, ac ſe ſe gerentem. Vide Deuter. XXII, 6, 21. Pſ. XIV, 1.

Stultitiâ laborat] *Stultitia cum illo eſt.*

26. *Ut vivit Jehova* &c.] Addimus *ut*, quia hic eſt *adjuratio*, ut hac voce ſic utar, quâ per Deum, Davidiſque vitam ipſum adjurat, ne injuriam acceptam cæde ulciſceretur. Idem eſt ac ſi Latinè dicas: te oro, per Deum quem colimus, pérque vitam tuam, ut ne cæde viri, familiæque ejus tibi ſatisfieri velis. Ejuſmodi precibus, apud Hebræos, veluti jurejurando obſtringebatur, qui eas audiebat, ne id faceret quod facere ſtatuerat. Hinc utebantur, in iis precibus, verbo השביע iſchbiah, *jurare facio*, ut in adjuratione jocoſa Cant. II, 7. *Adjuro vos*, השבעתי אתכם, *ò puellæ Jeroſolimitanæ, per capreas, aut cervos ſilveſtres, ne excitetis amores meos, antequam velint*. Quod ſæpiùs occurrit in eo libro.

Feliciſſimè rem expreſſit *Arturus Jonſtonus*, elegantiſſimus Poëta & poſt *Buchananum* Scotiæ ſuæ ornamentum, in Paraphraſi Poëtica Cantici, quæ ſic habet:

Turba puellaris, Solymæ florentis alumnæ,
Quaſque Palæſtinæ protulit ora nurus,
Parcite felicet ſtrepitu depellere ſomnos.
Fas requie nobis, fas ſit amore frui.
Hoc ego per cervos, quos ulunt juga celſa Sionis,
Perque leves capreas, gaudia veſtra, rogo.

Quiſquis negabat rem æquam, ita adjuratus, non minùs reus erat, quàm ſi jusjurandum ipſe ſuum, verbiſque conceptis à ſe pronunciatum, violaſſet; quia Dei nomen, per quod res æqua ab alio ſuppliciter petita fuerat, ſpreviſſe videbatur. Vide 1. Reg. XVIII, 10. XXII, 16. Hîc quidem non dicit Abigaïla השבעתי אותך *adjuro te per Jehovam*, ut ne ad cædem devenias; ſed tamen formula, quâ utitur, *vivit Jehova, vivit anima tua*, ſatis oſtendit hîc latere ſpeciem quamdam jurisjurandi, quo Davidis caput Abigaïla obſtringere nititur. Senſerunt LXX. Intt. hîc eſſe adjurationem, cùm verterint: Ζῇ Κύριος καὶ ζῇ ἡ ψυχή σου, καθὼς ἐκώλυσέ σε Κύριος, quod eſt perinde ac ſi dixiſſent: καθὼς ζῇ Κύριος καὶ καθὼς ζῇ ψυχή σου οὕτως κωλύσει σε Κύριος. Sic enim ſæpe concipitur jusjurandum. Alios Interpretes non memorabo, qui vim verborum adſequuti eſſe non videntur, ſed ſenſum tantùm, qualem iis poſtulare res videbatur, quæſiverunt.

Sic prohibeat] אשר *qui*. Sed hîc ſignificat *ſicut*, quemadmodum rectè LXX. Intt. Eſt, nempe, pro כאשר *chaaſcher*. Vide Exod. XIV, 13. & *Chr. Noldium* ſignif. 17. Latinè loquentibus, ut in aliis jurandi formulis, invertenda loquutio fuit: *ut vivit Jehova* —— *ſic prohibeat.*

Ad cædem] *Ad ſanguines.*

Puram tibi ſervet] הושע ידך לך *hoſcheah jadecha lcha*. Supplevimus *puram*. Poſſet etiam ſic intelligi: *liberet manum tuam tibi* à tali flagitio; hoc eſt, impediat ne id committas. Nam *ſervari* à quovis periculo dici poſſumus, nec minor eſt *ſalus* liberatio à tentatione, quàm à jactura quamvis magna bonorum, aut honorum. Vulgatus cùm hæc non intelligeret, vertit: *ſalvavit animam tuam tibi.*

Sint verò] *Et nunc ſint.* Malè precatur Abigaïla hoſtibus Davidis, formulâ à viro ſuo deſumtâ; quia homines æquè imprudentes ac Nabal, numquam Davidi, homini cauto, nocere poterant!; ſimúlque obliquè oſtendit parvi eſſe facienda ejuſmodi hominis ſtulta verba. Artificioſa ſanè eſt mulieris oratio, ut contemnendo Nabalem culpam ejus elevet, irámque Davidis leniat; & ab ultione ſumenda eum deterreat.

27. *Munus*] ברכה brachah, *benedictio*. Vide not. ad Gen. XXXIII, 11.

Qui dominum meum ſequuntur] *Qui incedunt in pedibus* (ברגלי) *Domini mei*. Vide Jud. V, 15. Extenuat munus ſuum, quaſi non dignum Davide, ſed tantùm ejus copiis dividendum.

28. *Ig-*

28. Ignoſce, quæſo, delicto ancillæ tuæ; ut faciat Jehova domino meo domum fir-
mam, quia bella Jehovæ dominus meus gerit, nec malitia in te eſt inventa per
totam vitam tuam. 29. Surrexit quidem, qui te inſequeretur, & occidere conare-
tur; ſed anima domini mei colligata eſt in faſciculo vitæ, apud Jehovam Deum
tuum; vitam verò inimicorum tuorum *veluti* è concava parte fundæ projicit. 30. Poſt-
quàm verò fecerit Jehova domino meo quæcumque tibi promiſit, téque impoſue-
rit ducem Iſraëli; 31. hoc non erit tibi angori, & offendiculo animi domini
mei; effudiſſe, nimirum, ſanguinem, ſine causâ; ſervaveróque ſibi dominum meum,
&

28. *Ignoſce delicto*] שא לפשע *ſchu liphſchab.* LXX. ἆρον τὸ ἀνόμημα & Vulg. *aufer iniquitatem.* Nimis adhærent Hebraiſmo; ſed ſimilis etiam loquutio, apud Scriptores N.T.

Ut faciat] כי עשה יעשה *chi haſchoh jahaſcheh.* Hîc כי vertendum eſt eodem modo ac למען *lemahan*, ut. Vide not. Geneſ. XXXVIII, 16. Exod. III, 11.

Domum firmam] Familiam in perpetuum duraturam. Vide 2. Sam. VII, 16. Aptum erat votum hoc tempore, quo Abigaïla pro incolumitate familiæ Nabalis orabat.

Bella Jehovæ] Pro populo Jehovæ. Vide ſup. Cap. XVIII, 17.

Nec malitia &c.] Quaſi diceret: potes pro innocentia tua, próque rebus tuis geſtis, contra hoſtes populi Dei, imò Dei ipſius, ſperare à Deo perpetuam poſteritatem; ſi modò & in poſterum ſanguine innocentium te minimè commacules.

Per totam vitam tuam] *A diebus tuis*, à natalibus, ad hoc uſque tempus. Simul callidè hac in re confutat quod dixerat Nabal de Davide.

29. *Surrexit qui te* &c.] *Surrexit homo ad te inſequendum*; hoc eſt, Saül.

Occidere conaretur] *Ad quærendam animam tuam.*

Anima domini mei colligata &c.] Loquutio eſt metaphorica, inde deſumta quòd multa, quæ diu ſervare volumus, & ne pereant cavere, in faſciculos colligimus, quos in Apotheca reponimus, ne ſparſa disjiciantur & corrumpantur. Itaque hac loquutione Abigaïla hoc vult, Deum ſingulari ratione vitam Davidis tueri. De vita enim præſente ſermo eſt, quam Saül volebat Davidi eripere; non de æterna, in quam nullam habebat poteſtatem, & de qua Davidi eripienda non cogitabat. Res eſt liquida, & qui alia hîc quærunt, fruſtra quærunt.

Vitam verò] Hic quoque eſt נפש *anima*, ſed cùm de vita ſermo ſit, *vitam* vertimus; quamvis in ſuperioribus verbis, vitandæ repetitionis causâ, *animam* verterimus.

E concava parte fundæ] *In media vola fundæ*, כף הקלע *chaph hakkelah.* Habenæ fundæ habebantur, quaſi ejus *brachia*, quæ Græcis κῶλα dicuntur. Metaphorica hîc iterum eſt loquutio, quâ ſummus rei cujuſpiam contemtus ſignificatur; quia lapidis, fundâ projecti, jacturâ nemo movetur.

30. *Quæcumque tibi promiſit*] *Secundùm omne quod dixit bonum ſuper te.* Non habent Hebræi verbum unum, quo *promittere* ſignificent; ideóque dicunt *bonum dicere de aliquo.* Hæc autem oſtendunt Abigaïlam jam inaudiviſſe de prophetiis, quibus Davidi regnum in Iſraëlem promiſſum erat.

31. *Angori*] לפוקה *lphokah.* Verbum unde hoc nomen factum eſt, ſignificat *exire*, aut *vacillare* corpore, vel *dubitare* animo, in libris Hebraicis qui ſuperſunt, quæ ſignificationes hîc incommodæ videntur. Itaque ex Arabica radice פוק *phaka*, quæ ſignificat *præ anxietate excitari*, hanc vocem interpretati ſumus *angorem* animi ſcelus præteritum in memoriam revocantis, & propterea quòd malè ſibi conſcius eſt æſtuantis. Confirmatur hæc ſignificatio, quòd פיק ברכים ſit *vacillatio genuum* Nahum. II, 1. qui motus eſt hominis territi & anxii. LXX. Int. habent βδελυγμὸς minùs commodè. Hieronymus *in ſingultum*, rectè, nam & hoc פוקה *phakah*, Arabicè ſignificat. Sic & *Aquila* λυγμὸς verterat. Intelligitur anxietas, quæ tam egregiè deſcribitur à *Juvenale* Sat. XIII, à v. 192.

—— —— *Cur tamen hos tu*
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit? &c.

Perpetua anxietas, nec menſæ tempore ceſſat.
Faucibus, ut morbo ſiccis, intérque molares
Difficili creſcente cibo &c.

Offendiculo animi] למכשול לב *offendiculo cordis*, quod perpetuò in memoriam rediens facit ut animus in id incidat, ut pedes in offendiculum, quod ex via non removetur, ſed datâ operâ objicitur; ita ut à memoria abigere non poſſit, & quacumque datâ occaſione revocet ac recolat, noctu & interdiu.

Nocte brevem ſi fortè indulſit cura ſoporem
Et toto verſata toro jam membra quieſcunt,
Continuò templum & violati Numinis aras,
Et, quod præcipuis mentem ſudoribus urget,
Te videt in ſomnis, tua ſacra & major imago
Humanâ turbat pavidum &c.

Effudiſſe] *Et effudiſſe* ולשפך, *veliſchphoch.* *Vau* hîc abundat, ut alibi paſſim; quod & fortè delendum.

Sine cauſa] Num nulla erat cauſa, cur occideret hominem ingratum, & multò minùs familiam ejus innoxiam internecione deleret.

Servaveróque] Hîc iterum ולהושיע *vehoſchiah.* Si legeretur והושיע vehoſchiah *& ſervabo*, vel *& ſervavero*, omnia in conſtructione plana eſſent, ſenſúſque multò expeditior. Scio quidem Hebraïcæ ſtructuræ nexum non eſſe inſtar nexûs orationis Græcæ & Latinæ; vereor tamen ut ſcabritia, ut ſic loquar, aſperitáſque ſtructuræ ſæpe magna ex parte Librariis debeatur, quos deſtituti antiquioribus Codicibus arguere nunc non poſſumus. Hinc factum ut Veteres Interpretes, cùm verbotenus vertere non poſſent,

 po-

& cùm Jehova benefecerit domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. 32. Tum David Abigaïlæ, benedictus, inquit, ſit Jehova Deus Iſraëlis, qui hodie te obviam mihi miſit. 33. Benedicta item prudentia tua, & benedicta tu, quæ hodie prohibuiſti ne ad cædem devenirem, & manum meam *puram* mihi ſervaſti. 34. Profectò vivit Jehova Deus Iſraëlis, qui impedivit ne tibi malè facerem; quia niſi feſtinaſſes, mihique obviam veniſſes, ad matutinam lucem, non remanſiſſet Nabali, qui in parietem meieret. 35. Deinde cepit David ex ejus manu quod ſibi attulerat, & abi, inquit, incolumis domum tuam; vide, auſcultavi voci tuæ, rationémque tui habui.

36. Venit deinde Abigaïla ad Nabalem, qui domi convivium habebat, inſtar convivii regii, animúmque hilaraverat, & valde ebrius erat; nec ei, ad matutinam lucem, parvum aut magnum quidquam indicavit. 37. Matutino verò tempore, cùm vinum edormiiſſet Nabal, hæc ei indicavit ejus uxor; obſtupuitque animus ejus in illo &

potiùs ſenſum, quem ſuſpicabantur ineſſe verbis, quàm quem ex evoluta conſtructione adſequebantur, expreſſerint. Audiamus hîc Græcos & Latinum: Οὐκ ἔσται σοι τοῦτο βδελυγμὸς καὶ σκάνδαλον τῷ κυρίῳ μου ἐκχέαι αἷμα ἀθῷον δωρεὰν, καὶ σῶσαι χεῖρα κυρίῳ μου αὐτῷ· καὶ ἀγαθώσει κύριος τῷ κυρίῳ μου καὶ μνησθήσῃ &c. *Non erit tibi hoc in ſingultum & in ſcrupulum cordis, Domino meo, quod effuderit ſanguinem innoxium, aut ipſe te ultus fueris, & cum benefecerit Dominus domino meo.* Adde & Chaldæum: *& non erit hoc tibi in anxietatem* (ליתצפא *lejattſapha*) *& in pondus cordis domino meo, & ad effundendum ſanguinem innoxium fruſtra & ad liberandum dominum meum ſibi, & quando benefecerit Jehova* &c. Quæ omnia ſpinis & ſentibus ſcatent.

Et cùm Jehova] והיטיב *& benefecit*, hoc eſt, אחרי כם יטיב *poſtquàm benefecerit.*

32. *Benedictus ſit*] Laudetur, ut & in ſequentibus verbis.

34. *Profectò vivit*] ואולם חי *veoulam hhai.* Reſpondent hæc verba adjurationi Abigaïlæ v. 26. *Ut vivit Jehova — ſic probibeat* &c. Reponit David: verè vivit Jehova, ut credidiſti, nam impedit ne tibi malè faciam, reverentiâ enim ejus ductus & ratiocinationibus, ex ejus Legibus deſumtis, permotus tibi illico obtemperabo. Niſi David fuiſſet non tantùm vir magni animi, ſed etiam religionis peritiſſimus; nec ita facilè placatus fuiſſet, & crudelitati ſuæ jusjurandum prætexuiſſet, quo obſtrictus erat ad delendam totam Nabalis familiam. Verùm norat illicitam eſſe exſequutionem jurisjurandi Legibus divinis contrarii, quale hoc erat; nec Deum quidquam poſtulare ab iis, qui jurarunt ſe facturos quod vetuit, niſi ut temerarii jurisjurandi veniam ab eo petant, contrariáque omnia faciant. Quando enim Deus vetuit quidpiam fieri, eadem operâ vetuit homines hoc promittere, aut minari, etiam addito jurejurando; quod nullum atque irritum eſſe res ipſa clamat. Itaque eo neglecto Deus placatur, exſequutioni mandato graviter offenditur.

Veniſſes] Eſt in textu תבאתי *thabothi*, ſed in margine תבאת *thaboth*, quæ eſt forma compoſita, ut docet *Joan. Buxtorfius* Theſ. Gram. Lib. I. cap. 43. ex ſecunda præteriti באת & futuri תָּבֹאִי. Scribitur autem י in fine, ſed in lectione redundat, ac ſecundùm Maſſorethas legendum תבאת *thaboth*. *Hanc formam compoſitam*, inquit vir ille doctiſſimus, *fervor orationis Davidi expreſſit. Mens ipſi primò dictabat præteritum, quale præceſſit, ac ſi dicere in animo habuiſſet* לולי מהרת ובאת, niſi feſtinaſſes & veniſſes; *fervor ſimul ſuggerebat futurum* ותבואי, *unde* ותבאתי *ad indicandum quòd auſpicatò propoſuerit ſibi Abigail occurrere Davidi, optimè etiam factum quòd feſtinans venerit; alioquin enim ad lucem matutinam victurus non fuiſſet Nabal.* Quæſitas ac violentas eſſe haſce argutias nemo non videt, cùm præſertim ſint hîc nonnulla ſumenda quaſi explorata, quæ partim incerta, partim falſa ſunt. Primùm enim ſtatuit *Buxtorfius* hæc ipſa eſſe verba Davidis, cùm fortaſſe ſit tantùm eorum ſenſus; quamvis enim directa ſit oratio, non ſequitur eſſe ipſa verba, ut liquet ex variis narrationibus ejuſdem orationis; exempli causâ, ex ſermonibus Chriſti, quæ in duobus, aut pluribus Evangeliſtis leguntur, diverſis verbis & vario ordine. Non ſunt ergo verba ita excutienda, quaſi in ſingulis apicibus neſcio quid arguti lateret, ab auctore orationum, quæ proferuntur, profectum. Præterea ſtatuit *Buxtorfius* non poſſe hîc latere mendum Librariorum, cùm ipſi Maſſorethæ mendum eſſe crediderint; nam τὸ *keri* nihil aliud eſt, niſi emendatio τοῦ *chetib*, ſive ex conjectura, ſive ex libro. Sed rectè obſervavit *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. III. Cap. XIII, 15. nihil opus eſſe abjicere Jod, verùm ex forma illa præteriti, quæ eſt cum Jod באתי formari ſecundam futuri תבאתי *thabothi.*

35. *Abi incolumis*] *In pacem.*

Rationem tui habui] *Suſtuli faciem tuam.* ואשא פניך *eſſeba phanajich.* LXX. Intt. ᾑρέτισα τὸ πρόσωπόν σου. Vulg. *honoravi faciem tuam.* Senſus eſt, tuâ causâ, Nabali nihil mali faciam. Vide not. ad Gen. XIX, 21.

36. *Animúmque hilaraverat*] *Et cor Nabalis bonum ſuper eo.*

37. *Cùm vinum edormiiſſet*] *Cùm exiſſet vinum è Nabale.*

Obſtupuitque &c.] *Et mortuum eſt cor ejus in medio ejus.* Periculo, ut puto, quod ſibi etiamnum imminere credebat, territus, inópſque conſilii, ſimúlque fortaſſe dolore amiſſorum eorum, quæ Abigaïla Davidi dederat, perculſus, in ſtuporem quemdam lethargicum incidit. Sic ſolent homines, qui in ſecundis rebus præter modum ſuperbiebant, rebus adverſis ita conturbari, ut neſciant quò ſe convertant. Hoc autem fuit initium morbi, quo decimo pòſt die interiit, ut

& factus eſt inſtar lapidis. 38. Circiter verò decem diebus poſtea, percuſſit Jehova Nabalem & mortuus eſt.

39. Cùm autem audiviſſet David mortuum eſſe Nabalem, benedictus, inquit, ſit Jehova, qui opprobrii mei cauſam contra Nabalem ſuſcepit, ſervúmque ſuum cohibuit à malo, & nequitiam Nabalis in ejus caput recidere fecit. Miſit deinde qui alloquerentur Abigailam, de ea ſibi uxore ducenda; 40. iverúntque ſervi Davidis ad Abigaïlam in Charmelum, & eam hiſce verbis alloquuti ſunt; miſit nos ad te David, ut te ad ipſum, uxorem ejus futuram, duceremus. 41. Surrexit verò, proſtratóque in terram vultu; en, inquit, famulam tuam, ut ſit ancilla ad abluendos pedes ſervorum domini mei 42. Tum feſtinanter illa ſurrexit, aſinóque vecta & comitantibus quinque ancillis, ſequuta eſt nuncios Davidis, & ejus uxor facta eſt. 43. Duxit præterea David Achinoham Jizrahelitidem, fuerúntque ambæ ejus uxores; 44. nam Saül collocaverat Michalam, filiam ſuam, uxorem Davidis, Phalti, filio Laïſi, è Gallimis.

XXIV. Cùm

ut putabat *Joſephus*, qui ſic rem exprimit: τῇ δ' ὑστεραίᾳ νήφοντι ἅπαντα δηλώσασα παρεῖται καὶ πᾶν ἐν αὐτῷ νεκρωθῆναι τὸ σῶμα ὑπὸ τῶν λόγων καὶ τῆς ἐπ' αὐτοῖς λύπης ἐποίησε· καὶ δέκα οὐ πλείους ἐπιζήσας ἡμέρας τὸν βίον κατέστρεψεν ὁ Νάβαλος: *poſtero die cùm ſobrio omnia expoſuiſſet, effecit ut ſolverentur ejus vires, & totum corpus veluti mortuum eſſet, propter eos ſermones & dolore ex iis concepto; nec pluribus diebus, quàm decem, vitâ productâ, eam cùm morte commutavit Nabalus.*

Factus eſt inſtar lapidis] Hoc loquendi genus produximus, aliiſque ſimilibus illuſtravimus in Diſſert. de Statua Salina §. 2. Sed nulla eſt ſimilior loquutio, quàm quæ occurrit Metamorphoſeωs Apuleianæ Lib. VI. p. 179. Ed. *Elmenhorſtii*; quem locum indicavit mihi *Lambertus Droſtius* noſter, Harlemenſis Paſtor. Deſcribit Madaurenſis Philoſophus Pſychen deſperantem aquam ſtygiam ex fonte in altiſſima rupe ſito haurire, & ſic loquitur: *ſic impoſſibilitate ipſâ*, MUTATA IN LAPIDEM *Pſyche, quamvis præſente corpore, ſenſibus tamen aberat, & inextricabilis periculi mole prorſus obruta, lacrimarum etiam extremo ſolatio carebat.*

38. *Percuſſit Jehova*] Lethali morbo ſuſtulit.

39. *Opprobrii mei cauſam ſuſcepit*] רב את ריב חרפתי *litigavit litem opprobrii mei.*

Contra Nabalem] *E manu Nabalis.*

Cohibuit à malo] Operâ, nempe, Abigaïlæ, de qua antea.

Miſit deinde] Poſt tempus luctûs. David videtur ejus formâ & prudentiâ captus fuiſſe.

Qui alloquerentur] *Et miſit & alloquutus eſt*, per legatos, nempe.

40. *Ut te ad ipſum*] *Ad te ſumendam illi in uxorem.* Non eſt putandum rem tam paucis verbis & tam ſubitò confectam fuiſſe; ſed poſtquàm per alios internuncios de hoc negotio actum fuiſſet, conſenſiſſétque Abigaïla, miſſi ſunt alii qui eam abducerent. Sed in compendiaria hiſtoria multa neceſſariò omittuntur.

41. *Proſtratóque in terram vultu*] Ita ſe gerit Abigaïla quaſi præſens fuiſſet David, quia aderant homines ab eo miſſi. Tam humilem autem ſe præbebat, quòd ſciret brevi fore ut David Rex Iſraëlis fieret, ut ſatis liquet ex ejus verbis, quæ antea prolata ſunt; & fortè etiam quod vidua Nabalis, prolem ex eo non ſuſcepiſſet, dotéque acceptâ domo ejus migrandum ſibi eſſe ſciret.

Ad abluendos pedes &c.] Hoc eſt, ad viliſſima miniſteria obeunda. Hæc fuit temporum illorum humanitas, quæ non eſt ex noſtris moribus æſtimanda. Mulieres enim deteriore multò conditione tum erant, apud Hebræos, quàm nunc apud nos; ut vel ex duobus liquet, quòd multæ ſimul ducerentur, quódque pro arbitrio repudiarentur. Quæ his legibus nubebant, tantos ſpiritus non poterant gerere, quantos gerunt nunc matronæ, apud gentes Europæas.

42. *Comitantibus quinque* &c.] *Et quinque ancillæ euntes ad pedes ejus.* Vide v. 27.

43. *Fuerúntque ambæ ejus uxores* &c.] Hoc eſt, eo tempore haſce duas ſolas habuit; nam, ut poſtea ſequitur, Michala alii à Saüle, contra Leges, collocata fuerat, quamvis eam minimè repudiaſſet David.

44. *Collocaverat Michalam*] Ut hoc fieret, cum aliqua juris ſpecie, oportuit ut Michala virum repudiaret; aut ut Saül, jure regio, diceret ſe matrimonium hoc diſſolvere; quamvis ex Legibus Moſaïcis neutrum licitum eſſet. Sic Salome Herodis Magni ſoror, apud *Joſephum*, Ant. Jud. Lib. XV. c. 11. cùm malè ei conveniret cum Coſtobaro marito, πέμπει τούτῳ αὐτῷ γραμμάτιον, ἀπολυομένη τὸν γάμον, οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίων νόμους, *confeſtim ad eum mittit libellum diſſolvens nuptias, non ſecundùm Judaïcas Leges.* Subjicit Hiſtoricus: ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ' ἡμῶν τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι, μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος: *nam viro quidem apud nos licet hoc facere, mulieri verò ne ſeparatæ quidem licet per ſe nubere, ſi prior vir non dimiſerit.* Ideò David jure Michalam repetiit 2. Sam. III, 14, 15.

E Gallimis] *Euſebius* de hoc loco; λέγεται πλησίον Ἀκκαρὼν εἶναί τις κώμη Γαλλὶμ καλουμένη: Hieronymus: *Dicitur eſſe quidam prope Accaron vicus, qui vocetur Gallim.* Malè, apud *Euſebium* legitur hic Γαλιλαία.

In Ca-

XXIV. Cùm Ziphenſes iterum Davidem Saüli prodidiſſent, Saül ad collem Chachilæ contendit, ubi caſtra ponit. Noctu ea ingreſſus David, cùm dormientem Saülem occidere poſſet, haſtam tantùm ejus & ſcyphum aufert. Deinde magnâ voce exprobrat ſævitiam Saüli, à quo delicti confeſſionem exprimit, & ad juſtitiam divinam provocat.

CAPUT XXVI.

1· IVERUNT deinde Ziphenſes ad Saülem Gibam, ut dicerent: annon David la-
tet in colle Chachilæ, è regione Jeſimonis? 2· Surrexit ergo Saül, & in ſolitudi-
nem Ziphenſem contendit. Cùm eo autem erant tria millia virorum delectorum
in Iſraële, ad quærendum Davidem in deſerto Ziphenſi; 3· *ubi* caſtra poſuit Saül ad
collem Chachilæ, è regione Jeſimonis, ad viam. David verò, qui conſederat in ſoli-
litudine, animadvertit Saülem ſe ſequi in deſertum. 4· Miſit tamen exploratores, cer-
tiúſque intellexit Saülem veniſſe. 5· Deinde ſurrexit *ipſe* ac ivit ad locum, in quo Saül
caſtra habebat, viditque locum in quo cubabat Saül, ut & Abner, Neris filius, ejus
exercitûs dux. Saül quidem cubabat intra ambitum plauſtrorum, populus verò caſtra
poſuerat circumquaque. 6· Tum cœpit dicere David Achimelecho Chitthæo, & Abi-
ſai, Tſerujæ filio, fratri Joabi: quis deſcendet mecum ad Saülem, in caſtra? Ego, in-
quit Abiſaïs, tecum deſcendam. 7· Igitur iverunt David & Abiſaïs ad populum noc-
tu; ecce verò Saülem jacentem, intra plauſtrorum ambitum, haſtáque ejus erat, ad
ejus cervical, terræ infixa. Abner autem & populus circumquaque jacebant. 8· Tum
Abiſaïs Davidi, tradidit, inquit, hodie Deus inimicum tuum in manum tuam. Nunc
ergo

In CAPUT XXVI.

1· E *Regione Jeſimonis*] Vide Cap. XXIII, 19.

5· *Viditque locum* &c.] In nocte ſubluſtri, aut ex accenſis ignibus. Vel ſi nocte hæc videre è rupe non potuit, interdiu ante occaſum ſolis; quamvis intempeſtâ demum nocte, in caſtra deſcenderit.

Intra ambitum] במעגל *bammabagal*, fortè plauſtrorum, quæ loco valli erant. Vide not. ad Cap. XVII, 20. LXX. Intt. habent hîc *ἐν λαμπήνῃ*, unde alii colligunt Regem, in *curru* quodam dormiviſſe. Sed malim circa Regem fuiſſe plauſtra impedimentorum non ita multa, quæ ei valli inſtar erant, ne ad eum tam facilè penetrari poſſet, cùm præſertim copiæ circumquaque caſtra poſuiſſent. *Aquila* hîc quoque habebat *στρογγύλωμα*, quòd intelligeret in orbem poſita fuiſſe plauſtra. Malè *tentorium* vertit Vulgatus, ex conjectura.

6· *Tum cœpit dicere*] ויען דוד ויאמר quod vertunt LXX. Intt. *καὶ ἀπεκρίθη Δαυίδ, καὶ εἶπε*, ſed ענה *hanah*, quando nulla anteceſſit quæſtio, ſignificat ſermonem ordiri.

Achimelecho Chitthæo] Vir fortis fuit, quem Proſelytum fuiſſe contendunt, quia cum Davide eſt verſatus. Alioqui Chitthæi erant inter devotos populos. Sic & Urias, cujus uxorem duxit David, dicitur Chitthæus 2. Sam. XI, 3. cùm Jeroſolimæ habitaret.

Abiſai.] Qui ex fortiſſimis viris erat. Vide 2. Sam. XXIII, 18.

7· *Igitur iverunt* &c.] Nullæ erant excubiæ, aut rei militaris imperitiâ, aut quòd nihil ſibi à Davide timerent; quem ſatis habiturum putabant, ſi modò fugere, aut latere poſſet.

Haſtâque ejus erat] Sine tentorio videtur fuiſſe, & ſub dio dormiviſſe. Norat quidem David, qui caſtra Saülis ſæpe ſequutus fuerat, quanam in parte caſtrorum tendere Rex ſoleret, & in ſubitis ejuſmodi expeditionibus dormire; ſed tamen ut eum inveniret, poſſétque dignoſcere, oportuit ignes aut Lunam lucere; ſi enim caſtris, omnibus dormientibus, & exſtinctis ignibus, facem intuliſſet, facilè potuiſſent excitari, qui non ſatis arcto ſomno dormiebant. Quod attinet ad haſtam, juxta Saülem dormientem ſitam, ſic & *Silius Italicus* de Magone, Annibalis fratre, Lib. VII, v. 291. & ſeqq.

—— Nec degener ille
Belligeri ritûs taurino membra jacebat
Effultus tergo & mulcebat triſtia ſomno.
Haud procul HASTA VIRI TERRAE DEFIXA *propinquæ*,
Et dira è ſumma pendebat cuſpide caſſis
Et clypeus circa, loricáque, & enſis & arcus,
Et telum Baleare, ſimul tellure quieſcunt.
Juxtà lecta manus, juvenes in Marte probati.

Sed & ante *Silium Homerus* Iliad. Κ, 471. ſic Thraces in caſtris dormientes deſcripſerat, ſine excubiis ullis:

Οἱ δ' εὗδον καμάτῳ ἀδηκότες, ἔντεα δέ σφιν
Καλὰ παρ' αὐτοῖσι χθονὶ κέκλιτο εὖ κατὰ κόσμον.

Illi verò dormiebant, labore defeſſi, arma verò illis pulcra, juxta eos, in terram inclinata erant ordine.

8· *Neque enim iterabo.*] Occidi uno ictu eum oportuiſſet, ne edito clamore circumjacentes excitaret.

9· *Quis manum injiciat* &c.] Cùm nullâ Lege divinâ, aut humanâ Hebræi hoc in negotio tenerentur; nulla enim proferri poteſt, quâ omnia prorſus pati jubeantur à tyranno, potiùs quàm vim injuſtè illatam, ſimili vi repellant; ſatis liquet Davidis prudentiæ & magnanimitati hæc eſſe tribuenda, non juri cuipiam apud Hebræos noto. Vide hac de re dicta ad Cap. XXIV, 7.

10· *Dies*

ergo eum, quæſo, feriam haſtâ & terræ *infigam*, uno ictu; neque enim iterabo. 9. David verò Abiſai, ne illum, inquit, occidas, quis enim manum injiciet Uncto Jehovæ & innocens erit? 10. Dixit præterea David: *ut* vivit Jehova, niſi Jehova eum percuſſerit, aut dies ejus venerit, ita ut moriatur, vel in prælio ceciderit & perierit; *per me quidem non morietur.* 11. Ne ſiverit Jehova me in Unctum ſuum manum injicere! 12. Nunc verò accipe, quæſo, haſtam, quæ eſt ad ejus cervical, & ſcyphum aquæ, atque abeamus. 13. Abſtulit ergo David haſtam & ſcyphum aquæ à cervicali Saülis, & abierunt; nec quiſpiam vidit, aut animadvertit, aut excitatus eſt; nam omnes dormiebant, quia ſopor à Jehova in eos inciderat. 14. Tum tranſivit David vadum, ſtetitque in vertice montis, è longinquo, *ita ut* magnum ſpatium interjectum eſſet. 15. *Illinc* exclamavit David ad populum, & Abnero quidem, Neri filio, annon, inquit, reſpondebis, ô Abner? Reſpondit verò Abner, & dixit: quis tu es, qui clamore Regem appellas? 15. Abnero verò David, nonne, inquit, vir es, & quis tui ſimilis in Iſraële? Quare verò Regem dominum tuum non cuſtodiiſti? Venit enim aliquis è populo, ad occidendum Regem dominum tuum. 16. Bene te non geſſiſti. *Ut* vivit Jehova, ſic omnes morte digni eſtis, qui excubias non egiſtis, apud dominum veſtrum, apud unctum Jehovæ. Vide nunc ubi ſit haſta Regis & ubi ſcyphus aquæ, quæ ad ejus cervical erant. 17. Agnovit autem Saül vocem Davidis, &, voxne hæc tua eſt, inquit, fili mi David? David verò, vox mea eſt, inquit, domine mi Rex. 18. Tum ſubjecit: cur verò ſic inſequeris ſervum tuum, domine mi? quid enim commiſi, quidve mali eſt in me? 19. Nunc autem audiat, quæſo, dominus meus Rex verba ſervi ſui. Si Jehova incitaret te contra me, odoraretur munus *tuum*; ſin verò homines, maledicti *ſint*, in conſpectu Dei, quia expulerunt me hodie, ne maneam in poſſeſſione Jehovæ, dum *mihi* dicunt: ito cultum Deos alie-

10. *Dies ejus venerit*] Hoc eſt, dies mortis. Sic in fragmentis *Cornelii Severi*, de militibus, qui, edictâ in poſterum diem pugnâ, inter ſe colloquebantur:

—— *ſtratique per herbam,*
Hic meus eſt, dixere, dies.

Per me quidem non morietur] Hæc, in elliptica jurisjurandi formula, intelligenda eſſe ratio ſuadet. Alioqui pendet oratio. Jurisjurandi formulas ellipticas eſſe ſæpe notavimus. Vide ad Cap. XX, 12, 42.

11. *Ne ſiverit Jehova*] *Abſit mihi à Jehova.*

12. *Ad ejus cervical*] מראשתיו *mraaſchotau*, deeſt præpoſitio ב aut על ut Cap. XIX, 13.

13. *Sopor à Jehova*] תרדמת יהוה *ſopor Jehovæ.* Sic *terror Dei* Cap. XIV, 15. pro terrore à Deo immiſſo. *Aquila* verterat καταφορά. *Symmachus* κάρος. quæ meliora ſunt quàm θάμβος LXX. Intt. & ἔκστασις *Theodotionis.*

14. *Vadum*] העבר *haheber*, tranſitum. Fortè fuit rivus aquæ inter caſtra, & rupem caſtris Saülis imminentem, in quam adſcendit David. Vide Cap. XIV, 4. Sanè caſtra ad aquam, commodioris aquationis causâ, poni ſolebant. LXX. habent εἰς τὸ πέραν, & Vulg. *ex adverſo.*

E longinquo] Ita tamen ut vox facilè poſſet audiri. Crediderim ergo locum, in quo erat David, quaſi remotum à Saüle deſcribi; quia non poterat adiri, niſi magno circuitu, quòd rupes ardua è regione caſtrorum eſſet.

15. *Annon reſpondebis*] Fruſtra jam aliquoties eum nomine vocarat, ut & ipſum Saülem.

15. *Vir es*] Nempe, fortis.

Regem dominum tuum] *Dominos tuos Regem,* ארניך המלך *adonecha hammelech.*

16. *Bene te non geſſiſti*] *Non eſt bona res, quam feciſti.*

Morte digni eſtis] *Filii mortis vos.*

Vide nunc ubi ſit haſta] Quod erat clarum indicium Saülem potuiſſe interfici, ab eo qui eam abſtulerat.

19. *Si Jehova incitaret te*] Si meritò mihi perniciem molireris, ita ut convenienter divinæ voluntati ageres, exaudiret tuas preces, curarétque proinde ne umquam in manus meas incideres; quod tamen non facit, quod ex gemino experimento cognoſcere potuiſti. Hic omnino videtur eſſe ſenſus verborum Davidis.

Odoraretur munus tuum] ירח מנחה *jarahh minhhah.* Deus dicitur *odorari* ſacrificium, aut munus farreum ejus, quem exaudit, & cui concedit quod petit. Vide not. ad Gen. Cap. VIII, 21. Itaque hic David *odorari munus* confundit cum eo quod eſt *exaudire.* A Deo autem non exaudiri preces Saülis, ſatis liquebat, ex eo quòd bis tradiderat eum in manus Davidis, à quo incolumis dimiſſus fuerat, merâ animi magnitudine. Hic autem ſupplevimus *tuum*, re ipsâ poſtulante, poſt LXX. Intt. qui habent: εἰ ὁ Θεὸς ἐπισείει σε ἐπ' ἐμὲ, ὀσφρανθείη θυσίας σου.

Sin verò homines &c.] Non dicit: ſin verò tu ſis, qui me terrâ Iſraëlitide expulſum cupis; ne eum offenderet, ſed iis verbis utitur, quibus divino conſilio humanum tantùm opponitur.

Maledicti ſint] Quia hominem innocentem perſequebantur, conabantúrque eum eò adigere, ut migraret ad Idololatras, eorúmque Deos coleret. Perinde enim hoc erat, ac ſuadere cuipiam ut Idola coleret, adeóque ea ipſum colere; quamobrem diris homines, ſub Lege, devovebantur. Vide Deut. XXVII, 15.

In poſſeſſione Jehovæ] In terra Chananæa, quam Deus quaſi peculium ſuum poſſidebat & Iſraëlitis incolendam dederat. Eâ exigebat Saül Davidem, quantùm quidem in ipſo erat: quia illum perſequebatur, per totam Iſraëlitidem terram; ac ſanè tandem eâ egredi coactus eſt, ne inſidiis ejus periret, ut videmus Cap. XXVII.

Digitized by Google

alienos; 20. & ne nunc cadat ſanguis meus in terram, in conſpectu Jehovæ; cùm tamen egreſſus ſit Rex Iſraëlis, ad quærendum pulicem unum, quemadmodum perſequeretur gallinaginem per montes. 21. *Ibi* Saül, peccavi, inquit, revertere, fili mi David, neque enim tibi ampliùs malefaciam, quia vita mea tibi pretioſa fuit hodie. Stultè me geſſi, ac vehementer erravi. 22. Reſpondit verò David & dixit; En haſtam Regis, huc quiſpiam ex adoleſcentibus tranſeat, eámque capiat. 23. Jehova autem reddet unicuique, *ſecundùm* juſtitiam ac fidem ejus. Cùm te tradidiſſet Jehova hodie in manum *meam*, nolui manum injicere Uncto Jehovæ. 24. Quemadmodum ergo magni pretii fuit hodie, apud me, vita tua: ſic & magni pretii erit vita mea, apud Jehovam, atque ex omnibus anguſtiis me explicabit. 25. Tandem Saül Davidi, bene tibi erit, inquit, fili mi David; magnæ erunt res tuæ geſtæ & ſuperior eris. Deinde David viam ſuam ingreſſus eſt, & Saül in locum ſuum reverſus.

XXV. David ad Achiſum Gathum confugit, & Tſiklagum quidem ab eo ad habitandum accipit, unde ab Hamalekitis, aliiſque populis finitimis prædas agebat.

CAPUT XXVII. 1. DIXIT verò David, apud animum ſuum, aliquando tandem manu Saülis peribo. Nihil mihi ſatius eſt, quàm ſi profugiam in terram Philiſthæorum, & deſpe-

20. *Ne nunc cadat* &c.] ועתה *vebattbah*. Hæc verba ſunt tertia pars periodi, quæ habetur antecedente verſu, non novæ ſententiæ initium.

In conſpectu Jehovæ] In terra Chananæa, cui præſentem ſe ſiſtit ſingulari ratione.

Cùm tamen egreſſus ſit &c.] Hoc eſt, cùm tamen egreſſus ſit Rex Iſraëlis, eum in finem, ut ſanguinem meum effundat, quod fieri non debuit. Hic eſt particula כי *chi*. Vide ejus ſignif. 27. apud *Chr. Noldium*.

Quemadmodum perſequeretur gallinaginem] *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. I. c. 12. oſtendit קרא *kore* genus eſſe gallinaginis nobis ignotum; hoc eſt, avem non magni pretii, & quam proinde per montes magno labore perſequi ſapientis non erat. LXX. Intt. καταδιώκει ὁ νυκτικόραξ, quaſi conferretur Rex cum Nycticorace, qui pulices ſuos caperet. Vulg. *ſicut perſequitur perdix*, quod caret ſenſu. Si הקרא *bakkore* ſit in nominativo oportet intelligi accuſativum, qui nullus eſt. Sed multo rectiùs intelligitur eſſe in accuſativo, ito ut verbum ירדף *jirdoph* ad Saülem referatur, aut ad nominativum *venator* ציד tſajid, quod ſupplendum. David autem de ſe, ſi cum Saüle conferretur, modeſtè loquitur, ut iram ejus leniat.

21. *Revertere*] In aulam, vel in agros paternos. Eo tempore ita loquebatur Saül, magnanimitate Davidis coactus; ſed ſi ei credidiſſet David, quamprimùm redeunte inolitâ æmulatione, & invidiâ, hominem trucidaſſet.

Vita mea tibi pretioſa fuit] *Pretioſa fuit anima mea in oculis tuis*; hoc eſt, eam ſervaſti, prout res pretioſæ ſervari ſolent.

23. *Secundùm juſtitiam* &c.] את צדקתו ואת אמונתו *juſtitiam & fidelitatem ejus*, hoc eſt, quod innocentiâ & fide commeruerit. LXX. Intt. legerunt צדקותיו *tſidkothau*, nam habent ἑκάστῳ τὰς δικαιοσύνας.

Cùm autem] אשר *aſcher*. LXX. ὡς παρέδωκε. Vulg. *tradidit enim*.

24. *Magni pretii fuit*] גדלה gadelah, *magna fuit in oculis meis*.

Magni pretii erit] Servabitur à Deo, qui eadem miſericordia erga me utetur, quâ erga te uſus ſum.

25. *Bene tibi erit*] *Benedictus tu*.

Multæ erunt res tuæ geſtæ] *Etiam faciendo facies & prævalendo prævalebis*. Senſum expreſſi, non verba, quis enim ferat quod habet Vulgatus poſt LXX. Intt. *faciens facies, & potens poteris*, ποιῶν ποιήσεις ϗ δυνάμενος δυνήσῃ; Nimis ad verbum, cùm alibi ſine neceſſitate nimiùm à verbis recedant.

In CAPUT XXVII.

1. ALiquando tandem] *Nunc abſumar die uno per manum Saülis*. Gallicè ad verbum: *je perirai un jour par la main de Saül*. Intelligendum, ſi maneam in terra Iſraëlitica.

Nihil mihi ſatius eſt] אין לי טוב *nullum mihi bonum*. Alii interrogationem eſſe putant: *nonne mihi ſatius eſt* &c. Nos כי *chi* vertimus *quàm ſi*, eſt enim pro כי אם *chi im*. Vide Eccleſ. III, 12. ubi ſimilis loquutio.

Profugiam] *Evadendo evadam*.

2. *Ad Achiſum*] Priùs fortè per internuncios reſcivit Achiſum benignè ipſum excepturum, nec quidquam fore periculi, ſi cum ſuis Gathum ſe conferret. Nam antea timuerat ne illic occideretur. Sed longa inimicitia, quâ eum exercuerat Saül, gratioſum apud hoſtes Hebræorum & Saülis reddiderat.

3. *Quiſque cum familia*] Nam exemplum Sacerdotum Nobenſium docuerat Saülem, more, ut videtur, Orientis, conſanguineos omnes occidere eorum, quos conjuraſſe cum Davide dictitabat. Vide notata ad Cap. XXII, 1.

5. *Si quâ gratia*] *Si inveni gratiam in oculis tuis*.

Urbium ſilveſtrium] ערי השדה *hare haſſchadeh*, urbium agri. Quia שדה *ager*, aut *rus* opponitur *urbi*, hic David *urbes ruſticas*, aut *ſilveſtres* vocat minùs frequentes, & à ruſticis incultas; ſi comparentur cum excultioribus urbibus, ut erant Gathum, Gaza, Hekron &c. Græci κωμοπόλεις vocabant. Ratio cur David mallet eſſe in urbe minore & minùs frequente, videtur hæc fuiſſe, quod liberiùs in ea vivere poſſet; ſive Hebræorum Religionem, ritúſve ſpectes, ſive prædarum de vicinis populis agendarum rationem habeas.

Digitized by Google

deſperet de me Saül, *nec pergat* me per omnes fines Iſraëlis inveſtigare; ita ut ab ejus manu liberatus ſim. 2· Surrexit ergo David & transfugit cùm ipſe, tum ſexcenti viri, qui cum eo erant, ad Achiſum, Mahochi filium, Regem Gathi. 3· Habitavit deinde Gathi David apud Achiſum, ipſe & qui cum eo erant, quiſque cum familia, & David quidem cum duabus ejus uxoribus Achinohama Jizrehelitide, & Abigaila Charmelitide, *quæ* uxor Nabalis *fuerat*. 4· Nunciatum poſtea eſt Saüli, Davidem aufugiſſe Gathum; quare eum non ampliùs inveſtigavit.

5· Deinde dixit David Achiſo: ſi quâ gratiâ apud te valeo, detur mihi locus, in una urbium ſilveſtrium, ubi maneam. Cur verò habitaret ſervus tuus, in urbe regia tecum? 6· Donavit Achiſus eum illo die Tſiklago. Quare fuit Tſiklagum Regum Judæ, ad hunc uſque diem. 7· Numerus autem dierum, quibus commoratus eſt David, in agro Philiſthæorum, fuit anni unius & quatuor menſium. 8· David autem & viri qui cum eo erant, expeditione ſuſceptá, irruerunt in Geſuræos, Girzæos & Hamalekitas; nam *hæ gentes* habitabant tractum, quem ab antiquis temporibus *habuerant*, quo is Surem, ad Ægyptum uſque. 9· Concidit tractum illum David, neque virum, aut fœminam in vivis reliquit; ſed abduxit minores pecudes, boves, aſinos, camelos, ac veſtes, reverſúſque ivit ad Achiſum; 10· & dixit Achiſus *Davidi:* quam in partem hodie irruiſtis? In meridianam Judæ, inquit David, in meridianam Je-

In urbe regia] *In urbe regni.*

6· *Tſiklago*] Euſebius: Σικελὰγ, πόλις ἣν ἔδωκεν Ἀγχοὺς τῷ Δαβίδ. φυλῆς Ἰούδα ἢ Συμεὼν, ἐν τῷ Δαρωμᾷ. *Hieronymus:* SICELECH, *quam Achis, Rex Alienigenarum, dedit ad inhabitandum David. Eſt autem in Daroma, fortis Judæ, vel Symeonis.* Erat ad auſtrum Tribûs Judæ, occidentem versùs.

Regem Judæ &c.] Hinc, ut ex aliis locis, manifeſtum eſt ſcriptorem hujus libri, poſt diviſionem Regni Hebræorum, in Judam & Iſraëlem, vixiſſe.

7· *Anni unius*] ימים *dies*, quod cùm diſtinguatur à menſibus, manifeſtum eſt eâ voce *annum* ſignificari, ut alibi ſæpe. Vide Cap. I, 1. Attamen LXX. Intt. & Vulgatus omiſerunt, quaſi ſuperfluam, quia non intelligebant quid ſibi hîc vellet. Apud *Joſephum* commorationi Davidis, in agris Philiſthæorum, tribuuntur μῆνας τέσσαρας σὺν ταῖς εἴκοσιν ἡμέραις, *quatuor menſes, additis viginti diebus*; quod ex vitioſo exemplari verſionis Græcæ deſumtum videtur.

8· *Expeditione ſuſcepta*] *Et adſcendit David & irruerunt in Geſuræum.*

Hæ gentes habitabant] כי הנה יושבות *chi henhab joſchebhoth.* Cùm participium hoc fœminini generis ſit, non poteſt referri ad גשורי, גרזי & עמלקי quæ ſunt nomina maſculini generis; ſed intelligendum משפחות miſchphehhoth, *familiæ*, aut ſimile quidpiam. Latinè diximus *gentes*, quia quamvis גוים *gojim*, *gentes*, ſit maſculini generis Hebraïcè, rationem tantùm habuimus vocum Latinarum, earúmque conſtructionis.

Tractum quem ab antiquis temporibus] הארץ אשר מעולם *terram quam ab antiquo*; ſupple, habitarant. *Hamalekitæ* ſemper habitarant illas oras, à temporibus uſque Moſis, ut liquet ex Exod. XVII, 8. ubi vide not. Ad *Geſuræos* quod attinet, ſedes eorum deſcribuntur ad ortum Jordanis, montem Chermonem verſus, ſive ad ſeptemtrionem Galahaditidis. Vide Deut. III, 14. Joſ. XII, 4, 5. XIII, 11, 13. Sed nihil vetat quominùs alia pars Geſuræorum vagata ſit per Arabiam deſertam, ad auſtrum Chananææ; cùm Hamalekitæ qui ad eamdem cœli plagam collocantur, vagarentur etiam ad eam Syriæ partem, ut oſtendimus ad Gen. II, 11. *Girzæos* putant *H. Grotius*, tranſpoſitis litteris, eſſe eoſdem ac *Gazeræos*, ſeu incolas urbis *Gazer*, de qua Joſ. C. XVI, 3. Sed cùm urbs hæc eſſet in media Chananæa, non videntur incolæ ejus potuiſſe fugere in Arabiam deſertam. Crediderim potiùs eoſdem fuiſſe populos, qui *Gerreni* dicuntur 2. Macchab. XIII, 24. & quorum urbs fuit *Gerra*, quam inter Gazam & Peluſium collocat *Strabo* Lib. XVI. qui ſitus huic hiſtoriæ optimè convenit, ut rectè ſentit *Jac. Bonfrerius*. Videntur reliquiæ fuiſſe Chananæorum, quibus, ut & Hamalekitis, bellum inferre licuit, imò à Deo mandatum erat.

Aliter hîc legerunt LXX. Intt. qui habent in Codice Alexandrino: καὶ ἐπετίθεντο ἐπὶ πάντα τὸν Γεσουρὶ (Vat. Γεσιρὶ, Ald. Γεσσίρ) καὶ τὸν Γεζραῖον (deſunt hæc in aliis duobus Codd.) καὶ ἐπὶ τὸν Ἀμαληκίτην· καὶ ἰδοὺ κατῳκεῖτο ἡ γῆ ἀπὸ Γελαμψοὺρ ἀπὸ ἀνηκόντων τετειχισμένων καὶ ἕως γῆς Αἰγύπτου. Poſtremorum vocabulorum ordo eſt nonnihil mutatus in Codice Romano, in Aldina editione legimus tantùm, καὶ ἰδοὺ ἡ γῆ κατῳκεῖτο ἀπό τε Λαμψοὺρ καὶ ἕως Αἰγύπτου. Non moror Complutenſem Editionem, ad Hebraïcum Textum refictam. Pro הנה ישבות *illæ habitabant*, legerunt הנה נושבת *ecce habitata.* Sed in Græcis verbis, quæ ſequuntur, legendum ἀπὸ Γελὰμ Σούρ. quia, ut rectè *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. IV. C. XVIII, 4. pro מעולם *ab antiquo*, legerunt מגלם *à Gelam.* Prava eſt hæc lectio, ſed locum in Hebraïco noſtro textu prorſus ſanum eſſe vix puto.

Quo is Surem &c.] Vide not. ad Cap. XV, 7. ubi quamvis dicatur Saül omnes Hamalekitas occidiſſe, hinc liquet intelligendum hoc de iis qui in ejus manum inciderunt; nam in ſolitudines interiores, Arabiam felicem versùs, facilè aufugere poterant, & manibus Saülis elabi, deinde in priſtinas ſedes eo profecto redire.

10· *In meridianam Judæ*] Ambiguitate Achiſum deludebat David, nam omnes illi populi erant ad meridiem Tribûs Judæ, Jerachmeelis, & Kenæorum; ſed Achiſus videtur crediſſe prædas actas ex ipſis Tribûs Judæ, & Kenæorum agris. Itaque pro ſpoliis Hebræorum hoſtium

Jerachmeelitarum, & in meridianam Kenæorum *oram.* 11. Nec virum ullum, nec mulierem conſervaverat David, quos Gathum adduceret, cùm diceret: *cavendum* ne quid nuncient de nobis, dicántque ſic ſe Davidem geſſiſſe. Atque hæc fuit ejus conſuetudo, per totum tempus, quo in agro Philiſthæorum commoratus eſt. 12. Tum Achiſus Davidi fidem habuit, cùm diceret: infamis factus eſt, apud populares ſuos Iſraëlitas, eritque mihi ſervus in perpetuum.

XXVI. Philiſthæi expeditionem parant in Iſraëlitas, Saülque trepidus, cùm nihil reſponſi à Deo acciperet, ad Necyomantin ſe confert; quæ, excitato Samuelis ſimulacro, cladem & mortem ei prænunciat. Quare pavidus in caſtra redit.

CAPUT XXVIII. 1. EO TEMPORE coëgerunt Philiſthæi exercitum in caſtra, ad bellum gerendum cum Iſraëlitis. *Ibi* Achiſus Davidi, ſcito, inquit, te cum tuis mecum in caſtra

tium ſuorum, accipiebat ſpolia populorum pacatorum Arabiæ deſertæ; nam ſine dubio prædæ particeps erat.

Jerachmeelitarum] *Jerachmeelitæ.* Fuerunt Jerachmeelitæ Hebræi incolæ tractûs meridiani Judæ, ut liquet ex C. XXX, 29.

Kenæorum] Vide not. ad Cap. XV, 5. unde liquet amicos hoſce Hebræorum fuiſſe.

11. *Cavendum*] Ellipſin hujus vocis jam obſervavimus ad Gen. III, 27. & alibi.

Ejus conſuetudo] משפטו *judicium ejus.* Vide not. ad Cap. VIII, 9.

Per totum tempus] *Omnibus diebus.*

12. *Infamis factus eſt*] *Fœtere faciendo facit fœtere.*

In CAPUT XXVIII.

2. SCies *quid facturus ſit.*] Ambigua iterum ſunt hæc verba; cùm enim ſignificent re ipsâ intellecturum Achiſum quid facturus eſſet David, nihil ei pollicetur ſe facturum contra populares ſuos, neque etiam quidquam negat. Videtur David, in illis anguſtiis conſtitutus, cùm nihil vellet polliceri Philiſthæorum Regi, contra patriam; neque etiam vellet ſibi iram Achiſi contrahere, dubio reſponſo uſus, interea dum aliquid contingeret, ex quo conſilium ſibi caperet, & res ſuas expediret. Quod re verâ contigit. Itaque neque fidem datam Achiſo fefellit, neque patriæ impium bellum intulit.

Te cuſtodem conſtituerim &c.] Verba Davidis ſic interpretatus eſt Achiſus, quaſi David ſtrenuam & fidelem operam, adversùs Hebræos, ei pollicitus eſſet. Quare reſpondit ſe uſque adeò Davidi credere, ut vel cuſtodem capitis ſui, ſi neceſſe eſſet, conſtituere poſſet. Neque enim hoc promiſſum eſſe Achiſi crediderim, quia non eſt credibile auſurum, Philiſthæo præſidio dimiſſo, cuſtodes capitis ſui Hebræos ſumere, quod colligere poſſumus ex Capite ſequente.

In perpetuum] *Omnibus diebus.*

3. *Mortuus erat* &c.] Repetitur hoc, propter ſequentem hiſtoriam.

Saül expulerat &c.] Inſtinctu ſine dubio Samuelis, qui Lege divinâ oſtendit nefas eſſe ejuſmodi homines vivere apud Iſraëlitas. Vide Levit. XIX, 31. & Deut. XVIII, 10. & ſeqq.

Necyomantes] אבות *oboth.* Hac voce, compendiariâ loquutione, dici בעלת אוב *dominas Obi*, aut *Spiritûs*, oſtendimus ad laudatum Levitici locum.

4. *Sunemi*] Oppidum fuit in Tribu Iſſaſcharis, ut liquet ex Joſ. XIX, 18. Perperam dicitur *Sulem*, aut *Subem* ab *Euſebio* & *Hieronymo.* Συβήμ, κλήρου Ἰσσάχαρ, καὶ νῦν ἔστι κώμη Σουλὴμ ὡς ἀπὸ σημείων ε' τοῦ Θαβὼρ ὄρους πρὸς νότον. SULEM, *in Tribu Iſſaſchar & uſque hodie vicus oſtenditur nomine Sulem, in quinto milliario Thabor montis, contra auſtralem plagam.* Iidem tamen habent *Sonam*, quem locum collocant in finibus Samariæ, & Acrabbitina, qui videtur eſſe idem.

In Gilboa monte] Ad occaſum Sunemi, in eadem Tribu. *Euſebius:* Γελβουὲ ὄρη ἀλλοφύλων, Σκυθοπόλεως ἀπέχοντα σημείοις ϛ'. ἐν οἷς καὶ κώμη μεγίστη Γελβοῦς. GELBUE, *montes alienigenarum, in ſexto lapide à Scythopoli, in quibus etiam vicus eſt grandis, qui vocatur Gelbus.* Neſcio cur *alienigenarum* hi montes dicantur, cùm Philiſthæi, qui ita vocari ſolent, illas oras Chananææ non poſſederint.

5. *Timuit Saül*] Neceſſe eſt fuiſſe Philiſthæis mercenarias copias, à quibus ſibi timeret Saül. Alioqui parvus tractus, quem incolebant Philiſthæi, non potuit copias ſuppeditare, quæ Hebræorum exercitum æquarent, qui aliquot centena millia virorum complectebatur.

6. *Jehovam ſciſcitatus eſt*] Non poterat conſulere Jehovam, niſi interrogando Prophetas, quales erant Gadus & alii, aut Pontificem, qui erat ornatus Sacro Collari. Prophetis Deus nihil reſpondit neque voce, neque ſomniis; itaque Saüli de eventu prælii, aut de eo quod faciendum fuiſſet, nihil reſpondere poterant. Supererat Pontifex Maximus, qui gerebat *Urim* & *Thummim*, ſed ille aufugerat ad Davidem, nec poterat conſuli, ideóque rectè Deus negatur eo modo reſpondiſſe; niſi fortè quis ſtatuat Saülem curaviſſe fieri alterum Ephodum, quo ornaverat Eleazaridam Pontificem Abiathari Ithamaridæ ſuffectum, nec per eum Ephodum Deum quidquam reſpondiſſe.

Per Urimos] באורים *baurim.* Sic loquitur Scriptor Sacer, compendiosâ ratione, omiſsâ voce ובתמים *vethummim*; nam *Thummim*, ſeu uniones Collaris Sacri, nunquam ſeparabantur ab *Urim*, aut carbunculis. LXX. Intt. hic habent ἐν τοῖς δήλοις, qua de re diximus ad Exod. XXVIII, 30. *Hieronymus* vertit *per Sacerdotes*, ſeu-

Digitized by Google

caſtra egreſſurum. 2. David verò Achiſo, ſcies ergo, inquit, quid facturus ſit ſervus tuus. Tum Achiſus Davidi: profectò te cuſtodem conſtituerim capitis mei, in perpetuum.

3. Mortuus erat Samuel, luxerátque eum univerſus Iſraël, & ſepelierat Ramæ, in urbe ſua. Saül verò expulerat Necyomantes, & Divinos è terra *Iſraëlitide*. 4. Coacti autem Philiſthæi venerant & caſtra poſuerant Sunemi. Saül verò congregato toto Iſraële, caſtra poſuit in Gilboa *monte*. 5. Conſpectis caſtris Philiſthæorum, timuit Saül, animúſque ejus vehementer territus eſt. 6. Itaque Jehovam ſciſcitatus eſt, ſed nihil reſpondit Jehova, neque per inſomnia, neque per Urimos, neque per Prophetas. 7. Tum Saül ſervis ſuis, quærite mihi, inquit, mulierem Necyomantin, ibóque eam interrogatum. Servi verò illi, en, inquit, mulierem Necyomantin Hendoræ. 8. Itaque mutavit habitum Saül, aliáſque veſtes induit, & abiit cum duobus viris, venerúntque noctu ad mulierem; cui *Saül*, divina, quæſo, mihi, inquit, per Spiritum, & fac ut is adſcendat, quem tibi dixero. 9. Mulier verò, noſti, inquit, quid fecerit Saül, qui exſcidit Necyomantes & Divinos ex *Iſraëlitide* terra. Cur ergo laqueum tendis vitæ meæ, ut me occidas? 10. Juſ-

ſenſum reſpiciens, potiùs quàm vocem.

Per Prophetas] Qui à Deo, voce divinitus emiſſâ, juberentur ad Saülem ire, eique reſpondere. Nec mirum eſt Deum, homini tam violento, & tot innocentium cæde cruento, nihil voluiſſe reſpondere.

7. *Mulierem Necyomantin*] בעלת אוב *dominam Obi*, ſeu quæ haberet *Obum*, aut *Spiritum*, cujus ope mortuorum animos evocaret; quod genus Græci νεκυομαντίδας vocabant. Hoc ex re ipſa liquet, ideoque *Joſephus Ant. Jud. Lib. VI. c. 15.* in hac Hiſtoria: ζητεῖσθαι δ' αὐτοῖς ἐκέλευε γυναῖκά τινα τῶν ἐγγαστριμύθων καὶ τὰς τῶν τεθνηκότων ψυχὰς ἐκκαλουμένων, ὡς οὕτω γνωσόμενος οἷ χωρεῖν αὐτῷ μέλλει τὰ πράγματα. τὸ γὰρ ἐγγαστριμύθων γένος ἀνάγον τὰς τῶν νεκρῶν ψυχὰς δι' αὐτῶν προλέγει τοῖς δεομένοις τὰ ἀποβησόμενα: *quæri verò ſibi jubet mulierculam aliquam ex ventriloquis, & evocantem animos mortuorum, quaſi ſic intellecturus an res ex ipſius ſententia proceſſuræ eſſent; nam ventriloquorum genus evocans mortuorum animas per eas prædicit interrogantibus quæ futura ſunt.*

Ad hanc autem Hiſtoriam duo ſunt notatu digna. Unum eſt, miram fuiſſe Saülis ſtultitiam, qui tacente Deo, nec quidquam reſpondente, hariolos conſultum ibat, quod Lege divinâ vetitum norat. Credebátne ergo, Deo non loquente, licitum fuiſſe conſulere vates, quos conſuli alioqui vetuerat? Putabátne vates illos, invito Deo, aut etiam volente, etiamſi viis ſolitis nihil reſpondere voluerat, futura intellecturos & revelaturos? Quidquid horum crediderit, eſt abſurdum, & indignum prorſus homine Hebræo, & Rege Hebræorum. Alterum, quod obſervari velim, in eo ſitum eſt, quòd ex hac hiſtoria manifeſtum fiat Hebræos vulgò credidiſſe, poſt corporum mortem, animos hominum ſupereſſe; neque enim potuit Saül optare ſibi evocari animum Samuelis, niſi ſuperſtitem eum eſſe crederet. Idem colligere licet ex loco Moſis, ubi vetat conſuli mortuos, ut Deut. XVIII, 10. Certè hæc fuit & Græcorum & Orientalium, qui νεκυομαντείᾳ fidem habebant, opinio. Quod cùm ita ſit, mirum eſt hanc ſententiam de immortalitate animorum, in Veteri Teſtamento nuſquam apertè tradi; cùm tanti eſſet momenti, ut nulla majoris eſſet, ad ſalutem & Religionis, & Reipublicæ ponderis. Fateor me hæc adſequi non poſſe, quamvis alios meliora docentes, & firmis rationibus comprobantes audire paratus ſim.

Hendoræ] בעין־דור *in Hen-dor*. Euſebius: Ἀενδὼρ ἡ ἐν Ἰσραήλ, ἔνθα παρενέβαλον οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ εἰς πόλεμον. Ἔστι νῦν μεγίστη κώμη Ἀενδὼρ πλησίον τοῦ ὄρους Θαβὼρ ἐπὶ νότα εἰς δ' σημεῖον δ'. *Hieronymus*: Aendor, *quæ eſt in Iſraël, ubi filii Iſraël ſe ad prælium præparantes caſtra poſuerunt. Eſt & hodie grandis vicus Aendor, juxta montem Thabor, ad meridiem in quarto milliario.* Is eſt ſitus hujus loci, qui fuit in dimidia Tribu Manaſſæ, ad occaſum Jordanis, ut docemur Joſ. XVII, 11. Rem in clara luce collocavit *Jac. Bonfrerius*, in Onomaſtico. Itaque *Euſebius*, qui alibi ait Endoram fuiſſe ἀμφὶ τὴν Σκυθόπολιν, aut dormitabat, aut duplicem ejus nominis urbem eſſe putabat; nam urbs, remota à monte Thabore quatuor millibus paſſuum auſtrum versùs, non potuit eſſe circa Scythopolin, quæ pluribus multò milliaribus ad ortum ab eodem monte diſtabat. Errorem eſſe memoriæ crediderim, & unam fuiſſe *Hendoram* ad Thaborem montem.

8. *Mutavit habitum*] יתחפש *jithhappheſch*. Gallicè, *il ſe déguiſa*. Ne agnoſceretur, ſeu in itinere, ſeu apud Necyomantin.

Alias veſtes] Viliores, ne quiſquam Regem eſſe ſuſpicaretur.

Divina mihi per ſpiritum] באוב *beob*. Non repetam quæ de hac voce dixi ad Levit. XIX, 31. Sed obſervabo קסם, *koſom*, hîc fortè eſſe non tam *divinare*, quàm magicis quibuſdam ritibus uti, quibus evocabantur mortui; quam in rem Necyomantes utebantur, aut uti putabantur Spiritu quodam.

Fac ut is adſcendat &c.] Evoca mihi animum mortui, quem tibi dicam. Credebant animos mortuorum in locis ſubterraneis habitare, atque inde adſcendere.

9. *Necyomantes*] אבות *oboth*.

Laqueum tendis vitæ meæ] מתנקש בנפשי *mithnakkeſch bnaphſchi*. Sic participium hoc explicuimus, quaſi radix נקש hîc idem ſignificaret ac יקש quod eſt *illaqueare*, ſequuti LXX. Intt. qui habent παγιδεύεις τὴν ψυχήν μου. Sic & Vulgatus: *inſidiaris animæ meæ*.

Ut me occidas] Aut ream capitalis criminis factam in vitæ periculum adducas. Saül, nempe, vetuerat eam artem exerceri, mortem hariolis interminatus, ex Lege Moſaïca Levit. XX, 27.

10. Juſjurandum verò ei dedit Saül, per Jehovam, dicens: ut vivit Jehova, *ſic* tibi nul-
la propterea inſligetur pœna. 11. Quemnam autem, inquit mulier, faciam ut tibi ad-
ſcendat. Fac, inquit ille, ut mihi adſcendat Samuel. 12. At mulier ubi vidit Samuë-
lem, magnâ voce exclamavit, & Saüli, quare, inquit, me decepiſti, cùm ſis Saül?
13. Dixit verò ei Rex: ne timeas, ſed quid vidiſti? Vidi, inquit mulier Saüli, ma-
giſtratum è terra adſcendentem. 14. Quænam eſt ejus ſpecies, inquit ille? Senex, ait mu-
lier,

10. *Ut vivit Jehova* &c.] *Vivit Jehova ſi evenerit tibi delicti pœna* (עון havon) *propter hanc rem.* His verbis, jam propemodum aperiebat Saül quis eſſet; privatus enim nullus ita loqui poterat, cùm nemini, præter Regem, ejuſmodi impunitatem polliceri fas eſſet. Privatus promiſiſſet ſilentium, non impunitatem. Nec dubito quin mala hæc mulier hominem agnoſceret, quamvis ignotum ſibi ſimularet; ac ſanè ex ſtatura, quæ erat maxima, facilè agnoſci potuiſſet ab iis, qui ſuſpicati priùs fuiſſent, Regem adeſſe.

11. *Fac ut mihi adſcendat Samuel*] Ergo credebat Samuëlem ſubductum quidem eſſe oculis hominum, corpore ejus mortuo; ſed meliore ſui parte, hoc eſt, animo, etiamnum vivere, & quidem in loco quodam ſub terra, unde *adſcendere* eum optabat, ut interroganti reſponderet. Rectè *Juſtinus* Apol. I. c. 24. hinc colligit immortalitatem animi, ſi ponamus ejuſmodi evocationes fuiſſe veras. Verba ejus ſunt: Νεκυομαντεῖαι μὲν γὰρ καὶ αἱ ἀδιαφθόρων παίδων ἐποπτεύσεις, καὶ ψυχῶν ἀνθρωπίνων κλήσεις, καὶ οἱ λεγόμενοι παρὰ τοῖς μάγοις ὀνειροπομποὶ, καὶ πάρεδροι, καὶ τὰ γινόμενα ὑπὸ τῶν ταῦτα εἰδότων πεισάτωσαν ὑμᾶς ὅτι καὶ μετὰ θάνατον ἐν αἰσθήσει εἰσὶν αἱ ψυχαί: *Prædictiones enim per mortuos, inſpectiones incorruptorum puerorum, animorum humanorum evocationes, & qui vocantur à Magis immiſſores ſomniorum & adſeſſores, & quæ fiunt ab iis qui hæc norunt perſuadeant vobis poſt mortem animos etiamnum ſentire.* Eodem argumento utitur in Apologia pro Tryphone p. 333. Ed. Par. ubi nominatim etiam meminit hujus evocationis animi Samuelis. De loco ſubterraneo, in quo Mortuorum animi quieſcunt, vide Eſai. XIV, 9. & Ezech. XXXII, 22. & ſeqq.

12. *Ubi vidit Samuelem*] In tres partes abeunt Interpretes, aliique viri docti qui de hoc loco ſententiam ſuam dixerunt. Alii putant reverâ verum Samuelis animum fuiſſe evocatum, & conſpicuo corpore indutum, Deo volente, apparuiſſe; alii phantaſma tantùm fuiſſe, cui adfuerit Cacodæmon qui futura prædixerit; alii denique neque animum Samuelis adfuiſſe, neque phantaſma à Cacodæmone effictum, ſed meram humanam fraudem hîc fuiſſe, hominémque Samuëli, à Necyomanti fuiſſe ſubſtitutum. Non addam nomina, aut verba diſſentientium Interpretum, quæ apud alios quæri poterunt; cùm eorum ſola auctoritas, in re tam antiqua, nullius ſit ponderis. Sed dicam poſtremam ſententiam mihi videri veriſimillimam, & rectè defenſam à doctiſſimo viro *Ant. van Dale* Medico Harlemenſi, Cap. IX. Diſſertationis de Divinationibus Idololatricis ſub Veteri Teſtamento. Itaque hanc quoque propugnabo ſententiam, & ceteras ad ſingula Hiſtoriæ verba confutabo.

Samuelem] Hoc vocabulum urgent, qui veram apparitionem animi Prophetæ fuiſſe putant; ſed alii Scriptorem Sacrum loquutum eſſe ex Saülis, ejúſque comitum, vulgarique adeò opinione cenſent. Veriſimilius multò hoc eſſe videtur, quàm ſi credamus Deum, ut Saüli gratificaretur, paſſum eſſe animum Samuëlis, ad carmina fatidicæ mulieris deſcendere. Quis credat enim Deum, qui neque per ſomnia, neque per Prophetas, neque per Sacerdotem reſpondebat, quæ viæ legitimæ erant, quibus quod volebat aperiebat, voluiſſe extraordinario planè modo atque à ſe vetito Regi impio, per animum Samuëlis, reſpondere? Eâ ſane ratione, Deus à ſe ipſo diſſenſiſſet, & pondus atque auctoritatem illicitis vaticinationibus addidiſſet. Nec quiſquam erit, ut puto, cui placeat quod ex his verbis conjecit olim *Juſtinus* Martyr, in loco Dialogi, contra Tryphonem, antea laudato; ὅτι πᾶσαι ψυχαὶ τῶν οὕτως δικαίων, καὶ προφητῶν, ὑπὸ ἐξουσίαν ἔπιπτον τῶν τοιούτων δυνάμεων, ὁποία δὴ καὶ ἐν τῇ ἐγγαστριμύθῳ ἐκείνῃ ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ὁμολογεῖται. *Omnes animas ſic juſtorum & Prophetarum ſub poteſtatem incidiſſe talium potentiarum* (cacodæmonum) *qualis & in ventriloqua illa ex ipſis rebus agnoſcitur.* Imò verò quia abſurdum eſt animos ſanctorum virorum ſubeſſe potentiæ Cacodæmonis, qui eos evocet quando velit, colligendum fuit, ut faciunt hodie doctiſſimi viri, fraudem fuiſſe, aut Cacodæmonis, aut mulieris. Non malè hîc *Procopius* Gazæus: τί ἀσεβέστερον, ἢ ἀξιοῦν ἐπῳδὰς ψυχῶν ἁγίων κρατεῖν, ὧν ἔτι ζώντων οὐκ ἐκράτησαν οἱ δαίμονες; *quid magis impium, quàm ſi ſtatuantur incantationes ſuperſtitioſorum vim habere in animas Sanctorum, quos etiamnum viventes in poteſtate ſua dæmones non habuerunt?* Sed feſellit *Juſtinum* & alios vulgò recepta opinio Ethnicorum, de evocationibus animorum mortuorum, quas putabant ope Deorum inferorum fieri, & quarum egregiam deſcriptionem habemus apud *Lucanum* Lib. VI. Eam opinionem Chriſtiani olim, & Judæi, ut liquet ex *Joſepho* in hujus Hiſtoriæ narratione, cùm à teneris accepiſſent, mirum non eſt ex ea interpretatos eſſe locum Scripturæ, qui primo intuitu ei favere videbatur.

At nos hodie Chriſtiani, quibus alia obtigit educatio, aliáque philoſophandi ratio, aut phantaſma hoc Samuëlis à Cacodæmone fictum, aut hominem loco ejus ſubſtitutum, aut fortè mendacium fatidicæ mulieris eſſe contendimus. Ad me quidem quod attinet, vix crediderim phantaſma ullum fuiſſe; quia, ſi Deus permiſiſſet Cacodæmoni, in gratiam fatidicæ mulieris, phantaſmata Prophetarum aut alia formare, quibus fallerentur homines & veris etiam prædictionibus allicerentur, ejuſmodi vaticinationibus favere viſus eſſet, nec facile fuiſſet veros Prophetas à falſis ſecernere. Igitur malim aut ſubornatum hominem ex foſſa veſtitum, ut ſolebat eſſe Samuël, prodiiſſe, ut perſonam ejus ageret; aut etiam mulierem ſimulaſſe ſe videre ſimu-

lier, adſcendit, iſque amictus eſt pallio. Hinc intellexit Saül eſſe Samuëlem; quare inclinavit vultum in humum, & ſe ſe proſtravit. 15. Samuel verò Saüli, quare, inquit, commoviſti me ut adſcenderem? At Saül, maximæ, inquit, mihi ſunt anguſtiæ. Philiſthæi mihi bellum intulerunt, Deus verò à me receſſit, nec mihi ampliùs reſpondet, neque per Prophetas, neque per inſomnia. Quare te evocavi, ut mihi ſignifices quid facturus ſim. 16. Cur verò me interrogas, ait Samuel Saüli, cùm Jehova à te receſſerit, &

mulacrum quod nuſquam erat; neque enim dicitur ipſe Saül vidiſſe Samuëlem, ſed tantum inclinato vultu in terram interrogaſſe. Potuit ipſa mulier, voce mutatâ, aut alius, ejuſmodi fraudibus adſuetus, & qui eam ad decipiendos credulos adjuvabat, poſt parietem, aut alio loco opportuno latens reſpondere quod videbatur veriſimillimum.

Magnâ voce exclamavit &c.] Finxit mala mulier ſe tum demum agnoſcere Saülem, admonitam ab animo Samuëlis; quæ Regem potuerat antea noviſſe, quippe qui ſe ſatis aperuerat v. 10. Fortaſſe & comites Saülis callidè ab ea, ut fit, interrogati rem totam jam ei prodiderant; quod faciliùs intelligere liceret, ſi pleniorem totius rei haberemus hiſtoriam, cùm breviſſimè tantùm, ut ſolet fieri in Sacris Libris, ſumma rerum capita narrentur. Una aut altera circumſtantia prætermiſſa, aut expreſſa totam rei faciem mutat, oſtenditque aut fraudem eſſe, aut rem verè geſtam; nec debemus ratiocinando hac de re ſtatuere nihil eſſe dictum, aut factum, præter id quod narratur.

Quare me decepiſti] Quòd ſub privati habitu veniſſet Saül, & quòd alium ſe dixiſſet, quàm qui erat.

13. *Ne timeas*] Territam ſe ſimulabat, quaſi timeret ſibi ab illo; ut ſolent ejuſmodi mulieres mirè hiſtrioniam agere.

Quid vidiſti?] Ergo non viderat Saül ſimulacrum fatidicum Samuëlis, & fortè qui conſulebant animos mortuorum ſolebant iis in locis de redeuntibus ſimulacris credere, non oculis ſuis, ſed Necyomantis ipſius, quæ dicebat ſe videre quod nuſquam erat. Certè cum hæc fierent noctu, quemadmodum dictum eſt, v. 8. tempus erat fraudibus opportunum. Sic Sextus Pompeius, apud *Lucanum*, Lib. VI, 570. adit magam Theſſalam

— *altâ*
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub noſtra tellure diem.

Accedit ad dolos fatidicarum, tempúſque aptum fraudibus, ſtultitia conſulentium, perturbatióque animi, quâ ipſi quàm maximè eos à quibus decipiuntur adjuvant, ad nectendos dolos. Quibus expenſis, non mirum erit ſi dicamus multas hîc fraudes commiſſas fuiſſe, & Saülem deceptum.

Magiſtratum è terra adſcendentem] Quod vertimus *Magiſtratum* eſt Hebraicè אלהים *elohim*, quod LXX. θεοὺς, Vulg. *Deos* vertit; incommodè, quia ſe unum hominem videre ſimulabat fatidica. Thargum habet hîc, מלאכא דיי *angelum Jehovæ*. Sed cùm is, quem dicebat callida mulier ſe videre, deſcribatur veſtitus inſtar Samuëlis, maluimus אלהים vertere *magiſtratum*, pro ſignificatu quem aliquando ea vox obtinet, quàm alio modo; quia Samuël fuit ſummus Magiſtratus populi Hebræi, ante Saülis electionem; útque eum deſcriberet fatidica dicebat ſe videre virum gravem & ita veſtitum, ut ſolebant eſſe Hebræorum Magiſtratus. Rem ſic narrat *Joſephus*: ἡ δ' ἀγνοοῦσα τὸν Σαμούηλον ὅϛις ἦν (quod credibile non eſt) καλεῖ τοῦτον ἐξ ᾅδου. φανέντος δὲ αὐτοῦ, θεασαμένη τὸ γύναιον ἄνδρα σεμνὸν καὶ θεοπρεπῆ ταράττεται, καὶ πρὸς τὴν ὄψιν ἐκπλαγὲν, οὐ σὺ φησὶν ὁ βασιλεὺς Σαοῦλος; ἐδήλωσε γὰρ αὐτῇ ὁ Σαμούηλος· ἐπινεύσαντος δ' ἐκείνου, καὶ τὴν ταραχὴν αὐτῆς ἐρομένου πόθεν γένοιτο, βλέπειν εἶπεν ἀνελθόντα θεῷ τινὰ τὴν μορφὴν ὅμοιον: *illa verò ignorans quis eſſet Samuel, vocat hunc ex inferis, cúmque ille apparuiſſet & muliercula contemplata eſſet virum gravem & divina majeſtate præditum, perturbata eſt, & perculſa ad eum adſpectum; nonne tu es, inquit, Rex Saül? nam hoc indicavit Samuel. Cùm ille adnuiſſet & rogaret unde orta eſſet ejus perturbatio, dixit ſe videre adſcendentem quemdam Deo formâ ſimilem.* Quæ poſtrema loquutio Ethnicum potiùs decet, quàm Judæum.

14. *Senex, aut mulier* &c.] Hinc Saül putavit reverà eſſe evocatum Samuëlem, quamvis ipſe ſimulacrum, de quo fatidica, non viderit; alioquin opus ei non fuiſſet quærere à muliere quid videret; ſi ipſe oculis ſuis id eſſet contemplatus.

Amictus pallio] עטה מעיל *bote mebil.* Is erat ornatus Samuëlis, ut liquet ex Cap. XV, 27.

Inclinatum vultum &c.] Quaſi humillimè ſalutaturus in terram vultum convertit & procidit, nec intueri auſus eſt; ita ut fraudem tegere potuerit, de qua etiam homo credulus & ſuperſtitioſus nihil ſuſpicabatur.

15. *Samuel Saüli*] Hoc eſt, vox ejus qui Samuëlis perſonam agebat.

Commoviſti me] הרגזתני *birgazthani*. Verbum רגז *ragaz* motum trepidum & violentum ſignificat. Eodem ſenſu Eſai. XIV, 9. *Inferi deorſum propter te commoti ſunt*: שאול רגזה לך. Hinc LXX. Intt. παρηνώχλησάς μοι, & Vulg. *inquietaſti me.*

Deus à me receſſit] Quia, ut ſequitur, nihil ſciſcitanti reſpondebat. Hæc omnia dicit Saül in terram proſtratus, coram umbra Samuëlis, uti quidem putabat, nec contra oculos attollere audebat.

Quare te evocavi] Cùm vivi Prophetæ nihil reſponderent, evocandum ſibi putabat mortuum; quaſi mortuus minùs penderet à Deo quàm vivi, aut Deo invito quidquam reſpondere poſſet, arte mulieris fatidicæ. Imò verò ſi infenſum ſibi ſentiebat Deum, magis timere debuit, ne perfractis ejus legibus infenſiorem ſibi faceret. Sed timor & ſuperſtitio non ratiocinantur, ideóque ejuſmodi hominem facillimè fallere potuit Hendorenſis illa fatidica.

16. *Cur verò me interrogas* &c.] Quæ habentur hoc verſu & ſequente, à quovis dici poterant, qui non eſſet prorſus hoſpes in Iſraële, omnia enim erant notiſſima; & qui divinandi artem profitentur, homines habent, à quibus de

Digitized by Google

& tui æmuli factus ſit? 17. Faciet ei Jehova, quemadmodum per me dixit, divellet-
que regnum è manu tua, & proximo tuo Davidi dabit. 18. Quia non auſcultaſti voci
Jehovæ, neque exſequutioni mandaſti iram ejus contra Hamalekitas; ideò hoc tibi ho-
die facit Jehova. 19. Tradet etiam Jehova Iſraëlem tecum in manum Philiſthæorum,
& cras tu, filiique tui eritis mecum. Etiam ipſa caſtra Iſraëlis dabit Jehova in manum
Philiſthæorum. 20. Cùm feſtinanter *ſurrexiſſet* Saül, procidit totus in humum, vehe-
mentérque timuit, propter verba Samuelis; nec ullæ vires in eo erant, quia toto die
& totâ nocte panem non comederat.
21. Tum venit mulier ad Saülem, cúmque eum vehementer conturbatum eſſe vide-
ret, en, inquit illi, auſcultavit ancilla tua voci tuæ, & vitam meam poſui in manu
mea, dum obſequerer iis, quæ mihi dixeras. 22. Nunc verò auſculta etiam voci an-
cillæ tuæ, tibique adponam fruſtum panis, quod comedito ut ſint in te vires, quibus
viam tuam conficias. 23. Renuit verò ille, neque comedam, inquit; ſed ſervi ejus &
mulier eum coëgerunt, & eorum voci auſcultavit. Surrexit ex humo & in lecto ſedit.
24. Erat ei mulieri domi vitulus ſaginatus, quem properè mactavit, ſumtámque fari-
nam ſubegit, & azymos ex ea coxit. 25. Hæc adpoſuit Saüli, & ejus ſervis, come-
derúntque, & cùm ſurrexiſſent eâ nocte abierunt.

XXVII. A-

de ſtatu rerum & affectione animi principum diligenter doceantur. Sic Alexander ille à *Luciano* egregiè depictus πευθῆνας ἐν αὐτῇ Ῥώμῃ συνεκρότει πάνυ πολλοὺς τῶν συνωμοτῶν, οἳ τὰς ἑκάστου γνώμας διήγγελλον αὐτῷ καὶ τὰς ἐρωτήσεις προεμήνυον, καὶ ὧν μάλιστα ἐφίενται, ὡς ἕτοιμον αὐτὸν πρὸς τὰς ἀποκρίσεις καὶ πρὶν ἥκειν τοὺς πεμπομένους καταλαμβάνοντα. *Exploratores etiam ex ſua conjuratione permultos habebat, qui ſibi quo quiſque eſſet animo indicarent, & interrogationes priùs ſignificarent, quidque potiſſimùm cuperent, ut paratum adreſponſiones, prinſquàm veniſſent, qui mittebantur eum deprehenderent.* Sed & à comitibus venientium multa quæruntur, ex quibus conjicere licet quid ſit reſpòndendum. Non mirandum eſt ergo hanc mulierem perſonam Samuëlis, quem evocari ſibi voluerat Saül, non malè egiſſe; cùm nihil eum dicentem induxerit, quod non ſatis notum eſſet.

Tui æmuli] רעך *harecha.* Davidis de quo vide Cap. XVI, 13, 14. Hebræi vulgo hæc ex re ipſa colligebant; videbant enim Saülem inſanire, nec quidquam ampliùs prudenter ac feliciter agere; cùm David prudens & felix, in omnibus conſiliis, eſſe videretur.

17. *Per me dixit* &c.] Hîc mimicus Samuel facilè potuit docere quæ jam vulgò ſermonibus hominum jactabantur, & exſpectabantur ab omnibus. Vide Cap. XV, 28.

18. *Quia non auſcultaſti*] Palam hæc dixerat Samuel Saüli. Vide Cap. XV, 23.

Iram] *Excandeſcentiam iræ.*

19. *Tradet etiam Jehova* &c.] Cùm non remota eſſet hæc mulier ab utroque exercitu, facilè intelligere potuit majores, aut meliores eſſe copias Philiſthæorum, quàm Hebræorum; qui etiam Saüli non ſatis æquo animo parebant, propter inſaniam ejus & infelicitatem, voluiſſéntque jam Davidem deſignatum Regem ſibi præeſſe. Hinc poterat fieri conjectura de exitu prælii, quod brevi committendum erat, more earum gentium, quæ rarò bellum trahebant.

Cras tu filiique tui &c.] Eſt vox Hebraica מחר *mahhar*, quæ & diem proximè ſequentem & futurum quodvis tempus ſignificat. Itaque ſatis erat hoc impleri in hoc bello, ut vera prædictio videretur.

Eritis mecum] Mortui eritis. Hoc unum fuit periculoſum dicere, quia fieri potuiſſet ut Saül & filii è prælio aufugerent. Sed non futurum hoc conjiciebat mulier fatidica, quia conſtabat fortiſſimos eſſe viros, qui quævis pericula adituri eſſent, nec terga hoſtibus verſuri. Itaque dixit, eos interfectum iri, cùm jam exercitûs cladem prædixiſſet. Contigit hoc, prout prædixerat probabili conjectura nixa; ſi verò irrita fuiſſet prædictio, facilè potuiſſet ſolitis artibus fatidica eludere irriſionem hominum; dixiſſet enim, exempli causâ, evocatum quidem fuiſſe à ſe Samuëlem, ſed in cærimoniis magicis aliquid à ſe per incuriam, aut feſtinationem, omiſſum, quo factum eſſet ut pro Samuele, mendax Spiritus ad ſe veniſſet. Denique memoria hujus rei ad nos non perveniſſet, neglectáque eſſet falſa prædictio à victoribus Hebræis, ut innumeræ aliæ, quæ oblivioni mandatæ ſunt, quia falſæ. Nam earum tantùm memoriam conſervant homines, quæ eventu confirmatæ ſunt.

20. *Cùm feſtinanter ſurrexiſſet*] *Et feſtinavit Saül & cecidit.* Nam ut caderet debuit *ſurrexiſſe*, & reverâ antea prociderat ante mimicum Samuelem, honorem animo Prophetæ exhibiturus, ut docemur v. 14. Itaque ſupplevimus, *ſurrexiſſet.* Quaſi, nimirum, abiturus ſurrexit, ſed inediâ & perturbatione animi illico concidit.

Totus in humum] *Et cecidit plenitudine ſtaturæ ſuæ*, מלא קומתו *mlo komatho.*

21. *Vitam meam poſui*] Vide not. ad Judic. Cap. XII, 3. Quia contra leges Necyomanteian exercuerat, poſt auditum Saülis juſjurandum; qui tamen potuiſſet pejerare, eámque plectere.

22. *Quibus viam tuam conficias*] *Quia ibis in via.*

23. *Renuit*] Quaſi inediâ illic moriturus, nec ad exercitum rediturus.

Coëgerunt] Precibus & rationibus eò adduxerunt, ut comedere vellet.

24. *Vitulus ſaginatus*] עגל מרבק *hegel marbek*, hoc eſt, propriè *vitulus vinculi*, quiâ pecudes ejuſmodi quæ ſaginabantur vinculo in ſtabulo retinebantur, ut oſtendit multis *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 31. ex Arabica Lingua. Fortè etiam poſſimus hanc vocem conferre cum ſignificatione Æthiopicæ radicis רבק *recubuit*, qui ſignificatus quadrat participio מתרפקת *mithrappheketh* Cant. VIII, 7. Eo ſenſu *vitulus re-*

XXVII. Achiſus, qui Davidem in caſtra ſecum ducere cupiebat, eum dimittere cogitur. Itaque redit David Tſiklagum, dum Philiſthæi Jizrebelem contendunt.

1. OMnia caſtra ſua Philiſthæi coëgerant Aphekam, Iſraëlitæ verò caſtra habebant ad fontem, qui eſt Jiſrebele. 2. Principes Philiſthæorum ſe, cum centuriis ac chiliadibus, *eò* conferebant; David *verò* cum ſuis, unà cum Achiſo, poſtremò veniebat. 3. Tum dixerunt principes Philiſthæorum: quinam *ſunt* Hebræi iſti? Achiſus verò principibus Philiſthæorum, annon eſt ille, inquit, David ſervus Saülis, Regis Iſraëlis, qui jam per annum, aut per annos *duos* apud me fuit? Nihil in eo deprehendi, *quod carpi poſſet*, à die quo defecit, ad hunc uſque diem. 4. Excanduerunt verò in eum principes Philiſthæorum, & dimitte, inquiebant, virum, redeátque in locum ſuum, cui eum præfeciſti; nec deſcendat nobiſcum in prælium, ne nobis adverſetur in pugna. Quonam modo gratiam domini ſui reconciliare hic ſibi poſſet, niſi capitibus horumce virorum? 5. Annon eſt hic David, de quo in choris reſpondebant, dicentes: occidit Saül mille viros, David verò decies mille. — Caput XXIX.

6. Igi-

recumbens eſt etiam *vitulus ſaginatus*, quia ejuſmodi animalia copioſo paſtu diſtenta ſæpe recumbunt, nec permittuntur vagari. In hac voce vertenda varii ſunt antiqui Interpretes, unde liquet eos ex conjectura vertiſſe. LXX. Intt. hic habent *δάμαλιν νομάδα*, alibi *μόσχος σιτευτός*, alibi *μοσχάρια ἐκ βουκολίου γαλαθηνά*, alibi *μοσχάρια ἐκ δαμάλεων ἀγελαῖα*. Latinus: *vitulos paſcuales, ſaginatos, de armento*, aut *de medio armenti*. *Joſephus* hic miratur ſingularem liberalitatem mulieris, quæ vitulum quem ſolum habebat, & in quo ſitæ erant, ut ait, omnes ejus facultates, occidit; ut cibum adponeret Regi, cui mortem prædixerat. Verùm hic temerè ſtatuit, quod multi factitare ſolent Interpretes, in verbis Hiſtorici Sacri eſſe narrationem accuratiſſimam & cui nulla deſit circumſtantia. Quid ſi hæc mulier minimè pauper fuit? Quid ſi munus à Saüle ſatis lautum, ut evocaret Samuelem, accepit? Quid ſi comites Saülis magno pretio redemerunt vitulum, ut Regi adponeretur? Horum quidem nihil eſt in Hiſtoria, ſed nec in ea quidquam legitur hiſce contrarium.

Azymos] מצות *matſoth*, ut ſit in feſtinatione ſumma. Vide ad Exod. XII, 8, 15.

25. *Et cùm ſurrexiſſent*] Multis verbis laudat *Joſephus* Saülem, quòd maluerit in certum exitium ruere & interire unà cum filiis, quàm ſuæ & illorum vitæ conſulere, multúmque eum extollit ſupra eos qui ſortes ſunt in bello, quia neſciunt quis ejus exitus futurus ſit. Sed neſciebat *Joſephus* quid poſtea fecerit, aut dixerit Saül, an ita crederet umbræ Samuelis, ut falli eam non poſſe putaret; an non ſortè minas crediderit ſe audiſſe, eáſque è conditione pendentes; an poſſet vitare pugnam & aufugere, aliáque idgenus, unde liceret intelligere quo animo Saül pugnam iniviſſet. Quare inanes mihi videntur laudes quas in eum congerit, quarum hæc eſt ſumma: *οὗτος δίκαιος καὶ ἀνδρεῖος καὶ σώφρων ἐμοὶ δοκεῖ μόνος, καὶ εἴ τις γέγονε τοιοῦτος ἢ γενήσεται, τὴν μαρτυρίαν ἐπ' ἀρετῇ παρὰ πάντων ἀξιῶ. Hic igitur juſtus & fortis & prudens mihi videtur ſolus & ſi quis fuit talis, aut erit, eum virtutis teſtimonium ab omnibus accipere oportere cenſeo.* Multò juſtior fuit Codrus, Athenienſium Rex, qui maluit mori ut victoriam patriæ pararet; quàm qui ſecum exercitum populi Hebræi in certam perniciem abripuit.

In Caput XXIX.

1. *OMnia caſtra ſua* &c.] Antea variis in locis minora caſtra habuerant. Quæ hîc narrantur videntur contigiſſe ante ea, quæ ſuperiore Capite habentur, quia Philiſthæi jam totum exercitum coëgerant, cùm Saül fatidicam Hendorenſem conſuluit, ut videmus Cap. ſuperioris v. 4.

Aphekam] Hanc Tribûs Judæ urbem eſſe puto, de qua Cap. IV, 1. ad quam copias ſuas primùm convenire juſſerint, & unde profecti ſint Sunemum ad montem Gilboam, ubi erat exercitus Hebræorum. Qui volunt Aphekam Aſeriticæ Tribûs intelligi, nec ordinem Hiſtoriæ, nec ſitum locorum ſatis attenderunt; neque enim Philiſthæi ut irent ad montem Gilboam tranſierunt per Tribûs Aſeriticæ agros, neque Sunemo retroceſſerunt in Tribum Aſeriticam, cùm prælium ſit circa illa loca commiſſum. Vide ad v. ultimum.

Ad fontem qui eſt Jizrebele] Huc primùm à Saüle convenire juſſi erant Iſraëlitæ, dum Philiſthæi Aphekam convenirent; deinde videntur Iſraëlitæ montes verſùs retroceſſiſſe.

2. *Cum centuriis*] למאות ולאלפים *centenis & millenis.*

Se conferebant] *Tranſibant*, ex agris, nempe, Philiſthæorum, in caſtra ad Aphekam, in quæ convenire oportebat exercitum.

3. *Per annum aut per annos duos*] זה ימים או זה שנים, *jam dies, aut jam annos.* Jam erat annus elapſus & quatuor menſes, ut liquet ex Cap. XXVII, 7. Itaque hoc vult Achiſus, Davidem jam annum integrum exegiſſe apud Philiſthæos, & alterum annum labi. Si pro שנים *ſchanim*, legeremus שנתים *ſchnathajim*, loquutio eſſet clarior, & analogiæ convenientior. LXX. Intt. habent *ἡμέρας τοῦτο δεύτερον ἔτος*. Vulg. *multis diebus, vel annis.*

4. *Ne nobis adverſetur in pugna*] *Nec fiet nobis adverſarius in pugna.*

Gratiam domini ſui reconciliare ſibi poſſet?] יתרצה אל אדניו *jitbrattſeh el adonau.* LXX. Intt. *διαλλαγήσεται αὐτὸς τῷ κυρίῳ.* Optimè. Vulgatus minùs commodè: *poterit placare dominum ſuum.*

5. *Reſpondebant*] Vide not. ad Cap. XVIII, 7. Omnis hæc oratio Philiſthæorum procerum quin prudens fuerit negare nemo poſſit, ideóque

6. Igitur Achiſus Davidem ad ſe vocavit, eique, *ut* vivit, inquit, Jehova: *ſic* probus es, mihique videretur te egredi & venire mecum oportere in caſtra; nihil enim mali in te, deprehendi, ex eo die, quo ad me veniſti, ad hunc uſque diem; ſed principibus gratus non es. 7. Ergo redito, & abito incolumis, ut ne principes Philiſthæorum offendas. 8. David verò Achiſo, quid feci, inquit, aut quid deprehendiſti in ſervo tuo, à die quo in conſpectum tuum veni ad hunc uſque, quo veter ire & pugnare contra hoſtes domini mei Regis? 9. Reſpondit Achiſus, & Davidi, novi, inquit, te gratum mihi eſſe inſtar Angeli Dei; ſed principes Philiſthæorum dixerunt, ne eat nobiſcum in prælium. 10. Nunc ergo mane ſurge, unà cum ſervis domini tui, qui tecum venerunt, & cùm mane ſurrexeritis, vobis illuceſcente *die*, abitote. 11. Surrexit ergo mane David, cum ſuis, ut mane abiret, reverteretúrque in terram Philiſthæam; Philiſthæi verò Jizrehelem iverunt.

XXVIII. Tſiklagum, dum abeſſet David, captum & direptum à reduce inventur. At conſulto Deo hoſtes perſequitur, quos cædit & præda ſpoliat; cujus partem ſuis dividit, aliam ad amicos è tribu Judæ mittit.

CAPUT XXX. 1. CUM David & viri qui cum eo erant redierunt tertio die Tſiklagum, Hamalekitæ irruerant in meridiana *Judæ* & in Tſiklagum, concîderántque Tſiklagi *incolas*

non mirum eſt Achiſum eâ perſuaſum Davidem ad ſua remiſiſſe. Interea ſic divina Providentia Davidem eripuit eminentiſſimo periculo, in quod delapſus erat, dum ſe Hebræorum inimicum ſimularet. Oportuiſſet enim Davidem aut fortiter pugnare contra cives ſuos, & quorum Rex unctione prophetìcâ dudum deſignatus fuerat, idque in gratiam Philiſthæorum, quod ei ignoſci non potuiſſet; aut prodere Philiſthæos, quod non minùs flagitioſum fuiſſet. In eo erat ſors Davidis miſeranda, quòd non poſſet tutò manere in agro populi Hebræi, nec confugere ad alios populos, niſi ad hoſtes Hebræorum, quia vicini omnes populi iis erant infenſi; quâ fugâ ſe conjiciebat in periculum belli gerendi cum popularibus ſui, ſi bellum exoriretur.

6. *Ut vivit Jehova*] Rectè animadvertit *Lud. Cappellus*, in notis Criticis ad Exod. VI, 2. Achiſum Regem Gathi induci jurantem *per Jehovam*, in hoc loco; cùm tamen non videatur veriſimile ea formula jurandi uſum hominem eſſe, quia Philiſthæus erat, alienus à Religione Hebræorum. Itaque potiùs eum juraſſe, per nomen Dei alicujus Philiſthæorum; quæ jurandi formula, cùm tam ſancta Philiſthæis eſſet, quàm Hebræis erat hæc חי יהוה, induci propterea Regem Philiſthæum, in hiſtorica narratione, eo modo loquentem; quemadmodum ſi quis vellet ſtylo Terentiano aut Plautino, hoc eſt, merè Latino, Drama ſcribere, cujus argumentum eſſet hiſtoria aliqua ſacra Abrahami, Iſaaci, Jacobi, aut aliorum Veteris Teſtamenti Patriarcharum; ſi homines illos induceret jurantes *Mecaſtor*, *Ædepol*, *me Hercle*, &c. non hoc vellet ſignificare Hebræos per Deos illos Ethnicorum juraſſe, ſed uſos eſſe jurejurando Hebræis vulgari, quemadmodum illa erant apud Latinos. Hæc *Cappellus*, quæ mihi veriſimiliora videntur, eorum ſententiâ qui putant Philiſthæum meliora eſſe à Davide de Deo edoctum, aut juraſſe per Deum Hebræorum, ut fidem faceret Davidi ſe verum dicere.

Mihique videretur te egredi &c.] *Et bonum in oculis meis egredi te & venire* &c. Hoc eſt, mihi quidem placeret te verſari mecum in caſtris; nam *egredi & venire* eſt Hebraïſmus, quo quis munia ſolita obire ſignificatur.

Principibus gratus non es] *In oculis principum* (סרנים) *bonus non es.* Videtur intelligere ſummos Magiſtratus quatuor aliarum urbium Philiſthæorum, Gazæ, Hekronis, Aſdodi & Askalonis, qui videntur ſummam belli adminiſtrandi poteſtatem Achiſo credidiſſe.

7. *Ne offendas principes*] *Et non facies malum in oculis principum* &c.

8. *Quo veter ire & pugnare* &c.] *Ut non veniam & pugnem* &c. Vehementer gaudebat ſine dubio David, apud animum ſuum, ſe expediri ex anguſtiis, in quibus verſabatur; attamen quia neſciebat quamdiu in agris Philiſthæorum remanſurus eſſet, gaudium ſuum prudenter diſſimulabat, fingebátque ſibi dolere quòd in hoſtes Achiſi pugnare non poſſet. Hæc autem non traduntur hîc, ut quaſi exempla nobis proponantur, ad quæ mores noſtros componamus; ſed ut liqueat in quàm magnis anguſtiis fuerit David, & quantopere eum divina Providentia tutata ſit, adeò ut etiam cùm imprudenter ſe geſſerat, hominem periculo & pereundi & in Deum graviter delinquendi eripuerit. Quibus de rebus meritò uſurpaveris Euripideum illud, quo Athenienſis Poëta aliquot Tragœdias clauſit:

> Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
> Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.
> Τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.

Nec ea quæ videbantur fieri debere contingunt, & incredibilium exitum invenit Deus. Talem eventum hæc res habuit.

9. *Novi te mihi eſſe gratum*] ידעתי כי טוב אתה בעיני *ſcio te bonum eſſe in oculis meis.* Sic LXX. Intt. οἶδα ὅτι ἀγαθὸς σύ, & Vulg. *ſcio quia bonus es tu.* Videtur tamen ſenſus poſtulare ut legatur ידעתה *jadahtha*, noſti. Achiſus, ſcilicet, excuſat ſe Davidi, aitque Davidi ſatis notum eſſe quantâ apud ſe gratiâ valeat, & quàm ſit ſibi acceptus, ſed ſe non poſſe conſentientibus Proceribus obſiſtere. Nemo dicat: *novi te eſſe mihi acceptum, ſed alii te meum comitem eſſe nolunt.* Nulla eſt inter hæc oppoſitio.

Inſtar

colas & ei ignem ſubjecerant. 2. Captivas verò abduxerant mulieres, quæ in urbe erant,
neque quemquam, à minimo ad maximum, interfecerant; ſed omnes abduxerant, &
viam ſuam ingreſſi fuerant. 3. Cùm ergo David veniſſet ad urbem, cum ſuis; ecce verò
urbem combuſtam, uxores verò eorum, filii, filiæque in captivitatem abductæ fuerant.
4. Tum David & populus, qui cum eo erat, cœperunt ejulare, fleverúntque donec ad
flendum nulla vis in iis eſſet 5. Duæ uxores Davidis Achinohama Jiſrehelitis, & Abi-
gaïla, uxor Nabalis Charmelitæ, captivæ etiam abductæ fuerant. 6. David verò in maxi-
mis anguſtiis verſabatur, quia populus de eo lapidibus obruendo loquebatur; animi
enim totius populi amaro *dolore perculſi erant*, propter filios & filias; ſed David firma-
vit animum, *fretus* Jehovâ, Deo ſuo.

7. Dixit ergo David Ebiathari Sacerdoti, Achimelechi filio, admove quæſo mihi Epho-
dum; Ebiathar verò Davidi Ephodum admovit, 8. interrogavitque David Jehovam, his
verbis: an perſequar hoc agmen? ánve id adſequar? Inſequere, ait ei *Deus*, nam id adſe-
queris, liberabiſque *captivos*. 9. Abiit ergo David & ſexcenti viri, qui cum eo erant, per-
venerúntque ad Beſorem torrentem; & cùm reliqui illic conſtitiſſent, 10. David ipſe *hoſ-
tem* perſequutus eſt, cum quadringentis viris. At ducenti reſtiterunt, quos Beſorem torren-
tem tranſire piguit. 11. Invenerunt autem virum Ægyptium in agro, ceperúntque eum *de-
ducendum* ad Davidem, & dederunt ei panem, quem comedit, aquámque bibendam ob-
tulerunt. 12. Dederunt etiam ei partem faſciculi caricarum, & duos racemos uvæ paſſæ,
quæ

Inſtar Angeli Dei] Loquutio eſt, quâ vehementer quiſpiam laudatur. Vide 2. Sam. XIV, 17, 20. XIX, 27.

Ne eat] *Non adſcendet.* Supra v. 4. eſt *non deſcendet*, quia *adſcendere* & *deſcendere* perinde ſunt ac *ire*.

10. *Servis domini tui*] Hebræis ſervis Saülis, vel antea ei parentibus.

11. *In terram Philiſthæam*] In caſtra enim ad Aphekam, urbem Tribûs Judæ, convenerant Philiſthæi.

Jizrehelem iverunt] Hinc comprobatur quod diximus ad v. 1. hæc quæ hîc memorantur contigiſſe, antequàm Saül fatidicam Hendorenſem conſuleret.

In Caput XXX.

1. T*Ertio die*] Ex quo profecti Tſiklago Aphekam venerant, nam hæ urbes non diſtabant à ſe invicem itinere tridui, cùm non diſtarent niſi latitudine agrorum Tribûs Judæ

In meridiana Judæ] אל נגב *in meridiem.* Sic κατ' ἐξοχὴν vocantur meridiana Judæ, quia in Hebræorum agris nihil magis ad meridiem vergebat. Alioquin Hamalekitis is tractus erat ſeptemtrionalis. Hinc autem liquet Hamalekitas nec à Saüle, nec à Davide fuiſſe deletos; quandoquidem cùm viderunt Hebræos bello Philiſthæo implicitos, incurſionem in eorum agros fecerunt.

Tſiklagum] Quod erat reverâ in meridiano tractu.

2. *A minimo ad maximum*] *A parvo ad magnum.* Non pepercerunt, præ miſericordia erga immiſericordes hoſtes, quos haud dubiè ſummopere oderant; ſed quia ſervis indigebant, ſeu qui ipſis miniſtrarent, ſeu quos aliis populis venderent. Hoc tamen ſaluti fuit captivis. Sed mirum eſt Davidem hominem militarem nullum præſidium reliquiſſe Tſiklagi; niſi fortè crediderit nihil eſſe timendum ab Hamalekitis, fidémque ſuam probare voluerit Philiſthæis, adducendo ad eos quàm maxima poterat auxilia.

4. *Cœperunt ejulare*] *Suſtulit vocem ſuam & fleverunt.*

6. *Populus de eo &c.*] *Dixerant populus ad lapidandum eum*; quia, nimirum, aut expeditionis auctor fuerat, aut præſidium nullum Tſiklagi reliquerat.

Amaro dolore &c.] *Quia amara erat anima totius populi.*

Fretus Jehovâ] *In Jehova.*

7. *Admove mihi Ephodum*] Venito ad me Ephodo veſtitus. Vide Cap. XXIII, 9.

8. *Hoc agmen*] הגדוד הזה *haggedoud hazzeh.* Vox hæc alibi etiam latronum globum ſignificat. Vide Gen. XLIX, 19. Hoc in loco LXX. Intt. in Codd. Alexandrino, Romano & Aldino habent γεδδοὺρ pro γεδδούδ. In Complutenſi emendatum πειρατήριον. *Aquila* ediderat: μονοζώνου συστρέμματος, ſi credimus *Procopio. Euſebius*, in locis Hebraïcis tantùm habet τὸν εὔζωνον, ubi dicit *Symmachum* vertiſſe λόχον, & ubi *Hieronymus* habet *latronum cuneum.*

Inſequere, ait ei Deus] Ore, nempe, Pontificis. Sic *Joſephus* in hac hiſtoria: παρεκάλεσε τὸν Ἀρχιερέα τὸν Ἀβιάθαρον ἐνδύσασθαι τὴν ἱερατικὴν στολὴν καὶ ἐπερωτῆσαι τὸν Θεὸν καὶ προφητεῦσαι εἰ διώξαντι τοὺς Ἀμαληκίτας δίδωσι καταλαβεῖν —— τοῦ δὲ Ἀρχιερέως διώκειν κελεύσαντος, ἐκπηδήσας μετὰ τῶν ἑξακοσίων ὁπλιτῶν εἵπετο τοῖς πολεμίοις: *rogavit Pontificem Maximum Abiatharem, ut indueret ſacerdotalem veſtem, interrogarétque Deum, & prophetaret an inſequuto Hamalekitas daret eos adſequi —— cúmque Pontifex Maximus juſſiſſet ſequi, exſiliens cum ſexcentis ſequutus eſt hoſtes.*

9. *Ad Beſorem torrentem*] נחל הבשור nahhal habbeſchor, *torrentem Beſchor* quod *Boſor* à LXX. Intt. dicitur. Fuit ad meridiem Tſiklagi, & pingitur in Tabulis inter Gazam & Beerſabeham.

11. *In agro*] Jacentem illic, nec præ inedia perſequi iter valentem.

12. *Duos racemos uvæ paſſæ*] צמקים *tſimmukim.* Alibi videtur majores faſciculos racemorum ſignificare, ut Cap. XXV, 18. hîc verò racemos ſingulos ſonat, cùm ſermo ſit de eo quod vir unus comedit.

Digitized by Google

quæ *omnia* comedit, ita ut recreatus fuerit; neque enim à tribus diebus & tribus noctibus panem deguſtarat, aut aquam biberat. [13] Dixit ei David: cujus & unde es? Sum, inquit ille, adoleſcens Ægyptius & ſervus quidem viri Hamalekitæ; at, me deſeruit herus meus, quia ante triduum ægrotabam. [14] Irrueramus autem in meridianum tractum Cherethæorum, Judæ, & Chalebi, & Tſiklago ignem ſubjecimus. [15] An me poſſes ducere, ait David, ad agmen illud? Jura mihi, inquit ille, per Deum, te non occiſurum me, neque traditurum in manum heri, téque ad agmen illud ducam. [16] *Jurejurando accepto*, eum duxit; ecce verò ſparſi erant per omnem eum tractum, comedentes, bibentes & ſaltantes, propter omnem illam ingentem prædam, quam rapuerant è terra Philiſthæorum, éque terra Judæ. [17] Occidit verò eos David, ab aurora ad veſperam ſequentis diei, nec ullus eorum evaſit, præter quadringentos juvenes, qui vecti camelis aufugerunt.

[18] Sic David eripuit Hamalekitis omnia quæ ceperant, & *præſertim quidem* duas uxores ſuas. [19] Neque quidquam deſideratum eſt ab iis, à re minima ad maximam; filios, filias, ſpolia & quæcumque eis rapuerunt omnia reduxit David. [20] Cepit verò ſibi David minores pecudes & boves, quos ducebant ante hoc pecus, dicebántque hanc eſſe Davidis prædam.

[21] Pervenit deinde David ad ducentos viros, quos eum ſequi piguerat, & qui ad torrentem Beſorem conſiſtere juſſi erant. Iverunt illi obviam Davidi & populo, qui cum illo erat. Acceſſit verò ad eos David, quæſivitque an ſatis rectè haberent. [22] Sed omnes viri mali & nequam, qui iverant cum Davide, cœperunt dicere: quia non venerunt nobiſcum, nihil dabimus iis è præda, quam eripuimus *Hamalekitis*; niſi unicuique uxorem & liberos, quos abducent & abibunt. [23] At David, non ita, inquit, vos gerere par eſt, fratres mei, in iis quibus Jehova nos donavit; dum nos cuſtodivit, agménque quod contra nos venerat in manum noſtram tradidit. [24] Quis hac in re vobis auſcultaverit? Qualis eſt pars deſcendentis in prælium, talis eſt pars ejus, qui ad im-

Recreatus fuerit] *Et reverſus eſt ſpiritus ejus ad eum.*

Panem deguſtarat] Nec cibum, nec potum ullum ſumſerat, ut res ipſa oſtendit.

[13] *Cujus*] Nempe, ſervus, quod ex ejus habitu ſatis liquebat.

[14] *Meridianum tractum Cherethæorum*] נגב הכרתי *meridiem Cherethæi.* Familia videtur fuiſſe, in meridiana Philiſthæorum aut Simeonis ora. *Cherethæorum* non infrequens mentio in hiſtoria Davidis, cui ſatellitum loco fuiſſe videntur.

Chalebi] *In meridiem Chaleb.* In meridiem Chebronis, circa quam Chalebi poſteri habitarunt. Vide Joſ. XIV, 6. & ſeqq.

[15] *An me poſſes ducere*] התורדני, *an facies me deſcendere.* Hæc eſt interdum vis Futuri, ut quod poteſt fieri ſignificet.

Te non occiſurum] *Si occides me.* Sic ſemper in adjurationibus & jurandi formulis, loquuntur Hebræi; quia ſenſus jurisjurandi erat hic: *ſi te occidero, heróve tuo tradidero, tum verò Deus pœnas de me ſumat.* Itaque illud *ſi* negationem complectitur, qui enim jurat non vult Deo pœnas dare.

Ducam] *Faciam te deſcendere.* Noverat, nempe, in qua parte ſolitudinis Hamalekitæ tenderent: quamvis enim vagi eſſent populi, per certum tractum vagabantur.

[16] *Jurejurando accepto*] Debet hoc neceſſariò ſuppleri, cùm nemo dubitare poſſit quin David vitam miſero ſervo, & libertatem etiam promiſerit, ut ſe confeſtim ad Hamalekitas duceret. Supplevit etiam Vulgatus, qui habet ad finem v. 15. *& juravit ei David*; ne hiulca eſſet narratio.

Per omnem eum tractum] *Super faciem totius illius terræ.*

E terra Philiſthæorum] Dum Philiſthæi & Hebræi totis viribus inter ſe collidebantur, finium ſuorum cuſtodiam negligebant.

[17] *Sequentis diei*] *Craſtini eorum*, למחרתם *lmobhorathom.*

Vecti Camelis] *Qui vecti ſunt ſupra camelos & aufugerunt.* Quod facillimum fuit, ſi Dromadas habuerunt, quæ uno die longa itinera conficiunt. Earum operâ, aut in interiorem Arabiam, aut in Ægyptum non difficulter ſe recipere potuerunt.

[20] *Ante hoc pecus*] לפני המקנה ההוא *liphne hammikneh hahou.* LXX. Intt. ἔμπροσθεν τῶν σκύλων. Vulgatus, *ante faciem ſuam.* Quaſi LXX. Intt. legiſſent מקנהו *mikneho*, & Vulgatus tantùm לפניו *lphanau*, deletis duabus poſterioribus vocibus. Crediderim LXX. Intt. optimam eſſe lectionem, cùm minor ſit mutatio, nec ulla gregis antea facta ſit mentio.

[21] *Conſiſtere juſſi erant*] *Collocaverunt eos*, ut, nimirum, ſe illic exſpectarent.

An ſatis rectè haberent] לשלום lſchalom, *de pace.*

[22] *Quos abducent & abibunt*] Quaſi eos à ſe amandarent, nec vellent ampliùs ſocios fortunarum ſuarum haberi; quod ſummæ imprudentiæ fuiſſet, eo tempore.

[24] *Qualis eſt pars deſcendentis* &c.] Hæc pars fuit militaris juris, eáque æquiſſima; non minùs enim neceſſarium eſt ſervari impedimenta, quàm pugnari.

[25] *Hanc legem & hoc jus*] *Poſuit hoc in inſtitutum & in judicium Iſraëli.*

Quæ etiamnum obtinent] *Uſque ad hunc diem.* Signantur tempora diviſionem Regni ſequuta.

[26] *Ad ſenes Judæ*] Ad magiſtratus oppidorum, quos ſibi favere norat, & præſertim quidem Tribûs Judæ.

Mu-

Digitized by Google

impedimenta remanet; unà divident *prædam*. 25. Ab illo die & deinceps hanc legem
& hoc jus inſtituit Iſraëlitis, quæ etiamnum *obtinent*.
26. Cùm veniſſet David Tſiklagum, miſit è præda ſua ad ſenes Judæ, amicos ſuos, &
qui dicerent: en vobis munus è ſpoliis hoſtium Jehovæ. 27. *Miſit* ad Bethelenſes, ad
Ramothenſes meridiei, ad Jatherenſes, 28. ad Haroherenſes, ad Siphmothenſes, ad Eſ-
themohenſes, 29. ad Rachalenſes, ad eos qui incolebant urbes Jerachmelitarum, & Ke-
næorum, 30. ad Chormenſes, ad Chorhaſanenſes, ad Hethachenſes, 31. ad Chebro-
nenſes & ad omnia loca, quæ cum ſuis peragraverat.

XXIX. Vincuntur Iſraëlitæ à Philiſthæis, Saülque, amiſſis tribus filiis, ſibi manus infert. Philiſthæi victores capita Saülis, ejúſque filiorum abſcindunt, cadaveráque è muro Scythopoleos ſuſpendunt, quæ noctu rapta à Jabeſitis ſepeliuntur.

1. CUM *interea* Philiſthæi pugnaſſent cum Iſraëlitis, fugerunt Iſraëlitæ è conſpectu CAPUT
Philiſthæorum, ceciderúntque confoſſi in monte Gilboa. 2. Adhæſerunt Phi- XXXI.
liſthæi Saüli, ejúſque filiis & occiderunt Jonathanem, Abinadabum, & Malchi-
ſuham. 3. Acri verò prælio circa Saülem commiſſo, in eum inciderunt ſagittarii, à
quibus graviter eſt vulneratus. 4. Tum Saül armigero ſuo: ſtringe, inquit, gladium
tuum & me confode, ne veniant illi incircumciſi, méque vulnerent & mihi illudant;
ſed noluit armiger, cùm eſſet perterritus. Itaque Saül ſumto gladio, in eum concidit,
5. cúmque videret armiger mortuum eſſe Saülem, ipſe quoque in gladium incubuit, &
cum eo mortuus eſt. 6. Sic mortui ſunt Saül, tres ejus filii, ejus armiger, & ſimul
quicumque viri cum illo eo die fuerant.
7. Cùm verò viderunt Iſraëlitæ, qui *in illis tractibus* cis vallem & cis Jordanem erant,
fugiſſe Iſraëlitas, mortuóſque eſſe Saülem & filios; relictis urbibus ſuis, aufugerunt,
ve-

Munus] *Benedictionem*. Vide ad Cap. XXV, 27.

27. *Ad Bethelenſes*] Quamvis David potiſſimùm ad Tribules ſuos miſerit, attamen & alios quoſdam per quorum tractum tranſiens benignè habitus fuerat, muneribus donavit, ut eorum benevolentiam ſibi conſervaret. Sic Bethel fuit in tribu Ephraïmi, ut notum, & per eam urbem tranſierat fortè David, cùm iret in Galahaditidem, aut illinc rediret in agros Tribûs Judæ. Vide Cap. XXII, 3, 4, 5.

Ramothenſes meridiei] *Ad eos qui in Ramoth meridiei*, quæ ſic vocata videtur, quòd eſſet in meridiano tractu Judæ, ut à Ramothis Galahaditidis diſtingueretur. Alibi *Ramah* vocatur. Vide Joſ. XIX, 7.

Jatherenſes] *Jether*, aut *Jather*, urbs Judæ Joſ. XV, 41. & quidem ſacerdotalis, ut eſt eodem in libro C. XXI, 14.

28. *Haroherenſes*] Nobilis urbs fuit *Haroher*, ad torrentem Arnonem, ad ortum Jordanis, quibus in oris aliquamdiu fuerat David.

Siphmothenſes] שפמות *Siphmoth*. Si ſit eadem urbs, quæ dicitur שפם *ſchepham* Num. XXXIV, 10, 11. fuit ad eamdem plagam cœli & in eodem tractu ac Haroher, de qua antea. Sed nihil definio.

Eſthemohenſes] Urbs Sacerdotalis in Tribu Judæ, Joſ. XXI, 14. In meridiana plaga eam fuiſſe docet *Euſebius*, in locis Hebraicis.

29. *Rachalenſes*] Ubi fuerit רכל *Rachal* non conſtat.

Jerachmelitarum & Kenæorum] Vide Cap. XXVII, 10.

30. *Chormenſes*] חרמה *Hhormah*. De qua Num. XXI, 3.

Chor-haſanenſes] כור-עשן *ebor-haſan*. Eſt in Alexandrino Codice Βορασὰν, & ſic quoque legit *Hieronymus* qui habet, *Lacum Aſan*, כור-עשן. *Euſebius* eodem modo legiſſe videtur, quamvis vitioſè habeat Βωσομὶς. Alia exemplaria corruptiora ſunt. Videtur in Tribu Simeonis fuiſſe, & quæ *Haſan* vocatur Joſ. XIX, 7.

Hathachenſes] Non ineptè conjicit *Jac. Bonfrerius* hîc עתך *hathach* & עתר *hather* Joſ. XIX, 7. unam & eamdem eſſe urbem in Simeonitica Tribu, & mendum eſſe in alterutra voce.

31. *Chebronenſes*] Chebron Urbs celebris Tribûs Judæ, & in qua David Rex primùm ſalutatus eſt & habitavit. Vide 2. Sam. II, 3, 4.

In CAPUT XXXI.

2. ADhæſerunt] Hoc eſt, non paſſi ſunt eos elabi, ſed conſtanter urſerunt.

3. *Acri prælio circa Saülem* &c.] *Et grave fuit prælium in Saülem, & invenerunt eum jaculantes viri in arcu.*

A quibus graviter eſt vulneratus] *Et vulneratus eſt valde à jaculantibus.*

6. *Tres ejus filii*] Quartus, cui nomen fuit Isboſetho evaſit, aut prælio non adfuit. Vide 2. Sam. II, 8.

7. *In illis tractibus, cis vallem*] Hoc eſt, in locis vicinis ei in quo prælium commiſſum fuerat; nam ex ſequentibus ſatis liquet reliquos Iſraëlitas urbes ſuas ſervaſſe. Vallis autem, de qua ſermo eſt, pars eſt Magni Campi, éſtque ad occaſum Jordanis, circa Scythopolin, & à Græcè loquentibus Αὐλὼν vocabatur, de qua vide quæ diximus in Diſſert. de *ſubverſione Sodomæ*. Vertimus autem בעבר *bebeber*, *cis*, cùm etiam *trans* poſſit ſignificare; quia cùm Philiſthæi eſſent ad occaſum Jordanis, atque illic prælio victores fuiſſent, qui erant in iiſdem tractibus, cis eum fluvium, aufugerunt in Peræam,

ſeu

venientes verò Philiſthæi eas incoluerunt. 8. At poſtridie *prælii*, venerunt Philiſthæi ad
ſpoliandos interfectos, inveneruntque Saülem & tres ejus filios in monte Gilboa jacen-
tes. 9. Tum abſciderunt ejus caput, detraxeruntque arma, & miſerunt quaquaver-
sùm per terram Philiſthæorum, qui bonum nuncium deferrent, *per* Ædes Deorum ſuo-
rum, *pér*que populum. 10. Appenderunt quidem ejus arma in Æde Aſtharthæ, ca-
daver verò ejus fixerunt mœnibus Bethſanis.
11. Cùm audiſſent incolæ Jabeſi Galahaditidis quod fecerant Philiſthæi Saüli, viri
omnes ſtrenui ſurrexerunt & per totam noctem itinere facto, abſtulerunt cadaver Saülis
& cadavera ejus filiorum è mœnibus Bethſanis, redieruntque Jabeſum, ubi ea combuſ-
ſerunt. 13. Tum lecta eorum oſſa ſepeliverunt Jabeſæ, ſub arboribus, & per ſeptem dies
jejunarunt.

ſeu in Galahaditidem; nam qui trans eum incolebant, ipſo fluvio ſatis defendebantur. Re ipſâ, ex 2. Sam. II, 8. liquet Abnerum, ducem exercitûs Saülis, aufugiſſe trans Jordanem, & illic quartum filium Saülis Regem, poſt mortem patris, quaſi in tutiori loco, conſtituiſſe. Itaque LXX. Intt. quos Vulgatus ſequutus eſt, malè verterunt hîc οἱ ἐν τῷ πέραν τῆς κοιλάδος καὶ οἱ ἐν τῷ πέραν τοῦ Ἰορδάνου: *qui erant trans vallem & trans Jordanem. Joſephus* quoque ſimiliter erravit, cùm ſic ſcribat: ἀκούσαντες δὲ τῶν Ἑβραίων οἱ τὴν κοιλάδα πέραν τοῦ Ἰορδάνου κατοικοῦντες, καὶ οἱ ἐν τῷ πεδίῳ τὰς πόλεις ἔχοντες ὅτι Σαοῦλος πέπτωκε καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ καὶ τὸ σὺν αὐτῷ πλῆθος ἀπόλωλε, καταλιπόντες τὰς ἑαυτῶν πόλεις εἰς ὀχυρωτάτας ἔφυγον: *Ii Hebræorum qui habitabant vallem, trans Jordanem, & qui habebant urbes in campo, cum audiſſent cecidiſſe Saülem & filios ejus, periiſſéque multitudinem, quæ cum eo erat, relictis urbibus ſuis, in munitiſſimas fugerunt.* Hæc nata ex eo quòd non attenderunt בעבר *bebeber*, tam *cis* quàm *trans* ſignificare, qua de re vide ad Deut. I, 1.

Incoluerunt] Non diu, nam poſtea, Rege Davide, res Hebræorum ſecundiores fuerunt.

9. *Per Ædes Deorum ſuorum*] בית עצביהם beth hatſabahem, *domum ſimulacrorum ſuorum.* Primùm numero plurali uſi ſumus; quia plures fuerunt Deorum Ædes, apud Philiſthæos; deinde cum LXX. Intt. & Vulgato, עצבים *hatſabim* Deos vertimus, quia עצב *hatſab*, hoc ſenſu ſignificat *ſimulacrum*, ab eo ſignificatu radicis עצב *hatſab*, quo in *Pihel* ſignificat *formare*, Job. X, 8. qua de re vide *Val. Schindlerum.* Per Templa Deorum mittebatur nuncius, ſive ut gratiæ iis agerentur, ſive ut latiùs ſpargeretur, quòd homines ad Deorum delubra concurrere ſolerent.

10. *In Æde Aſthàrthæ.*] בית עשתרות *Domi Aſtharthariim.* Εἰς τὸ Ἀσταρτεῖον, ut rectè LXX. Intt. Vide not. ad Jud. C. II, 13. Idem mos invaluit, apud Græcos & Romanos, ut in templis Deorum arma, ſpoliáque hoſtibus erepta appenderentur. Vide Intt. ad hæc *Virgilii* Æneid. VII, 183.

Multáque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculáque, clypeique, ereptáque roſtra carinis.

Bethſanis] Quæ poſtea Scythopolis dicta, & quæ urbs erat Ethnica. Vide Joſ. XVII, 11. & ſeqq.

11. *Jabeſi Galahaditidis*] Hinc liquet Philiſthæos trans Jordanem arma non tuliſſe, neque enim hoc auſi eſſent Jabeſitæ, ſi eos cervicibus ſuis imminentes habuiſſent. Ceterùm Jabeſitæ multùm Saüli debebant, ut nos docet Hiſtoria Sacra, in hoc ipſo libro, Cap. XI. ideóque gratias rependere ei voluerunt, quatenus potuerunt.

Per totam noctem itinere facto] *Et iverunt totâ nocte.* Videntur, nempe, noctu refixiſſe ea cadavera, & Jabeſum abſtuliſſe, ne Scythopolitani concurrerent ad arma, eáque Jabeſitis eriperent.

Cadavera filiorum] Quod omiſſum in narratione v. 10.

Ubi ea combuſſerunt] *Et combuſſerunt ea illic.* Non ſolebant quidem Hebræi cadavera comburere, ſed ſepelire; qua de re vide *M. Geierum*, de luctu Hebræorum Cap. VI. Verùm videntur hoc feciſſe Jabeſitæ, hac fortè de cauſa, ne, nimirum, ſepulta & condita aromatibus cadavera, refoderentur à Scythopolitanis, iterúmque è mœnibus eorum ſuſpenderentur; præterquàm quod putrefacta, aut exſiccata jam fortè cadavera nullis odoribus condiri poterant.

13. *Tum lectu eorum oſſa*] *Et ceperunt oſſa eorum & ſepelierunt.*

Sub arboreto] תחת האשל *thahhath haeſchel.* LXX. Intt. ὑπὸ τὴν ἄρουραν, abſurdè, ut & Cap. XXII, 6.

Per ſeptem dies jejunarunt] De jejunio in luctu, vide quæ collegit *M. Geierus* de Luctu Hebræorum C. XX. Ad veſperam uſque jejunabant, ſingulis diebus jejunio conſecratis.

1. *LIBRI SAMVELIS FINIS.*

S A-

SAMUELIS LIBER SECUNDUS.

I. Poſt mortem Saülis, ad Davidem Tſiklagum venit Hamalekita, qui eum occidiſſe ſe dicebat, & à Davide occiditur. Tum David funebre carmen in mortem Saülis & Jonathanis componit.

1. POst mortem Saülis, David reverſus à clade Hamalekitarum, per CAPUT
biduum manſerat Tſiklagi, 2. cùm tertio die vir venit è caſtris & à I.
Saüle, veſtibus laceratis, & inſperſo capite pulvere. Cùm accederet
ad Davidem, in terram procidit, & ſe ſe proſtravit. 3. Ei verò Da-
vid, unde, inquit, venis? E caſtris, inquit, Iſraëlis evaſi. 4. At
ei David, quid, inquit, contigit? nuncia, quæſo, mihi. Fugit, in-
quit, populus è prælio, multi è populo *in acie* ceciderunt & mortui ſunt, Saúlque & fi-
lius ejus Jonathan interierunt. 5. Dixit verò David juveni hæc nuncianti: quomodo
mortuum eſſe Saülem & Jonathanem ejus filium noſti? 6. Juvenis autem, qui hæc ei
nunciabat, contigit, inquit, me in monte Gilboa eſſe; ecce verò Saülem incumbentem
ſuæ haſtæ, dum currus & equites eum perſequerentur. 7. Tum reſpexit *Saül*, cúmque
me vidiſſet, me vocavit, dixique: en adſum. Quis verò es? inquit. Sum, inquam
ego, Hamalekita. 9. Conſiſte, quæſo, inquit, contra me & me occidito; impedit enim
me lorica, & tota adhuc eſt in me vita. 10. Igitur contra eum conſtiti & hominem oc-
cidi, cùm ſcirem eum non poſſe vivere, poſtquàm incubuiſſet *in haſtam*. Tum ſumſi
dia-

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

2. V*Eſtibus laceratis & inſperſo* &c.] Sic in calamitate publica & privata ſolebant. Vide 1. Sam. IV, 12. & Job. II, 12.

4. *Quid contigit?*] *Quæ fuit res.*

6. *Contigit caſu*] נקרא נקריתי *nikro nikrethi*. Hoc videtur initium eſſe mendaciorum hujus adoleſcentis, qui diademate & armillis Saülis cadaveri direptis, aut furto ſublatis, ad Davidem iverat; ut favorem deſignati Regis Hebræorum ſibi, eo munere, maturè conciliaret; ad quod adjecit mendacium de Saüle à ſe occiſo, quo mendacio Davidi acceptiorem ſe futurum ſperabat; quippe qui à Saüle malè habebatur, eique ſucceſſurum ſe ſciebat. Fortè in famulitio ipſo Saülis fuerat, aut in caſtris Philiſthæorum, vel Iſraëlitarum meruerat; quo factum erat ut occaſionem nanciſceretur auferendorum ornamentorum regiorum. Certè credibile non eſt hominem tranſiiſſe per montem, eo tempore quo acerrimum prælium inter duos magnos exercitus commiſſum fuerat, nec dum planè deſierat. Sed facile eſt intellectu hominem, qui in alterutro exercitu fuerat, poſt prælii finem potuiſſe noctu in cadaver Saülis incidere, idque ornamentis regiis ſpoliare; aut etiam alibi poſita furari.

Incumbentem ſuæ haſtæ] Atqui ex hiſtoria quæ exſtat 1. Sam. XXXI, 4. gladio ſe tranſadegit, eoque ictu mortuus eſt.

Currus & equites &c.] Imò verò ſagittarii, ut docemur ibidem v. 3. quod verum eſt, nam in montibus levis armatura aptior multò eſt ad fugientes perſequendos, quàm currus & equites.

7. *Reſpexit Saül*] Hæc omnia falſa ſunt.

9. *Conſiſte contra me*] עמוד עלי *hamod halai*. Hoc eſt, quia lorica obſtat quominus me poſſim haſtâ altè immiſſâ illico occidere, tu arripito haſtam & ex adverſo me ferito, quà finit lorica. Fingit Saülem jam ſe ſe ipſum vulneraſſe, & quidem lethaliter, ſed non potuiſſe tamen haſtam ſatis altè adigere, propter loricam, ut illico exſpiraret.

Impedit enim me lorica] כי אחזני השבץ *chi abhazani haſſchabats*. Vocem השבץ *haſſchabats* interpretatus ſum *loricam*, quia, cùm ſenſus optimè loco conveniat, aliud derivatum ab eadem radice, nimirum, תשבץ, *thaſchbets*, tunicam ſignificat Exod. XXVIII, 4. & אחזני optimè vertitur *retinuit*, *impedivit*. Ac ſanè qui loricâ veſtiti ſunt non tam facilè ſibi lethalem plagam poſſunt infligere, quàm ſi nudo corpore eſſent. LXX. Intt. habent: *κατέσχε με σκότος δεινόν*, & Vulgatus, *tenent me anguſtiæ*, ex conjectura.

Et tota adhuc eſt in me vita] Fingit, nempe, Hamalekita Saülem ſemetipſum vulneraſſe cuſpide haſtæ, cui jam incubuerat, ſed cùm non ſentiret ſe ſatis citò exſpirare, oraſſe ut aliud altius vulnus ſibi infligeret. Pro *tota vita* eſt *tota anima*. Similis eſt loquutio Act. XX, 10. de qua vide quid dixerimus in *Arte Critica* P. 2. Sect. I. C. V. §. 16.

10. *Poſtquàm incubuiſſet in haſtam*] אחרי נפלו *abhare niphlo*, poſt caſum; poſtquàm, nempe, in-

diadema, quod ſupra caput ejus erat, & armillam brachii; quæ huc ad dominum meum attuli.

11. *Ibi* verò David arrepta veſtimenta ſua laceravit, & viri omnes, qui cum illo erant. 12. Deinde planxerunt, fleverunt & jejunarunt ad veſperam uſque, ob Saülem filiúmque ejus Jonathanem, ob populum Jehovæ, familiámque Iſraëlis, quia ferro ceciderant. 13. Poſtea David adoleſcenti, qui hæc ſibi nunciarat, unde es? inquit. Sum, inquit ille, filius viri peregrini Hamalekitæ. 14. Ei verò David, quomodo veritus non es, inquit, manum exſerere, ad occidendum Unctum Jehovæ? 15. Tum uni juvenum ad ſe vocato, accede, inquit, & in eum irrue. Eum *ergo* percuſſit & mortuus eſt. 16. Dixit etiam ei David: ſanguis tuus in caput tuum recidat, nam os tuum contra te reſpondit, cùm dixeris: ego occidi Unctum Jehovæ.

17. David verò lamentationem hanc, ſuper Saüle & ejus filio Jonathane, compoſuit, 18. dixitque *eam ſe compoſuiſſe*, ut Judæ poſteri arcu *uti* edocerentur. En ſcripta eſt in libro Recti. 19. O caprea Iſraëlis, in editis tuis locis confoſſa, quomodo

incidiſſet in cuſpidem haſtæ; nam quod diximus Latinè *incumbere in gladium*, id Hebræi dicunt נפל על חרב nphol hal hhereb, *cadere in gladium*, unde נפל *nephel* hìc eſt actio hominis qui haſtæ incubuerat.

Diadema] נזר *nezer*, quod verterunt LXX. Intt. τὸ βασίλειον, & Vulgatus *diadema*, hoc eſt inſigne regium, quod caſſidi fortè ejus impoſitum erat.

Armillam] אצעדה *etshadah*, *quæ erat ſuper ejus brachium*. LXX. Intt. χλιδῶνα. *Aquila*, βραχιάλιον. Hæc ergo duo erant inſignia Regum Hebræorum.

11. *Arrepta veſtimenta* &c.] Vide ad v. 2.

12. *Jejunarunt* &c.] Vide 1. Sam. C. XXXI, 13. Si Saül ſolus cecidiſſet, luctus ſine dubio non magnus fuiſſet; ſed lugebat David Jonathanem, alióſque populares ſuos, qui magno numero in acie ceciderant.

Ferro] *Gladio*, quovis genere vulnerum ferro illatorum, ſagittis, haſtis, gladiis & ſi quæ alia arma habuerunt.

13. *Filius viri peregrini Hamalekitæ*] גר עמלקי, *ger hamaleki*. LXX. Intt. προσηλύτου, & Vulg. *advenam*. Significatur Hamalekita qui inter Hebræos peregrinabatur, ac proinde Religionem Judaïcam amplexus erat; quales Helleniſtæ poſtea *Proſelytos*, κατ' ἐξοχὴν, dixerunt.

14. *Quomodo non veritus es* &c.] Hìc more ſuo David Unctorum Dei majeſtatem ſanctam atque inviolatam eſſe oportere contendit, idque eò potiori de ratione, quòd præter Pontificem Maximum ſolus eſſet Unctus Dei. Alioqui, ſi quod narrat Hamalekita verum fuiſſet, ut videbatur Davidi, non erat dignus morte, qui obſtiterat quominùs jam moribundus Saül in manus Philiſthæorum vivus incideret; certè ipſo Saüle judice, qui beneficium interpretatus eſſet, ſi armiger eum gladio tranſadigere voluiſſet. Reverentiórne fuiſſet in Regem, qui lethaliter vulneratum illico occidiſſet, ne caperetur à Philiſthæis; quàm qui vivum illis tradidiſſet, aut capi paſſus eſſet? Non puto. Sed David, mox Rex futurus, nolebat licitum umquam videri occidere Regem; propter prava conſectaria, quæ inde deduci fortè potuiſſent. Huc accedebat, quòd nollet videri cauſa mortis Saülis, percuſſorémque in eum immiſiſſe; quod potuiſſent fortè dicere ejus inimici, ſi viderent vivere & florere gratiâ Regis eum, qui à ſe Saülem interfectum dicebat, attuleràtque diadema & armillam ejus ad Davidem. Itaque factum hoc ejus inter ea numerandum eſt, quæ rationibus, ut loquuntur, politicis tribuenda ſunt, non juri cuidam divino, aut humano.

16. *Eo occidi Unctum Jehovæ*] Ex moribus illius ævi potuiſſet quæri, an cædis reus eſſet, qui acceleraſſet mortem Regis, ne vivus incideret in manus Philiſthæorum. Res non tam facilè dirimi potuiſſet.

17. *Lamentationem compoſuit*] *Lamentatus eſt lamentationem.*

18. *Dixitque eam ſe compoſuiſſe*] Hæc poſtrema verba ſupplevimus, nexûs cauſâ, qui alioqui nullus eſt, adeò ut vi intruſa hunc in locum videantur commatis hujus verba. David autem dixit hanc ſe lamentationem compoſuiſſe, ut diſcerent tribules ſui arcu uti; quòd eâ conſervaretur memoria prælii, in quo Saül ſagittâ ictus ſaluti ſuæ fugâ conſulere non potuerat, & in quo fortè ſagittarii magnum ad victoriam adtulerant momentum.

In libro Recti] Videtur eſſe hæc inſcriptio libri, quo continebantur Hymni, ſeu Odæ de rebus ſecundis, & adverſis Iſraëlitarum; de quo jam diximus ad Joſ. X, 13.

19. *O caprea Iſraëlis*] הצבי ישראל *hattſebi jiſchraël.* Quin צבי, tſebi, *capream* ſignificet nemo dubitare poteſt. Vide *Sam. Bochartum* Hierozoïc. P. 1. Lib. III. c. 25. Hanc autem ſignificationem huic loco optimè convenire intelligemus, ſi meminerimus agi hìc de viro militari, déque prælio in monte commiſſo. Inter dotes militis, non ultima eſt celeritas pedum & quidem ut poſſint, præſertim in regione montoſa qualis erat Judæa, edita loca conſcendere & peragrare, unde David Pſ. XVIII, 34. gratias Deo agit *æquanti pedes* ipſius *cervis*, *& facienti ut in altis locis ſtaret*. Hinc etiam *Homero* eſt vir, longè omnium Græcorum fortiſſimus, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Caprearum autem eſt celerrimus curſus, unde & Haſaël infra Cap. II, 18. confertur cum caprea celeritate, ut etiam ſponſus Cantici Canticorum C. II, 8, 9, 17. & VIII, 14. Itaque ut ſumma celeritas Saülis laudetur, dicitur hìc *caprea Iſraëlis*, non quòd cùm interiit tantâ eſſet agilitate, quippe qui jam ſenex erat, cùm minimus filiorum ejus quadraginta annos tunc natus eſſet, Cap. II, 10. ſed quia olim junior eâ dote præditus fuerat. *Capreæ* autem, ut dixi, ſignificatio hìc eò melius convenit, quòd ſermo ſit de locis editis, quo-

Digitized by Google

do ceciderunt fortes? 20. Ne indicate *hac* Gathi, ne nunciate in plateis Aſcalo-
nis; ne lætentur filiæ Philiſthæorum, ne exſultent filiæ incircumciſorum. 21. O
montes in Gilboa, nec ros, nec pluvia in vos *cadat*, *neque in vos*, ô agri excelſi;
quia in vos abjectus eſt clypeus fortium, & clypeus Saülis, quaſi non fuiſſet unc-
tus oleo. 22. Sine ſanguine confoſſorum, ſine adipe fortium arcus Jonathanis re-
trorſum reflexus non erat; gladius Saülis in caſſum non redierat. 23. Saül & Jo-
nathan amabiles & decori, in vita ſua, ne in morte quidem ſunt ſeparati. Le-
viores fuerunt aquilis, fortiores leonibus. 24. O Iſraëlitides, deflete Saülem, qui
vos coccino veſtiebat, cum deliciis, quique veſtibus veſtris ornamenta aurea impo-
nebat. 25. Quomodo ceciderunt fortes in medio prælio, *&* Jonathan in excelſis
locis eſt confoſſus? 26. In anguſtiis verſor, propter te, frater mi Jonathan, ſum-
mopere decorus mihi videbaris, mirabilior mihi amor tuus erat amore mulierum.
27. Quomodo ceciderunt fortes & arma perierunt?

II. Da-

quorum mentio ſolet cum caprearum celeritate conjungi. Sic Cant. II, 8, 9. *Venit ſaltans ſuper montibus, currens ſuper collibus; ſimilis eſt amicus meus capreæ, aut hinnulo cervorum.* Sic & in aliis locis laudatis. Eleganter hic ergo dicitur Saül *caprea Iſraëlis.*

Veteres Interpretes hîc nihil viderunt. LXX. Intt. habent in Alexandrino, Romano, & Aldino Codd. στήλωσον Ἰσραὴλ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη σου, & Vulg. *Conſidera Iſraël, pro his qui mortui ſunt*; unde ſatis liquet eos omnibus regulis conculcatis ſeſe expediiſſe, ut potuerunt, ex loco quem non intelligebant. Scio *Lud. Cappellum* Crit. Sacr. Lib. V. C. IX, 13. obſervare poſt *Val. Schindlerum*, Vulg. Interpretem legiſſe הצבי *haſſphi*, conſidera. Sed quàm ſit hæc ejus excuſatio parum firma oſtendunt ſequentia verba ejus Interpretis, quæ ſunt alia verſio hujus ipſius commatis: *inclyti, Iſraël, ſuper montes tuos interfecti ſunt.* Scio etiam, in Codice Complutenſi, eſſe ἀκρίβωσαι, *accuratè cognoſce*; ſed eſt verſio *Aquilæ*, ut monet *Procopius*, quam perperam Editores Complutenſes miſcuerunt ſæpe cum LXX. Intt.

Quomodo ceciderunt fortes] Oſtendit rem ſibi inexſpectatam eſſe, tot fortes viros illic periiſſe.

20. *Ne indicate* &c.] Vellet, ſi fieri poſſet, nuncium hujus rei non pervenire ad Philiſthæos, ne malis Hebræorum inſultarent.

21. *Montes in Gilboa*] בגלבע *baggilboah*, unde colligere eſt non tantùm montem, ſed & tractum ipſum, in quo erat, ſic dictum. Malè precatur David illis montibus, in quibus tantam ſtragem paſſus Iſraël.

Agri excelſi] *Agri altitudinum*, תרומת, quod malè LXX. Intt. ἀγροὶ ἀπαρχῶν verterunt, ut & Vulg. *agri primitiarum*, de quibus non agitur.

Abjectus eſt clypeus fortium &c.] Sive interfectorum, ſive quia abjecerunt clypeos, ut celeriùs fugerent; quod infame fuit apud Græcos & Romanos, fortè & apud Hebræos.

Quaſi non fuiſſet unctus oleo] בלי משיח בשמן *non unctus in oleo.* Alii hæc verba referunt ad Saülem, quaſi dicatur, non aliter abjectum fuiſſe à Saüle clypeum, quàm ſi gregarius miles fuiſſet, non unctus oleo ſacro, ut regnaret. Sed quia unctio illa nihil ad fortitudinem faciebat, neque ad clypei jacturam, fortè meliùs referatur ad clypeum, qui ſoleret probè purgatus oleo inungi, ut ne ferrugine corrumperetur, ſplendórque ejus ſervaretur. Hoc ergo velle videtur David clypeum Saülis abjectum fuiſſe non ſecus ac vilem clypeum, qui numquam oleo inunctus fuiſſet; aut clypeum Saülis numquam poſthac oleo unctum iri. De ſplendore armorum, apud Græcos & Romanos, loca Veterum poſſent produci, quæ omittimus.

22. *Sine ſanguine* &c.] מדם *middam.* מן hîc eſt *ſine*, ut in aliis locis, quæ adtulit *Chr. Noldius* ſign. 2. Senſus eſt: numquam antea curvatus Jonathanis arcus fuerat, ſine effuſione ſanguinis & perfoſſione adipis fortium virorum; ſed nunc inutilis fuit, quoniam Jonathan erat occiſus.

Retrorſum reflexus non erat] לא נשג אחור *lo naſog abhor*, quod poteſt intelligi de arcu domum numquam ſine cæde ex prælio relato, vel de incurvatione arcûs ad emittendas ſagittas. Sed ſenſus eſt idem, ad rem ipſam quod attinet.

23. *Amabiles & decori*] Jonathani amico videtur David condonare mala, quæ à Saüle paſſus fuerat; nec velle quæ deliquerat commemorare, poſt ejus mortem.

24. *Qui vos coccino veſtiebat* &c.] Quia victoriis, è finitimis populis relatis, populum Hebræum ditaverat, ſpoliis militibus diviſis. Alioquin Hebræos, agris ſuis colendis dumtaxat deditos, aliorúmque commercia vitantes, pauperes eſſe neceſſe erat; eorum certè bonorum, quæ aliunde advehebantur.

26. *Mirabilior mihi amor tuus*] Hoc eſt, ſatius habebam à te amari, quam à quavis muliere, quæcumque tandem eſſet.

27. *Arma*] *Vaſa belli.*

Digitized by Google

II. David ex reſponſo Jehovæ Chebronem ſe confert, ubi Rex Judæ Tribûs ungitur. Jabeſitis gratias agit, ob ſepultum Saülem & filios. Abnerus interea Isboſethum, Saülis filium, reliquo Iſraëli imponit. Bellum inde, in quo Joabi frater Haſahel cadit, naſcitur, quod ſequuntur induciæ.

CAPUT II. 1. POSTEA interrogavit David Jehovam, his verbis: an me conferam in unam urbium Judæ? Reſpondit ei Jehova: te conferto. Sed quò ibo? inquit David. Chebronem, ait Jehova. 2. Itaque illuc ivit David, unáque duæ ejus uxores, Achinohama Jizrehelitis, & Abigaïla uxor Nabalis Charmelitæ. 3. Viros etiam, qui ſecum erant, duxit, unum quemque cum familia ſua, manſerúntque in urbibus Chebronis. 4. *Eò* venerunt *& alii* viri *è Tribu* Judæ, unxerúntque illic Davidem in Regem familiæ Judæ.

Nunciatum autem eſt Davidi Jabeſitas Galahaditidis ſepeliviſſe Saülem. 5. Quare miſit David ad eos legatos, eiſque dixit: benefaciat Jehova vobis, qui benignè vos geſſiſtis erga dominum veſtrum Saülem, eúmque ſepeliviſtis. 6. Jehova nunc ſe vobis benignum & fidelem præſtet; ego quoque vobis bene faciam, quoniam hoc feciſtis. 7. Confirmentur verò manus veſtræ & fiatis viri fortes, quamvis ſit mortuus dominus veſter Saül, & me ſibi unxerit familia Judæ Regem ſuum futurum. 8. At Abner, Neri filius, qui fuerat dux exercitûs Saülis, ſumſit Isboſethum Saülis filium, quem transduxit Machanajimos, conſtituitque eum Regem in Galahaditas, Aſuritas, Jizrehelem,

In CAPUT II.

1. I*Nterrogavit David*] Per Pontificem Maximum.

Chebronem] חברון. Hinc confutari poſſunt, qui putant reſponſa per *Urim* & *Thummim* facta eſſe fulgore qui erumpebat ex litteris pectoralis, cui erant gemmis inſculpta nomina duodecim Patriarcharum, cùm in eorum nominibus nullum ſit ח. Itaque *H. Grotius* qui ad Cap. XXX, 8. libri ſuperioris vocem ירדף *irdaph*, in illis nominibus facilè invenit, hîc ſiluit. Nam qui alia inſcripta fuiſſe pectorali volunt, ii ſomnia ſua narrant.

3. *In urbibus Chebronis*] Intelligitur ipſa Chebron, cum aliis minoribus oppidis, quæ circa eam urbem erant.

4. *Alii viri è tribu Judæ*] Supplevimus *alii*, quia alioqui Chebronitæ non viderentur fuiſſe è Tribu Judæ, ex qua tamen ſine dubio erant.

Familiæ Judæ] Interea dum à reliquo Iſraële agnoſceretur.

Jabeſitas] *Viri Jabes.* Vide ultimum Caput Libri ſuperioris.

5. *Benefaciat Jehova vobis*] *Benedicti vos Jehovæ.*

Benignè vos geſſiſtis] *Feciſtis benignitatem hanc cum.* David propter memoriam Jonathanis, útque reverentiam Regum quàm maximè infereret animis hominum, factum hoc Jabeſitarum vehementer laudat, & ipſe quoque poſtea imitatus eſt. Vide Cap. XXI, 12, 13.

6. *Se benignum & fidelem præbeat*] *Faciet vobiſcum benignitatem & veritatem*, de qua loquutione diximus ad Geneſ. XXIV, 26.

Vobis benefaciam] *Faciam vobiſcum bonum hoc*; hoc eſt, vobis propterea occaſione datâ benefaciam.

7. *Quamvis*] כי *chi*, quod ſæpe hoc ſignificat. Vulgatus: *licet enim mortuus ſit* &c. LXX. Intt. verterunt ὅτι, quod ſi retineatur, ſic eſſent verba vertenda: *quia, mortuo domino veſtro Saüle, me etiam unxit familia Judæ Regem ſuum futurum*; quaſi diceret, Rege erga vos benevolo & benefico non carebitis.

Regem ſuum futurum] *In Regem ſupra eos.*

8. *Isboſethum*] Tres fortiſſimi & majores natu filii ceciderant in prælio, in monte Gilboa commiſſo, 2. Sam. XXXI, 2.

Transduxit Machanajimos] מחנים pro מחנימה *mahhanaimah*, vel ſupplendum אל *ad.* Poſt acceptam cladem, ad occaſum Jordanis, non auſus eſt Abner illic ampliùs morari; ſed abductâ Saülis familiâ, Jordanem trajecit, conſtititque in urbe Levitica, quæ vocabatur *Machanajim* מחנים, hoc eſt, duplicia caſtra, ob id quod narratur Gen. XXXII, 2. ubi vide notata. LXX. Intt. in codicibus Alexandrino & Complutenſi, habent hîc ἐκ τῆς παρεμβολῆς, quaſi legiſſent ממחנים *è caſtris*, intellexiſſéntque Abnerum è caſtris duxiſſe Isboſethum in Galahaditidem. At Librarii, vel Critici, qui ſciebant nomen hoc urbis eſſe, addiderunt ex alia verſione εἰς Μαναΐμ, ut eſt in Codicibus Romano & Aldino. *Hieronymus* habet: *circumduxit eum per caſtra*, quaſi ut oſtentaret militibus, eorúmque favorem Isboſetho conciliaret. Sed multò melior eſt interpretatio hodierna.

Galahaditas] In quorum regione erat, & qui filium Saülis libenter exceperunt, ob beneficium ab eo acceptum, cùm Jabeſum liberarat. Vide 2. Sam. C. XI.

Aſuritas] האשורי *haaſchouri*. Chaldæus habet hîc דבית אשר *domûs Aſeris*, ut ſignificetur Aſeritica Tribus. Eſt quidem etiam in Complutenſi editione Ἀσερὶ, ſed mihi eſt vox ea ſuſpecta, cùm alii Codices habeant Θασιρὶ aut Θασίρ, quæ ſunt veſtigia lectionis Hebraïcæ Ἀσουρὶ. Verùm quia inter Hebræos, aut vicinos populos ad ortum Jordanis, nullus erat ejus nominis, qui parere potuiſſe Isboſetho videatur, Vulgatus Interpres credidit legendum הגשורי *haggeſchuri*, cùm Baſanitidi vicini eſſent *Geſuræi*, ut videbimus ad C. IV, 3. habet enim *ſuper Geſſuri.* Sed

lem, Ephraïmum, Benjaminem & univerſum Iſraëlem. 10. Natus erat quadraginta
annos Isboſethus, Saülis filius, cùm regnare *cœpit* in Iſraëlem & per duos quidem an-
nos regnavit; nam ſamilia Judæ tantùm ſequebatur Davidem. 11. Numerus verò die-
rum, quibus David fuit Rex Chebrone, in ſamiliam Judæ, fuit ſeptem annorum &
ſex menſium.
12. Abner autem, Neri filius, & ſervi Isboſethi, Saülis filii, egreſſi ſunt Machana-
jimis, *venerúntque* Gabahonem. 13. Joabus verò, Tſerujæ filius, & ſervi Davidis
egreſſi etiam ſunt, iiſque occurrerunt ad piſcinam Gabahonis, eodem tempore; alii-
que conſtiterant ad piſeinam Gabahonis hinc, & alii ad *eamdem* piſcinam illinc.
14. Tum Abner Joabo, ſurgant nunc, inquit, juvenes & nobis proludant. Surgant,
inquit Joabus. 15. Surrexerunt ergo & tranſiverunt numero duodecim Benjaminis &
Isboſethi, Saülis filii, & duodecim è ſervis Davidis; 16. apprehenderúntque ſinguli
ſingulos, gladiis ſibi viciſſim latera transfoderunt, & ſimul ceciderunt. Ideò locus
ille vocatus eſt Chelehath-hatſurim, éſtque ad Gabahonem. 17. Fuit die illo acerri-
mum prælium, cæſique ſunt Abner & Iſraëlitæ, in conſpectu ſervorum Davidis. 18. Ade-
rant autem tres filii Tſerujæ, Joabus, Abiſaïs & Haſahel, qui levitate pedum erat in-
ſtar capreæ ſilveſtris. 19. Is Haſahel perſequutus eſt Abnerum, nec divertit eundo ad
dextram, aut ad ſiniſtram, dum ſequitur Abnerum. 20. Reſpexit verò Abner & dixit:
éſne tu Haſahel? Sum, inquit. 21. Tum illi Abner, declina, ait, ad dextram, aut
ad ſiniſtram, ac ſume tibi aliquem ex his juvenibus, cujus veſtem auferas. Sed ab eo inſe-
quendo declinare noluit Haſahel. 22. Iterum ei dixit Abner: recede à me, cur te in ter-
ram proſternerem? Quomodo poſtea faciem meam, apud fratrem tuum Joabum, tollerem?
23. Sed

Sed erat eo ipſo tempore Rex Geſuræorum, ut liquet ex loco laudato. Crediderim hîc eſſe aliquid mendoſi, quod facilè nunc reſtitui non poteſt.

Jizrehelem] Fortè quòd Jizrehelitæ, in quorum vicinia commiſſum erat prælium, inter primos fuerant qui Regem eum ſalutaſſent; quia, poſt cladem Saülis, Jordanem trajecerant Philiſthæorum metu.

Ephraimum, Benjaminem &c.] Quæ Tribus poſtea eum Regem ſalutarunt, eo ordine quo hîc recenſentur, tum etiam reliquæ, exceptâ tribu Judæ.

10. *Cùm regnare cœpit*] בסלכו bmolcho, *in regnando*; hoc eſt, cùm regnum iniit, ut paſſim in libris Regum & Paralipoménon.

Per duos quidem annos] Hæc verba optimè cum ſequentibus in concordiam redigere videtur *Seb. Schmidius*, qui putat reverâ poſt biennium Isboſethum deſiiſſe regnare & vivere. Davidem verò per idem tempus Tribui Judæ imperaſſe, dum Chebrone habitaret, & in eadem urbe commoratum quinque annis & ſex menſibus, poſteaquàm Rex totius Iſraëlis ſalutatus fuiſſet, ab omnibus Tribubus, donec Jeroſolimam habitatum iret. Itaque verbis ſequentibus hunc tribuit ſenſum: *numerus dierum, quibus David fuit Rex Chebrone*, ubi cœpit regnare *in familiam Judæ, fuit ſeptem annorum* &c. Vide infra C. V, 4, 5.

12. *Machanajimis*] Vide ſup. ad v. 8. Videntur hæc verba indicare bellum cœpiſſe ab Isboſetho, qui ægrè ferebat Davidem Tribui Judæ imperare, timebátque ne & reliquas Tribus ad ſe alliceret.

14. *Surgant nunc* &c.] Videtur hæc prima fuiſſe velitatio, inter eos qui Davidis & eos qui Isboſethi partes ſequebantur; nam veluti ex compacto in eumdem locum concurrerunt, ut ſumerent experimentum aliquod virtutis militum ſuorum; unde colligere eſt bellum inter eos cœpiſſe geri.

Proludant] *Ludant ante facies noſtras*; hoc eſt, velitationem inter ſe committant; quæ tamen ſerium fuit certamen.

15. *Tranſiverunt*] Rivum, nempe, quo exercitus ſeparabantur.

16. *Singuli ſingulos*] *Quiſque in caput ſocii ſui*, hoc eſt, per bina capita, aut per paria ſe ſe ad prælium compararunt.

Gladiis ſibi viciſſim &c.] *Et gladius ejus in latus ſocii ſui.*

Vocatus eſt] *Vocavit*; nempe, quiſquis eum nominavit.

Chelchath-hatſurim] חלקת הצרים *ager acierum*, nam חלקה eſt agri pars & צרים *tſourim* acies gladiorum, ut Pſ. LXXXIX, 44. *averſiſti* צור חרבו tſour hharbo, *aciem gladii ejus*; quia acie gladii omnes ceciderunt. LXX. Intt. μερὶς τῶν ἐπιβούλων, ſed nullæ hîc inſidiæ. Vulgatus: *ager fortium*, ſed צרים non ſunt fortes.

17. *Acerrimum prælium*] *Prælium durum uſque ad valde.* Uterque, nempe, exercitus concurrit, poſt certamen duodenorum.

18. *Tres filii Terujæ*] Nominatur ſæpiùs hæc matrona, omiſſo patris nomine; quia erat ſoror Davidis, nec ejus vir ullo inſigni facto innotuit, ut docemur 1. Paral. II, 16.

Levitate pedum erat &c.] *Levis pedibus, ut una caprearum agri.* Vide not. ad C. I, 19.

21. *Sume tibi*] Delige tibi aliquem alium, quo occiſo, ſpolia ejus auferas.

Veſtem auferas] חליפתו *hhaliphatho*, mutationem ejus, hoc eſt, veſtem, quâ ablatâ habebis veſtem quam mutare poteris. LXX. Intt. habent πανοπλίαν, & Vulg. *ſpolia.* Vide de hac voce notata ad Gen. XLV, 22.

22. *In terram proſternerem*] *Te ferirem in terram.*

Faciem meam tollerem] Auderem eum adſpicere liberè, cujus fratrem occidiſſem? Non malè interpretatur *Joſephus* τὴν σοῦ ἀδελφοῦ παῤῥησίαν. Res ipſa oſtendit poſtea Abnerum non immeritò veritum eſſe, ut poſſet reconciliari ſibi Joabus, ſi occidiſſet Haſahelem.

 23. *Poſ-*

23. Sed noluit ille recedere, quare cum Abner percuſſit poſticâ parte haſtæ ad coſtas & egreſſa eſt haſta ab ejus tergo. Cecidit illic Haſahel & eodem loco mortuus eſt; omnes verò venientes ad locum, ubi Haſahel ceciderat, & mortuus fuerat, conſiſtebant.

24. Perſequuti ſunt Joabus & Abiſaïs Abnerum, cúmque ſol occideret pervenerant Gibath-ammam è regione Giachi ad viam ſolitudinis Gabahonis. 25. Convenerunt autem Benjaminitæ Abnerum ſequuti, conſlarúntque unum globum, & conſtiterunt in vertice collis. 26. *Illinc* magnâ voce Abner Joabo dixit: an in perpetuum abſumet gladius? annon noſti amara fore poſtrema? quò uſque non jubebis populum redire, ab inſequendis fratribus ſuis? 27. Cui Joabus, *ut* vivit Jehova, inquit, niſi *aliter* dixiſſes, *ſic* à matutino tempore revocatus fuiſſet quiſque è populo, ne fratrem ſuum inſequeretur. 28. Cecinit ergo Joabus buccinâ, conſtititque univerſus populus, nec ulteriùs Iſraëlitas eſt perſequutus, nec perrexit ampliùs pugnare.

29. Abner verò cum ſuis abiit per campeſtria, totâ illâ nocte, trajecerunt Jordanem, peragrarunt totum tractum Bithronis & venerunt Machanajimos. 30. Tum Joabus reverſus à perſequendo Abnero, coëgit omnes copias, deſideratique ſunt è ſervis Davidis novemdecim viri & Haſahel. 31. Servi verò Davidis ex Benjaminitis, iiſque qui erant cum Abnero trecentos ſexaginta viros vulnerarunt, *qui* mortui ſunt. 32. Sublatum autem Haſahelem ſepeliverunt in ſepulcro patris ejus Bethlechemi, & per totam quidem noctem Joabus cum ſuis iter fecit, eiſque illuxit demum Chebrone.

III. Cùm

23. *Poſticâ parte haſtæ*] Ferro quo inferior, aut poſtica pars haſtæ etiam inſtructa erat.

Ad coſtas] אל החמש *el hachomeſch*; quod vertunt *quintam coſtam*, quaſi intelligeretur quinta coſta earum, quæ nothæ ab Anatomis dicuntur. Sed ſi hoc vellet Scriptor Sacer, cur non dixiſſet אל צלע החמישית *in coſtam quintam*? Crediderim potiùs חמש *chomeſch*, dici totam regionem notharum coſtarum, & inde factum ut חמשים *chamuſchim*, dicantur *accincti*, quod ex illa parte corporis pendeat gladius. Vide Joſ. I, 14. IV, 12. LXX. Intt. vertere ψοάν. Latinus, *inguinem*, Chaldæus, *latus femoris*. Quidquid ſit, lethale fuit vulnus, quod mihi in memoriam revocat *Virgilii* locum Æneid. XII, 506. de vulnere lethali.

— Haud multa moratus
Excipit in latus, & quà fata celerrima crudum
Tranſadigit coſtas & crates pectoris enſem.

Conſiſtebant] In honorem Joabi, ut Haſahelis cadaver ſervarent & auferrent ſepeliendum.

24. *Gibbath-ammam*] Aut *collem Ammæ*, ut LXX. Intt. qui habent ἐπὶ τοῦ βουνοῦ Ἀμμά, in Codice Alexandrino & Ed. Complutenſi, nam Ἀμμάν Vaticani Codicis, & Εἰμάν Aldini ſunt mendoſa. Vulgatus: *collem aquæ ductûs*.

Giachi] גיח *giahh*, quod Γαί legitur in Codd. Vaticano, Alexandrino & Aldino, Γαὶ in Complutenſi emendato, ut puto, ab Editoribus. Vertit *Hieronymus*, quaſi eſſet גיא *ge*, habet enim *vallem*.

26. *An in perpetuum*] הלנצח *halenetſahh*, quod non debuit verti εἰς νῖκος *in victoriam*, nam victor erat Joabus, ſed *in perpetuum*, vel *in finem*. Hieronymus: *ad internecionem*, ſenſum ſequutus.

Amara fore poſtrema] כי מרה תהיה באחרונה, *quod amaror erit in poſtremo*; hoc eſt, aut eos qui fugiebant, ſi pergeret eos ſequi Joabus, acriter ſe defenſuros; aut, ſequentibus cladem etiam à deſperatis contingere poſſe, unde *Hieronymus* habet: *quòd periculoſa ſit deſperatio*.

Ab inſequendis fratribus ſuis] Ea perſequutio fugientium eò atrocior erat, quòd nulli fierent captivi, ſed omnes occiderentur; nam non audebant Davidis milites in ſervitutem alios Iſraëlitas abducere.

27. *Niſi aliter dixiſſes*] לולי דברת *loule dibbartha*. Dixerat enim Abner velle ſe pugnare, cùm proludium pugnæ petierat; quo peracto, accenſum erat prælium. Sed Abner adhuc ſibi fidens noluerat inducias petere, & Joabus ab eo confeſſionem victoriæ exprimere voluit.

28. *Cecinit buccina*] Juſſit buccinatores receptui canere.

29. *Abner cum ſuis*] *Abner & ejus viri.*

Per campeſtria] בערבה *in planitie*, Jordanem versùs. Abſurdè verterunt LXX. Intt. εἰς δυσμάς, cùm iverit Abner in orientem, ut Gabahone ad Jordanem ſe conferret, eúmque trajiceret.

Bithronis] בתרון *bithron*. Videtur eſſe regio trans Jordanem, juxta orientalem ejus ripam, quàm LXX. vocarunt τὴν παρατείνουσαν. In verſione Latina eſt *Beth-horon*, ſeu *Hieronymus* crediderit ſcribendum בית-חרון, ſeu ita legerit; ſed prava ſine dubio eſt lectio, nec fortè ab *Hieronymi* manu, ſed à Librariis.

Machanajimos] Sedem regni Isboſethi, ut diximus ad v. 8.

30. *Coëgit*] Ut videret qui deſiderarentur.

In Caput III.

1. P*Aullatim invaleſcebat*] *Iens & invaleſcebat.* Vide Gen. VIII, 3.

Paullatim adtenuabatur] *Euntes & tenues.*

3. *Filiæ Thalmaï Geſſuritarum Regis*] Diximus ad Cap. XXVII, 8. ſuperioris libri Geſſuritas vagos fuiſſe populos Arabiæ deſertæ, qui & ad meridiem Judæ, & ad ſeptemtrionem Baſanitidis ortum versùs vagabantur. Credibile autem

Digitized by Google

III. Cùm bellum inter Davidem & Isboſethum traheretur, offendit Isboſethus Abnerum, qui de toto regno in Davidem transferendo paciſcitur; ſed inter hæc occiditur à Joabo, inſcio Davide, qui luctu & funere publico, quod fieri Abnero curat, rem ſe invito factam eſſe teſtatur.

1. Diuturnum bellum fuit, inter familiam Saülis & familiam Davidis; & Da- Caput III.
vid quidem paullatim invaleſcebat, familia verò Saülis paullatim adtenuaba-
tur. 2. Davidi autem nati ſunt filii Chebrone, quorum maximus natu fuit
Amnon Achinohamæ Jizrehelitidis *filius.* 3. Alter fuit Chilabus Abigaïlæ, *quæ fue-
rat* uxor Nabalis Charmelitæ; tertius Abſalomus, filius Mahachæ, filiæ Thalmaïs Ge-
ſuritarum Regis; 4. quartus Adonija, filius Chaggithæ; quintus Sephatja, Abitalæ
filius; 5. ſextus Jithramus, *filius* Heglæ uxoris Davidis. Hi Davidi Chebrone nati
ſunt.
6. Dum bellum eſſet inter familiam Saülis & familiam Davidis, Abner familiæ Saü-
lis conſtanter adhærebat. 7. Saüli autem pellex fuerat, cui nomen Ritſphæ, filiáque
erat Ajæ. Dixit verò *Isboſethus* Abnero: quare congreſſus es cum pellice patris mei?
8. At Abner vehementer iratus, propter verba Isboſethi, an, inquit, videor ego Judæ
caput canis? Hodie benignè me geſſi cum familia Saülis patris tui, & erga ejus conſan-
guineos & amicos, neque te tradidi in manum Davidis; attamen hodie à me repetis
rationem peccati, cum muliere admiſſi. 9. Sic ſe gerat Deus erga Abnerum & ſic *ge-
rere*

tem eſt Davidem Mahacham hanc duxiſſe, cùm Rex Geſſuritarum eſſet ad auſtrum Judæ, ſeu bello captam, ſeu à patre acceptam. Hiſce enim temporibus, jam ſatis confirmatis Hebræorum rebus, non dubitabant filias vicinorum ducere, ut exemplo Salomonis ſatis conſtat, neque internecino odio Chananæos amplius perſequequebantur.

5. *Sextus Jithramus*] Hinc videre licet his temporibus πολυγαμίαν minimè fuiſſe illicitam, quoniam nuſquam exprobatur Davidi, quamvis ſæpiùs repetatur; imò inter beneficia Dei numeratur infrà Cap. XII, 8. Quatuor harum uxorum Chebrone duxit, nam cum duabus tantùm illuc iviſſe Davidem liquet ex C. II, 2.

Filius Heglæ uxoris Davidis] Cùm aliæ non dicantur hìc *uxores* Davidis, quærunt Rabbini, Chriſtianique nonnulli Interpretes cur ſola hoc titulo cohoneſtetur, & volunt fuiſſe Michalam. Sed ſine conſilio ſic vocatam exiſtimarim, cùm in ſimpliciſſimo harum narrationum ſtylo non ſint quærendæ ejuſmodi argutiæ, cúmque alibi ſemper *Michal* vocetur, & in hoc ipſo Capite v. 13. & ſeqq.

6. *Dum bellum eſſet* &c.] Cùm antea 1. Sam. XXIV, 22. juraſſe dicatur David nunquam fore ut exſtingueret familiam Saülis, quærunt Interpretes, quî David bellum cum ea geſſerit, unde ſequi ejus exſtinctio potuit. Sed credibile eſt Davidem bellum Isboſetho nequaquam intuliſſe, ſed tantùm ſibi illatum defendiſſe; eo duntaxat animo, ut regiam dignitatem in ſe à Samuele, juſſu Dei, collatam tueretur, non ut occideret poſteros Saülis, qui ſupererant. Qui ſi poſtea exſtincti ſint, culpâ Davidis factum non eſt.

Familiæ Saülis conſtanter adhærebat] היה מתחזק *erat confirmans ſe.* Quia, nimirum, conſobrinus Saülis fuerat, & eo vivo dux exercituum Iſraëlis. Vide 1. Sam. XIV, 50, 51.

7. *Pellex fuerat*] Quam non ſollemni ritu duxerat, ſed ex qua habebat duos filios. Vide infrà Cap. XXI, 8.

Quare congreſſus es] *Cur ingreſſus es ad pellicem.* Hinc intelligere licet, iis locis & temporibus, contumeliâ viſam affici memoriam Regum ab iis, qui eorum viduas, ſeu legitimas uxores, ſeu pellices ducebant, vel cum iis congrediebantur. Sic Adonijæ factum Abiſagam Sunamitidem petentis ſibi uxorem collocari, quæ concubina Davidis fuerat, crimen capitale à Salomone exiſtimatum eſt. Vide 1. Reg. II, 22. & ſeqq.

8. *An videor ego Judæ caput canis?*] *An caput canis ego qui Judæ*, אשר ליהודה. Duo poſtrema verba omittunt LXX. Intt. vel quòd quid ſibi vellent non intelligerent, vel quòd corrupta cenſerent. Latinus habet, *adverſùm Juda.* Senſus videtur eſſe: an putas me à Judæ Tribu, hoc eſt, à Davidis partibus non pluris fieri quàm caput canis, hoc eſt, contemni, ut ab adverſariis non poſſim benignè excipi, ſi ad eos transfugere velim? Si alius ſit quærendus ſenſus, proverbialem formulam eſſe crediderim, quæ unde originem duxerit neſcimus.

Hodie benignè &c.] Hoc eſt, hactenus familiæ Saülis commodis ſtudui.

Conſanguineos & amicos] Fratres ejus & amicum ejus.

A me repetis rationem &c.] *Et viſitabis ſuper me delictum mulieris hodie?* De verbo פקד *viſitare* diximus ad Gen. XXI, 1. & Exod. XX, 5. *Delictum mulieris* eſt delictum cum muliere commiſſum, pro ambiguitate conſtructionis Genitivi, de qua egimus in Arte Critica P. 2. S. I. C. XII.

9. *Sic ſe gerat Deus* &c.] Quod Abner auderet ita coram Isboſetho loqui oſtendit quantæ eſſet auctoritatis, & quàm ſine eo contemtus fuiſſet Isboſethus; ac proinde quàm imprudenter hic ſe geſſerit, qui rem tantillam, ex moribus eorum temporum, ei exprobrarit, cujus benevolentia uſque adeò indigebat.

rere pergat : *ut* ego præſtabo Davidi quod Jehova juratus ei promiſit ; 10. dum auferam regnum familiæ Saülis, & firmabo ſolium Davidis in Iſraëlem & Judam, à Dane uſque ad Beerſebam. 11. Ne verbum quidem reponere ſuſtinuit Abnero *Iſboſethus*, quia eum timebat.

12. Miſit poſtea Abner nuncios ad Davidem, nomine ſuo, qui dicerent: cujus eſt terra ? adderéntque : paciſcitor mecum, eritque manus mea tecum, ut ad te convertam totum Iſraëlem. 13. *David verò*, rectè, inquit, paciſcar tecum; ſed unum abs te poſtulabo, ne videas faciem meam, antequàm adduxeris Michalam, Saülis filiam, cùm venies ad videndam faciem meam. 14. Miſit *eodem tempore* David legatos ad Isboſethum, Saülis filium, qui *ejus nomine* dicerent: redde mihi uxorem meam Michalam, quam centum præputiis Philiſthæorum deſpondi mihi. 15. Miſit itaque Isboſethus qui eam adimerent viro, Phaltieli, Laïſi filio; 16. qui eam ſequutus eſt flens poſt eam, ad Bachurimos, *ubi* dixit ei Abner: abito, revertere; & reverſus eſt.

17. Fuit autem ſermo Abneri cum ſenibus Iſraëlitarum, his verbis: antehac quæſiviſtis Davidem, ut eſſet Rex veſter. 18. Nunc verò id facite, quandoquidem dixit Jehova de Davide : per Davidem ſervum meum, liberabo populum meum Iſraëlem à Philiſthæis, omnibúſque ejus hoſtibus. 19. Loquutus etiam eſt Abner *in eamdem ſententiam*, audientibus Benjaminitis, ivitque ut diceret, audiente Davide, Chebronem, quid-

Præſtabo Davidi quod Jehova &c.] *Quod ſicut juravit Jehova Davidi, quod ſic faciam ei.* Ad hoc promiſſum, quod quando & à quo editum fuerit non prodidit Hiſtoria Sacra, adluditur etiam Pſal. LXXXIX, 4, 36, 50. & Pſal. CXXXII, 11. At mirus homo fuit Abner, qui hîc jurat ſe effecturum ut quod Deus, interpoſito jurejurando, promiſerat Davidi eveniret; quaſi Deus ejus opera indiguiſſet, ad præſtanda ſua promiſſa; aut quaſi poſſet Abner impedire, ne faceret, quando videretur, quod ſtatuerat. Eò ſtultiora ſunt verba quòd ſatis notum eſſet, eventus à Deo jurante promiſſos neceſſariò contingere, nec fidem à Deo ſic datam umquam revocari. Ut levi de cauſa, pro moribus hominum & temporum, eum caſtigarat Isboſethus: ita & ipſe Abner levem ob caſtigationem miſero Regi turpiter minatur, & pravam ob rationem Dei promiſſis exſequutioni mandandis ſubſerviturum ſe teſtatur. Sed militares homines non ſatis expendunt quid dicant, nec videtur Abner melior Saule patruele fuiſſe.

10. *A Dane uſque Beerſebam*] Ab ultimis finibus ſeptemtrionalibus ad meridianos.

12. *Nomine ſuo*] תחתו thahhthau, *ſub ſe*, hoc eſt, *pro ſe*, ut rectè Vulgatus; nam תחתו eſt *loco ſuo*. Vide apud *Chr. Noldium* ſign. 6. Hic locus, quamvis in Hebraïcis nihil obſcuri contineat, oſtendit, in verſione LXX. Intt. quàm vitioſo codice Hebræo uſi ſint, & quàm ipſa verſio corrupta fuerit. Itaque quamvis de eo jam dixerimus *Quæſt. Hieronymianâ* II, 17. paullò diſtinctiùs rem hîc exponemus. Habent ergo LXX. Intt. Ἀπέστειλεν Ἀβεννὴρ ἀγγέλους πρὸς Δαυὶδ ΕΙΣ ΘΑΙΛΑΜ ΟΥ ΗΝ ΠΑΡΑΧΡΗΜΑ λέγων. Sic eſt in Codd. Romano & Aldino. In Alexandrino ſimilia legas, niſi quod eſt ΘΗΛΑΜ ΟΥ ΓΗΝ. Complutenſis editio hæc quaſi vitioſa, & à librariis deliris nata delevit. Eſt tamen antiqua lectio, ut liquet ex *Euſebio* & *Hieronymo* de locis Hebraïcis : Θηλαμουγῆ, ἔνθα ἀπέστειλεν Ἀβεννὴρ πρὸς Δαβίδ. Ἀκύλας παραχρῆμα, Σύμμαχος, ἀνθ' ἑαυτοῦ: *Telamuge, locus in quo Abner miſit ad David; ſed ſciendum quod pro hoc verbo, Aquila interpretatur* extemplo, *Symmachus* pro ſemet ipſo.

Ex his verbis colligere eſt primò, ex *Aquila* deſumtam eſſe vocem παραχρῆμα, quæ non erat in LXX. Intt. Codicibus, & qua ille vocem תחתו *thabhthau* verterat; deinde fuiſſe lacunam & mendum in Codice Hebraïco LXX. Interpretum, circiter hoc modo: ת...למי ארץ quas litteras ſic legerunt : *thlamou erets*, vertéruntque ΘΗΛΑΜΟΥ ΓΗΝ, unde factum eſt Θηλάμ οὗ ἦν, vel οὗ γῆν ab editoribus, qui non capiebant quid ſibi hæ ſyllabæ vellent, & malè vocabula diſtinguebant, nam in antiquiſſimis Codicibus cohærent omnia, nec ullis accentibus diſtinguuntur. Sic dum volunt emendare quod non intelligunt, turpiùs verſionem corruperunt, quàm erat.

Cujus eſt terra] למי ארץ *lmi erets.* Eſt interrogatio ſine reſponſione, ſed quæ facilè ex ſequentibus ſuppletur, hoc modo ; *cujus eſt terra Iſraëlitis?* Ejus, nimirum, cui ego dux exercituum favero. Itaque *paciſcitor mecum, eritque manus mea tecum, ut ad te convertam totum Iſraëlem.* Qui ſenſus convenientior eſt verbis, quàm is, quem iis tribuunt qui volunt Abnerum hîc agnoſcere jus Davidis.

Adderéntque] Hîc iterum eſt לאמר *lemor*, ut tertio ante hoc vocabulo.

12. *Paciſcitor*] *Scinde fœdus.*

Eritque manus mea] Hoc eſt, te adjuvabo ad univerſum Populum Hebræum tibi conciliandum, perſuadendúmque, ut te Regem eligat. Deſcribuntur hîc nuncii, ab Abnero miſſi, ita loquentes, ut ipſe præſens loquutus fuiſſet, pro more Linguæ Hebraïcæ. Vide ad Exod. XVIII, 6. & infrà v. 14.

Ad te convertam] להסב אליך *lehaſeb elecha.* LXX. Intt. ἐπιστρέψαι πρὸς σε. Vulg. *& reducam ad te.* Vid. 1. Reg. XVIII, 37.

13. *Michalam Saülis filiam*] Quam pater ejus contra jus & fas alii collocarat. Vide 1. Sam. C. XXV, 44.

14. *Redde mihi*] *Da mihi.* Hebræi, nimirum, carent compoſitis, ſimpliciáque horum loco uſurpant. Petebat autem David ſibi reddi Michalam, non quòd uxore indigeret, qui tot alias habebat; ſed quia, eâ ratione ejus contemtus, quem oſtenderat Saül, datâ alii uxore quam ei prius

Digitized by Google

quidquid viſum fuerat Iſraëli, & toti familiæ Benjaminis. 20. Venit & poſtea Abner
ad Davidem Chebronem, cum viginti viris, Davidque Abnerum & qui cum eo erant
convivio excepit. 21. Dixit dein Abner Davidi: ſurgam, abibo, & congregabo univer-
ſum Iſraëlem ad dominum meum Regem, fœdus tecum faciet & regnabis in omnes,
prout cupis. Dimiſit ergo David Abnerem, & incolumis abiit.
22. Ecce verò ſervos Davidis & Joabum, qui veniebant à globo latronum & prædam
multam ſecum adducebant; nec Abner ampliùs erat cum Davide Chebrone, nam eum
dimiſerat, & incolumis abierat. 23. Cùm verò Joabus & omnis exercitus, qui cum
eo erat, veniſſent, fuerunt qui nunciarent Joabo, dicerentque, Abnerum, Neri fi-
lium, veniſſe ad Regem, qui eum dimiſerat, ita ut incolumis abiiſſet. 24. *Quo* audito,
ivit Joabus ad Regem, cui dixit: quid feciſti? En venit Abner ad te, cur ſic eum di-
miſiſti, ita ut abierit? 25. Noſtine Abnerum, Neri filium, ad te veniſſe, ut te deci-
peret, útque cognoſceret exitum & introïtum tuum, ac ſciret quidquid facis? 26. Tum
egreſſus à Davide Joabus miſit nuncios poſt Abnerum, qui eum, Davide inſcio, à ci-
ſterna Siræ, reduxerunt. 27. Reverſus itaque eſt Abner Chebronem, eúmque ſeduxit
Joabus, ut ſubdolè hominem alloqueretur, in mediam portam; ubi eum ad coſtas vul-
neravit, mortuúſque eſt, propter Haſahelis fratris ejus cædem.
28. Rem poſtea audivit David, nec reus ſum, inquit, ego, nec regnum meum, apud
Je-

priùs collocarat, veluti eluebatur, & fortè etiam ejus intererat Hebræos in memoriam revocare fuiſſe eum Regis generum, & filiam Regis etiamnum in matrimonio habere, quò faciliùs Regem eum ſibi eſſe paterentur.

Centum præputiis &c.] Centum tantùm præputia poſtulaverat Saül 1. Sam. XVIII, 25. Sed ducenta numeraverat David, ut liquet ex v. 27.

15. *Phaltieli*] 1. Sam. Cap. XXV, 44. non פלטיאל *phaltiel*, ſed פלטי *phalti* dicitur, fortè mendosè; ut, judicibus Maſſorethis, pater ejus qui illic ליש *lajiſch*, hîc לוש *louſch* mendosè in textu dicitur.

16. *Qui eam ſequutus eſt*] *Et abiit cum illo vir ejus, eundo & flendo.*

Bachurimos] Vide Cap. XVI, 5. Locus fuit Jeroſolimâ minimè diſſitus.

17. *Antehac*] *Etiam heri, etiam nudius tertius.* Etiam ſub Saüle, cujus ſævitiam oderant. Vide 1. Par. XII, 2. & ſeqq.

18. *De Davide*] אל־דויד. Rectè LXX. Intt. περὶ Δαυίδ, non *ad David*, ut habet Vulgatus, nam Davidem ipſum non alloquitur Deus. Vaticinium eſt aut Samuelis, ut putabat *Joſephus*, aut aliùs Prophetæ, de Davide, de quo vaticinio nihil alibi. Sed fuere, ſine dubio, multa vaticinia, quæ litterarum monumentis mandata non ſunt.

Liberabo] הושיע *hoſchiah*. Sic ſcribitur Præteriti perſona tertia, ſed eſt prima Futuri אושיע *oſchiah*. Aliquando Futurum ita ſcriptum, quod nimiam ambiguitatem crearet, non puto, ſed mendum eſſe Librarii; qualia ſunt multa à Maſſorethis notata, & multa ſine dubio omiſſa.

19. *Audientibus Benjaminitis*] *In auribus Benjamin.*

Quidquid viſum fuerat] *Omne quod bonum fuerat in oculis.*

21. *Fœdus tecum faciet*] Non pacem tantùm, ſed leges proponet, quibus te Regem accipiet.

In omnes prout cupis] *In omnes quos* (בכל אשר) *cupiet anima tua.* Sed אשר *aſcher*, videtur eſſe pro כאשר chaaſcher, *ut.* Alioqui legi poſſet ככל *chechol*, *per omnia ut cupit anima tua.* Quod genus loquendi frequens eſt.

Incolumis] *In pace*, quod præter incolumitatem videtur ſignificare pacata ei fuiſſe conſilia, pacatúmque erga eum Davidis animum.

22. *A globo latronum*] מהגדוד *mehaggedoud*; quæ vox globum latronum ſignificat, ut diximus ad 1. Sam. XXX, 8. Intelligitur globus latronum, aut Philiſthæorum, aut Arabiæ incolarum; qui cùm prædas ex viciniis, Hebræiſque egiſſet, cæſus & præda exutus erat à Joabo. LXX. Intt. hîc habent ἐκ τῆς ἐξοδίας *ab excurſione*, quaſi ipſi milites Davidis dicerentur hîc גדוד *gedoud*, quòd iviſſent ad vaſtandum, diripiendúmque agrum hoſtium populi Hebræi. *Hieronymus* contrà, *cæſis latronibus*, ita ut גדוד dicantur latrones è vicinia; quod ſequuti ſumus. Vide 1. Sam. XXX.

23. *Fuerunt qui nunciarint*] *Et Joab — venerunt, & nunciarunt Joabo, dicendo: venit Abner* &c.

Qui eum dimiſerat] *Et eum dimiſit & abiit in pace.*

24. *Ita ut abierit*] *Et abiit eundo*, hoc eſt, nemo obſtitit quominùs abiret, quà vellet celeritate.

25. *Exitum & introitum tuum*] Hoc eſt, ut ſequitur, quidquid facis. Loquutio eſt frequens.

26. *Davide inſcio*] *Et David neſciebat.*

Ciſterna Siræ] *Joſephus* remotum hunc locum Chebrone viginti ſtadiis ait, Lib. VII. c. 1.

27. *Seduxit*] *Declinare fecit*, ſeorſim duxit.

Subdolè] בשלי *baſſcheli*. LXX. Intt. ἐνεδρεύων, & Vulgatus, *in dolo*; quaſi, nempe, quidpiam neceſſarium cum eo vellet communicare.

Ad coſtas] החמש *hachomeſch*, de qua voce vide not. ad Cap. II, 23.

Propter Hazahelis &c.] Hoc quidem facilè crediderim initium fuiſſe odii Joabi in Abnerum, ſed non parum confirmatum eſſe putarim metu ne ille potiorem gratiæ locum apud Davidem obtineret & dux exercituum fieret. Ita ſentiebat etiam *Joſephus*, in hac hiſtoria.

28. *Nec reus ſum* &c.] *Innocens ego & regnum meum à Jehova, in perpetuum, à ſanguinibus Abneri.*

29. *Re-*

Jehovam in perpetuum cædis Abneri, Neri filii. 29. Recidat in caput Joabi, & omnis fa-
miliæ patris ejus, neque deſit ex domo Joabi fluxu laborans, aut leproſus, aut ſcipioni in-
ſiſtens, aut gladio cadens, aut panis egenus. 30. Joabus quidem & Abiſais occiderunt Abne-
rum, quia occiderat ad Gabahonem Hazahelem eorum fratrem, in prælio. 31. David verò
Joabo, & univerſo, qui cum illo erat, populo, lacerate, inquit veſtes veſtras, vóſque cingite
ſaccis & plangite propter Abnerum. David etiam Rex ſequutus eſt lectum. 32. Sepelierunt
Abnerum Chebrone, Réxque ejulavit, ad ſepulcrum Abneri, & flevit omnis populus. 33. La-
mentationem etiam Rex compoſuit ſuper Abnero & dixit: an ut moritur ſtultus, mortuus
eſt Abner? 34. Manus tuæ vinctæ non fuerunt, neque pedes tui æneis compedibus juncti,
cùm cecidiſti; *ſed* in conſpectu injuſtorum cecidiſti. Perrexitque totus populus eum deflere.
35. Tum ivit omnis populus ad perſuadendum Davidi ut cibum ſumeret, cùm eſſet etiam-
num dies; ſed juravit David, his verbis: ita ſe gerat erga me Deus & ita *ſe gerere* pergat: ut
antequàm ſol occiderit, nec panem, nec aliud quidquam guſtabo. 36. Hoc populus omnis
reſcivit, placuitque populo quidquid Rex fecerat. 37. Intellexit hinc totus populus Judæ &
omnis Iſraël, die illo, à Rege non eſſe *profectum* ut occideretur Abner, Neri filius. 38. Dixit
etiam Rex ſervis ſuis: annon ſcitis ducem & magnum *virum* hodie in Iſraële cecidiſſe?
39. Ego verò nunc infirmus ſum, & unctus Rex; at filii iſti Tſerujæ duriores ſunt, quàm
ferunt res meæ. Jehova malefico, pro ejus malitia, pœnas rependat.

IV. Mor-

29. *Recidat*] יחולו *jabhoulou*, hoc eſt, *manebunt*, ſic enim verbum חול aliquando ſumitur, ut Jerem. XXX, 23.

Omnis familiæ patris ejus &c.] Præſtitiſſet pœnas ſumere de ipſo Joabo, prout leges jubebant; quàm malè precari ejus familiæ, ut reus alienis malis plecteretur. Sed potentior erat Joabus, & nimis utilem operam Davidi navabat, quàm ut eo carere poſſet.

Fluxu laborans] זב *zab*. Gonorrhœam patiens; qui fœdus morbus, & Hebræis ſalacioribus frequens.

Scipioni inſiſtens] מחזיק בפלך *tenens bacillum*, hoc eſt, cæcus, claudus, infirmus, qui omnes ſcipione utuntur. *Aquila*, teſte *Procopio*, τυφλὸν interpretatus erat.

30. *Quia occiderat*] Ut credi volebant; nam aliud latebat, ut rectè *Joſephus*, cujus hæc ſunt verba: τελευτᾷ μὲν Ἀβεννηρος τοῦτον ἐνεδρευθεὶς τὸν τρόπον ὑπὸ Ἰωάβου, ὡς μὲν αὐτὸς ἔλεγε, τιμωρήσαντος Ἀσαήλῳ τῷ ἀδελφῷ ὃν διώκοντα βαλὼν Ἀβεννηρος ἀπέκτεινεν, ἐν τῇ περὶ τὴν Χεβρῶνα (imò Γαβαῶνα) μάχῃ· ὡς δ' ἡ ἀλήθεια εἶχε δείσαντος περὶ τῆς στρατηγίας, καὶ τῆς παρὰ τῷ βασιλεῖ τιμῆς, μὴ ταύτης μὲν αὐτὸς ἀφαιρεθῇ, λάβοι δὲ παρὰ Δαβίδου τὴν πρώτην τάξιν Ἀβεννηρος: *hoc modo Abnerus inſidiis exceptus à Joabo moritur, qui, ut ipſe quidem dicebat, ultus fuerat fratrem Aſaëlem, quem perſequentem occiderat Abenerus, in prælio ad Gabahonem; re autem verâ, quòd timeret de imperio in exercitum, déque honore apud Regem, ne hiſce privaretur ipſe, & primum honoris locum à Davide Abenerus acciperet.* Ἔμελλε γὰρ αὐτῷ, ait *Joſephus*, μὴ δόξῃ παρὰ τὰς πίστεις καὶ τοὺς ὅρκους οὓς ἔδωκεν Ἀβεννήρῳ, τοῦτον διεργάσασθαι: *curæ enim illi erat, ne videretur, præter fidem & jusjurandum quod dederat Abenero, eum occidiſſe.* Quod eò periculoſius, quòd Joabum homicidam ducem exercitûs ſui, in eodem honore haberet.

31. *Joabo* &c.] Res in Joabo per ſe abſurda erat, quî enim ſeriò lugere poterat, quem ipſe ex inſidiis adortus occiderat? Sed David omnes, nemine excepto, ne Abneri quidem occiſore, volebat lugere; ut oſtenderet, ſe non modo inſcio, ſed & invito hanc factam fuiſſe cædem; timebat enim, & quidem meritò, ne crederent Iſraëlitæ ejus juſſu occiſum eſſe Abnerum, quia hominem tam potentem, & adverſariæ factionis principem, reconciliatum licèt, intereſſe videbatur non ampliùs poſſe nocere. Huc accedebat quòd David violatæ fidei, quo ſcelere nullum tetrius, ſuſpectus eſſe poterat Iſraëlis, quorum animi ab eo alienati fuiſſent.

Lectum] המטה *hammittah*. Moris hoc quoque fuiſſe, ut honorati viri lectis efferrentur, apud Romanos, nemo neſcit. Ea de re vide *Joan. Kirchmannum* de Funeribus Romanorum Lib. II. c. 9. Sed cùm Hebræi cadavera comburere non ſolerent, oportet è lecto in ciſtam fuiſſe tranſlata. Negat *Maimonides* Hal. de Regibus cap. 3. Reges proſequi funus ſolitos, ſed confutatur hoc loco; nec fides ulla adfirmantibus Magiſtris, de rebus tam antiquis haberi poteſt, ſine rationibus.

32. *Ejulavit*] *Suſtulit vocem ſuam & flevit.* Fortè interceſſerat olim amicitia Davidi cum Abnero; ſed ita lugentium lacrimæ, honoris tantùm causâ, ſolebant profundi.

33. *Stultus*] נבל *nabal*, de qua voce vide not. ad 1. Sam. XXV, 25. Inſanum intelligit, qui violentis moribus necem ſibi conſciviſſet. Nomen proprium eſſe putarunt LXX. Intt. qui habent Ναβάλ, quaſi prior vir Abigaïlæ intelligeretur; perperam. *Hieronymus: ut mori ſolent ignavi.*

34. *Manus tuæ* &c.] Hoc eſt, non es abductus in captivitatem & in vinculis ab hoſtibus occiſus, ſed ab iis qui ſe amicos tibi fingebant.

Injuſtorum] *Filiorum injuſtitiæ.* Joabi & Abiſaïs, qui incautum occiderant, & contra quos potuiſſet ſe defendere, ſi rem ſuſpicatus eſſet.

35. *Ad perſuadendum Davidi, ut ſumeret*] להברות את דוד לחם, *ad faciendum Davidem comedere panem.*

Cùm eſſet etiamnum dies] Solebant autem uſque ad veſperam jejunare, in vero luctu. Vide Cap. I, 12.

36. *Placuitque populo*] Quod potiſſimùm ſpectabatur à Davide, qui ſe conſcium cædis non fuiſſe omnibus oſtendere volebat.

39. *Infirmus ſum*] רך *rach*, hoc eſt, nondum ſatis in regno firmus, ut poſſim pœnas ſumere de homicida, viro potente & militibus grato.

In-

IV. Morte Abneri conſternatur Isboſethus, qui à duobus ducibus exercitûs ſui occiditur; qui cùm obtruncati caput ad Davidem tuliſſent, capitis pœnas dant, dum honorificè ſepelitur Isboſethi caput.

1. CUM audiviſſet Saülis filius mortuum eſſe Abnerum Chebrone, tum verò remiſ- Caput IV.
ſæ ſunt ejus manus, totúſque Iſraël perterritus. 2. Duo autem erant duces copiarum filio Saülis, quorum uni quidem nomen fuit Bahanæ, alteri verò Rechabo. Filii *erant* Rimmonis Beerothitæ, è Benjaminitis; nam Beerothæ Benjaminis cenſeri debent.
3. Confugerant autem Beerothitæ Gitthajimos, ibique inquilini ad hunc uſque diem fuerunt.
4. Jonathani, Saülis filio, fuit quidem filius, ſed *utroque* pede claudus; quia cùm quinque annos natus eſſet, rumor de Saüle & Jonathane venit Jizrehele, quamobrem abſtulit eum nutrix & fugit, cúmque feſtinaret fugere, cecidit *puer* & claudus factus eſt. Nomen ei erat Mephiboſetho.
5. Iverunt autem filii Rimmonis Beerothitæ, Rechabus & Bahana, ingreſſique ſunt per calorem diei domum Isboſethi, dum meridie in lecto jaceret.
6. Ingreſſi ergo ſunt in mediam uſque domum, *quaſi* accepturi frumentum, vulneraruntque cum ad

Innuit ſe, ſi potuiſſet, pœnas de Joabo ſumturum fuiſſe, quod poſtea fecit Salomo. LXX. Intt. habent *συγγενὴς*, quaſi pro רך legiſſent אח *ahh*, frater, quod quemvis conſanguineum ſignificat. Ac ſanè erat David avunculus filiorum Tſerujæ, quæ ejus ſoror erat. Latinus, *delicatus*, quæ vox quidem infirmum ſignificat; ſed non quadrat in militarem hominem, qualis erat David.

Unctus Rex] Sed nondum à toto Iſraële ſalutatus, ideóque nondum ſatis firmus, ut poſſim reos quoſvis plectere.

Duriores ſunt, quam ferunt] *Duriores quàm ego.* Nimis violenti ſunt, quàm res meæ ferunt, & fortè etiam nimis potentes, quàm ut pœnas de iis poſſim exigere. Sic interpretatur *Joſephus*.

In Caput IV.

1. *Remiſſæ ſunt ejus manus*] Eſt loquendi genus, quo Hebræi dejectionem animi, deſperationémque ſignificant, metaphorâ ex corpore deſumtâ; quo nimis fatigato, aut infirmo, *remittuntur manus*, nec quidquam, quod viribus indigeat, perficere poſſunt. Vide 2. Par. XV, 7. Eſai. XIII, 7. Igitur vult Scriptor Sacer Isboſetho poſtea defuiſſe animum, nec quidquam ampliùs auſum, mortuo Abnero; qui fuerat unicum fulcrum domûs Saülis, & quo ſublato, eam corruere neceſſe erat.

2. *Duces copiarum*] שרי גדודים *ſchare gdondim*, principes agminum. Fortè præfecti erant copiis quibuſdam, quibus ad excurſiones potiſſimum utebatur. Hinc *principes latronum* Vulgato dicuntur. Vide Cap. III, 22.

Beerothitæ] De urbe Beerothis, ſic *Euſebius* Βηρὼθ ὑπὸ τὴν Γαβαὼν, καὶ ἔτι νῦν κώμη πλησίον Αἰλίας ἀπιόντων ἐπὶ Νεάπολιν, ἀπὸ ζ. σημείων. *Hieronymo* interprete: Beeroth, *ſub colle Gabaon. Oſtenditur hodieque villa ab Ælia pergentibus Neapolin, in ſeptimo lapide.*

Benjaminis] Additur hoc, ut hi homines intelligantur non tantùm præfecti fuiſſe copiis Saülis, ſed etiam ejus tribules, ac proinde ſingulari ratione cum familia Saülis, itidem Benjaminitica, conjuncti. Credibile eſt Saülem, dum vixit, beneficia plura contuliſſe in tribules ſuos Benjaminitas, in quorum agro vivebat, quàm in ceteros Hebræos, ac proinde ab iis ſuo jure majorem fidem erga ſe & ſuos exſpectare potuiſſe. Igitur hæc præmittuntur, ut conſtet quàm fœda fuerit Bahanæ & Rechabi in Isboſethum perfidia, & quàm digni ſupplicio, quod de iis ſumſit David, eſſent.

Cenſeri debent] Certum hoc eſt, ut liquet ex Joſ. XVIII, 25. ſed videtur addi à Scriptore Sacro, quia erant eo tempore qui eam urbem Judæ Tribûs, Benjaminiticæ illac vicinæ, eſſe perperam dicebant. Alioqui nulla fuit ratio dicendi: בארות תחשב על בנימן *Beeroth cenſebitur* (hoc eſt, cenſeri debet) *ad Benjaminem*; qui enim volunt à Philiſthæis poſſeſſam, non ſatis ejus ſitum attenderunt. Numquam, poſt Davidis tempora, oppida Jeroſolimæ propinqua poſſederunt.

3. *Confugerant Beerothitæ Gitthajimos*] Suſpicantur viri docti hos fugiſſe, occiſo Saüle, trans Jordanem, ubi putant fuiſſe urbem גתים *gitthajim*, cui cognominis alia fuit in Benjaminitica Tribu, ut liquet ex Nehem. XI, 33. Vide *Jac. Bonfrerium* ad *Gethaim*.

4. *Utroque pede claudus*] *Percuſſus pedibus*, רגלים *raglajim*. Voce Homericâ, ἀμφιγυήεις. Hæc adduntur ut intelligat Lector in homine, licèt fratris filio, nihil præſidii fuiſſe Isboſetho, propter infirmitatem crurum. Eo enim tempore, Reges Hebræorum equis, aut curribus vehi non ſolebant, uti nec eorum conſanguinei.

5. *Per calorem diei*] *Ut incaleſceret dies.*

Meridie in lecto jaceret] *Et ille cubans in lecto meridiei*; hoc eſt, in lectulo in quo meridiari ſolebat, ut fit in calidioribus regionibus. Hinc *Joſephus* habet μεσημβρίζοντα καὶ κοιμώμενον, *meridiantem & dormientem*.

6. *Ingreſſi ergo ſunt in mediam uſque domum, quaſi accepturi frumentum*] והנה באו עד תוך הבית לקחי חטים. Quæ verba nihil habent difficile, aut obſcurum, niſi quòd neſciamus cui uſui eſſet frumentum, quod veluti capturi ibant duces excurſionum. Sed nihil vetat intelligi frumentum, quod militibus dividerent, & quod ſervabatur in media domo, in qua Machanajimis Isboſethus habitabat. Attamen LXX. Intt. verterunt

ad coſtas, & Rechabus ac Bahana frater ejus evaſerunt. 7. Cùm ingreſſi ſunt domum, recumbebat in lecto, in cubiculo ſuo, eúmque ferierunt, interfecerúntque & avulſerunt caput ejus; quo ſecum ſumto, per viam planitiei totâ nocte iter fecerunt. 8. Tum adtulerunt caput Isboſethi ad Davidem Chebronem, dixerúntque Regi: en caput Isboſethi, filii Saülis inimici tui, qui te occidere conatus eſt; quamobrem Jehova domino meo Regi hodie ultionem de Saüle, ejúſque prole dedit.

9. Reſpondit verò David Rechabo & Bahanæ fratri ejus, filiis Rimmonis Beerothitæ, eiſque dixit: *Ut* vivit Jehova, qui me ab omnibus anguſtiis liberavit: *ſic* eum qui mihi nunciavit mortuum eſſe Saülem (is autem ſibi videbatur fauſta nunciare) adprehendi & occidi Tſiklagi, ut boni nuncii pretium ei perſolverem. 11. Atqui *hîc ſunt* homines rei, qui virum innocentem domi ſuæ, in cubili ſuo, trucidarunt; nonne ergo repetam rationem cædis ejus à vobis, vóſque è terris tollam? 12. Mandata ergo dedit David juvenibus, qui interfecerunt eos, præciderúntque iis manus ac pedes, & ſuſpenderunt ad piſcinam Chebrone. Sed caput Isboſethi ſumtum ſepelierunt Chebrone, in ſepulcro Abneri.

V. Om-

terunt hîc mirâ ratione: καὶ ἰδοὺ ἡ θυρωρὸς τοῦ οἴκου ἐκάθαιρε πυροὺς καὶ ἐνύσταξε καὶ ἐκάθευδε. Erat in antiqua verſione Latina: *& ecce oſtiaria domûs purgabat triticum, & dormiturivit & dormiebat.* Poſtea emendatione *Hieronymi*, hæc verba eorum loco poſita ſunt: *ingreſſi ſunt latenter, adſumentes ſpicas tritici.*

Hieronymus hoc voluit, ut Rechabus & Bahana ignoti poſſent domum ingredi, eos faſciculis ſpicarum onuſtos ingreſſos eſſe, quaſi in horreum eos illaturos. Sed *ſpicarum* nulla in Hebraïcis mentio, neque hoc munus erat ducum excurſionum. Attamen hæc ſola verba legi debebant in ejus verſione, non ſimul cum ſuperioribus, quæ ſunt tranſlatio eorumdem verborum Hebræorum, ſed aliter lectorum, & auctorum aliquot vocibus, in exemplari LXX. Interpretum. Legerunt, nempe: והנה הפקודה על תוך הבית לוקטת חטים תישן ותרדם *& ecce præfectu oſtio* (nam תוך vertunt θυρωρὸν Eſ. LXVI, 17.) *domûs legens triticum dormitavit & dormivit.* Scimus quidem fuiſſe ancillas, quæ in privatorum ædibus ſervabant oſtium, quod liquet ex Act. XII, 17. ubi vide Interpretes. Sed Regem, eo tempore, quo ſibi metuebat à Davide, ancillæ, eique triticum purganti oſtium regiæ ſervandum commiſiſſe, credibile non eſt. *Joſephi* tamen tempore ſic legebatur in verſione Græca, cùm ita habeat in hac hiſtoria: εὑρόντες μήτε τοὺς φύλακας παρόντας, μηδὲ τὴν θυρωρὸν ἐγρηγορυῖαν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν ὑπό τε τοῦ κόπου καὶ τῆς ἐργασίας ἧς μετεχειρίζετο καὶ τοῦ καύματος εἰς ὕπνον κατενεχθεῖσαν: *cùm nec inveniſſent cuſtodes præſentes, neque janitricem vigilantem, ſed & ipſam præ labore & opere quod faciebat & æſtu in ſomnum delapſam.*

Ad coſtas] אל החמש *el habhomeſch*, de qua voce vide not. ad Cap. III, 23.

Evaſerunt] נמלטו *nimletou*. LXX. Intt. διέλαθον, quaſi legiſſent נלאטו *nslaaton*.

7. *In cubiculo*] *In penetrali lecti.*

Per viam planitiei] Quæ juxta ripam orientalem Jordanis porrecta erat, à Machanajimis ad Jerichuntem, quâ trajiciendus erat Jordanes, ut Chebronem venirent.

8. *Te occidere conatus eſt*] *Quæſivit animam tuam.* Vide ad 1. Sam. XXII, 23.

9. *Me ab omnibus anguſtiis liberabit.*] *Qui redemit* (פדה) *animam meam ab omni anguſtia.* Verùm *anima mea* idem eſt ac *ego*, ut alibi paſſim, deinde *redimere* hîc eſt *liberare*, ut res ipſa docet. Vide Pſal. XLIX, 8, 9, 16. Sic & apud Latinus interdum *redimere* eſt ſimpliciter *liberare*. *Ovidius* de remedio amoris.

Ut corpus redimas, *ferrum patieris & ignes.*

Juvenalis Sat. IV.

Ecce iterum Criſpinus & eſt mihi ſæpe vocandus
Ad partes, monſtrum nullâ virtute redemtum
A vitiis.

LXX. Intt. verterunt ad verbum, ἐλυτρώσατο τὴν ψυχήν μου, ſed maluimus ſenſum ſequi, ne Latinè tantùm ſcientes hîc quærerent liberationem animi à vitiis, pœnîſve iis debitis, Deo à contumacibus ſolvendis.

Qui mihi nunciavit mortuum eſſe Saülem] *Nuncians mihi dicens, ecce mortuus eſt Saül.*

Sibi videbatur] *Erat quaſi nuncians fauſta in oculis ſuis.*

Adprehendi & occidi] David dicit ſe feciſſe quod juſſit ab alio fieri. Vide Cap. I, 15. Sic ſæpe aliàs cauſæ præcipuæ ratio tantùm habetur, non inſtrumenti. Obſervandum circumſtantiam hîc omitti, quæ neceſſariò eſt animo ſupplenda; quòd, nempe, qui nunciabat mortem Saülis, præterea hominem à ſe occiſum eſſe diceret; quod niſi dixiſſet, non potuiſſet niſi injuſtè occidi. Sic paſſim, niſi quidpiam ſuppleas, ſenſum Scripturæ non adſequeris; nec proinde mirandum ſi quid ſuppleatur, ubi res ipſa aliquid intelligi, quod expreſſum non eſt, neceſſariò poſtulat.

Ut boni nuncii pretium &c.] אשר לתתי לו בשרה *cui ut darem ego evangelia.* ᾧ ἔδει με δοῦναι εὐαγγέλια, ut rectè habent LXX. Intt.

11. *Rei*] רשעים *rſchahim*, hoc eſt, cædis ſontes; quod dicit David, ut hoſce opponat Hamalekitæ, qui, licèt accuſator ſui ipſius fuiſſet, reus tamen non erat mortis Saülis, ut poſtea intellexit David.

Innocentem] צדיק *tſadik*, quod *juſtum* quidem ſignificat; ſed pro *innocente* ſumitur, ubi reo opponitur. Nihil mali enim Isboſethus de Rechabo & Bahana meritus erat. Alioqui planè innoxius non erat Isboſethus, qui Dei judicio de Davide adverſabatur; neque enim ignorabat eum à Samuele Dei juſſu fuiſſe unctum, variáque vaticinia de eo, quaſi in totum Iſraëlem regnaturo, edita. Sed David hoc ei ignoſcebat, propter

V. Omnes Iſraëlitæ regnum deferunt Davidi, qui arcem Sionis oppugnat & capit. Chiramus, Tyriorum Rex, amicitiam ejus ambit. Davidis uxores, pellices & liberi. Felicia ejus cum Philiſthæis bella.

CAPUT V.

1. VENERUNT deinde omnes Tribus Iſraëlis ad Davidem Chebronem, cúmque
in hæc verba alloquutæ ſunt: En, oſſa tua & caro tua ſumus. 2. Etiam an-
tehac, cùm Saül Rex noſter eſſet, tu educebas & reducebas Iſraëlem, dixit-
que tibi Jehova: tu paſces populum meum Iſraëlem, tu eris dux Iſraëlis. 3. Vene-
runt poſtea omnes ſenes Iſraëlis Chebronem, cúmque iis Chebrone fœdus feriit Rex
David, coram Jehova, & unxerunt Davidem in Regem Iſraëlis. 4. Triginta annos
natus erat David, cùm regnare inciperet, & per quadraginta quidem annos regnavit.
5. Chebrone regnavit in Judam, per ſeptem annos & ſex menſes; Jeroſolimæ verò
regnavit per triginta tres annos, in totum Iſraëlem & Judam.

6. Ivit

propter jusjurandum Saüli datum, 1. Sam. XXIV, 23.

Repetam rationem cædis] *Requiram ſanguinem ejus è manu veſtra.* Præterquàm quòd hi viri Regi bene de ſe merito malam gratiam retulerant, & homicidii rei erant, David volebat oſtendere eam cædem ſuo juſſu non eſſe factam; cùm præter rei fœditatem, tum etiam quia nolebat violati jurisjurandi ſuſpectus eſſe.

12. *Præcideruntque iis* &c.] Ut exemplo deterrerentur quicumque Reges innoxios occidere cuperent. Sic ſæpe ſucceſſores occiderunt, eos à quibus anteceſſores ſui è medio ſublati fuerant, quamquam eorum operâ dignitatem regiam erant adſequuti; propter exempli pravitatem, quod in quosvis reges redundare poterat. De Davide poſſis dicere quod de Alexandro Macedone, pœnas à Beſſo interfectore Darii repetente, dixit *Juſtinus* Lib. XII. c. 6. Reputabat *non tam hoſtem ſuum fuiſſe Darium* (dic, Isboſethum) *quàm amicum ejus à quo eſſet occiſus.* Vide & *Curtium* Lib. VII. c. 5.

In CAPUT V.

1. IN *hæc verba alloquutæ ſunt*] *Et dixerunt dicendo.*

En, oſſa tua & caro tua] Non debes nos quaſi hoſtes aut alienos habere, quòd non ſimus tribules tui; nam quamvis ex aliis Tribubus, conſanguinei tamen tui ſumus, cùm Tribus omnes ab Jacobo oriundæ ſint. Timebant, nempe, aliæ Tribus, ne, quia Saülis partes ſequutæ erant, David eas hoſtium loco haberet. De loquutione *oſſa tua & caro tua*, vide not. ad Gen. II, 24. XXIX, 14.

2. *Etiam antehac*] *Etiam heri, etiam nudius tertius.*

Tu paſces populum meum] Cùm fueris antehac paſtor ovium, poſthac eris *paſtor populorum.* Sic *Homerus* paſſim Reges vocat ποιμένα λαῶν, quâ metaphorâ ſæpe etiam Scriptura utitur. Vide Pſ. LXXVIII, 71. & Ezech. XXXIV, 23. Satis liquet eâ loquutione ſignificari Regibus eamdem curam impoſitam eſſe populorum, quam paſtores pecudum ſuarum gerere par eſt. Ut paſtores non ſunt domini pecudum, ſic nec Reges eos qui parent quaſi peculium ſuum habere par eſt, ſed quaſi gregem ſibi à Deo Opt. Max. commiſſum, qui unus eſt verus totius humani generis dominus, & cui rationem adminiſtrationis ſuæ reddent. Præterea homines non debent pecudum loco haberi, cùm ipſi paſtores ſuos eligant, aut electos, vel per longam ſucceſſionis ſeriem imperantes probent; nec electuri, nec probaturi, ſi videant ſe inſtar pecudum ab iis haberi; ac tandem conſilium ſibi ſeorſim capturi, ſi intolerabilis fiat tyrannis. Nihil Regibus exitialius eſt, quàm ſi imitentur Caïum Cæſarem, cujus, ſi *Philoni* credimus, in libro de legatione ad eum Imperatorem hæc erat ratiocinatio: καθάπερ οἱ τῶν ἄλλων ζώων ἀγελάρχαι βουκόλοι, καὶ αἰπόλοι, καὶ νομεῖς οὔτε βόες εἰσὶν, οὔτε αἶγες, οὔτε ἄρνες, ἀλλ' ἄνθρωποι κρείττονος μοίρας καὶ κατασκευῆς ἐπιλαχόντες, τὸν αὐτὸν τρόπον ἀγελαρχοῦντα καμὲ τῆς ἀρίστης ἀνθρώπων γένους ἀγέλης νομιστέον διαφέρειν καὶ μὴ κατ' ἄνθρωπον εἶναι, μείζονος δὲ καὶ θειοτέρας μοίρας τετυχηκέναι: *quemadmodum qui præſunt gregibus aliorum animalium, bubulci, caprarii, & paſtores, nec boves ſunt, nec capræ, nec oves; ſed homines præſtantiorem naturam & formam ſortiti: eodem modo ego etiam, qui præſum gregi optimæ partis generis humani, exiſtimandus ſum differre ab eo, nec homo eſſe, ſed majorem & diviniorem naturam conſequutus.*

3. *Omnes ſenes*] Magiſtratus omnium Tribuum & oppidorum; nam antea concurſus dumtaxat promiſcuæ plebis ad Davidem factus videtur.

Fœdus feriit] Hoc eſt, promiſit ſe iis certis legibus imperaturum, nam nullum eſt pactum, aut fœdus ſine legibus. Neque enim Rex Hebræorum omnibus legibus erat ſolutus, ut oſtendit *Guil. Schickardus*, in Jure Regio Hebræorum Cap. II. Theorem. 7. quamvis Magiſtris plus fidei habeat in nonnullis, quàm neceſſe eſt.

Unxerunt Davidem] Nunc tertiùm unctus eſt David, primùm enim unctus fuerat à Samuële, 1. Sam. XVI, 13. & ſecundùm à tribulibus ſuis, ſuprà C. II, 4. De ritibus unctionis Regum nihil apud Scriptores Sacros habemus, ſed Rabbini ex ingenio eos ſuppleverunt, quos collegit *Guil. Schickardus* de Jure Regio Cap. I. Theor. 4.

4. *Cùm regnare inciperet*] במלכו *bmolcho*, cùm regnaret. Sed hoc ſumitur pro initio regni, quotieſcumque memoratur ætas, quâ Reges regnare cœperunt. Vid. C. II, 11.

6. *Ivit*

Digitized by Google

6. Ivit deinde Jeroſolimam Rex, cum ſuis, contra Jebuſæos, qui tractum illum habitabant, & *qui* dixerunt Davidi: non ingredieris huc, niſi amoveris cæcos & claudos, *quod perinde erat* ac ſi dixiſſent: David huc non ingredietur. 7. Cepit tamen David munitionem Sionis, quæ *nunc* eſt urbs Davidis. 8. Dixerat autem David, die illo: quiſquis cædet Jebuſæos, & attinget canalem, claudóſque & cæſos inviſos animo Davidis, *dux erit*; ideóque dicere ſolent: nec cæcus, nec claudus domum ingredietur.

9. Habitavit autem David locum illum munitum, eúmque urbem Davidis vocavit. Condidit etiam David *urbem* circumquaque, à Millone introrſus. 10. Auctus eſt paullatim David & magnus evaſit; ei enim aderat Jehova Deus exercituum. 11. Miſit etiam

6. *Ivit deinde Jeroſolimam* &c.] Quinquennio poſt unctionem ſuam, ut liquet ex C. II, 10. ubi vide notata.

Qui tractum illum habitabant] Non potuerant enim illinc expelli, propter munitionem montis Sionis; quamobrem fortaſſe David locum illum ſibi concupivit, ut regni ſedem in munito loco conſtitueret. Vide Joſ. XV, 63. Jud. I, 21. XIX, 10, 11.

Non ingredieris huc] Hoc eſt, in arcem, ut quidem videtur.

Niſi amoveris cæcos & claudos] כי אם הסירך העורים והפסחים *chi im heſircha hahivverim vehappiſſhim*. LXX. Intt. habent: ὅτι ἀντέστησαν οἱ τυφλοὶ καὶ οἱ χωλοί, quod caret ſenſu, nec Hebraicis reſpondet, nec conſentit cum v. 8. Vulgatus meliùs: *niſi abſtuleris cæcos & claudos*. Aut ſic vertendum: *ſed amovebunt te cæci & claudi*; ut ſit הסירך *heſircha*, pro הסירוך *heſirou-cha*, *removebit*, pro *removebunt*. Ac ſanè, ut obſervavit *Lud. de Dieu*, ſi puncta ſequamur, הֱסִירְךָ eſt Præteriti, nam in Infinitivo deberet eſſe הֲסִירְךָ. Verùm diſcrimen punctorum neglexerunt ipſi Rabbini. Poſteriori modo vertendum cenſuit *Joſephus*, qui Ant. Jud. Lib. VII. c. 2. hanc Hiſtoriam ſic deſcribit: Τούς πεπηρωμένους τὰς ὄψεις καὶ τὰς βάσεις καὶ πᾶν τὸ λελωβημένον στήσαντες, ἐπὶ χλεύῃ τοῦ βασιλέως, ἐπὶ τοῦ τείχους, λέγοντες κωλύσειν αὐτὸν εἰσελθεῖν τοὺς ἀναπήρους· ταῦτα δ᾽ ἐποίουν καταφρονοῦντες τῇ τῶν τειχῶν ὀχυρότητι: *cæcos & claudos & quoſvis mutilos cùm, in deriſionem Regis, impoſuiſſent muro, dicerèntque, mutilos impedituros ne ingrederentur, hæc faciebant præ contemtu, ob murorum firmitatem.* Eam ſententiam ſequutus eſt *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 36. vult enim hunc locum verti hoc modo: *non huc accedes, quin te arceant cæci & claudi, id eſt, ignaviſſimi quique.* Quibus David provocatus in hæc verba prorupit: *quiſquis Jebuſæos percuſſerit primus, is erit dux & imperator*, (1. Par. XI, 6.) rurſus: *quiſquis percuſſerit Jebuſæos is dejiciat in alveum*, muro proximum, *tam cæcos, quàm claudos, Davidi maximè exoſos.* Quæ vir doctiſſimus planiſſima eſſe putat, nec fuiſſe cur viri undecúmque docti in eorum expoſitione ſe tantopere fatigarent. Sed plura ſunt, quæ in hac ſententia diſplicent. I. הסירך *heſircha*, meliùs vertitur *amoveris tu*, quàm *amoverint te*. II. Quî poterat ſcire David eos, qui erant in præaltis muris, cæcos, aut claudos, aut mutilos eſſe, cùm è longinquo ſpectantibus ejuſmodi vitia cerni nequeant? Unde etiam potuiſſet ſat magnus numerus cæcorum & mutilorum comparari, ut ſpeciem defenſorum præberent? Certè in urbe parva non ſunt multi, nec aliunde videntur quæſiti. III. Cur cæcos & mutilos ſibi inviſos eſſe diceret David, quorum potiùs miſereri eum decebat? Certè cauſam non video.

Hiſce ergo, ut & aliorum interpretationibus probè penſitatis, prior vertendi ratio mihi potior viſa eſt; nulláque veriſimilior, ſi quid judico, ſententia eſt quàm ea, ex qua dicuntur Jebuſæi in loco quodam edito & conſpicuo Sionis habuiſſe ſtatuas Deorum ſuorum; quos ironicè vocant *cæcos & claudos*, imitati ſermonem Hebræorum, qui dicebant Diis Jebuſæorum *eſſe oculos, nec tamen eos videre; eſſe pedes, nec tamen incedere*, Pſ. CXV, 5, 7. Erant autem, ut Jebuſæi putabant, Deorum ſigna tutela arcis ſuæ. Itaque negant Davidem prius ingreſſurum Sionem, quàm ſigna illa eo loco amoverit, unde amoveri non poſſe putabant; cùm propter loci munitionem, defenſorúmque fortitudinem, tum etiam quòd putarent Deos præſentiſſimum auxilium templis, ſigniſque ſuis laturos. Sic in arce urbis Trojæ templum & ſtatua Palladis fuerunt, quâ ſtatuâ incolumi, urbs incolumis futura eſſe dicebatur; quòd non videretur poſſe auferri, niſi captâ arce, ac proinde & ipſâ urbe.

Quod perinde erat ac ſi dicerent] Hanc eſſe hîc ſignificationem voculæ לאמר *lemor* oſtendit locus parallelus 1. Chron. XI, 5. ubi Jebuſæi narrantur tantùm Davidi dixiſſe: *non ingredieris huc*, unde liquet hunc eſſe verborum ſenſum. Nimirum, fieri poſſe non putabant, ut, invitis propugnatoribus, oppugnantes unquam ſtatuas illas Deorum dejicerent.

8. *Dixerat verò David*] Ante captam arcem Sionis, quæ erat munitiſſima urbis pars. *Joſephus*: ἔτι δὲ τῆς ἄκρας λειπομένης ἔχειν πᾶσιν ὑπισχνεῖτο γέρα ὁ βασιλεὺς προθυμοτέρους ἐπὶ τὰ ἔργα τοὺς στρατιώτας παρασκευάζων καὶ τιμάς: *remanente adhuc arce, ſtatuit Rex, pollicitatione præmii & honorum, milites alacriores ad egregia facinora reddere*, &c.

Quiſquis cædet Jebuſæos] Nempe, primus, ut liquet ex loco 1. Par. XI, 6.

Attinget canalem] צנור *tſinnor*. LXX. Intt. habent: ἁπτέσθω ἐν παραξιφίδι, at *Aquila* verterat κρουνὸν, aut κρουνισμὸν, unde *Hieronymus*, *domatum fiſtulas*. Sic plerique omnes *canalem*, aut *tubum*, quo aqua excipitur, interpretantur. Fuiſſe igitur credibile eſt in ſumma arce Sionis *tubum*, aut *canalem*, quo aqua pluvia excipiebatur, & ad quem perveniendum fuit ut in arcem irruptio fieret, quod admotis ſcalis fortaſſe factum eſt. Supra, aut juxta illum canalem erant ſtatuæ *cæcorum & claudorum*, quibus captis, capta arx erat. Itaque *attingere canalem*, *cæcóſque & claudos*, eſt pervenire victorem ad canalem, ſtatuáſque Deorum, & pinnas murorum primum obtinere, ſuccedentibúſque viam aperire. Hinc *Symmachus* verterat, ut docet *Procopius*, προμαχῶνος ἐπιλήψεται, *pinnam vi ceperit*.

In-

etiam Chiramus Rex Tyri legatos ad Davidem, ligna cedrina, fabros lignarios, & fabros lapidarios, qui ædificarunt domum Davidi. 12. Intellexit autem David Jehovam ipſum confirmaſſe in Regem Iſraëlis, ejúſque regnum, propter populum ſuum Iſraëlem, extuliſſe; 13. duxitque pellices & uxores Jeroſolimitanas, poſtquàm eò Chebrone veniſſet, natique ſunt præterea Davidi filii & filiæ. 14. Hæc autem ſunt nomina eorum, qui nati ſunt ei Jeroſolimæ: Sammuah, Sobabus, Nathan, Salomo, 15. Jibchar, Eliſuah, Nephegus, Japhiah, 16. Eliſamah, Eljadah & Elipheletus.

17. Audiverunt autem Philiſthæi Davidem inunctum eſſe Regem in Iſraëlem, veneruntque omnes ad quærendum Davidem; quo audito, David ſe in locum munitum con-

Inviſos animo Davidis] שנאי נפש דוד *ſchnoue nepheſch David*, ſic enim rectè legendum cenſent Maſſorethæ, pro שנאו, ut habet textus. In plurali quoque legerunt Veteres, nam LXX. Intt. verterunt *μισῦντες τὴν ψυχὴν Δαυίδ*, & Vulgatus: *odientes animam David*, quaſi legiſſent, שנאי *ſchonee* odio habentes. Sed præferimus Maſſorethicam lectionem. Meritò certè ſtatuæ Deorum illorum *cæcorum & claudorum* inviſæ erant animo Davidis, cui vitia corporis in hominibus odiſſe non licuiſſet.

Scio *Bochartum* verba ויגע בצנור *vajjiggah battſinnor*, vertere, *dejiciat in alveum*. Sed verbum נגע *nagah* uſquam ſignificare *dejicere* non animadverti; nec ſcio an צנור *tſinnor*, ullo in loco, *alveum*, aut foſſam ſignificet. Fateor ex ſententia noſtra aliquid hic eſſe ſupplendum, quale eſt יהיה לשר *jihjeh leſchar*, *erit dux*; at hoc ſupplementum petitum eſt ex 1. Par. XI, 6. ubi hæc ipſa hiſtoria narratur. In hoc loco *Joan. Piſcator* eſſe putat *mendoſum defectum*; ac ſanè ellipſes ejuſmodi vix ulla Lingua commodè pati queat. Oſtendimus tamen loca eſſe, in quibus poſterior periodi pars ſupplenda eſt, ad Levit. IV, 2. Sed poſſet fortè quiſpiam ejuſmodi loca ſuſpecta habere.

Dicere ſolent &c.] Hinc, nimirum, natum proverbium: *nec cæcus, nec claudus domum admittendus*, ad ſignificandum non eſſe in ædes admittendos Deos, qui

—— oculos habent,
Orbes inanes luminis;
Palpare manibus non queunt, torpentibus
Nec ingredi veſtigiis.

9. *A Millone*] מן המלוא. Locus Jeroſolimæ fuit, inter Sionem & Templi montem, de quo vide *Joan. Lightfootium*, Chorogr. Mattheo præmiſſæ Cap. XXIV.

10. *Auctus eſt paullatim*] *Et ivit David eundo & magnus.*

11. *Chiramus Rex Tyri*] Ab hiſce demum temporibus mentio fit Tyri Regum, urbiſque quaſi potentis civitatis; nam antea Sidonis potentiâ videtur obſcurata. Hujus Chirami filius fuit Chiramus ille, qui Salomonis amicus fuit, & de quo multa habet *Joſephus* Ant. Jud. Lib. VIII. c. 2. & Lib. I. contra *Apionem*, ex *Menandro* Epheſio & *Dio*. Utinam verò exſtarent hi Scriptores! Sine dubio multò plura ex iis hauriremus, quàm fecit *Joſephus*.

Ligna cedrina] E Libano, qui mons erat, tunc temporis, in ditione Tyriorum. Nihil nobilius eſt in Scriptura, *cedris Libani*. In ædificiis ſplendidioribus eo ligno utebantur, quòd *cariem, vetuſtatémque non ſentiat*, ut docet *Plinius* Lib. XVI. c. 40. Sed tamen magnum in eo incommodum eſt, quòd *clavum non teneat*; quia æquo mollius eſt, ſi eidem Scriptori credimus.

Fabros &c.] Cùm apud Hebræos ſola coleretur agricultura, aliæ artes fermè ignotæ erant, aut eatenus notæ, quatenus iis vita prorſus indigebat, nec carere ſine gravi incommodo poterat. Sed apud Tyrios & Sidonios, divites populos, mercaturæque addictos, florebant quàm maximè artes mechanicæ; ideóque David ab iis accerſere fabros neceſſe habuit, cùm de ſplendidioribus ædificiis cogitare cœpit.

Fabros lapidarios] חרשי אבן קיר *fabros lapidis muri*. Videtur additum קיר *kir*, ut intelligeret Lector, agi hìc non de ſculptoribus qui lapides in varias figuras ſecarent; ſed de fabris lapidariis, qui ſecabant tantùm lapides ad ædificandos muros. Sculpturæ enim inimici erant Hebræi, propter inviſos illos Deos *cæcos & claudos*, de quibus antea dictum eſt.

12. *Intellexit autem David* &c.] Verbum *intellexit* refertur ad hæc *propter populum ſuum Iſraëlem*, hoc ſenſu; Davidem facilè intellexiſſe Deum non tueri populum Hebræum, in ipſius gratiam, útque regnum ejus florentius eſſet; ſed ſe à Deo regno donatum, in gratiam, uſúmque populi Hebræi; uno verbo, populum non fuiſſe in gratiam Davidis, ſed Davidem in gratiam populi. Quod fortè audivit à Propheta, niſi ipſe divinitus admonitus ea de re fuerit. Hoc autem cùm intelligeret David, ita ſe geſſit, ut facilè omnes animadverterent eum populi commodis potiùs inſervire, quàm ſuis; quem eſſe ſenſum hujus loci exiſtimo, ita ut antecedens hìc ponatur pro conſequenti, ut ſæpe alibi. Meliùs ageretur cum humano genere, ſi Reges, inſtar Davidis, intelligerent ſe in gratiam populi eſſe regiâ dignitate ac poteſtate indutos: non verò quicumque nati ſunt & in poſterum naſcentur, in certo terrarum tractu, eos omnes in gratiam Regum, aut aliorum qui Reges imitantur, à Deo in hancce vitam mortalem mitti ut ſerviant; quaſi eſſent grex pecudum, in gratiam & uſum nobiliorum hominum creatarum.

13. *Duxitque pellices* &c.] Hac in re minimè laudari poteſt David, cùm ſit Lex à Moſe lata, quæ vetat Regem, ſi quando futurus eſſet apud Hebræos, magnum uxorum numerum habere. Jam ſex habebat Chebrone, ut liquet ex Cap. III, 2. qui numerus ſat magnus fuit, imò verò nimius. Vide Deut. XVII, 17.

17. *Ad quærendum Davidem*] Si vellet prælio ſecum certare, antequàm Regnum ejus tempore confirmatum fuiſſet. Videtur hoc contigiſſe, antequàm potuiſſet Jeroſolimam ſatis munire.

In locum munitum] אל המצודה *el hammetſoudah*. Videtur intelligi non Sion, ſed locus alius remotior à finibus Philiſthæorum.

contulit. [18] Cùm autem veniſſent Philiſthæi, tetenderunt in valle Rephæorum. [19] Tum
interrogavit David Jehovam, hiſce verbis: an ibo contra Philiſthæos, ánque trades eos
in manum meam? Ito verò, inquit Jehova Davidi, nam Philiſthæos in manum tuam
tradam. [20] Ivit ergo David Bahal-pheratſimos, eóſque illic concîdit, dixitque: diſ-
jecit Jehova hoſtes meos è conſpectu meo, inſtar aquæ quæ derivatur; quare loco no-
men indidit Bahal-pheratſimis. [21] Reliquerunt etiam illic *Philiſthæi* ſigna Deorum
ſuorum, eáque David ejúſque milites abſtulerunt.
[22] Iterum adſcenderunt Philiſthæi, & tetenderunt in valle Rephæorum. [23] In-
terrogavit etiam David Jehovam, qui dixit: ne *rectà ad eos* ito, ſed circumagi-
to *agmen* ad eorum poſteriorem partem, vaditóque in eos è regione mororum?
[24] Cùm autem audies ſtrepitum inceſsûs per cacumina mororum, tum promoveto
aciem; tunc enim Jehova exibit ante te, ut concîdat caſtra Philiſthæorum. [25] Ita ſe
geſſit David, ut ei præceperat Jehova, cecîditque Philiſthæos à Gaba, donec venias
Gazerem.

VI. Da-

[18] *In vallem Rephæorum*] Vallis ad occaſum Jeroſolimæ. Vide ad Joſ. XV, 8. LXX. Intt. hic κοιλάδα Τιτάνων verterunt, quia credebant Titanas quoſvis Gigantes dici, & רפאים *rephaim* vocantur homines inſolitæ ſtaturæ. Sed Titanes dicti ſunt æquales Saturni, ut nos docet *Heſiodus* in Theogonia, v. 207. non alii. Abſurdè *Euſebius* in locis: Κοιλὰς Τιτάνων εἰς ἐπολέμησεν Δαυίδ, quaſi David cum Titanibus, inſtar alterius Jovis, manum conſeruiſſet.

[20] *Bahal-pheratſimos*] Hujus loci mentio tantùm fit in hac hiſtoria, hîc & 1. Par. XIV, 11. Non videtur multùm remotus fuiſſe Jeroſolimâ.

Disjecit] פרץ *pharats*, diviſit, diſrupit.

Inſtar aquæ quæ derivatur] כפרץ מים *chphe-rets majim*, ut derivatio aquæ; hoc eſt, tam facilè disjecit hoſtes meos, quàm facilè aqua in rivos dividitur.

Bahal-pheratſimis] *Dominus diviſionum*, hoc eſt, diviſor.

[21] *Signa Deorum*] עצביהם *hatſabehem*. Hinc colligere eſt Philiſthæos ſecum in prælium ſtatuas Deorum tuliſſe, quaſi præſentius Deorum auxilium ſenſuri, ſi apud ſe eas haberent. Fortè Hebræos, Arcam Dei interdum in caſtra gerentes, imitati ſunt.

[23] *Ne rectà ad eos ito*] *Non adſcendes*. Propter ſequentia, neceſſe habuimus ſupplere *rectà ad eos*. Sic LXX. Intt. habent εἰς συνάντησιν αὐτῶν, & Vulgatus: *contra eos*, quaſi legiſſent לקראתם *likratham*.

Mororum] בכאים *bechaim*. Chaldæus habet אילניא *ilanaja*, arbores. Sed eſt genus ſingulare arborum, & *moros* plerique nunc interpretantur. *Hieronymus* habet *pyrorum*, quemadmodum verterat *Aquila*. At LXX. Intt. verterunt κλαυθμῶνος, quaſi idem eſſet ac בוכים *bochim*, *flentes*. Sed 1. Par. XIV, 14. habent ἀπίων. Rem ita narrat *Joſephus* Ant. Jud. Lib. VII. cap. 4. πάλιν δὲ τοῦ βασιλέως τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐρομένου τὸν θεὸν περὶ τῆς μάχης ἐξόδου, προεφήτευσεν ὁ Ἀρχιερεὺς ἐν τοῖς ἄλσεσι τοῖς καλουμένοις κλαυθμῶσι κατέχειν τὴν στρατιάν: *Rege Iſraëlitarum iterum Deum interrogante de exitu pugnæ, vaticinatus eſt Pontifex Maximus, oportere in nemoribus, qui fletus dicuntur, exercitum continere.*

[24] *Promoveto aciem*] תחרץ *thechherats*, movebis; nempe, aciem. 1 Par. XIV, 15. eſt, *exibis in prælium*. LXX. Intt. hîc habent καταβήσῃ πρὸς αὐτούς, & Vulg. *inibis prælium*.

Jehova exibit ante te &c.] Hoc fuit indicium præſentiæ Angeli, pavorem ac terrorem hoſtibus injecturi.

[25] *A Geba*] גבע *gebah*, quod idem ac גבעה *gibhah*, urbs tribûs Benjaminis, Saülis patria.

Gazerem] Urbem Tribûs Ephraïmi, Levitis attributam Joſ. XXI, 21. Sed in ea remanſerant Chananæi Joſ. XVI, 10. Sita erat non procul à mari, in quam partem fugere oportuit Philiſthæos, ut in agros ſuos redirent. Si unà cum illis aderant Phœnices, ac Syri, ut vult *Joſephus*, eadem etiam viâ potuerunt ad ſua reverti hinc, flexo itinere ad ſeptemtriones juxta mare, dum Philiſthæi ad auſtrum ibant; niſi fortè naves Sidonias, aut Tyrias, quibus veherentur, paratas haberent. Nec eſt incredibile auxilia vicinarum gentium adfuiſſe Philiſthæis, quamvis ſoli nominentur; neque enim potuiſſent tam ſæpe è ſuis novos exercitus conſcribere, quos opponerent exercitibus Populi Hebræi, qui Philiſthæos amplitudine agrorum & virorum numero multùm ſuperabat. Dignus eſt *Joſephus*, qui hîc audiatur, quia niſi meminiſſemus ejus obſervationis, capere non poſſemus, qui tam exiguus tractus tot & tantos exercitus in Hebræos, per aliquot ſæcula, educere potuerit. Ὑπολάβῃ δὲ μηδεὶς, inquit, ὀλίγην τὴν τῶν Παλαιστίνων στρατιὰν ἐλθεῖν ἐπὶ τοὺς Ἑβραίους, τῷ τάχει τῆς ἥττης καὶ τῷ μηδὲν ἔργον ἐπιδείξασθαι γενναῖον μηδὲ μνήμης ἄξιον, τεκμαιρόμενος αὐτῶν τὴν βραδυτῆτα καὶ τὴν ἀγεννίαν, ἀλλὰ γινωσκέτω Συρίαν ἅπασαν καὶ Φοινίκην, καὶ πρὸς τούτοις ἄλλα ἔθνη μάχιμα συστρατεῦσαι αὐτοῖς καὶ τοῦ πολέμου κεκοινωνηκέναι· ὃ καὶ μόνον ἦν αἴτιον τοῦ πολλάκις αὐτοὺς νενικημένους καὶ πολλὰς ἀποβαλόντας μυριάδας μετὰ μείζονος ἐπιέναι τοῖς Ἑβραίοις δυνάμεως: *neque quiſquam colligat exiguum Palæſtinorum exercitum veniſſe contra Hebræos, ex celeritate cladis, & quod nullum generoſum, aut memoria dignum facinus ediderint; hinc conjiciens eorum paucitatem & ignaviam; ſed ſciat Syriam omnem & Phœniciam & præterea alias gentes pugnaces fuiſſe in illorum exercitu belli participes. Quod ſolum cauſa fuit, cur tam ſæpe victi, & multis amiſſis myriadibus, cum majoribus copiis contra Hebræos venerint.* Vide & quæ notavimus ad 1. Sam. XIII, 5.

In Caput VI.

[2] **B***Abalibus*] Qui locus vocatur *Bahalathah* 1. Par. XIII, 6. LXX. Intt. habent, ἀπὸ τῶν ἀρχόντων Ἰούδα, & Vulgatus: *de viris Juda.* Ac ſanè

VI. David, maxima cum pompa & hilaritate, Arcam Dei ex ædibus Abinadabi Sionem advehit, & Michalam Saülis filiam, eum irridentem, quòd vehementiùs ſaltaſſet, graviter caſtigat.

1. COEGIT poſtea David ſelectiſſimos quoſque ex Iſraële viros, ad triginta mil- CAPUT
lia. 2. Surrexit deinde & omnis populus, qui cum illo erat, Bahalibus Judæ, VI.
ut illinc adduceret Arcam Dei, *ad* quam invocatur nomen *ejus*, nomen Jeho-
væ *Dei* exercituum, inſidentis Cherubis Arcæ impoſitis. 3. Impoſuerunt autem Arcam
Dei plauſtro novo, advexerúntque eam ex ædibus Abinadabi, quæ in colle erant.
Huzza autem & Achio, Abinadabi filii, ducebant plauſtrum novum. 4. Sumſerunt
eam è domo Abinadabi, quæ erat in colle, unà cum Arca Dei, & Achio quidem
eam antecedebat. 5. David verò & tota domus Iſraelis canebant coram Jehova, om-
nis generis abiegnis inſtrumentis, citharis, nabliis, tympanis, cymbalis & ſiſtris. 6. Cùm
autem perveniſſent ad aream Nachonis, *manum* injecit Huzza Arcæ Dei, eámque ad-
pre-

ſanè בעלי יהודה, niſi de loco agi conſtaret, ſignificaret viros Tribûs Judæ, ex Hebraiſmo ſat noto.

Ut illinc] משם *miſſcham*. Hoc quoque legerunt LXX. Intt. qui habent *ἐκεῖθεν*. *Hieronymus* omiſit, quia *illinc* adhiberi non poteſt, niſi nomen proprium, aut deſcriptio loci anteceſſerit. Itaque rectè conjeciſſe videtur *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. I. Cap. IX. §. 8. omiſſa hîc eſſe aliquot verba, quæ ſunt ex 1. Par. XIII, 6. inſerenda, nimirum, אל קרית יערים אשר, ita ut totus locus ſic conſtituatur: מבעלה אל קרית יערים אשר ליהודה *è Bahala ad Kirjath-jebarimos, quæ urbs eſt Judæ*. Contradicendi libidine laborabat *Joan. Buxtorfius*, cùm hîc à Librariis quidquam omiſſum eſſe negabat. E collatione horum librorum hiſtoricorum inter ſe, ubi eadem hiſtoria non uno in libro narratur, paſſim liquet aliquid eſſe omiſſum, nec ſine pertinacia negari poteſt.

Ad quam invocatur nomen ejus &c.] אשר נקרא שם שם יהוה *aſcher nikru ſchem, ſchem Jehova*. Habent LXX. Intt. *ἐφ᾽ ἣν ἐπεκλήθη τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου*, & ſic Vulgatus: *ſuper quam invocatum eſt nomen Domini*. Ad ſummam rei quod adtinet, ſenſum hunc eſſe loci nemo negarit; ſed diſplicet mihi illa repetitio nominis שֵׁם *ſchem*, & prius mallem legi שָׁם, ita ut ſenſus ſit *ubi invocatur nomen Jehovæ* אֲשֶׁר נִקְרָא שָׁם שֵׁם יְהוָה. Res ipſa oſtendit hunc ſenſum eſſe loci, & Linguæ Hebraïcæ ratio rem ita exprimi poſtulat. Vide *Chr. Noldium* ad אשר שם *aſcher ſcham*.

Inſidentis Cherubis Arcæ impoſitis] יֹשב הכרובים עליו *inſidens Cherubinis ſupra eam*, hoc eſt, qui ſunt ſupra eam. Sic LXX. Intt. *καθημένου ἐπὶ τῶν Χερουβὶμ ἐπ᾽ αὐτῆς*, & Vulgatus: *ſedentis in Cherubim ſuper eam*. Vide 1. Sam. IV, 4. Qui aliter hæc vertunt vim & rei & orationi inferunt.

3. *Plauſtro novo*] Ut fecerant Philiſthæi 1. Sam. VI, 7. Alioquin inter Levitica munera erat Arcæ bajulatio. Vide Num. IV, 15.

Ex ædibus &c.] Vide 1. Sam. VII, 1.

4. *Sumſerunt eam è domo* &c.] Repetitio frequens Linguæ Hebraïcæ.

5. *Abiegnis inſtrumentis*] *In omnibus lignis* ברושים broſchim, *abietum*. Sic videntur diſtingui inſtrumenta quædam muſica, ab aliis.

Citharis, nabliis] Vide not. ad 1. Sam. X, 5.

Tympanis] Vide ad Geneſ. XXXI, 27.

Cymbalis] מנענעים *mnahnehim*. LXX. Intt. *κυμβάλοις*. Cùm radix נוע *nouah* ſignificet *moveri*, optimè huc nomen *Cymbalis* convenit, quæ erant duo hemiſphæria concava ænea, aut argentea, quæ complodebantur, ſonitúmque motu illo & conflictu edebant. Copioſè de iis egimus in additamentis ad H. *Hammondum* in 1. Cor. C. XIII, 1. Vide & *Jac. Sponii* Miſcell. Eruditæ Antiquitatis Sect. I. Art. 6.

Et ſiſtris] ובצלצלים *oubetſeltſelim*. *Siſtra* vertimus, quæ inſtrumenta erant Ægyptiaca, quæ conſtabant æneâ laminâ in ovalem figuram flexa & utrimque, tranſmiſſis bacillis æneis mobilibus, ita tamen ut excidere non poſſent, pertuſâ; adeò ut concuſſione inſtrumenti, quod manubrio gerebatur, bacilli huc illuc redeuntes ſonitum ederent. Ejuſmodi figuræ frequentes ſunt in nummis, gemmis, & marmoribus antiquis unà cum vultibus Ægyptiorum Numinum, ſervantúrque etiamnum ſiſtra in curioſorum Cimeliothecis. Vide locum operis *Sponiani* modò laudatum, & *Mich. Angel. de la Chauſſe* de inſign. Pont. Max. ad Tab. XV. & Gemm. CCXIV. *Leon. Auguſtini*. Optimè autem uſui hujus inſtrumenti convenit cum ſignificatione radicis צלל *tſalal*, quæ inter alia ſignificat *concuſſus fuit*; nam ſiſtrum quatiebant, ut ſonitum ederet, unde & Græcè dictum *σεῖστρον*, *ἀπὸ τοῦ σείειν concutere*. *Apuleius* Metam. XI. in deſcriptione Iſidis: *Dextera quidem ferebat æneum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum ſonorem*. *Plutarchus* de Iſide & Oſiride T. I. pag. 376. de eodem Iſidis geſtamine: *ἐμφαίνει δὲ καὶ τὸ σεῖστρον, ὅτι σείεσθαι δεῖ τὰ ὄντα, καὶ μηδέποτε παύεσθαι φορᾶς*: *oſtendit verò ſiſtrum moveri oportere quæcumque ſunt, nec umquam ab agitatione ceſſare*. Vide & ſequentia.

Viderat quidem *Sam. Bochartus* צלצל *tſiltſel* eſſe ſiſtrum, Phalegi Lib. IV. c. 2. Sed perperam confuderat, cum cymbalo, cujus figuram ignorabat. Volebat ſic dictum à ſignificatu illo radicis צלל quo *tinnire* ſonat, quia tinniunt ſiſtra, quod verum eſt; ſed altera Etymologia mihi magis placuit, quòd ſit conſentanea Græco nomini hujus inſtrumenti.

6. *Ad aream Nachonis*] *Aquila*, ut nos docet *Euſebius*, verterat *ἅλωνα ἑτοίμου*. Sed meliùs alii nomen proprium eſſe putant. Vide *Jac. Bonfrerium* in Onomaſtico, & *Sam. Bochartum* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 37.

Sine-

prehendit, quia ſinebant eam cadere boves. 7. Accenſa verò eſt ira Jehovæ in Huzzam, ibique Deus eum percuſſit, propter errorem admiſſum, & illic ad Arcam Dei mortuus eſt. 8. Doluit verò Davidi, quòd Jehova inflixiſſet *Iſraëli* vulnus in Huzza, vocavitque locum illum Pherets-Huzzam, *quod nomen ei eſt* ad hunc uſque diem. 9. Reveritus autem David Jehovam, die illo, dixit: quomodo ingrederetur ad me Arca Jehovæ? 10. Neque voluit ad ſe, in urbem Davidis, Arcam adducere, curavitque eam divertere domum Hobed-Edomi Gitthæi. 11. Manſit autem Area Jehovæ domi Hobed-Edomi Gitthæi, per tres menſes; & Jehova quidem Hobed-Edomo, totique ejus familiæ benefecit

12. *Res verò* nunciata eſt Regi Davidi, his verbis: benefecit Jehova Hobed-Edomi familiæ, omnibúſque quæ ad eum pertinent, propter Arcam Dei. Abiit itaque David, advexitque Arcam Dei, ex ædibus Hobed-Edomi, ad urbem Davidis, cum hilaritate. 13. Cùm progreſſi erant bajulantes Arcam Dei, ſex paſſibus, mactabat David taurum & bubalum; 14. om-

Sinebant eam cadere boves] שמטו הבקר *ſchameton babbakar*, quod eſt propriè *remittebant boves*; quaſi eſſet שמטוהו ſchametouhou, *dimittebant eam.* LXX. Intt. habent *περιέσπασεν αὐτὴν ὁ μόσχος.* Vulgatus, *calcitrabant boves & declinaverunt eam. Sam. Bochartus* copioſiſſimè de hoc loco egit Hieroz. P. 1. Lib. II. cap. 37. conjicitque שמט *ſchamat* ſignificatum adfinem habuiſſe voci Arabicæ שמט quæ ſignificat *lutum tenue*, interpretatúrque in *luto hærere.* Sed præſtat ſignificationi Hebraïcæ adhærere, ex qua cùm verbum *laxare*, *remittere* ſignificet, credibile eſt hoc loco eo ſignificari *ſinere cadere*, ut qui manu quidpiam remittunt; quod potuit contingere aut motu boum, aut inæqualitate ſoli, aut utroque.

7. *Propter errorem admiſſum*] על השל *hal haſſchal.* Hieronymus: *ſuper temeritate.* Omiſerunt LXX. Intt. Credibile quidem mihi fit, non minùs ac *Sam. Bocharto,* Levitam hominem fuiſſe, quia vix alii commiſſa fuiſſet Arcæ cuſtodia. Sed Levitis non licebat Arcam attingere, imò ne videre quidem, quamvis eam tectam à Sacerdotibus bajularent. Vide Num. IV, 15, 20. Itaque hac in re Huzza irreverenter ſe geſſit erga Arcam, Legémque perrupit, & præterea non ſatis magnificè videtur ſenſiſſe de præſentia Dei ad Arcam; qui credebat eam motu boum, aut ſubſultatione plauſtri poſſe cadere. Ideóque Deo præſentes pœnas dedit, ut populus poſthac ſciret Deum Arcæ ſingulari ratione adeſſe, útque reverentiùs ſacra à Levitis tractarentur. Neque enim minùs propter exemplum pœnas haſce inflixit Deus, quàm propter peccatum ipſum; quod ſi impune abiiſſet, negligentiæ legum & contemtûs in ſacris initium fuiſſet. Mala autem exempla ibi conſiſtere non ſolent, ubi cœperunt.

8. *Doluit Davidi*] Eſt hîc Hebraïcè ויחר לדוד *vajjibhar leDavid*, quod propriè eſt *accenſa eſt Davidis ira*, ut liquet vel ex v. 7. Attamen quia hac in re nemini iraſci poterat, vertimus *doluit Davidi.*

Vulnus] פרץ pherets, *diviſionem*, aut *ruptionem*; cui ſignificatui exprimendo, in hujuſmodi negotio, vocem Latinam aptiorem non invenimus quàm *vulnus.* LXX. Intt. habent *διακοπὴν.* Vulgatus *percuſſionem.*

10. *Gitthæi*] Non eſt intelligendus civis Gathi, oppidi Philiſthæorum, nam homini peregrino; quamvis Hebræorum Religionem amplexo; numquam Arcæ cuſtodia, quam Lex ſolis Levitis & Sacerdotibus permittebat, credita fuiſſet. Igitur Gitthæus hic eſt civis Gathrimmonis, quæ erat urbs Levitica in dimidia Tribu Manaſſæ ad occaſum Jordanis, de qua Joſ. XXI, 24, 25. Ac ſanè Hobed-Edom Levita erat, ut conſtat ex 1. Paral. XV, 18, 41, 24. XVI, 5. Is autem fuerit inquilinus in agris Tribûs Judæ, aut inter Kirjath-jeharimos & Jeroſolimam, aut in ipſa urbe Jeroſolima, ad viam Kirjath-jeharimorum.

11. *Benefecit*] יברך *jebarech*, quod, ubi de Deo ſermo eſt, ſignificat *benefecit*; hoc eſt, quidquid adgreſſus eſt Hobed-Edomus proſperavit, quatenus quidem per tam breve tempus licuit. Quo factum eſt ut David cuperet eam apud ſe habere.

12. *Cum hilaritate*] Hoc eſt, cum magna gaudii teſtificatione publica. Gallicè, *avec de grandes rejouiſſances.*

13. *Mactabat David taurum & bubalum*] Dimenſus, nimirum, ſpatium quod erat inter domum Hobed-Edomi & ſuam diſpoſuerat victimas, quæ juxta viam tranſeunte Arcâ mactabantur. Ut quot fuerint victimæ mactatæ ſciremus, oporteret Hiſtoriam Sacram nos docuiſſe quot paſſibus domus illæ remotæ fuerint, aut per quantum ſpatium Sacra hæc facta ſint. Non crediderim tamen fuiſſe altaria ſenis paſſibus per viam diviſa; ſed tantùm occiſam illic victimam ſalutarem, cujus poſtea ſanguis fuſus fuerit ad unum altare, in quo & ſollemnes proſiciæ oblatæ ſunt. Via alioqui nimiùm impedita fuiſſet, & ſanguine victimarum fuſo lutulenta & lubrica evaſiſſet. Multò minùs credibile eſt hæſiſſe Arcam ſingulis ſex paſſibus, dum Sacra peragerentur. Quod *bubalum* vertimus eſt Hebraïcè מריא *mri*, quod genus eſſe *bubali* in Syria oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 28.

Non capio autem quid moverit LXX. Intt. ut hunc locum ſic verterint, ut nullum hodiernæ lectionis in eorum verſione inveniatur veſtigium; cùm videatur ſana eſſe. Sic enim habent: *καὶ ἦσαν μετ' αὐτῶν αἴροντες τὴν κιβωτὸν ἑπτὰ χοροί, καὶ θῦμα μόσχος καὶ ἄρνες.* Vulgatus etiam Interpres habet: *& erant cum David ſeptem chori & victima vituli*, quæ non auſus eſt *Hieronymus* ex antiqua verſione reſecare; nam ceteroqui vertit ut nos commatis hujus verba Hebraïca: *cúmque tranſcendiſſent qui portabant arcam Domini ſex paſſus, immolabat bovem & arietem. Joſephus* LXX. Intt. eſt ſequutus, cùm Lib. VII. c. 4. narrat tranſlatam fuiſſe Arcam, *ἑπτὰ χορῶν, οὓς διεκόσμει βασιλεὺς, προαγόντων*, *ſeptem choris, quos decorabat Rex, præeuntibus.* Exiſtimarim Interpretes Græcos timuiſſe ne ea multitudo victimarum incredibilis Gentilibus videretur, ideóque

14· omnibúſque viribus, in conſpectu Jehovæ, accinctus pallio lineo, ſaltabat. 15· Ad-
ducebant Arcam Jehovæ, cùm ipſe, tum tota domus Iſraëlis, cum vociferatione &
cantu buccinæ.
16· Cúmque Arca Jehovæ ingrederetur urbem Davidis, Michala, Saülis filia, pro-
ſpexit per feneſtram; viditque Regem Davidem vehementiùs ſaltantem coram Jeho-
va, eúmque in animo ſuo deſpexit.
17· Adduxerunt interea Arcam Jehovæ, collocarúntque eam loco ſuo, in medio ten-
torio, quod ei tetenderat David, & obtulit holocauſta & ſalutaria *ſacra*, coram Jehova.
18· Poſtquàm verò abſolviſſet David offerre holocauſta & ſalutares victimas, populo,
nomine Jehovæ *Dei* exercituum, bene precatus eſt, 19· diviſitque toti populo & univerſæ
multitudini Iſraëlis, ſingulis, à viris ad mulieres, placentam panis unam, fruſtum carnis
unum,

que eâ reſectâ aliud ſubſtituiſſe. Sed opus fuit ingenti victimarum numero, ut populo Hebræo, qui frequens aderat, viſceratio daretur, quæ ei à Davide data eſt, ut liquet ex v. 19. Sed & plures occiſas fuiſſe victimas, quàm quæ hîc memorantur, intelligere eſt ex 1. Par. XV. ubi eadem Arcæ tranſlatio deſcribitur.

14· *Pallio lineo*] Vide not. ad 1. Sam. II, 18.

Saltabat] מכרכר *mcharcher*. LXX. Intt. habent ἀνακρουόμενον ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις. Hieronymus, *ſaltabat*, ut ſit idem ac מרקד *mrakked*, quod eſt 1. Par. XV, 28. in hac hiſtoria, & quo uſus eſt etiam hîc Chaldæus. Verſus 16. collatus cum 26. oſtendit reverâ ſaltationem ſignificari. Quare miror *Lud. de Dieu* dicere ex conjectura מכרכר verti *ſaltantem*.

16· *Vehementiùs ſaltantem*] מפזז ומכרכר *mphazzez oumcharcher*, *confirmantem ſe & ſaltantem*; hoc eſt, omni virium contentione tripudiantem. LXX. Intt. habent ὀρχούμενον, καὶ ἀνακρουόμενον, ex conjectura, nam priùs verbum ſignificat *ſe ſe confirmare*; unde *Hieronymus ſaltabat totis viribus*. Huc autem facit quod habet *Strabo* L. X, Κοινὸν δὲ τοῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν βαρβάρων ἐστί, τὸ τὰς ἱεροποιΐας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι, τὰς μὲν σὺν ἐνθουσιασμῷ, τὰς δὲ χωρίς· καὶ τὰς μὲν μετὰ μουσικῆς, τὰς δὲ μή· καὶ τὰς μὲν μυστικῶς, τὰς δὲ ἐν φανερῷ, καὶ τοῦθ᾽ ἡ φύσις οὕτως ὑπαγορεύει: *Commune hoc Græcis cum barbaris eſt, ut ſacrificia inter feriandum celebrent, alia cum Enthuſiaſmo, alia ſine eo; alia cum muſica, alia ſine muſica; alia occultè, alia palam, idque natura ſic dictat.* Attamen Hebræorum Sacra nulla fiebant occultè, nulli erant ritus, qui non cuivis ex Legis lectione innoteſcere poſſent; & arcana illa Sacra Ethnicorum plena erant fraude & ſuperſtitione. Ceteroquin in Sacris Hebraïcis erant Muſica & Enthuſiaſmus, ſeu motus corporis vehementior, ut hîc videmus, útque in cœtibus Prophetarum obſervare licebat. Vide 1. Sam. X, 10. XIX, 20, & ſeqq. Sic autem pergit *Strabo*: ἥ τε γὰρ ἄνεσις τὸν νοῦν ἀπάγει ἀπὸ τῶν ἀνθρωπικῶν ἀσχολημάτων, τὸν δὲ ὄντως νοῦν τρέπει πρὸς τὸ θεῖον· ὅ τε ἐνθουσιασμὸς ἐπίπνευσίν τινα θείαν ἔχειν δοκεῖ, καὶ τῷ μαντικῷ γένει πλησιάζειν: *nam feriæ animum ab humanis occupationibus abſtrahunt, eúmque reverâ ad Numen convertunt. Enthuſiaſmus verò adflatum quemdam divinum videtur habere & ad fatidicum hominum genus accedere.* Nimirum, ut vates miris motibus agitabantur: ſic & ἐνθουσιαστικῶς ſaltantes non minùs movebantur, ut liquet ex Davide. De Muſica ſubjecit *Strabo*: ἥ τε μουσικὴ περί τε ὄρχησιν οὖσα καὶ ῥυθμὸν καὶ μέλος ἡδονῇ τε ἅμα καὶ πολυτεχνίᾳ πρὸς τὸ θεῖον ἡμᾶς συνάπτει κατὰ τοιαύτην αἰτίαν. *Muſica circa ſaltationem, & rhythmum, & cantum verſans, voluptate ſimul & artificii multiplicitate, cum Numine nos conjungit, tali de cauſa.* Satis liquet Orientalibus, Davidis tempore, ſimile quiddam fuiſſe perſuaſum; cùm Deo gratam Panegyrin celebrare ſe putaret, adhibitis non tantùm ſacrificiis, ſed etiam muſicâ & ſaltatione. Tandem ſubdit *Strabo*. Εὖ μὲν γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο τοὺς ἀνθρώπους τότε μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεούς, ὅταν εὐεργετῶσιν· ἄμεινον δ᾽ ἂν λέγοι τις, ὅταν εὐδαιμονῶσι· τοιοῦτον δὲ τὸ χαίρειν καὶ τὸ ἑορτάζειν καὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ μουσικῆς ἅπτεσθαι: *rectè quidem enim dictum eſt & hoc, homines tunc maximè imitari Deos, cùm benefaciunt; ſed & meliùs dicere quiſpiam poſſit, cùm ſunt felices; tale autem eſt gaudere, feſtum agitare, philoſophari, Muſicam attingere.* Hæc autem omnia, in hac publica Davidis hilaritate, conjuncta fuerunt, eóque præſtantiora, quòd in honorem unius veri Dei fierent.

In animo ſuo deſpexit] Quem etiam contemtum intra ſe continere ſuperba mulier non potuit, ut ſequentia oſtendunt.

17· *In medio tentorio* &c.] Tentorium Moſaïcum Silunte fuit, tempore Helis, ut liquet ex initio Libri I. Samuelis, deinde poſt Helis mortem Nobum, ut videmus 1. Sam. XXI. poſtea Gabahonem tranſlatum eſt; ubi uſque ad tempora Salomonis fuit, quod docemur 1. Par. XVI, 39. & 2. Par. I, 3. Mirum eſt Davidem Tentorium eò adferri non curaviſſe, ubi Arca erat; cùm in Arcæ uſum, ut ſic loquar, eſſet confectum, hoc eſt, ut in eum Arca abderetur, cúmque ſatius eſſet Sacra uno loco fieri, quàm pluribus.

Coram Jehova] Ante Arcam.

18· *Nomine Jehovæ*] *In nomine*, hoc eſt, prolato nomine Jehovæ, hoc aut ſimili modo: *Vobis bene faciat Jehova, Deus exercituum.* Vide Num. VI, 23. & ſeqq. 1. Reg. VIII, 55. & ſeqq.

19· *Toti populo & univerſæ* &c.] Si *populus* & *multitudo Iſraëlis* diverſi quidpiam ſonant, prius populum Jeroſolimitanum, aut Davidis tribules, poſterius reliquos Iſraëlitas ſignificabit; ſin minùs, idioma erit Linguæ Hebraïcæ, ſynonymis gaudentis.

Fruſtum carnis] אשפר *eſchphar*. LXX. Intt. ἐσχαρίτην quod poteſt æquè ſignificare panem coctum ἐν ἐσχάρᾳ ſive foco, quàm fruſtum carnis. *Hieronymus* verò *aſſaturam bubulæ*, quaſi vox deducenda ſit ab אש *ignis* & פר *phar*, juvencus. Alii malunt deducere à radice שפר *ſchaphar*, id eſt, *pulcher fuit*, quaſi ſignificet honeſtam & decentem carnis partem. Quamvis raræ ſint in Hebraïca Lingua compoſitiones, ſi nomina

unum, & lagenam *vini* unam; abiitque univerſus populus, quiſque domum. 20. Tum reverſus eſt David, ut familiæ ſuæ bene precaretur; at Michala, Saülis filia, ei obviam proceſſit; & quàm glorioſus, inquit, hodie fuit Rex Iſraëlis, qui ſe hodie denudavit, coram ancillis ſervorum ſuorum, ut ſe homo nihili denudaret! 21. David verò Michalæ, *ſaltavi*, inquit, coram Jehova, qui me prætulit patri tuo, totique ejus familiæ, ut me conſtitueret ducem populi ſui Iſraëlis, ſaltavi, *inquam*, coram Jehova. 22. Quò magis autem me abjecero, méque ipſe minoris fecero; eò magis color ab ancillis, de quibus dixiſti. 23. Michalæ autem, Saülis filiæ, ad diem uſque mortis ejus, nulli nati ſunt liberi.

VII. Deliberat David de condendo Templo Deo, qui tamen id eum facere vetat, per Nathanem Prophetam, quamvis ejus filium facturum prædicat, & omnis generis beneficia polliceatur Davidi. Quare David gratias ei agit, Deúmque orat, ut re ipſâ præſtaret quod promiſerat.

CAPUT VII. 1. CUM ergo Rex domi ſuæ habitaret, Jehováque ei conceſſiſſet quietem, circumquaque, ab omnibus hoſtibus, 2. dixit Rex Nathani Prophetæ: vide, quæſo, ego quidem habito in ædibus è cedro fabricatis; Arca verò Dei ſubjecta eſt cortinæ. 3. Nathan verò Regi, facito, inquit, quidquid eſt in animo tuo, nam tibi adeſt

mina propria excipias; attamen, quia hæc vox eſt *quadrilittera*, ut loquuntur Grammatici, malim compoſitam dicere ex duabus, quas dixi, vocibus.

Lagenam vini] אשישה *aſchiſchah*. LXX. Intt. λάγανον ἀπὸ τηγάνου. Vulg. *Similam frixam oleo*. Cùm nulla ſit ratio ex ipſa voce petita, quæ oſtendat eâ ſignificari *lagenam*, aut *ſimilam oleo frixam*; malui ſequi Recentiores, qui lagenam verterunt, quia ſuperiora ſunt cibi.

20. *Quàm glorioſus fuit*] מה נכבד *mah niebbad*; quàm glorioſè ſe geſſit, quantum honorem ſibi comparavit? Eſt acris ironia, ut ſequentia oſtendunt.

Se denudavit] Cùm veteres femoralia nulla ferrent, ut oſtendimus ad Exod. XX, 26. & XXVIII, 42. facilè potuit fieri ut qui majore contentione ſaltabant, ſublatâ motu corporis breviore tunicâ, pudenda retegerent. Quod factum videtur tunc temporis, Davide præ gaudio non attendente.

Homo nihili] אחד הרקים *ehhad harekim*, *unus inanium*, aut hominum bonâ mente vacuorum. LXX. Intt. εἷς τῶν ὀρχουμένων, quaſi legiſſet רוקדים *rokedim*, minùs rectè. Meliùs Vulgatus: *unus de ſcurris*.

21. *Saltavi coram Jehova*] Ex ſequentibus verbis, retraximus *ſaltavi*, quia alioqui nimis pependiſſet oratio. Sic LXX. Intt. habent hîc ὀρχήσομαι, quod & in fine commatis repetitur. Ceterùm שחקתי quod propriè eſt *luſi*, aut *riſi*, vertimus *ſaltavi*, re ita poſtulante, ut Exod. XXXII, 6. verbum צחק *tſakkah*, quod huic adfine. Excuſat David violentiorem hanc ſaltationem gaudio, quod ſenſit ex allatione Arcæ Dei, à quo tot & tantis beneficiis adfectus fuerat; cui gaudio nulla admiſſa erat impudica cogitatio, nec proinde geſtus quem quiſquam, ſine malignitate, malè poſſet interpretari.

Saltavi, inquam &c.] *Luſi coram Jehova*. LXX. Intt. παίξομαι καὶ ὀρχήσομαι, junctâ duplici interpretatione ejuſdem vocis; quod eſt, ut opinor, à manu aliena. Mirum etiam eſt eos uſos hîc Futuro, ubi agitur de re præterita, quod & alibi ſæpe faciunt, eò quod eſſent Grammatica deſtituti.

22. *Quo magis &c.*] *Et vilis fiam adhuc magis quàm hoc, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, quas dixiſti, cum iis glorificabor.* Senſus eſt, quò magis apud Hebræos popularem ageret, eo pluris ab iis factum iri. Quod prudens eſt dictum & ſapientia Davidis dignum, quamvis ſuperbi Regis filiæ minùs convenire Regi videretur. Populare autem erat populi publicæ hilaritati intereſſe & eodem modo gaudium ſuum teſtatum facere, quo reliqui cives ſolebant. Sic Auguſtus *civile rebatur miſceri voluptatibus vulgi*, ut docet *Tacitus* Annal. Lib. I. c. 54. ideóque ludos libenter ſpectabat. Sic & David offenſus fuit ſuperbia Michalæ, parum regium putantis, quod ipſe *civile* meritò judicabat.

23. *Nati ſunt liberi*] *Non fuit ei natus*. ולד *valed*. Meliùs alii Codd. ילד *jaled*, ut notavit *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. III. c. XVII, 6. Notari videtur hoc de Michala, quaſi ſuperbiæ pœnas ſterilitate dediſſet.

In CAPUT VII.

1. *DOmi ſuæ habitaret*] Hoc eſt, in monte Sione, tutas ſedes fixiſſet; ex quibus ab hoſtibus migrare ampliùs non cogebatur, ut antea factum erat.

2. *Dixit Nathani*] *Dixit Rex Nathani*; qui fuit inſignis Propheta, cujus conſilio multùm uſus eſt David, per totum regnum ſuum. Vide 2. Par. XXIX, 25.

Cortinæ] Tentorio, fortè pellibus tecto, ut erat Moſaicum, ſed non æquiparandum tecto Templi.

3. *Facito, inquit, &c.*] Cùm res ipſa bona eſſet, nec quidquam haberet quod poſſet reprehendi; Nathan exiſtimavit, nihil obſtare quominùs conſilium ſuum exſequeretur. Prophetæ, ſine ſingulari revelatione, quid factu opus eſſet

Digitized by Google

adeſt Jehova. 4. At *eadem* illâ nocte, alloquutus eſt Jehova Nathanem, his verbis:
ito & dicito ſervo meo, Davidi: ſic dixit Jehova; an ædificares mihi domum, in qua
habitarem, 6. cùm in nulla domo habitarim, à die quo eduxi Iſraëlitas ex Ægypto, ad
hunc uſque diem; ſed vagatus ſim ſub tentorio, aut tabernaculo? 7. Quacúmque va-
gatus ſum, inter omnes Iſraëlitas, an ulli tribuum Iſraëlis, quam juſſerim paſcere po-
pulum meum Iſraëlem, hæc verba dixi: cur non ædificaſtis mihi Ædem è cedro?
8. Nunc ergo dices ſervo meo Davidi: ſic dicit Jehova *Deus* exercituum: te ſumſi ego
è tugurio, cùm ſequereris minores pecudes, ut eſſes dux populi mei Iſraëlis. 9. Tibi
adfui quocumque iviſti, delevique omnes hoſtes tuos è conſpectu tuo, & tibi peperi
famam ingentem, qualis eſt fama magnorum *virorum*, qui ſunt in terris. 10. Conſti-
tui ſedes populo meo Iſraëli, & plantavi eum, ut loco ſuo habitet, nec moveatur am-
pliùs; neque homines injuſti eum oppriment, quemadmodum antehac, 11. & quidem
à tempore quo populo meo Iſraëli Judices conſtitui. Dabo verò tibi requiem ab omni-
bus hoſtibus tuis, & *jam* tibi indicabit Jehova, ſe tibi domum ædificaturum. 12. Cùm
exacti erunt dies tui, & cubabis cum Majoribus tuis; excitabo poſt te prolem tuam,
quæ prodierit è tuis viſceribus, regnúmque ejus firmabo. 13. Ædificabit ea Ædem
nomini meo, regiúmque ejus ſolium in perpetuum ſtabiliam. 14. Ego quidem ero illi
patris inſtar, ille verò mihi erit inſtar filii, quem, cùm deliquerit, virgâ huma-
nâ & ictibus humanis caſtigabo. 15. At benignitas ea ab eo non recedet, quem-
admodum eam revocavi à Saüle, quem è conſpectu tuo ſuſtuli. 16. Firma erit fa-
milia tua, regnúmque tuum, in conſpectu tuo, in perpetuum, Solium tuum
in

eſſet ſcire non poterant, in rebus nequaquam malis, nec lege divinâ definitis, ſed libertati hominum relictis.

4. *Et eadem illa nocte* &c.] *Et fuit illa nocte, & fuit verbum Jehovæ* &c. Nocte, nempe, cujus initio fortè Nathanem alloquutus erat David, aut nocte, quæ diem ſequuta eſt, initiúmque fuit ſequentis νυχθημέρου. Videtur autem voce Deus Nathanem alloquutus eſſe, quandoquidem nullius viſi mentio fit.

An ædificares mihi domum &c.] Hoc eſt, nulla eſt ratio cur nunc potiùs, quàm antea, domum mihi ædifices. Nam Templum Dei paſſim *domus ejus* dicitur, more dudum apud Ethnicos recepto.

7. *Quam juſſerim paſcere* &c.] Conſtituto, nempe, Judice totius Iſraëlis, ex ejus Tribulibus; nam alioqui nulli Tribui toti collatum umquam eſt jus aliarum regendarum.

8. *Cùm ſequereris minores pecudes*] מאחר הצאן *meabbar battſon*, à poſt minores pecudes. Vide 1. Sam. XVI, 11. & ſeqq.

9. *Tibi peperi famam*] *Feci tibi nomen.*

10. *Plantavi eum*] Metaphora deſumta à plantis, & præſertim à vinea, ut Pſ. LXXX, 9, 10. & ſeqq. Eſai. V, 1. & ſeqq.

Homines injuſti] *Filii injuſtitiæ.*

11. *A tempore*] *A die.*

Domum ædificaturum] Daturum tibi liberos, qui familiam tuam propagabunt, ita ut non exſtinguatur, ut ſequentia oſtendunt. Alioquin *ædificare domum* ſæpe ſignificat dumtaxat dare liberos. Vide ad Exod. I, 21. Hic autem mutatur ſubitò prima perſona in tertiam, ut ſæpe apud Prophetas: *indicabit tibi Jehova, quòd domum tibi faciet Jehova.*

12. *Excitabo prolem tuam*] Aut, *confirmabo ſemen tuum*, והקימותי את זרעך *bakimothi eth zarhecha.* LXX. Intt. hic habent: ἀναστήσω τὸ σπέρμα σου — ὃς ἔσται, & poſtea αὐτός, quæ eſt conſtructio κατὰ τὸ σημαινόμενον, ut loquuntur Grammatici, ubi major ratio habetur rei ſignificatæ, quàm generis vocis. Nimirum, hic σπέρμα idem eſt ac υἱός. Vide not. ad Gen. III, 15.

14. *Ero illi patris inſtar*] *In patrem, ille verò erit mihi in filium.*

Virgâ humanâ] בשבט אנשים *virgâ aut ſceptro hominum.* Hoc eſt, modicis pœnis, & quales parentes, inter homines, exigere de filiis ſuis ſolent; nam pœnæ divinæ, Judicis quippe ſummi, graviores eſſe debent; vel exempli causâ, útque Deus omnibus creaturis oſtendat quantopere oderit vitium. Pœnæ divinæ, exempli gratiâ, in Reges, eorúmque genus, ſunt in hac vita exſtinctio ipſa Regum, eorúmque prolis; quod Saüli, ejúſque familiæ contigit, ut monemur vſ. 15.; in altera verò, etiam graviores, pro delictorum magnitudine. At inter homines, parentes de liberis leviores multò pœnas ſumunt, neque enim ſolent totam ſuam ſobolem exſtinguere. Nam quod narratur de Bruto & paucis aliis, id rariſſimum eſt. Vult ergo Deus ſe pœnas quidem ſumturum de Salomone, ejúſque poſteris, ſed quæ ejus ſtirpem non exſtinguerent, neque ſolio prorſus deturbarent; quod per aliquot ſæcula præſtitit, donec tempus advenit, quo & familiæ Davidis & totius gentis Hebrææ aliter rem ſe ſe habere interfuit. Omnia enim Deus in meliorem humani generis uſum ſemper convertit, & meliora dat, quàm quæ promiſit.

15. *Ab eo non recedet*] In perpetuum, nempe, ita ut ſolio deturbatus moriatur, aut ſoboles ejus exſtinguatur. Ceteroqui Deus de Salomone pœnas ſumſit, dum paſſus eſt exoriri illi adverſarios, quos è medio tollere numquam potuit, & qui partem maximam regni Hebræorum filio ejus eripuerunt. Vide 1. Reg. XI, 14, 23, 26.

16. *Firma erit familia ſua*] נאמן neeman, *fidelis*, hoc eſt, firma, quia quæ fidelia ſunt firma eſſe ſolent. Vide 1. Sam. XXV, 28.

In conſpectu tuo] לפניך *lphanecha.* Clarius eſſet לפני lphanai, *in conſpectu meo*; nempe, Dei. Vide vſ. 29. Sic LXX. Intt. ἐνώπιόν μου. Nam ætates, quæ obitum noſtrum ſequuntur, non ſunt coram nobis, ſed coram Deo.

Digitized by Google

in æternum firmum erit. [17.] Hæc omnia verba, prout erant, & omnem hanc viſio-
nem, prout fuit, Nathan dixit Davidi.
[18.] Ingreſſus verò eſt Rex David *Sanctuarium*, conſtititque coram Jehova, & dixit:
quis *eram* ego, Domine Jehova, quæve erat familia mea, ut me huc uſque produxeris?
[19.] Parum etiam hoc tibi viſum eſt, Domine Jehova; ſed & in remotum *tempus* de fa-
milia ſervi tui loquutus es; idque humanâ ratione, Domine Jehova. [20.] Quid præterea
dicet tibi David? Tu noſti ſervum tuum, Domine Jehova.
[21.] Propter verbum tuum, & ſponte tuâ magnam hanc rem omnem præſtitiſti, ut
hæc patefaceres ſervo tuo. [22.] Itaque magnus es, ô Jehova Deus; nam nemo eſt inſ-
tar tui, nec Deus eſt præter te; pro omnibus, quæ auribus noſtris audivimus. [23.] Quæ-
nam eſt, inſtar populi tui, inſtar Iſraëlis, *vel* gens una in terris, quam liberatum ive-
rit Deus, ut ſibi eſſet in populum, ut pareret ei famam, ut rem magnam in veſtri
gratiam faceret, *ô Iſraëlitæ*, & terribilia facta terræ tuæ, *ô Deus*, *útque expelleres* gen-
tes & earum Deos è conſpectu populi tui, quem tibi ex Ægypto liberaſti? [24.] Confir-
maſti tibi populum tuum Iſraëlem, ut ſit tibi populus in perpetuum; tu verò, ô Jeho-
va, ſis illi Deus. [25.] Nunc verò, ô Jehova Deus, rem quam dixiſti de ſervo tuo,
déque

In æternum firmum erit] Primùm de regno terreſtri familiæ Davidis hæc intelligenda, déque longa duratione regni in ea familia; quæ duratio, more Hebræo, poteſt vocari עולם *holam*, hoc eſt, longum tempus; ſed ſublimiori ſenſu, de prole illa Davidis, cui Deus Pater regnum æternum, proprio ſenſu, in omnia dedit. Quod ſi minùs intellectum eo tempore, poſtea tamen ex eventu liquidum factum eſt. De ejuſmodi vaticiniis, vide notata ab *Hug. Grotio* ad Matth. I, 22.

[17.] *Hæc omnia verba*] *Secundùm omnia verba hæc & ſecundùm* —— *ſic alloquutus eſt Nathan* &c.

[18.] *Ingreſſus verò eſt* &c.] Aut *& ivit*; nempe, ad Arcam, quam urbi ſuæ intulerat.

Conſtititque] וישב *vajjeſcheb*, LXX. ϗ ἐκάθισεν, *ſedit*. Vertimus tamen *conſtitit*, quæ non rara eſt Hebraïcæ radicis ſignificatio, quia Hebræi Deum orare, aut alloqui non ſolebant niſi ſtantes, aut ad terram proſtrati. De ſtantibus diximus ad Gen. XVIII, 22. de proſtratis paſſim mentio occurrit. Nec Reges Hebræorum aliter in Templo conſpiciebantur, niſi ſtantes. Vide 1. Reg. XI, 14. 2. Par. XXIII, 13. & Ezech. XLVI, 2. Scio quidem Rabbinos exiſtimare Regibus ſolis licuiſſe ſedere in Templo, qua de re egit *Joan. Seldenus* de Synedriis Lib. II. cap. XIII. Sect. 4. Sed Rabbinis tam antiqua narrantibus non credo & fortè ex hoc ipſo loco perperam intellecto rem confinxerunt.

Quis eram ego &c.] Frequens loquutio, apud Hebræos, quâ quiſpiam indignum ſe profitetur beneficio accepto.

Domine Jehova] אֲדֹנָי יֱהוִֹה quod legunt Rabbini *adonai Elohim*. Crediderim olim lectum, *Adoni Jehovah*, domine mi Jehovah. LXX. habent κύριέ μου, κύριε, unde liquet eo tempore vocem יהוה antecedente אדני, non fuiſſe prolatam *Elohim*, ut tempore *Hieronymi*, qui habet *Domine Deus*.

Huc uſque produxeris] *Feceris me venire huc uſque*; hoc eſt, ad dignitatem regiam evexeris.

[19.] *Parum hoc tibi viſum eſt*] *Et parum adhuc fuit hoc in oculis tuis*.

In remotum tempus de familia] אל בית עבדך למרחוק *el beth habdecha lmerabbock*. At 1. Par. XVII, 17. eſt in hac eadem Hiſtoria על בית *hal beth*. Sed על & אל ſæpe miſcentur.

Idque humanâ ratione] וזאת תורת האדם *vezoth thorath haadam*. Sic legerunt etiam LXX. qui habent οὗτος δὲ ὁ νόμος ἀνθρώπου, & Latinus, qui vertit: *ista eſt enim lex Adam*. Sed 1. Par. XVII, 17. ſic loquitur David: וראיתני כתור האדם המעלה *& vidiſti me ſecundùm ordinem hominis ſublimitatis*. כתורת האדם *chthorath haadam* & כתור האדם *chthor haadam*, ſunt adeò adfinia, ut unum ex altero natum videatur. Facilè potuit excidere, aut addi ת. Attamen non eſt neceſſe ut utrobique ſint eadem prorſus verba, modò utrobique ſit ſenſus rei conveniens. Itaque hic *legem hominis* interpretati ſumus, *humanâ ratione*, hoc eſt, mei & familiæ meæ eam curam geſſiſti, eodem modo quo homines filiorum & nepotum ſuorum curam gerunt, & in futurum iis proſpiciunt. Hic תורה *thorah* interpretati ſumus *rationem*, aut modum, quia *lex* definit rationem, ſeu modum, quo homines ſe gerere debeant, ideóque facilè migrat in hanc poſteriorem ſignificationem; unde etiam, apud Græcos, νόμος promiſcuè legem & conſuetudinem ſignificat. Sic Chaldæus hic habet: חזוא לבני אנשא *morem filiorum hominis*.

Poſſet & *humana ratio* hic eſſe ratio adtemperata naturæ humanæ, quæ homines eò impellit, ut poſteros ſuos felices & eximios inter populares eſſe percupiant. Similem loquutionem habuimus vſ. 14.

[20.] *Quid tibi* &c.] *Quid addet David adhuc te alloqui*? Significat David deeſſe ſibi verba, quibus gratum animum ſuum erga beneficentiam divinam ſignificet.

Tu noſti &c.] Non opus eſt verbis, apud te, qui animum noſti.

[21.] *Propter verbum tuum*] בעבור דברך *bahabour dbarcha*. Hoc eſt, hæc feciſti, propter promiſſiones tuas, quibus te mihi beneficum fore promiſeras. Vide Cap. III, 9, 10. At 1. Paral. XVII, 19. eſt, *propter* עבדך *habdecha*, ſervum tuum, & LXX. Intt. hîc habent διὰ τὸν δοῦλόν σου, hoc eſt, *in gratiam ſervi tui*; neque enim David talia merito ſuo ſibi contigiſſe, apud Deum, jactat.

Sponte tua] כלבך chlibbecha, *ſecundùm cor tuum*; hoc eſt, ſpontaneo animi tui motu, nullâ re provocatus.

Mag-

déque ejus familia, ratam in perpetuum *habeto*, & quemadmodum dixiſti facito.
26. Magnum ſit nomen tuum in perpetuum, dicántque *vulgo*: ô Jehova *Deus* exerci-
tuum, Deus quidem *eſto*, qui præſit Iſraëli; domus verò ſervi tui Davidis ſit firma, in
conſpectu tuo. 27. Nam tu, ô Jehova *Deus* exercituum, Deus Iſraëlis, *rem* aperuiſti
ſervo tuo, dicendo; ædificabo tibi domum. Propterea animum ſuum ſervus tuus com-
paravit ad tibi haſce preces fundendas. 28. Nunc, ô Domine Jehova, tu es Deus
ille *unicus*, verbáque tua ſunt vera, & hanc bonam rem ſervo tuo promiſiſti. 29. Nunc
velis bene facere domui ſervi tui, ut ſit in perpetuum coram te; nam tu, ô Domi-
ne Jehova, loquutus es, & beneficentiâ tua bene eveniet domui ſervi tui, in perpetuum.

VIII. Bella à Davide, cum variis populis feliciter geſta, divitiæque ejus & adminiſtratio regni.

CAPUT VIII.

1. POSTEA etiam David Philiſthæos concîdit & humiles reddidit, eripuitque iis
Metheg-haammam. 2. Concîdit & Moabitas, menſúſque eos eſt fune juſſos in
terram procumbere. Menſus eſt autem, duobus funibus, quos morte afficeret, & in-

Magnam hanc rem] *Magnitudinem*; hoc eſt, magnum hoc beneficium, quod voluiſti etiam mihi per Prophetam patefacere. Hinc LXX. גדלה magnitudinem vertunt ἀγαθωσύνην.

22. *Pro omnibus quæ* &c.] Ex iis quæ à parentibus noſtris accepimus, de beneficiis in Hebræos collatis, ſatis colligimus nullum eſſe Deum præter te.

23. *Liberatum iverit Deus.*] *Iverunt Dii* הלכו אלהים. Sed 1. Par. XVII, 21. eſt הלך אלהים *ivit Deus*, quod eſt perinde. Incommodè LXX. Intt. ὡδήγησεν αὐτὸν ὁ θεὸς λυτρώσασθαι. Reſpicit David ad liberationem ex Ægypto, in quam Deum *euntem* ἀνθρωποπαθῶς inducit.

Ut pareret ei famam] *Ut poneret ei nomen.* Sed τὸ לו *lo*, quod vertimus *ei*, poſſit etiam *ſibi* transferri & de Deo ipſo intelligi. At 1. Paral. XVII, 21. eſt לך *leha* tibi.

O Iſraëlitæ] Hoc ſupplevimus, ut Latinis auribus mutatio ſubita perſonæ, quæ Hebræis frequens eſt, mollior accideret. *Joanni Piſcatori* apoſtrophe hæc nimis dura videbatur, ideóque pro לכם *lachem* malebat legi להם *lahem*; ſed nihil opus eſt, frequentes enim in Pſalmis ſunt ejuſmodi ſubitæ converſiones.

Terræ tuæ] לארצך *leartſecha*. Pro hac voce, quæ ſenſum hic turbat, eſt 1. Paral. XVII, 21. לגרש *legareſch*, *ad expellendum*, quæ vox alioqui neceſſariò etiam hîc ſupplenda eſt. Itaque ex Paralipoménon loco hunc emendandum cenſuerim.

Ut expelleres gentes &c.] Hîc mirè conturbata ſunt verba, quæ hoc ordine leguntur: *è facie populi tui, quem liberaſti tibi ex Ægypto, gentes & Deos earum*, niſi ſuppleas verbum quod eſt in loco parallelo expreſſum. Ideò LXX. Intt. ſuppleverunt τοῦ ἐκβαλεῖν σε, ut & Recentiorum plerique. *Lud. de Dieu* durè hæc omnia vertit: *ad faciendum tibi* (nam לכם vobis refert ad אלהים *elohim*, quod eſt pluralis numeri) *magnificentiam & terribilia terræ tuæ, gentibus & Diis ejus propter populum* &c. Hæc ſunt contorta, ſi conferantur cum loco Paralipoménon.

Et earum Deos] ואלהיו *veelohau*, ſed LXX. Intt. legerunt ואהליו *veoholau*, nam habent σκηνώματα αὐτῶν. Nec rarò metatheſes litterarum in eorum codice deprehendere licet, de quibus vide *Lud. Cappellum* Crit. Sacr. Lib. IV. cap. 7. Sed potior eſt lectio Codicis noſtri, fugantur enim gentes & Dii earum, cùm exterminantur unà cum Deorum cultu. *Tentoria* verò *expelli* non dicuntur.

24. *Confirmaſti tibi populum*] Fœdere cum eo inito, quod Deus conſtantiſſimè ſervavit; quamvis ad id frangendum ſæpiùs ab Iſraëlitis provocatus, jure potuerit ingratos deſerere.

26. *Dicántque vulgo*] לאמר lemor, *dicendo*, vel, *ut dicant*.

27. *Rem aperuiſti*] *Retexiſti aurem ſervi tui*, de qua loquutione diximus ad Ruthæ C. IV, 4.

Ædificabo tibi domum] Dabo tibi poſteros. Vide not. ad Exod. I, 21. & ſupra C. VII, 16.

Animum ſuum ſervus tuus &c.] *Invenit ſervus tuus cor ſuum* &c. Qui non inveniunt, ubi opus eſt, quod neceſſarium eſt ad aliquid præſtandum, ii rem confectam dare nequeunt; ideóque *invenire cor* dicitur, qui id facit quod ſine cordis, aut animi grata adfectione fieri nequit, id eſt, qui ex animo gratias agit.

28. *Deus ille unicus*] אתה הוא האלהים *tu ille Deus*; nempe, unicus eo nomine dignus.

Sunt vera] *Erunt veritas.*

29. *Beneficentiâ tuâ bene eveniet*] *A benedictione tua benedicetur.*

In CAPUT VIII.

1. *Metheg-haamam*] מתג האמה nomen eſt urbis, quod propriè ſignificat *frenum cubiti*. Cur verò ſit urbs ita vocata non conſtat. Gathum autem, fuiſſe inſignem Philiſthæorum urbem, liquet ex 1. Par. XVIII, 1. LXX. Intt. verterunt ἀφωρισμένην. *Aquila* χαλινὸν ὑδραγωγίου *frenum aquæ ductûs*. Chaldæus: תקון אמתא *commoditatem rivi*, aut *diſpoſitionem aquæ ductûs*. Latinus, *frenum* tributi, quaſi legiſſet המס *hammas*. Alii *Ammam* montem fuiſſe volunt, quod quo argumento liqueat non video.

2. *Juſſos in terram procumbere*] השכב אותם ארצה *faciendo eos procumbere in terram*. Videtur hæc fuiſſe conſuetudo Orientalium Regum, erga victos, ſi iis acriùs indignarentur, ut juberent captivos in terram ordine procumbere; deinde fune demenſorum eam partem, quam vellent, occiderent. Nec abſimile vero mihi videtur Moabiticum hunc quoque fuiſſe morem (certè ex nullo alio loco Hebraïcum fuiſſe colligere

Downloaded by Google

integro fune quos conſervaret; fuerúntque Moabitæ ei ſervi, qui adferebant *ad eum* munus. 3. Concîdit quoque Hadadhezerum, Rechobi filium, Regem Tſobæ; cùm iviſſet *David* ad repellendam manum ejus, ad fluvium Euphratem. 4. Cepit ei David mille *currus*, ſeptingentos equites, & viginti millia peditum. Subnervavit verò David omnes *equos* curruum, niſi quòd ex iis centum reliquos currus fecit. 5. Venerant Aramæi Damaſceni ad auxilium ferendum Hadadhezero, Regi Tſobæ, concíditque David Aramæis viginti duo virorum millia. 6. Impoſuit deinde David præſides Aramæis Damaſcenis, fuerúntque Aramæi ſervi Davidis, *ad eum* munera adferentes; & ſervavit Jehova Davidem, quocumque iviſſet. 7. Cepit etiam David clypeos aureos, qui erant ſervis Hadadhezeri, eóſque adtulit Jeroſolimam, 8. Bethacho etiam & Berothai, urbibus Hadadhezeris, abſtulit Rex David ingentem copiam æris.

9. Audivit etiam Thohis, Rex Chamathæ, Davidem omnes copias Hadadhezeris profligaſſe, 10. miſitque Joramum filium ſuum ad Regem Davidem; ut rogaret ſatiſne rectè haberet, eique bene precaretur, quòd bellum geſſiſſet cum Hadadhezero, cúmque

ligere licet) ideóque videtur David crudelem populum eodem ſupplicio affeciſſe, quod de aliis idem ille populus ſumere ſolebat. Sic Iſraëlitæ Adonibezeko idem fecerunt, quod aliis fecerat, Jud. I, 6, 7.

Integro fune] *Plenitudine funis*. Eos qui duobus funibus comprehenſi ſunt occidit, ſed integrum funem, hoc eſt, tertiam partem ſervavit. Cùm autem hæc verba poſſint intelligi de toto populo, aut de exercitu tantùm; malim de exercitu capere, ne Davidem æquo ſæviorem faciamus.

3. *Hadadhezerum*] Idem dicitur 1. Paral. XVIII, 3. *Hadarhezer*. Sed rectior videtur Scriptura hujus loci, quia conſtat *Adados* vulgò dictos fuiſſe Syriæ Reges, & hic ipſe Rex ſic à Syris vocabatur. Hæc nos docet *Nicolaus Damaſcenus* verbis, quæ ſervata ſunt à *Joſepho*, Ant. Jud. Lib. VII. cap. 6. Μετὰ δὲ ταῦτα πολλῷ χρόνῳ τῶν ἐγχωρίων τις, Ἄδαδος ὄνομα, πλεῖον ἰσχύσας, Δαμασκοῦ τε καὶ τῆς ἄλλης Συρίας ἔξω Φοινίκης ἐβασίλευσε: *Multo poſt hæc tempore, indigenarum quidam nomine Adadus, cùm prævaluiſſet, Damaſco & reliquæ Syriæ, excepta Phœnicia, imperavit.* Deinde ſequitur: πόλεμον δὲ ἐξενέγκας πρὸς Δαυίδην βασιλέα τῆς Ἰουδαίας, καὶ πολλαῖς μάχαις κριθεὶς, ὑστάτῃ τῇ παρὰ τὸν Εὐφράτην, ἐν ᾗ ἡττᾶτο, ἄριστος ἔδοξεν εἶναι βασιλέων, ῥώμῃ καὶ ἀνδρείᾳ. *Cùm bellum intuliſſet Davidi Regi Judææ, & multis præliis diſcrimen belli ſubiiſſet, ultimo ad Euphratem commiſſo, in quo victus eſt, præſtantiſſimus regum eſſe, cum robore, tum fortitudine viſus eſt.* Idem teſtatur, in ſequentibus, poſteros ab eo nomen traxiſſe: τελευτήσαντος αὐτοῦ ἀπόγονοι ἐπὶ δέκα γενεὰς ἐβασίλευον, ἑκάστου παρὰ τοῦ πατρὸς ἅμα τῇ ἀρχῇ καὶ τ' ὄνομα τοῦτο ἐκδεχομένου, ὥσπερ οἱ Πτολεμαῖοι ἐν Αἰγύπτῳ: *eo mortuo, poſteri in decem ætates regnarunt, unoquoque à patre accipiente hoc nomen, unà cum imperio, ut Ptolemæi in Ægypto.*

Tſobæ] Pars fuit Syriæ, cujus limites orientales fuerunt Euphratis fluenta, occidentales Syria Damaſcena, & Batanæa, ut oſtendit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. II. c. 6. quem non exſcribemus.

Ad repellendam manum ejus] להשיב ידו *ad redire faciendam manum ejus*; hoc eſt, ad impediendum ne in agros Judæorum irrumperet, nam *manus ejus* meliùs intelligi videtur de Adado, quàm de Davide. Sed legimus 1. Par. XVIII, 3. להציב ידו *ad conſtituendam manum ſuam.* Quod interpretatur *Bochartus*, ut ad Euphratem imperii ſui limites propagaret. Poſteriorem lectionem prætulerunt LXX. Intt. qui habent ἐπιστῆσαι τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ποταμὸν Εὐφράτην, quod ſequutus eſt *Hieronymus*, qui habet: *ut dominaretur ſuper flumen Euphratem.* Quos interpretes, alióſque, qui ſimiliter verterunt, damnare nolim; ſed quia lectiones Codicum noſtrorum ſemper ſequimur, ſenſum, ſi quis iis inſit, ante omnia quærimus, nec tamen ubique quaſi verum præſtamus.

4. *Mille currus*] Hic eſt dumtaxat *mille* אלף *eleph*, ſed ſupplendum eſſe *currus* res ipſa oſtendit, quia in ſequentibus dicitur David equos curruum ſubnervaſſe; ac ſanè in hac eadem hiſtoria 1. Paral. XVIII, 4. dicuntur *mille currus* רכב à Davide capti.

Septingentos equites] Eodem loco, pro *ſeptingentis* שבע מאות *ſchebah meoth*, dicuntur capti *ſepties mille* שבעת אלפים *ſchibbath alaphim* equites, quæ melior eſſe videtur lectio; nam plures ſemper erant equites, quàm currus. Hinc LXX. Intt. hîc habent non tantùm χίλια ἅρματα, ſed & ἑπτὰ χιλιάδας ἵππων.

Subnervavit omnes equos] Eſt tantùm כל רכב *omnem currum*, ſed equos intelligi res ipſa demonſtrat, ut rectè obſervavit *Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 4. quem vide. Idem etiam multis egit de ſubnervatione equorum Cap. XI.

Centum reliquos currus &c.] Quaſi ad monumentum victoriæ. Volunt à Davide ſubnervatos fuiſſe curruum equos, ne Iſraëlitæ currus haberent, & in iis fiduciam collocarent; ſed idem dixeris de reliquo equitatu, quem tamen ſubnervatum à Davide non legimus. Hæc eadem ratio obſtat quominùs iis adſentiamur, qui factum volunt, quia Deus Deut. XVII, 16. vetuit Reges multos equos alere. Si hoc enim ſpectaſſet David, oportuiſſet etiam ceteros equos ab eo ſubnervatos; quod tamen factum non legimus. Malim dicere Hebræis non placuiſſe tunc temporis uſum curruum in bello, ob rationem nobis ignotam.

5. *Aramæi Damaſceni*] ארם דמשק aram dammeſchek, *Syrus Damaſci.*

7. *Aureos*] Aut *auratos*, vel *auro ornatos.*

8. *Bethacho & Berothai*] מבטח ומברתי, quæ nomina alibi non leguntur, nam 1. Par. XVIII, 8. מטבחת *Tibbabbath* & כון *Choun* dicuntur, in hac hiſtoria, urbes Hadadhezeris, è quibus David æs avexiſſe narratur. Crediderim tamen uno nomine quamque harum urbium eſſe vocatam,

ſed

que profligaſſet; nam Thohis bellum cum Hadadhezero gerebat; erántque in manu
Jorami vaſa argentea, aurea & ænea, *quibus donavit Davidem.*
11. Ea conſecravit Rex David Jehovæ, cum argento & auro, quod conſecraverat,
ex omnibus gentibus, quas ſubegerat, 12. ex Aramæis, ex Moabitis, ex Hammoni-
tis, ex Philiſthæis, ex Hamalekitis, è ſpoliis Hadadhezeri, Rechobi filii, Regis
Tſobæ.
13. Peperit etiam ſibi famam David, cùm rediret à profligatione Aramæorum, in
valle ſalis, *ubi* octodecim millia hominum *conciderat*. 14. Impoſuit quoque præfectos
Idumæis, & per totam quidem Idumæam eos conſtituit, omnéſque Idumæi ſervi fue-
runt Davidis; Jehova enim ſervavit Davidem, quocumque iviſſet.
15. Regnavit autem David in totum Iſraëlem, júſque toti populo ſuo juſ-
tè dicebat. 16. Joabus quidem, Tſerujæ filius, exercitui præfectus erat, Jehoſa-
phathus verò, Achiludi filius, à commentariis. 17. Tſadokus, Achitubi fi-
lius, & Achimelechus, Abiatharis filius, Sacerdotes erant, & Seraja Scriba.
18. Be-

ſed lapſum temporis, & ignorationem nominum propriorum aut hìc, aut in librum I. Paralipoménon mutationem invexiſſe; quales multæ ſunt ita manifeſtæ, ut non niſi ab iis, qui numquam eas conſiderarunt, aut inſanabili pertinaciâ laborant, res poſſit negari. In verſione Græca habemus, ἐκ τῆς Μετεβὰκ ϰ̀ ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν πόλεων, in Vulgata, *de Bete & de Beroth.*

9. *Chamathæ*] חמת *hhamath.* Quod nomen eſt urbis quæ poſtea Epiphania, ad quam pertinebant Populi Hebræi fines boreales. Vide ad Gen. X, 17.

10. *Satiſne rectè haberet*] לשלום *de pace*; hoc eſt, de rerum omnium incolumitate.

Bellum cum Hadadhezero gerebat] *Vir bellorum Thohi erat Hadadhezeri.* Vide ſimile loquendi genus Jud. XII, 2.

In manu Jorami] *In manu ejus.* Satis liquet ex ſequentibus verbis Joramum intelligi, qui vaſa dono dedit Davidi.

Quibus donavit Davidem] Hæc ſupplevimus, ita orationis ſerie poſtulante. At 1. Par. XVIII, 10. dicitur Thohis non tantùm miſiſſe filium, ſed etiam *omnia vaſa aurea* &c.

11. *Ea conſecravit*] Sepoſuit ad ædificationem Templi, ſumtúſque alios divini cultûs.

13. *Peperit etiam ſibi famam David*] *Et fecit David nomen, cùm rediret.* De hac loquutione *facere nomen*, egimus ad Gen. XI, 4.

A profligatione Aramæorum, in valle ſalis] At 1. Par. XVIII, 13. dicitur *Abiſaus, Tſerujæ filius, cecidiſſe Idumæos, in valle Salis*; unde intelligere eſt hìc oportere legi *Edom* אדום pro ארם *Aram*, levi mutatione. Proximè enim hìc ſequitur Davidem impoſuiſſe *præſides Idumæis*, & *vallis ſalis* eſt in Idumæa. Sic etiam legitur Pſ. LX, 2. LXX. Intt. habent quoque Ἰδουμαίας. Latinus tamen legit, ut eſt in noſtris Codicibus, nam habet *Syriam.* Voces גי מלח *ge-melahh.* Græci nomen proprium eſſe putarunt, verterunt enim Γημελὰ, quod depravatum in Γεβελίμ. *Euſebius* in locis: Γημελὰ, χώρα Ἐδώμ, ἐν ᾗ βασιλείας φάραγξ ἁλός. *Hieronymo* interprete: GEMELA, *regio Idumæorum, pro qua Aquila & Symmachus interpretantur vallem Salis.*

Octodecim millia hominum] שמנה עשר אלף *ſmonah haſchar eleph.* Sic quoque legitur 1. Par. XVIII, 12. ſed Pſalm. LX, 2. eſt שנים עשר *duodecim millia*; quod mendoſum videtur, nam in numeros menda irrepſiſſe nemo poteſt negare, qui Libros Sacros inter ſe contulerit, aut legerit *Lud. Cappelli* Criticæ Sacræ Lib. I. cap. 10.

15. *Regnavit in totum Iſraëlem* &c.] Satis quidem hoc, ex tota antecedente narratione, liquet; ſed hìc præterea videtur regni tranquillitas indicari, per omnes Populi Hebræi fines, poſt tot relatas victorias.

Júſque toti populo] *Faciens judicium & juſtitiam toti populo.*

16. *A Commentariis*] מזכיר *mazchir.* LXX. Intt. habent ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, alibi ὑπομνηματογράφος. Vulgatus *à commentariis.* Ac ſanè vox eum propriè ſignificat, qui memoriam rerum geſtarum ſervat; quod non poteſt fieri, niſi commentariis, qui complectebantur ea quæ quotidie fiebant. Reges Orientis, ut rerum geſtarum memoria conſervaretur, homines habebant qui earum Ephemeridas ſcribebant, quæ vocabantur ספרי הזכרונות *ſiphre hazzichronoth*, libri memoriales & דברי הימים *dibre hajjamim*, ſeu *dierum geſta*, ut liquet ex Eſtheræ Cap. VI, 1. & Eſd. IV, 15. Hoc autem munus τῶ מזכיר confundi non debet cum *ſcriba*, qui dicitur ספר *ſopher*; diſertè enim hæc munera hìc diſtinguuntur, cùm *Seraja* in ſequentibus *Scriba* nominetur, qui videtur fuiſſe ab Epiſtolis. Fuit nonnemo, qui hos מזכרים *mazchirim* Prophetas fuiſſe contenderet. Sed Joſaphatus hìc nuſquam Propheta fuiſſe dicitur, & ſomnia hominis opere Gallico ſatis confutavimus.

17. *Sacerdotes erant*] Pontifex Maximus, כהן הגדול, erat Abiathar, qui ſub regno demum Salomonis munere ſuo exutus eſt, ut liquet ex 1. Reg. II, 27. ſucceſſorémque habuit non filium, ſed Tſadokum, Ib. vſ. 35. Itaque hìc Tſadokus Elehazarides (1. Par. VI, 5.) conjungitur cum Phinchaſida Achimelecho, non quaſi collegæ in maximo Pontificatu, qui unius erat; ſed quaſi ſecundarii Sacerdotes, ut loquitur Scriptor libri 2. Regum XXV, 18. Cur verò hìc ſecundarii Sacerdotes, omiſſo primario, memorentur, non liquet. Fortè hi adoleſcentes, ægrotante Abiathare, ſacra munera obibant.

Seraja] Vide ad vſ. antecedentem. Hic 1. Par. XVIII, 16. non שריה *Scheraja*, ſed שושא *ſchauſcha* vocatur, quod mendoſum crediderim, quamvis hìc Græci habeant Σασά.

18. *Præ-*

18. Benaja, Jehojadæ filius, *praerat* Cherethæis & Phelethæis; & filii Davidis principes erant.

IX. *Beneficia Davidis in Mephiboſethum, Jonathanis filium.*

CAPUT IX. 1. DIXIT etiam David: num quis eſt ſuperſtes è familia Saülis, ut in eum beneficentiam, propter Jonathanem, exerceam. 2. Fuerat autem familiæ Saülis ſervus, cui nomen erat Tſibæ; quem ad Davidem vocarunt, qui ei, túne, inquit, Tſiba? *Sum*, inquit, ſervus tuus. 3. Superéſtne, inquit Rex, aliquis è familia Saülis, ut exerceam in eum beneficentiam Deo *gratam?* Tſiba verò Regi, eſt, inquit, Jonathanis filius claudus. 4. Ubi eſt? inquit Rex. En eum, ait Tſiba Regi, domi Machiris, Hammielis filii, Lodebare. 5. Igitur miſit Rex, eúmque adſumſit domo Machiris, Hammielis filii, Lodebare. 6. Venit ergo Mephiboſethus, filius Jonathanis, filii Saülis, ad Davidem, concidítque in faciem ſuam, & ſe proſtravit. Tum David, *éſne*, inquit, Mephiboſethus? En me, ait ille, ſervum tuum. 7. David verò illi, ne timeas, inquit, nam in te, propter patrem tuum Jonathanem, beneficentiam exercebo. Jubebo tibi reddi omnes agros avi tui Saülis, atque in mea menſa ſemper cibum ſumes. 8. *Ibi* ſe proſtravit *iterum Mephiboſethus*, & quiſnam erat ſervus tuus, inquit, ut reſpiceres canem mortuum, qualis ego ſum?

9. Vocavit deinde Rex Tſibam ſervum Saülis, eique, quidquid, inquit, erat Saüli, & toti ejus familiæ dedi filio heri tui. 10. Coles ei prædia tu, cum liberis, ſerviſque tuis, & *fructus ei* adſeres, ut ſit filio heri tui panis & unde vivat. Filius verò ipſe heri tui comedet in perpetuum, in menſa mea. 11. Tſibæ autem erant quindecim filii & viginti ſervi. 12. Tſiba verò Regi, faciet, inquit, ſervus tuus omnia, quæ Dominus meus Rex ſervo ſuo mandavit. At Mephiboſethus, *ſubjecit iterum David*, co-

18. *Praerat*] Sic vertimus, quaſi hîc legeretur non והכרתי & *Cerethens* ſed, ut in loco laudato Paralipomenon על הכרתי *ſupra Cherethæum*; ſic enim res neceſſariò poſtulat, cùm lectio hujus loci careat ſenſu. Attamen LXX. Intt. eam ſequuti ſunt, habent enim: Βαναίας υἱὸς Ἰωδαὲ σύμβουλος (יעץ *jobets*) καὶ οἱ Χελεθὶ καὶ Φερεθὶ καὶ οἱ υἱοὶ Δαυὶδ αὐλάρχαι ἦσαν.

Cherethæis] Liquet ex 1. Sam. XXX, 14. Cherethæos fuiſſe familias Tribûs Judæ, ad meridiem Chananææ, vicinas Simeonitis. Sunt qui velint Philiſthæos fuiſſe, cujus tamen nullum ſatis firmum argumentum proferri video. Non videtur David hoſtis acerrimus & domitor Philiſthæorum, legiſque obſervantiſſimus ex incircumciſo populo ſatellites ſibi electurus fuiſſe, ne ſi dicantur quidem Proſelyti facti; cùm turum non eſſet & contumelioſum etiam Hebræis & præſertim Regis tribulibus corporis regii cuſtodiam alienigenis committere. Liquet enim ex Hiſtoria Davidica hoſce homines ſemper ei adfuiſſe, imperatis faciendis paratos. Vide inferiùs XV, 18. XX, 7. 1. Reg. I, 34.

Phelethæis] Hi cùm ſemper conjungantur cum Cherethæis, pariter erant Davidis ſatellites. Crediderim ortos hos eſſe à Pheletho, Tribûs Judæ homine, de quo 1. Par. II, 33. Cur verò David Cherethæos & Phelethæos voluerit eſſe ſatellites ſuos, potiùs quàm alios Hebræos, tacente Hiſtoriâ Sacrâ, nemo divinarit; nec quonam armorum genere inſtructi fuerint, quamvis vulgò ſagittarii fuiſſe putentur.

Principes erant] כהנים *chohanim*, quod propriè quidem *ſacerdotes*, ſed hic *principes* ſignificat; ut colligere eſt ex loco parallelo, ubi filii Davidis הראשנים ליד מלך *primi apud Regem* fuiſſe dicuntur. Hinc αὐλάρχαι dicuntur à LXX. Intt.

In CAPUT IX.

1. UT *in eum beneficentiam* &c.] *Et faciam cum eo beneficentiam*, חסד *hheſed.*

Propter Jonathanem] Cui juratus hoc promiſerat. Vide 1. Sam. XX, 14, 42.

2. *Qui ei* &c.] *Et dixit Rex ei.*

3. *Beneficentiam Deo gratam*] חסד אלהים *beneficentiam Dei.* Quod poſſet etiam intelligi de beneficentia ſimili divinæ, quæ, ut ex ſecundo Decalogi præcepto liquet, etiam in poſteros piorum porrigitur; ad quod exemplum hic David ſe ſe componit.

Jonathanis filius] Hic eſt inter poſteros Saülis nominatus, quia proximus erat Jonathani, cujus causâ poſteris Saülis benefacere cupiebat David.

4. *Lodebare*] Videmur colligere poſſe ex Cap. XVII, 27. urbem Lodebar, ad ortum Jordanis fuiſſe, non procul à Machanajimis; quia cùm Machanajimos perveniſſet David, ad eum hic idem Machir Lodebarenſis venit, cum commeatu.

6. *Conciditque* &c.] More Orientalium, qui non aliter Reges ſalutabant.

7. *Avi tui*] *Patris tui*, אביך *abicha*, quæ vox quemvis ex Majoribus ſignificat.

Cibum ſumes] *Comedes panem*; haud aliter ac filii Regis.

8. *Canem mortuum*] Humilem ſe præbet Saülis Regis nepos, propter imbecillitatem corporis, fortè & animi, quâ negotiis obeundis ineptus erat; nihil enim eſt *mortuo cane* contemtius. Vide 1. Sam. XXIV, 15.

9. *Dedi filio heri tui*] Si privata fuiſſet poſſeſſio, jure ad heredem unicum familiæ perveniſſet, nec auctoritate ulla Regis opus fuiſſet. Sed quia Saül non bona modò paterna, ſed & alia,

comedet in menſa mea, inſtar filiorum Regis. 13. Mephiboſetho filiolus erat, cui
nomen fuit Michæ. Quotquot autem habitabant domi Tſibæ, ſervi erant Me-
phiboſethi. 14. At Mephiboſethus habitabat Jeroſolimæ, quia ſemper in menſa Re-
gis cibum ſumebat, erátque utroque pede claudus.

X. Nachaſo Hammonitarum Rege mortuo, mittit David legatos ad Chanunem ejus filium, ad eum ſolandum; ſed hic contumelioſiſſimè legatos habet, qua de cauſa bellum ei infert David, eúmque ingenti prælio vincit. Tum etiam rebellantem Hadadhezerum in officium redigit.

1. CUM mortuus poſtea eſſet Rex Hammonitarum, loco ejus filius Chanun CAPUT X.
regnavit. 2. Quare dixit David: me benignè geram cum Chanune, Na-
chaſi filio, quemadmodum fecit pater ejus erga me. Miſit ergo per ſervos
ſuos conſolationem ad eum, ſuper patre; iverúntque ſervi Davidis in terram Ham-
monitarum. 3. Verùm principes Hammonitarum Chanuni, domino ſuo, an Da-
vid, inquiunt, honore proſequi tibi videtur patrem tuum, quia miſit ad te qui te
conſolarentur? Annon *potiùs* ut explorent urbem, eámque ſpeculentur, miſit Da-
vid ſervos ſuos ad te, quò eam evertat? 4. Itaque Chanun adprehendit ſervos Da-
vidis, curavitque radi dimidiam eorum barbam, & reſecari dimidias veſtes, uſque ad
clunes & *ſic* eos dimiſit. 5. Nunciatum hoc eſt Davidi, qui obviam illis miſit, quia
homines maximo pudore erant ſuffuſi, dixitque Rex: manete Jerichunte, donec
barba veſtra creverit, tum redibitis. 6. Intellexerunt Hammonitæ ſe inviſos factos
eſſe Davidi, miſerúntque qui mercede conducerent Aramæos Bethrechobenſes, &
Ara-

alia, jure regio, occupaverat, poterátque ejus ſucceſſor ea, quaſi regium patrimonium, ſibi vindicare, & fortè miniſtri Davidis jam ei vindicarant; ideò David ſe ea reſtituere Mephiboſetho teſtatur.

10. *Coles ei prædia* &c.] Rex Tſibam facit bonorum Mephiboſethi adminiſtratorem & cultorem, eà lege ut fructus eorum patrono perſolvat, prout inter eos convenire poſtea potuit.

Servisque suis] Videtur liberæ ſortis fuiſſe Tſiba, ſeu liber natus eſſet, ſeu liberalitate Saülis libertatem conſequutus.

Panis & unde vivat] *Panis & comedat eum*; hoc eſt, unde neceſſarii ſumtus ei, familiæque ejus ſuppetant, quamvis, ad ipſum quod attinet, regiæ menſæ adſidere poſſit.

Ipſe] *Mephiboſeth.*

11. *Omnia quæ*] *Secundùm omnia quæ.*

In Caput X.

2. *ME benignè geram*] *Faciam* חסד *benignitatem.*

Quemadmodum fecit pater ejus &c.] Quo beneficio David à Nachaſo affectus fuerit nuſquam habet Hiſtoria Sacra; ſed quia Nachaſus inimicus erat Saülis, à quo gravi clade affectus fuerat, ut videre eſt 1. Sam. Cap. XI. non difficile eſt intellectu faviſſe eum Davidi, cui infenſum eſſe Saülem ſciebat.

Per ſervos ſuos conſolationem] *Ad conſolandum eum, per manum ſervorum ſuorum* &c. Legatos, nempe, *condolendi*, prout nunc loquimur, cauſà, quod inter amicos Reges olim, ut hodie, fieri ſolebat. Vide 1. Reg. V, 1.

3. *Proſequi tibi videtur*] *Proſequitur honore patrem tuum, in oculis tuis.*

4. *Curavitque radi*] *Et raſit.* Qui per alios facit, id ipſe facere cenſetur. Voluit autem contumelioſiſſimè Davidis legatos habere, barbarâ quadam ſtoliditate violato gentium jure; ne poſtea ulli ad eum venire auderent Hebræi, qui legatorum nomine exploratores eſſent. Solebant, ut ex hoc loco colligere eſt, Hebræi barbam promittere; alioqui facile fuiſſet, alterâ parte barbæ demeſſâ, in Chananæam terram redire. Sed viris barba carere, apud Hebræos, indecorum erat, quod & apud alias gentes moris fuit.

Dimidias veſtes] *Veſtes eorum, in dimidia parte.* Nimirum, antiquo totius Orientis more, longas tunicas geſtabant.

6. *Inviſos factos eſſe Davidi*] נבאשו בדוד *fœtuiſſe in Davide*; hoc eſt, Davidi inviſos eſſe factos. Vide 1. Sam. XXVII, 12.

Aramæos Bethrechobenſes] ארם בית-רחוב *Aram-beth-rechob.* Exiſtimat *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. II. c. 6. non fuiſſe hoc oppidum Syrorum, ſed potiùs Chananææ. *Rechob*, inquit, *fuit in limite aquilonari terræ Chanaan, non procul ab Emath, quæ alio nomine dicitur Epiphania. Vide Num. XIII, 21. Tribui Aſer obtigit Joſ. XIII, 11. & XIX, 28. ſed Chananæi eam, invitis Judæis, retinuerunt.* Non puto tamen ad occaſum Jordanis, aut uſquam inter eum fluvium & mare Mediterraneum ullos *Aramæos*, aut Syros iis temporibus fuiſſe. Is tractus *Chananæa* conſtanter dicitur, nec Chanahanis poſteri cum Aramæis, qui à Semo orti erant, uſquam confunduntur. Aramæi contrà omnes ad ortum Jordanis, aut certè ſupra ejus fontes ad ſeptemtrionem collocantur, una cum ceteris Semi poſteris, ut ipſe *Bochartus* oſtendit. Præterea non eſt credibile Hammonitas auxilium quæſiviſſe trans Jordanem, quod neceſſe habuiſſet

Aramæos Tſobæos, *ad* viginti millia peditum; Regem item Mahachæ, *cum* mille viris; ac Tobenſium duodecim millia. 7. His auditis, miſit David Joabum, cum toto exercitu fortiſſimorum virorum. 8. Egreſſi *urbe* Hammonitæ inſtruxerunt aciem ad portam, Aramæi verò Tſobæi & Reehobenſes, Tobenſes & Mahachatitæ ſeorſim in agro. 9. Animadvertit Joabus *duplicem* eſſe aciei frontem contra ſe, à fronte & à tergo; elegitque ex electiſſimis quibuſque Iſraëlis, quos inſtrueret contra Aramæos. 10. Reliquas verò copias tradidit in manum Abiſaïs fratris ſui, eáſque contra Hammonitas inſtruxit, 11. dixitque: ſi me ſuperiores fuerint Aramæi, me liberabis; ſin verò Hammonitæ te ſuperiores fuerint, ibo ut te liberem. 12. Forti animo eſto & *ſat* validi erimus *pugnatori* pro populo noſtro, próque urbibus Dei noſtri. Jehova verò faciat quod bonum ei videbitur. 13. Adpropinquavit deinde Joabus & copiæ quæ cum eo erant, ad prælium *committendum* cum Aramæis; qui ab ejus conſpectu fugerunt. 14. Cùm autem vidiſſent Hammonitæ fugiſſe Aramæos, fugæ ſe dederunt & *ipſi*, è conſpectu Abiſaïs, urbémque ingreſſi ſunt. *His rebus geſtis*, Joabus rediit ab Hammonitis, venitque Jeroſolimam.

15. Cùm verò vidiſſent Aramæi ſe cæſos fuiſſe in conſpectu Iſraëlis, unà convenerunt, 16. miſitque Hadarhezer, qui adducerent Aramæos è *locis* trans fluvium *ſitis*, venerúntque Chelamum. Sobachus autem, dux exercitûs Hadarhezeris, iis præibat. 17. Quod ubi nunciatum eſt Davidi, congregavit omnem Iſraëlem, trajecit Jordanem, ivitque Chelamum. Aciem verò Aramæi contra Davidem inſtruxerunt, & prælium cum eo commiſerunt. 18. At fugerunt Aramæi è conſpectu Iſraëlis, occiditque David ex Aramæis ſeptingentorum curruum *viros*, & equitum quadraginta millia. Sobachum etiam, exercitûs ducem, vulneravit, adeò ut illic mortuus ſit. 19. Cùm autem vidiſſent omnes Reges, Hadarhezero ſervientes, ſe in conſpectu Iſraëlis cæſos fuiſſe, pace

ſet ad eos venire, per medios agros Hebræorum, niſi longo circuitu per Syriam Damaſcenam tranſire vellet. Itaque Beth-rechob, de qua hîc ſermo eſt, collocarim etiam ad ortum Jordanis, ſeptemtrionem versùs. Nec quidquam vetat *Rechob*, de qua *Bochartus*, & *Beth-rechob* diſtincta fuiſſe oppida.

Tſobæas] De quibus ad Cap. VIII, 5.

Regem Mahachæ.] Mahacha, ut rectè modò laudatus *Bochartus*, videtur eſſe *Ptolemæi* Epicæros, Palæſtinæ urbs ad ortum Jordanis. Certè Deut. III, 14. Joſ. XII, 4, 5. & XIII, 11, 13. pro Hebræo *Mahacha* in Chaldæa Paraphraſi eſt אפיקירוס *Epicæros*. Nec malè convenit ſitus, vicinis enim Hammonitis, contra communes hoſtes Hebræos, eorum locorum incolas auxilium ferre par fuit.

Tobenſium duodecim millia] איש טוב *viri Tob.* Sic dictus eſt tractus Galahaditidis, in quo Jephtheus habitavit. Vide Jud. XI, 3. At hîc LXX. Intt. haberit Ἰστὼβ δώδεκα χιλιάδας, quaſi איש טוב nomen eſſet proprium viri. Sic & Vulgatus, & *Joſephus* qui Ἴστοβον habet, Ant. Jud. Lib. VII. c. 6. Sed idem hos omnes Meſopotamiæ incolas perperam facit.

8. *Egreſſi urbe*] Rabba, nempe, quæ fuit metropolis Hammonitarum.

9. *Quos inſtrueret contra Aramæos*] Fortiſſimos quippe hoſtium.

11. *Me liberabis*] *Eris mihi in ſalutem.* Statuit Joabus vix potuiſſe fieri, ut ſimul ipſe quidem à Syris, Abiſaïs verò ab Hammonitis cæderentur; alioquin enim vix alterius auxilio alter fretus eſſe potuiſſet.

12. *Sat validi erimus*] נתחזק *nithhazzek*; hoc eſt, ſatis erit nobis virium, ad victoriam reportandam, ſi fortiter uterque pugnemus pro patria.

Quod bonum ei videbitur] *Bonum in oculis ſuis.* Hoc eſt, ſi Deo videretur victoriam concedere hoſtibus, in ejus voluntate adquieſcere nos par eſſet; interea fortiter pugnam ineamus oportet.

16. *Qui adducerent*] *Miſit & fecit exire Aram, qui trans fluvium.*

Venerúntque Chelamum] LXX. Intt. non tantùm habent παρεγένοντο εἰς Αἰλάμ, ſed paullò antea Χαλαμάκ, quod videtur corruptio eſſe hujus nominis. *Chelam* autem fuit urbs regni Tſobæ, ut oſtendit verſus ſequens. Hinc tamen *Joſephus* nobis fecit Χαλάμαγον τὸν τῶν πέραν Εὐφράτου Σύρων βασιλέα, *Chalaman regem Syrorum trans Euphratem*, aitque legatum ejus fuiſſe Sabekum, qui Hadarhezeris legatus dicitur à Scriptore Sacro. Eant nunc & homini credant, ex Scriptoribus qui non exſtant, quidpiam producenti.

17. *Ivitque Chelamum*] חלאמה *hhelamah*, quod motum ad locum ſignificat, unde nomen loci eſſe liquet.

18. *Septingentorum curruum viros*] שבע מאות רכב *ſeptingentos currus.* At 1. Par. XIX, 18. dicuntur *ſeptem millia* שבעת אלפים רכב *curruum.* Malim minorem numerum ſequi, Reguli enim Meſopotamiæ, aut Syriæ, tot curruum millia vix habuiſſe videntur. Quod cùm reputaret Joſephus, non *curruum*, ſed *equitum* ἱππέων ἑπτακισχιλίους cæſos ait.

Equitum quadraginta millia] Pro פרשים *phraſchim*, legimus 1. Par. XIX, 18. איש רגלי *peditum*, quod credibilius eſt, & ſequutus eſt *Joſephus*.

19. *Hadarhezero ſervientes*] Potentiſſimus tunc temporis Syriæ & Meſopotamiæ Regum fuiſſe videtur, cùm cis & ultra Euphratem Reges vectigales haberet. Hinc ſatis liquet Babyloniorum Imperium tantum & tam diuturnum non fuiſſe, quàm volebat *Cteſias*, & qui eum ſequuti ſunt.

Ser-

pace factâ cum Iſraëlitis, eis ſervierunt, veritique ſunt Aramæi, ad liberandos Hammonitas poſtea *venire*.

XI. Joabo Rabbam Hammonitarum oppugnante, David adulterium cum Batſeba Uriæ uxore committit, curátque dolo Uriam hoſtibus objici, quo è medio ſublato, viduam ejus domum ducit.

1. ANNO vertente, quo tempore expeditionem ſuſcipiunt Reges, David miſit Joabum, unáque ſervos ſuos & totum Iſraëlem, qui devaſtarunt *fines* Hammonitarum, eóſque obſederunt Rabbæ, dum David Jeroſolimæ maneret. CAPUT XI.
2. *Aliquando verò* cùm David è lecto ſuo ſub veſperam ſurrexiſſet, ambularétque in Regiæ ſolario, è tecto vidit mulierem quæ ſe abluebat, quæ mulier erat formoſiſſima.
3. Miſit itaque David & inquiſivit de muliere, &, annon hæc, inquit, eſt Bathſeba, filia Elihami, uxor Uriæ Chitthæi? 4. Tum miſſis ad mulierem nunciis, eam ſumſit; cúmque ad eum veniſſet, cum ea concubuit. Ea autem purgaverat ſe ab immunditia ſua, domúmque ſuam rediit. 5. Concepit *inde* mulier, miſitque qui indicarent Davidi, ſe eſſe gravidam.
6. Tum David miſit ad Joabum, *qui ei ſuo nomine dicerent:* mitte ad me Uriam Chitthæum; miſitque Joabus Uriam ad Davidem. 7. Venit ad eum Uria, quem interrogavit David de incolumitate Joabi, de incolumitate populi, & an rectè procederet bellum. 8. Tum David Uriæ, ito, inquit, domum tuam, atque ablue pedes tuos. Egreſſus ergo eſt Uria Regiâ, ſequutúmque eſt eum ferculum Regis. 9. At cubuit Uria ad oſtium Regiæ, cum omnibus ſervis domini ſui, neque ivit domum ſuam.
10. Indicarunt autem hoc Davidi, his verbis: Uria domum ſuam non ivit; cui David, nonne

Servierunt] Vectigales facti ſunt, quod pleniùs exprimitur de aliis populis à Davide victis, ut C. VIII, 2, 6.

In CAPUT XI.

1. A*Nno vertente*] *In reditu anni.*

Quo tempore expeditionem] *Tempore quo egrediuntur Reges.* Græci εἰς τὸν καιρὸν τῆς ἐξόδου τῶν βασιλέων. Græcè, & Hebraicè, ἔξοδος *expeditionem* aliquándo ſignificat. Vide ad Gen. X, 10. Tempus anni vernum eſſe videtur, unde *Joſephus* ἀρχομένου τοῦ ἔαρος.

Servos ſuos] Fortè Cherethæos & Phelethæos, quos quaſi prætorianos milites habebat. Vide 1. Reg. I, 33.

2. *E lecto ſuo*] In quo meridiatus erat. Vide Cap. IV, 5.

In Regiæ ſolario] Tecto, nempe, more Orientis plano. Vide ad Deuter. XXII, 8. Cùm autem in edito colle Sionis ædificata eſſet Regia, è tecto in ſubjectas valles, ædeſque in iis ædificatas deſpectus erat.

Se abluebat] Cauſa ablutionis vſ. 4. exponitur. Locus autem videtur fuiſſe atrium, aut hortus, ubi fuit labrum aqua plenum, in quo exutis veſtibus ſe Bathſeba abluebat. Oportet vicinas domos non deſpexiſſe in atrium, aut hortum: alioquin imprudentiſſimum fuiſſet hoc factum mulieris, quæ videtur non credidiſſe è longinquis Regiæ tectis proſpicere quemquam ſe poſſe; qua tamen in re erraſſe eam eventus oſtendit.

3. *Annon hæc eſt Bathſeba*] Formâ ſuâ Regi jam nota fuiſſe videtur, quo factum ut tam ſubitò ejus libido incenderetur. In hac autem oratione, ſupplendum: *mulier, quæ ſe mox abluit*, annon eſt &c. Quod in ædibus Uriæ quæri Rex juſſit, unde intellexit illam ipſam eſſe.

Chitthæi] E gente quidem erat Chananæa, ſed Proſelytus factus erat, ut apud Hebræos viveret.

4. *Purgaverat ſe*] מתקדשת *mithkaddeſcheth*, ſanctificans. Hæc *purgandi* ſignificatio propria verbi fuiſſe videtur, quod deinde ad animi munditiem eſt tranſlatum. Hæc circumſtantia addi videtur, cùm ut indicetur ablutionis cauſa, tum etiam ut intelligant lectores cur illico conceperit Bathſeba; eo enim tempore, faciliorem eſſe conceptum docent Medici.

5. *Miſit qui indicarent*] *Et miſit & indicavit Davidi & dixit: gravida ego ſum.* Rectè *Joſephus* cauſam conjectat, quam ſic exprimit: ὅπως τι ἁμαρτήματος ἐπινοήσῃ τινὰ τοῦ λαθεῖν ὁδὸν, ἀποθανεῖν γὰρ αὐτὴν κατὰ τοὺς πατρίους νόμους ἔδει μεμοιχευμένην: *ut de via occultandi delicti diſpiceret, mori enim eam adulterio admiſſo ex patriis legibus oportebat.*

6. *Qui ei ſuo nomine dicerent*] Supplendum hoc.

7. *De incolumitate*] לשלום *de pace.*

An rectè procederet bellum] לשלום המלחמה *de pace belli.* Sed hîc *pax* felicem ſucceſſum notat, nec Latinè *pax belli* dici poteſt.

8. *Ablue pedes tuos*] Non tantùm ut pulverem ex itinere contractum elueret, ſed ut convivaretur, ſolebant enim tum pedes ablui. Vide ad Gen. XVIII, 3. Eo, nempe, animo vocaverat Uriam, ut cum uxore concumberet, patérque naſcituræ prolis haberetur.

Ferculum Regis] Cibus, quo unà cum uxore convivaretur. *Joſephus* vocat δείπνου μέρη, *cœnæ partes.*

9. *Cum omnibus ſervis* &c.] Cum iis qui excubias illic agebant; unde collegerunt nonnulli Interpretes Uriam ex prætorianis etiam cohortibus fuiſſe. At *Joſephus* ἐν δορυφόροις Ἰωάβου fuiſſe conjecit.

11. *Ar-*

nonne venis, inquit, ex itinere? Cur verò domum tuam non iviſti? 11. At Uria
Davidi, Arca, inquit, Iſraëlque & Juda manent ſub tentoriis; dominúſque meus Joa-
bus, & ſervi domini mei in agris caſtra habent; egóne verò ingrederer domum meam,
ut comederem, biberem, cubarémque cum uxore mea? *Ut* vivis, vivitque animus
tuus, hoc non faciam. 12. Tum David Uriæ, mane hîc, inquit, adhuc hodie, cras
verò te dimittam. Manſit ergo Uria Jeroſolimæ, die illo & craſtino. 13. Vocavit
verò eum David *ad convivium*, comeditque *Uria*, & bibit in ejus conſpectu, & ine-
briatus eſt. Tum egreſſus eſt nocte, ut cubaret in lecto ſuo, cum ſervis domini ſui,
nec domum ſuam ivit. 14. Matutino verò tempore, ſcripſit David epiſtolam ad Joa-
bum, quam per Uriam miſit. 15. Scripſit autem in ea epiſtola, hæc verba: collocate
Uriam è regione *partis ejus*, *ubi* acerrimum erit prælium, ac recedite ab ejus tergo, ut
vulneretur & moriatur. 16. Cùm ergo ſpeculatus eſſet urbem Joabus, collocavit Uriam
in loco, ubi viros fortes eſſe noverat. 17. Poſtea eruptionem fecerunt oppidani, pugna-
rúntque cum Joabo, & ceciderunt *aliquot viri* è populo, è ſervis Davidis, mortuúſque
etiam eſt Uria Chitthæus.

18. Miſit deinde Joabus, qui nunciaret Davidi quid in prælio geſtum eſſet, 19. man-
datiſque inſtruxit nuncium, his verbis: poſtquàm abſolveris dicere Regi quidquid in
prælio contigit, 20. ſi accendatur ira regis, dicátque tibi: cur ad prælium committen-
dum urbi adpropinquaſtis? An neſciebatis *hoſtes* jaculari è muro? 21. Quis occidit
Abimelechum filium Jerubeſethi? Nonne mulier in eum dejecit fragmentum molæ è
muro, mortuúſque eſt Thebetſi? Cur adpropinquaſtis ad murum? Tum dices: etiam
ſervus tuus Uria Chitthæus eſt mortuus. 22. Profectus nuncius venit *Jeroſolimam*, nun-
ciavitque Davidi omnia propter quæ eum miſerat Joabus. 23. Itaque nuncius Davidi,
cùm ſuperiores eſſent nobis, inquit, viri illi, & eruptionem feciſſent in nos, *qui* extra
eramus; eos *tamen* ad portam *oppidi* compulimus. 24. Jaculatores verò tela jecerunt
è

11. *Arca* &c.] Hinc intelligere licet etiam ſub Davide hoc ſolitum fieri, quamvis Rex ipſe abeſſet. Sed & hoc animadvertendum, niſi occaſio fuiſſet oblata narrandi ſermonis Uriæ, Hiſtoricum Sacrum hanc circumſtantiam omiſſurum prorſus fuiſſe, cùm ſuo loco narrata non eſſet; unde colligere licet argumenta ex mero ſilentio deſumta, in horum librorum interpretatione, ſatis per ſe firma non eſſe.

Egóne verò ingrederer &c.] Oportet hunc morem fuiſſe militum, qui ex caſtris aliquò mittebantur, ut à domo ſua & uxore abſtinerent. Alioqui, jubente præſertim Rege, non dubitaſſet domum ire Uria.

Ut vivis, vivitque &c.] *Vita tua, & vita animæ tuæ, ſi fecero hoc.* Jusjurandum eſt, in hanc formulam explicandum: Ut verè Deum oro, ut te vitámque tuam ſervet: ſic etiam eum oro ut pœnas de me ſumat, ſi hoc fecero. Videntur jurandi formulæ εὐφημίας χάριν ellipticæ fuiſſe, ne jurantes nimis apertè capiti ipſi ſuo malè precari viderentur. Jusjurandum autem adhibuit Urias, ne Rex ulteriùs eum urgeret; cùm non eſſet religioſum jubere hominem, qui illicitum nihil jurarat, pejerare. Itaque David non auſus eſt ampliùs Uriam ea de re alloqui, ſed dolo conſequi quod cupiebat conatus eſt.

13. *Inebriatus eſt*] *Inebriavit eum*, quod ad Davidem eſt referendum. Cupiebat hominem ebrium, jurisjurandi immemorem, domum redire & cum uxore concumbere.

Egreſſus eſt &c.] Nempe, regio cœnaculo. Nec tamen ita ebrius fuit, ut jurisjurandi, officiique immemor eſſet.

In lecto ſuo] Aut in quo antecedente nocte cubuerat, aut in quo ſolebat cubare, cùm apud Regiam excubaret, ſi Davidis ſatelles fuit.

15. *Hæc verba*] *Dicendo* לאמר.

Ut vulneretur &c.] Sic delictum alterum delictum parit. Ut enim tegatur adulterium, homicidium committit David, quod occultum fore fruſtra ſperat. Sæpe viri militares, conſuetudine fundendi ſanguinis humani, ceteris hominibus duriores fiunt; & multi etiam famæ ſuæ ſtudioſiores ſunt, quàm veræ probitatis; quos hîc imitatur David, quaſi occultum delictum aperto minus foret; aut perverſo pudore, quo eos non pudet facere quod exprobrari ſibi pati non poſſent.

16. *Speculatus eſſet*] בשמר biſchmor, *cum ſervaſſet*; hoc eſt, cùm circumiviſſet urbem, animadvertiſſétque locum unde fortiſſimi Hammonitarum erumpere ſolebant, ad eum cum præſidio, veluti ut eruptiones coërceret, collocavit Uriam.

18. *Quid in prælio geſtum eſſet*] דברי המלחמה *dibre hammilhhamah*, verba, aut res belli, aut prælii.

20. *Si accendatur ira*] *Si adſcendat ira.*

21. *Filium Jerubbeſethi*] In libro Judicum vocatur *Jerubbabal*, quemadmodum hîc etiam habent LXX. Intt. Sed nihil opus fuit quidquam mutari, nam בשת *boſcheth* aut *beſcheth* ſignificat *rem infamem & pudendam*; proptereáque vox בעל *babal*, quæ fuit nomen Dei, apud Chananæos, ab Hebræis cum ea miſcetur. Sic *Iſch-boſcheth*, Saülis F. vocatur *Eſch-babal* 1. Par. VIII, 33. & *Mephiboſcheth* ejuſdem N. *Merib-babal*, ibid. vſ. 34.

Nonne mulier &c.] Vide Jud. IX, 53.

23. *Qui extra eramus*] השדה *in agrum*, quæ vox opponitur urbi, & quidquid eſt extra mœnia ſignificat. Vid. C. X, 8.

Compulimus] *Fuimus ſupra eos.*

25. *Ne*

Digitized by Google

è muro in ſervos tuos, interfectique ſunt aliquot è ſervis Regis, & tuus etiam ſervus
Uria Chitthæus mortuus eſt. 25. Tum David nuncio, ſic dices, inquit, Joabo: ne
ſiniſtri quidpiam hoc tibi videatur, nam æquè hunc, atque illum, abſumit gladius;
ſed conſtans eſto in oppugnatione urbis, eámque deſtrues. Animum tu ejus confirma.
26. Audivit uxor Uriæ mortuum eſſe virum ſuum Uriam, eúmque luxit. 27. Exacto
verò *tempore* luctûs, miſit ad eam David, eámque domum ſuam duxit, & facta eſt ejus
uxor, ac peperit ei filium. Sed quod fecerat David Jehovæ diſplicuit.

XII. Deus Nathanem ad Davidem mittit, quem graviter, ob adulterium & cædem, caſtigat, puerique ex Bathſeba nati mortem prænunciat, ut & alia mala. Puer moritur, fruſtra Deum deprecante Davide, qui tamen poſtea filium è Bathſeba tollit Salomonem. Interea Rabba, Hammonitarum Metropolis, ad extrema à Joabo redacta, capitur à Davide, qui opes regias diripit, & omnibus ſuppliciis Hammonitas è medio tollit.

1. POSTEA miſit Jehova Nathanem ad Davidem, ivitque ille ad eum, & duo, CAPUT
inquit, viri erant in quadam urbe; quorum unus quidem fuit dives, alter ve- XII.
rò pauper. 2. Diviti erat minorum pecudum, boúmque ingens copia; 3. at
pauperi nihil prorſus erat, præter ovem unam, quam parvam emerat, aluerátque, ita
ut creviſſet cum illo, cúmque filiis ejus. E buccea ejus comedebat, è calice bibebat,
dormiebat in ejus ſinu, eique erat inſtar filiæ. 4. Cùm autem veniſſet viator ad
virum divitem, noluit ſumere è ſuis minoribus pecudibus, aut è ſuis bubus, ut *cœnam*
pararet viatori, qui ad eum venerat; ſed ſumſit ovem viri pauperis, indéque cœnam
pa-

25. *Ne ſiniſtri quidpiam*] *Ne ſit malum hoc in oculis tuis.*

Conſtans eſto in oppugnatione] חזק מלחמתך *confirma bellum tuum*, aut *pugnam tuam.*

Animum tu ejus confirma] וחזקהו *vehhazkehou.*

27. *Exacto tempore luctus*] *Et tranſivit luctus.* De tempore luctûs, quo viduæ debebant defunctos conjuges lugere, nihil eſt lege definitum. Alioquin ordinarii luctûs ſpatium fuit ſeptem dierum. Vide Gen. L, 10. Eccleſiaſtic. XXII, 13. Judith. XVI, 29. &, ſi videatur, *Mart. Geierum* de luctu Hebr. C. II.

In Caput XII.

1. D*Uo viri erant* &c.] Elegantiſſima Parabola, quâ Propheta prudentiſſimè ab ipſo Davide exprimit peccati admiſſi condemnationem, antequàm ei exprobret. Is fuit uſus Orientalium, ut vidimus Jud. IX, 7. & ſeq. eúmque uſum ſequutus eſt ipſe Chriſtus. Qui eas audiunt, quaſi hiſtorias ad ſe minimè pertinentes, adtentiores ſunt, minùs offenduntur, faciliúſque ex iis colligunt quàm ſint vituperandi; quàm ſi aſperâ admonitione affectus eorum incendantur. Pulcrè *Seneca* de Parabolarum uſu, apud Veteres, Ep. LIX. ubi de ſtylo Philoſophico: *Invenio*, inquit, *imagines, quibus ſi quis nos uti vetat & Poëtis illas ſolis judicat eſſe conceſſas, neminem mihi videtur ex Antiquis legiſſe, apud quos nondum captabatur plauſibilis oratio. Illi qui ſimpliciter & demonſtrandæ rei causâ loquebantur parabolis referti ſunt; quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa quâ Poëtis, ſed ut* IMBECILLITATIS *noſtræ* ADMINICULA *ſint, & ut diſcentem & audientem in rem præſentem adducant.* Quod egregiè quadrat in hanc Nathanis Parabolam.

3. *Præter ovem unam*] *Præter agnam unam parvam, quam emerat* &c. Nonnihil invertenda fuerunt verba, quia agna, quæ creviſſe dicitur cum viro, ejúſque liberis, non eſt ampliùs agna.

E buccea ejus &c.] Non ita ſunt hæc intelligenda, quaſi ovis eodem prorſus cibo & potu uteretur ac heri, aut cubaret in eodem lecto, ac paterfamilias. Hæc non patitur natura ovis. Sed David ea quaſi ὑπερβολικῶς καὶ παθητικῶς dicta accepit, de ſumma cura, quâ quiſpiam ovem alebat, quæ totum ejus patrimonium erat, cùm lacte ejus & lana uteretur ad vitam ſuſtentandam. Itaque nihil opus eſt, cum *Sam. Bocharto* & aliis, confugere ad exempla animalium quæ cicurantur & in deliciis habentur; nec ad morem Arabum, qui ſoleant inſignem aliquam ovem apud ſe habere, quam manſuefaciunt, & domi mulgent, nec foras paſtum dimittunt; nam ejuſmodi oves non veſcuntur iiſdem cibis, eumdémve potum bibunt ac domini, nec *in ſinu eorum* cubant. Si quis tamen malit *Bocharto* adſentiri, eum adeat Hieroz. P. I. Lib. II. c. 46.

Eique erat inſtar filiæ] Hæc verba ſatis oſtendunt hyperbolicam hanc eſſe orationem; eámque ita intellexit David, qui Parabolam hanc eſſe ne ſuſpicatus quidem eſt, ut liquet ex ira ejus quæ narratur vſ. 5. Alioqui ſtatim ſenſiſſet Parabolam hanc eſſe, non veram Hiſtoriam.

4. *Veniſſet viator*] Hoſpes, quem paullò lautiùs excipi oportuit.

Noluit ſumere] *Pepercit ſumere.*

Ut cœnam pararet] לעשות *ad faciendum*, hoc eſt, quæ pararet, ſeu coqueret, ut Geneſ. XVIII, 7.

 5. *Val-*

paravit viro, qui venerat ad ſe. 5. *His auditis*, valde accenſa eſt ira Davidis in hominem, & Nathani, *ut* vivit, inquit, Jehova: ſic morte dignus eſt quiſquis hoc fecit. 6. Pro ove quadruplum reddet, quia hoc fecit, nec *pauperi illi* pepercit. 7. Ibi verò Nathan Davidi, tu vir ille es. Sic dixit Jehova Deus Iſraëlis: ego unxi te, ut fieres Rex Iſraëlis, téque è manu Saülis liberavi. 8. Deinde tibi dedi domum domini tui, uxoréſque ejus in ſinum tuum. Te donavi etiam domo Iſraëlis & Judæ. Quæ ſi parum videbantur, alia ſimilia addere potui. 9. Cur verò ſpreviſti verbum Jehovæ, faciendo quod ei malum videtur? Uriam Chitthæum gladio occidiſti; *nam* uxorem quidem ejus tibi

5. *Valde accenſa eſt ira Davidis*] Hinc liquet Davidem credidiſſe veram narrari hiſtoriam, quamvis Propheta neque urbis, neque viri nomen protuliſſet. Exiſtimavit forte quiddam ejuſmodi contigiſſe in regno ſuo, quod mox planiùs dicturus erat Nathan.

Ut vivit Jehova] *Vivit Jehova quòd filius mortis* &c.

Morte dignus eſt] *Filius mortis.* Non quidem ex Lege, ſed propter fœditatem ſimul avaritiæ, & violentiam in nulla rectè conſtituta Civitate tolerandam. Interdum etiam vitandæ ſeditionis causâ, à pauperibus in divites concitandæ, exemplum atrocius ſtatuitur, ne divites alii periculum rerum ſuum adeant.

6. *Pro ove* &c.] *Et agnam reddet quadrupliciter.* Hæc eſt pœna legitima, Exod. XXII, 1. in qua adquieſcere videtur David, quamvis, Reipublicæ causâ, divitem dignum eſſe morte antea pronunciaſſet.

7. *Tu vir ille es*] Cùm ſuperiora ſint prudentiæ hominis, Regis ingenium tractare ſcientis; hæc ſunt conſtantiæ ac fortitudinis propheticæ, perſonæ minimè parcentis.

Ego unxi te] Per manum Samuëlis.

8. *Dedi tibi domum domini tui* &c.] Crediderim *domum* ſignificare hic ædes, agros, ſervos, uxorem, pellices, quæ regio jure videntur ad ſucceſſorem devoluta. Certè jam ad Cap. IX, 7. obſervavimus prædiorum Saülis poſſeſſionem adiiſſe Davidem, quandoquidem pollicetur Mephiboſetho ſe effecturum ut ei reſtituantur. Deus autem ea omnia *dediſſe* Davidi dicitur, cùm eum Regem Saüli ſuffecit; quia, ex Orientis conſuetudine, ſucceſſor prædeceſſoris bona omnia habebat.

Uxoréſque ejus in tuum ſinum] Succeſſori licebat viduas, tam legitimas quàm pellices, deceſſoris ducere; quia ejus ita jure erant, ut qui viduam Regis ducere vellet videretur regnum adfectare, cùm privatus infamare memoriam Regis crederetur, ſi viduam ejus duceret. Vide III, 7. & 1. Reg. II, 22. Sed tamen non videtur neceſſe fuiſſe, ut ſucceſſor omnes relictas ab anteceſſore duceret; imò verò, apud Hebræos, nefas hoc fuit, cùm filius patri ſuccedebat. Nec certò colligi poſſe ex hoc loco crediderim Davidem duxiſſe Achinohamam, quæ una legitima conjux legitur Saüli fuiſſe 1. Sam. XIV, 50. & quæ fortè tunc anus fuit, ac pellicem ejus Ritſpham, quam Abner compreſſerat, poſt mortem Saülis, ut narratur 1. Sam. III, 7. Satis eſt ut eas ducere poſſet, jure ſuo, útque alias habuerit, ſi fortè fuerunt, pellices. Ceterùm hinc non ſequitur Deum eam conſuetudinem probaſſe, ſed tantùm toleraſſe, præſertim cùm multas uxores à Rege duci vetuiſſet.

Alia ſimilia addere potui] *Addam tibi ſicut illa & ſicut illa.*

9. *Spreviſti*] Ita te geſſiſti, quaſi præcepta mea ſperneres. Alioqnin homines non contemtu Dei, quaſi malè ſentirent de ejus Providentia, & Sapientia, ſed potiùs affectu peccare ſolent.

Verbum Jehovæ] Legem divinam, quæ adulterium & cædem vetat.

Quod ei diſplicet] *Malum in oculis ejus.*

Gladio Hammonitarum] Perinde fuit ac jubere Uriam occidi, quandoquidem hominem hoſtibus objici & à ſequentibus deſeri juſſit, qui alioquin interfectus non fuiſſet.

10. *Numquam ſecedet gladius* &c.] *Non recedet in perpetuum*, עד עולם. Erunt dum vives, inter liberos tuos, qui violentâ morte peribunt. Contigit in Amnone, Abſalomo, & Adonija filio, qui ſub finem vitæ Davidis à Salomone eſt occiſus. Ceterùm hæc ita capienda non ſunt, quaſi perpetuæ ac continentes fuerint cædes in Davidis familia, per totam ejus vitam. Satis eſt ut, diſtinctis intervallis, talia contigerint, ut prædictio vera ſit. לעולם leholam, in perpetuum dicitur de vitæ humanæ duratione, Exod. XX, 6. & alibi.

Eam quæ uxor fuit &c.] *Sumſiſti uxorem Ur. Chitthæi, ut eſſet tibi uxor.* Hac in re, ſi propriè loquamur, ſitum non fuit peccatum Davidis, quòd, mortuo Uriâ, uxorem ejus duxerit; nullâ enim lege eam ducere, viro mortuo, vetabatur; ſed in eo quòd virum curaſſet occidi, ut eam duceret, ne jam memorem adulterium antea admiſſum, de quo hic ſermo non eſt.

11. *Excitabo malum in te* &c.] Hic *malum* רעה *rahah* non eſt vitium, ſed calamitas, neque enim Deus vitium excitare poteſt, aut cauſa ejus eſſe quod vetuit, & graviſſimis pœnis plectit. Sanctitas & Juſtitia Dei aliter nos ſentire non patiuntur; cùm (abſit dicto blaſphemia!) deterior futurus eſſet Deus malis hominibus, ſi ipſe ineluctabili quadam ratione homines ad peccandum adduceret, ita ut non delinqnere non poſſent, deinde de inevitabilibus delictis pœnas ſumeret; nam ne improbi quidem, inter homines, ſolent plectere ſcelera, quæ ipſi committenda curarunt. Non ita religione omni erga Deum erant deſtituti priſci Hebræi, nedum Prophetæ, qui ubique Sanctitatem & Juſtitiam Dei prædicant, ut poſſint credi tam malè de Deo ſenſiſſe. Itaque hæc verba *excitabo*, *ſumam*, *dabo*, *faciam*, non poſſunt ſignificare in Nathanis oratione actiones quaſdam Dei, quibus Deus excitaret pravos homines ad hæc facienda, quæ Davidi minatur; ita ut ſine excitatione illa Dei, flagitia, quæ memorantur, facturi non fuiſſent, eáque eos permovente, illa neceſſariò perpetrarint. Contumelioſa hæc ſunt divinæ Providentiæ, ac inventa ſunt diu poſt Chriſtum natum ab hominibus & pravè phi-

Digitized by Google

tibi uxorem duxiſti, ipſum verò gladio Hammonitarum interemiſti. 10. Nunc ergo
numquam recedet gladius, è familia tua, eò quod contemſiſti me, & eam, quæ uxor
fuit Uriæ Chitthæi, uxorem duxiſti. 11. Sic dixit Jehova: excitabo malum in te, è
familia tua; ſumam uxores tuas coram te, dabóque proximo tuo, & cubabit cum
uxoribus tuis, intuente hoc ſole. 12. Quia hoc feciſti clam, ego *idem* faciam coram
toto Iſraële, & coram ſole. 13. Tum David Nathani, peccavi, inquit, in Jehovam.
Nathan verò Davidi, etiam, inquit, Jehova ignovit peccato tuo, nec morieris.
14. At-

philoſophantibus, & parum peritis Sacrarum Litterarum, ac deinde argutiis & tenebris Scholaſticis incruſtata; cùm conſtare debeat omnibus Religionis amantibus, falſiſſima eſſe omnia, quæ divinis virtutibus labem vel minimam adſpergunt, & Scriptorum Sacrorum exploratæ ac perpetuæ ſententiæ contraria.

Quid hæc igitur ſibi volunt loquendi genera? Deum, nimirum, jam eo tempore, noviſſe perverſum ingenium & flagitioſam indolem unius filiorum Davidis, & nequitiam viri unius è regiis Conſiliariis, quas niſi coërceret, Davidi ſummopere nocituræ eſſent; quia verò David uſque adeò libidini ſuæ obſequutus fuerat, ut, perfractis divinis legibus, & adulterium & cædem commiſiſſet, Deum fræna illis malis hominibus laxaturum, ita ut eorum unus Davidem ſolio deturbaturus eſſet; qui David fugiturus ab eo erat, tantâ feſtinatione, ut uxores relicturus eſſet libidini adoleſcentis expoſitas; alter verò conſilium daturus eſſet adoleſcenti, de conſtuprandis regiis uxoribus, quod prudens ei videretur. Cùm autem dicimus Deum *fræna laxare* malis, non intelligimus eum circumſtantiarum omnium curam omittere, merúmque ſpectatorem eſſe; ita ut mali per omnia faciant quod ipſi machinantur, ſine ulla occaſione quæ eos ad hæc, aut illa conſilia convertat. Deus enim, illæſis virtutibus ſuis, poteſt permultas circumſtantias ita moderari, ut ſcelus fiat potiùs hoc modo, quàm alio; licèt voluntatem committendi ſceleris nullâ ratione conſceleratis hominibus immittat. Torrenti nequitiæ, ut ſic loquar, nullas vires addit, ſed impedit ne hac, potius quàm illac, perrumpat; circumſtantiiſque omnes, quæ nihil vitii in ſe habent, ita dirigit & moderatur, ut certum quemdam eventum conſequantur. Sunt autem innumeræ ejuſmodi circumſtantiæ, quibus nihil ineſt mali, & quibus tamen res, pro Dei arbitrio, variantur; Deóque ſunt non pauciores viæ, quibus omnia regat, ſine ulla virtutum ſuarum imminutione & ita ut libertatem interea peccandi, aut parendi hominibus relinquat.

Igitur Deus dicitur hìc *excitaturus*, *ſumturus*, *daturus*, *facturus* quæ mala ſunt, non quòd quidquam mali faciat, aut facere poſſit, ſed 1. quia malum patitur fieri, quod novit futurum, niſi impediat, & quod impedire poſſet; 2. quia circumſtantias omnes regit, procuràtque id fieri quod malum non eſt, ſed flagitii decurſum in quamdam partem avertit.

Hac autem in prædictione, quæ Abſalomi, & Achithophelis ſcelera ſpectat, nemini mirum videri poteſt, à nobis ſtatui Deo perſpectiſſimum fuiſſe pravum & ſceleratum ingenium duorum illorum malorum virorum, & quid datâ occaſione eſſent aggreſſuri, ac facturi, niſi ipſe obſtaret; tum etiam Davidis indolem, ut & totius populi Hebræi, exploratiſſimam fuiſſe, ita ut ſciret quid in circumſtantiis quibuſdam facturi eſſent, niſi interponeret ipſe Providentiam ſuam. His autem poſitis, illæſâ libertate delinquentium (quæ integra ſit oportet, ut dici queant delinqui, pœnæque obnoxii ſint) Deus prævidet quid ſit futurum, potéſtque diu antea prædicere, cùm præſertim ſingulis momentis omnia quæ fiunt, dicuntur, ac cogitantur ab omnibus norit, & impediat quidquid vult, curétque fieri quidquid virtutibus ejus eſt conſentaneum. Etiam viri prudentes & longo rerum uſu edocti, quamquam ne milleſimam quidem partem rerum norunt, quæ ſunt Deo perſpectæ, nec quidquam ad eventum dirigendum & moderandum, quemadmodum Deus, conferunt, ſæpe futura ſatis certò prædicunt; quamvis liberrima ſint, poſſintque, ſi abſolutè loquamur, contraria contingere. Hic in ſcholam Theologicam exſpatiari nolumus, ſed paucis tantùm indicare & rationem ſermonis Hebræorum, & quomodo Deus eventibus malis intereſſe poſſit, eóſque prædicere, ſuis illæſis virtutibus, & integrâ libertate parendi ſuis legibus, aut ſecus, quam hominibus relinquit. Alibi hæc non repetemus.

E familia tua] Reſpicitur factum Abſalomi.

Sumam uxores tuas coram te] Patiar ea fieri, eventúſque ita moderabor, ut, te vivo, filius tuus concumbat cum tuis uxoribus. Sic antea vſ. 8. Deus ait ſe *dediſſe* Davidi *uxores Saülis in ſinum ſuum*, quod nihil aliud ſignificat, niſi Deum effeciſſe ut Saüli, in regno Iſraëlis, ſuccederet; ac proinde bonis omnibus ejus potiretur, uxoréſque, aut pellices ejus, ſi vellet, duceret.

Cubabitque cum uxoribus tuis] Quod factum ab Abſalomo, ex conſilio Achithophelis, infrà C. XVI, 21, 22.

Intuente hoc Sole] *In oculis hujus Solis*; quod dicitur δεικτικῶς, intento in Solem digito. Vult Nathan futurum hoc interdiu.

12. *Ego idem faciam coram toto Iſraële*] Non poteſt ullâ ratione hoc urgeri, quia non niſi ab inſanis & blaſphemis poteſt propriè dici Deus feciſſe ſcelus ab Abſalomo admiſſum. Igitur hoc vult Propheta, futurum hoc, nec Deum impediturum & ita circumſtantias directurum, ut non aliter fieret quàm prædicebat.

13. *Jehova ignovit peccato tuo.*] העביר חטאתך *fecit tranſire peccatum tuum*; hoc eſt, prætermiſit; pœnas de eo, quales meritus eras, ſumere noluit; ſeu te è medio tollere, ut proximè ſequentia verba oſtendunt. Nam cædis & adulterii pœna mors erat, ſive à Deo inflicta, ſine opera hominum, ſive per homines in reum concitatos.

14. Oc-

Digitized by Google

14. Attamen quia hac re occaſionem præbuiſti inimicis Jehovæ *ei* conviciandi, filius ti-
bi natus morietur.
15. Poſtea Nathan domum ſuam abiit, percuſſitque Jehova puerum, quem uxor
Uriæ Davidi pepererat, adeò ut in morbum inciderit. 16. Oravit verò David Deum
pro puero, jejunavit, veniénſque pernoctavit & jacuit humi. 17. Tum ſurrexerunt ſe-
niores domûs ejus, qui eum ex humo erigerent; at noluit, nec cum iis cibum ſumſit.
18. Sed die ſeptimo obiit puer, verebantúrque ſervi Davidis ei nunciare puerum eſſe
mortuum, dicebant enim: cùm etiamnum viveret puer, hominem alloquuti ſumus,
nec voci noſtræ obtemperavit; quomodo ei nunc diceremus, mortuum eſſe puerum?
Malum aliquod *ſibi* inferret. 19. Animadvertit verò David ſervos ſuos inter ſe muſ-
ſitare, intellexitque mortuum eſſe puerum, & ſervis ſuis, an mortuus eſt, inquit
puer? Mortuum eſſe dixerunt. 20. Tum ſurrexit David ex humo, lavit ſe & un-
xit, mutavitque veſtes & ingreſſus Ædem Jehovæ *Deum* adoravit. Dein reverſus
domum petiit adponi ſibi cibum & comedit. 21. *Ibi* verò ſervi illi, quid ſibi vult,
inquiunt, quod feciſti? Pueri causâ, dum viveret, jejunaſti & fleviſti; nunc verò,
cùm mortuus eſt, ſurrexiſti & cibum ſumſiſti. 22. Cùm puer adhuc viveret, inquit
ille,

14. *Occaſionem præbuiſti*] נאץ נאצת את איבי יהוה *conviciando conviciari feciſti hoſtes Jehovæ*; qui dicturi, nempe, eſſent non eſſe cur de Sanctitate Religionis ſuæ uſque adeò gloriarentur Hebræi; cùm is, quem optimum Regem eſſe dicebant, eumdémque Dei Prophetam, homicida & adulter eſſet.

Filius tibi natus morietur] Cùm hoc, quaſi gravis pœna, denuncietur Davidi, eum oportet ſingulari amore Bathſebæ incenſum optaviſſe liberos ex ea ſuſcipere; neque enim ei ceteroqui deerant filii & ſatius erat Davidi hunc puerum mori, quàm vivere, ne perpetuum eſſet ſceleris ejus monumentum. Interea in hiſce minis continetur certum ſignum, ex quo conſtare poterat Nathanem à Deo miſſum ad Davidem; cum prædixiſſet fore ut Bathſeba filium pareret, & mox eum moriturum.

16. *Oravit verò David*] Quamvis enim minas, ſine ulla conditione, protuliſſet Nathan, norat David ſæpe Deum precibus flexum fuiſſe; quòd ferè minæ ejus ex pœnitentiæ conditione, quamvis minimè expreſſa, penderent.

Jejunavit] *Jejunavit jejunando.*

Veniénſque] *Et venit & pernoctavit* &c. Fortè ad Sacrarium, in quo recondita erat Arca; ubi jejunus jacuit humi, per diem & noctem.

17. *Seniores domûs ejus*] Honoratiſſimi miniſtrorum ejus & qui maximam apud eum auctoritatem obtinebant. Vide Gen. L, 7.

Qui eum ex humo &c.] Veſperi, nempe, cùm cœnandum eſſet. Quamdiu autem humi jacuerit & jejunarit David non conſtat, ſed ſub finem morbi infantis videtur hoc factum.

18. *Malum aliquod ſibi inferret*] ועשה רעה *vebaſcharabab.* Subſtituimus, *ſibi*, cùm nihil aliud commodius occurreret. Sic Vulgatus: *ſe affliget.* LXX. Intt. ποιήσει κακά.

20. *Lavit ſe & unxit*] Ab iis lugentes abſtinebant, ideoque cùm lugere definerett David, ad ſolitum cultum corporis rediit. Vide infrà XIV, 2. & XIX, 24.

Mutavitque veſtes] Lugubres, nempe, & ſordidas. Vide *M. Geierum* de luctu Hebræorum, C. XXI. & XXII.

Ædem Jehovæ] Locum ubi erat Arca, ad quam ſe proſtravit, tacitúſque in Dei voluntate ſe ſe adquieſcere profeſſus eſt.

Petiit adponi ſibi] *Et petiit, & poſuerunt ei panem & comedit.*

21. *Quid ſibi vult*, &c.] Nam lugentes ſolebant poſt mortem demum lugere, ut & nunc.

22. *Quis ſcit annon*] מי יודע יחנני *quis ſcit miſerebitur*, omiſſo אם *im*, *an*, aut *ſi*.

23. *Ibo ad illum*] Ibo ad mortuos, mortui ad me non venient.

24. *Cui Salomoni* &c.] Eſt יקרא *jikra*, vocavit, ſed ſubintelligendum קורא *kore*, vocans, quicumque ſit, ut alibi ſæpe. Videtur verò dictus *Salomo* שלמה, quòd regnum Hebræorum, cùm natus eſt, pace frueretur; eſt enim deducendum à שלום ſchalom, *pax*. Videtur autem ſic vocatus à parentibus, nomen verò quod ſequitur à Nathane Propheta juſſu Dei ei impoſitum. Hæc enim contigerunt, ut videtur, poſt confectum bellum Hammoniticum, Rabbâ captâ, quamvis priùs narrentur, ex occaſione narrationis mortis primogeniti Bathſebæ. Cùm enim Rabba obſideretur eo tempore, quo primogenitus Bathſebæ ex Davide conceptus eſt, non videtur ejus exſcidium ad tempus nativitatis alterius filii Bathſebæ dilatum eſſe, hoc eſt, non multò minùs quàm biennium, aut circiter.

Et quem Jehova amavit] *Et Jehova amavit eum*; hoc eſt, ei benefecit.

25. *Jedidjam*] A דוד *doud*, priſca radice, quæ *amabilem eſſe* ſignificavit, unde דוד *amicus*, & nomen ipſum *David*; & יהוה *Jehovah*, aut *Jahavoh*.

Propter Jehovam] בעבור יהוה, *bahabour Jehovah.* In Romano Codice eſt ἕνεκεν Κυρίου, in Aldino ἐν λόγῳ Κυρίου, quaſi legiſſent Interpretes בדבר יהוה *bidbar Jehovah.*

26. *Cùmque eſſet capturus*] וילכד *vajjilcbod*, quod ex ſolita ſignificatione deberet verti *& cepit*, ſed eſſe futurum imperfectum res ipſa oſtendit.

Urbem regiam] *Urbem regni.*

27. *Urbem aquæ*] Fortè intelligitur pars urbis ad fluvium, aut lacum ſita, & quâ captâ, inopiâ aquæ laborantes Hammonitæ brevi ad deditionem erant compellendi. *Joſephus* quoque, in hac hiſtoria, interpretatur interceptam fuiſſe aquam: Ὕδατα αὐτοῖς ἀποτεμόμενος, *cùm aquam illis intercepiſſet.*

28. *Dicatur urbs à Joabo capta*] ונקרא שמי עליה *& vocetur nomen meum ſuper ea.* Vide ſimi-

ille, jejunavi & flevi, quia dicebam: quis ſcit *an* Jehova *non* miſerabitur mei, ita ut
puer vivat? 23. Nunc verò cùm mortuus ſit, cur ego jejunarem? an poſſum
adhuc eum reducere? Ego quidem ibo ad illum, at ille ad me non redibit.
24. Solatus eſt etiam David Bathſebam, uxorem ſuam, & ad eam ingreſſus unà
cubuit, peperitque illa filium, cui Salomoni nomen eſt impoſitum & quem Jeho-
va amavit. 25. Igitur miſſo Nathane Prophetâ, vocavit eum Jedidjam, propter Je-
hovam.

26. Interea oppugnabat Joabus Rabbam Hammonitarum *urbem*, cúmque eſſet cap-
turus eam urbem regiam, 27. miſit nuncios ad Davidem, qui *ſuo nomine* dicerent:
oppugnavi Rabbam, & jam urbem aquæ cepi. 28. Nunc verò, cogito reliquum po-
pulum, caſtra ponito contra urbem, eámque capito; ne eam ipſe capiam, dica-
túrque urbs à Joabo capta. 29. Igitur congregavit David univerſum populum,
Rabbámque profectus eam oppugnavit & cepit. 30. Detraxit coronam capiti Re-
gis Hammonitarum, (cujus pondus erat talenti aurei, & *quæ ornata fuit* gem-
mis) eámque capiti ſuo impoſuit, & maximam prædam ex ea urbe eduxit.
31. Populum verò eductum ſubjecit ſerræ, tribulis ac ſecuribus ferreis, &
tra-

ſimilem loquutionem Gen. XVIII, 16. Ad verbum hæc verti non poterant, ideóque *Hieronymus: nomini meo adſcribatur victoria.* Volebat Joabus, callidus aulicus, honorem captæ urbis ad Davidem referri; ne fortè Rex poſtea ei gloriam illam invideret, útque ejus famæ, quàm ſuæ ipſius ſtudioſior eſſe videretur.

30. *Regi Hammonitarum*] *Regi eorum*, מלכם, quod refertur ad Hammonitas in urbe captos.

Talenti aurei] ככר זהב *chiccbar zabab.* Talentum quidem argenteum fuit trium millium Siclorum, aut ſemunciarum Romanarum, ſeu mille quingentarum argentearum unciarum; talentum verò aureum, æqualis ponderis, quater & decies fuit argenteo precioſius. Ex calculo *Ed. Bernardi* fuit pondus talenti 150 librarum *de Troy*, & pluſquàm librarum 123 *Avoir du poids*, ut in Anglia loquuntur; unde intelligere licet, ſi coronæ Regis Hammonitarum tantùm pondus fuerit, eam non potuiſſe ab eo capite geſtari, ſed machina quadam, ſeu fune ſuſpenſam fuiſſe, ita ut videretur adhærere capiti Regis eam ſubeuntis, dumtaxat oſtentationis causâ, & in throno ſedentis. Quod ſi cui hoc diſpliceat, oportebit vocem משקלה *miſchkalah*, quam vertimus *pondus ejus*, interpretari tralatitio ſenſu *pretium ejus*; ita ut intelligamus eam coronam talenti aurei pondere emtam, propter gemmas præſertim, quibus erat ornata. *Joſephus*, in hac hiſtoria Lib. VII. c. 7. habet *σταθμὸν ἕλκοντα χρυσοῦ τάλαντον, pendentem aureum talentum.* Addit Sardoniche ornatam, cujus rei rationem ingenioſam & eruditam reddit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. V. c. 7.

Eámque capiti ſuo impoſuit] Ut intelligerent Hammonitæ ipſum in poſterum fore eorum Regem.

31. *Subjecit ſerræ*] *Poſuit in ſerra*, hoc eſt, ſerrâ diſſecuit. Hoc inter ſævitiæ Caligulæ genera recenſetur à *Suetonio*, Cap. 27. *medios*, inquit, *ſerrâ diſſecuit. Iſ. Caſaubonus*, ad eum locum, nonnulla alia exempla crudeliſſimi ſupplicii profert, aitque fuiſſe hoc olim familiare Orientalibus, etiam Judæis. Ego verò non puto Judaïcum fuiſſe hoc ſupplicium, cujus nec in Lege, nec alibi ulla ſit mentio. Crediderim Hammoniticum fuiſſe, Hammonitáſque victos eodem modo eſſe habitos à Davide, quo ipſi hoſtes devictos habere ſolebant, & captivos in bello Judæos habuerant. Nam hæ pœnæ nimiæ ſine dubio fuiſſent violatorum legatorum, quibus illata quidem fuerat contumelia, ſed qui malo nullo fuerant alioquin adfecti. Nulla fuiſſet injuriæ illatæ & ultionis proportio, ſi propter ſectas partim barbas & veſtes, Hammonitæ fuiſſent promiſcuè ferrâ diſſecti, tribulis ac ſecuribus ferreis ſubjecti, ac in fornacem ardentem conjecti. Tam immania hæc ſunt ſupplicia, ut nullâ ratione excuſari poſſet David, ſi primus ejuſmodi exemplum ſtatuiſſet, aut in vulgus Hammonitarum, propter Regis peccatum, ſine diſcrimine, tam crudeliter ſæviiſſet. Verùm minuetur multùm ſævitiæ ſpecies, quæ legentes horrore concutit, ſi ſtatuamus ſic Hammonitas ſolitos fuiſſe facere. Similia antea de Moabitarum ſupplicio, multò mitiore, diximus ad Cap. VIII, 2.

Seb. Schmidius aliam viam excuſandi Davidis inivit; negat enim Hammonitas ſerrâ diſſectos, aut aliis crudelibus ſuppliciis occiſos. Vult illos tantùm levioribus vulneribus fuiſſe adfectos, ita ut ulcera & ſtigmata remanerent. Sed *ponere in ſerra, in tribulis ferreis, & ſecuribus ferreis* multò atrociora videntur ſignificare, & mortem complecti. *Joſephus* habet *τοὺς δὲ ἄνδρας αἰκισάμενος διέφθειρε, viros excarnificatos occidit.* Crediderim etiam hæc ad ſolos armatos, ſatellitéſque Hammonitarum Regis eſſe referenda, ne ſævitiam nimiùm extendamus; quam etiam intra arctiores limites coarctatam vix ac ne vix quidem ferre poſſumus.

Erunt fortè qui velint haſce pœnas inflictas fuiſſe, Dei ipſius juſſu, qui cùm magnitudinem delictorum Hammoniticæ gentis noſſet, id ſupplicium de iis ſumi voluit. Sed nullum imperii divini veſtigium hîc, aut alibi quidquam ſimile occurrit. Deleri Gentes Chananæas juſſit, ſed ſine ulla mentione ejuſmodi cruciatuum; ac ſanè graviſſimæ pœnæ, quas Deus de peccatoribus ſumit, non ſunt hujus vitæ, nec ſumuntur miniſterio hominum, qui ſic naturam humanam paullatim exuerent.

Tribulis ac ſecuribus ferreis] ובחרצי הברזל ובמגזרת הברזל. LXX. Int. *ἐν τοῖς τριβόλοις τοῖς σιδηροῖς καὶ ὑποτομεῦσι σιδηροῖς.* Vulgatus: *ferravit & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitque cultris.* Quæ ſupplicia ſunt immanis ſævitiæ, & intolerandæ prorſus, niſi Hammonitæ

 eo-

trajecit per fornacem laterariam. Sic ſe geſſit erga omnes Hammonitarum urbes, & cum toto populo Jeroſolimam reverſus eſt.

XIII. *Amnon Davidis filius, Thamaram, Abſalomi fratris ſororem, vitiat, domóque ſuâ ejicit. Abſalomus dolo captum Amnonem occidit, & ad avum Geſſuritarum Regem profugit.*

CAPUT XIII.

1. CUm Abſalomo, Davidis filio, pulcra eſſet ſoror, cui nomen erat Thamaræ,
amore ejus poſtea captus eſt Amnon, Davidis filius. 2. Ita verò angebatur
Amnon, ut in morbum inciderit, propter Thamaram ſororem ſuam, quia virgo erat, & difficile videbatur Amnoni ei quidquam facere. 3. Amnoni autem amicus erat, cui nomen Jonadabo filio Simhæ, fratris Davidis; qui Jonadabus erat vir
calidiſſimus. 4. Is dixit Amnoni, quare, ô Regis fili, quotidie mane macilentior
videris? Annon indicabis mihi? Amnon verò illi, Thamaram, inquit, ſororem Abſalomi fratris mei, amo. 5. At Jonadabus illi, cuba, inquit, in lecto tuo, & te ægrum
finge. Deinde pater te inviſet, dicéſque illi: veniat, quæſo, Thamara ſoror mea, &
cibum mihi offerat, parétque coram me cibum, ut videam, útque ex ejus manu comedam. 6. Cùm ergo decubuiſſet Amnon, & ægrotare ſe finxiſſet, eum inviſit Rex,
dixitque Amnon Regi: veniat, quæſo, Thamara ſoror mea, faciátque coram me duas
pla-

eorum primi auctores fuerint. Si David pormus Hebræorum auctor fuiſſet ac inventor earum pœnarum, non potuerunt vicini vituperari, ſi Hebræos immaniſſimas feras, non homines, fuiſſe crediſſent; quod & eos ad convitia in Deum Iſraëlis jacienda adducere potuiſſet, alienóſque planè ab ejus cultu reddere.

Trajecit per fornacem laterariam] Sequuti ſumus τὸ *keri*, ex quo legendum במלכן *bammalben*, quod legerunt & LXX. Int. qui habent διὰ τοῦ πλινθίου, ut Vulgatus qui vertit, *in typo laterum*. De fornace lateraria ardente, in qua fuerint vivi combuſti, intelligo. Qui τὸ כתיב retinent volunt מלכן *malchen* intelligi de Templo Molechi, ſed ſine exemplo.

Erga omnes Hammonitarum urbes] Erga eos, ut dixi, quos armatos deprehenderunt, nam in totam gentem, à Deo minimè devotam, ita ſævire numquam ſuſtinuiſſet David; aut ſi tale quid feciſſet, non potuiſſet non vituperari. Nuſquam apud Ethnicos, niſi fortè efferatas barbarie gentes, ita in victos ſævitum eſt. Itaque non ſunt exempla, quacumque ratione res explicetur, quæ Chriſtianis proponi poſſint, aut populum ullum excuſare, qui ſimilia fecerit. *Sit primum, ultimúmque illud ſupplicium*, apud gentes, quas Deus cognitione ſui colluſtravit, *exempli parum memoris legum humanarum*; dénique illæ operam, ut jure poſſint *gloriari nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas*. Liceat enim *Livii* verba, nonnihil mutata, de nimium atroci ſupplicio, hanc in rem uſurpare.

Quæret fortè nonnemo, cur Scriptor Sacer ſupplicia hæc non ita expoſuerit, ut liqueret utrum, ex ejus ſententia, vituperandus, an excuſandus eſſet David; cùm præſertim lectoris multùm hoc intereſſet, ne bene ſentiret de nefaria crudelitate, aut malè de Rege & Propheta Davide & fortè etiam de Religione Hebræorum? Rationem ejus rei Deus novit, ego verò ignorare me fateor. Hoc unum ſcio breviſſimas has eſſe hiſtorias, miniméque ad canones conſcribendæ Hiſtoriæ exactas, & rectè dixiſſe *Auguſtinum* lib. contra Mendacium, ad Conſentium C. XIV. *non ideò debere imitanda exiſtimari, quia in eis reperiuntur libris, qui ſancti & divini merito vocantur.* Norma vitæ noſtræ non ſunt actiones hominum, ſed divinæ Leges.

In CAPUT XIII.

1. *CUm Abſalomo* &c.] *Et fuit poſtea & Abſalomo, filio Davidis, ſoror pulcra & nomen ejus Thamar, & amavit eam* &c. Hæc & ſimilia profero, ut liqueat narrationem Hebraïcam non poſſe Latinis verbis exprimi, ſine mutatione ordinis verborum, conjunctionum, temporum & modorum; quamvis in re ipſa nihil mutetur.

Davidis filius] Ex Achinohama Jizrehelitide, iſque primogenitus fuit filiorum Davidis, 2. Sam. III, 2.

2. *Quia virgo erat*] Si enim nupta fuiſſet, potuiſſet ſperare eam ad adulterium clam committendum pellici poſſe; nam ſororem ſuam ducere, legibus Hebræorum, ſperare non poterat.

Difficile videbatur] ויפלא בעיני אמנון *mirabile erat in oculis Amnonis.* Rectè *Latinus difficile ei videbatur.* Abſurdè Græci: ὑπέρογκον ἐν ὀφθαλμοῖς Ἀμνών.

3. *Vir callidiſſimus*] חכם מאד *hhacham meod.* Hinc liquet hanc vocem non pro *ſapiente* tantùm, ſed & pro *callido* ſumi; ut Græcam σοφὸς, quæ in bonam & malam partem ſumitur.

4. *Quotidie mane*] *In mane, in mane.* Hoc eſt, in diem macilentior videbatur.

5. *Veniat, quæſo, Thamara* &c.] Fingit quoddam faſtidium, quo factum eſſet, ut in languorem incideret; quod fortè minueretur, ſi cibum è manu ſororis acciperet.

6. *Faciatque coram me* &c.] Eo tempore, filiæ Regum videntur interdum ſe ſe ejuſmodi laboribus oblectaſſe; & fortè Thamara ejuſmodi edulium, quodcumque ſit, eximiè parare cenſebatur.

8. *Depoſuit*] וַיָּלֶשׁ. Sic legitur in textu, ſed in margine notant Maſſorethæ τὸ ו abundare.

Po-

placentas, quas de manu ejus *ſumtas* comedam. 7. Itaque David miſit ad Thamaram
domum, qui dicerent: ito, quæſo, domum Amnonis fratris tui, eique cibum parato.
8. Ivit itaque Thamara domum Amnonis, fratris ſui, (ille autem decumbebat) ſumſit-
que maſſam farinæ, quam depſuit, placentáſque fecit coram eo, & eas coxit. 9. Tum
captâ ſartagine, eas coram eo effudit; ſed noluit Amnon comedere, dixitque: educite
viros omnes à me. Itaque ab eo viri omnes egreſſi ſunt. 10. Dein Thamaræ, adfer, in-
quit, mihi cibum in cubiculum interius, comedámque è manu tua. Cepit ergo Thama-
ra placentas, quas fecerat, eáſque tulit ad Amnonem fratrem, in cubiculum interius.
11. Poſtea ei adpoſuit illa, ut comederet; at ille eam adprehendit, & veni, inquit, ſo-
ror mea ac mecum concumbe. 12. Illa verò, ne, inquit, frater mi, ne me comprimas;
neque enim ita fieri ſolet, in Iſraële; ne hoc flagitium admiſeris. 13. Ego verò quî
probrum meum purgarem? & tu flagitioſus habereris in Iſraële. Alloquere, quæſo,
Regem; me enim tibi non negabit. 14. Sed noluit ille puellæ voci obtemperare, eá-
que fortior cùm eſſet, eam compreſſit & cum ea concubuit. 15. Deinde Amnon maxi-
mum in eam concepit odium, majus enim fuit odium, quo tum eam proſequutus eſt,
amore ejus quo flagraverat, dixitque puellæ: ſurge & abi, 16. Illa verò, ne cauſam
præbeas huic malo majori eo, quo me affeciſti, dimittendo me. 17. At ille obtempe-
rare ei noluit, vocatóque puero, qui ei miniſtrabat, emittite, inquit, quæſo, iſtam à
me foràs, & poſt eam *egreſſam* januam obſerate. 18. Induta autem erat ſtolâ polymitâ,
ſic

Potiùs erat punctandum וַיָּלֹשׁ quod regulare eſt, quàm litteram ſuperfluam ſine ratione fingere. Sed ita moroſi fuerunt Magiſtri.

10. *In cubiculum interius*] חדר *hhered*; hoc eſt, penetrale in quo erat lectus. Τὸ ταμιεῖον, & τὸν κοιτῶνα habent LXX. Intt. *Joſephus* eodem ſenſu τῷ ἐνδοτέρῳ οἴκῳ. Fortè ex lecto ſurrexerat Amnon, cùm Thamaram ad ſe veniſſe audivit, & in aliud eam excepturus iverat, è quo debilitatem ſimulans in prius rediit, ut eò Thamaram ſolam adduceret.

12. *Neque enim ita fieri ſolet*] *Quia non fiet ſic in Iſraële*; hoc eſt, per vim non ſolent puellæ comprimi, ſed ambiuntur earum nuptiæ & legitimis ritibus adhibitis domum ducuntur. Futurum eſt conſuetudinem ſignificans, ut v. 18.

Flagitium] הנבלה *hannebelah*, quæ vox in hoc negotio ſolet adhiberi. Vid. Deut. XXII, 21.

13. *Qui probrum meum purgarem*] אנה אוליך את חרפתי *quo faciam ire probrum*, aut *opprobrium meum*; hoc eſt, quibus rationibus poſſem efficere ne infamis haberer.

Flagitioſus] *Ut unus flagitioſorum* נבלים *nebalim*. Vox *ſtultus* non eſt ſatis gravis. Vide Pſalm. XIV, 1.

Me tibi non negabit] Videtur Thamara non ignoraſſe inceſtas ejuſmodi nuptias illicitas fuiſſe, apud Hebræos; ſed ita fratrem alloquuta, ut è manibus ejus, quacumque ratione poſſet, elaberetur; ne ſpem omnem nuptiarum negando, hominem ad ſtuprum magis accenderet. Ταῦτα δὲ ἔλεγε βουλομένη τὴν ὁρμὴν αὐτοῦ τῆς ὀρέξεως αὐτῆς τὸ παρὸν διαφυγεῖν. Verba ſunt *Joſephi*, quæ Latinè ſonant: *Hæc dicebat volens impetum ejus cupiditatis in præſentia vitare.*

15. *Deinde Amnon maximum* &c.] Multis quærunt Interpretes, quæ tam ſubiti odii cauſa eſſe potuerit, nec quidquam inveniunt quod ſatisfacere poſſit; quia nihil certi, aut veriſimilis vel ex re ipſa, vel ex rei circumſtantiis deduci poteſt. Satis eſt multa poſſe fieri & dici, quæ odium moveant, & libidinoſum adoleſcentem, qui ne à ſorore quidem abſtinere potuerat, facilè contrario affectu potuiſſe moveri; cùm videret, expletâ libidine & reſtincto cupiditatis ardore, ipſâ fruitione, ſe pro brevi voluptate, magnum piaculum admiſiſſe. Itaque occaſionem contracti tanti ſceleris ſubitò averſari cœpit, eamque amotam à ſe cupiit.

16. *Ne cauſam præbeas huic malo* &c.] אל אודות הרעה הגדולה *al odoth harahah haggedolah.* Ex terminatione vocis אודות *odoth*, colligere licet eſſe nomen fœmininum; & quia additâ præpoſitione על, conſtanter ſignificat *propterea*, ſignificationem vocis eſſe *cauſas*, ita ut על אודות *hal odoth* ſignificet *hiſce de cauſis.* Hoc verò in loco, ubi non על hal, *propter*, antecedit, ſed particula deprecandi אל, *al*, ne, crediderim ſubaudiendum imperativum תן then, *da*, aut *pone*: אל תן אודות הרעה *ne præbeas cauſas mali.* LXX. Intt. habent περὶ τῆς κακίας. Prætermiſit *Hieronymus.* Crediderim, ut hoc obiter addam, deducendam vocem ex futuro Hiphil verbi ידה *jadah*, nam אודה eſt *profitebor*; cauſæ autem agendi ſunt rationes, propter quas nos quidpiam facere profitemur.

Majori eo, quo me affeciſti] Quia interdiu emittere, & ſine decenti comitatu, erat eam infamiæ exponere, prout contigit.

17. *Emittite*] Tu & alii ſervi. Violenti hunc adoleſcentem ingenii eſſe oportuit, ut ſororem à ſe vitiatam ſic contumelioſè, nullâ decori habitâ ratione, dimitteret, nec curaret quid eſſet dictura. Quia primogenitus erat Davidis, inſolentiùs fortè, quaſi Rex poſt patrem futurus, ſe gerebat. Mirum eſt tam bono viro, qualis David fuit, tam nequam fuiſſe liberos. Polygamiam mali cauſam fuiſſe putarim, propterea enim liberorum ſuorum matribus curâ relictâ, contigit eos malè educari, ut fit in Gyneceis omnium Regum Orientis.

Obſerate] נעל nehol, *obſerato*, pro mutatione ſollemni numerorum.

18. *Induta autem erat ſtolâ polymitâ*] ועליה כתנת פסים *vehaleha chthoneth phaſſim.* Vide not. ad Gen. XXXVII, 3. & *Joan. Doughtæum* in Analectis Sacris P. I. Excurſ. XCIII. ubi de variegatis veſtibus, loca Ethnicorum multa profert.

ſic enim ſolebant indutæ eſſe filiæ Regis virgines, ad ſtolas ſuperiores quod attinet.
Eduxit autem eam ſervus foràs, & poſt eam *egreſſam*, oſtium clauſit. 19. Injecit verò
Thamara pulverem capiti ſuo, ſtolam polymitam, quâ erat induta, laceravit, manus
capiti impoſuit, ivitque flens ac vociferans.

20. At ei frater ejus Abſalomus; an Amnon, inquit, frater tuus tecum congreſſus
eſt? Tace nunc, ſoror mea; frater tuus eſt, ne hæc res cordi tibi ſit. Abhinc manſit
Thamara deſolata, domi fratris ſui Abſalomi. 21. Rex autem David hæc omnia audi-
vit & vehementer ſuccenſuit. 22. Sed Abſalomus cum Amnone neque malè, neque be-
ne loquutus eſt; quia Abſalomus Amnonem odio habebat, quòd ſororem ejus Thama-
ram compreſſiſſet.

23. Exactis deinde duobus annis, cùm Abſalomo tonderentur *oves* Bahal-chatſore,
qui *pagus* eſt ad Ephraïmum ſitus, Abſalomus omnes Regis filios *ad convivium* voca-
vit, 24. ivitque ad Regem; & tondentur, inquit, *oves* ſervo tuo, veniat Rex cum ſer-
vis ſuis ad ſervum tuum. 25. Rex verò Abſalomo, ne eamus, inquit, fili; ne, quæ-
ſo, eamus omnes, ne oneri tibi ſimus. Urſit quidem *Abſalomus* Regem, ſed noluit
Rex ire, eique bene precatus eſt. 26. Tum Abſalomus, annon, quæſo, inquit, no-
biſcum veniet Amnon frater meus? Rex verò illi, cur iret, inquit, tecum? Urſit
tamen eum Abſalomus, miſitque cum eo Amnonem, & omnes filios ſuos. 28. Man-
datum autem dedit Abſalomus ſervis ſuis, his verbis: animadvertite, cùm Amnon ani-
mum ſuum exhilaraverit vino, & dicam vobis; ferite Amnonem, eúmque occidite, ne
timeatis, annon *hoc facietis*, quia vobis præcepero? Conſtanti animo & ſtrenui eſtote.
29. Se ergo geſſerunt ſervi Abſalomi, erga Amnonem, quemadmodum eos juſſerat Ab-
ſalomus; ſurrexerúntque omnes filii Regis, & conſcenſo quiſque mulo ſuo, aufuge-
runt. 30. Cùm in via etiamnum eſſent, rumor ad Davidem pervenit, dicentium: oc-
cidit Abſalomus omnes filios Regis, & ne unus quidem eſt ſuperſtes. 31. Tum ſur-
rexit Rex, laceravitque veſtes ſuas, & jacuit humi. Omnes etiam ſervi ejus, lacera-
tis veſtibus, adſtabant. 32. *Ibi* verò Jonadabus, filius Simhæ, fratris Davidis, ne di-
cat, inquit, dominus meus, omnes adoleſcentes Regis filios eſſe occiſos, nam Amnon
ſolus mortuus eſt; hoc enim dixerat Abſalomus, ab eo die, quo *Amnon* Thamaram
ſoro-

Solebant indutæ eſſe] תלבשנה *thilbaſſchena*, Induentur. Futurum conſuetudinem notans, ut vſ. 12.

Ad ſtolas ſuperiores &c.] מעילים *mehilim*. Eſt quoque nomen veſtis virilis ſuperioris, de quo vide notata ad Exod. XXVIII, 4.

19. *Injecit* &c.] Hæc ſunt omnia lugentis, vel ob jacturam, vel ob gravem quamdam contumeliam acceptam.

Manus capiti impoſuit] Luctûs ſignum. Vide Jerem. II, 37.

20. *Tecum congreſſus eſt*] *Fuit tecum*. Reſpondit, aut adnuit; nam ſequentia verba oſtendunt ab Abſalomo rem probè intellectam fuiſſe.

Frater tuus eſt] Hoc eſt, cùm ſit frater tuus, rem non propalari tuâ intereſt, cùm te duci ab illo Leges non patiantur.

Ne hæc res cordi tibi ſit] Ne nimium dolori indulgeas. Innuebat ſe quidem rationem ultionis de eo ſumendæ inventurum. Vide vſ. 33.

Deſolata] שממה *ſchomemah*. LXX. Intt. χηρεύουσα. At vix poteſt dici *vidua*, quæ numquam nupta fuerat.

21. *Succenſuit*] Sine dubio Amnoni, qui ipſum feſellerat, ut ſorori illudere poſſet. Non video cur non credamus Davidem acerrimè Amnonem caſtigaſſe, ob tantum flagitium. Attamen *Joſephus* Davidem hîc turpiſſimè indulgentem deſcribit: Γνοὺς δὲ τοῦθ' ὁ πατὴρ Δαυίδης, τοῖς μὲν πεπραγμένοις ἤχθετο· φιλῶν δὲ τὸν Ἀμνῶνα σφόδρα, πρεσβύτατος γὰρ ἦν υἱὸς αὐτῷ, μὴ λυπεῖν αὐτὸν ἠναγκάζετο. *Cùm hæc reſciſſet pater David, factum quidem improbavit, ſed cùm valde Amnonem amaret, maximus enim natu filiorum erat, neceſſe habuit dolorem ei non creare.* Figmentum hoc eſt, ſed quid fecerit ac dixerit David, tacente Hiſtoria Sacrâ, nemo conjecerit.

22. *Neque malè* &c.] *A malo uſque ad bonum*. Hoc eſt, à ſermonibus cum eo ſerendis prorſus abſtinuit. Quod ſimultatem elam ab eo foveri ſatis oſtendebat. Quapropter mirum eſt à Davide non eſſe quæſitam rationem reconciliandæ inter eos gratiæ.

23. *Exactis duobus annis*] לשנתים ימים *in duos annos dies*. LXX. εἰς διετηρίδα ἡμερῶν. *Biennium dierum*, ſunt dies biennii.

Omnes Regis filios ad convivium vocavit] Ut ſolebat fieri ab iis, qui oves tondebant. Vide 1. Sam. XXV, 8, 36.

25. *Bene precatus eſt*] Hoc eſt, fauſtam tonſuram ovium, lætúmque ei convivium eſt precatus.

26. *Miſit cum eo*] Poteſtatem filiis omnibus fecit eundi.

Filios ſuos] *Filios Regi.*

28. *Cùm Amnon animum ſuum* &c.] *Ut bonum erit cor Amnonis, in vino.*

Annon hoc facietis, quia &c.] Ita vos excuſabitis. Dicetis à me vos juſſos fuiſſe. Mancipia, nempe, ab heris adeò pendebant, ut iis nihil vitio verteretur, quod juſſi erant facere.

Conſtanti animo &c.] *Confirmamini & eſtote filii roboris.*

29. *Mulo ſuo*] His demum temporibus, mentio fit *mulorum*. Vide 1. Reg. I, 33. & X, 23. & quæ copioſiſſimè de iis habet *Sam. Bochar-*
tus

ſororem ejus vitiaverat. 33. Nunc ergo ne res hæc ſit cordi domino meo Regi, dum dicit omnes filios ſuos eſſe mortuos; quia Amnon ſolus interiit.

34. Fugit verò Abſalomus, cúmque adoleſcens ſpeculator oculos ſuos circumtuliſſet, vidit turbam magnam venientium à via, quæ erat à tergo, ad latus montis. 35. Tum Jonadabus Regi, en, inquit, filios Regis venientes. Prout dixit ſervus tuus, ſic fuit. 36. Cùm abſolviſſet loqui, advenerunt filii Regis, qui ejularunt. Rex quoque & omnes ejus ſervi maximum fletum ediderunt. 37. At Abſalomus fugit, ivitque ad Thalmaïum, Hammihudi filium, Geſuritarum Regem; & luxit David filium ſuum, omnibus illis diebus. 38. Abſalomus qui fugerat, iverátque Geſurem, illic per tres annos manſit. 39. Rex interea deſiit *velle* egredi contra Abſalomum; admiſerat enim conſolationem, ſuper Amnone, eò quòd mortuus eſſet.

XIV. Abſalomus arte Joabi ab exſilio revocatur, reditque, ſed ſerò in conſpectum patris admittitur.

1. ANIMADVERTIT autem Joabus, Tſerujæ filius, animum Regis in Abſalomum eſſe *propenſum.* 2. Itaque miſit Joabus Thekoham, ſumsítque illinc mulierem callidam, cui dixit: finge, quæſo, te lugere & indue lugubres veſtes, nec te oleo ungas, ſiſque inſtar mulieris, quæ jam à multis diebus mortuum luget. 3. Deinde ibis ad Regem, alloquerĭſque eum, in hanc ſententiam. Simul eam Joabus verbis inſtruxit, 4. quæ dixit mulier Thekohitis apud Regem; *coram quo* procidit in faciem ſuam in terram, & ſe ſe proſtravit, &, ſerva me, Rex, inquit. 5. Rex verò, quid, inquit, tibi eſt? Ego, inquit illa, ſum vidua, nam mortuus eſt vir meus. 6. Ancillæ autem tuæ filii duo erant, qui in agris rixati ſunt, nec quiſquam erat, qui *certamen* inter eos dirimeret; itaque alter alterum vulneravit & occidit. 7. Tum verò inſurrexit in me familia tota, dixitque: trade nobis interfectorem fratris ſui, eúmque interficiemus, propter cædem fratris ſui quem occidit, atque heredem è medio tollemus. *Quâ ratione* exſtin- CAPUT XIV.

tus Hierozoïci Parte I. Lib. II. c. 19.

30. *Dicentium*] *Dicendo*, לאמר *lemor.*

31. *Surrexit Rex* &c.] È ſella in qua ſedebat, ut laceratis veſtibus ſe in humum conjiceret, filios lugens.

32. *Hoc enim dixerat Abſalomus*] על פי אבשלום היתה שׂומה, *ſuper os Abſalomi fuit poſitio*; hoc eſt, decretum, quod ſe exſequuturum dixit. Pro שׂומה *ſchimah* volunt Maſſorethæ legi שׂמה *ſchoumah*, quod melius non eſt, ut obſervavit *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. III. Cap. XIII, 26. LXX. Intt. ἐν κείμενος, incommodè; ut & Vulgatus, *erat poſitus.* Intelligitur res decreta, & conſtituta minis, quæ prodierant ex ore Abſalomi, eo die quo vitiata ejus ſoror fuerat.

33. *Ne res ſit cordi*] *Ne ponat dominus meus rex ad cor ſuum rem*; hoc eſt, ni nimis doleat, ut vſ. 20.

34. *Fugit*] Vide vſ. 37.

Speculator] הצפה *hattſopheh*, qui ex turri ſpeculari juſſus erat, num quæ copiæ à ſeptemtrione Jeroſolimam venirent.

A tergo] מאחריו *meabbarau*, à tergo, nempe, Abſalomi, ſeu loci in quem iverat Ephraïmum versùs.

35. *En, inquit, filii Regis*] Quos eſſe turbam, quæ nunciabatur Davidi venire, rectè conjecit.

36. *Advenerunt*] *Ecce filii Regis venerunt.*

37. *Ad Thalmaïum*] Vide Cap. III, 3.

Filium ſuum] Amnonem.

39. *Velle egredi*] Supplevi *velle*, quia expeditionem Davidem contra filium re verâ ſuſcepiſſe non conſtat.

Eo quòd mortuus eſſet] Altero filiorum mortuo, malebat alterum revocare, quàm utroque carere.

In CAPUT XIV.

2. THekoham] De hac urbe, ſic *Euſebius*: ΘΕΚΩ, ἡ νῦν Θεκωέ, ἔστι δὲ πρὸς τῇ ἐρήμῳ Αἰλίας, πόλις τὸ πρὶν οὖσα φυγαδευτηρίων, ὅθεν ἦν Ἀμμὼς ὁ προφήτης. *Hieronymo* interprete: THECUA *uſque hodie, juxta deſertum civitatis Æliæ, vicus oſtenditur, unde & Amos Propheta fuit.* Locus igitur fuit Jeroſolimâ non remotus & ex quo facilius fuit mulierem ſubornare atque adlegare ad Davidem, quàm ex remotiore.

Callidam] חכמה hhachama, *ſapientem.*

Finge te lugere] התאבלי *hithabbeli.* Sæpe hanc vim habet conjugatio Hithpaël. Vide C. XIII, 5, 6.

Nec te oleo ungas] Vide ad C. XII, 20.

3. *Simul eam Joabus verbis inſtruxit*] *Et poſuit Joab verba in ore ejus*; ſeu docuit quid dicere Regi eam oporteret.

6. *Qui certamen dirimeret*] מציל בניהם *liberator inter eos*, qui alterum ab altero liberaret.

7. *Tum vero* &c.] *Et ecce ſurrexit* &c.

Propter cædem] בנפש bnephesch, *in anima.* Habent LXX. Intt. ἀντὶ τῆς ψυχῆς, ut Vulgatus, *pro anima.* Sed cùm נפש *vitam* quoque ſignificet, ita intellexerim hanc vocem, ut vita fratri erepta ſignificetur.

exſtinguerent prunam meam, quæ mihi ſupereſt; ne nomen viri mei memoraretur, aut quidquam ejus ſupereſſet in terris. 8. *Ibi* Rex mulieri: abiro, inquit, domum tuam, mandatum enim, ad te quod adtinet, dabo. 9. Mulier verò Thekohitis Regi, in me, inquit, domine mi Rex, delictum, inque patris mei domum recidat; at Rex, thronúſque ejus pœnæ ſint immunes. 10. Iterum Rex, ſi quis, inquit, contra te loquatur, hominem ad me adducito, nec te attingere perget. 11. Recordetur verò Rex, ait illa, Jehovæ Dei ſui, ne ſanguinis vindex plures perdat, néve è medio tollat filium meum. *Ut* vivit Jehova, inquit Rex, *ſic* ne pilus quidem filii tui in humum cadet. 12. At mulier, liceat, inquit, ancillæ tuæ apud dominum meum Regem verbum proferre. Proferto, inquit ille. 13. Quare verò, inquit mulier, ſimile quidpiam cogitaſti, contra populum Dei? Cùm enim Rex hæc verba dixerit, *eſt* ſimilis delinquenti, quia Rex exſulem ſuum non revocat; 14. nam morimur & *ſumus* inſtar effuſæ in terram aquæ, quæ non colligitur. Annon Princeps ignoſcere poteſt alicui, & excogitare rationem, ne exſulem à ſe depellat? 15. Nunc autem quod compellavi Regem dominum meum hac de re, *ideò feci*, quòd me terreret populus. Quare dixit ancilla tua: alloquar ſanè Regem, fortaſſe Rex faciet quod ancilla ſua dixerit. 16. Itaque Rex

Exſtinguerent prunam meam] Spem unicam generis confert cum pruna, quæ una ſupereſt ad conſervationem ignis. Hoc verterunt LXX Intt. τὸν ἄνθρακά μου τὸν καταλειφθέντα. Potuiſſent elegantiùs, & aptiùs ζώπυρον, nam ſic Græci propriè vocant prunas, quæ ad vivum ignem ſervandum cineribus teguntur, tralatitio verò ſignificatu ſpem generis ad paucos redactam. *Plato* Lib. III. de Rep. de iis qui diluvio erepti fuerant: οἱ τότε περιφυγόντες τὴν φθορὰν, σχεδὸν ὄρειοί τινες ἂν εἶεν νομεῖς ἐν κορυφαῖς που σμικρὰ ζώπυρα τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους διασεσωσμένα: *qui tunc elapſi erant exitio fortè montani quidam fuere paſtores in ſummis jugis, exigui ſomites humani generis ſervati*. Sic & *Lucianus* in Timone, initio dialogi de iiſdem ait, ὑποβρυχίων ἁπάντων καταδεδυκότων, μόλις ἕν τι κιβώτιον περισωθῆναι προσοκεῖλαν τῷ Λυκωρεῖ ζώπυρόν τι τοῦ ἀνθρωπίνου σπέρματος διαφυλάττον: *omnibus ſubmerſis vix exiguam arculam ſervatam, appellentem ad Lycoreum jugum, & ſervantem fomitem quemdam humani ſeminis.*

Ne nomen viri mei memoraretur] לבלתי שום לאישי שם *lbilthi ſchoum leiſchi ſchem*; ne ponatur nomen viro meo. Maſſorethæ volunt legi שים *ſchim*, ſine ratione. Vide ad Numer. XXVII, 4.

8. *Abito* &c.] Non illico intellexit Rex hiſtoriam fictam ſibi à Thekohitide narratam, ut nec Nathanis ſermonem antea Parabolam eſſe ſenſerat. Non eſt abſimile verò Joabum Nathanis, ea in re, exemplum eſſe ſequutum.

9. *In me delictum* &c.] עלי העון ועל בית אבי, *ſupra me delictum & ſupra domum patris mei.* Quaſi diceret: ex hac re, ſi quid pœnæ à Deo ſit metuendum, id in me meóſque recidat, non in Regem, ejúſque familiam. Exonerabat Regem invidiâ facti, ſimúlque volebat non tam Regi, quàm ſibi, tribui.

Pœnæ ſint immunes] נקי *innocens*, ſed hîc eſt *immunis pœnæ*. Vide ad Gen. XLIV, 10.

10. *Si quis contra te loquatur*] *Loquentem ad te, & adducito eum ad me.*

Attingere perget] Moleſtus tibi eſſe. Sed pro לגעת בך *legahath bach*, legerunt Græci Intt. לגעת בו *lgahath bo*, eum attingere, ut ad mulieris filium referatur. Habent enim ἅψασθαι αὐτοῦ.

11. *Recordetur verò Rex Jehovæ*] Sit miſericors inſtar Dei; nam qui recordatur Dei virtutes ejus imitatur.

Ne ſanguinis vindex] *Ne multiplicet vindex ſanguinis perdere*; hoc eſt, ne cauſa ſit cur plures pereant è familia mea. Scriptum eſt: מהרבית quod efferretur *meharbith*, ſed monuerunt Maſſorethæ ſuperfluum eſſe Jod & legendum מַהַרְבַּת, quod tamen regulare non eſt, nam eſt in Hiphil הַרְבֵּה, vel הַרְבָּה, ut Gen. III, 16. XXII, 17.

Ne pilus quidem filii tui &c.] Vide ad 1. Reg. XIV, 45.

12. *Liceat, inquit, ancillæ*] *Loquatur, quæſo* &c.

13. *Cùm enim Rex hæc verba dixerit*] מדבר המלך הדבר הזה, *à loquendo Regem verbum hoc.* Hinc מן *min* ſignificat *quia*, aut *cùm*. Vide Eſaiæ XLVIII, 4. & *Chr. Noldium* ſign. 31. hujus particulæ. Vim ejus adſequuti non ſunt Intt. Græci, qui habent: ἢ οὐκ ἐνήμερος τοῦ βασιλέως ὁ λόγος οὗτος. At *Hieronymus* pro וּמִדַּבֵּר legit וּמְדַבֵּר *loquens*, cùm habeat: *loquutus eſt Rex*; quod lectione noſtrâ nihilo deterius eſt.

14. *Nam morimur* &c.] Argumentum hoc deſumtum ex mortalitate eò ſpectat, ut Davidem adducat ad cogitandum Abſalomum etiam poſſe mori in exſilio; quod ſi contingeret, Rex eum numquam eſſet vivum conſpecturus; itaque ſatius multò fore, ſi quàm primùm ab exſilio revocaretur. Infirma eſt ratiocinatio, & quâ quodvis ſcelus potuiſſet excuſari. Sed David, qui optabat ſibi occaſionem honeſtam dari revocandi Abſalomi, hæc ſibi dici facilè paſſus eſt.

Annon Princeps ignoſcere poteſt &c.] ולא ישא אלהים נפש *& non tollet Deus animam.* Primùm, אלהים *Deus* de Principe interpretamur, ut Exod. XXI, 6. XXII, 8. quod hic etiam faciendum oſtendit ſeries orationis, quæ alioquin expediri nequit. Secundò, ישא jiſſcha, *ignoſcet*, aut *ignoſcere poteſt* vertimus, pro ſolita vocis ſignificatione. Tertiò, נפש *animam*, pro homine quovis hîc ſumi putamus, quod non minùs eſt frequens. Vide Gen. XVII, 14. Præterea hîc נפש eſt pro לנפש *lnepheſch*, nam verbum נשא cum dativo perſonæ conſtrui ſolet. Quartò denique, ולא *vlo* interrogativo ſenſu ſumſimus, ut Exod. VIII, 26. 2. Sam. XIX, 43.

Et excogitare rationem] וחשב מחשבות *vehhaſchab mahhaſchaboth*, cogitabit cogitationes; hoc eſt, apud ſe rationem aliquam comminiſcetur, quâ

Rex me exaudivit, ut liberaret ancillam ſuam è manu viri, *qui vellet* me & filium meum ſimul ex poſſeſſione Dei exterminare. 17. Dixit verò ancilla tua: ſit verbum domini mei Regis, in quo poſſim adquieſcere; nam qualis eſt Angelus Dei, talis eſt dominus meus Rex, ita ut bonum & malum intelligat, & Jehova Deus tuus tibi adſit. 18. At Rex reſpondit, & mulieri, ne quæſo, inquit, celes me id quod nunc te rogabo. Mulier verò, loquatur, inquit, dominus meus Rex. 19. Tum ei Rex, annon, inquit, Joabus in hac tota re tecum operam conſociavit? Reſpondit ergo mulier, & *ut* vivit, inquit, animus tuus, domine mi Rex: *ſic fas eſt* nemini, deflectere ad dextram, aut ad ſiniſtram, ab omnibus quæ proloquutus fuerit dominus meus Rex. Nam ſervus tuus Joabus mihi mandata dedit, & omnibus hiſce verbis ancillam tuam inſtruxit. 20. Rem hanc fecit ſervus tuus Joabus, ut mutarem rei ſpeciem; ſed dominus meus æquat ſapientiam Angeli Dei, ut quidquid *ſit* in terris intelligat.

21. Poſtea Joabo Rex, ecce, inquit, hanc rem feci; ito & reducito adoleſcentem Abſalomum. 22. *Ibi* verò Joabus in vultum procidit in humum, proſtravitque ſe ſe, & bene precatus eſt Regi, & hodie, inquit, intellexit ſervus tuus ſe apud te gratiâ valere, domine mi Rex; quia Rex fecit quod dixit ſer-

quâ exſul filius poſſit reduci. LXX. Intt. ſine ſenſu: οὐ λήψεται ὁ Θεὸς ψυχὴν καὶ λογιζόμενος τοῦ ἐξῶσαι ἀπ' αὐτοῦ ἐξωσμένον. *Vulgatus* non meliùs: *Nec Deus vult perire animam, ſed retractat cogitans ne penitus pereat, qui abjectus eſt.* Hæc nec conveniunt Hebraïcis, nec commodum fundunt ſenſum. Recentiores mirum in modum inter ſe diſſident, nec explorati quidquam proferunt. Itaque donec melior inveniatur interpretatio, in allata adquieſcemus. Credibile etiam eſt mulierem datâ operâ obſcuriùs loquutam, ne fortè Regem offenderet, qui nolebat videri Abſalomi deſiderio teneri.

15. *Ideò feci*] Supplendum neceſſariò eſt לכן עשיתי *ideò feci*, aut ſimile quiddam.

Quod me terreret] Fingit etiamnum ſe terrore propinquorum, qui alterum ejus filium occidere volebant, adductam fuiſſe, ut Davidem adiret. Sed pro יראני *terruerunt me*, videtur Vulgatus legiſſe יראני *viderunt me*, cùm vertat: *præſente hoc populo*, qua in re ſequutus eſt LXX. Intt. qui habent ὅτι ὄψεταί με ὁ λαός.

16. *Itaque*] כי *chi*. Quod etiam verti queat, *ac ſanè*, nam illa particula, ſi quæ alia, in Lingua Hebraïca, πολύσημος eſt.

Qui vellet] Supplendum hoc fuit, nam eſt Hebraïcè: האיש להשמיד *viri ad exterminandum*. Poſſit & ſuppleri *parati* עתיד *hathid*. Intelligitur autem vindex cædis.

Ex poſſeſſione Dei &c.] Ex Hebræorum agris filium expellere, ne à ſanguinis vindice occideretur, ac proinde me ipſam, quæ filium deſerere non ſuſtineo. Vide 1. Sam. XXVI, 19. Oportebat autem eum, qui fratrem occidiſſet, in rixa, excedere agris Populi Hebræi, quod nullo Aſylo poſſet ex Lege excipi; in Aſyla enim admittebantur ii tantum, qui inviti alium occidiſſe putabantur.

17. *In quo poſſim adquieſcere*] למנוחה limnouhhah, *ad quietem*; hoc eſt, quod animum meum anxium de vita filii ſedet, & ita ut in eo adquieſcere poſſim. LXX. Intt. habent εἰς θυσίας, quaſi legiſſent למנחה *leminhhah*. Vulgatus hinc, *ſicut ſacrificium*.

Qualis eſt Angelus &c.] Vide not. ad Gen. III, 5. Vide & vſ. 20.

Bonum & malum intelligat] Hoc eſt, omnia norit; quæ, nimirum, ab eo ſciri par erat. Sic loquebantur etiam antiquiſſimi Græci, ut liquet ex his verbis Telemachi Odyſſ. Υ, 310.

—— ἤδη γὰρ νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα,
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια· πάρος δ' ἔτι νήπιος ἦα.

Jam intelligo & novi ſingula, bonaque & deteriora, antea verò infans eram.

18. *Ne, quæſo, inquit, celes me* &c.] Olfecerat jam David fictam hiſtoriam ſibi, in gratiam Abſalomi, narratam, ex poſtremis mulieris verbis; unde collegit ſubornatum à Joabo fuiſſe, quod ab ipſa reſcire voluit.

Loquatur dominus meus Rex &c.] His verbis, pollicetur ſe Regem nihil celaturum.

19. *Tecum operam conſociavit*] *An manus Joabi tecum fuit.*

Sic fas eſt nemini deflectere] *Si quis ad dextram, aut ad ſiniſtram deflectendum.* אם אש להמין Τὸ *ſi* אם *im* negandi vim obtinet in jurejurando, & poſt אש *iſch*, ſupplendum יכל *poterit*. *Nemo* autem *poterit*, perinde eſt ac nemini licet. *Ad dextram verò aut ad ſiniſtram non deflectere* eſt per omnia parêre, ut omnibus Hebraïcæ Linguæ peritis notiſſimum eſt, ex lege Moſaïca, ubi Iſraëlitæ ſæpe vetantur à legibus divinis *ad dextram aut ad ſiniſtram deflectere*, hoc eſt, ulla in re eas perfringere. Vide Deut. V, 32. XVII, 11, 20. Hoc itaque vult Thekohitis, ſe parituram Regi per omnia, ac proinde non negaturam quod verum erat.

Omnibus hiſce verbis &c.] *Et ille poſuit in ore ancillæ tuæ omnia hæc verba.*

20. *Ut mutarem rei ſpeciem*] לבעבור סבב את פני הדבר *ut verterem faciem verbi*, aut *rei*; ut in me & filios meos transferrem, quod ad Regem ejúſque filios pertinebat.

Æquat ſapientiam &c.] *Sapiens eſt ut ſapientiâ Angeli Dei, ut ſciat omnia quæ in terra.* Vide vſ. 17.

21. *Hanc rem feci*] Legunt Maſſorethæ עשית *haſitha*, ſed eſt in textu עשיתי *feci*, quod hoc ſenſu retinendum, rem quam cupiebas tibi conceſſi. Sic in ſequentibus verbis: *fecit Rex quod dixit ſervus ſuus*.

22. *Se apud te gratiâ valere*] *Quod inveni gratiam in oculis tuis*. Hic Joabus gratias agit, Aulicorum more, Regi ob rem, quam non tam cupiebat, quàm ipſe Rex; quia David volebat videri Abſalomum revocare, ſuorum precibus adductus.

Ser-

ſervus tuus. 23. Surrexit itaque Joabus, Geſurémque profectus Abſalomum Jeroſolimam reduxit. 24. Sed dixit Rex: revertatur domum ſuam, at ne in conſpectum meum veniat. Rediit ergo Abſalomus domum ſuam, nec vultum Regis vidit.

25. Abſalomi inſtar nullus erat vir formoſus, in toto Iſraële, *nec qui ei collatus poſſet multùm laudari.* A planta pedis ad verticem, nihil in eo erat quod carpi

Servus ſuus] עבדו *babdo.* Sic rectè eſt in textu, nec video cur cum Maſſorethis mutari debeat in עבדך *babdecha.*

24. *In conſpectum meum veniat*] *Faciem meam videbit.*

25. *Nec qui ei collatus poſſet* &c.] *Ad laudandum valde.*

Nihil in eo erat quod carpi poſſet] לא היה בו מום *non erat in eo vitium.* A voce מום *moum* facta eſt Græca μῶμος, unde ἀμώμητος, quod idem ac hæc loquutio ſignificat, apud *Homerum.* Indidem etiam orta vox ἀμύμων, apud eumdem Poëtam frequens, & ejuſdem ſignificatûs.

26. *Exactis ſingulis annis*] *A fine dierum in dies.* Quæ loquutio ſine dubio annuam revolutionem ſignificat. Vide 1. Sam. I, 2. Bene Vulgatus, *ſemel in anno*, abſurdè LXX. ἀπ' ἀρχῆς ἡμερῶν εἰς ἡμέρας ὡς ἂν ἐκείρετο, in Codicibus pleriſque; nec meliùs in Complutenſi Editione, paſſim ad Hebraïcam reficta, ἀπὸ τέλους &c. Sed aliter videtur legiſſe in ea verſione *Joſephus*, qui habet omnium abſurdiſſimè, in hac hiſtoria, τοσοῦτο μέντοιγε ἦν τὸ βάθος τῆς κόμης αὐτοῦ, ὡς μόλις αὐτὸν ἡμέραις ἀποκείρειν ὀκτὼ σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίους: *tam denſa autem erat cæſaries ei, ut vix ille diebus octo tonderet pendentem pondus ducentorum ſiclorum.* Nimirum, pro εἰς ἡμέρας ὡς ἂν ἐκείρετο, legit εἰς ἡμέρας ὀκτὼ ἐκείρετο. Abſurditas ipſa rei hominem docere debuit codicem LXX. Intt. quem habebat, corruptum fuiſſe, atque ad Hebraïcum fontem amandare. Sed & alibi ejuſmodi peccata *Joſephi* cernere eſt, quæ Sacerdoti Jeroſolimitano Hebraïcè ſcienti vix conveniunt. Quo fit mihi credibile adjutorem *Joſephi*, in ſcribendo, multa de ſuo adtexuiſſe. Verùm hac de re aliàs.

Exſtat Epiſtola poſtuma *Sam. Bocharti*, ſummi viri, hoc de loco ſcripta, & Latinè verſa; quæ, ut ſolent ejuſmodi poſtuma, minimè æquat opera ab ipſo edita, & ab homine imperito eſt tranſlata. Attamen ſententiam ejus de hoc loco ſatis intelligimus, & à viro doctiſſimo nodum, qui hîc occurrit, ſolutum non eſſe facilè animadvertimus. Putat ille hæc verba מקץ ימים ימימה *è fine dierum in dies*, vertenda eſſe: *quod ſubinde fiebat.* Sed quotieſcumque occurrit hæc formula מימים ימימה ſemper ſignificat ſpatium annuum. Sic Exod. XIII, 10. celebratio Paſchatis dicitur fieri מימים ימימה *à diebus in dies*, hoc eſt, ſingulis annis. Jud. XI, 4. dicitur fuiſſe inſtitutum in Iſraële, *ut irent quotannis* (מימים ימימה) *Iſraëlitides puellæ alloquutum filiam Jephthei Galaaditidæ, quatuor diebus ſingulis annis*, בשנה. Vide & Cap. XXI, 19. & 1. Sam. I, 3.

Vult vir doctiſſimus Abſalomum tamdiu geſſiſſe promiſſam cæſariem, quamdiu potuit, & intra plures dumtaxat annos ſemel eam totondiſſe; quod colligi poſſe putat ex eo quòd tranſiens ſub quercu impedita 2. Sam. XVIII, 9. ſuſpenſus cæſarie hæſerit, ſubducente ſe interea mulo. Sed certa ſignificatio loquutionis memoratæ non patitur nos credere in plures annos dilatam eſſe tonſuram cæſariei Abſalomi; & cùm extremitas tantùm luxurians crinium ſecaretur, res ultra annum dilata non videtur; nam incommodi ſunt, anno exacto, crines minimè tonſi.

Pendebat cæſaries ducentos ſiclos, pondere regio] מאתים שקלים באבן המלך *ducentos ſiclos, lapide Regis.* Conſtat Sielum Hebraïcum fuiſſe parem ſemunciæ Romanæ, adeóque his verbis ſignificari centum uncias Romanas, ſi ſolitum pondus Hebraïcum intelligatur; quod dubium faciunt verba *lapide Regis*, aut *pondere Regis*, de quibus poſtea. I. Ut ſtatuamus hîc agi de pondere Hebraïco, nemo eſt qui gerat cæſariem centum unciarum Romanarum; quamvis unciæ Romanæ ſint aliquantò minores pleriſque unciis, quibus nunc utimur, ut docebunt qui de Ponderibus & Menſuris ſcripſerunt. Nulla mulier eſt, quæ vel quinquaginta uncias Romanas comâ ſuâ vel prolixâ, & diu ſervatâ æquet; teſtantúrque ii qui cæſaries, pro more hodierno, adſcitas conficiunt, & ſæpe mulieres tondent, nullam eſſe comam unius capitis, quæ multùm triginta uncias ſuperet. Quod intelligendum de univerſa coma, non de reſectis extremitatibus; cùm hîc videatur ſermo eſſe de ea tantùm parte cæſariei Abſalomi, quæ tonſa appendebatur, animi causâ; hoc enim ſibi volunt hæc verba: ובגלחו את ראשו ושקל את שער ראשו מאתים שקלים *& cùm tonderetur caput ejus, ponderabat crinem capitis ſui, ducentis ſiclis.* Non tondebatur Abſalomus, ad cutem uſque; cùm ſatis liqueat eum ſolitum promiſſam cæſariem geſtare; nec quotannis adtonſa ad cutem cæſaries in magnum pondus creſcere potuiſſet. Itaque intelligenda tantùm eſt pars reſecta ejus cæſariei. Scio eſſe qui velint non tantùm detonſam cæſariem intelligi, ſed præterea quidquid capiti Abſalomi adhærebat, eáque omnia ſimul dici pependiſſe ducentos Sielos; æſtimato pondere cæſariei adhærentis, ex cæſarie detonſa. Verùm huic conjecturæ parum convenit cum verbis textûs allatis, & præterea ne ſic quidem difficultas ſolvitur, cùm nullius cæſaries tanti ſit ponderis.

Rectè quidem confutat *Bochartus* 1. eos qui vellent hîc pro מאתים *ducentis*, quod Hebraïcè in numeralibus notis exprimitur litterâ ר, legi ארבע *quatuor*, quod littera ר ſignificari ſolet, quòd in tam exiguo pondere duarum unciarum Romanarum, ſeu quatuor Siclorum nihil ſit memorabile: 2. eos qui volunt non ſine miraculo tantam fuiſſe Abſalomo cæſariem, quod ne leviter quidem veriſimile eſt: 3. eos qui putant non pondus cæſariei, ſed pretium indicari; quod neque textûs verbis, neque perſonæ Abſalomi convenit, neque conſuetudini illorum temporum, quibus non ſolebant comæ adſcitæ geſtari, ut nunc. Sed meliora ipſe non adfert.

Con-

Digitized by Google

pi poſſet. 26. Cùm tonderet caput ſuum (tondebat autem exactis ſingulis an-
nis, prægravabat enim eum *cæſaries*, eámque tondebat) pendebat cæſaries capi-
tis ejus ducentos ſiclos, pondere regio. 27. Nati autem erant Abſalomo tres
filii, & una filia, cui nomen erat Thamaræ, & quæ fuit formoſa mulier.
28. Man-

Contendit pondus, de quo hic ſermo eſt, fuiſſe quatuor librarum Romanarum, duarúmque unciarum; ſubditque nos meminiſſe oportere libras Romanas, duodecim tantùm eſſe unciarum, cùm noſtræ ſint ſexdecim, ideóque quatuor Romanas libras tribus dumtaxat noſtris æquipollere. Huc igitur, ex ejus ſententia, tota quæſtio redit: *utrum*, ſcilicet, *ſine miraculo fieri potuerit, ut hominis unius detonſi crines tres libras noſtras cum duabus unciis potuerint pendère*. Primùm, eſt falſum, eſſe tantùm diſcrimen inter libras Gallicas hodiernas & Romanam, unciarum numero, cùm unciæ Pariſinæ ſint graviores Romanis; nam in uncia Romana, ex calculo *P. Gaſſendi*, in vita *Peireſcii*, erant tantùm 536 grana, qualium ſunt in uncia Pariſina 576. Deinde fingit cum aliis fuiſſe Siclum ſacrum & profanum, apud Hebræos, hîcque profanum ſignificari; quod merum eſt commentum, ut diximus ad Exod. XXX, 13. Profano autem tribuit tantùm pondus quartæ partis unciæ Romanæ, quod eſt ignotum Veteribus. Audiamus eum ratiocinantem: *Hoc tamquam certiſſimum ſtatuo cæſariem denſam & prolixam minimùm ſemilibram pendère ſolere: adeoque in Abſalomi cæſarie, nihil animadverſione dignum occurriſſet, ſi pondus hoc non exceſſit. Ut igitur aliquid notatu dignum & hiſtoriæ conſignandum, ut mirabile quidpiam habeatur, ſtatuatur 1. cæſaries duplo denſior quàm quævis vulgaris, denſa licet; commune denſiorum pondus excedet ſemilibrâ, atque ex ea prima hypotheſi libram integram pendebit. Statuamus 2. prolixis quibuſvis capillis, duplò prolixiorem fuiſſe. Ex hac hypotheſi prolixos quoſvis capillos ſemilibræ pondere ſuperabit, ac proinde duabus ferè libris æquipollebit.* Jam hoc nimium eſt, cùm enim ad cutem non eſſet adtonſus Abſalomus, vix ac ne vix quidem pars cæſariei detonſa pendêre duas libras poterat.

Verùm ut rem reddat probabiliorem 1. obſervat veteres Coſmeticos varia medicamenta tradidiſſe, quibus capilli denſiores & copioſiores fierent, quod Veterum locis probat: 2. capillos graviores redditos fuiſſe unguentis, quibus illinebantur: 3. quòd aureum pulverem aliquando ſolerent unctis capillis adſpergere. Sed poſtremum hoc merum eſt figmentum, & ridiculum eſſet quaſi ſingulare pondus capillorum memorare, quod deberetur non eorum copiæ, ſed aureis ramentis; ſecundum non potuit multùm augere pondus cæſariei, exigua enim unguenti copia hanc in rem ſufficit; primum denique ad rem hîc parum facit, neque enim denſiſſimi & copioſiſſimi per ſe capilli, multò denſiores ac copioſiores fieri poſſunt, arte. Nec omnia illa ſimul cæſariei pondere duas libras æquanti tertiam libram addere poſſunt; & multò minùs ſex librarum pondus ei conciliare.

Tandem vir doctiſſimus obſervat, *quamvis quæcumque hactenus hanc in rem allata à ſe fuerunt, minùs vera eſſent, meminiſſe oportere eos, qui vellent Scripturæ auctoritatem minuere, in ſcriptis quibuſlibet nihil eſſe facilius numerorum depravatione, quia ſæpe plenè non ſcribuntur, ſed numeralibus litteris, aut ſiphris notantur. Ea de re*, inquit, *frequentes lege* Budæi *de Aſſe Lib. II. p. 49, 51. itemque Lib. III. p. 67. & ſeqq. querelas. Quamvis hodie numeri plenè in Hebræo textu ſint expreſſi, ſic tamen non egerunt ſemper librorum exſcriptores; ſed aliquando compendiariis notis uſi ſunt, in quo potuere falli.* Non judicat tamen neceſſe eſſe ut huc confugiamus, quia putat nodum à ſe, ſine ulla numerorum immutatione, eſſe ſolutum.

Verùm ſatis liquet, ex iis quæ diximus, omnem ejus ratiocinationem falsâ niti hypotheſi, cúmque conſtet præter naturam eſſe, ut quis centum uncias Romanas parte cæſariei quotannis detonsâ æquet; neceſſe eſt eò confugere, quò *Bochartus* nolebat, ſi Siclos Hebraïcos hîc memorari ſtatuamus. Sed pro מאתים שקלים *ducentis ſiclis*, quem numerum hic fuiſſe ſuſpicabimur? Nemo eſt qui talia poſſit definire, multi enim ſunt numeri infra centum Siclos, quos numeros ſi pondere cæſariei ſuæ explevit Abſalomus, ſingulare & commemoratione dignum fuit id pondus. Itaque nihil certi ea de re ſtatuere licet; hoc unum adfirmari queat tantum pondus, ut æquaret centum uncias Romanas, non fuiſſe.

II. Sunt viri docti, qui fatentur quidem abſimile vero eſſe Abſalomo tantam fuiſſe copiam capillorum, non tantùm ut detonſæ extremitates pendêrent ducentos Siclos Hebraïcos, ſed etiam ut univerſa ejus cæſaries pondus hoc æquaret, ſi ad cutem fuiſſet detonſa; ſed aliud Siclorum genus hîc quærunt. Sic autem ratiocinantur.

Fieri non poteſt, inquiunt, ut Abſalomus habuerit pondus tantum crinium, ut pendêrent octo libras & quatuor uncias Romanas; vel Pariſini ponderis quinque libras & duodecim uncias, aut circiter. Itaque quærendum aliud Siclorum genus, levius Siclis Hebraïcis, quales erant *Babylonici*; quos intelligi hîc colligere eſt, ex addita explicatione *pondere Regis*; quo nomine ſignificatur Rex Perſarum à Scriptore hujus libri, qui eum ſcripſit ſub finem Captivitatis Babylonicæ, uti putant. Ut faciliùs intelligerent Hebræi quantum fuerit pondus cæſariei Abſalomi, id expreſſit pondere Babylonico, cui erant adſueti.

Babylonici autem Sicli, quos σίγλους vocant *Xenophon*, *Heſychius*, *Pollux* & *Photii* MS. Lexicon, erant trientes Sicli Hebraïci, ut oſtendit *Ed. Bernardus* de Menſuris & Ponderibus Antiquorum Lib. II. c. 26. Hanc tertiam Sicli partem innuit Nehemias Cap. X, 32. Igitur ex hoc calculo *ducenti ſicli*, de quibus hic ſermo eſt, faciunt tantùm tertiam partem ponderis ducentorum Siclorum Hebraïcorum, hoc eſt, triginta tres uncias Romanas, & tertiam partem unciæ; quod pondus non eſt incredibile, ſi intelligatur de pondere totius cæſariei, non de ſola parte detonſa.

Digitized by Google

28. Manſit autem Abſalomus Jeroſolimæ, per duos annos, nec vultum Regis vidit. 29. Miſit deinde ad Joabum, qui *eum ad ſe vocarent*, ut hominem ad Regem adlegaret, ſed eum convenire noluit Joabus. Iterum ergo miſit, nec venire ille voluit. 30. Tum *Abſalomus* ſervis ſuis, videte, inquit, prædium Joabi, quod juxta me eſt, ubi habet hordeum; ite, idque igne ſuccendite. Igne ergo prædium ſuccenderunt ſervi Abſalomi.

31. Tum ſurrexit Joabus, ivitque ad Abſalomum domum ejus, eique, cur, inquit, ſervi tui prædium meum igne ſuccenderunt? 32. Abſalomus verò Joabo, en, inquit, ad te miſi, qui *meo nomine* dicerent: veni ad me, ut te adlegem ad Regem, eique dicas: cur veni Geſure? *inquit Abſalomus*, ſatius mihi erat adhuc illic eſſe; nunc verò videam faciem Regis, & ſi quod eſt in me delictum, me morte afficiat. 33. Convenit ergo Joabus Regem, rémque ei nunciavit. *Rex* verò vocavit Abſalomum, qui venit ad Regem, corámque eo ſe, vultu in terram converſo, proſtravit. At Rex Abſalomum eſt oſculatus.

XV. Abſalomus regnum adfectat & invadit. David Jeroſolimâ fugit, nec tamen patitur Arcam ſecum transferri, ſed remittit Jeroſolimam, unà cum Sacerdotibus, ut explorent conſilia Abſalomi, ſibique renuncient. Qua de cauſa etiam Chuſaïn, ſibi occurrentem, Jeroſolimam mittit.

CAPUT XIV. 1. POSTHÆC Abſalomus paravit ſibi currus, equos & quinquaginta viros, qui ante eum currerent. 2. Mane autem ſurgebat, ſtabátque ad viam januæ *Regiæ*, & quiſquis habebat litem, ob quam ibat ad Regem ut judicaretur, eum ad

Experientiâ conſtat annuo ſpatio cæſariem quatuor digitis dumtaxat creſcere, aut certè non multò plus; unde verè colligunt hîc non indicari pondus incrementi annui cæſariei, ſed omnium capillorum ſimul conſideratorum; æſtimato pondere capillorum, etiamnum capiti adhærentium, ex pondere detonſorum.

Verùm Hebraica verba hanc interpretationem, ut diximus, reſpuunt, & multò ſatius eſt dicere mendum in numeros irrepſiſſe, quamvis id exacto calculo definire nequeamus. Nec hoc mirum harum Litterarum non imperito videbitur; *quis enim*, ut verba *Bocharti* ex memorata Epiſtola uſurpem, *II. Eſdræ Caput cum Nehemiæ VII. poteſt vel leviſſimè conferre, quin continuò magnam in catalogis iiſdem numerorum diverſitatem advertat*? Sed & ubicumque libri Samuelis & Regum conferri poſſunt, cum Ephemeridum libris, multæ occurrunt varietates lectionis, quæ ex Librariorum negligentia aut longinquitate temporis ortæ ſunt. Atque hæc, de pondere cæſariei Abſalomi, ſatis, ſupérque. Quæ ita à nobis allata ſunt, ut in iis tantùm adquieſcamus, donec lux clarior alicunde adfulgeat.

28. *Per duos annos*] *Duos annos dierum.*

30. *Succendite*] Legitur in textu Maſſorethico: הוצתיה, in margine verò: והציתוה, quæ ſunt variæ lectiones, ex quibus liquet Providentiam Divinam minimè obſtitiſſe quominùs Librarii, in minutis ejuſmodi rebus, ceſpitarent.

32. *Meo nomine*] Hæc verba, & in ſequentibus, *inquit Abſalomus*, ſupplevimus; quia Latinis auribus durum eſſet inducere legatos loquentes prorſus eodem modo, ac loqueretur qui eos miſit, ſi adeſſet. Sed ita ſolent loqui Hebræi, ut diximus ad Exod. XX, 1. Hinc autem, ut ex cetera Abſalomi vita, videmus quàm violenti ingenii vir fuerit; qui ſegetibus vicini, ejuſque conſanguinei, & primarii ducis exercituum, déque ipſo bene meriti, flammam injecerit, dumtaxat quia venire ad ſe nolebat, ejuſque nomine ad Regem ire.

Si quod eſt in me delictum] Quaſi verò nihil deliquiſſet, in cæde fratris Amnonis? Si reus mortis fuiſſet, patris erat, non fratris, pœnas de eo ſumere. Sed norat Abſalomus indulgentiam patris, ſatiſque intelligebat eam cædem ſibi jam eſſe remiſſam; cùm ne pro uno filio duo interirent, tum etiam quia ab Amnone graviſſimâ injuriâ adfecta fuerat ejus ſoror.

In CAPUT XV.

1. P*Aravit ſibi currus*] ויעש לו מרכבה *fecit ſibi currum*; ſed quia ſequitur *& equos*, vertimus *paravit ſibi*, quæ eſt etiam ſignificatio verbi עשה *haſcbah*. Vide Gen. XXXI, 1. Mortuo Amnone primogenito, videbatur ſibi ſuo jure patri ſuccedere oportere, fortè quod Chilabus, qui inter eos erat, mortuus etiam eſſet. Certè de illo nihil legimus.

Quinquaginta viros] *Quaſi ſatellites.*

2. *Ob quam ibat*] *Ita ut iret* (לבוא *labo*) *ad judicium.*

Ex una tribuum Iſraëlis &c.] Cùm hæc verba non reſpondeant quæſtioni Abſalomi, credibile eſt ſubaudienda hîc aliquot verba, quæ ſolemus exprimere compendiariâ formulâ *& cetera*, & Hebræi 'וג vegomer, *& perficiens*. Certè ex verbis ſequentibus Abſalomi, liquet Hiſtoricum Sacrum ſtatuere hominem, juris cauſâ, venientem ad Regem ei cauſam ſuam narraſſe; quamvis rem non expreſſerit facilè à Lectore ſupplendam.

4. *Utinam verò* &c.] *Et dicebat Abſalom, quis conſtituet me judicem* &c.

Cauſam judicandam] משפט miſchphat, *judicium.*

Juſtè de eo judicarem] והצדקתיו *vehitsdaktiv*, juſtificarem eum. Sic Vulgatus; *& juſtè judicem.* LXX. *δικαιώσω αὐτόν.*

5. *Si*

ad ſe vocabat Abſalomus, &, ex qua urbe es tu? inquiebat. Ille verò: ſervus tuus,
inquiebat, eſt ex una Tribuum Iſraëlis. 3· Tum illi Abſalomus, vide, inquiebat, quæ
dicis bona ſunt & recta; at nemo tibi eſt à Rege, qui te audiat. 4· Utinam verò ju-
dex conſtituar, in hac regione, & ad me veniat quiſquis habet litem, & cauſam judi-
candam! Juſtè de eo judicarem. 5· Si quis autem ad eum accedens vellet coram eo ſe
ſe proſternere, injectâ manu hominem comprehendebat, & oſculabatur. 6· Sic ſe ge-
rebat Abſalomus, erga omnes Iſraëlitas, qui veniebant judiciorum cauſâ ad Regem,
animóſque Iſraëlitarum ſibi furtim conciliabat. 7· Tandem exactis quadraginta annis
regni Davidis, dixit Abſalomus Regi: eam, quæſo, & reddam votum, quod nuncu-
pavi Jehovæ, Chebrone. 8· Votum enim concepit ſervus tuus, cùm commoraretur
Geſure, his verbis: ſi me reduxerit Jehova Jeroſolimam, colam Jehovam 9· Rex
verò illi, ito, inquit, incolumis; ſurrexitque *Abſalomus* & abiit Chebronem. 10· Mi-
ſit etiam exploratores, per omnes tribus Iſraëlis, eiſque dixit: cùm audiveritis clan-
gorem buccinæ, tum dicite: Abſalomus Chebrone regnare cœpit. 11· Abſalomum
comitati ſunt ducenti viri Jeroſolimâ, *ab eo* vocati; iverúntque ſimplici animo, nec ul-
lius rei erant conſcii. 12· Miſit etiam Abſalomus, *qui vocarent* ad ſe Achitophelem Gi-
lonitam, qui Davidis conſiliarius erat, urbe ſuâ Gilone, cùm victimas mactaret; va-
lidáque fuit conſpiratio, & populus magno numero ſeſe ad Abſalomum confe-
rebat.

13· Tum venit nuncius ad Davidem, qui ei dixit: animi Iſraëlitarum Abſalomo
addicti ſunt. 14· David verò omnibus ſervis ſuis, qui cum eo erant Jeroſoli-
mæ, ſurgite, inquit, fugiamus; alioquin enim non poterimus fugere è conſpec-
tu Abſalomi; diſceſſum maturate, ne ille feſtinet, nóſque comprehendat, &
cla-

5· *Si quis autem* &c.] *Et erat cùm adpropinquaret vir, ut eum adoraret*, quippe filium Regis & ſucceſſorem ejus futurum, ut vulgò putabant.

Injectâ manu] *Et mittebat manum ſuam.*

6· *Sibi furtim conciliabat*] *Furabatur*; hoc eſt, nemine animadvertente, favorem plebis ambiebat, gratiámque ſibi apud omnes parabat. LXX. Intt. habent *ἰδιοποιεῖτο Ἀβεσσαλὼν τὴν καρδίαν*. Latinus: *ſollicitabat corda.* Alioquin hoc loquendi genus ſignificat quidpiam clam aliis facere, ut Gen. XXXI, 20.

7· *Exactis quadraginta annis*] *A fine quadraginta annorum*, vel ſub finem, nam Scriptura ſæpe rotundis numeris utitur. Supplevimus *regni Davidis*, quia cùm Abſalomo tres eſſent filii, & filia, qui natus erat poſtquàm pater Chebrone Rex eſſet, ſuperaverat fortè hoc tempore Abſalomus viginti quinque annos. Qua de re, ad tabulas Chronologicas.

Reddam votum-Chebrone] Sacrificia intelligit, quæ eo tempore quovis in loco poterant fieri, & quæ fingit Abſalomus ſe in urbe, in qua natus erat, celebrare ſtatuiſſe.

8· *Colam Jehovam*] Antè ſemper eum coluerat, David enim filium ſine dubio in patria Religione educarat. Sed hoc velle videtur Abſalomus, ſe Deum Iſraëlis majore, quàm antea fecerat, religione culturum; quam ob rem volebat in natali urbe ſollemniùs ſacra ei facere, ut quidem præ ſe ferebat.

9· *Surrexitque Abſalomus.*] Hîc ſupplevi hoc nomen, vitandæ ambiguitatis cauſâ; quod, ut vitaretur inutilis repetitio, ſequente commate, omiſi.

10· *Exploratores*] Qui, nempe, viderent quanam ratione erga eum adfecti eſſent Iſraëlitæ, & clam rumores minùs ſecundos de Davide ſpargerent; nam vox Hebraica מרגלים *mraggelim*, æquè *detractores*, ac exploratores ſignificat.

Clangorem buccinæ] *Vocem buccinæ.* Videtur etiam Abſalomus buccinatores diſpoſuiſſe, qui alios alii excipientes clangorem longiùs, longiúſque diſpergerent; ut ex eo Iſraëlitæ intelligerent Abſalomum regnare, Chebrone, eíque gratulatum continuò irent, operámque ſuam, ſi fortè ea indigeret, novo Regi quàm primùm offerrent.

Chebrone regnare cœpit] מלך *regnavit*, quod de initio regni paſſim ſumitur. Chebronem autem videtur elegiſſe Abſalomus, quòd urbs eſſet naturâ munita, quòd in ea natus eſſet & quòd David in ea quoque regnare cœpiſſet. Fortè etiam fidos illic homines habebat, qui plebem ejus causâ ſollicitabant.

11· *Ab eo vocati*] Quaſi ad convivium, ut in ſacrificiis fieri ſolebat. Vide 1. Sam. X, 13, 22. XVI, 2, 3.

Simplici animo] לתמם lthummam, *in integritate ſua, neque ſciebant totam rem.*

12· *Qui vocarent*] Fuit hoc omnino ſupplendum, quaſi eſſet אנשים לקרוא *viros ad vocandum*; nam שלח *ſchalahh* ſignificat *mittere*, non *accerſere*, ſeu *μεταπέμπειν*, ut Græci loquuntur.

Gilone] Urbe Tribûs Judæ. Vide Joſ. XV, 51. Inde Jeroſolimam ſe conferebat, ſi quando ejus conſilio David indigeret.

Populus magno numero &c.] *Et populus ibat & multiplicabatur cum Abſalomo.*

13· *Animi Abſalomo addicti ſunt.*] *Cor viri Iſraël poſt Abſalomum.*

14· *Non poterimus fugere*] *Non erit nobis evaſio.* Timebat David, ne imparatus opprimeretur, & cum omnibus ſuis ad internecionem cæderetur. Oportet hominem cæcâ indulgentiâ antea in Abſalomum fuiſſe, & regnandi artium aut imperitum, aut parum obſervantem; cùm eo inſcio, res ad apertam conjurationem & rebellionem adduci potuerit.

Diſceſſum maturate] *Maturate ire.*

Digitized by Google

clade *ſubitâ* opprimat, ac urbem gladio deleat. 15. Servi verò Regis illi, quidquid elegerit, inquiunt, Rex dominus noſter, en *nos* ſervos tuos *exſequi paratos.* 16. Egreſſus eſt ergo Rex, univerſáque ejus familia eum ſequuta eſt; reliquit tantùm decem concubinas, ad domûs cuſtodiam. 17. Cùm itaque egreſſus eſſet Rex & omnis multitudo, quæ eum ſequebatur, ad domum remotam conſtiterunt; 18. omnéſque ſervi ejus, qui latus Regis claudebant, omnes Cherethæi, omnes Phelethæi, & omnes Gitthæi, qui ſexcenti erant viri, ſequutique Regem Gatho fuerant, coram Rege tranſierunt. 19. Tum Rex Itthaï Gitthæo, cur tu etiam, inquit, nos comitareris? Revertere & mane cum Rege, es enim alienigena, & ad locum tuum migraturus. 20. Heſterno die, veniſti; hodierno verò téne abducerem, ut nobiſcum ires? Ego autem ibo, quò potero; revertere ergo & fratres tuos reducito; *ſint* verò tecum benignitas & fides. 21. Reſpondit Itthaïs Regi, & *ut* vivit, inquit, Jehova, vivitque Rex dominus meus: ſic quocumque loco fuerit dominus meus Rex, ſeu moriendum, ſeu vivendum ſit, ibi erit ſervus tuus. 22. Itthaï verò David, ito *ergo*, inquit, & tranſito Tranſiit itaque Itthaïs Gitthæus, omnéſque viri & impuberes, qui cum eo erant. 23. Totius illius tractûs incolæ flebant & ejulabant, & univerſus populus tranſibat. Rex quoque trajecit torrentem Kedronem, & tota multitudo ingreſſa eſt viam ſolitudinis.

24. Ecce verò etiam Tſadokum & omnes Levitas Arcam fœderis Dei bajulantes, qui ſtatuerunt Arcam Dei; *nec* venit Ebiathar, *niſi* poſtquàm omnis populus ex urbe abſolviſſet tranſire. 25. Tum Rex Tſadoko, refer, inquit, Arcam Dei in urbem; ſi enim gratiâ apud Jehovam valuero, me reducet, eámque & domicilium ſuum conſpi-

Clade ſubitâ opprimat] *Impellat malum ſuper nos.*

15. *Dominus noſter*] *Dominus meus*, quia unus aliorum nomine loquitur. Sed numeros ita non miſcent Latini.

16. *Eum ſequuta eſt*] *In pedibus ejus* ברגליו *braglau.* Intelligendæ legitimæ omnes uxores, cùm earum liberis, & omnibus clientibus ac miniſtris liberæ ſortis, ac ſervis.

17. *Quæ eum ſequebatur.*] *In pedibus ejus.* Malè habent LXX. Intt. πεζῇ, nam nihil vetat eos vectos fuiſſe mulis, ac aſinis; neque *peditem* vox Hebraïca ſignificat, ſed ſequendi actum.

Ad domum remotam] *Domi remotionis.* Locus fuit eo tempore Jeroſolimæ, ad torrentem Kedronem, ſat notus, ad quem David ſuas copias luſtrare voluit.

18. *Qui latus Regis claudebant*] *Tranſeuntes ad manum ejus.* Satellites, nempe, intelliguntur.

Omnes Cherethæi] De Cherethæis & Phelethæis diximus, ad Cap. VIII, 18.

Omnes Gitthæi &c.] Hebræi videntur ſaltem plerique fuiſſe, qui variis temporibus & caſibus Gathum, Philiſthæorum urbem, confugerant, ſed poſtea Davidi, ad Achiſum venienti, ſeſe adjunxerant. Erant *Gitthæi* commoratione, aut fortè etiam natalibus, quamvis ex familiis Hebræis, orti. Vix puto Davidem ſolis peregrinis cuſtodiam corporis ſui commiſſurum fuiſſe, ut volunt qui hos omnes Philiſthæos fuiſſe exiſtimant, eóſque Proſelytos factos ad Hebræorum ſacra admiſſos. Ex ſequenti verſu contrarium colligere licet.

Sequuti Regem] *Venerant in pedibus ejus, è Gatho.*

19. *Mane cum Rege*] Cum eo, qui ſe quaſi Regem gerit.

Alienigena] נכרי *nochri.* Reliqui ergo erant Hebræi, cùm David hunc ſingulari ratione alloquatur. Alioqui debuiſſet omnes, eadem de cauſa, dimittere.

Ad locum tuum migraturus] *Migrans tu ad locum tuum*; hoc eſt, Gathum, mutato Rege, potes redire, ſi nolis ſub Abſalomi regno vivere.

20. *Heſterno die* &c.] Hoc eſt, nuper.

Ibo quò potero] *Ego iens quo ego iens.*

Sint verò tecum benignitas &c.] עמך חסד ואמת, *tecum benignitas & veritas*; hoc eſt, omnes erga te benignos & fidos experiaris.

21. *Seu moriendum, ſeu vivendum ſit*] *Sive ad vitam, ſive ad mortem.* His verbis conſtantiam ſuam Davidi adprobavit, qui paſſus eſt eum cum ſuis manere.

23. *Totius illius tractûs incolæ* &c.] *Et tota terra illa flentes, voce magnâ.* Intelliguntur Jeroſolimitani & vicini.

Tranſibat] Torrentem Kedronem, ut ex ſequentibus verbis liquet.

Tota multitudo ingreſſa eſt] *Totus populus tranſeuntes ad faciem deſerti.* Intelligitur Jerichuntina ſolitudo, de qua ad Joſ. XIII, 15 Trajecit enim David Jordanem, iis in locis, ut in Galahaditidem ſe conferret.

24. *Tſadokum*] Sacerdotem Elchazare oriundum, de quo ad Cap. VIII, 17.

Nec venit Ebiathar] *Et adſcendit Ebiathar, donec abſolviſſet totus populus* &c. Aut eſt omiſſa negatio לא, legendumque ולא יעל *& non adſcendit*; aut involvitur hoc loquendi genere. Videtur Ebiathar fidem ſuam Davidi hoc facto ſuſpectam aliquatenus feciſſe; videtur enim exſpectaſſe donec plebs Jeroſolimitata cuinam faveret oſtendiſſet, & in urbe manſurus fuiſſe, ſi Rex ab ea deſertus fuiſſet.

25. *Gratiâ apud Jehovam valuero*] *Invenero gratiam in oculis Jehovæ.*

Domicilium ſuum] נוהו *navehou*, à qua voce facta eſt Græca ναός, quæ Templum ſignificat. Intelligit David locum in quo Arcam collocarat,

ſpicienda mihi præbebit. 26. Si verò dixerit: non mihi places; en me *paratum*, fa-
ciat mihi quemadmodum ei videbitur. 27. Præterea David Tſadoko Sacerdoti, ſpe-
culator, inquit, tu *mihi es;* redito in urbem incolumis, Achimahatſúſque filius tuus
& Jonathan filius Ebiatharis, ambo filii veſtri, vobiſcum. 28. Videte, ego morabor
ad vada ſolitudinis, donec aliquid à vobis venerit, quod mihi nuncietur. 29. Retu-
lerunt ergo Tſadokus & Ebiathar Arcam Dei Jeroſolimam, atque illic manſerunt.
30. David verò adſcendebat clivum Olivarum, flebátque, capite operto, & nudis pe-
dibus ambulans. Omnis quoque multitudo, quæ cum eo erat, capite operto, adſcen-
debat & flebat. 31. Davidi deinde *aliquis* nuncium attulit, his verbis: Achithophel
etiam eſt inter conjuratos, cum Abſalomo, dixitque David: ô Jehova, ſtultum, quæ-
ſo, redde Achithophelis conſilium.
32. Cùm verò David veniſſet ad verticem *montis*, ubi Deum adoravit, ecce obviam
illi venit Chuſaïs Archita, ſciſsâ tunicâ, & capite pulvere inſperſo. 33. Tum ei Da-
vid, ſi mecum quidem diſceſſeris, oneri mihi eris; 34. ſi verò redieris in urbem,
dixeriſque Abſalomo: ſervus tuus ero, ô Rex, *ut fui* ſervus patris tui; & ab illo
tempore fui, & nunc ſum ſervus tuus; irritum mihi reddes Achithophelis conſilium.
35. Annon ſunt ibi tecum Tſadokus & Ebiathar Sacerdotes? Quidquid autem audie-
ris à domo regia, renunciabis Tſadoko & Ebiathari ſacerdotibus. 36. Illic ſunt etiam
duo eorum filii, Achimahatſus Tſadoki, & Jonathan Ebiatharis, per eos mittetis
ad me quidquid audiveritis. 37. Ivit ergo Chuſaïs, amicus Davidis, in urbem, quam
ingreſſus mox eſt Abſalomus.

XVI. Per-

rat, donec Templum ædificaretur.

26. *Quemadmodum ei videbitur*] *Ut bonum in oculis ejus.*

27. *Speculator tu*] הרואה אתה *haroeh attah*, an tu es videns? הראה *roeh* dicitur Propheta, 1. Sam. C. IX, 9. verùm hîc ejuſmodi ſignificationi locus non eſt. Itaque *ſpeculatorem* vertimus, qui *videt* quid rerum agatur alicubi, idque ad ſuos perſcribit, aut curat iis dici. ה, quod voci הראה præfigitur, exiſtimavimus emphaticum eſſe, non interrogationis notam; quæ hîc minùs convenit, quamvis ita cenſuerint Maſſorethæ. LXX. Intt. habent ἴδετε, *videte*, quaſi legiſſent ראו *reu*. Vulgatus vertit: *ô videns*, ſed Tſadokus nuſquam Propheta fuiſſe dicitur.

28. *Ad vada ſolitudinis*] Eſt in textu בעברות *baberoth*, quod intelligendum de *tranſitibus*, ſeu vadis Jordanis, quæ è regione Jerichuntis erant. Sed Maſſorethæ margini adſcripſerunt ערבות *baraboth*, quemadmodum etiam legerunt LXX. & Latinus Intt. quâ voce ſignificantur campi, qui ad Jordanem illic erant. Sed lectionem textûs prætulimus, propter ea quæ ſequuntur Cap. XVII, 16. ubi vide notata.

30. *Clivum Olivarum*] Montem Oliveti, per quem tranſire oportebat in Jerichuntinam ſolitudinem ituro.

Flebátque capite operto] *Adſcendens, & flens & caput ei erat opertum.* Doloris hoc erat indicium, hominiſque ignominioſum quiddam patientis, quamvis in funeribus factum non conſtet. Vide Eſth. VI, 12. & *Mart. Geierum* de Luctu Hebr. Cap. XI. Apud Græcos & Romanos fieri id ſolitum, notiſſimum eſt. Adi *Davidis Clerici* Quæſt. Sacr. XXIV.

Nudis pedibus] Hoc quoque luctûs fuit, ut liquet etiam ex Ezech. XXIV, 17. Adi eumdem *Geierum* C. XV.

31. *Stultum, quæſo, redde* &c.] Achithophel enim Hebræorum prudentiſſimus habebatur.

32. *Chuſaïs Archita*] Civis urbis, in Tribu Ephraïmi, quæ dicitur Archi-hataroth Joſ. XVI, 2. LXX. Intt. vocarunt hunc ὁ Ἀρχὶ ἑταῖρος Δαυὶδ, *Archi, amicus Davidis*; unde abſurdè fecerunt Librarii Ἀρχιεταῖρος, quaſi *principem amicorum*. Senex videtur fuiſſe & fugæ, aut bello parum aptus, cùm David timeret ne ſibi oneri eſſet. Ceteroqui prudentem virum fuiſſe oportet, cùm Abſalomus, audito conſilio Achithophelis, ad ejus etiam conſilium confugerit, quod & priori prætulit.

Sciſsâ tunica &c.] Ut in calamitate, quod paſſim occurrit. Vide Cap. I, 2.

34. *Irritum mihi reddes*] והפרתה *hepharthah*. hoc eſt, conſiliis contrariis, quæ Abſalomo dabis, impedies, ne prudentia Achithophelis conſilia contra me effectum ullum ſortiantur.

36. *Illic ſunt etiam*] *Ecce illic cum iis duos filios eorum.*

37. *Quam ingreſſus mox eſt* &c.] *Et Abſalom venit Jeroſolimam.*

Digitized by Google

XVI. Perfidè ſe gerit Tſiba erga Mephiboſethum. Simhis malè precatur Davidi, qui convicia ejus æquo animo patitur. Chuſaïs addictum ſe ſimulat Abſalomo, qui cum patris pellicibus concumbit.

Caput XVI. 1. CUm verò verticem *montis* nonnihil eſſet prætergreſſus David, ecce Tſibam ſervum Mephiboſethi, qui obviam illi venit, cum pari aſinorum ſtratorum, quibus impoſiti erant ducenti panes, centúmque faſciculi uvarum paſſarum, & centum *ficuum* æſtivarum, cum utre vini. 2. Tum Rex Tſibæ, quænam hæc tibi ſunt? Aſini, inquit Tſiba, familiæ regiæ, quibus *aliquis* vehatur; paníſque & æſtivæ *ficus*, quæ ſervi comedant, ac vinum, quod defeſſi in ſolitudine bibant. 3. Ubi verò eſt, inquit Rex, filius heri tui? At Tſiba Regi, en, inquit, remanſit Jeroſolimæ, quia dixit: hodie domus Iſraëlis mihi regnum avi mei reſtituet. 4. *Ibi* David Tſibæ, en inquit, tua ſunt quæcumque Mephiboſethi fuerant, & dixit Tſiba: me proſternam, *quoniam* gratiam apud dominum meum Regem nactus ſum.

5. Cùm verò perveniſſet David Bachurimos, ecce ex adverſo prodiit vir ortus ex familia Saülis, cui nomen fuit Simhi, filius Geræ, qui conviciabatur Davidi, 6. & lapidibus eum impetebat, omnes Davidis Regis ſervos, univerſúmque populum & omnes viros fortes, à dextra ejus & à ſiniſtra. 7. Sic autem dicebat maledicens: egredere, egredere vir ſanguinarie, vir nequam. 8. In te fecit recidere Jehova cædes omnes domûs Saülis, cujus loco regnaſti; tradiditque regnum tuum in manum Ab-

In Caput XVI.

1. VErticem] ראש, *roſch.* Nempe, montis Olivarum, ut antea. Hîc ut & vſ. 32. ſuperioris Capitis verterunt LXX. Intt. *Ῥὼς*, quaſi eſſet nomen proprium.

Uvarum paſſarum] Vide ad C. XXV, 18.

Ficuum æſtivarum] Eſt tantùm קיץ kajits, *æſtatis*, quo nomine indigitabantur ficus æſtivæ, ſeu quæ æſtate maturæ erant. Hinc Chaldæus vertit hîc דבלין *caricæ*, & Hieronymus: *centum maſſis palatharum.* Vide Eſai. XVI, 9. Jerem. XL, 10. & Amoſ. VIII, 1. LXX. Intt. hîc habent, in Codicibus Alexandrino & Vaticano: *ἑκατὸν φοίνικες*, in Aldino *οἰφὶ παλάθων*, & *ἑκατὸν παλάθαι* in Complutenſi, qui fortè hîc, ut alibi, refictus. Hinc colligere licet Græcis Interpretibus non conſtitiſſe utrùm æſtivi hi fructus dactyli eſſent, an verò ficus, quòd uterque fructus æſtate maturus eſſet. Intelligendæ ſunt ficus ſiccæ.

2. *Quibus aliquis vehatur*] Supplendum fuit *aliquis*, quia tota familia regia duobus aſinis, vehi non poterat.

3. *Filius heri tui*] Filius Jonathanis Mephiboſethus. Vide Cap. IX, 3. & ſeqq.

Avi mei] אבי *patris mei.*

4. *Tua ſunt* &c.] David tempeſtivo Tſibæ officio captus, innoxium Mephiboſethum temerè damnavit.

5. *Bachurimos*] Urbs Tribûs Benjaminis, ad ortum Jeroſolimæ. Vide Cap. XIX, 16.

6. *Et lapidibus* &c.] Dementem hominem eſſe oportuit, qui auſus tantum agmen lapidibus impetere.

7. *Egredere* &c.] Nimirum, regno.

Vir ſanguinarie] *Vir ſanguinum.*

8. *In te fecit recidere* &c.] *Fecit redire ſupra te omnes ſanguines* &c. Falſum erat quemquam ex familia Saülis, operâ, aut juſſu Davidis, interfectum fuiſſe. Sed homo nequam mortem Abneri & Isboſethi videtur ei velle tribuere, ex odio quod in eum conceperat, quia regnum ex familia Saülis in Davidicam tranſlatum fuerat.

Nunc cum calamitate tua conflictaris] *Ecce te in malo tuo.*

9. *Cani mortuo*] Convicium eſt contemtu plenum. Vide Cap. IX, 8.

Licebit maledicere] *Maledicet.* Futurum ſæpe quod poteſt fieri ſignificat, ut hîc.

Ut eum obtruncem] *Et amovebo ejus caput.*

10. *Quid mihi eſt vobiſcum*] *Quid mihi & vobis.* Eſt formula caſtigandi, quâ ſignificat David ſibi Joabi & Abiſaïs violenta conſilia diſplicere. Alioqui non erat cur de eorum fide erga ſe malè ſentiret, aut operæ fortium ſanè virorum Regem pœniteret.

Si malediceret quia &c.] כי יקלל *chi jekallel*, & poſtea כי אמר *chi amar.* Τὸ כי *chi* priore loco hîc perinde eſt ac אם *ſi.* Vide Chr. *Noldium*, ad hanc particulam ſign. 24. LXX. Intt. habent hîc: *ἄφετε αὐτὸν καὶ οὕτως καταράσθω, ὅτι Κύριος εἶπεν αὐτῷ.* Sic & Vulgatus: *Dimitte eum, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei* &c. Non poterat credere David Simhin mandatum maledicendi ſibi à Deo accepiſſe; quia norat Simhin mentiri, cùm dicebat Deum feciſſe recidere in ipſum cædes familiæ Saülis, quarum nullo modo auctor fuerat. Verùm ita loquitur, ut coërceat impetum Abiſaïs, dum tacitus agnoſcit, apud animum ſuum, ſe meritas pœnas ſanguinis innoxii effuſi, ſi non familiæ Saülis, at Uriæ, dare; ideóque potiùs ſibi veniam à Deo petendam, quàm de ultione cogitandum. Vertimus ergo *ſi malediceret, quia Jehova ei dixiſſet* &c. ut ſit ſenſus, convicia Simhis eſſe æquè patienter ferenda, ac ſi Propheta eſſet à Deo miſſus, qui ea quæ juſſus eſſet dicere proferret. Cujus rei ratio ea eſſe videtur, quam dixi, quamvis eam non aperiat David. Ad hanc autem moderationem adductus videtur, & conſcientiâ peccatorum, ut dixi, & reverentiâ Numinis, à quo ad eum ſtatum erat redactus, ut vilis Benjaminita auderet abeun-

Digitized by Google

Abſalomi, filii tui; nunc cum tua calamitate conflictaris, quia vir ſanguinarius
es. 9. Ibi verò Abiſaïs, Tſerujæ filius, Regi, quare, inquit, huic cani mortuo licebit maledicere domino meo Regi? Tranſeam, quæſo, ut eum obtruncem.
10. At
Rex, quid mihi, inquit, eſt vobiſcum, ô filii Tſerujæ? Si malediceret, quia Jehova ei dixiſſet: maledic Davidi; quis ei diceret: cur ſic feciſti?
11. Deinde Abiſaï & omnibus ſervis ſuis, en, inquit, filius meus, qui prodiit ex viſceribus meis, conatur mihi vitam eripere, quanto magis Benjaminita? Eum miſſum facite, ac maledicat, ſi *hoc* ei dixit Jehova.
12. Reſpiciet forſitan Jehova ad calamitatem meam, reddétque mihi bonum, pro hac hodierna ejus maledictione.
13. Pergebat itaque David cum ſuis, in ſuo itinere; ibat verò Simhis ſecundùm latus montis ex adverſo, dúmque progrediebatur, lapides conjiciebat è regione & pulverem excitabat.

14. Pervenit verò Rex & omnis populus, qui cum eo erat, feſſi *quò tendebant*, atque illic reſpirarunt.
15. Interea Abſalomus & univerſa multitudo Iſraëlitarum ingreſſi ſunt Jeroſolimam, unáque Achithophel.
16. Cùm autem convenit Chuſaïs Archita, amicus Davidis, Abſalomum, eique dixit: vivat Rex, vivat Rex;
17. reſpondit Chuſaï Abſalomus: hæccine eſt benignitas, quâ proſequeris amicum tuum? Cur eum amico tuo non abiiſti?
18. *Ibi* Chuſaïs Abſalomo, non, inquit, ſed ei, quem Jehova & hic populus & omnes Iſraëlitæ elegerint adero, cúmque eo, manebo.
19. Secundo loco, cui ſerviam? annon coram filio ejus? Quemadmodum ſervii coram patre tuo, ſic ero coram te.

20. Dixit etiam Abſalomus Achithopheli, date conſilium, quid faciemus?
21. Tum Achitophel Abſalomo: congredere, inquit, cum pellicibus patris tui, quas ad ſervandam

abeunti conviciari Nec poterat dubitare quin à Deo ob peccatum memoratum plecteretur, quandoquidem res à Nathane prædicta fuerat, Cap. XII. Itaque David ſe ſe humiliter pœnis, à Deo ſibi impoſitis, ſubjicit; quamvis Simhin Prophetæ munere fungi non ſuſpicetur. Non malè *Joſephus*, in hac hiſtoria, eum ſic loquentem induxit: οὐ γὰρ δὴ τοῦ συμβεβηκότος μοι τούτου κακοῦ αἰδοῦς τις ἢ φροντὶς ὑπέρχεται· τὸν θεὸν δ' εἶναι, δι' ὃν οὗτος ἐφ' ἡμᾶς ἀπενοήθη: *nullâ reverentiâ, aut curâ ducor rabidæ hujuſce canis, ſed cedo Deo, per quem hic in nos inſanus factus eſt*; hoc eſt, qui eò nos redegit ut Simhis venenum ſuum in nos evomere audeat.

11. *Conatur mihi vitam eripere*] *Quærit animam meam.*

Benjaminita] Tribulis & conſanguineus Saülis.

Si hoc ei dixit Jehova] כי *chi* vertimus *ſi*, ut antea, cùm David ſibi juſſu Dei mendacia ingeri credere non poſſet.

12. *Reſpiciet forſitan Jehova*] *Videbit fortaſſe Jehova.* Vide Exod. I, 25. III, 7.

Calamitatem meam] בעוני *behoni*, quod frequentiùs ſcribitur ſine ו עני, ſignificátque *adflictionem, calamitatem.* LXX. habent ταπείνωσιν, Latinus, *adflictionem.* Genus loquendi uſitatum rectam hanc eſſe lectionem ac interpretationem oſtendit. Attamen Maſſorethæ in margine ſcribunt לעיני *lebeini*, ad oculum meum, quod caret ſenſu. Lectio eſt mendoſi Codicis, aut prava conjectura.

Pro hac hodierna ejus maledictione] *Pro maledictione ejus die hoc.*

14. *Reſpirarunt*] Quieverunt. LXX. ἀνέψυξαν, Latinus, *refocillati ſunt.* Non quieverunt, donec perveniſſent ad certum locum, cujus nomen fortaſſe intercidit, longinquitate temporis.

16. *Archita amicus Davidis*] Rectè Latinus: *Arachites amicus Davidis.* Abſurdè verò legitur in Codicibus LXX. Intt. ab aliquot ſæculis, [illegible], ut C. XV, 32.

Vivat Rex] Quæ adclamatio fuit Abſalomum Regem ſalutantium.

17. *Quâ proſequeris amicum tuum*] *Cum amico tuo.* Oportet antiquam & inſignem fuiſſe Davidis & Chuſaïs amicitiam.

18. *Non, inquit &c.*] לא *lo, non ſed quem elegit Jehova, & populus hic, & omnis vir Iſraëlis ei,* (לא *non* ſed legendum cum Maſſorethis לו *ei*) *ero & cum illo manebo.* Verbis *populus hic* videtur intelligi Tribus Judæ, ut ſequentibus reliqui Iſraëlitæ. Rectiùs feciſſet Chuſaïs, ſi nomen Dei huic ſuæ ſimulationi minimè miſcuiſſet. Sed loquitur more vulgi, quod de divina voluntate ex eventu judicat, quaſi Deus ea probaret quæ patitur fieri. Quæ fuit Poetæ ſententia, qui dixit: *Victrix cauſa Diis placuit.* Vid. vſ. 8.

19. *Coram filio &c.*] Servi dicuntur *ſtare coram heris*, iis dicto audientes futuri.

20. *Date conſilium*] הבו לכם עצה *date vobis conſilium.* LXX. φέρετε ἑαυτοῖς βουλήν. Sed לכם *vobis* hîc abundat, ut ſæpe alibi. Uti autem Abſalomus videtur plurali numero, quòd fortaſſe unà cum Achithophele alii adeſſent conſiliarii. Hinc *Hieronymus* habet: *inite conſilium.*

21. *Congredere cum pellicibus &c.*] Ejuſmodi flagitium prorſus contrarium erat Legibus Moſaicis; ſed Achithophel norat nullam majorem contumeliam imponi Davidi potuiſſe à filio, quàm ſi cum ejus pellicibus concumberet; & præterea ſciebat jus hoc eſſe ſucceſſoris, ut deceſſoris ſui uxores haberet, ſicut oſtendimus ad Cap. XII, 8. Addemus hîc ſolitum hoc fieri apud Perſas, ut liquet exemplo Smerdis Magi, qui iiſdem pellicibus utebatur ac Cambyſes deceſſor ejus uſus fuerat. *Herodotus* Lib. III. cap. 68. de Otane: ἔχε αὐτοῦ ὁ Καμβύσης θυγατέρα, τῇ ὄνομα ἦν Φαιδύμη, τὴν αὐτὴν δὲ ταύτην εἶχε τότε ὁ μάγος, καὶ ταύτῃ συνοίκεε, καὶ τῇσι ἄλλῃσι πάσῃσι τῇσι τοῦ Καμβύσεω γυναιξί: *Cambyſes ejus filiam habuerat, cui nomen erat Phædymæ. Hanc eamdem ha-*

Digitized by Google

dam domum reliquit, intelligétque omnis Iſraël te inviſum factum eſſe patri tuo, & omnes, qui tecum ſunt, confirmabuntur. 22. Itaque in ſolario tetenderunt tentorium Abſalomo & cum pellicibus patris, coram toto Iſraële, congreſſus eſt. 23. Conſilium autem Achithophelis, quod dabat diebus illis, perinde erat, ac ſi quis ſciſcitaretur verbum Dei. Tale fuit conſilium Achithophelis & Davidi & Abſalomo.

XVII. Cùm Achithophel ſuaſiſſet Abſalomo illico perſequi Davidem, diſſuaſit Chuſaïs, cujus prælatum eſt conſilium; quod proditur Davidi, qui, trajecto confeſtim Jordane, it Machanajimos. Achithophel ſe ſuſpendit. Abſalomus cum toto Iſraële Jordanem quoque trajicit.

CAPUT XVII. 1. DIXIT verò Achithophel Abſalomo: eligam, quæſo, duodecim millia virorum, ſurgámque & perſequar Davidem, hac nocte. 2. Eum opprimam feſſum ac remiſſum, terrorique ei ero, diffugiet univerſus populus, qui cum eo eſt, & ſolum Regem cædam. 3. Tum reducam omnem populum ad te, cúmque redierint omnes, quos tu deſideras, omnis populus pacatus erit. 4. Res placebat Abſalomo, omnibúſque ſenibus Iſraëlis. 5. At Abſalomus, voca, quæſo, inquit, Chuſaïn Architam, audiemúſque quid dicendum & ipſe habeat. 6. Venit ergo Chuſaïs ad Abſalomum, eíque Abſalomus, ſic, inquit, loquutus eſt Achithophel; faciemúſne quod dixit, nécne? Tu loquere. 7. Chuſaïs verò Abſalomo, non bonum eſt, inquit, hac vice, conſilium quod dedit Achithophel. 8. Noviſti enim, aiebat Chuſaïs, patrem tuum, viróſque qui cum eo ſunt, fortes eſſe & irritatos, inſtar urſæ or-

habebat tunc Magus, & cum hac habitabat & cum aliis omnibus Cambyſis uxoribus. Qua in hiſtoria, obſervandum Magum hunc perſonam Tanyoxaris, Cambyſis fratris, egiſſe; ac perinde Perſis mirum nihil viſum, ſi frater mortui fratris pellicibus uteretur. Ex hoc Abſalomi facto, ſimilem morem fuiſſe antiquioribus temporibus & apud alios Orientis Reges, colligere poſſumus.

Te inviſum factum eſſe] *Te fœtidam factum eſſe apud patrem*; hoc eſt, nullam ampliùs veniam ab eo poſſe ſperare, ob factum uſque adeò laſcivum & contumelioſum. Vide ad Lib. I. Samuëlis XXVII, 12. & 2. Sam. X, 6. Hinc intelligere poterant Iſraëlitæ, qui Abſalomi partes ſequebantur, non eſſe cur timerent ne ille patri ſuo reconciliaretur, ac proinde ne ab eo aliquando ſeni irato, pace factâ, proderentur; ideóque factionis opes ſic confirmabantur.

22. *In ſolario tetenderunt* &c.] Sic impletum vaticinium Nathanis Cap. XII, 11, 12. Hæc fiebant non tam libidine Abſalomi, pudore omni deſtituti, quàm prava prudentiâ Achithophelis, ne quis ea de re dubitare poſſet.

23. *Quod dabat*] אשר יעץ *aſcher jabats*, quod conſulebat, ſi ita loqui Latinè liceret.

Ac ſi quis ſciſcitaretur verbum] כאשר ישאל בדבר *quaſi ſciſcitaretur verbum.* Sed Maſſorethæ in margine rectè poſt verbum ישאל addunt איש *vir*, ſeu *aliquis*. Tam prudens habebatur Achithophel, ut non minùs ei crederetur, ac Prophetæ verbum Dei proferenti.

In CAPUT XVII.

2. E*Um opprimam feſſum*] *Veniam ad eum & ille feſſus & remiſſus manibus*, itinere confecto & metu.

Diffugiet &c.] Nondum enim copias ſat magnas, ſatque firmas collegerat David, nec dum loco idoneo ad bellum trahendum conſederat, ideóque territæ copiæ videbantur cum deſerturæ, ſi hoſtem inſequentem viderent.

3. *Cúmque redierint* &c.] Nempe, ἀμνηστίᾳ propoſitâ, facilè ſe putabat Davidis amicos reducturum ad parendum Abſalomo, Davide occiſo. Mirè hunc locum verterunt LXX. Intt. nam pro Hebraïcis verbis: כשוב הכל האיש אשר אתה מבקש *ut redierit vir omnis, quem quæris*, habent: ὃν τρόπον ἐπιστρέφει ἡ νύμφη πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς, quaſi legiſſent הכלה לאישה *haccallah leiſchah*, ſponſa ad ſuum virum. Deinde ſequitur πλὴν ψυχὴν ἀνδρὸς ἑνὸς σὺ ζητεῖς. Vulgatus: *quomodo unus homo reverti ſolet, unum enim virum tu quæris.* Quæ ex conjectura nata videntur, cùm locum non ſatis intelligerent. Meliùs habent noſtri Codices, ſenſúmque commodum ſuppeditant; hoc eſt, ſtatim ac rediiſſent comites omnes Davidis, quos Abſalomus, eo ſolo interfecto, cupiebat redire, fore ut omnia pacata eſſent.

Pacatus erit] יהיה שלום *jihjeh ſchalom*, pro בשלום bſchalom, *in pace.*

4. *Res placebat*] *Recta erat res in oculis* &c.

Omnibúſque ſenibus Iſraëlis] Omnibus proceribus Iſraëlis, qui quidem aderant, & Abſalomo favebant. Mirum eſſet tantum favorem ſibi Abſalomum, contra patrem optimum & juſtiſſimum Regem, conciliaſſe, ſi Iſraëlitæ mores ſuos ad leges Moſaïcas exegiſſent; impium enim prorſus ac parricidiale hoc bellum fuit; ſed ex breviſſima, quæupereſt, ejus populi hiſtoria, ſatis liquet haud multò meliorem Ethnicis gentibus fuiſſe, ſi cultum unius Dei eximas, legéſque divinas parum obſervatas.

5. *Quid dicendum & ipſe habeat*] *Quid in ore ſuo etiam ipſe.*

8. *Irritatos inſtar urſæ orbatæ*] *Amaros anima* &c. Vide Jud. XVIII, 25. 1. Sam. XXX, 6. Tunc feræ inſignis eſt ferocitas, quod & alibi in

orbatæ in agris. Pater verò tuus vir eſt belli ſciens, neque pernoctabit cum populo.
9. Nunc latet ipſe, in fovea quapiam, aut in *alio* quodam loco. Quod ſi quis initio
inter eos, *quos mittes*, cadat; qui audiverit dicet cladem fuiſſe in populo, qui Abſa-
lomum ſequitur. 10. Tum verò etiam fortiſſimi quique, & quorum animus eſt inſtar
animi leonis, frangentur; norunt enim omnes Iſraëlitæ patrem tuum eſſe virum for-
tem, ſtrenuóſque eos, qui cum illo ſunt. 11. Sed auctor ſim ut cogatur ad te omnis
Iſraël, Dane uſque ad Beerſebam, qui multitudine æquat arenam, quæ eſt ad mare,
útque ipſe in prælium deſcendas. 12. Ad eum ibimus, quocumque loco fuerit depre-
henſus, & caſtra contra eum ponemus, *tantâ militum copiâ*, quantâ ros in humum ca-
dit. Ne unus quidem, apud eum, aut apud quemquam eorum, qui cum eo ſunt, ma-
nebit. 13. Si verò in urbem quampiam ſe receperit, feret totus Iſraël in urbem illam
funes, eámque trahemus in torrentem, donec ne lapillus quidem illic remaneat. 14. Ab-
ſalomus verò & omnes Iſraëlitæ, melius eſt, inquiunt, conſilium Chuſaïs Architæ,
quàm conſilium Achithophelis. Jehova autem mandarat ut irritum fieret bonum Achi-
thophelis conſilium, quò malum in Abſalomum recidere curaret.
15. Deinde Chuſaïs Tſadoko & Ebiathari ſacerdotibus, tale, inquit, conſilium quidem
dedit Achithophel Abſalomo & ſenibus Iſraëlis, tale verò ego dedi. 16. Itaque celeriter
mittite, qui ferant nuncium Davidi, his verbis: ne hac nocte pernoctato ad vada ſoli-
tudinis, ſed *fluvium* trajicito; ne abſorbeatur Rex & omnis, qui cum illo eſt, popu-
lus. 17. Jonathan autem & Achimahatſus adſtabant fonti Fullonis, *quò* ivit ancilla,
quæ nunciavit illis; illi verò iverunt, & renunciarunt Davidi Regi, neque enim po-
tuerant videri ingredi urbem. 18. Vidit tamen eos adoleſcens, qui indicavit Abſa-
lomo; at celeriter abierunt, venerúntque domum viri cujuſdam Bachurimos, cui
erat in atrio puteus in quem deſcenderunt. 19. Cepit verò mulier velum, quod
expandit in ore putei, eique grana contuſa impoſuit, neque res intellecta eſt.
20. Ve-

in Scriptura notatur. Vide & Proverb. XVII, 12. & Hoſ. XIII, 8. Multa hanc in rem collegit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. III. c. 9.

Vir eſt belli ſciens] *Vir belli*, ut Gallicè, *un homme de guerre*.

Non pernoctabit] Ne ſubitò opprimi poſſit, ab iis qui obſervaſſent ubi quieſceret reliquus populus, præſertim in locis apertis.

9. *In fovea quapiam*] LXX. Int. ἐν ἑνὶ τ̃ βουνῶν. Sed פחת *phabbath* conſtanter *foſſam* ſignificat.

Qui audiverit dicet] *Et audivit audiens & dixit*.

10. *Fortiſſimi quique*] *Filius roboris, cujus cor eſt inſtar cordis leonis, liquendo liqueſiet*.

11. *Sed auctor ſim*] כי יעצתי *ſed conſilium dedi, congregando congregetur ad te* &c. LXX. Int. συμβουλεύων συνεβούλευσα, quaſi legiſſent יעץ יעצתי *jahots jahatsthi*.

Ipſe in prælium deſcendas &c.] *Et facies tuæ eant in conflictum*, פניך הולכים בקרב *phanecha bolechim bakkerab*; hoc eſt, bellum ipſe geras, non per legatum. Vide Exod. XXXIII, 14. LXX. Int. vocem בקרב verterunt ἐν μέσῳ αὐτῶν & Latinus, *in medio eorum*, quaſi eſſet בקרבם *bkerbam*.

12. *Ne unus quidem* &c.] Conſilium videbatur tutum, ſimúlque jactantiâ quadam (quæ juveni placebat) plenum erat. Quamobrem animum ejus affecit. Deus, ſine vel minima Sanctitatis ſuæ labe, per Angelum immiſit Abſalomo, ut ſceleris pœnas daret, primùm cogitationem de vocando conſulendóque Chuſai; deinde etiam effecit ut melius conſilium ejus videretur, quod nec veriſimilitudine carebat. Vide vſ. 14.

13. *Funes, eámque trahemus* &c.] Hoc eſt, tanto erimus numero, ut vel, ſi neceſſe ſit, funibus poſſimus totam urbem quò voluerimus trahere. Loquendi genus eſt hyperbolicum & jactabundi hominis.

14. *Architæ*] Hîc rectè LXX. Int. τῷ Ἀρχὶ, non ut alibi ἀρχιεταῖρος, quod eſt mera corruptio hominis Græci.

Mandarat] צוה *tſivvah*. Cùm mandata à Deo, hac de re, nulli mortalium data legantur, oportet mandaſſe Deum hoc Angelo cuipiam. Vide 1. Reg. XXII, 19. & *ſeqq.* Nec dubito quin innumera fiant apud homines, arcanis Angelorum miniſteriis, quæ nos in ſolidum hominibus tribuimus, quia inconſpicuos Dei miniſtros non videmus. Nihil autem eſt, hac in re, quod cum ſanctitate boni Angeli conſiſtere nequeat; quia malè de conſiliis ſibi datis judicare, & deterius eligere nihil habuit impietatis, aut improbitatis; ſi ſolam conſilii electionem ſpectemus, de qua ſola hîc agimus.

16. *Celeriter mittite qui ferant nuncium*] *Mittite feſtinanter & indicate*.

Ad vada ſolitudinis] Hîc etiam eſt in texto בעברות *behaberoth*, ut ſupra Cap. XV, 27. quæ lectio ita confirmatur ſequentibus verbis, ut mihi videatur marginali ערבות *baraboth*, anteferenda.

Ne abſorbeatur] Hoc eſt, ne, multitudine undequaque cingente, opprimatur, ſi diutiùs exſpectet.

17. *Fonti fullonis*] בעין רגל *behen rogel*. Vide ad Joſ. XV, 7.

Neque enim potuerant] Ne ſpeculatores haberi poſſent, urbem ingreſſi non fuerant.

18. *Bachurimos*] Vide ad Cap. XVI, 5. Senſerunt juvenes ſe ſe ab aliquo viſos, ideoque à via declinarunt, ne emiſſi equites eos retraherent.

19. *Grana contuſa*] הריפות *hariphoth*, quam vocem cùm non intelligerent LXX. Int. ſcripſerunt ἀραφὼθ, quaſi eſſet nomen proprium plantæ cujuſpiam, quod exprimi Græcè non poſſet.

20. Venerunt enim ſervi Abſalomi ad mulierem domum, dixerúntque: ubi ſunt Achimahatſus & Jonathan? Eis verò mulier, trajecerunt, inquit, aquæ rivum. Itaque poſtquàm quæſiviſſent, nec inveniſſent, redierunt Jeroſolimam. 21. Cùm verò illi abiiſſent, adſcenderunt *adoleſcentes* è puteo, profectique rem nunciarunt Regi Davidi, cui dixerunt: ſurgite, trajicite celeriter aquam, nam tale conſilium contra vos dedit Achithophel. 22. Surrexit itaque David & omnis populus, qui cum eo erat, trajecerúntque *omnes* Jordanem, ad unum, uſque ad matutinam lucem; neque quiſquam relictus eſt, qui Jordanem non tranſierit.

23. Cùm verò vidit Achithophel conſilium ſuum exſequutioni non eſſe mandatum, ſtrato aſino ſurrexit, abiitque domum ſuam, in urbem ſuam, &, datis familiæ ſuæ mandatis, fauces ſibi eliſit, ac mortuus eſt, & in paterno ſepulcro ſepultus. 24. David poſtea Machanajimos ſe contulit, Abſalomúſque etiam ipſe Jordanem trajecit, omnéſque Iſraëlitæ cum illo *erant*. 25. Abſalomus autem Hamaſam, Joabi loco, exercitui præfecit. Hamaſa verò filius fuit viri Iſraëlitæ, cui nomen erat Jithræ, & qui congreſſus erat cum Abigala, filia Nachaſi, ſorore Tſerujæ matris Joabi. 26. Caſtra ergo poſuerunt Iſraëlitæ & Abſalomus in terra Galahaditide.

27. Cùm verò David veniſſet Machanajimos, Sobis Nachaſi filius Rabbâ Hammonitarum, Machir Hammiëlis filius Lodebare, & Barzillaïs Galahadita Rogelimis, 28. cubilia, ſcyphos, vaſa teſtacea, frumentum, hordeum, farinam, *hordeum* toſtum, fabas, lentes *crudas* & toſtas, 29. mel, butyrum, minores pecudes & caſeos bubulos, obtulerunt Davidi & populo, qui cum eo erat, ut iis veſcerentur; dixerunt enim: populus fuit famelicus, & feſſus & ſitiens in ſolitudine.

XVIII. Com-

ſet. Omiſerunt prorſus Prov. XXVII, 22. At Vulgatus, *ptiſanas*, rectè, ſi intelligas contuſum hordeum, contuſámve avenam, quibus fit ptiſana. Sunt enim ejuſinodi grana in mortario contuſa, ut ex loco Proverbiorum liquet. Videntur autem expoſita fuiſſe ſoli, ut ſiccarentur antequàm ex iis puls fieret. De granis contuſis & pulte vide dicta ad Levit. XXIII, 14.

21. *Aquam*] Jordanem.

Nam tale conſilium] Nondum ſatis Chuſaï conſtabat ſequuturúſne eſſet Abſalomus à ſe datum, an verò Achithophelis conſilium. Itaque auctor erat Davidi, ut quàm primùm abiret ultra Jordanem; ne, ſi fortè Abſalomus Achithophelis conſilium ſequi vellet, ſubitò ab eo opprimi poſſet.

23. *Datis familiæ ſuæ mandatis*] ויצו אל ביתו *& mandavit domui ſuæ*. Quænam eſſet ultima ſua voluntas ſignificavit, aut ſcripto, aut verbis.

Fauces ſibi eliſit] ויחנק *vajjehanek*. LXX. Intt. καὶ ἀπήγξατο, Hieronymus: *ſuſpendio interiit*, hoc eſt, laqueo gulam ſibi fregit. Nugantur qui aliud mortis genus hic quærunt; quaſi dolore ſolo ſuffocatus fuerit Achithophel. Videtur vir callidus animadvertiſſe nimis imprudentem eſſe Abſalomum, quàm ut bene de ejus rebus ſperari poſſet; ſimúlque auctoritatem, gratiámque ſuam magni poſthac ponderis non fore, ſi diu regnaret; ſin verò Davidis partes ſuperiores evaderent, quod timendum erat, actum eſſe de ſe. Itaque cùm nihil eſſet, quod ſperare poſſet, multa contrà quæ timeret, vitam ſuſpendio finiit. Vide *Joſephum*, ad hunc locum.

24. *Machanajimos* &c.] Urbem munitam, de qua ad Cap. II, 8.

25. *Hamaſam*] Fratrem patruelem, fuit enim Hamaſa filius ſororis Davidis, ut liquet ex 1. Par. II, 17.

Filius fuit viri Iſraëlitæ &c.] Hic quatuor ſunt nomina, quæ differunt ab iis quæ, in hujus ipſius Hamaſæ genere proferuntur, loco laudato Paralipoménon. Primùm, hic vocatur pater Hamaſæ יתרא *Jithra*, qui illic יתר *Jether*; ſed hæc parum differunt. Secundò, hic idem vir dicitur ישראלי *Iſraëlita*, qui illic ישמעאלי *Iſmaëlita*; quæ poſterior lectio rectior *Gaſp. Sanctio* videtur, quia dignum memoratu non erat Iſraëlitidem puellam viro Iſraëlitæ nupſiſſe; ſed ſingulare quidpiam fuit eam Iſmaëlitæ collocatam. Nec ſpernenda eſt ratio. LXX. habent hîc ex Codice Romano Ἰεζραηλίτης ex urbe Jezraële, ex Aldino, Ἰσραηλίτης. *Hieronymus* habet: *de Jezraëli*. Quibus præferenda eſt *Sanctii* conjectura, quam probat etiam *Joan. Piſcator*. Tertiò, אביגל *Abigal* hîc appellatur mulier, quæ אביגיל, *Abigail*, illic meliùs fortè vocatur. Quartò, pater hujus mulieris eſt illic ישי *Iſai*, pater Davidis, qui eo nomine conſtanter dicitur, excepto hoc loco, ubi נחש *Nabhaſch* appellatur; unde colligere licet Davidis patri duplex fuiſſe nomen, aut, ſi mavis, נחש *Nabhaſch* fuiſſe ei cognomen inditum, cujus origo ignoratur.

Qui congreſſus erat] Furtivus concubitus videtur eâ loquutione ſignificari, nam potiùs vir Abigailæ diceretur Jether, ſi legitimo matrimonio conjuncti fuiſſent.

26. *In terra Galahaditide*] Interdum ſic vocabatur totus tractus, ad ortum Jordanis.

27. *Nachaſi filius*] Fortè Regis Hammonitarum, amici olim Davidis de quo Cap. X, 2. Hinc autem colligere poſſumus Hammonitas omnes non fuiſſe ad internecionem deletos, ut notavimus ad Cap. XII, 31.

Machir] Familiæ Saulis amicus, de quo Cap. IX, 4.

28. *Cubilia* &c.] Quia utenſilia auferre non potuerunt, omnibus indigebant, non minus ac victibus.

Hordeum toſtum] קלי *kali*, de quo vide notata ad Lev. XXIII, 14.

Crudas & toſtas] Supplevimus *crudas*, כרמל, ut Levit. XXIII, 14. quia ſequitur וקלי *vekali*. quod

XVIII. Commiſſo prælio, vincitur Abſalomus, qui fugiens per ſilvam impeditam quercui ſuſpenſus capite hæret, ubi à Joabo occiditur; quibus de rebus nuncii ad Davidem veniunt.

1. DAVID verò recenſuit populum, qui ſecum erat, præfecitque ei Chiliarchos CAPUT
& Centuriones. 2. Tum emiſit populum, & tertiam quidem partem ſub Joa- XVIII.
bo, tertiam ſub Abiſaï, filio Tſerujæ, fratre Joabi, & tertiam ſub Itthaï
Gitthæo, dixitque Rex populo; ego quoque vobiſcum egrediar. 3. At populus, non
egredieris, inquiunt, quia ſi fugerimus, hoc non animadvertetur; ſique moriatur di-
midia pars noſtrûm, hoc non animadvertetur; ſumus enim nunc circiter decem millia;
ſatius eſt te nobis *præſtò* eſſe, ut ex urbe nobis auxilium feras. 4. Eis verò Rex, fa-
ciam, inquit, quod vobis videbitur; Réxque ſtetit ad latus portæ, dum populus om-
nis egrediebatur, in Centurias, Chiliadáſque *diviſus.* 5. Mandata autem dedit Rex
Joabo, Abiſaï & Itthai, his verbis: leniter vos gerite, cum adoleſcente Abſalo-
mo; totúſque populus audivit, cùm de Abſalomo Rex ea mandata omnibus ducibus
daret.
6. Egreſſus ergo eſt populus in agros obviam Iſraëli, fuitque prælium *commiſſum* in
ſilva Ephraimitarum. 7. Cæſus illic eſt populus Iſraëlis, in conſpectu ſervorum Davi-
dis, eſtque *Iſraëlitis* magnum vulnus die illo inflictum, *cùm ceciderint* vigeſies millies
viri. 8. Diſtractum autem fuit prælium, per totum illum tractum, pluréſque ſilva,
illò

quod non poteſt hîc ſubſtantivi loco haberi, quia antea jam memoratum τὸ *Kali* ſubſtantivi nominis loco. Omiſerunt LXX. Intt. quaſi ſuperfluum, aut non legerunt in ſuo codice. Latinus habet *cicer toſtum*, quam verſionem probat *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. I. c. VII. Sed malim hic *lentem toſtam* interpretari.

29. *Caſeos bubulos*] שפות בקר *ſchphoth bakar.* LXX. Intt. cùm neſcirent quid eſſet, verterunt σαφὼθ βοῶν. Hieronymus, *pingues vitulos.* Caſeos rectè ſic dictos probat *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. I. c. 32. quia conſtant lacte percolato, aut à ſero ſeparato, nam שפה *ſchaphah* eſt interdum *percolare.*

In CAPUT XVIII.

2. E*Miſit populum* &c.] Ad prælium. Quod ut ſine imprudentia fieret, oportuit locum arctiorem eſſe, aut ſilvis impeditum, quod ſequentia indicant; adeò ut pauci vel maximæ multitudini reſiſtere poſſent.

Sub Joabo] *In manu Joabi.*

3. *Non animadvertetur*] *Non ponent ad nos cor.* Non magna clades exiſtimabitur, quia Rege incolumi exercitus in fugam actus ad ſigna redire poterat & novis ſupplementis expleri.

Sumus enim nunc circiter decem millia] כי עתה כמונו עשרה אלפים *quia nunc ſicut nos decem millia.* LXX. Intt. ὅτι νῦν ὡς ἡμεῖς δέκα χιλιάδες, ſic & Vulgatus: *quia tu unus pro decem millibus computaris.* Pro עתה hatthah, *nunc*, legerunt אתה atthah, *tu*, quam lectionem præfert *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. IV. C. IV, 3. ubi ע & א miſta ſæpe fuiſſe oſtendit. Sanè vocula כמו ſolito ſenſu comparationem ſignificat, ut oſtendit *Chr. Noldius.* Alioqui retinentes lectionem hodiernam oportet כמונו *chmonou*, interpretari ut אנחנו כמו *anachnou chmo*, hoc eſt *nos circiter*, cujus loquutionis an exſtet alibi exemplum neſcio.

4. *Vobis videbitur*] *Bonum erit in oculis veſtris.*

5. *Leniter vos gerite*] לאט לי לנער *leniter mihi ad adoleſcentem.* LXX. Intt. Φείσαθέ μοι παιδάριον, Hieronymus: *ſervate mihi puerum.* Jamdudum vir erat, liberóſque quatuor habebat, aut habuerat Abſalomus, ut docemur Cap. XIV, 27. Itaque *adoleſcentem*, aut *juvenem* vertere malim. Ceterùm mira eſt indulgentia Davidis in Abſalomum, quem poſt interfectum fratrem Ammonem, adfectatúmque regnum, neſcio quomodo poſſet ſperare ad meliorem mentem poſſe revocari; aut quomodo ſceleratum juvenem diutiùs vivere vellet, quem multò ſatius erat mori. Certè Reipublicæ Populi Hebræi intererat ejuſmodi monſtrum è medio tolli. Sed cæca eſt parentum, erga liberos, indulgentia. Alioqui ſi David talia ignoſceret filio, nihil ampliùs erat, propter quod pœnas de filiis repoſcere pater ullus poſſet.

6. *In ſilva Ephraimitarum*] ביער אפרים *bejahar Ephrajim.* Sat notum eſt Ephraimitis nullos ad ortum Jordanis agros fuiſſe. Itaque ſilvam illam ſic dictam ſuſpicantur Interpretes, ab inſigni quodam eventu ad Ephraïmitas pertinente, qualis eſt clades Ephraïmitarum à Jephtheo cæſorum, quæ memoratur Jud. C. XII. Aptus autem erat ejuſmodi ſaltus, ut pauciores pluribus reſiſtere poſſent, quia cornua à multitudine circumiri non poterant. Malè itaque *Joſephus*, in hac Hiſtoria, ait Joabum inſtruxiſſe aciem ἄντικρυ τῶν πολεμίων ἐν τῷ πεδίῳ τῷ μεγάλῳ ἐξόπισθεν περιβεβλημένῳ δρυμόν: *contra hoſtes in magno campo, à tergo ſilva cincto*; niſi fortè intellexerit partem magnæ illius planitiei, quæ Μέγα Πεδίον dicebatur, & de qua egimus in Diſſert. *de Subverſione Sodomorum.*

8. *Diſtractum fuit prælium*] De fuga hoc intelligendum videtur, cùm Abſalomo faventes à Davidis exercitu palantes cæderentur.

Pluréſque ſilva &c.] Qui errantes per ſilvam impeditam, & loca vicina fame perierunt, aut extra aciem occiſi ſunt. *Joſephus*: φεύγοντας δὲ διὰ δρυμῶν καὶ φαράγγων ἐπόμενοι τοὺς

μὲν

illo die, in populo abſumſit, quàm gladius. 9. Contigit autem Abſalomum coram ſervis Davidis *verſari*, & Abſalomus quidem vehebatur mulo, qui ſubiit ramos perplexos magnæ quercûs; capútque Abſalomi adhæſit quercui, & poſitus fuit inter cœlum & terram; nam mulus, qui ſub eo erat, tranſiit. 10. Vidit verò *eum* quidam vir, qui rem nunciavit Joabo, & vidi, inquit, Abſalomum è quercu ſuſpenſum. 11. Joabus autem viro *hæc* ſibi nuncianti, vidiſtine? cur verò non feriiſti illum, *ut* in terram *caderet*. Tum meum fuiſſet tibi dare decem argenteos & cingulum unum. 12. At vir ille Joabo, ſi manibus meis, inquit, penſarem mille argenteos, non injicerem manum in filium Regis; quia, nobis audientibus, mandata tibi dedit Rex, Abiſaïque & Itthaï, his verbis: cavete *ne* quis *feriat* adoleſcentem Abſalomum; 13. vel mendacium, repugnante animo, dicerem, nec quidquam fugeret Regem, túque *ipſe* contra me ſtares. 14. At non ſic, inquit Joabus, cunctabor in tuo conſpectu, cepitque in manum tria ſpicula, eáque infixit medio corpori Abſalomi; ſed adhuc vixit in media quercu. 15. Circumdederunt verò eum decem adoleſcentes armigeri Joabi, ferieruntque & occiderunt Abſalomum. 16. Dein Joabus buccinâ cecinit, rediitque populus à perſequutione Iſraëlitarum, nam Joabus prohibuit populum, *ne pergeret*. 17. Sumſerunt interea Abſalomum, projeceruntque eum, in ſilva, in foſſam ingentem, & maximum acervum lapidum ſuper eo ſtatuerunt. Omnes autem Iſraëlitæ in tentorium quiſque ſuum fugerunt.

18. Abſalomus autem, dum viveret, ſumſerat columnam, quam ſibi ſtatuerat, in Valle

μὲν ἐλάμβανον, πολλοὺς δὲ ἀνῄρουν, ὡς φεύγοντας τεθνάναι πλείονας ἢ μαχομένους: *fugientes per ſaltus & abrupta ſequuti hos quidem ceperunt, multos verò interfecerunt, ita ut plures perierint fugientes, quàm pugnantes.*

9. *Subiit ramos perplexos magnæ quercûs*] שובך האלה הגדולה *ſchobech haelah haggedolah*, ὑπὸ τὸ δάσος τῆς δρυὸς τῆς μεγάλης, ut habent LXX. Intt. Facilè potuit collum inter arctiores ramos immitti, dum mulus currens ſe ſe ſubduxit; ita ut capite & manibus penderet Abſalomus, nec ſe extricare facilè poſſet. Nulla hic mentio cæſariei, quæ prolixa licèt currendo ita implicari, atque innodari ramis quercûs non potuit, ut corporis pondus ſuſtineret; quod tamen vulgò ab Interpretibus, tacente Scripturâ, dici video, præeunte omnibus *Joſepho*, qui ſic habet, φερόμενος δὲ μετὰ ῥύμης, καὶ ὑπὸ τοῦ σάλου καὶ τῆς κινήσεως κοῦφος ὢν ἐμπλακείσης αὐτῷ τῆς κόμης τραχεῖ δένδρῳ μεγάλους ὑπὸ πολὺ κλάδους ἐκτεταμένῳ παραδόξως ἀνακρεμᾶται: *delatus cum impetu, agitationéque & motu levis, implicitâ ei cæſarie aſperæ arbori, magnis ramis maximè patulæ, miro modo ſuſpenditur.* Sed circumſtantiam, de cæſarie, minimè probabilem finxit; nec eo ſeciùs adſentientes habuit innumeros Interpretes, qui rem ſatis accuratè non expenderant. Vir eruditus *Sebaſt. Schmidius*, poſtquàm obſervavit *Theodoretum* exiſtimare Abſalomum non capillis, ſed capite inter duos arctiores ramos ſuſpenſum hæſiſſe; notat *hoc eſſe contra communem ſententiam.* Sed nihil vetat eam eſſe falſam, cùm diſertis Scripturæ verbis minimè nitatur. At *Hebraicè dicitur*, inquit, caput adprehendiſſe quercum, *quod nonniſi per capillos factum eſſe poteſt.* Non video tamen cur non poſſimus dicere: חזק ראשו באלה *tenuit caput ejus in quercu*, de ſolo capite etiam detonſo, nec quiſquam intelligat quod de crinibus implicitis dicitur.

Mulus tranſiit] Abſalomus capite implicitus habenas dimiſit, ut ſe extricaret, aut ne arbori illideretur, ſubitóque mulus ſe ſubduxit.

11. *Vidiſtine*] *Et ecce vidiſti.*

Ut in terram caderet] Quia non ſolo capite ſed etiam manibus pendebat, quibus quercûs ramos tenebat, ne caderet; quos vulneratus, aut confoſſus dimiſiſſet.

Meum fuiſſet] עלי *halai*, ſuper me; hoc eſt, mei officii fuiſſet. Vide Jud. XIX, 20. & apud *Chr. Noldium* ſign. 34. hujus particulæ.

Decem argenteos] Nempe, ſiclos, ſeu quinque uncias Romanas argenti.

Cingulum unum] Donum militare.

13. *Mendacium repugnante animo dicerem*] *Facerem in animam meam mendacium*, nam pro בנפשו *bnaphſcho*, Maſſorethæ legendum monent בנפשי *bnaphſchi*. Hoc eſt, oporteret me mentiri, ac interrogatum negare me feciſſe quod feciſſem. LXX. καὶ ποιῆσαι ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ ἄδικον. Vulgatus: *Sed ſi feciſſem, contra animam meam, audacter.* Quæ carent ſenſu, nec Hebraïcis reſpondent. Poſſet etiam intelligi hoc modo: ego qui promiſi Regi, unà cum aliis, me non occiſurum Abſalomum, id facerem quo mendax fierem, & quidem vitæ meæ periculo.

Contra me ſtares] תתיצב מנגד *è regione ſtares*, hoc eſt, accuſator meus eſſes. Nam ſtat adverſarius contra reum. Vide Pſ. CIX, 6. & Zachar. III, 1. Gaviſus quidem eſſet Joabus occiſum eſſe Abſalomum, ut ex re ipſa liquet, ſed, ſi vidiſſet Davidem rem graviùs ferre, in occiſorem culpam omnem tranſtuliſſet, nec eum pœnæ eripuiſſet.

14. *At non ſic cunctabor*] לא כן אוחילה *lo chen ohhilah*. LXX. Intt. Τοῦτο ἐγὼ ἄρξομαι, οὐχ οὕτως μενῶ. Duplex eſt tranſlatio vocis אוחילה, quæ ſi confundatur cum אחל *ahhel*, à חלל *hhalal*, eſt incipiam; ſi verò, ut debet, deducatur à יחל *jahhal*, exſpectare & morari ſonat. Videtur hic gloſſema eſſe, ex alia verſione Græca. Abſurdè *Hieronymus: non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum.*

Medio corpori] *In corde*, ſed cor propriè dictum non intelligi liquet, ex eo quòd vulneratus etiamnum vixit. Ergo *cor* pro media corporis parte intelligitur; ut in ſequentibus verbis, *cor quercûs* eſt media quercus.

In media quercu] *In corde quercûs.*

16. *Buc-*

Valle Regis; quia dicebat: non eſt mihi filius, ad conſervandam memoriam nominis
mei; eámque columnam de nomine ſuo vocaverat, & dici ad hunc uſque diem ſolet,
area Abſalomi. 19. *Eo autem occiſo* Achimahatſus, Tſadoki filius, dixit: curram & bo-
num hunc nuncium Regi nunciabo, quòd Jehova eum judicio ſuo liberarit è manu hoſ-
tis ejus. 20. Joabus verò, idoneus non es, inquit, qui feras hodie bonum nuncium,
alio die nuncius eris, hodie verò non eris, quia *eſt nuncius* de filio Regis mortuo.
21. Joabus ergo Madianitæ, ito, inquit, nunciato Regi quod vidiſti. Itaque Madia-
nita, ſalutato proſtratione corporis Joabo, cucurrit. 22. Subjecit tamen Achimahatſus
Tſadoki filius, & Joabo, quidquid ſit, curram, quæſo, etiam ego poſt Madianitam.
At Joabus, quare verò, inquit, fili mi, curreres, cùm boni nuncii nullum præmium
tibi ſit futurum? 23. Quidquid tandem ſit, *inquit ille*, curram. Curre igitur, *inquit
Joabus*. Cucurrit ergo Achimahatſus, per viam planitiei, & Madianitam prætergreſ-
ſus eſt. 24. David interea ſedebat inter duas portas, ivitque ſpeculator in tectum por-
tæ ad murum, & circumlatis oculis vidit virum currentem ſolum. 25. Tum verò cla-
mavit ſpeculator, *rémque* indicavit Regi. Rex verò, ſi ſolus ſit, inquit, bonus eſt nun-
cius in ejus ore. Ille verò indeſinenter progrediebatur & adpropinquabat. 26. Vidit
deinde ſpeculator alterum virum currentem, & magnâ voce cuſtodi portæ, en, inquit,
virum currentem ſolum. Tum quoque Rex, etiam hic, inquit, bonum nuncium ad-
fert. 27. Speculator verò, video, inquit, curſum prioris eſſe inſtar curſûs Achima-
hatſi, Tſadoki filii. Rex autem, vir, inquit, bonus hic eſt, veniétque ut bonum nun-
cium

16. *Buccinâ cecinit*] Receptui cecinit.

17. *Maximum acervum lapidum* &c.] Ut eſſet veluti tumulus Abſalomi, ejúſque rebellionis monumentum. Vide Joſ. VII, 26. VIII, 29. ubi cumuli lapidum damnatis hominibus ſuper impoſiti leguntur. Neque enim exercitus Davidis, honoris causâ, hoc parricidæ Abſalomo monumentum excitavit. Scio talia, apud Græcos, honorifica monumenta congeſta fuiſſe, quod pluribus exemplis probavit *Joan. Doughtæus* Analect. Sacr. P. 1. Excurſ. XCV. Sed hic honorem ullum præſtitum Abſalomo ab exercitu non puto; nec David, quamvis indulgentior æquo, rem poſtea mutare aggreſſus eſt, ne ſuis omnibus faſtidium crearet.

18. *Sumſerat columnam* &c.] *Sumſit & ſtatuit ſibi* מצבת *mattſebeth.* Sic dicitur non tantùm *ſtatua*, ſed quidquid erigitur in alicujus rei memoriam. Vide Gen. XXVIII, 28. XXXI, 52. De hac ſtatua, ſic *Joſephus* Lib. VII. cap. 9. Ἕστησε δ᾽ Ἀψάλωμος ἐν τῇ κοιλάδι τῇ βασιλικῇ στήλην λίθου μαρμαρίνου, δύο σταδίους ἀπέχουσαν Ἱεροσολύμων, ἣν προσηγόρευσεν ἰδίαν χεῖρα: *conſtituit Abſalomus in valle regia columnam lapidis marmorei, quæ duobus ſtadiis diſtat Hieroſolymis, quam vocavit manum ſuam.* Oſtendit memoratus *Doughtæus*, Excurſu ſequente, in ſepulcris, apud Græcos, collocatas fuiſſe ſimiles columnas; verùm hic nec de ſepulcro, nec de cenotaphio ſermo eſt.

Non eſt mihi filius] Cùm Cap. XIV, 27. tres habuiſſe dicatur, oportet haud multò pòſt fuiſſe mortuos. Sed mirum eſt hominem etiamnum juvenem, iis temporibus, quibus Polygamia non tantùm illicita non erat, ſed etiam frequens, præſertim, apud Reges, deſperaſſe de maſcula prole habenda.

Area Abſalomi] יד אבשלום *jad Abſalom*, manus Abſalomi. Sed יד etiam *locus*, *area* dicitur, ut Deut. XXIII, 12. Non eſt tamen ſententia Scriptoris Sacri ipſam columnam dictam fuiſſe *aream Abſalomi*; ſed tantùm locum, in quo ſita erat.

19. *Jehova eum judicio ſuo*] *Judicavit eum Jehova è manu hoſtium ſuorum.* Eſt antecedens pro conſequente, nam *judicium* de homine innocente ſequitur ejus liberatio. Sic & vſ. 31.

20. *Idoneus non es* &c.] *Non vir nuncii boni tu hodie*; hoc eſt, ejuſmodi nuncii, quem bonum quidem omnes meritò putabant, ut erat, ſed quem tamen diſpliciturum Davidi norat; ob mortem filii, quem cæco adfectu proſequebatur. Cùm legatur in textu על בן *hal ben*, quod optimè vertas *de filio*, neſcio cur Maſſorethæ velint legi על כן בן *hal chen ben*, quòd ſenſum turbat, ut rectè animadvertit *Ludov. de Dieu.*

21. *Madianita*] הכושי *hacchouſchi.* Nomen eſſe proprium LXX. Intt. & Vulgatus cenſuerunt, qui habent *Chuſi*. Nos verò, cùm conſtet eâ voce Madianitam ſignari, ut oſtendimus ad Gen. X, 6. militem Madianitam interpretati ſumus.

Salutato] *Et incurvavit ſe Chuſæus Joabo.*

22. *Cum boni nuncii* &c.] ולכה אין בשורה מצאת *& tibi nullus bonus nuncius inveniens*; nempe, præmium. LXX. οὐκ ἔστι σοι εὐαγγελία εἰς ὠφέλειαν πορευομένῳ. Vulgatus; *non eris boni nuncii bajulus.*

24. *Inter duas portas*] Ad portas urbium fuit ædificium, cum ſuper impoſita turre, & duabus portis, quarum una fuit interior, altera exterior. In illud medium ſpatium, honoratiſſimi quique conveniebant, ſolebántque illic ſedere. Vide vſ. 8. Cap. ſeq. & ad Ruth. IV, Gen. XIX, 1. Sed nunc fortè David illic ſedebat nuncios de prælii eventu exſpectans, ut eos quam primùm exciperet.

Circumlatiſque oculis &c.] *Et ſuſtulit oculos & vidit.*

25. *Si ſolus, inquit* &c.] Nam ſi exercitus in fugam actus fuiſſet, plures ſimul in urbem fugiſſent ad Davidem, nec unus ceteros omnes longè antevertiſſet.

Indeſinenter progrediebatur &c.] *Et ibat eundo & adpropinquabat.*

cium adferat. 28. Mox clamavit Achimahatſus & dixit Regi: bene *omnia* habent;
ſéque proſtravit coram Rege, vultu in terram converſo, & benedictus ſit, ait, Jehova
Deus tuus, qui tradidit *tibi* eos, qui manum ſuſtulerant contra dominum meum Re-
gem. 29. Rex verò, éſtne, inquit, incolumis adoleſcens Abſalomus? Vidi quidem,
inquit Achimahatſus, tumultum magnum, cùm Joabus mitteret ſervum Regis & me,
ſed neſcio quid eſſet. 30. Tum Rex, circumito, inquit, & ſta hoc loco. Circum-
ivit ille, atque *eo loco* conſtitit. 31. Mox venit Madianita, & bonus nuncius, inquit,
adfertur domino meo Regi; quia Deus judicio ſuo te liberavit hodie è manu omnium,
qui contra te inſurrexerant. 32. Rex verò Madianitæ, an incolumis eſt, inquit, ado-
leſcens Abſalomus? Tum Madianita, ſint, inquit, inſtar illius adoleſcentis hoſtes
domini mei Regis, & omnes qui inſurrexerunt contra te, ut *tibi* malum inferrent.
33. Tunc conturbatus eſt Rex & cùm adſcendiſſet in ſuperius conclave portæ, flebat
& ambulando dicebat: fili mi Abſalome, fili mi, fili mi Abſalome, utinam loco tuo
mortuus eſſem! Abſalome fili mi, fili mi.

XIX. A nimio luctu, Abſalomi mortis cauſâ, revocatur David à Joabo. Ad ſaniorem mentem redeuntes Iſraëlitæ agunt de accerſendo Davide, ſed eos antevertit Tribus Judæ. Veniam impetrat conviciator Simbis, & Tſiba cum hero agros patrios partitur. Barzillaï gratiæ aguntur, & filio ejus beneficia conferuntur. Queruntur fruſtra aliæ Tribus Judæ Tribum ſe in revocando Davide antevertiſſe.

CAPUT XIX. 1. NUNCIATUM autem eſt Joabo à Rege defleri & lugeri Abſalomum, 2. con-
verſáque eſt liberatio diei illius in luctum toti populo, quia audivit illo die
populus dicentes: Rex mœſtus eſt, propter filium ſuum. 3. Furtim verò die
illo ingrediebatur populus in urbem, quemadmodum furtim redeunt, quos pudet,
quia ex acie fugerunt. 4. Rex interea, operto vultu, clamabat voce magnâ: fili mi
Abſalome, Abſalome fili mi, fili mi. 5. Tum ingreſſus eſt Joabus ad Regem, do-
mum, & pudore, inquit, hodie ſuffudiſti vultum omnium ſervorum tuorum, qui ho-
die liberarunt vitam tuam, vitámque liberorum tuorum, uxorúmque & concubina-
rum;

28. *Bene omnia habent*] שלום *pax*.

29. *Eſtne incolumis adoleſcens*] *An pax adoleſcenti* &c. Debuiſſet ſaltem quærere captúſne eſſet, an aufugiſſet; nam ſi aufugiſſet, & novum exercitum coëgiſſet, moleſtias Davidi creaſſet; nec ſanè laudandus eſt pater anxius de incolumitate filii parricidæ, cùm præſertim alii filii ei non deeſſent.

29. *Regis ſervum*] Madianitam, qui erat inter Davidis ſervos.

31. *Liberavit*] *Judicavit*, ut vſ. 19.

In CAPUT XIX.

3. *Furtim ingrediebatur*] *Furatus eſt ſe, ad ingrediendum in urbem.*

4. *Operto vultu*] Vide not. ad Cap. XV, 30.

5. *Liberorum tuorum*] *Filiorum tuorum & filiarum tuarum.* Credibile ſanè erat Abſalomum, hominem crudelem & ambitioſum, interfecturum fuiſſe totam familiam regiam, quæ illi ſuſpecta fuiſſet; cùm, interfecto patre Davide, toti familiæ non poſſet non eſſe inviſus.

6. *Nullo loco habere*] אין לך שרים *non tibi duces* &c.

Etenim ſcio &c.] *Scio hodie* &c. Veriſſima hæc ſunt, hoc ſenſu: ſi David mortuus eſſet in prælio, Abſalomi loco, prout ipſe optare videbatur, actum fuiſſet de omnibus Davidis ducibus; nemini enim eorum pepercisset Abſalomus, qui ejus prænaturæ imperandi libidini adverſati fuiſſent.

Quod tibi rectum videretur] *Quod tunc rectum fuiſſet in oculis tuis.* Sic loquebatur, quòd David optaſſet mortuum ſe eſſe, loco Abſalomi; quod ſi contigiſſet, omnibus ducibus, qui è partibus Davidis ſteterant, pereundum fuiſſet; ac proinde ex verbis Davidis colligi poſſe videbatur eum graviùs ferre mortem Abſalomi, quàm ſuorum omnium; quamvis hac de re cogitaſſe non videatur, ſed pro nimio affectu erga filium, minùs prudenter eſſe loquutus.

7. *Quæ ſint cordi*] *Ad cor ſervorum tuorum*, voce Homericâ, καταθύμια.

Quàm unquam ullum fuit &c.] *Quam omne malum, quod venit ſuper te.* Innuit copias dilapſas à Davide, quaſi præ ſenio delirante & ſtulto Abſalomi amore victori exercitui indignante, alium Regem electuras. Quod audaciùs dicentem Joabum inducit *Joſephus*, apud quem ſic deſinit ejus oratio: ὡς ἐγώ σοι σήμερον, ἂν ἐπιμείνῃς τοῖς ἄρτι πραττομένοις, ἀναπείσας ἀποστῆναί σου τὸν λαὸν καὶ τὴν βασιλείαν ἑτέρῳ παραδοῦναι, τότε σοι πικρότερον καὶ ἀληθὲς ποιήσω τὸ πένθος: *nam ego hodie, ſi pergas ea facere quæ hactenus feciſti, perſuadebo populo, ut à te deficiat & regnum alii tradat, tunc amariorem & verum faciam tibi luctum.* Hic τὸ πρέπον non obſervat *Joſephus*, cùm in Scriptore Sacro egregiè obſervatum ſit.

8. *In*

rum; 6. dum amas eos qui te odio habent, & odiſti amantes tui. Nam oſtendiſti ho-
die te nullo loco habere duces & ſervos; etenim ſcio, ſi Abſalomus viveret, nos om-
nes hodie mortuos fore; quod tibi rectum videretur. 7. Nunc ergo ſurge, egredere
& proloquere quæ ſint cordi ſervis tuis; nam per Jehovam juro, niſi egrediaris, ne-
minem tecum pernoctaturum, tibique deterius fore hoc malum, quàm umquam ullum
fuit tibi à pueritia ad hoc uſque tempus. 8. Surrexit itaque Rex, ſeditque in porta &
toti populo nunciatum eſt à dicentibus: en Regem in porta ſedentem; venitque omnis
populus in conſpectum Regis, dum Iſraëlitæ fugiebant quique ad tentoria ſua.

9. Omnis etiam populus, per omnes Tribus, inter ſe certabat, his verbis: Rex il-
le, qui nos liberavit è manu hoſtium noſtrorum, & qui nos *præſertim* eripuit Philiſ-
thæorum manui, nunc è terra noſtra fugit Abſalomum. 10. Abſalomus verò, quem
nobis *imperaturum* unxeramus, mortuus eſt in prælio; cur ergo ſiletis de reducendo
Rege? 11. Miſit verò David ad Tſadokum & Ebiatharem Sacerdotes, qui dicerent:
alloquimini Senes Judæ, hiſce verbis: cur vos eſſetis poſtremi, in reducendo Rege
domum, cùm ſermones totius Iſraëlis de eo domum *reducendo* ad eum pervenerint?
12. Vos eſtis, *inquit ille*, fratres mei, vos os meum & caro mea, cur verò in reducen-
do Rege poſtremi eſſetis? 13. Hamaſæ verò dicetis, meo nomine: annon es os meum
& caro mea? Sic ſe gerat erga me Deus & ſic pergat ſe gerere, ut eris ſemper apud
me dux exercitûs, loco Joabi. 14. *His dictis*, flexit animum virorum Judæ, quaſi unius
viri, miſerúntque ad Regem, *qui dicerent:* revertere tu & omnes ſervi tui. 15. Rediit
ergo & ad Jordanem venit, dum *Tribus* Judæ conveniret Gilgalem, ut iret obviam
Regi, utque eum Jordanem transduceret.

16. Feſtinanter verò Simhis, filius Geræ, Benjaminita Bachurimenſis, venit, cum
viris Tribûs Judæ, obviam Davidi Regi. 17. Quin & mille viri, è *Tribu* Benjaminis,
cum eo erant & Tſiba ſervus familiæ Saûlis, cum quindecim filiis & viginti ſervis, &
ante Regem in Jordanem inſiluerunt. 18. Tranſivit verò ſcapha, ad trajiciendam fami-
liam Regis, faciendúmque quod ei videretur, & tum Simhis, Geræ filius, procidit
ante Regem, cùm tranſiturus eſſet Jordanem; 19. & Regi, ne, inquit, imputet mihi
dominus meus delictum, neu memineris ejus quod deliquit ſervus tuus, eo die quo
dominus meus Rex Jeroſolimâ egreſſus eſt, ita ut Rex id ad animum revocet. 20. No-
vit enim ſervus tuus ſe peccaſſe; ecce verò primus totius domûs Joſephi veni, ut ob-
viam irem domino meo Regi. 21. Tum verò reſpondit Abiſaïs, Tſerujæ filius, &,
an

8. *In porta*] Vide ad vſ. 24. Cap. antecedentis.

12. *Vos os meum & caro mea*] Hoc eſt, conſanguinei mei eſtis, & omnium Iſraëlitarum arctiſſimâ propinquitate mihi conjuncti. Mutata obliquâ oratione, David ipſe directè loquens inducitur, quod & apud optimos Scriptores invenire licet.

13. *Loco Joabi*] Dudum erat David infenſus Joabo ob mortem Abneri, & quod majorem æquo auctoritatem in adminiſtratione regni ſibi adſumeret. Fortè ad hæc acceſſerat nova irarum cauſa, quòd, neglecto imperio ſuo, Abſalomum occidiſſet. Attamen, ſi licet ex brevi hiſtoria hac de re judicare, laudari vix potuit David, qui veteri amico; qui fortem ei ac fidelem operam difficillimis temporibus navaverat, nec umquam ab eo defecerat; primùm Abnerum, deinde Hamaſam, dubios amicos & utrumque aliquando ſibi hoſtem, nec de ſe tam bene meritum præferre ſtatuerat, tantùm ob conciliatum ſibi Iſraelem. Sed David primùm ſibi ab Abnero undecim Tribus conciliari, deinde ab Hamaſa ipſam Judæ Tribum ad officium revocari ita concupiit, ut veteris amici & cui multum debebat oblitus ſit. Excuſari non potuit violenta Joabi indoles, ſed eam contumeliâ irritari non debuiſſe prudentiores, niſi fallor, judicabunt.

14. *His dictis, flexit*] *Et flexit*, quod nonnulli ad Hamaſam referunt, ſed nominativi omiſſio rem incertam facit.

15. *Gilgalem*] Inter Jerichuntis ruïnas & Jordanem. Vide ad Joſ. IV, 19.

16. *Feſtinanter &c.*] Quia in celeritate ſola ſalutis ſpes erat poſita, cùm ſciret primum boni quidpiam nunciantibus præmia, aut veniam delictorum dari ſolitam. Sic Scriptores vitæ Alexandri nos docent Alexandrum Lynceſten Macedonem, *in Philippi cædem conjuraſſe cum Pauſania pro comperto fuiſſe, ſed quia primus Alexandrum Regem ſalutaverat, ſupplicio, magis quàm criminis, fuiſſe exemtum.* Vide *Curtium* Lib. VII. c. I.

Inſiluerunt] Tranarunt Jordanem, ut quàm primùm Regi ſe ſiſterent.

18. *Tranſivit verò ſcapha*] ועברה העברה *vehabera hababera*. LXX. Intt. καὶ διέβη ἡ διάβασις. Meliùs dixiſſent τὸ πορθμεῖον, eâ enim voce ſine dubio ſignificatur ſcapha, quâ Jordanes trajici ſolebat. Deteriùs ſequentem vocem לעביר lahabir, *ad trajiciendum*, verterunt ἐξεγεῖραι, quaſi legiſſent להעיר lahir, ad excitandum, quem ſenſum res ipſa reſpuit. Non multò meliùs Vulgatus: *tranſierunt vada, ut trajicerent domum Regis.* Melius Chaldæus & plerique Recentiores *naviculam*, aut pontonem verterunt.

Quod ei videretur] *Bonum in oculis ejus.*

22. *Quid*

an propterea, inquit, non morietur Simhis, cum Uncto Jehovæ conviciatus ſit?
22. *Ibi* autem David, quid mihi, inquit, vobiſcum eſt, ô filii Tſerujæ, ut mihi hodie adverſemini? Hodiéne quiſquam morietur in Iſraële? *Nemo morietur*, nonne enim intelligo hodie me eſſe Regem Iſraëlis? 23. Dein Rex Simhi, non morieris, inquit, quod ei juravit.
24. Mephiboſethus etiam, Saülis nepos, venit obviam Regi; neque curaverat pedes ſuos, aut barbam, nec veſtes abluerat, à die quo Rex abierat, uſque ad diem quo incolumis rediit.
25. Cùm ergo Jeroſolimâ obviam Regi venit, dixit ei Rex: Mephiboſethe, cur mecum non diſceſſeras?
26. Domine mi Rex, inquit, fefellit me ſervus meus; cùm enim ſervus tuus dixiſſet: ſternam mihi aſinum, eóque vehar & ibo ad Regem, quia claudus eſt ſervus tuus;
27. ille ſervum tuum, apud dominum meum Regem, calumniatus eſt; at Rex dominus meus eſt ſicut Angelus Dei, faciátque quod ei videbitur.
28. Non *conſtabat* enim tota familia avi mei, niſi hominibus morte dignis, apud dominum meum Regem; cùm conſtituiſti ſervum tuum inter eos, qui in menſa tua comedunt; quid *ergo* mihi ampliùs eſt innocentia, quidve querelæ adhuc, apud Regem?
29. Rex verò ei, cur, inquit, adhuc cauſam tuam ageres? Dixi *quod videbatur*, tu & Tſiba partiamini agrum.
30. At Mephiboſethus Regi, omnia, inquit, etiam auferat, poſtquàm dominus meus Rex incolumis domum venit.

31. Barzillaïs quoque Galahadita venit Rogelimis, tranſivitque cum Rege ad Jordanem, ut à Jordane *abeuntem* dimitteret.
32. Valde autem ſenex erat Barzillaïs, & octoginta quidem annos natus. Aluerat Regem, dum manſerat Machanajimis, erat enim ditiſſimus.
33. Rex verò Barzillaï, tu, inquit, mecum tranſito, téque ſuſtentabo apud me Jeroſolimæ.
34. Sed Barzillaïs Regi, quot ſunt, inquit, dies annorum vitæ meæ, ut eam cum Rege Jeroſolimam?
35. Nunc quidem annos octoginta natus ſum; poſſúmne bonum & malum ſecernere? An guſtare poſſet ſervus tuus quod comederet, & quod biberet? Poſſémne ampliùs audire vocem virorum aut mulierum canentium? Quare ſervus tuus adhuc eſſet oneri domino meo Regi?
36. Ad breve tempus tranſiret ſervus tuus Jordanem, cum Rege. Quare Rex me præmio iſto afficeret?
37. Revertatur, quæſo, ſervus tuus, moriárque in urbe mea, ad ſepulcrum parentum meorum. En verò ſervum tuum Chimhamum, qui tranſibit cum domino meo Rege;

ci

22. *Quid mihi vobiſcum* &c.] Vide ad Cap XVI, 10.

Ut mihi adverſemini] *Ut mihi ſitis in adverſarium*, לשטן *lſchatan*; hoc eſt, ut mihi intempeſtivâ ſeveritate noceatis.

24. *Saülis nepos*] *Filius Saülis.*

Curaverat pedes ſuos] *Non fecerat pedes ſuos*; hoc eſt, neque ungues reſecuerat, neque abluerat, quaſi in luctu.

Incolumis rediit] *Venit in pace.*

27. *Eſt ſicut Angelus Dei*] Eâ ſapientiâ præditus eſt, ut verum à falſo facilè ſecernat, nec quidquam iniqui faciat.

Quod ei videbitur] *Bonum in oculis tuis.*

28. *Hominibus morte dignis*] *Hominibus mortis* אנשי מות *anſche maveth.*

Innocentia] צדקה *juſtitia*. Cùm totam Saülis familiam delere poſſes, mihique beneféceris; non eſt cur innocentiam meam apud te jactem.

Quidve querela] ולזעק *& ad clamandum.*

29. *Cauſam tuam ageres*] *Loquereris verba tua*. Hic דברים *verba* ſunt cauſa, quæ agitur, ut Græcè λόγος. Oſtendit quidem David ſe ei credere, ſed donum Tſibæ collatum omnino revocare noluit.

30. *Omnia auferat*] Quaſi diceret, ſibi nihil opus eſſe bonis, dummodò gratia Regis incolumis frueretur.

31. *Ivitque cum Rege ad Jordanem*] ויעבר את המלך הירדן *& tranſiit cum Rege ad Jordanem.* ה in voce הירדן debet ſignificare motum ad locum, ita ut *tranſitus* hîc Barzillaïs factus intelligatur Jordanem versùs, nam ſequentia oſtendunt Barzillaïn fluvium non trajeciſſe. Malè LXX. διέβη μετὰ τοῦ βασιλέως τὸν Ἰορδάνην. Quod cùm videret *Hieronymus*, vertit: *traduxit Regem Jordanem*, quaſi legendum eſſet non עָבוֹר *tranſiit*, ſed עִבֵּר *tranſire fecit*, hoc eſt, deduxit donec tranſiiſſet; quæ non incommoda eſt lectio.

Ut à Jordane abeuntem dimitteret] לשלחו את בירדן *ad mittendum eum cum Jordane*, nam legendum eſt, cum marginali adnotatiuncula, הירדן *hajjarden*; niſi malimus legere לשלחו אתו בירדן *ad dimittendum eum ad Jordanem*, vel לשלחו אל הירדן LXX. habent: συνεκπέμψαι τ' Ἰορδάνην. Vulgatus: *paratus etiam ultra fluvium proſequi eum*, contra rei veritatem. Ita vertimus, quaſi את *eth* hîc eſſet pro מאת *meeth*, quod non infrequens eſt. Vide not. ad Gen. IV, 1.

32. *Dum manſerat*] *In manſione ejus.*

Erat enim ditiſſimus] *Quia vir magnus ille valde*. Sine magnis divitiis, regiam familiam alere non potuiſſet. Cum hoc conferendus Pythius ille Lydus, qui hoſpitio Xerxem excepit, pecuniámque, ad bellum gerendum, largiri ei voluit, ut narrat *Herodotus* Lib. VII. c. 27.

35. *Bonum & malum ſecernere*] Se voluptatibus omnibus ineptum ſignificat, propter ſenſus ſenectute hebetiores factos, ut ſequentia oſtendunt.

37. *Chim-*

ei facito quod tibi videbitur. 38. At Rex, tranſeat, inquit, mecum Chimhamus, cui ego faciam quod tibi videbitur, nam quidquid ſatius habueris, tibi faciam. 39. Tum tranſivit omnis populus Jordanem, & Rex quoque trajecit, *priùs* oſculatus Barzillaïn, cui bene precatus eſt, & qui in locum ſuum eſt reverſus.

40. Tranſivit ergo Rex Gilgalem & cum eo Chimhamus, univerſúſque populus *Tribûs* Judæ, qui transduxit Regem, *cui aderat* & dimidia pars Iſraëlitarum. 41. Venerunt verò omnes Iſraëlitæ ad Regem, cui dixerunt: cur fratres noſtri, viri *Tribûs* Judæ, furtim transduxerunt Regem, familiámque ejus & omnes qui unà erant, Jordanem? 42. Reſponderunt verò omnes viri *Tribûs* Judæ Iſraëlitis: quia propinquus nobis eſt Rex; cur propterea iraſcimini? An veſcimur *cibis* à Rege *nobis præbitis?* An donativum ullum nobis accepimus? 43. Regeſſerunt viri Iſraëlitæ viris *Tribûs* Judæ, & decem, inquiebant, ſunt partes nobis in Rege, & in Davide plus *habemus* quàm vos; cur nos contemſiſtis, nec primi ſermones noſtri fuerunt de reducendo Rege noſtro? Sed oratio virorum *Tribûs* Judæ vehementior fuit oratione Iſraëlitarum.

XX. Seba ſevocat Iſraëlitas à Davide, qui, ſtupratis à filio concubinis ſuis occluſis, mandata dat Hamaſæ de Seba perſequendo. Is dum diutiùs moratur, mandata illa exſequitur Joabus, qui Hamaſam ſibi occurrentem occidit. Tandem Abel-beth-mahachæ obſeſſus Seba ab oppidanis occiditur. Potiſſima munera aulæ Davidis.

1. FORTE ibi fuit vir nequam, cui nomen Sebæ, filius Bichris, Benjaminita Is buccinâ cecinit, dixitque: nulla nobis pars eſt in Davide, neque poſſeſſio in filio Jiſaïs; quiſque ad tentoria ſua, ô Iſraëlitæ, *revertatur.* 2. Seceſſionem verò fecerunt omnes Iſraëlitæ, & ſequuti ſunt Sebam, filium Bichris; at viri *Tribûs* Judæ à Jordane Jeroſolimam uſque adhæſerunt Regi ſuo. CAPUT XX.

3. Dein-

37. *Chimhamum*] Filius is fuit Barzillaïs.

Quod tibi videbitur] *Bonum in oculis tuis.*

38. *Satius habueris*] *Eliges ſuper me*, eliges à me tibi concedendum; nam erat על דוד *hal David*, ſuper Davide, quod ſuppeditandum ſuſcipiebat. Vide Jud. XIX, 20.

41. *Omnes Iſraëlitæ*] Selecti ex omnibus Tribubus.

Furtim transduxerunt] *Furati ſunt te —— & transduxerunt Regem.*

Tecum] *Cum Davide*, mutatâ perſonâ.

42. *Propinquus nobis*] *Mihi*, quaſi unus loqueretur. Sic & in ſequentibus.

Iraſcimini] *Ira eſt tibi.*

An veſcimur] Significant emolumentum nullum ex ea re ad ſe redire, ideóque non eſſe cur illis Iſraëlitæ honorem reducti Regis invideant. *Veſci*, aut *comedere à Rege* eſt regiâ munificentiâ ali.

43. *Decem ſunt partes* &c.] Non numerabant Benjaminem, quia Tribus Benjaminitica æquè celeriter ac Tribus Judæ obviam ivit Davidi, ut vidimus vſ. 17. *Joſephus*, cùm hoc non animadverteret, *decem partes* mutavit in ἕνδεκα μοίρας. Loquutio ſimilis exſtat, apud *Ovidium*, de Auguſto Triſt. Lib. IV. Eleg. 4.

—— res eſt publica Cæſar,
Et de communi PARS *quoque noſtra bono eſt.*

Cur nos contemſiſtis] Non fuit contemtus Tribûs Judæ, ſed ſocordia aliarum, quæ auditâ clade Abſalomi, legatos ad Davidem continuò mittere debuerant, ut eum reducerent; neque enim Judæ Tribus vetuit, aut obſtitit ne feſtinarent.

Neque primi &c.] *Neque fuit ſermo meus primus mihi, ad reducendum Regem meum*; hoc eſt, noſtrum erat de revocando Rege ante omnes agere. Zelotypiæ perabſurdæ genus quoddam fuit, quale legitur Jud. VIII, 1. XII, 1.

In CAPUT XX.

1. *FOrtè ibi fuit*] שם נקרא ſcham nikra, *ibi fortè occurrit.* Nam ſignificationem fortuiti eventûs verbum נקרא complectitur, non minùs ac נקרה, cum quo confunditur. Rectè Vulgatus: *accidit ut ibi eſſet*; malè Græci, κἀκεῖ ἐπικαλούμενος.

Benjaminita] Ac proinde ex fautoribus Saülis, ejúſque familiæ, inimiciſque Davidis.

Nulla pars eſt nobis &c.] Vide ad Cap. ſuperius vſ. 43.

2. *Seceſſionem fecerunt*] *Et adſcendit omnis vir Iſraël à poſt Davidem.* Reliquit Davidem cum tribulibus, quaſi meditaretur de alio Rege eligendo. Nullum fuit Concilium commune omnium Tribuum, quod certis temporibus conveniret & perpetuam curam Reipublicæ Populi Hebræi gereret. Si quid contigeret, quod proceres Tribuum convenire poſtularet, mutuâ cohortatione factum hoc videtur. Hinc fiebat, ut Tribus ſingulæ ſeorſim ſibi conſilia caperent. Hoc liquet ex Capitis ſuperioris fine & ex tota Populi Hebræi Hiſtoria, ubi nullum, temporibus Judicum & Regum, magni Synedrii, de quo tam multa Rabbini, veſtigium.

3. *De-*

3. Deinde venit David Jeroſolimam, domum ſuam, ſumſitque Rex decem mulie-
res concubinas, quas ad ſervandam domum reliquerat, eáſque conjecit domum, in
qua cuſtodiebantur. Suſtentavit eas, nec eas inviſit, fuerúntque vinctæ ad diem ea-
rum mortis, *in* viduitate *totius* vitæ. 4. Tunc dixit Rex Hamaſæ: convoca mihi vi-
ros *Tribûs* Judæ, in triduum, túque huc te ſiſte. 5. Abiit ergo Hamaſa ad convo-
candum Judam, moratúſque eſt ultra tempus, quod ei præſtituerat *David*. 6. *Ibi* Da-
vid Abiſaï, magis, inquit, nobis nunc nocebit Seba, filius Bichris, quàm Abſalo-
mus. Tu ſumito ſervos domini tui, eúmque perſequere, ne adipiſcatur urbes muni-
tas, & ſe ſe conſpectui noſtro eripiat. 7. Egreſſi ergo & eum ſequuti ſunt viri, qui
parebant Joabo, Cherethæi, Phelethæi, & omnes viri fortes; exiverúntque Jeroſoli-
mâ, ut Sebam, filium Bichris, perſequerentur. 8. Erant ad lapidem magnum, qui
eſt ad Gabahonem, cùm Hamaſa in eorum conſpectum venit. Joabus autem veſtitus
erat ſago, ſupra quod accinctus erat gladio lumbis alligato, in vagina, unde egreſſus
cecidit. 9. Tunc Joabus Hamaſæ, ſatiſne rectè habes, inquit, frater mi? dextráque
apprehendit barbam Hamaſæ, ut eum oſcularetur. 10. Interea non ſibi cavit Hamaſa
à gladio, qui erat in manu Joabi, qui feriit eum ad coſtas. Effuſa verò ſunt ejus in-
teſtina in terram, neque *ictum* repetiit, nam mortuus eſt. At Joabus & Abiſaïs, fra-
ter

3. *Domum, in qua cuſtodiebantur*] *Domum cuſtodiæ*. Semel à filio pollutas adtingere ipſe noluit, nec adtingi ab alio paſſus eſt, ob rationem allatam ad Cap. III, 7.

Suſtentavit eas &c.] יכלכלם *jechalchelem*. Hîc obſervandum ſingulare Linguæ Hebraicæ idioma; nam quia נשים פלגשים, *mulieres pellices*, ſunt terminationis maſculinæ, pronomina tria ſequentia maſculini ſunt generis; quia tamen de fœminis ſermo eſt, verbum & adjectivum ſequens תהיינה צרורות *thijenah tſrouroth* ſunt fœminini generis.

Fuerúntque vinctæ] Hoc eſt, clauſæ quia, contra Leges divinas, cum patre & filio concubuerant.

4. *In triduum*] שלשת ימים ſchloſcheth jamim, *tribus diebus*, hoc eſt, ut tertio die ſe Regi ſiſterent.

6. *Servos Domini tui*] Hoc eſt, meos ſatellites Cherethæos, Phelethæos & Gitthæos. Vide Cap. VIII, 18. XV, 18.

Se ſe conſpectui noſtro eripiat] הציל עיננו *hitſil benenou*, pro מעינינו *mebenenou* ab oculis noſtris, agitur enim de fuga. Subaudiendum נפשו naphſcho, *animam ſuam*, ſeu ſe. Bene Vulgatus, *effugiat nos*. LXX. σκιάσει τοὺς ὀφθαλμοὺς ἡμῶν. quaſi הציל eſſet à צלל *texit*, *obumbravit*.

8. *In eorum conſpectum venit*] בא לפניהם *ba liphnehem*. Eos, nempe, Jeroſolimâ, cum copiis Tribûs Judæ veniens, adeptus eſt. Diſtabat autem is locus, teſte *Joſepho* in hac hiſtoria, quadraginta ſtadiis Jeroſolimâ.

Joabus autem] Mentio tantùm facta eſt antea mandatorum Abiſaï datorum, ſed eadem operâ juſſus eſt etiam Joabus illuc ire; nam nihil vetat Regem Joabum etiam nominaſſe, quamvis in hac brevi hiſtoria hoc non narretur.

Accinctus erat gladio] *Et ſuper id cingulum gladii conjuncti ad lumbos*.

Unde egreſſus cecidit] Aut caſu, aut arte Joabi, qui ſimulavit ſe colligere gladium, ne terreret Hamaſam.

9. *Satiſne rectè* &c.] *An pax tu, frater mi*, השלום אתה אחי, pro הבשלום *an in pace*. Fratrem vocat, quia erat filius alterius ſororis Davidis, ut antea vidimus.

Dextráque adprehendit &c.] Sic eos ſalutabant, quos blandiùs ſalutare cupiebant, eáque ratione conſilium ſuum occultavit Joabus; qui interea ſiniſtrâ lethalem ictum Hamaſæ inflixit.

10. *In manu*] Nempe, ſiniſtrâ, nam non potuit dextrâ tenere barbam & gladium.

Ad coſtas] אל החמש *el hachomeſch*. Vide notata ad Cap. II, 23.

11. *Cui Joabus & David placent*] *Quis eſt qui delectatur in Joabo & quis eſt qui eſt Davidis? Poſt Joabum*.

12. *Ubi cùm quidam animadverteret*] *Et vidit vir quòd conſiſteret* &c.

Quando vidit omnes] *Vidit* (ſubaudi כי *quòd*) *omnis ad eum veniens & ſtabat*. Repetitio eſt Hebraïca, quam ut molliremus nonnihil verba mutavimus.

14. *Per omnes Tribus Iſraëlis*] Per Tribus ad ſeptemtrionem Tribûs Judæ ſitas, in quarum agris Seba ſeditionem excitare conatus eſt; neque enim per omnes omnino tranſire ei licuit Tribus.

Abelam, ſeu Beth-mahacham] אבלה ובית-מעכה *Abelam & Bethmahacham*. Sed ו vertimus *ſeu*, quia conſtat unam, eamdémque fuiſſe urbem, ex vſ. 15. ubi ו omittitur, & ex vſ. 18. ubi ſimpliciter *Abel* dicitur. Non abſurdè tamen quis crediderit ו à Librariis eſſe inſertum, quamvis ita etiam legerint veteres Interpretes Græci & Latini; habent enim Græci, εἰς Ἀβὲλ καὶ εἰς Βεθμαχὰ, ut & in ſequente commate, Latinus: *in Abelam & Bethmaacha*, & ſic poſtea. *Joſephus* unam urbem memorat, cùm rem ita narrat: δηλοῖ τις ἐν ὀχυρᾷ πόλει τυγχάνειν αὐτὸν Ἀβελμαχέᾳ λεγομένῃ, *ſignificat aliquis in munita urbe eum eſſe, quæ vocabatur Abelmachea*. Cùm Joabus Jeroſolimâ ſeptemtrionem versùs eum perſequuturus iverit & *per omnes Tribus Iſraëlis* tranſierit, quæ ad eam cœli plagam erant; credibile eſt Sebam ad boreales regni partes ſe contuliſſe, & hanc urbem in Tribus Nephthalis agris fuiſſe. Ac ſanè inter urbes ejus tractûs memoratur 1. Reg. XV, 20. 2. Reg. XV, 29. Huc facit etiam nomen *Beth-mahacha*, nam non procul ab illa ora fuit *Aram Mahacha*, de quo regno egimus ad Cap. X, 6. Attamen *Hieronymus* in locis Hebraicis, nam verba Græca *Euſebii* nulla illic comparent: Bethmacha, *uſque ad hanc perſequutus eſt Joab perduellem*
Sabe

tet ejus, Sebam, Biehris filium, perſequuti ſunt. 11. Ad eum verò ſtetit vir, è ſer-
vis Joabi, & dixit: cui Joabus & David placent? Sequatur Joabum. 12. Hamaſa autem
in ſanguine *ſuo* volutatus erat, in media via ſtrata; ubi cùm quidam animadverteret
conſiſtere omnem populum, Hamaſam à via ſtrata in agrum amovit & ei injecit veſ-
tem, quando vidit omnes ad eum venire, nec ulteriùs progredi. 13. Poſtquàm verò amo-
tus fuit à via ſtrata, ſequuti omnes ſunt Joabum, ad perſequendum Sebam, Biehris filium.
14. Tranſivit autem, per omnes Tribus Iſraëlis, Abelam ſeu Beth-Mahacham, &
Beræi omnes congregati eum etiam ſequuti ſunt. 15. Venerunt verò *ſervi Davidis*,
obſederúntque eum Abelæ Beth-mahachæ, & fecerunt aggerem, ad urbem, qui de-
ſiit in munitionem; totúſque populus, qui cum Joabo erat, ſubruebat murum, ut
eum dejiceret. 16. Sed mulier ſapiens ex urbe exclamavit: audite, audite, dicite,
quæſo, Joabo, ut accedat huc uſque & cum eo loquar, 17. Adpropinquavit ad eam
Joabus, cui mulier, éſne tu, inquit, Joabus? Cui ille, ſum, inquit. Illa ve-
rò, audi, inquit, verba ancillæ tuæ. Audio, inquit ille. 18. At illa, antea, in-
quit, dicere ſolebant: conſulent Abelæos & *rem* ſic perficient. 19. Ego autem
ſum pacatarum *numero* & fidelium in Iſraële, *ait urbs noſtra*; tu verò conaris de-
lere urbem & metropolin in Iſraële; quare abſorberes poſſeſſionem Jehovæ?
20. Reſ-

Sabe & poſthæc eam ab Aſſyriorum Rege captam legimus. Eſt autem adſcendentibus de Eleutheropoli Æliam, in octavo lapide, nunc villa, quæ Mechanum dicitur. Superiora ſatis oſtendunt falli *Hieronymum*.

Beræi omnes] כל הברים *chol babberim*. LXX. Intt. πάντες ἐν Χαῤῥὶ. Vulgatus, *viri electi*, quaſi legeretur הבחורים *babbabbourim*. Volunt eſſe Beerotharum, in Tribu Benjaminitide, cives. Vide Joſ. XVIII, 25. Sed ברים *berim* fit à בר *ber* non à בארות *beeroth*, unde formaretur בארותים *beerothim*. Præſtat ergo hac de re ἐπέχειν.

15. *Qui deſiit in munitionem*] ותעמוד בחל *vatthahamod babbel*, ſtetit in munitione; hoc eſt, aggerem ſtruxerunt quem non deſierunt ad urbem promovere, donec perveniſſet ad munitionem, hoc eſt, ad foſſam & muros urbis. Nam חיל *hhel*, ut notum, ſignificat munitionem, quæ eſt ante muros. Vide Pſ. CXXII, 7. & Lam. II, 8. Ars quoque hæc fuit Romanorum, ut notum eſt. Exemplum unum proferam aggeris, quem Julii Cæſaris milites ſtruxerunt ad Avaricum, de quo labore ſic Cæſar de B. G. Lib. VII. c. 24. *Diebus XXV aggerem latum pedes CCCXXX, altum pedes LXXX exſtruxerunt. Cùm is murum hoſtium penè contingeret* &c. Eò uſque promotus erat agger Joabi ad Abelam, cùm contigit id quod ſequitur. LXX. Intt. ἔστη ἐν τῷ προτειχίσματι, optimè. Minùs commodè Latinus: *circumdederant munitionibus civitatem.* Nam hoc vult Scriptor Sacer, jam perducto aggere ad foſſam, ex quo aggere propugnatores muri telis & ſagittis facilè peti poterant, occupatos fuiſſe milites Joabi in ſubruendo muro.

16. *Ut accedat* &c.] *Adpropinqua huc uſque & te alloquar*; ſic paſſim Hebræi directa oratione utuntur, ubi alii obliqua.

18. *Antea*] בראשונה *in principio*, ſed ſumitur pro *antea*, hîc, ut Gen. XIII, 4. & XXVIII, 19. LXX. habent ἐν πρώτοις, nempe, ἀνθρώποις.

Dicere ſolebant] *Loquendo loquuntur in principio dicendo, interrogando interrogabunt*, &c. Proverbium hoc fuit, quo prudentia Abelæorum olim celebrata fuerat. Sic Vulgatus: *Sermo dicebatur in veteri proverbio, qui interrogant interrogent.*

19. *Ego autem ſum* &c.] Nomine urbis loquitur, aut perſonam urbis induit, cui vocem ſuam commodat. Verba enim: אנכי שלומי אמוני ישראל *ego pacatarum fidelium Iſraëlis*, non poſſunt intelligi niſi de urbe; quæ mirum eſt tam malui intellecta à Vett. Intt. Græcorum ſic habet verſio: ἐρωτώμενος ἠρωτήθη ἐν τῇ Ἀβὲλ καὶ ἐν Δὰν εἰ ἐξέλιπον ἃ ἔθεντο οἱ πιστοὶ τοῦ Ἰσραήλ. Tum repetuntur; Librariorum culpâ, prima verba ex alia, ut puto, verſione: ἐρωτῶντες ἐπερωτήσουσιν ἐν Ἀβὲλ, καὶ οὕτως εἰ ἐξέλιπον. Dein initium hujus commatis ſic habet, ἐγώ εἰμι εἰρηνικῶν τῶν στηριγμάτων. *Hieronymus: Nonne ego ſum quæ reſpondeo veritatem in Iſraël.* Unde liquet legiſſe quidem eos, ut legimus, (niſi quod Græci pro וכן *vechen*, & ſic, legerunt ודן *vedan*, & Dan) ſed ſenſum nullum ex verbis exſculpere potuiſſe. Recentiores Interpretes, ope analogiæ Grammaticæ Veteribus ignotæ, multò felicius ſe ſe expediverunt. Hoc enim vult mulier Abelenſis, patriam ſuam pacatam eſſe & fidelem Regi Davidi, ſed ſubitò obſeſſam portas clauſiſſe. Sunt qui velint mulierem hanc exprobraſſe Joabo, quod antequàm urbem obſideret pacis conditiones ei non obtuliſſet, ex lege Deut. XX, 10. Verùm in loco Deuteronomii agitur de Ethnicis hoſtibus populi Hebræi, non de Iſraëlitis rebellibus, de quibus Moſes non cogitabat; & præterea nihil eſt in verbis mulieris, quod eò ſpectet. Excuſat dumtaxat patriam, quemadmodum poteſt.

Delere urbem] *Occidere urbem, & matrem in Iſraële.*

Quare abſorberes] למה תבלע *lammah thebal-lah.* LXX. Intt. ἵνα τί καταποντίζεις, ut eſt in Codd. Romano & Aldino; in Complutenſi verò eſt καταπίνεις, quæ eſt vera ſignificatio verbi Hebraici. Crediderim tamen LXX. Intt. καταποντίζεις ſcripſiſſe, eodem ſenſu, quod verbum inuſitatum mutatum eſt ab Hiſpanis editoribus in καταπίνεις quod uſitatum eſt. Latinus habet incommodè, *quare præcipitas. Abſorbere*, aut *deglutire*, metaphorâ à feris ductâ, eſt perdere, deſtruere.

Poſſeſſionem Jehovæ] Sic ſæpe Chananæa vocatur, cujus Rex erat Deus, ſingulari quodam jure. Vide ſup. XIV, 16.

Digitized by Google

20. Reſpondit verò Joabus, & abſit, inquit, mihi, ut deglutiam & perdam. 21. Res ſic non habet, ſed vir è montanis Ephraïmi, cui nomen Sebæ, Bichris filius, ſuſtulit manum ſuam in Regem, in Davidem, tradite illum ſolum & diſcedam ab urbe. Mulier verò Joabo, en, inquit, caput ejus projectum ad te è muro *mox habebis.* 22. Ivit deinde mulier ſapienter, ad totum populum, abſciderúntque caput Sebæ, Bichris filii, & projecerunt ad Joabum; qui buccinâ cecinit, *quâ auditâ*, quiſque ab urbe in tentorium ſuum ſparſus eſt, reverſúſque eſt Joabus Jeroſolimam ad Regem.

23. Joabus autem præfuit toti exercitui Iſraëlis, Benaja verò, Jehojadæ filius, Cherethæis & Phelethæis. 24. Adoramus præfuit tributis, Jehoſaphatus verò, Achiludi filius, fuit à commentariis. 25. Seja *fuit* Scriba, Tſadokus verò & Ebiathar ſacerdotes. 26. Præterea Hira Jaïrita erat Davidis princeps.

XXI. Fa-

21. *E montanis Ephraimi*] Ubi habitabat, licèt Benjaminita eſſet.

Suſtulit manum ſuam] Inſurrexit in Davidem, bellúmque ei inferre conatus eſt. Satis norant Abelenſes ea de cauſa urbem ſuam obſideri, erántque illic fautores Sebæ, qui hominem tueri aggreſſi erant, nec deſeruerunt, niſi metu coacti.

Mulier verò &c.] Non potuit mulier reſpondere Joabo quæ ſequuntur, niſi re priùs apud populum decretâ; ita ut jam omnibus, aut pleriſque conſtaret excidium urbis vitâ Sebæ eſſe redimendum.

Projectum ad te] משלך muſchlach, *projectum*, hoc eſt, mox projiciendum. Ea ſæpe eſt vis participiorum. Hinc LXX. Intt. ῥιφήσεται, & Vulg. *mittetur.*

22. *Ivit ſapienter*] בחכמה *in ſapientia.* LXX. Intt. Καὶ εἰσῆλθεν ἡ γυνὴ πρὸς πάντα τὸν λαὸν, καὶ ἐλάλησεν πρὸς πᾶσαν τὴν πόλιν (quaſi legiſſent, aut certè ſupplendum cenſuiſſent, quod reverâ ſupplendum eſt ותדבר אל כל העיר & *alloquuta eſt totam urbem*) ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτῆς. Sic & Vulgatus: *loquuta eſt eis ſapienter.*

Qui buccinâ cecinit &c.] Ut buccinâ colligebatur exercitus, ſic & buccinâ dimittebatur. Intelligendi autem ſunt copiæ, quas contraxerat Hamaſa; non ſatellites Davidis *Cherethæi*, *Phelethæi* & *Gitthæi*, qui videntur mercenarii fuiſſe, ſemperque Regi adfuiſſe.

23. *Joabus præfuit* &c.] Tanta erat hujus viri potentia, tanta fortitudo, & fides erga Davidem; ut quamvis violentum hominis ingenium non probaret, munere eum dejicere non auderet.

Benaja verò] Vide Cap. VIII, 18.

24. *Præfuit tributis*] על המס, *hal hammas.* Muneris ejus nulla mentio fit ad calcem Cap. VIII. ubi Davidicæ aulæ munera memorantur. Quantum autem his temporibus fuerit tributum, & qui id penderent non liquet. De ceteris muneribus egimus ad Cap. VIII.

25. *Seia fuit Scriba*] שיא. In margine legitur שוא. At שריה Seraja dicitur Cap. VIII. Alio modo, iterum legitur hoc nomen 1. Par. XVIII, 16. nempe, שושא, nam hæ videntur eſſe corruptiones unius ejuſdémque nominis, cùm ſint idem munus, idem tempus & iidem collegæ.

26. *Hira Jairita erat Davidis princeps*] Cap. VIII, 18. dicuntur filii Davidis fuiſſe כהנים *chohanim*, ubi vide notata. Unde tanta dignitas huic Hiræ fuerit, tacente Hiſtoriâ Sacrâ, nemo divinarit; nec ſatis etiam conſtat, cur היארי *Jairita* dicatur. Quidam ortum volunt Jaire Galahadita, de quo Num. XXXII, 41.

In Caput XXI.

1. *T*Emporibus Davidis*] *In diebus Davidis.* Difficile eſt dictu utrum hoc contigerit ante, vel poſt Abſalomi rebellionem, neque enim res in Libris Sacris ſemper ordine temporis narrantur, ut vel ex ultimis Libri Judicum Capitibus ſatis liquet. Verùm hoc ad veritatem, aut intelligentiam hujuſce hiſtoriæ propemodum nihil facit.

Per tres continuos annos] *Tribus annis, anno, poſt annum.*

Faciem Jehovæ] Oraculum Dei, miniſterio Pontificis Maximi, ad Arcam reſpondens. Vide Exod. XXXIII, 14.

Gabahonitas interfecerat] Satis conſtat Joſuam incolumitatem promiſiſſe Gabahonitis, eâ lege ut cæderent ligna, hauriréntque aquam, in uſum altaris. Vide Joſ. IX, 23. Promiſſum hoc Joſuæ, tot elapſis ſæculis, multarúmque ætatum conſenſu confirmatum, non potuit revocare Saül, Gabahonitáſque, quaſi internecioni devotos populos, delere. Alia omnino videtur fuiſſe ſævitiæ cauſa, quæ poſtea obſcurè indicatur. Volunt Interpretes cùm Saül Nobum ſacerdotalem urbem delevit, 1. Sam. XXII, 18, 19. occiſos unà cum Sacerdotibus fuiſſe Gabahonitas, quicumque in ea urbe cædendis lignis, hauriendæque aquæ, in uſum Sanctuarii, operam ex fœdere antiquo dabant. Sed majus fuit ſcelus Saülis, in occidendis Sacerdotibus, quàm in cædendis Gabahonitis; ideóque potiùs, propter Sacerdotum cædem, has pœnas ſumſiſſet Deus. Scio quidem eſſe, qui reſpondeant, Saülis ejúſque filiorum mortem, qui ceciderant in prælio cum Philiſthæis, fuiſſe ſupplicium de iis propterea ſumtum; ſed Gabahonitarum cædem nondum expiatam fuiſſe. At non video cur unius, ejuſdémque ſceleris, eodem tempore commiſſi, tam variæ, remotiſque adeò temporibus diſtinctæ pœnæ fuerint dandæ. Præterea, quod primo loco dicendum fuit, aliud in ſequentibus innuere videtur Hiſtoria Sacra, ut ad vſ. 2. videbimus.

Malim ergo dicere Gabahonitas, alio tempore & alia de cauſa, à Saüle ejuſque familia, Iſraëlitis conſentientibus, fuiſſe cæſos; quamvis factum hoc Hiſtoria Sacra, ut innumera alia, ſuo loco narrare omiſerit. In rationem autem hujus cædis, fruſtra, in tanto Scripturæ ſilentio, inquiramus; & conjecturis Judaicis indulgere ſtultum judicamus. Aliquid tamen, hac de re, ad ſequentia verba dicemus.

Verùm hic tria quæruntur, 1. cur de familia Saülis, cùm Saül ſolus fortè eſſet primus auctor

XXI. *Fames à Deo immiſſa ſedatur pœnâ poſterorum Saülis, qui in Gabahonitas deliquerat. Bellum feliciter geritur cum Philiſthæis, in quo Rephæi quatuor occiduntur.*

1. TEMPORIBUS Davidis, fames fuit per tres annos continuos, qua de re in- CAPUT
terrogavit David faciem Jehovæ; qui dixit *eam eſſe*, propter Saülem & domum XXI.
ejus ſanguinariam, quia Gabahonitas interfecerat. 2. Vocavit ergo Rex Ga-
bahonitas, eiſque *rem* dixit. Erant autem Gabahonitæ, non ex Iſraëlitis, ſed ex reliquiis
Emoræorum, quibus Iſraëlitæ jurejurando caverant. At Saül, quæſitâ occaſione, aliquot
eorum conciderat, dum zelotypum in gratiam Iſraëlitarum & Judæ *Tribûs* ageret.
3. Tum

tor cædis, pœnas repetierit Deus: 2. cur toti Iſraëli, eadem de cauſa, famem immiſerit: 3. cur tam ſerò Deus pœnas de reis ſumſerit, nam factum hoc diu, poſtquàm David regnare cœperat. Difficile eſt profectò ejuſmodi quæſtionibus, in re obſcura, ſatisfacere; cùm, omiſſis omnibus hiſtoriæ circumſtantiis, nullum conjecturarum noſtrarum ſat firmum fundamentum reperire queamus; nec mirum videri poſſet, ſi hic non liquere pronunciaremus. Attamen quædam ſunt de divina juſtitia, hominúmque conſuetudine ſatis nota, quæ jure noſtro adſumere poſſe videmur.

I. Cùm Deus juſtiſſimus ſit, vetuerítque homines innoxios debitas noxiis pœnas dare, numquam ab eo juſtitiam violari, & innoxios plecti, ſine erroris ullo periculo, adfirmare poſſumus. Itaque credibile omnino eſt, cùm Saül, ob cauſas nunc nobis ignotas, in Gabahonitas ſæviret, inter ſatellites ejus, fuiſſe etiam ejus liberos, ac nepotes; nam nullum eſt tam deteſtandum facinus, quod à Rege mandatum tota ejus familia probare ac exſequi non ſoleat, quia putat prudentiæ eſſe ut omnia, quæ à Rege imperantur, jure fieri dicantur. Ea de cauſa, Saülis familia videtur hic בית דמים *beth damim* ſanguinaria domus vocari; quod non fieret, ſi rem ſemper improbaſſet, ac impedire voluiſſet, nec exſequutioni cruentæ ullo modo operam navaſſet. Fortè & poſtea quod remanſit Saülis poſterorum totam ejus regni adminiſtrationem, cædéſque omnes ab eo commiſſas, ſi reprehenderentur ab aliis, ſolebat probare ac tueri: ut ſolent poſteri Majorum ſuorum, præſertim inſignium virorum, famam defendere. Qua de cauſa, *familia ſanguinaria* Saülis meritò dicta eſt, & pœnas ſcelerum, quæ non improbabat, jure dedit.

II. Sed cùm non ſola familia Saülis, verùm etiam univerſus populus Iſraëlis fame pœnas dederit; cædes illa Gabahonitarum, Iſraëlitis conſentientibus, facta videtur. Vide ad vſ. 2. Ac ſanè ferox ille & impius populus, qui perſequenti Davidem Saüli adſuerat, qui rebellanti in optimum patrem Abſalomo tam turpiter favit, &, Regibus volentibus, tam ſæpe in Idolatriam poſtea delapſus eſt, facilè poteſt credi Saülem in eo facinore adjuviſſe. Contrà oportuiſſet populum, non tyrannidi, ſed legitimo regno parentem, legéſque non ab arbitrio Regum habentem, ſed à Deo, eáſque planè immutabiles, nec ab ulla poteſtate, quæcumque eſſet, perfringendas, Saüli, nefaria molienti adverſatum eſſe, primò precibus, ac rationibus; deinde etiam, ſi fruſtra eſſent preces & rationes, hominem pro furioſo in ejuſmodi negotio habuiſſe & coërcuiſſe eâ ratione, quæ commodiſſima viſa fuiſſet. Quamvis enim *Paſtores populorum* dicantur Reges, attamen qui iis parent non ſunt pecudum loco habendi, nec cives ſuos à Regibus mactari pro arbitrio patiantur oportet, aut imperia eorum omnia rata habere neceſſe habent. Ideóque Deus plectit populos delicta Regum non impedientes, quod non faceret, ſi nefas eſſet à populis ea impediri.

III. Sed cur tam ſerò Divina Juſtitia pœnas hujuſce rei exegit, & à Saülis familia, & à Populo Hebræo? Si nullam rationem rei reddere poſſemus, in tantis hiſtoriæ Hebræorum tenebris, cùm præſertim agatur de Dei conſiliis, ſemper quidem ſapientibus & juſtis, ejúſque Legibus conſentaneis, ſed aliquando planè occultis; nemo ſanus nos inſcitiæ arguere poſſet. Verùm annon potuit contingere occaſionem aliquam ſingularem fuiſſe, nunc nobis ignotam, quâ & Saülis poſteri & Iſraëlitæ ſignificarint, tantùm abeſſe ut pœniteret eos occidionis Gabahonitarum, ut contrà eam probarent & confirmarent; qua de cauſa, Deus, qui miſericorditer pœnitentiam eorum, ad hæc uſque tempora, exſpectarat, graves pœnas de eorum ſævitia ac contumacia repetiit? Licet Deo tamdiu exſpectare pœnitentiam hominum, quamdiu vult; eſtque cur ei gratias propterea homines habeant & agant, nedum ut ſanctiſſimæ ejus Providentiæ ideò detrahant. Si vixiſſemus eâ ætate, diligentérque conſideraſſemus quidquid à tempore commiſſi piaculi, apud Hebræos, contigerat; non obſcurè fortaſſe vidiſſemus, cur Deus diſtuliſſet in aliquot annos ſupplicium de eo ſumere. Nunc cùm præterita nos fugiant, ſilentibus Hiſtoriis, ſatis nos præſtitiſſe putamus, ſi generales rationes, eáſque non improbabiles & naturæ divinæ conſentaneas, reddere poſſimus.

2. *Non ex Iſraëlitis*] Vide Joſ. IX, 4. & ſeqq. Cùm eſſent *Chivvæi*, hîc generali nomine *Emoræi* dicuntur.

Jurejurando caverant] *Juraverant.*

Quæſitâ occaſione] *Et quæſivit Saül ad eos occidendos.*

Dum zelotypum &c.] *Dum zelotypus eſſet filiis Iſraëlis & Judæ*; hoc eſt, dum videri vult tanto ſtudio benefaciendi Hebræis teneri, ut peregrinum nullum in eorum agris pati poſſet. Quamobrem, quæſitâ occaſione, multos Gabahonitas occiderat, quaſi reliquias Emoræorum. Videntur, neſcio qua de cauſa, Iſraëlitæ invidiſſe miſeris Gabahonitis, ita ut horum cæde Saül ſe popularibus ſuis gratificaturum ſpe-

3. Tum David Gabahonitis, quid vobis, inquit, faciam, & quanam re *admiſſum pia-*
culum expiabo; ut poſſeſſioni Jehovæ bene precemini? 4. Gabahonitæ verò illi, non
nobis, inquiunt, *lis eſt* de argento & auro cum Saüle, ejúſque familia; neque noſ-
trum eſt quemquam interficere in Iſraële. David autem, quod dixeritis, inquit, vo-
bis faciam. 5. Vir eſt, inquiunt illi Regi, qui nos abſumſit, quique cogitavit de no-
bis ex omnibus finibus Iſraëlis exterminandis. 6. Tradantur nobis ſeptem viri ex ejus
poſteris, quos ſuſpendamus Jehovæ Gibhæ Saülis, electi Jehovæ. Ego verò, inquit
Rex, tradam. 7. Pepercit tamen Rex Mephiboſetho, Jonathanis filii Saülis filio,
propter jusjurandum *per nomen* Jehovæ, quod *interceſſerat* inter eos; Davidem, *in-*
quam, & Jonathanem, Saülis filium. 8. Sumſit verò Rex duos filios Ritſphæ, Ajæ
filiæ, quos pepererat Saüli, Armonin & Mephiboſethum, & quinque filios Michalæ
filiæ Saülis, quos pepererat Hadrieli, Barzillaïs Meckolathitæ filio, 9. tradiditque
eos in manum Gabahonitarum, qui eos ſuſpenderunt in monte, coram Jehova. Hi
ſeptem ſimul ceciderunt, & occiſi ſunt primis diebus meſſis, initio meſſis hordei.
10. Sumſit verò Ritſpha, Ajæ filia, ſaccum, quem ſibi extendit ad rupem, ab initio
meſſis, donec in eos effunderetur aqua è cœlo, nec paſſa eſt aves cœli iis inſidere in-
ter-

ſperaret. LXX. Intt. בקנאתו לבני ישראל ויהודה verbotenus verterunt: ἐν τῷ ζηλῶσαι αὐτὸν τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ καὶ Ἰούδα, Latinus verò, *zelo pro filiis Iſraël & Juda.* Simulata fuit zelotypia, ſub qua aliud quidpiam latuit, quod nonnulli ſuſpicantur fuiſſe cupiditatem invadendorum prædiorum Gabahonitarum. Interea hinc ſatis liquet Saülem aliam occaſionem captaſſe interficiendorum Gabahonitarum, quàm quia olim fefellerant Iſraëlitas; nec eorum cædem diſplicuiſſe populo Hebræo, cui ſe gratificari ſimulabat Saül.

3. *Admiſſum piaculum expiabo*] במה אכפר *bammeh bacchappher.* Poſterior vox uno verbo exprimi non potuit, ſignificat etiam pretium ſolvere, quo flagitium admiſſum expietur, & læſis ſatisfiat. Ex hac circumſtantia non abſurdè collegit *Joſephus* Prophetas, quos ait famis cauſam aperuiſſe Davidi, pollicitos etiam eſſe ἐὰν δίκην ἣν αὐτοὶ θέλωσιν οἱ Γαβαωνῖται λαβεῖν ὑπὲρ τῶν ἀπολομένων τοῦτο αὐτοῖς παράσχῃ, διαλλαγήσεσθαι καὶ τὸν ὄχλον ἀπαλλάξειν τῶν κακῶν: *ſi ſupplicium, quod ipſi vellent Gabahonitæ ſumere, iis permitteret, expiatum iri & populum malis liberandum.*

Ut poſſeſſioni Jehovæ bene precemini] Cùm Gabahonitæ, qui ſuperſtites erant, Juſtitiam Divinam implorarent, & illa eorum precibus adducta pœnas de Iſraëlitis ſumſiſſet; credebantur, poſtquàm placati forent, veniam Iſraëlitis contrariis precibus impetraturi, quemadmodum contigit. Atque inde manifeſtum factum eſt, cæde Gabahonitarum, piaculum contractum fuiſſe.

4. *Non nobis lis eſt de argento* &c.] *Non eſt nobis argentum & aurum cum Saüle* &c. Hoc eſt, non eſt jactura, quæ poſſit pecuniâ penſari, quam nobis creavit Saül, cùm multos ex gente noſtra occidit. Eorum ſanguis effuſus non poteſt, niſi ſanguine reorum effuſo, expiari.

Quemquam interficere ex Iſraële] Nemo privatus hoc audebat, excepto vindice ſanguinis; qualis in Saülem vivum eſſe nemo potuit: uti nec cuiquam, eo mortuo, in familiam ejus reliquam ſævire fas fuit.

5. *Ex omnibus finibus Iſraëlis* &c.] *Diſpergeremur ne ſtaremus in omni limite Iſraëlis.* Hæc malè referuntur ad Saülem, à Græcis & Latino.

6. *Quos ſuſpendamus Jehovæ*] והוקענום ליהוה *vehokahanoum ladonai.* LXX. Intt. ἐξηλιάσωμεν αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ, hoc eſt, ſuſpendamus, ita ut ſolis calore eorum cadavera contabeſcant. Similis eſt loquutio Num. XXV, 4. Habet Vulgatus *crucifigamus*, minùs commodè. Intelligitur autem ejuſmodi ſuſpenſio, quæ eſſet velusi ſatisfactio violati à Saüle jurisjurandi olim Gabahonitis dati. Alioqui qui alius cujuſpiam ſceleris causâ ſuſpendebantur, ante Solis occaſum ſepeliebantur. Vide Deut. XXI, 22, 23.

Gibhæ Saülis] In ipſa Saülis patria, ut inſignius eſſet ſupplicium de poſteris ejus ſumtum. Vocant etiam eum *electum Jehovæ*, ut tacitè ei ſcelus exprobrent violati jurisjurandi, per nomen Dei concepti.

Tradam] Juſſu, nempe Dei, qui eos reos eſſe norat. Alioquin hoc contrarium fuiſſet. Legi Deut. XXIV, 16. Scio eſſe qui dicant eam legem Deuteronomii pertinere ad judicia humana, non ad divina; ſed hoc eſt perinde ac ſi quis dicat non licere quidem hominibus injuſtis eſſe, verùm Deo nefas non eſſe; certa enim & conſtans eſt hæc Juſtitiæ regula innocentes pro noxiis, ſine iniquitate, pœnas dare nullo modo poſſe. Scio proferri hanc in rem Exod. XXV, 5. Sed locum ita me explicuiſſe puto, ut manifeſtò liqueat de Deo nihil ejuſmodi poſſe dici. Ad me quidem quod adtinet, abſit ut umquam Deo injuſtitiam ullam ſciens tribuam, aut de ejus virtutibus quemadmodum loquimur de vitiis hominum loquar! Satis conſtat ejuſmodi dogmata planè eſſe contraria Scripturæ Sacræ, ut oſtendimus ad Exodi memoratum locum.

7. *Jusjurandum per nomen Jehovæ*] שבועת יהוה *ſchibbhath Jehova.* Vide 1. Sam. XX, 13, 42.

8. *Quinque filios Michalæ*] Conſtat Michalam nuptam fuiſſe Phaltieli, 1. Sam. XXV, 44. Merabam verò majorem natu ſororem Hadrieli, 1. Sam. XVIII, 19. Itaque Michala dici non poteſt filios Hadrieli peperiſſe. Alii volunt hîc ילדה *genuit*, aut *peperit* dici de educatione, ita ut Michala, quæ & Davidis fuit uxor, ſororis filios educaſſe intelligatur. Sed nullum mulieris, quæ *peperiſſe* dicatur viro cuipiam liberos, quos tantum educaſſet, exemplum profertur. Alii volunt utramque ſororem Michalam dictam fuiſſe, quamquam major natu etiam Me-
raba

terdiu, aut feras agreſtes noctu. 11. Nunciatum poſtea eſt Davidi quid feciſſet Ritſpha, Ajæ filia, concubina Saülis. 12. Quare abiit David & ſumſit oſſa Saülis, filiique ejus Jonathanis à Jabeſitis Galahaditidis, qui ea è platea Beth-ſanis furati erant, ubi ea ſuſpenderant Philiſthæi, eo die quo Saülem in *monte* Gilboha conciderant. 13. Tranſtulit illinc oſſa Saülis & oſſa Jonathanis filii ejus, legeruntque oſſa ſuſpenſorum, *ii qui hoc mandatum à Davide acceperant.* 14. Tum ſepelierunt oſſa Saülis & Jonathanis, filii ejus, in terra Benjaminitide Tſelæ, in ſepulcro Kiſi patris ejus; feceruntque omnia quæ mandaverat Rex, Deúſque poſtea terræ *Iſraëlitidi* placatus eſt.

15. Fuit adhuc bellum Philiſthæis cum Iſraële, ivitque David cum ſervis ſuis, & pugnarunt cum Philiſthæis, eúmque defatigatus eſſet David, 16. Jisbi-benobus (qui ex poſteris Raphæ erat, & cujus *haſtæ* cuſpis æquavit pondus trecentorum *ſiclorum* æris, quique accinctus erat *gladio* novo) de eo occidendo cogitavit. 17. Sed Abiſaïs, Tſerujæ filius, Davidi auxilium tulit, feriitque Philiſthæum & eum occidit. Tum verò Davidis ſatellites ei jurarunt, his verbis, non egredieris ampliùs nobiſcum in prælium, neque lucernam Iſraëlis exſtingues.

18. Poſ-

raba vocabatur; quod parum veriſimile eſt. Alii ſubaudiri vocem אחות *ſoror*, ita ut vertendum ſit *ſororis Michalæ*; quo durius nihil fingi poteſt. Sed multò facilius eſt intellectu mendum hic eſſe oſcitantis librarii, qui pro מירב *merab*, ſcripſerit מיכל *michal*, ut conjiciebat *H. Grotius*, cui *Joan. Piſcator* & alii adſentiuntur. Neque obſtat conſenſus Codicum & Interpretum, unde mendi dumtaxat antiquitas, ut in aliis locis, colligitur. Vide ad vſ. 19.

Barzillaïs Mecholathitæ] Ut diſtinguatur à Barzillaï Galahadita, de quo antea.

9. *In monte*] In ipſa Gibha, quæ in monte ſita fuit.

Primis diebus meſſis] *In diebus meſſis, in primis.*

Meſſis hordei] Verno tempore. Vide ad Joſ. III, 15.

10. *Saccum quem ſibi extendit* &c.] Videtur intelligendum *cilicium*, ut habet Latinus Interpres, quo ſibi tentorium illic confecit, ubi pendebant cadavera filiorum.

Donec in eos effunderetur &c.] Cùm fames orta eſſet ex aëris ſiccitate, pluviarúmque defectu, ſtatim ac copioſius pluit, intellexerunt Iſraëlitæ Deum eſſe placatum; ideóque paſſi ſunt à matre infelice filios ſepeliri.

Nec paſſa eſt aves cœli &c.] Ut poſſet eos ſepelire, eóque honore, ὃ γὰρ γέρας ἐςὶ θανόντων, ut Homerica loquutione utar, afficere; nam quamvis non minùs diſſolvantur cadavera in ſepulcro, quàm alibi, gentes, quæ ſepultura uſæ ſunt, maluerunt ea in ſepulcris diſſolvi, quàm à feris lacerari.

12. *Quare abiit David* &c.] Probavit factum Ritſphæ, voluitque id quadam tenus imitari, honorificentiùs ſepeliendo oſſa Saülis & Jonathanis. Quo modo etiam oſtendit ſe Saülis memoriæ minimè infenſum eſſe, quod potuiſſet non nemo ſuſpicari ex cæde poſterorum Saülis, quam paſſus erat à Gabahonitis fieri.

E platea Beth-ſanis] Ad mœnia urbis ſita. Vide 1. Sam. XXXI, 10.

13. *Qui hoc mandatum* &c.] Hoc ex re ipſa ſupplendum addidimus. Alioqui paſſivè hæc vertenda erant.

Legeruntque oſſa ſuſpenſorum] Ut unà ſepelirentur. Liquebat hinc non ignominiæ causâ, ſed neceſſitate expiandi ſceleris, ſuſpenſos fuiſſe.

14. *Tſelæ*] בצלע. Vide Joſ. XVIII, 28.

15. *Defatigatus eſſet David*] Senectute & labore.

16. *Ex poſteris Raphæ*] Hominis giganteæ ſtaturæ, unde רפאים *rphaim* dicti Gigantes.

Haſtæ cuſpis] קינו *keno*. LXX. verterunt τῦ δόρατος. *Hieronymus* & alii *ferrum haſtæ*, quod melius; neque enim tam haſtæ pondus, quàm cuſpidis, conſideratur.

Trecentorum ſiclorum æris] שלש מאות משקל נחשת *trecentorum pondus æris*. LXX. Intt. ſupplevere *ſiclorum*, habent enim τριακοσίων σίκλων ὁλκῇ χαλκῦ, nec aliter ſolent loqui Hebræi. Vide 1. Sam. XVII, 5. *Hieronymus* minùs rectè, *trecentarum unciarum æris*. Cuſpis ænea fuit centum quinquaginta unciarum Romanarum, quod pondus ſat magnum fuit, nec tamen fidem ſuperat. Vide Cap. XIV, 26.

Gladio novo] חגור חדשה *hhagour hhadaſchah*. LXX. Intt. περιεζωσμένος κορύνην, incommodè; meliùs *Hieronymus*, *enſe novo*, ſubauditâ voce חרב *hhereb*, quæ fortè omiſſa eſt à Librariis. Innuit Scriptor Sacer ei viro non inventum fuiſſe aptum gladium, ſed novum fabricatum, ceteriſque gravius.

De eo occidendo cogitavit] *Et dixit ad percutiendum Davidem*; nempe, apud animum ſuum. Hinc LXX. Intt. διενοεῖτο τῦ πατάξαι τὸν Δαυίδ. Latinus: *niſus eſt percutere David.*

17. *Davidis ſatellites*] *Viri Davidis.*

Non egredieris] Cùm hæc verba non complectantur jusjurandum, ipſa formula jurisjurandi חי יהוה כי *vivit Jehova quod non* &c. omiſſa eſt. Sed res jurejurando confirmata exprimitur.

Lucernam Iſraëlis] נר ישראל *ner jiſchraël.* Hoc eſt, eum quo incolumi, ſalva eſt Reſpublica Populi Hebræi; & quo exſtincto, in ſummo periculo verſaretur. Frequentiùs tralatitia ſignificatio vocis hujuſce aptatur ſoboli, cujus lucerna eſſe dicitur, qui eam propagat, ne exſtinguatur. Vide 1. Reg. XI, 36. XV, 4. 2. Reg. XVII, 19. 2. Par. XXI, 7. Ut quando nullus eſt ignis domi, præter lucernæ flammam, exſtinctâ lucernâ, exſtinguitur prorſus ignis: ſic eo exſtincto, qui eſt ſolus ſobolis ſuæ fomes, tota perit: ſimilitérque exſtincto eo, qui Reipublicæ unicum columen habetur, in periculo verſatur, ne prorſus intereat.

18. *Poſ-*

Digitized by Google

18. Poſtea etiam bellum fuit cum Philiſthæis Gobi, quo occidit Sibbechaïs Chuſatæus
Saphum, qui erat è poſteris Raphæ. 19. Fuit iterum bellum Gobi cum Philiſthæis, quo
Elchanan, Jahare-oregimi filius, Bethlechemita occidit Goliathum Gitthæum, cujus
haſtile erat inſtar jugi textorum. 20. Fuit adhuc bellum cum Philiſthæis Gathi, ubi erat
vir procerus, in cujus ſingulis manibus & pedibus erant ſeni digiti, viginti quatuor nu-
mero, qui fuit etiam è poſteris Raphæ. 21. Cùm is conviciaretur Iſraëli, occidit eum
Jonathan, filius Simhæ, fratris Davidis. 22. Quatuor illi Gitthæi erant, Raphâ oriun-
di, manúque Davidis, aut ſervorum ejus ceciderunt.

XXII. Carmen Davidis, quo laudat Deum, eique ob victorias de hoſtibus reportatas gratias agit.

CAPUT XXII.
1. RECITAVIT David Jehovæ verba hujus cantici, cùm è manu omnium hoſ-
tium ſuorum, & *præſertim* è manu Saülis, eum liberaſſet Jehova, 2. dixitque:
Jeho-

18. *Poſtea etiam bellum* &c.] Hoc bellum 1. Paral. XX, 4. proximè ſubjicitur bello cum Hammonitis geſto, & quo capta eſt Rabba. Si verò ſequamur ordinem narrationis hujus Libri, multò ſeriùs geſtum fuerit. Sed ex narrationis ſolo ordine, in hiſce Hiſtoriis, non ſemper ordinem temporis colligere licet.

Gobi] בגוב *bgob*. 1. Par. XX, 4. bellum hoc dicitur geſtum ad *Gezer*, בגזר *bgezer*.

Sibbechais] E viris fortibus Davidis 1. Par. XI, 29.

19. *Elchanan Jahare-oregimi filius*] Has voces vertit *Hieronymus: Adeodatus filius ſaltûs polymitarius*. Sed nec bene reddidit ſenſum vocum, nec debuit nomina propria immutare; nam ſub hiſce vocibus latent, ſine dubio, nomina propria. Quiſquis hæc paullò adtentiùs comparabit cum 1. Par. XX, 5. videbit mendoſa eſſe. Pro his verbis, quæ hîc leguntur: *Percuſſit Elchanan*, בן יערי ארגים בית הלחמי את גלית habemus multò meliùs: *Percuſſit Elchanan* בן יעיר את לחמי אחי גלית, *percuſſit Elchanan, Jabiris filius, Lachmin fratrem Goliathi*, ut ad eum locum oſtendam. Rectè *Joan. Piſcator* animadvertit mendoſum eſſe hunc locum. Qui talia negant aut pertinaciâ ducti, aut imperitiâ, aut præconceptis opinionibus occæcati negant. Putant nonnulli ſe meliùs conſulere auctoritati Scripturæ, negando ei ulla ineſſe menda; ſed ſi verum ſit menda ei ineſſe, malè profectò illi conſulunt, dum veritatem, ope mendacii, defendere conantur; quod ſat multis oſtendit in *Critica Sacra Lud. Cappellus*. Quærendum eſt quomodo, admiſſis nonnullis mendis Librariorum, quæ negari nequeunt, ſarta tecta eſſe queat Scripturæ auctoritas; non quomodo negemus quod manifeſtum eſt, quæ eſt nonnullorum pervicacia.

Goliathum Gitthæum] Supplet hic *F. Junius* vocem *frater*, & *fratrem Goliathi* interpretatur, ex 1. Par. XX, 5. Sed quis non videt talibus ellipſibus locum dari non poſſe, & pro את גלית quod hîc eſt, ſcribendum אח גלית *fratrem Goliathi*?

Inſtar jugi textorum] Vel ligni tranſverſi, circa quod tela, aut pannus circumvolvitur. Hebraicè dicitur מנור ארגים *menor oregim*. LXX. Intt. habent ἀντίον ὑφαινόντων. Vulgatus, *liciatorium terentium*.

20. *Vir procerus*] מדין, quod legunt Maſſorethæ מדון *madon*, quæ vox *contentionem* ſignificat, & LXX. quidem Intt. habent, ἀνὴρ μαδών. Sed *Vulgatus: vir excelſus*, quòd putarit legendum מדין *middin*, hoc eſt, *menſurarum*. Sic 1. Par. XI, 23. איש מדה *vir menſuræ* eſt *vir procerus*. Quam lectionem probat *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. III. C. XIII, 31. confirmátque *Lud. de Dieu* in hunc locum, ubi terminationis Chaldaïcæ in plurali exempla, in libris Hebræis, profert רצין 1. Reg. XI, 13. מלכין Prov. XXXI, 3. עיין Mich. III, 12.

20. *In cujus ſingulis manibus*] *Et digiti manuum ejus & digiti pedum ejus ſex, & ſex, viginti quatuor numero.*

In CAPUT XXII.

1. CUm *è manu omnium* &c.] Quo tempore factum hoc fuerit, hæc verba non ſatis clarè docent. Crediderim tamen factum intelligi, cùm tranquillè David Jeroſolimæ regnaret, conſiderétque fore ut perpetuum id regnum eſſet, auditâ Nathanis Prophetæ promiſſione, quæ exſtat Cap. VII. hujus Libri.

Et præſertim è manu Saülis] Qui cùm infeſtiſſimus eſſet omnium inimicorum, præ ceteris hîc nominatur, pro more Scripturæ. Vide ſupra XIX, 9. Marc. XVI, 7. & quæ notavit illic *Grotius*. Hoc idem canticum inſertum eſt poſtea Libro Pſalmorum, éſtque XVIII. numero. Ex hac duplicis Cantici hujus exemplaris collatione, liquebit quàm parum conſideratè ſe gerant, qui in tanta varietate lectionis negant quidquam labis ſacris Hebræorum libris ineſſe. Fateor eam labem eo uſque non porrigi, ut propterea fides, hiſtoriáve Hebræorum vacillet; ſed in minutis quibuſdam circumſtantiis ſitam eſſe.

2. *Jehova eſt rupes mea*] Ante hæc verba legimus Pſ. XVIII, 2. ארחמך יהוה חזקי *amabo te, ô Jehova, fortitudo mea. Rupes* dicitur propriè locus naturâ munitus, in quem confugere licet, ſi fortè ingruat hoſtis; & metaphoricè Deus, quia ejus auxilio hoſtibus eripimur. Eadem eſt ratio aliquot loquutionum, quæ ſequuntur.

Liberator meus] מפלטי לי *liberans me mihi*. Pſalm. XVIII. omittitur לי, quod ſanè eſt inutile.

3. *Deus eſt petra mea*] אלהי צורי *Deus lapidis mei*. Vertimus, cum aliis, quaſi eſſet אלהים aut אלהי *Deus meus*, non אֱלֹהֵי *Deus* in ſtatu conſtructo. In Pſal. XVIII. eſt אלי eli, *Deus meus*.

Cornu ſalutis] Vel potentia, quæ me liberavit; nam quia in cornibus taurorum robur eſt ſitum, ideò cornua pro potentia ſumuntur.

Per-

Jehova eſt rupes mea, locus meus munitus & liberator meus. 3. Deus *eſt* petra
mea, in eo ſperabo, ſcutum meum, cornu ſalutis meæ, editus locus meus, per-
fugium meum; ô mi ſervator, ab injuria liberaſti me. 4. Laudatum invocabo Je-
hovam, & ab hoſtibus meis ſervabor. 5. Circumdederant enim me fluctus mor-
tis, torrentes hominum nequam terruerant me. 6. Vincula ſepulcri circumdede-
rant me, anteverterant me laquei mortis. 7. Cùm in anguſtiis verſarer, invoca-
vi Jehovam, & Deum meum inclamavi, audivitque vocem meam è palatio ſuo,
& clamorem meum auribus ſuis *excepit.* 8. Mota & concuſſa eſt terra, funda-
menta cœli contremuerunt & commota ſunt, quia iratus erat. 9. Adſcendit fu-
mus in ejus nares, ignis ex ore ejus *egreſſus* conſumſit, eóque prunæ ignitæ in-
cenſæ ſunt. 10. *Deus* inclinavit cœlum & deſcendit. Caligo ſub pedibus ejus e-
rat, 11. vehebatur Cherubis & volabat, conſpiciebatúrque ſupra alas venti.
12. Cir-

Perfugium meum &c.] Hoc nomen & quæ ſequuntur, ad finem versûs, deſunt Pſ. XVIII.

5. *Fluctus mortis*] משברי מות *miſchbere maveth.* LXX. Intt. συντριμμοὶ θανάτου, & Vulgatus: *contritiones mortis.* Elegantiùs multò, *fluctus mortis*, cùm præſertim ſequantur *torrentes nequitiæ.* Vide Pſ. XCIII, 4. Significantur propriè, voce Hebraicâ, fluctus fracti, quales ſunt qui magno impetu rupibus illiduntur. At Pſal. XVIII, 5. eſt חבלי מות *funes mortis*, minùs bene, quia hæc vox in ſequenti commate repetitur. *Fluctus mortis* ſunt periculum præſens mortis, quale eſt eorum qui in tempeſtate timent ne mox fluctibus abſorbeantur. Ejuſmodi periculis obnoxius fuit David, ex quo Saüli cœpit diſplicere.

Torrentes hominum nequam] *Hominis nequam,* בליעל. Erat ingens copia hominum nequam, qui in gratiam Saülis parati erant Davidem perdere; aut etiam eorumdem hominum frequentes, eam in rem, molitiones.

6. *Vincula ſepulcri*] חבלי שאל *hheble ſcheol.* De poſteriore voce, egimus ad Gen. XXXVII, 35. *Vincula ſepulcri*, aut *mortis* dicuntur etiam pericula mortis, metaphorâ ductâ ab iis, qui vincti ſervantur, donec capite pœnas luant.

7. *Cùm in anguſtiis verſarer*] בצר לי *in anguſtia mihi.*

Inclamavi] אקרא *ekra*, quod in antecedentibus verbis jam occurrit. Itaque elegantiùs Pſ. XVIII, 7. אשוע *aſchavveah*, clamavi.

E palatio ſuo] E cœlo, niſi Arcam, aut Tentorium intelligere malis.

Clamorem meum &c.] *Clamor meus in auribus ejus.* Pſ. XVIII, 7. שועתי לפניו תבוא באזניו *clamor meus ante faciem ejus venit in aures ejus.*

8. *Mota eſt & concuſſa terra*] Deſcriptio eſt poëtica Dei ſuppetias ferentis, terrámque & cœlum propterea concutientis. Quibus loquutionibus, paſſim in Scriptura mutationes, in rebus humanis divinitus factæ, ſignificantur. Vide Hagg. II, 7. & Heb. XII, 26, 27.

Fundamenta cœli] מוסדות השמים *moſedoth haſſchamajim.* Hac loquutione intelligitur quod cœlum eodem in ſtatu conſervat, & quod concuti videtur, cùm cœlum veluti tremit, ſeu cùm ſtellæ contrariis motibus videntur agi. Sic fit mentio *columnarum cœli* Job. XXVI, 11. Pſalmo XVIII, 8. eſt מוסדי הרים *moſede harim*, fundamenta montium, quod egregium etiam eſt, licèt tam ſublime non ſit. Pulcrè *Georg. Buchananus* his verbis rem expreſſit:

Protinus è vultu Domini conterrita tellus
Intremuit, montéſque, cavâ compage ſolutâ,
Nutarunt, penitúſque imis fremuere cavernis.

9. *Adſcendit fumus in ejus nares*] Quaſi primùm ex imo pectore fumus in nares adſcenderet, deinde aperto ore erumperet flamma. Imago hæc petita eſt partim ex eo quod videmus nubes primùm cogi, tum ex nubibus, quaſi ex fumo, prodire flammam fulminis; partim ex eo quòd irata animalia primùm halitum è naribus emittant fumi inſtar, deinde mugiant aperto ore. Sic Poëtæ, ut feros Colchidis tauros deſcriberent, fumum & ignem eos efflaſſe dicunt. *Apollonius* Argon. Lib. III, 1287.

— οἱ δ' ἐκ τοῖο ἀφεγγέος
Κευθμῶνος χθονίου, ἵνα τέ σφισιν ἔσκε βόαυλα
Καρτερά, λιγνυόεντι πέριξ εἰλυμένα καπνῷ
Ἄμφω ὁμοῦ προγένοντο πυρὸς σέλας ἀμπνείοντες.

Illi vero ex horrenda latebra terræ, ubi erant iis bovilia magna, fuliginoſo circumſepta fumo, ambo ſimul prodierunt ignis ſplendorem efflantes. Paullò pòſt confert eorum pulmones cum follibus, quibus fabri ignem excitant, & ſubdit

— Ὡς ἄρα τώ γε θοὴν φλόγα φυσιόωντε
Ἐκ στομάτων ὁμάδευν, τὸν δ' ἀμφί τε δήιον αἶθος
Βάλλεν ἅτε στεροπή.

Sic profectò illi rapidam flammam exſpirantes ex ore reſonabant, illum autem (Jaſonem) *ſævus ardor circumdedit tanquam fulgur.* Similia legas & apud *Ovidium* Metam. VII, 107. & ſeqq. Hinc quoque nata loquutio Martialis Ep. Lib. VII. Ep. 64.

— *rabido nec perditus ore*
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi.

Poſtremum hoc exemplum allatum video à *Gaſp. Sanctio*, apud quem ſunt etiam nonnulla alia.

10. *Inclinavit cœlum* &c.] Quaſi nubibus demiſſis ipſe in terram deſcendiſſet.

Caligo ſub ejus pedibus] Ut nubibus velut curru vehatur, ut poſtea pleniùs habetur.

11. *Vehebatur Cherubis*] Angelis qui currum ejus trahebant. Vide not. ad Exod. XXV, 18.

Conſpiciebatúrque] וירא *vajjera.* Meliùs Pſ. XVIII, 11. וידא *vajjede*, volabat. Nam caligine tectus cerni non poterat, ſed volabat vento veluti vectus.

Supra alas venti] על כנפי רוח *hal chanphe rouahh.* Currum Dei deſcribit quaſi tractum ab Angelis, ſuſtentatúmque Ventorum alis; quod elegantiſſimè his verſibus deſcripſit *Georg. Buchananus.*

Ille vehens curru volucri, cui flammeus ales
Lora tenens levibus ventorum adremigat alis,
Se circum furvo nebularum involvit amictu.

12· Circumpoſuerat ſibi obſcuritatem *quaſi* tentorium, caliginémque aqueam denſiſſimarum nubium. 13· A fulgore *tamen*, qui ante eum erat, accenſæ ſunt prunæ ignitæ. 14· Tum tonuit Jehova è cœlo, & Altiſſimus vocem ſuam edidit. 15· Emiſit ſagittas, eóſque diſperſit; fulmen ſuum, & eos conturbavit. 16· Conſpecti ſunt alvei maris, retecta fundamenta orbis, increpatione Jehovæ, flatúque ſpiritùs narium ejus. 17· Miſit deinde ex alto *ad me auxilium*, ſumſit me, traxitque ex aquis multis. 18· Liberavit me à potentibus hoſtibus meis, & ab iis, qui me oderant, quia me validiores erant. 19· Anteverterant me, die quo mihi exitium erant allaturi, ſed ſcipio mihi fuit Jehova. 20· Me explicuit in latiorem campum, liberavitque me, quia ei placui.

21· Red-

12· *Circumpoſuerat*] וישת חשך סביבותיו סכות *& poſuit obſcuritatem in circuitibus ſuis tabernaculum.* Pſ. XVIII, 12. legimus סתרו סביבותיו סכתו *latibulum ſuum circa ſe tabernaculum ſuum*, quod paullò plenius.

Caliginémque aqueam] חשרת מים עבי שחקים, *caliginem aquæ, nubes denſas nubium.* Cùm vox חשרה *hhaſchrah*, quæ in hoc uno loco occurrit, vix ex Lingua Hebraïca explicari queat; credibile eſt mendoſam eſſe pro חשכה *hhaſchah*, caligo, quæ notæ eſt ſignificationis, & quæ legitur Pſalmo XVIII. Ac ſanè LXX. Intt. habent σκότος ὑδάτων. Attamen *Hieronymus* vertit *cribrans aquas*, à ſignificatione Chaldææ radicis חשר *cribravit*; quaſi ſcriptum eſſet, aut ſcribi oportere putaſſet חשר המים *hhoſcher hammajim*, quod intelligi poſſet de pluvia quaſi per cribrum, ſejunctis guttis, demiſſa. Sed meliùs huic loco convenit ſenſus *caliginis*.

Cum deſcriptione Davidica Dei conferri poteſt Ovidiana, quæ exſtat Metam. Lib. III, 299. ſi modò verba, potiùs quàm rem, comparari meminerimus, ubi Poëta majeſtatem Jovis, hoc eſt, ſummi Deorum ſic deſcribit:

Æthera conſcendit, nutúque ſequentia traxit
Nubila, queis nimbos, immiſtáque fulgura ventis
Addidit & tonitrus & inevitabile fulmen.

13· *Prunæ ignitæ*] Videntur ſignificari fulmina, ut Pſ. CXL, 11. Pro verbis בערו גחלי אש *baharou gahhale eſch*, legimus Pſal. XVIII, 13. עביו עברו ברד וגחלי אש habau habarou barad vegahhale eſch, *nubes ejus denſæ tranſierunt, grando & prunæ ignis*; quæ ſunt pleniora & ſenſum fundunt optimum, quem ſic expreſſit *Georg. Buchananus*:

Acribus ex oculis libratæ ſpicula flammæ
Diſcutiunt triſtes, claro fulgore, tenebras.
Inde ruit crepitans lapidoſæ grandinis imber,
Diſcurſántque vagæ ſinuoſa volumina flammæ.

14· *E cœlo*] מן שמים *min ſchamajim*. Pſ. XVIII, 4. בשמים *in cœlo*, eodem ſenſu. Hinc liquet non minùs hîc variis lectionibus, ac in aliis libris, locum dediſſe Librariorum incuriam, ſimiles ſenſus confundentem; quod paſſim in Codicibus MSS. Novi Teſtamenti cernere eſt, in quibus ſynonymæ voces crebrò occurrunt, aliæ aliarum loco poſitæ. In fine hujus commatis, poſt voculam קלו *vocem ſuam*, repetuntur ברד וגחלי אש *grando & prunæ ignis*, quæ meliùs abeſſent, videntúrque ex antecedente commate repetitæ.

Vocem ſuam edidit] Sic Poëticè vocatur tonitru. Vide Pſ. XXIX, 3. *& ſeqq.* Alioqui Deus non magis tonitru format, quàm quemvis alium ſtrepitum. Sed quia vulgus putabat ea à Deo ipſo fieri, in quibus conficiendis nulla hominum opera intervenit, & Deus ſuperioribus corporibus præſentior adeſſe credebatur; ideò *vox Dei* dicebantur, nec erat cur Sacer Poëta aliter loqueretur, quia Deus creavit, non minùs ac cetera omnia, particulas illas ſulfuris, nitri & tartari, quæ in ſummo aëre accenduntur, itáque omnia diſpoſuit ut ex ſinu Terræ, ſolis calore educerentur, & interdum inter ſe miſtæ & radiis ejus objectæ inter nubes ſubitò accenderentur; unde naſcitur fragor, quem *tonitru* vocamus. Non minùs hoc opus Dei, ac ceteri rerum naturalium effectus, cùm omnia crearit, ornaritque proprietatibus, quæ in iis animadvertuntur.

15· *Emiſit ſagittas*] חצים *hhitſim*. Pſ. XVIII, 15. meliùs eſt חציו *hhitſau*. *Tela* ac *Sagittæ Dei* dicuntur fulmina, etiam apud Ethnicos. Sic *Herodotus* Lib. IV. c. 19. de domo Scylæ Scytharum Regis: Ἐς ταύτην ὁ θεὸς ἐνέσκηψε βέλος· καὶ ἡ μὲν κατεκάη πᾶσα. *In hanc Deus immiſit telum, & illa quidem conflagravit tota. Heſiodus* Theog. vſ. 708. vocat tonitru, fulgur & fulmen, κῆλα Διὸς μεγάλοιο, *tela Jovis magni. Ovidius* Metam. Lib. I. 239.

Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.

Lib. III, 305. & ſeq.

Eſt aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum
Sævitiæ, flammæque minùs, minùs addidit iræ,
Tela ſecunda vocant Superi.

Plura loca, in re facili, proferre nihil adtinet.

Eóſque diſperſit] Nempe, *hoſtes*, qui in Inſcriptione Pſalmi memorati.

Fulmen] ברק *barak*. Propriè *fulgur* eſt, ſed cùm ſit ſermo de *telis Dei*, ut ex priori hemiſtichio liquet, *fulmen* vertimus. Vide 1. Sam. VII, 10. Pro ברק *barak*, legimus Pſ. XVIII, 15. ברקים רב *fulmina multa*.

Et eos conturbavit] ויהמם, quod volunt legi Maſſorethæ *vajjahom*, quaſi ſcriptum eſſet ויהם *vajjahom*. Cur non potiùs legerint ut Pſ. XVIII, 15. ויהמם non intelligo. LXX. habent ἐξέστησεν αὐτούς. Vulgatus: *conſumſit eos.*

16· *Alvei maris*] אפיק ים *aphike jam*. Eſt Pſ. XVIII, 16. pro ים *mare*, מים *majim*, aquæ, quod idem ſonat. In magnis tempeſtatibus, interdum fundum maris cernitur, ſublatâ in excelſos fluctus aquarum mole; quod in procellæ eximia deſcriptione habet *Virgilius* Lib. I. Æneïd. vſ. 111.

Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.

Fundamenta orbis] Intelligit populari more infima maris loca, quæ ſunt veluti fundamen-

ta

Digitized by Google

21. Reddidit mihi Jehova, ſecundùm innocentiam meam, & pro puritate manuum mearum, remuneratus eſt me; 22. etenim ſervavi vias Jehovæ, neque à Deo meo deſeci; 23. omniáque ejus jura fuerunt in conſpectu meo, ut & inſtituta ejus, à quibus non receſſi. 24. Integer ei fui, & mihi ab iniquitate cavi. 25. Reddidit mihi Jehova pro innocentia mea, & pro puritate manuum mearum coram eo. 26. Benefico, *ô Deus*, beneficum te præbere ſoles, & viro integro integrum. 27. Puro purum te exhibere ſoles, & perverſo inſtar perverſi. 28. Populum humilem liberas; at oculi tui *ſunt* in ſuperbos *intenti*, *ut eos* deprimas. 29. Tu enim lucerna mea es, ô Jehova; & Jehova illuſtrabit tenebras meas. 30. Per te, aciem tranſcurro, per te tranſilio murum.

31. Via

ta orbis terrarum, quia ſunt profundiſſima. Sic *Heſiodus* γῆς ῥίζας, *terræ radices* collocat ſupra Tartarum, Theog. 727. ubi deſcripto eo loco:

—— αὐτὰρ ὕπερθεν
Γῆς ῥίζαι πεφύασι, καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

Increpatione Jehovæ] בגערת יהוה *bgaharath Jehovah*. Pſ. XVIII, 16. eſt מגערתך *miggaharthecha*, propter increpationem tuam, eodem ſenſu. Cùm in Davidis Hiſtoria nihil mari geſtum ab eo, aut ab hoſtibus tentatum legatur; hæc ſunt poëtica ornamenta, quibus deſcribit magnam Dei potentiam non modò in *cœlo & terra*, ſed etiam in *mari*; hoc eſt, in tota rerum natura, cujus ſunt, in Hebræorum ſermone, tres hæ partes.

Flatúque ſpiritûs narium ejus] אפו *appho*. Pſalm. XVIII, 16. eſt אפך *apphecha*. His vocibus deſcribitur indignatio Dei, ἀνθρωποπαθῶς, quia iratis tument nares, dum crebriorem ſpiritum è pulmonibus, motus ſuos celeriùs reciprocantibus, accipiunt. Vide hac de re *Iſ. Caſaubonum* Lectionum Theocrit. Cap. I. & *Theod. Marcilium* ad vſ. 91. Sat. V. Perſii.

—— *ira cadat naſo, rugoſáque ſanna.*

17. *Ad me auxilium*] Hoc eſt, Angelos, qui me liberarent.

Traxitque me &c.] Hîc deſcribit David pericula, in quibus verſabatur, ſub imagine aquarum profundarum, è quibus vix natando elabi ſe poſſe quiſpiam ſperaret. Eadem imagine utitur Pſ. LXIX, 2, 16. *Buchananus:*

Ille ſalutiferam porrexit ab æthere dextram,
Et me de rapidis pereuntem ſuſtulit undis.

18. *A potentibus hoſtibus meis*] *Ab hoſte meo potente.*

19. *Die quo exitium mihi erant allaturi*] ביום אידי *in die exitii mei*; hoc eſt, tempore apto ad eum perdendum, niſi præſenti divino auxilio ſervatus fuiſſet. LXX. Intt. in Codd. Romano & Alexandrino, προέφθασάν με ἡμέρᾳ θλίψεως μου, pro ἡμέρᾳ, vel ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως, ut habent Editiones Aldina & Complutenſis. *Anteverterunt* autem qui priùs parati ſunt ad nocendum, quàm alii ad ſui defenſionem.

Scipio fuit] Hoc eſt, me ſuſtinuit propemodum cadentem & lapſantem. Pro משען eſt Pſ. XVIII. למשען *lmiſhan*.

20. *Me explicuit in latiorem campum*] *Fecit exire in latitudinem me*, ויצא למרחב אתי. Pſal. XVIII, 20. ויוציאני *& eduxit me*. Qui in faucibus utrimque arctatus in latiorem campum elabi poteſt facilè ſervatur.

21. *Secundùm innocentiam meam*] כצדקי *ſecundùm juſtitiam meam*. Innocens enim erat, ad Saülem quod attinet; cui nullas ſtruxit inſidias, & cujus vitæ bis pepercit.

22. *Servavi vias*] Legem obſervavi.

Neque à Deo meo deſeci] רשעתי מאלהי *raſchahthi meelohai*. Fortè פשעתי pheſchahthi magis conſentaneum eſſet uſui linguæ Hebraïcæ.

23. *A quibus non receſſi*] לא אסור ממנה *non recedam ab ea*, quaſi ſingulare antreceſſiſſet. At Pſal. XIII, 23. לא אסיר מני *non amovebo à me*, paullo mollius.

24. *Integer ei fui* &c.] ואהיה תמים לו *vaehjeh thamim lo*. Pſ. XVIII, 24. ואהי תמים עמו *vaehi thamim himmo*, eodem planè ſenſu.

Ab iniquitate cavi] *Ab iniquitate mea.* Pro ואשתמרה *vaeſchthammerah*, eſt ſine ה paragogico, ואשתמר *vaeſchthammer*.

25. *Pro innocentia*] כצדקתי *chtſidkathi*. Pſal. XVIII. כצדקי *chtſidki*.

Coram eo] *Ante oculos ejus*; non tantùm coram hominibus, qui externâ ſpecie falli poſſunt, ſed & apud Deum qui animum novit.

26. *Beneficum te præbere ſoles*] תתחסד *thithchaſſed*. Sed Futurum hîc conſuetudinem ſignificat.

Viro integro] גבור תמים *gibbor thamim*. Meliùs Pſ. XVIII, 26. גבר *gbar*, quod virum ſignificat, nam גבור gibbor *fortem* ſonat, de quo ſermo hîc non eſt, ſed de quovis viro integro.

27. *Purum te exhibere ſoles*] תתבר *thitthabar*. Pſ. XVIII, 27. תתברר *thithbarar*, quæ forma eſt plenior.

Inſtar perverſi] Te, nimirum, exhibere ſoles. תתפל *thitthaphal*, at Pſ. XVIII. תתפתל *thithpatthal*, meliùs; nam à verbo פתל *phathal* non poteſt fieri *thitthaphal* תתפל, tranſpoſitis radicalibus. Vertimus *inſtar perverſi*, quia Deo perverſitas nulla tribui poteſt, & conſtat conjugationem Hithpahel ſignificare ſæpe imitationem quamdam externam actionum, quamvis animus aliter ſe habeat. Hoc vult Pſaltes Deum ſe gerere erga homines pro eorum moribus, ſeu benefacere bonis, malos verò plectere.

28. *Populum humilem* &c.] ואת עם *veeth ham*. Pſ. XVIII, 23. כי אתה עם *chi atthah ham*, nam tu populum.

At oculi tui ſunt in ſuperbos] ועיניך על רמים *vehenecha hal ramim*. Pſ. XVIII. ועינים רמות vehenajim ramoth, *& oculos altos deprimes*. Eſt idem ſenſus, ſed aliter expreſſus.

29. *Tu enim lucerna mea es*] כי אתה נרי *chi atthu neri*. Pſ. XVIII, 29. כי אתה תאיר נרי chi atthah thair neri, *quia tu facis lucere lucernam meam*. Utrumque ſignificat animum eâ cognitione illuſtrare, quæ ad bene, beatéque vivendum neceſſaria eſt.

30. *Aciem*] Aut *agmen*, גדוד *gedoud*, quod ſæpe ſignificat agmen, aut globum latronum; quod David, fortitudine à Deo acceptâ, facilè tranſcurrebat.

 31. *Via*

31. Via Dei *eſt* perfecta, verbum Dei *eſt auri inſtar* purgatum; clypeus eſt omnibus, qui in eo ſperant. 32. Etenim quis Deus eſt, præter Jehovam, quæve rupes, præter Deum noſtrum? 33. Deus confirmavit fortitudinem meam, & integram reddidit viam meam. 34. Æquavit pedes meos pedibus cervarum, atque in editis meis locis ſtare me fecit. 35. Docuit manus meas prælium, fractúſque eſt arcus ferreus manibus meis. 36. Donaſti me clypeo liberationis tuæ, & manſuetudine tuâ me auxiſti. 37. Dilataſti greſſum meum ſub me, neque crura mea nutarunt. 38. Perſequutus ſum hoſtes meos, eos delevi, nec redii donec eos abſumſiſſem. 39. Eos abſumſi & confodi, neque reſurgent, ceciderúntque ſub pedes meos. 40. Accinxiſti me fortitudine ad prælium, incurvaſti ſub me eos qui contra me inſurgebant. 41. Hoſtium meorum dediſti mihi cervicem, excîdique eos qui me oderant. 42. Circumſpexerunt, nec liberator ul-

31. *Via Dei eſt perfecta*] Intelliguntur præcepta Dei, quæ *viam* oſtendunt, quam in hac vita ſequi nos oportet.

Clypeus eſt omnibus] Seu de Deo hoc intelligatur, ſeu de ejus verbo, vel Lege, idem eſt ſenſus, aut parum diverſus. Deus enim tuetur bonos & per ſe, & per leges ſuas; quas quiſquis obſervat multa incommoda vitat, quæ earum violationem ſequuntur.

32. *Quis Deus eſt*] מי אל *mi el.* Pſ. XVIII, 32. מי אלוה *mi eloha.*

Quæve rupes] מי צור *mi tſour.* LXX. Intt. τίς κτίστης. Quaſi eſſet יוצר *jotſer.* Vulg. *quis fortis.* Maluimus propriæ ſignificationi adhærere, quâ ſignificat Pſaltes nuſquam hominibus tam certum eſſe præſidium, quàm in divina potentia.

Præter] מבלעדי *mibbalhadi.* Pſ. XVIII. זולתי *zoulathi*, quod idem ſignificat, ſed melius eſt, quia vitatur repetitio ejuſdem vocis.

33. *Confirmavit fortitudinem meam*] מעוזי חיל *mahouzi hhajil.* LXX. Intt. κραταιῶν με δυνάμει. At Vulg. *accinxit me fortitudine*, quæ eſt lectio Pſ. XVIII, 33. ubi eſt מאזרני חיל *accingens me fortitudine*, quæ melior eſt lectio.

Integram reddidit] ויתר תמים *vajatther thamim.* Sic legerunt LXX. Intt. qui habent, in Codice Vaticano, ἐξετίναξεν ἄμωμον, quæ vera LXX. Intt. lectio eſſe videtur, cùm נתר *excutere* ſignificet, apud Chaldæos; non ἐξέτεινε, ut eſt in Alexandrino, aut ἔθετο, ut eſt in Aldino & Complutenſi, quæ lectio petita eſt ex Pſal. XVIII. ubi in Hebræo textu eſt ויתן *vajjitthen*, & poſuit. Ac ſanè ſic eſt locus hîc emendandus, qui alioqui ſenſu caret. Vulgatus vertit ex conjectura: *qui complanavit viam meam rectam.*

34. *Pedibus cervarum*] כאילות *ut cervarum.* Vide not. ad Cap. I, 19. Cùm à Deo omnes & animi & corporis facultates ac vires acceperimus, quas etiam providentiâ ſuâ conſervat; meritò David ei omnia tribuit, quamvis non ſit ſingularum actionum auctor.

35. *Fractus eſt*] נחת nihhath. Pſ. XVIII, 35. eſt נחתה *nibbatha*, meliùs, nam קשת *arcus* eſt fœminini generis.

Arcus ferreus] קשת נחושה *arcus æneus*, ſed נחשת nhhoſcheth, quod propriè *æs* ſonat, aliquando etiam ferrum ſignificat, ut hoc loco; nam æs mollius eſt, quàm ut arcus ex eo fieri poſſet. Vide *Sam. Bocharti* Phal. Lib. III. c. 12. Si verum ſit à Davide potuiſſe frangi arcum chalybeum, magnis viribus præditum fuiſſe oportet; ſin minùs, erit hyperbolica loquutio.

36. *Clypeo liberationis*] *Clypeo ſalutis*, hoc eſt, ſingulari protectione, quâ impediiſti ne hoſtes mihi nocere poſſent. Poſt verba מגן ישעך *maggen jiſchhecha*, eſt Pſ. XVIII, 36. וימינך תסעדני *viminecha thisbadeni*, dextra tua fulcivit me, quæ hinc abſunt.

Manſuetudine tuâ] וַעֲנֹתְךָ quæ vox punctis aliis inſtructa eſt Pſ. XVIII. ubi eſt וְעַנְוַתְךָ quod melius eſt.

37. *Dilataſti greſſum meum*] Hoc eſt, vires mihi ſuffeciſti, quibus, ubi res poſtulavit, grandiori paſſu ambulare potui.

Crura mea] קרסלי *karſullai*, quod *malleolos pedum* propriè ſignificat, ſed pro cruribus hîc ſumi videtur. LXX. Intt. habent, τὰ σκέλη. Latinus, *tali.*

38. *Eos delevi*] ואשמידם *veaſchmidem.* Eſt Pſ. XVIII, 38. ואשיגם veaſſchigem, *& adſequutus ſum eos.*

39. *Eos abſumſi* &c.] Hìc Hebraïca verba ſunt: ואכלם ואמחצם ולא יקומון *vaachallem vaemhhatſem, vlo jekoumoun.* Sed Pſ. XVIII, 39. אמחצם ולא יכלו קום *emhhatſem vlo juchelou koum*, delevi eos, nec poterunt ſurgere.

40. *Accinxiſti me*] ותזרני *vatthazreni*, meliùs Pſal. XVIII, 40. ותאזרני *vattheazzereni*, nam eſt à radice אזר. Jam dudum mihi perſuaſi multas anomalias & fortè pleraſque, non ab uſu Linguæ Sacræ, hominúmque veræ orthographiæ peritorum manaſſe, ſed à Librariorum negligentia; unde natæ ſunt exceptiones innumeræ, quas regulis grammaticis adjectas videmus, quæ nullæ eſſent, ſi emendatiores & antiquiores codices nobis ſupereſſent. Liquet hoc cùm ex multis aliis exemplis, tum ex collatione hujus Pſalmi, cujus exemplar quod hîc exſtat multò plures anomalias ſuppeditat; quàm exemplar quod in libro Pſalmorum legitur, quod emendatius & accuratius eſt.

41. *Hoſtium meorum dediſti mihi cervicem*] Hìc pro dediſti eſt תתה *thattha*, vitioſè pro נתתה *nathattha*, quod habetur Pſ. XVIII, 41. Cervicem convertunt fugientes. Vide Joſ. VII, 8, 12. victoréſque eorum cerviei manum injicere dicuntur, ut Gen. XLIX, 8. ubi vide notata.

42. *Circumſpexerunt*] ישעו *iſchhou*, quod eſt à שעה ſchaha, *reſpicere*, & poteſt hîc ſignificare auxilium ab hoſtibus Davidis fruſtra quæſitum; nam cùm quidpiam quærimus, oculos circumferimus. Sed magis placet lectio Pſ. XVIII, 42. ubi eſt ישועו jeſchavvehou, *clamarunt*, ob ſequentia verba אל יהוה ולא ענם *ad Jehovam & non reſpondit iis*, aut *exaudivit eos*, quæ verba oſtendunt præcedere oportuiſſe verbum, quod ſignificet *clamare*, aut *invocare*. Ideoque hîc habent LXX. Intt. βοήσονται, & Vulg. *clamabunt.* Sed po-

ullus fuit ; invocarunt etiam Jehovam, ſed eos non exaudivit. 43. Contudi eos inſtar pulveris terræ, inſtar luti platearum eos comminui, & *pede* preſſi. 44. Liberaſti me à contentionibus popularium meorum, ſervaſti me, ut fierem caput gentium, ſerviitque mihi populus quem non noveram. 45. Adulati ſunt mihi alienigenæ, ſtatim ac *imperia* audiverunt, paruerunt mihi. 46. Alienigenæ diffluxerunt, aut intra clauſtra ſua ſe continuerunt. 47. Vivit Jehova & benedicta eſt rupes mea, extollitúrque Deus rupis liberationis meæ. 48. Deus dat mihi ultionem, & mihi populos ſubjicit. 49. Expediit me ab hoſtibus meis; ſupra inſurgentes in me extuliſti me, *ô Deus*, à viro injurio me liberaſti. 50. Propterea te laudabo inter gentes, ô Jehova, & nomini tuo pſalmos canam. 51. *Deus* magnificè ſervat Regem ſuum, & ſe benignum præſtat uncto ſuo Davidi, & poſteris ejus in perpetuum.

XXIII. Ul-

potuiſſet hæc vox ſic punctis inſtrui יְשַׁעְ pro יִשְׁעִי.

43. *Inſtar pulveris terræ*] כעפר ארץ *chabaphar arets*. Pſal. XVIII, 43. eſt כעפר על פני רוח *ad faciem venti*. Vide Pſ. I, 4. Eſt idem ſenſus, ſed diverſo modo expreſſus.

Eos comminui & pede preſſi] אדקם ארקעם *adikkem, erkabem*. Eſt Pſ. XVIII, tantùm אריקם *arikem*, hoc eſt, *leves & inanes habui*, æquè ac pulverem vento raptum. Attamen cum hemiſtichia eumdem ſenſum complecti ſoleant, lectio hujus loci melior videtur. Sed ſcribi oportuiſſet אֲדִקֵּם non אֲדִקֵם. Ultima vox ארקעם hic ſignificat *conculcando premere ac conſtringere*. Vide not. ad Gen. I, 6.

44. *Popularium meorum*] *Populi mei*, עמי. Meliùs quàm Pſ. XVIII, 44. ubi eſt עם *ham*. Intelligit Saülem & ejus adſeclas.

Servaſti me ut fierem caput &c.] תשמרני לראש גוים *tiſchmereni lroſch gojim*. Pſal. XVIII. pro prima voce, תשימני thiſchimeni, *poſuiſti me*. Pro יַעַבְדֻנִי eſt illic pleniùs יַעַבְדוּנִי. Intelliguntur populi vicini Hebræis, quorum multos vicit, quos antea famâ tantùm noverat; dum privatus adhuc eſſet, ſub regno Saülis.

45. *Adulati ſunt mihi*] יתכחשו *jithchabbaſchou*, mentiti ſunt. LXX. Intt. ἐψεύσαντό μοι. Abſurdè Latinus: *reſiſtent mihi*. Pſ. XVIII. eſt יכחשו לי *jeſchabbaſchou li*. Intelligitur id genus *mendacii*, quod *adulatio* vocatur; nam alia mendacia ingrata ſunt imperantibus, nec propter ea Deo gratias ageret David. *Lucanus* de adulatione erga Cæſares, inventa primùm poſt victum Pompeium, Lib. V. vſ. 385.

Námque omnes voces, per quas jam tempore tanto
MENTIMUR *dominis, hæc primùm repperit ætas.*

Vide ad Deut. XXXIII, 29. Duo hemiſtichia Pſ. XVIII. ſunt inverſa.

Statim ac imperia &c.] *Ad auditum auris audiverunt me*. Dicto audientes fuerunt.

46. *Diffluxerunt*] יבלו *jibbolou*. Metaphora ducta ab arboribus quorum folia decidentia dicuntur נבול *nbol*, *decidere* Pſ. I, 3.

Intra clauſtra ſua ſe continuerunt] ויחגרו ממסגרותם *jabbgerou mimmiſgerotham*, quod eſt ad verbum *cinxerunt à clauſtris ſuis*; hoc eſt, munimentis ſuis egredi auſi non ſunt. LXX. Intt. habent hic: σφαλοῦσιν ἐκ τῶν συγκλεισμῶν αὐτῶν. Vulgatus: *contrahentur in anguſtiis ſuis*. Quæ quomodo cum Hebræa voce ויחגרו conſentiant non ſatis intelligo. *Cincti ſunt è clauſtris ſuis*, qui intra munimenta manent, nec metu potentioris hoſtis iis egredi ſuſtinent. At Pſ. XVIII, 46. legitur ויחרגו *jabbregou*, quod contrario ſenſu vertunt, ex ſignificatione Arabica hujus radicis, *migrarunt è clauſtris ſuis*. Vertit etiam hic Chaldæus, ויזועון & *movebuntur*. Vide Mich. VII, 17. Si ea ſit vera lectio, hæc erit ſententia Davidis: *hoſtes ſuos, ne in munitis quidem locis, conſiſtere auſos*; qui ſenſus majorem terrorem ſignificat, quàm is qui ex ſuperiore lectione naſcitur.

47. *Vivit Jehova*] Opponitur Diis mortuis.

Benedicta eſt &c.] A nobis meritò laudatur.

Deus rupis liberationis meæ] אלהי צור ישעי *elohe tſour jiſchbi*. Vocula צור *tſour* omiſſa eſt Pſ. XVIII, 47. & quidem meliùs.

48. *Dat mihi ultionem*] *Ultiones*; hoc eſt, pœnas ſumit de hoſtibus meis; non ad Iſraëlitas quidem quod adtinet, ipſe injurias ſuas ultus non legitur David.

Mihi populos ſubjicit] ומוריד עמים תחתני & *facit deſcendere populos ſub me*. At Pſ. XVIII, 48. eſt ידבר עמים תחתי *ducit populos ſub me*, qua de loquutione ad eum locum agemus.

49. *Expediit me ab hoſtibus*] ומוציאי מאיבי & *faciens me exire ab hoſtibus meis*; hoc eſt, me eorum manibus expediit, vel in præliis, vel in fugiendo Saüle; vel quando Deus Davidem, in Philiſthæorum agro periculosè habitantem, expediit. Pſ. XVIII, 49. legimus מפלטי *mphalleti*, liberans me. Ibidem pro מקמי *mikkamai* eſt אף מן קמי *aph min kamai*, etiam ab inſurgentibus in me.

Extuliſti] תרוממני *thromemeni*. Mutatur ſubitò perſona, quod ut emolliremus ſupplevimus vocem *Deus*. Metaphora autem videtur deſumta ex iis qui *extolluntur* ex aqua, in quam demerſi erant. Vide vſ. 17.

A viro injurio] מאיש חמסים *à viro injuriarum*. Pſal. XVIII, eſt איש חמס *viro injuriæ*. Utrumque dici poteſt. Intelligitur autem Saül.

50. *Inter gentes*] Non habitavit quidem David, apud alias Gentes, ab hiſce temporibus; ſed ſæpe cum victricibus copiis in eorum agris verſatus eſt, Deíque in iis laudandi crebras & egregias occaſiones habuit.

51. *Deus magnificè ſervat*] Eſt in textu: מגדיל ישועות, quod occurrit etiam Pſ. XVIII, 51. At mirum eſt hoc in loco Maſſorethas velle legi מִגְדּוֹל, *turris*, cùm, Pſalmi loco laudato, rectè legant מַגְדִּיל *magnificans*. LXX. Intt. utrobique habent μεγαλύνων, Vulgatus *magnificans*, Chaldæus מסגי למעבד *multiplicans facere ſalutem* &c. Vide *Lud. Cappellum* Criticæ Sacræ Lib. III. c. XIII, 31. *Magnificare ſalutes* eſt ſæpiùs

Digitized by Google

XXIII. *Ultima verba Davidis, nominaque & facta virorum fortium, qui in ejus exercitibus fuerant.*

CAPUT XXIII.

1. HÆc verò ſunt ultima verba Davidis. Dictum hoc *eſt* Davidis, Jiſaïs filii; dictum viri, evecti in altum, Uncti Dei Jacobi, & amœni *in pſalmis* Iſraëlis. 2. Spiritus Dei loquutus eſt per me, verbum ejus fuit in lingua mea. 3. Dixit *hæc* de me Deus Iſraëlis, loquuta eſt Iſraëlis rupes: qui dominatur hominibus juſtus *eſt*, dominatur *in* timore Dei. 4. *Eſt* inſtar lucis matutinæ, *cùm* oritur ſol ſine nubibus; cùm ſplendore *ejus*, poſt pluviam, tenera herba è terra *elicitur*. 5. Annon enim ſic *habet* familia mea cum Deo? ſiquidem fœdus æternum mecum fecit, per omnia *rectè* conceptum & obſervatum; tota enim ſalus mea, & quidquid cupio *eo continetur*. Quid-

piùs magnificè ac potenter è periculo liberare, quam ob rem jure Deo gratias agit David.

Quiſquis his obſervatis varietatibus, quarum pleræque ex ſimilitudine litterarum, aut ſynonymorum verborum confuſione, omiſſionéque & additione nonnullarum vocularum ortæ ſunt, non animadvertit eſſe varias lectiones, quales ſunt in omnibus libris MSS. etiam ipſius Novi Teſtamenti; næ is Criticæ non litavit, nec idoneus eſſe poteſt ullius antiqui Scriptoris, cujus autographum periit, Interpres. Scio eſſe Rabbinos, qui velint Pſalmum XVIII. eſſe veluti ſecundam Editionem hujus Pſalmi, quia reverâ in pleriſque eſt emendatior. Sed cùm ſit hoc mera conjectura, nullo Scripturæ loco nixa, præterea ſunt hîc nonnulla, ut oſtendimus, quæ meliùs habere videntur, quàm Pſal. XVIII. & quotieſcumque emendatior Codex inveniretur, haberetur pro altera editione Operis, quod abſurdum eſſet.

Hoc Canticum diſtinximus, ut alios Pſalmos, in verſus ὁμοιοτελεύτως, quos tamen non proferemus hîc; cùm totum Pſalterium fortè ita ſimus edituri, ſi Deus otium & valetudinem ſuffecerit.

In CAPUT XXIII.

1. D*ictum*] נאם *neoum*, quod ſolet vaticiniis præfigi. Vide not. ad Geneſ. XXII, 16. Hæc oratio Davidis non eſt מזמור *mizmor*, ſeu oratio ſecta in verſiculos, ut ſuperiori Capite tradita; ſed tantùm משל *maſchal*, ſeu oratio figurata, quales ſunt pleræque Propheticæ; neque enim poteſt in ſimiliter deſinentes verſus ſecari.

Evecti in altum] הקם על *hukkam hal*, conſtituti alti. LXX. Intt. aliter hîc legerunt, quàm nos, habent enim: Πιστὸς (legerunt נאמן *neeman*, fidus, pro נאם *neoum*, dictum) Δαυὶδ υἱὸς Ἰεσσαί, καὶ πιστὸς (iterum נאמן pro נאם) ἀνὴρ ὃν ἀνέστησεν κύριος ἐπὶ Χριστὸν, quaſi על משיח perinde eſſet ac למשיח *in Meſſiam*. Sed Latinus eodem modo legit, ac nos; exceptis poſtremis verbis, quæ ſic expreſſit: *cui conſtitutum eſt de Chriſto*, quaſi hîc legendum eſſet על *ſuper*, *de*; non על *altus*, ut habent hîc Maſſorethæ.

Amœni in Pſalmis &c.] נעים זמירות *nahim zmiroth*, pro בזמירות *bizmiroth*, in Pſalmis; hoc eſt, cujus ingenii amœnitas intelligitur ex Pſalmis, ab eo compoſitis, & qui apud Iſraëlitas canuntur. LXX. Intt. habent εὐπρεπεῖς ψαλμοὶ Ἰσραήλ, quaſi eſſet נעימות *amœni ſunt Pſalmi Iſraëlis*. Meliùs Vulgatus: *egregius Pſaltes Iſraël*.

2. *Loquutus eſt per me*] בי *in me*. Propter Pſalmorum vaticinia & pios affectus, quibus ſunt referti, quorúmque ad ſpiritum divinum meritò origo refertur.

3. *Iſraëlis rupes*] Perfugium, ut in ſuperiore Cantico. לי vertimus *de me*, quia cùm conſtet litterâ *Lamed* ſæpe *de* ſignificari, ut docebit *Chr. Noldius*; nullus alius ſignificatus hîc ei poterat tribui, quandoquidem ſequentibus verbis continetur elogium Davidis. Malè LXX. צור *rupes* verterunt φύλαξ, quaſi eſſet נצר *notſer*, cuſtos.

Qui dominatur &c.] Videtur David reſpicere ad vaticinium quodpiam, in honorem ſuum editum, & quo hæc verba continebantur. מושל *moſchel*, dominator Regem ſignificat Mich. V, 2. quamvis alîus generis.

In timore Dei] יראת אלהים *jirath elohim*, pro ביראת *in timore*, per Ellipſin præpoſitionis ב, ut vſ. 1. & alibi paſſim. Senſus eſt, adminiſtrationis ſuæ normam leges divinas ſibi proponit. Abſurdè verterunt LXX. Intt. prius מושל *dominator* παραβολήν, quaſi fuiſſet משל *maſchal*, nec meliùs habent ſequentia: εἶπον ἐν ἀνθρώπῳ πῶς κραταιώσητε φόβον Χριστοῦ, aut Κυρίου. Vulgatus ut nos: *dominator hominum juſtus, dominator in timore Dei*.

4. *Cùm oritur*] יזרח *jizrahh*, ſupplevi כאשר *quando*. Elegans comparatio, nam ſol meridianus non tam placet, ac oriens ſine nubibus.

Sine nubibus] *Non nubes* לא עבות, nec ſunt nubes.

Cùm ſplendore ejus &c.] מנגה ממטר דשא מארץ *minnogah mimmatar deſche mearets*, è ſplendore, è pluvia herbula ex terra. In ſtylo τῶν משלים, ſeu figurato, apud Hebræos, multa ſunt neceſſariò ſupplenda. Itaque plena loquutio hîc eſſet כאשר מנגה ממטר יצמח דשא מארץ. Τὸ מ, quod primum occurrit, ſignificat hîc cauſam, ſecundum tempus, tertium locum, pro ambiguitate perpetua particularum Hebraïcarum. Gratior eſt etiam, poſt pluviam, ſolis ſplendor, quàm ſicciore tempeſtate. Hîc LXX. Intt. verſio meras tenebras loco perſpicuo offundit: καὶ ἐν φωτὶ θεοῦ πρωΐας, ἀνατείλαι ἥλιος τὸ πρωΐ. ὁ κύριος (hanc vocem nonnulli Codd. omittunt) παρῆλθεν ἐκ φέγγους καὶ ὡς ἐξ ὑετοῦ χλόης ἀπὸ γῆς. Multò meliùs Vulgatus, quamvis non ſatis commodè: *ſicut lux auroræ, oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat, & ſicut pluviis germinat herba de terra*.

5. *Fa-*

Quidni ergo pullularet *mea domus?* 6. At homines nequam omnes, ſpinarum inſtar amovebuntur; neque enim manu adprehendi poſſunt *ſpinæ*. 7. Quiſquis eas tacturus eſt, implet *manum ſuam* ferro, cui additum *manubrium* ligneum haſtæ; tum domi igne comburi ſolent.

8. Hæc autem ſunt nomina fortium virorum Davidis. Joſeb-baſſebethus, Thachmonita, potiſſimus erat ducum. Ille *vocabatur* Hadino-Hahetſnis, propter octingentos viros unâ vice occiſos. 9. Poſt eum erat Elehazar, filius Dodonis, filii Achochis, inter tres fortes viros, qui cum Davide *erant*, cùm probro affecerunt Philiſthæos congregatos illic ad prælium, cùm *contra eos* Iſraëlitæ iviſſent. 10. Surrexit ille & occidit Philiſthæos, donec manus ejus defeſſa eſſet, adhæreretque gladio; quo die Jehova magnam liberationem fecit, populúſque eum ſequebatur, tantùm ad ſpoliandum. 11. Poſt eum fuit Samma, filius Agæ, Hararita. Cùm Philiſthæi contra villam congre-

5. *Fœdus æternum*] Vide Cap. VII, 12, 13. Fœdus hîc, ut alibi, dicuntur divina promiſſa, ex conditionibus quibuſdam ab hominibus obſervandis pendentia.

Per omnia rectè conceptum] ערוכה בכל *barouchab bacchol*, ordinatum, aut diſpoſitum in omnibus.

Quidquid cupio] כל חפץ *omnis voluntas*. Supplendum pronomen primæ perſonæ & addendum בו, ut plena loquutio ſit כל חפצי בו *chol hheptſi bo*, quod poſſet etiam verti *omnis voluptas mea eſt in eo* fœdere, ut Pſ. I, 2.

Quidni ergo pullularet &c.] כי לא יצמיח *chi lo jatſmiahh*, quod interrogativè ſumſimus, quia commodior nullus ſenſus occurrebat. Pro ביתי *bethi*, domus mea, quod ſupplevi, LXX. Intt. conjunxerunt, cum ſequente בליעל *nequam*, habent enim: ὅτι ὁ μὴ βλαστήσῃ παράνομος, omiſſâ conjunctione ו. Obſcurè & incommodè Vulgatus: *non eſt quidquam ex ea quod non germinet*. Intelligit Propheta, poſteros non magis ſibi defore, quàm herbæ germinanti & ſemen ferenti non ſucceſſuram ſimilem herbam. Ideò צמח *tſemahh* ſumitur pro ſobole. Jerem. XXIII, 5. & alibi.

6. *At homines nequam*] *Et nequam inſtar ſpinæ amovebitur omnes illi*. Rectè Vulgatus: *Prævaricatores autem, quaſi, ſpinæ evellentur univerſi*; nam ſpinæ evelluntur, ut amoveantur, & loco, quem fruſtra occupabant, frugiferæ plantæ pangantur.

Neque enim manu] *Quia non in manu adprehendentur*. Quæ tractari nequeunt virgulta abjiciuntur, quaſi inutilia, ut ſpinæ, niſi ut urantur.

7. *Implet manum ſuam* &c.] *Implebitur ferro & ligno haſtæ*; hoc eſt, non manu evelluntur, ſed ſecuri priùs ſecantur; quo facto, effodiuntur radices, ne qua ſtirps earum ſuperſit.

Tum domi igne comburi ſolent] *In igne comburendo comburentur, in manſione*, בשבת *baſſchabeth*. LXX. Intt. εἰς αἰσχύνην αὐτῶν, quaſi legiſſent לבשתם *lboſchtham*, quod tamen caret hîc ſenſu. Vertit quidem propterea Vulgatus: *uſque ad nihilum*, ſed ſenſum, quem ſuſpicabatur ineſſe verbis Græcis, non ſignificationem Hebraïcæ vocis expreſſit. Sed infinitivi, ut שֶׁבֶת, *habitare*, ſæpe nominaſcunt, ut Hamoſ. VI, 3. ubi *habitaculum* ſignificat.

8. *Joſeb-baſſebethus*] ישב בשבת quæ verba, ſi ſana eſſent, ſignificarent, *ſedens in manſione*. Vertit *Hieronymus: ſedens in cathedra*. LXX. verò Intt. hîc latere nomen proprium putarunt, habent enim: Ἰεβοσθε, aut Ἰεβοσθὲ ὁ Χαναναῖος.

Corruptum quidem nomen eſt, ſed quin nomen proprium hîc quærendum ſit nemo dubitabit, qui contulerit hunc locum cum 1. Par. XI, 11. ubi primus fortium virorum, qui in exercitibus Davidis erant, dicitur ישבעם בן חכמוני *Joſchobbam filius Chachmoni*; quæ verba, ut paſſim in nominibus propriis contigit, etiam in optimis Libris MSS. deformata ſunt in hæc: ישב בשבת תחכמני *joſcheb baſſchebeth thabhchmoni*; ſeu malè deſcripta fuerint, ſeu fugientibus litteris ſatis commodè legi non potuerint.

Potiſſimus erat ducum] ראש השלישי *caput tribunus*; nimirum, ſub Joabo, qui dux erat omnium exercituum. Loco Paralipoménon laudato dicitur ראש השלישים *caput tribunorum*.

Ille vocabatur Hadino Habetſnis] הוא עדינו העצני. Quid hæc ſibi velint nemo dixerit. LXX. Intt. habent Ἀδινὼν ὁ Ἀσωναῖος. Vulgatus: *ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus*, quæ ſunt commenta Magiſtri *Hieronymi*, inde ducta quòd עדן *heden* ſignificet *delicias* & עץ *hets*, lignum. In Paralipomenis eſt vera lectio: הוא עורר את חניתו *hou horer eth hhanitho*, vibravit haſtam, ut & infra vſ. 18. in hoc Capite, quæ verba fugientibus characteribus, & fortè à Librariis mendosè ſcripta, in hæc mutata ſunt, quæ hîc habemus. Sequentia etiam rem confirmant, nam cum antecedentibus connecti non poſſunt.

Propter octingentos viros] על שמנה מאות *hal ſchmoneh meoth*. In Paralipomenis eſt שלוש מאות ſchloſch meoth, *trecentos*, quod melius videtur; faciliùs enim trecenti, quàm octingenti, interfici queant. Fortè in fugientes ſic haſta uſus eſt.

9. *Cùm probro affecerunt*] בחרפם *bhhorpham*. 1. Par. XI, 13. eſt בפס דמים *bphas damim*, quod videtur eſſe idem ac אפס דמים *Ephes dammim*, in tribu Judæ, de quo loco 1. Sam. XVII, 1. Igitur utraque lectio hîc conjungi poteſt.

10. *Adhæreretque gladio*] Cum ex nimio gladii uſu manus diriguiſſet, aut vulnere aliquo intumuiſſet.

Eum ſequebatur] *Rediit poſt eum*. Quæ ſequuntur vſ. 9. vocem למלחמה *ad prælium*, uſque ad vocem לחיה *contra* villam vſ. 11. omnia ſunt omiſſa in libro 1. Paralipoménon, ſed perperam.

11. *Contra villam*] לחיה *labbajah*. Sic vertimus, quia in plurali חות *hhavoth* ſignificat *villas* Num. XXX. II, 41. nec חיה & חוה multùm differunt, ſoléntque litteræ adfines, ut notum eſt, miſceri. Apud Arabas etiam, חיי eſt *cognatio, familia*, in una villa habitans. LXX. Intt. habent εἰς θηρία. Sed *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1.

Digitized by Google

gregati eſſent, eſſétque illic pars agri plena lentibus, & populus fugiſſet è Philiſthæo-
rum conſpectu; 12. conſtitit ille in medio partis illius *agri*, eámque liberavit & conſci-
dit Philiſthæos, *ita ut*, *ejus operâ*, magnam liberationem fecerit Jehova. 13. Iverunt
etiam tres ex triginta ducibus, tempore meſſis ad Davidem in ſpeluncam Hadullami,
dum copiæ Philiſthæorum caſtra haberent, in valle Rephæorum. 14. Cùm ergo Da-
vid eſſet in munimento, præſidiúmque Philiſthæorum eſſet tunc ad Bethlechemum,
15. optavit David bibere *aquam Bethlechemenſem*, & quis mihi, inquit, bibendam præ-
bebit aquam è Bethlechemenſi ciſterna, quæ eſt ad portam *oppidi?* 16. Tres verò viri fortes
perruperunt per caſtra Philiſthæorum, hauſerúntque aquam à Bethlechemenſi ciſterna,
quæ eſt ad portam, eámque ſumſerunt & adtulerunt ad Davidem; qui tamen eam bi-
bere noluit, ſed Jehovæ effudit, 17. &, abſit, inquit, ô Jehova, ut hoc faciam! *Bi-
bámne* ſanguinem virorum, qui illuc, cum vitæ *periculo*, iverunt? Itaque noluit eam
bibere. Hoc facinus tres illi viri fortes ediderunt. 18. Abiſaïs autem frater Joabi,
Tſerujæ filius dux fuit horum trium, movitque haſtam in trecentos quos confodit, ei-
que nomen inter tres hoſce celebre fuit. 19. Annon trium maximam gloriam eſt con-
ſequutus? Factus eſt eorum dux, ſed ad tres *priores* non pervenit. 20. Benaja etiam,
Je-

P. 1. Lib. II. c. 15. ubi multis de hoc loco egit, rectè obſervat alienum eſſe de venatione hic agi, quia venationi vacare in hoſtico neque licet, neque tutum eſt. Nihilo magis ei placet *Hieronymi* verſio, quæ habet: *in ſtatione*, quia ut Hebræum חיה pro *ſtatione* ſumatur, res eſt ſine exemplo. Reliquas etiam conjecturas, ac interpretationes confutat, ſed noſtræ nihil opponit; niſi quòd oporteret legi hic חנה, pro חיה, quod nullius eſt momenti, propter rationem allatam, poſſétque etiam Librariis tribui.

Cùm verò Græca verſio Compluti edita habeat ἐπὶ σιαγόνα, quaſi ſcriptum eſſet לְחִי, in eam ſententiam propendet vir ſummus, ut intelligatur locus qui לחי *Lechi*, vel *maxilla* dicitur in Hiſtoria Samſonis, Jud. C. XV.

Rationes ejus ſunt, quia, ſi legatur לחיה *lhhijah*, ad Lechi, ita ut ה locale in fine ſuppleat vicem τῦ *Lamed* initialis, ſenſus erit apertiſſimus. Nempe, Philiſthæos ad Lechin conveniſſe prædabundos, id eſt, ad eum ipſum locum, in quo multò antè, ab uno Samſone cæſi & fugati fuerant, magnâ illorum ſtrage editâ. Hæc & alia vir doctiſſimus, quæ ſi cui placeant non intercedimus.

Lentibus] עדשים *hadaſchim*. 1. Par. XI, 13. eſt שערים *hordeis*.

13. *Tres ex triginta*] Eſt in textu שלשים *triginta*. Sed rectè Maſſorethæ in margine legendum monuerunt שלשה *tres*. Intelliguntur autem *tres* è triginta, qui ſequuntur.

Tempore meſſis] אל קציר *ad meſſem*. LXX. Intt. εἰς Κασὼν, aut Κασωὰ. Vulg. *tempore meſſis*. 1. Paral. XI, 15. אל הצר, *ad rupem*; quod melius videtur.

13. *Hadullami*] עדלם *hadullam*. Vide 1. Sam. XXII, 1.

Rephæorum] Vide Cap. V, 17, 18.

14. *In munimento*] במצודה *bammetſoudah*, in loco natura munito.

15. *Quis mihi* &c.] His verbis David videtur non tam ſignificaſſe cupiditatem bibendi aquam Bethlechemenſem, quàm videndi patriam præſidiis & copiis Philiſthæorum liberatam.

16. *Tres verò* &c.] Tentarunt hoc & perfecerunt, non neceſſitatis, ſed virtutis oſtentandæ causâ.

Perruperunt] Aut noctu, aut ſimulantes ſe Philiſthæorum partes ſequi.

Jehovæ effudit] Gratias ei agens, de reditu fortiſſimorum trium virorum, in terram effudit.

17. *Bibámne*] Supplevimus, אשתה eſchtheh, *bibam* cum LXX. Intt. & Vulgato ex 1. Paral. XI, 20. ubi exprimitur. Viſus fuiſſet bibere ſanguinem virorum illorum, qui periculo effuſionis ſanguinis ſui eam aquam petierant.

Cum vitæ periculo] בנפשותם bnaphſchotham, *in animabus ſuis*; hoc eſt, vitæ periculum ſubeuntes.

18. *Dux horum trium*] *Caput horum trium*.

20. *Cabtſeelenſis*] מקבצאל *è Cabtſeel*, quæ urbs fuit Tribûs Judæ. Joſ. X, 21.

Multa facinora ediderat] רב פעלים *multus operibus*.

Duos Arieles] אריאל *ariel*, quæ vox compoſita eſt ex ארי *leo* & אל *Deus*. Cognomen fuiſſe virorum fortium, in Moabitide, putabat *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. III. c. 1. Sic vocabantur, ob animum & vires leonum animis & robori ſimiles. Additio voculæ אל *Deus* auget ſignificatum, & ſingularem fortitudinem deſignat, ut in hiſce loquutionibus *montes Dei*, *Cedri Dei*, *luctationes Dei*. Hinc & hodie, apud Arabas, אשר אללה *aſedollahi*, hoc eſt, *leo Dei* virum fortem ſignificat.

Ubi leonem occiderat] Vocem בור *hor*, quam *foveam* vertimus, interpretatur *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. III, C. 4. ubi de leonibus ab hominibus victis, de antro in quo nivem vitaret ingreſſus erat leo, & quod eadem de cauſa ſubiit etiam Benaja, qui fortè in leonem incidens eum occidit. Alioqui vix putat Benajam, Prætorianarum Davidis cohortium ducem, tantâ temeritate fuiſſe, ut ſponte cum leone pugnaturus in foveam inſiluerit, oſtentandæ fortitudinis causâ. Sed potuit hoc ab eo juvene factum, antequàm id munus obtineret. Similem artis ac roboris oſtentationem memorat *Pauſanias* Lib. VI. cap. 5. ubi de Polydamante Scotuſſæo, qui ſub Dario Notho vixit. Ὁ Πουλυδάμας λέοντα ἐν τῷ Ὀλύμπῳ μέγαν καὶ ἄλκιμον θηρίον κατειργάσατο οὐδενὶ ἐπιφερόμενος ὅπλον· ἀφίκετο δὲ ἐς τὸ τόλμημα φιλοτιμίᾳ πρὸς τὰ Ἡρακλέους ἔργα, ὅτι καὶ Ἡρακλέα ἔχει λόγος κρατῆσαι τοῦ ἐν Νεμέᾳ λέοντος: *Polydamas leonem in Olympo* (Theſſaliæ monte) *magnam & fortem feram occidit, nullis armis inſtructus. Progreſſus autem*
eſt

Jehojadæ filius, Cabtſeleenſis, vir fuit fortis, qui multa facinora ediderat. Duos
Arieles Moabitas occiderat, deſcenderátque in foveam, die nivoſo, ubi leonem inter-
fecerat. 21. Occiderat etiam virum Ægyptium, *proceritate* ſpectabilem, quique ma-
nu haſtam gerebat; contra quem *in certamen* deſcendit inſtructus baculo, & quem, è
manu extortâ haſtâ, ſuo ipſius telo occidit. 22. Hæc facinora ſunt Benajæ, Jehojadæ
filii, cujus nomen inter *poſteriores* tres viros fortes *celebre* fuit. 23. Triginta *fortibus vi-
ris* gloriam majorem adeptus eſt, nec tamen tres *priores* eſt adſequutus. Eum David
præfecit ſatellitio ſuo.

24. Inter triginta fuerunt Haſahel, Joabi frater; Elchanan, Dodonis filius,
Bethlechemenſis; 25. Samma Charodita; Elika Charodita; 26. Cheletſus Phaltita;
Hira, Hikkeſi filius, Thekohita; 27. Abihezer Hannethothita; Mebunnaïs Chuſi-
ta; 28. Tſalmon Achochæus; Maharaïs Netophathita; 29. Chelebus, Bahanæ filius,
Netophathita; Itthaïs, Ribbais filius, Gibhâ Benjaminitarum, 30. Benaja Phirhatho-
nita; Hiddaïs è Gahaſi torrentibus; 31. Abi-halbon Harbathita; Hazmavethus
Barchumita; 32. Eljachaba Sahalbonita; è filiis Jaſenis, Jehonathan; 33. Samma
Hararita; Achiamus, Sararis filius, Ararita; 34. Eliphelethus, Achasbaïs filius,
filii

eſt eò audaciæ, æmulatione rerum ab Hercule geſtarum, quia ab Hercule etiam ſama fert victum Nemeæ leonem.

21. *Proceritate ſpectabilem*] אשר מראה *qui ſpecie*. Sed pro אשר Maſſorethæ notant legendum איש *vir*, potuiſſéntque eadem operâ pro מראה *mareh* emendare מדה *middah*, ut legitur 1. Par. XI, 23. LXX. Intt. habent ἄνδρα ὁρατόν, & Vulgatus, *virum dignum ſpectaculo*.

Baculo] בשבט *in baculo*. Artis hoc fuit, potiùs quàm virium. Sic apud *Curtium* Lib. IX. cap. 7. Horratus Macedo ſingulari certamine pugnaturus cum Dioxippo pugile Athenienſi, juſta arma ſumſerat; æneum clypeum, haſtam, quam ſariſſam vocabant, lævâ manu tenens, dextrâ lanceam; gladióque einctus, velut cum pluribus ſimul dimicaturus. Contrà Dioxippus oleo nitens & coronatus, lævâ puniceum amiculum, dextrâ *validum, nodoſúmque ſtipitem* præferebat. Ea ipſa res omnium animos exſpectatione ſuſpenderat; quippe armato congredi nudum dementia, non temeritas videbatur. Igitur Macedo haud dubius eminus interfici poſſe, lanceam emiſit; quam Dioxippus cùm exiguâ corporis declinatione vitaſſet, antequàm ille haſtam transferret in dextram, adſiluit, & *ſtipite* mediam eam fregit. Amiſſo utroque telo, Macedo gladium cœperat ſtringere, quem occupatum complexu, pedibus repente ſubductis, Dioxippus arietavit in terram; ereptóque gladio pedem ſuper cervicem jacentis impoſuit, *ſtipitem* intentans, eliſurúſque eo victum, ni prohibitus eſſet ab Alexandro.

22. *Poſteriores tres*] Addidi *poſteriores*, quia hîc memorantur duæ virorum fortium triades. Prior complectitur *Jaſobhamum*, *Elebazarem* & *Sammam*; à verſu 8 ad 12. Alterius de qua in ſeqq. vſſ. duo tantùm nominibus appellantur, *Abiſais* & *Benaja*. Eum, cujus nomen omittitur, *Joabum* eſſe multi putant, nec intercedo.

23. *Satellitio ſuo*] משמעתו *auditui ſuo*, hoc eſt, Phelethæis & Cherethæis, qui ſemper Regi aderant dicto ei audientes futuri, quibus præerat Benaja, ut docemur Cap. XX, 23. LXX. Intt. πρὸς τὰς ἀκοὰς αὐτῦ. Vulgatus: *auricularium*, *à ſecreto*. Sed cùm משמעת *miſchmahath* obedientiam ſignificet, & quidem eam quæ eſt miniſtrorum & ſatellitum regiorum, 1. Sam. XXII, 14. *ſatellitium* vertere maluimus.

24. *Haſahel*] Occiſus ab Abnero Cap. III, 23.

25. *Samma Charodita*] שמה החרדי Schammah Hahharodi. 1. Par. X, 27. eſt שמות ההרורי *Schamoth Haharodi*. Sunt quidem poſteriora nonnulla horum nominum à patriis virorum fortium petita, ut legenti, nec planè hoſpiti in Geographia Sacra liquebit; ſed ſunt alia, quæ forte gentilitia ſunt.

Elika] Hic omittitur 1. Par. XI, 27.

26. *Phaltita*] הפלטי. 1. Par. XI, 27. eſt הפלוני *Happheloni*.

27. *Mebunnais*] מבני. 1. Par. XI, 29. eſt סבכי *Sibbechai*.

28. *Tſalmon*] צלמון. Ibidem eſt עילי *Hilai*.

29. *Chelebus*] חלב. 1. Paral. XI, 30. eſt חלד *Hheled*.

30. *Benaja*] בניהו *Benajahou*, quod idem ac בניה *benajah*, ut legitur alibi.

Hiddais] הדי *Hiddai*. 1. Paral. XI, 32. חורי *Hhourai*.

31. *Abi-halbon*] אבי-עלבון. Ibid. אביאל *Abiel*.

Barchumita] הברחמי 1. Par. XI, 33. הבחרומי *bahhabbaroumi*.

32. *E filiis*] Eſt בני cui ab Interpretibus præfigitur מ, quaſi ſcriptum eſſet מבני *mibbene*, è filiis; quod tamen figurâ quadam Grammaticâ in hoc catalogo omitti non potuit, ſed negligentiâ Librariorum, aut longinquitate temporis. Aliud tamen mendum hîc latere crediderim, propter varietatem quæ hic inter utrumque catalogum occurrit. Hic habemus: בני ישן יהונתן *bne Jaſchen Jehonathan*, & ſequitur שמה ההררי *Schammah Harari*; at 1. Par. XI, 34. בני השם הגזוני יונתן בן שגא ההררי *bne Haſchem Haggizoni Jonathan, ben Sage Harari*.

33. *Sararis filius Ararita*] בן שרר הארדי *ben Scharar Haarari*. 1. Par. XI, 35. בן שכר ההררי *Schachar Harari*.

34. *Eliphelethus, Achasbais filius*] אליפלט בן אחסבי. Ibidem: אליפל בן אור *Eliphal ben Our*.

filii Mahachathis; Elihamus, Achithophelis filius, Gilonita; 35. Chetſraïs Charmelita; Phaharaïs Archita; 36. Jigal, Nathanis filius, Tſobenſis; Banis Gadita; 37. Tſelekus Hammonita; Nachoraïs Beerothita, armigeri Joabi, Tſerujæ filii; 38. Hira Jithrita; Garebus Jithrita; 39. Uria Chitthæus, qui omnes fuerunt triginta ſeptem.

XXIV. *David enumerari jubet Iſraëlitas, quaſi eorum multitudine fretus. Itaque Deus regnum ejus peſte punit, placatúſque poſtea, Davidis pœnitentiâ, pœnas remittit.*

CAPUT XXIV. 1. IRA Dei poſtea etiam in Iſraëlem accenſa eſt, fuit enim qui concitavit Davidem in Iſraëlitas, his verbis: ito, enumerato Iſraëlem & Judam. 2. Dixit ergo Rex Joabo duci copiarum, quæ cum illo erant: peragra, quæſo, omnes Tribus Iſraëlis,

Filii Mahachathis] בן המעכתי. 1. Par. XI, 36. חפר המכרתי *Hhepher Hammecherothi.*

Elihamus, Achithophelis filius, Gilonita] אליעם בן אחיתפל הגלני 1. Paral. XI, 36. אחיה הפלני *Ahhijah Happheloni*, quod natum ex deletis duabus primis vocibus, voce tertia אחיתפל, & tribus ultimis litteris vocis הגילני, cujus quatuor primæ oculos fugiebant. Qui non videt haſce lectiones ex labe Codicum natas non luſcitioſus, ſed planè cæcus eſt.

35. *Chetſraïs*] חצרי. Sic legunt Maſſorethæ, cùm in textu ſit חצרו *Hhetſro.* Attamen 1. Par. XI, 37. ſic quoque legunt in textu.

Phaharaïs Archita] פערי הארבי 1. Par. XI, 37. נערי בן אזבי *Naharaï ben Ezbaï.*

36. *Jigal, Nathanis filius*] יגאל בן נתן. 1 Par. XI, 38. יואל אחי נתן *Joel ahhi Nathan*, Nathanis frater.

Tſobenſis; Banis Gadita] מצבה בני הגדי *mittſobah Bani Haggadi.* Ibidem: מבחר בן הגרי *Michhar ben Haggeri.*

37. *Naharaï*] נחרי. Cur ergo 1. Paral. XI. legitur נַחְרַי? Item pro בארתי plenè ſcripto, dicitur illic ברתי *berothi.*

38. *Qui omnes fuerunt triginta ſeptem*] Alii plures hiſce adduntur 1. Par. XI. qua de re ad eum locum. Hîc unus & triginta memorantur, quamvis numero rotundo triginta ſtrenui viri antea numerentur. His ſi addas duas fortiſſimorum virorum triadas, de quibus ſuperiùs, erunt triginta ſeptem. Non eſt opus his addi Joabum ut is numerus inveniatur, ſed in ſecunda triade intelligendus eſt. Nec vetat quod ejus triadis *dux* dicatur *Abiſaïs*, qui tamen Joabo paruit. Memorantur enim non eo ordine, quem in exercitibus Davidis poſtea obtinuerunt, ſed ex fortitudine hîc cenſentur. Potuere eſſe audaciores & robuſtiores Joabo; ſed nihil vetat eum aut ob ſingularem prudentiam, aut quòd eſſet primogenitus filiorum Tſerujæ, Davidis Sororis, factum eſſe ducem.

Nomina hæc inter ſe diligenter contulimus, quamvis ex ea collatione nulla lux Hiſtoriæ Sacræ oriatur; ut vel hinc liqueret abſurditas commenti Rabbinorum, qui volunt viros hoſce, quorum duo diverſa nomina in hoc catalogo occurrunt, fuiſſe binomines; cùm ſit manifeſtum varietatem omnem ortam eſſe ex ſimilitudine litterarum, aut decurtatione vocabulorum, aut elementorum non ſatis rectè pictis olim ductibus, vel ætate fugientibus, aut eorumdem metatheſi. Hæc adeò manifeſta ſunt, ut omitti à nobis, ſine ulla attenti & eruditi Lectoris jactura, facilè potuiſſent; ſed quia videbamus Rabbinorum ſomniis, potiùs quàm ipſi rei, à multis credi, aut ea ſtudio prætermitti, quæ negari nequeunt, contrariáque quaſi explorata adſumi, inculcanda hîc nobis viſa ſunt. Neque enim in eorum numero ſumus, qui piis diſſimulationibus, ac mendaciis Scripturas defendi oportere putant.

In CAPUT XXIV.

1. IRa *Jehovæ mota eſt*] *Et addidit naſus Jehovæ iraſci*; nempe, ob Davidis factum, quod ſequitur; nam ira Dei non fuit cauſa peccati Davidis, abſit! Sed contra peccatum Davidis iram Dei movit. Hæc hiſtoria videtur ante Abſalomi defectionem contigiſſe.

Fuit enim qui concitavit &c.] ויסת את דוד בהם *vajjaſeth eth David bahem.* Hîc eſt nominativus prætermiſſus, more Hebræorum, neque enim verbum יסת concitavit referri poteſt ad Deum, nam Deus non dixit Davidi: *enumerato Iſraëlem & Judam.* Itaque 1. Par. XXI, ubi hæc eadem hiſtoria narratur, alius planè nominativus exprimitur; ſic enim loquitur illic Scriptor Sacer: *Et ſtetit Satan* (aut *adverſarius*) *contra Iſraëlem, & concitavit.* Igitur idem nominativus, aut excidiſſe cenſendus, aut certè ſupplendus. Ac ſanè Hebræi ſæpe nominativum omittunt, ex re ipſa ſupplendum. Paſſim occurrit ויקרא & *vocavit*, ſine nominativo; quare aut vertitur paſſivè, aut ſuppletur nominativus קורא *vocans*, ſeu quiſquis vocavit. Vide not. ad Gen. XI, 9. Ceterùm *Satan* ille, qui memoratur. 1. Par. XX, 1. & auctor fuit Davidi recenſendi Iſraëlis, videtur fuiſſe imprudens quiſpiam Conſiliarius; qui majorem fiduciam in multitudine ponendam eſſe dixerat, quàm in ulla alia re, idque Davidi perſuaſerat.

Enumerato Iſraëlem & Judam] Hæc loquutio eſt eorum temporum, quibus Judæ Tribus à regno Iſraëlis diſtincta fuit; nec quamvis directa ſit oratio Conſiliarii Davidis, quicumque fuerit, ideò ipſa ejus verba proferuntur. Plura multò dixit, quàm quæ hîc habentur, ut Davidem adduceret eò, quò hominem devenire cupiebat. Summa tantùm ejus conſilii profertur, cetera reticentur.

3. *Cen-*

Digitized by Google

lis, Dane uſque ad Beerſebam, & recenſete populum, ut ſciam ejus numerum. 3· Joabus verò Regi, augeat, inquit, Jehova Deus tuus populum, ut ſit contuplo numeroſior quàm eſt, quod oculi domini mei Regis videant! Quare verò hæc res domino meo Regi placet? 4· Sed mandatum Regis Joabo, & ceteris ducibus copiarum confirmatum eſt; profectúſque eſt Joabus & copiarum duces, *qui erant* in conſpectu Regis, ad recenſendum populum Iſraëlem. 5· Trajecerunt Jordanem, & caſtra poſuerunt ad dextram Haroheris urbis, quæ eſt intra torrentem Gadi, & ad Jahzerem. 6· Iverunt illinc in Galahaditidem, & in tractum Thachthimorum Chodſin, inde Danem versùs Jahanem, unde circuiverunt ad Sidonem. 7· Illinc iverunt *urbem* munitam Tyrum versùs, & omnes urbes Chivvæorum, & Chananæorum; ac *tandem* profecti ſunt ad meridiana Judæ Beerſebam. 8· Peragrarunt univerſam terram Iſraelitidem, novémque menſibus & viginti diebus exactis, Jeroſolimam redierunt, 9· tradiditque Joabus numerum cenſûs populi Regi, & fuerunt Iſraëlis quidem octies centies millies viri

3· *Centuplo numeroſior, quàm eſt*] *Sicut ei & ſicut ei, centum vicibus.*

Quare verò hæc res &c.] 1. Paralip. XXI, 3. paullò acriùs Davidis conſilio adverſatur Joabus, additque: *quare hæc res Iſraëli vitio verteretur?* Unde colligere licet rem in Regis Concilio variantibus ſententiis agitatam, Joabúmque inter eos fuiſſe quibus vehementer improbabatur. Neque enim Joabus in hæc, aut ſimilia verba erupiſſet, niſi ea dicta ab alio fuiſſent, quibus in ſuſpicionem adductus fuerat fore ut res Deo diſpliceret. Primâ enim fronte, nihil mali videtur ineſſe cenſui populi, qui & plus ſemel à Moſe factus; ſed quia fiebat ad cognoſcendas regni vires, quibus, ut ex verbis Regis intelligere licuerat, nimiùm confidebat, cœpit timere Joabus, ne David ſibi calamitatem aliquam à Deo contraheret.

5· *Trajecerunt Jordanem* &c.] Ut ab orientalibus tractibus, inciperent cenſum populi Hebræi.

Haroheris] Vide ad Joſ. XII, 2. XIII, 9.

Intra torrentem Gadi] בתוך הנחל *in medio torrentis*. Hoc eſt, inter torrentes Arnonem, & Jabbokum, intra quos erant Gaditarum, & Rubenitarum agri.

Jahzerem] Vide Num. XXI, 32.

6· *In Galahaditidem*] In ſeptemtrionales partes agrorum Populi Hebræi, quos incolebat dimidia Tribus Manaſſæ.

Tractum Thachthimorum Chodſin] תחתים חדשי *Thachthim Hhodſchi*, quorum locorum alibi nulla fit mentio. LXX. Intt. habent: γῆν Θαβασὼν Ἀδασαί, aut Ἐθαὼν Ἀδασαί. Vulgatus: *in terram inferiorem Hodſi.*

Danem versùs Jahanem] דנה יען *Danah, Jahan.* Ubi ſita fuerit Dan, diximus ad Gen. XIII, 10. XIV, 14. Itaque *Jahan* videtur urbs fuiſſe ad ortum fontium Jordanis. In LXX. Intt. hîc, ut alibi paſſim, corrupta ſunt nomina hæc, cùm ſit in Cod. Vaticano, εἰς Δανιδὰν καὶ Οὐδὰν, in Alexandrino Δὰν, Ἰάαρ ϰ̀ Ἰούδαν, in Complutenſi & Aldino ἕως Δὰν, omiſſis reliquis. Vulgatus, *in Dan ſilveſtria*, quaſi pro יען *jahan* legiſſet יער *jahar*, ſilva.

Circuiverunt ad Sidonem] וסביב אל צידון & *circa ad Sidonem*; hoc eſt, unde progreſſi ad occaſum, in Iſraëlis agris Sidoniorum ditioni circumpoſitis, cenſum egerunt.

7· *Urbem munitam Tyrum*] מבצר צור *mibtſar Tſor*, munimentum Tyri; hoc eſt, ad oram finitimam Tyriis, Chivvæiſque & Chananæis reliquis, qui tractum ad mare ſitum ad auſtrum Tyri tenebant.

Profecti ad meridiana &c.] Paullatim inde progreſſi ad meridiem, tandem cenſum Beerſebæ abſolverunt. Attamen Levitas & Benjaminitas non recenſuerunt. Vide 1. Paralipom. XXI, 6.

9· *Octies centies millies* &c.] Ingens hæc fuit copia virorum, nam cùm ſexûs virilis, ætatiſque militaris quinta pars ſummùm numerari ſoleat, oportuit eſſe minimùm ſex milliones, ut loquimur, capitum. Quibus an excluſi fuerint ſervi & ſervæ, vel an ſimul recenſiti, non ſatis conſtat. Sed ſi excludantur, ut videntur excludi oportere, in immenſum augebitur numerus, cùm maxima ſoleret eſſe, apud Orientales, ſervorum copia; præſertim in florentibus regnis, quale tunc temporis fuit Davidicum. Hue accedit quòd, ut diximus, Tribuum Leviticæ & Benjaminiticæ cenſus nullus factus ſit.

Ut autem tanti numeri difficultas minuatur, nonnulla ſunt hic notanda, quæ prætermiſſa fraudi eſſe poſſent. Iis temporibus & locis, cùm plerique eſſent agricolæ & agri diligentiſſimè colerentur, nec Hebræi delicias noſſent Romanorum & Græcorum, qui in laxis ædibus & villis, ut nunc fit in Europa, apud Gentes paullò florentiores, habitare ſolebant; ubique erant non tam magnificæ urbes, & pagi lautiores, quàm vici, villæ & tuguria, in quibus numeroſæ aratorum, pecuariorúmque familiæ arctè habitabant. De fertilitate & magnitudine Judææ, vide quæ notavimus ad Exod. III, 8. Ex iis liquebit ingentem hominum multitudinem in ea, proventu ſoli, potuiſſe ali; ne jam externas copias in eam mari invectas, ex Ægypto ac Syria, memoremus. Vide & *Joſephum* de Bello Jud. Lib. III. c. 4. in Græcis.

Quòd ſi cui nimius incolarum numerus eſſe videatur, quàm ut regio ſexaginta aut circiter milliaribus unius horæ longa, & triginta ſummùm lata, tot homines alere poſſet, ne propterea tamen Sacræ Hiſtoriæ fidem elevare aggrediatur. Si quid eſſet hîc minùs verum, id totum Librariis Judæorum, qui poſt Captivitatem Libros Sacros exſcripſerunt, tribuendum eſſet. Ii, cupiditate amplificandarum gentis ſuæ rerum, numeros auxiſſent. Dicendum eſſet cum *Sulpicio Severo*, Hiſtor. Sac. Lib. I. *non dubito* Li-

viri fortes, gladium ſtringentes; viri verò *Tribûs* Judæ, quinquies centies millies.

10. Animus verò Davidis ſollicitus fuit, poſtquàm enumeraſſet populum, & Jehovæ, graviter, inquit, deliqui in eo quod feci; at nunc, ô Jehova, ignoſce *huic* culpæ ſervi tui, ſtultiſſimè enim me geſſi. 11. Cúmque David mane ſurrexiſſet, alloquutus eſt Jehova Gadum Prophetam, qui Videns erat Davidis, his verbis: 12. ito & alloquitor Davidem, *in hanc ſententiam;* ſic dixit Jehova: tria tibi propono, eorum unum tibi elige, quod tibi faciam. 13. Convenit ergo Gadus Davidem, eique nunciavit ac dixit:

Librariorum potiùs negligentiâ, vel audaciâ, *præſertim tot jam ſæculis intercedentibus, veritatem fuiſſe corruptam, quàm ut Propheta erraverit.* Sed antequàm eo deveniatur, omnia ſunt diligentiſſimè penſitanda.

Si quis hanc noſtram obſervationem præter rem eſſe putet, meminerit oportet, hujus ipſius cenſûs alium edi numerum 1. Par. XXI, 5. ubi ex Iſraële cenſa dicuntur undecies centena millia virorum ætatis militaris, ex Juda verò ſeptuageſies & quater centies millies viri. Neceſſe eſt autem, alterutro in loco, peccatum eſſe in numeris, cùm hæc inter ſe non poſſint in concordiam redigi; niſi conjecturis minùs multò probabilibus, quàm eſt credibile aliquid eſſe peccatum à Librariis.

Ad hæc conciliandа, ait *Sam. Bochartus*, Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 37. *nihil apparet magis obvium, quàm quod nonnulli adſerunt, hunc numerum aut majorem, aut minorem fuiſſe, prout legionarii* (intelligit eos, qui vicibus aderant Davidi) *vel ad cenſum addebantur, vel ex cenſu eximebantur. Legionarios enim viginti quater mille, ex ſingulis Tribubus, habuit David 1. Par. XXII, 1. qui ſimul juncti faciunt hominum penè trecenta millia. Hos ſi addas octingentis Iſraëlitarum millibus, ex quorum Tribubus plerique erant, fient undecies centena millia.* Verùm hæc eſt mera conjectura, cujus nullum ex Sacris Litteris profertur fundamentum. Si enim hi milites non ſunt cum ceteris cenſi, digna res erat, quæ memoraretur hoc Samuëlis loco; ita ut iis exceptis dicerentur fuiſſe undecies centies mille viri in populo Hebræo, præter ducenta octoginta octo millia (quibus nonnulli addunt duodecim ducum millia, ut expleatur numerus trecentorum millium) militum qui Regem vicibus ſervabant; is enim numerus tantillus non eſt, ut facilè omitti poſſet. Sed præterea non animadvertunt qui ita ratiocinantur uſque adeò augeri difficultatem, multitudine Iſraëlitarum, ut planè ſolvi nequeat. Nam ſi ſtatuantur fuiſſe viri ætatis militaris in Iſraële circiter ſedecies centies millies, iique habeantur quinta pars hominum liberorum, oportuiſſet fuiſſe octo milliones, ut loquimur, hominum liberorum; quibus ſi addas dimidiam partem ſervorum, erunt duodecim milliones; ad quos præterea duæ Tribus, Levitica & Benjaminitica, accedentes unà cum ſervis facient minimùm millionem; ac proinde fuiſſent in Judæa ſexaginta milliaria unius horæ longa, triginta lata (ſi ſtatuas ubique æquè latam fuiſſe) fuiſſent, inquam, minimùm tredecim milliones hominum utriuſque ſexûs, liberæ ac ſervilis ſortis. Eum autem numerum hominum, eo in ſpatio, ali potuiſſe nemo dixerit, qui præſertim cogitaverit Hebræos mercaturam non feciſſe, ſed agricolas pleroſque fuiſſe, qui agrorum proventu ſe ſe ſuſtentabant. Huc accedit quòd ſpatii, inter Jordanem & mare Mediterraneum intercepti, maritimam oram occuparent hinc Sidonii & Tyrii ad ſeptemtriones, illinc Philiſthæi ad auſtrum, & quòd montes, ſilvæ, & lacus incoli ubique non poſſent.

Pergit *Bochartus*, &, *rurſus*, inquit, *ſi quadringentis ſeptuaginta millibus ex tribu Juda deſcriptis, addas viginti quatuor Legionariorum millia ex eadem tribu, proximè accedes ad quingenta millia.* Verum hoc eſt, ſed ſi Tribui Judæ ſoli hunc numerum tribuas, eo minuetur cenſus aliarum Tribuum, in quibus non erunt undecies centies millies viri. Nec dixeris demtâ Tribu Judæ, eſſe tamen duodecim Tribus, ſi numeretur Tribus Levitica; nam hæc Tribus, ſacris addicta, ejuſmodi onerum, quale fuit Regis cuſtodia, immunis fuit. Hæc igitur ſatis oſtendunt, maximam hujus loci difficultatem non eſſe in diverſitate numerorum ſitam, ſed in nimia multitudine incolarum Chananææ. Ac ſanè ſi tanta fuiſſet, quomodo reliqui Chananæi populi & Philiſthæi potuiſſent ei pares eſſe, & ſæpe ſuperiores? Ne unus quidem Chananæus, aut Philiſthæus patrias ſedes retinere tunc potuiſſet, nedum ut Philiſthæi poſſent Hebræis eſſe formidoloſi. Vide not. ad 1. Sam. XIII, 5.

10. *Animo verò Davidis* &c.] *Et percuſſit cor Davidis eum.* Hoc eſt, apud ſe reputare cœpit, quod fecerat delictum eſſe in Deum, ideóque ſollicitus fuit. Vide 1. Sam. XXIV, 6.

Graviter deliqui] Ex quo ſe deliquiſſe, pœnáſque propterea Deo debere intellexerit David quærunt Interpretes, cùm cenſus per ſe non videatur illicitus. *Joſephus* vult Davidem peccaſſe, *quòd oblitus eſſet præceptorum Moſis, qui prædixerat, ſi enumeraretur multitudo, pro ſingulis ejus capitibus, Deo pendendum eſſe dimidium ſiclum:* τῶν Μωυσέως ἐντολῶν ἐπιλαθόμενος, ὃς προεῖπεν, ἐὰν ἐξαριθμηθῇ τὸ πλῆθος, ὑπὲρ ἑκάστης κεφαλῆς αὐτοῦ τῷ θεῷ τελεῖν ἡμίσικλον. Verùm nuſquam Moſes vetuit cenſum populi fieri, niſi perſolveretur Semi-ciclus in uſum Tentorii. Vide not. ad Numer. I, 2. de cenſibus à Moſe confectis; neque ſimile quidquam exprobratur Davidi, ſed tantùm quòd populum Hebræum cenſuerit. Alia alii comminiſcuntur, quæ iis quæ *Joſephus* habet probabiliora non ſunt. Itaque omnibus expenſis, nihil veriſimilius videtur, quàm Davidem cœpiſſe rem accuratiùs, apud ſe, reputando, animadvertere oſtentationem illam virium, quarum cenſum fieri curaverat, fidu-

dixit: an tibi contingent ſeptem anni famis in ſolo tuo? vel, *an vis* per tres menſes fugere hoſtes tuos, qui te perſequentur? vel, in ſolo tuo eſſe peſtem, per tres dies? Nunc diſpicito & videto quid ſim relaturus ad eum, qui miſit me. 14. David verò Gado, in maxima, inquit, anguſtia verſor; incidamus, quæſo, in manum Jehovæ, quia magna eſt ejus miſericordia; ſed in manus hominum ne incidamus.

15. Igitur peſtem immiſit Jehova in Iſraëlem, à matutino tempore, uſque ad tempus conſtitutum, mortuáque ſunt è populo, Dane Beerſebam uſque, ſep-

fiduciámque quam in iis collocabat, oportere Deo ingratas eſſe; cùm Deus ſæpiùs oſtendiſſet ſe exiguis copiis adeſſe, potius quàm magnis, ſi modò exiguarum copiarum duces ad ejus auxilium confugerent, atque in eo fiduciam collocarent. Vide Jud. VII, 2. & ſeqq. 1. Sam. XIV, 6. Itaque cum hoc ſuum peccatum ſenſiſſet David, illico ad Divinam elementiam confugit.

Ignoſce huic culpæ] *Fac quæſo tranſire culpam* &c. Ne pœnas meritas expetito. Similis loquutio eſt Cap. XII, 13.

Stultiſſimè me geſſi] Stultum enim erat, ei qui ſolo auxilio divino in rebus adverſis ſervatus incolumis fuerat, promiſſáque à Deo inſignia acceperat, de incolumitate ſua, familiæque ſuæ poſthac futura; ſi modò cùm ipſe, tum poſteri divinarum legum obſervantes eſſent, diſpicere ſibi auxilium in multitudine copiarum ſitum, in quo adquieſceret, potiùs quàm in divinis promiſſis.

11. *Qui Videns erat Davidis*] חזה דוד *hhozeh David*; hoc eſt, per quem David Deum conſulere ſolebat, qui vati viſis & verbis voluntatem ſuam aperiebat, ut Davidi eam patefaceret. Vide 1. Sam. XXII, 5. & de Vidente notata ad ejuſdem Libri C. IX, 9.

12. *Tibi propono*] אנכי נוטל עליך *anochi notel haleecha*. 1. Paral. XXI, 10. eſt נוטה *noteh*, extendo. Cùm נטל, apud Chaldæos, ſit *ferre*, poteſt hîc ſignificare *offerre*, *proponere*: ut נטה eſt etiam *offerre*, quia manus extendunt, qui quidpiam alii offerunt.

13. *Septem anni*] שבע שנים *ſchebah ſchanim*. At 1. Par. XXI, 12. pro *ſeptem* ſunt *tres* שלוש *ſchaloſeh*. Sic quoque hîc habent LXX. Intt. τρία ἔτη, quod ſequi ſe profitetur *Sam. Bocbartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. cap. 38. quia vero ſimilius eſt *trimeſtri bello*, & *triduanæ peſti* oppoſitam fuiſſe *famem triennem*. Adde quòd ſeptem annorum famis pœna multò ſit atrocior reliquis. Attamen *Joſephus* habet hîc ἔτη ἑπτὰ, unde colligere licet, aut in Hebraïco textu, aut in Græco ſic ejus tempore lectum fuiſſe.

An vis per tres menſes &c.] Supplevimus *an vis*, perſpicuitatis causâ; & cùm ſequantur infinitivi נסך *nuſcha* & היות *hajoth*, fugere te, & eſſe peſtem, nihil commodius ſuppleri poterat. At Hebraïcè repetendum תבוא לך verbum *continget*.

Quid ſim relaturus &c.] מה אשיב שלחי דבר *quod redire faciam ad mittentem me verbum*. Ordo eſt: מה דבר אשיב (אל) שלחי, *quodnam verbum referam ad mittentem me*. Suppleo hîc אל *el*, ad, cujus veſtigium 1. Paral. XXI, 12. ſupereſt, nam eſt את שלחי *eth ſcholebhi*, quod ſenſu caret, pro אל שלחי *el ſcholebhi*.

14. *Incidamus, quæſo, in manum Jehovæ*] Optat quidem David ſe non fugere hoſtes per trimeſtre ſpatium, quòd timeret ne ſævitia hoſtium, per tres menſes, latè in ſuos graſſaretur; ſed videtur Deo prorſus ſe ſe permittere, ad famem & peſtem quod adtinet, ita ut neutram eligat, verùm Deo ipſi eligendam relinquat.

Quia magna eſt ejus miſericordia] Cùm Deus pœnas, in hac vita, ab hominibus exigat, ut eos ad meliorem frugem revocet; ſtatim ac videt eos meliores factos, pœnas remittit. Verùm hoſtes hoſtium perniciem, quæ eſt crudelitas hominum, non emendationem quærunt; quare in eorum manus incidere veretur David. Homines malè velle poſſunt hominibus & reverà malè volunt; ſed fieri nequit ut umquam Deus malevolentià erga ſuas creaturas ducatur.

Ne incidamus] אל אפלה *ne cadam*. Eſt miſtura Hebraica numerorum, nam David non poterat ſolus incidere in manus hoſtium; qui eum non eſſent perſequuti, ſine regni pernicie. *Joſephus* hîc Davidem aliter ratiocinantem inducit, ſed multa de ſuo ei mutua dat, quorum nullum in Hiſtoria Sacra veſtigium.

15. *Immiſit peſtem Jehova*] *Et dedit Jehova peſtem*. Quamvis Deus vitam, quam hominibus gratis conceſſit, ſuo jure poſſit repetere, quando ei videtur, ſine ulla hominum injuria; attamen quia non ſolet ſuo jure uti in nonnullos, ut alios plectat, crediderim Hebræos in illa enumeratione ſimile peccatum commiſiſſe ac Davidem; hoc eſt, numero ſuo eſſe gloriatos, & fretos, potiùs quàm promiſſis & auxilio Dei. Quamobrem ipſi meritas quoque pœnas luerunt.

A matutino tempore uſque ad tempus conſtitutum] מהבקר ועד עת מועד *mehabboker vehad heth mohed*. LXX. Intt. verterunt, ἕως ὥρας ἀρίστου, quia, ut putat *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. cap. 38. legerunt סעודה *ſehoudah*, quod prandium ſignificat. Sic quoque habet *Joſephus*. Sed *Hieronymus*: *de mane uſque ad tempus conſtitutum*, quæ eſt ſignificatio vocis מועד *mohed*, quæ *conventionem*, de loco, aut tempore, ſonat. Ideóque multi intelligunt hæc verba de tridui ſpatio, de quo Deo cum Davide convenerat. Sed vir ſummus, modò memoratus, nullam interpretationem à vero alieniorem eſſe putat; quia ſequente verſu legimus Deum mali, quo afficiebat Iſraëlitas pœnituiſſe, juſſiſſéque Angelum remittere manum ſuam. Deum autem non pœnitet mali, id eſt, pœnæ jam inflictæ; ſed infligendæ, ut ipſe ait Jerem. XXVI, 6. *Pœnitebit me mali*

quod

Digitized by Google

ſeptuageſies millies capita. [16] Cùm verò Angelus exſereret manum ſuam Jeroſolimam versùs, ad eam perdendam, pœnituit Jehovam mali, dixitque Angelo populum perdenti: ſatis eſt, nunc remitte manum tuam. Angelus autem Jehovæ ad aream Araunæ Jebuſæi erat. [17] Dixit verò David Jehovæ, cùm vidit Angelum cædentem populum: ego peccavi, ego deliqui, hæ verò oves quid fecerunt? Convertatur manus tua in me & in domum patris mei.

[18] Convenit autem Gadus Davidem, die illo, eique adſcende, inquit, erige Jehovæ altare in area Araunæ Jebuſæi. [19] Adſcendit ergo David, ut dixerat Gadus, quemadmodum eum juſſerat Jehova. [20] Adſpiciens verò Arauna vidit Regem, ſervóſ-

quod eis facere cogitaveram. Vide & vſ. 13. Neque Deus diceretur Angelum repreſſiſſe, ſi jam implevisset ille Angelus quidquid erat ſui muneris. Præterea matutino tempori quidquid opponitur ejuſdem diei debet eſſe pars, quod multis exemplis à viro ſummo illuſtratur, ut Ruth. II, 7. 1. Reg. XVIII, 26. &c. Sic videtur Rabbinis, ut oſtendit, quamvis non conveniat inter eos de parte diei, quæ עת מועד *tempus conſtitutum* vocatur. Ad *Bochartum* ipſum quod adtinet, adſerit *tempus* מועד eſſe vel tempus meridianum, vel veſpertinum; quia hæ diei partes matutino opponuntur; ſed veſpertinum potiùs, cùm quia matutino opponitur magis propriè & frequentiùs, tum quia מועד propriè *conventum* ſonat. Itaque, eo judice, videtur eſſe tempus, quo ad veſpertinas preces conveniebat populus, circa horam diei nonam, id eſt, tertiam poſt meridiem. Vide Act. III, 1. Hujuſmodi conventus ante Templum conditum, ad Tabernaculum fiebant, aut in Synagogis hinc inde ſparſis. Proinde, ut putat, Tabernaculum dicitur אהל מועד *Tabernaculum conventûs*, & Synagogæ מועדי אל Pſal. LXXIV, 18. id eſt, loca in quæ populus, ad Deum colendum, conveniebat.

Hæc vir ille doctiſſimus, quibus tamen adſentiri non poſſumus, hiſce de rationibus. I. Nullum profertur exemplum, ex quo conſtet עת מועד, temporibus Davidis, ſignificaſſe tempus quo in conventus ſacros homines ſe ſe conferre ſolerent; nec ullo Scripturæ loco conſtat ejuſmodi conventus tunc temporis habitos fuiſſe, nedum ut locorum in quibus fierent mentio fiat; nam Pſalmus LXXIV. quem profert *Bochartus*, poſt Captivitatem ſcriptus eſt. II. Vocibus עת מועד minimè neceſſe eſt ſignificari certam diei partem, quia opponitur בקר עד vel matutino tempori; nihil enim vetat Scriptorem Sacrum ita loqui, à matutino tempore illius diei, quo Gadus Davidem erat alloquutus, uſque ad tempus præſtitutum, tridui, nimirum, graſſatam eſſe peſtem. Eſt in Hebraïco textu מהבקר *mebabboker*, quod poteſt verti *à matutino illo tempore*. Gallicè dicas: *depuis ce matin-là, juſqu'au tems marqué.* III. Nec huic interpretationi adverſatur quod habet *Bochartus* de *Dei pœnitentia*, déque eo quod dicitur Angelus juſſus eſſe *manum remittere*; nam ut dici queat Deus immiſiſſe peſtem *à matutino tempore ad tempus præſtitutum*, non opus eſt ut ad ultimam uſque tertii diei horam peſtis viguerit, hoc eſt, ad quartam auroram. Satis eſt ut tertiam lucem attigerit, nam Propheta triduanæ tantùm peſtis meminerat, & notum eſt tridui ſpatium vocari non ſemper intervallum trium *νυχθημέρων* integrorum, ſeu LXXII horarum, ſed particulam primi diei, totum ſecundum & initium tertii. Igitur poteſt dici Deus *immiſiſſe peſtem à matutino illo tempore, ad tempus præſtitutum*; ſi modò contagio ſævierit ad initium tertii diei; nec eo ſeciùs dicere potuit Scriptor Sacer eum *pœnituiſſe*, & juſſum eſſe ab eo Angelum *manum remittere*, quòd peſtis ad ultimam uſque horam diei tertii non ſævierit. Deus enim potuiſſet per LXXII. horas peſtilentiam immittere populo Hebræo, ex lata ab ipſo Davide ſententia. Sic ergo malim interpretari, quàm fingere rem & loquutionem Davidicis temporibus ignotam. Qui volebant tempus veſpertinum indicare, ex ſacra cærimonia, dicebant potiùs עת למנחת הערב *tempus oblationis veſpertinæ*. Vide 1. Reg. XVIII, 29, 36. Dan. IX, 21. Eſdr. IX, 5.

[15] *Septuageſies millies*] Satis gravis erat clades vel bidui integri, nec opus eſt eam intra novem circiter horas, hoc eſt, octavam partem tridui, coërcere, aut numerare quot homines periiſſent, ſi per triduum invaluiſſet.

[16] *Exſereret manum ſuam*] Hæc eſt loquutio è rebus humanis *κατ' ἀνθρωποπάθειαν* petita, quia homines non feriunt, niſi exſerendo brachium. Sed Angeli non immittunt peſtem urbi, eam feriendo, aut brachium, quo carent, exſerendo; verùm arcanâ quadam mutatione aëris, vel corporum.

Et pœnituit] Vide not. ad 1. Sam. XV, 10, 15.

Remitte manum] Ne ampliùs vim lethiferam peſtilentiæ exſere, ſed contrà eam coërce.

Ad aream Araunæ] In qua ſub humana ſpecie ſubſtitit, quaſi mox Jeroſolimam invaſurus. Arauna autem hîc videtur fuiſſe Proſelytus Jebuſæus, ex iis qui ab Iſraëlitis Jeroſolimâ expelli non potuerant. Area verò ejus fuit in colle, in quo poſtea ædificatum eſt à Salomone Templum, ut docemur 2. Par. III, 1.

[17] *Cùm vidit Angelum*] Qui ſub humana ſpecie ſe ſe videndum exhibuit, ſupra aream Araunæ, unde procul cerni potuit.

Ego peccavi] Non immunes quidem hujus peccati fuiſſe videntur Iſraëlitæ, ſed David fuerat auctor & exemplum peccandi; ideóque totum peccatum ſibi ſoli tribuit. Cur ergo, inquies, ipſe David pœnas non dabat, ejus gravius fuit peccatum? Quia, ut videtur, nondum ſatis confirmato regno in familia Davidis, ſi mortuus fuiſſet David, nata fuiſſent inter ejus

Digitized by Google

vóſque ejus ad ſe venientes, egreſſúſque, ſe coram Rege, vultu in terram converſo,
proſtravit, 21. & quare, inquit, dominus meus Rex ad ſervum ſuum venit? Ad emen-
dam, inquit David, à te aream, ubi exſtruam altare Jehovæ, ut cohibeatur plaga à
populo. 22. Arauna verò Davidi, accipiat *eam*, inquit, dominus meus Rex, & ado-
leat, prout ei libebit; en tauros ad holocauſtum, traháſque & inſtrumenta boum in
ligna. 23. Omnia dedit Arauna, ô Rex, Regi; dixitque præterea Regi: Jehova
Deus tuus tibi placetur. 24. At Rex Araunæ, nequaquam, inquit, ſed emam hæc à
te pretio, nec Jehovæ Deo meo holocauſta gratis *accepta* adolebo. Itaque emit David
aream & tauros argento; ſiclis, nempe, quinquaginta; 25. exſtruxit illic altare Jeho-
væ,

ejus filios, diſſidia, atque hinc bella ſequuta, civilia atque externa, quæ multò exitialiora fuiſſent Hebræis, quàm clades peſtilentiæ. Verè dixit *Livius* Lib. IV, 9. de factionibus: *fuere, eruntque pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames, morbive, quæque alia in Numinis iras, velut ultima publicorum malorum, vertunt.*

Convertatur manus tua] *Sit quæſo manus tua in me.* Hoc eſt, me & meos, qui cenſum populi Hebræi probarunt, potiùs occidito; quàm alios Iſraelitas, qui multò minùs peccarunt.

18. *Erige altare Jehovæ*] Quod fuit ædificandi illic Templi veluti proludium.

21. *Ut cohibeatur*] ותעצר vethehatſer, *& cohibebitur.* Hoc enim à Gado Propheta intellexerat.

22. *Adoleat prout ei libebit*] יעל הטוב בעיניו *faciat adſcendere bonum in oculis ſuis.* Cùm videret Davidi in animo eſſe Sacra Deo facere, non tantùm aream ſed & victimas mactandas ei offert, è pecore ſuo.

Traháſque] המורגים *hammorigim.* Genus trahæ, quâ fruges triturabant & quæ ligno conſtabat. LXX. Intt. habent τροχοὺς. Vulgatus, *plauſtrum*, *Joſephus* ἀμάξας.

23. *Omnia dedit Arauna, ô Rex, Regi*] הכל נתן ארונה המלך למלך *haccbol nathan Arauna melech lammelech.* Verba hæc ſunt Araunæ ipſius, qui de ſe in tertia perſona loquitur, Hebræorum more; quod perinde eſt ac ſi diceret: *ô Rex, omnibus te dono.* Alioquin oporteret, ut nonnullis viſum, Araunam Regem vocari; unde colligunt ante captam Jeroſolimæ arcem hominem Regem Jebuſæorum fuiſſe, aut certè tantâ dignitate, ut Regis loco eſſet. Sed illud המלך, ſeu *Rex*, fugit, ut obſervavit *Bochartus*, Interpretes Syrum, Græcum & Arabem; nec legebatur in pleriſque Vulgatæ exemplaribus, ante *Sixti* V. correctionem, neque in Chaldaïca Paraphraſi *Kimchii* ævo; & cùm Arauna, in Libris Sacris, memoretur locis quatuordecim, eſt quod miremur, ſi *Bocharto* credimus, hoc uno loco eum *Regem* vocari. Verùm Rex non vocabitur, ſi cum multis Recentiorum המלך *hammelech*, vertamus in vocativo, *ô Rex*, intelligamúſque ipſum Araunam de ſe tertiâ perſonâ loqui, quo nihil frequentius in Hebraïca Lingua. Hoc cùm non animadverterent Interpretes, quos memorat *Bochartus*, vel, ſi mavis, Librarii, eam voculam aut omiſerunt, aut deleverunt.

Tibi placetur] Vel, *ſit tibi propitius*, ירצך *jirtſecha.*

24. *Holocauſta gratis*] Nullâ quidem lege hoc vetabatur, ſed illiberale fuiſſet Regi, in tanto periculo, Sacra facturo & pecuniâ abundanti, in ipſa urbe Regia, in aliena area & alieno ſumtu, Sacra facere. Scio quidem hanc in rem adferri locum Proverb. III, 9. *Honora Jehovam è ſubſtantia tua, atque è primitiis totius tui proventûs.* Sed hæc eò non pertinent, ut non licere velit Salomo res ſibi dono datas Deo offerre. Vult tantùm Parœmiographus gratias Deo, palam oblatis primitiis, agendas, ob proventus ab ejus liberalitate acceptos.

Argento, ſiclis, nempe, quinquaginta] בכסף שקלים חמישים *baccheſeph ſchkalim bhamiſchim.* At 1. Paralip. XXI, 25. dicitur Rex dediſſe Araunæ שקלי זהב משקל שש מאות *ſiclos aureos ponderis ſexcentos.* Hæc ut in concordiam redigantur, Hebræi ſomniant ſingulas Tribus quinquaginta Siclos dediſſe, quorum ſumma ſexcentos confecerit. Quod meritò ineptiſſimum eſſe judicat *Bochartus*; neque enim, ut rectè obſervat, à duodecim Tribubus, ſed à Davide facta emtio fuerat: nec dicitur quinquaginta Siclis, à ſingulis Tribubus numerandis, ſed ſimpliciter quinquaginta Siclis emiſſe.

Nec multò feliciùs idem putat Chriſtianos Interpretes ſtatuere à Davide ſolos quidem juvencos quinquaginta Siclis emtos, aream verò ſexcentis comparatam; quorum prius hîc habetur, poſterius 1. Paralipoménon. Disertè, hoc in loco Samuelis, narratur David emiſſe *aream & tauros quinquaginta Siclis.* Neque ulla apparet ratio, judice *Bocharto*, cur boum pretium ibi indicaverit Sacer Scriptor; areæ pretio ſuppreſſo, quod multò majoris erat momenti.

Ipſe verò putat, in uno loco, Siclos aureos, in altero argenteos intelligi; quorum proportio ſit duodecupla, ita ut quinquaginta Sicli aurei valeant Siclos argenteos ſexcentos. Ita enim ſe habuiſſe olim aurum ad argentum docet locus *Platonis* in Hipparcho, qui apud *Bochartum*, vel ipſum *Platonem* legi poterit. Ut verò hanc interpretationem huic Hiſtoriæ aptet, verba Hebraica, quæ hîc habentur, ſic vertit: *Et emit David aream & boves pecuniâ; nempe, quinquaginta Siclis aureis.* Supplet enim poſtremam hanc vocem, interpretatúrque בכסף *baccheſeph*, pecuniâ, non argento; nec ſanè negari poteſt quin ita ſæpe ſumatur, atque in hac ipſa hiſtoria 1. Paralip. XXI, 24. Sed violentum eſt ſupplementum vocis *aureis*, cùm Sicli ſimpliciter dicti intelligantur Sicli argentei. Violenta eſt etiam interpre-

Digitized by Google

væ, ac obtulit holocauſta & ſalutaria Sacra; exoratúſque eſt Jehova terræ *Iſraëlitidi*, & plaga à populo cohibita eſt.

pretatio 1. Paral. XXI, 25. *Et illico dedit David Ornani ſiclos aureos valoris ſexcentorum*; nempe, *ſiclorum argenteorum*, nam משקל *miſchkal*, de valore interpretatur. Sed quis credat pro חמשים שקלי זהב *quinquaginta ſiclis auri*, quæ eſt ſolita ratio loquendi, dictum eſſe *ſiclos aureos valoris ſexcentorum*, ſupplendo שקלי כסף *ſchikle cheſeph*? Nullum profectò ſimile uſquam legitur exemplum. Multò credibilius eſt, longinquitate ipsâ temporis, aut incuriâ Librariorum, mendum in hunc locum irrepſiſſe; cùm talia etiam alibi occurrant, ut oſtendimus, in rebus non magni momenti. De ceteris hujus hiſtoriæ circumſtantiis, ad 1. Librum Paralipoménon agemus.

2. *LIBRI SAMVELIS FINIS.*

R E-

REGUM LIBER PRIMUS.

I. David ſenex Abiſagæ operâ fovetur. Ei Adonias ſuccedere conatur, ſed Salomonem inungi, & Regem ſalutari curat David. Quare Adonias ad altare confugit, veniámque à fratre obtinet.

CAPUT I.

1. CUM Rex David conſenuiſſet, provectáque ætate eſſet, veſtibus qui-
dem tegebatur, ſed non incaleſcebat. 2. Tum ei dixerunt ſervi:
quæratur Domino noſtro Regi puella virgo, Regique adſtet, ei mi-
niſtret, cubétque in ejus ſinu, & Dominus noſter Rex incaleſcat.
3. Quæſiverunt verò formoſam puellam, per omnes Iſraëlis fines,
invenerúntque Abiſagam Sunamithidem, quam intromiſerunt ad Re-
gem. 4. Puella verò illa pulcherrima erat, Regémque curabat & ei miniſtrabat, ſed
Rex eam non cognovit.
5. Adonija autem, Chaggithæ filius, ſe ſe efferebat, dicebátque *apud ſe:* ego reg-
nabo: quamobrem ſibi paraverat currus, & equites quinquaginta, qui ipſi præcurre-
rent. 6. Nec eum umquam caſtigaverat pater, dicendo: cur ita te geris? Erat &
ipſe

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

1. P*Rovectáque ætate eſſet*] *Venerat in dies.* Septuaginta annos, aut circiter attigerat.

Veſtibus tegebatur] *Et tegebant eum veſtibus*; nempe, עבדים *ſervi*, qui cubiculo ejus erant præfecti.

Non incaleſcebat] Nihil opus eſt operoſè à nobis quæri cur David, circa annum ætatis ſeptuageſimum, vix incaleſceret; cùm alii ſenes, qui eam ætatem ſuperarunt, calore non indigeant. Potuit hic caloris defectus oriri ex laboribus, quos olim David in juventute paſſus erat; aut fortè etiam ex nimio mulierum uſu, cujus inſimulari hominem poſſe multitudo uxorum ejus ſatis oſtendit, & remedium ſequens perſuadet.

2. *Quæratur domino noſtro Regi* &c.] *Domino meo Regi*; loquitur enim unus nomine omnium cubiculariorum.

Regique adſtet] *Stet ante faciem Regis*; hoc eſt, ei in cubiculo neceſſariis omnibus miniſteriis parata ſit. Servi *ſtare ante faciem herorum* dicuntur. Vide 1. Sam. XVI, 22.

Ei miniſtret] סכנת *ſochenetb*. LXX. Intt. θάλπουσα, & Vulg. *foveat*. Non eſt ineptus ſenſus, ſed cum radix סכן ſignificet non *fovere*, ſed *prodeſſe*, malui vertere *miniſtret*, quod proximè ad ſignificationem juvandi accedit.

Cubétque in ejus ſinu] *In tuo ſinu.* In eodem lecto. Vid. 2. Sam. XII, 8. Genus hoc fuit pellicis, quæ uxoris inſtar cum Davide vivebat, niſi quòd, præ ſenectute, David eam minimè deflorarit. Vix hoc excuſari poſſet, niſi dicamus uxores omnes Davidis jam anus fuiſſe, minúſque aptas ejuſmodi miniſteriis.

Incaleſcat] Non tantùm tactu, & communicatione caloris, ſed etiam viſu; alioqui nihil adtinuiſſet quærere formoſiſſimam, per totum Iſraëlem, puellam. Cùm eſſet ejus pellex (licebat enim eo tempore pellices habere, præſertim Regibus) illicitum non erat ejus causâ nonnihil incaleſcere, & *veteris veſtigia flammæ*, ſi quæ eſſent, excitare. Sed vel hinc liquet Davidem mulieroſum fuiſſe, quod ex noſtris moribus laudari non poteſt.

3. *Sunamithidem*] Ex urbe *Sunam*, quæ fuit in Tribu Iſſaſcharis. Vide Joſ. XIX, 18. & 2. Reg. IV, 8.

4. *Non cognovit*] Vide ad Gen. IV, 1.

5. *Adonija*] Quartus hic fuit Davidis filius, ut liquet ex 2. Sam. III, 4. ſed cùm Amnon natu maximus, & Abſalomus tertius mortui eſſent, ſicut & Chilabus, ut videtur, qui ſecundus erat, Adonija eorum, qui ſupererant, maximus natu fuit.

Apud ſe] Hoc ſupplevimus, quia cùm אמר *amar*, ſæpe ſignificet cogitavit, ſubauditâ voce בלבו *blibbo*, in corde ſuo; eum ſignificatum hîc ei tribuendum cenſuimus, quia res ejuſmodi erat, quæ tacenda fuit. Eo tempore, is demum Rex legitimus habebatur, qui à patre vivo ſucceſſor erat deſignatus, aut etiam regiâ dignitate indutus; qua in re, ordinis naſcendi nulla fermè ratio habebatur, ut ex ſequente hiſtoria conſtat.

Sibi paraverat currus &c.] Quemadmodum antea fecerat Abſalomus, 2. Sam. XV, 1.

6. *Caſtigaverat* &c.] *Dolore affecerat.* Qua in re non erat laudandus David, qui in liberos æquo indulgentior fuit, ut ſatis conſtat ex Hiſtoria Abſalomi.

 Poſt

Digitized by Google

ipſe formoſiſſimus, cúmque poſt Abſalomum pepererat *mater*. 7. Colloquutus *ea de re*
fuerat cum Joabo, Tſerujæ filio, cúmque Ebiathare ſacerdote, eique adjutores erant.
8. Sed Tſadokus Sacerdos, Benaja, filius Jehojadæ, Nathan Propheta, Simhiſque &
Rehis viri fortes, qui Davidi aderant, Adonijæ non favebant. 9. Mactavit autem
Adonija minores pecudes, juvencos, & bubalos, ad lapidem Zocheleth, qui eſt pro-
pe fontem Fullonis, vocavitque omnes fratres ſuos, Regis filios, & omnes viros *Tri-
bûs* Judæ, qui Regis ſervi erant. 10. At Nathanem Prophetam, Benajam, fortéſque
viros *quos dixi*, & Salomonem fratrem ſuum non vocavit.

11. Tum verò Nathan Bathſebæ, Salomonis matri, annon, inquit, audiviſti Ado-
nijam, Chaggithæ filium, cœpiſſe regnare, inſcio domino noſtro Davide? 12. Nunc er-
go age, tibi conſilium dabo, quo vitam tuam, vitámque Salomonis filii tui ſerves.
13. Convenito Davidem Regem, eique dicito: annon tu, domine Rex, juraſti ancil-
læ tuæ, in hæc verba: Salomo filius tuus regnabit poſt me, atque in ſolio meo ſede-
bit; cur igitur regnare cœpit Adonija? 14. Dum autem loquêris illic cum Rege,
ego te ſequar, ſermonéſque tuos confirmabo. 15. Adiit ergo Bathſeba in cubiculum
Regem, qui erat valde ſenex, & cui miniſtrabat Abiſaga Sunamithis. 16. Tum incli-
navit verticem Bathſeba, ſéque coram Rege proſtravit; cui Rex, quid tibi eſt? in-
quit. 17. Illa verò, tu juraſti, inquit, per Jehovam Deum tuum, ancillæ tuæ, *ac
dixiſti*: Salomo filius tuus regnabit poſt me, ſolio ille meo inſidebit. 18. En verò
Adonija nunc, domino meo Rege inſcio, cœpit regnare. 19. Mactavit juvencos, bu-
balos & minores pecudes, magnâ copiâ, vocavitque omnes filios Regis, Ebiatharem
Sacerdotem & Joabum ducem exercitûs; at Salomonem ſervum tuum non vocavit.
20. In te verò, domine mi Rex, oculi totius Iſraëlis defixi ſunt, ut ei indices quis
ſeſſurus ſit in ſolio domini mei Regis, poſt ipſum. 21. At poſtquàm obdormiverit
dominus meus Rex, cum Majoribus ſuis, ego & filius meus Salomo rei habebimur.

22. Cùm autem etiamnum loqueretur, cum Rege, venit Nathan Propheta; 23. nun-
ciatúmque eſt Regi, his verbis: ecce Nathanem Prophetam. Is ingreſſus eſt in conſpec-
tum Regis, ante quem ſe proſtravit, vultu in terram converſo. 24. Tum Nathan, an
dixiſ-

Poſt Abſalomum pepererat mater] Si hoc tantùm loco mentio fieret matris Adonijæ, facilè crederetur fuiſſe Abſalomo ὁμομήτριος. Sed hoc vult Scriptor Sacer, Adonijam natum eſſe è Chaggitha, poſtquàm Mahacha Abſalomum peperiſſet.

7. *Colloquutus ea de re fuerat*] *Fuerunt verba ejus cum Joabo.*

Eique adjutores erant] *Adjuvabant poſt Adonijam*, ei favebant, partes ejus ſequebantur.

8. *Simhis & Rehis*] Viri ex primariis Davidis Miniſtris, ſed aliunde non noti.

Adonijæ non favebant] *Non erant cum Adonija.*

9. *Mactavit autem* &c.] Sacrificii prætextu uſus videtur, ut multos vocare poſſet: quemadmodum fecerat Abſalomus.

Bubalos] מריא *mri*. Vide ad 2. Sam. VI, 13.

Ad lapidem Zocheleth] In ſuburbiis. *Joſephus* Lib. VII. c. 11. Ἔξω τῆς πόλεως, πρὸς τὴν πηγὴν, τὴν ἐν τῷ βασιλικῷ παραδείσῳ, *extra urbem ad fontem qui eſt in horto regio.*

Fontem Fullonis] עין רוגל *ben rogel*. Vide ad Joſ. XV, 7.

10. *Nathanem* &c.] Quia ſciebat eos favere Salomoni, cui David regnum ſe traditurum promiſerat, quod Adonijam non fugiebat.

11. *Annon audiviſti* &c.] Recente facto, ſine dubio, Bathſebam monuit Nathan, antequàm confirmari potuiſſet Adonija.

Cœpiſſe regnare] *Regnaſſe*, hoc eſt, inſtar Regis cœpiſſe ſe gerere.

12. *Vitam tuam* &c.] Cùm enim ſciret Adonija Davidem promiſiſſe regnum Salomoni eum quaſi ſuſpectum, unà cum matre, è medio ſuſtuliſſet; more Regum Orientis, qui ſuſpectos omnes occidebant.

Quo vitam tuam] *Et ſerva animam tuam & animam filii tui.*

13. *Juraſti ancillæ tuæ*] Hæc alibi non legitur circumſtantia, quales etiam aliæ habentur 1. Par. XXII, 9, 10, 11. ex quibus liquet Salomonem à Deo ipſo deſignatum fuiſſe Davidis ſucceſſorem.

14. *Confirmabo*] מלאתי millethi, *complebo*.

17. *Ac dixiſti* &c.] כי שלמה *quòd Salomo filius tuus regnabit poſt me*. Oratio partim directa eſt, partim obliqua, quod non patitur Linguæ Latinæ ingenium.

20. *In te verò* &c.] *Et tu, domine mi Rex, oculi totius Iſraëlis ſupra te*, vel *ad te*.

21. *Rei habebimur*] *Erimus peccatores*, חטאים *hhattaim*; hoc eſt, pœnas dabimus, quaſi læſæ Majeſtatis rei eſſemus; quia novit Adonija regnum Salomoni à te promiſſum.

25. *Sione*] Hoc addidimus, quia illic erat Regia.

Duces exercitus] Hoc eſt, aliquot ex ducibus; Joabum, nempe, & qui ei favebant.

26. *Me ſervum tuum* &c.] Quia in aulis Regum magna in dignitate erant Prophetæ, eorúmque conſilio multa fiebant. Aditus etiam faciles iis erant, ad Reges & Duces. Vide 2. Reg. IV, 13.

27. *Nec patefeciſti* &c.] Solebat enim David Nathanis conſilium expetere. Vide 2. Sam. VII, 2.

28. *Bathſebam vocate*] Igitur ingreſſo Nathane,

Digitized by Google

dixiſti, inquit, domine mi Rex: Adonija poſt me regnabit, ſedebitque ille in ſolio
meo? 25. Deſcendit enim hodie *Sione* & mactavit juvencos, bubalos, minoréſque
pecudes, magnâ copiâ, vocavitque filios omnes Regis, duces exercitûs & Ebiatha-
rem Sacerdotem; jámque comedunt ac bibunt, in ejus conſpectu, dixerúntque: vi-
vat Rex Adonija. 26. Verùm me ſervum tuum, Tſadokum Sacerdotem, Benajam
Jehojadæ filium, Salomonémque ſervum tuum non vocavit. 27. An hæc res à domino
meo Rege profecta eſt, nec patefeciſti ſervo tuo quis ſeſſurus eſſet in ſolio domini mei
Regis, poſt ipſum? 28. Reſpondit verò Rex David, & Bathſebam, inquit, mihi vo-
cate. Hæc mox in conſpectum Regis venit, & coram eo ſtetit. 29. *Ibi* juravit Rex,
his verbis: *Ut* vivit Jehova, qui vitam meam omnibus anguſtiis liberavit: quemadmo-
dum juravi tibi, per Jehovam Deum Iſraëlis, fore ut Salomo, filius tuus, regnaret
poſt me & in ſolio meo ſederet loco meo, ſic hodie faciam. 31. Cervicem verò flexit
Bathſeba, vultu in terram converſo, ſéque proſtravit coram Rege, & vivat, inquit,
dominus meus Rex David in perpetuum.

32. Rex verò David, vocate mihi, inquit, Tſadokum Sacerdotem, Nathanem Pro-
phetam, & Benajam, Jehojadæ filium. Tum ingreſſis, in conſpectum Regis, 33. ſumite,
inquit Rex, vobiſcum ſervos domini veſtri, imponitéque Salomonem filium meum
mulæ meæ, & eum deducite Gichonem uſque. 34. Deinde ungant eum illic Tſado-
kus Sacerdos, & Nathan Propheta, ut ſit Rex Iſraëlis; *quo facto*, buccinâ canite, &
dicite: vivat Rex Salomo. 35. Poſtea eum ſequimini, veniátque & ſedeat in ſolio
meo, & loco meo regnet. Conſtitui eum ducem Iſraëlis & Judæ. 36. Reſpondit ve-
rò Benaja, Jehojadæ filius, Regi, &, Amen, inquit, ſic dicat Jehova Deus domini
mei Regis. 37. Quemadmodum adfuit Jehova domino meo Regi: ita & Salomoni
adſit, magnificentiúſque reddat ſolium ejus, ſolio domini mei Regis Davidis. 38. Deſ-
cenderunt ergo Tſadokus Sacerdos, Nathan Propheta, Benaja, Jojadæ filius, Che-
rethæique & Phelethæi, ac impoſuerunt Salomonem mulæ Davidis Regis, deduxe-
rúntque Gichonem uſque. 39. Sumſerat verò Tſadokus cornu olei, è Tentorio, quo
Salomonem unxit; cúmque buccinâ ceciniſſent, dixit totus populus: vivat Rex Salomo,

40. &

ne, egreſſa erat, ut ne ex compacto viderentur agere, magiſque adficeretur David, ſi ſeorſim eum adloquerentur. Vide vſ. 32.

Et coram eo ſtetit] Et ſtetit ante faciem Regis.

29. *His verbis*] *Et dixit.*

Vitam meam] *Animam meam*, quod poſſet etiam ſumi perinde ac ſi diceret *me*.

31. *Vivat in perpetuum*] Hoc eſt, tantùm abeſt ut filium meum tuo loco regnare quamprimùm velim, longúmque tempus, quo tibi non ſuccedit, videatur; ut vel in perpetuum te vivere optem, ſi fieri poſſet. Sic Orientales Reges ſuos alloqui ſolebant, ut videre eſt Dan. II, 4. Adi & *Barn. Briſſonium* de Regno Perſiſico p. 16.

32. *Nathanem Prophetam*] Iterum ingreſſâ Bathſebâ, egreſſus erat. Vide vſ. 28. Comparebant ſinguli coram Rege, niſi plures ſimul vocarentur.

33. *Servos domini veſtri*] Hoc eſt, ſatellites meos Cherethæos & Phelethæos. Vide 2. Sam. XX, 6. & infra vſ. 38. Hic eſt אדניכם *dominorum veſtrorum*, pro ſolito Linguæ Hebraïcæ idiomate; quod non debet intelligi de Davide & Salomone, ſed de ſolo Davide, ut loco Samuëlis laudato.

Mulæ meæ] Non tam animal ipſum videtur ſpectari, quàm ornamenta quædam Regi peculiaria, quibus ſtrata erat mula & quibus inſidere nemini licebat niſi Regi, & iis quibus Rex ejuſmodi honorem conferebat. Simile quidpiam apud Perſas fiebat, ut liquet ex Eſtheræ Cap. VI.

Gichonem uſque] Videtur eſſe fons, aut rivus Jeroſolimâ nequaquam remotus. Vide 2. Par. XXXII, 30. XXXIII, 14. Locus debuit eſſe paullò remotior à fonte Fullonis, ubi cum ſuis erat Adonija.

35. *Sedeat in ſolio meo*] Hocquoque, niſi jubente Rege, illicitum erat, ut apud Perſas, quod multis oſtendit *Barn. Briſſonius* de regno Perſico Lib. I. p. 20. Ideò Regem inaugurabant, collocando eum in deceſſoris ſella. Apud *Plutarchum*, in libro de Amore Fraterno, cùm Artabanus diſceptator electus, inter fratres Darii filios, regnum Xerxi, ſententiâ ſuâ adjudicaſſet; Ariamenes frater exſiliens fratrem adorat, καὶ λαμβανόμενος, ut loquitur *Plutarchus*, τῆς δεξιᾶς εἰς τὸν θρόνον καθίζει τὸν βασίλειον, *comprehenſu dextrâ in throno regio collocat.*

Conſtitui eum] Pendebat enim hoc à voluntate Regum, quemlibet è filiis ſucceſſorem eligere, quod fecit etiam Robohamus Davidis nepos, 2. Par. XI, 20, 22.

36. *Sic dicat Jehova*] Ratum habeat Deus quod dixiſti. LXX. Int. rectè: γένοιτο οὕτως, πιστώσαι κύριος ὁ θεὸς τοῦ κυρίου μου τοῦ βασιλέως. Eſt votum, ut oſtendit vox *Amen*, útque ſequentia probant.

37. *Magnificentiúſque reddat*] יגדל את כסאו *jegaddel eth chiſo*, majus reddat ſolium; hoc eſt, auctoritatem, opes, divitiaſque regias, & totam regni adminiſtrationem ſplendidiores reddat.

39. *Olei è tentorio*] Olei Sacri, quo Pontifex Maximus inungebatur, de quo vide Exod. XXX, 23. & ſeqq.

40. Ti-

40. & poſt eum omnes *Sionem* adſcenderunt tibiis canentes, & hilaritate magnâ perfuſi, ita ut eorum ſtrepitu terra *veluti* finderetur. 41. *Hæc* audivit Adonija, omnéſque vocati, qui cum eo erant, poſtquàm abſolviſſent convivari. Cùm verò Joabus audiſſet ſonitum tubæ, cur, inquit, hic ſonitus eſt urbis tumultuantis? 42. Cùm etiamnum loqueretur, ecce Jonathanem, Ebiatharis Sacerdotis filium, qui venit, cui Adonija, ingredere, inquit, nam vir fortis es & bonum nuncium adferes. 43. Reſpondit verò Jonathan, & Adonijæ, profectò, inquit, dominus noſter Rex David Regem conſtituit Salomonem, 44. miſitque cum eo Tſadokum Sacerdotem, Nathanem Prophetam, & Benajam, Jehojadæ filium, Cherethæóſque & Phelethæos, qui impoſuerunt eum mulæ Regis. 45. Tum unxerunt eum Tſadokus Sacerdos, & Nathan Propheta, ut Rex eſſet, Gichone; unde abierunt lætantes, proptereáque tumultuata eſt urbs. Hic eſt ſtrepitus, quem vos audiſtis. 46. Præterea ſedit Salomo in ſolio regni, 47. venerúntque ſervi Regis, ut bene precarentur domino noſtro Regi Davidi, dicerérntque: benefaciat Deus tuus nomini Salomonis, pluſquàm nomini tuo; magnificentiúſque reddat ſolium ejus, ſolio tuo; *quibus auditis*, Rex ſe reclinavit in lectum ſuum. 48. Quin etiam dixit Rex: benedictus ſit Jehova Deus Iſraëlis, qui dedit mihi hodie *filium*, qui in ſolio meo, oculis meis videntibus, ſedeat.

49. Tum verò territi conſurrexerunt omnes ab Adonija vocati, & quiſque viam ſuam ingreſſus eſt. 50. At Adonija, ſibi à Salomone timens, ſurrexit, abiitque adprehenſum cornua altaris. 51. Quod nunciatum eſt Salomoni, hiſce verbis: en Adonija veritus eſt Regem Salomonem, adprehenditque cornua altaris, additis his verbis: *hinc non diſcedam, niſi* jusjurandum mihi hodie dederit Rex Salomo, ſe non interfecturum ſervum ſuum gladio. 52. Salomo verò, ſi fiat, inquit, vir probus, ne pilus

40. *Tibiis canentes*] מחללים בחלילים *mehhallelim bahhalilim.* LXX. Int. ἐχόρευον ἐν χοροῖς. Sed Vulg. *canentium tibiis*, meliùs. Vide Eſa. V, 19. XXX, 29. Proverbium eſt Thalmudicum: חלילים לכלה ולמת *tibia ſponſæ & mortuo.* Quod & apud Ethnicos obſervare licuit. *Ovidius* Lib. VI. Faſtorum:

Temporibus veterum tibicinis uſus avorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Hilaritate magnâ perfuſi] *Lætantes lætitiâ magnâ.*

47. *Benefaciat Deus nomini Salomonis*] Famam ejus majorem ac illuſtriorem reddat, famâ Davidis.

Rex ſe reclinavit in lectum ſuum] Vide Gen. XLVII, 31.

50. *Adprehenſum cornua altaris*] Cùm res ſanctiſſima haberetur altare, nefáſque eſſet, apud pleroſque certè populos, ſanguinem humanum illic effundere, ne vim quidem cuiquam afferre ſuſtinebant; quare habebatur aſylum. Apud Græcos & Romanos Scriptores, nihil frequentius, qua de re vide *Georg. Ritterhuſium* de Jure Aſylorum Cap. III. Similem conſuetudinem obtinuiſſe, apud Hebræos, hinc, & ex Cap. II, 28. videmus. Quæritur autem quodnam hic altare ſignificetur, æneúmne Moſaicum, quod ad Tabernaculum erat Gabahone, an aliud. Prius malim, quia huic uni conſtat cornua fuiſſe, quæ an altaribus ex ſilicibus, ceſpitibuſque ſubitò erectis, fuerint dubito, nec aliud altare intelligitur Cap. II, 28.

51. *Hinc non diſcedam, niſi*] Hoc neceſſariò ſupplevimus, ex re ipſa. Qui enim ad Aſylum confugiunt, ex eo egredi nolunt, donec ſalus eis ſit promiſſa; ſedenſque Adonija in altari, impediebat ne Sacra in eo fieri poſſent. Vide ad vſ. 53.

Se non interfecturum] אם ימית *im jamith*, ſi occidet. Sed אם *ſi* negandi vim obtinet, in elliptica jurisjurandi forma; quaſi dicere Salomonem voluiſſet: pœnas de me ſumat Deus, ſi Adonijam occidero.

52. *Si fiat vir probus*] אם יהיה לבן חיל *ſi erit in filium roboris.* Hîc בן חיל *filius roboris*, virum probum, non fortem ſignificat, ut אשת חיל *mulier roboris*, eſt honeſta & proba matrona, ſeu iis dotibus prædita, quæ matronam decent, Proverb. XII, 4. & alibi. Neque enim Salomo fortitudinem in fratre, ſed probitatem requirebat.

Ne pilus quidem] *Non cadet è cæſarie ejus in terram.* Proverbium notum, quo mali nihil paſſurum Adonijam ſignificat Salomo. Vide ad 2. Sam. XIV, 11.

Si verò delictum &c.] Si poſthac, nempe, delictum admiſerit, ne veniam ullam ſperet. Nimia fuiſſet fratris in fratrem ſeveritas, niſi intelligeretur læſæ Majeſtatis crimen; incolumitas enim regni, Regiſque ſalus non patiuntur ignoſci iis, qui propter natales ſuos regnum ambire poſſent, ſi quid admittant quòd eò ſpectare videatur.

53. *Qui eum deſcendere jubent*] *Et deſcendere fecerunt eum*, ויורדהו *vajjoriduhu.* Videtur ſediſſe in altari, in quo proinde Sacra fieri non poterant, niſi deſcenderet. Igitur fides ei data, nomine Regis, de incolumitate, ut altare relinqueret.

Se coram Salomone Rege &c.] Sic eum Regem agnovit, nam fratri privato ejuſmodi honorem non exhibuiſſet. Sic apud Perſas, *Xerxem Regem renunciatum Ariamenes* frater *ſtatim adoravit, diademáque* (aut tiaram rectam) *ei impoſuit*: ἀποδειχθέντος τοῦ Ξέρξου βασιλέως, ὁ μὲν Ἀριαμένης εὐθὺς προσεκύνησε, καὶ τὸ διάδημα περιέθηκεν. Verba ſunt *Plutarchi*, in Xerxis Apophthegmatibus, qui ſimilia etiam habet in libro de Amore Fraterno. Sic & *Darium*, hinnitu equi fac-

Digitized by Google

pilus quidem ex ejus capite in terram cadet; ſi verò delictum in eo inventum fuerit,
morietur. 53. Miſit verò Rex Salomo, qui eum ab altari deſcendere juberent, ve-
nitque & ſe coram Salomone Rege proſtravit; eique dixit Salomo: domum tuam abito.

II. Ultimis mandatis Salomoni datis, moritur David. Adonija, ſibi petitâ Abiſagâ, capite mulctatur, amovetur Ebiathar à Sacerdotio, & occiditur Joabus. Simhis juſſus manere intra mœnia Jeroſolimæ, ni feciſſet, capite pœnas daturus, egreditur tamen triennio pòſt urbe, quod illi exitium creat.

CAPUT II.

1. CUM tempus mortis Davidis adpropinquaſſet, mandata dedit Salomoni, filio
ſuo, his verbis: 2. En ego viam totius terræ ingredior, tu verò confirmator
ac vir eſto. 3. Obſervato quod obſervari juſſit Jehova, Deus tuus, ita ut in
viis ejus incedas, ſervéſque inſtituta, præcepta, jura, & edicta ejus, quemadmodum
ſunt in lege Moſis ſcripta; quò prudenter adminiſtres quæcumque facies, omniáque
ad quæ te convertes; 4. útque ratum habeat Jehova id quod dixit de me, his verbis:
ſi poſteri tui adtenderint viam ſuam, ita ut incedant coram me, ſincerè, toto corde, &
toto animo ſuo, numquam tibi exſcindetur vir è ſolio Iſraëlis. 5. Noſti etiam tu quæ
mihi fecerit Joabus, Tſerujæ filius, quidve fecerit duobus ducibus exercituum Iſraëlis,
Abnero, Neri filio, & Hamaſæ, Jetheri filio, quomodo eos occiderit, effuderitque in
pace ſanguinem, quaſi in bello; & cruentarit, quaſi in bello, cingulum quod ad lum-
bos, & calceum quem in pedibus habuit. 6. Pro tua ſapientia, te geres, nec patieris
cani-

factum *regem deſilientes ex equis Principes Perſæ adorarunt.* προσεκύνεον ἀπὸ τῶν ἵππων καταθρώσκοντες τὸν Δαρεῖον, ὡς βασιλέα. Sic *Herodotus* Lib. III. c. 86. Genus autem adorationis, aut ſalutationis Regum idem fuit apud Hebræos, ac apud Perſas, de quorum more multis egit *Barn. Briſſonius* Lib. I. de Regno Perſico.

Domum tuam abito] Quibus verbis eum liberum dimittebat.

In CAPUT II.

1. C*Um tempus* &c.] *Et adpropinquaverunt dies Davidis ad moriendum & mandata dedit* &c.

2. *Viam totius terræ*] Periphraſis mortis. Vide Joſ. XXIII, 14.

3. *Quod obſervari juſſit*] משמרת miſchmereth, *obſervationem*, ſeu præcepta obſervanda.

Inſtituta, præcepta, &c.] חקותיו ומצותיו ומשפטיו ועדותיו. Hiſce quatuor vocibus idem ſignificari videtur, ſed emphaſin quamdam habet, in omnibus Linguis, ſynonymorum coacervatio. Scio Rabbinos, & Chriſtianos nonnullos, qui eos ſequuti ſunt, ſingulis hiſce vocibus ſingulares ſignificationes tribuere; ſed uſu ipſo Linguæ confutantur, quo docemur hæc paſſim miſceri. Vel Pſal. CXIX. ubi ſæpe occurrunt, hoc oſtendat.

Prudenter adminiſtres] תשכיל thaſchchil, intelligas, aut intelligere facias. Sed hîc eſt ſe ſe prudenter gerere. LXX Intt. ἵνα συνήσῃς ἃ ποιήσεις κατὰ πάντα, & Vulg. *ut intelligas univerſa quæ facis.* Incommodè.

4. *Quod dixit de me*] *Verbum ſuum, quod loquutus eſt de me.* Vide 2. Sam. VII, 15. & ſeqq.

Poſteri tui] בניך banecha, *filii tui.*

Adtenderint viam ſuam] ישמרו את דרכם *ſervabunt viam ſuam*; hoc eſt, adtendent mores ſuos, eóſque ad leges meas component.

Sinceri] באמת beemeth, *in veritate.*

Toto corde] Vide not. ad Deut. IV, 29. V, 5.

Numquam tibi exſcindetur &c.] Semper erit è poſteris tuis, qui regnet in Iſraële, dum regnum hoc ſtabit. Quod præſtitit Deus, ex mera beneficentia, quamvis multi è poſteris Davidis à veri Dei cultu deſciverint, indignique eſſent, quibus hoc Deus præſtaret.

5. *Quæ mihi fecerit* &c.] Sequentia duo facinora intelligit, quæ ſine Davidis contemtu perpetrari non potuerunt.

Duobus ducibus] 2. Sam. III, 27. XX, 10.

Effuderitque in pace] *Poſuit ſanguines belli, in pace.*

Cruentarit, quaſi in bello, cingulum &c.] *Et dedit ſanguines belli in cingulo ſuo.* Cùm enim cominus occidiſſet duos Iſraëlis duces, ſanguine eorum reſperſus fuerat.

6. *Pro tua ſapientia* &c.] Prudenter enim ſe gerere, hac in re, debebat, ne ſeditionem in exercitu excitaret Joabus, aut ad finitimos populos confugeret, ſi ſentiret quod agebatur. Hoc autem in negotio, David moriturus nullo vindictæ ſtudio ducebatur, ſed in mandatis filio dabat ut exſequeretur quod dudum factum oportuerat; pœnas, nempe, de Joabo ſumeret, quas gemino homicidio meruerat, ſed non tulerat, quia regnum nondum ſatis firmatum in Davidis familia erat. Paucis ut omnia dicam, David hîc Regem jus dicentem populo Hebræo, ex legibus divinis; non privatum, privatas injuris ulciſcentem egit.

Nec patieris &c.] לא תורד *non facies deſcendere.* Sed *Hiphil* hoc loco permiſſionem tantùm ſignificat, neque enim David dumtaxat vetat Salomonem id facere; quo Joabi ſenectus foveri poterat, & quo incolumis ſervaretur, donec fato ſuo interiret; ſed etiam pati eum fato ſuo mori. Itaque verbum activum in verſione LXX. Intt. κατάξεις debet eodem modo intelligi, pro κατάξῃ ἐάσεις. Similiter intellexe-
tim

canitiem ejus incolumem in ſepulcrum deſcendere. 7. At erga filios Barzillaïs Galaaditæ benignum te præbebis, eruntque inter eos qui in menſa tua comedent; ſic enim ad me acceſſerunt, cùm Abſalomum fratrem tuum fugerem. 8. En etiam tecum Simhin Benjaminitam, Geræ filium Bachurimenſem; is autem acerbè mihi conviciatus erat eo die, quo Machanajimos ibam, at poſtea venit mihi obviam ad Jordanem; eique jusjurandum dedi, his verbis: te gladio non occidam. 9. Nunc verò ne eum innocentem habeas; vir autem ſapiens es, noſtique quomodo te erga eum geras; at ejus canitiem cruentam in ſepulcrum demittas.

10. Poſtea obdormiit David, cum Majoribus ſuis, & in urbe Davidis ſepultus eſt. 11. Tempus quo regnavit in Iſraëlem fuit quadraginta annorum; & Chebrone quidem ſeptem annis, Jeroſolimæ verò triginta tribus regnavit. 12. Salomo verò ſedit in ſolio Davidis, regnúmque ejus valde confirmatum eſt.

13. Poſtea convenit Adonija, Chaggithæ filius, Bathſebam Salomonis matrem, quæ ei an pacatus, inquit, venis? Pacatus, inquit ille. 14. Præterea eſt, inquit ille, quod tibi dicam. Dic verò, ait illa. 15. Noſti, inquit Adonija, meum fuiſſe regnum, & ad me omnes Iſraëlitas ora convertiſſe, quaſi ad regnaturum. At regnum tranſlatum eſt, fuitque fratris mei, quia à Jehova ad eum delatum eſt. 16. Nunc verò unum peto abs te, nec mihi negato. Ei verò, loquere, inquit illa. 17. Dic quæſo, inquit ille, Salomoni Regi, (nam tibi non negabit) ut mihi Abiſagam Sunamithidem uxorem collocet. 18. Rectè, inquit Bathſeba, de te Regem alloquar; 19. convenitque Salomonem Regem, ut eum de Adonija alloqueretur. At Rex ſurrexit, *ivitque* ei obviam,

rim in oratione Dominica εἰσφέρειν εἰς πειρασμόν, ita ut ſignificet Chriſtus orandum eſſe Deum, ne patiatur nos in tentationem delabi, cui reſiſtere nequeamus.

Incolumem] *In pace.*

7. *Benignum te præbebis*] *Facias benignitatem.* Vide 2. Sam. XVII, 27. XIX, 31. & *ſeqq.*

8. *Acerbè mihi conviciatus erat*] קללני קללה נמרצת *maledixit mihi maledicentiâ vehemente.* 2. Sam. XVI, 5. & ſeqq.

9. *Ne eum innocentem* &c.] Davidis erat ſtare promiſſis, jurejurando præſertim confirmatis, ſed nihil vetabat Davidis filium de homine ſumere pœnas, quibus erat digniſſimus; captatâ aliâ occaſione, ne veniam à patre conceſſam revocare videretur.

Cruentam] *In ſanguine.*

10. *In urbe Davidis ſepultus eſt*] In Sione, ubi Regia, & deinceps ſepulcra Regum. Ea ſic deſcribit *Joſephus* Lib. VII. Ant. Jud. cap. 12. Ἔθαψε δ' αὐτὸν ὁ παῖς Σαλωμὼν ἐν Ἱεροσολύμοις μεγαλοπρεπῶς, τοῖς τε ἄλλοις οἷς ἐπὶ κηδείαις νομίζεσθαι βασιλικαῖς ἅπασι, καὶ δὴ καὶ πλοῦτον αὐτῷ πολὺν καὶ ἄφθονον συγκατέθαψεν: *Sepelit verò illum filius Salomo Jeroſolimæ magnificè, & præter cetera omnia, quæ in Regum funeribus fieri ſolebant, multas divitias cum eo ſepelit.* Apud barbaros, talia facta eſſe ſatis conſtat, niſi enim factum aliquando eſſet, Nitocris Aſſyriorum Regina non finxiſſet ſe divitias in ſepulcro ſuo collocaſſe, ut docet *Herodotus* Lib. I. cap. 187. Sed apud Hebræos, quibus cadavera & oſſa mortuorum res pollutæ cenſebantur, an factum ſit neſcio; neque enim facilè credo iis, quæ apud *Joſephum* ſequuntur, de effoſſis magnis divitiis ex ſepulcro Davidis, ab Hyrcano primùm, deinde etiam ab Herode.

11. *Quadraginta annorum* &c.] Vide ad Tabulas Chronologicas.

Septem annis] Adduntur 2. Sam. V, 5. ſex menſes, ſed qui hîc negliguntur, ut & 1. Par. XXIX, 27. quod rotundis numeris uti ſoleant Scriptores Sacri.

13. *An pacatus venis*] *An pax venire tuum.*

15. *Meum fuiſſe regnum*] Quòd eſſet maximus natu filiorum Davidis.

Ad eum delatum eſt] *Fuit ei.*

16. *Unum peto abs te*] *Poſtulatum unum ego peto à te, ne facias redire faciem meam.*

18. *Rectè, inquit Bathſeba*] Norat, nempe, Abiſagam etiamnum virginem eſſe, ac proinde vix Davidi nuptam dici poſſe; nec putabat illicitum eſſe nuptias virginis ab Adonija adpeti. Alioqui viduam patris à filio duci non licere per leges ſatis norat.

19. *Inclinato corpore eam ſalutavit*] וישתחו לה *vajjiſchtabhou lah.* Quæ vox adhibetur, ubi de ſalutatione Regum ſermo eſt; ſed fuerunt ſine dubio varii veluti gradus ſalutationis, eo nomine appellatæ; quorum humillimus erat ſi quis in genua concidens in terram procumberet, alii ſi quis corpus dumtaxat magis, aut minùs incurvaret. Quod poſterius ſalutandi genus hîc videtur intelligendum. Hinc LXX. Intt. habent κατεφίλησεν, *oſculatus eſt*, non προσεκύνησεν, *adoravit.* *Joſephus* Lib. VIII. c. 1. filium deſcribit μητρὶ περιπλακέντα, *matrem complexum.*

Ad dextram ejus ſedit] Apud multas gentes, ſedere ad dextram honoris fuit ſingulare indicium; quod apud Græcos & Romanos receptum multis oſtendit *Joan. Dougtæus*, in Excurſu XCVIII. ad hunc locum.

20. *Neque enim tibi negabo*] Rem parvam, nimirum, & quæ ſine detrimento poſſit concedi.

22. *Poſtula illi regnum*] Ita loquitur Salomo, quia ſolius ſucceſſoris erat deceſſoris uxores ac pellices habere, ut oſtendimus ad 2. Sam. III, 7. XII, 8. XIII, 21. Quamobrem Salomo, malo animo hoc à fratre fieri ſuſpicatus eſt, quaſi etiamnum regnum clam adfectaret.

Poſtula, inquam, illi &c.] ולו ולאביתר הכהן וליואב *& illi & Ebiathari Sacerdoti & Joabo.* Repetendum cenſuimus שאלי ſchaali, *poſtula*, αἴτει αὐτῷ, ſenſu optimo & facillimo. Nam quiſquis petiiſſet regnum Adonijæ, eadem operâ pe-

Digitized by Google

viam, & inclinato corpore eam ſalutavit. Tum ſedit in ſolio, matrique ſellam poſuit, *in qua* ad dextram ejus ſedit. 20. Deinde, rem exiguam, inquit, abs te petitura ſum, ne eam mihi negato. Pete verò, inquit ei Rex, mater mea, neque enim tibi negabo. 21. Collocetur, inquit ille, Abiſaga Sunamithis, Adonijæ fratri tuo uxor. 22. Reſpondit verò Rex Salomo matri ſuæ, & quare, inquit, tu poſtulas Adonijæ Abiſagam Sunamithidem? Poſtula etiam illi regnum, quia frater meus eſt, natu major; *poſtula*, *inquam*, illi & Ebiathari Sacerdoti, & Joabo, Tſerujæ filio. 23. Tum juravit Rex Salomo per Jehovam, his verbis: ſic ſe gerat erga me Deus, & ſic ſe gerere pergat, ut rem hanc dixit Adonija, contra ſuam ipſius vitam.

24. Nunc ergo, *ut* vivit Jehova, qui me confirmavit, collocavitque in ſolio Davidis patris mei, & qui mihi domum fecit, quemadmodum promiſerat: *ſic* hodie Adonija morte afficietur. 25. Poſtea miſit Rex Salomo Benajam, Jehojadæ filium, qui in eum irruit, ita ut mortuus ſit *Adonija*.

26. Ebiathari verò Sacerdoti dixit Rex: ito Hanathothas, in agros tuos, nam reus es mortis; hodie tamen te non interficiam, quia Arcam Domini Jehovæ bajulaſti, coram Davide patre meo, conflictatúſque es cum omnibus calamitatibus, quibuſcum conflictatus eſt pater meus. 27. Ejecit ergo Salomo Ebiatharem, ne eſſet Sacerdos Jehovæ, ita ut impleret id quod dixerat Jehova Silunte, de Helis familia.

28. *Ejus rei* rumor ad Joabum pervenit, quia Joabus defecerat cum Adonija, quamvis cum Abſalomo non defeciſſet;, perſugitque Joabus ad Tentorium Jehovæ, &

petere cenſeri poterat ſimilem auctoritatem Ebiathari & Joabo, qui principes amicorum ejus erant, nec exiguam partem in adminiſtratione regni habituri fuiſſent, ſi regnaſſet Adonija.

LXX. Intt. habent: καὶ αὐτῷ Ἀβιάθαρ ὁ ἱερεὺς, καὶ αὐτῷ Ἰωὰβ ἀρχιστράτηγος ἑταῖρος, Vulgatus verò: *Et habet Abiathar Sacerdotem, & Joab filium Sarviæ*; quaſi legiſſent: ולו אביתר ולו יואב, *& illi Ebiathar & illi Joab*. Non putat tamen *Lud. de Dieu* eos aliter legiſſe, ſed hîc eſſe eamdem loquutionem, quam invenire licet in hac formula vulgari: *quid mihi & tibi eſt? Nihil eſt mihi & tibi*. Sed cùm hæc formula Græcis quoque uſitata ſit, tam additâ interrogatione: *quid eſt mihi & tibi?* quàm negatione: *nihil eſt mihi & tibi*, nuſquam tamen invenias ſimpliciter dicentem: *eſt mihi & tibi*, pro eo quod eſt, inter nos conjunctio aliqua intercedit. Eadem eſt ratio ſermonis Hebraïci, in quo ſimplex ejuſmodi adfirmatio non occurrit.

23. *In ſuam ipſius vitam*] בנפשו *in animam ſuam*.

24. *Ut vivit Jehova*] Jusjurandum iterat Salomo, ne quis crederet ſententiam in Adonijam prolatam ab eo revocatum iri. Inconſideratum ſine dubio erat poſtulatum Adonijæ, quando eo audito uſque adeò excanduit Salomo; nec ſatis bene de Bathſeba & Salomone ſenſerat, qui mulieri ac adoleſcenti fucum facturum ſe, in ea re, ſperaverat; nam Salomo illico eſt offenſus. Sed fateor me non videre quodnam tantum præſidium ſibi comparaſſet Adonija, nuptiis Abiſagæ, ad invadendum regnum, ſi frater puellam ei conceſſiſſet. Nec ſcio an factum hoc Salomonis fratrem, ejuſmodi de cauſa, occidentis laudari poſſit. Satis profectò fuiſſet cavere ne quid novarum rerum moliretur. Tam ſubitum ſupplicium de fratre ſumtum videri potuit ultio, captatâ occaſione quæſita; ob regnum adfectatum, nec id ſine ſpecie juris, quia Adonija maximus erat natu filiorum Davidis. Facilè patior Salomonis famam defendi, ſed magis laudari potuit, ſimitior erga fratrem delinquentem fuiſſet, vitæque ejus pepercilſet.

Domum fecit] Familiam meam conſtituit. Fortaſſe jam nati erant liberi Salomoni. Vide 1. Sam. XXV, 28.

Quemadmodum promiſerat] *Ut loquutus erat.* Vide 2. Sam. VII, 12, 13.

26. *Hanathothas*] Urbem Sacerdotalem, in Benjaminitide Tribu. Joſ. XXI, 18.

Reus es mortis] *Vir mortis*; hoc eſt, reus noxæ capitalis. Noxa hæc erat, non quòd auctor fuiſſet Adonijæ petendæ Abiſagæ; ſed quòd ei, in regia dignitate invadenda, faviſſet.

Arcam Domini Jehovæ] ארני יהוה *adonai Jahavoh*; quod efferunt Maſſorethæ *adonai elohim*, & ſic Vulgatus: *Domini Dei* At LXX. Intt. κιβωτὸν τῆς διαθήκης κυρίου. Vix crediderim reſpici ad id quod habetur 2. Sam. XV, 24, 29. tunc enim noluit David Arcam ſecum auferri; ſed potiùs ad bella quæ geſſit David, quamvis hæc circumſtantia antea non ſit memorata.

Conflictatúſque es &c.] *Adflictus fuiſti in omnibus, in quibus adflictus fuit pater meus.* In exſilio ſemper fuerat cum Davide, ex quo ad eum confugerat, 1. Sam. XXII, 20, 21. & ſeqq.

27. *Ne eſſet Sacerdos*] Ne fungeretur ampliùs Pontificatu Maximo, néve hoc munus ad poſteros tranſmitteret.

Ita ut impleret] למלא *lmalleh*. Sed ל non ſignificat hîc finem Salomonis, qui non expellebat Ebiatharem, ut impleret Dei minas, in familiam Ithamaridarum; ſed ut pœnas de Ebiathare, eò quòd faviſſet Adonijæ, ſumeret. LXX. Intt. πληρωθῆναι, Vulg. *ut impleretur*. Hinc intelligere licet hanc loquutionem, in aliquot Novi Teſtamenti locis, ubi ἵνα πληρωθῇ non animum, ac conſilium, ſed eventum ſignificat.

Id quod dixerat Jehova] 1. Sam II, 32.

28. *Defecerat cum Adonija*] *Declinaverat poſt Adonijam, & poſt Abſalomum non declinaverat.*

Ad Tentorium Jehovæ] Quod erat Gabahone. Vide 2. Par. I, 3.

Cor-

Digitized by Google

& cornua altaris adprehendit 29. Nunciatum verò eſt Salomoni Regi, perfugiſſe Joa-
bum ad Tentorium Jehovæ, cúmque eſſe juxta altare. Itaque miſit Salomo Benajam,
Jehojadæ filium, &, ito, inquit, atque in eum irruito. 30. Ivit ergo Benaja ad ten-
torium Jehovæ, & Joabo, ſic, inquit, dixit Rex: egredere. Nequaquam, inquit
Joabus, ſed hîc moriar. Rem verò retulit Benaja Regi, &, ſic, inquit, me alloquu-
tus eſt Joabus, ſic mihi reſpondit. 31. Fac, inquit Rex, quemadmodum dixit, in
eum irruito, hominémque ſepelito; *quo facto* à me, domóque patris mei amovebis
ſanguinem, quem ſine cauſa effudit Joabus. 32. Faciet Jehova ut recidat ipſius cædes
in caput ejus, quia irruit in duos viros innocentes, ipſóque meliores, quos inſcio pa-
tre meo Davide, gladio occidit; Abnerum, *nempe*, Neri filium ducem exercitûs Iſraë-
lis, & Hamaſam, Jetheri filium, exercitûs Judæ ducem. 33. Recident eorum cædes
in caput Joabi & capita poſterorum ejus in perpetuum: Davidi verò, poſteriſque ejus,
familiæ & ſolio pacatus erit Jehova in æternum. 34. Ivit ergo Benaja, Jehojadæ fi-
lius, qui in hominem irruit, interfecitque eum; ac ſepultus quidem eſt Joabus domi
ſuæ, in ſolitudine. 35. Tum Rex ejus loco Benajam, Jehojadæ filium, exercitui præ-
fecit, Tſadokúmque Sacerdotem, Ebiatharis loco conſtituit.

36. Poſtea acerſivit Rex Simhin, eique, ædifica tibi, inquit, domum Jeroſolimæ,
atque hîc habitato; neque hinc, huc aut illuc, egreditor. 37. Quo verò die egreſſus
fueris, trajeceriſque torrentem Kidronem, ſcito te moriturum; cædes tua tum in ca-
put tuum recidet. 38. Simhis verò Regi, bonum eſt, inquit, quod dixit dominus
meus Rex. Sic ſe geret ſervus tuus. Ac diu quidem Jeroſolimæ manſit Simhis.
39. Exactis verò tribus annis, cùm fugiſſent ei duo ſervi ad Achiſum, Mahachæ fi-
lium, regem Gathi, nunciatúmque ei eſſet, ſervos ejus eſſe Gathi; 40. ſurrexit Sim-
his, ſtratóque aſino profectus eſt Gathum ad Achiſum, ut ſervos ſuos quæreret; pro-
fectus

Cornua altaris] Ad quod confugit, quaſi ad Aſylum. Vide ad Cap. I, 50.

29. *In eum irruito*] פגע בו *phegab bo*. Ex ſequentibus verbis, videmur colligere poſſe Salomonem juſſiſſe Benajam occidere Joabum, ſi poſſet eum ut ab altari recederet prolicere. Alioqui nihil opus fuiſſet iterato mandato. Ex ſequentibus paſſim ſunt antecedentium circumſtantiæ omiſſæ colligendæ. Vide vſ. 42.

30. *Rem verò retulit Benaja Regi*] וישב בניהו את המלך דבר *vajjaſcheb Benajahou eth hammelech dabar*. Vidimus hanc loquutionem 2. Sam. XXIV, 13. Omnino crediderim hîc quoque pro את *eth* legendum eſſe אל *el*, nam integra loquutio eſt וישב את הדבר אל המלך *& fecit redire rem ad Regem*. Vide Exod. XIX, 8. Nec dubito quin ad eam formam ſint refingenda loca, ubi את *eth* antecedit non rem, ſed perſonam, ut infra C. XII, 16. & alibi.

32. *A me, domóque Patris mei*] Reges, nimirum, cùm eſſent populi Hebræi Judices, tranquillitatiſque & ſecuritatis publicæ defenſores, debebant reos cædis capite plectere, ſi cædem improbarent; ſin minus, ipſi ſibi contrahebant pœnas homicidis debitas, quandoquidem cædem probare videbantur, quam non puniebant. Hebraicâ loquutione, dicitur *ſanguis ſuper eo eſſe*, qui ejus effuſi ſupplicium Deo debet. Ideò *ſanguis amoveri* dicitur à Judice, quando pœnas de reo ſumit.

Quem ſine cauſa effudit] דמי חנם אשר שפך, *ſanguines gratuitos, quos effudit*; Abneri, nempe, & Hamaſæ. Quamvis juſta hæc eſſet cauſa occidendi Joabi, attamen quia partes Adonijæ ſequutus erat, potuerunt facilè ſuſpicari Hebræi hanc eſſe veram mortis ejus cauſam, cùm per tot annos dilatum fuiſſet ejus ſupplicium.

33. *Recidat cædes*] *Sanguis*. Ex his verbis Salomonis; jubentis ad ipſum altare occidi Joabum, cùm ab eo recedere nollet, colligere eſt Hebræos jus Aſyli tribuiſſe altari, in infortuniis, potiùs quàm in ſceleribus; quibus admiſſis nullum tutum erat Aſylum. Polluebatur magis altare, tactu homicidæ voluntarii, quàm ejus ſanguine illic effuſo; quo purgato, purum erat altare. Hac de re egit *H. Grotius*, de Jure P. & B. Lib. III. c. XXI. §. V. & VI.

Poſterorum ejus in perpetuum] *Seminis ejus*. Vide 2. Sam. III, 28, 29. Hæc verba plena ſunt odio, nam nec Abner, nec Hamaſa innocentiores erant erga Davidem Joabo, qui perpetuam, fidámque ac fortem Davidi operam navaverat; cùm per Abnerum atque Hamaſam non ſtetiſſet, quo minùs David periiſſet. Præſtitiſſet etiam poſterorum Joabi mentionem omittere. Virorum ceteroqui ſapientium non ſunt ſapientes omnes ſermones.

Pacatus erit Jehova] *Pax erit in perpetuum, à Jehova.*

35. *Sacerdotem*] Nempe, כהן הגדול *Pontificem Maximum*, unde liquet quamvis Tſadokus antè in munere Sacerdotali conjungatur cum Ebiathare, interdúmque ei præponatur, hunc tamen ſolum Pontificem Maximum fuiſſe. Vide 1. Sam. XX, 25.

36. *Ædifica tibi*] Facilè intelligebat Salomo Simhin vix abſtenturum ab itinere quopiam, præſertim diu poſt hæc tempora, & cùm ſe non ampliùs ſuſpectum Regi putaret; háncque occaſionem fore ejus de medio tollendi; ſin verò parêret, ea in re, facilè obſervatum iri quidquid faceret, & pœnas de minimo delicto ſumi poſſe.

37. *Torrentem Kidronem*] Quem tranſire eum oportebat, ut in patriam, Bachurimos, nempe, iret. Vide 2. Sam. XV, 23.

Ca-

Digitized by Google

fectus eſt, *inquam*, Simhis & Gatho ſervos ſuos reduxit. 41. Nunciatum eſt autem Salomoni Jeroſolimâ iviſſe Simhin Gathum, & reduiſſe. 42. Accerſivit verò Rex Simhin, eique, annon, inquit, te jurejurando obſtrinxeram per Jehovam, tibique edixeram, hiſce verbis: die quo egreſſus fueris & profectus, huc aut illuc, ſcito te moriturum; dixeráſque mihi: bona verba audivi? 43. Quare ergo non obſervaſti jusjurandum Jehovæ & id quod tibi præceperam? 44. Dixit præterea Rex Simhi: tu noſti omne malum, cujus ſibi conſcius eſt animus tuus, & quo affeciſti patrem meum Davidem. Fecit autem Jehova, ut in caput tuum recideret malum, *quod adprecatus Davidi fueras.* 45. Regi verò Salomoni bene eveniet, ſoliúmque Davidis firmum erit coram Jehova, in perpetuum. 46. Deinde mandatum dedit Rex Benajæ, Jehojadæ filio, qui egreſſus in eum irruit, mortuúſque eſt Simhis & regnum in manu Salomonis confirmatum.

III. Salomo ducit filiam Regis Ægypti, verúmque nihilo ſeciùs Deum colere pergit, à quo in ſomnis ſapientiam petit & impetrat; cujus inſigne ſpecimen dat Jeroſolimæ, in jure duabus mulieribus dicendo.

Caput III.

1. ADFINITATEM poſtea contraxit Salomo cum Pharahone, Ægypti Rege, duxitque filiam ejus, & eam intromiſit in urbem Davidis, donec abſolviſſet ædificare domum ſuam, Ædémque Jehovæ & murum Jeroſolimæ circumquaque. 2. Populus dumtaxat mactabat in locis editis, quia ad ea tempora nondum exſtructa erat Ædes nomini Jehovæ. 3. Amavit autem Salomo Jehovam, ita ut Davidis

Cædéſque tua] *Sanguis tuus erit in capite tuo.* Cædis tuæ ipſe eris cauſa, non ego, ſi occidi juſſero.

38. *Diu*] *Diebus multis.*

39. *Ad Achiſum*] Si ſit hîc idem Achis, ac ille ad quem olim confugerat David 1. Sam. XXVII, 2. oportet eſſe mendum hîc, aut illic, in nomine patris, aut matris; nam dicitur illic בן מעוך *ben Mahok*, quod poteſt eſſe nomen viri, hîc verò בן מעכה *ben Mahaka*, quod nomen eſt muliebre. Crediderim potiùs fuiſſe alium, cùm ab eo tempore per quadraginta annos regnaſſet David. Itaque ſomnia ſunt Rabbinica eorum, qui ſtatuunt hunc Achiſum, veteris amicitiæ causâ, volente Davide Philiſthæis imperitaſſe. Hæc ipſa fuga ſervorum ex Hebræorum ſolo in agros Philiſthæorum videtur oſtendere Philiſthæorum Regnum non fuiſſe Hebræis ſtipendiarium, aut obnoxium, quamvis amicum.

40. *Profectus eſt Gathum*] Fortè hoc ſibi licitum putavit, quòd Kidronem torrentem, quem tranſire vetitus fuerat, minimè trajecerit; nam Kidron erat ad ortum Jeroſolimæ, cùm, ut notum, Philiſthæorum agri ad occaſum eſſent.

42. *Obſtrinxeram*] Hoc antea omiſſum. Similem omiſſionem vide ad vſ. 29.

Edixeram] *Teſtatus fueram.*

44. *Malum quod adprecatus* &c.] *Malum tuum*, quod non poſſet Latinè intelligi, niſi aliquid adderetur.

45. *Bene eveniet*] ברוך *benedictus*; nempe, erit. Vide 2. Sam. XVI, 12.

46. *Qui egreſſus in eum irruit*] Occidit eum aut per ſe, aut per alios. Ejuſmodi mandata tunc ducibus ipſis dabantur, ut certiùs exſequutioni mandarentur; ſeu manu ſuâ ea exſequerentur, ſeu per milites, quos ſecum ducebant.

In Caput III.

1. P*Harahone*] Non fuit hoc nomen proprium, ſed dignitatis, ut diximus ad Gen. XII, 15. Mirum autem eſſet, à temporibus Moſaïcis, ad hæc uſque, in hiſtoria Hebræorum mentionem nullam factam Regum Ægypti; quaſi quæcumque per aliquot ſæcula in Chananæa finitima geſta ſunt, ad ſe pertinere non putaſſent, aut aliis occupati fuiſſent; niſi ipſi Ægyptii tradidiſſent à Mene, primo Rege qui Noacho æqualis fuit, nihil geſtum per plura ſæcula, quæ XIV. quidem, laxiore calculo, ſi cum Hebraïco conferatur, fuiſſe aiunt. *Diodorus* Siculus Biblioth. Lib. I. p. 29. ex relatu Sacerdotum Ægyptiorum: Ἄρξαι λέγεται δὲ Μηνᾶ τοὺς ἐκγόνους δύο πρὸς τοῖς πεντήκοντα τοὺς ἅπαντας, ἔτη πλείω τῶν χιλίων καὶ τετρακοσίων, ἐφ' ὧν μηδὲν ἄξιον ἀναγραφῆς γενέσθαι: *aiunt regnaſſe poſteros Menæ omnes quinquaginta duos; pluſquàm mille quadringentis annis, ſub quibus nihil memoratu dignum contigiſſe.* Seſoſtris demum, Ægypto exiit, indéque Reges, de ſubigendis vicinis cogitarunt. Qua de re, vide *Joan. Marshamum* Chron. Can. Ægyptiaco, ad Menis & Seſoſtris regna.

Duxitque filiam ejus] Putant eam Religionem Hebræorum amplexam eſſe, quia inter genera Idololatriæ, in quæ, ab uxoribus pellectus, prolapſus eſt Salomo, non memorantur Ægyptiacæ ſuperſtitiones.

In urbem Davidis] Hoc eſt, in regiam à Davide in monte Sione conditam; nam poſtea huic uxori Salomon domum ædificavit, quam habitavit. Vide C. IX, 24. 2. Par. VIII, 11.

Domum ſuam] ביתו betho, *domum ſuam*, nempe, Salomonis. Fortè legendum ביתה *domum ejus*, nempe, uxoris Ægyptiæ. Vide C. IX, 24. Habent tamen LXX. οἶκον αὐτοῦ.

2. *In locis editis*] Quamvis ad Tabernaculum debuiſſent tantùm Sacra facere, ex Lege Levit.

Digitized by Google

dis patris inſtituta ſequeretur. In excelſis locis, mactabat dumtaxat & ſuffie-
bat.
4. Cùm autem iviſſet Rex Gabahonem, ut Sacra illic faceret, amplus enim illic erat
locus editus, mille holocauſta Salomo in altari illo adolevit. 5. Gabahone etiam conſ-
pectus eſt Jehova Salomoni, in ſomnio nocturno, dixitque ei Deus: pete quod tibi
dabo. 6. Salomo verò, tu, inquit, benigniſſimum te erga ſervum tuum, Davidem
patrem meum, præbuiſti; & quandoquidem ipſe inceſſit coram te in ſinceritate, in
juſtitia, in recto animo erga te, magnam hanc benignitatem in eum conſtanter exer-
cuiſti, dediſtique ei filium, inſidentem ejus ſolio, quemadmodum hodie *ſedeo.* 7. Fe-
ciſti nunc, ô Jehova Deus mi, ut ſervus tuus regnaret, loco Davidis patris mei; ego
vero adoleſcentulus ſum, qui neque egredi, neque ingredi ſcio. 8. Servus autem tuus
eſt in medio populo, quem elegiſti, *qui* populus ſic numeroſus eſt, ut neque numera-
ri, neque recenſeri præ multitudine poſſit. 9. Da verò ſervo tuo animum ſapientem,
ad jus dicendum populo tuo, ſecernendúmque bonum à malo; quis enim *alioqui* poſ-
ſet tanto iſti populo tuo jus dicere? 10. Gratum autem fuit Domino Salomonem hoc
petiiſſe, 11. eique Deus; quia, inquit, hanc rem petiiſti, nec poſtulaſti tibi vitam
longævam, aut divitias, aut vitam hoſtium tuorum; ſed petiiſti ut ſaperes, quò jus
intelligeres; 12. en feci prout dixiſti, conceſſi tibi animum ſapientem, & intelligen-
tem; adeò ut ante te ſimilis tibi nemo fuerit, nec poſt te inſtar tui exoriturus ſit.
13. Sed & præterea iis, quæ non petiiſti, donavi te, & divitiis & gloriâ; ita ut per
totam vitam tuam nemo inter Reges futurus ſit tui ſimilis. 14. Si verò viis meis inſti-
teris, ita ut obſerves inſtituta ac præcepta mea, ſicut eis inſtitit David pater tuus, vi-
tam tuam producam. 15. Cùm excitatus fuiſſet Salomo, ſomnium *deſiit*, ivitque ille
Jeroſolimam, ac ſtetit coram Arca fœderis Jehovæ, ubi obtulit holocauſta & ſalutaria
Sacra, ſuóſque omnes ſervos convivio excepit.
16. Poſtea venerunt duæ meretrices ad Regem, & in conſpectu ejus ſteterunt. 17. Ibi
altera mulierum, adtende, inquit, *ea quæ dicam*, domine mi, ego & mulier illa do-
mum unam habitamus, eaque in domo cum ea peperi; 18. & triduo quidem, poſtquàm
peperiſſem, peperit etiam hæc mulier, unáque eramus; nec ullus alienus nobiſcum
domi, præter nos ambas, erat. 19. Mortuus eſt autem noctu filius hujus mulieris,
quia ei incubuit. 20. Tum ſurrexit mediâ nocte, filiúmque meum à me abſtulit, dum
an-

Levit. XVII, 3, 4. attamen ea Lex hactenus obſervata non fuerat, neque hoc populo vitio vertebatur.

4. *Gabahonem*] Ubi erat Tentorium, & altare Moſaicum, ut docemur 2. Par. I, 3, & ſeqq.

Mille holocauſta] Quibus ſalutaria Sacra etiam ſunt addenda, ut ad ſacrificium vocati convivarentur; nam holocautoma totum adolebatur, expiandorum quippe peccatorum gratiâ oblatum.

6. *Benigniſſimum te præbuiſti*] *Feciſti benignitatem magnam, cum ſervo tuo* &c.

In recto animo] *In rectitudine cordis.*

In eum conſtanter exercuiſti] *Servaſti ei*, ותשמר לו *vatthiſchmor lo.*

7. *Adoleſcentulus*] נער קטן *puer parvus.* Sic loquitur κατ᾽ ὑπερβολὴν, ut imperitiam ſuam in difficillima arte regnandi agnoſcat. Sic paſſim נערים vocantur adoleſcentes & juvenes variarum ætatum. Vide Geneſ. XLVI, 20. Exod. XXXII, 10. Viginti aut circiter annos natus erat Salomo, paterque ejus David *virum ſapientem* eum vocat Cap. II, 6, 9. unde intelligere eſt *puerulum* non fuiſſe.

Neque egredi, neque ingredi ſcio &c.] Notus eſt Hebraiſmus, quo univerſa rerum ad vitam pertinentium adminiſtratio ſignificatur.

8. *Ut neque numerari*] *Non numerabitur, neque recenſebitur, præ multitudine.*

9. *Sapientem ad jus dicendum*] *Cor audiens ad judicandum* לב שמע לשפט *leb ſchomeah liſchphot.* Verbum שמע, quod propriè *audire* ſignificat, aliquando etiam eſt *intelligere*, quia ex auditu naſcitur intellectio, præſertim in jure dicundo. Vide Job. XV, 8. Eadem eſt ambiguitas, in Græco verbo ἀκούειν. Vide vſ. 11.

10. *Gratum fuit* &c.] *Recta fuit res in oculis* &c. Videtur Salomon Dei interrogatione fuiſſe excitatus, atque ad eum preces memoratas vigilans fudiſſe; deinde cùm obdormiiſſet, iterum reſponſum Dei accepiſſe. Sin malis à dormiente preces illas fuſas, dicendum erit Deum ex dormientis cogitationibus de eo judicaſſe.

11. *Vitam longævam*] *Dies multos.*

12. *Ante te* &c.] Inter Reges Iſraëlis, neque enim hoc ad omnes homines extendendum.

13. *Totam vitam tuam*] *Omnibus diebus tuis.*

15. *Somnium deſiit*] *Et ecce ſomnium.*

Stetit coram Arca] Deum etiam illic adoravit, ſtantes enim orabant, ceteráque ſacra miniſteria obibant. Vide Deut. XVIII, 5, 8.

16. *Poſtea venerunt*] Eſt ibi אז quod ſignificat *tunc*, & quod referendum non ad diem illum, quo Sacra fecit Salomo, ſed ad initium ejus regni.

19. *Quia ei incubuit*] Ut fit interdum à nutricibus, juxta infantes dormientibus, & nimio ſomno oppreſſis.

20. *Collocavitque eum* &c.] Hæc mulier, meretrix licèt, cupiebat habere puerum qui filius ejus diceretur; eum quippe venditura, ſi
ita

Digitized by Google

ancilla tua dormiret, collocavitque eum in ſinu ſuo, at filium ſuum mortuum in ſinu
meo. 21. Cùm autem matutino tempore ſurgerem, ut lac præberem filio meo, ecce
verò mortuus erat. Sed cùm ortâ luce puerum conſiderarem, non erat ille filius meus,
quem pepereram. Altera verò mulier, nequaquam, inquit; nam filius meus eſt, qui
vivit; filius verò tuus, qui obiit. Illa *contra*, nequaquam, inquit; ſed filius quidem
tuus eſt, qui obiit; meus verò filius, qui vivit. *Sic* illæ loquebantur, coram Rege.
23. Tum Rex, hæc dicit, inquit, hic filius meus eſt, qui vivit; filius tuus eſt, qui obiit;
illa verò, nequaquam, inquit, ſed filius quidem tuus eſt, qui obiit; filius vero meus,
qui vivit. 24. Sumite ergo mihi, inquit Rex, gladium. Itaque gladium coram Re-
ge attulerunt. 25. Dividite verò, inquit Rex, puerum vivum duabus, ac date dimi-
diam quidem partem uni, dimidiam verò alteri. 26. At mulier cujus erat filius, qui
vivebat, Regi (nam æſtuabat materna erga filium pietas) adtende, inquit, *quæ dico*,
domine mi; date illi puerum vivum, nec eum inteficite. Altera verò, nec mihi, in-
quit, nec tibi erit; eum dividite. 27. Tum Rex interfatus, date, inquit, alteri pue-
rum vivum, nec eum interficite; hæc ejus mater eſt. 28. Audiverunt autem omnes
Iſraëlitæ judicium, quod tulerat Rex, eúmque reveriti ſunt; quia viderunt divinam
ſapientiam, ad jus dicendum, ei ineſſe.

IV. Miniſtri ac præfecti Salomonis, ſub quibus floret regnum. Ejus potentia. Summa Regis ſapientia ac eruditio.

1. CUm eſſet Salomo Rex totius Iſraëlis, 2. proceres ejus erant, Hazarja, Tſa- CAPUT
doki filius, princeps; 3. Elichorephus & Achija, Siſæ filii, ſcribæ; Jehoſa- IV.
phatus, Achiludi filius, à commentariis. 4. Benaja, Jehojadæ filius, præerat
exercitui, Tſadokus verò & Ebiathar Sacerdotes erant. 5. Hazarja, Nathanis filius,
præerat præfectis præſidiorum; Zabudus verò, Nathanis filius, princeps & amicus Re-
gis. 6. Achiſar præerat domui *regiæ*, Adoniramus verò, Habdæ filius, tributis.
7. Salomoni præterea erant duodecim viri univerſo Iſraëli præfecti, qui Regem fa-
miliámque ejus alebant; ſingulorúmque *munus* erat, *uno* anni menſe, *Regiam familiam*
alere. 8. Hæc autem fuerunt eorum nomina: * * Churis filius, in montanis Ephraïmi.
9. * *

ita res poſtularet, & olim fortè ab eo ſuſtentanda, ſi induſtriâ polleret.

21. *Ortâ luce*] Hîc eſt iterum בבקר *babboker*. Sed *ortâ luce* vertimus, ad vitandam repetitionem, præter quàm quòd tempus paullò ſerius hîc ſignificatur.

26. *Æſtuabat materna* &c.] נכמרו רחמיה *nichmerou rabhameha*, commota ſunt viſcera ejus mulieris. Vide ad Gen. XLIII, 29.

27. *Hæc ejus mater eſt*] Facilè erat intellectu eam, quæ patiebatur puerum dividi, matrem non eſſe.

28. *Divinam ſapientiam* &c.] *Sapientia Dei in medio ejus, ad judicium faciendum.*

In CAPUT IV.

2. PRinceps] הכהן *hacchohen*, quod Sacerdotem hic non ſignificat, ut liquet ex vſ. 4. Sed כהנים *chohanim* dicuntur etiam *aulicorum principes*. Vide 2. Sam. VIII, 18. ubi vide notata.

4. *Ebiathar Sacerdotes erant*] Sunt qui velint non fuiſſe eumdem Ebiatharem, quem Pontificatu Maximo amoverat Salomon. Malim eumdem interpretari, cui fortè Rex eatenus poſtea ignovit, ut proximâ poſt Tſadokum dignatione eſſe paſſus ſit.

5. *Princeps & amicus Regis*] כהן רעה המלך *chohen rebeh hammelech*. Videtur fuiſſe Nathanis Prophetæ filius, & intimæ admiſſionis amicus. LXX. Intt. habent tantùm ἑταῖρος τοῦ βασιλέως, & Vulg. *amicus Regis*; ac ſanè vox רעה *rebeh* videtur addi, explicationis tantùm gratiâ, ne quis כהן *chohen* hîc *Sacerdotem* eſſe putet.

7. *Regem, familiámque ejus alebant*] Hoc eſt, ſuppeditabant vicibus quæ neceſſaria erant alendæ familiæ regiæ; ſeu victus ex agris, quibus præerant, Jeroſolimam mittebant, quiſque ſuo tempore.

Singulorum munus erat] *Erat ſuper uno* (על המשר) *ad alendum.* Vide 2. Sam. XVIII, 11.

8. *Churis filius*] Notam lacunæ hîc & tribus ſequentibus nominibus præfiximus, nam in catalogo miniſtrorum Salomonis, qualis hîc traditur, non poteſt fieri ut nomen proprium quatuor primorum, datâ operâ, omiſſum ſit, cùm octo reliquorum nomina memorentur. Nec ſolent nomina parentum, omiſſo proprio, proferri, niſi ſingulari de cauſa; ut quando iratus eſt qui loquitur, nec præ indignatione nomen inviſi hominibus proferre vult. Sic David, ab irato Saüle, aliquoties *Jiſais filius* dicitur. Vide 1. Sam. XX, 27, 30. XXII, 7, 8, 9, 13. Scio Vulgatum & alios ita hæc vertiſſe, ut vocula בן *ben* ſit pars nominis, *Ben-chur*, *Ben-deker*, *Ben-cheſed*, *Ben-abinadab*. At ſi hæc diligentiùs conſiderentur, dubium non erit quin debeant verti *filius Churis* &c. ut poſt ſequentia octo nomina, & ſic crediderunt Maſſorethæ, qui

9. * * Dekeri filius, Makatſi, Salhabimis, Bethſemeſi, Elone & Bethchanane. 10. * * Cheſedi filius, Arubbothis, cui & Socho, & omnis tractus Chepheri *adtributus* fuit. 11. * * filius Abinadabi *præerat* tractui univerſo Doræ, ejúſque uxor erat Thaphatha, Salomonis filia. 12. Bahana, Achiludi filius, *præerat* Thahanacho, toti *tractui* Beth-ſeanis, quæ *urbs* eſt juxta Tſarthanem, infra Jizrehelem, Beth-ſeane uſque ad Abel-mecholam, è regione Jokmehami. 13. * * Geberi filius, *præerat* Ramothis Galahaditidis. Adtributæ huic erant & villæ Jaïris Manaſſitæ, quæ in Galahaditide ſunt, & tractus Argobi, qui in Baſanitide, *ubi* ſexaginta urbes magnæ, mœnibus *cinctæ*, & ferreis vectibus *clauſæ*. 14. Achinadabus, Hiddonis filius, Machanajimos *habebat*. 15. Achimahatſus *præerat* Nephthalitidi; & is quoque Boſmatham, Salomonis filiam, uxorem duxerat. 16. Bahana, Chuſaïs filius, *præerat* Aſeritidi & Halothis; 17. Joſaphatus, Pharuachi filius, Iſſaſcharitidi. 18. Simhis, Helæ filius, Benjaminitidi; 19. Geber, Uris filius, tractui Galahaditidis, qui fuit in terra Sichonis Emoræorum Regis, & Hogi Baſanitidis Regis. Unus ille præfectus *fuit*, qui in illo tractu *erat*.

20. Ju-

ſcribunt ſeorſim בן-חור. Sic quoque intellexerunt LXX. Intt. qui habent υἱὸς, niſi quod in hoc verſu præfigitur Βὲν, aut Βαὶν, quod videtur eſſe nota marginalis, quâ ſignificabatur eſſe בן *ben* in textu Hebræo, à quopiam, qui putabat hæc eſſe nomina propria. Facilè potuit fieri ut initio verſuum ſcripta hæc nomina, in antiquis Codicibus, longinquitate temporis, deleta fuiſſent.

11. *Ejúſque uxor erat Thaphatha* &c.] Non potuit hoc eſſe initio regni Salomonis, qui junior erat quàm ut filias nubiles haberet; ſed poſtea contractum eſt hoc matrimonium, ut & id quod memoratur vſ. 15.

12. *Tſarthanem*] Vide Joſ. III, 16.

Infra Jizrehelem] Jordanem versùs.

20. *Multitudine arenam æquabant* &c.] *Multi inſtar arenæ*. Nemo non videt hîc eſſe Hyperbolen, quæ ita eſt explicanda, ut agri populi Hebræi incolis pleni fuiſſe intelligantur. Mirum eſt Hebræos, in longa pace regni Salomonis, coloniis ſuis vicinas oras non occupaſſe.

21. *A fluvio Euphrate ad terram*] מן הנהר ארץ פלשתים min hannahar erets Philiſchthim. *A fluvio terram Philiſthæorum*. Sic enim eſt vertendum, non *à flumine terræ Philiſthiim*, ut habet abſurdè Vulgatus; primò quòd terræ Philiſthææ nullus inſignis fluvius memoretur, qui fuerit inter Philiſthæam, & Ægyptum, excepto Nilo, qui non eſt Philiſthææ, ſed Ægypti. Deinde nulla ſunt regna interpoſita, inter eum fluvium, quicumque ſit, & Ægyptum. Itaque Hebraïca verba ſic intelligenda, cum pleriſque Recentioribus, duxi; quaſi hinc excidiſſet, aut ſubaudiendum certè eſſet עד *uſque*, ante ארץ *terram*. Ac ſanè regna omnia ad ortum Jordanis ſita, ad Euphratem uſque, vectigalia jam fuerant Davidi, nec terminus ditionis Iſraëlis ullus erat ab Euphrate ad occaſum remotior terrâ Philiſthæâ, ſoléntque ea inter ſe opponi. In verſione LXX. Intt. quamquam hîc ſit confuſa, ſic verba Hebraïca vertuntur: ἐν πάσαις ταῖς βασιλείαις, omiſſis reliquis. Vide Gen. XV, 18. & infra vſ. 24.

22. *Triceni chori ſimilæ*] כר *chor* eadem menſura ac חמר *hhomer*, quæ Tritici 648 libras Romanas continebat, ex calculo *Ed. Bernardi*. Hinc facile iniri poteſt numerus hominum, quo aula Salomonis conſtabat, ſi vel ſingulis duas libras tribuas, & nonaginta Choros tritici quotidie abſumtos ſtatuas. Alentur plus quam viginti quatuor millia hominum, eâ tritici copiâ. *Simila* autem, Hebraïcè סלת *ſoleth*, eſt flos farinæ quò panes coquebantur Regiæ familiæ, lautioriſque ſortis miniſtris, qui in aula erant; *farina* autem, קמח *kemahh*, craſſior fuit, ſurfuri miſta, quâ ſervi & milites alebantur.

23. *E paſcuis*] רעי *paſtionis*, hoc eſt, datâ operâ in ſtabulo non ſaginati, ſed è paſcuis ſumti.

Antholopas] יחמור *jahhmour*. Sequutus ſum ſententiam *Samuelis Bocharti*, qui Hierozoïc. Part. I. Lib. III. c. 22. oſtendit ſic dictum capreæ quoddam genus, quod *Antholops* à Græcis dicitur. Eum adibunt, qui ejus rationes expendere cupient.

Electiſſima quæque ſaginatorum] ברברים אבוסים *barburim abouſim*. Idem vir doctiſſimus, ejuſdem operis P. 2. Lib. I. c. 19. optimè oſtendit ברברים *barburim* eſſe *electiſſima*, duplicatis litteris radicis ברר *barar* elegit, quod ſignificationem intendere ſolet. Sed quamvis אבוסים propriè de pecudibus ſaginatis dicatur, ut obſervat; hoc in loco, de avibus potiùs intellexerim, quia de pecudibus ſaginatis antea dictum eſt. Hinc LXX. Intt. habent ὀρνίθων ἐκλεκτῶν νομάδων, omiſſâ, ut puto, voce יחמורים *jahhmourim*, quam & vocem צבי *tſebi*, verterunt uno vocabulo δορκάδων. Sic & Vulgatus: *avium altilium*. Poterunt conferri cum ſumtibus diurnis Salomonis ſumtus, quos faciebant Perſarum Reges in prandium & cœnam, quales exſtant apud *Polyænum* Stratagem. Lib. IV. cap. III, 32. ubi quædam ſimilia invenientur, qualia ſunt diverſa genera farinæ & nonnulla alia. Sed longè potentiores & magnificentiores erant Perſarum Reges Hebræorum Regibus, adeóque omnium ditiſſimo Salomone.

24. *Omnibus terris cis Euphratem*] בכל עבר הנהר *omni cis fluvium*; nempe, ארץ *terræ*. Is terrarum tractus promiſſus erat Abrahami poſteris Geneſ. XV, 18. הנהר *hannahar*, fluvius, κατ' ἐξοχὴν dicitur Euphrates. Vocula עבר poteſt, ut notum, verti *cis*, aut *trans*, prout Scriptor cenſebitur ad occaſum, vel ad ortum Euphratis hunc librum litteris mandaſſe. Vide Eſdr. IV, 10, 11. V, 3, 6. Neh. II, 7, 9.

A Thiphſacho ad Gazam] מתפסח ועד עזה *mitthiphſahh vehad Hazza*. LXX. Intt. ἀπὸ Ῥαφὶ ἕως Γάζης. Nota quidem eſt Raphia ad fines Ægypti, quæ poſt Rhinocoruram prima occurrebat,

Digitized by Google

20. Juda interea & Iſraël multitudine arenam, quæ eſt ad mare, æquabant, come-
debántque, bibebant & lætabantur. 21. Salomo verò dominabatur omnibus regnis,
quæ ſunt à fluvio *Euphrate*, *ad* terram Philiſthæorum, & fines Ægypti. Attulerunt
illinc munera & ſervierunt Salomoni, omnibus vitæ ejus diebus. 22. Salomoni autem
in cibum quotidianum erant triceni chori ſimilæ & ſexageni farinæ; 23. deni juvenci
pingues, viceni juvenci è paſcuis, & centenæ minores pecudes, præter cervos, ca-
preas, antholopas & electiſſima quæque ſaginatorum. 24. Imperabat enim omnibus
terris, cis *Euphratem* fluvium, à Thiphſacho ad Gazam uſque, omnibúſque Regibus,
qui ſunt cis eum fluvium, páxque ei erat ab omnibus partibus, undequaque. 25. Ha-
bitarunt Juda & Iſraël ſecurè, quiſque ſub vite & ficu ſua, Dane Beerſebam uſque,
per totam Salomonis vitam. 26. Fuerunt autem Salomoni quadraginta millia præſe-
pium equorum, ad currus ejus, & duodecim millia equitum.
27. Alebant autem illi præfecti Regem Salomonem, omnéſque qui ad men-
ſam ejus accedebant, ſinguli menſe ſuo; nec quidquam *ei* deeſſe patiebantur.
28. Hor-

bat, ſi quis Gazâ illuc iret. Sed nihil huc facit. Vulgatus *Thaphſa*. Intelligitur *Thapſacus* oppidum ad Euphratem ſitum, ubi trajici fluvius ille ſolebat, ut omnes Geographi docent. Græci ſecundam adſpirationem molliverunt. Inter hanc urbem ad ortum, & Gazam ad occaſum, continebantur terræ, quas poſſidebat, aut vectigales habebat Salomo.

Partibus] *Lateribus* עברין *habaran*.

25. *Quiſque ſub vite*] Proverbium, quo quieta omnium vita in prædiis ſignificatur.

Per totam Salomonis vitam] *Omnibus diebus Salomonis*.

26. *Quadraginta millia præſepium*] ארבעים אלף ארות סוסים *arbahim eleph uroth ſouſim*. Quæritur hîc, ante omnia, quid ſibi velit ארות *uroth*. LXX. Intt. habent τεσσαράκοντα χιλιάδες τοκάδες ἵπποι, quaſi ארות deduxiſſent ab הרה harah *concepit*. Sed nec hoc uſui Linguæ Hebraïcæ, nec rei convenit, nam credibile non eſt τοκάδας tantùm ἵππους curribus junctas. Vulgatus vertit *præſepia*, quod poſſit aliquatenus ferri, ſi ſingulis equis *præſepe* ſuum tribuatur; ita ut Salomo dicatur hîc tantùm quadraginta millia equorum habuiſſe; nam ſi majora præſepia, aut etiam ſtabula, vel equilia integra intelligerentur, res planè incredibilis fieret. Itaque *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 9. putat ארות dictos eſſe *loculos*, in ſtabulis diſtinctos, ex quibus ſingula jumenta carpunt pabulam, quod ſingulis adponitur. Deduxit vocem ab ארה *arah*, carpſit, decerpſit, quia jumenta inde pabulum decerpunt. Sic 2. Par. XXXII, 28. ſumitur.

Verùm major multò eſt difficultas, in numero curruum, qui alibi is fuiſſe dicitur, cui opus non erat quadraginta millibus equorum; nam 1. Reg. X, 26. & 2. Paral. I, 14. dicuntur fuiſſe אלף וארבע מאות *mille quadringenti*. Hos porrò currus, ex ſententia viri eruditiſſimi, quem modò laudavi, veriſimile eſt partim fuiſſe bigas, partim trigas, partim quadrigas, pro more illorum temporum. Si bigæ omnes fuiſſent, curules equos habuiſſet Salomo bis mille octingentos; ſi omnes quadrigæ, quinquies mille & ſexcentos. Inter quæ extrema, ferè medius eſt numerus quatuor millium. Quamobrem curules equi Salomonis parum fuere ſupra, aut infra hunc numerum. Quorſum igitur illis fuiſſent quadrageſies mille loculi? Sanè 2. Paral. IX, 25. dicuntur tantùm fuiſſe Salomoni ארבעת אלפים ארות סוסים ומרכבות *quatuor millia loculorum equorum & curruum*; hoc eſt, equis qui trahendis curribus inſerviebant. Itaque, judice *Bocharto*, aut corrupti ſunt hîc numeri & pro ארבעים אלף *quadraginta millia*, legendum ארבעת אלף *quatuor millia*; vel, ut contendebat *Jac. Cappellus*, ארבעים ſignificat hîc *quatuor*, non *quadraginta*, ut ſingulare ארבע, quod ille exemplo carere non putat. At exempla, quæ profert *Jac. Cappellus*, incerta ſunt, ideoque multò ſatius eſt mendum hîc in hoſce numeros irrepſiſſe agnoſcere, qualia ſunt alia in numeris, ut oſtendit *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. I. c. X, 5. & ſeqq. Vide & ad 1. Sam. XIII, 5. & 2. Sam. X, 18.

Scio eſſe viros eruditos, qui ullam repugnantiam eſſe negent inter hunc Regum locum & 2. Par. IX, 25. quod hîc quidem ſermo ſit de equis, illic verò de equilibus. Verum non obſervant utrobique ſermonem eſſe de iis, quæ dicuntur ארות *uroth*, aut אריות *urjoth*, quæ utrobique idem ſignificant. Itaque inanis eſt conjectura, quâ in ſtabulis ſingulis collocant decem equos; ut fuerint quadraginta millia equorum, in quater mille equilibus. Præterea nec huic conjecturæ convenit cum numero curruum, qui tribuitur Salomoni; nam quadrageſies mille equi ſatis fuiſſent decies mille quadrigis, cùm habuerit tantùm mille quadringentos currus, ut oſtendimus. Adde quòd equi curules quadrageſies mille & duodecies mille equites, ſint nimius equitatus, quàm ut ab Hebræorum Rege perpetuò ali poſſent. Non dicam Lege Moſaïcâ Deut. XVIII, 16. vetitum fuiſſe Regibus tantum habere equitatum, nam potuit fieri ut Salomo non majorem rationem ejus capitis Legis haberet, quàm alterius, quo magnum numerum uxorum, aut pellicum, habere vetabatur; ſed nuſquam videmus Hebræos uſque adeò abundaſſe equitatu, nec ſanè poterat gens pecuaria bellicis equis nutriendis abſumere utiliorum pecudum alimenta. Fateor Salomoni opus fuiſſe equitatu majore, quàm aliis, ut in officio contineret gentes ad orientem Jordanis, à patre ſubactas; verùm duodecim millia equitum & mille quadringenti currus ſatis, ſupérque fuiſſe videntur; cùm præſertim longa pace frueretur.

27. *Neque quidquam ei deeſſe* &c.] ולא יעדרו דבר *vlo jebadderou dabar*. Vulgatus paraphraſticè; *cum ingenti cura præbebant, in tempore ſuo*.

28. *Ve-*

28. Hordea quoque & paleas equis & veredis vehebant, in locum ubi erant, quiſque prout conſtitutum erat

29. Donavit etiam Deus Salomonem ſapientiâ & peritiâ maximâ, animique amplitudine, quæ arenam, quæ eſt in littore maris, æquabat. 30. Sapientia Salomonis ſuperavit ſapientiam omnium Orientalium & omnem ſapientiam Ægypti. 31. Omnibus ſapientior fuit, etiam Ethane Ezrachita, Hemane, Chalchole & Darda, filiis Macholis, famáque ejus per omnes gentes finitimas *ſparſa* fuit. 32. Protulit tria millia ſententiarum, ejúſque canticorum fuerunt quinque millia. 33. Egit & de arboribus, à Cedro, quæ *naſcitur* in Libano, ad Hyſſopum, quæ prodit ex muro; de quadrupedibus, de avibus, de reptilibus, déque piſcibus. 34. Venerunt etiam ex omnibus po-

28. *Veredis*] ולרכש *vlarechesch*. LXX. Intt. verterunt, καὶ τοῖς ἅρμασιν, quaſi legiſſent ולרכב *vlarecheb*. Sed, ut rectè animadvertit *Bochartus*, equis, non curribus, adfertur pabulum. Idem ejuſdem Operis P. 1. Lib. II. c. 6. multis probat, voce רכש *rechesch*, equum curſorem ſignificari, quod unâ voce *veredus* verti poteſt. Vulgatus vertit *jumenta*, fortè quod in *Aquilæ* verſione κτῆνος verſum videret, quod eſt à radice κτᾶσθαι *adquirere*, ut רֶכֶשׁ eſt à radice רָכַשׁ quæ etiam eſt *adquirere*.

Ubi erant] אשר יהיה שם *in quo erant*, *quiſque pro judicio ſuo* במשפטו. LXX. Intt. οὗ ἂν ᾖ ὁ βασιλεὺς, & Vulgatus: *ubi erat Rex*. Reſpexerunt ad vſ. ſuperiorem, ſed *Bochartus* hæc refert ad equos. Intelligitur locus unicuique conſtitutus, nam equi erant per Iſraelem diſſeminati, ut faciliùs alerentur.

29. *Animique amplitudine*] ורחב לב *& latitudinem cordis*, hoc eſt, ingenium multarum diſciplinarum capax. Hæ laudes, ut & ceteræ omnes hominum, ſunt pro modulo temporum & locorum intelligendæ. Dei ſolius laudes limitibus nullis continentur.

30. *Superavit ſapientiam omnium Orientalium*] בני קדם *filiorum orientis*. Tres fuere gentes ad orientem Chananææ, ſapientiæ famâ celebres, Chaldæi trans Euphratem, Perſæ trans Tigrin, & Arabes cis Euphratem, meridiem versùs; quorum omnium antiquiſſimis temporibus celeberrima fuit eruditio, cujus reliquias collegit vir doctiſſimus *Thomas Stanleius*; cujus opus ex Anglica Lingua, ante hos ſexdecim annos, in Latinam tranſtulimus, poſteáque *Pneumatologiæ* noſtræ ſubjecimus. Ex eo opere liquebit quænam eorum populorum fuerit eruditio, quatenus quidem ex ejus ruderibus colligere licet. Erunt fortè qui contendant omnem illam eruditionem Salomone ſeriorem fuiſſe; verùm hic ipſe locus contrarium ſuadet, quamvis hiſtoriam ſatis accuratam earum gentium non habeamus, ut poſſimus ad originem culturæ apud eos diſciplinarum certò adſurgere. Cùm circa Babylonem & loca vicina primi à Noacho mortales ſedes poſuerint, credibile fit ea loca ut hominum, ſic ſcientiarum fuiſſe fontem; nam ubi primùm in corpus Reipublicæ coïverunt homines, illic diſciplinæ primùm excultæ videntur.

Hæc cùm ſatis clara ſint, *Joſephus*, quem ſequuti nonnulli recentiores Rabbini, בני קדם explicuit de Antiquis, quaſi ad verbum hæc loquutio vertenda eſſet: *filii Antiquitatis*. Habet enim *Joſephus* Antiquit. Jud. Lib. VIII. cap. 2. Τοσαύτην δ' ἦν ὁ Θεὸς Σολομῶνι παρέσχε φρόνησιν καὶ σοφίαν, ὥστε τοὺς ἀρχαίους ὑπερβάλλειν ἀνθρώπους: *tantâ Deus prudentiâ & ſapientiâ donaverat Salomonem, ut veteres ſuperaret homines.*

Ægypti] מצרים *mitſrajim*. Quamvis non dubitem quin poſſet optimè dici *ſapientia Ægypti*, pro *ſapientia Ægyptiorum*, tamen legi mallem מִצְרִים *mitſrim*; quia antea eſt non *ſapientia Orientis*, ſed *filiorum Orientis*. Sapientiæ Ægypti reliquias etiam collegit *Thom. Stanleiè* avunculus *Joan. Marshamus*, in Chron. Canone Ægyptiaco.

31. *Ethane Ezrachita*] Quatuor hæc nomina occurrunt inter poſteros Zerachi filii Judæ Patriarchæ & Thamaræ, 1. Par. II, 6. & ſunt qui velint hoſce intelligi, qui ſapientiâ celebres, apud priſcos Hebræos, fuerint. Horum opinionem juvat quòd *Ethan* dicatur אזרחי *ezrahhi*, nomine non multùm diverſo à זרחי *zarhhi* quod eſt nomen à Zeracho oriundi; ſed præſertim conſenſus quatuor nominum & quidem unius patris filiorum. Vix enim credibile eſt, in alia familia Hebræa, fuiſſe quatuor fratres cognomines quatuor filiis Zerachi Judæ filii. Scio eum qui vocatur hîc דרדע *Dardah*, dici 1. Par. דרע *Darah*; ſed diſcrimen exiguum eſt, & fortè à Librariis. Judæus, quo præceptore uſus erat *Euſebius*, putabat Moſe antiquiores fuiſſe. Sic ille in Pſ. LXXXVII. ex diſtinctione Græca: τούτους ἔλεγεν ὁ Ἑβραῖος ἐν Αἰγύπτῳ προφητεῦσαι πρὸ Μωσέως γενομένους: *hos dicebat Hebræus, ante ætatem Moſis, in Ægypto vaticinatos*. Alii, qui malunt hîc homines æquales Salomoni deſignari, objiciunt nomen *Macholis*, qui hîc dicitur eorum pater fuiſſe. Præterea mentio fit *Hemanis & Ethanis Ezrachitarum*, in Pſ. LXXXVIII, & LXXXIX titulis, & in poſteriore quidem vſ. 4. Heman Davidis meminit. Mentio etiam fit Hemanis, Samuelis nepotis, 1. Par. VI, 33. qui erat Videns Regis 1. Par. XXV, 5. Sed fuit & Ethan Levita, ex poſteris Meraris 1. Par. VI, 44. qui memoratur 1. Par. XV, 17. quaſi collega cantorum duorum, Hemanis & Aſaphi. Sed *Ethan & Heman*, cantores ac Pſalmographi, non fuerunt fratres, nec filii Macholis. Verum ut fatear, me & ὁμωνυμία & πολυωνυμία æquè hîc turbant, cogúntque pronunciare mihi de ſapientibus viris, quorum Scriptor Sacer hoc loco nomina profert, non liquere.

32. *Tria millia ſententiarum*] שלשת אלפים משל *ſchloſcheth alaphim maſchal*. Quidnam ſit משל *maſchal* intelligimus ex Libro Proverbiorum, quo continentur reliquiæ ejuſmodi dictorum Salomonis; quæ ſunt γνῶμαι, ſeu ſententiæ, proverbia, aliáque dicta ad mores pertinentia. Propriè quidem משל *ſimilitudinem* ſignificat, unde παραβολὴ à Græcis vertitur, ſed quia multæ ſententiæ morales, & pleraque omnia prover-

populis homines, ad audiendam Salomonis ſapientiam, nomine regum omnium terræ, qui eam audiverunt.

V. Chiramus, Tyriorum Rex, Salomoni gratulatur, opificéſque præbet & Cedros è Libano ad ædificandum Templum, quod maximo apparatu adgrediebatur.

1. MISIT Chiramus etiam, Rex Tyri, ſervos ſuos ad Salomonem, cùm audivit eum, loco patris, unctum fuiſſe Regem; nam amicus fuerat Chiramus Davidis, per totam ejus vitam. 2. Miſit & Salomo ad Chiramum, qui *nomine ipſius* dicerent: 3. noſti Davidem, patrem meum, non potuiſſe ædificare Ædem no-

verbia brevem ſimilitudinem complectuntur, ideò generali nomine משל ejuſmodi dicta vocata ſunt. Pro tribus ſententiarum millibus, *Joſephus* Lib. VIII. c. 2. habet παραβολῶν καὶ εἰκόνων βίβλους τρισχιλίας, *proverbiorum & ſimilitudinem ter mille libros.* Sed omnia fermè ad Salomonem pertinentia auxit & mutavit pro arbitrio, ut famam ejus, gentiſque Hebrææ apud Ethnicos augeret.

Canticorum fuerunt quinque millia] Satis, ſupérque hoc fuit Regi multis aliis occupationibus diſtento; ſed *Joſephus* hoc nequaquam contentus, συνετάξατο δὲ, inquit, καὶ βιβλία περὶ ᾠδῶν καὶ μελῶν πέντε πρὸς τοῖς χιλίοις, *compoſuit & libros de odis & canticis quinque ſupra mille*; quaſi ſcripſiſſet quinque & mille libros de arte Poëtica, quod fuiſſet ſubtilioris æquo Grammatici, & qui nullam rationem otii ſui, aliorúmve habuiſſet.

33. *Egit & de arboribus* &c.] Edidit, nempe, deſcriptiones plantarum, earúmque virtutum; ita ut hoc opus ad Phyſicen, Medicinámque pertineret. At morale fuiſſe vult *Joſephus*, qui hoc jungit cum Proverbiis: καθ᾽ ἕκαστον γὰρ εἶδος δένδρου παραβολὴν εἶπεν, ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου: *ſecundùm unamquamque ſpeciem arborum parabolam dixit, ab Hyſſopo, uſque ad Cedrum.* Sed hæc omnia ſunt, præter Scripturam.

Ad Hyſſopum] Tenuis & vulgaris planta opponitur magnæ & pretioſæ. Dicitur autem Hyſſopus, אזוב *ezob*, prodire ex muro, non quòd eâ voce intelligatur *parietaria*, ut nonnulli putant, ſed quòd Hyſſopus circa Jeroſolimam frequens facilè in rupibus, ruderibúſque adeò ſine ulla cura creſceret; qua de re vide quæ copioſè diſſerit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 50. col. 587. & ſeqq.

De quadrupedibus &c.] Phyſici videntur hi fuiſſe libri, quorum jacturâ animalium multorum, quorum Scriptura obiter meminit, cognitionem amiſimus. *Joſephus* præterea Magicos libros & Incantationes ei tribuit, quæ mera fuerunt impoſtorum ludibria.

34. *Ex omnibus populis*] Vicinis, nempe, aut ad quos pervenerat Salomonis fama.

In CAPUT V.

1. CHIRAMUS] חירם *Hhiram*, quod in Paralipomenis ſcribitur חורם *Hhuram*, facili mutatione. *Joſepho* dicitur Εἴρωμος, ut *Menandro* & *Dio*, Phœniciarum rerum Scriptoribus. Diximus ad 2. Sam. V, 11. hunc Chiramum fuiſſe filium alterius Chirami, qui Davidi ligna & fabros miſerat; quia *Joſephus* Ant. Jud. Lib. VIII. c. 2. & contra Apionem teſtatur Templum Salomonis conditum fuiſſe anno undecimo, vel duodecimo Chirami, Salomonis quarto; quod, ſi idem eſſet ac is qui ædificandæ Regiæ causâ ad Davidem miſerat fabros & ligna, vix dici poſſet; quia Chiramus ille jam regnabat cùm David Jeroſolimam cepit, quod contigit triginta tribus annis, antequàm regnaret Salomo; ita ut initium Chirami, qui Davidi primùm innotuerat, ſit multò antiquius initio Salomonis. Vide 1. Samuelis Cap. V. Itaque maluimus Chiramum, de quo hîc, filium ſuperioris facere.

Servos ſuos ad Salomonem] Nimirum, gratulatum.

Amicus fuerat Davidis] Patrem imitatus, ſed tantùm per octo annos, quibus vivo Davide regnavit, ſi *Joſepho* credimus. Scio à *Menandro* duos Hiromos non memorari, ſed potuit eſſe binominis Hiromus Hiromi filius.

3. *Noſti Davidem*] *Joſephus* ſententiam verborum Salomonis & reſponſionis Chirami duabus Epiſtolis comprehenſam reddidit; & ne quis putet eas ab illo confictas, ita loquitur: διαμένει δ᾽ ἄχρι τῆς σήμερον τὰ τῶν ἐπιστολῶν τούτων ἀντίγραφα, οὐκ ἐν τοῖς ἡμετέροις μόνον σωζόμενα βιβλίοις, ἀλλὰ καὶ παρὰ Τυρίοις· ὥστ᾽ εἴ τις θελήσειε τὸ ἀκριβὲς μαθεῖν, δεηθεὶς τῶν Τυρίων γραμματοφυλακίων δημοσίων, εὕροι συμφωνοῦντα τοῖς εἰρημένοις ὑφ᾽ ἡμῶν τὰ παρ᾽ ἐκείνοις: *permanent ad hodiernum uſque diem harum Litterarum exemplaria, non tantùm in noſtris ſervata libris, ſed & apud Tyrios; ita ut ſi quis voluerit accuratè rem noſſe, rogatis iis qui publicis tabulariis præſunt apud Tyrios, inventurus ſit quæ ab iis dicuntur conſentientia iis quæ nos diximus.* *Joſephus* poſtea plura de fide ſua jactat, quæ major apud nos eſſet, niſi Hiſtoriam Sacram tam ſæpe & tam turpiter interpolaſſet; quamvis ſe Hebræorum libros ſequi profiteatur. Quare ejus provocatione ad tabularia Tyriorum non multùm movemur, cùm vel in Hiſtoria Sacra harum litterarum nulla mentio fiat, ſed tantùm mandatorum, quæ legatis erant data. Dignum eſt etiam obſervatu *Joſephum* inducere Tyriorum Regem ita loquentem, quaſi Tyrus fuiſſet tunc temporis inſula; cùm conſtet Palætyrum fuiſſe in continente & eo tempore ſtetiſſe, nondum conditâ in inſula vicina novâ Tyro: ὅπως παράσχῃς ἡμῖν, inquit Chiramus, ἀντὶ τούτων σῖτον, ὃ διὰ τὸ νῆσον οἰκεῖν δεόμεθα, φρόντισον: *ut præbeas nobis pro his frumentum, quo indigemus quia inſulam habitamus, da operam.* De Tyro veteri & nova, vide quæ collegit *Joan. Marshamus*, in Chron. Canone ad ſæculum XVIII. Habemus etiam exemplar harum litterarum diverſum ex *Eupolemo*, apud *Euſebium*, de Præp. Evang. Lib. IX. c. 33.

nomini Jehovæ Dei ſui; propter bella, quæ eum circumdederunt, donec Jehova pe-
dibus ejus ſubjecit eos *quibuſcum ea geſſit.* 4. Nunc verò conceſſit mihi requiem Jehova
Deus meus circumquaque; nullus *mihi eſt* adverſarius, nec ullum *contigit* incommo-
dum. 5. Itaque nunc cogito de exſtruenda Æde nomini Jehovæ Dei mei, quemad-
modum prædixit Jehova Davidi, his verbis: filius tuus, quem loco tuo collocabo in
ſolio tuo, nomini meo Ædem exſtruet. 6. Nunc ergo jubeto cædi cedros in Libano,
& ſervi mei ſint cum tuis; & mercedem quidem ſervorum tuorum tibi dabo, prorſus
quemadmodum conſtitueris; noſti enim neminem eſſe inter nos, quia ſciat ligna cæde-
re, inſtar Sidoniorum. 7. Cùm hæc Salomonis verba audiret Chiramus, vehementer
lætatus eſt, &, benedictus, inquit, ſit Jehova, qui Davidi dedit ſapientem filium,
qui ingentem hunc populum regeret. 8. Tum miſit Chiramus ad Salomonem, qui di-
cerent, *ipſius nomine:* audivi quæ ad me *dicenda* miſiſti, faciámque per omnia, prout
cupis, de lignis cedrinis & abiegnis. 9. Servi mei ea demittent à Libano ad mare,
ego verò ex iis conficiam rates in mari, quas *duci curabo* ad eum locum, quò ad me
miſeris, ubi eas ſolvam, & unde tu ligna auferes. Tu verò facies quod cupio, ſi vic-
tum familiæ meæ ſuppedites.
10. Dedit ergo Chiromus Salomoni ligna cedrina & abiegna, prorſus ut voluit.
11. Salomo verò dedit Chiramo vigeſies mille choros tritici, victum ejus familiæ, & vi-
ginti choros olei contuſi. Hæc dedit Salomo Chiramo quotannis. 12. Dedit etiam
Salomoni Jehova ſapientiam, qualem ei promiſerat; & fuit quidem pax inter Chira-
mum & Salomonem, ac fœdus ambo fecerunt.
13. Contraxit verò Rex Salomo operas ex omni Iſraële, fueruntque triginta millia
ope-

c. 33. & 34. quod videtur etiam ex publicis Tyriorum tabulis prolatum, nec eo ſecius ſuppoſititium eſt. Librariis tamen, non *Eupolemo*, tribuerim depravationem nominis ΕΙΡΩΜ, vel ΟΥΡΩΜ in ΣΟΥΡΩΝ.

3. *Nomini Jehovæ Dei ſui*] Hoc eſt, ædem quæ de ejus nomine appellationem traheret, diceretúrque בית יהוה *Ædes Jehovæ*. Qua in re, Deus etiam ſe ſe captui Judæorum adtemperavit, ut quemadmodum vicini populi habebant *Templa Aſtartæ*, *Chemoſi*, *Dagonis*, *Molechi*, ipſi quoque haberent publicum ædificium, quod *Templum Jehovæ* diceretur.

Pedibus] *Plantis pedum.*

Eos quibuſcum] Eſt Hebraïcè אותם *eos*, quaſi pro המלחמה *bella*, quod anteceſſit, legeretur איביו *ojebau*, hoſtes ejus. Sed eſt conſtructio hæc πρὸς τὸ σημαινόμενον, bellum enim nonniſi cum hoſtibus geritur.

4. *Incommodum*] פגע רע *phegah rah*, *occurſus malus.*

5. *Cogito*] אני אמר *ego dicens*, nempe, apud animum meum. Vide Pſ. XIV, 1.

Filius tuus] Vide 2. Sam. VII, 13.

6. *Jube cædi*] *Jube & cædant.*

Prorſus quemadmodum] *Secundùm omnia quæ dixeris.*

Inſtar Sidoniorum] Videntur hoc tempore Sidonii paruiſſe Tyriis. Vide ad 2. Sam. V, 11.

7. *Ingentem hunc populum regeret*] *Supra populum magnum hunc.*

9. *Si victum*] לתת לחם *dando panem*; quia poſtea oleum additur tritico à Salomone miſſo ad Chiramum, *victum* vertimus; quamvis totus *victus* pane & oleo non contineatur. Liquet autem ex Ezechiele C. XXVII, 17. Tyrios à Judæis triticum & oleum accepiſſe. Quam in rem etiam facit locus Act. XII, 20.

10. *Dedit Chiromus*] Nomen Regis Tyriorum ſcribitur hic חירום *Hhirom*, quæ prolatio nominis convenit cum Εἴρωμος, de qua antea, & quæ fortè melior.

Prorſus ut voluit] כל חפצו *omni ejus voluntate.* Subaudi כ, ut integra loquutio ſit ככל חפצו *chechol hhepiſo.*

11. *Vigeſies mille choros.*] *Chorus* continebat 648 libras tritici Romanas. LXX. Intt. εἴκοσι χιλιάδας κόρους πυροῦ. Sic & Vulgatus. Quare miror *Joſephum* habere δισχιλίους κόρους, cùm non ſoleat minuere quæ ad magnificentiam Salomonis pertinent.

Viginti choros olei contuſi] שמן כתית *ſchemen chathith.* Præſtantiſſimum hoc fuit oleum. Vide ad Exod. XXVII, 10. Pro *viginti Choris* legimus 2. Par. *viginti millia Bathorum.* Sed videtur illic haberi quod operis datum, cùm in Libro hoc memoretur quod Regi Tyriorum, honoris cauſâ, adtributum eſt. *Joſephus* poſtquàm dixit *bis mille Choros* tritici, habet τοσούτας ἐλαίου βάδους. Quæ mutationes numerorum ei ignoſci non poſſunt, ut nec alia, quæ pro arbitrio homo vanus finxit.

Hæc dedit Salomo &c.] Adduntur 2. Par. II, 10. nonnulla, de quibus ad eum locum.

13. *Contraxit*] *Adſcendere fecit.*

Operas] מס *mas.* Sic vocatur non tantùm tributum, ſed & multitudo hominum; qui operam quamdam, pecuniæ loco, præſtare neceſſe habent. Vide not. ad Exod. I, 10.

Singulis menſibus vicibus] *In menſe vicibus menſis*, בחדש חליפות חדש *bahhodeſch hhaliphoth hhodeſch.*

15. *Septuaginta millia* &c.] Ingens ille fuit numerus, nec neceſſarius, ſi ejuſmodi operum periti fuiſſent Iſraëlitæ; ſed decem imperiti vix abſolvunt quod ab uno perito facilè perficitur.

17. *Lapides pretioſos*] Hoc eſt, qui multâ pecuniâ conſtabant cæſi, propter inuſitatam eorum magnitudinem, ac duritiem.

Ac cæſos] אבני גזית *lapides ſciſſionis*, hoc eſt, lapides quadratos ut loquuntur Latini.

18. *Giblii*] Vicini Tyriis. Vide ad Joſ. III, 5.

In CA-

operarum, 14. miſitque eas in Libanum; *ita ut* decem millia hominum ſingulis menſi-
bus vicibus in Libano eſſent, & binis domi. Adoniramus verò erat operarum illarum
præfectus. 15. Fuerunt etiam Salomoni ſeptuaginta millia hominum, qui onera baju-
labant, & octoginta millia, qui *lapides* in montibus cædebant; 16. præter principes præ-
fectorum operum Salomonis, qui erant ter mille trecenti, & regebant populum, qui
opus faciebat. 17. Juſſu Regis advexerunt ingentes lapides, lapides pretioſos ad fun-
damentum Ædis, ac cæſos. 18. Dolaverunt verò fabri Salomonis & fabri Chirami ac
Giblii, paraverúntque ligna & lapides ad ædificandam Ædem.

VI. Templi ædificatio & apparatus.

1 QUADRINGENTESIMO verò & octogeſimo anno, ex quo Iſraëlitæ è ter- CAPUT VI.
ra Ægyptia egreſſi erant; & anno quidem quarto, & menſe Zivo (qui ſe-
cundus eſt menſis *anni*) regni Salomonis in Iſraëlem, ædificare cœpit Æ-
dem Jehovæ. 2. Ædes autem, quam ædificavit Rex Salomo Jehovæ, ſexagenos qui-
dem cubitos longa, lata verò vicenos & tricenos alta fuit. 3. Porticus fuit ad ante-
riorem partem Templi, cujus longitudo fuit viginti cubitorum, ſecundùm frontem
latitudinis Ædis; decem verò cubitorum fuit ejus latitudo, ante Ædem. 4. Ædi
quoque fecit feneſtras, unde proſpicere liceret & quæ claudi poſſent. 5. Ædificavit
autem ad murum Ædis tabulata circumquaque, *ſeu* ad muros Ædis undequaque,
Templique & Adyti, fecitque circa ea alas. 6. Tabulati autem imi latitudo erat
quinque cubitorum, medii ſex, & tertii ſeptem, nam contraxerat domum
cir-

In CAPUT VI.

1. QUadringenteſimo &c.] Vide ad Tabulas Chronologicas.

Menſe Zivo] בחדש זו *babhodeſch ziv.* Chaldaïcum nomen eſt, inde ductum quòd apud Chaldæos זיו ac זיוא *ſplendorem, formam, decorem ſignificet*, quod vocabulum ſecundo menſi, quo omnes florent arbores, adprimè convenit. Putantur veteres Hebræi caruiſſe menſium nominibus, quos tantùm numeris diſtinguebant; ſed recentiores, ex Chaldæa reduces, nomina propria ſingulorum menſium attulerunt in Judæam.

Ædificare cœpit] *Ædificavit.*

2. *Sexagenos cubitos* &c.] De vera magnitudine cubiti Hebraïci, diximus ad Gen. VI, 15. Hæ autem menſuræ ſunt referendæ ad Templum propriè dictum, hoc eſt, ad ædificium lapideum, in quo erant Sanctuarium & Adytum. Mirum eſt hîc nihil haberi de ſubſtructione illa, quæ ab ima valle ad ſummum montem à Salomone excitata eſt, ut docet *Joſephus*; quò montis planities, cui Templum impoſitum erat, latior eſſet. Vide & hac de re *Joan. Lightfootum*, in deſcriptione Templi Cap. II.

3. *Ad anteriorem partem Templi*] *Ad faciem domus.*

4. *Unde proſpicere liceret* &c.] חלוני שקפים אטמים. Prima vox eſt in ſtatu conſtructo, ut loquuntur Grammatici, cùm deberet eſſe in abſoluto; vertendum eſt enim, *feneſtræ proſpicientes & clauſæ*; hoc eſt, quibus proſpici poſſet & quæ claudi poterant. LXX. Intt. habent: θυρίδας παρακυπτομένας κρυπτάς. Vulgatus: *feneſtras obliquas.* Intelligi videntur feneſtræ, quæ erant in tabulatis Sanctuario, Adytóque impoſitis.

5. *Ad murum Ædis*] Hoceſt, è regione murorum Ædis, ad meridiem, occaſum & ſeptemtrionem, nam ad Orientem erat memorata Porticus. Hæc autem verbotenus vertere omnia conati ſumus, nec ullam Græcorum & Romanorum Architecturæ rationem habuimus; quia fruſtra ſtatueremus ejus leges Salomoni notas fuiſſe.

Tabulata circumquaque] יציע סביב *jatſiab ſabib.* LXX. Intt. μέλαθρα, Vulgatus, *tabulata.* Intelligo ædificia circa templum, excepto orientali latere, quæ tribus conſtabant tabulatis.

Ad muros] את קירות, *eth kiroth.* Alibi etiam את *eth* ſignificat *ad*, ſi modò non ſit legendum אל *el.* Vide Numer. IV, 9. Judic. XIX, 18. 1. Sam. IX, 18. Ædificia hæc non tangebant muros Templi, ſed eos undequaque cingebant.

Templique & Adyti] Ædem in duas partes hîc dividit, quarum anteriorem vocat היכל *hechal*, quæ eſt Sanctuarium, poſticam דביר *dbir*, oraculum, aut Adytum. De partibus Templorum, vide not. ad Exod. XXVI, 33.

Alas] צלעות *coſtas.* Latinus, *latera*, ut Græci πλευρὰς, quamvis hîc eorum verſio confuſa ſit. Erant, ut videtur, additamenta quædam ad latera tabulatorum; quæ nemo deſcripſerit, niſi qui viderit.

6. *Tabulati autem imi* &c.] *Tabulati imi quinque in cubito latitudo ejus*; & ſic ſemper, ubi menſuræ exprimuntur.

Medii ſex &c.] Mirum eſt ſuperiora tabulata fuiſſe latiora infimo; potuit tamen facilè hoc fieri, ope trabium prominentium. Sed cur ita factum ſit nemo dixerit, niſi fortè prominentiâ ſuperiorum tabulatorum umbra circa Templum & inferioribus tabulatis quæſita ſit. At ejuſmodi Architectura mirè abhorret ab elegantiore Græcorum & Romanorum Architectura; nec tamen mutanda, cum *Joſepho*, qui Templum hîc ædificat, quale animo conceperat, non quale legerat à Salomone conditum.

Nam contraxerat domum] כי מגרעות נתן לבית *chi migraboth nathan labbajith.* LXX. Intt. διάστημα ἔδωκε τῷ οἴκῳ & Vulg. *Trabes autem poſuit in domo.* Sed verba Hebraïca propriè ſignificant *diminutiones dedit domui*, nam גרע eſt *diminuit*; ſequitúrque: *ne tangerent* ædificia il-

 la

circumquaque extrinſecus, ne *ædificia illa* tangerent muros Ædis. 7. Cùm autem conſtrueretur Ædes, lapidibus integris, quales erant allati, ædificata eſt, nec malleus, aut ſecuris, aut ullum *aliud* inſtrumentum ferreum eſt auditum, in conſtructione Ædis. 8. Oſtium alæ mediæ *erat* ad dextrum latus domûs, & per cochleas adſcendebatur ad medium *tabulatum*, éque medio ad tertium. 9. Cùm ædificata & perfecta eſſet Ædes, eam texit trabibus & tabulis cedrinis. 10. Impoſuit etiam tabulatum toti Ædi, cujus *tabulati* altitudo ſuit quinque cubitorum, adjunctúmque erat domui lignis cedrinis.

11. Tum alloquutus eſt Jehova Salomonem, his verbis: 12. *Placet mihi* Ædes iſta, quam ædificas; ſi incedas in inſtitutis meis, juráque mea ſerves & facias omnia quæ præcepi, inque iis incedas, tum verò tibi confirmabo promiſſum meum, quod Davidi patri tuo feci; 13. habitabóque apud Iſraëlitas, nec populum meum Iſraëlem deſeram.

14. Conſtruxit autem Salomo Ædem & eam perfecit. 15. Texit verò parietes Ædis intrinſecus tabulis cedrinis, à ſolo Ædis, ad parietes contignationis, texit ligno intrinſecus,

la *muros Ædis*. Unde colligimus, voce מגרעות *migraboth*, nequaquam trabes ſignificari, ſed potiùs imminutiones latitudinis in ædificio ipſius Templi; in quo infimum tabulatum, quod diviſum fuit in Sanctuarium & Adytum, fuit longiſſimum & latiſſimum, ſecundum quod ſupra ea erat brevius & arctius infimo, & tertium ſecundo. Contra ædificia lignea, quæ erant circa Ædem contrario ordine, ut diximus, erant diſpoſita; ita ut ſecundum quidem deſuper immineret primo tabulato Ædis, tertium verò ſecundo. Non eſt quærendum quàm hæc eſſent elegantia, judicio Architectorum cultiorum gentium; ſed an dicantur, ut certè dici videntur.

Scio viros doctos מגרעות *migraboth* quærere in muro ipſo montis Templi, ſeu qui cingebat ſpatium Templo conſecratum & qui poſt primum tabulatum cubito uno arctior fuerit, & poſt ſecundum duobus. Sed hæ *imminutiones*, omnino dicuntur fuiſſe *Ædi* ipſi לבית, quo nomine intelligitur Templum propriè dictum, & ſequentia verba perſpicuè oſtendunt ea, quæ vocatur מגרעות *migraboth*, non eſſe alibi, quàm in ipſius Ædis ſtructura quærenda.

7. *Lapidibus integris quales erant allati*] אבן שלמה מסע *eben ſchlemah maſſah*, lapide integro profectionis; hoc eſt, ita Architecti omnia erant dimenſi, ut lapides curaverint cædi eâ magnitudine, menſuráque quâ eos eſſe oportebat; quare minimè neceſſe fuit, ut quidquam iis demeretur, aut ut lapis ullus in plures partes divideretur. Quod tamen non nimis urgendum eſſe videtur.

8. *Oſtium alæ mediæ*] Fuit additamentum quodpiam adfixum tabulatis, quibus Ædes à meridie, occidente, & ſeptemtrione undequaque cincta erat; in quo fuit oſtium per quod in tabulatum infimum ingreſſus dabatur, & adſcenſus in ſuperiora.

Per cochleas] בלולים *bloulim*. LXX. Intt. καὶ ἑλικτὴ ἀνάβασις εἰς τὸ μέσον, & Vulg. *per cochleam*.

Ad medium tabulatum] על התיכנה *hal hattichona*, *in medium*. LXX. εἰς τὸ μέσον. Eſt quidem Hebraïca vox fœminini generis, ſed pro neutro hîc ponitur. Alioqui יציע *jatſiah* eſt maſculini generis, ideóque ſequitur השלשים *haſchliſchim*, nempe, יציעים *jetſihim*.

9. *Cùm ædificata & perfecta eſſet Ædes*] *Et ædificavit Ædem & perfecit eam, & texit Ædem &c.*

Trabibus & tabulis cedrinis.] גבים ושדרות בארזים *gebim ouſchderoth baarazim*. LXX. Intt. καὶ ἐκοιλοσταθμήσε τὸν οἶκον κέδροις, & Vulgatus: *laquearibus cedrinis*. Nos גבים *gebim* vertimus *trabes*, quaſi גַּבִּים *gabbim* legendum eſſet, quod *prominentias* ſignificat, quia trabes in laqueari prominent ſub tabulis; nec quidquam vetat aut ita legi, aut etiam גבים & גבים confundi. Sic ſenſit & Vulgatus, at LXX. Intt. crediderant agi de imbricibus concavis, unde ἐκοιλοσταθμήσε τοῖς κέδροις, verterunt, quia גבים *gebim* ſignificat *foſſas*, ſeu excavata ſpatia. Sic habet Cod. Romanus, alii addunt φατνώμασι aut φατνώσει, καὶ διατάξει.

10. *Impoſuit tabulatum* &c.] *Ædificavit tabulatum ſupra totam domum.* Videtur tertium hoc eſſe tabulatum ligneum, Ædi lapideæ impoſitum. LXX. Intt. καὶ ᾠκοδόμησε τοὺς ἐνδέσμους δι᾽ ὅλου τοῦ οἴκου. Vulgatus, *& ædificavit tabulatum ſuper totam domum*.

11. *Alloquutus eſt*] *Fuit verbum Jehovæ ad Salomonem*, per Prophetam, nempe.

12. *Placet mihi*] Hoc ſupplendum cenſuimus, ne oratio planè penderet, quaſi legeremus: טוב בעיני הבית הזה אשר *bona eſt in oculis meis domus hæc quam* &c. aut ſimile quidpiam. Alioqui nullus eſt nexus harum vocum, cum ſequentibus.

Promiſſum meum &c.] *Verbum meum quod dixi.* 2. Sam. VII, 13. & ſeqq.

13. *Habitabo*] In Templo, nempe, quod ædificabatur; hoc enim oraculum in media ædificatione editum videtur.

15. *Texit* &c.] *Et ædificavit parietes intrinſecus in coſtis cedrorum* &c. hoc eſt, texit cedrinis tabulis, quæ hîc צלעות *tſlaboth* vocantur, ſeu *coſtæ*, quia latera domûs veſtiebant.

Ad parietes contignationis] עד קירות הספן *had kiroth haſſiphun*. LXX. Intt. καὶ ἕως τῶν τοίχων, καὶ ἕως τῶν δοκῶν. Vulg. *ad ſummitatem parietum & uſque ad laquearia*. Omnino ספן *ſiphun*, quod eſt à ספן *ſaphan*, texit, ſignificat hîc tabulatum ſecundæ contignationis, ita ut velit Scriptor Sacer infimi tabulati parietes prorſus tectos fuiſſe cedro.

16. *Texit viginti cubitos*] *Et ædificavit viginti cubitos è lateribus domûs, in coſtis* &c. Hinc intelligimus altitudinem Sanctuarii & Adyti fuiſſe

Digitized by Google

ſecus, & ſolum quidem Ædis abiegnis tabulis conſtravit. 16. Texit viginti cubitos in lateribus Ædis, tabulis cedrinis, à ſolo ad parietes *contignationis*; idémque fecit intrinſecus ſanctiſſimo Adyto. 17. Quadraginta autem cubitorum erat Ædes, ſeu Templum anterius. 18. Cedro verò interiùs *inciſa erat* ſculptura colocynthidum & florum apertorum. Omnia erant cedrina, neque lapis ullus cernebatur. 19. Adytum verò in media Æde intrinſecus conſtituit, ut illic Arcam fœderis Jehovæ collocaret. 20. Ad Adytum fuit *conclave* viginti cubitorum longitudinis, latitudinis & altitudinis, obduxitque illud auro puriſſimo, ut & altare cedrinum. 21. Texit Salomo Ædem intrinſecus auro puriſſimo, tranſmiſitque catenas aureas ante Adytum, idque auro texit. 22. Totam autem Ædem obduxit auro, donec tota Ædes eſſet abſoluta, totúmque etiam altare, quod erat ad Adytum, auro texit.

23. Fecit etiam in Adyto duos Cherubos, è lignis oleoſis, quorum altitudo erat denûm cubitorum. 24. Quinûm cubitorum erat una Cherubi ala, & quinûm pariter cubitorum altera Cherubi ala; *ita ut* decem cubiti eſſent, ab extremitatibus alarum *unius* ad extremitates alarum *alterius*. 25. Cherubus alter erat etiam denûm cubitorum,

ſe viginti cubitorum; decem reliqui cubiti abſumebantur, ſecundo tabulato; cui tertium quinque cubitorum fuit, tecti inſtar, impoſitum, ut antea vidimus.

Idémque fecit intrinſecus &c.] *Et ædificavit ſibi intrinſecus oraculo, in ſanctitatem ſanctitatum.* Repetendum ex antecedentibus צלעות ארזים *tſalboth arazim*.

17. *Quadraginta autem cubitorum* &c.] Intelligitur longitudo Sanctuarii, quæ duplo major erat, quàm altitudo.

Templum anterius] ההיכל לפני *hahechal lphanai*. Hìc לפני idem eſt ac לפנים, niſi fortè τὸ ם exciderit. Vulgatus habet, *ipſum Templum pro foribus oraculi*. Excidit hoc è verſione LXX. Intt.

18. *Interiùs*] אל בית פנימה *ad domum intrinſecus*, quod unum idémque ſignificat.

Inciſa erat ſculptura colocynthidum] מקלעת פקעים *miklahath phkahim*. Vulgatus, *tornaturas & juncturas ſuas fabrefactas*. Primùm Recentiores פקעים phkahim, *colocynthidas*, vertunt, quia פקעות *phkahoth* hoc ſignificat 2. Reg. IV, 39. Deinde מקלעת interpretantur *ſculpturam*, quod eâ voce ſignificari liquet ex vſ. 32. Igitur inſculpta erant cedro rami, folia & fructus colocynthidis, quorum hanc deſcriptionem habemus apud *Dioſcoridem* Mat. Med. Lib. IV. c. 178. *κλήματα καὶ φύλλα ἐῤῥιμμένα ἐπὶ τῆς γῆς ἀφίησιν, ὅμοια τοῖς τῆς ἡμέρου σικύας, ἐγκεχαραγμένα. καρπὸν δὲ στρογγύλον ὅμοιον σφαίρᾳ μέσῃ, πικρὸν ἰσχυρῶς.* *Sarmenta, foliáque emittit per terram ſtrata, ſativi cucumeris ſimilia, inciſuris diviſa, fructum verò rotundum, mediocris pilæ ſimilitudine, vehementer amarum.* Quæ ſculptura, ſi à perita manu fuit, egregiè parietes exornabat.

Florum apertorum] פטורי צצים *phtoure tſitſim*. Vulgatus: *cælaturas eminentes*, quæ nihil ad Hebraica verba faciunt. Meliùs Recentiores *apertiones florum*, hoc eſt, flores colocynthidum apertos intelligunt.

19. *Adytum*] דביר *dbir*. LXX. Intt. δαβὶρ ſervatâ voce Hebraïcâ. Vulgatus, *oraculum*. Sed quia ea vox ambigua eſt, maluimus vertere *Adytum*, quamvis reverâ דביר dictum ſit, quòd דברי יהוה *verba Jehovæ*, ſeu oracula ex arca illic collocata audita olim fuiſſent.

20. *Ad Adytum*] לפני הדביר *ad faciem Adyti*; hoc eſt, in uſum Adyti conſecratum fuit ſpatium quadratum, viginti cubitos altum, latum & profundum. Sanctuarium fuit quadraginta cubitos longum, vſ. 17. Adytum verò viginti, nam tota Ædes erat ſexaginta cubitos longa, vſ. 2. Poſſet & voce דביר hìc ipſa Arca intelligi. Omiſſa hæc verba ſunt in Codd. noſtris LXX. Intt. Vulgatus: *porrò oraculum* &c.

Ut & altare cedrinum] *Et texit altare cedri*; thymiamatum, nempe, altare, quod erat in Sanctuario.

21. *Tranſmiſit catenas aureas*] Quæ ex parietibus pependiſſe videntur, ornatûs causâ. Alii catenas haſce ex ea tantùm parte poſitas volunt, quâ Adytum erat à Sanctuario diſtinctum, ita ut velum quod illic pendebat ex catenis illis ſuſpenſum eſſet. Hìc ויעבר ברתיקות זהב *vajebabber barethikoth zahab*, vertit Vulgatus, infelici conjecturâ: *Et adfixit laminas clavis aureis*. Non exſtant hæc verba, in verſione LXX. Intt.

22. *Ad Adytum*] לדביר *laddebir*; hoc eſt, in Sanctuario, ut thymiamata ei imponerentur. Fortè Moſaïcum altare aureum jam, longinquitate temporum, interciderat; quamobrem alterum fuit faciendum Salomoni.

23. *Duos Cherubos*] Erant quidem Arcæ ſui Cherubi aurei, à Moſe facti, qui operculo Arcæ adhærebant; ſed hi erant majores, & qui ipſum Arcæ operculum tegebant. De forma Cheruborum, vide dicta ad Exod. XXV, 18.

E lignis oleoſis] עצי שמן *hatſe ſchemen*, lignis olei. Fit etiam mentio *arboris olei*. Nehem. VIII, 15. diſtinguitúrque ab olea, quæ illic ſeorſim appellatur. Itaque malè vertit Latinus *lignis olivarum*. LXX. Intt. modò ἀρκευθίνων, hoc eſt, è *junipero*, ut infra vſ. 31. modò κυπαρισσίνων, è *cupreſſu*, ut Nehem. VIII, 15. *Ed. Caſtellus* putat eamdem eſſe, quæ הדר *hadar* vocatur Levit. XXIII, 40. & quam citriam malum interpretantur. Nec poteſt negari è citro etiam factum eſſe oleum; ſed quia ſunt aliæ oleoſæ arbores, ut nux & cupreſſus, nihil definimus. Agit de variis olei factitii generibus *Plinius* Lib. XV. c. 7. docétque ex pluribus arboribus elici poſſe, & hæc inter alia habet: *Fit & è citro, cupreſſo, nucibus juglandibus, quod caryinon vocant.* Lignum cupreſſi, aut nucis non minùs aptum eſt, ad fabricandas ejuſmodi ſtatuas, quàm lignum citrium.

24. *Ab extremitatibus alarum* &c.] Cùm Cherubi alter ad alterum eſſent converſi, aláſque quaternas extenſas haberent, hinc & inde ab eo

rum, menſuráque erat una, & ſculptura una utriuſque Cherubi. 26. Altitudo unius
Cherubi erat denûm cubitorum, & talis erat alter Cherubus. 27. Collocavit autem
Salomo Cherubos intra Ædem interiorem, extenſáſque habebant alas Cherubi, & tan-
gebat quidem ala parietem *hunc*, ala verò alterius Cherubi tangebat alterum parietem;
alæque eorum in media Æde erant, & ſe viciſſim tangebant. 28. Texit etiam Che-
rubos auro. 29. Omnibus autem parietibus Ædis circumquaque inſculpſit cælaturas
Cheruborum, palmarum & florum apertorum, intrinſecus atque extrinſecus. 30. So-
lum quoque Ædis obduxit auro, intus & extra. 31. Oſtio autem Adyti fecit fores è
lignis oleoſis, liménque & poſtes quinque angulorum. 32. Duæ fores erant è lignis
oleoſis, inſculpſitque eis cælaturas Cheruborum, palmarum & florum apertorum, *ea-*
que texit auro, quod Cherubis & palmis obduxit. 33. Sic fecit etiam oſtio Templi,
quibus fecit poſtes è lignis oleoſis, quatuor angulorum, 34. & duas valvas abiegnas;
quarum una quidem *conſtabat* duabus tabulis abiegnis verſatilibus; alterius verò valvæ
tabulæ erant pariter verſatiles, & ambæ ſculptæ. 35. Inſculpſit etiam Cherubos & pal-
mas & flores apertos, quæ auro directo ſecundùm ſculpturam obduxit.

36. Ædificavit etiam Atrium interius, tribus ordinibus *lapidis* cæſi, & ordine dola-
tarum *tabularum* cedrinarum.

37. Quarto anno & menſe quidem Zivo, jacta ſunt fundamenta Ædis Jehovæ;
38. an-

loco quo ala altera deſinebat ad eumdem locum, in oppoſita ejuſdem Cherubi ala, erant decem cubiti; nam ſingularum longitudo erat quinûm cubitorum. Hinc intelligere licet Cherubis alas duas fuiſſe à fronte, duas à tergo, ſi ita loqui licet, de animalibus quibus erant quatuor facies. Nimirum, cùm illæ alæ pertinerent ad caput aquilæ, expanſæque eſſent, ſive caput aquilæ converſum eſſet ad ortum, ſive ad occaſum, alæ occupabant totam latitudinem Adyti.

27. *Intra Ædem interiorem*] בתוך הבית הפנימי *in media domo interiore*, quæ eadem ac דביר *dbir*, ſive *Adytum*.

Tangebat ala parietem hunc] Hoc eſt, par alterum alarum tangebat parietem, alterum verò erat in medium Adytum porrectum. Itaque unus Cherubus decem cubitos alis tegebat, alter totidem.

29. *Extrinſecus*] Ad Sanctuarium, ubi erat partim paries, partim janua velo clauſa.

31. *E lignis oleoſis*] Vide ad vſ. 23.

Quinque angulorum] חמשית *hhamiſchith*, *quinta*. LXX. Intt. habent πενταπλῶς, Vulgatus, *angulorum quinque*. Quem, cum certius nihil occurreret, ſequuti ſumus.

33. *Oſtio Templi*] Sanctuarii, nimirum, quod ſimpliciter קדש *ſanctitas* dici ſolet, cùm Adytum ſit קדש קדשים, *ſanctitas ſanctitatum*.

Quatuor angulorum] מאת רבעית *ex quarta*, Latinus, *quadrangulator*. Quid ſibi velint Hebraïca verba cùm non conſtaret, ſequutus ſum Vulgatum, nam verſioni LXX. Intt. hæc deſunt. Fortè quis poſſit conjicere intelligenda hæc de altitudine poſtium, qui quintam quidem partem altitudinis parietis occuparent in Adyto, hoc eſt, quatuor cubitos; in Sanctuario vero quartam, ſeu quinque cubitos. Sed nihil adtinet conjicere, in re obſcura, nec magni ad cetera momenti.

34. *Quarum una quidem* &c.] *Duæ coſtæ januæ unius verſatiles*, שני צלעים הדלת האחת גלילים. Latinus, obſcurè & incommodè: *utrumque oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur*. Græci meliùs: δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ μία καὶ στροφεῖς αὐτῶν. Rem ſic intellexerim, oſtiis fuiſſe duas valvas adfixas, & ſingulas valvas conſtitiſſe duabus tabulis verſatilibus; hoc eſt, quæ ita cardinibus inter ſe conjunctæ erant, ut una ſine altera poſſet verſari, ſeu moveri. Quomodo poterat Sanctuarii oſtium aut partim, aut totum aperiri, prout Sacerdotibus videbatur; ut majore, aut minore luce illuſtraretur.

Alterius verò valvæ tabulæ erant &c.] ושני קלעים הדלת השנית גלילים, & *duæ ſculpturæ januæ ſecundæ verſatiles*. Ut ſequeremur Hebraicum codicem, qualis in manus noſtras pervenit, vertimus duo prima verba, & *ambæ ſculptæ*; ratio tamen oppoſitionis poſtulat ut, in hac quoque parte verſûs, legamus צלעים tſlahim, *tabulæ*, non קלעים klahim, *ſculpturæ*. Duabus *tabulis* valvæ unius, opponuntur duæ *tabulæ* valvæ alterius; quod quamvis non exprimeretur ſatis plenè, neceſſariò tamen deberet ſuppleri, ut vertendo fecimus. Sic legiſſe videntur LXX. Intt. ſi ſequamur Codicem Vaticanum, qui habet: καὶ δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ δευτέρα στρεφόμενα. Vulgatus habet paraphraſin obſcuram: & *utrumque oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur*.

36. *Atrium interius*] חצר הפנימית *hhatſar happhenimith*. Intelligitur Atrium quod erat inter porticum & frontem Ædis, & in quo erat altare holocautomatum. Id ergo diviſit à porticu exiguo muro, ſupra quem Iſraelitæ facilè videbant quid in Atrio Sacerdotum fieret. Præter hoc, in ſecundo Templo fuit Atrium extimum, in quo etiam Ethnici verſari poterant. Vide deſcriptionem Templi *Joan. Lightfootii* C.XVIII.

Tribus ordinibus lapidis cæſi] שלשה טורי גזית ſchloſchah toure gazith, *tribus ordinibus ſciſſionis*. Subaudiendum אבן *lapidis*. Hinc Latinus *tribus ordinibus lapidum politorum*, meliùs quàm LXX. Intt. qui habent ἀπελεκήτων. Horum lapidum exigua videtur fuiſſe altitudo, fortè duorum, aut trium pedum.

Ordine dolatarum tabularum cedrinarum.] וטור כרתות ארזים & *ordo cæſarum cedrorum*. Subaudi לוחות *luhhoth* ut conſtruatur cum participio כרתות *chruthoth*, hoc eſt, tabularum dolatarum è cedro. Rem ita capio, ut ſummo ordini lapidum muri hujuſce impoſita eſſet tabula cedrina, ut commodiùs ei inniterentur, qui Sacrorum ſpectatores eſſe cupiebant, néve lapides tererentur; quia facilius erat mutare adtri-

18. anno verò undecimo, menſe Bule (qui octavus eſt menſis) abſoluta eſt per omnia, & ad omnem ejus ordinem quod adtinet. Per ſeptem annos, eam exſtruxit Salomo.

VII. Salomo Regias ædificat, vaſáque, utenſilia & ornamenta omnia fuſilia Templi facit.

1. DOMUM verò ſuam ædificavit, totámque abſolvit Salomo intra tredecim annos. 2. Conſtruxit & domum Silvæ Libani, cujus longitudo fuit centum cubitorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta; impoſitáque erat quatuor ordinibus columnarum cedrinarum, eránt que *tabulæ* dolatæ cedrinæ ſupra columnas. CAPUT VII.
3. Lacunar quoque erat cedrinum ſupra tabulas, quæ erant impoſitæ columnis quadraginta quinque; quæ quindecim *erant*, *in ſingulis* ordinibus. 4. Feneſtrarum etiam erant tres ordines, quarum alia alii erat oppoſita, triplici ſerie. 5. Omnia oſtia & poſtes feneſtrarum quadratæ erant figuræ, & feneſtra quidem erat è regione feneſtræ, triplici ſerie. 6. Fecit & porticum, quinquaginta cubitos longam & triginta latam. Erat porticus ante eam, columnæque & trabes *aliis* oppoſitæ.
7. Fecit præterea porticum ſolii, in qua jus diceret, ſeu porticum judicii. Stra-

tritas tabulas cedrinas, ſi opus eſſet, quàm lapides.

37. *Quarto anno*] Supplendum eſt, *regni Salomonis*, ut ſupra vſ. 1.

38. *Menſe Bule*] בול *boul*, quo nomine Chaldæi octavum menſem anni ſacri Hebraici vocabant; à radice נבל *marcuit*, quod eo arborum folia marceſcerent. Reſpondebat Octobri menſi, ſaltem ex parte. Videmus ergo Templum ædificatum intra ſeptem annos & ſeptem menſes, aut circiter. Credibile eſt neſcio quid moræ interceſſiſſe, neque enim tantum ædificium fuit, ut tot annis ad id abſolvendum opus fuerit. Fortè in ſculpturas & fuſilia ſupellectilia longum tempus eſt abſumtum, quod exigua peritorum artificum copia ad manum eſſet.

Per omnia & ad omnem &c.] לכל דבריו ולכל משפטיו *omnibus rebus ſuis, & omnibus judiciis ſuis.*

In CAPUT VII.

1. D*Omum verò* &c.] *Et domum ſuam ædificavit Salomo* —— *& abſolvit totam domum ſuam.*

Intra tredecim annos] Hanc ædificare cœpit, poſt abſolutum Templum, iiſque ædificiis abſumſit viginti annos, ut docemur Cap. IX, 10. Crediderim exiguum fuiſſe peritorum artificum numerum, quorum opera uti poſſet. Iſraëlitæ enim erant plerumque pecuarii & agricolæ, quibus artes mechanicæ erant penitus ignotæ; ſi eas excipias, quæ vitæ ruſticæ erant neceſſariæ.

2. *Domum Silvæ Libani*] Nomen hoc fuit villæ Salomonis, quam *Silvam Libani* vocavit, neſcio qua de cauſa; non quòd eſſet in monte Libano, qui ejus ditionis non erat, ſed Tyriorum. Videtur ea villa Jeroſolimâ remota non fuiſſe, cùm clypeos aureos in ea collocaſſet Salomo, ut docemur C. X, 13. Neque enim tam pretioſa ſupellectilia in loco minùs tuto repoſuiſſet.

Quatuor ordinibus] LXX. Intt. τριῶν στίχων στύλων, & Vulgatus, *quatuor deambulacra inter columnas*; quod poſtulaſſet quinque ordines columnarum, ut eſſent quatuor intercolumnia.

Tabulæ dolatæ] כרתות *chrutboth*, ut Cap. VI, 36. ubi vide notata. LXX. vertunt ὠμίας *humeros*; Latinus, *ligna cedrina exciderat in columnas*, durâ paraphraſi. Satis liquebit legenti utramque verſionem, eos ex conjectura, conculcatâ omni analogiâ, hæc vertiſſe. Quare eos non morabimur.

3. *Quæ quindecim erant*] *Et quindecim ordo.* Non eſt facile intellectu quodnam eſſet ædificium, quod tribus tantùm ordinibus columnarum ſuſtinebatur. Non poterat certè eſſe id quod erat centum cubitos longum. Si ſecundum ejus tabulatum erat, brevius fuit quàm infimum. Sed mirum non eſt obſcuram eſſe tam brevem & tam antiquam deſcriptionem, in quam etiam menda irrepere potuerunt.

4. *Alia alii erat oppoſita*] *Et feneſtra ad feneſtram, tribus vicibus.*

5. *Et feneſtra quidem* &c.] *Feneſtra & è regione feneſtra ad feneſtram* &c.

6. *Erat porticus ante eam* &c.] *Ante eas*, nempe, columnas.

Oppoſita] *Ad faciem earum*, ante eas. Si hæc plena ſit domûs deſcriptio, elegans erat fortè ſculpturis ligneis, & copiâ cedrinarum columnarum, tabularúmque, & porticibus duabus adjunctis; ceteroqui magnificentiam, amplitudinem & ſplendorem regiarum villarum hodiernarum non æquabat, ut qui ejuſmodi villas viderunt facilè intelligent. Villa Salomonis conſtabat unico ædificio cedrino, triginta cubitos alto, in tria tabulata diſtincto, impoſitóque columnis cedrinis, quarum altitudo non deſcribitur. Longum fuit centum cubitos, latum quinquaginta. Atrium ad frontem videtur fuiſſe, ultra quod ædibus egredienti occurrebat porticus lignea, deinde alterum atrium, ac altera porticus itidem lignea. Adjecti ſine dubio erant horti, ad poſticam partem, de quorum elegantia nihil dicam, cùm ſileat de iis Scriptura. Magnifica ſine dubio hæc videbantur Hebræis, qui ſplendidius nihil viderant, & erant pro captu temporum.

7. *Fecit præterea porticum ſolii*] Hoc eſt, ut ſequentia oſtendunt, in qua jus è tribunali diceret. Quamvis de hac porticu agat Scriptor Sacer, proximè poſt deſcriptionem villæ regiæ;

 non

Strata erat cedro ab *una parte* ſoli ad alteram. 8. Domui, quam habitabat, atrium aliud fuit intra porticum ſimilis operis. Sed & domum fecit Salomo filiæ Pharahonis quam duxerat, *erátque huic domui* porticus. 9. Omnia hæc lapidibus pretioſis, ad menſuram dolatis & ſerrâ cæſis intus & extra, à fundamento ad ſubgrundia, & extrinſecus uſque ad magnum atrium, *conſtabant*. 10. Fundamentum autem jactum erat lapidibus pretioſis, lapidibus magnis, denûm, octonúmve cubitorum. 11. Superiùs etiam erant lapides pretioſi, ad *certam* menſuram cæſi, & cedri. 12. Atrio magno circumquaque tres fuerunt ordines cæſi lapidis, & ordo dolatarum *tabularum* cedrinarum; *ut* & atrio Ædis Jehovæ interiori & porticui domûs *Regiæ*.

13. Miſit autem Rex Salomo, qui adducerent Tyro Chiramum. 14. Filius hic fuit viduæ è tribu Nephthalis, ſed pater ejus fuit Tyrius, faber ærarius. *Is Chiramus* plenus fuit peritiâ, dexteritate, & ſcientiâ, ad quævis opificia ænea facienda, venitque ad Regem Salomonem, & omnia ejus opificia fecit.

15. Conflavit duas columnas æneas. Unius altitudo fuit octonûm denûm cubitorum, filúmque duodenûm cubitorum alteram columnam circumdabat. 16. Tum duo capitula fecit, quæ imponeret verticibus columnarum, *eaſque ex* ære liquefacto; & altitudo quidem unius capituli erat quinûm cubitorum, altitudo verò alterius *pariter* quinûm cubitorum. 17. Retia *erant* operis retiarii, & funes inſtar catenarum capitulo, impoſito vertici columnarum; & quidem ſepteni capitulo uni, ac ſepteni capitulo alteri. 18. Fecit & cum columnis duos ordines circumquaque ſupra rete unum, ad tegendum capitulum impoſitum vertici *columnarum*, *iique ordines erant* mala Punica; & ſic quoque alteri capitulo fecit. 19. Capitula autem, quæ erant impoſita vertici columnarum, erant operis lilii in porticu quaternûm cubitorum. 20. *Erant* & coronides impoſitæ dua-

non ſequitur propterea porticum hanc ad villam fuiſſe, in quam æſtivis diebus quieſcendi & frigoris captandi causâ, non ut illic jus diceret, ſeceſſiſſe videtur Salomo. Porticum hanc juri dicendo conſecratam, ad plateam quampiam Jeroſolimitanam non procul à Regia, fuiſſe potiùs crediderim. Igitur agit Scriptor Sacer de hac porticu, ex occaſione aliarum porticuum, non ob viciniam ſitûs.

Strata erat cedro &c.] *Tecta erat cedro à pavimento ad pavimentum*, מהקרקע עד הקרקע *mehakkarkah had hakkarkah*.

8. *Similis operis*] *Ut opus hoc*. Columnis cedrinis conſtantem.

Porticus inſtar hujus] כאולם הזה *ut porticus hæc*. Supplenda hîc quædam eſſe ſatis liquet. Nobis viſum eſt porticum cum porticu conferri, non domum cum porticu.

9. *Omnia hæc*] Intelligendæ domus Salomonis, & Filiæ Pharahonis; cujus ſingularis, præ ceteris uxoribus, nobilitas effecit ut peculiarem domum haberet.

Ad menſuram dolatis] *Sicut menſuræ ſciſſionis*, כמדות גזית.

Ad ſubgrundia] עד הטפחות *had hattephahhoth*. LXX. Intt. ἕως τῶν γεισῶν, & Vulgatus *ſummitates parietum*. Sequuti ſumus LXX. Intt.

10. *Lapidibus pretioſis*] Sequentia verba hæc explicant.

12. *Tres fuerunt ordines*] Vide not. ad Cap. VI, 36.

13. *Miſit —— qui adducerent*] *Miſit & ſumſit*.

14. *Pater ejus fuit Tyrius*] Sic & 2. Par. II, 14. Quare non capio unde reſciverint Rabbini Chiramum, vel Churamum, ut vocatur 2. Par. II. filium fuiſſe prioris viri mulieris Iſraëlitidis, nec Tyrii filium alia de cauſa dici, quàm quia vitricus ejus fuit.

Peritia] החכמה *habhochmah*, quæ vox *ſapientiam* etiam ſignificat. Vide Exod. XXXI, 3.

15. *Unius altitudo fuit octonûm denûm cubitorum.*] His lectis, nemo non exſpectaret dici, more Hebraïco, & *alterius altitudo fuit octonûm denûm cubitorum*, ſic enim repetere ſolent, ut liquet vel ex vſ. 16. & in aliis ejuſmodi deſcriptionibus paſſim occurrit; ſed pro hiſce verbis legimus, de circumferentia ſecundæ columnæ: *filúmque duodenûm cubitorum alteram columnam circumdabat*. Si dixero utramque columnam ejuſdem altitudinis ac craſſitiei fuiſſe, adeóque quod dicitur de una, id intelligendum & de altera, nemo, credo, repugnabit; ſed ſi dicam hîc fortè eſſe lacunam, ortam à repetitione vocum עמוד האחד *hammoud haehhad*, omnes fortè adſentientes non habebo. Dicam tamen, rémque idiomatum Linguæ Hebraïcæ peritis judicandam relinquam. Fortaſſe ergo ſic à Sacro Scriptore res expreſſa erat: שמנה עשרה אמה קמת העמד האחד [ושמנה עשרה אמה קומת העמוד השני: וחוט שתים עשרה אמה יסב את העמוד האחד] וחוט שתים עשרה אמה יסב את העמד השני: *octoni deni cubiti altitudo columnæ unius*, [& *octoni deni cubiti altitudo columnæ alterius. Filum duodenûm cubitorum circumdabat columnam unam*,] & *filum duodenûm cubitorum circumdabat alteram*. Repetitione vocum עמוד האחד *hammoud haehhad*, factum eſt ut omitterentur interpoſita verba, quæ uncinis clauſimus. Ejuſmodi omiſſionis exempla protulimus *Artis Criticæ* P. 3. S. I. Cap. V. Vide & ad Joſ. XXI, 36, 37. Quiſquis hæc prætermiſſa nolet fatebitur tamen eſſe neceſſariò animo ſupplenda, nec quidquam in ea repetitione eſſe quod non adprimè conſentiat cum ſtylo Hebræorum.

Filúmque &c.] Cùm diameter, ex calculo Geometrarum, ſit circiter tertia pars circumfe-

Digitized by Google

duabus columnis, quæ *coronides* deſuper erant juxta prominentiam, quæ erat trans rete, & mala Punica, eæque ducentorum ordinum circumquaque, ſupra ſecundam coronidem. 21. Collocavit autem eas columnas in porticu Templi, & ſtatuit quidem *primùm* columnam dextram, cui nomen impoſuit Jachini; tum & ſiniſtram, cui Bohazo nomen indidit. 22. Supra caput autem columnarum *erat* opus lilii, & ſic quidem perfectum eſt opus columnarum.

23. Fecit etiam lacum fuſilem, qui erat decem cubitorum à labro ad labrum, rotundúſque circumquaque. Quinque cubitorum erat ejus altitudo, & linea triginta cubitorum illud circumquaque cingebat. 24. Colocynthides ſub ejus labro eum ambiebant, per decem cubitos; circumdabántque lacum, duobus ordinibus colocynthidum, conflatarum unà cum lacu. 25. Stabat autem lacus ſupra duodecim juvencos, quorum tres reſpiciebant ſeptemtrionem, tres occidentem, tres meridiem, tres *denique* orientem. Lacus iis impoſitus erat, & poſticæ omnes eorum partes introrſus converſæ. 26. Craſſus erat palmum unum, labrúmque ejus inſtar labri calicis *ornati* lilii flore. Capiebat autem duo bathorum millia.

27. Fecit etiam decem baſes æneas, quarum unius longitudo fuit quaternûm cubitorum, latitudo quaternûm item cubitorum, & altitudo trinûm. 28. Hujus autem operis fuerunt baſes, limbi illis erant, & limbi quidem inter ſcalas. 29. In limbis illis, qui inter ſcalas erant, fuerunt *inſculpti* leones, boves, & Cherubi. Supra ſcalas deſuper erat baſis, at infra leones & boves additamenta operis ductilis. 30. Quaternæ rotæ æneæ erant unicuique baſi, tabulæque æneæ quibus erant quatuor anguli, & humeri ſub concha; humeri, *inquam*, conflati è regione cujuſque additamenti. 31. Os ejus erat intra limbum & ſuperiùs cubitale, & rotundum, ejuſdem operis ac baſis, *at inferiùs* ſeſquicubitale. Supra os erant etiam cælaturæ, limbique quadrati, non rotundi. 32. Erant

ferentiæ, diameter columnarum fuit quatuor cubitorum.

16. *Duo Capitula*] שתי כרתות *ſchthe chorathoth*, duas coronas. LXX. Intt. ἐπιθέματα, Latinus, *capitella*.

19. *Operis lilii in porticu*] מעשה שושן באולם *mahaſcheb ſchouſchan baoulam*; quæ quid ſignificent non intelligo. Omiſſa ſunt in noſtris Codicibus LXX. Intt.

20. *Coronides*] Hæc vocantur Hebraïcè כתרות *chotharoth*, ſignificántque neſcio quod ornamentum, aut integumentum capitulis impoſitum. Obſcuriſſimus eſt hic verſus, nec nos veteres Intt. quidquam juvant.

21. *Jachini*] יכין jachin, *ſtatuet, ſtabiliet*.

Bohazo] בעז bohaz, *vis in illa*. Utroque nomine, perennitatem operis totius Ædis Sacræ ominabatur Salomo.

23. *Lacum fuſilem*] הים מוצק *mare liquefactum*. *Mare* dicitur propter magnitudinem, ut Latinis *lacus*.

24. *Colocynthides*] פקעים *phkahim*. Vide not. ad C. VI, 18.

Unà cum lacu] *In conflatione ejus.*

26. *Capiebat autem duo bathorum millia*] De forma & magnitudine hujuſce lacûs, copiosè & eruditè, ſingulari diſſertatione, egit egregius Mathematicus, cujus opuſculum ſubjunctum eſt operi *Ed. Bernardi* de Pond. & Menſuris.

27. *Baſes æneas*] המכנות *bammechonoth*. LXX. Intt. habent ipſam vocem μεχωνώθ. Vulgatum ſequuti ſumus, qui rectè habet *baſes æneas*, quæ vox ſat commoda erat ad ſignificanda ea, quibus impoſitæ erant conchæ.

28. *Limbi illis erant*] מסגרות *miſgeroth*. LXX. Intt. συγκλειστὸν ac συγκλεισμάτων, quia סגר ſignificat *clauſit*. Latinus: *interraſile*. Vide ad Exod. XXV, 24.

Inter ſcalas] בין השלבים *inter ſcalas*. LXX. Intt. ἀναμέσον τῶν ἐξεχομένων. Vulgatus: *inter juncturas*. Genus ſculpturæ fuit ſcalarum, vel graduum inſtar, quales *denticuli* in Romana Architectura.

29. *Baſis*] כן *chen*, locus quo excipiebatur concha deſuper imponenda.

Additamenta operis ductilis] ליות מעשה מורד *lojoth mahaſcheb morad*, copulationes operis quod deſcendit. LXX. Intt. χῶραι ἔργου καταβάσεως. Vulgatus: *quaſi lora ex ære dependentia*. Ex conjectura. Quoniam neſcimus quid ſit, niſi quòd agit Scriptor Sacer de ornamentis quibuſdam, maluimus rationem habere ſignificationis ſolitæ radicum; cúmque לוה *lavah*, ſit perinde ac *additus fuit*, ליות *lojoth*, additamenta vertimus. Sic Prov. I, 9. לוית חן *livjath chen*, additamentum gratiæ, eſt ornatus adſcitus, qui faciei additur. Verbum verò הוריד horid, *deſcendere fecit*, ſignificat interdum id quod facit artifex, qui ductum metallum alii rei aptat. Vide ſup. VI, 32.

30. *Humeri*] כתפות *chthephoth*. Talia vidiſſe oporteret, ut ſciremus quid fuerint; nam deſcriptiones hujuſmodi ſupellectilium & ornamentorum vix intelligimus etiam vernaculis Linguis ſcriptas, niſi res ipſas viderimus.

Sub concha] כיור *chijor*. Vas minus ad aquam continendam. Vide Exod. XXX, 18.

31. *Inferiùs ſeſquicubitale*] Supplevimus hîc *inferiùs* מתחת *mitthahhath*, ut opponeretur ל מלמעלה *milmahaleh*, ſuperiùs, præſertim cùm os rotundum cubitale eſſet ſupra ornamenta, vas vero eſſet quadratum inferiùs, & *ſeſquicubitale*, vel, ut eſt in textu, *cubiti & dimidii cubiti*.

Supra os] Os inferius quod quadratum quidem erat, ſed deſinebat in orbicularem formam.

32. *Axes*

32. Erant quatuor rotæ ſub limbis, & axes rotarum *adhærebant* baſi. Altitudo autem ſingularum rotarum erat ſeſquicubitalis. 33. Opus rotarum erat inſtar operis rotæ currûs. Axes earum, modioli, canthi, & radii erant omnes conflati. 34. Quatuor humeri erant ad quatuor angulos uniuſcujuſque baſis; & ex baſi *prodibant* ejus humeri. 35. Supra baſin exſtabat dimidii cubiti altitudo, rotunda circumquaque, nam ſupra baſin erant ejus latera & limbi ex ea *prodeuntes*. 36. Inſculpſit etiam tabulis laterum & limborum Cherubos, leones & palmas, quâ ſingula patebant, & additamentis circumquaque. 37. Sic fecit decem baſes; ſimiliter conflatæ, unius menſuræ, uniúſque ſculpturæ omnes erant. 38. Fecit etiam decem conchas æneas, *quarum* ſingulæ quadraginta bathos capiebant. Quaternûm cubitorum ſingulæ erant, & unaquæque uni baſi erat impoſita; decem, *nimirum*, baſibus. 39. Collocavit quinas baſes ad latus Ædis à dextra, & quinas ad alterum latus Ædis à ſiniſtra. Lacum verò poſuit ad latus Ædis dextrum, orientem versùs, è regione meridiei.

40. Fecit & Chiramus conchas, palas & crateres, abſolvitque facere omnia opera, quæ fecit Salomoni Regi *in uſum* Ædis Jehovæ; 41. columnas duas; & orbes coronidum, qui erant impoſiti duarum columnarum verticibus, & retia duo ad tegendos duos orbes capitulorum qui impoſiti erant vertici columnarum; 42. mala Punica quadringenta duorum retium, duos ordines malorum Punicorum unicuique reti, ad tegendos duos orbes capitulorum, qui impoſiti erant columnis; 43. baſes decem & conchas decem baſibus impoſitas; 44. lacum unum & juvencos duodecim, ſub eo lacu; 45. lebetes, palas, crateres & omnia illa vaſa, quæ fecit Chiramus Salomoni Regi, *in uſum* Ædis Jehovæ, ex ære purgato. 46. In planitie Jordanis ea conflavit Rex, in ſolo argillaceo, inter Succhothas & Tſarthanem. 47. Omiſit autem Salomo *pendere* omnia illa vaſa, propter maximam illorum copiam, nec exploratum eſt pondus æris.

48. Fecit

32. *Axes rotarum*] ידות jadoth, *manus*. LXX. Intt. multis reſectis, quod in locis obſcuris rarum non eſt: καὶ χεῖρες ἐν τοῖς τροχοῖς ἐν τῇ μεχωνώθ. Vulgatus pluribus verbis, ſed non multò meliùs: *quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos baſis erant, cohærebant ſibi ſubter baſim.* Inutiles fuiſſent quatuor rotæ, quæ ſibi cohæſiſſent, circumagi enim non potuiſſent; ſed axes oportuit cohærere baſi, ut circumactæ rotæ, quacumque agerentur, baſin traherent.

33. *Modioli*] גביהם gabbehem, *prominentiæ earum*, nimirum, circa axis extrema. Pro hac voce & duabus ſequentibus, LXX. Intt. habent tantùm νῶτοι καὶ πτερυγώματα, Vulgatus, *radii, canthi & modioli.*

Canthi] חשקיהם *hhiſchukehem*. Cùm חשק *hhaſſchek* Chaldaicè ſit *cinxit*, videntur canthi dicti חשקים, quaſi *cingula* rotæ. Vide ad Exod. XXVII, 10.

Radii] חשריהם *hhiſſchurehem*. *Radii* ſic dicti à חשר *colligavit*, quòd eorum ope canthus & modius ſimul connectantur.

34. *Ad quatuor angulos* &c.] Prominebant ex ære columnæ, aut ſimile quiddam, ne concha ſuper impoſita defluere poſſet, ſi forte baſis ex aliqua parte mota inclinaretur.

35. *Latera & limbi*] Dimidium cubitum prominebant, ut aquam fortè redundantem exciperent.

36. *Tabulis laterum*] לחות ידותיה *luhhoth jedotheah*; unde intelligere licet latera illa, quibus planum baſis cinctum erat, fuiſſe tabulas æneas.

Quà ſingula patebant] כמער איש *chemahar iſch*, pro retectione uniuſcujuſque; hoc eſt, quà ſingulæ laterum tabulæ patebant. LXX. Intt. habent ὄντα, Vulgatus, *quaſi in ſimilitudinem hominis ſtantis.* Quaſi legiſſent כמצב, quod à יצב *ſtetit*.

Additamentis] ליות *lojoth*, ut vſ. 29.

37. *Similiter conflatæ*] *Conflatio una, menſura una, ſculptura una omnibus illis.*

38. *Quaternûm cubitorum* &c.] *Quatuor in cubito concha una.*

39. *Orientem versùs, è regione meridiei*] Ad meridianum latus Atrii, januam orientalem versûs, ut Sacerdotes illac ingreſſi manus & pedes abluere poſſent. Opus fuit magna aquæ copia, cùm ad ejuſmodi ablutiones, tum quia perpetua cùm eſſet in atrio laniena, & multus ſanguis ad altaris baſin effunderetur; opus fuit etiam copioſa aqua, ut tot ſordes abluerentur. *Joſephus* Lib. VIII. c. 2. πληρώσας δὲ ὕδατος, τὴν μὲν θάλασσαν ἀπέδειξεν εἰς τὸ νίπτειν τὰς εἰς τὸν ναὸν εἰσιόντας ἱερεῖς ἐν αὐτῇ χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, μέλλοντας ἀναβαίνειν ἐπὶ τὸν βωμόν· τοὺς δὲ λουτῆρας εἰς τὸ καθαίρειν τὰ ἐντὸς τῶν ὁλοκαυτουμένων ζώων, καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν: *Cùm ea aquâ impleſſet, mare quidem deſtinavit, ad abluendum manus & pedes Sacerdotum, qui ad altare adſcenſuri erant; labra verò ad purganda viſcera animalium adolendorum, eorúmque pedes.*

42. *Impoſiti erant columnis*] על פני העמודים *ad faciem columnarum*, hoc eſt, ſupra columnas, idem enim eſt ac על ראש העמודים *ſupra verticem columnarum*, quod antea occurrit.

45. *Ex ære purgato*] נחשת ממרט *nhhoſcheth mmorath*. LXX. Intt. χαλκᾶ ἄρδην, qui addunt ſuperioribus à Chiramo conflatis στύλους τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ τοῦ οἴκου τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ οἴκου κυρίου. Vulgatus: *de aurichalcho*. Vertimus *purgato*, quia hæc ipſa vox dicitur de gladio expolito & probè purgato, apud Ezechielem Cap. XXI, 9, 10, 11.

46. *In ſolo argillaceo*] במעבה האדמה *in denſitate terræ*. Quod poteſt intelligi de ſolo illius tractûs, aut de ipſis argillæ formis, in quas æs lique-

48· Fecit etiam Salomo omnia ſupellectilia *aurea* Ædis Jehovæ, altare aureum; menſam auream, cui imponebantur panes *Deo* appoſiti; 49· candelabra quina à dextra & quina à ſiniſtra ante Adytum, ex auro puriſſimo, & flores & lucernas & forcipes aureas; 50· ſcyphos, cultros, crateres, cochlearia & acerras ex auro puro, & cardines forium Ædis interioris, loci ſanctiſſimi, & valvarum Ædis Templi, ex auro. 51· Perfectum itaque eſt omne opus Ædis Jehovæ, quod fecit Rex Salomo, intulitque Salomo quod conſecraverat David pater ejus, argentum, aurum, & vaſa, eáque depoſuit in Ædis Jehovæ theſauris.

VIII. Intromiſsâ in Adytum arcâ, Templum Jehovæ dedicat Salomo, precéſque in eo fundit, & Sacra maximo apparatu facit.

Caput VIII.

1· TUM congregavit Salomo ſenes Iſraëlis, omnia capita Tribuum & principes patriarum *familiarum* Iſraëlitarum ad ſe Jeroſolimam; ut transferret Arcam fœderis Jehovæ ex urbe Davidis, quæ eadem ac Sion, *in Templum.* 2· Convenerunt ergo ad Salomonem Regem omnes Iſraëlitæ ad feſtum, menſe Ethanim, qui eſt menſis ſeptimus. 3· Cùm autem veniſſent omnes Senes Iſraëlis, ſuſtulerunt Sacerdotes Arcam, 4· tranſtulerúntque eam, Tentoriúmque Conventûs, & omnia Sanctuarii ſupellectilia, quæ erant in Tentorio; hæc, *inquam*, tranſtulerunt Sacerdotes & Levitæ. 5· Salomo verò Rex & omnis cœtus Iſraëlis, qui ad eum convenerat, coram Arca obtulerunt minores pecudes & juvencos; quæ *victimæ* numerari, aut calculo comprehendi non poterant, propter multitudinem. 6· Intulerunt autem Sacerdotes Arcam fœderis Jehovæ in locum ſuum, in Adytum Ædis, in ſanctiſſimum *penetrale*, ſub alas Cheruborum. 7· Nam Cherubi extendebant alas ad locum Arcæ, eámque & vectes ejus deſuper tegebant. 8· Longi verò erant vectes & cernebantur eorum extremitates è Sanctuario, ante Adytum, at non cernebantur extrinſecus; fuerúntque illic, ad hodiernum uſque diem. 9· Ni-

liquefactum eſt conjectum, ut in varias illas figuras fingeretur. De urbe Tſarthan vide not. ad Joſ. C. III, 16.

47· *Pendere*] Hoc ſupplevimus, quod intelligendum res ipſa oſtendit. Ceterùm hæc omnia Regi tribuuntur, quæ juſſu & ſumtibus ejus per alium facta ſunt.

48· *Altare aureum*] Aut Moſaïca ſupellectilia longinquitate temporis, vel calamitatibus populi Hebræi, vel Sacerdotum negligentiâ perierant; aut erant minora, quàm ut in tam ſplendido Templo ponerentur, ſúntque in majorem formam à Salomone mutata.

49· *Puriſſimo*] סגור ſagour, *clauſo*. LXX. Intt. χρυσίου συγκλειομένου Incommodè. Meliùs Vulgatus, *puro*, quod *clauſum* dictum fuerit, propter diligentiam, quâ adſervari ſolet.

50· *Loci ſanctiſſimi*] *Sanctitatis ſanctitatum.*

Ædis Templi] בית להיכל *beth leheebal.* Sanctuarii exterioris, quod & antea non ſemel ſic vocatur. Simpliciter ναὸν vocant LXX. Intt. more Græco. Porticus erat πρόναος, Sanctuarium exterius ναὸς, interius ἄδυτον.

In Caput VIII.

1· PRincipes *familiarum patriarum*] נשיאי האבות *principes patrum*, hoc eſt, נשיאי משפחות האבות *principes familiarum patriarum*, ut ſæpe alibi.

2· *Omnes Iſraëlitæ*] *Omnis vir Iſraël*; hoc eſt, multi ex univerſo Iſraële.

Ethanim] איתנים, ſeptimo menſe anni ſacri, & primo civilis. איתנים, ſeu *fortium* cur dicatur parum conſtat. Vocabatur aliter *Thiſri. Joſephus*, in hac hiſtoria de hoc menſe: ὄντι μὲν τῷ ἐπιχωρίων Θισρὶ (lege Θισρὶ) ὄντι δὲ τῷ Μακεδόνων Ὑπερβερεταίῳ λεγομένῳ: *ab indigenis quidem Thiſri, à Macedonibus verò dicto Hyperberetæo.*

3· *Omnes ſenes Iſraëlis*] Honoratiſſimi quique. Ἡγεμόνας καὶ πρεσβυτέρους Ἑβραίων, vocat *Joſephus.*

4· *Tentorium* &c.] Quod videtur priùs Gabahone Jeroſolimam allatum.

5· *Numerari, aut calculo* &c.] לא יספרו ולא ימנו *non numerabantur, neque recenſebantur.* Hoc eſt, tantâ copiâ ut ægrè numerari poſſent.

6· *Sanctiſſimum penetrale*] *In ſanctitatem ſanctitatum.*

Sub alas Cheruborum] Majorum, nempe, quos fecerat Salomo. Vide Cap. VI, 23.

8· *Longi erant vectes*] ויאריכו הבדים *Et produxerant*, aut *longos fecerunt vectes*; nempe, qui eos primùm fecerant. Rabbinorum hac de re ſententias collegit *Joan. Buxtorfius* Exercit. de Arca, Cap. VII, & VIII.

Cernebantur eorum &c.] Itaque clauſæ non erant Adyti valvæ. Eminuiſſe autem putant veteres, ut Pontifex Maximus, Adytum quotannis ingrediens, inter eos rectà ad Arcam accederet, ut thymiama illic offerret.

E ſanctuario] Exteriori, quod ante Adytum fuit, apertis valvis & reducto velo.

Extrinſecus] Ex atrio, ſi quis per oſtium apertum Sanctuarii anterioris introſpexiſſet; quod obſcurum eſſet Adytum.

Ad hodiernum uſque diem &c.] Si auctor horum librorum vixit poſt captivitatem, ut colligere licet ex Cap. XXV. Lib. II. oportet hanc loquutionem *uſque ad hodiernum diem*, aut ſignificare in poſterum, poſtea, ad finem uſque rei de qua agitur; aut eam à Scriptore ex antiquioribus monumentis, ſcriptiſque ſtante Templo I. & Arcâ ſuperſtite, cùm deſcriptione rerum quæ hic habentur, exſcriptam fuiſſe; niſi

9. Nihil autem erat in Arca, præter duas Tabulas lapideas, quas repoſuerat illic Mo-
ſes ad Chorebum, cùm pepigiſſet *fœdus* Jehova cum Iſraëlitis, poſtquàm ex Ægypto
egreſſi eſſent.
10. Cùm verò exiviſſent Sacerdotes è Sanctuario, nubes replevit Ædem Jehovæ,
11. nec conſiſtere potuerunt Sacerdotes, ut miniſteria ſua obirent, propter nubem;
repleverat enim Ædem gloria Jehovæ. 12. Tum verò Salomo, dixit, inquit, Jeho-
va ſe habitaturum in caligine. 13. Ædificavi tibi Ædem, *ô Jehova*, habitationis tuæ,
ſedem in qua in perpetuum maneas. 14. Dein converſo vultu, Rex bene precatus eſt
univerſo cœtui Iſraëlis; univerſus autem cœtus Iſraëlis ſtabat; 15. &, benedictus, in-
quit, ſit Jehova Deus Iſraëlis, qui ore ſuo loquutus eſt cum Davide patre meo, &
per eum *quod prædixerat* implevit, cùm dixiſſet: 16. à die, quo populum meum
Iſraëlem ex Ægypto eduxi, nullam elegi urbem ex omnibus Tribubus Iſraëlis, ut ædi-
ficaretur *in ea* Ædes, ubi eſſet nomen meum; ſed elegi Davidem, ut populo meo
Iſraëli præeſſet. 17. Habuit quidem in animo David, pater meus, ædificare Ædem
nomini Jehovæ Dei Iſraëlis; 18. verùm dixit Jehova Davidi, patri meo: quòd habue-
ris in animo ædificare Ædem nomini meo, rectè quidem feciſti, quandoquidem *rem*
animo agitaſti. 19. Verumtamen tu eam Ædem non ædificabis, ſed filius tuus, lum-
bis tuis egreſſus, Ædem illam nomini meo conſtruet. 20. Ratum habuit Jehova id
quod dixerat, & exortus quidem ſum, loco Davidis patris mei, ſedique in ſolio Iſraë-
lis, quemadmodum prædixerat Jehova, & Ædem hanc nomini Jehovæ Dei Iſraë-
lis ædificavi. 21. Conſtitui illic locum Arcæ, in qua ſunt *Tabulæ* fœderis Jeho-
væ,

niſi quis putet partem priorem operis ab antiquiore Hiſtorico, poſteriorem à recentiore litteris mandatam. Vid. Cap. VIII, 21.

9. *Quas repoſuerat* &c.] Idem occurrit 2. Par. V, 10. quod habet etiam *Joſephus*: οὐχὶ δ' ἦν ἐν τῇ κιβωτῷ οὐδὲν ἕτερον, ἢ δύο λιθίναι πλάκες, αἳ τοὺς δέκα λόγους τοὺς ὑπὸ τοῦ θεοῦ λαληθέντας ἐν Σιναίῳ ὄρει ἐγγεγραμμένους αὐταῖς ἔσωζον: *arca aliud nihil habebat, præter duas lapideas tabulas, quæ decem verba à Deo prolata in Sinæo monte eis inſcripta ſervabant.* Nec aliud erat in Arca, hoc tempore, quamvis tempore Moſis quidam velint in ea fuiſſe Urnam Mannæ, & virgam Aharonis; ſed hæc etiam juxta Arcam eſſe potuerunt, non *in Arca*. Vide Intt. ad Heb. XI, 4. Exod. XXXIV, 27. & Num. XVII, 10.

10. *Egreſſi eſſent*] Aut *egrederentur*, בצאת *btſeth*.

Nubes] Qualis Moſaïcum Tentorium replere ſolebat, in Deſerta Arabia, erâtque divinæ præſentiæ ſymbolum. Vide Exod. XL, 34. Hoc modo conſecratum eſt Templum, Deo ſignificante ſibi id placere; ut conſecratum fuerat olim Moſaïcum Tentorium.

Ædem Jehovæ] Adytum & Sanctuarium exterius, in quo thymiama offerre ampliùs non potuerunt Sacerdotes.

11. *Nec conſiſtere potuerunt* &c.] Aut metu, aut propter Nubis caliginem, ut Moſes Exod. XL, 35.

Gloria Jehovæ] Ut paſſim, apud Moſem, vocatur divinæ præſentiæ ſignum.

12. *Dixit Jehova*] Levit. XVI, 12. Hoc vult Salomo, hinc intelligi Deum nunc præſentem adeſſe Templo.

13. *Ædificavi tibi* &c.] Apoſtrophe ad Deum quem veluti venientem in Ædem ſuam Salomo ſalutat, & cui eam ſollemnem in modum conſecrat. Addit autem hanc eſſe ſedem, in qua *in perpetuum habitet* Deus; quia antehac Arcæ nullus certus fuit locus, in quo ſemper ſervaretur.

14. *Stabat*] Numquam ſedebat quiſquam, in Atrio Iſraëlis, aut in Atrio Sacerdotum. Nempe, ſervorum erat, coram heris *ſtare*.

15. *Ore ſuo cum Davide*] Per Nathanem Prophetam, qui fuerat veluti *os Dei*. Vide 2. Sam. VII, 4. & ſeqq. Similis loquutio legitur Exod. IV, 16.

16. *Ubi eſſet nomen meum*] Hoc eſt, quæ de nomine meo diceretur בית יהוה *Ædes Jehovæ*.

17. *Habuit in animo*] *Fuit cum corde Davidis.*

22. *Palmis ad cœlum extenſis*] Qui fuit geſtus orandi apud multos populos, apud quos Deum orantes deſcribuntur paſſim *tendentes ad ſidera palmas*; quòd exiſtimarent, nec falsò, locum quamdam eſſe circa Tellurem, in quo Deus inſigniora præſentiæ ſuæ ſigna ederet, & ad eum locum, quaſi ad inconſpicuum & ſanctiſſimum Numinis Templum, ſe ſe converterent.

23. *In cœlo ſupra nos*] Sunt quidem אלהים *Dii*, ut loquebantur Veteres, ſeu humanâ præſtantiores Naturæ, in cœlo, præter Creatorem omnium rerum; ſed nulla ei ſimilis alia Natura.

Nec infra in terris] Inter eos qui dicuntur אלהים, apud homines.

Fœdus obſervas] *Servans fœdus & benignitatem.*

Coram te incedunt toto animo] Te ſolum colunt. Vide not. ad Deut. IV, 29. VI, 5.

24. *Præſtitiſti quæ ei promiſeras*] *Obſervaſti quæ dixeras.*

25. *E conſpectu meo*] Vide 2. Sam. VII, 16.

26. *Ratum habeatur*] יאמן jeamen, *verum fit.*

27. *An verò Deus* &c.] Emendat, aut explicat quod dixerat de habitatione Dei in Templo, ne populus ſibi fingeret Numen eo clauſum.

Cœlum cœli] שמי שמים *ſchme ſchamajim.* *Cœlum* quidem ſimpliciter vocat cœlum hoc conſpicuum, *cœlum* verò *cœli* id ſpatium, quod, ſi

Digitized by Google

væ, quod fecit cum Majoribus noſtris, poſtquàm eos ex Ægypto eduxiſſet.
22. Tum conſtitit Salomo ante altare Jehovæ, coram toto cœtu Iſraëlis, & palmis
ad cœlum extenſis, 23. ô Jehova, inquit, Deus Iſraëlis, nullus eſt inſtar tui Deus in
cœlo, ſupra nos; nec infrà in terris, qui fœdus obſervas, & ſervis tuis, qui coram
te incedunt toto animo, es benignus; 24. qui præſtitiſti ſervo tuo Davidi, patri meo,
quæ ei promiſeras; & quod pollicitus eras, ore tuo, id hodierno die, manu tuâ, im-
plevisti. 25. Nunc verò, ô Jehova Deus Iſraëlis, præſta *quoque* ſervo tuo Davidi pa-
tri meo, quod ei pollicitus es, his verbis: non exſcindetur tibi vir è conſpectu meo,
qui ſedeat in ſolio Iſraëlis, ſi modò poſteri tui viæ ſuæ obſervantes ſint, ita ut ince-
dant coram me, quemadmodum tu in conſpectu meo inceſſiſti. 26. Nunc, ô Deus
Iſraëlis, ratum quæſo habeatur dictum hoc tuum, quod ſervo tuo Davidi, patri
meo, protuliſti. 27. An verò habitaret Deus in terris? Atqui cœlum, & cœlum cœli
te capere non poſſunt; quantò minùs hæc Ædes, quam ædificavi? 28. Reſpice, ô Je-
hova Deus mi, ad preces ſervi tui, & ad ejus obſecrationem; ita ut exaudias clamo-
rem & orationem, quam ſervus tuus coram te hodie fundit; 29. oculique tui noctu &
interdiu aperti ſint ad hanc Ædem, atque ad locum, de quo dixiſti: erit nomen meum
illic; ut exaudias preces, quas ſervus tuus adhibet in hoc loco. 30. Audito obſe-
crationem ſervi tui & populi tui Iſraëlis. Quotieſcumque oraverint in hoc loco, tu
verò exaudito in loco habitationis tuæ in cœlo; exaudito & ignoſcito. 31. Si quis qua-
piam in re deliquerit in proximum ſuum, & *hic* detulerit ei jusjurandum, ita ut ſacra-
mento eum adegerit, & jusjurandum *concepturus* venerit ad altare, in hanc Ædem;
32. tu

ſi propinqui ſtellis quas cernimus eſſemus, ulteriùs proſpicientes *cælum* vocaremus, ſeu quod incolæ locorum illorum *cælum* vocant; nam illi, non minùs ac nos, *ſolémque ſuum & ſua ſidera norunt.* Simili Hebraiſmo אלהי אלהים *Deus Deorum* ille dicitur qui etiam eorum, qui *Dii* dicuntur *Deus* eſt; & שיר השירים *canticum canticorum*, id *canticum* quòd æquè ſuperat elegantiâ cetera *cantica*, ac ipſa illa cantica vulgarem ſermonem ſuperant.

Te capere non poſſunt] יכלכלוך *jechalcheloucha.* Ad Deum converſus ſic loquitur, ſignificans tantùm abeſſe ut Templi finibus claudatur Deus, ut ne remotiſſima quidem Univerſitatis rerum ſpatia continere eum poſſint. Hinc ubique præſentem adeſſe Deum rectè colligunt Theologi, quamvis rationem præſentiæ divinæ deſcribere nemo poſſit.

28. *Reſpice, ô Deus mi &c.*] Ea eſt mentis humanæ imbecillitas, ut quantumvis ſe ſe extollere conetur ſupra notiones vulgi, mox tamen ad popularia loquendi genera relabatur. Sic cùm Salomo de Divina præſentia θεοπρεπῶς ſuperiori verſu loquutus eſſet, mox loquitur de Deo, quaſi *reſpiciente* & *audiente* orationes nonnullas, qualis hæc eſt, cùm omnia ſemper videat & audiat; quippe qui, ut Plinianis verbis utar, *totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus ſui.* Sed homo hominem exuere non poteſt.

30. *In hoc loco*] Deo quidem perinde ſemper fuit, eritque undecumque oretur, ſi modò pio animo oretur, veráque bona ab eo petantur, & quemadmodum oportet; ſed non erat perinde conſervationi Reipublicæ Populi Hebræi, ſi ubivis publico cultu coleretur Deus; quia, cùm ab Idololatris cingeretur, in diverſas quidem ſuperſtitiones diſtractis, ſed æquè veri Dei ignaris, multùm ejus intererat conjunctos eſſe communibus ſacris omnium animos, civéſque proinde unum in locum colendi Dei causâ convenire; ne paullatim in partes irent, & idololatriâ corrumperentur, quod contigit diviſo in duo regna Iſraële. Ideò Salomo cupiebat Deum orationibus eorum, qui in Jeroſolimitanum Templum ſe conferrent, exorabiliorem eſſe & credi apud Hebræos, ut eò potiùs irent.

31. *Si quis quapiam in re*] את אשר יחטא איש *quod deliquerit vir.* Videtur eſſe loquutio, quæ integra eſſet, ſi diceretur: בחטאה את אשר יחטא, *in peccato quod peccaverit.* Alioquin את אשר vertitur *quandoquidem*, ut Levit. XXVI, 35. & 1. Sam. XXIV, 19.

Detulerit ei jusjurandum] נשא בו אלה *tulerit in eo exſecrationem*; hoc eſt, de re occulta detulerit ei jusjurandum, quo prolato, hominem innocentem habeat. LXX. Intt. ἐὰν λάβῃ ἐπ᾽ αὐτὸν ἀρὰν. Vulg. *& habuerit aliquod juramentum,* quod refert ad eum qui jurat, cùm ſermo ſit de eo qui alii defert jusjurandum.

Jusjurandum concepturus &c.] *Et venerit exſecratio coram altari tuo.* LXX. Intt. καὶ ἔλθῃ καὶ ἐξαγορεύσῃ κατὰ πρόσωπον τοῦ θυσιαστηρίου σου. Vulgatus: *& venerit propter jusjurandum coram altari tuo.* Hinc liquet, etiam apud Hebræos, morem fuiſſe, ſollemniùs jurandi causâ, ſe ſe conferendi in Templum ad Altare; quod, apud Græcos & Latinos, frequens fuit. Vulgus, nimirùm, præſentiorem putat Deum Templis & Aris, quàm alibi. Scholiaſtes *Arati* ad vſ. 403. Φαινομένων, ubi de Ara aut Thuribulo cœleſti: Ἐρατοσθένης δέ φησι τοῦτο τὸ θυτήριον εἶναι ᾧ τὸ πρῶτον οἱ θεοὶ συνωμοσίαν ἐποιήσαντο: *Eratoſthenes verò ait hoc Thuribulum eſſe ad quod primùm Dii conjurationem fecerunt*; nimirum, cùm Jupiter bellum Titanibus intulit. Poſtea dicit: ὃ καὶ τοῖς ὀμνύειν δίδοται βωμοφόροις ὡς ἀσφαλεστάτην πίστιν τηρῶσι, καὶ τῇ χειρὶ ἐφαπτόμενοι δεικνύντες εὐγνωμοσύνης μαρτύριον τὸ πῦρ: *quod etiam datur volentibus jurare, ut ſanctius fidem ſervent, & manu tangunt, oſtendentes ignem boni animi ſignum.* *Plautus* in Rudente Act. V. S. 2. vſ. 49. GR. *Tene aram hanc.* LA. *Teneo.* GR. *Dejura te mihi argentum daturum.* *Virgilius* Æneid. Lib. XII, 200.

32. tu verò *id* audito è cœlo, perficitóque & judicato de ſervis tuis, ita ut damnes quidem reum, dum facis ut mores ejus in caput ejus recidant; abſolvas verò innocentem, eique pro ejus innocentia largiaris. 33. Cùm populus tuus Iſraël cæſus fuerit, in conſpectu hoſtis ſui, quia peccaverint; ſi revertantur ad te, laudent nomen tuum, oréntque & obſecrent te, in hac Æde; 34. tu verò eos exaudias è cœlo, ignoſcas peccato populi tui Iſraëlis, reducáſque eos in terram quâ Majores eorum donaſti. 35. Cùm clauſum fuerit cœlum, neque deciderit pluvia, qui in te peccaverint, ſi te orent in hoc loco, laudéntque nomen tuum, & à peccato ſuo revertantur *ad te*, quia eos adflixeris; 36. tu verò eos exaudias è cœlo, ignoſcas peccato populi tui Iſraëlis, quandoquidem docueris eos viam bonam, quam ingrediantur, & des pluviam terræ tuæ, quam populo tuo poſſidendam dediſti. 37. Si fuerit fames in terra, ſi fuerit peſtis, ſi fuerit uredo, rubigo, locuſta, aut bruchus; ſi obſideat eum hoſtis ejus, in terra urbium ipſius, quæcumque ſit plaga, quicumque morbus, 38. omnes preces, omnem orationem hominis cujuſvis, aut totius populi tui Iſraëlis; ſi quiſque intellexerit vulnus animi ſui, & palmas ſuas extenderit in hac Æde; 39. exaudias tu è cœlo, ſede habitationis tuæ, parcáſque, exſequaris *quod petet*, & cuique largiaris, per omnia prout erunt ejus mores, & prout animum ejus cognoſces; tu enim ſolus quis ſit animus omnium hominum noviſti. 40. Propterea te timebunt omnibus diebus, quibus vivent in terra, quâ Majores noſtros donaſti. 41. Tum verò etiam alienigena, qui non erit

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit,
Tango aras, medióſque ignes & numina teſtor.

Horatius Lib. II. Ep. I. ad Auguſtum.

Jurandáſque tuum per nomen ponimus aras.

Juvenalis Sat. XIII, 89. de Epicureis pejerantibus:

Atque ideò intrepidi quæcumque altaria tangunt.

& Sat. XIV, 218.

Falſus teſtis erit, vendet perjuria ſummâ
Exiguâ, & Cereris tangens aramque, pedémque.

Quin & in Templis Deorum jurabant. *Plinius* Lib. II. c. 7. *Alii in ipſo Capitolio fallunt ac fulminantem pejerant Jovem.* Plura invenientur apud eorum Scriptorum Interpretes.

32. *Damnes reum*] להרשיע רשע *lebarſchiah raſchah*; hoc eſt, pronuncies, aut ſignifices eum eſſe reum qui reus eſt, immiſſis in eum pœnis, quas ſibi ipſe ad altare tuum imprecatus fuerit, ni verum diceret.

Ut mores ejus in caput ejus &c.] *Ad dandam viam ejus in caput ejus*, לתת דרכו בראשו; hoc eſt, ut, prout ſe malè geſſerit, pœnas det, & deceptorum hominum & ſpreti Numinis.

Abſolvas verò innocentem &c.] להצדיק צדיק, *ad pronunciandum juſtum eum qui juſtus eſt*; hoc eſt, oſtendendum innocentem eum cui nullas pœnas impoſueris.

33. *Si revertantur ad te*] ושבו אליך *& redeant ad te*; quem, nempe, antea deſeruerint, ut alios colerent Deos. Ea in re ſita erat potiſſimùm תשובה *reditio* Iſraëlitarum ad Deum; ut qui loca expendent facile animadvertent. Ideò *reverti*, potiùs quam *ſe convertere*, hîc & alibi tranſtulimus.

34. *E cœlo*] השמים *haſchamajim*, aut מן השמים *min haſſchamajim*, è cœlo. Utrumque enim regulare eſt, & poſterius legitur 2. Par. VI.

35. *Cùm clauſum fuerit cœlum*] Sequentia docent quid hæc tralatitia notio ſibi velit. Vide Gen. VIII, 2

36. *Quandoquidem docueris*] כי תורם *chi thorem*. כי videtur hîc, eſſe *quandoquidem*; certè commodus ſenſus nullus hinc elici poſſe videtur alius, niſi ſic vertatur. Scio per parentheſin hæc inſerta videri poſſe, ita ut Salomo, memorato peccato Iſraëlitarum, addat *nam docueras eos viam bonam, quam ingrederentur*. Sed frigida hîc & dura eſt hujuſmodi Parentheſis. Poſſet etiam fortè quiſpiam vertere כי *quamvis*, hoc ſenſu; ignoſcas Iſraëlitis, *quamvis eos docuiſſes viam bonam, quam ingrederentur*. Sed ſubaudiendum eſſet, *nec tamen eam ingreſſi ſint, indignique ſint propterea venia*; quod durum eſt. Sunt multa loca, in quibus כי ſumitur pro *cùm*, ut Ruth. II, 13. 2. Sam. VII, 6. Senſus autem eſt: quandoquidem eos ſterilitate eò adduxeris ut ad te, auxiliúmque tuum redierint. Vide 2. Par. VI, 26.

37. *Si fuerit fames*] רעב כי יהיה *rahab chi jihjeh*, quod verti etiam queat, *quando fuerit fames*.

Uredo, rubigo] שדפון ירקון *ſchdaphon jerakon*. Vitia frugum, ex ventis ac pluviis nata, quibus grana corrumpuntur. Priùs ἐμπυρισμὸς à LXX. rectè vertitur, poſterius ἴκτερος, quamvis ordo vocum ſit inverſus: cùm habeant ἐμπυρισμὸς, βροῦχος, ἴκτερος. Vulgatus: *corruptus aër, aut ærugo*.

Bruchus] חסיל *hhaſil*, quod nomen eſt locuſtæ, à verbo חסל hhaſal, quod eſt *abſumere*, ut oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. IV. C. I. LXX. Intt. pro ארבה & חסיל *locuſta & brucho*, habent tantùm βροῦχος. Vulgatus, *rubigo*, ex conjectura; nam *rubigo* eſt ירקון, ut jam conſtat. Vide Hamos IV, 9.

Urbium ipſius] *Portarum ejus*, שעריו, ſchaharau.

38. *Si quiſque intellexerit*] אשר ידעון איש *aſcher jedahoun iſch*. Sic ſumitur אשר Levit. IV, 22. Deut. XI, 27. LXX. Intt. habent ὡς, quaſi eſſet כאשר *chaaſcher*.

Vulnus animi ſui] נגע לבבו *negah lbabo*. LXX. ἁφὴν καρδίας αὐτοῦ, Vulgatus, *plagam cordis ſui*. Hoc eſt, delictum ſuum, quod eſt vulnus animi, ut divulſio carnium eſt vulnus corporis. Poſſit & ſic verti, *ſi quis ſenſerit animum ſuum commotum*; ſed minùs commodè.

39. *Prout erunt ejus mores*] *Secundùm omnes vias ejus.*

Hominum] *Filiorum hominis.* LXX. Intt. habent

erit è populo tuo Iſraële, ipſe è terra longinqua, propter ſamam tuam, veniet. 42. Audient enim famam tuam magnam, quámque potens ſit manus tua & brachium tuum exſertum, veniéntque & preces ſundent in hac Æde. 43. Tu verò exaudias eos è cœlo, habitationis tuæ ſede, faciáſque omnia de quibus te alienigena invocabit; ut omnes populi terræ nomen tuum cognoſcant, téque revereantur, quemadmodum populus tuus Iſraël, & ſciant hanc Ædem, quam ædificavi, de nomine tuo vocari. 44. Cùm fuerit egreſſus populus tuus ad bellum, contra hoſtem ſuum, per viam quâ eos miſeris, orabúntque Jehovam, in via urbis quam elegiſti, atque Ædis, quam nomini tuo conſtruxi; 45. tu verò exaudias è cœlo orationem, obſecrationémque eorum, faciáſque id quod jure poſtulabunt. 46. Quando in te deliquerint (nullus enim eſt, qui non peccet) uſque excandueris, & eos hoſti objeceris, qui captivos eos abduxerit in ſolum hoſticum, aut longinquum, aut proximum; 47. ſi ad animum revocaverint *culpam ſuam*, in terra, in quam captivi abducti fuerint, & *ad te* reverſi te oraverint in terra captivitatis ſuæ, dicentes: peccavimus, iniquè nos geſſimus, rei ſumus; 48. redierintque ad te, toto corde, & toto animo ſuo, in ſolo hoſtico, in quod captivi abducti fuerint, & oraverint te in via terræ ſuæ, quâ Majores eorum donaſti, urbiſque quam elegiſti, & Ædis quam nomini tuo condidi; 49. tu verò audias è cœlo, loco habitationis tuæ, orationem & obſecrationem eorum, faciáſque quod jure petent. 50. Ignoſcito populo tuo, cùm in te deliquerit, & omnibus peccatis eorum, cùm in te peccaverint, facitóque ut miſericordia digni

bent hîc: *σὺ μονώτατος οἶδας τὴν καρδίαν πάντων τῶν ἀνθρώπων*, cùm nulla ſit ſuperlativi nota in Hebraïcis.

40. *Propterea*] למען *lmahan*, quod eſt quidem idem ac *ut*, ſed ſumitur & pro *ideo*, ut Pſ. LI, 6. Jer. XLIV, 8. Ideò non eſt Deus *καρδιογνώστης*, ut homines eum timeant; ſed homines ideò eum timent, quòd ſciant eum eſſe *καρδιογνώστην*. Ac ſanè eum, per quem juramus, oportet noſſe animos hominum, ut fallentes plectere poſſit, malóſque à bonis ſecernere. Hanc in rem eximia habent Stoïci, & inter alios *Seneca* Ep. LXXXIII. *Sic certè vivendum eſt, tamquam in conſpectu vivamus. Sic cogitandum, tamquam in pectus intimum inſpicere poſſit; & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? Nihil Deo clauſum eſt. Intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit. Sic intervenit, dico, tamquam aliquando diſcedat?*

42. *Quámque potens ſit manus tua*] *Manum tuam potentem* &c.

Venientque & preces ſundent &c.] Quod impletum eſt ab innumeris Proſelytis, qui Deum culturi Jeroſolimam iverunt, præſertim poſtquàm Judæi per omnes terras ſparſi fuerunt, ſermonibuſque Ethnicos ad ſententiam ſuam adduxerunt. Ejus rei exempla habemus in Actis Apoſtolicis, & præſertim quidem in Candaces Reginæ Æthiopiæ Eunucho. Sunt & apud *Joſephum*, inter quæ eminet Izates Adiabenorum Rex & mater ejus Helena, de quibus vide Ant. Jud. Lib. XX. c. 2.

43. *Omnia de quibus*] *Secundùm omnia, quæ clamaverit ad te.* Intelligendum, ſi modò ei conducant qui petit, ſi ſit vir religioſus, ſi denique rectè petat. Hæ ſunt enim tres rectæ orationis leges, *bona, à bono, bene.* Non eſt divinæ ſapientiæ & bonitatis noxia dare, niſi plectat & deſerat homines ob conſummatam nequitiam. Non eſt ſanctitatis ejus favere parum religioſis, ita ut det iis quod petunt. Non eſt denique divinæ ſapientiæ dare etiam bona hominibus religioſis, ſi malè ab iis petantur; hoc eſt, animo non ſatis religioſo: ut ſi quis peteret cognitione veritatis illuſtrari gentem Ethnicam, eâ fiduciâ, quâ res differri aut negari à Deo non poſſe exiſtimaretur, cùm talia ſint ejus ſummæ ſapientiæ relinquenda. Pluribus hæc poſſent diduci, ſi locus eſſet.

De nomine tuo vocari] *Quod nomen tuum vocatur ſuper hac domo.* Phraſis eſt Hebraica frequens. Senſus eſt, ut intelligant vero Deo & qui ſit verè *Jahavo* יהוה, hoc eſt, *qui facit ut res ſint*, conſecratum non immeritò hoc eſſe Templum, nec falsò rem ab Hebræis jactari. Alioqui etiam ſine ulla precum efficacia, quivis, quibus ignoti non erant Judæi, poterant ſcire Deo inconſpicuo, quem *Jahavonem* (ut ſic declinemus hoc nomen) vocabant, dedicatam hanc fuiſſe Ædem.

44. *Per viam, quâ eos* &c.] Per Prophetas.

In via urbis] Cùm enim ſtatuat Salomo, Hebræos Jeroſolimâ profectos bellum hoſtibus inferre, futuri erant in via Urbis & Templi.

45. *Quod jure poſtulabunt*] *Judicium eorum.*

46. *Quando*] כי *chi*. LXX. Intt. *ὅτι ἁμαρτήσονται.* Meliùs vertiſſent *ὅταν*. Vulgatus: *quòd ſi.*

Hoſti objeceris] *Dederis coram hoſte*, quaſi cædendos objeceris.

Qui captivos eos &c.] *Et abduxerint captivos abducentes eos in terram hoſtis.*

47. *Si ad animum revocaverint* &c.] והשיבו אל לבם *& redire fecerint ad cor ſuum*, nempe עונם *havonam*, *delictum ſuum*, aut ſimile quidpiam. Vide Eſaïæ C. XLIV, 19. XLVI, 8. LXX. Intt. *ἐπιστρέψωσι καρδίας αὐτῶν* quaſi pro אל *el* legiſſent אם. Vulgatus: *& egerint pœnitentiam in corde ſuo.*

48. *Redierintque* &c.] Te ſolum coluerint, tibi ſoli parere velint. Vide ad Deut. IV, 29.

In ſolo hoſtico, in quod] Jam ter hoc dictum eſt, in antecedentibus; ſed incultus Hebraicæ Linguæ genius repetitiones non refugit. Qui talia non animadvertunt exiguum profectum in Lingua Sacra produnt.

In via terræ ſuæ] Vide ad vſ. 44.

49. *Quod jure petent*] משפטם *judicium eorum*, ut vſ. 45.

50. *Facito ut miſericordia* &c.] *Da eos in miſericordias in conſpectu captivos tenentium, eorúmque miſereantur.*

 51. *Ca-*

digni videantur apud eos, qui eos abduxerint, útque miſericordiam conſequantur.
51. Sunt enim populus tuus & tua poſſeſſio, *quippe* quos eduxiſti ex Ægypto, catinóque
ferreo. 52. Sint oculi tui aperti ad obſecrationem ſervi tui, & ad preces populi tui Iſraë-
lis; ita ut eas exaudias, quotieſcumque te invocabant, 53. etenim tu eos tibi ſepo-
ſuiſti in poſſeſſionem, ex omnibus terræ populis; ſicut dixiſti, per Moſem ſervum
tuum, cùm Majores noſtros, ô Domine Jehova, ex Ægypto eduxiſſes.

54. Poſtquàm Salomo hanc orationem, precéſque ad Jehovam fundere abſolviſſet;
ſurrexit è conſpectu Altaris Jehovæ, à flexione genuum, extenſionéque palmarum ad
cœlum. 55. Tum ſtans bene precatus eſt toti cœtui Iſraëlis, voce magnâ, & dixit:
56. benedictus ſit Jehova, qui dedit requiem populo ſuo Iſraëli, *fecitque* per omnia,
prout promiſerat; nec verbum unum *fruſtra* cecidit ex omnibus promiſſis, quæ per Mo-
ſem ſervum ſuum protulerat. 57. Adſit nobis Jehova, Deus noſter: quemadmodum
adfuit Majoribus noſtris, neque nos deſerat, aut deſtituat; 58. ita ut inclinet animos
noſtros ad ſe, ut inſiſtamus omnibus ejus viis, & præcepta, inſtituta ac jura, quæ de-
dit Majoribus noſtris, obſervemus. 59. Sint autem verba hæc, quibus precatus ſum
Jehovam, propinqua Jehovæ Deo noſtro, interdiu & noctu, ut faciat quod jure pe-
tiit ſervus ipſius, & quod jure petet populus ejus Iſraël, ſingula ſuo tempore; 60. ut
ſciant omnes terrarum populi Jehovam eſſe Deum, neque ullum præterea *alium*. 61. Sit
verò animus veſter integer erga Jehovam Deum noſtrum, ita ut incedatis in ejus inſti-
tutis, obſervetiſque ejus præcepta, quemadmodum hodie.

62. Rex autem, & univerſus Iſraël cum eo, Sacra fecerunt coram Jehova; 63. & Sa-
lomo quidem in Salutaribus Sacris, quæ fecit Jehovæ, mactavit juvencorum viginti duo
millia, hædorúmque & agnorum centum viginti millia; Ædémque Jehovæ Rex & om-
nes Iſraëlitæ dedicarunt. 64. Eo die, conſecravit Rex medium atrium, quod eſt an-
te Ædem Jehovæ, quia illic holocauſta, munera *farrea*, & adipem Salutarium Sacro-
rum adolevit; nam altare æneum, quod erat ante Jehovam, minus erat, quàm ut poſ-
ſet holocauſta, munera *farrea*, & adipem ſalutarium victimarum capere. 65. Cele-
bra-

51. *Catinoque ferreo.*] כור הברזל *chour babbarzel*, quod ambiguum eſt, poteſt enim ſignificare *catinum ferreum*, in quo coquitur plumbum, aut ſtannum; aut *catinum in quo ferrum ipſum liquefit*, qui argillâ conſtat. Vide Deut. IV, 20. LXX. Intt. poſteriori ſenſu intellexerunt, cùm habeant χωνευτήριον σιδήρου. Vulgatus minùs commodè vertit *fornacem ferream*.

52. *Sint oculi tui aperti*] להיות עינך פתוחות, *ut ſint oculi tui aperti*. Vertimus *ſint* ſimpliciter quaſi eſſet יהיו נא *ſint quæſo*, ut 2. Par. VI, 40. Hebræi mirâ ratione miſcent tempora, & in tota hac oratione, quæ ſecundâ perſonâ ſubjunctivi vertimus *exaudias*, *facias* &c. ea ſunt in ſecunda perſona præteriti שמעת *ſchamahtha*, עשית *haſchitha*.

Quotieſcumque te invocabunt] *In omnibus invocationibus eorum ad te.*

53. *Sicut dixiſti per Moſem*] Vide Exod. XIX, 5.

Cùm eduxiſſes] בהוציאך *behotſiacha*, quod non eſt vertendum *cùm educeres*, ſed *cùm eduxiſſes*, ut alibi ſæpe.

O Domine Jehova] אֲדֹנָי יְהוִֹה quod vertunt LXX. Intt. κύριε κύριε. Hieronymus, *Domine Deus*, quia ejus ævo jam efferebatur ut אלהים *elohim* vox יהוה, antecedente voce אדני *adonai*, quod tempore Græcorum Interpretum nondum factum videtur.

54. *A flexione genuum*] מכרוע על ברכיו *A flectendo ſuper genua, & palmis ſuis expanſis ad cœlum.*

55. *Tum ſtans* &c.] *Et ſtetit & benedixit* &c.

56. *Fecitque per omnia, prout promiſerat*] *Secundùm omnia quæ dixerat.*

Ex omnibus promiſſis] *Ex omni verbo ejus bono.* Eſt [illegible] vocis *promiſſio*, cui ſynonymam unam vocem non habent Hebræi.

57. *Adſit nobis*] Hæc eſt propriè adprecatio fauſta Iſraëli, nam priora ſunt laus Dei.

Neque nos deſerat &c.] Sic Joſ. I, 5.

58. *Ita ut inclinet*] להטות *lehattoth*; faciat, nempe, quidquid facere ſolet ad inclinandos ad ſe hominum animos; quod omittit facere in gratiam eorum, qui prorſus repudiant ejus beneficia, & ab eo tandem, inſignis contumaciæ causâ, deſeruntur.

59. *Propinqua Jehovæ*] Semper eorum meminerit, ut meminerunt homines rerum præſentium & propinquarum; hoc eſt, ea exaudiat.

Jure petiit] משפט miſchphat, *judicium*, ut aliquoties antea.

Singula ſuo tempore] דבר יום ליומו *rem diei in diem.* LXX. Intt. ad verbum, ῥῆμα ἡμέρας ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ. Vulgatus, *per ſingulos dies.*

61. *Integer*] שלם *ſchalem*; hoc eſt, ei ſoli addictus, nullo alio Numine ad cultûs participationem adſcito.

63. *Juvencorum viginti duo millia* &c.] Ut, nimirum, populo, qui convenerat undequaque, viſcerationem daret, & quidem per plures dies.

Dedicarunt] יחנכו *jehhannechou*, hoc eſt, ſollemni ſacro peracto, cœperunt Templo uti, prout ſtatuerant.

64. *Eo die*] Vel *eo tempore*, neque enim credibile eſt uno die tot victimas eſſe mactatas, Deóque oblatas.

Adolevit] *Fecit.*

65. *Ab ingreſſu Chamathæ*] Qui fuit terminus agri Iſraëlitici remotiſſimus, ad ſeptemtriones, ut diximus ad Geneſ. XVII, 10. iſque ad

bravit Salomo, tempore illo, unáque univerſus Iſraël, ingenti conventu, ab ingreſſu Chamathæ ad fluvium uſque Ægypti, feſtum coram Jehova Deo noſtro, per bis ſeptenos, ſive quatuordecim dies. 66. Die verò octavo, *poſt exactum alterum ſeptiduum*, dimiſit Salomo populum, qui bene precatus eſt Regi & abiit in tentoria ſua lætus ac hilari animo, propter omnia beneficia, quibus Jehova Davidem, Iſraëlémque populum ſuum affecerat.

IX. Salomonem Deus in ſomnis admonet. Regem Tyriorum Salomo donat viginti urbibus, multáſque urbes condit aut munit in regno, inter quas fuit Gezer, à Pharahone expugnata. Ter quotannis Sacra facit, & naves Ophiram mittit.

1. CUM ergo abſolviſſet Salomo exſtruere Ædem Jehovæ, & domum regiam, & CAPUT IX.
quidquid cupierat facere, 2. conſpectus ei eſt Jehova ſecundùm, ut conſpectus
ei fuerat Gabahone; 3. dixitque Jehova Salomoni: exaudivi orationem, precéſque tuas, quas coram me fudiſti. Couſecravi *mihi* Ædem hanc, quam exſtruxiſti, ut nomen meum illic ponerem in perpetuum, ſempérque illic oculi & animus meus erunt *defixi*.
4. Tu verò ſi inceſſeris coram me, quemadmodum inceſſit pater tuus David, integro ac recto animo, ita ut quæcumque tibi præcepi feceris, inſtitutáque & jura mea ſervaveris;
5. firmabo thronum regni tui in Iſraëlem in perpetuum, ſicut promiſi Davidi patri tuo, his verbis: non exſcindetur tibi vir è ſolio Iſraëlis.
6. Quòd ſi vos, poſterive veſtri à me avertamini, neque præcepta, inſtitutáque mea, quæ vobis propoſui, ſervetis, abeuntéſque colatis Deos alienos, eóſque adoraveritis;
7. tum verò exſcindam Iſraëlem, è terra quam ei dedi, Ædémque, quam conſecravi nomini meo, è conſpectu meo miſſam faciam, & fiet Iſraël adagium, ludibriúmque per omnes populos.
8. Ædes iſta erit locus excelſus, & quiſquis juxta eam tranſibit obſtupeſ-

ad ortum Jordanis, nam ad occaſum non tam procul ad eam cœli plagam porrigebantur. Verùm ex hac poſteriore parte fines Iſraëlitarum multò auſtraliores erant, quàm ex altera. Ideóque longiſſima linea, quæ per agros Iſraëliticos duci poſſet, erat à Nilo, qui in ſequentibus verbis dicitur *fluvius Ægypti*, ad Chamatham, vel Epiphaniam.

Per bis ſeptenos] *Septem dies & ſeptem dies, quatuordecim dies.* Dedicatio, nempe, Templi celebrata eſt per ſeptem dies, deinde per ſeptem dies ſollemnes feſtum Tabernaculorum, ut liquet ex 2. Par. VII, 8. Mirus eſt hoc in loco *Joſephus*, qui numerum quidem victimarum minuit, dierum verò feſtorum auget: μόσχους μὲν [illegible] μυρίους καὶ δισχιλίους, *cùm duodecies mille vitulos mactaſſet.* Fortè plus ſatis hoc eſſe putabat victimarum, ut uno die in atrio templi offerri poſſent; ſed, ut diximus, nihil opus eſt omnium harum victimarum oblationem in diem unum conferre. Tum addito vero numero minorum victimarum, ita pergit: τὸν μὲν γὰρ ναὸν τότε πρῶτον ἔγευσεν ἱερουργημάτων, *templum enim tum primùm imbuit ſacrificiis*, quæ eſt ἀφιέρωσις dedicationis. Καὶ κατευωχήθησαν ἐν αὐτῷ πάντες σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις Ἑβραῖοι: *& convivati ſunt in eo omnes Hebræi, cum uxoribus & liberis*; quod uno die fieri non potuit, cùm ſolum conſecratum non multùm pateret. Ἔτι δὲ καὶ τὴν σκηνοπηγίαν λεγομένην ἑορτὴν πρὸ τοῦ ναοῦ λαμπρῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς ἐπὶ δὶς ἑπτὰ ἡμέρας ἤγαγε: *Præterea & ſcenopegiam dictum feſtum ante Templum ſplendidè & magnificè, per bis ſeptem dies, celebravit.* Quod à vero diſſentit, ut docemur loco Paralipoménon laudato.

66. *In tentoria*] Hoc eſt, domum, ut paſſim.

Hilari animo &c.] *Boni corde ſuper omne bonum quod &c.*

In CAPUT IX.

1. *ET quidquid cupierat facere*] *Omne deſiderium Salomonis, quod voluit facere.*

3. *Ut nomen meum illic ponerem*] Hoc eſt, ut eam de nomine meo vocari poſthac velim.

4. *Integro ac recto animo.*] *In integritate cordis & in rectitudine.*

5. *Promiſi*] *Dixi.* Vide 2. Sam. VII, 12, 13.

7. *E conſpectu meo miſſam faciam*] Ἀπεῤῥιμμένον, quia homines quæ ingrata ſibi facta ſunt è conſpectu ſuo amovent.

Adagium, ludibriúmque per omnes populos] והיה למשל ולשנינה *& erit in proverbium & in ludibrium*, aut *aculeatum dictum*, nam eſt à שנן *ſchanan*, quod aliquando eſt *acuere linguam*, ut Pſ. LXIV, 4. unde & שן ſchen, *dens.* Vide Deut. XXVIII, 15.

8. *Locus excelſus*] עליון *heljon.* Si nihil hîc deeſſet, omniáque ſana eſſent, videretur ſignificari nudus collis, ſine ullo ædificio, non locus alii Deo ſacer; nam ſolent ea loca vocari במות *bamoth*, non עליונים *heljonim.* LXX. Intt. ad verbum habent: καὶ ὁ οἶκος οὗτος ἔσται ὁ ὑψηλὸς, ſine ſenſu. Vulgatus: domus *hæc erit in exemplum*, ſed ſine exemplo. At ſi legamus 2. Par. VII, 21. videbimus eſſe hæc verba ex eo loco emendanda. Habet illic Hiſtoricus Sacer: והבית הזה אשר היה עליון לכל עבר עליו ישם *cùmque hæc Ædes ſublimis videatur cuivis juxta eam tranſeunti, obſtupeſcet* viator *dicétque &c.* Hîc verò eſt: הבית הזה יהיה עליון כל עבר עליו ישם

peſcet, ſibilabit, & cur Jehova, inquiet, ita ſe ſe erga hanc terram, Ædémque geſ-
ſit? 9· Quia, inquient *alii*, reliquerunt *Iſraëlitæ* Jehovam Deum ſuum, qui eorum
Majores ex Ægypto eduxerat, ceperúntque *ſibi* Deos alienos, quos adorarunt & quos
coluerunt; propterea Jehova in eos omne hoc malum adduxit.
10· Exacti ſunt viginti anni, dum Salomo ædificaret duas Ædes, Ædem Jehovæ &
regiam. 11· Chiramus Rex Tyri donaverat Salomonem lignis cedrinis, lignis abiegnis
& auro, prorſus quemadmodum cupierat. Tum verò Rex Salomo Chiramum dona-
vit viginti urbibus, in terra Galilæa. 12· Chiramo tamen egreſſo Tyrò, ut videret ur-
bes,

ישם *& hæc Ædes erit alta omnis tranſiens juxta eam obſtupeſcet*; ubi omnino legendum videtur אשר היה עליון לכל *quæ eſt ſublimis omni* &c. Paraphraſtes Chaldæus aliquid deeſſe ſenſit, cùm habeat: דהוה עלי יהי חרוב *quæ fuit ſublimis, erit vaſtata.*

9· *Adorarunt*] ישתחו pro ישתחוו, ut notant Maſſorethæ in margine & ut legitur loco laudato Paralipoménon. Non eſt Anomalia hic, ſed librarii orthographicum mendum, ut paſſim alibi. Qui tot orthographica menda admiſerunt, quot emendant Maſſorethæ, in aliis etiam difficilioribus peccare potuerunt.

10· *Exacti ſunt viginti anni*] *Et fuit in fine viginti annorum, quibus ædificavit Salomo* &c. Sic hac de re *Joſephus* Ant. Jud. Lib. VIII. cap. 2. μετὰ δὲ τὴν τοῦ ναοῦ κατασκευὴν, ὅπερ ἐν ἑπτὰ ἔτεσιν ὡς προειρήκαμεν γενομένην, τὴν τῶν βασιλείων οἰκοδομίαν κατεβάλετο, ἣν ἔτεσι τρισὶ καὶ δέκα μόλις ἀπήρτισεν. οὐ γὰρ τῆς αὐτῆς ἐσπούδασε σπουδῆς, ὥσπερ καὶ τὸ ἱερόν. ἀλλὰ τὸ μὲν καίτοι ὂν μέγα καὶ θαυμάσιον εὐδοξίας ἐπὶ παραδόξου τετυχηκὸς, ἔτι καὶ θεοῦ συνεργοῦντος εἰς ὃ ἐγίνετο, τοῖς προειρημένοις ἔτεσιν ἔλαβε πέρας: *poſt Templi autem ædificationem, quæ ſeptem annis, ut diximus, facta eſt, aggreſſus eſt ſtructuram Regiæ, quam annis tredecim vix abſolvit; neque enim eam perficere feſtinavit, quemadmodum Templum. Sed illud quidem, quamvis magnum, mirabilémque & incredibilem famam conſequutum, Deo cui fiebat cooperante, annis memoratis finem accepit.* Sed quis eum docuit plus laboris fuiſſe in Templo, quàm in multis ædificiis regiis? Nempe, hoc commentus eſt, ut multa alia, quæ præter Scripturam habet, de ſtructura Templi.

11· *Donaverat Salomonem lignis*] נשא את שלמה בעצי ארזים *niſſcha eth Schlomoh babatſe arazim.* Verbum נשא hic obtinet *dandi* ſignificationem, quia quæ *dantur* ad eum, qui ea accipit, *feruntur*, quæ & propria ſignificatio ejus verbi. LXX. Intt. habent: ἀντελάβετο τοῦ Σαλωμὼν ἐν ξύλοις κεδρίνοις, *adjuvit Salomonem lignis cedrinis.* Vulgatus: *Hiram Rege Tyri præbente Salomoni ligna.*

Viginti urbibus] Urbes quidem erant Chananææ, cujus finis cis Jordanem erat Libanus ad Septemtriones, hoc eſt, ejus tractûs quem invadendum permiſit Deus Iſraëlitis. Vide Joſ. I, 4. Sed hæ urbes non videntur ab Iſraëlitis incultæ fuiſſe, ſed à Chananæis tantùm, quos nondum expulerant Hebræi; neque enim licere ſibi crediſſet Salomo dare Regi Idololatræ vectigales homines Hebræos, aut ſolum concedere Hebræis olim à Joſua diviſum. Scio eſſe, qui velint à Salomone datum eſſe Chiramo duntaxat uſum fructum harum urbium, quas recepturus erat, quotieſcumque paratâ pecuniâ redempturus eſſet, vel poſtquàm earum fructibus Tyriorum Regi eſſet ſatisfactum; verùm hæc mera ſunt commenta, eo minùs neceſſaria, quòd conſtet haſce urbes fuiſſe in finibus Tyriorum, in quo tractu multi erant Chananæi. Vide & ad 1. Par. VIII, 2.

In terra Galilæa] בארץ הגליל *beerets baggalil.* Vide not. ad Gen. XIV, 1. & Joſ. XIX, 27. Videtur hoc nomen à Sidoniis, aut Tyriis impoſitum oræ illi Chananææ, quæ circa eorum agros erat, idque ab antiquiſſimis temporibus, quia גליל *galil*, limitem ſignificat. Hoc autem nomen profectum putamus à Sidoniis, vel Tyriis, potius quàm ab aliis Chananæis; quòd hi ſoli fines Phœnicum fuerint continentem verſùs, cùm ceterorum Chananæorum fines multò latiùs patuerint. Eadem hæc ratio etiam ad Hebræos pertinet, qui Chananæorum illorum agros tenuerunt, nequis putet hoc nomen Galilææ ab Hebræis impoſitum. Quod cùm ita ſit, nihil vetat quin hoc nomen antiquiſſimum ſit, & Sidoniorum fortè originibus æquale. Poſtea hoc vocabulum, ut fit, latiùs patuit, tractúſque, qui Galilæa ſuperior & inferior dicti ſunt, complexus eſt.

12· *Placuerunt*] *Rectæ fuerunt in oculis ejus.*

13· *Terram Chabulitidem*] ארץ כבול *erets chaboul.* Vulg. ſervavit ipſam vocem, LXX. Intt. habent ὅριον, perinde ac ſi idem eſſet ac גבול *gboul*, terminus. *Joſephus* aliter interpretatur: δυσαρεστήσας, inquit, τῇ δωρεᾷ, πέμψας πρὸς Σολομῶνα μὴ δεῖσθαι τῶν πόλεων ἔλεγεν, καὶ ἔκτοτε προσηγορεύθησαν Χαβαλὼν (aut Χαβουλὼν) γῆ. μεθερμηνευόμενον γὰρ τὸ Χαβαλὼν κατὰ Φοινίκων γλῶτταν οὐκ ἀρέσκον σημαίνει: *cùm donum Hiramo diſpliceret, miſit ad Salomonem, qui dicerent ſibi non opus eſſe iis urbibus & ab illo tempore vocatæ ſunt Chabalon. Tranſlatum enim Chabalon, in Lingua Phœnicum, ſignificat non placentem. Sam. Bochartus* Chanaanis Lib. II. c. 4. prolatis his verbis, rejectiſque commentis Rabbinorum, tandem, omnibus expenſis, ait ſibi placere Græcorum interpretationem, quibus כבול *chaboul*, idem eſt quod גבול *gboul*, *Chaph* & *Gimel* permutatis, quod in Orientalibus Linguis frequens, ut oſtendit. Et rectè, ut illi videtur, vocatur terminus ille tractus, quò Ptolemaidem verſus Galilæa finiebatur. *Joſephus* de Bello Jud. Lib. III. c. 2. τῆς μὲν κάτω καλουμένης Γαλιλαίας ἀπὸ Τιβεριάδος μέχρι Χαβουλῶνος, ἧς ἐν τοῖς παραλίοις Πτολεμαῒς γείτων τὸ μῆκος ἐκτείνεται: *ejus, quæ inferior Galilæa dicitur, à Tiberiade uſque Chabulonen, cui vicina eſt in locis maritimis Ptolemaïs, protenditur.* Alibi etiam *Joſephus* ejuſdem loci meminit, ut oſtendit, quamvis unus, aut alter locus ſint corrupti. Verum cùm totus tractus diceretur jam גליל *galil*, ſeu *terminus*, non eſt credibile partem ejus appellatam nomine, quo idem ſignificaretur.

Multò credibilius mihi videtur fuiſſe illic urbem quampiam miſeram, ſeu propter ſitum incommodum, ſeu propter agri ſterilitatem, ſeu alia

Digitized by Google

bes, quibus ipſum donaverat Salomo, minimè placuerunt. 13. Itaque *Salomoni*, quales ſunt, inquit, urbes iſtæ, quibus donaviſti me, mi frater? vocavitque eas terram Chabulitidem, ut etiamnum hodie *vocantur*. 14. *Nihilominùs* ad Regem centum viginti auri talenta miſit Chiramus.

15. Hæc autem eſt ratio, ob quam Rex Salomo operas adduxit; ut ædificaret, *nempe*, Ædem Jehovæ, domum ſuam, Millonem, murum Jeroſolimæ, Chatſorem, Megiddonem & Gezerem. 16. Pharaho enim Rex Ægypti venerat, ceperátque Gezerem, cui ignem ſubjecerat, interfectis Chananæis, qui eam urbem incolebant; quam

alia quapiam de cauſa, quæ כבול *chaboul* vocabatur; unde factum, ut Chiramus contemtim loquuturus de munere Salomonis, dixerit eſſe *Chabulitidem terram*, cùm præſertim eſſet urbs, aut pagus in eo tractu, aut ei vicina. Ejus mentio fit Joſuæ Cap. XIX, 27. Pagi meminit *Joſephus*, in vita ſua, p. 1015. Edit. Genevenſis: τὴν πορείαν εἰς Χαβωλὼ κώμην, Πτολεμαΐδος μεθόριον οὖσαν, ἐποιησάμην: *iter fecimus ad vicum Chabolo ſitum in confiniis Ptolemaidis*. Fit iterum ejus loci mentio, paginâ ſequente.

Cavendum eſt ceteroqui, ut rectè monet *Bochartus*, ab erroribus in quos *Hieronymus* ad hanc hiſtoriam quod adtinet, delapſus eſt, in Cap. I. Prophetæ Amos col. 1377. Ed. Benedict. Pariſinæ. Hæc ſunt ejus verba: *Hiram, princeps Tyri, cum David & Salomone habuit amicitias, in tantùm ut ille, in ædificationem Templi atque Palatii, ligna cedrina ratibus Joppen uſque perduceret; & hi frumentum & oleum Tyriis largirentur, & viginti urbes in Baſan ei dono darent, quas ille, quia graminis plenæ erant, ſuſcipere noluit.* Ubi rectè obſervat *Sam. Bochartus* mirum eſſe 1. Davidi & Salomoni junctim tribui, quod diu poſt patris obitum præſtitit ſolus Salomo: 2. in Baſanitide trans Jordanem poni oppida vicina Ptolemaïdi, à viro locorum perito, quique diu in Judæa vixerat: 3. incommodiſſimè כבול reddi, *quaſi gramen*, aut *quaſi germen*, quia בול *boul* Hebræis eſt *germen*, ſeu terræ proventus. Adde quod abſurdam rationem comminiſcitur *Hieronymus* cur Chiramus noluerit accipere Chabulitidis urbes, quòd eſſent gramine plenæ, cùm hæc ratio earum accipiendarum eſſe contrà debuerit. In ſimilem errorem, quod adtinet ad ſitum harum urbium, delapſus quoque eſt vir erudítiſſimus *Val. Schindlerus* in Lexico Pentaglotto, ad radicem כבל, ubi poſtquàm dixit *Chabul regionem* fuiſſe *Galilææ*, haud multò poſt addit *dictam fuiſſe Decapolin, à numero oppidorum in ea celebriorum, quæ ſunt Damaſcus, Philadelphia* &c. Quæ oppida fuerunt trans Jordanem, nec umquam ſunt Galilææ adtributa. Eum errorem nimis ſecurè exſcripſit *Edm. Caſtellus*, in Lexico Heptaglotto. Quod moneo, non exprobrandi cauſâ, ſed ne ab eruditiſſimis viris imperiti Geographiæ Sacræ in errorem abducantur.

Vir eruditus *Seb. Schmidius* contendit verbis, *non fuerunt rectæ in oculis ejus*, non ſignificari Chiramum aſpernatum eſſe munus, ſed noluiſſe tam amplo dono Salomonem redhoſtiiſſe amicitiæ officia à ſe in illum collata, ſuámque liberalitatem gratuitam eſſe cupiiſſe, ac proinde eas urbes reddidiſſe Salomoni. Vult idem tractum hunc כבול dictum à כבל *chebel*, compes, quòd duo Reges finitimi amicitiæ numquam diſſolvendæ *compede* ſe obſtrinxerint; Salomo iis urbibus datis, Chiramus verò reſtitutis. Si viles fuiſſent hæ urbes, nulla ratio fuiſſe videtur viro docto, cur Salomo eas poſtea inſtaurarit, & colonis Iſraëlitis inſtruxerit, ut habemus 2. Par. VIII, 2. Verùm hæc nimis longè petita videntur, nec fuit tanta Chirami liberalitas, ut ſuorum munerum redhoſtimentum nullum accipere voluerit; ut ſatis liquet ex oleo & frumento, quæ à Salomone accepit. Ratio verò cur Salomo urbes haſce munierit, & ab Iſraëlitis habitari voluerit, multiplex eſſe potuit, quamvis nota nobis non ſit. Fortè cum pœnituit doni conceſſi, urbéſque, in limitibus regni ſitas, muniendas eſſe poſtea cenſuit.

14. *Centum & viginti talenta auri*] Magnum eſt pondus auri, mille, nempe, quingentarum unciarum Romanarum; nam talentum fuit trium millium ſiclorum, ut oſtenderunt qui de Nummis & Ponderibus Hebraïcis ſcripſerunt. Videtur Tyriorum Rex, cujus Metropolis commerciis florebat, magis abundaſſe auro, quàm Salomo, eo certè tempore quo Templum eſt conditum; aut Salomo, abſumto auro à Davide congeſto, hoc veluti ſupplementum ab Chiramo accepiſſe; datis, ſine dubio, mercibus quibus Tyrii indigebant.

15. *Ratio ob quam* &c.] *Et hæc res tributi* (דבר המס dbar hammas) *quod fecit adſcendere Salomo* &c.

Millonem] המלא. Vide ad 2. Sam. V, 9. ubi à Davide cœptum hîc ædificari docemur. Sed præter ædificia hîc conſtructa, Salomo Jeroſolimam mœnibus cinxit.

Chatſorem] Intelligitur urbs ad Semechonitidem paludem, in ſeptemtrionali Chananææ ora, ſita, de qua ad Joſ. XI, 1.

Megiddonem] Urbs fuit in Tribu Manaſſæ, ad occaſum Jordanis. Vide ad Jud. V, 19.

Gezerem] Urbs fuit Tribûs Ephraïmiticæ, non procul à mari ſita, ut videmus Joſ. XVI, 3. Adtributa quidem Levitis fuerat, ut docemur ejuſdem Libri Cap. XXI, 21. verùm Chananæi veteres ejus incolæ ex ea expelli non potuerant, Joſ. XVI, 10. Jud. I, 29.

16. *Pharaho Rex Ægypti*] Oſtendimus ad Geneſ. XII, 15. *Pharaonem* non eſſe nomen proprium, ſed appellativum, quo Reges in Ægypto appellabantur, ut Cæſares Romæ, Sophi apud Perſas, Sulthanes apud Turcas. Nomen autem proprium hujus Regis Ægypti fuit *Rameſſes Miamun*, qui erat LIII. Ægyptiorum Rex, ex calculo *Joan. Marshami* quem vide ad Sæcula XIII, & XIV. Hebræi, ut non ſemel diximus, Poliorceticarum artium imperiti, eam urbem capere non potuerant; ſed Ægyptii earum peritiores Gezerem, in gratiam Salomonis, expugnarunt, deletæque urbis ſolo Rex Ægypti filiam ſuam, Salomonis uxorem, donavit.

quam dono dedit filiæ ſuæ uxori Salomonis. [17] Salomo autem inſtauravit Gezerem, Beth-choronem inferiorem, [18] Bahalatham, Thadmoram in deſerto, in terra *Aramæa*, [19] & omnes urbes Apothecarum, quæ erant Salomoni, urbes curruum, & urbes equitum. *Condidit* quod cupiit Salomo ædificare, Jeroſolimæ, in Libano & in univerſa terra ditionis ſuæ.

[20] Omnem populum, qui ſupererat ex Emoræis, Chitthæis, Pherezæis, Chivvæis, Jebuſæis, & *quicumque* ex Iſraëlitis non erant; [21] poſteróſque eorum, qui remanſeſerant poſt eos in terra *Iſraëlitide*, nec potuerant Iſraëlitæ occidere, ſtipendiarios fecit Salomo, *ut ſunt* ad hunc uſque diem. [22] Ex Iſraëlitis verò neminem in ſervitutem redegit, ſed erant milites, miniſtri, præfecti, tribunique ejus, & duces curruum ac equitum. [23] Principes autem præfectorum operibus Salomonis erant quingenti quinquaginta, qui præerant populo opus facienti. [24] Filia etiam Pharahonis ex urbe Davidis domum ſuam, quam ei ædificaverat, migravit; & tunc quidem *Salomo* ædificavit Millonem.

[25] So-

Dono dedit] יתנה שלוחים *jitthenah ſchillubim*, dedit eam miſſiones, hoc eſt, ut dona quæ mittuntur.

[17] *Inſtauravit Gezerem*] *Ædificavit*. Hebræi carent compoſitis, eorúmque loco, ſimplicibus utuntur.

Beth-choronem] De utraque Beth-chorone vide not. ad Joſ. X, 10. XVI, 5.

[18] *Bahalatham*] בעלת. Urbs fuit in Tribu Dan, de qua Joſ. XIX, 44.

Thadmoram] Scriptum eſt in textu תמר *Thamor*, ſed in margine notant Maſſorethæ legendum תדמר *Thadmor*, ut 2. Paralipoménon. Sic de hac urbe *Joſephus* Lib. VIII. c. 2. Ἐμβαλὼν δὲ εἰς τὴν ἔρημον τὴν ὑπεράνω Συρίας καὶ κρατήσας αὐτῆς, ἔκτισεν ἐκεῖ πόλιν μεγίστην, δύο μὲν ἡμερῶν ὁδὸν ἀπὸ τῆς ἄνω Συρίας διεστῶσαν, ἀπὸ δ' Εὐφράτου μιᾶς, ἀπὸ δὲ τῆς μεγάλης Βαβυλῶνος ἓξ ἡμερῶν ἦν τὸ μῆκος. αἴτιον δὲ τοῦ τὴν πόλιν οὕτως ἀπὸ τῶν οἰκουμένων μερῶν τῆς Συρίας ἀνῳκίσθαι, τὸ κατωτέρω μὲν οὐδαμοῦ τῆς γῆς ὕδωρ εἶναι, πηγὰς δ' ἐν ἐκείνῳ μόνῳ τῷ τόπῳ εὑρεθῆναι καὶ φρέατα. *Ingreſſus in deſertum, quod eſt ſupra Syriam, eóque potitus condidit illic urbem maximam, duorum dierum itinere à ſuperiore Syria diſtantem, ab Euphrate unius, à magna Babylone ſex omnino diebus remotam. Ratio autem cur urbs ſic habitetur, ſeorſim à cultis Syriæ partibus, eſt quod inferiùs* (ad Auſtrum) *nuſquam ſit humor terræ, fontes verò & putei in illo ſolo loco inveniantur.* Hinc intelligimus cur Salomon, in occupato eo Syriacæ ſolitudinis loco, urbem condiderit; erat enim opportuniſſimus ad impedienda commercia Syrorum, cum Meſopotamiæ incolis, ne conſpirarent, quemadmodum Davidis temporibus fecerant, contra Salomonem; néve Syri rebelles tam facilè poſſent ſe ſe in Meſopotamiam recipere, in quam Hebræi eos perſequi non poterant. Ita verò pergit *Joſephus*: ταύτην οὖν τὴν πόλιν οἰκοδομήσας καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλὼν Θαδάμορον ὠνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις, οἱ δ' Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσι Πάλμυραν: *hanc igitur urbem cùm condidiſſet, & firmiſſimis muris cinxiſſet, Thadamoram vocavit, & ſic vocatur etiamnum à Syris. Græci verò eam vocant Palmyram.* Crediderim vocatam *Thadmor* תדמור, quaſi *mirabilem*, quia Syriacè דמר demar eſt *obſtupuit*, *miratus eſt*; quod mirum eſſet, in ſiccis & ſqualentibus arenis, quibus undequaque cingebatur, fontes & puteos inveniri, & virere proximos agros. Cur à Græcis *Palmyra* dicta ſit, non intelligo, ſed fortè & hoc Syriacum nomen fuit. Plura de Palmyra ut inquirerentur fecere rudera ejus, magnifica ſanè, & quæ antiquum ſplendorem urbis oſtendunt, nuper reperta, inſcriptionéſque Græcæ & Palmyrenæ illinc in Europam miſſæ. Vide præſertim Antiquitates Palmyrenas *Abr. Selleri*, Anglicè ſcriptas.

In terra Aramæa] בארץ, *in terra*, nec additur quæ terra intelligatur. Vulgatus habet: *in terra ſolitudinis*, quaſi eſſet non במדבר בארץ *bammidbar baarets*, ſed בארץ המדבר *beerets bammidbar*. Recentiores vertunt *in terra illa*, quaſi vellet Scriptor Sacer, *Thadmoram in deſerto, in terra illa*, in qua erat, conditam. Sed quis ſomniare poteſt conditam in ſolo, in quo non erat? Itaque ſupplevi ארם *Aram*, ut intelligatur *terra Aramæa*, ſeu Syria. Ac ſanè 2. Paral. VIII, 2, 3. dicitur condita hæc urbs in חמת צובה *Hhamath Tſobah*, quæ vocatur & ארם צובה *Aram Tſobah*; qui tractus fuit Syriæ, inter Euphratem & Syriam Damaſcenam, ſeptemtriones versùs, ut oſtendit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. II. c. 6.

[19] *Urbes Apothecarum*] Vide ad Exod. I, 11.

In Libano] Idem eſſe crediderim, ac id quod dicitur Cap. VII, 2. *ſilva Libani*, quod eſt nomen villæ regiæ Jeroſolimâ non remotæ, ut ad eum locum diximus. Fortè *Libanus* & *Silva Libani* dicta eſt ea villa, propter conſitas & excultas illic à Salomone cedros.

[21] *Occidere*] להחרימם *lebabbarimam*, eos ad internecionem delere. Multæ fuerunt urbes & familiæ, quæ ſe conditionibus dediderunt Hebræis, & quæ, Hebræorum Numen colentes, apud eos manſerunt. Quod non uno tempore factum eſt, ſed paullatim, & præſertim ex quo res Hebræorum paullò florentiores fuere. Tum demum Chananæos cùm minimè vererentur Hebræi, humaniores ſe ſe iis præbuerunt. Vide *Joan. Seldenum*, de Jure Nat. & Gentium Lib. VI. c. 14.

Stipendiarios fecit] ויעלם שלמה למס עבד & *fecit eos adſcendere Salomon in tributum ſerviens*; hoc eſt, aut tributum ab iis exegit, aut operam pro tributo. Vide not. ad Exod. I, 11. Rem paullò aliter intellexit *Joſephus*, cujus hæc ſunt verba: ὁ δὲ βασιλεὺς Σολομὼν τοὺς ἀπὸ τῶν Χαναναίων οὐχ ὑπακούοντας (οἳ ἐν Λιβάνῳ διέτριβον ὄρει καὶ μέχρι πόλεως Ἀμάθης) ὑποχειρίους ποιούμενος φόρον αὐτοῖς προσέταξε, καὶ αὐτοὺς τὸ θητεύειν αὐτῷ καὶ τὰς οἰκετικὰς χρείας ἐκτελεῖν καὶ πρὸς γεωργίαν κατ' ἔτος ἀπὸ αὐτῶν ἐξελέγετο: *Rex verò Salomo eos ex Chananæis, qui non parebant* (*qui in Libano habitabant*,

uſ-

25. Solebat autem Salomo ter quotannis holocauſta & Salutaria Sacra facere in altari,
quod exſtruxerat Jehovæ, ſuffiebátque in eo quod eſt coram Jehova, poſtquàm quidem
Ædem perfecit.
26. Ædificavit etiam claſſem Rex Salomo Hetsjon-geberi, quod eſt ad Elothas, in
littore maris algæ, in terra Idumæa, 27. miſitque Chiramus ad claſſes ſervos ſuos, ſo-
cios navales, peritos maris, cum ſervis Salomonis. 28. Iverunt autem Ophiram, at-
que illinc ſumſerunt quadringenta viginti talenta aurea, quæ ad Salomonem advexerunt.

X. *Regina Sabæorum Salomonem, ſapientiæ causâ, inviſit. Ejus divitiæ, munera ad eum à finitimis Regibus miſſa, equites, currus & reditus.*

1. REGINA Sabæorum, cùm famam Salomonis, propter nomen Jehovæ, acce- Caput
piſſet, venit ad Regem, ut eum ænigmatibus exploraret. 2. Ingreſſa eſt Je- X.
ro-

uſque ad urbem Hammatham) cùm ſubegiſſet, tributum eis impoſuit, & ut mercenarii ſibi eſſent, ſervilibuſque operibus ſungerentur, & ad agros colendos, quotannis quoſdam ex iis eligebat. Verùm hæc non ſatis conſentiunt cum verbis Hebraïcis.

Ad hunc uſque diem] Hæc referuntur ad tempora ſtantis etiamuum Regni Judæ, ſúntque fortaſſe verboteuus ex antiquiore Scriptore petita. Vide ad Cap. VIII, 8.

22. *In ſervitutem redegit*] *Poſuit in ſervum*; hoc eſt, aut ſervos ſibi fecit, ad annos remiſſionis, aut ſervilia opera ab iis exegit.

Milites] *Viri belli.*

Miniſtri] עבדיו *ſervi ejus*, ſed intelliguntur liberæ ſortis miniſtri, quales multi erant Regibus. Sed Hebræi ejuſmodi miniſtros & mancipia uno nomine עבד *hebed* vocarunt.

23. *Quingenti quinquaginta*] Quia hi erant perpetui, pauciores erant iis, qui operis Templum, regiáque ædificia condentibus præfuerant, de quibus Cap. V, 16. Sed & alius numerus illorum habetur 2. Paral. VIII, 10. ubi vide dicenda.

24. *In domum ſuam*] Vide Cap. III, 1.

Millonem] Vide vſ. 15.

25. *Ter quotannis*] Tribus ſollemnibus feſtis, Paſchatis, Hebdomadum & Scenopegiæ 1. Par. VIII, 13.

Poſtquàm quidem &c.] *Et perfecit domum.*

26. *Claſſem*] אֳנִי *navem*, ſed plures naves hîc ſonat.

Hetsjon-geberi] בעציון-גבר *behetsjon-geber.* Urbs fuit ad iutimum Arabicum ſinum. *Sam. Bochartus* Chanaanis Lib. I. c. 45. nomen interpretatur *ſpinam viri*, & ſic dictum locum conjicit, quòd eſſet illic ῥάχις vel ῥάχια, rupes in ſpinæ, ſeu dorſi modum in mare excurrens. Ac ſanè conſtat, ut oſtendit, mare illud rupibus & ſcopulis fuiſſe refertum. Rectè etiam confutat *Joſephum*, qui hanc urbem conſundit cum ea, quæ poſtea Berenice dicta eſt, in Africano littore, è regione Syenes, ex hoc ipſo loco, in quo dicitur fuiſſe in Idumæa prope Ælam, & Num. XXXIII, 76. unde liquet vicinum fuiſſe locum deſerto *Tſinitico* Arabiæ. Ceterùm magnæ eſſe non poterant naves illinc vela daturæ, propter vada & ſcopulos illius maris.

Ad Elothas] את אילות eth Eloth, *juxta Elothas.* Vide ad Deut. II, 8.

Maris algæ] Sic perpetuò vocatur mare Idumæum, ob algæ copiam, quæ in eo creſcit. Vide *Davidis Clerici* Quæſt. Sacram X.

27. *Socios navales*] *Viros navium.*

28. *Ophiram*] Vide ad Cap. ſequens vſ. 11.

Quadringenta viginti &c.] Hoc eſt, quinquenta triginta millia unciarum Romanarum auri, quod fuit ingens pondus auri. Mercibúſne permutatis tantam auri copiam ſibi compaparaverint, an ipſi fodinas invaſerint, an jam effoſſum aurum barbaris eripuerint, non docet Scriptura.

In Caput X.

REgina Sabæorum*] מלכת שבא *malchath ſcbba. Sam. Bochartus* diſcuſsâ Phalegi Lib. I. c. 25. nominis *Seba* ambiguitate, Capite ſequente oſtendit Sabæos, quibus imperavit hæc mulier, fuiſſe Joctanis poſteros; quibus in Arabia Felice ſedes erant, & quidem in parte auſtrali. Ejus ſcrinia hîc minimè compilabimus, ſed cùm in omnium manibus ſint ejus opera, ad ipſum Auctorem Lectores amandabimus. Ex eo liquebit quàm exigua fide dignus ſit *Joſephus*, in rebus exoticis, qui hîc *Nicaulen* neſcio quam Ægypti & Æthiopiæ Reginam nobis finxit, & quidem quaſi *Herodotum* ſequutus, qui alia omnia habet, quod ſcire nou potuiſſemus, niſi ejus exſtarent opera.

Famam Salomonis, propter nomen Jehovæ] שמע שלמה לשם יהוה *ſchemah Schlomoh lſchem Jehovah.* Habent LXX. Intt. τὸ ὄνομα Σαλωμὼν καὶ τὸ ὄνομα Κυρίου. Vulgatus, *auditâ famâ Salomonis in nomine Domini.* Optima videtur lectio LXX. Intt. ושם veſchem *& nomen*, pro לשם *lſchem.* Vult tamen *Chr. Noldius* aliquando ל ſignificare *&*, iu ſignif. 14. hujus particulæ; quod verum eſt, in quibuſdam ſingularibus loquutionibus, ſed neſcio an hîc locum habere queat. Interea verti *propter*, quia nihil vetat de Salomone dici lougè, latéque ſparſam fuiſſe ejus famam, propter nomen Jehovæ, in Oriente longè celeberrimum, cui Templum conſecravit.

Ut eum ænigmatibus exploraret.] לנסתו בחידות *lnaſſotho bhhidoth.* Moris erat iis temporibus ænigmata proponere viris ſapientibus ſolvenda, & præmia etiam deponere ſoluturis, aut exigere à non ſolveutibus, ut jam diximus ad Jud. XIV, 12. Idem ex *Menandro* & *Dio*, Phœniciæ Hiſtoriæ Scriptoribus, obſervarat *Joſephus*, ubi de Hiramo. Sic loquitur *Menander*:

roſolimam, cum maximo comitatu, cameliſque ferentibus aromata, aurum magnâ copiâ, & pretioſos lapillos, inviſitque Salomonem, & cum illo de quacumque re libuit colloquuta eſt. 3. Salomo verò ei indicavit quidquid ſciſcitata eſt, nec quidquam occultum fuit Regi, quod mulieri non aperuerit. 4. Vidit Regina Sabæorum quæ eſſet ſapientia Salomonis, Ædémque, quam ædificaverat, 5. cibum ejus menſæ, locum in quo ſervi ejus habitabant, ejus miniſtros adſtantes, veſtes eorum, pincernas, & clivum quo ibat ad Ædem Jehovæ; neque ulteriùs ſuperbia ulla in ea fuit. 6. Tum Regi, verum erat, inquit, quod audiveram in terra mea, de rebus tuis, déque ſapientia tua; 7. nec credidi *tamen*, donec veniſſem, & vidiſſent oculi mei; nunc autem ne dimi-

ἐπὶ τούτου (Εἰρώμου) ἦν Ἀβδήμονος παῖς νεώτερος ὃς ἀεὶ ἐνίκα τὰ προβλήματα ἃ ἐπέτασσε Σολομὼν, ὁ Ἱεροσολύμων βασιλεύς. *Sub hoc* (Hiromo) *erat Abdemonus adoleſcentulus* (aut, *junior filius Abdemonis*) *qui ſemper victor erat in ſolutione problematum, quæ proponebat Salomon Jeroſolimæ Rex.* Sed *Dius* paullò pleniùs rem tradit, apud eumdem Hiſtoricum. Τὸν τυραννοῦντα Ἱεροσολύμων Σολομῶνα πέμψαι φησὶ πρὸς τὸν Εἴρωμον αἰνίγματα, καὶ παρ' αὐτοῦ λαβεῖν ἀξιοῦν· τὸν δὲ μὴ δυνηθέντα λῦσαι τὰ αἰνίγματα πολλὰ τῶν χρημάτων εἰς τὸ ἐπιζήμιον ἀναλῶσαι. εἶτα δ' Ἀβδήμονά τινα Τύριον ἄνδρα τὰ προτεθέντα λῦσαι, καὶ αὐτὸν ἄλλα προβαλεῖν, ἃ μὴ λύσαντα τὸν Σολομῶνα πολλὰ τῷ Εἰρώμῳ προσαποτῖσαι χρήματα. *Ait Salomonem Jeroſolimæ regnantem ad Hiromum miſiſſe ænigmata, & ab illo eorum ſignificationem petiiſſe; quæ ænigmata cùm ille ſolvere non potuiſſet, multum pecuniam in mulctam inſumſiſſe, deinde Abdemonem quemdam virum Tyrium propoſita ſolviſſe & ipſum alia propoſuiſſe, quæ cum Salomo ſolvere non potuiſſet, multam præterea Hiromo illum adpendiſſe pecuniam.* Elegantiſſimi Ænigmatis exemplum habemus Eccleſ. XII, 4. & ſeqq.

2. *Cum maximo comitatu*] בחיל כבד מאד *bbhajil chabed meod*, cum copiis valde gravibus; quod intelligendum de comitatu, non de exercitu.

Ferentibus aromata] Erat, nempe, hæc mulier Arabiæ auſtralis Regina, quæ ingenti copiâ Aromatum, ut omnes norunt abundabat. Vide *Bochartum* Phal. Lib. II. c. 26. & quæ notavimus ad Gen. XXVII, 27.

Aurum magnâ copiâ] *Aurum multum valde.* De auro Arabiæ, & quidem in regione Sabæis vicina, conſuli poterit idem Capite ſequente.

Inviſitque Salomonem] ותבא אל שלמה *& ingreſſa eſt ad Salomonem*; quæ loquutio in Lingua Hebraica, ubi de viro ſermo eſt qui ad mulierem ingreditur, ſignificat ingreſſum concubitûs causâ. Hinc fortè nata Arabum & Æthiopum traditio, quæ narrat hancce Reginam cum Salomone concubuiſſe & gravidam abiiſſe. Quin & Reges Æthiopum contendunt hodie ſe à filio ejus Reginæ, quam *Makedam* vocant, quem ex Salomone conceperat, oriundos eſſe, quod pluribus docuit *Johus Ludolfus* Hiſt. Æthiopicæ Lib. II. c. 3. quem vide.

3. *Quidquid ſciſcitata eſt*] *Verba ejus.* Hæc omnia intelligenda non tantùm pro modulo ingenii humani, cui, ſi rem probè putemus, pauca ſunt perſpecta; ſed & pro captu temporum, quibus eruditionis fama multò minori labore comparabatur, quàm nunc. Quot enim ſunt & quanta, de quibus Phyſicorum omnium præſtantiſſimus vel mediocriter docto ſatisfacere non poſſet?

5. *Ejus miniſtros adſtantes*] מעמד משרתיו mahamad mſcharethau, *ſtationem ejus miniſtrorum*; ſeu turbam eorum, qui quotidiana miniſteria Salomoni exhibebant.

Clivum quo ibat] עלתו אשר יעלה *adſcenſum ejus quo adſcendebat.* Vulgò intelligunt viam quamdam aggeſtam, & ſtratam, quam Salomon è monte Sione, ad montem Templi fieri curaverit, de qua vide *Joan. Lightfootii* Deſcriptionem Templi Cap. V. Sect. I. At LXX. Intt. & Vulg. intellexerunt hæc verba de holocauſtis; habent enim illi, καὶ τὴν ὁλοκαύτωσιν αὐτοῦ ἣν ἀνέφερεν ἐν οἴκῳ κυρίου, & Latinus: *holocauſta quæ offerebat in domo Domini.* Sed 2. Par. IX, 4. non עלתו quod poſſit legi *holatho* & verti *holocautoma ejus*, ſed עליתו *halijatho* legimus, quod aut viam quâ adſcendebat Salomo, aut actionem adſcendendi ſignificat, & ſatellitum qui eum comitabantur pompam.

Neque ulteriùs ſuperbia ulla] ולא היה בה עוד רוח *nec erat in ea ampliùs ſpiritus.* LXX. Intt. ἐξ ἑαυτῆς ἐγένετο. Vulgatus: *non habebat ultra ſpiritum.* Non intellexerim Sabæorum Reginam hæc omnia uſque adeò admiratam fuiſſe, ut propterea extra ſe rapta fuiſſe dici poſſit, ut habent Græci Interpretes; ſed tantùm ſatis eam intellexiſſe, non eſſe cur divitiis Arabicis & aulæ Sabææ magnificentiâ ſuperbiret, poſtquàm Salomonis opes & aulam viderat. רוח *ruahh* apud Hebræos, ut *ſpiritus*, apud Latinos, aliquando ſuperbiam ſignificat, ut Pſ. LXXVI, 13. quæ ſignificatio huc optimè quadrat.

6. *Verum erat quod audiveram*] *Veritas erat verbum quod audiveram de verbis tuis.*

7. *Nec credidi tamen*] *Nec credidi verbis*, hoc eſt, famæ, rumoribus.

Nunc autem] *Et ecce.*

Majora ſunt ſapientia, bonâque tua, famâ] *Addidiſti ſapientiam & bonum famæ, quam audivi.*

9. *Pro amore ſuo perpetuo in Iſraëlem*] *In amore Jehovæ in Iſraëlem in perpetuum.* Hinc non ſequitur hanc Reginam fuiſſe ad cognitionem veri Dei adductam, ut volunt Æthiopes. Hebræi enim ſibi quidem illicitum cenſuerunt, & meritò, laudare Deos aliarum Gentium, quos Deos non fuiſſe, nec poſſe cum vero conjunctim coli probè norant; verùm Ethnici, qui exiſtimabant multis Gentibus ſuos eſſe ſingulares Deos, non negabant Deum, qui colebatur ab Hebræis, Deum eſſe; ſed ſuos ei æquabant, aut etiam præferebant. Vide Cap. V, 7.

10. *Centum viginti talentis auri*] Talentum erat trium millium ſiclorum, ſeu mille quingentarum unciarum Romanarum, ut docent qui de Re Nummaria Hebræorum ſcripſerunt; unde colligere licet ditiſſimam fuiſſe hanc Reginam, quæ tantis muneribus donare Salomonem

dimidia quidem pars nunciata mihi fuerat. Majora ſunt ſapientia, bonáque tua, famâ
quam audiveram. 8. Felices homines tuos, felices ſervos tuos, qui tibi perpetuò ad-
ſtant, & ſapientiam tuam audiunt! 9. Benedictus ſit Jehova, Deus tuus, qui te de-
lectatus eſt, ita ut collocarit in ſolio Iſraëlis, pro amore ſuo perpetuo in Iſraëlem; &
qui te conſtituit Regem, ut jus diceres, juſtitiámque *exerceres*. 10. Deinde donavit Re-
gem centum viginti talentis auri, ingenti copiâ aromatum & lapillis pretioſis; nec um-
quam poſtea *Jeroſolimam* venerunt aromata tantâ copiâ, quantâ fuerunt ea, quibus Re-
gina Sabæorum Regem Salomonem donavit.
11. Venit etiam Chirami claſſis, quæ aurum adferebat Ophirâ, advexitque inde
ligna

nem potuit. Ac ſanè Sabæi abundabant iis temporibus auro, ut antea diximus.

11. *Quæ aurum auferebat Ophirâ*] Fuerunt olim, ſúntque etiamnum hodie variæ ſententiæ de Ophira, quas non recenſebimus. Pleraſque memoravit vir doctiſſimus *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. II. c. 17. ubi ſuam etiam proponit ac variis rationibus tuetur. Contendit nomen ipſum *Ophir* אופיר vel Arabicâ formâ אופר *auphar*, deducendum eſſe ab Arabica radice ופר *wapha-ra*, quæ eſt *abundare*, unde nomen meritò traxerit locus, in quo inveniebatur aurum. Nemo negarit minimè ineptam eſſe Etymologiam, quamvis non exprimatur ſemper nominibus regionum natura rerum quæ in iis inveniuntur; cùm ea nomina ſæpe ducta ſint ex iis qui eas incoluerunt, qualia nomina Idumææ, Chananis, Moabitidis, Hammonitidis, & ſimilia multa per Orientem. Sed vult vir ſummus fuiſſe duas Ophiras, quarum alteram quærit in India, alteram in Arabia, & quidem apud Caſſanitas, quos auro ſummopere abundaſſe multis oſtendit. Iis vicini fuere Sabæi, quorum etiam aurum celebratur, ut Pſ. LXXII, 15. Eſa. LX, 6. Ezech. XXVII, 22.

Video quidem cum probare aurum fuiſſe apud Arabas, magnâ copiâ, quod oſtendunt etiam munera, quibus Salomo à Regina Sabæorum eſt donatus. Sed non video quibus argumentis ſatis conſtet ullam Ophiram fuiſſe in Arabia. Nomen ſolum eam in rem proferri non poteſt, ſic enim poſſent vocari omnia loca, in quibus inveniebatur aurum, Ophiræ. Obſervat quidem vir ſummus Job. XXII, 24. & XXVIII, 16. mentionem fieri *auri Ophir*, quod de Ophira Indica intelligi non poſſe putat, *quia*, inquit, *ætate Jobi, qui Jacobo Patriarchæ penè fuit æqualis, ad terras illas tantâ terrarum & marium intercapedine à Judæa diſſitas, nondum patuerat acceſſus.* Sed quæ dicuntur de antiquitate Jobi ſunt incertiſſima, proferemúſque aliquando argumenta, ex quibus liqueat multò ſerius eos vixiſſe, qui nomine איוב *ijob* ſignificantur. Nec adeò eſt remota India, cis, aut trans Indum, ut inde Mercatores in Perſidem, Meſopotamiam, Syriam & Ægyptum venire non poſſent. *Sed nec Indicum*, inquit Bochartus, *aurum intelligo 1. Par. XXIX, 4. ubi David obtuliſſe dicitur mille talenta auri Ophir, quia in remotiorem illam Ophiram navigationem Salomon & Hiramus primi inſtituerunt.* At nullum in Hiſtoria Sacra video veſtigium, ex quo liqueat Salomonem & Chiramum primos omnium per Arabicum mare navigationem inſtituiſſe. Dicuntur quidem illinc *Ophiram* & *Parvajimos* navigaſſe, ſed primi non dicuntur. Imò verò ex ipſa narratione Scripturæ, colligere poſſe non abſurdè videmur Salomonem & Chiramum famâ divitiarum, quæ in Ophira inveniebantur, allectos fuiſſe, ut claſſe ædificatâ ad mare Idumæum illuc navigarent. Neque enim dicuntur claſſem paraſſe, ut ignotas antea oras quærerent, & caſu in divitem inſulam adpuliſſe, unde aurum, aliáque retulerint. Sed res ita narratur, quaſi probè ſciviſſent quem in locum navigaturi eſſent; nec ſat navigationis periti, audacéſve erant, ut mari novas terras quærere ſuſtinerent. Audiverant, nempe, à mercatoribus, qui camelis ex ora Indiæ maritima, in provincias, quæ Perſici poſtea Imperii ſedes fuerunt, aurum & alias merces advehebant, unde in Syriam & Chananæam adſerebantur, regiones eſſe ac Inſulas in ora maritima ad Orientem longè ditiſſimas; quibus ſermonibus adducti ſunt, ut eò navigationem ex Arabico ſinu inſtituerent. Numquam auſi fuiſſent mittere naves in ignotas prorſus terras, inſuláſve & ignotiora maria, præſertim tanto periculo & ſumtu, ſine certa ſpe magni lucri. Igitur malim unam Ophiram ſtatuere, unde advectum fuerit omne aurum, quod dicitur *aurum Ophir*.

Sed quærunt etiamnum Eruditi ubi fuerit ea regio, dum alii eam ad ortum maris Idumæi, alii ad occaſum collocant; nec proferunt argumenta, quibus huic potiùs, quàm illi ſententiæ adſentiri neceſſe habeamus. Exiſtimat *Bochartus* Ophiram fuiſſe in Inſula Taprobana, quam Ceiloniam Inſulam fuiſſe, non ſine veriſimilitudine, cenſet. In hac enim inſula aurum, ebur, & gemmas inveniri conſtat. Sunt etiam in ea Pavones & Cercopitheci in Cherſoneſo vicina, magni pretii. Convenit denique nomen *Parvajim*, nam Syriacè טף-פרון *taph-Parvan* eſt *littus Parvanis*, unde Tabrobanæ nomen factum eſt. Cetera apud ipſum Scriptorem legantur. Sed vir eſt eruditus *Hadrianus Relandus*, qui in Diſſert. de *Ophir*, oſtendit nuper quæcumque in Scriptura de ea regione habentur, non malè quadrare in regionem, in qua fuit urbs *Oupara*, ſive *Soupara*, ut *Ophir* dicitur, & *Sophir*, ſatis nota ex *Ptolemæo*, *Ammiano Marcellino* & *Arriano*, & ſita in Cherſoneſo Indica intra Gangem, inter 112 & 113 Gradum longitudinis, & circa 15 Gradum latitudinis auſtralis. Præſtat à Lectoribus fontem ipſum adiri, argumentáque viri docti ac induſtrii expendi.

Petrus verò *Daniel Huëtius*, vir longè doctiſſimus, in Commentario de navigationibus Salomonis, contendit Ophiram eſſe Orientalem Africæ oram à promontorio Aromatum ad extremum uſque Africæ limitem, Auſtrum verſùs, & præſertim Sophalam. Nec omnino ſpernendas rationes ſuæ ſententiæ profert, quæ legi poterunt Commentarii ejus Cap. II.

ligna Almuggina, ingenti copiâ, & lapillos pretioſos. [12] Fecit Rex, è lignis Almugginis, fulcrum Ædi Jehovæ & Regiæ, & citharas & nablia cantoribus. Talia ligna Almuggina non venerunt, neque conſpecta ſunt *Jeroſolimæ*, ad hunc uſque diem.

[13] Rex autem Salomo Sabæorum Reginam donavit omnibus, quæ pro arbitrio petiit, præter ea quæ ipſe Rex manu ſuâ dedit. Deinde converſa abiit in terram ſuam, cùm ipſa, tum ejus ſervi.

[14] Pondus autem auri, quod perveniebat ad Salomonem ſingulis annis, erat ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum aureorum; [15] præter *id quod accipiebat* à *mercium* exploratoribus, negotiatione mercatorum, omnibus Regibus Arabiæ, & terræ præfectis. [16] Fecit autem Salomo ducenta ſcuta aurea, *ex auro* ductili, & ſexcentos aureos

Mihi verò, ſi una harum ſententiarum ſit eligenda, maximè etiamnum placet ſententia *Sam. Bocharti*, quamvis duas memoratas minimè ſpernam; præſertim quòd nominis *Parvajim* commodiorem rationem reddere videatur. Ceteroqui cùm nullæ proferantur hîc demonſtrationes, licet per me alia omnia ſentire, gratúmque me iis qui meliora adferent profitebor.

Ligna Almuggina] עצי אלמגים *hatſe almuggim*, 1. Par. IX, 10. dicuntur hæc ligna אלגומים *algoumim*, tranſpoſitis litteris. Utra lectio ſit melior nemo dixerit, niſi ſciverit quodnam genus ligni ſit, & cur ita dictum. Sunt qui derivent ex מג *tabeſcere* & אל *ne*, quaſi ſermo ſit de lignis tabem nullam ſentientibus, ſignificetúrque præſtantiſſima quædam cedri ſpecies. Ita ſenſit *Ed. Caſtellus*. LXX. Intt. habent ξύλα πελέκητα, & paullò poſt ἀπελέκητα & 2. Par. IX, 10. ξύλα πεύκινα. Vulgatus verò utrobique, *ligna thyina*. *Joſephus*, ſic de hiſce lignis utitur: κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν κομισθέντων ἀπὸ τῆς χρυσῆς καλουμένης γῆς λίθων πολυτελῶν τῷ βασιλεῖ καὶ ξύλων πευκίνων, τοῖς ξύλοις εἰς ὑποστήριγμα τοῦ τε ναοῦ καὶ τῶν βασιλείων κατεχρήσατο, καὶ εἰς τὴν τῶν μουσικῶν ὀργάνων κατασκευήν: *eodem tempore allatis, ex aurea quæ dicitur terra, pretioſis lapillis Regi & lignis pineis, lignis uſus eſt pineis ad fulcra Templi & Regiæ facienda, & ad fabricanda muſica inſtrumenta.* Solent ea inſtrumenta fieri lignis levibus & poroſis, quæ magis reſonare putantur, quod tamen an olim factum neſcio. Sed ne quis fallatur in voce πεύκινα, ſic paullò pòſt loquitur *Joſephus*: ὑπολάβῃ δὲ μηδεὶς ὅτι τὰ τῆς πεύκης ξύλα τοῖς νῦν εἶναι λεγομένοις, καὶ ταύτην ὑπὸ τῶν πιπρασκόντων τὴν προσηγορίαν ἐπὶ καταπλήξει τῶν ὠνουμένων λαμβάνουσιν, ἦν παραπλήσια. ἐκεῖνα γὰρ τὴν μὲν ἰδέαν ἐμφερῆ τοῖς συκίνοις γίνεται, λευκότερα δέ ἐστι καὶ στίλβοντα πλέον: *nemo verò exiſtimet pinea illa ligna fuiſſe ſimilia iis quæ nunc talia eſſe dicuntur, & hanc à vendentibus appellationem accipiunt, ut ementibus imponant. Illa enim ſpeciem habent ficulneis ſimilem, ſed ſunt candidiora & fulgentiora.* Satius fuiſſet dicere quæ πεύκινα à LXX. Intt. dicuntur, ea alio nomine vocari, apud Hebræos, nec eſſe propriè *pinea ligna*; qualia in Judæa, Syria ac Ægypto nota erant. Cetera mihi ſunt ſuſpecta, qui enim *Joſephus* norat qualia fuiſſent ligna, quæ Salomonis tempore advecta fuerant?

[12] *Fulcrum*] מסעד *miſhad*. Quale eſſet *fulcrum* non conſtat, nec ὑποστηρίγματα LXX. Intt. quid eſſent novimus.

[13] *Quæ pro arbitrio petiit*] *Omnem voluntatem ſuam* חפצה *hhephtſah*.

Quæ ipſe Rex manu ſuâ dedit] *Præter ea, quæ dedit ei ſecundùm manum* (כיד chejad) *rex Salomo.* Habent LXX. Intt. διὰ χειρός. Latinus, *ultrò*.

[14] *Sexcentorum ſexaginta ſex &c.*] Ex tributis, quæ ei ab Iſraëlitis pendebantur, nam alia poſtea memorantur. Exiguum ſanè erat tributum tanto populo impoſitum, ſi aliud nihil fuiſſet. Sed videntur etiam Iſraëlitæ ſuppeditaſſe victus omnes Regiæ familiæ, copiiſque ejus neceſſarios, de quibus Cap. IV, 7. & ſeqq. Sæpiùs diximus quodnam eſſet pondus talenti, mille, nimirum, quingentarum unciarum Romanarum argenti.

[15] *A mercium exploratoribus*] מאנשי התרים *A viris exploratorum*, nam תור *thour* eſt *explorare*, & התר *hatthar*, *explorator*. Cùm uſu Linguæ non norimus quid hoc loco ea vox ſignificet, ex radicis ſignificatione eam interpretari neceſſe habemus. Intelligi ergo videntur mercium in regnum advectarum exploratores, hoc eſt, publicani, ſeu vectigalium redemtores; qui ut vectigalia & portoria exigerent, inſpiciebant merces.

E negotiatione mercatorum] ומסחר הרכלים *oumiſhhar harochelim*. De voce מסחר ſatis conſtat, inter Scripturarum Interpretes, ea *commercium* ſignificari. Sed ſunt qui dubitent an רוכלים *rochelim* alii ſint, quàm *aromatarii*. Falli tamen eos liquet ex Ezech. XXVII, 15, 17. ubi quivis mercatores ita dicuntur. Hoc etiam loco omnia genera negotiationum deſcribuntur, allatis vocibus; cùm ſermo ſit de vectigalibus, portoriiſque, quæ ex quibuſvis mercibus ſumebantur, non ex aromatibus ſolis. LXX. Intt. omnia hæc ſic verterunt χωρὶς τῶν φόρων τῶν ὑποτεταγμένων, καὶ τῶν ἐμπόρων. Vulgatus verò accuratiùs: *excepto eo quod adferebant viri, qui ſuper vectigalia erant & negotiatiores, univerſique ſcuta vendentes*; quibus confirmatur quod diximus, quamvis poſtrema Latini Interpretis verba ſint obſcura.

Reges Arabiæ] מלכי הערב *malche habereb*. LXX. Intt. habent βασιλέων τοῦ πέραν, quaſi legiſſent העבר *habeber*. Meliùs Vulgatus: *Reges Arabiæ*, quamvis reverâ Arabiæ Reges habitarent partim trans Jordanem ad ortum, ut & ad meridiem Chananææ. Cingebantur enim Arabiâ desertâ, ad orientem & ad auſtrum. Vulgò volunt ſic dictam Arabiam à confuſione, ac miſtura variarum gentium vagarum, quæ per vaſtas ſolitudines errabant. At *Sam. Bochartus* ſuſpicabatur ſic dictos à ערב *veſpera*, quòd fuſco colore vultûs eſſent, quia ardenti ſoli expoſiti in deſertis locis vagabantur. Vide Phalegi Lib. IV. c. 2. Videtur autem Salomo Phylarchos familiarum Arabum adegiſſe ut ſibi tributum ſolverent, ſi tutò vagari circa Chananææ oras vellent.

16. *Du-*

reos *ſiclos* ſingulis ſcutis inſumſit. [17] Fecit & trecentos clypeos ex auro ductili, & tres quidem minas auri inſumſit unicuique clypeo, eóſque collocavit Rex domi Silvæ Libani. [18] Fecit etiam Rex ſolium eburneum magnum, quod auro puro obduxit. [19] Sex gradus erant in ſolio, ſummáque pars à tergo rotunda, & *ad* latera hinc atque illinc, uſque ad ſedile, bini leones, ſtantes ad latera. [20] Itaque duodecim erant leones illic ſtantes, in ſex gradibus, hinc atque inde; neque in ullo regno tale *ſolium* factum eſt. [21] Omnia vaſa, quibus potus Regi Salomoni præbebatur, aurea erant; omniáque ſimiliter vaſa domûs Silvæ Libani ex auro puro conflata; nullum erat *ex* argento, quod temporibus Salomonis in pretio non habebatur. [22] Claſſis enim Tharſenſis Regi erat in mari, unà cum claſſe Chirami, ſemélque ſingulis trienniis veniebat claſ-

[16] *Ducenta ſcuta aurea*] Quodnam eſſet diſcrimen inter צנה *tſinnah* & מגן *magen* non ſatis conſtat. Sed צנה major fuiſſe videtur, cùm in ea conficienda majus argenti pondus inſumeretur.

Ductili] שחוט *ſchabhout*; hoc eſt, malleo in latitudinem ducto. LXX. Intt. hîc habent τριακόσια δόρατα χρυσᾶ ἐλατά, quibus in verbis centuriam integram Hebraïco textui addunt, & præterea δόρατα, vel *haſtas* vertunt pro *clypeis*, aut *ſcutis*. Vulgatus: *ducenta ſcuta de auro puriſſimo.*

Sexcentos aureos ſiclos] Trecentas uncias Romanas. Magnificentiæ causâ, Chryſaſpidas videtur voluiſſe habere, non uſûs. Alexander Macedo, multò potentior, habuit tantùm Argyraſpidas, ſed multò plures.

[17] *Trecentos clypeos*] מגנים *maginnim*, qui minores clypei fuiſſe videntur, & fortè diverſæ formæ; ut apud Romanos *ſcutum* quidem fuit quadratum & oblongum, *clypeus* verò rotundus.

Tres minas auri] מנים *manim*, quæ vox, ubi de ſolo pondere ſermo eſt, ut hîc, pondus centum ſiclorum æquabat. *Minas* vertimus, non quòd minis Græcis reſponderent, ſed ob ſoni affinitatem, ut fecerunt alii Interpretes Veteres & Recentiores. Itaque trecenti tantùm ſicli in ſingulos clypeos erant inſumti, non ſexcenti, ut in ſcuta. LXX. Intt. hîc incommodè habent, τριακόσια ὅπλα χρυσᾶ, cùm conſtet מגנים eſſe *clypeos*. Ac ſanè in hac ipſa verſione Græca & צנה & מגן paſſim rectè θυρεὸς, aut ἀσπὶς vertuntur.

Domi Silvæ Libani] In villa, oſtentandarum opum gratiâ. Vide ad Cap. VII, 2.

[18] *Eburneum*] שן *dentis*.

Puro] מופז *mouphaz*. Nomen hoc auri idem videtur ac פז *phaz* Cant. V, 11. & אופז *ouphaz* Dan. X, 5. Putabat *Sam. Bochartus*, *Phalegi* Lib. II. cap. 27. deductas haſce appellationes ex *Paſi* ſinu, aut *Phaſi* fluvio Taprobanæ inſulæ. Sed cùm generali nomine אופיר *Ophiræ* contineri ſoleat aurum illinc advectum, fortaſſe rectiùs deduxerimus hæc nomina à fluvio Colchidis *Phaſi*, qui in arenis devolvebat ramenta auri; quod de Colchidis torrentibus probavit nuper vir eruditus, quem de Ophiræ ſitu antea laudavimus, in Diſſertatione de Paradiſo §. IX. Nec quidquam vetat, ut idem obſervat, de ejuſmodi auro locum Job. XXXVII, 22. ubi à Septemtrione מצפון *mitſaphon*, aurum venire dicitur, intelligi. *Puro* autem vertimus, quòd aurum ex ramentis collectum puriſſimum ſit. LXX. Intt. habent χρυσίῳ δοκίμῳ. Vulgatus: *auro fulvo nimis.* Ex *Aquila.*

[19] *Summáque pars à tergo rotunda*] *Caput rotundum ſolio à tergo.* LXX. Intt. προτομαὶ μόσχων pro וראש עגל *capite rotundo*, quia legerunt עגל *hegel*, quod *vitulum* ſonat. Meliùs Vulgatus: *ſummitas throni rotunda erat.*

Sedile] *Locum ſedis.*

[20] *In ullo regno*] *Omnibus regnis.*

[21] *Quibus potus præbebatur*] משקה *maſchkeh*, *potationis.*

Temporibus Salomonis &c.] *Non æſtimabatur, in diebus Salomonis, in rem ullam.* Hæc intelligenda ſunt potiſſimùm, de Salomonis aula, ſúntque præterea hyperbolica, nec nimiùm urgenda. Neque enim tantæ erant Hebræorum divitiæ, ut argentum ſpernere poſſent.

[22] *Claſſis enim Tharſenſis*] אני תרשיש *Oni Tharſchiſch. Claſſis Tharſenſis* hîc dicitur claſſis instructa, ut iret in regionem, quæ *Tharſis* dicebatur, vel quæ inde rediret. Regionem autem fuiſſe Indicanam colligere licet ex 2. Par. XX, 36, 38. Ophiræ ſuſpicatur *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. III. c. 7. proximam, & fortè ad promontorium Cory fuiſſe, quod Hiſpanicam Calpen utcumque refert. Quæ potuit, judice viro ſummo, eſſe cauſa, cur eodem nomine à Phœnicibus appellaretur, ac Hiſpanica *Marteſſus*, quam vocem factam eſſe à voce *Tharſis* conjicit. At *Pet. Dan. Huetius*, inſignis eruditionis vir, vult *Tharſis* fuiſſe Africæ & Hiſpaniæ oram occidentalem, & præſertim loca Bætis oſtiis vicina. Quia verò eò pervenire non licuit, per mare Arabicum, niſi circumactâ Africâ, oſtendit, etiam ab antiquis temporibus, fuiſſe qui ſuperarint Promontorium Bonæ Spei, Africámque circumiverint. Digniſſima lecta ſunt quæ habet vir doctiſſimus; ſed ſi Phœnices ſtatuiſſent navigare ad occiduam oram Africæ & Hiſpaniæ, eò potiùs breviori navigatione iviſſent per mare internum, quod multò notius iis erat; quàm, lectis Africæ oris, per Eoum & Occiduum Oceanum, longiorem & periculoſiorem multò navigationem instituiſſent. Itaque malim, cum *Sam. Bocharto*, in India quærere Tharſiſiam, de qua hîc ſermo eſt, quamvis quonam in loco ſit collocanda conjecturâ adſequi non poſſimus, niſi quòd procul ab Ophira non fuerit.

Semélque ſingulis trienniis] Non eſt quidem longa navigatio, ex intimo ſinu Idumæo ad ejus oſtium; neque multò major, è faucibus ejus ſinûs ad Inſulam Taprobanen. Sunt enim, in ea parte Oceani Indici & Arabici, reflabri venti & quidem inter Septemtrionem & Subſolanum, qui ab Octobri ad Aprilem flant; inter Favonium verò & Auſtrum, qui ab Aprili ad Octobrem ex contrario cardine ſpirant. Ope eorum ventorum, intra paucos dies, ab oſtio ſinûs Idu-

Digitized by Google

claſſis Tharſenſis, advehens aurum & argentum, dentéſque Elephantum, Simias & Pavones.

23. Rex Salomo omnes terrarum Reges divitiis & ſapientiâ ſuperavit. 24. Terræ omnes conabantur in conſpectum Salomonis venire, ut ſapientiam ejus, quâ Deus animum ejus donaverat, audirent. 25. Quiſque ad eum munus ſuum adferebat, vaſa argentea, vaſa aurea, veſtes, arma, aromata, equos & mulos, prout debebantur ſingulis annis. 26. Collegit autem ſibi Salomo currus & equites, fuerúntque ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum, quos collocavit in urbibus curruum & cum Rege Jeroſolimæ. 27. Effecit Rex ut Jeroſolimæ argentum eſſet inſtar lapidum, & cedri inſtar ſycomororum, quæ in campeſtribus ſunt, tanta erat earum copia. 28. Præterea *erat* exitus equorum ex Ægypto, & telæ, qui erat Salomoni; & *ad* telam quidem *quod adtinet*, negotiatores Regis eam accipiebant pro pretio. 29. Adſcendebat verò & egrediebatur ex Ægypto quadriga ſexcentenis argenteis *ſiclis*, equi verò *ſinguli* centenis quinquagenis. Sic ad omnes Reges Chitthæorum & Aramæorum, per eorum manus, educebant equos.

XI. Sa-

Idumæi ad Inſulam Taprobanen ire, atque illinc redire licuit. Sed triennium illud videtur abſumtum in effodiendo auro, venandiſque Elephantibus, Simiis & Pavonibus; fortè enim erant eæ regiones incolis vacuæ, qui alioqui potuiſſent breviori tempore Phœnicibus & Hebræis merces, quas quærebant, ſuppeditare, acceptis iis quibus ipſi indigebant. Fortaſſe etiam, negotiationis cauſâ, ulteriora quoque ad Orientem littora adibant Phœnices.

Advehens aurum &c.] Has omnes merces in Taprobana inſula inventas multis oſtendit *Sam. Bochartus* Chanaanis Lib. I. c. 46.

Dentéſque Elephantum] שנהבים *ſchenhabbim*. Quod judice *Sam. Bocharto*, dictum pro שן קהבים *ſchen kahabim*, quo nomine dictos putat ab Hebræis elephantas, à radice קהב *kehiba* quæ *fuſcum eſſe*, apud Arabes, ſonat; unde אלקהבאן *alkhaban* eſt *Elephas*, apud illos populos. Certè omnes, magno conſenſu, *dentes Elephantis* interpretantur. De uſu eboris, ab antiquiſſimis temporibus, multa collegit idem ejuſdem partis doctiſſimi Operis Lib. II. c. 24.

Simias] וקופים *vekophim*. Oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. III. c. 31. à Græcis κῆπος, à Romanis *Cepos* dicta eſſe animalia quædam Troglodytica, aut Æthiopica, è Simiarum ſpecie; unde colligit hîc quoque Simias ſignificari. Sic verterat Vulgatus Interpres.

Pavones] תכיים *thucchijim*. Vertunt *Pavones* veteres & recentiores Interpretes, quod idem confirmat Hieroz. P. 2. Lib. I. c. 20. ubi contendit כתיים *chutthijim* propriè dictos, quaſi è regione כות *chouth*, vel כוש *chouſch*, quod illinc in Judæam eſſent allati. *Chuth* autem fuit Imperii Perſici Provincia. Deinde tranſpoſitis litteris, vult dictum תכיים, quod probabilius multò eſſet; ſi locus ullus eſſet, unde conſtaret, apud Perſas, dictos *pavones* כתיים.

23. *Rex Salomo* &c.] *Et magnus fuit Rex Salomo —— divitiis & ſapientia.*

Omnes terrarum Reges] Dici hoc non poſſet, ſi ſtetiſſet hiſce temporibus Aſſyriacum imperium, quod regna ad ortum Euphratis uſque ad fluvium Indum, obtineret; multùm enim ſuperaſſet Hebræorum Regis divitias. Sed & Ægyptiorum Rex Seſakus paullò pòſt oſtendit quanta eſſet Ægyptiorum potentia. Non videntur tamen hæ laudes Salomonis haberi poſſe, inſtar axiomatum mathematicorum, quæ nullâ prorſus exceptione laborant. Satis eſt ſi, certo ſenſu, ſint veræ.

24. *Terræ omnes*] Vicinæ, & præſertim ſtipendiariæ, ac minores Reguli.

Conabantur venire in conſpectum &c.] *Quærebant faciem Salomonis.*

Animum ejus donaverat] *Dederat in corde ejus.*

25. *Prout debebantur* &c.] *Rem anni in anno.*

26. *Mille quadringenti currus*] Vide not. ad Cap. IV, 26.

In urbibus curruum] In urbibus ei rei deſignatis, fortè vicinis campeſtribus locis, in quibus maximus curruum uſus, qui in montanis exiguus fuit.

27. *Effecit Rex* &c.] *Poſuit argentum, ut lapides.* Hyperbolica eſt loquutio, ut omnes norunt.

28. *Erat exitus equorum* &c.] *Et exitus equorum qui Salomoni* &c. Intelligo vectigal, quod impoſitum erat equis, qui educebantur ex Ægypto, ut per totam Aſiam venderentur. Senſus ergo eſt: vectigal quod ex equis, qui educebantur ex Ægypto ut in Aſiam mitterentur, erat Salomonis, quippe qui ad clauſtra uſque Ægypti imperabat. Non erat ex uſu Regum Ægypti mercibus, quæ ex ſuo regno emittebantur, magna imponere vectigalia, ſed tantùm importatis. Sequentia oſtendunt hac de re ſermonem eſſe, non de equis quos in uſum ſuum comparabat Salomo. LXX. Intt. ſine ſenſu verterunt: καὶ ἡ ἔξοδος Σαλωμὼν τῶν ἵππων, καὶ ἐξ Αἰγύπτου. Vulgatus non multò meliùs; *& educebantur equi Salomoni de Ægypto* &c. Ægyptum autem his temporibus ſummopere abundaſſe equis, liquet ex copiis equeſtribus Seſaki, de quibus 2. Par. XII, 3. Vide etiam Eſai. XXXI, 1, 3. Idem etiam ex *Homero*, aliiſque oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. 1. L. II. c. 9. Itaque mirum non eſt, ſi inter fructus regni Salomonis recenſeatur vectigal equorum Ægypto eductorum, cùm ingenti copiâ illinc in Aſiam mitterentur. Cur autem poſtea Ægyptus equis uſque adeò non abundarit, idem docebit.

Et telæ] Nempe, lineæ, quæ magnâ copiâ fiebat in Ægypto, propter linum cujus erat, ut notum eſt, feraciſſima; vix enim quidquam eſt Ægyptiaco lino celebrius. Vide *Plinium* H. N. Lib. XIX. c. 1. & *Gratium* in Cyneget. v. 42. eorúmque Interpretes. Itaque nihil dixerimus, quod abſurdum videatur, ſi adfirmaverimus ex Ægypto quotannis magnam lini copiam avectam fuiſſe. Sed à nobis quæretur, ubi telam hoc in loco inveniamus, cùm ſit hîc מקוה *mikveh*, quod

Digitized by Google

XI. Salomo ſenex ab uxoribus in Idololatriam pellicitur. Quare Deus regnum ejus ſe filio integrum relicturum negat, variósque adverſarios in eum concitat, & præſertim Jerobohamum, quem fruſtra opprimere conatur. Tandem moritur.

1. REx autem Salomo captus eſt multarum mulierum peregrinarum, filiæ Phara- CAPUT XI.
honis, Moabitidum, Hammonitidum, Idumæarum, Sidoniarum & Chitthæarum
amore; 2. è gentibus, de quibus dixerat Jehova Iſraëlitis: non inviſetis eas,
neque illæ vos inviſent, *nam* profectò animos veſtros ad Deos ſuos averterent. Atta-
men cum iis Salomo amore conjunctus eſt, 3. fuerúntque ei uxores principes ſep-
tingentæ, & pellices trecentæ, mulieréſque animum ejus averterunt. 4. Ætate ſe-
nili Salomonis, uxores animum ejus averterunt ad Deos alienos; nec integro ani-
mo fuit, erga Jehovam Deum ſuum, ut fuerat *integro* animo David pater ejus.
5. Se-

quod vertitur à LXX. Intt. ἐκ Θεκουὲ, & Vulgatus *de Coa*, quaſi eſſet nomen proprium. Verùm rationes adtulimus ad Joſ. II, 18. cur מקוה *mikveh*, idem eſſe putemus ac תקוה *thikvah*, quod ibi ſignificat *textum*, aut pannum. LXX. Intt. qui nunc habent ἐκ Θεκουὲ, quaſi legiſſent מתקוה *mitthikveh*, olim habuerunt ἐκ Κωὲ, pro quo malè legitur Κωά, in locis Hebraïcis *Euſebii*, ut liquet ex verſione Hieronymiana, quæ illic quoque habet COA. Facile ΚΩΑ mutatum in ΚΩΔ. Sed quod mireris, hæc eadem vox 2. Paral. I, 15. à Græcis Interpretibus vertitur τιμή. Cùm ergo vocis veram ſignificationem ignorarent, nec ulla *Coa* ſit equis celebris, de merce agi hîc exiſtimavi, qualis eſt *tela linea*, cùm ſignificatio radicis aliorúmque derivatorum ei interpretationi faveret. קו *kav* enim, quod *linea* vertitur, videtur eſſe propriè *filum*, quo linea deſcribitur, unde, apud Chaldæos, קוּרֵי דְעַכּוּבִיתָא ſunt *fila* aut *texta araneæ*, Eſai. LIX, 6. & קַוָּיִן *textores*.

Scio alias eſſe aliorum Interpretum ſententias, quas collegit *Bochartus* loco laudato; ſed eas ipſe rejicit, putátque vertendum potiùs מקוה *mikveh*, tributum, ita ut ſit idem ac Chaldaicum מגביתא. Nempe, ut קוה Hebræis, ita Chaldæis גבא *gaba*, colligere eſt, & unum ex altero fieri potuit. Itaque eorum derivatis idem ſignificari vult. Sed ſenſus eſt incommodus, nec ſequentia verba eum capere poſſunt.

Et ad telam quidem &c.] ומקוה סחרי המלך יקחו מקוה במחיר. *Et telam mercatores Regis ſumebant telam pro pretio.* Quod ita intelligo, redemtores vectigalium Salomonis, qui mercatores etiam erant, telæ, quæ ex Ægypto advehebatur, ut per Aſiam venderetur, nullum vectigal impoſuiſſe paratâ pecuniâ ſolvendum; ſed loco vectigalis certam telæ copiam exegiſſe, ut reliquam invehere liceret; cùm pro equis pecuniam acciperent. LXX. Intt. habent ſine ſenſu: Ἔμποροι τοῦ βασιλέως, καὶ ἐλάμβανον ἐκ Θεκουὲ ἐν ἀλλάγματι, & Vulgatus: *negotiatores enim Regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant.*

29. *Sexcentenis argenteis*] Hoc eſt, trecentis unciis Romanis argenti. Oportet equos hoſce ſelectos fuiſſe & eximiæ formæ, alioqui cariores fuiſſent; nam præter hoc vectigal, pretium eorum fuit perſolvendum. Sed fortè Salomo nolebat equos à vicinis Regibus poſſe emi, niſi magno pretio, ne nimium equitatum ſibi compararent.

Reges Chitthæorum] Reliquiæ eorum, quos olim Hebræi deleverant, & qui circa Chananæam ſedes habebant.

Aramæorum] Syrorum.

Per eorum manus] בידם *bejadam*. Niſi mari ex Ægypto aveherentur, neceſſe habebant, incidere *in manus* Publicanorum Salomonis; qui ſervabant unicum illum tranſitum iſthmi, qui eſt inter mare Idumæum, & Mediterraneum. At LXX. Intt. hîc habent κατὰ θάλασσαν, quaſi legiſſent בים bejam, *per mare*, quæ lectio abſurda eſſet; nam ſi per mare vecti fuiſſent equi in Syriam ex Ægypto, vectigal nullum Hebræorum Regi ſolviſſent. Melius 2. Par. I, 17. legerunt, cùm habeant ἐν χερσὶν αὐτῶν.

Educebant] יצאו *jotſiou*, plenè יוציאו, non *jatſeou*, ut legerunt LXX. Intt. qui habent ἐξεπορεύοντο. Subauditur nominativus, ut paſſim, ex re ipſa ſupplendus; nimirum, ii qui equos Chitthæis & Syris vendebant. Vulgatus incommodè & contra analogiam Grammaticam: *atque in hunc modum cuncti Reges Hethæorum & Syriæ equos venundabant.*

In CAPUT XI.

2. NOn *inviſetis eos* &c.] Hoc eſt, familiarius nullum commercium cum iis habebitis. Dicitur hoc propriè de Chananæis Exod. XXXIV, 16. & Deut. VII, 3. Sed ratio, quæ ſubjicitur, oſtendit Salomonem etiam aliarum gentium connubia vitare debuiſſe, ne in Idololatriam à ſuperſtitioſis mulieribus pelliceretur.

Amore conjunctus eſt] בהם דבק *bahem dabak*, quod refertur ad Gentes, non ad mulieris.

3. *Uxores principes*] נשים שרות *naſchim ſcharoth*; hoc eſt, legitimæ uxores, quæ principes habebantur.

Septingentæ] Is numerus uxorum, ad quas acceſſerunt trecentæ pellices, barbaram quamdam oſtentationem redolet, in ea re, eámque Legi Moſaïcæ prorſus contrariam. Deut. XVII, 17.

4. *Integro animo*] Non fuit cor ejus שלם *ſchalem*; quippe quod diviſum inter cultum veri Dei, & falſorum. An autem ei perſuaſerint eſſe Deos, præter Deum Iſraëlis, an verò tantùm ad Sacra facienda alienis Diis, animi causâ, ut iis gratificaretur, non conſtat. Sed poſterius faciliùs crediderim, vix enim prius potuit credere, niſi prorſus deſiperet.

5. Sequutus eſt Salomo Haſtharthen Deam Sidoniorum, & Milchomum abominationem Hammonitarum. 6. Fecit Salomo quod diſplicuir Jehovæ, neque conſtanter Jehovam, quemadmodum David pater ejus, ſequutus eſt. 7. Tum etiam Salomo exſtruxit locum excelſum Chemoſo, abominationi Moabitarum, in monte, qui eſt è regione Jeroſolimæ, & Molocho abominationi Hammonitarum. 8. Sic fecit in gratiam omnium uxorum ſuarum alienigenarum, quæ ſufficiebanr & victimas mactabant Diis ſuis.

9. Itaque iratus eſt Jehova Salomoni, quia averſus erat animus ejus à Jehova Deo Iſraëlis, qui ei bis conſpectus erat, 10. præceptúmque dederar, hac de re, ne ſequeretur Deos alienos; at non obſervavit *Salomo* quod ei præceperat Jehova. 11. Dixit ergo Jehova Salomoni: quia hoc in te eſt, neque obſervaſti fœdus meum, inſtitutáque mea, quæ tibi mandavi, lacerabo regnum abs te & ſervo tuo dabo. 12. Attamen per vitam tuam hoc non faciam, proprer Davidem patrem tuum; id è manu filii tui diſcerpam. 13. Totum dumtaxat regnum non lacerabo, *ſed* tribum unam dabo filio tuo, propter Davidem ſervum meum & propter Jeroſolimam, quam elegi.

14. Poſtea excitavit adverſarium Jehova Salomoni, Hadadum Idumæum. Is erat ex prole regia, in Idumæa. 15. Cùm eſſet David in Idumæa, veniſſetque Joabus, dux exercitùs, ad ſepeliendos cæſos (nam in Idumæa mares omnes occiderat, 16. ſex quippe menſibus commorati illinc fuerant Joabus & totus Iſraël, donec in Idumæa maſculos omnes interfeciſſent) 17. aufugerat cùm ipſe Hadadus, tum viri Idumæi, è ſet-

5. *Sequutus eſt*] *Ivit poſt.*

Haſtarthen Deam Sidoniorum] עשתרת אלהי צדנים *Haſthoreth elohe Tſidonim.* Hîc una Dea vocatur *Dii* אלהים, quia Hebræi carent nomine fœminino Deæ, & plurali utuntur pro ſingulari. De hac Dea, vide not. ad Jud. II, 13.

Milchomum] מלכם *milchom.* Qui מולך *Molech*, aut *Moloch*, ut Veteres efferebant vocem, etiam dicitur. Ea nomina *Regem* ſignificant, ut בעל *Bahal*, dominum. Reverà quidem Deus, creator omnium rerum, *Rex* eſt & *Dominus*; verùm eò non videntur Hammonitæ aliique Idololatræ ſpectaſſe, ſed potiùs priſcum aliquem Regem conſecraſſe, quod apud multas Gentes factum eſt. Vide quæ de hoc rege collegit *Joan. Seldenus* de Diis Syris Synt. I. Cap. VI.

Abominationi Hammonitarum] Non quem abominabantur Hammonitæ, ſed Numen eorum Hebræis abominandum.

6. *Quod diſplicuit*] *Malum in oculis.*

Conſtanter ſequutus eſt] *Implevit poſt*, מלא אחרי *mille abhare.*

7. *Chemoſo*] לכמוש *lichmoſch.* Vide not. ad Num. XXI, 28.

E regione Jeroſolimæ] *Ad faciem Jeroſolimæ.* Mons Oliveti videtur ſignari, qui fuit è regione Templi. In gratiam uxorum hæc loca excelſa exſtrui juſſit, in quibus tamen ipſe Sacra feciſſe hîc non dicitur. Satis erat Hebræarum, quas ducere poſſet, & quæ inſanum & parum religioſum obſequium ab eo non poſtulaſſent.

8. *Sic fecit in gratiam omnium*] Itaque circa Jeroſolimam cernebantur aræ Diis vicinarum Gentium ſacræ; quod fuit longè turpiſſimum.

9. *Iratus eſt*] Improbavit factum, & de eo pœnas ſumere ſtatuit; quod ab hominibus ſine indignatione fieri non ſolet.

11. *Dixit Jehova*] Per Prophetam, indignus enim erat, cui Deus in viſione ſe ſic patefaceret.

In te eſt] *Tecum.*

Lacerabo] Patiar id fieri, quod molitur Jerobohamus (Vide vſ. 26. & ſeqq.) neque ſinam eum in facinore ſuo opprimi, aut anteverti à te, vel tuis.

12. *Per vitam tuam*] *In diebus tuis.*

Non faciam] Non patiar fieri. Vide not. ad 2. Sam. XII, 11.

13. *Tribum unam*] Judæ quidem & Benjaminis Tribum Robohamo dedit, ſed parva fuit Benjaminitica, & veluti appendix Tribûs Judæ multò potentioris. Vide infrà vſ. 30. & ſeqq.

Propter Davidem] Repetitur hoc, ut vel hinc conſtaret quanti Deus animum religioſum & ab omni Idololatria alienum faceret.

14. *Adverſarium*] שטן *ſchatan.* LXX. Intt. habent Σατὰν, quaſi Cacodæmon ſignificaretur, quod non eſt hujus loci.

Hadadum] הדד *Hadad*, quod LXX. Intt. legerunt הדר Ἄδερ.

E prole regia] *E ſemine Regis.*

In Idumæa] *Ille in Edom.*

15. *Cùm eſſet David*] Vide 2. Sam. VIII, 14.

Ad ſepeliendos cæſos] Hebræos, quorum aliquot occiderunt Idumæi, aut in prælio, aut aliter; ſepulturæ enim Idumæorum magnam curam non gerebat.

Mares omnes occiderat] Qui, nempe, in manus ejus inciderunt; nam Hadadus & alii aufugerunt, nec gens Idumæa exſtincta eſt. Non narratur cauſa ſupplicii, quod David de integra illa gente ſumſit, ſed graviſſimum flagitium fuiſſe oportet, & in quod conſenſerat tota gens Idumæa. Alioqui laudari non poſſet hoc Davidis factum. Imò credibile eſt eos *maſculos* intelligi, qui arma tuliſſent, nam pueros & infantes conſanguinei populi omnes mactari potuiſſe à Davide mihi non perſuadeo.

18. *E Madianitide*] Videtur מדין *Midian*, vel ea Madianitis intelligi, quæ erat ad ortum Lacûs Aſphaltitæ, de qua Num. Cap. XXV. Vicina erat Idumææ, illincque circumeundo per ſolitudinem Pharaniticam Idumæi tutò in Ægyptum pervenerunt.

Viros è Pharane] Aut Idumæos, qui in eam ſolitudinem victores Hebræos fugerant, aut duces viarum è Pharanitis.

Victum

ſervis patris ejus, unà cum illo, ut irent in Ægyptum. Hadadus autem parvulus erat
puer. 18. Cùm è Madianitide profecti eſſent, iviſſentque in Pharanem, & cepiſſent
ſecum viros è Pharane, pervenerunt in Ægyptum ad Pharahonem, qui dedit ei do-
mum, victum adtribuit, & agrum largitus eſt. 19. *Sed & poſtea* maximam gratiam
conſequutus eſt Hadadus apud Pharahonem, qui collocavit ei ſororem uxoris ſuæ, ſo-
rorem Thachpheneſæ Reginæ. 20. Peperit ei ſoror Thachpheneſæ Genubathum filium,
quem ablactavit Thachpheneſa domi Pharahonis, fuitque Genubathus domi Pharaho-
nis, inter ejus filios. 21. Cùm accepiſſet Hadadus, in Ægypto, obdormiiſſe Davidem,
cum Majoribus ſuis, & mortuum eſſe Joabum exercitûs ducem; tum verò Pharaho-
ni, dimitte me, inquit, & in ſolum meum *natale* ibo. 22. At Pharaho illi, num-
quid, inquit, tibi deeſt apud me, ut cupias ire in ſolum tuum *natale?* Nihil, inquit
ille, ſed dimitte me.

23. Excitavit etiam Deus ei adverſarium Rezonem, Eljadæ filium, qui ab Hadar-
hezere, Rege Tſobæ, domino ſuo fugerat. 24. Collegerat contra eum viros, fuerát-
que dux copiarum, cùm David Tſobæos occideret. Abierunt deinde Damaſcum, ubi
habitaverunt, & regnarunt. 25. Hoſtis fuit Iſraëlis, per totam Salomonis vitam, ac-
ceſsítque hoc malum ad id quod Hadadus *fecit*. Deteſtatus eſt Iſraëlem & regnavit
apud Aramæos.

26. Jerobohamus etiam Nebati filius, Ephraïmita Tſeredenſis (ejus matri nomen
fuit Tſeruhæ, eáque fuit mulier vidua) ſervus Salomonis manum ſuſtulit in Regem.

Victum adtribuit] לחם אמר לו *panem ei dixit.* LXX. Intt. ἄρτους διέταξεν. Vulgatus, *cibos conſtituit*; è menſa fortè regia.

Agrum largitus eſt] *Et terram dedit ei.* Ex agris regiis, nam apud Ægyptios, ut docet *Diodorus Siculus* Lib. I. p. 66. trifariam diviſa erat Ægyptus, in agros Sacerdotum, Regum & Militum. Miſericorditer & liberaliter ſe geſſit Rex Ægypti erga filium Regis vicini, qua in re vituperari nequit; cùm nullo jure eoſdem hoſtes ac Hebræi habere, aut in profugos & ſupplices ſævire neceſſe ei eſſet.

19. *Maximam gratiam* &c.] *Invenit gratiam in oculis Pharahonis valde.*

Thachpheneſæ Reginæ] תחפנים הגבירה. LXX. Intt. verterunt, ἀδελφὴν Θεκεμίνας μείζω. Meliùs Vulgatus: *Thaphnes reginæ*, nam גבירה *gebirah*, de regina conſtat dici.

20. *Genubathum*] גנבת *genubath*, quod nomen Ægyptiacúmne, an Idumæum fuerit neſcio, ſed Hebraïcè *furtum* ſignificat. Fortè ſic Hadadus filium vocavit, quòd in furtivo primum amore conceptus fuerit.

Ablactavit Thachpheneſa &c.] Solebant Veteres ablactationem liberorum ſuorum conviviis celebrare, ut conſtat ex Gen. XXI, 8. Ejuſmodi convivium videtur Reginæ ſoror in ipſa Regia celebraſſe, cùm præſertim puer eſſet unà cum liberis regiis educandus.

21. *Obdormiiſſe Davidem* &c.] Non tantopere timebat novum Regem, novúmque ducem, qui reverà nullum bellum geſſerunt.

Dimitte me &c.] Veniam abeundi petiit, ut initio regni Salomonis regnum patrium recuperaret.

22. *Numquid tibi deeſt*] כי מה *chi mah*, *nam quo tu indigens es mecum & ecce tu quæris ire* &c. Quamvis autem libenter Rex Ægypti Hadadum apud ſe retinuiſſet, ejus tamen cupiditati in patriam redeundi ceſſit; & copiis fortè adjuvit, ut regnum recuperare poſſet. Fortè & apud Salomonem generum gratiâ & auctoritate effecit, ut pateretur Hadadum in Idumæa regnare, quamquam ei inviſum. Certè niſi Hadadus proſperiore ſorte eſſet uſus, nullam Salomoni moleſtiam creaſſet.

23. *Ab Hadarhezere*] Videtur hîc Rezon primùm à Rege Tſobæ ad Davidem defeciſſe, deinde Damaſcum cùm abiiſſet, regnum illic occupaſſe; unde Salomoni moleſtus fuit, quamvis neſciamus qua in re ei nocuerit.

24. *Cùm David Tſobæos*] Vide 2. Sam. VIII, 3.

Regnarunt] ימלכו *jimlechou.* Habet Vulgatus: *conſtituerunt eum Regem*, hoc eſt, ימליכהו *jamlichouhou*, quod meliùs fortè eſt, unus enim regnavit.

25. *Per totam Salomonis vitam*] *Omnibus diebus Salomonis.* Non bellum quidem geſſit cum Salomone, ſed infenſum ei ſe ſe præbuit, quamvis Salomo, pacis amans, propterea bellum ei non intulerit.

Acceſſitque hoc malum ad id &c.] ואת הרעה אשר הדד *& cum malo illo quod Hadad.* Hic mutila eſt verſio LXX. Intt. attamen hæc verba hiſce videntur verti: αὕτη ἡ κακία ἣν ἐποίησεν Ἄδερ, quaſi legiſſent, aut legendum cenſuiſſent: זאת הרעה אשר עשה הדד *& hoc malum quod fecit Hader.* Vulgatus, *& hoc eſt malum Hadad.* Qui Hebraïcè ſciunt facilè intelligent hîc aliquid deeſſe; ſed conjecturâ ſuppleri nequit.

Deteſtatus eſt] ויקץ בישראל *vajjakats bejiſchraël.* Vide Levit. XX, 23. LXX. legerunt in Hiphil ויקץ *& moleſtiam creavit*, habent enim, ἐβαρυθύμησεν Ἰσραήλ. Vulgatus vertit, *& odium contra Iſraël.*

Apud Aramæos] על ארם *ſuper Aram.* LXX. qui hæc referunt ad Hadadum, habent ἐν γῇ Ἐδώμ, ſed Vulgatus: *in Syria.*

26. *Tſeredenſis*] מן הצרדה *è Tſereda.* LXX. Intt. legerunt צרירה *tſarirah*, habent enim Σαριρά.

Manum ſuſtulit in Regem] Eo vivo, res novas moliri conatus eſt; ſed cùm bene ei non ceſſiſſet, aufugit in Ægyptum. Itaque *manum tollere in Regem*, hîc eſt initium rebellionis facere; metaphorâ ductâ ab iis, qui quempiam ferire volunt.

27. Hæc autem cauſa eſt, cur manum in Regem ſuſtulerit. Salomo ædificabat Millo-
nem, claudebárque quod raptum erat *in muro* urbis Davidis patris ſui. 28. Cùm verò
Jerobohamus robuſtus ac ſtrenuus vir eſſet, vidiſſétque Salomo adoleſcentem opus fa-
cientem, eum præfecir omnibus, qui è domo Joſephi onera ferebanr. 29. Eo tempo-
re in Jerobohamum Jeroſolima egreſſum, in via, incidit Achija Silonita Propheta; cùm
ille indutus eſſet veſte novâ, ambóque eſſent ſoli ruri. 30. Tum verò arripuir Achija
veſtem novam, quâ ille indutus erat, eámque diſcidit in duodecim fruſta. 31. Dein
Jerobohamo, accipe tibi, inquit, decem fruſta; nam ſic dixit Jehova Deus Iſraëlis:
en ego diſcerpam regnum è manu Salomonis, dabóque tibi decem Tribus. 32. Una
Tribus ejus erit, propter ſervum meum Davidem, & propter Jeroſolimam, quam ex
omnibus Tribubus Iſraëlis elegi. 33. *Sic erga Salomonem me gero*, quia me deſeruerunt,
adorarúntque Haſtharthen Deam Sidoniorum, Chemoſum Deum Moabitarum & Mil-
chomum Deum Hammonitarum; nec inſtiterunt viis meis, ita ut facerent quod mihi
rectum videtur, inſtitutáque & jura mea obſervarent, quemadmodum David pater
ejus. 34. Totum tamen regnum è manu ejus non auferam, ſed principem eum patiar
eſſe, toto tempore ejus vitæ; propter ſervum meum Davidem, quem elegi, *&* qui
præcepta, inſtitutáque mea obſervabat. 35. Regnum auferam è manu filii ejus, eóque
te donabo, *ita ut* decem Tribus *habeas*. 36. Filium verò ejus donabo Tribu unâ, ut ſit
lucerna Davidi ſervo meo, per omne tempus, coram me Jeroſolimæ, quam urbem
elegi mihi, ut nomen meum illic collocarem. 37. Verùm te ſumam, regnabiſque pror-
ſus quemadmodum animus tuus cupit, & Rex Iſraëlis eris. 38. Si autem auſcultaris
iis omnibus, quæ tibi præcipiam, inſtiteriſque viis meis, & feceris quod mihi rectum
videtur, ita ur inſtituta, præceptáque mea obſerves, quemadmodum fecit David ſer-
vus meus; tum verò tibi adero, ædificabo tibi domum firmam, quemadmodum ædifi-
cavi Davidi, téque Iſraële donabo. 39. Propterea adfligam poſteros Davidis, *quod
hæc non fecerit Salomo*, ſed non in perpetuum. 40. Conatus eſt autem Salomo occidere
Jerobohamum, ſed ſurrexit ille & aufugit in Ægyptum ad Siſakum, Ægypti Regem,
illicque uſque ad mortem Salomonis commoratus eſt.
41. Reliquæ res geſtæ Salomonis, & quæcumque fecit, ſapientiáque ejus, annon
ſcripta

27. *Hæc autem cauſa eſt*] *Et hæc res, quâ ſuſtulit*. LXX. Intt. καὶ τοῦτο τὸ πρᾶγμα ὡς ἐπήρατο &c. Vulgatus: *& hæc eſt cauſa rebellionis*, prima occaſio cogitandi de rebus novis.

Millonem] Vide not. ad Cap. IX, 15.

Quod ruptam erat in muro] פרץ *pherets*. Collapſum fortè quid fuerat in muro, vox enim Hebraïca *rupturam* ſignificat, non ſpatium numquam muro antea cinctum. LXX. Intt. habent φραγμόν, Vulg. *voraginem*, ex conjectura.

28. *Cum verò Jerobohamus* &c.] *Et vir ille Jarobham fortis robore*.

Vidiſſétque Salomo &c.] *Et vidit Salomo adoleſcentem, quod faceret ille opus*, vel *cùm faceret*.

Omnibus qui è domo Joſephi &c.] ויפקד לכל סבל בית יוסף *& præfecit eum omni bajulationi domûs Joſephi*. LXX. Intt. סבל *ſebel* ἄρσεις verterunt, ſeu *onera*. Vulgatus, *tributa*. Sed intelligi videntur Benjaminitæ, qui onera ferebant ut lapides, & calcem, aliáque, ad ædificanda quæ Rex tum ædificari curabat. Vide Nehem. IV, 17.

29. *Eo tempore* &c.] *Et fuit illo tempore & Jarobham exiit è Jeruſalem & invenit eum Achija*.

Veſte nova] בשלמה *bſchalmah*. LXX. Intt. vertunt ἱματίῳ. Vulgatus, *pallium*. Verùm hoc potiùs מעיל *mehil* dicitur, ſed nomine generali veſtis ſignificari poteſt pallium. Nova veſtis fuiſſe dicitur, ob factum ſequens, ut intelligatur Propheta non temerè feciſſe quod fecit.

30. *Eamque diſcidit*] Symbolica hæc actio fuit, quâ futurum clariùs ſignificaretur, magiſque Jerobohamus adficeretur, & rem altiùs in animum demitteret, quàm ſi ſolâ voce eam prædixiſſet Achija. Vide infra C. XXII, 11. & 2. Reg. XIII, 18.

31. *E manu Salomonis*] Non ipſius, ſed ejus filii. Vide vſ. 34.

32. *Una Tribus*] Imò duæ, ſed Judæ Tribus ita Benjaminiticam viris, opibuſque ſuperabat; ut videretur hæc velut appendicula prioris, útque ſolius propemodum Judæ ratio haberetur.

Propter Jeroſolimam &c.] Quam ſedem regiam eſſe intererat, ne aliò divinus cultus tranſlatus corrumperetur.

33. *Deum Sidoniorum*] אלהי צדנין *Deos Sidoniorum*. Vide not. ad vſ. 5.

Mihi rectum videtur] *Rectum in oculis meis*.

36. *Tribu una*] Vide ad vſ. 32.

Ut ſit lucerna] Vide ad 1. Sam. XXI, 17.

37. *Prorſus quemadmodum* &c.] *In omnibus quæ cupiet anima tua*.

Rex Iſraëlis] *Supra Iſraëlem*.

38. *Ædificabo tibi domum firmam*] Vide not. ad 1. Sam. XXV, 28.

39. *Quod hæc non fecerit* &c.] Hæc, perſpicuitatis causâ, ſupplere coacti ſumus, quæ omnino ſubaudienda alioquin erant.

In perpetuum] *Omnibus diebus*.

40. *Conatus eſt autem Salomo*] *Et quæſivit Salomo interficere*. Quòd, nimirum, reſciviſſet quid ab Achija Silonita promiſſum ei eſſet.

Ad Siſakum] שישק *ſchiſchak*. LXX. Intt. habent Σουσακίμ, Vulgatus, *Seſak*. Hunc eumdem
eſſe

Digitized by Google

ſcripta ſunt in libro rerum geſtarum Salomonis? 42. Tempus autem, quo regnavit
Salomo Jeroſolimæ, in omnem Iſraëlem, fuit quadraginta annorum. 43. Obdormiit
Salomo, cum majoribus ſuis, ſepultúſque eſt in urbe Davidis patris ſui, & ejus loco
Robohamus filius ejus regnavit.

XII. Robohamus, Salomonis filius, populo onerum remiſſionem petenti, aſperè reſpondens à decem Tribubus deſeritur, quæ Regem ſibi conſtituunt Jerobohamum. Huic bellum inferre vetatur Robohamus. Sed Jerobohamus vitulos Dane & Bethele, in finibus regni, adorandos proponit.

1. ROBOHAMUS autem ſe contulit Sechemum, quia eò venerat univerſus Iſraël, Caput
ad eum Regem conſtituendum. 2. Cùm autem hoc accepit Jerobohamus, XII.
Nebati filius (is autem etiamnum erat in Ægypto, quia aufugerat è conſpectu
Salomonis Regis, & commoratus fuerat in Ægypto; 3. quò miſerunt *Iſraëlitæ*, ut
eum accerſerent) venerunt Jerobohamus, totúſque Iſraëlis cœtus, & Robohamum
hiſce verbis alloquuti ſunt: 4. pater quidem tuus grave jugum nobis impoſuit, tu verò
leva nos ſervitute durâ patris tui, jugóque gravi quod nobis impoſuit, & tibi ſervie-
mus. 5. Ille verò iis, abite, inquit, adhuc in triduum, tum redite ad me. Abiit
ergo populus, 6. & conſilium quidem habuit Rex Robohamus cum ſenibus, qui Salo-
moni patri ejus adſtiterant, dum eſſet in vivis; & quid, inquit, mihi auctores eſtis
ut huic populo reſpondeam? 7. Reſponderunt verò illi, his verbis: ſi hodie ſervus
fueris hujus populi, eis ſervieris, reſponderiſque iis ac blandis verbis eos alloquutus
ſis; tibi in perpetuum ſervi erunt. 8. Verùm omiſſo conſilio ſenum, quod ei dede-
rant, conſilium habuit cum adoleſcentibus, qui unà cum eo adoleverant, eique adſta-
bant, 9. & iis, quid, inquit, auctores eſtis ut reſpondeamus huic populo, qui me hiſ-
ce verbis alloqnutus eſt: leva nos jugo, quod pater tuus nobis impoſuit? 10. Adoleſ-
centes verò, qui unà cum eo adoleverant, hominem alloquuti ſunt, in hanc ſenten-
tiam:

eſſe ac celeberrimum illum *Herodoti Seſoſtrin*, exiſtimavit *Joſephus*, quod & multis probavit *Joannes Marshamus*, ad ſæculum Ægyptiacum XIV. quem vide. Scio eſſe, qui eum confutare aggreſſi ſint; ſed nituntur cùm aliis levibus conjecturis, tum prava interpretatione nominum Chaſluchæorum & Chaphthoræorum, quos faciunt Colchos & Cappadocas; quam coufutavimus ad Gen. X, 14. ubi oſtendimus ita vocatos Africæ populos Ægypto viciuos. Oportuit antem Siſakum, aliqua de cauſa, Salomoni infenſum fuiſſe, cùm Jerobohamo faveret; ſed quæ fuerit ea cauſa, tacente Hiſtoriâ, nemo diviuarit.

41. *Reliquæ res geſtæ*] *Reliquiæ verborum* &c.

In libro rerum geſtarum] Iutelliguntur Ephemerides confectæ ab iis qui vocabantur מזכירים *mazchirim*, de quibus 1. Sam. VIII, 16. ubi vide notata.

42. *Jeroſolimæ in omnem* &c.] Hæc dicuntur, quia qui poſtea Jeroſolimæ regnarunt, totius Iſraëlis Reges non fuerunt.

In Caput XII.

1. S*Echemum*] In Tribu Ephraïmitica. Cur autem ea urbs electa ſit, non ſatis liquet. Fortè qui occultè adverſabantur familiæ Davidis eò rem addnxerunt, ut illuc conveniretur; quaſi in urbem quæ erat iu mediis Populi Hebræi agris, ac proinde ceteris commodior; ſed reverâ ut liberiùs Robohamo obſiſtere poſſiut, quàm ſi Jeroſolimæ eſſent.

Ad eum Regem conſtituendum] Quamvis patribus ſuccederent filii, ſollemni tamen quodam populi couſenſu & inauguratioue Reges indigere credebantur.

3. *Quo miſerunt ut* &c.] *Et miſerunt & vocaverunt eum* &c. Qui noverant, nempe, Prophetiam Achijæ Silonitæ, eámque exſequutioni mandari cupiebant.

4. *Grave jugum nobis impoſuit*] *Grave fecit jugum noſtrum.* Onera populo impoſita colligi poterunt ex Cap. IV, 7, & ſeqq. Sed & alia præterea fortaſſis fuerunt. Attamen tanta hæc non erant, ſi attendamus neminem Iſraëlitam vectigalem fuiſſe, ut docemur C. IX, 22. Sed levis cauſa ſatis eſt rerum novarum cupidis, ad excutiendum etiam molle jugum.

6. *Adſtiterant*] *Stantes fuerant cum facie.*; hoc eſt, miniſtri, conſiliariique ejus fuerant.

Et quid, inquit, mihi &c.] *Quomodo vos conſilium datis, ad reddendum populo huic verbum?*

7. *Si hodie ſervus fueris*] Hoc eſt, majeſtatem tuam comiter toti populo Hebræo ſubmiſeris, téque nihil niſi ejus commodis ſervire velle oſtenderis; tum verò tibi, per totam vitam tuam, parebit. *Servitus*, quæ ſubeunda Robohamo proponebatur, comitatis erat, *ſervitus* verò populi neceſſitatis. Sic eodem nomine ſæpe res diverſiſſimæ vocantur, propter levem ſimilitudiuem.

Blandis verbis eos alloquutus ſis] *Verba bona ad eos loquutus ſis.*

9. *Quid, inquit* &c.] *Quid vos conſilii datis & reddemus verbum.*

tiam: ſic dices populo huic, qui te alloquutus eſt, his verbis: pater quidem tuus gravi jugo nos preſſit, tu verò eo nos leva; ſic, *inquam*, ei dicês: minimus meus *digitus* craſſior eſt lumbis patris mei. [11] Igitur cùm pater meus impoſuerit vobis jugum grave, jugum iſtud veſtrum ego augebo. Pater quidem meus caſtigavit vos ſcuticis, ego verò vos caſtigabo flagellis.

[12] Venit ergo Jerobohamus & populus omnis ad Robohamum, die tertio, prout eis dixerat Rex, his verbis: revertimini ad me, die tertio. [13] Reſpondit verò Rex populo durè, miſſóque conſilio, quod ei ſenes dederant, [14] alloquutus eſt eos, ex adoleſcentium conſilio, his verbis: pater quidem meus gravi jugo vos preſſit, ego verò augebo jugum iſtud veſtrum. Pater quidem meus vos ſcuticis caſtigavit, ego verò vos flagellis caſtigabo.

[15] Non auſcultavit igitur Rex populo, cauſa enim *ejus rei* erat à Jehova, ut præſtaret verbum ſuum, quod per Achijam Silonitam proloquutus fuerat apud Jerobohamum, Nebati filium. [16] At cùm vidiſſet totus Iſraël Regem ſibi non auſcultaſſe, reſpondit Regi, in hæc verba: quæ nobis pars in Davide? Nulla eſt poſſeſſio nobis in filio Jiſaïs. *Redi*, ô Iſraël, in tabernacula tua; tu verò, ô David, domui tuæ proſpice. *Quibus dictis*, Iſraël in ſua tabernacula abiit. [17] In Iſraëlitas verò, qui habitabant in urbibus Judæ, regnavit Robohamus. [18] Miſit tamen Rex Robohamus Adoramum, qui præerat tributis; at eum totus Iſraël lapidibus obruit, & mortuus eſt. Verùm Rex Robohamus, confirmato animo, conſcendit currum, ut aufugeret Jeroſolimam.

[19] Defecit ergo Iſraël à domo Davidis, *cui* ad hunc uſque diem *minimè paret.* [20] Cúm-

[10] *Minimus meus digitus* &c.] קטני עבה ממתני אבי *katonni babab mimmothne abi*. LXX. Intt. habent, ἡ μικρότης μου παχυτέρα τῆς ὀσφύος τοῦ πατρός μου. Vulgatus, *minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei.* Supplevit אצבע etsbah, *digitus*, quod & nos ſequuti ſumus, quaſi eſſet ſcriptum אצבעי הקטן *digitus meus parvus*. Proverbiale eſt loquendi genus, quo ſe patri multùm præfert Robohamus. Ut enim is, cujus digitus æquaret corpus ipſum alîus, multò majoris eſſet roboris: ſic auctoritatem ſuam paternæ ſtultè præfert.

[11] *Caſtigavit vos ſcuticis* &c.] Hîc opponuntur שוטים *ſchotim*, ut levioris ſupplicii inſtrumenta, τοῖς עקרבים *bakrubbim*, quaſi gravioris pœnæ infligendæ cauſâ inventis. LXX. Intt. prius μάστιγξι vertunt, poſterius σκορπίοις, & ſic Vulgatus habet *flagella & ſcorpiones*. Quæ qualia inſtrumenta fuerint cùm ignoremus, nos more Latino *ſcuticam* quaſi leviorem oppoſuimus ſæviori *flagello*, pro verbis illis Horatianis, Sat. Lib. I. Sat. III, 119.

Nec ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Ad quem locum vide Interpretes.

[14] *Ex adoleſcentium conſilio*] Neceſſe non erat quidquam addi, cùm hoc conſilium antea expoſitum fuerit. Sed antiqua ſtyli Hebraïci ſimplicitas repetitiones ejuſmodi non refugit; quales ſunt etiam, apud *Homerum*.

[15] *Cauſa ejus rei erat à Jehova*] סבה מעם יהוה *ſibbah mehim Jehova*. LXX. Intt. ἀποστροφὴ παρὰ Κυρίου, Vulgatus minùs bene: *averſatus fuerat eum Dominus*. Recentiores Hebræos ſequuti ſumus. Ut adoleſcentem ſuperbum ac ferocem à malo conſilio averteret Deus, impedire eum oportuiſſet ne conſilium æqualium ſuorum, ejuſdem ingenii ac erat ipſe, audiret. Itaque nullâ alia re opus fuit, ut laberetur hoc in negotio Robohamus, niſi ut indoli ſuæ ac æqualium ſuorum permitteretur; ex qua norat Deus nihil poſſe exſpectari, præter ſtolidum reſponſum. Juvenes, nimirum, exiſtimabant indignum facinus eſſe Salomonis filio, Davidis nepoti, leges regnandi à Populo Hebræo imponi; majeſtatémque regiam viliorem poſthac futuram, niſi ab initio regni eam revereri adſueſceret populus.

[16] *Quæ nobis pars in Davide*] Nihil ad nos pertinet Davidis familia. Vide ad 2. Sam. Cap. XIX, 43.

Domui tuæ proſpice] *Vide domum tuam*; hoc eſt, Tribum Judæ curato.

[17] *In Iſraëlitas* &c.] *Et Iſraëlitæ —— regnavit in eos.*

[18] *Qui præerat tributis*] אשר על המס *qui ſuper tributo*. Vide Cap. IV, 6. Imprudens hoc quoque factum fuit, quia inviſi eſſe ſolent plebi quicumque tributa, aut eorum loco operas exigunt.

Confirmato animo] *Confirmavit ſe ad conſcendendum currum*; hoc eſt, non mutavit ſententiam, nec animum prorſus deſpondit, ſed copias collecturus Jeroſolimam ſe contulit.

[20] *Præter Tribum Judæ*] Benjaminis Tribus, propter tenuitatem, non memoratur. Sed mirum eſt Danitas etiam & Simeonitas, quorum agri cincti fermè erant Tribûs Judæ agris, & ab Iſraëlitis, qui ad ſeptemtriones Benjaminis habitabant, ſeparati erant, familiæ Davidicæ non paruiſſe.

[21] *Robohamus quidem* &c.] *Et venit Rechabham Jeruſalem & congregavit.*

[22] *Virum divinum*] *Virum Dei.*

[24] *Ne expeditionem ſuſcipiatis*] *Ne adſcendatis.*

Res enim à me profecta eſt] Ne crederent temerè & improbante Deo, rem contigiſſe; non ſine ſingulari ſua providentia, factam ſignificat.

[25] *Condidit Sechemum*] Hoc eſt, inſtauravit & munivit.

Phenuelem condidit] Urbs fuit ad ortum Jordanis, ad Jabbokum torrentem ſita. Vide Gen. XXXII, 30 & Jud. VIII, 8, 17. Duas igitur munijt urbes, unam ad ortum Jordanis Phenuelem,

20. Cúmque audiviſſent omnes Iſraëlitæ rediiſſe Jerobohamum, miſerunt qui eum ac-
cerſerent ad cœtum, conſtituerúntque eum toti Iſraëli Regem; nec fuit poſtea domui
Davidis *quidquam*, præter Tribum Judæ ſolam.
21. Robohamus quidem Jeroſolimam redux convocavit totam domum Judæ, & Tri-
bum Benjaminis, *ex quibus* centum octoginta millia lectorum militum *confecit*; qui bel-
lum inferrent domui Iſraëlis, ut Robohamo, Salomonis filio, regnum reſtituerent.
22. Sed alloquutus eſt Deus Semajam, virum divinum, his verbis: 23. dic Roboha-
mo, Salomonis filio, Regi Judæ, totique domui Judæ & Benjaminis, ac reliquo po-
pulo: 24. ſic dixit Jehova: ne expeditionem ſuſcipiatis, néve bellum geratis cum
Iſraëlitis fratribus veſtris, *ſed* revertimini quiſque domum; res enim à me *profecta* eſt.
Audito verò verbo Jehovæ, redierunt ut abirent, prout dixerat Jehova.
25. Condidit verò Jerobohamus Sechemum, in montanis Ephraïmi, idque incoluit;
unde poſtea egreſſus Phenuelem condidit. 26. Tum dixit apud ſe Jerobohamus: re-
diret nunc regnum ad familiam Davidis, 27. ſi populus hic, ſacrorum faciendorum
cauſa, iret ad Ædem Jehovæ, quæ eſt Jeroſolimæ. Reconciliaretur animus hujuſce po-
puli cum domino ſuo, Robohamo Rege Judæ, méque interficeret rediturus ad Robo-
hamum Judæ Regem. 28. Rex ergo, inito conſilio, fecit duos vitulos aureos, dixit-
que Iſraëlitis: nimium eſſet vos ire Jeroſolimam; en Deum tuum, ô Iſraël, qui te ex
Ægypto eduxit. 29. Deinde unum eorum Bethele collocavit, alterum verò Dane ſtatuit.
30. Quæ res in peccatum induxit *Iſraëlem*, populus *enim* in conſpectum unius Danem uſque ſe
contulit. 31. Fecit etiam Ædem in excelſis locis, conſtituitque ſacerdotes ex plebe *homines*,
qui

lem, alteram ad occaſum Sechemum, quibus duas illas Iſraëlitici populi partes in officio contineret.

26. *Apud ſe*] *In corde ſuo.*

27. *Reconciliaretur animus*] *Rediret cor populi hujus ad dominos ſuos.*

Méque interficeret rediturus] *Et interficerent & redirent.*

28. *Duos vitulos aureos*] Dubium non eſt quin hiſce vitulis eadem origo fuerit, quæ Aharonis vitulo. Cùm enim Jerobohamus vixiſſet in Ægypto, ubi vituli colebantur, illinc imagines haſce ſibi deſumendas putavit. Vide ergo quæ diximus ad Exod. XXXII, 4. Hi *vituli* vocantur Hoſ. X, 5. עגלות *heglotb*, vitulæ & apud LXX. Intt. δύο δαμάλεις χρυσᾶς, ut etiam habet *Joſephus* Lib. VIII. c. 3. Quod contemtûs causâ factum putant, cùm alioquin Hebræi nullam vocem habeant quâ Deas dicant. Vix crediderim, quamvis rei rationem comminiſci nequeam.

Nimium eſſet vos ire] רב לכם מעלות *rab lacbem mehaloth*, multum vobis ab adſcendendo. Verum eſt hanc loquutionem alibi ſignificare, *ſatis eſt*, ut Num. XVI, 3, 7. Sed hoc in loco malim, propter conſtructionem, aliter vertere, quaſi dicat Jerobohamus: *nimius eſt vobis labor, quàm ut adſcendatis Jeroſolimam*, רב לכם עמל מעלות. Sic Ezechiel. XLIV, 6. רב לכם מכל תועבותיכם *multum vobis ab omnibus abominationibus*, hoc eſt, *nimiæ ſunt omnes abominationes veſtræ*. Ac ſanè מ ante Infinitivos ſæpe ſignificat *quàm ut*, cujus rei exempla ſuppeditabit *Chr. Noldius* ad ſignif. XXVI. hujus particulæ, notâ β. Hæc obſtant quominùs cum *Sam. Bocharto* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 34. vertam, *ſufficit vobis hactenus adſcendiſſe Jeroſolimam*. Alioqui prava non eſt ſententia, nec repudianda, niſi conſtructio obſtaret.

En Deum tuum, ô Iſraël &c.] הנה אלהיך אשר העלוך, *en Deos tuos, qui te adſcendere fecerunt*. Sed vertimus numero ſingulari, ob rationes allatas ad Exod. XXXII, 4. ubi hæc verba interpretati ſumus. Nec putandum eſt, quia duo erant vituli Jerobohami, ideò duos intelligi Deos; erant enim ſimulacra unius ejuſdémque Numinis, quæ ſeorſim ei conſecrata ſunt.

Bethele collocavit] Quæ urbs cùm eſſet in Tribu Ephraïmi, poterat incolas ejus agrorum, qui Benjaminiticis erant vicini, retinere, ne Jeroſolimam irent: quemadmodum Dan ſeptemtrionalis oræ incolas ad ſe alliciebat. Sic Tribubus cis & trans Jordanem Idololatriæ committendæ occaſionem præbuit.

30. *In peccatum induxit*] *Fuit hæc res peccato*, vel *in peccatum*. Non videtur peccatum hoc in eo ſitum fuiſſe, quòd Deos alienos colerent; docuerat enim Jerobohamus hæc ſimulacra eſſe Dei, à quo fuerant Iſraelitæ Ægypto educti. Qua in re Aharonem imitatus eſt. Peccatum eſt in Legem, quia Deus ſub forma corporea colebatur, quod vetuerat Exod. XX, 4. & damnaverat in Aharonis facto; ita ut Hebræi, hac in re, præ ignorantia, peccare non poſſent.

Danem uſque ſe contulit] Hoc intelligendum de remotioribus etiam Tribubus, nam de vicinis notari nihil intererat. Sed quam ob ſuperſtitionem Danem, potiùs quàm Bethelem, ſe conferrent non conſtat.

31. *Ædem in excelſis locis*] בית במות *Ædem excelſorum*; hoc eſt, ſacellum, aut ſacella in locis editis Betheli vicinis. Quod etiam contra Legem, Levit. XXVI, 30. LXX. Intt. habent οἴκους ἐφ' ὑψηλῶν, Vulgatus, *fana in excelſis*, quaſi legiſſent בתי הבמות ut Cap. XIII, 32. quod fortè melius.

Ex plebe homines] מקצות העם *ex extremitatibus plebis*. Sed מקצות *mikkeſotb* perinde eſt ac מ, ut liquet ex Geneſ. XLVII, 2. ubi vide dicta, ut & *Sam. Bochartum*, capite antea laudato. LXX. Intt. habent μέρους τι ἐκ τοῦ λαοῦ, Vulgatus, *de extremis populi*. Significantur quivis Iſraëlitæ, præter Levitas, & ex Levitis quidem ſtirpem Sacerdotalem. Hinc quoque colligere eſt Jerobohamum, ſub imagine vituli, non ſecus ac Aharon fecerat, voluiſſe Deum verum colere; alioqui Scriptor Sacer ei non expro-
braſ-

qui non erant è Levitis. 32. Celebravit quoque Jerobohamus feſtum, menſe octavo,
decimoquinto die menſis, quale celebratur apud Judam, & in altari *victimas* obtulit.
Sic fecit Bethele, mactando vitulis quos fecerat, conſtituitque Bethele Sacerdotes ex-
celſorum locorum, quæ exſtruxerat.

XIII. Dum Jerobohamus ſacra facit adeſt Propheta, qui in altare ejus vaticinatur, cúmque Jerobohamus manum in eum porrigeret, exareſcit, curatúrque precibus Prophetæ. Is cibum, Dei juſſu, capere renuit, ſed deceptus ab alio Propheta cibum capit, & à leone domum rediens occiditur, ſepelitúrque juxta viam. Nec tamen Jerobohamus ad ſaniorem mentem redit.

33. CUM autem offerret *victimas* in altari, quod fecerat Bethele, decimo quinto
die menſis octavi, menſe quem animo commentus erat, cúmque celebraret
CAPUT XIII. feſtum Iſraëlitarum causâ, & imponeret altari quod ſuffiret; 1. ecce virum
divinum, qui advenerat ex Juda, juſſu Jehovæ, Bethelem, dum Jerobohamus ſtaret
ad altare adolendi ſuffitûs gratiâ; 2. *is* exclamavit contra altare, juſſu Jehovæ, & dixit:
ô altare, ô altare, ſic dixit Jehova: en naſcetur domui Davidis filius, cui nomen erit
Joſiæ, & qui ſuper te mactabit Sacerdotes excelſorum locorum, qui ſuffitum in te ob-
tulerint, & oſſa humana in te comburet. 3. Simul edidit die illo portentum dicens:
hoc erit portentum, quod *futurum mihi* dixit Jehova; en altare findetur, ciniſque qui
ſuper eo eſt, ſpargetur. 4. Cùm verò audiſſet Rex verba viri divini, quæ magnâ vo-
ce protulerat contra altare, quod erat Bethele, exſeruit manum Jerobohamus ab alta-
ri, dum diceret: eum capite. At manus ejus, quam in eum exſeruerat, exaruit, nec
potuit eam ad ſe retrahere. 5. Altare interea fiſſum eſt, ſparſúſque cinis ex altari,
portento quod vir divinus juſſu Jehovæ ediderat. 6. Tum verò reſpondit Rex, & vi-
ro divino, deprecare, quæſo, inquit, Jehovam Deum tuum, eúmque mihi exorato,
ut

braſſet, quòd Levitas non adhibuiſſet nt Sacerdotes agerent Deorum alienorum, quibus ſacra facere ipſi nolniſſent, nec fas habebant.

32. *Feſtum menſe octavo*] Celebrabatur Jeroſolimæ menſis ſeptimi decimo quinto die feſtum Tabernaculorum, de qno Levit. XXIII, 33. & ſeqq. 39. & ſeqq. Eo feſto & collectio fructuum & liberatio ex Ægyptiaca ſervitute celebrabantur. Feſtum ſimile conſtituit Jerobohamns uno menſe ſeriùs, vel quòd fructus ſeriùs colligerentur in ſeptemtrionalibus Chananææ oris, ſeu ut remotiorum agrorum incolis tempus paullò majus ſuppeteret. Volebat etiam, ut videtur, hoc ſuo feſto celebrari liberationem ex Ægyptiaca ſervitute; quandoquidem vitulos ſuos poſtulabat haberi ſimulacra ejus Dei, qui Iſraëlitas illinc eduxiſſet.

Mactando vitulis] לזבח לעגלים *ad mactandum vitulis*. Non is quidem erat Jerobohami animus, mactare maſſis illis aureis, in formam juvencorum conflatis; quaſi conſpicuam illam materiam, quam liquefecerat, putaſſet eſſe ipſum Deum. Sed ita factum ejus interpretabantur veri Dei cultores, qui probè norant Deo ejuſmodi cultum acceptum non eſſe, ac proinde eum non magis eo cultu propitiari, quàm ſi Religio metallum ipſum reſpexiſſet. Non tantùm vult coli Deus, ſed etiam ut par eſt, útque juſſit. Duo ſunt genera Idololatriæ, quorum unum, quale fuit quod Jerobohamus admiſit, ſitum eſt in colendo perversè vero Deo; alterum verò in colendis iis, qui non ſunt Dii. Poſterius quidem deterius eſt, ſed prius minimè etiam Deo eſt gratum.

33. *Quem animo commentus erat*] Eſt in contextu מלבד, ſed rectè Maſſorethæ notarunt legendum, מלבו *millibbo*, nam LXX. Intt. habent ἀπὸ καρδίας αὐτοῦ, Vulgatus, *de corde ſuo*. Opponitur hoc Legi à Deo inſtitutæ, quæ menſe uno citiùs celebrari feſtum jubebat, & quidem in loco ab eo electo, Levit. XII, 11.

Imponeret altari quod ſuffiret] ויעל על המזבח להקטיר *& faceret adſcendere ſuper altare ad ſuffiendum*; quæ intelligenda de munere farreo, de qno Levit. II, 1, 2. Verbum יעל *jabal* hîc eſt Futurum conjugationis Hiphil, ut prima voce hujus commatis & Gen. VIII, 2. Incommodè LXX. Intt. ἀνέβη ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τοῦ ἐπιθῦσαι, & Vulgatus: *adſcendit ſuper altare, ut adoleret incenſum*. Nemo nnquam adſcendit ſuper altare, nt adoleret incenſum.

In CAPUT XIII.

1. *Virum divinum*] *Virum Dei*, hoc eſt, Prophetam, nt paſſim.

Juſſu Jehovæ] בדבר יהוה *in verbo Jehovæ*. Vide & vſ. 18.

2. *Naſcetur domui Davidis* &c.] Vide 2. Reg. XXIII, 15. & ſeqq. Inſignis hæc fuit prophetia, pluſquàm trecentis quinquaginta annis poſtea implenda, nec ulla tamen obſcuritate laborans, cùm addatur etiam nomen Regis Joſiæ. Cùm autem tam ſerò eventum ſortita ſit, potuiſſet interea falſus Propheta haberi, niſi contigiſſent quæ ſequuntur.

3. *Hoc erit portentum*] Ut præſenti miraculo fidem faceret vaticinio nondum implendo.

4. *Exſeruit manum ab altari*] Manum, quam porrexerat ad altare, ut munus farreum adoleret,

Digitized by Google

ut manus mea mihi reſtituatur. Deprecatus eſt itaque vir divinus Jehovam, & manus
quidem Regis ei reſtituta eſt, fuitque ut antea.
7. Poſtea Rex viro divino, ingredere, inquit, mecum domum, fulci te *cibo*, &
te munere donabo. 8. At vir divinus Regi, ſi dares, inquit mihi, dimidiam domûs
tuæ partem, tecum non ingrederer, neque comederem panem, aut biberem aquam in
hoc loco. 9. Sic enim mihi præcepit, cùm me alloquutus eſt Jehova, his verbis:
non comedes panem, neque bibes aquam, neque reverteris per viam, per quam ive-
ris. 10. Itaque abiit aliâ viâ, neque reverſus per viam, per quam Bethelem ive-
rat. 11. Erat verò ſenex quidam Propheta, qui Bethele habitabat, ad quem venit
filius, qui ei narravit quidquid fecerat eo die vir divinus Bethele, & verba quæ dixe-
rat Regi. *Hæc omnia filii* patri ſuo narrarunt. 12. Pater verò illis, quænam eſt, in-
quit, via, quâ ille abiit? Oſtenderunt itaque filii ejus viam, quâ vir ille divinus,
qui venerat è Juda, abierat. 13. Tum filiis, ſternite, inquit, mihi aſinum. Strave-
runt illi aſinum, cui ille inſedit. 14. Tum ſequutus virum divinum eum invenit ſe-
dentem ſub quercu, eique, an tu es, inquit, vir divinus, qui è Juda veniſti? Sum
verò, inquit ille. 15. *Alter*, veni, inquit, mecum domum & panem comede. 16. Non
poſſum, inquit ille, tecum reverti, aut ire tecum; neque panem comedam, aut bi-
bam aquam, hoc in loco, tecum. 17. Nam cùm me alloqueretur Jehova, mihi dixit:
non comedes illic panem, non bibes aquam; nec reverteris, ita ut venias per viam,
per quam iveris. 18. *Alter verò*, ſum, inquit, etiam ego Propheta inſtar tui, &
Angelus me alloquutus eſt, juſſu Jehovæ, his verbis: reducito eum tecum domum tuam,
comedátque panem & bibat aquam. *At* illi mentitus eſt. 19. Rediit igitur cum illo,
domique ejus panem comedit & aquam bibit. 20. Cùm autem adſiderent menſæ, al-
loquutus eſt Jehova Prophetam, qui hominem reduxerat. 21. Is verò magnâ voce
alloquutus eſt virum divinum, qui è Juda venerat, his verbis: ſic dixit Jehova, quia
immorigerus fuiſti imperio Jehovæ, nec obſervaſti præceptum, quod tibi dederat Je-
hova Deus tuus; 22. ſed reverſus es, ac comediſti panem, bibiſtique aquam in loco,
in quo vetueram te comedere panem, ac bibere aquam; cadaver tuum in ſepulcrum
Ma-

ret, porrexit in Prophetam, ut oſtenderet quem capi juberet.

Exaruit] Subitâ paralyſi correpta eſt, ita ut ea ampliùs uti non poſſet.

Ad ſe retrahere] Non quaſi rigida manſerit, & porrecta, ſed quia concidit, nec eam poſtea attollere potuit. Nam membra *ſicca* dicuntur, quæ paralyſi & atrophiâ laborant. Vide Matth. XII, 10. Luc. VI, 6.

6. *Deprecare Jehovam*] *Deprecare faciem Jehovæ*, quæ eſt periphraſis, quâ ipſe Deus ſignificatur.

Manus quidem Regis] *Rediit manus Regis ad eum.*

7. *Fulci te cibo*] סעדה *ſohadah.* Quod verbum uſurpatur de cibo, ut Judic. XIX, 5, 8. Pſ. CXIX, 117.

9. *Cùm me alloquutus eſt Jehova*] *In verbo Jehovæ, dicendo.*

Non comedes &c.] Ne ullum amicitiæ ſignum Idololatris exhiberet, dum iis Dei indignationem nunciaret.

Neque reverteris &c.] Videtur hoc Deus præcepiſſe, ne Jerobohamus homines mitteret qui eum retraherent; fortè enim iturus erat per breviſſimam & frequentiſſimam viam, per quam rediens facilè excipi potuiſſet.

11. *Quidquid fecerat*] *Omne opus quod fecerat.*

16. *Non poſſum*] Mihi non licet.

17. *Nam cùm me alloqueretur*] *Nam verbum ad me, in verbo Jehovæ* &c.

18. *At illi mentitus eſt*] Vix crediderim malo animo factum, ſed potiùs ut feſſum ac eſurientem Prophetam recrearet. Non putabat hominem credulitatis ſuæ tam graves Deo pœnas daturum.

19. *Rediit igitur cum illo*] Temerè credidit ei, quem Prophetam putabat; ſed cùm eſſent multi Pſeudo-prophetæ, qui fallere poterant; aut ſignum fuit ab eo petendum, ex quo veritas rei conſtaret: aut preces ad Deum fundendæ, ut quid fieri vellet oſtenderet. Deus, aut Angelus ejus nomine, qui mandata ei dederat, ſolus ea revocare poterat. Alioqui mandatorum veris Prophetæ datorum exſequutio à quovis, qui ſe Prophetam fingebat, pependiſſet. Impoſtor quivis, nomine Dei, potuiſſet vetare ne Propheta ea exſequeretur. Sed cùm Propheta revelationem à Deo accepiſſet, credere ſibi potiùs quàm aliis debebat, donec revocata mandata certiùs conſtaret.

20. *Cùm autem adſiderent menſæ*] *Et fuit, illi ſedentes ad menſam, & fuit verbum* &c.

Alloquutus eſt Jehova] Deus pœnas illi denunciavit per eum ipſum, à quo deceptus fuerat, ut graviùs plecteretur; nihil enim majorem creat dolorem, quàm ubi illi ipſi, qui nos deceperunt, ſtultam credulitatem nobis exprobrant. Hinc tamen videmus Prophetas minimè per omnia leges divinas obſervaſſe, quandoquidem hic Propheta alteri mentitus fuerat, ſuaſerátque mendacio ne Deo pareret.

21. *Immorigerus fuiſti*] *Rebellis fuiſti ori Jehovæ.*

22. *Cadaver tuum* &c.] Quamvis in alieno ſepulcro, aut ſolo ſepeliri pœna non ſit, ſi res in ſe ſpectetur; attamen cùm hoc pœnæ loco haberent vulgò homines, Deus etiam eâ ratione eos terrebat, continebátque in officio. Sed ſub his verbis acrior pœna latebat, quam Deus ſtatim non patefecit.

Majorum tuorum non ingredietur. 23. Poſtquàm verò comediſſet panem & bibiſ-
ſet, ſtravit *Bethelenſis* aſinum Prophetæ, quem reduxerat, 24. qui abiit; at in illum
incidit leo in via, qui hominem occidit. Cadaver ejus projectum erat in viam, aſi-
núſque & leo juxta conſtiterant. 25. Poſtea tranſierunt *illac* viri, qui viderunt cada-
ver projectum in viam, & leonem juxta cadaver conſiſtentem; venerúntque & narra-
runt *quod viderant* in urbe, in qua ſenex ille Propheta habitabat. 26. Audivit ergo
hæc Propheta, qui hominem è via reduxerat, &, vir eſt, inquit, ille divinus, qui
imperio Jehovæ immorigerus fuit, quamobrem eum Jehova tradidit leoni; qui eum
confregit & occidit, prout Jehova ei dixerat. 27. Tum filiis ſuis, ſternite, inquit,
mihi aſinum. Eum verò ſtraverunt, 28. abiitque & invenit cadaver projectum in
viam, aſinúmque & leonem juxta conſiſtentes; neque voraverat leo cadaver, aut aſi-
num diſcerpſerat. 29. Suſtulit ergo Propheta cadaver viri divini, idque impoſuit aſi-
no & avexit, venitque in urbem ſenis illius Prophetæ, ut eum lugeret ac ſepeliret.
30. Condidit autem cadaver ejus ſepulcro ſuo, eúmque luxerunt, *dicentes*, heu! fra-
ter mi. 31. Poſtquàm verò ſepultum fuiſſet, *Bethelenſis* filiis ſuis, cùm mortuus fue-
ro, inquit, ſepelite me in ſepulcro, in quo vir divinus eſt ſepultus, & juxta oſſa ejus
ponite oſſa mea; 32. continget enim quod magnâ voce protulit, juſſu Jehovæ, contra
hoc altare quod eſt Bethele, & contra Templa excelſorum locorum, quæ ſunt in ur-
bibus Samariæ.

33. Poſtquàm hoc contigiſſet, non reverſus tamen eſt Jerobohamus ex via ſua pra-
va; ſed iterum ex plebe conſtituebat Sacerdotes excelſorum locorum, & quiſquis vo-
lebat eum conſecrabat, erátque *deinceps inter* Sacerdotes locorum excelſorum 34. Fuit
ergo, hac in re, *cauſa* cur peccaret domus Jerobohami, & cur *Deus* eam exſcinderet,
delerétque è terris.

XIV. Je-

21. *Stravit Bethelenſis*] *Et ſtravit ei aſinum, prophetæ quem reduxerat.*

24. *Aſinúſque & leo* &c.] Hinc liquebat leonem immiſſum à Deo, ea ſola de cauſa, ut Prophetam interficeret; quoniam nec cadaver ejus vorabat, nec aſinum adgrediebatur. Feræ enim minimè famelicæ nocere non ſolent.

25. *Poſtea tranſiverunt illac* &c.] *Et ecce viri tranſeuntes & viderunt.*

In urbe, in qua ſenex ille &c.] Bethele. Vide vſ. 11.

26. *Imperio Jehovæ immorigerus* &c.] *Rebellavit in os Jehovæ.* Hæc fuit unica cauſa, cur tam ſeveras pœnas dediſſet; ne alii Prophetæ mandata ſibi à Deo data negligerent, aut ſe paterentur à Pſeudo-prophetis deludi. Quod ſi factum vulgò fuiſſet, non parum Prophetiæ. auctoritas minuta eſſet, animique Hebræorum conturbati, & procliviores ad Idololatriam facti.

Prout Jehova ei dixerat] Non minatus quidem erat mortem violentam, ſed in patrio ſolo ſepultum non iri, quod jam implebatur. Styli ſimplicitas nos omnia ad vivum reſecare non patitur.

30. *Luxerunt*] Pater & filii, Bethelenſéſque fortè aliquot Dei timentes.

Heu! frater mi] Formula, quâ amici amicos lugebant. Vide Jerem. XXII, 18.

31. *Sepelite me in ſepulcro* &c.] Ipſius quidem erat ſepulcrum, in quo Propheta è Tribu Judæ ſepultus erat; ſed timebat ne fortè aliò transferrentur oſſa ſua, néve miſta oſſibus Sacerdotum Jerobohami cum iis comburerentur.

32. *Continget enim* &c.] Poterat hoc facilè intelligi, cùm ex miraculis à Propheta editis, tum etiam ex ejus morte.

Contra Templa excelſorum] Diſertè quidem hoc non dixerat Propheta, ſi ea tantùm verba protulit, quæ habentur vſ. 2. ſed facilè poterat ex iis quæ illic dicuntur colligi, & fortaſſe plura à Propheta dicta erant.

Quæ ſunt in urbibus Samariæ] שמרון *Schomron*, quâ voce intelligitur hic regnum, cujus metropolis fuit poſtea שמרון *Schomron.*

33. *Sed iterum ex plebe*] *Sed rediit & fecit ex extremitatibus populi.*

Et quiſquis volebat] *Et volens implebat manum ejus*, hoc eſt, jure ac poteſtate ſacerdotali inſtruebat. Vide ad Exod. XXVIII, 41.

Inter Sacerdotes] Eſt tantùm כהני *chohane.* Sed videtur omiſſum מ, ut ſit pro מכהני *micchohane*; niſi legendum ſit כהן *chohen*, Sacerdos.

34. *Cauſa cur peccaret domus* &c.] לחטאת בית *in peccatum domûs*; hoc eſt, familiam ſuam ad Idololatriam committendam adduxit.

Et cur Deus eam exſcinderet] ולהכחיד *& ad faciendum eam exſcindere*; nempe, à juſtitia cœleſti. Sed τὸ ל hîc ſignificat eventum, non finem & conſilium Jerobohami.

In CA-

XIV. Jerobohamus, ægrotante filio, mittit uxorem ad Achijam Prophetam, de ejus valetudine eum conſulturam, Achija ei idololatriam exprobrat, pœnáſque denunciat. Moritur puer, nec multò poſt Jerobohamus. Robohamus non religioſiùs erga Deum ſe gerit. Quare à Deo traditur Siſacho Ægyptiorum Regi, qui theſauros Templi diripit. Robohami mors, cui ſuccedit Abijamus.

1. EO tempore in morbum incidit Abija, Jerobohami filius, 2. dixitque uxori ſuæ CAPUT
Jerobohamus: ſurge, quæſo, & muta *veſtes tuas*, ne ſciant te eſſe Jerobohami XIV.
uxorem, atque ito Siluntem, ubi habitat Achija Propheta; qui de me prædixit,
fore ut Rex hujus populi fierem. 3. Sumes autem in manum tuam decem panes &
placentas & lagenam mellis, & ad illum ibis; aperiétque tibi ille quid puero futurum
ſit. 4. Ita ſe geſſit uxor Jerobohami; ſurrexit, abiitque Siluntem & ivit domum Achi-
jæ, qui non poterat videre, quia præ ſenectute caligabant ejus oculi. 5. Tum verò Je-
hova Achijæ, en, inquit, uxorem Jerobohami, quæ venit, ut rem à te ſciſcitetur,
de filio ſuo, quia in morbum incidit; eam autem hoc modo (*quem expreſſit Deus*) al-
loquêris. 6. Cùm autem ingrederetur, ſéque aliam ſimularet, 6. ubi audivit Achija
ſtrepitum pedum ejus ad oſtium venientis, ingredere, inquit, uxor Jerobohami, qua-
re eo modo te aliam fingis? Ego verò ad te miſſus ſum, *ſed* dura *nunciaturus*. 7. Ito
& dicito Jerobohamo: ſic dixit Jehova, Deus Iſraëlis; cùm te ſublimem e media ple-
be extulerim, conſtituerim te populi mei Iſraëlis ducem, 8. laceraverim regnum è do-
mo Davidis, eóque te donaverim; non fuiſti *tamen* inſtar ſervi mei Davidis, qui præ-
cepta mea obſervavit, & me toto animo ſuo ſequutus eſt, ut id tantùm faceret quod
rectum mihi videtur. 9. Deteriùs te geſſiſti omnibus, qui ante te fuerunt, feciſtique
tibi Deos alienos & conflatiles, ut iram meam moveres, ac me poſt tergum tuum je-
ciſti. 10. Propterea en malum adducam in domum Jeroboami, exſcindámque Jerobo-
hamo *vel* mingentem in parietem, clauſum, & neglectum in Iſraële. Auferam poſte-
ros domûs Jerobohami, ut aufertur ſterquilinium, donec, totum ſublatum ſit.
11. Eum qui morietur domui Jerobohami, in urbe comedent canes, & qui morietur
ruri, eum aves cœli vorabunt; quia loquutus eſt Jehova. 12. Tu verò ſurge, ito do-
mum tuam; cùm pedes tui urbem ingreſſi fuerint, morietur puer. 13. Lugebunt eum
omnes Iſraëlitæ, ſepeliéntque; is enim ſolus *ex poſteris* Jerobohami ſepulcro condetur,
quia in eo inventum eſt aliquid boni, erga Jehovam Deum Iſraëlis, in familia Jero-
bo-

In CAPUT XIV.

2. U*Bi habitat Achija*] *Ecce ibi Achijah*.

Fore ut Rex hujus populi &c.] למלך *lmelech*, *in Regem*, ſubaudi כי אהיה *chi ehjeh*, quòd futurus eſſem.

3. *Decem panes* &c.] Munuſculum Prophetæ de more offerendum. Vide 1. Sam. IX, 7.

4. *Caligabant*] קמו kamou, *ſtabant*. LXX. in Alexandrino Codice, ἠμβλυώπησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ, Vulg. *caligaverant ejus oculi*.

5. *Cùm autem ingrederetur*] *Et fuit cùm ingrederetur* —— *& fuit cùm audiret*.

6. *Dura nunciaturus*] קשה *kaſchah*. Subaudi מגיד maggid, *nuncians*, aut ſimile quiddam.

8. *Ut id tantùm faceret quod rectum mihi videtur*] *Rectum in oculis meis*. Hæc ſunt intelligenda de unius veri Dei cultu, à quo David ne tranſverſum quidem digitum umquam receſſit, conſtantiſſimè enim Deum Iſraëlis ſolum coluit. Ceteroquin in negotio Uriæ graviſſimè peccavit. Quæ ſunt universè dicta non ſemper carent omni exceptione, ſúntque dumtaxat de certo genere rerum intelligenda; ſin minùs, præter Sacrorum Scriptorum ſententiam urgerentur. Vide Cap. XV, 5.

9. *Omnibus qui ante te fuerunt*] Judices, nimirum, & duces Iſraëlis.

Feciſtique] *Et iviſti & feciſti*.

Deos alienos] Quamvis ſub vitulorum imagine coli vellet Jerobohamus Deum Iſraëlis; Deos alienos eos vocat Deus, qui cultum illum reſpuebat; nec eos ſibi Sacros eſſe agnoſcebat, qui vetuerat ullam imaginem ſui fieri. Re ipsâ Jerobohamus exemplum cultûs alienorum Deorum, hoc eſt, Ægyptiorum, ſequutus erat.

Me poſt tergum tuum jeciſti] Meæ Legis majorem rationem non habuiſti, quàm eorum quæ, contemtûs causâ, poſt tergum jaciuntur.

10. *Vel mingentem in parietem*] Vide de hoc loquendi genere dicta ad 1. Sam. XXV, 22.

Donec totum ſublatum ſit] עד תמו *hadthummo*, donec perficiatur.

13. *Sepulcro condetur*] Supplicium quidem intentat, qui minatur cuipiam fore ut cadaver ejus inſepultum maneat, quia mortem violentam hoc ſequi ſolet; ſed ſepulcrum mortuo polliceri præmium non eſt, niſi quia ita exiſtimant homines, nam ceteroqui *ſepelit natura relictos*, ut ille aiebat. Itaque Deus, hac in re, ſe ſe hominum opinionibus adtemperat.

bohami. [14] Conſtituet verò Jehova ſibi Regem in domum Iſraëlis, qui tunc exſcindet domum Jerobohami. Quid *ſi* etiam nunc ? [15] Plagam infliget Deus Iſraëli, *æquè facilè* ac movetur arundo in aqua. Evellet Iſraëlitas ex terra hac fertili, quâ Majores eorum donavit, diſpergétque eos trans fluvium *Euphratem*, quia fecerunt ſimulacra ſua, quibus iram Jehovæ moverunt. [16] Tradet *hoſtibus* Iſraëlem, propter peccata Jerobohami, qui peccavit & Iſraëlem ad peccandum adduxit.

[17] Surrexit ergo uxor Jerobohami, abiitque & profecta eſt Thirtſam; cúmque limen domûs ingrederetur, puer mortuus eſt. [18] Sepelierunt eum & luxerunt omnes Iſraëlitæ, ſecundùm verba Jehovæ, quæ per ſervum ſuum Achijam Prophetam fuerat proloquutus. [19] Reliquæ verò res geſtæ Jerobohami, ſeu in bello, ſeu in adminiſtratione regni, ſcriptæ ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis. [20] Tempus autem, quo regnavit Jerobohamus, fuit viginti duorum annorum, obdormiitque

[14] *Conſtituet ſibi regem*] Bahaſam, nempe, infra C. XV, 27, 28.

Quid ſi etiam nunc?] ומה גם עתה *& quid etiam nunc?* Ignoraſſe videtur Propheta quando futurum hoc eſſet, ideóque addidiſſe: *quid ſi etiam nunc?* Quemadmodum Deus, per ipſum hunc Prophetam, deſignaverat Regem Jerobohamum diu antequàm regnaret: ſic poterat etiam fieri ut eum, qui familiam Jerobohami exſtincturus eſſet, jam deſignaret, aut mox eſſet deſignaturus.

[15] *Æquè facilè ac movetur arundo*] Quæ vel minimâ aurâ agitatur. Itaque proverbialis eſt hæc formula, quâ oſtenditur quàm facilè poſſit Deus de Iſraëlitis pœnas ſumere, non inconſtantia in regimine Iſraëlitarum, ut putarunt viri docti. Sic Scriptor Lib. III. Macchabæorum de Ptolemæo Eupatore, qui ingreſſus erat Templum Jeroſolimitanum: Τὸν ὕβρει καὶ θράσει μεγάλως ἐπηρμένον ἐμάστιξεν αὐτὸν, ἔνθεν καὶ ἔνθεν κραδάνας αὐτὸν ὡς κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου, ὥστε καὶ κατ᾽ ἐδάφους ἄπρακτον ἔτι καὶ τοῖς μέλεσι παραλελυμένον μηδὲ φωνῆσαι δύνασθαι δικαίᾳ περιπεπληγμένον κρίσει: *contumelioſo animo & audaciâ ſummopere elatum eum flagellavit, hinc atque inde concutiens eum ut arundinem à vento agitatam, ita ut in ſolo ſine viribus adhuc & reſolutis membris ne loqui quidem poſſet juſto implicitus judicio.*

Evellet Iſraëlitas &c.] Exſequutioni hæ minæ mandatæ ſunt primùm per Thiglath-Phileſerem, 2. Reg. XV, 29. deinde per Salmanaſarem, 2. Reg. XVIII, 5, 6.

Simulacra ſua] אשריהם *aſcherehem*, quod LXX. ἄλση & Vulgatus *lucos* vertere ſolent, quæ eſt reverâ etiam ſignificatio vocis. Verbum אשר propriè olim ſignificavit *erectum eſſe*, ὀρθὸν εἶναι, ut multis oſtendit *Marc. Meibomius*, in ſpecimine in Ezech. XXXI. Inde, quod non obſervavit ille, אשרה dicta eſt non tantùm arbor, ſed etiam *ſtatua*, quæ *erecta* ſtat, ut & מצבה *matſebah*, à ſtando. Sic & 2. Reg. XVII, 10. *Statuerunt ſibi ſtatuas & ſimulacra* (אשרים) *in omni edito colle & ſub omni arbore virente.* Vide & 2. Par. XXXIII, 19. & Jerem. XVII, 2. Vocem אשרה aliquando ſignificare *ſtatuam* ex locis allatis rectè probavit, ante nos, vir doctiſſimus *Ant. van Dale*, in Diſſert. de Origine & Progreſſu Idol. c. II. Nos originem ſignificationis indicavimus.

[16] *Propter peccata Jerobohami*] Hoc eſt, peccata ſimilia iis, quæ admiſit Jerobohamus; nam non ipſe tantùm peccavit, ſed & ad peccandum alios adduxit.

[17] *Thirtſam*] Sechemo relicto, in hac urbe habitabat Jerobohamus, atque hæc fuit regia ſedes, ad regnum Homris uſque, ut docemur infra Cap. XVI, 23, 24. Quanam in Tribu ſita fuerit, ex nullo diſerto Scripturæ loco conſtat; ſed non abſurdè conjicit *Jac. Bonfrerius* fuiſſe in Tribu Ephraïmitica. Vide ejus *Onomaſticon*.

Cúmque limen domûs &c.] Anxii ſunt vulgò Interpretes, de ratione quâ hæc verba redigi queant in concordiam cum vſ. 12. quòd illic בבאה *beboah*, verterint cùm *ingrederetur*. Si mortuus eſt Jerobohami filius, cùm mater ejus ingrederetur urbem; non potuit dici mori, cùm ingrediebatur limen domûs ſuæ, nam jam erat mortuus. Sed nos בבאה vertimus *cùm ingreſſi fuerint*, nempe, pedes tui, ac ſanè ב frequenter ſignificat *poſtquàm*. Vide ſupra C. XIII, 31. & *Chr. Noldium* ad 21. ſignif. hujus particulæ.

[19] *Seu in bello, ſeu in adminiſtratione regni*] אשר נלחם ואשר מלך *quæ bellavit & quæ regnavit.* LXX. ὅσα ἐπολέμησε καὶ ὅσα ἐβασίλευσε, Vulgatus, *quomodo pugnavit & quomodo regnavit.*

In libro Ephemeridum &c.] Erant in regno Iſraëlis, quemadmodum in regno Judæ, מזכירים *mazchirim*, ſeu commentariorum ſcriptores, qui acta Regum diurna ſcribebant.

[21] *Cùm cœpit regnare*] במלכו *bmolcho*, ſic ferè ſemper.

Unum & quadraginta annos &c.] ארבעים ואחת שנה *arbahim veehhath ſchanah*, pro quo *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. I. c. X, 11. legendum putat: עשרים ואחת שנה *unum & viginti annos*, hiſce de rationibus. Robohami mater fuit Nahama Hammonitis, ut ex hoc loco liquet. Salomon autem regnavit annos tantùm quadraginta. Si ergo Robohamus natus fuit annos unum & quadraginta, cùm cœpit regnare, natus erat Salomoni anno uno, antequàm cœpiſſet regnare. Atqui tum erat adhuc fermè puer, ut liquet ex 1. Reg. III, 7. & 1. Paral. XXII, 5. & vivebat pater ejus David. An ergo eâ ætate duxiſſet uxorem Nahamam Hammonitidem, vivente & vidente patre Davide? Hoc eò minùs credibile eſt, quòd 1. Reg. XI, 1. poſtquàm Salomon narratur ædificaſſe Ædem Jehovæ & Regiam, vertatur ei probro, quòd amaverit fœminas peregrinas ex Moabitidibus, Hammonitidibus &c. Templum autem & Regiam abſolvit anno regni ſui vigeſimo, uti planum eſt ex 1. Reg. IX, 10. Itaque videtur omnino Salomon paullò ante perfectam utramque illum domum, cœpiſſe ducere uxores Moabitidas & Hammonitidas, atque inter eas Nahamam; ex qua

Digitized by Google

que cum Majoribus ſuis, & Nadabus quidem filius ejus loco regnavit.

21. Robohamus, Salomonis filius, regnabat apud Judam, & cùm cœpit regnare, unum & quadraginta annos natus erat. Septemdecim autem annis regnavit in urbe Jeroſolima, quam elegit Jehova, ex omnibus Tribubus Iſraëlis, ut collocaret illic nomen ſuum. Nomen matri ejus erat Nahamæ, *quæ fuit* Hammonitis. 22. Fecit autem & Juda quod Jehovæ diſplicebat, eúmque ad æmulationem concitarunt peccatis, quæ admiſerunt, pluſquàm quidquid eorum Majores fecerant. 23. Ædificarunt etiam illi ſibi loca excelſa, ſtatuáſque & ſimulacra *poſuerunt* in omni edito colle, & ſub omni arbore viridi. 24. Fuerunt quoque Cynædi in terra, & imitati ſunt omnes abominationes gentium, quas è conſpectu Iſraëlitarum ejecerat Jehova.

25. Quinto verò anno Regis Robohami, expeditionem ſuſcepit Siſakus, Rex Ægypti, in Jeroſolimam, unde abſtulit theſauros Ædis Jehovæ, theſauros Regiæ, & quæ-

qua ſequente anno ſuſcepit Robohamum, qui propterea potuerit eſſe natus annos unum & viginti, cùm Salomon obiit. Unde etiam dicitur fuiſſe puer, hoc eſt, admodum juvenis 1. Par. XIII, 7. narraturque conſuluiſſe juvenes quibuſcum educatus erat. Hanc *Cappelli* ratiocinationem non improbat *H. Grotius* ad hunc locum, uti nec *Job. Ludolphus* ad Hiſtor. Æthiop. Lib. I. c. III, 29. Ejuſmodi errores Librariorum raros non eſſe aliis exemplis oſtendit *Cappellus*.

Quam elegit Jehova] Vide 1. Reg. C. VIII.

Hammonitis] Credibile non eſt, ut oſtendit *Lud. Cappellus*, Davidem paſſurum fuiſſe ut Salomon filius, quem ſibi ſucceſſorem deſignabat, duceret ſe vivo uxorem è gente, quam ipſe deleverat, ut liquet ex 2. Sam. XII, 26. & ſeqq. duceret, cùm præſertim connubia cum ea gente Hebræis eſſent illicita. Scio quidem Hebræis victoribus, ſi quam captivam haberent, quam in ſervitutem abduxiſſent, licuiſſe eam uxorem ducere, ex Lege quæ exſtat Deut. XXI, 15. & ſeqq. Itaque potuiſſet Salomon Hammoniridem ſervam ducere. Sed vix mihi perſuadeo, juvenem in ſpem ſegni educatum, aut etiam Regem, ſervum aut libertam uxorem ducturum fuiſſe. Credibilius ergo fit hanc mulierem fuiſſe inter peregrinas illas uxores, quas Salomon Rex contra Legem duxit, & de quibus Cap. XI, 1.

22. *Quod Jehovæ diſplicebat*] *Malum in oculis Jehovæ.*

Ad æmulationem concitarunt] יקנאו *jekaneou*. Nimirum, junctis illi alienis Diis. Deus, metaphorâ ex conjugibus ductâ, dicitur *zelotypus* eſſe, Exod. XX, 3. hoc eſt, pari non poſſe ſecum commenticios Deos coli. Ideóque qui id peccati admittebant, Deum ad zelotypiam concitare dicebantur.

23. *Simulacra*] אשרים *aſcherim*. Vide ad vſ. 15.

In omni edito colle] In inſigníoribus, nempe, collibus & nemoribus.

24. *Fuerunt quoque Cynædi*] קדש היה kadeſch hajah, *fuit Cynædus*. Nempe, propudia virorum, qui muliebria patiebantur, idque in honorem Numinis. Vide notata ad Gen. XXXVIII, 21. & infra Cap. XV, 12.

Abominationes] Et facta quævis abominanda, & actus omnes idololatricos.

25. *Siſakus Rex Ægypti*] In textu dicitur שושק *Schouſchak*, in margine שישק *Schiſchak*. Legebatur hoc, tempore *Hieronymi*, *Scheſchak*, at LXX. Intt. habent Σουσακιμ, fortè ex hiſtoriis Ægyptiis. *Joſephus* Σούσακον vocat. Jam diximus *Joan. Marshamum* ad ſæculum XIV. rerum Ægyptiacarum omnia collegiſſe quæ de *Seſako*, aut *Seſoſtri* apud Veteres exſtant. Itaque ad eum Lectores amondabimus, eáque dumtaxat attingemus quæ ad Hiſtoriam Sacram pertinent.

In Jeroſolimam] *Manetho* apud *Joſephum* Lib I. contra Appionem p. 1041. Σέθωσις (qui idem ac Seſoſtris) ἱππικὴν καὶ ναυτικὴν ἔχων δύναμιν —— ἐπὶ Κύπρον καὶ Φοινίκην καὶ πάλιν Ἀσσυρίους τε καὶ Μήδους στρατεύσας, ἅπαντας, τοὺς μὲν δόρατι, τοὺς δὲ ἀμαχητὶ φόβῳ δὲ τῆς πολλῆς δυνάμεως ὑποχειρίους ἔλαβε: *Sethoſis equeſtribus & nauticis copiis inſtructus in Cyprum & Phœniciam, & rurſus in Aſſyrios & Medos expeditione ſuſceptâ, omnes & hos quidem armis, illos verò, ſine prælio, & metu multarum copiarum ſubjectos ſibi accepit.* Phœniciæ nomine hîc contineri omnino videtur Judæa, quam ea parte quà meridiem ſpectat ſubegit, captis urbibus, ut paullò copioſiùs narrat Hiſtoria Sacra, 2. Par. XII, 2. Inter eos qui ſine prælio jugum acceperunt, meritò fuiſſe cenſet *Marshamus* Robohamum; neque enim ullius prælii meminit Scriptura & *Joſephus* Lib. VIII. c. 4. Ῥοβόαμος δὲ αὐτῷ παρέδωκεν ἀμαχητὶ τὴν πόλιν, *Robohamus illi dedidit urbem ſine prælio.* Ac ſanè præter potentiam Regis Ægypti cujus ingentes copiæ memorantur 2. Par. XII, 2. erat cur timeret Jeróbohamum, Iſraëlis Regem, qui Siſako amicus erat, quippe ab eo contra Salomonem tectus. Hic autem mali nihil à Siſako, cujus cliens erat, paſſus eſt. *Herodotus* Lib. II. c. 102. narrat Seſoſtrim cippos in omnibus regionibus, quas ſubegiſſet, erexiſſe, cum inſcriptionibus, quæ victorias ejus teſtarentur; ſed in locis, quæ ſine prælio occuparat, pudenda præterea in cippis muliebria ſculpi curaſſe. Deinde paullò inferiùs c. CVI. Αἱ δὲ στῆλαι, inquit, τὰς ἵστα κατὰ τὰς χώρας ὁ Αἰγύπτου βασιλεὺς Σέσωστρις αἱ μὲν πλεῦνες οὐκέτι φαίνονται περιεοῦσαι· ἐν δὲ τῇ Παλαιστίνῃ Συρίῃ αὐτὸς ὥρων ἐούσας καὶ τὰ γράμματα τὰ εἰρημένα ἐνεόντα καὶ γυναικὸς αἰδοῖα. *Columnarum, quas Seſoſtris per ſingulas regiones erexit, pleræque jam incolumes non exſtant. Quaſdam in Syria Palæſtina ipſe vidi inſcriptas, cùm quibus dixi litteris, tum muliebribus pudendis.*

Abſtulit theſauros Ædis Jehovæ] Vide antea Cap. VII, 51. *Diodorus* Siculus Lib. I. pag. 51. humaniſſimum erga victos deſcribit Seſoſtrin: Ἐπιεικῶς δὲ προσενεχθεὶς ἅπασι τοῖς ὑποτεταγμένοις καὶ συντελέσας τὴν στρατείαν ἐν ἔτεσιν ἐννέα, τοῖς μὲν ἔθνεσι κατὰ δύναμιν προσέταξε δωροφορεῖν κατ' ἐνιαυτὸν εἰς Αἴγυπτον: *Cùm æquum ſe ſubactis omnibus præbuiſſet, & expeditionem abſolviſſet annis novem,* gen-

quæcumque *illic erant* Cúmque abſtuliſſet etiam omnia ſcuta aurea, quæ fecerat Salomo; 27. fecit Robohamus pro illis ſcuta ænea, quæ tradidit in manus ducum curſorum, qui oſtium Regiæ ſervabant. 28. Cùm autem iret Rex ad Ædem Jehovæ, ea geſtabant curſores, *deinde* in conclave curſorum reportabant. 29. Reliquæ autem res geſtæ Robohami & quæcumque fecit, annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ. 30. Bellum verò perpetuum fuit inter Robohamum, & Jerobohamum. 31. Obdormivit & Robohamus cum Majoribus ſuis, ſepultúſque eſt cum Majoribus, in urbe Davidis. Nomen matri ejus fuit Nahamæ, *quæ fuit* Hammonitis. Regnavit autem Abijamus, filius ejus, illius loco.

XV. Abijamus idololatra per triennium regnat apud Judam, eique mortuo ſuccedit Aſa Rex religioſus, qui ope Benhadadi Iſraëlitarum copias repellit. Huic mortuo ſuccedit Joſaphatus. Interea regnant apud Iſraëlem Nadabus, mox occiſus à Bahaſa, qui nec melior fuit, perpetuúmque bellum cum Aſa geſſit.

CAPUT XV. 1. ANNO decimo octavo Jerobohami, Nebati filii, regnare cœpit Abijamus in Judam. 2. Quatuor annis regnavit Jeroſolimæ; matri ejus nomen fuit Mahachæ, *quæ* Abiſalomi *fuit* filia. 3. Imitatus eſt omnia peccata patris ſui, quæ ante eum admiſerat; nec animus ejus integer fuit, erga Jehovam Deum ſuum, ſicut animus Davidis proavi. 4. Sed propter Davidem dedit ei Jehova, Deus ejus, lucernam Jeroſolimæ, ita ut poſt eum exoriri curaret filium ejus & Jeroſolimam conſervaret. 5. Fecerat enim quod placebat Jehovæ, nec deflexerat ab ullo ejus præcepto, per totius vitæ tempus, niſi in negotio Uriæ Chitthæi. 6. Bellum autem fuerat inter Ro-

gentibus pro opibus impoſuit dona, quæ quotannis ferrent in Ægyptum. Majora etiam habet *Juſtinus* de magnanimitate Seſoſtris, Lib. I. cap. 1. *Fuere quidem temporibus antiquiores Seſoſtris Ægypti & Scythiæ Rex Tanaus, quorum alter in Pontum, alter uſque Ægyptum exceſſit. Sed longinqua non finitima bella gerebant, nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærebant.* Videtur quoque Seſoſtris Regum Judæ imperium nequaquam minuiſſe, ſed contentus ablatis theſauris & ſcutis aureis ab eorum ditione poſtea abſtinuiſſe.

Scuta aurea] Vide Cap. X, 16. & ſeqq.

27. *Ducum curſorum*] שרי הרצים *ſchare haratſim.* LXX. Intt. ἡγούμενοι παρατρεχόντων, & Vulgatus; *duces ſcutariorum. Curſores* erant ſatellites, ſeu σωματοφύλακες regii, ut liquet ex ſequentibus verbis. Hujuſmodi erant, apud Romulum, *Celeres*, de quibus *Livius* Lib. I. c. XV, 8. *Trecentoſque armatos, ad cuſtodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello ſolum, ſed etiam in pace habuit.* Hinc qui regnum adfectabant *curſores* ſibi comparabant. Vide 1. Sam. XV, 1. 1. Reg. I, 5.

29. *In libro Ephemeridum*] Vide not. ad C. XI, 41.

30. *Bellum autem perpetuum fuit*] Vetiti quidem ſunt ii, qui Robohamo parebant, bellum Iſraëlitis, recuperandi regni cauſâ, inferre. Verùm hoc non obſtitit quominùs inimicitiæ inter Reges eſſent & alterius in alterum frequentes excurſiones. Ceteroqui numquam collatis ſignis pugnarunt. Itaque bellum fuit magis diuturnum, quàm periculoſum.

31. *Nomen matri ejus fuit Nahamæ*] Hoc antea dictum vſ. 21. Qui repetitionis rationem anxiè quærunt, parum expenderunt ſtylum Hebræorum, qui repetitionibus ſcatet.

In CAPUT XV.

1. *ABiſalomi filia*] Abſalomum, Davidis filium, intelligit *Joſephus*, ſed Mahacam neptem ejus fuiſſe ait Lib. VIII. cap. 3. ubi de Robohamo: ἔγημε ὕστερον καὶ τὴν ἐκ τῆς Ἀψαλώμου θυγατρὸς Θαμάρης Μαχάνην (Μαάχην) ὄνομα καὶ αὐτὴν οὖσαν συγγενῆ· καὶ παῖς ἄρρην ἐξ αὐτῆς αὐτῷ γίνεται, ὃν Ἀβίαν προσηγόρευσεν. *Duxit poſtea & Maacham nomine, ex filia Abſalomi Thamara natam, & ipſam cognatam. Filius ex illa ei naſcitur, quem Abiam vocavit.*

3. *Imitatus eſt*] *Ivit in omnibus peccatis.*

Integer] שלם *ſchalem*; hoc eſt, planè ſolius veri Dei cultui addictus.

Proavi] *Patris ejus.*

4. *Sed*] כי *chi*, quod poſſit etiam verti *attamen.*

Lucernam Jeroſolimæ] Prolem. Vide not. ad 1. Sam. XXI, 17.

Ita ut poſt eum] להקים *lehakim*, ubi ל ſignificat *ita ut.* LXX. Intt. ἵνα στήσῃ. & Vulgatus, *ut ſuſcitaret.* Hoc verbum refertur ad Deum, ut & ſequens.

Conſervaret] להעמיד *lehahamid.* LXX. Intt. καὶ στήσῃ τὴν Ἱερουσαλήμ, & Vulg. *& ſtatuerit Jeruſalem.* Imò verò *conſervaret*, qui enim facit ut pergat ſtare quod jam ſtabat, ille conſervat. Vide not. ad Exod. IX, 16.

5. *Fecerat enim*] אשר עשה דוד *aſcher haſchah David*, quod poſſit etiam verti *quia fecerat David.* Sic Vulgatus, *eò quòd.* At LXX. Intt. ὡς, quaſi legiſſent כאשר *chaaſcher.*

6. *Inter Robohamum*] Hæc repetuntur, ut Lector intelligat, ut bellum fuerat inter Robohamum & Jerobohamum; pariter fuiſſe Robohami filio cum eo, qui maximam partem Regni Iſraëlitici patri eripuerat.

Toto

Robohamum & Jerobohamum, toto ejus vitæ tempore. 7. Reliquæ verò res geſtæ
Abijami & quæcumque fecit, nonne ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ?
Bellum etiam fuit inter Abijamum & Jerobohamum. 8. Obdormiit Abijamus, cum
Majoribus ſuis, eúmque in urbe Davidis ſepelierunt, & ejus loco filius ejus Aſa reg-
navit.

9. Anno vigeſimo Jerobohami Regis Iſraëlis, regnare cœpit Aſa in Judam, 10. ac
uno quidem & quadraginta annis regnavit Jeroſolimæ. Nomen matri ejus fuit Maha-
chæ, *eáque* filia *fuit* Abiſalomi. 11. Fecit autem Aſa quod placebat Jehovæ, inſtar
Davidis abavi ejus. 12. Exterminavit Cynædos è terra, omniáque Idola, quæ Ma-
jores ejus fecerant, ſuſtulit. 13. Quin etiam Mahacham matrem ſuam amovit, ne eſ-
ſet ampliùs Regina, quia fecerat horrendum ſimulacrum luco, concîditque Aſa hor-
rendum ejus ſimulacrum, & in Kidrone torrente combuſſit. 14. Excelſa tantùm loca
non ſunt amota, ceteroquin animus Aſæ integer fuit erga Jehovam, per totam vitam.
15. Intulit res conſecratas à patre ſuo, & quæ ipſe conſecraverat in Ædem Jehovæ;
argentum, aurum & vaſa.

16. Bellum autem fuit inter Aſam & Bahaſam Regem Iſraëlis, per totam eorum vi-
tam. 17. Expeditione in Judam ſuſceptâ, Bahaſa munire Ramam *cœpit*, ne patere-
tur *quemquam* egredi, aut ire ad Aſam Regem Judæ. 18. At cepit Aſa omne argentum
& aurum, quæ ſupererant in theſauris Ædis Jehovæ, & theſauris Regiæ, eáque tradidit
in manus ſervorum ſuorum; quos miſit Rex Aſa ad Ben-hadadum, Tabrimmonis, filii
Chezjonis, filium, Regem Aramæorum habitantem Damaſci, ut *ipſius nomine* dicerent:
19. Fœdus eſt inter me & inter te: quemadmodum inter patrem meum & patrem tuum
fuit; en miſi ad te munus argenti & auri, ut irritum facias fœdus quod tibi eſt cum Bahaſa,
Rege Iſraëlis, quò abeat à me. 20. Regi Aſæ auſcultavit Ben-hadadus, miſitque duces copia-
rum ſuarum, contra urbes Iſraëlis, concîditque Hijonem, Danem, Abel-beth-mahacham,
totas

Toto ejus vitæ tempore] *Omnibus diebus vitæ ejus.*

11. *Quod placebat Jehovæ*] *Rectum in oculis Jehovæ.*

12. *Cynædos*] Vide not. ad Cap. XIV, 24.

13. *Horrendum ſimulacrum*] מפלצת לאשרה *miphletſeth laaſcherah.* LXX. σύνοδον ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς, ſed voci Hebraïcæ nullus eſt ſignificatus conveniendi. Vulgatus, *in ſacris Priapi & in luco ejus*, quæ quomodo in Hebraïcis inveniri poſſint non intelligo. Chaldæus habet מערותא rahavatha, *errorem.* Verbum התפלץ *hithphallets tremuit* Job. IX, 6. פלצות *phalatſouth*, tremor Job. XXI, 6. Pſ. LV, 6. תפלצת *thipletſeth* eſt Jerem. XLIX, 16. *horrenda potentia.* Propterea מפלצת vertimus *horrendum ſimulacrum*, quod tamen quale eſſet non conſtat, neque enim una cauſa potuit eſſe horroris, quem incutiebat. Nullam cauſam inveniendi hîc *Priapi* eſſe puto, niſi quod radix פלץ *phalats* ſono alludat ad *Phallum*, aut *Ityphallum*, vel quòd Priapus terreret aves, apud Græcos & Romanos, ſed leves hæ rationes videntur.

Horrendum ejus ſimulacrum] מפלצתה *miphlatsthah.* LXX. Intt. τὰς καταδύσεις αὐτῆς, quod vertit Latinus Interpres, *ſpecum ejus*, qui & alteram verſionem addit: *confregitque ſimulacrum turpiſſimum*, cùm unica ſit vox in Hebraïcis. Simulacrum fuit ligneum, quandoquidem combuſtum eſt.

14. *Excelſa tantùm loca*] Quòd etiam ante Templum conditum, in iis Sacra eſſent facta, ut videre eſt 2. Par. I, 3. & ſæpe in hiſtoria Samuelis, & quòd, ſi modo nulla eſſent ſimulacra, Sacra vero Deo in iis fieri poſſe crederentur.

Per totam vitam] *Omnibus diebus ejus.*

17. *Expeditione* &c.] *Et adſcendit Bahaſa Rex Iſraëlis contra Judam & ædificavit Ramam*, ויבן את הרמה. Fuit urbs in Tribu Benjaminitica, ad ſeptemtrionem Jeroſolimæ, nec procul, ut liquet ex Jud. XIX, 12, 13. Itaque Bahaſa munitâ eâ urbe, impoſitóque ei præſidio, ſperabat ſe obſtiturum, ne quis ex Iſraëlitico ſolo Jeroſolimam, Sacrorum causâ, ſe conferret. Vertimus autem *munire cœpit*, quia liquet ex vſ. 21. & 22. munitionem abſolutam non fuiſſe.

18. *Cepit Aſa omne argentum* &c.] Hæ pecuniæ, aut hæc metalla conſecrata quidem Deo habebantur, & abſumenda cùm in ſartum tectum ſervandum Templum, tum in quotidianorum ſacrificiorum ſumtum. Attamen ſi quæ neceſſitas ingrueret, qualis erat propulſatio hoſtis, aut certæ perniciei agris Hebræorum, quæ poſſet pecunia redimi, ex ærario ſacro ſumebatur quidquid illic erat; nec Deus propterea uſquam iratus dicitur. An verò neceſſitas ejuſmodi tum immineret, quæ ne ſacris quidem parci pateretur, vix ex Hiſtoriæ circumſtantiis dijudicare licet.

Ben-hadadum] Tranſlatum fuerat regnum Damaſcenum in aliam familiam, à tempore Salomonis. Vide Cap. XI, 24.

19. *Ut irritum facies*] *Ita, irritum facito fœdus tuum.*

20. *Hijonem*] עיון. Fuit urbs in Tribu Nephthalitide, quam poſtea etiam expugnavit Rex Aſſyriorum Thiglath-phileſer, ut videre eſt 2. Reg. XV, 29. Vicina erat agris Syrorum, ut & ceteræ urbes, de quibus hîc ſermo eſt.

Danem] De qua vide not. ad Geneſ. XIV, 14.

Abel-beth-mahacham] Vide ad 2. Sam. XX, 14.

To-

Digitized by Google

totas Chinnerothas, præter univerſam Nepthalitidem terram. 21. Hæc cùm audiviſſet Bahaſa, deſtitit munire Ramam, manſitque Thirtſæ. 22. Tum verò Rex Aſa convocavit univerſum Judam, ita ut nemo immunis eſſet; abſtulerúntque lapides Ramâ & ejus ligna, quibus eam muniebat Bahaſa, ac iis quidem Gebam Benjaminis, & Mitſpham munivit Aſa. 23. Reliquæ verò omnes res geſtæ Aſæ, fortiaque cuncta ejus facinora; & quæcumque ſecit, & urbes quas condidit; annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ? Tempore dumtaxat ſenectutis ſuæ, ægrotavit pedibus, 24. obdormiitque Aſa cum Majoribus ſuis, & ſepultus eſt in urbe Davidis abavi ſui, filiuſque ejus Joſaphatus loco ejus regnavit.

25. Nadabus, Jerobohami filius, regnare cœpit in Iſraëlem, anno ſecundo Aſæ Regis Judæ, & per biennium quidem in Iſraëlem regnavit. 26. Fecit quod diſplicebat Jehovæ, inſtititque viæ patris ſui, & peccato ejus, quo ad peccandum adduxit Iſraëlem. 27. Deinde contra eum conſpiravit Bahaſa, Achijæ filius, domo Iſſaſcharita, occiditque eum ad Gibbethonem, *quæ urbs fuit* Philiſthæorum; cùm Nadabus & univerſus Iſraël Gibbethonem obſiderent. 28. Interfecit eum Bahaſa, anno tertio Aſæ Regis Judæ, ejuſque loco regnavit; 29. cúmque regnare cœpiſſet, delevit totam familiam Jerobohami, nec ullam animam *ſuperſtitem* ei reliquit, donec eam *funditus* perdidiſſet, ſecundùm verbum Jehovæ, quod per ſervum ſuum Achijam Silonitam proloquutus fuerat; 30. *idque* propter peccata Jerobohami, qui ea *ipſe* admiſerat, & ad peccandum Iſraëlem adduxerat, in irritatione quâ Jehovam Deum Iſraëlis concitaverat. 31. Reliquæ res geſtæ Nadabi, & quæcumque fecit, nonne ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis? 32. Bellum autem fuit inter Aſam & Bahaſam Regem Iſraëlis, per totam eorum vitam; 33. & anno quidem tertio Aſæ Regis Judæ, regnare cœpit Bahaſa, Achijæ filius, in totum Iſraëlem, Thirtſæ, *ubi vixit* per viginti quatuor annos. 34. Fecit etiam quod diſplicebat Jehovæ, inſtititque viæ Jerobohami, & peccato, quo ille ad peccandum adduxerat Iſraëlem.

XVI. Bahaſæ pœnas denunciat Jehuus Propheta. Ei mortuo ſuccedit filius Ela qui à Zimri occiditur, cum tota familia. Mox Zimris ſimilia & ipſe patitur ab Homri, qui & alterum æmulum Thibnim occidit, & ſolus regnat Idololatriæ deditiſſimus. Dein regnum Thirtsâ Samariam transfert, ſucceſſorémque habet Achabum filium, peſſimum hominem. Jericho à Chiele, cum filiorum pernicie, inſtauratur.

CAPUT XVI. 1. ALLOQUUTUS deinde eſt Jehova Jehuum, Chananis filium, de Bahaſa, his verbis: 2. cùm te excitaverim è pulvere, præfecerimque te ducem populo meo Iſraë-

Totas Chinnerothas] ואת כל כנרות *veeth chol Chinneroth*. LXX. Intt. πᾶσαν τὴν Χενερὲθ, nam is tractus vocabatur etiam כנרת *chennereth*. Vulgatus, *univerſam Chinneroth*. Vide not. ad Num. XXXIV, 11.

Præter univerſam &c.] על כל ארץ נפתלי *hal chol erets Naphthali*. LXX. Intt. ἕως πάσης τῆς γῆς Νεφθαλὶ, quaſi legiſſent עד *had*. Vulgatus: *omnem, ſcilicet, terram Nephthali*. Sed על ſæpe ſignificat *præter*, qui ſenſus huic loco optimè convenit. Vide Gen. XXVIII, 9. XXXI, 50. & *Chriſt. Noldium* ad ſigniſ. XXII. hujus particulæ. Is tractus Iſraëlitici Regni quàm maximè erat Syrorum incurſionibus expoſitus.

21. *Manſitque*] וַיֵּשֶׁב LXX. Intt. habent ἀνέστρεψε, & Latinus: *reverſus eſt*, quia legerunt וַיָּשָׁב quod probat *Lud. Cappellus* Crit. Sac. Lib. VI. c. IV, 8.

Thirtſæ] Quæ ſedes, his temporibus, regia erat.

22. *Convocavit*] *Fecit audire*; hoc eſt, per præcones vocavit.

Gebam Benjaminis & Mitſpham] גבע *gebah* urbs fuit ſacerdotalis, in Benjaminitide Tribu. Vide Joſ. XXI, 17. Erat ad ſeptemtriones Jeroſolimæ, & viginti quidem ſtadiis, ad eam cœli plagam, diſtabat, ſi credimus *Joſepho* Antiq. Jud. Lib. V. c. 2. Sed decem præterea milliaribus eam urbem removet Bell. Jud. Lib. VI. c. 6. Poterat eſſe propugnaculum Regni Judæ, contra Iſraëliticum. At Mitſpha, de qua hìc ſermo eſt, fuit in finibus Benjaminis & Judæ, nam poſteriori tribuitur Joſ. XV, 38. & priori cap. XVIII, 26.

23. *Fortiaque cuncta*] *Et omnis ejus fortitudo*.

Tempore dumtaxat ſenectutis ſuæ] Quæ ſignificant potiſſimam hanc ejus fuiſſe calamitatem, de qua paullò plura 2. Par. XVI, 12.

24. *Abavi*] *Patris ejus*. Sic vocantur Hebraïcè Majores omnes.

27. *Ad Gibbethonem*] Fuit urbs Daniticæ Tribûs, ut liquet ex Joſ. XIX, 44. fuerátque attributa Levitis, ut eſt ejuſdem Libri C. XXI, 23. Sed Philiſthæi eam invaſerant & diu tenuerant. Vide & intra C. XVI, 15.

29. *Delevit totam* &c.] Hoc quidem facto, impletæ ſunt minæ Dei; ſed non eſt putandus Bahaſa hoc ſpectaviſſe, ſed tantùm Regni ſecuritatem, pro Græco proverbio:

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει.

Stultus, qui, occiſo patre, liberos relinquit.

30. *In irritatione*] בכעסו *bchahaſo*, *in irritation-*

Digitized by Google

Iſraëli; inſtituiſti viæ Jerobohami, & populum meum Iſraëlem ad peccandum adduxiſ-
ti, ut me peccatis ſuis irritaret. 3. Ego verò poſteros Bahaſæ, poſteróſque domûs
ejus è medio tollam, & *ita* habebo quemadmodum domum Jerobohami, Nebathi fi-
lii, *habui.* 4. Eum qui Bahaſæ mortuus erit in urbe comedent canes, & mortuum ruri
comedent aves cœli. 5. Reliquæ autem res geſtæ Bahaſæ, quæcumque fecit, fortiá-
que ejus facinora, annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis? 6. Ob-
dormiit Bahaſa cum Majoribus ſuis, ſepultúſque eſt Thirtſæ, & ejus loco regnavit Ela
filius ejus. 7. Etiam per Jehuum, Chananis filium, Prophetam, pervenit verbum Je-
hovæ ad Bahaſam ejúſque domum, de omni malo quod fecerat coram Jehova, eum
irritando opere manuum ſuarum; ita ut ſimilis eſſet familiæ Jerobohami, etiam *in iis*
propter quæ eam interfecerat.
8. Anno autem vigeſimo ſexto Aſæ, Judæ Regis, regnare cœpit Ela, Bahaſæ fi-
lius, in Iſraëlem Thirtſæ, *ubi regnavit* per duos annos. 9. Conjuravit in eum ſervus
ejus Zimris, dux dimidiæ partis curruum ejus. Erat tum Thirtſæ, *ubi* potabat, ebriúſ-
que erat domi Artſæ, qui domui *ejus* Thirtſæ præfectus erat. 10. Venit *eò* Zimris,
qui eum feriit & occidit anno vigeſimo ſeptimo Aſæ, Regis Judæ, regnavitque ejus
loco. 11. Cùm verò regnaret, ſederétque in ſolio, interfecit totam Bahaſæ familiam,
neque reliquit ei meientem in parietem, propinquóſque, aut amicos *ullos.* 12. De-
levit Zimris totam domum Bahaſæ, ſecundùm verbum, quod Jehova, per Jehuum
Prophetam, Bahaſæ dixerat; 13. propter omnia peccata Bahaſæ, peccataque Elæ, filii
ejus, quæ ipſi admiſerant, & quibus adduxerant Iſraëlem ad peccandum, ita ut ina-
nitatibus ſuis Jehovam Deum Iſraëlis ad iram provocarent 14. Reliquæ autem res
geſtæ Elæ & quæcumque fecit, annon omnia hæc in libro Ephemeridum Regum Iſraë-
lis ſcripta ſunt?
15. Anno verò vigeſimo ſeptimo Aſæ, Regis Judæ, regnare cœpit Zimris, *regnavit-
que* ſeptem diebus Thirtſæ. *Interea* caſtra habebat populus ad Gibbethonem, quæ
urbs fuit Philiſthæorum. 16. Audivit autem populus, qui erat in caſtris, qui dice-
rent: conjuravit Zimris, quinimò & Regem occidit. *Itaque* die illo, in caſtris, om-
nes Iſraëlitæ Homrim, exercitûs ducem, ſibi Regem conſtituerunt. 17. *Mox* profec-
tus Homris & univerſus cum eo Iſraël Gibbethone, Thirtſam obſederunt; 18. cúm-
que vidiſſet Zimris captam eſſe urbem, ſe in Regiam contulit, cui ignem ſubjecit,
atque *in ea* mortuus eſt. 19. *Contigit hoc ei*, propter peccata quæ admiſerat, dum
face-

tione ejus; hoc eſt, in eo ipſo peccato, quod divinam juſtitiam provocavit.

32. *Per totam eorum vitam*] *Omnibus diebus eorum.* Quòd æmuli eſſent.

In Caput XVI.

2. *Cum te excitaverim*] Hinc colligere poſſe videmur, non ſine prophetæ monitu aggreſſum eſſe Bahaſam id quod peregerat contra Jerobohami familiam. Sed propterea Dei reverentior non fuit.

3. *Ego verò*] *Ecce ego.*

Ita habebo] ונתתי venatthatthi, *& dabo*, aut *ponam*; nimirum, in eodem ſtatu.

4. *Comedent canes* &c.] Inſepultus erit, quod & infame per ſe erat, nec poterat contingere, niſi poſt violentam cædem.

7. *Pervenit verbum*] *Fuit verbum.* Jehuus, nempe, hîc dicitur, ante mortem Bahaſæ, mandata Dei ad eum, familiámque ejus detuliſſe.

Opere manuum &c.] Poſſunt quidem ita dici quævis actiones, ſed crediderim hîc Idola intelligi, quæ fieri curaverat Bahaſa.

9. *Qui domui ejus Thirtſæ*] *Qui ſupra domum* (על בית) nempe, regiam, *in Thirtſa.*

11. *Meientem in parietem*] Vide not. ad 2. Sam. XXV, 22.

Propinquoſque] גאליו goalau, *vindices ejus*, hoc eſt, quemquam, qui in ejus jura, more Hebraico, ſuccedere poſſet, ac proinde contra Zimrim arma capere.

13. *Et quibus adduxerunt* &c.] Hoc ſolet addi, in hiſtoria Regum Idololatrarum, quia notum eſt Regum exemplo peccare Aulicos primùm, dein univerſum populum. Quod cùm notum ſit Regibus, graviores pœnas delictorum daut, quia aliorum exitii cauſa fuerunt.

Inanitatibus ſuis] בהבליהם *behablehem.* Intelliguntur ſimulacra. Vide Jerem. II, 5. Putabant Idololatræ ſe in ſignis Deorum aliquod inconſpicuum Numen iis præſens colere; quod cùm nullum eſſet, ſequebatur ut colerent inania, הבלים *habalim.*

15. *Ad Gibbethonem*] Vide ad Cap. XV, 27.

16. *Sibi Regem conſtituerunt*] *Regnare fecerunt* —— *ſupra Iſraëlem.*

17. *Mox profectus Homris* &c.] *Et adſcenderunt Homri & totus Iſraël.*

18. *In regiam*] אל ארמון בית המלך *ad palatium domum regis.*

Cui ignem ſubjecit] Ne frueretur adverſarius bonis regiis, néve ipſe incideret in ejus manus. Sic Sardanapalus *victus in regiam ſe recipit*, apud *Juſtinum* Lib. 1. c. 3. *ubi exſtructâ, incenſaque pyrâ, & ſe & divitias ſuas in incendium mittit.* Sic fecerunt & Saguntini, apud *Livium* Lib. XXI, 14. Incendium Regiæ videtur occaſio fuiſſe aliò transferendæ ſedis Regum Iſraëlis.

19. *Propter peccata* &c.] Quòd nec ante regnum, nec in brevi regno Jerobohamo melior fuiſſet.

faceret quæ diſplicebant Jehovæ, inſiſterétque viæ Jerobohami & peccato quod admiſerat, ita ut ad peccandum Iſraëlem adduceret. 20. Reliquæ res geſtæ Zimris, conjuratióque quam inivit, annon in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis ſcriptæ ſunt?

21. Tunc diviſus eſt populus Iſraël in *duas* partes dimidias, quarum altera Thibnim Ginathi filium ſequebatur, ut eum Regem conſtitueret, altera verò Homrim. 22. At ſuperior fuit populus, qui Homrim ſequebatur, populo qui ſequebatur Thibnim, Ginathi filium; mortuúſque eſt Thibnis & regnavit Homris.

23. Anno trigeſimo primo Aſæ, Regis Judæ, regnare cœpit Homris in Iſraëlem, *& regnavit quidem* duodecim annis. *Sed* cùm per ſex annos Thirtſæ regnaſſet, 24. emit Someronem montem à Semero, duobus argenteis talentis, munivitque montem, & urbem quam ædificavit de nomine Semeri, montis Somronis domini, vocavit. 25. Fecit autem Homris quod diſplicebat Jehovæ, deteriorque fuit omnibus, qui ante eum fuerant. 26. Inſtitit omnibus viis Jerobohami, Nebati filii, & peccato ejus, quo adduxerat Iſraëlem ad peccandum, ita ut inanitatibus ſuis Jehovam Deum Iſraëlis ad iram provocarent. 27. Reliquæ verò res geſtæ Homris, fortiáque facinora, quæ edidit, annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis? 28. Obdormiit Homris cum Majoribus ſuis, ſepultúſque eſt Samariæ; filius verò ejus Achabus loco ejus regnavit.

29. Achabus, Homris filius, regnare cœpit in Iſraëlem, anno trigeſimo octavo Aſæ Regis Judæ; regnavitque Achabus, Homris filius, in Iſraëlem Samariæ viginti duobus annis. 30. Fecit autem Achabus, Homris filius, quod diſplicebat Jehovæ, pluſquàm

21. *In duas partes*] *In dimidium, dimidium populi* &c. לחצי חצי *lebbatſi, hhatſi.*

24. *Duobus argenti talentis*] Exiguo ſane pretio. Oſtenderunt viri doctiſſimi *Ric. Cumberlandus* & *Ed. Bernardus* in Talento, quod ככר *chicchar* vocatur, fuiſſe tria millia ſiclorum, ſeu mille quingentas uncias Romanas argenti; quod monetæ hodiernæ Anglicæ facit Libras Sterlingicas 353 Schillingos 11 Aſſes 10 & dimidium; Hollandicæ florenorum tria millia 888, aut circiter. Solum igitur urbis Samariæ circiter 7776 florenis conſtitit. Itaque aut non erat magna urbs, aut fortè ſterilis collis non magni habebatur pretii.

Et urbem, quam ædificavit &c.] *Et vocavit nomen urbis quam ædificavit, ſecundùm* (על) *nomen domini montis Somronis*; hoc eſt, quemadmodum antea vocabatur mons *Somron*, nomine deducto à Semero, ſic & urbem vocavit. Latinè, propter ſequentium ſæculorum uſum, Samariam vocavimus.

25. *Quòd diſplicebat*] *Malum in oculis.*

26. *Inanitatibus ſuis*] Vide ad vſ. 13.

30. *Quod diſplicebat*] *Malum in oculis.*

31. *Leve ei fuit inſiſtere*] ויהי הנקל *vajjehi hanakel.* LXX. Intt. οὐκ ἦν αὐτῷ ἱκανὸν. Vulgatus: *nec ſuffecit ei.* Senſum expreſſerunt.

Peccatis Jerobohami] Quæ ſita erant in colendo vero Deo, ſub Imagine Vituli, cùm nullo ſimulacro effingi vellet.

Filia Ethbahalis] *Joſephus* Lib. VIII. cap. 7. habet Ἰθωβάλου τοῦ Τυρίων καὶ Σιδωνίων βασιλέως, ex *Menandro* aut *Dio* Phœniciarum rerum Scriptoribus.

Coluit Bahalem] Hoc eſt, Sidoniorum Bahalem. Vide Jud. II, 11.

32. *In Æde Bahalis*] Coluerant quidem & antea Iſraëlitæ Bahales, ſed Templa ei ædificaſſe non dicuntur, publico ſaltem conſilio.

33. *Lucum*] Sacrum, nempe, Bahali, quod illicitum planè fuit. Vide Deut. VII, 5. Hæc peccata uxori Achabi tribuit *Joſephus*, quia ejus cauſâ admiſſa ſunt. Ἦν δ᾽, inquit, τὸ γύναιον δραστήριόν τε καὶ τολμηρόν· εἰς τοσαύτην δ᾽ ἀσέλγειαν καὶ μανίαν προὔβη, ὥστε καὶ ναὸν τῷ Τυρίων θεῷ ὃν Βὴλ προσαγορεύουσιν ᾠκοδόμησε, (lege οἰκοδόμησεν) καὶ ἄλσος παντοίων δένδρων κατεφύτευσε (lege κατεφυτεύσατο) *Erat autem*, inquit, *muliercula irrequieti animi & audax. In tantam autem laſciviam & inſaniam prolapſa eſt, ut & Templum Tyriorum Deo, quem Bel vocant, ædificaret, & lucum omnis generis arborum plantaret.*

34. *In Abiramo primogenito* &c.] Vide ad Joſ. VI, 26. ubi habetur vaticinium, ad quod Hiſtoricus Sacer hîc reſpicit.

In Caput XVII.

1. T*Hisbita*] התשבי *batthiſchbi.* Si in hac formatione ſervata ſit Analogia, oportet factum eſſe hoc nomen à תשב *theſcheb*; quod fuerit nomen oppidi, aut pagi in Galahaditide, unde ſit ortus Elias. In Codice Romano LXX. Intt. dicitur Θεσβίτης. & à Vulgato ſimiliter *Thesbita*; at in Codice Alexandrino, vox hæc omiſſa eſt. Chaldæus Interpres habet מתושב *mitthoſchab*, unde formaretur תושבי *thoſchebi.* Sed neque *Theſcheb*, neque *Thoſchab* inter nomina urbium uſquam occurrit. Nihil vetat tamen nomen oppiduli, aut pagi nuſquam legi, ſed tantùm nomen ab eo formatum; quia nihil contigit in eo memorabile, nec alioqui notum eſſet, niſi quia Elias, maximus Propheta, in eo natus erat. Reliquæ conjecturæ de Elia, ejúſque patria, quæ neque Hiſtoria, neque Grammatica nituntur, omnes ſunt inanes.

Ex Galahaditicis advenis] מתשבי גלעד *mitthoſchabe Gilhad.* LXX. Intt. ἐκ Θεσβῶν τῆς Γαλαάδ, quaſi legiſſent מִתִּשְׁבֵי non מִתֹּשָׁבֵי, ut hodie legimus, & nomen patriæ Eliæ fuiſſet plurali numero efferendum תִּשְׁבִים. Sed nec hujus loci ulla uſquam mentio. *Joſephus* habet ἐκ πόλεως Θεσβώνης τῆς Γαλααδίτιδος χώρας, nec *Thesbona* illa nobis eſt notior. Vulgatus: *ex ha-*

quàm omnes qui ante eum fuerant. 31. Leve ei fuit inſiſtere peccatis Jerobohami,
Nebati filii; ductáque uxore Izebelâ, filiâ Ethbahalis Sidoniorum Regis, abiit ac co-
luit Bahalem, eúmque adoravit. 32. Conſtituit altare Bahali, in Æde Bahalis, quam
ædificavit Samariæ. 33. Fecit & Achabus lucum, pluráque commiſit, quibus moveret
iram Jehovæ, Dei Iſraëlis, quàm omnes Reges Iſraëlis, qui ante eum fuerant.
34. Ejus temporibus, Chiel Bethelita inſtauravit Jerichuntem, & in Abiramo qui-
dem primogenito ſuo fundamenta ejus poſuit, in Segubo verò, *filiorum* natu mini-
mo, portas ejus ſtatuit, pro verbis Jehovæ; quæ per Joſuam, Nunis filium, prolo-
quutus fuerat.

XVII. Elias Propheta famem per triennium futuram prædixit. Inde abiit ad Cherithum fluvium, ad quem corvus cibum ei adfert. Cùm verò fluvius exaruiſſet, ad Sareptanam it viduam, cujus farina & oleum inexhauſta fiunt, & cujus filium è mortuis excitat.

1. ELIAS verò Thisbita, ex Galahaditicis advenis, dixit Achabo: *ut* vivit Je- CAPUT XVII.
hova, Deus Iſraëlis, coram quo adſto; *ſic* hiſce annis non erit ros, aut
pluvia, niſi prout dixero. 2. Tum Deus eum alloquutus eſt, his verbis:
3. abito hinc, convertitor ad Orientem, & te abdito ad torrentem Cherithum, qui
eſt ad Jordanem. 4. E torrente bibes, & mandatum dedi corvis, ut te illic alant.
5. Fe-

habitatoribus Galaad, quod cum noſtra punctatione conſentit. Quia verò תושב *inquilinium*, vel *advenam* ſignificat, qui alibi quàm in patria habitat, vertimus *ex advenis Galahaditicis*, quod tamen ambiguum eſt; nam hæc verba ſignificare poſſunt hominem qui in Galahaditidem aliunde advenerit, adeóque etiam Iſraëlitis oriundus non fuerit; vel Galahaditam, qui patriâ relictâ habitatum veniſſet ad occaſum Jordanis. Galahadita enim, qui habitaſſet ad occaſum Jordanis dictus fuiſſet ab incolis illorum tractuum מתשבי גלעד *ex inquilinis*, vel *advenis Galahaditidis*. Hoc malim, quàm fingere tam eximium Prophetam Proſelytum, aut ex Proſelytis oriundum fuiſſe.

Ut vivit &c.] Eſt jurandi formula ſatis nota, quâ utitur Propheta, ut intelligat Achabus rem revocatum non iri.

Coram quo adſto] Quem colo, cui ſervio; quia ſervi adſtant heris, & miniſtri dominis. Vide ſupra C. X, 5, 8. & alibi paſſim.

Prout dixero] לפי דברי lphi dbari, *ad os verbi mei.*

3. *Abito hinc*] Samaria.

Ad orientem] Nempe, Samariæ, Jordanem versùs.

Cherithum] כרית *cherith.* A Vulgato vocatur *Charith*, à LXX. Intt. Χοῤῥάθ, cujus alibi non fit mentio. Ab *Euſebio* dicitur fuiſſe ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου, quod tamen minùs credibile eſt, quia hoc loco is torrens non diceretur eſſe על הירדן *ad Jordanem*, *ſed* לעבר הירדן leheber hajjarden, *trans Jordanem.* Cave autem credas *Sam. Bocharto* qui Hierozoïci P. 2. Lib. II. c. 14. judicat hunc torrentem eumdem eſſe ac eum, qui *Kana* dicitur Joſ. XVI, 8. XVII, 9. Fuit enim torrens Cherithus ad Jordanem, in orientali limbo agrorum Ephraïmi, Kana verò ad occidentalem mare versùs, ut liquet ex Joſua. Quod ait commodum fuiſſe locum ad latendum, quia in arundinibus potuit latere Elias, nemo non videt leviſſimum eſſe, cùm & in aliis torrentibus fuerint cannæ.

4. *Mandatum dedi corvis*] ואת הערבים צויתי *veeth haborebim tſivvithi.* LXX. Intt. τοῖς κόραξιν ἐντελοῦμαι. Vulgatus, *corvis præcepi ut alant te.* Sic plerique omnes alii Interpretes, ex quorum ſententia corvi raptam alicunde placentam & fruſtum carnis ad Prophetam bis quotidie adferebant; quod multis oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. II. c. 14. ubi de hoc loco copioſè egit. Nemo negare queat, quin Deus miraculum hoc efficere potuerit, ut corvi victum ad Eliam ferrent; aliáque facta ſunt in ejus gratiam, quæ & huic fidem faciant.

Fuerunt tamen olim, ut oſtendit idem *Sam. Bochartus*, ſúntque etiamnum hodie, qui malint vocem ערבים de alia re, quàm de *corvis*, interpretari. I. Sunt qui velint eſſe *mercatores*, ut Ezech. XXVII, 27. II. Alii malunt eſſe Arabes, legúntque עֲרָבִים, ut 2. Par. XXI, 16. & Nehem. IV, 7. III. Alii, ut Scriptor τοῦ *Bereſchith Rabba* C. XXXIII. volunt urbem fuiſſe ערבו *Horbo*, non procul à Scythopoli, cujus cives dicebantur ערבים *Horebim.*

Verùm hæc omnia interpretamenta confutat vir doctiſſimus, & ad primum quidem quod adtinet, ut ut ab Ezechiele Tyrii mercatores deſcribantur hac periphraſi, ערבי מערבך *qui negotiantur negotia tua*; attamen ערבים per ſe mercatores nuſquam, ut ait, ſignificat. Verùm contra Linguæ analogiam fortaſſe non fuit, nec quiſquam miratur eſſe in Lingua Hebraïca, quæ ſemel tantùm occurrant. *At Deus*, inquit vir ſummus, *non dixiſſet:* præcepi mercatoribus, *ſed:* præcepi mercatoribus hujus aut illius loci, ut te nutriant. Sed intelligi poſſunt ex re ipſa mercatores Cheritho torrenti vicini.

Ad ſecundam interpretationem, obſervat prope Jordanem, ubi latebat Elias, nullos fuiſſe Arabes, qui præterea non עֲרָבִים ſed עַרְבִיִּים dicebantur. Verùm potuerunt, illis temporibus, nonnulli Arabes trans & cis Jordanem habitare, in occidentali & orientali ejus ripa; Reges enim Ido-

5· Fecit ille prout dixerat Jehova, abiitque & conſedit ad torrentem Cherithum, qui
eſt ad Jordanem. 6· Corvi autem adferebant ei panem & carnem matutino tempore,
panémque item & carnem veſpertino., bibebátque è torrente.
7· Exacto autem anno exaruit torrens, quia nulla fuerat pluvia in terra *Iſraëlitide;*
8· at alloqutus eum eſt Jehova, his verbis: 9· ſurge, ito Sareptam, quæ *eſt urbs* Si-
doniorum, & habitabis illic. Mandatum enim dedi mulieri viduæ, ut te alat. 10· Sur-
rexit ergo & abiit Sareptam; cúmque veniſſet ad portam urbis, ecce verò ibi mulie-
rem viduam, quæ ligna colligebat; cui ille clarâ voce, ſume, inquit, mihi aliquan-
tum aquæ in vaſe, ut bibam. 11· Illa verò abiit ad ſumendam *aquam*, eique iterum
Propheta, clarâ voce, ſume, inquit, mihi fruſtum panis in manum tuam. 12· Mu-
lier verò illi, *ut* vivit, inquit, Jehova, Deus tuus: *ſic* ne placenta *quidem* mihi eſt,
ſed tantùm vola plena farinæ in cado, & paululùm olei in lagena. En verò colligo
duo ligna, ut ingrediar, parémque hoc mihi & filio meo, comedàmúſque & moriamur.
13· Elias

Idololatræ non uſque adeò curabant ut impermiſti viverent Hebræi, ſeorſim à vicinis gentibus, & fortè erant illic Arabes proſelyti. Ad vocis puncta quod adtinet, vix poſſunt objici à *Bocharto*, qui putabat ea à Maſſorethis addita.

Denique tertiam interpretationem oppugnat, his rationibus, 1. quòd nulla fuerit illic urbs ערבו *Arabo*. Fuit tamen ערבה Haraba (quomodo fortè ſcribendum in *Bereſchith Rabba*) non procul à Scythopoli occidentem versùs, ut teſtatur *Euſebius* in locis Hebraïcis: ΑΡΑΒΑ, πεδιὰς καλεῖται καὶ ἀνωτέρω. ἔστι δὲ καὶ κώμη καλουμένη Ἀραβὰ ἐν ὁρίοις Διοκαισαρείας, καὶ ἄλλη τρισὶν σημείοις Σκυθοπόλεως ἀπὸ πρὸς δυσμάς: interprete Hieronymo: ARABA, *Aquila* planam, *Symmachus* campeſtrem interpretatur. *Porrò eſt alia villa, Araba nomine, in finibus Diocæſareæ, quæ olim Saphorine dicebatur, & alia tribus millibus à Scythopoli contra occidentem.* Eò videntur reſpexiſſe Rabbini, nam Scriptor τοῦ *Bereſchith Rabba* diſertè habet: עיר היא בתחום ביתשאן ושמה ערבו *urbs eſt in vicinia Bethſanis* (ſeu Scythopoleos) *& nomen ejus Horbo*, aut *Harabo*. Obſervat 2. *Bochartus* incolas hujus urbis vocandos ערבויים *Harabojim*, ſed ab ערבה *Horbah*, aut *Hurubah* poſſent formari ערבים *Horabim*, aut *Horebim*, ut à יהודה *Jehoudah* יהודים *Jehoudim* & ſimilia. 3. Elias, ſi viro doctiſſimo credimus, ibi latere juſſus non verè latuiſſet, ſi latibuli ſui conſcios habuiſſet locorum incolas; & hæ latebræ Achabo Regi mox patuiſſent, qui eum magnâ curâ quærebat. Sed nihil obſtat quominùs religioſi & timentes Dei aliquot Harabæi occultarint & ſuſtentarint Prophetam, invito Rege Idololatrâ, quod factum etiam videmus infra Cap. XVIII, 4. ab Aulico Achabi.

Itaque quicumque facilè non concoquent tantum miraculum, ſine neceſſitate factum, cùm non deeſſent homines qui Prophetam alerent, non deterrebuntur rationibus *Bocharti*, quominùs poſtremam, aut alterutram duarum priorum interpretationum ſequantur. Sed malumus rem in medio relinquere, & dum certiora adferentur, in verſione, vulgarem ſententiam ſequi. Quominùs *corvi* intelligantur, non obſtat quod Deus *mandatum dediſſe* dicitur τοῖς ערבים, nam Deus & alibi brutis præcepiſſe dicitur id quod eorum operâ fecit, 2. Par. VII, 13. Amos IX, 3. & alibi.

5· *Fecit ille*] *Et abiit & fecit.* Sed omiſi *abiit*, quia in ſequentibus repetitur.

6· *Panem & carnem*] Si οἱ ערבים adtuliſſent ad Eliam fructus quoſdam arborum, res multò meliùs conveniret corvis; nam panis & caro (ſine dubio cocta) nonniſi apud piſtores & coquos, aut in urbibus commeatibus inſtructis inveniri poterant, præſertim bis in die. Sed Deus potuit facere quod voluit.

7· *Exacto anno*] *Et fuit à fine dierum*, מקץ ימים *mikkets jamim.* Vide ad 1. Sam. I, 1.

8· *Alloquutus eſt*] *Fuit verbum Jehovæ ad eum.*

9· *Sareptam*] צרפתה *tſarphathah.* Πόλιν, ut loquitur *Joſephus*, οὐκ ἄπωθεν τῆς Σιδῶνος καὶ Τύρου, μεταξὺ γὰρ κεῖται: *urbem non remotam à Sidone & Tyro, inter eas enim ſita eſt.*

Mandatum dedi] Hoc eſt, efficiam, ut ex ſequentibus liquet. Ut Deus effecerat ut Corvi, aut Harabæi, vel Horbæi alerent Eliam; facturus erat ut idem poſſet mulier paupercula & vidua, in Chananæorum ſolo, & fortè etiam Chananæa, ſed tamen, ut videtur, Dei veritimens.

10· *Clarâ voce, ſume, inquit*] *Clamavit ad eam & dixit.*

Ut bibam] *Et bibam.*

11· *Sume mihi fruſtum panis*] Sume fruſtum panis, quod mihi des comedendum.

12· *Vivit Jehova Deus tuus*] Hinc liquet primùm hanc viduam intellexiſſe Eliam fuiſſe hominem Hebræum, nam ſolorum Hebræorum Jehova dicebatur Deus; deinde etiam ejus Numinis timentem fuiſſe, quandoquidem per id jurat.

Colligo duo ligna] Quibus accenderet ignem & coqueret placentam.

14· *Quo Jehova in terræ ſuperficiem pluviam dederit*] Eſt in textu תתן, ſed Editiones *Bombergii* & *Ariæ Montani* legi volunt תת *theth*, *Plantini* verò תן *then*, quæ ſunt regulæ conſentanea. At *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. III. c. IX, 28. negat opus eſſe his notis Maſſorethicis, cùm retineri poſſit τὸ *Chethib*, & legi תתן hoc ſenſu, *donec dederis*, ô Domine, *pluviam ſuper faciem terræ.* Verùm dura hæc eſt ἀποστροφὴ ad Deum, in ſermone familiari. Sed, ſi *Cappello* credimus, poſſet etiam eſſe enallage generis fœminini, pro maſculino, vel perſonæ ſecundæ pro tertia, cujuſmodi enallagæ ſunt frequentes. Non diffiteor eſſe ejuſmodi enallagas in ſcriptis aut poëticis, aut τῶν משלים ſeu figurato ſtylo ſcriptis, ſed in colloquio hujuſmodi vix admiſerim. Malim itaque legi תן aut תת.

Dignum eſt obſervatu ad hanc hiſtoriam, eos qui de Tyriis rebus ſcripſerant, ſimile quidpiam

13. Elias verò illi, ne timeas, inquit, ingredere, fac prout dixiſti; ſed facito inde
priùs mihi exiguam placentam, eámque adfer ad me; poſteriùs verò tibi, filióque tuo
parabis; 14. etenim, ſic dixit Jehova, Deus Iſraëlis: cadus farinæ non abſumetur,
neque lagena olei deficiet, ad diem uſque quo Jehova in terræ ſuperficiem pluviam de-
derit. 15. Abiit illa & fecit prout dixerat Elias, comeditque ipſe & illa & *tota* fami-
lia ejus, per annum. 16. Cadus farinæ minimè abſumtus eſt, neque lagena olei defecit,
ſecundùm verbum Jehovæ, quod per Eliam proloquutus erat.
17. Poſtea filius mulieris ædium dominæ ægrotavit, vehementiſſimúſque fuit morbus
ejus, donec animam efflaret. 18. Tum verò mulier Eliæ, quid mihi & tibi, inquit, vir
divine? Veniſti ad me, ut *Deo* in memoriam revocares delictum meum, & mortem
filio meo creares. 19. At ille mulieri, da mihi, inquit, filium tuum; tum eum cepit
ex ejus ſinu, tulitque in ſuperius conclave in quo habitabat, & impoſuit lecto ſuo.
20. Dein invocavit Jehovam, &, ô Jehova, inquit, Deus mi, etiámne in viduam, apud
quam

piam obſervaſſe de tempore diuturno, quo pluvia nulla ceciderit; quod nos docet *Joſephus*, cujus hæc ſunt verba Lib. VIII. c. 3. Μέμνηται δὲ τῆς ἀνομβρίας ταύτης καὶ Μένανδρος ἐν ταῖς Ἰθωβάλου τοῦ Τυρίων βασιλέως πράξεσι λέγων οὕτως· ἀβροχία δ' ἐπ' αὐτοῦ ἐγένετο, ἀπὸ τοῦ Ὑπερβερεταίου μηνὸς ἕως τοῦ ἐχομένου ἔτους Ὑπερβερεταίου: *meminit verò hujus ſiccitatis etiam Menander, qui in rebus geſtis Ithobali Tyriorum Regis ſic loquitur: pluviarum ſub eo defectus fuit à menſe Hyperberetæo ad Hyperberetæum ſequentis anni.* Liquet ex Capitis ſequentis initio trium minimùm annorum fuiſſe ſiccitatem, in Hebræorum ſolo, nec credibile eſt in ora maritima frequentiores pluvias fuiſſe.

Quæſiverit autem quiſpiam cur Elias non promiſerit viduæ ad meſſem uſque copiam farinæ & olei, cùm redeuntes pluviæ non illico fruges ſuppeditent. Sed in ejuſmodi ſiccitate, apud Phœnices, qui mari aliunde ad ſe triticum ſubvehi curare facilè poterant, non potuit eſſe tanta inopia tritici iis qui à mercatoribus pecuniâ comparare poterant, ut inveniri non poſſet. Fuit dumtaxat caritas annonæ, quia carò vendebatur Hebræis, qui poterant eam ſibi comparare, & neceſſe habebant quovis pretio emere; ſed ceteroqui non deerat in Tyriorum, Sidoniorúmque apothecis; ad quas ex Aſia Minore, Græcia ejúſque inſulis, Africa & Ægypto, advehi poterat. Verùm interea pauperiores, propter caritatem, omnia ſua abſumunt & inediâ tandem pereunt, donec tempeſtate mutatâ & copioſæ meſſis ſpe adfulgente, avarorum mercatorum aperiantur apothecæ, & vili pretio annona proſtet. Ideò Propheta farinam viduæ non defuturam pollicetur, ante diem, ſeu tempus, quo Deus pluvias Chananææ redderet.

15. *Ipſe & illa*] הוא והיא *hou vahi*, quod non video cur ſit mutandum in היא והוא *hi vahou*, ut eſt in lectione marginis; quod etiam rectè animadvertit *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. III. c. XVII, 33. Vulgatus τὸ *Chetib*, LXX. Intt. τὸ *Keri* ſunt ſequuti.

Tota familia] *Domus ejus.* LXX. Intt. τὰ τέκνα αὐτῆς. Antea unius filii mentio facta eſt; quare non video quî alii ei liberi tribui queant, niſi fortè alios haberet, qui cum ea non vivebant, veneríntque ad matrem, poſtquàm intellexerunt non defore unde apud eam alerentur. Sed non neceſſe eſt vocem ביתה *bethah* intelligi de liberis, cùm conſanguineos etiam ſignificet; qui eadem de cauſa ad conſanguineam venire potuerunt, ut divinâ liberalitate ſuſtentarentur.

Per annum] ימים jamim, *dies*. Quâ voce annum ſignificari diximus, nec ſemel oſtendimus. Cùm autem hæc fames non tantùm tres annos, ſed tres annos & dimidium durarit, ut docemur Luc. IV, 25. eúmque poſt annum famis exactum ad viduam illam veniſſet Elias; annus, de quo loquitur Hiſtoricus Sacer, videtur poſtremus annus caritatis annonæ intelligendus, per quem ſolum non tantùm filium, ſed & conſanguineos ſuos hæc vidua aluerit. Verùm LXX. Intt. habent, in Codice Alexandrino, ἀπὸ τῆς ἡμέρας ταύτης, nam in Vaticano & aliis Codicibus ſunt omiſſa; unde & Vulgatus: *& ex illo die*, quaſi ſcriptum fuiſſet מן היום ההוא *min hajjom habou*. Crediderim potiùs eos ita vertiſſe, quòd non ſatis intelligerent unde ſumendum eſſet initium anni, per quem vidua familiam ſuam aluerat.

Donec animam efflaret] *Donec non remaneret in eo halitus*, נשמה, *nſchamah*.

18. *Quid mihi & tibi*] Eſt formula indignandi, ſat frequens, quâ mulier dolore percita, ob mortem filii, teſtatur ſatius futurum ſibi fuiſſe, ſi numquam ad ſe veniſſet Propheta, nec ulla ſibi cum eo interceſſiſſet familiaritas; cujus adventui filii ſui mortem tribuebat.

Ut Deo in memoriam revocares &c.] Hoc eſt, ut Deus, occaſione adventûs tui, graviores pœnas de me ſumeret. Deus *recordari relictorum* dicitur, quæ plectit, *oblivisci* contrà eorum, quibus ignoſcit. Itaque hoc vult mulier: cùm vir ſanctus ſis & à Deo miſſus, nec ego ſatis religioſè præſentia tua uſa ſim, ut in veræ Religionis officia accuratiùs inquirerem, cùm me ea optimè docere poſſes, nec ſatis ſanctè vixerim, pro beneficio per te à Deo accepto; occaſio fuiſti jacturæ filii mei, quâ me propterea mulctavit Deus. Qui, nimirum, plura à Deo acceperunt, ab iis plura repetuntur. Hæc ſunt cogitationes animi, qui præ mœrore ſatis compos ſui non eſt; alioquin injurium Deo eſſet, beneficiorum ab eo acceptorum gratias non habere, quòd iis uſi, ut par erat, non ſimus.

19. *In ſuperius conclave*] עליה *halijah*. LXX. Intt. ὑπερῷον, Vulgatus, *cœnaculum*. Solebant illic habitare, qui nolebant ſtrepitu familiæ & inviſentium impediri. Simile quid legimus de Eliſæo, Eliæ diſcipulo 2. Reg. IV, 10. Eò etiam ſe conferebant Deum oraturi, qua de re vide Act. I, 13. ubi vide Interpretes.

20. *Etiámne in viduam* &c.] Non eſt hæc interrogatio, ſed querela & deprecatio mali.

 21. *Se*

quam ego diverſor, hoc mali immiſiſti, ut filium ejus occideres? 21. Poſtea ſe ſe extendit ſuper puero tribus vicibus, invocavitque Jehovam, & ô Jehova, inquit, Deus mi, revertatur quæſo anima hujuſce pueri in eum. 22. Exaudivit verò Jehova vocem Eliæ, rediitque anima pueri in illum, & vitam recuperavit. 23. At Elias ſumtum puerum detulit è ſuperiore conclavi domum, cúmque tradidit matri, &, vide, inquit Elias, vivit filius tuus. 24. Mulier verò Eliæ, nunc demum, inquit, intelligo te eſſe virum divinum, & verbum Jehovæ, quod eſt in ore tuo, verum eſſe.

XVIII. Elias à Deo juſſus ad Achabum ſe confert, & incidit in Hobadiam, hominem religioſum, cui trepido ſignificat ſe conventum velle Achabum; quem mox alloquitur & quem jubet convocare Iſraëlitas, quibus ſpectantibus, de Bahalis Sacerdotibus cœleſti miraculo triumphat, eóſque ad internecionem delet, & pluviam Iſraëlitis impetrat.

CAPUT XVIII. 1. ELAPSIS multis diebus, alloquutus eſt Jehova Eliam, poſt annum tertium *famis*, his verbis: ito, & te videndum præbeto Achabo, atque in terræ ſuperficiem pluviam dabo. 2. Abiit ergo Elias, ut ſe Achabo videndum præberet, fames verò Samariæ gravis erat. 3. Tum vocavit Achabus Hobadiam, qui domui ejus præerat (erat autem is Hobadias ſummopere timens Jehovæ, 4. cúmque exſcinderet Izebela Prophetas Jehovæ, centum eorum ſeductos in ſpeluncis, quinquagenos ſimul, abdidit, panéque & aquâ ſuſtentavit.) 5. eique dixit: ito per *Iſraëlitidem* terram, ad omnes fontes aquæ & ad omnes torrentes, ſi fortè invenire poſſimus fœnum, ut vivos ſervemus equos & mulos, néve pecudibus planè ſpoliemur. 6. Itaque diviſerunt inter ſe terram, ut eam peragrarent, & Achabus quidem iter ingreſſus

21. *Se ſe extendit* &c.] יתמודד *jithmoded*, menſuravit ſe; nimirum, ſe ſe extendens ſupra cadaver pueri, quaſi ſtaturam ejus cum ſua comparare vellet. Vide ſimile factum Eliſæi 2. Reg. IV, 34. Eo quidem amplexu, qui vixiſſet potuiſſet fortè calefieri, & ab animi defectu revocari; ſed ubi motus ſanguinis planè deſiit, inutilis per ſe erat. Verùm Prophetæ ſolebant non ſolùm verbis uti, ſed etiam geſtibus, qualis erat manuum impoſitio, aliique id genus; quamvis eorum geſtuum, contactuúmve per ſe nulla eſſet efficacia.

Revertatur, quæſo, anima] Si de Mente hæc intelligantur, argumentum eſſent vulgò notam & creditam fuiſſe immortalitatem Animi; nam qui *revertitur*, corpore egreſſus, ſeorſim à corpore aliquamdiu fuit; ſed quia נפש *nepheſch*, vitam etiam ſignificat, obſcurior eſt hinc ducta ratiocinatio.

22. *Vitam recuperavit*] ויחי vajjehhi, *& vixit*. Hebræi carent verbis compoſitis, eorúmque loco ſimplicibus utuntur. Græci dicerent ἀνέζησεν, Vulgatus habet, *revixit*. LXX. Intt. καὶ ἐγένετο οὕτως. quaſi legiſſent non ויחי, ſed ויהי כן *& fuit ſic*.

23. *Domum*] Inferiorem, nempe, domûs partem, quæ à familia habitabatur.

24. *Nunc demum intelligo* &c.] Debuerat quidem rem intelligere & ſine dubio intellexerat, ex miraculo in oleo & farina tam diu conſpecto. Sed gaudium ob receptum filium fecit ut hujuſce miraculi majorem haberet rationem, quàm prioris.

Verum eſſe] *Veritas.*

In CAPUT XVIII.

1. E*Lapſis multis diebus*] *Et fuerunt dies multi.*

Alloquutus eſt Jehova] *Et verbum Jehovæ fuit ad Eliam.*

Poſt annum tertium famis] בשנה השלישית *in anno tertio*. Sic Vulgatus poſt LXX. Intt. qui habent, ἐν τῷ ἐνιαυτῷ τῷ τρίτῳ. Sed cùm nos doceant Chriſtus Luc. IV, 25. & Jacobus V, 17. hanc famem fuiſſe per triennium & ſex menſes, vertimus *poſt annum tertium*, quæ eſt aliquando ſignificatio præpoſitionis ב, ut multis oſtendit ad ejus X ſignif. *Chr. Noldius.* Sic Exod. II, 23. *In diebus multis illis*, בימים *bajjamim*, eſt diu poſtea, ſeu poſt multos dies, aut annos. Vide & infra C. XIX, 19. Quâ verſione poſitâ, nulla eſt ratio cur laboremus in redigendis in concordiam verbis Chriſti & Jacobi, cum narratione Hiſtorici Sacri: quemadmodum vulgò Interpretes faciunt.

Atque in terræ &c.] Poſſit etiam verti, *nam in terræ* &c. quaſi diceret Deus: ne dubites adire Achabum, nam rem ei exoptatam te nunciaturum ad eum mitto.

4. *Centum eorum* &c.] *Et ſumſit Hobadjah centum Prophetas & abdidit eos quinquaginta viros in ſpelunca* &c. Vide & vſ. 13. Intelligendi videntur non Prophetæ tantùm, qui à Deo ipſo adflati & miſſi fuerant, ſed etiam eorum diſcipuli, qui erant veluti candidati Prophetiæ. Vide 2. Reg. C. IV, 38. Impia mulier hos omnes hoſtium loco habebat, quòd idololatriæ ejus infenſi eſſent; & viro facilè perſuadebat favere eos Regibus Judæ, cùm colerent eumdem Deum, Sacráque ei Jeroſolimæ facienda docerent. Quare

ſus eſt ſeorſim, Hobadias verò aliâ viâ ivit ſeorſim.
7. Cùm ergo Hobadias iter faceret, ecce obviam ei venit Elias, quem agnovit, & *coram quo* in faciem procidit, ac, nonne tu es, inquit, dominus meus Elias?
8. Sum verò, inquit ille, ito & dicito domino tuo, Eliam adeſſe.
9. Quodnam autem peccatum admiſi, inquit Hobadias, ut tradas ſervum tuum in manum Achabi, ut me occidat?
10. *Ut* vivit Jehova Deus tuus: *ſic* gens nulla eſt, nullúmve regnum; quò non miſerit dominus meus, ut te quæreret, negarúntque te eſſe apud ſe. Quin etiam à regnis & gentibus jusjurandum exegit, *quo* à ſe te inventum non eſſe *confirmarent.*
11. Tu verò nunc dicis: ito & dicito domino tuo adeſſe Eliam.
12. Nunc autem cùm abs te diſceſſero, ſpiritus Jebovæ te abducet in locum, quem ignorabo, ibóque ut nunciem Achabo *te adeſſe*, qui cùm te non invenerit, me occidet. Servus verò tuus timens eſt Jehovæ, à pueritia ſua.
13. Annon nunciatum eſt domino meo, quid fecerim, cùm Prophetas Jehovæ occideret Izebela, méque abdidiſſe centum viros è Prophetis Jehovæ, & quinquagenos quidem in ſpeluncis, & pane ac aquâ eos ſuſtentaſſe?
14. Nunc autem dicis: ito, ac dicito domino tuo adeſſe Eliam. Ille verò me occidet.
15. At Elias, *ut* vivit, inquit, Jehova, *Deus* exercituum, cui adſto: *ſic* hodie me videndum præbebo Achabo.
16. Abiit ergo Hobadias obviam Achabo, eique *rem* renunciavit; quamobrem Achabus obviam venit Eliæ,
17. cúmque videret Achabus Eliam, nonne tu es, inquit, qui Iſraëlem perturbas?
18. At Elias, non perturbavi, inquit, Iſraëlem; ſed tu domúſque patris tui eam perturbaſtis, cùm, deſertis præceptis Jehovæ, Bahales eſtis ſequuti.
19. Nunc verò congrega ad me univerſum Iſraëlem ad montem Charmelum & Prophetas Bahalis quadringentos quinquaginta, Prophetáſque item luci quadringentos, qui cibum ad menſam Izebelæ ſumunt.
20. Miſit itaque Achabus ad omnes Iſraëlitas, *qui eos accerſerent*, coëgitque Prophetas ad montem Charmelum.
21. Tum acceſſit Elias ad totum populum, & quò uſque, inquit, claudicabitis duabus opinionibus? Si

re magnus fuit Hobadiæ animus, qui tot Prophetas furenti Reginæ eripere auſus eſt.

5. *Ut vivos ſervemus*] Plerique ſine dubio jam erant mortui, ſed Regi ſupererant nonnulli; quia ſiquid ſuperfuerat fœni, paleæ, aut hordei, id ſuſtentandis regiis jumentis, pecudibúſque abſumebatur.

Neve pecudibus planè ſpoliemur] נכרית מן-בהמה *nachrith min behemah*, ut eſt in margine מהבהמה *mehabbehemah*. Subaudiendum aliquid, quale eſſet כל נפש *chol nepheſch*, aut כל חיה *chol hhajah*, *omne animal à pecudibus exſcindamus*, ſeu occidere cogamur, quia non poſſunt à nobis ampliùs ali. Fortè etiam exeidit aliquid, quale כל היתר chol hajjether, *omnes reliquias* è pecudibus, jumentiſque, ceteris omnibus abſumtis.

8. *Eliam adeſſe*] *Ecce Eliam.*

9. *Quodnam peccatum*] Sibi, nempe, nullius delicti in cultu veri Dei conſcius erat; ideoque non putabat Deum velle de ipſo pœnas ſumere, quaſi de negligentiore ſui cultore.

Ut tradas &c.] Vide vſ. 12.

10. *Ut vivit* &c.] *Vivit Jehova* —— *ſi eſt gens* &c.

Gens nulla eſt &c.] In viciniа, nempe, ad quam confugiſſe Elias credi poſſet; quales erant Idumæorum, Moabitarum, Hammonitarum, Syrorum, Phœnicum, Arabum.

12. *Spiritus Jebovæ te abducet*] Aut *tollet*, vel rapiet, ſeu per aërem, vel aliâ ratione. Vide 2. Reg. II, 16. Ezech. III, 12, 14. Act. VIII, 39, 40.

Me occidet] Crediturus, nempe, te à me fuiſſe præmonitum, ut abires.

13. *Quinquagenos*] *Quinquaginta, quinquaginta.*

15. *Cui adſto*] Vide vſ. 1. Capitis antecedentis.

17. *Iſraëlem perturbas*] עכר *hocher*, quo verbo ſignificatur non tantùm perturbatio, ſed etiam calamitas, quæ ex perturbatione ſequitur, ut liquet ex hiſtoria, quæ exſtat, Joſ. VII, 1. & ſeqq.

18. *Deſertis præceptis* &c.] *In deſerendis præceptis Jebovæ & iviſti poſt Babales.*

19. *Ad montem Charmelum*] Qui erat in finibus dimidiæ Tribûs Manaſſæ, ad mare Mediterraneum.

Qui cibum ad menſam &c.] Octingentos quinquaginta Prophetas aut Bahalis, aut Luci, quem ipſa plantaverat, aluiſſe videtur non ſemper, ſed tempore famis, quale hoc erat; cùm ars illorum, propter plebis ab iis decipi ſolitæ paupertatem, homines non aleret. Hinc colligere licet, quàm Idololatriæ dedita eſſet furioſa mulier, quæ tot Impoſtores ſuſtentaret. Quæ ceteroqui conjiciuntur, de hiſce Prophetis, incertiſſima ſunt. Credidit *Joan. Seldenus*, ut liquet ex ejus Opere de Diis Syris, Syntagm. II. cap. II. נביאי האשרה *nbie haaſcherah* eſſe *prophetas Aſtartæ* quod negare quidem noluerim, ſed non ſequitur אשרה propterea nomen eſſe Deæ. Lucus erat, in quo fortè Dea illa colebatur, & in quo Pſeudo-prophetæ illi verſabantur. *Prophetæ luci* non ſunt Prophetas Bahalis ſequuti, quod cur factum ſit non docet Hiſtoria Sacra.

21. *Claudicabitis duabus opinionibus*] על שתי הסעפים *hal ſchthe haſſehiphim*. LXX. Intt. ἐπ' ἀμφοτέραις ταῖς ἰγνύαις, Vulgatus, *in duas partes.* Qui ſenſus quidem bonus eſt; ſed cùm conſtet סעיף *ſabiph*, cogitationem eſſe, maluimus receptam & propriam ſignificationem ſequi.

Si Jehova Deus eſt, eum ſequimini; ſin verò Bahal, eum ſequimini. Nec verbum ullum ei repoſuit populus. 22. Elias verò populo, ego quidem, inquit, Propheta Jehovæ ſolus remanſi; Prophetæ verò Bahalis ſunt quadringenti quinquaginta. 23. Date autem nobis duos juvencos, eligántque ſibi alterum juvencum, quem in partes ſecent, imponántque lignis, ſed ignem non ſubjiciant. Ego verò alterum juvencum mactabo, quem imponam lignis, nec ignem ſubjiciam. 24. Tum invocabitis nomen Dei veſtri, at ego invocabo nomen Jehovæ; Deus autem qui reſponderit, igne *demiſſo*, ille Deus erit. Reſpondit verò univerſus populus, & rectè, inquiunt, dicis.

25. Ibi Elias Prophetis Bahalis, eligite, inquit, vobis alterum juvencum & primi mactate, nam plures eſtis; invocate deinde nomen Dei veſtri, ſed ignem ne ſubjicite. 26. Captum illi juvencum, quem iis dabat, mactarunt, invocarúntque nomen Bahalis, à matutino tempore ad meridiem, his verbis: ô Bahal, exaudi nos; nec vox ulla *edebatur*, aut quiſquam reſpondebat. Saltabant verò ad altare, quod factum erat. 27. At ſub meridiem, illudebat eis Elias, &, clamate, inquiebat, magnâ voce, nam

qui. Elias Iſraëlitis exprobrat, quòd nunc Jehovám, nunc Bahalem, aut utrumque ſimul colerent; quæ varietas ab eo eleganter confertur cum *claudicatione*. *Joſephus* in hac hiſtoria: μέχρι πότε διῃρημένοις αὐτοῖς τῇ διανοίᾳ ϗ ταῖς δόξαις οὕτως βιώσειν ἔφασκε: *dicebat quonſque victuri eſſent, diviſi mente & opinionibus.* Simili loquutione uſus eſt *Homerus* Iliad. N, 280. ad exprimendum affectionem animi militis, qui exſpectétne hoſtem, an fugiat dubitat:

Οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσθ' ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμὸς,
Ἀλλὰ μετοκλάζει, καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει.

Neque ei quietè ut maneat continetur in pectore animus, ſed mutat ſedem, in utroque pede ſtat.

Si Jehova Deus eſt] Non poterant utrumque conjungere, ut faciebant vulgò Ethnici cultum plurium Deorum; quia verus Deus eſt אל קנא *Deus zelotypus*, qui ſibi commenticios Deos adjungi non patitur.

22. *Propheta Jehovæ ſolus* &c.] Ceteri diffugerant in agros Tribûs Judæ, aut in alios vicinos, ne ab Izebela occiderentur.

24. *Reſponderit igne demiſſo*] Vel exaudiverit invocantes, igne, quo victima abſumatur, è nubibus demiſſo. Quamvis ignem è nubibus demittere non ſit fortè ſupra Cacodæmonum potentiam; attamen nihil, Deo nolente, poſſunt, nec Deus patitur, comparatione ipſius cum Diis commenticiis inſtitutâ, paria per omnia ſuis à Cacodæmonibus fieri miracula. Tum enim hominum fides neceſſariò vacillaret, nec quid amplecterentur ſatis expedire poſſent. Miraculum autem ignis è cœlo demittendi, ut victima eo abſumeretur, non ſemel ediderat Deus. Vide Levit. IX, 24. Jud. VI, 21. 1. Paral. XXI, 26. 2. Par. VII, 1, 3.

24. *Reſpondit univerſus populus* &c.] Antea Achabi, ut videtur, metu, Eliæ ad cultum veri Dei revocanti nihil reſpondere auſi fuerant; nunc verò cùm id offerret Elias, quod Achabus recuſare non poterat, ſine ſumma infamia, conditionem accipiunt. Obſervatu dignum eſt Pſeudo-prophetas Bahalis, quorum erat reſpondere Eliæ, tacuiſſe nec conditionem accepiſſe, niſi poſtquàm jam acceptam à populo viderant, nec à ſe tutò rejici poſſe; ſi enim eam repudiaſſent, eo ipſo victos ſe confeſſi eſſent.

26. *Quem eis dabat*] Quem eligendum concedebat.

Invocarúntque nomen Bahalis &c.] Hæc ſunt aut hominum verè de Bahalis Numine perſuaſorum, ſperantiúmque fore ut miraculum, quo cultum ſuum tueretur, ederet; quales fortè erant nonnulli Bahalis Prophetæ & ipſi decepti: aut hominum periculoſo certamine implicitorum, & dum invocabant Bahalem cogitantium de eo, quod fieri poſſet ut ignis clam injiceretur lignis victimæ ſubjectis: vel ſperantium rem Eliæ meliùs non ceſſuram, nec locum calumniæ defuturum, quâ miraculum elevarent. Interea certamen hoc refugere non poterant.

Quod diximus, nonnullos Prophetarum fortè verè crediſſe Bahalem, ut ſe, cultúmque ſuum defenderet, ignem è cœlo demiſſurum, non eſt cur quiſquam miretur. Poterant enim narrationes vulgò hominum ſermonibus jactari ſimilium miraculorum, per Aſiam, cùm fuerint poſtea frequentes in Græcia & in Italia; quod multis exemplis oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 35. cui tam multis teſtibus, fidem abrogare difficile videtur, cùm hæc Cacodæmonis potentiam non ſuperent, qui eſt ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος Epheſ. II, 2. & in elementa multa poteſt, ignémque è cœlo in greges Jobi immiſiſſe dicitur Job. I, 16.

Saltabant verò ad altare] יפסחו על המזבח *jephaſſebbon halbammizbeabb.* LXX. Intt. διέτρεχον ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου. Vulgatus: *tranſiliebant altare.* Sed Idololatræ circa altaria ſaltabant. Vide Exod. XXXII, 6.

Quod factum erat] אשר עשה *quod fecerat*, nempe, כנה qui ædificarat illud altare, quiſquis eſſet. Sæpe nominativum omittunt Hebræi.

27. *Nam Deus eſt*] Ironicè *Deum eſſe* ait, atque ex ſententia Pſeudo-prophetarum, exauditurúmque, ſi conſtantiùs invocetur.

Sed ei eſt meditatio] כי שיח *chi ſchiabb.* Primùm כי vertimus, *ſed*, ita poſtulante, ut videtur, ſenſu; deinde שיח *ſchiabb* meditationem, ut 1. Sam. I, 16. quia qui meditatur paullò adtentiùs, non audit interdum ſe nomine appellantes. LXX. Intt. ἀδολεσχία αὐτῷ ἐστί. Vulgatus, *forſitan loquitur.*

Occupatio] וכי שיג לו *vechi ſchig lo.* A נשג *adprehendit* deducunt, nec incommodus eſt ſenſus. Pro his verbis & ſequentibus וכי דרך לו *aut iter illi*, habent LXX. Intt. καὶ ἅμα μήποτε χρηματίζει αὐτὸς, quod quomodo cum iis conſentiat non intelligo. Vulgatus, *aut in diverſorio eſt.*

Aut

nam Deus eſt, ſed ei eſt meditatio, aut occupatio, aut iter; forſitan etiam dormit & excitabitur. 28. Clamabant ergo voce magnâ, ſéque, pro more ſuo, gladiis & cultris incidebant, donec ſanguis in eos effunderetur. 29. Cùm verò præteriiſſet meridies & vates agerent ad tempus, quo offertur munus; neque vox ulla *edebatur*, nec quiſquam reſpondebat, nec ulla adtentio *adhiberi ab ullo videbatur*, 30. Tum Elias univerſo populo, accedite, inquit, ad me. Acceſſit ad eum totus populus, & inſtauravit altare *quoddam* Jehovæ, *quod erat* dirutum. 31. Sumſit Elias duodecim lapides, pro numero duodecim filiorum Jacobi, quem Jehova hiſce verbis alloquutus erat: nomen tibi erit Iſraëli; 32. ædificavitque illis lapidibus altare, de nomine Jehovæ *vocandum*, & fecit canalem, qui ſata duo ſementis poſſet capere, circa altare. 33. Dein diſpoſuit ligna, concîditque juvencum in fruſta, quæ lignis impoſuit. 34. Poſtea, implete, inquit, quatuor cados aquâ, eámque in holocauſtum & ligna effundite. *Rem*, inquit, iterate; & iterarunt. Tertiùm, inquit, repetite; & tertiùm fecerunt. 35. Aqua verò circa altare flue-

Aut iter, forſitan etiam dormit &c.] Quamvis hæc de Deo dicta longè ſint abſurdiſſima, attamen Idololatræ talia credere potuerunt, quod ex *Homero* intelligimus, apud quem Iliad. Α, 422. Thetis negat ſe poſſe convenire Jovem, quòd iviſſet ad Æthiopas, nec rediturus eſſet ante duodecimum diem.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν, μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας,
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.
Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖτις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.

Jupiter enim ad Oceanum, ad eximios Æthiopas, heri ivit ad convivium, Dii ſimul omnes ſequuti ſunt, duodecimo verò die iterum veniet. In fine ejuſdem libri:

Ζεὺς δὲ πρὸς ὃν λέχος ἤϊ' Ὀλύμπιος ἀστεροπητὴς
Ἔνθα πάρος κοιμᾶθ', ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι,
Ἔνθα καθεῦδ' ἀναβάς· παρὰ δὲ χρυσόθρονος Ἥρη.

Jupiter autem ad ſuum lectum ivit, cœleſtis fulgurator, ubi antea dormiebat, quando eum dulcis ſomnus invadebat. Cùm adſcendiſſet, illic dormivit, juxta autem erat ſedem auream habens Juno. Fateor hæc fuiſſe ſomnia Græcorum, ſed ſapientiores fuiſſe non videntur Chananæi.

28. *Gladiis & cultris incidebant*] Sic ſolebant etiam Iſidis, Magnæ matris Deûm, & Bellonæ ſacrificuli; quæ conſuetudo ex Oriente in Græciam tranſierat, indéque in Italiam. *Seneca*, in Libro de Superſtitione apud *Auguſtinum* de C. D. Lib. VI. c. 10. *Ille viriles ſibi partes amputat, ille lacertos ſecat. Ubi iratos Deos timent, qui ſic propitios merentur? Dii autem nullo debent coli genere, ſi & hoc volunt. Tantus eſt perturbatæ mentis & ſedibus ſuis pulſæ furor, ut ſic Dii placentur, quemadmodum ne homines quidem ſæviunt teterrimi & in fabulas traditæ crudelitatis. Tyranni laceraverunt aliquorum membra, neminem ſua lacerare juſſerunt. In regiæ libidinis voluptatem, caſtrati ſunt quidam; ſed nemo ſibi, ne vir eſſet, jubente domino, manus intulit. Se ipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant.* Apuleius Lib. VIII. de circumforaneis Matris Deûm geſtatoribus; *Brachiiſque ſuis humero tenus renudatis, attollentes immanes gladios ac ſecures euantes exſiliunt, incitante tibiæ cantu, lymphaticum tripudium. —— Diúque capite demiſſo, cervices lubricis intorquentes motibus, crinéſque pendulos rotantes in circulum, & nonnumquam morſibus ſuis incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, ſua quique brachia diſſicant. Inter hæc, unus ex illis baccbatur effuſiùs —— Infit vaticinatione clamoſâ, conficto mendacio, ſemet ipſum inceſſere, atque criminari, quaſi, contra fas ſanctæ religionis, deſignaſſet aliquid & inſuper juſtas pœnas noxii facinoris ipſe ſuis manibus expoſcere. Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis tæniis lanoſi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſellatum, indidem ſe ſe multinodis commulcat ictibus; mirâ contra plagarum dolores præſumtione munitus. Cerneres profectu gladiorum, ictúque flagrorum ſolum ſpurcitie ſanguinis effeminati madeſcere.* Nihil attinet plura exſcribere, aut ex Chriſtianis Scriptoribus proferre. Vide, ſi lubet, *Lactantium* Lib. I. c. 21. Inſt. Divin. Interea hinc videre eſt, non apud Barbaros mòdò, quales erant Chananæi, ſed & apud Græcos & Romanos, ſtudiis litterarum excultos, talia Religionum monſtra fuiſſe.

29. *Vates agerent*] ויתנבאו *vajjithnabbeon*. Hoc eſt, fanaticis & violentis motibus, quaſi furore divino perciti, corpus agitabant. Vide 1. Sam. XVIII, 10.

Ad tempus quo offertur munus] Nempe, veſpertinum, circa horam nonam, ab orto ſole. Loquutio eſt à conſuetudine & uſu Templi Jeroſolimitani deſumta. *Joſephus* Antiq. Lib. XIV. c. 8. Δὶς τῆς ἡμέρας, πρωΐ τε καὶ περὶ ἐνάτην ὥραν ἱερουργούντων ἐπὶ τοῦ βωμοῦ. *Cùm bis in die, mane & circa horam nonam Sacra fiant in altari* &c. Vide Intt. ad Act. III, 1.

31. *Nomen tibi erit Iſraëli*] Vide Gen. XXXII, 28.

32. *De nomine*] בשם *bſchem*, in nomine; hoc eſt, quem vocavit altare Jehovæ, cùm alterum eſſet altare Bahalis.

Qui ſata duo ſementis poſſet capere] *Secundum domum ſatorum duorum.* Hoc eſt, qui ſpatium occupabat, in quo ſeri potuiſſent circiter viginti libræ tritici. Vide ad Gen. XVIII, 6. LXX. Intt. habent θάλασσαν χωροῦσαν δύο μετρητὰς σπέρματος. Vulgatus: *quaſi per duas aratiunculas.*

33. *Concîditque juvencum* &c.] Ut holocauſtum Deo offerret, jure prophetico; alioquin enim per Sacerdotem fieri hæc oportuiſſet.

34. *Implete quatuor cados* &c.] Ne minima ſuſpicio frandis eſſe poſſet, quaſi ignis fuiſſet clam ſubjectus, útque miraculi magnitudo inſignior eſſet, & Iſraëlitas magis percelleret.

fluebat, & canalem etiam impleverat. 36. Eo verò tempore, quo offertur munus; acceſſit Elias Propheta & dixit: ô Jehova, Deus Abrahami, Iſaaci & Iſraëlis, intelligant hodie te eſſe Deum in Iſraële, me verò ſervum tuum, qui hæc omnia juſſu tuo feci. 37. Exaudi, ô Jehova, exaudi, ſciátque hic populus te Jehovam Deum eſſe, túque animum ejus retrò revocato. 38. Tum cecidit ignis Jehovæ, qui abſumſit holocauſtum, & ligna, & lapides & pulverem; & aquam, quæ in canali erat, lambit.

39. Vidit *hæc* totus populus, conciditque in faciem & dixit: Jehova Deus eſt, Jehova Deus eſt. 40. Ibi Elias illis, adprehendite, inquit, Prophetas Bahalis, nec quiſquam eorum evadat. Itaque adprehenderunt eos, deduxitque homines Elias ad torrentem Kiſonem, ubi eos jugulavit. 41. Dixit deinde Elias Achabo: adſcende, bibe & comede; nam eſt multæ pluviæ ſonitus. 42. Adſcendit verò Achabus, ad comedendum & bibendum; at Elias in verticem Charmeli adſcendit, ſéque in terram incurvavit, & faciem inter genua ſua poſuit. 43. Tum puero ſuo, ito nunc, inquit, & proſpice mare versùs. Ivit verò puer & proſpexit; neque, inquit, quidquam eſt. Revertere, ait *Elias*, ſepties. 44. At ſeptimâ vice, en, inquit, nubem parvam, inſtar volæ hominis, quæ adſcendit è mari. Tum Elias, ito, inquit, dic Achabo; junge *currum* & abito, ne te prohibeat pluvia. 45. Continuò verò cœlum obtenebrabatur, craſſis nubibus & vento, fuitque pluvia magna. At Achabus curru conſcenſo, Jizre-

36. *Juſſu tuo*] *In verbo tuo.*

37. *Te Jehovam Deum eſſe*] Hoc eſt, te qui Jehova, hoc eſt, creator vocaris, eſſe Deum, non verò Bahalem. Scire hoc quidem debuiſſent Iſraëlitæ, ex antiquis miraculis, quorum hiſtoria libris ſacris Moſis, ejúſque ſucceſſorum narratur; ſed hæc volumina tunc rara erant & pleriſque ignota. Quin & Pſeudo-prophetæ falſas eſſe eas hiſtorias ſine dubio dictitabant.

Retro revocato] *Converte cor eorum retro*; hoc eſt, fac ut redeant ad cultum tuum, quem deſeruerunt.

38. *Ignis Jehovæ*] Ignis qui è nubibus cecidit inſtar fulminis, quod *ignis Jehovæ* vocari ſolet. Vide de Sodomæ ſubverſione §. IV.

Et lapides, & pulverem] Quos, nimirum, divinitus accenſus & ardens ignis in calcem redegit; quod fuit indicium extraordinarii ignis.

Lambit] Hoc eſt, circa ejus ſuperficiem arſit; unde intelligere etiam erat naturalem hunc ignem non fuiſſe.

40. *Ad torrentem Kiſonem*] Qui juxta montis Charmeli radices fluit, ut cadavera Pſeudo-prophetarum in mare, cum ejus aquis, devolverentur.

Ubi eos jugulavit] Quamvis ex Lege Moſaïcâ Iſraëlitæ, qui alienorum Deorum cultum inducebant, occidi jure poſſent, quòd in Deum Reipublicæ populi Hebræi ſummum Magiſtratum rebellarent; attamen hoſce occiſos non tam eo jure putarim, quàm quòd Izebelæ auctores fuerant ut occideret Prophetas Dei Iſraëlis, quot quot adprehendere poſſet. Vide Cap. XVIII, 3. Vix enim alii ejuſmodi laniénæ auctores eſſe potuerunt; imò fortè eam ipſi exſequuti ſunt, certè probarunt. Alioquin etiam multi ex Iſraëlitis, qui minimè Bahalis Prophetas agebant, nec eo ſeciùs idololatriam ejus promoverant, exercuerántve, etiam occidendi fuiſſent ex lege quæ exſtat Deuter. XIII. Res ipſa oſtendit hoc exemplum non poſſe trahi ad eos, qui hodie *Hæretici* vocantur; qui eumdem Deum colunt, ac ii qui ſe *Orthodoxos* vocant, quicumque ſint. Non ſequuntur Eliam, qui diſſentientes à ſe in Religionis capitibus nonnullis, licèt eumdem Deum colant, & moribus ſuis neminem offendant, occidunt aut malè mulctant; ſed ambitioni, ac crudelitati ſuæ obſequuntur. Adde quòd, ſi omnia paria ſtatuantur, non ſit idem ſpiritus Evangelii, qui erat Legis, vetueritque propterea Chriſtus diſcipulos ſuos aliud Eliæ factum imitari, Luc. IX, 55, 56.

Ceterùm Elias *jugulaſſe* eos dicitur, quos juſſit jugulari: ἀπέκτειναν, Ἠλία παρακελεύσαντος, ut habet *Joſephus*.

41. *Adſcende*] In collem quempiam excelſiorem, in quo cœnare conſtituerat. Aut fortaſſe *adſcende* perinde eſt ac *abi*, ut vſ. 43. & alibi paſſim. *Joſephus*: *ἔφη δὲ τῷ βασιλεῖ πορεύεσθαι πρὸς ἄριστον, dixit Regi abiret ad prandium.* Meliùs dixiſſet δεῖπνον, *cœnam*, veſperi enim hæc geſta ſunt.

Multæ pluviæ ſonitus] *Vox multitudinis pluviæ.* Nondum à quoquam exaudiebatur ventus ullus pluvius; ſed Elias, ſpiritu prophetico plenus, jam veluti audiebat, quod mox futurum eſſe noverat.

42. *Faciem inter genua*] Hoc eſt, convertit vultum ad genua. In genua, nempe, conciderat, & præterea vultu in ea converſo, terram versùs, Deum orabat.

43. *Puero ſuo*] Qui miniſteria neceſſaria, apud eum, obibat.

Mare versùs] *Viam maris*; nimirum, Mediterranei, unde ventum pluvium occidentalem vapores advehere oportebat.

Septies] In memoriam creationis ſeptem diebus peractæ, quod paſſim in Libris Sacris occurrit.

44. *Junge currum*] *Liga* (ſcilicet, equos) *& deſcende.* Sub dio, nempe, convivabatur Achabus.

45. *Continuò verò*] ויהי עד כה ועד כה *& fuit huc uſque & huc uſque, & obtenebrati ſunt cœli* &c. LXX. Intt. ad verbum ἕως ὧδε καὶ ἕως ὧδε. Vulgatus; *cùm ſe verteret huc atque illuc.* Alii vertunt *interim*, quod nec damnarim; comparántque cum hoc loco Virgiliana verba, Æneid. IV, 60.

Interea magno miſceri murmure cœlum
Incipit, inſequitur, commiſtâ grandine, nimbus.

At-

Jizrehelem abiit. 46. Manus verò Jehovæ Eliam corripuit, accinctiſque lumbis, currebat ille ante Achabum, ad ingreſſum uſque Jizrehelis.

XIX. Izebela, auditâ cæde Prophetarum Bahalis, denunciat mortem Eliæ, qui in Arabiam deſertam fugit, ubi cibum ab Angelo accipit. Juſſus ire Chorebum illuc intra quadraginta dies pervenit, ubi Deus eum alloquitur, & mittit unctum Reges Syriæ & Iſraëlis, Eliſæúmque Prophetam.

1. RENUNCIAVIT verò Achabus Izebelæ quidquid fecerat Elias, omnéſque CAPUT
Prophetas ab eo eſſe gladio occiſos; 2. miſitque Izebela nuncium ad Eliam, XIX.
qui ei diceret: ſic ſe gerant Dii *erga me*, & ſic porrò *ſe gerere* pergant: *ut* ego
cras, hoc tempore, vitam tuam habebo, ſicut vitam cujuſvis illorum habuiſti. 3. Quod
cùm ille intellexiſſet, ſurrexit & abiit, vitæ ſuæ causâ, & pervenit Beerſebam, quæ
urbs eſt Judæ, quo loco puerum ſuum reliquit. 4. Ipſe verò ivit in deſertum, per.
unius diei iter, pervenitque ad geniſtam, ſub qua ſedit, ac petiit *à Deo* ut vitam morte commutaret; &, ſatis, inquit, nunc *tibi ſit*, ô Jehova, aufer vitam meam, neque
enim Majoribus meis potior ſum. 5. Tum procumbens in ſomnum delapſus eſt, ſub
ge-

Attamen עד כה *huc uſque* repetitum videtur ſignificare vix rem eò uſque progreſſam fuiſſe, cùm cœlum miſceri cœpit.

Curru conſcenſo] *Et curru vectus eſt Achabus & abiit.*

Jizrehelem] Urbs fuit in finibus Manaſſæ & Iſſaſcharis, de qua ad Joſ. XIX, 18. Hinc autem colligere eſt non uſque adeò remotam hanc fuiſſe urbem à monte Charmelo, quàm in nonnullis tabulis pingitur. Aut Jizrehel magis fuit ad occaſum, aut montis Charmeli jugum, in quo erat Elias, magis fuit ad ortum, quàm vulgò creduntur. Neque enim in urbem remotam, pluviæ causâ, fugiſſet Achabus.

46. *Manus Jehovæ*] *Et manus Jehovæ fuit ad Eliam*; hoc eſt, potentia Dei factum eſt, ut Eliæ vires ſuppeditarentur, ad currendum ante currum Achabi. Oſtendebat eâ ratione ſe bene velle Achabo, & omnem honorem ei exhibiturum, ſi modò Deum Iſraëlis coleret. Alioqui potuiſſet videri contemtim eum alloquutus, in oratione, quæ habetur vſ. 18.

Accinctiſque lumbis] Hoc eſt, ſublatâ veſte talari, & ad lumbos arctiùs accinctâ, ut expeditiùs curreret.

Currebat ille ante Achabum] Inſtar viliſſimi cujúſque curſoris, qui, citato gradu, currum Regis antecedebat. *Eutropius* ſuperbiæ ſingulari Diocletiani tribuit, quod *per aliquot millia paſſuum purpuratus* (Maximianus) *ad ejus vehiculum cucurrerit*. Lib. IX. c. 24. Qualia etiam habet *Sex. Rufus*. Si paſſus eſt libenter Achabus tantum Prophetam vile hoc miniſterium ſibi exhibere, non minoris fuit ſuperbiæ, quàm Diocletianus.

Ad ingreſſum uſque] *Donec venias.* Urbem ingreſſus eſſe non videtur, ob crudelitatem Izebelæ.

In CAPUT XIX.

2. *Miſit nuncium*] Iracundiæ hoc fuit muliebris, non prudentiæ; quæ occultari conſilium ſuadebat, donec exſequutioni mandari poſſet, ne interea aufugeret Propheta, aut populus ad eum defendendum tumultuaretur.

Sic ſe gerant &c.] *Sic faciant Dii & ſic addant, quod veluti hoc tempore cras* &c. Nota jurandi formula.

Vitam tuam habebo] *Ponam animam tuam.*

3. *Quòd cùm ille intellexiſſet* &c.] *Et vidit & ſurrexit & abiit.*

Vitæ ſuæ causâ] אל נפשו *el naphſcho.* LXX. Intt. κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, & Vulgatus: *quocumque eum ferebat voluntas.* Quod prorſus verum non eſt, nam quò voluit non ivit, quippe qui coactus eſt fugere in agros Tribûs Judæ, & à finibus quidem Iſraëlis remotiſſimos. Itaque אל vertimus, *propter*, ut 1. Sam. XXI, 1. Sic etiam hunc locum intellexit *Chr. Noldius*, ad particulam אל.

4. *Ad geniſtam, ſub qua ſedit*] *Et venit & ſedit ſub geniſta una.* Hebraïcè רתם *rothem*, quam vocem retinuerunt LXX. Intt. quorum Codices habent ῥαθμὶν, aut ῥαμάθ. Vulgatus, *Juniperum* vertit. Prætulimus *Geniſtam*, quia, apud Arabas & Hiſpanos, ut obſervat *Edm. Caſtellus*, etiamnum hodie *Rasama* dicitur *Geniſta.*

Ut vitam morte commutaret] *Animam ſuam ad moriendum.*

Satis, inquit, nunc tibi ſit] רב עתה *rab hattah*, multùm nunc. LXX. Intt. ἱκανούσθω νῦν. Vulgatus *ſufficit mihi.* Malim ſic ellipticam phraſin ſupplere רב יהי לך יהוה *multùm ſit tibi* (hoc eſt, ſatis, ſupérque) *ô Jehova*; ne ullam præterea à me operam exigas.

Neque enim Majoribus meis] Significare potuit hîc Elias, ſe non fuiſſe dignum longiore vitâ, cúmque ad ſenectutem perveniſſet, jam ſe optare mortem, quam omnes homines hactenus ſubierant. Sed ſunt qui velint Eliæ jam tum revelatum à Deo fuiſſe, fore ut expers mortis eſſet, Eliámque laboribus & malis feſſum, præ nimio mœrore, optare potiùs ſibi præſentem mortem, quâ iis illico eripiatur. Vix crediderim ſanctiſſimum virum, eumdémque ſapientiſſimum mortem prætuliſſe immortalitati, quia morte à malis minimè diuturnis liberandus erat. Itaque priorem interpretationem prætulerim.

5. *In ſomnum delapſus eſt*] Labore & inediâ confectus.

geniſta. Ecce verò Angelum, qui eum tetigit, eique, ſurge, inquit, & comede. 6. Reſpexit Elias, atque ecce ad cervical ſuum placentam *in* prunis & ſcyphum aquæ, comeditque & bibit, iterúmque procubuit. 7. At Angelus Jehovæ denuo reverſus tetigit eum, &, ſurge, inquit, comede; májor eſt enim via, quàm ut *jejunus* eam conficias. 8. Surrexit ergo, comeditque & bibit; ac vi quidem illius cibi, per quadraginta dies & noctes iter fecit, uſque ad montem Dei Chorebum.

9. Illic ingreſſus eſt ſpeluncam, in qua pernoctavit. *Ibi* Deus eum alloquutus, quid tibi hîc eſt, inquit, ô Elia? 10. Ille verò, zelotypiâ, inquit, accenſus ſum, propter Jehovam, Deum exercituum, quia Iſraëlitæ fœdus tuum reliquerunt, altaria tua diruerunt, Prophetáſque tuos gladio occiderunt; ego verò ſolus ſuperſtes ſum, conatique ſunt vitam mihi eripere. 11. Egredere, verò, inquit *Deus*, & ſta in monte coram Je-

Surge & comede] Ne inediâ interiret, quod tamen ut vitaret nihil fecerat Elias, qui invias ſolitudines ſine viatico ingreſſus erat.

6. *Ad cervical*] מראשתיו *meraaſchothau*, ſubaudiendum על *ad*, aut ſimile quiddam, ut 1. Sam. XXVI, 12. Intelligendum quod Prophetæ cervicalis loco erat, ſeu veſtes, ſeu humus paullò excelſior.

Placentam in prunis] עגת רצפים *huggath retſaphim*, placentam prunarum, hoc eſt, quæ in prunis coquebatur. LXX. Intt. ἐγκρυφίας ὀλυρίτης & Vulgatus, *ſubcinericius panis*. Quibus verbis ſignificatur non panis qui adhuc coquebatur, ſed jam ſub cineribus & prunis coctus, de quo vide not. ad Gen. XVIII, 6.

Iterúmque procubuit] *Et rediit & procubuit*, nempe, dormiturus.

7. *Major eſt via* &c.] *Quia multa præ te, aut quam tu eſt via*, כי רב ממך הדרך *chi rab mimmecha badderech*. Senſus eſt, quem vertendo expreſſimus. LXX. Intt. πολλὴ ἀπὸ σοῦ ἡ ὁδὸς. Vulgatus: *grandis enim tibi reſtat via*. Poſterior non expreſſit vim voculæ ממך *mimmecha*, priores ita verterunt ut à Græcè tantùm ſcientibus intelligi non poſſent. Sed notum eſt præpoſitione מן exprimi, apud Hebræos, comparationem.

8. *Vi quidem illius cibi*] Non ei per creationem ipſam conceſsâ, ſed ſingulari divinæ potentiæ efficaciâ.

Per quadraginta dies &c.] Ei qui ab urbe Beerſeba, auſtrum versùs, per diem unum progreſſus erat, non ſupererat iter quadraginta dierum, ut ad montem Chorebum perveniret. Potuit is mons adiri facilè ab homine expedito intra triduum, aut ſummùm quatriduum. Itaque Interpretes Eliam, non aliter ac Iſraëlitas, per eas ſolitudines vagatum eſſe, & poſt multos errores ad Chorebum perveniſſe putant. Fortè rectiùs dixerimus tempus, quo Elias ivit ad eum montem, quo illic manſit, & rediit, fuiſſe quadraginta dierum; quod in brevi narratione ita exprimitur, quaſi quadraginta dies abſumti eſſent in ſolo ad Chorebum itinere.

Ad montem Dei Chorebum] Vide not. ad Exod. III, 1. XVII, 6.

9. *Quid tibi hic eſt* &c.] Quaſi Deus diceret nihil eſſe Eliæ negotii, in ſolitudine, ſed potiùs in locis habitatis, ut illic homines ad veri Dei cultum adduceret, aut in eo confirmaret, paratúſque eſſet obeundis Dei mandatis.

10. *Zelotypiâ* &c.] Hoc vult Elias, ideò ſe veniſſe in Deſertam Arabiam, quòd ſe tæderet Idololatriæ Iſraëlitarum, nec pati æquo animo poſſet quemquam, præter rerum omnium Creatorem coli, præterquàm quòd vitæ ſuæ inſidiarentur.

Altaria tua &c.] Quæ ſupererant, hîc illic, in regno Iſraëlitico, à viris religioſis olim, ante conditum Jeroſolimitanum Templum, excitata.

Conatique ſunt vitam &c.] *Quæſiverunt animam meam.*

11. *Mox enim Jehova*] *Et ecce Jehova tranſiens*; hoc eſt, gloria illa divina, ſeu lux inacceſſa & mortalibus oculis non ferenda, quam olim Moſes videre cupierat, Exod. XXXIII, 18. & ſeqq. ubi vide notata.

Ventus magnus &c.] Primùm eſt ventus, poſtea tremor, deinde ignis, ac tandem tenuis ſonitus. Tria priora videntur fuiſſe excitata à ſatellitibus, ſi ita loqui fas eſt, ejus qui ſummi Dei Majeſtatis hîc per ſe legatum agebat, & cujus vox audita eſt, in tenui ſonitu. De Angelo perſonam Dei ſuſtinente vide ad Exod. XX, 1. Multa habet *Jamblichus* de Myſteriis Sect. II. capp. 3 & 4. de apparitionibus Angelorum variorum ordinum & Deorum; & inter alia inferioribus ordinibus tribuit tumultum, Diis verò miram tranquillitatem. Quæ omnia quidem, quaſi vera, non habuerim; ſed quorum tamen nonnulla ex vera traditione derivata ſi quis putet, me adſentientem habebit. Talia fortè hæc ſunt quæ leguntur Cap. III. de apparitionibus inferiorum Spirituum: ταραχὴ δὲ καὶ ἀταξία τοῖς δαιμονίοις φάσμασι συνακολουθεῖ· τοῖς δὲ τῶν Ἀρχόντων κατὰ δόξαν ἑκατέραν ἣν προείπομεν ὁμολογούμενα συνίσταται τὰ ὀπτάσματα· θορυβώδη μὲν φαίνεται τὰ ὑλικὰ· τὰ δ' ἡγεμονικὰ, μονίμως ἑστῶτα ἐν αὐτοῖς· τὰ δὲ τῶν ἡρώων ὑποκινούμενα τῇ κινήσει καὶ μεταβολῆς οὐκ ἄμοιρα: *Dæmonum phaſmata perturbatio & confuſio ſequitur. Archontes utrique, quam de iis præmiſimus, ſententiæ convenientia habent ſpectra; materiæ Archontes feruntur tumultuantes; qui verò regunt ſtabiles & conſtantes ſunt in ſe ipſis. Heroum verò ſimulacra cedunt motui, nec mutationis ſunt expertia.*

Poſt ventum tremor] רעש *rahaſch*, tremor. LXX. Intt. συσσεισμὸς, & Vulg. *commotio*. Terræ motum ſignificat Amoſ. I, 1.

12. *Nec Jehova in igne erat*] Elias nec vocem audivit, nec ſimilitudinem gloriæ divinæ vidit, flante vento, terrâ tremente, aut emicante igne, cujus fulgorem facilè ferebat; unde intellexit nondum adeſſe Angelum illum, qui Dei perſonam ſuſtinebat. Videtur autem hæc fuiſſe ſymbolica admonitio, quâ Deus Eliam fervidioris, ut videtur, indolis hominem docebat ſe nolle id

Jehova, mox enim Jehova tranſiturus eſt. Tunc *exortus eſt* ventus magnus ac vehe-
mens, qui ſubvertebat montes & confringebat rupes, ante Jehovam; ſed Jehova non
erat in illo vento. Poſt ventum tremor fuit, nec tamen erat Jehova, in illo tremore.
12. Poſt tremorem, *emicuit* ignis, nec Jehova in igne erat. Poſt ignem, *fuit* demiſſus
ac tenuis ſonitus. 13. Quem cùm audivit Elias, involvit faciem ſuam pallio, egreſ-
ſúſque ſtetit ad oſtium ſpeluncæ. Ecce verò vox ad eum *edita eſt*, quæ dixit: quid tibi
hic eſt, ò Elia? 14. At ille, zelotypiâ, inquit, accenſus ſum, propter Jehovam, Deum
exercituum, quia fœdus tuum reliquerunt Iſraëlitæ, altaria tua diruerunt, Prophetáſque
tuos occiderunt gladio; ego verò ſolus ſuperſtes ſum, & vitam mihi eripere conati ſunt.
15. Illi verò Jehova, ito, inquit, revertitor per viam tuam, in ſolitudinem Damaſcenam,
eòque pervenito, & ungito Chazaëlem in Regem Aramæorum. 16. Deinde & Jehuum,
Nimſis filium, ungito in Regem Iſraëlis. At Eliſæum, Saphati filium, Abel-meeholâ,
un-

id quod vellet apud homines fieri magno ſtrepitu, magnáque vehementiâ exſequi: quemadmodum fiunt quæ fiunt impetu procelloſi venti, terræ motu, ac fulmine, quæ ſubitò & magno cum fragore contingunt; ſed ſenſim, ac ſine ſenſu, adhortationibus, nimirum, & aliis ſolitis rationibus. Eliam quidam tædebat vitæ, ob idololatriam, cui pertinaciter addictos cernebat Iſraëlitas; quamvis veri Dei Prophetæ innumeris miraculis, & adhortationibus eos ad ſaniorem mentem revocaſſent; optaſſétque Deum tantis morbis violenta remedia admovere, & pertinaces omnes vi divinâ illico malè mulctare. Deus verò vento, terræ motu, & fulmine per Angelos excitatis, quibus minimè tamen aderat, oſtendit ſe ad fines ſuos, ſine tumultu, pervenire malle, & res humanas regere. Vide & quæ habet ad hunc locum *Procopius* Gazæus.

Demiſſus ac tenuis ſonitus] קול דממה דקה *vox ſilentii tenuis*. LXX. Intt. φωνὴ αὔρας λεπτῆς, Latinus: *Sibilus auræ tenuis*. Sed דממה ſignificat *ſilentium*, intelligitúrque ſonitus adeò tenuis ut, non niſi à ſilente, & in loco omni ſtrepitu vacuo audiri poſſet. Sic Job. IV, 16. ubi ſermo eſt de Spiritûs apparitione: דממה וקול אשמע *ſilentium & vocem audivi*; hoc eſt, tenuem vocem audivi. Hæc ſignificant, ut dixi, Deum ſenſim ac ſine ſenſu ad id quod ſpectat pervenire; non magno tumultu & fragore, ut vellent homines omnis moræ impatientes. *Jamblichus* de Myſteriis Sect. II. cap. 3. τὰ μὲν Θεῶν (φάσματα) χαρίεντα τῇ ὄψει ἐλλάμπει: *Deorum ſpecies bonæ oculis adfulgent*. Inferiùs docet Archangelorum, Angelorum, Dæmonum, Archontum & Heroum non eſſe apparitiones ſine tumultu, ut jam vidimus; de Diis verò hæc habet: τὰ μὲν τῶν Θεῶν ἐν παντελῶς ἀμετάβλητα, κατά τε μέγεθος καὶ μορφὴν καὶ σχῆμα καὶ κατὰ πάντα τὰ περὶ αὐτοὺς ὄντα, *Deorum ſpecies eſſe immutabiles magnitudine, forma, & ornatu & in omnibus quæ circa eos ſunt*. Quibus verbis tranquilliora omnia eſſe, in apparitione Deorum, credita fuiſſe ſignificat.

13. *Involvit faciem ſuam pallio*] Ne videret lucem illam inacceſſam, de qua diximus ad Exod. XXXIII, 18, & 22.

Quid tibi hic eſt, ò Elia] Vide ad vſ. 9.

14. *Zelotypia* &c.] Vide ad vſ. 10.

15. *Revertitor per viam* &c.] Viâ quâ veniſti ad Chorebum, hoc eſt, per agros Judæ & Iſraëlis.

In ſolitudinem Damaſcenam] מדברה דמשק. LXX. Intt. rectè ὁδὸν ἐρήμου Δαμασκοῦ, malè Vulgatus: *per deſertum in Damaſcum*.

Ungito Chazaëlem] משחת *unxiſti*, quod eſt perinde ac תמשח thimſchahh, *unges*, ut ſequentia oſtendunt. Si hæc propriè intelligantur, horum fermè nihil exſequutus eſt Elias; nam Eliſæum quidem ſibi ſucceſſorem deſignavit, ſed minimè unxit, certè unctum fuiſſe ex Hiſtoria Sacra non liquet; Chazaëlem verò & Jehuum non tantùm non unxit, ſed ne adivit quidem. Quærunt ergo Interpretes, quid hæc ſibi velint, & qui factum ſit, ut Elias Dei mandata minimè exſequeretur. I. Sunt qui velint reverâ unctos fuiſſe hos tres viros, licèt res in Hiſtoria Sacra reticeatur. Sed liquet ex eadem Hiſtoria 2. Reg. VIII, 16. Chazaëlem ignoraſſe ſe futurum Regem, etiam poſt Eliæ raptum, ac proinde ab eo unctum non fuiſſe. Jehuus etiam, ut docemur ejuſdem Libri Cap. IX, 1. & ſeqq. ignorabat ſe fore Regem Iſraëlis, unctúſque eſt à Prophetæ Eliſæi diſcipulo; quod neceſſarium non fuiſſet, ſi jam ab Elia fuiſſet unctus. Denique unctionis Eliſæi nulla mentio; injecit dumtaxat Elias ei ſuum pallium, ut in ſequentibus videmus. II. Alii ergo malunt verbum *innuge* hîc tralaticio ſenſu ſumi, pro deſignatione, quam Elias fecit, apud animum ſuum, Chazaëlis & Jehui in Reges, hunc Iſraëlis, illum Syriæ, próque electione Eliſæi, quam ſolam reverâ exſequutus eſt Elias, quamvis ſine unctione. III. Alii denique putant Eliæ non mandata dari exſequendi quod ſequitur, ſed tantum poteſtatem conferri faciendi quod dicitur; quaſi Deus ei diceret: petis à me ut ultionem ſumam de idololatris, iiſque qui tibi necem moliuntur. Jam ut hoc conſequaris, licet tibi novos Reges Iſraëlitarum & Syrorum ungere, qui de iis qui tibi inviſi ſunt pœnas repetant.

Poſteriores quidem hæ duæ interpretationes cum Hiſtoria Sacra optimè conſentiunt; ſed non ſatis verbis, quæ hîc uſurpantur, & quæ mandata prorſus continent, conveniunt. Itaque malim hæc pro mandatis habere, ſed quæ Elias cùm intelligeret conjunctum iri cum pernicie multorum Iſraëlitarum, eorum maximæ partis in aliud tempus à Deo exſequutionem differri precatus ſit, quod impetrarit. Cùm habeamus tantùm breviſſimam Hebræorum Hiſtoriam, multa ſunt neceſſariò omiſſa, quæ paſſim nobis ex re ipſa ſupplenda ſunt, modò ne vim ullam verbis Scripturæ inferamus.

16. *Abel-mechola*] Urbs fuit dimidiæ Tribûs Manaſſæ, ad occaſum Jordanis, de qua ad Jud VII, 22.

ungito in Prophetam, loco tuo. 17. Quiſquis evadet gladium Chazaëlis, eum interficiet Jehuus; quiſquis verò fugiet gladium Jehui, eum occidet Eliſæus. 18. At conſervabo in Iſraële ſeptem hominum millia, omnia genua, quæ non flexa ſunt coram Bahale, & omne os, quod eum oſculatum non eſt.

19. Illinc ergo abiit Elias, inciditque in Eliſæum, Saphati filium, qui arabat; ante eum erant duodecim boum paria, ac ipſe quidem erat poſt duodecimum. Ad eum ergo tranſiit Elias, palliúmque ſuum ei injecit. 20. Reliquit verò ille boves, curriculo Eliam ſequutus, & oſculer quæſo, inquit, parentes meos; deinde te ſequar. At *Elias*, ito, inquit, & revertere, quid enim tibi feci? 21. *Eliſæus* verò ab inſequendo Elia reverſus cepit par boum, idque mactavit, & carnem eorum inſtrumentis boum coxit, quam popularibus dedit, qui eam comederunt. Surtexit deinde ille & Eliam ſequutus ei miniſtrabat.

XX. Ben-hadadus Syrorum Rex Achabo bellum infert, Samariámque obſidet. Cum Achabus pacem muneribus redimere vellet, negat Ben-hadadus, pluráque petit, ſed mox ab Achabo cæditur. Sequenti anno, bellum inferens Iſraëli iterum vincitur, capitúrque, ſed dimittitur ab Achabo; is propterea reprehenditur à Propheta, qui mortem ei denunciat.

CAPUT XX. 1. BEN-HADADUS Aramæorum Rex, coactis univerſis ſuis copiis, Regibúſque ſecum triginta duobus, equitibúſque & curribus, expeditione ſuſceptâ Samariam

Ungito in Prophetam] Hoc eſt, conſtitulto Prophetam. Quod fecit illico Elias, quia ſine cujuſquam detrimento fieri poterat. Hic verbo *ungere* uſus eſt Hiſtoricus Sacer, qui ad indicandam conſtitutionem duorum Regum id adhibuerat.

17. *Quiſquis evadet gladium Chazaëlis*] Non ſunt hæc ita universè intelligenda, quaſi omnes Idololatræ, quos non occidit Chazaël, ſint ab Jehuo occiſi; aut quotquot Jehuus ſuperſtites reliquit Eliſæo pœnas dederint, ne uno quidem excepto. Hoc tantùm vult Deus tres illos viros graves pœnas de Iſraëlitis idololatris ſumturos, & quidem diverſis temporibus. De Chazaëlis bellis cum Iſraëlitis vide 2. Reg. VIII, 28. X, 32, 33.

Occidet Eliſæus] Intelligendi ſunt ii qui, Eliſæo Deum orante, pœnas dederunt, ut pueri Bethelenſes 2. Reg. II, 24. & fortè alii, de quibus Hiſtoria Sacra nihil habet.

18. *At conſervabo in Iſraële* &c.] LXX. Intt. καὶ καταλείψεις, Latinus meliùs, *Derelinquam*, nam eſt השארתי *biſcharthi*, in prima perſona. Paulus ſimiliter Rom. IX, 4. κατέλιπον ἐμαυτῷ.

Septem hominum millia] Hinc intelligere potuit Elias non fuiſſe tam paucos, quàm putabat, apud Iſraëlitas, qui ſe ab omni Idololatria intaminatos ſervaſſent. Numero autem *ſeptem millium* videtur tantùm magnus numerus indicari, ſeu aliquot millia. Sic *ſepties* perinde eſt ac ſæpiùs, Levit. XXVI, 18, 21, 24.

Omne os &c.] Idem exprimitur, aliis verbis; nam Idololatræ cùm coram ſtatuis corpus incurvabant & in genua procumbebant, tum etiam oſculabantur, quod propriè ſuit Latinè *adorare*, hoc eſt, os admovere. Oſculabantur autem os, manus, aut pedes ſtatuarum, ut exemplis oſtendit *Juſt. Lipſius* Elect. Lib. II. cap. 6. Vide & Hoſ. XIII, 2. Interdum etiam adſpecto Dei ſimulacro, manum ipſi ſuam oſculabantur, quò reſpicitur Job. XXXI, 27.

19. *Duodecim boum paria*] Hinc intelligere eſt divitem aratorem fuiſſe Eliſæum.

Poſt duodecimum] בשנים העשר *biſchenem beaſchar*, in duodecim. Sed ב hîc ſumitur pro *poſt* ut Cap. XVIII, 1. nam arator ſemper boves aratrum trahentes ſequitur, ut aratrum regat.

Palliúmque ſuum ei injecit.] Nimirum, ei, quaſi miniſtro mox futuro, pallium ſuum ſervandum injecit; ſed & addidit verba rei convenientia, quamvis hîc reticeantur. Eliſæus enim vix potuiſſet intelligere quid ſibi voluiſſet Elias. In brevibus Hiſtoriis, ut jam dixi, multa omittuntur à prudente lectore ſupplenda; nec umquam ſtatuendum eſt quidpiam dictum, aut factum non eſſe, quia in Hiſtoria reticetur.

20. *Oſculer parentes meos*] *Patrem meum & matrem meam*, iis, nempe, valedicturus antequàm Eliam ſequeretur.

Quid enim tibi feci] כי מה עשיתי לך *chi meh haſchithi lach*. Videtur his verbis indicare Elias, per ſe Eliſæo licere, ut parentibus valediceret; nihil enim ſe feciſſe, quo ſibi hoc diſplicere ſignificaret. LXX. Intt. habent ὅτι πεποίηκά σοι, quod interpretatus eſt Vulgatus: *quod enim meum erat feci tibi.*

21. *Ab inſequendo Elia*] מאחריו *à poſt eum*. Primùm ergo, accepto Eliæ pallio, cum ſequebatur; deinde cum ejus bona venia parentibus valedixit, quo die convivium popularibus ſuis dedit. Sic etiam ſe geſſit Matthæus, ſeu Levi, antequàm Jeſum prorſus ſequeretur. Vide Luc. V, 22 & ſeqq.

Mactavit] יזבחהו jizbahhehou, *ſacrificavit*, quaſi ſolutarem victimam, cujus carnibus amicos excepit.

Carnem eorum inſtrumentis boum coxit] בכלי הבקר בשלם הבשר, *in inſtrumento bovis coxit eos, carnem*. Perinde eſt ac ſi eſſet בשל בשרם *biſſchel bſcharam*, coxit carnes eorum. Vide Exod. II, 6. & *Lud. de Dieu* ad hunc locum. Sic & Hebræi, receptâ à Philiſthæis arcâ, vaccas plauſ-

riam obſedit & oppugnavit. 2· Tum miſit legatos ad Achabum, Regem Iſraë-
lis, in urbem, 3· eique *per eos* dixit: ſic dicit Ben-hadadus: argentum, aurúmque
tuum mea ſunt, uxores tuæ & formoſi tui liberi mei ſunt. 4· Reſpondit verò Rex
Iſraëlis, & prout dixiſti, inquit, domine mi Rex, tuus ego ſum & omnia mea tua
ſunt. 5· Reverſi deinde ſunt legati, dixerúntque: ſic dixit Ben-hadadus: quando-
quidem miſi ad te qui dicerent: argentum, aurúmque tuum, uxores & liberos tuos
mihi dabis; 6· ſi cras, hoc *diei* tempore, ad te miſero ſervos meos, ſcrutabuntur
domum tuam, domúſque ſervorum tuorum, & quidquid tibi *maximè* concupiſcen-
dum videtur id in manus ſuas ſument & auferent. 7· His auditis, convocavit Rex
Iſraëlis omnes terræ ſenes, & intelligite *hinc* quæſo, ac videte, inquit, hunc homi-
nem malum moliri; cùm miſerit ad me *qui peterent* uxores, liberóſque meos, argen-
tum & aurum meum, *quoniam* ea non negavi. 8· Dixerunt verò ei omnes ſenes,
univerſúſque populus: ne *ei* auſcultes, néve adquieſcas. 9· Legatis ergo Ben-hada-
di, dicite, inquit, domino meo Regi, *meo nomine*, omnia, de quibus ante ad me
legatos miſiſti, faciam; ſed hoc non poſſum facere. Abierunt ergo legati, rémque ei
renunciarunt. 10· Miſit iterum ad eum Ben-hadadus, &, ſic, inquit, ſe gerant erga
me Dii, ac ſe gerere pergant: *ut* minime ſuffecerit pulvis Samariæ pugillis totius po-
puli qui mecum eſt. 11· Reſpondit verò Rex Iſraëlis: *ei* dicite: ne glorietur qui ſe
accingit, ut qui ſe diſcingit. 12· Quod cùm audiret Ben-hadadus, bibebat cùm ipſe,
tum Reges in Tabernaculis, dixitque ſervis ſuis: *machinas* admovete; eáſque urbi ad-
moverunt.

13· Tum

plauſtro, quod traxerant, adoleverunt 1. Sam. VI, 14 & David juvencos ab Arauna emtos inſtrumentis aratri conſciſſis, 2. Sam. XXIV, 22. In ſubitariis Sacris, ita fieri ſolebat.

In Caput XX.

1· R*Egibúſque triginta duobus.*] Regulis, nempe, ex vicinia, ſingularum urbium, exiguorúmque tractuum; quales fuerunt unus & triginta in ea Chananææ parte, quam ſubegit Joſua, ut docemur ejus Libri Cap. XII.

3· *Eique per eos dixit*] Supplendum fuit hîc, *per eos*, quia aures Latinæ omitti paſſæ non eſſent. Sic & alibi ſæpe animo ſupplendum, *per legatum*, aut *per legatos*, quamvis non aliter fermè loquantur legati; quàm loquerentur qui eos miſerant, ſi adfuiſſent.

Mea ſunt] Hoc eſt, eo jure, quod nititur merâ vi, & majore potentiâ. Itaque perinde eſt ac ſi negaret Achabum poſſe impedire quominùs Syri omnia diriperent, unde ſequebatur ut quidquid ab Achabo peterent iis daretur.

Formoſi tui liberi] בניך טובים *filii tui boni*, ſed טוב *pulcrum* etiam ſignificat. Hæc eſt incredibilis arrogantia & barbaries, conjuncta cum nefanda libidine; nam quod de forma addit pertinet ad regiorum puerorum ſtuprationem.

4· *Tuus ſum* &c.] Tibi reſiſtere nequeo, paratúſque ſum me opibus omnibus meis redimere. Sed rem aliter intellexit Ben-hadadus; nimirum, debere ſibi uxores & liberos regios tradi, ut ſequentia legatorum verba oſtendunt.

6· *Quod tibi maximè concupiſcendum*] מחמד עינך *concupiſcibile oculorum tuorum.*

7· *Omnes terræ ſenes*] Qui, nempe, erant Samariæ, tempus enim ſat longum non fuit, ut poſſent ex Iſraëlitide terra convocari; neque verò paſſus eſſet Ben-hadadus in obſeſſam urbem quoſlibet ingredi.

Malum moliri] *Eſt quærens malum*; hoc eſt, non tantùm bellum mihi ſine cauſa intulit, ſed ejus finem facere non vult, licèt omnia mea ei offeram, quæritque occaſionem ſævitiæ ſuæ in nos exercendæ, quoniam mihi & quibuſcumque videbitur uxores & liberos eripere vult, ut iis illudat; quod quidem ſibi à nobis concedi non poſſe probè novit.

Qui peterent uxores &c.] לנשי *lnaſchai*, propter uxores meas; & ſic in aliis nominibus.

Quoniam ea non negavi] Nimirum, dare omne aurum & argentum, quibus ſe familiámque ſuam redimeret. Nam erant reverâ Ben-hadadi ii, quos captivos abducere poſſe videbatur, niſi redimerentur.

9· *Meo nomine*] Hoc quoque ſupplendum fuit, propter rationem ad vſ. 3. allatam.

Omnia de quibus &c.] Hoc eſt, quod ad ſuæ familiæ redemtionem pertinebat.

10· *Ut minimè ſuffecerit pulvis* &c.] *Si ſuffecerit.* Hoc vult, ſi ſinguli milites, quos ſecum habebat, pugillum pulveris ex ruinis Samariæ cepiſſent, poſſe totam urbem aliò transferri; quæ barbara jactantia eſt, ad oſtentandum copiarum numerum. *Joſephus* paullò aliter hæc verba interpretatur, ſic enim minas Syrorum Regis exprimit: τρίτον ἔπεμψε πρὸς Ἄχαβον τοὺς πρέσβεις, ἀπειλῶν ὑψηλότερον τῶν τοίχων οἷς καταφρονεῖ χῶμα τούτοις ἐπεγείρειν αὐτῷ τὴν στρατιὰν κατὰ δράκα γῆν λαμβάνουσαν: *tertiùm miſit ad Achabum legatos, minatus altiorem muris, quos ſpernit, aggerem illis excitaturum exercitum terram pugillis ſumentem.*

11· *Ne glorietur* &c.] Proverbium eſt, quo ſignificat Achabus, tum demum jactari poſſe victoriam, cùm relata eſt, non priùs. Oſtendit ſimul non ita res ſuas ſibi conclamatas videri, ut prorſus de iis deſperet; ſed poſſe fieri ut victoriam de Ben-hadado referat.

12· *Tabernaculis*] בסכות *bſucchoth*, aut tabulis conſtantibus, aut frondibus tectis.

Machinas admovete] שימו ſchimou, *ponite*, nempe, machinas, על העיר hal hahir, *contra urbem.* Vulgatus, *circumdato civitatem.* LXX. meliùs: οἰκοδομήσατε χάρακα, *ſtruite vallum*, nam jam erat urbs circumſeſſa, nec quidquam ſupererat, præter acriorem oppugnationem.

13· *Tum*

13. Tum verò quidam Propheta Achabum, Iſraëlis Regem, convenit, &, ſic, inquit, dixit Jehova: an vidiſti omnem hanc magnam multitudinem? En, tradam eam hodie in manum tuam, intelligéſque me eſſe Jehovam. 14. Achabus verò, per quemnam? inquit. Sic dixit Jehova, ait *Propheta*, per famulos præfectorum provinciarum. Quis verò, inquit *Achabus*, inibit prælium? Tu, inquit ille. 15. Recenſuit ergo *Achabus* famulos præfectorum provinciarum, erántque ducenti triginta duo. Poſt eos recenſuit univerſum populum omnium Iſraëlitarum, qui ſepties mille erant. 16. Eruptionem verò fecerunt ipſo meridie, dum Ben-hadadus & triginta duo Reges auxiliares biberent, ebriique in tabernaculis eſſent. 17. Priores egreſſi ſunt famuli præfectorum provinciarum, miſitque Ben-hadadus *qui viderent quinam eſſent*, renunciarúntque ei dicentes: viri ſunt, qui Samariâ eruptionem fecerunt. 18. Ille verò, ſi, inquit, pacis causâ, egreſſi ſunt, vivos eos capite; ſi verò prælii causâ, *pariter* eos vivos adprehendite.

19. Exiverunt interea ex urbe famuli præſidum provinciarum, & exercitus, qui eos ſequebatur. 20. Occidit verò vir virum, fugerúntque Aramæi, quos Iſraëlitæ perſequuti ſunt, & evaſerunt quidem Ben-hadadus Rex Aramæorum, equo vectus, & equites. 21. At egreſſus Rex Iſraëlis concîdit equitatum & currus, & Aramæis vulnus magnum inflixit. 22. Tum adiit Propheta Regem Iſraëlis, eique, macte, inquit, animo eſto, at diſpicito, conſideratóque quid ſis facturus; anno enim vertente, expeditionem in te ſuſcipiet Rex Aramæorum.

23. Ser-

13. *Tum verò*] *Et ecce.*

Me eſſe Jehovam] Hoc eſt, eum qui re ipsâ præſtat quod promiſit. Vide not. ad Exod. III, 15.

14. *Per quemnam*] Cujus operâ? Quis vincet Syros? Quod Achabus dicebat, quia pares copias, quas illi opponeret, non habebat.

Per famulos præfectorum provinciarum] Qui Samariam confugerant, aut quaſi in urbem munitiorem, aut ut eamdem belli ſortem, quæcumque eſſet, cum Rege experirentur. נערים *nabarim* poſſunt eſſe *miniſtri* ingenui, ac milites aliquot ſelecti, aut etiam *ſervi*. *Famulos* ambiguâ voce vertimus. *Filios præſidum* malè interpretatur *Joſephus*.

Inibit prælium] *Ligabit bellum.*

16. *Dum Ben-hadadus* &c.] *Et Ben-hadad bibens ebrius, in tabernaculis, ipſe & reges* &c.

18. *Pacis causâ*] לשלום *lſchalom*; aut ut loquerentur de pace, aut ut ſe dederent Syris.

19. *Exiverunt interea*] *Et illi exiverunt ſervi præfectorum* &c.

22. *Macte animo eſto*] *Ito & confirmato te.*

Anno enim vertente] *Nam in reditu anni Rex Aram adſcendens.*

23. *Dii montani ſunt* &c.] Notum eſt, apud Ethnicos, unicuique genti, imò & unicuique tractui & loco ſuos eſſe tributos Deos; hoc eſt, genios quoſdam præſides, qui eos tutabantur. Ceteros ut omittam Deos, conſtat apud Græcos & Romanos Nymphas fuiſſe Oreadas, ſeu montanas,

Faunóſque, Satyróſque & monticolas Silvanos,

ut verbis utar Ovidianis. Exiſtimabant quoque Nymphas & Panem ὀρειβάτην immittere etiam exercitibus furorem & panicum terrorem; qualis fuit terror Syrorum, qui tam multi ab exiguo numero ſunt cæſi. Res eſt notior, quàm ut probari neceſſe habeat. Hinc dicuntur variæ gentes montes coluiſſe, quod non de ipſa materia craſſa & conſpicua montis, ſed de Numine, quod ei aderat, aut adeſſe credebatur, intelligendum. *Maximus Tyrius* Diſſert. XXXVIII. de Atlantis montis accolis: τοῖς ἀνθρώποις τούτοις ἱερόν ἐστι καὶ ἄγαλμα ὁ Ἄτλας· ἔστι δὲ ὁ Ἄτλας ὄρος καὶ τὰ ἑξῆς: *hiſce hominibus templum eſt & ſtatua Atlas. Eſt autem Atlas mons* &c. Statua, nempe, & templum fuit Numinis, quod id incolere exiſtimabatur. Paullò pòſt: Λιβύων τοῦτο καὶ ἱερὸν καὶ Θεὸς καὶ ὅρκος καὶ ἄγαλμα. *Libyum hoc & templum & Deus, & jusjurandum & ſtatua.* Iterum: Λυκίοις ὁ Ὄλυμπος πῦρ ἀναδίδωσι, οὐχ ὅμοιον τῷ Αἰτναίῳ ἀλλ' εἰρηνικὸν καὶ σύμμετρον· καὶ ἔστιν αὐτοῖς τὸ πῦρ τοῦτο καὶ ἱερὸν καὶ ἄγαλμα: *apud Lycios mons Olympus ignem eructat, non Ætnæi inſtar, ſed placidum, compoſitúmque; éſtque hic ignis ipſe & templum & ſtatua.* Putabant, nempe, Deum ei monti adeſſe, ut Siculi & Græci Ætnæ incolam eſſe putabant Vulcanum. Nec tantùm officinam ejus ei monti ſubjiciebant, ſed & antrum ei conſecraverant, cui præſentiſſimus adeſſe putabatur, & quod *Gratio* Cynegetici vſ. 433. dicitur *Vulcano condicta domus*, quem Deum ſic alloquitur paullò pòſt:

Te primùm, Vulcane, loci, pacémque precamur,
Incola ſancte, tuam, des ipſis ultima rebus
Auxilia &c.

Montium cultoribus adjungit *Maximus*, in ſequentibus, Cappadocas: Ὄρος Καππαδόκαις καὶ θεὸς καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα: *mons Cappadocibus & Deus, & jusjurandum & ſtatua.* De Cappadocibus etiam agit *Strabo* Lib. VII. pag. 298. Edit. Par. Τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν καὶ προσηγόρευσαν οὕτως· ὄνομα δ' αὐτῷ Κωγαίωνον, ὁμώνυμον τῷ παραρρέοντι ποταμῷ: *mons credebatur Sacer*, (aut *templum*) & *ſic eum vocant. Nomen ei eſt Cogæonum, & cognominis eſt præterfluenti amni.* Sic fuit in Syria mons, qui dicebatur *Dei facies*. *Scylax*, in ejus deſcriptione: ὄρος, θεοῦ πρόσωπον. Alii etiam ejus meminerunt.

Sed ut propiùs accedamus, ad loca & gentes, de quibus hîc ſermo eſt, mons ipſe Carmelus Deus habitus eſt. *Tacitus* Hiſt. Lib. II. c. 78. *Eſt Judæam inter Syriámque Carmelus, ita vocant montem, Deúmque. Nec ſimulacrum Deo, aut templum (ſic tradidere Majores) aram tan-*

23. Servi verò Aramæorum Regis ei, Dii, inquiunt, montani ſunt eorum Dii, ideóque ſuperiores nobis fuerunt. At pugnemus cum iis in planitie, *videbiſque* annon futuri ſimus ſuperiores. 24. Hoc autem facito; ſingulis Regibus locis ſuis amotis, collocato eorum loco præfectos. 25. Tum numerato tibi exercitum, quantus erat exercitus, qui tibi cecidit, tot equites, currúſque quot *antea* erant; nos verò cum iis pugnabimus in planitie, & videbis annon iis ſuperiores futuri ſimus. Eorum ille voci auſcultavit & ſic quidem fecit.

26. Itaque, vertente anno, recenſuit Ben-hadadus Aramæos, venitque Aphekam ad bellum cum Iſraële *gerendum.* 27. Recenſiti etiam ſunt Iſraëlitæ, & commeatu inſtructi obviam illis proceſſerunt. Caſtra poſuerunt Iſraëlitæ contra illos, inſtar duorum hinnulorum capræ, ſed Aramæi terram replerant. 28. Eò vir divinus acceſſit, & Regi Iſraëlis, ſic ait, inquit, Jehova: quia dixerunt Aramæi Jehovam Deum eſſe montium, non vallium, univerſam hanc magnam multitudinem in manum tuam tradam, intelligetiſque me eſſe Jehovam. 29. Per ſeptem autem dies, caſtra caſtris contulerunt, at ſeptimo commiſſum eſt prælium, concîderuntque Iſraëlitæ Aramæorum centies millies pedites, uno die. 30. Confugerunt verò reliqui Aphekam & in urbem *quidem ingreſſi ſunt*, at ceciderunt mœnia in viginti ſeptem millia virorum, qui ſupererant, Ben-hadadúſque etiam urbem ingreſſus ex conclavi in conclave fugiebat. 31. Tum ei ſervi, audivimus, inquiunt, Reges domûs Iſraëlis eſſe Reges miſericordes; itaque imponemus lumbis noſtris ſaccos, & funes *indemus* capitibus noſtris, egrediemúrque ad Regem Iſraëlis. Forſitan vitam tuam ſervabit. 32. Ita-

tantùm & reverentiam. Illic Veſpaſianus ſacrificavit, ut docet etiam *Suëtonius* Cap. V. Crediderunt ergo Syri Deos, qui Samariæ colebantur, tutatos eſſe montem ſuum.

At pugnemus] ואולם *veoulam.* Verterunt LXX. Intt. ἐὰν δὲ. Vulgatus: *meliùs eſt ut.* Significari eâ particulâ *ſed* multis exemplis oſtendit *Chr. Noldius.*

Cum iis] Non tantùm cum hominibus, ſed etiam cum Diis; nam Dii ſingularum Gentium & urbium pro iis pugnare, unà cum hominibus, putabantur; ita ut non minora eſſent inter Deos certamina, quàm inter homines. Res eſt notiſſima, jam à temporibus *Homeri.* Unum *Virgilis* locum proferam, de pugna Actiaca, Æneïd. VIII, 698. & ſeqq.

Omnigenúmque Deûm monſtra & latrator Anubis
Contra Neptunum & Venerem, contráque Minervam
Tela tenent; ſævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, triſtéſque ex æthere Diræ,
Et ſciſsâ gaudens vadit Diſcordia pallâ,
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Deſuper, omnis eo terrore Ægyptus & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

Similiter Syri ſperabant Deos ſuos ſuperiores futuros Diis Iſraëliticis, ſi extra ſolum ſuum atque in patentioribus campis, aliis Diis abtributis, pugnare cogerentur.

24. *Singulis Regibus* &c.] *Amove Reges, quemque è loco ſuo* &c.

25. *Tot equites, currúſque* &c.] *Equum ut equum, currum ut currum.*

26. *Aphekam.*] Variæ urbes hujus nominis fuerunt, ſed hîc intelligitur urbs Syriæ, de qua etiam 2. Reg. XIII, 17. Alii tamen malunt hîc urbem intelligi Tribûs Aſeriticæ, non procul ab Ecdippa ſitam.

27. *Commeatu inſtructi*] Vulgatus rectè *acceptis cibariis*, verbum כלכל *ehilchel*, eſt alere, ſuſtentare.

Inſtar duorum hinnulorum capræ] Hoc eſt, inſtar exigui gregis hædorum, nam duo ſignificant ſæpe parvum quemvis numerum, ut ſuprà XVII, 12. Vox verò חשיף *hhaſchiph* ex Arabica Lingua rectè *hinnulum* interpretatus eſt *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 51. quem vide. Alii poſt LXX. & Vulgatum Intt. *duos greges* interpretantur, ſed una caſtra cum uno duntaxat grege conferri potuerunt.

28. *Deum montium, non vallium*] Deum totius Rerum Naturæ abſurdè topicum Deum, ut ſic loquar, eſſe crediderant. Itaque Deus Majeſtatem ſuam vindicavit & ſe ſe oſtendit rerum omnium Deum; conceſsâ, etiam in patentibus campis, Iſraëlitis inſigni victoriâ.

Me eſſe Jehovam] Præſtare me quod promiſi. Vide ſuprà vſ. 13.

29. *Caſtra caſtris contulerunt*] *Et caſtra poſuerunt illi contra illos.*

30. *Ceciderunt mœnia* &c.] Cùm reliquiæ exercitûs diſpoſitæ eſſent circa mœnia, ut ea tuerentur, divinitus contigit mœnia cadere, partemque earum opprimere, reliquis quaquaversùm ſparſis, præ metu & deſperatione; nam nimius fuit earum numerus, quàm ut poſſent omnes muri ruinâ opprimi.

Urbem ingreſſus] *Fugit & venit in urbem,* חדר בחדר *hheder behheder*, *cubiculo in cubiculum*; nam eſt omiſſum מ, ante prius חדר. LXX. Intt. εἰς τὸν οἶκον τοῦ κοιτῶνος, εἰς τὸ ταμιεῖον, Vulgatus: *in cubiculum quod erat intra cubiculum.* Se ſe in urbe occultare conabatur.

31. *Reges miſericordes*] *Quòd reges miſericordes illi.*

Funes indemus capitibus noſtris] Hoc eſt, collis, ut ſe ſuſpendio dignos faterentur, eáque confeſſione miſericordiam Iſraëlitarum Regis moverent.

Vitam tuam ſervabit] *Faciet vivere animam tuam.*

32. Itaque lumbos ſuos ſaccis accinxerunt, funéſque capitibus ſuis *indiderunt*, & Regem Iſraëlis convenientes, ſervus tuus, inquiebant, Ben-hadadus dixit: mihi, quæſo, vita ſervetur. *Achabus* verò, an adhuc vivit ille? Frater meus eſt. 33. Hinc viri illi conjectantes *animum Achabi* feſtinarunt, ſermonéſque miſcendo quæſiverunt an ex animo *loqueretur*, dixerúntque: fratérne tuus eſt Ben-hadadus? *Achabus* verò, ite, inquit, cúmque adſumite. Tum egreſſus ad eum eſt Ben-hadadus, quem ille currum *ſuum* conſcendere juſſit. 34. *Ibi Ben-hadadus*, urbes, inquit, quas cepit pater meus patri tuo, reſtituam, & plateas tibi pones Damaſci, quemadmodum pater meus ſibi poſuerat Samariæ. Ego verò, *inquit Achabus*, te his legibus dimittam; percuſſóque cum eo fœdere, hominem dimiſit.

35. Vir autem quidam, è filiis Prophetarum, dixit ſodali ſuo, juſſu Jehovæ: ferito me, quæſo; ſed renuit vir ille eum ferire. 36. *Alter* verò, quandoquidem, inquit, voci Jehovæ non

32. *Mihi vitu ſervetur*] *Vivat, quæſo, animu meu.*

Frater meus eſt] Quaſi diceret: ne ſervum meum vocetis, quem fratris loco diligo. Nimia jam erat, hac in re, Achabi humanitas; qui immanem feram, à qua etiam ſuperbiſſimè habitus ipſe erat, & populus Hebræus crudeliſſimè vexatus fuerat, tam blandè compellabat.

33. *Conjectantes animum Achabi feſtinarunt*] *Dixerunt & feſtinarunt*; hoc eſt, conjicientes ex oratione Achabi pacato eum eſſe erga Ben-hadadum animo, feſtinarunt animum ejus accuratiùs exporare, & Regi Syrorum eum conciliare, ne fortè ſententiam mutaret.

Sermonéſque miſcendo quæſiverunt an ex animo loqueretur?] ויחלטו הממנו *vajjahhletou hamimmennou*. In hoc ſolo loco occurrit verbum חלט *hhalath*, quod alioqui non eſt infrequens in Linguis Chaldaïca, Syriaca & Arabica. Eſt autem perinde ac *miſcere*, ſeu de miſtura corporum ſermo ſit, ſeu de cogitationum commercio. Itaque ſignificare hîc videtur *ſermones miſcere*, hoc eſt, interpellare loquentem, colloqui; & nota interrogationis præfixa voculæ ממנו *mimmennou*, poſtulat ut interrogationem aliquam deſignet. LXX. Intt. habent hîc, ἀνελέξαντο τὸν λόγον ἐκ στόματος αὐτοῦ. Vulgatus ſimiliter: *rapuerunt verbum ex ore ejus*. Sic & Chaldæus וחטפוהא מניה *& rapuerunt ab eo*. Omiſerunt notam interrogationis ה, quæ eſt in noſtris Codicibus. Sed eam cùm omittere nequeamus, interpretamur הממנו *an à ſe ipſo*, perinde ac ſi eſſet המלבו *an ex corde*, vel *ex animo ſuo*, hoc eſt, ſeriò & ut ſentiebat. Ex hodierna lectione aliud nihil videtur commodius poſſe exſculpi, nec conjecturâ quidquam hîc mutare licet.

Eúmque adſumite] Ut, nempe, eum ad me adducatis benignè à me excipiendum.

34. *Ibi Ben-hadadus*] Hæc ſupplenda eſſe res ipſa oſtendit.

Urbes quas cepit &c.] Hæc quidem antea in Hiſtoria Sacra non legimus, ſed in tam brevi narratione omiſſum aliquid fuiſſe mirum non eſt; uti nec circumſtantias loco non ſuo memorari. Vide Indicem Pentateuchi, ad vocem *Circumſtantia*.

Plateas tibi pones Damaſci] חוצות *hhoutſoth*, quod ſine dubio plateas ſignificat, quando de urbibus ſermo eſt. LXX. Intt. habent ἐξόδους θήσεις σεαυτῷ ἐν Δαμασκῷ, unde *Joſephus* in hac Hiſtoria Ben-hadadum, inducit promittentem, Δαμασκὸν ὥστε ἐξελαύνειν εἰς αὐτὴν, καθὼς καὶ οἱ πατέρες αὐτοῦ εἰς Σαμάρειαν εἶχον τοῦτο ποιεῖν, ἀνίστη, *facturum ſe ei liberam poteſtatem commeandi Damaſcum, ſicut patres ipſius idem jus Samariæ habuerant.* At Vulgatus: *plateas fac tibi in Damaſco.* Fortè *plateæ* erant, in quibus Hebræis licuit habitare, quaſi in proprio ſolo: quod & antea licuerat Syris Samariæ. Plura conjicere, in re tam obſcura, nihil adtinet.

Inquit Achabus] Hoc quoque omiſſum, quòd facilè ſuppleri poſſet. Interea hîc obſervaſſe juvabit, in Dialogis, apud Hebræos, aliquando nomina perſonarum loquentium omitti. Vide Pſ. XXIV, 7 & ſeqq.

Te his legibus dimittam] ואני בברית אשלחך *& ego in hoc fœdere te dimittam.* Non poſſunt hæc verba eſſe Ben-hadadi, qui non dimiſit Achabum, ſed ab eo dimiſſus eſt. Attamen LXX. Intt. habent, prolatis Ben-hadadi verbis, unâ ſerie, κἀγὼ ἐν διαθήκῃ ἐξαποστελῶ σε, & Vulgatus ſimiliter: *& ego fœderatus recedam à te.* Durè & incommodè, nam אשלחך *uſchallehhecha* eſt *dimittam te*, non *recedam à te*.

35. *Juſſu Jehovæ*] *In verbo Jehovæ.*

Ferito me] Ita ut me vulneres, non quidem lethaliter, ſed ut vulnus cerni poſſet, quereláque ad Regem deferri.

36. *Percutiet te leo*] הכך *hicchecha*. Eſt idem verbum ac antea, ſed ambiguum eſt, nam & vulnerare & occidere ſignificat. Fortè hîc eſt occidere. Gravior æquo pœna non videbitur, ſi cogitemus Prophetam fuiſſe, aut Prophetiæ candidatum, qui à ſodali nomine Dei juſſus eſt ipſum ferire. Nam quamvis videretur hoc eſſe humanitati contrarium, nec legibus licitum eſſet alium vulnerare; attamen intelligere potuit ille, quoniam ab eo jubebatur id facere, qui ipſe Propheta erat, ſe à Deo hoc in negotio legibus, certa de cauſa, ſolvi, ac proinde ei obſequi debuit. Si Propheta Prophetæ non parêret, quis demum paruiſſet? Si hoc autem neglectum vulgò eſſet, actum erat de Religione, apud Hebræos.

38. *Juxta viam conſtitit*] *Et ſtetit Regi ad viam.*

Diſſimulavitque quis eſſet] ויתחפש באפר *vajjithhhappheſch baapher*. Verterunt LXX. Intt. καὶ κατεδήσατο ἐν τελαμῶνι τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. Quamobrem *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. IV. c. IV, 12. conjicit eos legiſſe: ויחבש באפר, quia חבש eſt *obligare*, & אפר denotat *lineum* quid, unde *vittam* reddiderunt. Sed non video cur hanc lectionem hodiernæ præferamus, cùm התחפש ſæpiùs ſignificet *diſſimulavit* quis eſſet, veſte mutatâ, ut 1. Sam. XXVIII, 8. 2. Reg. XXII, 30. Præterea אפר *ephed* non linum propriè,

non obſequutus es, cùm à me abieris, percutiet te leo. Cùm autem ab illo abiiſſet, incidit leo in hominem, eúmque percuſſit. 37. Incidit deinde *Propheta* in alium virum, cui dixit: ferito me, obſecro. Feriit verò eum vir ille, ita ut vulnerarit. 38. Abiit poſtea Propheta, & juxta viam conſtitit, ut Regem *præſtolaretur*; diſſimulavitque quis eſſet, impoſito oculis ſuis velo. 39. Cúmque Rex tranſiret, clamore ejus opem imploravit, & cùm, inquit, ſervus tuus in medio prælio verſaretur, vir *à me* receſſit, adduxitque deinde ad me virum, &, cuſtodi, inquit, hunc virum; ſi enim deſideretur, vita tua loco hujus vitæ erit, vel argenti talentum appendes. 40. Servo autem tuo hîc illic diſtricto, *captivus* ille non ampliùs comparuit. Tum ei Rex Iſraëlis, talis erit, inquit, tua ſententia; tu pronunciaſti. 41. Ille verò feſtinanter amovit velum ab oculis ſuis, agnovitque Rex Iſraëlis hominem è filiis Prophetarum eſſe. 42. Deinde, ſic dixit, inquit, Jehova, quandoquidem dimiſiſti hominem quem devoveram, è manu tua; vita tua *mihi* erit loco ejus

priè, ſed *pallium* à tergo & à fronte pendens ſignificat, ut oſtendimus ad Exod. XXV, 6. XXVIII, 7. Ad vocem אפר *epher* quod adtinet, crediderim eam *ſudarium*, aut ſimile quid ſignificaſſe, unde Thargum habet, סבפירא *Sabaphira*. Quod ſi quis malit ſolitâ *pulveris* ſignificatione capere, poſſit cum Vulgato vertere: *& mutavit adſperſione pulveris os & oculos ſuos*, ita ut luto ſibi vultum fœdaſſe Propheta intelligatur.

39. *Cúmque Rex tranſiret*] *Et fuit Rex tranſiens & ille clamavit ad Regem*, veluti ut juberet ſibi ſatisfieri ab eo, à quo vulneratus erat.

Vita tua loco &c.] *Erit anima tua loco animæ ejus.*

Argenti talentum] Mille quingentas uncias Romanas.

40. *Talis erit, inquit* &c.] *Sic judicium tuum, tu definiiſti.* LXX. Intt. Ἰδὲ καὶ τὰ ἔνεδρα παρ' ἐμοὶ, ἐφόνευσας. Pro כן משפטך legere debuiſſent הנה מארב עלי, *hinneh maarab halai*, quæ tamen nimiùm ab Hebraicis diſtant & carent hîc ſenſu. Meliùs Vulgatus: *hoc eſt judicium tuum, quod ipſe decreviſti.* Sic, apud *Joſephum*, Achabus reſpondet ἄξιον τὸν θάνατον εἶναι, *jure merito occidendum.* Rex hîc non exſpectat donec Propheta dicat ſe vulneratum fuiſſe ab eo, à quo captivum ſervandum acceperat; quia rem illico intellexiſſe ſibi viſus eſt.

41. *Feſtinanter amovit velum* &c.] *Et feſtinavit & amovit.* Occultaverat oculos ſuos, ne, ſi Achabus, cui non erat ignotus, Prophetam agnoſceret, ſibi ab eo caveret & cautiùs reſponderet. Eò enim ſpectabat legatio hujus Prophetæ, ut ex ore ipſius Achabi damnationem ejus eliceret. Eam in rem, Propheta genus quoddam Parabolæ finxit, inſtar Nathanis 2. Sam. XII. quæ ut vera hiſtoria Achabo videretur, juſſit ſe vulnerari, & in ſe ipſum rem totam tranſtulit. Sed an tanti erat, inquies, Achabum ſemet ipſum damnare, ut propterea Prophetam tot ambagibus uti neceſſe eſſet, imò etiam vulnerari, ne Achabo ſermones ejus eſſent ſuſpecti? Ad ipſum Achabum quod adtinet, tanti fortè non erat; ſed multùm intererat totius Iſraëlitici populi, ut ſciret juſtiſſimas de Achabo pœnas à Deo poſſe ſumi, intelligerétque fœdera cum populis Idololatris, & qui perpetui hoſtes fuerant Populi Hebræi, eſſe illicita. Quæ omnia eò tendebant, ut ne amicitias & connubia cum Idololatris contraherent Iſraëlitæ.

Ex hac etiam Hiſtoria, liquere poteſt non omnes fictiones eſſe damnandas, ſed eas tantùm quæ ſunt aut inutiles, aut noxiæ, vel quo tempore proferuntur, vel poſtea. Eſt enim hæc hiſtoria ficta à Propheta, & ita ficta, ut nihil ſimilius vero fingi poſſet; cùm vulneratum ſe ſe oſtenderet, quaſi ab eo qui captivum fidei ejus commiſerat.

42. *Hominem quem devoveram*] איש חרמי *virum devotionis meæ*; hoc eſt, quem neci devoveram, quia me Deum Iſraëlis ſpreverat, & homines ſui ſimiles contumelioſiſſimè habuerat. An Propheta, qui victoriam Achabo promiſerat, juſſiſſet eum Syros ad internecionem delere non conſtat; ſed cùm Syri non eſſent ex eorum populorum numero, in quos Deus exſcidii ſententiam tulerat, videtur monendus fuiſſe, & forſitan monitus eſt. Quod ſi monitus non fuit, oportet eum, ex ſententia illius ævi, & conſuetudine Regum Hebræorum, facilè colligere potuiſſe quid ſibi eſſet faciendum, erga ſuperbiſſimum, crudeliſſimúmque hominem, eumdémque veri Dei contemtorem.

Factum itaque Achabi, quamvis clementiæ ſpeciem præ ſe ferat, non erat veræ clementiæ, quæ non eſt erga latrones exercenda; qui ſi dimittantur, multò magis nocebunt, quàm antea, quemadmodum reverâ fecit Ben-hadadus. Victoriam Deus Achabo conceſſerat, ſceleratúmque Regem in manus ejus tradiderat, ut de eo ſupplicium ſumeret, non ut benignè haberet. Nec alioquin Achabus clementi ingenio erat, qui tot Prophetas ab uxore Izebela trucidari paſſus erat. Ideóque fortè & ratio quæpiam ei fuit parcendi Ben-hadado, minùs conſentanea cum Moſaica Lege, & quæ niteretur ſtudio aliquo erga Idololatras. Si plenam haberemus harum rerum hiſtoriam, ex circumſtantiis, in compendiaria narratione omiſſis, multa colligere poſſemus, quæ nunc nos fugiunt.

Vita tua mihi &c.] Hoc eſt, quoniam tu, populúſque tuus elabi paſſi eſtis blaſphemum & conſceleratum tyrannum, à quo pœnas meo nomine repetere debebatis; vos ejus loco ſupplicium mihi dabitis, quòd mei honoris causâ nihil facere voluiſtis. LXX. Intt. verbo tenus habent: ἔσαι ἡ ψυχή σου ἀντὶ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ ὁ λαός σου ἀντὶ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Quod mihi revocat in mentem ἀντιψύχους Veterum, ad quorum opinionem fortè hîc alluſio ſit, ut Eſai. XLIII, 3, 4. ad quem locum, Deo dante, commodiùs hac de re agemus.

Pars vaticinii, quæ ad Achabum ipſum pertinet, impleta fuit triennio pòſt, ut diſcimus ex Cap. XXII, 1. & ſeqq. Quæ verò populum ſpectat dilata eſt ad regnum uſque Chazaëlis, qui bellum geſſit cum Iſraëlitis 2. Reg. X, 32, 33.

ejus vitæ, & populus tuus ejus populi loco. 43. Abiit verò Rex Iſraëlis domum triſtis & indignabundus, & Samariam ingreſſus eſt.

XXI. Achabus vineam Nabothæ concupiſcit, quem eam vendere nolentem calumniâ circumventum occidi curat Izebela. At Elias Achabo & Izebelæ ipſorum & familiæ interitum prænunciat. Res tamen poſt mortem Achabi, propter ejus pœnitentiam, differtur.

CAPUT XXI.

1. POSTHÆC cùm Nabothæ cuidam Jizrehelitæ vinea eſſet Jizrehele, juxta palatium Achabi, regis Samariæ, 2. alloquutus eſt Achabus Nabotham, his verbis: da mihi vineam tuam, ut ſit mihi hortus olerum, quia vicina eſt domui meæ, dabóque tibi vineam illâ meliorem; vel, ſi tibi videatur, pretium ejus argento perſolvam. 3. Nabotha verò Achabo, abſit, inquit, mihi à Jehova, ut tibi hereditatem à Majoribus acceptam dem. 4. Rediit verò domum Achabus triſtis & indignabundus, propter verba quæ ei dixerat Nabotha Jizrehelita, cùm dixiſſet: tibi non dabo hereditatem à Majoribus acceptam; jacuitque in lecto, mutato vultu, nec cibum ſumſit. 5. Tum ad eum venit Izebela uxor ejus, eúmque ſic alloquuta eſt: quare animus tuus ſic triſtis eſt, nec cibum ſumis? 6. Ei verò *Achabus*, quia, inquit, alloquutus ſum Nabotham Jizrehelitam, eíque dixi: da mihi vineam tuam, *pretio* argento *perſoluto:* vel, ſi vis, *aliam* vineam ejus loco tibi dabo. At ille, non dabo tibi, inquit, vineam meam. 7. Ibi Izebela uxor ejus, tu nunc, inquit, regnum in Iſraëlem exerceto. Surge, ſume cibum, & meliori animo eſto; ego tibi vineam Nabothæ Jizrehelitæ dabo. 8. Deinde ſcripſit litteras, nomine Achabi, eáſque ſigillo ejus obſignavit; tum eas litteras miſit ad ſenes & ad primores, qui in urbe Nabothæ, cum eo, habitabant. 9. Scripſit autem in litteris *hæc*, his verbis: promulgate jejunium & curate ut Nabotha in primo populi loco ſedeat. 10. Deinde collocate è regione ejus duos homines nequam, qui teſtimonium contra eum ferant, dicentes: maledixiſti Deo & Regi. Tum eum educite, lapidibúſque obruite, ut moriatur.

11. Sic

In CAPUT XXI.

4. H*Ereditatem à Majoribus* &c.] *Hereditatem Patrum meorum.*

Mutato vultu] ויסב את פניו *vajjaſſeb eth phanau.* LXX. Intt. συνεκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Vulgatus: *avertit faciem ſuam ad parietem.* Malui, *mutatâ facie*, ita ut mœſtus fuiſſe intelligeretur. Mœſtus autem erat, cùm quia non impetraverat à Nabotha quod cupiebat, tum quia majeſtatem ſuam minutam putabat, tam præfractâ negatione.

5. *Quare animus tuus* &c.] *Cur ſic ſpiritus tuus recedens* רוחך סרה *rouhhacha ſarab.* Triſtitiæ & mœſtitiæ ſignificatio hîc omnino, ut in antecedentibus, poſtulatur. Vide vſ. 43. ſuperioris Capitis & vſ. 4. hujus. LXX. Intt. habent πνεῦμά σου τεταραγμένον. Vulgatus: *anima tua contriſtata eſt.*

7. *Regnum in Iſraëlem exerceto*] *Tu nunc facies regnum ſuper Iſraël.* LXX. Intt. verterunt quaſi eſſet ironica oratio: σὺ νῦν οὕτως ποιεῖς βασιλέα ἐπὶ τὸν Ἰσραήλ; Sic & Vulgatus: *grandis auctoritatis es & bene regis regnum Iſraël.* Sed hæc nimis paraphraſtica ſunt, nec ulla nota eſt interrogationis in verbis Hebraïcis.

8. *Ad primores*] החרים *babborim.* Vertunt τοὺς ἐλευθέρους. Meliùs Vulgatus: *optimates*, nam intelliguntur Magiſtratus. *Joſephus* habet ὑπερέχοντας τῶν Ἰεζραηλιτῶν. Vide Eccleſ. X, 17. Jerem. XXVII, 19. XXXIX, 6.

Qui in urbe Nabothæ &c.] *Qui in urbe ejus habitantes cum Nabotha.*

9. *Promulgate jejunium*] Quaſi ad implorandum auxilium Dei, flectendámque juſtitiam divinam. Vide Eſai. LVIII, 3. & ſeqq. Jerem. XXXVI, 6. & ſeqq.

In primo populi loco] בראש העם *in capite populi.* Ut facilè poſſet obſervari, neu evaderet, ſi inter ultimos ſederet. Conſeſſus ergo habebatur, jejunii causâ, in ædificio quopiam publico, quales fuerunt poſtea Synagogæ; quarum hîc fortè initium non malè quæratur, aut certè antiquiſſima mentio.

10. *Qui teſtimonium contra eos ferant*] ויעדהו *vihidouhou*, hoc eſt, יעידו עליו *teſtentur contra eum.*

Maledixiſti &c.] Nam quiſquis Deo maledixerat lapidibus obruebatur, ut docemur Levit. XXIV, 16. Maledicere quidem Regi vetuerat Lex Exod. XXII, 28. Sed pœnam videtur reliquiſſe arbitrio judicum. Rabbini volunt damnati ultimo ſupplicio, ob ejuſmodi crimen, bona fiſco addicta fuiſſe, nec ad heredes perveniſſe; quod tamen potiùs ex hoc loco, quàm ex lege ulla, aut certa cognitione juris, colligunt. Vide *Joann. Seldeni* De ſucceſſ. in Bona Defuncti c. XXV. Notum eſt verbum ברך barach in Pihel ſignificare *maledicere*, eámque ſignificationem hîc quærendam liquidum eſt. Quare miror LXX. Intt. verbo εὐλογεῖν, quod minimè ambiguum eſt, uſos eſſe. Fortè εὐφημίας χάριν ita verterunt.

13. *Teſtimoniúmque dixerunt*] ויעדהו את נבות *teſtati ſunt contra eum, contra Nabothum.* Abundat pronomen verbo ſuffixum.

18. Qui

11. Sic fecerunt oppidani ejus, ſenes & primores qui in ejus urbe habitabant, quem-
admodum ad eos miſerat Izebela, prout ſcriptum erat in litteris quas ad eos dederat.
12. Promulgarunt jejunium, curaruntque Nabotham ſedere, in primo populi loco.
13. Tum venerunt duo viri nequam, qui ex ejus regione ſederunt, teſtimoniúmque dixe-
runt homines nequam contra Nabotham, coram populo, his verbis: Deo & Regi ma-
ledixit Nabotha. Itaque hominem ex urbe eduxerunt, lapidibúſque obruerunt, ita ut
mortuus ſit. 14. Tum miſerunt ad Izebelam, qui dicerent: lapidibus obrutus Nabo-
tha interiit. 15. Cùm verò audiſſet Izebela lapidibus obrutum Nabotham interiiſſe,
dixit Achabo: ſurge, adi poſſeſſionem vineæ Nabothæ Jizrehelitæ, quam renuerat tibi
dare, *numeratâ* pecuniâ; neque enim Nabotha vivit, ſed mortuus eſt. 16. Cùm igitur
audiret Achabus mortuum eſſe Nabotham, ſurrexit, ut iret ad vineam Nabothæ Jizre-
helitæ, quò ejus poſſeſſionem adiret.

17. Tunc alloquutus eſt Jehova Eliam Thisbitam, his verbis: 18. ſurge, ito obviam
Achabo Regi Iſraëlis, qui Samariæ habitat; en eum in vinea Nabothæ, in quam ivit
ut poſſeſſionem ejus adiret. 19. Ibi eum alloqueris, in hanc ſententiam: ſic dixit Jehova:
annon occidiſti, & poſſeſſionem adiiſti? Deinde hæc ſubjicies: ſic dixit Jehova: in lo-
co, in quo ſanguinem Nabothæ linxerunt canes, lingent etiam canes tuum ipſius ſangui-
nem. 20. Tum Achabus Eliæ, an deprehendiſti me, mi inimice? Deprehendi verò,
inquit Elias, quia vendidiſti te, ad faciendum id quod Jehovæ diſplicet. 21. En ad-
ducam in te malum, *ait Jehova*; è medio poſteros tuos tollam, exſcindámque Acha-
bo meientem in parietem, ac clauſum, derelictúmque in Iſraële. 22. Eodem modo
habebo domum tuam, ac domum Jerobohami, Nebati filii, & domum Bahaſæ, Achijæ
filii, propter indignationem, quam contraxiſti Iſraëli & peccata, in quæ eum conje-
ciſti. 23. Izebelam etiam alloquutus eſt Jehova, his verbis: canes Izebelam in pomœ-
rio Jizrehelis comedent. 24. Eum, qui morietur Achabo, in urbe comedent canes,
mortuum verò ruri comedent aves cœli.

25. Ac ſanè non fuit ſimilis Achabo, qui ſe vendidit ad faciendum quod diſplicet
Jehovæ, quia eum concitaverat uxor ejus Izebela. 26. Summopere abominandum ſe
præbuit, dum ſequutus eſt ſtercoreos Deos, prorſus quemadmodum fecerant Emoræi,
quos

18. *Qui Samariæ habitat*] Hoc eſt, ſolet habitare, tunc temporis enim non Samariæ, ſed Jizrehele erat, ubi fuit vinea Nabothæ.

20. *An deprehendiſti me* &c.] המצאתני *bam-tſathani.* Non eſt interrogatio negantis ſe ab Elia in peccato deprehenſum fuiſſe, ſed expoſtulatio contra Eliam; quaſi inſidiatus eſſet Achabo, ut ſi fortè peccaſſet, ſubitò è latebris proſiliens rem ei exprobraret. Sic ſumitur verbum מצא *matſa* Jerem. II, 25, 34. Alii interpretantur contrario ſenſu, quaſi hoc vellet: mihi hoc delictum exprobras, an ergo me id committentem deprehendiſti? Attamen malim priore ſenſu capere; quia Achabus, auditâ caſtigatione & minis Eliæ, pœnitentiam egit. Vulgatus minùs commodè: *num inveniſti me, inimicum tibi?*

Vendidiſti te] התמכרך *bithmacchercha.* Ut qui ſe in ſervitutem ſponte vendebat, neceſſe habebat hero ſuo parère: ſic qui de induſtria fiunt ſervi peccati, dici poſſunt ei venditi, ad omnia facienda quæ Deo diſplicent. Hac ipſa loquutione utitur Paulus Rom. VII, 14. ubi homo longo habitu peccato addictus dicitur πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, ad quæ verba vide Interpretes. Mirum eſt LXX. Int. vertiſſe hîc: μάτην πέπρασαι ποιῆσαι τὸ πονηρὸν Rectè Vulgatus: *eo quod venundatus es.* Vide & vſ. 25.

21. *Ait Jehova*] Hoc ex re ipſa ſupplevi; neque enim Elias ſuo ipſius, ſed Dei nomine, Achabo minatus eſt.

Meientem in parietem &c.] Vide not. ad 1. Sam. XXV, 22.

22. *Indignationem, quam contraxiſti*] אל הכעס אשר הכעסת *propter indignationem, quam excitaſti, & feciſti peccare Iſraëlem*; hoc eſt, propter peccata quorum auctor fuiſti Iſraëlitis, & propter quæ pœnas eos dare mihi oportet. Nam כעס *indignatio* Dei, erga Iſraëlitas, intelligitur.

23. *In pomœrio*] בחל *bhhel*, ἐν περιτειχίσματι, ut habent LXX. Intt. rectè. Vulgatus minùs accuratè, *in agro Jezrabel.*

24. *Eum qui morietur Achabo* &c.] Vide Cap. XIV, 11. Cùm ab hiſce ſummopere abhorreant homines, Deus ea quaſi pœnas iis minatur. Alioqui ſeu à vermibus, ſeu à canibus, vel avibus abſumatur cadaver, perinde eſt animo ab eo ſejuncto. Meliore aut deteriore ſorte ideò non fruitur. Sed præterea ea ſunt conſectaria perniciei & mortis violentæ totius familiæ.

25. *Qui ſe vendidit ad faciendum* &c.] Vide ad vſ. 20. Hîc iterum LXX. Intt. habent: πλὴν ματαίως Ἀχαάβ, ὡς ἐπράθη. Vulgatus rectè: *non fuit alter talis, ſicut Achab. Procopius* ματαίως interpretatur δωρεὰν, *gratis*, ſed nihil deeſt in Hebraïcis.

26. *Emoræi*] Quo nomine intelliguntur omnes Chananæi, inter quos inſignes erant. *Procopius* aliam hujus rei rationem tradit: Ἀμοῤῥαῖοι τῇ Ἑβραίων φωνῇ οἱ κρυπτικοὶ ὀνομάζονται Sed hoc planè falſum eſt, nam אמורי *emori* Hebraïcè nihil tale ſignificat. Liber nominum interpretatur *dictum*, aut *amarum*; ac ſanè deductum videtur ab אמר amar, *dixit*, ſed cur ita vocatus ſit is populus non conſtat.

 27. At-

quos è conſpectu Iſraëlitarum expulit Jehova. 27. Attamen auditis illis *Eliæ* verbis, laceravit veſtes ſuas, carni ſuæ impoſuit ſaccum, jejunavit, cubuitque in ſacco, & lento gradu ambulavit. 28. Tum alloquutus eſt Jehova Eliam Thisbitam, his verbis: 29. Annon vidiſti humilem factum eſſe Achabum, propter me? Quia verò propter me humilis factus eſt, non adducam malum hoc, dum vivet; *ſed* per vitam filii ejus, hanc calamitatem in ejus familiam immittam.

XXII. Achabus, cum Joſaphato Rege Judæ ſocietate initâ, bellum parat Syris inferre, ſuadentibus Pſeudo-prophetis, ſed diſſuadente Michâ vero Prophetâ, quem in carcerem conjicit Achabus. Commiſſo cum Syris prælio, occiditur Rex Iſraëlitarum, ſed Rex Judæ dimittitur, qui vir religioſus fuit ac Deo acceptus. At Achazja homo idololatra patri, in regno Iſraëlis, ſuccedit.

Caput XXII. 1. QUIEVERUNT *Iſraëlitæ* tribus annis, cùm nullum eſſet bellum, inter Aramæos & Iſraëlem. 2. Anno verò tertio, inviſit Joſaphatus, Rex Judæ, Regem Iſraëlis. 3. Tum verò Rex Iſraëlis ſervis ſuis, annon, inquit, ſcitis noſtras eſſe Ramothas Galahaditidis? Nos verò abſtinemus ab iis nobis vindicandis, è manu Regis Aramæorum. 4. Dein Joſaphato, an ibis mecum Ramothas Galahaditidis, ad bellum gerendum? Joſaphatus verò Regi Iſraëlis: *ſum*, inquit, ego inſtar tui, populus meus *eſt* inſtar populi tui, & equites mei inſtar equitum tuorum. 5. Dixit etiam Joſaphatus Regi Iſraëlis: inquire, quæſo, hodie in verbum Jehovæ. 6. Itaque congre-

27. *Attamen auditis illis* &c.] *Et fuit cùm audiret Achab verba illa.* Quamvis præ obſequio erga uxorem in omnem Idololatriam projectus eſſet, norat tamen vaticinia multa Eliæ impleta fuiſſe, iiſque terrebatur. Iſraëlitæ, in Idololatriam delapſi, non deſinebant propterea credere Jehovam Deum eſſe; ſed ei alios Deos adjungebant, ideóque terrebantur etiam Prophetarum minis.

Laceravit veſtes &c.] Jejunavit ac luxit, ſi fortè iram divinam flecteret.

Lento gradu ambulavit] אט יהלך *jeballech at*, inceſſit lentè, aut ſenſim, quod lugentes, ac dolentes faciunt; quibus præ mœrore exhauſtis genua labant, & proplites tardè moventur. LXX. Intt. habent tantùm ἐπορεύετο, quaſi non legiſſent vocem אט *at*. Latinus: *ambulavit demiſſo capite*, quod eſt quidem mœrentis, ſed voci Hebraïcæ non convenit.

29. *Annon vidiſti* &c.] Hinc intelligere eſt quàm facilè flecti poſſit juſtitia divina, hominum pœnitentiâ; quia, nimirum, non indignatur hominibus, niſi in gratiam ipſorum hominum. Non videtur Achabus ſimulaſſe pœnitentiam, ut vulgò volunt; ſed ſat plena non fuit, qualis ſolet eſſe hominum ſolo terrore perculſorum.

Dum vivet] *In diebus ejus.* Occiſus fuit in prælio, ut docemur Cap. ſequenti, & allatum ejus cadaver Samariam. Ablatus verò fuit currus ejus, ut & arma, ad piſcinam urbis; quâ ratione partim ſaltem impletæ ſunt Eliæ minæ. Vide Cap. XXII, 38.

Per vitam filii ejus &c.] Vide 2. Reg. IX, 25.

In Caput XXII.

1. Q*Uieverunt tribus annis* &c.] וישבו *vajjeſchebou*, quod eſt propriè *ſederunt*. Vulgatus vertit: *tranſierunt tres anni*, ex conjectura. LXX. ἐκάθισε τρία ἔτη, quaſi legiſſet וישב & *ſedit*, in ſingulari, retuliſſéntque ad Achabum. Tres anni à cæde Nabothæ ſunt numerandi, unde liquet malè tranſpoſitam fuiſſe eam hiſtoriam, in Codicibus LXX. Intt. ubi præponitur Capiti XX. in quo narratur bellum cum Syris; quæ tranſpoſitio jam ab antiquis temporibus obtinuit, cùm & *Joſephus* ipſe has hiſtorias inverterit.

2. *Inviſit Regem*] *Deſcendit ad Regem.*

3. *Noſtras eſſe Ramothas*] Fuit urbs Gaditicæ Tribûs, ad ortum Jordanis, Levitis adtributa & jure Aſyli donata. Vide Joſ. XX, 8. XXI, 38. Hanc urbem invaſerant Reges Syriæ, ſed à Ben-hadado, ex fœdere, de quo Cap. XX, 34. debuerat reddi Achabo, quod tamen factum non fuiſſe hinc liquet. De hac urbe ſic *Euſebius*, in locis Hebraïcis: Ῥαμὼθ πόλις φυλῆς Γάδ, ἱερατικὴ τῶν φυγαδευτηρίων ἐν τῇ Γαλααδίτιδι· καὶ νῦν ἐστι κώμη ἀπὸ ιε´. σημείων Φιλαδελφίας πρὸς ἀνατολάς: interprete Hieronymo: RAMOTH, *in tribu Gad, civitas Sacerdotalis & fugitivorum in Galaaditide. Nunc autem eſt vicus, in quinto decimo milliario Philadelphiæ, contra Orientem.* Poſtea docet, eam fuiſſe ad Jabokum torrentem; ſed malè aut *Hieronymus*, aut Librarius eam collocat ad ortum Philadelphiæ, cùm reverâ eſſet ad occaſum Philadelphiæ, quæ fuit metropolis Hammonitidis. Præterea fuit urbs Levitica, non Sacerdotalis, ut rectè ad eum locum *Jac. Bonfrerius*.

Abſtinemus ab iis nobis vindicandis] מחשים מקחת *mahhaſchim mikkahhath*. LXX. Intt. σιωπῶμεν λαβεῖν Reverâ חשה eſt *ſiluit*, ſed tralatitio ſignificatu eſt *ceſſavit*, unde Vulgatus hîc habet: *negligimus tollere*.

4. *Sum ego inſtar tui*] *Sicut ego ſicut tu, ſicut populus meus ſicut populus tuus, ſicut equi mei ſicut equi tui.* More Latino, reſecandum prius ſicut, & ſenſus erit, perſpicuus. Sic Paulus Gal. IV, 12. γίνεσθε ὡς ἐγώ, ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς, ubi vide Interpretes, & quæ *Hammondo* adtexui-

gregavit Rex Iſraëlis Prophetas propemodum quadringentos, iiſque, an ibo, inquit,
ut oppugnem Ramothas Galahaditidis, an verò abſtinebo? Dixerunt verò illi: ito,
nam Dominus eas tradet, in manum Regis. 7. Ibi Joſaphatus, éſtne, inquit, hîc
præterea Propheta Jehovæ, ut ab eo rem ſciſcitemur? 8. Tum Rex Iſraëlis Joſapha-
to, eſt adhuc, inquit, vir unus à quo ſciſcitemur *verbum* Jehovæ; ſed hominem odio
habeo, quia de me non vaticinatur bona, ſed tantùm mala. Is eſt Micha, Jimlæ filius.
Ne verò ſic loquatur Rex, inquit Joſaphatus. 9. Igitur Rex Iſraëlis vocato Eunucho,
feſtinanter, inquit, Micham, Jimlæ filium, huc adducito.
10. Rex quidem Iſraëlis & Joſaphatus, Rex Judæ, ſedebant quiſque in ſolio ſuo *regiis*
veſtibus induti, in area portæ Samariæ; omnéſque Prophetæ coram iis vaticinabantur.
11. Tſidkija verò, Chanahanæ filius, fecerat ſibi cornua ferrea, & dicebat: ſic dixit Je-
hova: hiſce feries Aramæos, donec eos abſumſeris. 12. Omnes etiam Prophetæ ſic
vaticinabantur, & ito, inquiebant, Ramothas Galahaditidis, & rem bene gerito, *eas*
enim traditurus eſt Jehova in manum Regis.
13. Nuncius verò, qui Micham accerſitum iverat, eum ſic alloquutus eſt: en Pro-
phetarum verba, uno ore, Regi bona *prænunciant*; ſit quoque, quæſo, oratio tua,
inſtar orationis cujuſque eorum, & bona prædicas. 14. Micha verò, *ut* vivit, inquit,
Jehova: *ſic* quod dixerit mihi Jehova proloquar. 15. Cùm autem ad Regem ille ve-
niſſet, tum *Rex* illi, Micha, inquit, Ramotháſne Galahaditidis ibimus, ut bellum
geramus, an verò ſuperſedebimus? Ito, inquit ille, & bene rem gerito, tradet enim
eas Jehova, in manum Regis. 16. Quoties, inquit Rex, te jurejurando rogabo, ne
nomine Jehovæ quidquam mihi, præter veritatem, dicas. 17. Ille verò, vidi, ait,
Iſraëlem univerſum palantem per montes, inſtar minuti pecoris, cui paſtor nullus eſſet;
dixit-

xuimus. Sic etiam interdum loquebantur Latini, ad ſignificandum ſummum conſenſum. *Plautus* in Stiebo Act. V. S. IV, *Hoc memorabile eſt, ego tu ſum, tu es ego, uni animi ſumus.* Vult ergo Joſaphatus Achabum uti ſua opera, ſuiſque copiis, non aliter ac iis quæ ipſius propriæ erant; pro affinitate, quæ inter eos erat, nam Joramus, Joſaphati filius, filiam Achabi duxerat. Vide 2. Reg. VIII, 18.

5. *In verbum Jehovæ*] בדבר יהוה *bidbar Jehovah*; hoc eſt, in Dei voluntatem tibi à Propheta quopiam, quem Deus alloqui dignabitur, fortè revelandam.

6 *Prophetas quadringentos*] Qui ſe veri Dei Prophetas profitebantur, unde liquet erraſſe Eliam, cùm ſe ſolum Prophetam ſupereſſe putaret; neque enim tot Prophetæ ab eo tempore exorti videntur, ſed metu Izebelæ latuerant.

7. *Eſtne hic præterea Propheta Jehovæ*] Hoc eſt, alius Jehovæ Propheta, qui enim auditi fuerant ſe etiam Jehovæ Prophetas profitebantur; quandoquidem Joſaphatus Jehovam, non alium Dei conſuli voluerat.

8. *De me non vaticinatur bona*] Mala erat ratio odio habendi Micham, ſi modò vera nunciaret; nam Propheta non efficit, ut Deus quidquam faciat, ſed prædicit tantùm quæ Deus facere ſtatuit, ſeu ea ſint bona, ſeu mala. Sed eo ingenio ſunt Tyranni, qui verum audire non poſſunt, niſi cum eorum utilitatibus congruat. Sic Agamemnon Chalcanti, etiam vera dicenti, Iliad. A, 106.

Μάντι κακῶν, οὐ πώποτ' ἐμοὶ τὸ κρήγυον εἶπας.

Vates malorum, nunquam mihi gratum dixiſti.

Micha] מיכיהו *Michajehu*, ut אליהו *Elijahu*, ירמיהו *Jirmejahu* &c.

Ne ſic loquatur] Meritò, nam ſoli Pſeudoprophetæ odio eſſe debent. Iis qui vera nunciant, etiam triſtia, gratiæ ſunt habendæ; quia mala pœnitentiâ aut averruncari, aut certè leniri poſſunt.

9. *Feſtinanter huc adducito*] מהרה meherah, *feſtina*.

10. *Regiis veſtibus*] Supplevimus *regiis*, ex reipſa. Vide infra vſ. 30.

11. *Fecerat ſibi cornua* &c.] Symbolica erat deſcriptio, quâ res veluti oculis ſubjiciebatur. Quod fuit moris Prophetarum, ut non ſemel diximus. Vide ſuprà ad Cap. XI, 30.

12. *Eas enim traditurus eſt*] ונתן venathan, *& tradet*. Sed ו ſignificat hic *nam*, hac enim ratione nituntur quæ antecedunt.

13. *Sit quoque, quæſo, oratio tua* &c.] Abſurda à Micha petebantur. Si enim fuiſſet Pſeudo-propheta & qui poſſet reſpondere quod Rex optabat, ſine adflatu ullo, conſuli non debuit: ſin verò ex animi ſententia prolaturus erat quod à Deo accepiſſet, nihil poterat dicere, niſi quod Deus ſuggeſturus eſſet. Sed vide ad vſ. 18.

14. *Ut vivit Jehova, ſic*] *Vivit Jehova quòd* &c.

16. *Quoties te jurejurando rogabo*] Cùm Micha Achabo læta prædicere non ſolitus, ſine cunctatione, fauſtum eventum prædixiſſet, ſuſpicatus eſt Achabus hominem metu ſibi gratificari velle. Fortè etiam in vultu, aut voce Michæ quidpiam fuit, unde intelligebat Achabus Prophetam ex animo non loqui. Ideóque ſtatim veluti jurejurando eum rogat, ut vera dicere velit.

17. *Vidi, ait, Iſraëlem* &c.] Quamvis Rex antecedentibus verbis non apertè jurejurando roget Micham; at ita loquitur, ut oſtendat paratum ſe eſſe eò devenire, ut veritatem ab eo extorqueat. Non licebat autem ita roganti Magiſtratui verum diſſimulare. Vide ad Lev. V, 1.

Palantem per montes] Eâ viſione ſat clarè ſignificabat futurum ut Achabus in Galahaditicis montibus occideretur. *Paſtores* enim Reges dicuntur, *Greges* verò Populi; ideóque populus ſine rege dicitur *grex ſine paſtore*. Vide Num. XXVII, 17. 2. Par. XVIII, 16. Zach. X, 2. XIII, 7.

In-

dixitque Jehova: nullus eſt illis Dominus, itaque incolumis domum quiſque revertatur.
18. Ibi Rex Iſraëlis Joſaphato, dixine, inquit, tibi, non fore ut bona de me vaticinare-
tur, ſed mala? 19. Itaque *Micha*, audi igitur, inquit, verbum Jehovæ. Vidi Jehovam ſolio
ſuo inſidentem & univerſum cœli exercitum apud eum, à dextra & à ſiniſtra ſtantem,
20. dixitque Jehova; quis proliciet Achabum, ut expeditionem ſuſcipiat, cadátque ad
Ramothas Galahaditidis? Alius dixit hæc modo *poſſe hoc fieri*, alius alio. 21. Dein pro-
ceſſit Spiritus, conſtititque coram Jehova, & ego, inquit, illum proliciam. Quomodo?
ait ei Jehova. 22. Exibo, inquit, & ero Spiritus mendacii, in ore omnium ejus Prophe-
tarum. Prolicies verò eum, inquit Jehova, & ſuperior eris; egredere & ſic facito.
23. Nunc autem Jehova paſſus eſt *eſſe* Spiritum mendacii, in ore iſtorum omnium Pro-
phetarum tuorum; at Jehova de te mala prædicit.
24. Tunc acceſſit Tſidkija, Chanahanæ filius, & Michâ in gena percuſſo, quando, inquit,
migravit ſpiritus Jehovæ à me, ut te alloqueretur? 25. Videbis hoc, inquit Micha, illo
ipſo die, quo *relicto* penetrali, in aliud ingredieris, ut te abdas.
26. Ibi Rex Iſraëlis, abducito, inquit, Micham, curáque ut redeat ad Amonem urbi
præ-

Incolumis &c.] *In pace.* Vide vſ. 36.

18. *Non fore ut bona* &c.] Iracunda hæc ſunt verba Regis inſanientis; neque enim bona, aut mala prædicere erat in poteſtate veri Prophetæ, qui Dei tantùm vox erat. Verùm, apud populos, qui nihil faciebant, niſi priùs divinos, aut ariolos conſulerent, Reges videntur habuiſſe ad manum Pſeudo-prophetas; qui ut animum adderent copiis, felicem rerum exitum, volentibus Regibus, eis pollicebantur. Ejuſmodi certè fuerunt aruſpices & augures Græcorum & Romanorum; quorum reſponſis terrebatur, aut contra bonâ ſpe implebatur vulgus. Optimè hanc in rem *Curtius* Lib. IV. c. 10. *Nulla res efficaciùs multitudinem regit, quàm ſuperſtitio; alioquin impotens, ſæva, mutabilis; ubi vanâ Religione capta eſt, meliùs vatibus, quàm ducibus ſuis, paret.* Cujus rei in ſequentibus exemplum profert. Hinc fortè factum ut Reges iis interdum indignarentur, quemadmodum hîc Achabus &, apud *Homerum*, Agamemnon.

19. *Vidi Jehovam*] Ante omnia, ne prava conſectaria ex hoc vaticinio deducantur, tenendum eſt non narrari rem ſic verè apud Deum geſtam; ſed tantùm ſymbolicam viſionem, quâ oſtenſum Michæ fuerat cur tot Prophetæ falſa prænunciarent, quòd, nempe, non ſpiritu veritatis, ſed adulationis agerentur. Itaque non magis urgendæ ſunt hujus viſionis circumſtantiæ, quàm Parabolæ cujuſpiam, in qua finis loquentis conſiderandus eſt. Duabus potiſſimùm rationibus nititur hæc noſtra ſententia; quarum prior eſt Deum hîc deſcribi res Hebræorum regentem, non quemadmodum eas regebat, ſed pro captu rudiorum, & eo modo quo ſolebant Reges. Deus enim ſedens in ſolio adſtantes Angelos bonos & malos conſulit de ratione, quâ Achabus poſſet adduci ad eundum Ramothas Galahaditidis. Varii varia conſilia proferunt, quæ Deo non probantur; donec Spiritus Mendacii operam ſuam ei offerat, quam accipit, ut pote aptam ad conſequendum quod cupiebat. Nemo, ut puto, qui de Divina Providentia indigna non ſentiat, ſibi perſuadebit à Deo ſic res humanas regi. Altera ratio cur credam narrari non rem, verè apud Deum geſtam, ſed ſymbolicam eventûs deſcriptionem, petita eſt ex natura ipſa rei. Neque enim veracitas & ſanctitas Dei patiuntur eum immittere Spiritum Mendacii in Prophetas, à quo ſibi cavere nequeant; tum enim eſſet auctor erroris, nec homines propterea poſſent vituperari. Nam ſi Prophetæ illi non potuerunt ſecernere adflatum Cacodæmonis, ab adflatu ipſius Dei, nulla fuit eorum culpa. Adde quòd ſi talia aliquando facta fuiſſent, ut veri Dei Prophetæ ex animo loquentes & ex Dei adflatu ſe loqui putantes, à Spiritu malo deluſi fuiſſent; labefactata fuiſſet auctoritas Prophetiæ, & in animis Prophetarum, qui verum adflatum à falſo ſecernere non potuiſſent; & apud plebem, quæ vidiſſet veros Prophetas, non minùs ac falſos & ſimulatos, falſa interdum prædicere, & ſe ſe adflatos credere, cùm non eſſent. Qui hæc aliáque, quæ omittimus, apud ſe expendent facilè, niſi fallor, intelligent hanc viſionem pro re verè apud Deum geſta non eſſe habendam.

Univerſum cœli exercitum] Hoc eſt, Angelos, qui ſunt veluti exercitus Dei.

20. *Ut expeditionem ſuſcipiat*] *Et adſcendet, & cadet* &c.

21. *Spiritus*] Nempe, malus; nam boni Spiritûs non eſt mentiri & decipere. Hinc apparet, ut & ex Jobi Cap. I. veteres Hebræos credidiſſe non tantùm eſſe Spiritus Bonos, ſed etiam Cacodæmonas; tametſi enim hæc eſt ſymbolica deſcriptio, deſumta tamen eſt ex opinionibus receptis, quemadmodum Parabolæ ex iis quæ dici & fieri ſolebant.

22. *Ero ſpiritus mendacii* &c.] Hoc eſt, mendacium iis perſuadebo, faciámque ut nomine Dei proferant. Sed quoniam rem ita factam non eſſe diximus, ut hîc deſcribitur, ſi quis quærat quid hæc ſibi velint, ſi in re ipſa, non in ſymbolica deſcriptione, ſpectentur? reſpondebimus hoſce quidem Prophetas ſine dubio Prophetas fuiſſe Jehovæ, & verorum Prophetarum diſcipulos; ſed propterea tum adflatos non fuiſſe, cùm cuperent, & hoc quidem tempore veniſſe ad Achabum, eo animo ut illi gratificarentur, non ut verum dicerent. Itaque cùm eſſent parati ad mentiendum, qui adfectus ſpiritui divino excipiendo ineptos eos reddebat, Deum paſſum eſſe Cacodæmonem illos ludibrio habere; cujus tamen adflatum à divino facilè, ex indiciis tunc temporis notis, ſecernere potuiſſent. Itaque duplici ratione peccarunt illi Prophetæ; primò, quòd ſe ſe ad adulationem compoſuerint; ſecundò, quòd pravo adflatui temerè crediderint.

22. *Prolicies* &c.] Non ſignificatur his verbis imperium, quo Micha inducat Deum jubentem
falli

Digitized by Google

præfectum, & ad Joaſum filium meum. 27. Quibus dices: ſic dixit Rex: hunc in carce-
rem conjicite, panéque & aquâ, quoad neceſſe erit, alite, donec incolumis rediero.
28. Tunc Micha, ſi incolumis, inquit, redieris, tum verò Jehova per me loquutus ne
fuerit; ſubjecitque: audite *hæc* omnes populares.
29. Iverunt ergo Rex Iſraëlis & Joſaphatus Rex Judæ, Ramothas Galahaditidis;
30. *ubi* Rex Iſraëlis Joſaphato, mutabo, inquit, veſtes & prælium inibo, tu verò veſti-
bus tuis induitor; mutatiſque veſtibus, Rex Iſraëlis prælium iniit. 31. Mandata autem
dederat Rex Aramæorum ducibus curruum ſuorum, triginta duobus, his verbis: ne-
que cum parvo, neque cum magno pugnabitis, ſed cum Rege ſolo Iſraëlis. 32. Cùm
ergo viderunt duces curruum Joſaphatum, dixerunt: hic profectò eſt Rex Iſraëlis;
itaque ad eum ſe converterunt, ut cum eo pugnarent. Verùm exclamavit Joſapha-
tus, 33. cúmque intellexiſſent duces curruum non eſſe eum Regem Iſraëlis, ab eo re-
verſi ſunt. 34. At vir quidam tetendit temerè arcum, vulneravitque Regem Iſraëlis,
inter commiſſuras & thoraeem. Quamobrem dixit aurigæ: converte manum tuam &
educito me ex acie, nam vulneratus ſum. 35. Sed iuvaleſcente prælio, eo die, Rex
con-

falli Prophetas; neque enim religioſus vates, aut potiùs viſionis auctor (ſeu Angelus fuerit, ſeu Deus ipſe) Deum iuducere potuit prava jubentem; ſed 1. mera permiſſio, quâ ſignificatur Deus non impediiſſe quominùs Cacodæmon Prophetas falleret: 2. circumſtantiarum ea directio, quæ eſt ſine ulla vitii miſtura, ut ad finem ſibi propoſitum perveniat. Itaque prædicit Deus quod futurum erat, ſi à Spiritu Mendacii adflarentur Prophetæ Achabi.

Egredere & ſic facito] Quaſi Deus induceretur dicens: non impediam quominùs eos fallas, patiar hoc à te fieri atque ad finem meum perveniam. Sic Chriſtus Judæ dicebat Joan. XIII, 27. *quod facis fac citiùs*; quod non erat jubentis & probantis Judæ facinus.

23. *Jehova paſſus eſt eſſe ſpiritum*] *Nunc ecce dedit* (נתן nathan) *Jehova ſpiritum mendacii*. Verbum *dandi* hìc tantùm permiſſionem ſignificare, ex ipſa re, ut oſtendimus, ſatis liquet. Deus enim non dicitur quæſiviſſe, aut incitaſſe Spiritum Mendacii ut falleret Prophetas, ſed tantùm permiſiſſe ab eo fieri quod ſponte ſuâ cupiebat. Neque verò repugnat linguæ Hebraïcæ uſus, ex quo נתן *nathan* ſæpe ſignificat permiſit, ut Gen. XX, 6. *Eam à ſe attingi non paſſus ſum* נתתי. Vide & Exod. XII, 23. Pſ. XVI, 10. & alia paſſim loca, quæ Lexicographi indicahunt.

25. *Relicto penetrali*] חדר בחדר *hheder bhheder*, ſupplendum מ, ut integra loquutio ſit מחדר בחדר *mehheder bhheder*, de qua vide C. XX, 30. Videtur hoc contigiſſe poſt mortem Achabi, cùm quæreretur Tſidkija, ad pœnas de eo, ob falſum vaticinium, ſumendas.

Filium meum] *Filium Regis*. Hunc ad urbem curandam, ſe abſeute, reliquit.

27. *Quoad neceſſe erit*] לחם לחץ ומים לחץ *pane anguſtiæ & aqua anguſtiæ*; hoc eſt, tantum panis & aquæ ei ſuppeditando, quantum neceſſe erit ad impediendum ne moriatur. מים *majim* eſt in ſtatu abſoluto pro מי *me*.

28. *Si incolumis redieris*] *Si redeundo redieris in pace*.

Tum verò Jehova &c.] Nemo me verum Prophetam habeat.

Audite hæc &c.] *Audite populi omnes*. Teſtes, nempe, prædictionis ſuæ eſſe vult.

30. *Mutabo, inquit, veſtes*] התחפש ובוא *bithbhappheſch vabo*. Cùm hæc verba ſint in imperativo, ſi nihil adderetur, crederetur Joſaphatus veſtes mutare juſſus eſſe; ſed ſequentia oſtendunt agi de Achabo. Cùm autem nullum ſit exemplum, quo ſe hoc modo quiſpiam alloquatur, in ſimpliciſſima narratione, ita ut, *muta veſtes & inito prælium*, excitatio poſſit eſſe, quâ Achabus ſe paret ad prælium; crediderim in prima futuri legendum: אתחפש ואבוא *ethhhappheſch veabo*, *mutabo veſtes & inibo prælium*. Sic certè verterunt LXX. Intt. συγκαλύψομαι καὶ εἰσελεύσομαι εἰς τὸν πόλεμον, & Chaldæus: אנא אשתני ואעול בקרבא *ego mutabor & inibo prælium*. Vulgatus, qui eodem modo legit ac Maſſorethæ, ſenſum planè pervertit, cùm habeat: *Sume arma & ingredere prælium*; nam התחפש numquam ſignificavit *ſumere arma* & in ſequentibus verbis, vertitur ab eodem Interprete, *mutare habitum*. Ex his autem verbis colligere eſt Regem Iſraëlis ſciviſſe mandata Regis Syrorum, quæ vſ. ſequente exprimuntur.

31. *Neque cum magno, neque cum parvo*] Cum nemine.

32. *Cùm viderunt duces &c.*] Ex armis inſignioribus intellexerunt eſſe Regem.

Exclamavit] Nomen ſuum fortaſſe protulit, niſi ducibus curruum Syrorum nota eſſet vox Regis Iſraelis. Alioquin idem Joſaphato contigiſſet quod Megaeli Pyrrhi Epirotarum Regis purpurato, qui, quia arma Regis induerat, in prælio cum P. Valerio Lævino Conſule eſt occiſus, cùm Rex eſſe crederetur; ut docet *Plutarchus*, in ejus vita.

34. *Tetendit temerè arcum*] Hoc eſt, cum tetendiſſet arcum, in promiſcuam multitudinem ſagittam emiſit, nullum potiſſimùm ſibi feriendum proponens. Eſt Hebraïcè pro *temerè* לתמו *lethummo*, in ſimplicitate ſua; quod Vulgatus vertit *in incertum*, qui reverâ ſenſus eſt, Græci verò εὐστόχως, contra ſenſum.

Inter commiſſuras & Thoracem] בין הדבקים ובין השרין *ben baddebakimouben haſſchirjan*. LXX. Intt. ἀναμέσον τοῦ πνεύμονος καὶ ἀναμέσον τοῦ θώρακος, Vulgatus: *inter pulmonem & ſtomachum*. Verùm רבקים *dbakim* pulmonem non ſignificat, ſed potiùs commiſſuras, quibus ferreus thorax conjungitur cum pendentibus laminis, quibus venter tegitur. Galli eam partem vocant *le défaut de la cuiraſſe*, quia deſinit illic thorax.

Vulneratus ſum] החליתי *hohholethi*. Eſt quidem Hophal verbi חלה, *doluit*, ſed, miſtis formis, ſignificationem radicis חלל *hhalal*, vulneratus fuit, hìc obtinet. LXX. Intt. τέτρωμαι, Vulg. *graviter vulneratus ſum*.

35. *Sed invaleſcente prælio*] *Et adſcendit prælium*. Cùm ingruerent, nempe, acriùs Syri, ne

fun-

conſtitit apud currus ſuos contra Aramæos, & veſperi quidem, effuſo in cavitatem cur-
rûs ſanguine, mortuus eſt.

36. Cùm verò ſol occideret, perambulavit præco caſtra, dicens: quiſque in urbem &
in terram ſuam *revertatur*. 37. Mortuus autem Rex Samariam venit, & Samariæ ſepul-
tus eſt. 38. Abluerunt autem currum ejus & arma, ad Samariæ piſcinam, linxerúntque
canes ejus ſanguinem, prout prædixerat Jehova. 39. Reliquæ autem res geſtæ Achabi,
quidquid fecit, domus eburnea, quam ædificavit, urbéſque omnes quas munivit, nonne
perſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis? 40. Sic Achabus cum Majoribus
ſuis obdormivit, & Achazja quidem ejus filius, patris loco, regnavit.

41. Joſaphatus verò, Aſæ filius, regnare cœperat in Judam, anno quarto Achabi Re-
gis Iſraëlis; 42. & Joſaphatus quidem triginta quinque annos natus erat, quando reg-
nare cœpit, ac per viginti quinque annos regnavit Jeroſolimæ. Matri ejus nomen fuit
Hazubæ, filiæ Silchis. 43. Sequutus eſt per omnia iter Aſæ patris ſui, nec ab eo receſſit,
ita ut id faceret quod Jehovæ rectum videtur. 44. Attamen nondum fuerunt amota loca
excelſa, ſed in excelſis locis populus victimas & thymiamata offerebat. 45. Pacem ha-
buit Joſaphatus cum Iſraëlis Rege. 46. Reliqua autem facta Joſaphati, fortia facinora
quæ edidit, & bella quæ geſſit, nonne ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ?
47. Reliquos cynædos, qui ſuperfuerant temporibus Aſæ patris ſui, ſuſtulit è terra *ſua*.
48. Rex nullus erat in Idumæa, ſed præfectus à Rege *Judæ*. 49. Joſaphatus etiam ſece-
rat naves Tharſenſes, quæ Ophiram irent ad petendum aurum; ſed non profectæ ſunt,
nam fractæ ſunt naves Hetsjon-geberi. 50. Dixerat quidem Achazja, Achabi filius,
Joſaphato; eant ſervi mei cum tuis in navibus, ſed noluerat Joſaphatus. 51. Deinde
obdormiit Joſaphatus cum Majoribus ſuis, & cum iis ſepultus eſt in urbe Davidis, pro-
genitoris ſui, regnavitque ejus loco Jehoramus filius.

52. Achazja verò, Achabi filius, regnare cœpit in Iſraëlem Samariæ, anno decimo
ſeptimo Joſaphati Regis Judæ, regnavitque in Iſraëlem, per biennium. 53. Fecit ille quod
diſplicet Jehovæ, & ſequutus eſt veſtigia parentum & Jerobohami, Nebati filii, qui Iſraë-
lem ad peccandum adduxerat. 54. Coluit Bahalem, eúmque adoravit, & prorſus, prout
fecerat ejus pater, iram Jehovæ, Dei Iſraëlis, *in ſe* movit.

funderetur exercitus Iſraëlis, Achabus, diſſimulato vulneris dolore, in acie ſtetit, ut impediret quominùs aufugerent Iſraëlitæ.

36. *Perambulavit præco*] ויעבור הרנה *tranſivit clamor*. LXX. habent ὁ στρατοκήρυξ, quaſi legiſſent יעמד *jahamod*. Vulg. *Præco inſonuit*.

Quiſque in urbem &c.] Non videntur victi fuiſſe Iſraëlitæ, in eo prælio; ſed cùm mortuus eſſet Rex eâ veſperâ, ad quam prælium produxerant, juſſi ſunt domum abire; quia Achazja, qui fortè aderat, Samariam ire voluit, ut patri ſuccederet.

37. *Samariam venit*] Advectus eſt.

38. *Abluerunt* &c.] *Et lavit* (וישטף vajiſchtoph) *currum ad piſcinam Samariæ & linxerunt canes —— & arma laverunt, ſecundùm verbum quod Jehova dixerat*. Deeſt nominativus ante וישטף, qui ſupplendus: nempe, שוטף *ſchotheph*, *lavans*, ſeu quiſquis *lavit*.

19. *Domus eburnea*] *Domus dentis*. Ebore ornata.

41. *Quod Jehovæ rectum videtur*] *Rectum in oculis Jehovæ*.

44. *Nondum fuerunt amota* &c.] Hoc videntur etiam religioſi Reges indulſiſſe populo, quia multis incommodum erat, quotieſcumque ſacra facere volebant, hilaritatis causâ, qualia erant ſalutaria, ſeu שלמים, ire Jeroſolimam; nec videbatur hoc pertinere ad ipſum Judaicæ Religionis corpus, quod potiſſimum erat ſitum in cultu veri Dei, immolationéque hoſtiarum, quales præſcripſerat.

47. *Reliquos cynædos*] Vide ad Cap. XIV, 24. XV, 12.

48. *Præfectus à Rege Judæ*] נצב מלך quod vertunt *præfectus Rex*. Sed præſtat vertere quaſi eſſet punctatum נִצַּב ita ut ſit in ſtatu conſtructo. LXX. Intt. habent in Cod. Alexandrino, nam hæc deſunt in Vaticano: ἐστηλωμένος & Vulgatus: *nec erat Rex conſtitutus in Edom*. Incommodè. Vult Scriptor Sacer eum, qui regnabat in Idumæa, non tam Regem fuiſſe, quàm præfectum Regis Judæ. Vide 2. Reg. III, 8.

49. *Naves Tharſenſes*] Hoc eſt, naves ita fabricatas, quemadmodum naves quæ Tharſin navigabant. De Tharſi & Ophira, vide dicta ad Cap. X, 11, 12.

Fractæ ſunt] Eſt in Chethib נשברה *niſchberah*, in ſingulari, quod poſſet de ſingulis navibus intelligi; ſed malunt Maſſorethæ legi: נשברו *niſchberou*, in plurali. Mare hoc fuit obnoxium naufragiis, propter frequentia vada & rupes, ut oſtendimus in Diſſert. de Trajectione Maris Idumæi.

50. *Noluerat Joſaphatus*] Vide 2. Par. XX, 35. & ſeqq.

51. *Quod diſplicet Jehovæ*] *Malum in oculis Jehovæ*.

Sequutus eſt veſtigia &c.] *Et ivit in via patris ſui, in via matris ſuæ & in via Jerobohami* &c.

1. *LIBRI REGUM FINIS.*

RE-

REGUM
LIBER SECUNDUS.

I. Cùm Moabitæ ab Iſraëlitis defeciſſent, decumberétque Rex Achazja, ſciſcitatum miſit de valetudine ſua Bahal-zebubum. Quare mors ei ab Elia denunciatur, quem capi jubet à Pentecontarchis, quorum duo cum agminibus ſuis, igne cœleſti abſumuntur, tertius Prophetam exorat; qui impavidè it ad Regem, mortem ei iterum nunciaturus. Impletur vaticinium, eique ſuccedit Jehoramus.

1 POst mortem Achabi, defecerunt Moabitæ ab Iſraëlitis. 2 Tum Acha- CAPUT I.
zja decidit per cancellos cœnaculi ſui, quod erat Samariæ, cúmque ægrotaret miſit legatos, iiſque, ite, inquit, ſciſcitamini Bahal-zebubum, Deum He-

COMMENTARIUS
In CAPUT I.

1 *DEfecerunt Moabitæ*] David olim eos ſubegerat, ut legimus 2. Sam. XIII. Sed cùm Iſraëlitæ, qui ad ortum Jordanis habitabant, ſequerentur partes Regum Iſraëlis, vicina Moabitis eaſdem partes ſequuta fuerat, ſtipendiáque iis ſolvebat.

2 *Per cancellos*] השבכה *huſſebebachah*. Hæc vox ſignificat opus quodpiam variis partibus implicitis conſtans, quod tamen quale fuerit ignoramus. LXX. Intt. habent: διὰ τοῦ δικτυωτοῦ, Vulg. *per cancellum*.

Bahal-zebubum] בעל זבוב quod LXX. vertunt βααλ μυῖαν θεόν. Vulgatus, *Baal-zebub*. Dubium quidem non eſt, quin ſignificent hæ duæ voces *Bahal muſcu*, aut *muſcæ*, aut *Dominum muſcæ*. Sed cùm Hekronitarum hiſtoria nulla ſuperſit, nec ulla ſit mentio hujus Dei, niſi nomine tenus, cur ita diceretur nobis non conſtat. *Joſ. Scaliger*, in notis ad Fragm. Selecta, quæ ſunt ad calcem *Emendationis Temporum*, & Cap. I. *Elenchi Trihæreſii*, contendit hunc Deum ita dictum eſſe ab Hebræis, ut eum irriderent; cùm illis mos eſſet *Gentium Deos numquam ſuo nomine appellare, ſed abominationem, aut aſpernamentum. Sic pro* Beth-el *dicebunt* Beth-awen; *pro* Domo Dei, *ut vocabatur à Samaritis*, Domum vanitatis. Sed hoc ſemper factum eſſe nemo dixerit, qui meminerit paſſim occurrere nomina *Bahal*, *Bahal-berith*, *Huſthoreth*, *Chemos*, *Moloch* &c. ſine ulla mutatione. Idem *Scaliger*, in notis ad Fragmenta, dictum vult hoc Numen à Tyris בעל שמים *Dominum cœli*, nulla additâ ratione, niſi quòd *Philo* Byblius prodiderit ita vocatum à Phœnicibus eum, quem Græci Δία ὀλύμπιον vocabant. Sed primùm Hekronitæ non fuere Tyrii, deinde non ſequeretur eumdem fuiſſe Deum, cùm nullum indicium proferatur, ex quo liceat hoc colligere. In Elencho verò Trihæreſii, exiſtimat dictum fuiſſe בעל זבחים *bahal zbahhim*, ſeu Bahalem ſacrificiorum. Sed nec ullum ejus rei profert argumentum.

Contendit quidem ille, nec immeritò, nullam gentem ſolitam eſſe contumelioſè loqui de Diis ſuis; ſed non oſtendit בעל זבוב *bahal-zeboub* contumelioſum eſſe nomen. Imò verò contrarium ex eo quod addit probari poſſet. *Joculari* vult *vocabulo Scripturam vocaſſe Deum muſcæ, quòd in Templo Jeroſolimitano muſcæ carnes victimarum non liguriebant; cùm tamen Gentium fana à muſcis infeſtarentur, propter nidorem victimarum.* Nullas muſcas fuiſſe in Templo Jeroſolimitano Rabbinica eſt ſententia, quæ nullo nititur fundamento, præter vanorum hominum, qui multis ſæculis poſt Templi excidium vixerunt, nec antiqua ulla monumenta habuerunt, adfirmationem; quam fortaſſe ab Ethnicis mutuam ſumſerunt, qui tales fabellas de Templis ſuis jactabant. Profert ipſe *Scaliger* hanc in rem locum *Pauſaniæ*, in Arcadicis ſive Lib. VIII. p. 653. Ed. Lipſ. ubi hæc leguntur verba: ἐν ταύτῃ τῇ πανηγύρει Μυιάγρῳ προθύουσιν, ἐπευχόμενοί τε κατὰ τῶν ἱερείων τῷ Ἥρωι, καὶ ἐπικαλούμενοι τὸν Μυίαγρον· καὶ σφίσι ταῦτα δράσασιν οὐδὲν ἔτι ἀνιαραί εἰσιν αἱ μυῖαι: *in hoc conventu* (Minervæ, ut putabat *Pauſanias*, ſacro) *ante omnia ſacra faciunt Myiagro, Heroi ſuper hoſtiis voventes & Myiagrum invocantes. Iiſque, cùm hæc fecerunt, non ampliùs moleſtæ ſunt iu muſcæ.* Si ſimili de cauſa Bahal Hekronitarum dictus eſt *Bahal zeboub*, honorificum fuit hoc nomen, non contumelioſum, ut putabat *Scaliger*, qui poſteriorem partem loci *Pauſaniæ* omiſit.

Multò veriſimiliùs conjeciſſet *Scaliger*, ſi dixiſſet Bahal-zebubum eumdem eſſe quem Græci Δία μυιώδην, vel ἀπόμυιον vocabant, à muſcis abigendis. *Plinius* Lib. XXIX. c. 6. ubi de muſcis: *nullum animal minùs docile exiſtimatur, minoriſque intellectûs; eò mirabilius eſt Olympiæ ſacro certamine nubes earum, immolato tauro Deo, quem Myiodem vocant, extra territorium id abire.* Fortè memoriâ *Plinius* erravit, qui μυιώδην vocat, *muſcis abundantem*, quem alii vocant ἀπόμυιον *abactorem muſcarum*; quod nomen meliùs

Hekronis, an ex hoc morbo ſim convaliturus. 3. At Angelus Jehovæ Eliæ Thisbitæ, ſurge, inquit, obviam procede nunciis Regis Samariæ, iiſque dicito: an quia nullus eſt Deus apud Iſraëlem, itis conſultum Bahal-zebubum Hekronis Deum? 4. Itaque, ſic dixit Jehova: è lecto, in quem adſcendiſti, non deſcendes, nam morieris. *Quibus verbis prolatis*, abiit Elias. 5. Tum redierunt nuncii ad Achazjam, qui illis, cur, inquit, ſic rediiſtis? 6. Illi verò, vir quidam, inquiunt, nobis occurrit, qui dixit: ite, revertimini ad regem, qui miſit vos, eique dicite: ſic dixit Jehova: an quia nullus eſt Deus apud Iſraëlem, mittis conſultum Bahal-zebubum Deum Hekronis? Quamobrem è lecto, in quem adſcendiſti, non deſcendes, nam morieris. 7. *Rex* verò illis, quiſnam, inquit, erat habitus viri, qui vobis obviam venit, & vos iſtis verbis alloquutus eſt? 8. Erat, inquiunt, vir hirſutâ veſte indutus, & renibus pelliceo cingulo cinctis. Elias, ait *Rex*, Thisbita ille fuit.

9. Deinde miſit ad eum Pentecontarchum cum quinquaginta viris, quibus præerat; & *vir* quidem ille adſcendit ad eum, cùm ſederet in vertice montis; eique dixit: vir divine, Rex jubet te deſcendere. 10. Reſpondit verò Elias, & Pentecontarcho, ſi vir, inquit, divinus ſum, deſcendat ignis è cœlo, téque abſumat & quinquaginta viros, quibus præes. Deſcendit *è veſtigio* ignis è cœlo, hominémque & quinquaginta, quibus præerat, viros abſumſit. 11. Iterum miſit *Rex* ad eum alium Pentecontarchum & quinquaginta viros, quibus præerat, qui eum alloqui cœpit, &, vir divine, inquit, ſic dixit Rex: citò deſcende. 12. Reſpondit Elias, iiſque, ſi vir, inquit, divinus ſum, deſcendat ignis è cœlo, téque & quinquaginta viros, quibus præes, abſumat. Deſcendit *illico* ignis Dei è cœlo, hominémque & quinquaginta viros, quibus præerat, abſumſit. 13. Tertium miſit *Rex* Pentecontarchum, & quinquaginta viros, quibus præerat, adcenditque, & ivit tertius Pentecontarchus, ac coram Elia in genua proci-

lius conveniebat muſcarum expulſori. *Pauſanias* Eliacis prioribus, ſive Lib. V. pag. 410. Φασὶ δὲ Ἡρακλεῖ τῷ Ἀλκμήνης θύοντι ἐν Ὀλυμπίᾳ δι' ὄχλου μάλιστα γενέσθαι τὰς μυίας· ἐξευρόντα οὖν αὐτόν, ἢ καὶ ὑπ' ἄλλου διδαχθέντα, ἀπομυίῳ θῦσαι Διί, καὶ οὕτως ἀποτραπῆναι τὰς μυίας πέραν τοῦ Ἀλφειοῦ. *Aiunt etiam Herculi Alcmenes filio, cùm Olympiæ ſacrificaret, maximam muſcas exhibuiſſe moleſtiam, eum itaque vel propria inventione, vel monitu alieno, ſacra feciſſe Jovi Apomyio, & abactas fuiſſe muſcas trans Alpheum.* Eò reſpicit *Antiphanes*, in loco à *Cl. Salmaſio* prolato & emendato in *Solinum* p. 10. idque confirmat *Ælianus* Hiſt. Animal. Lib. V. cap. 17. Ἀπομυίῳ Διός, cui Elei ſacrificarent, meminit etiam *Clemens* Alexandrinus, in Protreptico p. 24.

Fuit & Heros Μυίαγρος, apud Eleos, ut jam ex *Pauſania* vidimus, cui adjungere licet *Plinium* Lib. X. c. 28. *Invocant & Ægyptii Ibes ſuas, contra ſerpentium adventum, & Elei Myiagron Deum muſcarum multitudine peſtilentiam adferente; quæ protinus intereunt, quàm litatum eſt ei Deo.* Hæc omnia oſtendunt non eſſe cur miremur Deo cuipiam à Muſcis nomen eſſe factum; nec hoc nomen contumelioſum neceſſariò haberi oportere. Nec tamen adfirmare auſim, hinc Hekronitarum Deum appellationem traxiſſe. Ita ſenſit etiam *Joan. Seldenus* de Diis Syris Synt. II. c. 7. ubi ſimilia, ſed confuſiora multò, minúſque accurata habet.

An ex hoc morbo &c.] *An vivam ex morbo hoc?*

3. *An quia nullus eſt Deus*] Ne Iſraëlitæ conſultum irent alienos Deos, ideò iis Deus Prophetas dederat, qui de futuris reſponderent. Vide Deut. XVIII, 14, 15. Alioqui non fuiſſet cur vanæ curioſitati, cupiditatique cognoſcendi futuri gratificaretur; hoc enim unum noſtrâ intereſt ſcire, quodnam ſit noſtrum officium, in quovis negotio, quidve præmii à Deo ſit ſperandum. Ad reliqua omnia quod attinet, adſentiamur neceſſe eſt *Horatio* Od. XXIX. Lib. III.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus,
Ridetque ſi mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adeſt memento
Componere æquus, cetera fluminis
Ritu feruntur &c.

6. *Ite, revertimini*] Hoc in antecedentibus omittitur, vitandæ, ut videtur, repetitionis cauſâ; quam tamen Scriptores Sacri ſemper non vitant.

7. *Habitus viri*] משפט *miſchphat*, quo propriè *judicium*, deinde morem, & quod ſolet geſtari ſignificavit. LXX. Intt. ad verbum: τίς ἡ κρίσις τοῦ ἀνδρός, Vulgatus: *cujus figuræ & habitûs eſt vir.*

8. *Hirſutâ veſte indutus*] Nempe, pelle cui adhærebat etiamnum lana; quali veſte Arabes pauperiores etiamnum hodie utuntur, ut oſtendimus ad Gen. XXV, 25. Sic quoque induti eſſe ſolebant Prophetæ, luxûs acerrimi ſpretores, & duriori vitæ adſueti. Vide Eſa. XX, 2. Zach. XIII, 4. Sic & Tireſiam vatem deſcribit *Statius* Theb. Lib. II.

—— longævi vatis opacos
Tireſiæ vultus, vocemque & VELLERA *nota Induitur.*

& alterum vatem Amphiaraum Lib. IV.

—— vatem cultu Parnaſſia monſtrant
Vellera.

9. *Pentecontarchum*] *Ducem quinquagenorum & quinquagenos ejus.*

In vertice montis] Forte Charmeli.

Vir divine] *Vir Dei.*

Rex jubet te deſcendere] *Rex loquutus eſt, deſcende*; & nos ſequere ad Regem te ducturos.

10. *Deſcendat ignis* &c.] Cùm Pentecontarchus ſalutaſſet Eliam nomine *viri divini*, intellige-

cidit; ſupplicavitque ei hiſce verbis: vir divine, pretioſa, quæſo, ſit vita mea, & vitæ
iſtorum ſervorum tuorum apud te. 14 Ignis jam deſcendit è cœlo & abſumſit duos
Pentecontarchos priores & quinquagenos viros, quibus præerant. At vita mea ſit apud
te p retioſa.
15 Ibi verò dixit Angelus Jehovæ Eliæ: deſcende unà cum illo, nec eum timeto.
Surrexit ergo, deſcenditque cum eo ad Regem. 16 Hunc autem *ſic* alloquutus eſt: ſic
dixit Jehova: quia miſiſti nuncios ad conſulendum Bahal-zebubum Deum Hekronis,
quaſi nullus eſſet Deus apud Iſraëlem, cujus verbum conſuleres; ideò è lecto, in quem
adſcendiſti, non deſcendes, quia morieris. 17 Mortuus verò eſt ille, pro verbis Je-
hovæ, quæ Elias protulerat, regnavit Jehoramus ejus loco, anno ſecundo Jehorami,
Joſaphati filii, Regis Judæ, quia nullus ei erat filius. 18 Reliquæ autem res geſtæ A-
chazjæ, annon ſunt ſcriptæ in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis?

II. Adſcenſus Eliæ in cœlum, triáque inſignia ſucceſſoris ejus Eliſæi miracula.

1 EO tempore, quo Jehova Eliam in cœlum per turbinem ſublaturus erat, pro- CAPUT
fecti erant Elias & Eliſæus Gilgale, 2 dixerátque Elias Eliſæo: conſiſte hîc, II.
quæſo, nam Jehova Bethelem me miſit. Eliſæus verò illi, *Ut*, inquit, vivit
Jehova & tu vivis: *ſic* te minimè relinquam; iverúntque ambo Bethelem. 3 *Ibi* egreſ-
ſi ſunt filii Prophetarum, qui Bethele erant, ad Eliſæum, eique, an noſti, inquiunt,
hodie Jehovam ablaturum abs te dominum tuum? Novi, inquit, etiam ego, vos ve-
rò tacete.
4 Dein Elias Eliſæo, conſiſte, inquit, quæſo, hîc; quia Jehova miſit me Jerichun-
tem.

ligebat eum eſſe Prophetam, ac proinde neminem Hebræum, Dei timentem, Regi Idololatræ operam ſuam addicere debere, ad ejuſmodi virum malè habendum. Satis enim norat Pentecontarchus Achazjam iratum eſſe Eliæ, nec alium in finem eum accerſere, niſi ut pœnas de eo ſumeret, ob denunciatam ſibi mortem. Igitur qui malebat favorem Regis ſibi ſervare, quàm parêre legibus Naturæ & Revelationis, quæ vetant nos inſtrumenta eſſe injuſtitiæ, dignus erat qui pœnas daret. Qui malebat vitæ ſuæ proſpicere, quàm ejus periculum adire, negando ſe talia miniſteria obire poſſe, dignus erat qui eam amitteret. Quod autem de Duce dicimus, id quoque de militibus intelligendum.

11 *Iterum miſit*] *Et rediit & miſit.*

Alloqui cœpit] ויען *vajjaban.* Verbum ענה *hanab* & priorem loqui & reſpondere ſignificat, ut hæc & ſequentia verba oſtendunt.

Citò deſcende] *Feſtina, deſcende.*

12 *Si vir divinus ſum*] Eò dignior erat hac pœna poſterior Pentecontarchus, quòd exemplo prioris intelligere debuerat rem Deo diſplicere. Quod ſi quis dicat utrumque Idololatram fuiſſe, ſimiléſque fuiſſe copias, quæ Dei Iſraëlis cultum deſeruerant; quod verum eſſe poſſet; tum verò & propter Idololatriam & propter illicitum miniſterium Regi præſtitum, pœnas dediſſent.

13 *Tertium miſit* &c.] *Et rediit & miſit ducem quinquagenorum tertiorum.*

Ingenua procidit &c.] Exemplo aliorum edoctus eam reverentiam Prophetæ exhibuit, quâ oſtendit, ſe quidem parêre Regi, in accerſendo Elia; ſed ſe nolle eum abducere niſi volentem, itaque rem ejus arbitrio relinquere, nec aliud orare, niſi ut vitæ ſuæ militúmque parcat. Quo modo pœnas prioribus inflictus vitavit.

Pretioſa, quæſo, ſit &c.] תיקר נא *thikar na.* Hoc eſt, ei parcito, ut rei pretioſæ parcere ſolemus.

15 *Nec eum timeto*] *Nec timeto à facie ejus.* Ne te occidat, aut invitum retineat.

16 *Cujus verbum conſuleres*] *Ad quærendum in verbo ejus*; hoc eſt, prophetas, ſi fortè eos de te alloqui vellet Deus. Vide 1. Reg, XXII, 1.

In CAPUT II.

1 S*Ublaturus erat*] בהעלות *bebahaloth.* LXX. Intt. *ἐν τῷ ἀνάγειν*, Vulgatus: *cùm levaret.* Maluimus ſenſu futuri ſumere; nam Infinitivus ejuſmodi præteriti, præſentis, aut futuri vim obtinet, pro re nata.

2 *Ut vivit Jehova*] *Vivit Jehova & vivit anima tua, ſi.*

3 *An noſti*] Eum monent, divinitus ipſi moniti, fore ut mox Elias terris eriperetur, ut ſedulò eum comitaretur Eliſæus.

Ablaturum] לקח *lokeahh.* Quod verbum adhibetur etiam, ubi de Henochi raptu Geneſ. V, 24.

Abs te] מעל ראשך *deſuper caput tuum.* Vulgatus *à te*, LXX. ad verbum *ἐπάνωθεν τῆς κεφαλῆς σου*, quaſi eâ loquutione ſignificaretur raptus in cœlum. Sed eſt perinde ac *abs te*, quia diſcipuli ad pedes Prophetarum ſedere ſolebant. Vide vſ. 9.

Tacete] Ne concurſus ad Eliam fieret, qui tantæ rei teſtes minimè quærebat. Cùm enim Iſraëlitæ tot & tantis miraculis, apud eos editis, minimè adducti fuiſſent, ut Idololatriæ prorſus nuncium remitterent; indigni prorſus erant, qui hujus miraculi teſtes fierent.

4 *Conſiſte quæſo hic* &c.] Non jubebat Elias Eliſæum illic manere, eo animo ut parêret, ſed experiendi causâ, an ad extremum comes ſuus eſſe vellet, teſtiſque ſuæ tranſlationis eſſe. Signum hoc fuit maximæ fidei Eliſei erga ma-

Digitized by Google

tem. At ille, *ut* vivit, inquit, Jehova, útque tu vivis: *ſic* te non relinquam, iverúntque unà Jerichuntem. 5. *Illic* filii Prophetarum, qui Jerichunte erant, convenerunt Eliſæum, & noſtine, inquiunt, fore ut hodie Jehova auferat dominum tuum abs te? Novi, inquit, etiam ego, vos autem tacete.

6. Tum illi Elias, conſiſte, inquit, quæſo hîc, nam Jehova miſit me ad Jordanem. At ille: *ut* vivit, inquit, Jehova, *út*que tu vivis, non te relinquam; ſúntque ambo profecti. 7. Quinquaginta autem viri, è filiis Prophetarum, *poſtea* profecti ſteterunt procul è regione; cùm ambo illi ad Jordanem conſtitiſſent. 8. Ibi Elias ſumtum pallium ſuum involvit, eóque percuſſit aquam, quæ hinc, atque illinc diviſa eſt; *quo facto*, ambo per ſiccum *alveum* trajecerunt. 9. Cùm autem tranſirent, Elias Eliſæo: pete, inquit, *à me* quid tibi faciam, antequàm abs te auferar. Tum Eliſæus, ſit mihi,

giſtrum, quem deſerere noluit, & fiduciæ etiam ſingularis, quâ divina promiſſa amplectebatur; quandoquidem confidenter exſpectavit impletionem ejus, quâ Deus revelarat Eliam in cœlum raptum iri. Quamobrem numquam ab eo abſcedere voluit, licèt ſæpiùs veluti eum amandaret Elias.

Ut vivit Jehova] Ne Elias diutiùs urgeret, ſe non facturum addito jurejurando, quod nefas erat violari, negat.

5. *Filii Prophetarum*] Ut erant (v. 3.) Bethele. Scholæ fuerunt Propheticæ, in quibus candidati Prophetiæ audiebant Prophetarum monita, vitámque ad eorum præſcriptum inſtituebant, ut fierent donorum propheticorum capaces.

7. *Quinquaginta autem viri* &c.] Ut viderent quid Eliæ futurum eſſet.

Steterunt procul &c.] In colle Jordanem deſpiciente, quales multi illic ſunt.

8. *Ibi Elias ſumtum* &c.] *Et ſumſit Elias pallium ſuum, & involvit & percuſſit* &c.

9. *Quid tibi faciam*] Norat enim Elias ſe ſe impetraturum à Deo quod ab eo erat petiturus.

Antequàm abs te auferar] Serum enim fuiſſet ab Elia quidquam petere, poſt ejus raptum, preces quippe non ampliùs audituro.

Duplo major copia ſpiritûs &c.] יהי נא פי שנים ברוחך אלי, *ſit os duorum in ſpiritu tuo mihi*. Quæ loquutio refertur ad ipſum Eliam, ideóque ſupplevimus, *quàm in te eſt*. *Spiritus prophetæ* eſt adflatus propheticus, cum omnibus ejus effectibus. Sic Luc. 1, 17. Joannes Baptiſta venturus fuiſſe dicitur ἐν δυνάμει καὶ πνεύματι Ἠλίου. Vide *Henr. Hammondum* ad Luc. IX, 55. Sed viris doctiſſimis nimis arrogans hoc Eliſæi poſtulatum videtur, cùm reputant ea quæ ſunt ab Elia facta & raptum ejus in cœlum; malúntque propterea *duplo majorem copiam ſpiritus* referre ad condiſcipulos Eliſæi, inter quos eminere cupiebat Eliſæus, copiâ donorum propheticorum; ut primogenitus antecellit fratres, duplici portione hereditatis à patre acceptæ. Verùm in nullum alium Prophetam, quaſi ſibi ſucceſſurum, dona contuliſſe dicitur Elias. Solum ſibi ſucceſſorem eligere juſſus eſt Eliſæum. Nec video quid vetet quominùs Eliſæus dicatur duplò majora habuiſſe dona prophetica, quàm Elias, cùm plura illo ediderit miracula, quæ in ſequentibus Capitibus leguntur, & divinam virtutem poſt mortem etiam exſeruerit, ut legimus Cap. XIII, 25. Ideò Eliæ ipſi viſus eſt rem difficilem poſtulare, cùm difficile non fuiſſet duplò majora dona ei concedere, quàm condiſcipulis, vel aliis *Prophetarum filiis*. Arrogans fuiſſet Eliſæi poſtulatum, ſi ex gloriæ cupiditate manaſſet; ſed ſi ex ſola cupiditate Iſraëlis benefaciendi natum ſit, quemadmodum credere fas eſt, non video quid in eo poſſit reprehendi.

10. *Rem difficilem petiiſti*] הקשית לשאול *difficilem præbuiſti te petendo*. Non erat quidem difficilius Deo, ſi res in ſe ſpectetur, dona maxima, quàm exigua, hominibus largiri; ſed cùm non ſoleret Deus hoc facere, eo tempore, difficile videbatur impetratu. Alioqui temporibus Evangelicis dona majora largitus eſt Apoſtolis, primiſque eorum diſcipulis

Si me rapi videris &c.] Hoc erit indicium, ex quo intelligere poteris tibi conceſſum iri quod petis, aut ſecus.

11. *Currum igneum*] Hoc eſt, ſpeciem currûs & equorum fulgentium inſtar prunarum. Viri docti Angelos fuiſſe volunt, qui ſub ea forma apparuerint. Malim dicere nubem fuiſſe ſplendentem, cui Angeli eam formam dederint. Sic Chriſtus nube fuit raptus, quæ per ſe quidem non habebat vim attollendi corporis, ſed ab Angelis, aut ab omnipotente vi Dei ſubvehebatur.

Et adſcendit Elias per turbinem in cœlum] Turbo, nempe, venti rapere viſus eſt currum & equos; ſed omnia Angelorum vi facta ſunt, & omnipotentiâ divinâ, quâ Eliæ corpus mortale induit immortalitatem; ſeu tale evaſit, quale erit corpus humanum poſt reſurrectionem, & in ſedes beatitatis, in quibus erant jam Henochus, & Moſes, unà cum Angelis tranſtulit. Rabbini volunt שמים *ſchamajim* hîc dici ſuperiorem partem aëris, idémque ſtatuunt multi Chriſtiani; ſed cùm hîc nihil proferant, præter meras conjecturas, nihil intereſt eorum loca proferri. Æquè veriſimiliter, imò veriſimiliùs conjicere poſſumus, ex certiore Univerſitatis cognitione, ſedes illas beatitudinis eſſe extra Planetarum orbitas, ultra polum ſeptemtrionalem aut meridianum Solis. Sunt enim illic ampliſſima ſpatia, eáque Planetarum motibus minimè impedita, & mutationibus Atmoſphærarum Planetarum minimè obnoxia, quippe ubi ſola eſt materia æterea. Quomodo autem illic corpora vivere & quidem in æternum poſſint, tum demum intelligemus, cùm experientiâ ipſi noſtrâ ſciemus, quænam mutatio fiat in corpore, quod immortalitatem induit. Interea cùm Deus ſit omnipotens, nihil vetat eum quamlibet mutationem corporibus inferre, eáque æternùm, in eodem ſtatu, conſervare.

Non tantùm Henochum & Eliam, quorum prior

hi, inquit, quæſo, duplo major copia ſpiritûs tui, *quàm in te eſt.* 10. *Elias* verò, rem, inquit, difficilem petiiſti; ſi tamen me abs te rapi videris, ſic tibi fiet; ſin minùs, non fiet. 11. Dum autem unà incederent & colloquerentur, ecce *tibi* currum igneum, equóſque igneos, qui eos ſepararunt, & adſcendit Elias per turbinem in cœlum. 12. Cùm videret hoc Eliſæus & clamaret: ô mi pater, ô mi pater, currus Iſraëlis, ejúſque equites, eum ampliùs non vidit, adprehenſáſque veſtes ſuas in duas partes diſcerpſit. 13. Poſtea ſublato Eliæ pallio, quod ab eo ceciderat, reverſus eſt, conſtititque ad Jordanis ripam. 14. Ibi pallio Eliæ, quod ab eo deciderat, ſumto, percuſſit aquam, & ubi, inquit, eſt Jehova Deus Eliæ, etiam ipſe? Percuſſit, inquam, aquam, quæ diviſa eſt hinc atque illinc, trajecitque Eliſæus.

15. Vi-

prior *raptus à Deo* dicitur, poſterior etiam *raptus in cœlum* collocamus in ſedibus beatitatis, ſed etiam Moſem; quòd unà cum Elia Chriſto transfigurato adfuerit, nec magis videatur tunc temporis reſurrexiſſe, quàm Elias. Vide quæ notavimus ad Deut. XXXIV, 6.

12. *O mi pater*] Cùm diſcipuli dicerentur *filii Prophetarum*, Prophetas ipſos eorum patres dici viciſſim neceſſe erat. *Procopius* quidem Gazæus, ad hoc ipſum Caput, ait eſſe ἰδίωμα τῆς Ἑβραΐδος ἄλλα δὲ καὶ Σύρων υἱὸς προφητῶν καὶ υἱὸς ἀνθρώπων προφήτας καὶ ἀνθρώπους λέγειν: *idioma Hebraicæ, pariterque Syrorum Linguæ* filios Prophetarum & Hominum *vocare Prophetas & Homines.* Sed quamvis ſæpe *filii Prophetarum* fuerint & ipſi Prophetæ, attamen Prophetæ fuerunt qui potuerunt dici non *filii*, ſed *patres* Prophetarum; quales erant ii qui eorum Scholis præerant, alioſque docebant, ut Eliſæus poſt mortem Eliæ. Ideóque *Propheta* & *filius Prophetæ* diſtinguuntur Hamoſ. VII, 14.

Currus Iſraëlis &c.] Qui Iſraëlem precibus tuis, apud Deum, tuebaris, non minùs ac ſi currus & equites multos ad eum defendendum aluiſſes.

In duas partes diſcerpſit] Luctûs hoc fuit, ut notum eſt, argumentum.

14. *Percuſſit aquam*] Non eſt hoc ita capiendum, quaſi Eliſæus crediderit pallio rapti Eliſæi inſitam fuiſſe vim neſcio quam, quâ miracula poſſent edi, ut rerum omnium conditor corporibus variis varias virtutes indidit. Sed intellexit tantam eſſe Eliæ gratiam apud Deum, ut ejus honoris causâ miracula editurus eſſet, ex occaſione contactûs ejus pallii, eo jam in cœlum rapto, quemadmodum antea fecerat.

Ubi Jehova Deus Eliæ] Idem eſt ac ſi diceret: præſens nunc adſit mihi Jehova, quemadmodum Eliæ adfuit.

Etiam ipſe] אף הוא *aph hou.* Hoc petit Eliſæus ipſum Deum præſentem ſibi adeſſe, miraculiſque, qualis fuit fiſſio aquæ Jordanis, præſentiam ſuam teſtari: quemadmodum fecerat Eliæ. Perinde ergo eſt ac ſi diceret: adſit verò mihi idem ille Deus, qui Eliæ adfuit & ejus causâ aquam fidit. LXX. Intt. qui non adſequebantur quid ſibi vellent hæ voces, eas retinuerunt & habent ἀφφώ. Sic alibi etiam ſolent, cùm voces non intelligunt. *Theodoretus* interpretatur κρύφιον κατὰ τὴν Ἰουδαίων τῶν ἄλλων ἑρμηνευτῶν, ſed quomodo ea vox occultum ſignificare queat non intelligimus. Credit quidem *Iſ. Voſſius* de tranſlatione LXX. Intt. c. XVIII. eos ita exiſtimaſſe, quia infra Cap. XV, 5. iidem LXX. Intt. habent ἐν οἴκῳ ἀφφουσώθ, ubi *Aquila* & alii verterunt ἐν οἴκῳ κρυφαίῳ. Verùm ibi habetur בהחפשית *babhopſchith*, quod multum differt ab אף הוא, nec illi Interpretes ex LXX. Intt. verſiones ſuas adornarunt. At ipſe *Voſſius* exiſtimat, *quemadmodum in Sacris Litteris multis nominibus indigitatur Deus; nempe, vocabulis petitis ab æternitate, ab exſiſtentia, à fortitudine & aliis adtributis ejus: ſimiliter quoque præſentiam ejus ſignificari vocabulis* אף *aph* & פנים *phanim; & hoc loco* אף הוא *eſſe ad verbum*, vultum ipſum, *vel* faciem ipſam. Verum eſt פנים aliquando ſignificare ipſum Deum, ut rectè oſtendit ex Exod. XX, 3. XXXIII, 14. Sed nullum locum profert ubi אף הוא ſignificet *faciem ipſam*, aut *vultum ipſum*; nec ſanè proferri poteſt. Itaque fruſtra eſt, & debuiſſent vertere Græci, ſi vera diceret, αὐτὸ πρόσωπον, vel αὐτός, quemadmodum vult eos alibi vertiſſe פנים, non ἀφφώ.

Latinus verò interpres vertit: *etiam nunc*, quia putavit אפוא, quod legimus *epho*, eſſe idem ac אף הוא *aph hou.* Liquet hoc ex ejus Comment. in Eſaiæ Cap. XXII, 1. ubi occurrit vox אפוא quæ vertitur *nunc. Hoc quod juxta LXX. Interpretes*, inquit, *in Regum volumine quæritur quid ſibi velit, dicente Eliſæo: ubi eſt Deus Eliæ* APHPHO? *in præſenti loco manifeſtiùs ponitur, pro eo quod Septuaginta tranſtulerunt* nunc, *in Hebræo habet* APHPHO, *quod nos interpretati ſumus nunc*, quoque, & Aquila *volens Hebraicum ſervare idioma poſuit* καίγε τοι, *quam conjunctionem Latinus ſermo non explicat.* Sed *Hieronymus*, confundit voces planè diverſas, nam אפוא *epho* & אף הוא *aph hou* non ſunt idem. Nec eſt quòd quis eum defendat, ideò quòd fortè legerit in hoc Regum loco אפוא *epho*, nam contrarium oſtendit ejus verſio, quæ habet *etiam nunc*; unde liquet eum legiſſe אף *aph* ſeorſim, quod eſt *etiam*, quamvis הוא non ſit *nunc.* Conjunxit, nimirum, interpretationes duas, quarum altera vertebat hæc *etiam ille*, altera verò *nunc*; quod eſt indicium parum accuratæ cognitionis Linguæ Hebraicæ, quam, in *Quæſtionibus Hieronymianis*, in clara luce poſuimus.

Non expendam varias Recentiorum interpretationes, ſed hanc tantum addam, quæ mihi abſurda non videtur: *& dixit etiam ille: ubi eſt Jehova Deus Eliæ?* ita ut אף הוא referatur ad Eliſæum, qui magiſtri vocem imitatus (quam antea memorare omiſit Hiſtoricus Sacer) dixerit dum percuteret aquam Jordanis: *ubi eſt Jehova Deus Eliæ?* Non rarò in ſequentibus memoratur circumſtantia priùs omiſſa.

Percuſſit, inquam] *Et percuſſit*, ויכה *vajjaccheh.* Interpoſitis nonnullis, repetitur verbum antea poſitum, perſpicuitatis causâ, ideóque verti *percuſſit, inquam*; unde liquet voculas אף הוא non eſſe cum ſequentibus conjungendas.

15. *Vi-*

15. Viderunt eum filii Prophetarum, qui Jerichunte erant, *ac* è regione *conſtiterant*, &, requievit, inquiebant, ſpiritus Eliæ in Eliſæo, obviámque ei proceſſerunt, proſtratique in terram ſalutarunt. 16. Tum illi, ſunt, inquiunt, quinquaginta viri robuſti, cum ſervis tuis, qui, quæſo, eant, & quærant dominum tuum, ne fortè rapuerit eum Spiritus Jehovæ, projeceritque in montem, aut vallem. Ille verò, ne, inquit, mittatis. 17. At illi apud eum inſtiterunt, donec *eum* puderet, & mittite *ergo*, inquit. Dimiſerunt itaque quinquaginta viros, qui per triduum eum quæſiverunt, nec invenerunt. 18. Dein reverſis ad ſe, dum conſtitiſſet Jerichunte, annon dixeram, inquit, vobis, ne iretis?

19. Oppidani verò Eliſæum *convenerunt*, & ſitus, inquiunt, oppidi bonus eſt, ut videt dominus noſter; verùm aqua mala eſt, & ſterile ſolum. 20. Sumite mihi, inquit ille, phialam novam, atque in ea ſal ponite. Eam verò illi ad eum attulerunt. 21. Tum egreſſus ad ſcaturiginem aquæ, projecit in eam ſal, & ſalubrem, inquit, reddidi aquam illam; neque ex ea ampliùs mors, aut ſterilitas *orietur*. 22. Salubris verò facta eſt aqua, ad hodiernum diem, ſecundùm verba, quæ protulerat Eliſæus.

23. Illinc profectus eſt Bethelem, cúmque per viam adſcenderet, egreſſi ſunt ex urbe pueruli, qui ei illudebant, dictitabántque: adſcende calve, adſcende calve. 24. Tum conver-

15. *Viderunt* &c.] Nempe, aquæ fiſſionem, non raptum Eliæ, ut ſequentia oſtendunt.

Qui Jerichunte erant] Solebant habitare Jerichunte.

Et è regione conſtiterant] Vide vſ. 7.

Requievit Spiritus Eliæ] Hoc eſt, prophetica dona Eliæ ſunt in Eliſæum tranſlata. Vide ad vſ. 9.

Proſtratique in terram] ישתחוו לו ארצה *jiſchtabbavou lo artſah.* Sic ſolebant viros honoratos, ſummos Magiſtratus, Regéſque ipſos ſalutare. Itaque eum, qui eorum condiſcipulus fuerat, jam quaſi Magiſtrum ſummopere reverendum ſalutabant, ob miraculum, quod ab eo editum viderant.

16. *Quinquaginta viri robuſti* &c.] Ejuſmodi oportebat eſſe viros, qui per ſaltus, montes & valles, circa inferiorem Jordanis decurſum, quærerent Eliam, ſicubi fortè cadaver ejus lateret; nihil enim de raptu Eliæ in cœlum ſuſpicabantur.

Ne fortè rapuerit &c.] Solebat enim Spiritus Dei, ſeu ejus potentia intelligatur, ſeu Angelus quiſpiam, rapere aliquando per aërem Prophetas, & aliò magnâ celeritate transferre. Vide 1. Reg. XVIII, 12. Verùm imprudenter ſe gerebant, nam ſi Deus voluiſſet Eliam alicubi mori & occultari cadaver ejus, id nequaquam inveniſſent; ſi verò voluiſſet eum vivere, aut mortuum ab hominibus ſepeliri, eadem ratione in loca frequentiora eum tranſtuliſſet.

17. *Donec eum puderet*] Hoc eſt, diutiſſimè, ita ut eorum poſtulatis tandem, præ pudore, cederet. Vide ſimilem loqnutionem Jud. III, 25. De raptu in cœlum tacuit primùm Eliſæus, ſed poſtea rem aperuit.

18. *Dein reverſis ad ſe*] *Et redierunt ad eum & ille ſedens Jerichunte & dixit.*

19. *Situs oppidi bonus eſt* &c.] Hunc tractum copioſè deſcribit *Joſephus* Lib. IV. de Bello Judaïco c. 26. in Græcis. Erat, nempe, in extrema parte Magni Campi, ad eum locum, quo Jordanes ſubit lacum Aſphaltiten; quâ parte fertiliſſima poſtea fuit planities, ſed Eliſæi tempore, cùm aquis dulcibus careret, ſterilis.

Sterile ſolum] הארץ משכלת *haarets meſchacceleth.* LXX. Intt. ἡ γῆ ἀτεκνουμένη, quod ita intellexit *Joſephus*; quaſi non tantùm plantas, ſed etiam mulieres illic habitantes ſolum illud ſteriles reddidiſſet, ob fontem pravi ſaporis, qui in eo erat. Ταύτην τὴν πηγὴν (ejus ſunt verba) λόγος ἔχει κατ' ἀρχὰς οὐ μόνον γῆς καὶ δένδρων καρποὺς ἀπαμβλύνειν, ἀλλὰ καὶ γυναικῶν γονὰς, καθόλου τε πᾶσαν εἶναι νοσώδη τε καὶ φθαρτικήν: *hunc fontem fama fert initio non tantùm terræ & arborum fructus debilitaſſe, ſed etiam mulierum fœtus, univerſéque totum eſſe morbidum & perniciem adferre.* Verùm ſatis eſt τὸ משכלת *orbans* ad terræ fructus referre, ita ut intelligamus plantas aliunde eò tranſlatas frugiferas ampliùs non fuiſſe, poſtquàm aliquamdiu ejus loci ſucco nutritæ fuiſſent.

20. *Sumite mihi*] Nimirum, dandam. Vide 1. Reg. XVII, 11.

Phialam novam] Ne, ſcilicet, putarent neſcio quid fuiſſe in illa phiala, quod virtutem habuiſſet ſingularem, ad corrigendam aquam minùs ſalubrem. Sic Chriſtus in ſepulcro novo, in quo nemo jacuerat, eſt ſepultus, ne, contactu oſſium Prophetæ cujuſpiam, è mortuis excitatus eſſe crederetur.

Ad eum attulerunt] *Ei ſumſerunt.* LXX. Intt. ἤνεγκαν πρὸς αὐτόν. Vulg. *qui cùm attuliſſent.*

21. *Projecit in eam ſal*] Tantùm abeſt ut ſal aquam corruptam pravo & falſo fortè ſapore reſtituere poſſit, ut contrà eam potiùs magis corrumpat. Itaque ſale hanc in rem uſus eſſe videtur Propheta, ut oſtenderet id quod faciebat non naturali quadam ratione, ſed prorſus divinâ potentiâ fieri. Sic Chriſtus cæci oculos luto illevit, ut viſum ei reſtitueret.

Salubrem reddidi aquam] *Sanavi aquas illas.*

Sterilitas] משכלת *meſchaccheleth*, orbans, ſubintelligitur הארץ *terra*, quod expreſſum vſ. 19. Vult terram hac aquâ rigatam non ampliùs ſterilem fore, ſeu *orbantem* plantas fructibus ſuis. *Joſephus* de illa aqua: τοσαύτην γὰρ ἐν ταῖς ἀρδείαις ἔχει δύναμιν, ὡς εἰ καὶ μόνον ἐφάψαιτο τῆς χώρας, τροφιμώτερον εἶναι τῶν μέχρι κόρου χρονιζόντων· παρὸ καὶ τῶν μὲν δαψιλέστερον χρωμένων ἡ ὄνησις ἐστὶν ὀλίγη, τοῖς δὲ τῶν ὀλίγων δαψιλής: *tantam habet vim in rigationibus, ut ſi tantùm attigerit terram, ſuavior ſit aquâ, quæ ad ſatietatem uſque illic morata eſt. Quare eorum qui copioſiùs utuntur exiguum eſt emolumentum, exiguæ verò aquæ magnum.* Poſtea deſcribit fertilitatem & amœnitatem tractûs, quem fons ille irrigat. Similia etiam invenire licet, apud *Strabonem* Lib. XVI, in deſcriptione Syriæ.

23. *Adſcende calve*] Calvum oportet fuiſſe Eliſæum, Bethelenſibúſque probè notum & fortè etiam inviſum, quòd miniſter fuiſſet Prophe-

ta

verſus iis conſpectis malè precatus eſt, nomine Jehovæ; prodierúntque duæ urſæ è ſilva,
quæ ex eis quadraginta duos pueros diſcerpſerunt. 25. Abiit dehinc illinc ad montem
Charmelum, unde Samariam eſt reverſus.

III. Joramus, Achabi filius, Samariæ regnat, bellúmque gerit cum Moabitis, in quo aquam divinitus impetrat, cæditque Moabitas, & urbes agroſque eorum vaſtat. At obſidens Regem Moabitarum, mactatúmque conſpicatus ejus filium, domum redit.

1. JORAMUS autem, Achabi filius, regnare cœpit in Iſraëlem Samariæ, anno de- CAPUT III.
cimo octavo Joſaphati Regis Judæ, regnavitque per duodecim annos. 2. Fecit
quod diſplicet Jehovæ, verùm non ita ut ejus parentes; amovit enim ſtatuam Ba-
halis, quam pater ejus fecerat; 3. ſed adhæſit peccatis Jerobohami, Nebati filii, qui
Iſraëlem ad peccandum adduxit, nec ab iis receſſit.
4. Meſa Moabitarum rex pecudibus abundabat, pendebátque Regi Iſraëlis *quot-
annis* centenos millenos agnos, centenóſque millenos verveces lanigeros. 5. Verùm
cùm

tæ Idololatriæ infenſiſſimi, quam & ipſe non minùs oderat. Notum enim eſt alterum Vitulorum Jerobohami illic fuiſſe, & Bethelenſes Idololatriæ ſummopere addictos. Quamobrem mihi credibile fit ab oppidanis concitatos puerulos, ut irriderent Eliſæum. *Puerulos* autem diximus, quòd in ſimplici narratione vocentur נערים קטנים *pueri parvi*; ne quis putet, cum viris doctis, viros adultæ ætatis fuiſſe. Alioqui ſcio hyperbolicè pueros interdum vocatos juvenes jam dudum ephebis egreſſos.

24. *Tum converſus*] *Et reſpexit poſt ſe & vidit eos & maledixit iis, in nomine* &c. Hoc eſt, oravit Deum ut pœnas de iis ſumeret.

Quadraginta duos pueros] Gravis ultio, ſed potiùs in parentes, à quibus concitati fuerunt, quàm in pueros ipſos, qui fortè quid facerent neſciebant. Exigua eſt vitæ hujus ærumnoſæ jactura, ſi compenſetur beatitate poſt mortem; nec multùm amiſerunt pueruli, ſi nullam aliam pœnam dederunt.

In CAPUT III.

2. *QUod diſplicet*] *Malum in oculis.*

Statuam Babalis] Quaſi vellet ſolum Iſraëlis Deum colere, ſed quem coluit ſub imagine vitulorum; qui inferior quidem Idololatriæ gradus fuit, at magnum in legem Moſaïcam delictum. Videntur huic Idololatriæ generi pertinaciùs addicti fuiſſe Iſraëlis Reges, eadem de causâ, ob quam inſtituta fuerat; ne, nimirum, qui iis parebant irent Jeroſolimam, ut ſacra illic facerent, & paullatim ſub familiæ Davidicæ imperium & ditionem redirent. Vide 1. Reg. XII, 26. & ſeqq.

4. *Pecudibus abundabat*] היה נקד *hajah noked.* Hac voce non videtur propriè ſignificari *paſtor*, qui dici conſtanter ſolet, apud Hebræos, רועה *roheh*; ſed potiùs *pecuarius*, ſeu qui abundat copiâ pecoris, idque vendit. Ea vox hîc tantùm & Amoſ. I, 1. occurrit, optiméque deducitur à *Sam. Bocharto* ex Arabica Lingua, in qua נקד *necked* eſt *ovis* aut *capra* generis cujuſdam, ut ille oſtendit Hieroz. P. 1. Lib. II. c. 44. LXX. Intt. habent Νωκήδ, quòd vocem non intelligerent; Vulgatus meliùs: *nutriebat pecora multa*, prout res ipſa poſtulat, cui favet etiam vocis Etymologia, ut diximus. *Hieronymus* ad Amoſ. I, 1. *In eo autem loco, ubi Septuaginta tranſtulerunt* in Accarim (ſic legitur in eorum Codicibus, pro בנוקדים *in nokedim*) Theodotio *ipſum verbum Hebraicum poſuit* NOCEDIM, *quod* Aquila *vertit* ἐν ποιμνιοτρόφοις, *id eſt*, in paſtoralibus, Symmachus *& quinta Editio* ἐν τοῖς ποιμέσιν, *id eſt*, in paſtoribus. *Et puto, propter Daleth & Res litterarum ſimilitudinem, hic quoque deceptos, pro* NOCEDIM, quaſi NOCERIM, *& exinde* ACCARIM *poſuiſſe ſermonem* &c.

Centenos millenos agnos &c.] Ingens hæc fuit copia pecudum, ſed difficiliùs multò argenti pondus, quo potuiſſent comparari, apud Moabitas, inventum eſſet. In montibus & vallibus Moabitidis, viciniſque campis, ingens copia ovilli generis ali potuit; quia id genus pecudum altiorem herbam non poſtulat, ſed brevem & teneram depaſcit. Ideóque bucerum genus illic multò rarius. Sunt quibus major æquo videatur is agnorum, vervecúmque numerus; quibus ut ſatisfaciat *Job. Ludolfus*, in Comment. ad Hiſtoriam Æthiopicam Lib. II. c. III, 30. exiſtimat aut tributum non fuiſſe annuum, quamvis ſic reddiderint Chaldæus & Arabs; aut ſemel tantùm, certâ quadam occaſione, perſolutum fuiſſe; exempli causâ, initio regni, ut eo tributo Moabitæ majeſtatem Regum Iſraëlis agnoſcerent & colerent. Quò LXX. Intt. reſpexiſſe videntur, dum de ſuo addunt ἐν τῇ ἐπαναστάσει, *in rebellione*, ita ut פשע Latinè pluſquam perfecto reddendum ſit, hoc modo: *in defectione præterita, pro damnis illatis & impenſis factis reddiderat*, vel *ſolverat Regi Iſraël centum mille agnos* &c. Poſſunt hæc eſſe vera, poſſunt & alia, quale eſt à ſingulis Regibus multis penſionibus perſolutum hoc tributum; nec in re ejuſmodi quidquam definiri poteſt, niſi propter numerum non eſſe fidem detrahendam Hiſtoriæ Sacræ.

Verveces] אילים *elim*, quod rectè hîc ſignificare *verveces* vidit *Ludolfus*, quòd tot arietes in gregibus ali non ſoleant. Dicuntur *lanati*, ſeu אילים צמר *elim tſamer* pro בצמר *in lana*, vel *cum lana*, quo fiebat ut pretioſiores eſſent. LXX. Intt. ἐπὶ πόκων. Vulg. *cum velleribus ſuis.*

Ad hoc tributum quod attinet, quacumque ratione perſolutum intelligatur, duo ſunt animadvertenda. Alterum eſt antiquiſſimis temporibus, cùm divitiæ in pecudibus ſitæ eſſent, tributa pecudibus fuiſſe ſoluta, imò etiam mulctas;

Digitized by Google

cùm mortuus eſſet Achabus, rebellavit Moabitarum Rex in Regem Iſraëlis. 6. Igitur, eo tempore, egreſſus eſt Joramus Samariâ & totum Iſraëlem recenſuit; 7. miſitque ad Joſaphatum Regem Judæ, qui dicerent *ipſius nomine:* Rex Moabitarum in me rebellavit, an me comitaberis ad bellum Moabitis inferendum? Ibo verò, inquit ille, tui enim inſtar ſum, populus meus *eſt* inſtar populi tui, & equitatus meus inſtar equitatûs tui. 8. Sed per quam viam, aiebat, ibimus? Per viam, inquit *Joramus*, ſolitudinis Idumææ. 9. Iverunt ergo Rex Iſraëlis, Rex Judæ & Rex Idumææ, circumiverúntque eâ viâ, per ſeptem dies, nec erat aqua caſtris, jumentiſque, quæ ea ſequebantur. 10. Ibi verò Rex Iſraëlis, eheu, inquit, vocavit huc Jehova tres hoſce Reges, ut eos in manus Moabitarum traderet! 11. At Joſaphatus, nullúſne eſt hîc propheta Jehovæ, ut ab illo quæramus *quæ ſit voluntas* Jehovæ? Reſpondit verò unus è ſervis Regis Iſraëlis, eique dixit: hic eſt Eliſæus, Saphati filius, qui aquam in manus Eliæ fundebat. 12. Tum Joſaphatus, eſt, inquit, apud eum verbum Jehovæ; iverúntque ad eum Rex Iſraëlis, Joſaphatus & Rex Idumæorum. 13. At Eliſæus Regi Iſraëlis, quid mihi, inquit, tecum eſt? Ito ad prophetas parentum tuorum. At ei Rex Iſraëlis, nequaquam, inquit; nam *huc* vocavit Jehova tres hoſce Reges, ut eos in manum Moabitarum traderet. 14. *Ibi* Eliſæus, *ut* vivit, inquit, Jehova *Deus* exercituum, cui ego adſto, niſi rationem haberem Joſaphati Judæ Regis, ne te quidem reſpexiſſem, aut vidiſſem. 15. Verùm ſumite mihi fidicinem. *Quo facto*, cùm fidicen fides pul-

quod obſervavit *Sam. Bochartus* ex Plinii Lib. XVIII. c. 13. *Pecunia ipſa à pecore appellabatur. Etiam nunc, in tabulis Cenſoriis, paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolum vectigal fuerat. Mulctatio quoque nonniſi ovium, boúmque impendio dicebatur.* Qua de re, vide interpretem *Plinii Joan. Harduinum.* Sic & apud Hebræos, ut dudum eſt à viris doctis obſervatum, מקנה *mikneh* vox eſt ambigua, quæ & *greges* & quaſvis *poſſeſſiones* ſignificat, ſed frequentiùs greges, quia hæc potiſſima poſſeſſio antiquis temporibus erat. Alterum eſt ad hoc ipſum tributum reſpexiſſe videri Eſaiam C. XVI, 1. ubi Moabitis: *mittite*, inquit, *agnum dominatoris terræ è petra deſerti* (è montibus Moabiticis, in Arabia deſerta) *ad montem filiæ Sionis.* Hortari ad officium videtur Propheta Moabitas.

6. *Egreſſus eſt* &c.] Ad expeditionem ſuſcipiendam, quam in rem copias ex Iſraële contractas recenſuit.

7. *Miſitque*] *Et ivit & miſit.* Illud *& ivit* παρέλκει more Hebraïco, nec fuit neceſſe Latinè exprimere.

Populus meus &c.] Vide ad Cap. XXII, 4. 1. Lib. Regum.

8. *Per viam ſolitudinis Idumææ*] Potuiſſent Iſraëlitæ breviore viâ, trajecto Jordane, in Moabitidem ire; ſed fortè aliâ viâ iter facere maluerunt, cùm ut ſecum abducerent Idumæos, Judæ Regi vectigales; tum etiam quia faciliùs poterant eâ parte Moabitidem ingredi, quòd ſolitudines versùs minùs eſſet munita. Itaque circumiverunt Idumæam ad meridiem, ortum versùs tendentes, fermè ut fecerat olim Moſes, cùm in Chananæam iret.

9. *Nec erat aqua*] Aut peccatum imprudentiâ hac in re oportuit, aut iter, neſcio qua de cauſa, longiùs fuiſſe quàm putaverant; certè vix ignorare poterant ſiticuloſam eſſe viam, quam ingreſſi erant.

10. *Vocavit huc Jehova*] Aut providentiâ ſuâ, aut Prophetæ cujuſpiam ab iis conſulti monitu, quamquam hoc in antecedentibus reticetur.

11. *Qui aquam in manus* &c.] Hoc eſt, miniſter ejus erat; uno miniſterii genere, ceteris omnibus deſignatis.

12. *Eſt apud eum verbum Jehovæ*] Jehova per illum voluntatem ſuam aperire ſolet.

Iverúntque] *Deſcenderunt.*

13. *Quid mihi tecum eſt*] *Quid mihi & tibi.*

Ad Prophetas parentum tuorum] *Ad prophetas patris tui & ad prophetas matris tuæ*, Achabi & Izebelæ.

Nam huc vocavit &c.] Nolebat ire ad aliorum Deorum vates, quia norat, providentiâ ſingulari Dei Hebræorum, hoc eſſe factum; & fortè ſolum Jehovam Deum eſſe credebat, licet eum ſub imagine vitulorum coleret. Vide vſ. 3.

14. *Cui ego adſto*] *Ante cujus faciem ſto*; hoc eſt, cui ſervio, quem colo, ejus mandatis parêre ſemper paratus. Sic Elias 1. Reg. XVIII, 15.

Niſi rationem haberem Joſaphati] *Niſi faciem Joſaphati —— ego tollerem*; hoc eſt, niſi perſonæ rationem haberem. LXX. Intt. habent εἰ μὴ πρόσωπον λαμβάνω, ex qua loquutione facta eſt vox προσωποληψία, quæ, ubi de judice ſermo eſt, in malam partem ſumitur; quia ſignificat eam animi adfectionem, quâ judex hominis majorem rationem habet, quàm cauſæ. Verùm hîc in bonam partem ſumenda loquutio, quia Propheta loquitur de honore, quo Joſaphatum religioſum Regem proſequebatur. Hinc Vulgatus: *quod ſi non vultum Joſaphat erubeſcerem.*

15. *Sumite mihi*] Aut adducite, ut C. II, 20.

Fidicinem] מנגן *menaggen*, qui inſtrumentum muſicum, quod נגינות *nginoth* dicebatur, pulſaret. Videtur tunc temporis Propheta paullò commotior fuiſſe, ut colligere licet ex objurgatione, quâ Iſraëlis Regem exceperat. Ea autem animi adfectio non erat apta ad excipiendum divinum adflatum; ideóque Eliſæus inſtrumenti muſici pulſatione utitur, ut animum priùs componat, quàm Dei voluntatem exquirat, ejuſque reſponſum exſpectet. Multa diximus de vi Muſicæ, ad componendum violentiorem ſpirituum animalium motum, ad 1. Sam. XVI, 6. quæ non repetemus. Sic ſolebat *Pytha-*

Digitized by Google

pulſaret, manus Jehovæ Eliſæo incubuit. 16. Dein ſic, inquit, dixit Jehova: facite *in* hac valle multas foſſas; ſic enim dixit Jehova; neque ventum ſentietis, neque pluviam *ullam* videbitis; hæc tamen vallis aquâ implebitur, indéque bibetis vos, pecudeſque veſtræ & jumenta. 18. Sed hoc apud Jehovam parvum eſt, præterea Moabitas in manum veſtram tradet. 19. Exſcindetis omnes urbes munitas, & omnia elegantiora oppida; omnem arborem frugiferam cædetis, omnem aquæ fontem obturabitis, & omnia fertilia prædia lapidibus corrumpetis. 20. Mane verò, eo tempore quo oblatio ſolet offerri, ecce aquam venientem per viam Idumææ, quâ totus ille tractus oppletus eſt.

21. Audiverunt autem omnes Moabitæ veniſſe Reges, ut bellum iis inferrent; coactique ſunt omnes, ab omni qui ſe *primùm* accingit ad majores natu; & in finibus ſuis conſtiterunt. 22. Cùm verò mane ſurrexiſſent, & ſol aquas illuſtraret, viderunt è regione ſui aquas rubras inſtar ſanguinis; 23. dixeruntque: ſanguis hoc eſt, gladium in ſe invicem ſtrinxerunt hi Reges, ſeque mutuò confoderunt; nunc ergo, ô Moabitæ, ad prædam *eamus*. 24. Venerunt igitur ad caſtra Iſraëlitarum, qui conſurgentes conciderunt Moabitas, qui è conſpectû eorum fugerunt. Tum ingreſſi eorum *ſolum*, eos *iterum* ceciderunt. 25. Urbes diruerunt, & in omne fertile prædium quiſque lapidem conjecit, idque implevit; omnem aquæ fontem obturarunt, omnem arborem frugiferam dejecerunt; donec *nulli* ſupereſſent lapides, *niſi qui erant* Kir-

thagorei mentes ſuas à cogitationum intentione, cantu, fidibuſque ad tranquillitatem traducere, ut loquitur *Cicero*, Tuſcul. IV.

Manus Jehovæ &c.] *Fuit ſuper eo manus Jehovæ*; hoc eſt, adflatu divino ſe ſe corripi ſenſit.

16. *Facile in hac valle* &c.] *Facite vallem hanc foſſas foſſas*; hoc eſt, totam foſſis frequentibus fodite. נחל *nahhal* hîc *vallem* vertimus, non torrentem, aut fluvium, quia nulla fuit in eo loco aqua.

17. *Neque ventum* &c.] *Non videbitis ventum, neque* &c. Hîc *videre* perinde eſt ac *ſentire*. Vide ad Exod. XX, 18. Poſt magnam ſiccitatem, non ſolet cadere pluvia, ſine vento. Vide 1. Reg. XVIII, 41.

Hæc tamen vallis aquâ implebitur] Submiſſâ aquâ, per occultos latices, quæ ſine miraculo eò non erat deſcenſura.

Pecudes veſtræ] מקנכם *miknechem*; pecudes, quarum carne veſcebantur. LXX. Intt. verterunt hîc κτήσεις, Vulgatus *familiæ*, contra uſum Linguæ Sacræ.

Jumenta] בהמתכם *behemthechem*. Quæ onera bajulabant, ut equi, aſini, cameli. LXX. κτήνη, rectè Vulgatus *jumenta*.

18. *Moabitas in manum veſtram* &c.] Contra quam putarat Joramus Iſraëlis Rex, vſ. 13.

19. *Elegantiora oppida*] כל עיר מבחור *omnem urbem electionis*. LXX. Intt. in Alexandrino Codice, πόλιν ἐκλεκτήν, & Vulgatus, *urbem electam*. Quia nonniſi elegantiora oppida eliguntur, habitationis causâ, ab iis qui nondum uſquam ſedem fixerunt, ideò electa vocantur.

Arborem frugiferam] *Arborem bonam*.

Fertilia prædia] *Prædium bonum*. His prædicit Moabitidem ferro & igne vaſtatum iri, ita ut integrum nihil ſuperfuturum ſit.

20. *Eo tempore quo oblatio ſolet offerri*] בעלות המנחה *cùm adſcendit minhas*, hoc eſt, cum agnus quotidianus adoleri incipit, matutino tempore, ſole orto. Vide 1. Reg. C. XVIII, 29.

Qua totus ille tractus] *Et repleta eſt terra illa aquis.*

21. *Ab omni qui ſe primùm accingit*] *Ab omni cingente cingulum & ſuperiùs*; hoc eſt, ab omni qui primùm cingit gladium, uſque ad ſeniores, ita ut nemo immunis fuerit. LXX. Intt. in MS. Alexandrino περιζωσμένοι ζώνην καὶ ἐπάνω. Abſurdum eſt in Vaticano mendum: καὶ εἶπον ὦ, pro ἐπάνω. Incommodè Vulgatus, *qui accincti erant balteo deſuper*.

22. *Aquas rubras* &c.] Is erat eorum aquas proſpicientium ſitus, ut, in oculos eorum ii ſoli radii, qui rubrum colorem creant, ab aquis refracti & reflexi inciderent, quo factum ut ſanguinem eſſe crederent. Idque eò faciliùs crediderunt, quòd ſcirent antea nullam illic fuiſſe aquam.

23. *Gladium in ſe invicem ſtrinxerunt*] החרב נחרבו *hohhorab nehhrebou*. LXX. Intt. τῇ ῥομφαίᾳ καὶ ἐμαχέσαντο, quaſi legiſſet בְּחֶרֶב *gladii*, deinde ותרבו *vehharebou*. Sic & Vulgatus: *gladii eſt, pugnaverunt*. Sed ſervatâ lectione noſtrâ, ſimilem ſenſum invenire licet, in verbis Hebraicis; nam verbum חרב *hharab* ſignificat etiam *gladio vaſtari*, videtur enim verbum hoc ſenſu ſumtum deducendum à nomine חרב *hhereb*.

Se mutuò confoderunt] *Percuſſerunt quiſque ſocium ſuum.*

24. *Tum ingreſſi eorum ſolum*] ויבו בה *vaijabou bah*, ingreſſi ſunt in eam, hoc eſt, בארץ מואב *in terram Moab*. Anteceſſit, nempe, vox מואב, quæ hîc non repetitur. Præterea legimus quaſi eſſet ויבאו *vajjaboou*, quia præferimus τὸ *Chethib*, cùm LXX. Intt. habeant καὶ εἰσῆλθον εἰσπορευόμενοι, quaſi legiſſent ויבאו בוא *& ingreſſi ſunt ingrediendo*; nempe, Moabitidem, in cujus finibus hoc commiſſum eſt prælium. Vulgatus conjiciendo: *venerunt qui vicerant*. At τὸ *keri* habent ויכו *vajjacchou*, *& percuſſerunt*, quod meritò repudiat *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. III. c. IX, 4. quia bis hoc habetur, in hoc ipſo verſu.

Eos iterum ceciderunt] *Et cædendo Moab.*

25. *Donec nulli ſupereſſent lapides*] *Donec ſupereſſent lapides ejus Kir-Chareſethæ*. Nulli ædificio pepercerunt, ejuſque lapides in loca exculta conjecerunt, exceptis ſolis lapidibus Kir-Chareſethæ. Sed hæc ſunt ſine dubio hyperbolica, non exigui enim fuiſſet laboris procul lapides convehere, ut per agros cultos ſpargerentur.

Digitized by Google

Kir-Chareſethæ; quam cinxerunt funditores & in quam jaculari cœperunt. 26. Vidit autem Moabitarum Rex graviorem eſſe oppugnationem, quàm ut eam ſuſtinere poſſet; ſumſitque ſecum ſeptingentos viros, gladium ſtringentes, ut erumperent, quâ parte *tendebat* Rex Idumææ, ſed non potuerunt. 27. Itaque cepit filium ſuum natu maximum, qui ejus loco regnaturus erat, eúmque in holocauſtum obtulit in muro; *quamobrem* magnâ indignatione commoti Iſraëlitæ, ab eo diſceſſerunt & in ſolum ſuum redierunt.

IV. *Varia ab Eliſæo edita miracula.*

CAPUT IV. 1. MULIER quædam, ex uxoribus filiorum Prophetarum, *auxilium* Eliſæi imploravit his verbis: vir meus, ſervus tuus mortuus eſt, tu verò noſti ſervum tuum fuiſſe timentem Jehovæ. Creditor autem venit, ut abducat duos filios meos, ut ei ſervi fiant. 2. Eliſæus verò mulieri, quid, inquit, faciam tibi? dic mihi ecquid ſit tibi domi. At illa, nihil eſt, inquit, ancillæ tuæ domi, præter lecythum olei. 3. Tum ille ito, inquit, & pete foris tibi vaſa ab omnibus vicinis tuis vacua, nec pauca colligito. 4. Dein ingreditor, oſtiúmque claudito, cùm eris intus cum filiis tuis, ac fundito *oleum* in omnia hæc vaſa, & plenum *quodque* amoveto. 5. Diſceſſit mulier ab illo, clauſitque oſtium, cùm eſſet intus, unà cum filiis, qui admovebant ei vaſa, *in qua* ipſa oleum effundebat. 6. Cùm verò impleſſet vaſa, diceret filio: admoveto mihi vas; ille autem dixiſſet nullum ſupereſſe vas, oleum conſtitit. 7. Ivit ergo illa ut rem nunciaret viro divino, qui ei, ito, inquit, vendito oleum, redde quod debes & cum filiis tuis reliquiis vivito.

8. Cùm

Kir-Charefethæ] חרשת. LXX. Intt. habent hîc: ἕως τοῦ καταλιπεῖν τοὺς λίθους τοῦ τοίχου καθῃρημένους, quaſi חרשת eſſet participium pluralis numeri & legendum חרושות *bharouſchoth*, quod referretur ad אבנים *lapides*. Vulgatus verò habet: *ita ut muri tantùm fictiles manerent*, quod vix convenit verbis Hebraïcis. Rectiùs Recentiores קיר חרשת *Kir-Hhareſcheth* nomen urbis Moabiticæ eſſe ſtatuunt. Vide Eſai. XVI, 7, 11.

In quam jaculari cœperunt] ויכוה *vajjaccbuba*, & percuſſerunt eam; nempe, lapidibus, nam capta non eſt urbs, quod alioquin eo verbo ſignificaretur, niſi ſequentia captam non fuiſſe oſtenderent.

26. *Graviorem eſſe oppugnationem*] *Validiorem illo pugnam eſſe* כי חזק ממנו המלחמה.

Gladium ſtringentes] Id eſt, fortes viri, quorum operâ ſe perrumpere poſſe per caſtra Idumæorum ſperabat.

27. *In holocauſtum obtulit in muro*] Moris, nempe, fuit pleriſque Ethnicis, in ſummo periculo, victimas humanas Diis mactare, & quidem liberos cariſſimos. *Philo Byblius*, apud *Porphyrium* Lib. II. de Abſtin. hoc teſtatum reliquit, verbáque ejus paullò pleniùs proferuntur apud *Euſebium* Præpar. Evangel. Lib. IV. cap. 16. Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων, ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς, τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι, λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι: *mos erat antiquis ut, in magnis calamitatibus periculorum, pro omnium exitio, qui dominabantur urbi aut genti cariſſimum liberorum darent mactandum Diis ultoribus.* Ælianus Lib. XII. c. 28. memoratis tribus puellis Atticis: ταύτας ὑπὲρ τῆς πόλεως τῆς Ἀθηνῶν ἀναιρεθῆναι λόγος ἔχει, ἐπιδόντος αὐτὰς τοῦ Λεὼ εἰς τὸν χρησμὸν τὸν Δελφικόν. Ἔλεγε γὰρ μὴ ἂν ἄλλως σωθῆναι τὴν πόλιν, εἰ μὴ ἐκεῖναι σφαγιασθεῖεν: *has pro urbe Minervæ occiſas eſſe fama fert, concedente eas Leo oraculo Delphico. Dixerat enim non aliter ſervatum iri urbem, niſi illæ jugularentur.* Plura ejus rei exempla, apud Interpretes *Æliani*, invenientur. Quibus addere licet *Plutarchum* in vita Pelopidæ, *Juſtinum* Lib. XVIII. c. 6, ubi de Carthaginienſibus & *Lactantium* Inſt. Divin. Lib. I. c. 21.

Magnâ indignatione commoti Iſraëlitæ] ויהי קצף גדול על ישראל *& fuit indignatio magna in Iſraëlem.* Ambigua ſunt hæc verba, poſſunt enim ſignificare magnam fuiſſe indignationem ipſius Dei, qui ægrè tulerit Iſraëlitas potuiſſe tale ſpectaculum ferre; cùm debuiſſent potiùs omittere infelicem Regem, quàm eum ad ejuſmodi facinus deſperatione adigere. Vide ſimilem loquutionem Joſ. IX, 20. Poſſunt etiam ad ipſos referri Iſraëlitas, qui nefandum ſacrificium videre non ſuſtinuerint, ſed è veſtigio domum redierint. Poſterius prætulimus, quia ejuſmodi ſacrificium furori potiùs Moabitarum Regis, quàm ſævitiæ Iſraëlitarum tribui oportuit.

In CAPUT IV.

1. UT *ei ſervi fiant*] Potuerunt quidem parentes, ex Lege, liberos ſuos nondum emancipatos in ſervitutem dare ad annum ſeptimum; ut eorum operâ debita ſua redimerent, vel paupertati ſuæ ſubvenirent; ſed durum videtur liberos hominis pauperis, & ad quos hereditas nulla à patre pervenerat, coactos fuiſſe ſervire, ut debita defuncti patris ſolverentur. Attamen hoc factum ex hoc loco liquet, cùm Propheta creditorem minimè objurgarit, ſed viduæ ſuppeditarit unde æs alienum viri defuncti diſſolveret.

2. *Nihil eſt ancillæ tuæ*] *Non ancillæ tuæ omne domi, niſi &c.*

4. *Cùm eris intus*] *Super te & ſuper filiis tuis*, בעדך ובעד בניך.

Amoveto] תסיעי thaſſihi, *fac diſcedere.*

6. *Oleum conſtitit*] Non ampliùs fluxit. Singulare planè fuit miraculum & ei ſimile, quod Elias

8. Cùm aliquando tranſiret Eliſæus Sunemò, illic erat mulier dives, quæ eum coëgit cibum ſumere *apud ſe*; atque exinde, quoties tranſibat, eò divertebat, ut cibum ſumeret. 9. Dixit itaque mulier viro ſuo: nunc novi ſanctum eſſe virum divinum, qui ſemper apud nos tranſire ſolet. 10. Faciamus, quæſo, cœnaculum parvum, *idque* muro *cinctum*, ponamúſque illic lectum, menſam, ſellam & candelabrum; & cùm veniet ad nos, eò divertat. 11. Cùm ergo illuc aliquando veniſſet, divertiſſetque in cœnaculum, atque illic quieſceret, 12. dixit puero ſuo Gechazi: voca Sunamitidem hanc, vocavitque eam & ſe ſe ſtitit illa in ejus conſpectum. 13. Tum ille Gechazi: dic, quæſo, mulieri: ecce honoris noſtri causâ properè omnia iſta feciſti, quidnam in tui gratiam facere poſſimus? Num eſt quod Regi dicas, aut duci exercitûs? Illa verò, apud populares meos, inquit, maneo. 14. Quid *ergo*, inquit ille, poſſit ei fieri? Gechazis verò, atqui nullus, inquit, eſt ei filius & vir ejus eſt ſenex. 15. Eam igitur voca, ait *Eliſæus*; vocavitque eam Gechazis, & ſtetit mulier ad oſtium. 16. *Ibi Eliſæus*, hac tempeſtate, inquit, vertente anno, amplecteris filium. *At mulier Eliſæo*, ne mentiare, inquit, domine mi, vir divine, erga ancillam tuam. 17. Concepit deinde mulier, peperitque filium eâ tempeſtate, vertente anno, quemadmodum ei dixerat Eliſæus. 18. Adolevit autem puer, & cùm aliquando egreſſus eſſet ad patrem ſuum, *qui erat* apud meſſores, 19. dixit patri: *hei mihi!* caput meum, caput meum *mihi dolet; pater verò* ſervo, fer, inquit, hunc ad matrem. 20. Tum eum ſumtum ad matrem tulit, in cujus genibus ſedit uſque ad meridiem, *quo tempore* mortuus eſt. 21. Illa verò *in cœnaculum* adſcendit, eum depoſuit in lecto viri divini, clauſitque dein januam & egreſſa eſt. 22. Vocavit poſtea *ad ſe* virum, & mitte, inquit, quæſo ad me ſervum unum & aſinam, ut excurram uſque ad virum divinum; & revertar.

23. *Ibi*

Elias in gratiam viduæ Sareptanæ ediderat, ut habemus 1. Reg. XVII, 6. Quæ quomodo facta fuerint nihil adtinet quærere, cum ſint divinæ omnipotentiæ ſingulares effectus.

8. *Cùm aliquando tranſiret* &c.] *Et fuit dies & tranſibat Eliſæus ad Sunem. Sunem* urbs fuit, in Iſſaſcharitica Tribu. Vide Joſ. XIX, 18. 1. Reg. I, 3.

Mulier dives] *Mulier magna.*

Cibum ſumere] *Panem comedere.*

9. *Nunc novi ſanctum* &c.] *Ecce nunc novi.* Erant qui ſe *viros Dei*, aut *divinos* vocitabant, qui tunc boni non erant; ſed eo nomine abutebantur, ut ſimpliciores fallerent, quorum numero Eliſæum eximebat hæc Sunamitis, poſtquàm eum aliquoties vidiſſet, & vivendi ejus rationem animadvertiſſet.

Tranſire ſoles] *Tranſiens.*

10. *Cœnaculum parvum* &c.] *Cœnaculum muri parvum* עלית-קיר קטנה *balyath kir ketannah*, Vulg. *cœnaculum parvum*. Sed ut hoc diceretur ſatis fuit dicere עלית קטנה ſine additione vocis קיר *kir*, quæ videtur adjecta ad ſignificandum cœnaculum, non pariete ligneo, ſed muro ſtructum. Multa erant lignea, quia in ſumma parte domûs erant ædificata, quam graviori ſtructura onerare non audebant. Vide dicta ad 1. Reg. XVII, 19.

Eò divertet] Ne ſtrepitu familiæ turbetur. Sic obſervant Græci Grammatici mulieres habitaſſe ἐν ὑπερῴοις, ὥστε τὸ μὴ συντυγχάνειν ῥᾳδίως ἀνδράσι, *ne facilè viri in eas inciderent.* Vide *Euſtathium* in Homerum p. ΜϚΙΥ, 1. Ed. Rom.

11. *Cùm ergo illuc aliquando* &c. *Et fuit dies & venit illuc.*

12. *In ejus conſpectum*] Nempè, Gechazi, non alioquin Eliſæus eam per ſe alloquutus fuiſſet. Sed videtur Eliſæus in cœnaculo manſiſſe, Gechazis verò ad infimam ſcalam deſcendiſſe, unde adſtantem propè mulierem alloquebatur. Sic etiam infrà Cap. V, 10. Eliſæus per internuncium Nahamanem, in ædes nequaquam admiſſum, alloquitur.

13. *Properè omnia iſta feciſti* &c.] *Trepidaſti* (חרדת hharadtha) *propter nos omnem iſtam trepidationem* החרדה *hahharadah*; quo verbo intelliguntur omnia, quæ adveniente Propheta, feſtinanter fieri curaverat; ut ſolet, adveniente grato hoſpite, quem volumus quam benigniſſimè excipere.

Quidnam in tui gratiam] *Quid ad faciendum tibi?* Gallicè dices, *Qu'y a-t-il à faire pour vous?*

Num eſt quod Regi dicas &c.] Si querelas ad Regem, aut Ducem exercitûs deferendas habuiſſet, aut quidpiam ab iis petendum, operam ſuam offerebat Propheta; cui, ob miracula, & vaticinia, ad omnes patebat aditus & gratificari nemo non voluiſſet.

Apud populares meos maneo] In Tribu Iſſchaſcharitide, procul ab aula, aulæque negotiis.

15. *Ad oſtium*] Nempe cœnaculi, ut ipſum Prophetam loquentem audiret.

16. *Hac tempeſtate, vertente anno*] למועד הזה כעת חיה *tempeſtate hac, ſecundùm tempus vitæ.* Vide not. ad Gen. XVIII, 10.

Ne mentiare] Ne inanibus promiſſis lactato. Vide vſ. 28. Mirum eſſet mulierem ita alloqui Prophetam, quem *ſanctum*, hoc eſt virum bonum eſſe noverat; niſi conſtaret ſpiritum Prophetiæ, quo Deus interdum Prophetas adflabat, minimè obſtitiſſe quominùs aliquando mentirentur, cujus rei exemplum videmus 1. Reg. XIII, 18. Vide vſ. 28.

19. *Caput meum* &c.] Calor inuſitatus ſolis puero nocuiſſe videtur, ſed non ſine divina Providentia; ut occaſionem præberet Prophetæ miraculi edendi ſimilis ei, quod Elias in gratiam Viduæ Sareptanæ ediderat.

21. *Clauſit deinde januam*] *Clauſit ſuper eo.*

23. *Ne-*

23. *Ibi* verò ille, cur tu, inquit, hodie ad eum ires, neque enim eſt aut Neomenia, aut
Sabbathum? Illa autem, rectè, inquit. 24. Dein ſtravit ſibi aſinum, dixitque ſervo ſuo,
ducito & ito, nec ſiſte me, dum *ſic* vehor, niſi tibi dixero. 25. Abiit ergo convenit-
que virum Dei, ad montem Charmelum; cúmque vir Dei eam è regione *ſui* vidiſſet,
puero ſuo Gechazi, en, inquit, illam Sunamitidem. 26. Nunc ergo curre ei obviam,
quæritóque an ſatis rectè omnia cùm ipſi, tum viro, ac filio? Rectè, inquit illa. 27. At
cùm veniſſet ad virum divinum, ad montem, adprehendit pedes ejus; accedentique
Gechazi, ut illam amoveret, ſine illam, inquit, nam mœſto eſt animo, Jehova autem
rem me celavit, nec indicavit mihi. 28. Tum illa, num petii, inquit, filium à domi-
no meo? Annon *è contrario* dixi ne me falleret? 29. *Eliſæus verò* Gechazi, accinge,
inquit, lumbos tuos, ſume ſcipionem meum, *qui* in manu mea eſt, & abito. Si in
quempiam incideris, eum ne ſalutes; ſi quis te ſalutet, ne reſpondeas. Tum impones
ſcipionem meum vultui pueri. 30. At mater pueri, *ut* vivit, inquit Jehova, *ùt*que tu
vivis: *ſic* à te non abſcedam. Ille verò ſurrexit, mulierémque ſequutus eſt. 31. *Interea*
Gechazis, qui ante illos tranſierat, impoſuit ſcipionem vultui pueri; ſed neque vox
ulla *ab eo edita eſt*, neque ſenſus *fuit*. Reverſus itaque eſt *Gechazis* obviam *Eliſæo*, rém-
que ei renunciavit, his verbis: puer ille non eſt excitatus 32. Ingreſſus eſt itaque Eli-
ſæus domum, atque ecce puerum mortuum in lecto jacentem. 33. Cùm ergo ingreſ-
ſus eſſet, clauſit oſtium, ita ut ambo intus eſſent, & Jehovam oravit. 34. Tum adſcen-
dit *in lectum* & incubuit puero, ita ut os ejus ore ſuo, oculóſque oculis, & volis volas
ejus tangeret, ac extendit ſe ſupra eum, ita ut caro pueri incaleſceret. 35. Poſtea re-
diit

23. *Neque enim eſt aut Neomenia, aut Sabbathum.*] Hinc colligere eſt hiſce diebus ſolitos eſſe homines religioſos ſe ſe ad ea loca, in quibus degebant Prophetæ, conferre, ut eorum ſermones, aut cantica fortè audirent. Vide quæ notavimus ad Num. XXVIII, 11. & ſeqq.

Rectè, inquit] ותאמר שלום *vathomer ſchalom*, & dixit pax. Videntur hac formulâ uſi, cùm nolebant dicere quid rei agerent, nec ceteroqui quidquam mali volebant alios ſuſpicari. Vide & vſ. 26. Itaque *rectè* vertimus, nam apud Latinos *rectè*, aut *bene* reſpondebant qui nihil certi reſpondere volebant, nec interrogantes offendere. Vide *Plautum* in Bacchidibus Act. I. Sc. I, 6. & *Fr. Taubmannum* ad eum locum.

21. *Ad montem Charmelum*] Occidentem versùs erat Sunemo, paucíſque milliaribus aberat. Ideóque ſæpiùs Eliſæus Sunemo tranſire ſolebat.

26. *An ſatis rectè omnia*] *An pax tibi? An pax viro tuo? An pax puero? & dixit, pax.* Poſtremum illud *Pax*, eſt ſimile ei quod habuimus vſ. 23. nec quidquam ſignificat, niſi mulierem nolle dicere miniſtro Prophetæ quid ſibi mali contigiſſet. Alioqui ſat gravis calamitas iis contigerat, qui filium unicum amiſerant.

27. *Adprehendit pedes ejus*] Ut quidpiam ab eo peteret, non priùs eum miſſum factura, quàm impetraſſet.

Ut illam amoveret] Quòd ſciret Prophetam non ſolere talia pati, præſertim ab iis quibus humanitatis officiis devinctus erat.

Mœſto eſt animo] *Anima ejus amara ei. Amaror animi*, apud Hebræos, eſt gravis mœſtitia, ut hîc, aut ea animi adfectio, quâ quiſpiam cum adverſis conflictatur. Vide 1. Sam. XXII, 2. LXX. rectè hîc habent: ἡ ψυχὴ αὐτῆς κατώδυνος.

28. *Num petii* &c.] Vult dicere ſe orbitatem ſuam æquo animo tuliſſe, nec à Propheta ut filium ſibi à Deo impetraret petiiſſe; ſed cùm ſponte ſibi promiſiſſet & impetraſſet, jam ſe orare, ut iterum ſe eo excitato donaret; quemadmodum Elias Sareptanæ Viduæ, apud quam diverſabatur, filium reddiderat.

29. *Accinge lumbos tuos*] Si currendum, aut celeriùs eundum eſſet, veſtem fluxam & ad pedes uſque cadentem altiùs & arctiùs cingere neceſſe habebant.

Si in quempiam incideris &c.] Hoc videtur ſummam feſtinationem ſignificare, nam facilè fit ut ſalutantes nonnihil ſubſiſtant, & eum quem ſalutant morari cogant; dum quærunt ſatiſne rectè omnia, aliáque ejuſmodi.

Tum impones ſcipionem meum vultui &c.] Ut viderat pallio Eliæ perpetrata fuiſſe maxima miracula, ſperabat Deum hoc ſibi conceſſurum, ut tactu ſcipionis puer ad vitam revocaretur; hoc eſt, ut eum excitaret, eo tempore quo baculo tangeretur; nam Deus ejuſmodi virtutem baculo non indiderat. Sed mulier parum fidens ei rei, eò Prophetam adduxit, ut ipſe Sunemum cum ea ſe conferret.

30. *Ut vivit Jehova*] *Vivit Jehova & vivit anima tua ſi* &c.

31. *Neque vox ulla* &c.] Mortuus cùm eſſet, nec revocaretur ad vitam à Deo, nullum ſenſûs indicium dedit. Videtur noluiſſe Deus hoc concedere Prophetæ, ut puer tactu ſcipionis excitaretur, ne crederetur deliquium tantùm animi paſſus, aut Apoplexiâ laboraſſe, quæ tandem ſponte ſuâ diſcuſſa eſſet.

Senſus] קשב *keſcheb*, animadverſio quâ ſe quid ageretur ſentire oſtenderet.

31. *Ita ut ambo intus eſſent*] *Super ambobus.*

14. *Incubuit puero* &c.] Sic & Elias Eliſæi magiſter fecerat. Vide 1. Reg. XVII, 21.

Ita ut os ejus] *Et poſuit os ſuum ſuper ore ejus, & oculos ſuos ſuper* &c.

Extendit ſe] יגהר *jighar*, quod & *inclinavit, procubuit.*

Ita ut incaleſceret &c.] *Et incaluit*, non calore naturali Prophetæ ſpiritus animales pueri excitante & agitante, ſed Deo motum, præter naturæ ordinem, indente puero, animúmque cum corpore iterum conjungente. Mora illa, quâ

diit *Eliſæus*, ambulavit per ædes ſemel hac & ſemel illac, adſcendítque, & ſe ſupra eum extendit Tum verò puer ſepties ſternutavit, aperuitque oculos. 36. *At Eliſæus* vocato Gechazi, accerſe, inquit, hanc Sunamitidem, eámque ille vocavit; cui cùm veniſſet, aufer, inquit *Eliſæus*, filium tuum. 37. Illa verò cùm veniſſet, procidit ad pedes ejus, ad terram *uſque demiſſa eum* ſalutavit, ſublatoque filio egreſſa eſt.

38. Poſtea Eliſæus rediit Gilgalem, cùm fames eſſet in eo tractu, cúmque filii Prophetarum coram eo ſederent, dixit puero ſuo: pone majorem ollam, & in ea coque pultem filiis Prophetarum. 39. Tum unus in agros egreſſus eſt, ut olera colligeret, invenitque vitem agreſtem, & collegit ex ea agreſtes colocynthidas, quibus implevit veſtem ſuam; cúmque veniſſet eas concîdit, *conjecitque* in ollam pultis; neque enim norant *herbam*. 40. Poſtea effuderunt viris ad comedendum, cúmque pultem comederent, exclamarunt his verbis: mors eſt in olla, vir divine; nec potuerunt comedere. 41. Ibi verò Eliſæus, ſumite, inquit, farinam; eámque conjecit in ollam. Deinde *ſervo* funde, inquit, hominibus, comedántque, nec mali quidquam fuit in olla.

42. Venit etiam vir Bahal-Saliſâ, qui attulit ad virum divinum panem è primitiis; *nimirum*, viginti panes hordeaceos, & ſpicas virides in gluma ſua. Dixit tum *Eliſæus*: da hominibus, ut comedant. 43. At miniſter ejus, quid? inquit, an hoc centum viris apponam? Da verò, inquit, & comedant, ſic enim dixit Jehova: comede & reliquum facito. 44 Appoſuit ergo illis & comederunt, ac, prout dixerat Jehova, quæ ſupererant reliquerunt.

V. Na-

quâ Deus miraculum nonnihil diſtulit, ejus veritatem manifeſtiorem fecit, magnitudinémque auxit. Alioqui tactus Prophetæ per ſe efficacior non fuit tactu baculi.

35. *Sternutavit*] Humor, nempe, acrior, quo creata fuerat puero Apoplexia, organum narium ejus commotus mordere cœpit, eique ſternutationem creare, quod primum fuit vitæ indicium. Hæc ſunt omiſſa, in Codicibus LXX. Intt. & Vulgatus habet: *oſcitavit*.

37. *Procidit ad pedes ejus* &c.] Venerationem tanto Prophetæ exhibens, ſimúlque ob eximium ab eo acceptum beneficium gratias agens.

38. *Rediit Gilgalem*] Urbem, aut pagum inter Jordanem & Jerichuntem; in quo tractu, circa tempora raptûs Eliæ, fuerat.

Filii Prophetarum] In hiſtoria raptûs Eliæ, vidimus Jerichunte fuiſſe Scholam Propheticam. Vide Cap. II, 5.

Coque pultem] Vide ad Gen. XXX, 29.

39. *Vitem agreſtem*] גפן שדה *gephen ſchadeh*. Vulgatus habet: *Colocynthidas agri*. Sed ſi eſſet eadem planta, quæ dicitur à Græcis ἄμπελος ἀγρία, *vitis agreſtis*, de qua *Dioſcorides* Mat. Med. Lib. IV. c. 178. & V, 2. planè eſſet diverſa. Verùm nihil vetat eamdem plantam aliis nominibus appellari, & diverſas eodem, apud varias gentes.

Agreſtes colocynthidas] פקעת *phakkaboth*. Vide not. ad 1. Reg. VI, 18.

Noverant herbam] *Noverant*, quid, nimirum, in ollam injeciſſet.

40. *Mors eſt in olla*] Propter ſummum amarorem, quem ſibi noxium & lethalem fore putabant, ſi pultem comederent.

41. *Sumite*] וקחו *oukehhou*. Abundat hîc ו. Hoc eſt, ſumite farinam, quam mihi detis.

Farinam] Quæ per ſe amarorem minuere non poterat, ſed miraculo divino, præter naturæ ordinem, hoc fecit.

42. *Bahal-Saliſâ*] In Cod. Vaticano eſt Βαιθσαρισά, in Alexandrino, Βαιθσαρισά. extritis tamen ultimis litteris. Ita legiſſe videtur *Euſebius*, qui habet: Βαιθσαρισάθ, ἔνθα ὁ ἄνθρωπος ἀπὸ Ἐλισαίου, ἐν ὁρίοις Διοσπόλεως, ἀπὸ σημείων ιε'. Τῆς πρὸς Βορρᾶν, ἐν τῇ Θαμνιτικῇ. Interprete Hieronymo: BETHSALISA, *unde venit homo, cum muneribus, ad Eliſæum prophetam. Eſt autem villa in finibus Dioſpoleos, quindecim fermè ab ea millibus diſtans, contra Septemtrionem, in regione Thamnitica.*

Panem è primitiis] לחם בכרים *lebhem bchorim*. De primitiis egimus ad Levit. XXIII, 10. & Num. XV, 20. Intelligendæ primitiæ hordei, quas cùm cùm pendere deberent Sacerdotibus, ex Lege Moſaïca, nec poſſent, quia non licebat, hiſce temporibus, Iſraëlitis Jeroſolimam ire; pii quique videntur ſolviſſe Prophetis, Prophetarúmque diſcipulis; qui veri Dei cultûs potiſſimi defenſores erant, in regno Iſraëlis.

Spicas virides in gluma] כרמל בצקלנו *charmel beſiklono*. LXX. Intt. παλάθας, abſurdè, at Vulgatus rectiùs: *frumentum novum in pera ſua*. Vide ad Levit. II, 14. XXIII, 14.

Da hominibus] *Da populo*. Filiis Prophetarum.

43. *An hoc centum viri*] *Quid dabo hoc, ad facies centum virorum.*

Comede & reliquum facito] אכול והותר *comedere & reliquum facere*; hoc eſt, fore ut comedant centum homines, quod ſatiandis iis ſufficiat ex pane illo hordeaceo & pulte facta ex virentibus ſpicis, ac reliquias ſuperfuturas. Qualia miracula & quidem multò majora fecit Chriſtus. Quæ quomodo facta ſint quærere nihil adtinet, cùm conſtet nonniſi potentiâ divinâ potuiſſe fieri; quâ potentiâ omnia fieri queunt, quæ pugnantia non ſunt, iiſque rationibus peraguntur miracula, quas adſequi non poſſumus.

In CA-

V. Nahaman leprâ, ſepties Jordane ablutus, juſſu Eliſæi, purgatur; ſed Gechazis, munere ab eo accepto, licèt Propheta vetuiſſet, eâ afficitur.

CAPUT V. 1. NAHAMAN, dux exercitûs Regis Aramæorum, magni à domino ſuo fiebat,
ejuſque ratio *apud eum* habebatur; quia Jehova ejus operâ liberaverat Ara-
mæos. At vir ille fortis leproſus erat. 2. Ex Aramæis autem egreſſæ erant co-
piæ prædatorum, captivámque ex Iſraëlitide terra abduxerant puellam parvam, quæ ſer-
viebat uxori Nahamanis, 3. dixitque ſuæ heræ: utinam herus meus ſe ſiſteret prophetæ,
qui eſt Samariæ! tum verò eum liberaret ab ejus lepra. 4. Ivit *hera* & rem nunciavit do-
mino ſuo, dicens ſic eſſe puellam è terra Iſraëlitide loquutam. 5. Deinde Rex Aramæo-
rum, *re auditâ*, ito, inquit, viam ingredere, & *in tui gratiam* mittam litteras Regi Iſraë-
lis. Abiit ergo, tulitque ſecum decem talenta argenti, ſex millia aureorum, & decem
veſtes. 6. Tulit etiam litteras ad Regem Iſraëlis, quarum hæc fuit ſententia: ſtatim ac
pervenerint hæ litteræ ad te, libera à lepra ſervum meum Nahamanem, quem ad te
miſi. 7. Cùm verò litteras legiſſet Rex Iſraëlis, laceravit veſtimenta ſua, & an Deus
ſum, inquit, qui occidere ac vitam largiri poſſim, ut iſte ad me mittat hominem, quò
eum leprâ ſuâ liberem? Nunc autem intelligite & animadvertite eum occaſionem *diſſidii*
mihi quærere.
8. Cùm verò audiſſet Eliſæus, vir divinus, Regem Iſraëlis laceraſſe veſtes ſuas;
ad eum miſit, qui diceret: cur laceraviſti veſtimenta tua? Veniat nunc ad me, & ſciat
eſſe

In CAPUT V.

1. M*Agni à domino ſuo fiebat*] *Magnus coram dominis ſuis*, אדוניו.

Ejuſque ratio habebatur] נשוא פנים *nſchou phanim*, acceptus facie. Vide not. ad Cap. III, 14. & ad Gen. XXXII, 20.

Quia Jehova &c.] *Quia per illum dederat Jehova ſalutem Aramo.* Non ita loquebantur Syri, ſed Scriptor Sacer, more Hebræo, loquitur de re apud Syros geſta. Quamvis Hebræi ſcirent ſe peculiari curâ à Deo regi, non exiſtimabant propterea ejus providentiâ minùs regi quæ apud alios populos fiebant, licèt illi verum Deum ignorarent. Deus etiam iis benefacit, qui eum ignorant.

2. *Ex Aramæis*] וארם *vearam*. Aut legendum מארם, vel ומארם, vel ſubaudiendum מ. Vulgatus habet *de Syria*, Græci in Cod. Romano Συρία, in Alexandrino, τῆς Συρίας.

Copiæ prædatorum] גדודים *gdoudim*, quod frequenter ſignificat *globos prædatorum*. Hinc Vulg. *latrunculi*, Græci incommodè μονόζωνοι. Vide 2. Sam. III, 22.

Quæ ſerviebat uxori] *Et erat coram uxore. Eſſe coram aliquo* paſſim eſt *ſervire*. Vide hujus Cap. vſ. 16.

3. *Se ſiſteret*] לפני *liphne*, coram; nempe, eſſet.

Qui eſt Samariæ] Non quòd illic habitaret, ſed quia eum illic viderat, quò ventitabat, cùm eò à Deo mitteretur, Propheta.

4. *Domino ſuo*] Viro, ſic enim in Oriente ſolebant viri vocari ab uxoribus. Vide Geneſ. XIX, 12.

Sic eſſe puellam loquutam] *Sic & ſic loquuta eſt puella.*

5. *Mittam litteras*] ספר ſepher, *librum*. Eſt quodvis ſcriptum, ſeu breve, ſeu longum. Sic Græci uſurpant βιβλίον, & Latini *libellum*.

Decem talenta] Talentum, ut ſæpiùs monuimus, fuit trium millium ſiclorum, hoc eſt, mille quingentarum unciarum Romanarum.

Seu millia aureorum] Si ſicli erant, fuerunt duo talenta auri.

Decem veſtes] *Decem mutationes veſtium.* Munera erant, quibus donare ſtatuerat eum, qui ipſum curaſſet.

6. *Quarum hæc fuit ſententia*] *Dicendo.*

Statim ac pervenerint] *Et nunc cùm perveniet liber hic ad te, ecce miſi ad te Nahaman ſervum meum & curabis eum* &c. Non licebat quidem Hebræis confugere ad vates alienorum Deorum, aut quavis aliâ, aut curandorum morborum causâ; quia Deos illos edocti erant non eſſe veros Deos, ad quos ire liceret, incolumi Hebræorum Religione. Sed Ethnici verum Deum poterant ſuis adjungere, ſine Religionis ſuæ, quæ plures Deos non reſpuebat, detrimento.

7. *Laceravit veſtimenta ſua*] Quaſi auditâ blaſphemiâ, cùm à ſe peteretur, quod ſolius erat Dei. De hoc more, vide Intt. ad Matth. XXVI, 65.

Qui occidere, ac vitam largiri] Æquè difficile putabant eſſe curare lepram, ac excitare mortuum; habebatur enim morbus planè incurabilis, arte humanâ.

Nunc autem intelligite] Similem loquutionem vide 1. Reg. XX, 7.

8. *Prophetam*] נביא *nabi*, quod eſt à נבא *naba*, quæ radix apud Arabas etiamnum *excelſum eſſe* & *eminere* præ ceteris ſignificat. Hic videtur ad vocis originem alludi, ita ut velit Eliſæus eſſe Iſraëlitis vatem, qui præ ceteris omnibus emineat, eáque præſtare poſſit, quæ ab aliis fieri non poterant.

9. *Equis ſuis & curru vectus*] *In equis ſuis & in curru ſuo.*

10. *Septies in Jordane*] In honorem Dei, qui ſeptem diebus omnia creavit; & cujus potentiâ, non vi aquæ Jordanis, curandus eſſet.

11. *Indignabundus verò Nahaman*] *Et indignatus eſt Nahaman, & abiit & dixit* &c.

Im-

eſſe Prophetam in Iſraële. 9. Ivit *ergo ad eum* Nahaman equis ſuis & curru vectus,
conſtititque ante januam domûs Eliſæi. 10. Tum miſit Eliſæus ad eum nuncium, qui
diceret: ito te ablutum ſepties in Jordane, reſtituatúrque caro tua & mundus eſto.
11. Indignabundus verò Nahaman abibat, ajebátque: en apud me dicebam homi-
nem exiturum, adſtiturúmque *mihi*, tum invocaturum nomen Jehovæ Dei ſui, & im-
poſiturum manum ſuam loco *lepræ*, ac leproſum curaturum. 12. Annon præſtan-
tiores ſunt Abana & Pharphar, fluvii Damaſcenæ, omnibus aquis Iſraëlis? Annon me
abluere in iis potuiſſem, ut mundarer? Itaque converſus abiit, æſtuante irâ.
13. Acceſſerunt *tamen* ad eum ſervi ejus, hominémque alloquuti ſunt, &, pater, in-
quiunt, ſi rem quampiam magnam tibi dixiſſet Propheta, annon eam feciſſes? Quantò
magis *par eſt te ei parere*, cùm tibi dixit: abluitor & mundus eſto? 14. Deſcendit igitur
ad Jordanem, ſéque ſepties Jordani immerſit, prout dixerat vir divinus, reſtitutáque eſt
caro ejus, inſtar carnis parvi pueri, & mundatus eſt. 15. Tum reverſus eſt ad virum di-
vinum, cùm ipſe, tum univerſus ejus comitatus, venitque & in conſpectu ejus cùm
conſtitiſſet, jam novi, inquit, nullum eſſe Deum, per omnes terras, niſi apud Iſraë-
litas; nunc verò ſume, quæſo, munus à ſervo tuo. 16. Eliſæus verò, *ut* vivit, in-
quit, Jehova, cui adſto: *ſic* non accipiam. Inſtitit quidem *Nahaman* ut ſumeret,
ſed renuit *Eliſæus*. 17. *Ibi* Nahaman: annon, quæſo, dabitur ſervo tuo terra,
quâ par mulorum oneretur? Etenim, ſervus tuus non offeret ampliùs holocauſtum,
aut victimam Diis alienis, ſed Jehovæ. 18. Hac *tantùm* in re ignoſcat Jehova ſer-
vo tuo, cùm dominus meus intrabit Ædem Rimmonis, *cum* illic adoraturus,
&

Impoſiturum manum ſuam] *Et movebit manum ſuam ad locum*, partem, nempe, corporis ejus leprâ adfectam.

12. *Abana*] Sic habent etiam Græci & Vulgatus. Sed pro אבנה Chaldæus legit אמנה *amanah*, niſi ſit in ejus Paraphraſi mendum. Fit quidem *Amanæ* mentio Cant. IV, 8. ſed videtur illic intelligi non fluvius, ſed mons *Amanus*. Nonnulli volunt eum fuiſſe qui poſtea dictus ſit *Orontes*, & *Pharphar* eum qui vocatus eſt à Græcis *Chryſorroas*; quibus verò de rationibus, niſi quòd ſint fluvii ejuſdem regionis, mihi ſatis non liquet.

Itaque converſus abiit] *Et verſus eſt & abiit in ira.*

13. *Pater, inquiunt*] אבי *pater mi*. Honoris causâ, ita vocatur. Vide ad Gen. XLV, 8.

14. *Reſtituta eſt* &c.] *Et rediit.*

Inſtar carnis parvi pueri] Quæ tenerior, & ſanior ſolet eſſe adultorum carne, & coloris melioris. Itaque ſignificatur reſtitutio Nahamanis, in perfectam valetudinem.

15. *Univerſus ejus comitatus*] *Omnia ejus caſtra*, כל מחנהו *chol mahhanehou*. Sic vocatur paullò major turba hominum. Vide ad Geneſ. XXXIII, 8.

Jam novi nullum eſſe Deum &c.] *Ecce nunc novi* &c. Cùm à nullo vate, aut ſacerdote Syro potuiſſet ſanari, & ſubitò eſſet à Propheta Dei Iſraëlis curatus, facilè intellexit hunc eſſe verum Deum, & talem etiam qualem exiſtimabant Iſraëlitæ, hoc eſt, ſolum. Ejuſmodi enim miraculo Deus Iſraëlis oſtendebat ſe eſſe Deum, Religionémque Hebræorum confirmabat; cujus potiſſimum caput fuit, unum eſſe Deum rerum omnium creatorem.

Munus] ברכה *bruchah*, benedictionem. Sic dicitur munus, quia ex *benedictione*, vel copia facultatum erat deſumtum. Vide ad Geneſ. XXXIII, 11.

17. *Terra, quâ par mulorum oneretur*] *Onus paris mulorum terræ*. Optavit ſibi per Prophetam licere auferre aliquam terræ Deo Iſraëlis ſingulari ratione conſecratæ copiam, ut in ea ſubſtrata altare Deo ædificaret. Quomodo in ejuſmodi cogitationem, an ex Syrorum conſuetudine, ſermonibúſve Hebræorum, aut peculiari opinione inciderit, non eſt facile dictu. Hoc conſtat, ſolum ipſum, in ſe ſpectatum, nihil continuiſſe quod Deo magis placeret, quàm quodvis aliud ſolum; neque conſecratione ita gratum Deo factum, ut tranſlatus aliò pulvis, ut in eo ædificaretur altare, altare ipſum Deo gratius redderet. Omnes totius orbis terræ æquè ſunt Dei,

לַיהוָה הָאָרֶץ וּמְלוֹאָהּ
תֵּבֵל וְיֹשְׁבֵי בָהּ

ut habent verſiculi, quibus inchoatur Pſ. XXIV. Itaque neſcio quid Syriacæ ſuperſtitionis hîc latere videtur, quod tamen Propheta emendare neglexit, quia res exigui erat momenti, ſeque ingenio hominis adtemperare voluit; cùm ſat eſſet ab eo ſolum Deum Iſraëlis coli.

Etenim ſervus tuus non offeret &c.] Ideò nolebat Deo Iſraëlis Sacra facere, in terra idololatrico cultu polluta, ſed tantùm in terra ei ab Iſraëlitis conſecrata.

18. *Ignoſcat ſervo tuo* &c.] Hoc tantum in ſe ferri putat, quod neceſſe haberet Templum Rimmonis ingredi, non ut eum ipſe coleret, aut colere ſe ſimulararet; ſed ut Regem id Numen culturum comitaretur, eique, prout ſolebat, adeſſet. Apertè enim negat ſe victimam ullam Diis aliis oblaturum, quod ſatis oſtendit ipſum pollicitum eſſe ſe profeſſurum, in Religionis negotio, ſe cum Hebræis ſentire.

Ædem Rimmonis] בית רמון *Beth-Rimmon*. Pronunciant Græci Ῥεμμὰν, Latinus *Remmon*. Hujus Damaſcenorum Dei, hoc ſolo loco, mentio fit, nec uſquam apud Scriptores Ethnicos ulla ejus certa mentio. Ideóque nihil adferri hanc in rem poteſt, præter leves conjecturas. Si deducatur hæc vox à רמם *altus fuit*, idem ſignificabit ac עליון *heljon*, ut conjiciebat *Joan. Seldenus*. Sic *Heſychius*, Ῥαμάς, ὕψιστος θεός.

 Etiam

& innitetur manui meæ, méque inclinavero in Æde Rimmonis; inclinationi meæ in Æde Rimmonis ignoſcat, quæſo Jehova ſervo tuo, propter eam rem. 19. Et verò *Eliſæus*, abito, inquit, incolumis; & cùm ab eo abiens *confeciſſet* breve terræ ſpatium, 20. dixit *apud ſe* Gechazis, miniſter Eliſæi viri divini; en renuit dominus meus ab hoc Aramæo Nahamane accipere quæ adtulerat. *Ut* vivit Jehova: ſic eum curſu conſequar, & aliquid ab eo accipiam. 21. Sequutus ergo eſt Gechazis Nahamanem, viditque Nahaman aliquem, qui curſu ſe ſequebatur. Itaque deſilit è curru obviam illi *iturus*, & pacatuſne *venis?* inquit. 22. Pacatus, ait ille, & dominus quidem meus me miſit, ut dicerem, *ejus nomine:* hoc ipſo tempore, venerunt ad me duo adoleſcentes è montanis Ephraimi,

Etiam hanc in rem profertur locus *Stephani*, in voce Λαοδίκεια: πόλις, inquit, τῆς Συρίας, ἡ πρότερον λευκὴ ἀκτὴ λεγομένη, καὶ πρὸ τούτου Ῥάμιθα· κεραυνωθεὶς γάρ τις ποιμὴν ἔλεγε Ῥαμάνθας, τουτέστιν, ἀφ' ὕψους ὁ θεός· ῥαμᾶν γὰρ τὸ ὕψος, ἄθας δὲ ὁ θεός. οὕτω Φίλων: *urbs Syriæ, quæ priùs dicta album littus, & antea* Rhamitha, *fulmine enim percuſſus Paſtor quidam dixit* Rhamanthas, *hoc eſt, ab alto Deus, nam* Rhaman *eſt altitudo*, Athas *vero Deus. Sic Philo.* Meritò *Joſ. Scaliger* ad *Euſebium* pag. 130. obſervat falſum eſſe ἄθας *Deum* dici, quamvis verum ſit Ῥάμαν poſſe *altitudinem* verti. Verè etiam addit *Ramatha*, non convenire cum *Ramantha*. Ideoque *Sam. Bochartus* Chan. Lib. II. cap. 12. vult legi initio Ῥαμανθᾶ, & poſtea ſeorſim ῥὰμ & ἄνθα, nec dubitat quia *Stephanus* perverterit *Philonis* mentem. Neque enim voluit *Philo*, ut putat vir ſummus, Deum ἄθας, vel ἄνθας dici, ſed paſtorem fulmine ictum Deum compellaſſe, his verbis: רם אתה *ram attha*, aut רם אנת *ram anth*, celſus es tu, nempe, ô Deus. Quod ſic accepit *Stephanus*, ac ſi à *Philone* ἄθας vel ἄνθας Deus exponeretur. Adſentior viro doctiſſimo, in eo quod putat *Stephanum* malè cepiſſe mentem *Philonis*, ſed aliam fuiſſe puto. Dixit, nempe, paſtor ictus Deo רמית *ramaitha*, inflexione Syriacâ, hoc eſt, *ex alto jeciſti*, nimirum, ô Deus, ἀφ' ὕψους ἴδωκας, δηλονότι· ὦ θεός. Hæc cùm ſcripſiſſet *Philo*, *Stephanus*, aut is à quo *Stephanus* hæc exſcripſit, credidit vocem Ῥάμιθα, quæ fortè corrupta erat in Ῥάμανθα, dividendam eſſe in ῥὰμ & ἄνθα, ut prius *altitudinem* ſignificaret, poſterior *Deum*. Itaque in loco *Stephani* nulla eſt Rimmonis mentio.

Alii, quia רמון *rimmon*, malum Punicum ſignificat volunt *Rimmonem* fuiſſe Venerem, cujus ſtatuæ manu malum punicum tenebant. Sed hæc non minùs incerta, quàm conjectura eorum qui volunt *Rimmonem* vocari altiſſimum Planetarum, quem Saturnum vocarunt Latini.

Innitetur manui meæ] Moris hoc fuiſſe oportet, ut is qui munus, quo Nahaman, obtinebat apud Syrorum Regem, eum comitaretur, in Templa Deorum, ut ei in adoratione inniteretur; quod quomodo fieret, illi demum norant qui viderant.

Méque inclinavero] השתחויתי *iſchthabhavethi*. LXX. Intt. καὶ προσκυνήσω & Vulg. *ſi adoravero*. Vox Hebraica ſignificat propriè inclinationem corporis, deinde quia conjuncta ſolebat eſſe illa inclinatio cum veneratione ipſa animi, pro re, de qua agitur, ſignificat *ſalutare inclinato corpore*, ac *venerari* & Deum & homines. Hoc verò in loco deſignat geſtum corporis, ſeu meram inclinationem, non verò ullam animi venerationem. Hoc itaque petiit Nahaman, ut Deus Iſraëlis, quem ſolum colere poſthac volebat, ei ignoſceret non cultum alius Dei, aut profeſſionem ejuſmodi cultûs; ſed geſtum corporis, quem, pro ratione muneris, vitare non poterat; quia norat Deum ejuſmodi geſtum, coram Idolis, lege ſuâ vetuiſſe, ac proinde rem eſſe Hebræis planè illicitam.

Propter eam rem] בדבר הזה *baddabar hazzeh*, quod verti poſſet *in hac re*, intelligique de inclinatione corporis; ſed vitandæ repetitionis causâ, vertimus *propter*, ut munere ſuo defungeretur Nahaman.

19. *Abito, inquit, incolumis*] לך לשלום lech lſchalom, *ito in pacem*. Hac reſponſione, ſi probè expendatur, Propheta nec probat, nec improbat quod dixerat Nahaman. Videbat, nimirum, hominem Syrum, qui in Syria familiam, ſpéſque & opes omnes ſuas habebat, nec de Syria deſerenda cogitabat. Itaque ſatis habuit eum dicere ſe ſe poſthac ſolum Deum Iſraëlis colere velle; nec exegit plura ab eo, quam quæ facturus eſſe videbatur. Præterea non erant leges Moſaicæ latæ iis populis, hominibúſve, qui non erant oriundi Jacobo, nec ingrediebantur cœtum Iſraëlis; ideóque concedi ea illis poterant, quæ non fuiſſent conceſſa Hebræis. Satis erat ſi Legem Naturalem erga Deum & homines obſervarent, nec legibus aliis tenebantur. Nolim tamen dicere, quod faciunt Rabbini, Idololatriam fuiſſe Proſelytis non illicitam, modò ne in Judæa committeretur, ut docet *Joan. Seldenus* de Jure Natur. & Gen. Lib. II. c. 11. Hoc enim cum lege naturali pugnat, quæ docet Deum eſſe ſpiritum. Denique quem in locum invitaſſet Eliſæus Nahamanem, ut Idololatriam fugeret? In Regnum Judæ? Cur ergo ipſe Propheta aliique religioſi viri, inter Iſraëlitas, eò ſe non conferebant? Nimirum, nimis arctus erat terrarum tractus, quàm ut illic omnes Deum verum colentes, unà cum Judæ Tribu, vivere poſſent, nec omnes poſſunt in alias oras facilè migrare. Præterea non rarò in Idololatriam delapſi ſunt Judæ Tribules. Sed poterat, inquies, in regnum Iſraëlis venire. Verùm in eo non minùs offenſus fuiſſet Nahaman Idololatriâ Regum Iſraëlis, quàm Regum Syriæ; imò verò neceſſe erat turpiorem eam illic videri, quia longè majus erat delictum Iſraëlitarum, quos verus Deus cognitione ſui illuſtrarat, & apud quos tot ejus Prophetæ vixerant & etiamnum vivebant; quàm Syrorum, qui omnibus illis ſubſidiis erant planè deſtituti.

Ad hoc exemplum videntur poſtea Judæi Proſelytos admiſiſſe, qui eam partem Legis Moſaicæ ſervarent, quæ in cultu unius veri Dei & in bonis moribus ſita eſſet; eóſque gratos Deo putabant, quamvis cærimonias minimè obſervarent; in qua ſententia fuit *Ananias* ille, qui

mi, è filiis Prophetarum; da, quæſo, eis talentum argenti, & geminas veſtes. [23] Accipe verò, inquit Nahaman, tuo arbitratu, duo talenta argenti; coëgitque eum, vinxitque duo talenta argenti, in duobus ſaccis, & geminas veſtes, quas dedit duobus ſervis ſuis, qui hæc ante illum bajularunt. [24] Cùm verò veniſſet in editum locum, ſumſit hæc ex eorum manu, repoſuitque in quadam domo, & homines dimiſit, qui abierunt. [25] Ingreſſus deinde ſe in conſpectum domini ſui ſtitit, eique Eliſæus, unde, inquit, *venis*, Gechazis? Servus tuus, inquit, nuſquam ivit. [26] At illi, annon, inquit *Eliſæus*, animus meus *tecum* ivit, cùm ſe convertit vir è curru ſuo, ut tibi obviam *veniret?* An tempus erat accipiendi pecuniam, accipiendi veſtes, oliveta, vineas, minores

qui Izaten Adiabenorum Regem ad fidem Judaicam adduxerat, ut auctor eſt *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XX. c. 11. Cùm enim Izates circumcidi cuperet, eique propterea timeret Ananias, δυνάμενον αὐτὸν ἔφη καὶ χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, εἴγε πάντως κέκρικε ζηλοῦν τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων, τοῦτ' εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι, συγγνώμην δ' ἕξειν αὐτῷ καὶ τὸν θεὸν φήσαντος μὴ πράξαντι τὸ ἔργον δι' ἀνάγκην καὶ τὸν ἐκ τῶν ὑπηκόων φόβον: *poſſe enim illum aiebat, etiam ſine circumciſione, Numen colere, ſi omnino ſtatuerat patriam Judæorum religionem ſequi; hoc eſſe magis proprium Judæis quàm circumciſionem, & Deum ipſum ei condonaturum dicebat, ſi rem non feciſſet, propter neceſſitatem & metum eorum qui ei parebant.* Hos poſtea Judæi vocarunt *Proſelytos Portæ*, qualis fuit Nahaman; ut *Proſelytos Juſtitiæ* dicebant, qui circumciſionem ipſam & omnes Moſaïcos ritus ſuſcipiebant. De his cùm alii, tum præſertim *Joan. Seldenus* Libb. II. & III. Operis de Jure Naturali & Gentium, copioſè egerunt.

Ex hiſce omnibus, ſatis liquet hac Nahamanis Hiſtoriâ graviter abuti eos, qui id quod non ſentiunt ſe credere profitentur, apud aliam Chriſtianorum familiam, & quod colendum eſſe non putant, unà cum ejus cultoribus, genuflexione venerantur. Nihil enim ſimile fecit Nahaman, qui profeſſus eſt coram Eliſæo ſe unum Deum Iſraëlis poſthac pro Numine habiturum & culturum; quamvis ingreſſurus eſſet aliquando εἰδωλεῖον, cum Rege, &, Rege corpus inclinante, dum manui ejus inniteretur, id facturus quod ratio muneris ſui poſtulabat, ſed Rimmonem nequaquam adoraturus. Quod ſi & apud Syros profeſſus eſt, quod non difficulter crediderim, nihil erat quod ei exprobraretur. Nec dixeris illicitum fuiſſe, apud Syros, ſolum Deum Iſraëlis colere; nam & poſtea Judæis ſæpe licuit in eadem regione, ſub Seleucidarum imperio, & per totum etiam Orbem Romanum, quod multis nos docet *Joſephus* Antiquit. Lib. XII. cap. 3. XIII. c. 16. & alibi. Ejuſmodi cultu non multùm offendebantur Ethnici, modò ne eorum Religiones ſpernerentur.

Breve ſpatium] כברת הארץ *chibrath haarets.* Vide notata de hac voce ad Gen. XXXV, 16.

[20] *Apud ſe*] Hoc ſupplendum eſſe ſequentia oſtendunt.

Renuit dominus meus &c.] *Prohibuit Nahamanem Aramæum hunc, ne acciperet è manu ejus* &c. Prohibere ne quis danda proferat, perinde eſt ac renuere accipere.

Ut vivit Jehova, &c.] *Vivit Jehova, niſi* &c.

Curſu conſequar] *Curram poſt eum.*

[21] *Pacatúſque venis*] השלום haſſchalom, *an pax.* Timebat ne quid fortè mali, aut hoſtilis nunciaturus veniret.

[22] *Ejus nomine*] Hoc fuit addendum, ut alibi non raro, quia planè perſonam Eliſæi induit Gechazis.

Geminas veſtes] *Duas mutationes veſtium.*

[23] *Accipe, tuo arbitratu*] הואל קח hoel kahh, *velis accipe.*

Coëgitque eum] Ut pro uno talento, duo acciperet. Sed non opus fuit magna coactione, ad adducendum hominem cupidum, ut plura acciperet quàm petebat.

[24] *In editum locum*] אל העפל *el hahophel.* LXX. Intt. ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινὸν, quod interpretatus Latinus habet: *cùmque veniſſet jam veſperi.* Thargum verò לאתר כסי *laathar chaſſi*, in locum occultum. Putat *Lud. Cappellus*, Crit. Sacræ Lib. V. C. II, 3. legiſſe eos אופל quod *caliginem* ſignificat, mutatis invicem litteris gutturalibus. Sed potuerunt ita legere ut nos, verùm crediddiſſe eamdem eſſe vocibus illis ſignificationem, propter frequentem confuſionem litterarum ejuſdem organi. Ac ſane apud Arabas עפל *gaphala* ſignificat abſconditus fuit. Malui tamen in ſolita vocis ſignificatione acquieſcere, nihil enim vetat prope Samariam fuiſſe collem, qui ita κατ' ἐξοχὴν diceretur.

Repoſuit in quadam domo] ויפקד בבית *depoſuit in domo*; aliena, nimirum, nam poſtea domum Prophetæ ingreſſus dicitur; nec auſus eſſet eò uſque prædam illam ſuam adferre, ne incideret in Prophetam, aut ab aliquo deprehenderetur, qui rem Eliſæo narraret.

[25] *Nuſquam ivit*] *Non ivit huc & illuc.* Alterum hoc eſt mendacium, quo flagitium ſuum tegit homo avarus.

[26] *Animus meus tecum ivit*] לבי הלך libbi halach, *cor meum ivit.* Animo veluti præſens fuit, quia Deus illi quod procul fiebat objecit, quaſi coram oculis gereretur.

An tempus erat &c.] Admodum elementer miniſtrum objurgat Eliſæus, dum ei tantùm exprobrat intempeſtivè ab eo pecuniam acceptam, quâ poſſet ſibi comparare oliveta, vineas &c. Mendacia enim ei poterant exprobrari, ejúſque cupiditas atrociùs exagitari. Sed mox daturus erat pœnas ſatis graves eorum delictorum. Intempeſtivum autem fuiſſe ait munera à Nahamane accipere, quod donum illud Dei curandi lepram, quod gratis acceperat, non deberet eſſe ſibi aut ſuis emolumento. Alioqui ſi alio tempore quiſpiam Gechazin munere donaſſet, ægrè non tuliſſet. Sed Prophetas, quæ gratis acceperant, gratis etiam dare oportebat; præſertim peregrinis, qui ſi vidiſſent eos, pecuniâ acceptâ, miracula edere ſuſpicari potuiſſent magicis artibus ea fieri, & Prophetiam artem quamdam, quæ divitias, ut ceteræ, ſpectaret habuiſſent. Meritò ergo Propheta negat fuiſſe tempus accipiendi munera.

niores pecudes, boves, ſervos aut ancillas? 27. Lepra Nahamanis tibi, poſteriſque tuis in perpetuum adhærebit. Tum egreſſus eſt ex ejus conſpectu leprâ candicans, quaſi fuiſſet nix.

VI. Eliſæus ſecurim amiſſam innatare aquæ jubet, conſilia Regis Syrorum Regi Iſraëlis aperit, Syriacas copias, quæ ut eum comprehenderent venerant, ſcotomate perculſas Samariam inducit, quas tamen incolumes dimittit. Non multò pòſt Samaria obſidetur à Rege Syriæ & gravi fame laborat.

CAPUT VI. 1. DIXERUNT filii Prophetarum Eliſæo: en locus, in quo coram te ſedemus, anguſtior eſt, quàm ut nos capere poſſit. 2. Ibimus ergo ad Jordanem, ſumemúſque illinc quiſque tignum unum, faciemúſque hîc nobis locum, ut in eo ſedeamus. Ite, inquit ille. 3. At unus illorum, adſentire, quæſo, *nobis* & cum ſervis tuis venito. Ibo, inquit. 4. Abiit ergo cum illis, perveneruntque ad Jordanem, *ubi* ligna cædebant. 5. Contigit autem, dum unus eorum cæderet tignum, ferrum *ſecuris* cadere in aquam; exclamavitque: hei *mihi!* domine mi, *amiſi ſecurim*, eámque mutuam acceptam. 6. Quò verò decidit? inquit vir divinus; oſtenditque *alter* ei locum. Itaque ſecuit Eliſæus lignum, idque eò projecit, & effecit ut ferrum enataret. 7. Tum *alteri*, tolle, inquit, tibi; ille verò porrectâ manu id comprehendit.

8. Cùm poſtea Aramæorum Rex bellum gereret cum Iſraële, conſiliúmque iniret cum ſervis ſuis, & diceret: in certo quodam loco *erunt* caſtra mea; 9. mittebat vir divinus ad Iſraëlis Regem qui diceret: cave ne prætereas locum illum, eò enim veniunt

Sed non eſt diſſimulandum LXX. Intt. & Vulgatum aliter legiſſe, quàm Maſſorethas, cùm enim legamus in noſtris codicibus: העת לקחת *an tempus accipiendi*, & iterum ולקחת *& accipiendi*, legerunt ועתה לקחת & poſtea ולקחת, habent enim Græci: καὶ νῦν ἔλαβες τὸ ἀργύριον, καὶ νῦν ἔλαβες, & Vulgatus: *nunc igitur accepiſti argentum & accepiſti veſtes.* Nec prava eſt lectio, niſi quòd τὸ νῦν fruſtra iterum repetitur.

27. *Lepra Nahamanis tibi* &c.] Hoc eſt, lepra ſimilis lepræ Nahamanis tibi, tuiſque adhærebit.

Leprâ candicans] מצורע כשלג *meſorah chaſſcheleg.* LXX. Intt. λελεπρωμένος ὡσεὶ χιών. Vulgatus: *leproſus quaſi nix.* Sed color lepræ, quæ erat candicans, confertur cum colore nivis. Gravi pœna dignus erat Gechazis, quòd id feciſſet quod aptum erat ad ſpiritum Prophetiæ, Prophetáſque infamandos, quemadmodum antea dixi, & delictum hoc ſuum impudentibus mendaciis tegere conatus eſſet. Itaque meritò leprâ affectus eſt, qui ejus curationis mercedem ſibi, cui non debebatur, ſi qua exigenda fuiſſet, ſolvi voluit.

In CAPUT VI.

1. L*Ocus in quo coram te ſedemus*] Schola, nimirum, erat Gilgalenſis, non procul à Jordane. Vide Cap. IV, 38. Sedebant illic diſcipuli Prophetæ, ut ſermones ejus de Religione ac Virtute audirent.

2. *Ad Jordanem* &c.] Procul quidem à Jordane omnia erant ſicca in eo tractu, ſed circa Jordanem arbores virebant. *Joſephus* De Bello Jud. Lib. IV. c. 26. in Græcis: ἐκπυροῦται δ' ὥρᾳ θέρους τὸ πεδίον καὶ δι' ὑπερβολὴν αὐχμοῦ περιέχει νοσώδη τὸν ἀέρα, πᾶν γὰρ ἄνυδρον πλὴν τοῦ Ἰορδάνου, παρ' ὃ καὶ τοὺς μὲν ἐπὶ ταῖς ὄχθαις φοινικῶνας εὐθαλεστέρους καὶ πολυφορωτέρους εἶναι συμβέβηκεν, ἧττον δὲ τοὺς πόρρω κεχωρισμένους: *ardet tempore æſtivo campus & propter vehementium æſtûs complectitur morbidum aërem; totus enim campus caret aqua, ſi excipias Jordanem; quamobrem palmeta ad ripas ſunt florentiora & fertiliora, quæ ſunt verò remotiora multò minùs.* Hinc intelligere licet multas arbores fuiſſe, circa Jordanem, & materiam cædi potuiſſe ad tugurium ædificandum.

3. *Adſentire*] הואל נא ולך, *velis, quæſo, & ito.*

6. *Secuit lignum* &c.] Non eſt credendum lignum illud fundum aquæ petiiſſe & conjunctum ferro iterum enataſſe, eò quòd non capiamus cui uſui eſſet lignum in aquam injectum; nam Eliſæus & Elias miracula ejuſmodi fecerunt, adhibitis rebus quæ miraculo perpetrando inutiles erant. Sic pallio, ſic ſcipione, ſic ſale in aquam injecto, ſic farina in ollam, uſi ſunt, quibus tamen virtus miraculi edendi indita nulla erat. Magis inde elucebat miraculi magnitudo. Vide ad II, 20.

8. *In certo quodam loco*] אל מקום פלני אלמני *in locum phloni almoni.* Sic loquuntur interdum Hebræi, cùm proprium nomen reticent. Vide ad Ruth. IV, 1.

9. *Cave ne prætereas*] *Cave tibi à tranſeundo locum.* Occupabat prior loca caſtris idonea, ne Syri eo ſe conferrent.

11. *Ad Regem Iſraëlis*] Addidimus quod alioquin animo ſupplendum erat. Sic LXX. Intt. προδίδωσί με βασιλεῖ Ἰσραήλ, Vulgatus: *proditor mei ſit apud Regem Iſraël.* Sed, ne quid diſſimulem, exiſtimarim eos aliter legiſſe, cùm enim habeant noſtri codices: מי משלנו mi miſſchellanou, *quis ex nobis*, videntur legiſſe: מלשנו *malſchenou*, aut מלשינו *malſchinou*, quod eſt *proditor noſter*, ſeu qui aperit conſilia noſtra Regi Iſraëlis. Quæ lectio optimum ſenſum fundit. Ex nomine לשון *laſchon*, lingua, fit verbum לשן, cujus Pihel & Hiphil tantùm exſtant in Sacro Codice, ſignificantque efferre arcanum, accuſare, Pſ. CI, 5. Proverb. XXX, 10. Hinc apud Chal-

niunt Aramæi. 10. Tum Rex Iſraëlis mittebat *homines* ad eum locum, quem ei dixe-
rat vir divinus, & *de quo* eum monuerat, ſibique illic cavebat. *Quod* non ſemel, ne-
que bis, *ſed pluries contigit.* 11. Quamobrem conturbatus eſt animus Regis Aramæo-
rum, qui vocatis ſervis, annon, inquit, indicabitis mihi, quis è nobis ad Regem
Iſraëlis *conſilia noſtra deferat?* 12. Ibi unus ex ſervis ejus, nullus *eſt*, inquit, Domine
Rex; ſed Eliſæus, qui eſt Propheta apud Iſraëlem, indicat Regi Iſraëlis verba, quæ in
thalamo tuo profers. 13. *Ibi* Rex, ite, inquit, & videte ubi ſit; mittámque *eò copias*
& eum *illinc* rapiam. Renunciatum autem ei eſt, eum eſſe Dothane. 14. Miſit igitur
illuc equites, currus, & multas copias, quæ venerunt noctu & urbem circumdede-
runt. 15. Cùm autem manè ſurrexiſſet miniſter viri divini, egreſſus eſt. Ecce verò
copias, quæ urbem circumdabant, equiteſque & currus. Tum Eliſæo ejus puer, hei
mihi! inquit, domine, quomodo faciemus? 16. Ne timeas, inquit *Eliſæus*, plures
enim ſunt qui nobiſcum, quàm qui cum illis. 17. Tum oravit, & Jehova, inquit, aperi-
to oculos ejus, ut videat. Aperuitque Jehova oculos pueri & vidit. Ecce verò, mon-
tem plenum equitibus & currubus igneis, circa Eliſæum. 18. Ad eum *tamen* deſcende-
runt *Aramæi*, oravitque Eliſæus Jehovam, & percelle, inquit, quæſo, hanc gentem
ſcotomate. Eos verò cæcitate perculſit *Deus*, prout dixerat Eliſæus. 19. Tum illis E-
liſæus, non eſt, inquit, hæc via, neque hæc urbs *quam quæritis*, ſequimini me, vóſ-
que deducam ad virum quem indagatis; eóſque deduxit Samariam. 20. Cùm autem
urbem ingreſſi eſſent, dixit Eliſæus: ô Jehova, aperi eorum oculos, & videant. Ape-
ruit verò Jehova eorum oculos & ſe in media Samaria eſſe viderunt. 21. At Rex Iſraë-
lis Eliſæo, cùm eos vidiſſet, an eos, inquit, concîdam, mi pater? 22. Non concî-
des, inquit; an quos gladio & arcu tuo captivos abduxiſti concîdere ſoles? Adpone
illis

Chaldæos מלשין malſchin eſt proditor, ſeu qui arcanum aperit iis quibus occultum eſſe deberet. Non deerunt, quibus magis placeat hæc lectio, quàm Maſſorethica, משלנו *miſſchellanou* pro מאנשים אשר לנו *è viris qui ſunt nobis*, cùm præſertim nihil ſit ſupplendum.

12. *In thalamo tuo*] בחדר משכבך bhheder miſchchabecha, *in penetrali lecti tui*; hoc eſt, in locis in quæ pauciſſimi admittuntur.

13. *Ite & videte*] Speculatores, nimirum, miſit, qui ſciſcitarentur ubi tunc temporis moraretur Eliſæus.

Dothane] Vide ad Gen. XXXVII, 17. Hoc oppidum, cùm eſſet ad ſeptemtriones Samariæ, vergebat ad ea lôca, quæ excurſionibus Syrorum infeſta eſſe poterant.

15. *Miniſter viri divini*] Non ampliùs Gechazis, qui, quòd leproſus eſſet, verſari cum ceteris hominibus non poterat, nec dignus erat qui diutiùs Eliſæum ſequeretur.

17. *Aperito oculos ejus* &c.] Redde ei conſpicuas copias illas Angelorum, quæ nos circumſtant. Cùm naturâ ſuâ ſint inconſpicui Angeli, ſeu ſint meri ſpiritus, ſeu ὀχήματα tenuiſſima circumferant, quæ mortalium oculos fugiunt; non potuerant fieri conſpicui Eliſæo, niſi ſingulari miraculo, quod in gratiam etiam famuli ſui, ut animus ei confirmaretur, fieri cupiebat Propheta. Fortè ex ſimilibus hiſtoriis, ab antiquiſſima fama acceptis, manaverat opinio Græcorum, quâ putabant neſcio quâ caligine oculis obverſante impediri homines, quominùs Deos videre poſſent. *Homerus* Iliad. E, 127. inducit Minervam dicentem Diomedi pugnanti in Trojanos, quibus nonnulli Dii opitulabantur.

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
Ὄφρ' εὖ γινώσκῃς ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Caliginem præterea tibi ab oculis abſtuli, quæ priùs inerat, ut probè dignoſceres ſeu Deum, ſeu hominem. Quod imitatus *Virgilius* Veneri hæc verba tribuit, Æneïd. Lib. II, 64.

Adſpice, namque omnem, quæ nunc objecta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi & humida circum
Caligat, nubem eripiam &c.

Aperuitque Jehova oculos &c.] Hoc eſt, conſpicua ei reddidit corpora Angelorum priùs inconſpicua. Quod quâ ratione factum ſit nemo dixerit.

Equitibus] סוסים ſouſim, *equis*. Sed intelliguntur equites. Igneus ſplendor tribuitur Angelis, quòd nihil vulgò tenuius ac efficacius particulis igneis notum ſit.

18. *Scotomate*] בסנורים *baſſanverim*, ut Gen. XIX, 11. Quâ voce intelligitur perturbatio neſcio quæ imaginationis, quâ fiebat ut hi Syri nec loca, nec homines agnoſcerent.

19. *Non eſt, inquit, hæc via* &c.] Quæſiverant ab Eliſæo, ut quidem videtur, annon illic moraretur Eliſæus? qui hæc reſpondit, non vera quidem, ſed minimè noxia, imò ſummæ utilitatis, niſi mens eis læva fuerit. Nam ex modo, quo eos excepit, vim mirificam, & ſummam magnanimitatem Prophetæ veri Dei intellexerunt; unde adduci ad cognitionem & cultum veri Numinis potuerunt. De ejuſmodi mendaciis diximus ad Gen. XII, 13.

20. *Urbem*] *Samariam.*

Aperi eorum oculos] Diſcuſsâ perturbatione Phantaſiæ, fac ut agnoſcant ubi ſint.

Et ſe in media Samaria] *Et viderunt & ecce in medio Samariæ.*

21. *An eos, inquit, concîdam*] *Percutiendo percutiam.*

Mi pater] Sic honoris causâ dicitur. Vide ad C. V, 13.

22. *An quos gladio* &c.] Cum captivis tuis ſoleas ignoſcere, multò magis his, quos non cepiſti, ignoſcere te par eſt.

Concidere ſoles] מכה maccheh, *percutiens*. Significatur conſuetudo.

23. *Co-*

illis panem & aquam, comedántque & bibant, ac redeant ad dominum ſuum. 23. Paravit itaque illis *Rex Iſraëlis* ingens convivium, comederúntque & biberunt. Deinde eos dimiſit, redierúntque ad dominum ſuum; neque perrexerunt copiæ prædonum Aramæorum in terram Iſraëlitidem venire.

24. Poſtea tamen Ben-hadadus Rex Aramæorum, coacto univerſo ſuo exercitu, expeditionem ſuſcepit, obſeditque Samariam. 25. Fuit verò magna fames Samariæ, obſederuntque eam Syri, donec caput aſini octoginta, & quarta pars cabi cicerum quinque argenteis *ſiclis venderentur*. 26. Cùm autem Rex Iſraëlis ad murum tranſiret, mulier auxilium ejus imploravit, his verbis: ſerva me, domine mi, Rex. 27. Ille verò, ne ſervet, inquit, te Jehova! unde te ego ſervarem, ex areáne, an ex torculari? 28. Dein mulieri, quid tibi eſt? inquit. Illa autem, mulier hæc, inquit, mihi dixit: da filium tuum, eúmque hodie comedemus, filio verò meo cras veſcemur. 29. Coximus igitur filium meum, eúmque comedimus, poſtridie verò ei dixi: da filium tuum, ut eum comedamus; ſed eum abdidit. 30. Cùm Rex audiviſſet verba hæc mulieris, laceravit veſtimenta ſua, cúmque tranſiret ad murum, populus eum vidit. Ecce autem erat ſaccus circa carnem ejus introrſum. 31. Tum dixit: ita ſe Deus mecum gerat & *porrò ſe gerere* pergat: ut caput Eliſæi, Saphati filii, ſupra *truncum* ejus hodie non ſtabit.

32. Sedebat interea Eliſæus domi ſuæ, & unà cum illo ſenes. *Rex verò* miſit è conſpectu ſuo hominem, qui nuncius antequàm veniſſet ad Eliſæum, dixit ille ſenioribus: an animadvertiſtis hunc filium homicidæ miſiſſe, qui caput meum auferret. Videte, cùm veniet nuncius; claudite januam, eúmque in ipſo oſtio opprimetis. Nonne ſtrepitus pedum domini ejus eum ſequitur? 33. Etiamnum loquebatur cum illis, cùm ecce nuncium, qui ad eum veniebat, dicebátque: malum hoc eſt à Jehova, quid exſpectem ampliùs auxilium Jehovæ?

VII. Eli-

23. *Copiæ prædonum*] גדוד *gdoud.* Vide ad c. V, 2. Magnanimitate, nempe, Prophetæ provocatus Syrorum Rex noluit ampliùs prædones in Iſraëliticum ſolum mittere; aut etiam metu, ne circumvenirentur.

24. *Expeditionem ſuſcepit* &c.] *Et adſcendit & obſedit.*

25. *Caput aſini octoginta*] *Donec eſſet caput aſini in octoginta argenteos.* Erat quidem aſini eſus illicitus Judæis, quia neque ruminat, neque fiſſam habet ungulam. Verum tempore famis & neceſſitate ipsâ lege ſolvebantur, quæ ritualis dumtaxat erat. Sic Artaxerxes, apud Caduſios, teſte *Plutarcho* p. 1023. τὰ ὑποζύγια μόνον κατέκοπτον, ὥστε ὄνου κεφαλὴν μόλις δραχμῶν ἑξήκοντα ὤνιον εἶναι: *occidit tantùm jumenta; ita ut aſini caput vix venale eſſet ſexaginta drachmis.* Itaque qui hîc ſomniant pro ראש חמור *capite aſini* legendum ראש חמר roſch hhomer, *capite chomeri*, nugantur, ut rectè judicavit *Sam. Bochartus*, Hieroz. P. I. Lib. II. c. 13.

Quarta pars cabi cicerum] חרי יונים *hhir-jonim* aut honeſtiùs, ut putant, דבי יונים *dib-jonim*, propriè eſt *ſtercus columbarum*, prout omnes Interpretes antehac verterant. Videbant quidem Lectores ſtercus columbarum non potuiſſe eſſe alimenti loco, ſed nemo ſe ſe ex hoc incommodo expedivit ante *Sam. Bochartum*, qui Hieroz. P. 2. Lib. I. c. 7. multis oſtendit apud Arabas, vocari *ſtercus columbarum* genus quoddam ciceris toſti, quod memorato loco copioſiſſimè oſtendit. Ac ſanè hîc agitur de cibo & quidem vili, quale fuiſſe cicer toſtum in Chananæa demonſtravit. Hoc liquet cùm ex ipſa re, tum etiam ex menſura quæ additur, quæ eſt menſura quâ vendebantur legumina. Cabus continebat viginti quatuor ova, ac proinde quarta pars erat ſex ovorum, quæ dicebatur Logus. Plura qui de illis volet adeat *Ric. Cumberlandum* & *Ed. Bernardum*. Inter omnia, quæ *Sam. Bochartus* feliciter ad illuſtrationem ex Linguis Orientalibus hauſit, vix quidquam melius proferri poteſt. Itaque eum adeant Lectores.

Quinque argenteis] Nempe, ſiclis, hoc eſt, quinque ſemunciis Romanis, quod erat magnum pretium vilis cibi, præſertim tam exiguâ menſurâ.

26. *Auxilium ejus imploravit*] *Clamavit ad eum, dicendo.*

27. *Ne te ſervet*] Hoc eſt, te perdat Jehova. Importunam mulierem, quam putabat à ſe victum petere, quem norat ſibi non eſſe, ejuſmodi imprecatione à ſe amoliebatur.

Unde te ſervarem] Te liberarem à fame.

Ex area, aut torculari] Frugibus, aut vino.

28. *Dein mulieri* &c.] *Et dixit ei Rex, quid* &c.

29. *Coximus filium meum* &c.] Prædixerat hoc Moſes Deuter. XXXIII, 53. contigitque etiam in ultima obſidione Jeroſolimæ. Qua de re, vide quæ habet *Joſephus* de Bello Jud. Lib. VI. c. 21. in Græcis, ubi Maria quædam, cui erat παῖς ὑπομάζιος, *filius lactens*, κτείνει τὸν υἱὸν ἔπειτ᾽ ὀπτήσασα τὸ μὲν ἥμισυ κατεσθίει, τὸ δὲ λοιπὸν κατακαλύψασα ἐφύλαττεν: *occidit filium, deinde cùm aſſaviſſet, dimidiam partem comedit, reliquam vero tectam ſervabat.* Quod miris coloribus pingit Judæus Hiſtoricus.

30. *Laceravit veſtimenta ſua*] Quemadmodum faciebant qui blaſphemiam audiverant, propter nefandum hoc factum.

Erat ſaccus &c.] Pro molliori induſio, laceratâ tunicâ exteriore, viderunt eſſe aſperam veſtem. De Sacco vide quæ adnotavit *Henr. Hammondus* ad Matth. III, 4.

31. *Ut caput Eliſæi*] *Si ſtat caput Eliſæi* &c. Cùm Hiſtoria Sacra non memoret harum minarum rationem, ſupereſt ut conjecturâ eam adſequi conemur, ſi modo poſſimus. Non abſimile vero mihi videtur Eliſæum auctorem fuiſ-

ſe

VII. Eliſæus pro fame vilitatem annonæ prænunciat, Syri terrore ſubito perculſi aufugiunt, caſtráque eorum diripiunt Iſraëlitæ.

1. TUNC Eliſæus, audite, inquit, verbum Jehovæ: ſic dixit Jehova: hoc tem- CAPUT VII.
pore, craſtino die ſatum ſimilæ ſiclo, duo ſata hordei ſiclo *vendentur*, in Sa-
mariæ porta. 2. Reſpondit verò Tribunus, cujus manui innitebatur Rex, vi-
to divino, &, ſi Jehova, inquit, feneſtras in cœlo fecerit, num hoc fiet? 3. At Eliſæus,
tu ipſe, inquit, videbis oculis tuis, ſed ex iis non comedes.
3. Quatuor autem erant leproſi ad portam *urbis*, qui ſibi invicem dicebant: quid
hìc ſedemus, donec moriamur? 4. Si dixerimus: ingrediamur in urbem; fames eſt
in urbe & illic moriemur; ſi verò maneamus hic, itidem moriemur. Nunc verò agi-
te, transfugiamus in caſtra Aramæorum; ſi nos conſervarint, vivemus: ſin verò nos
occiderint, moriemur. 5. Surrexerunt verò ſub auroram, ut ingrederentur caſtra A-
ramæorum, & ad extrema caſtra pervenerunt, nec quiſquam in iis erat. 6. Jehova,
nempe, fecerat ut caſtra Aramæorum audirent ſonitum curruum, ſtrepitum equorum
& vocem exercitûs magni; dixeruntque inter ſe: en mercede conduxit Rex Iſraëlis
Reges Chitthæorum, Regéſque Ægyptiorum, ut venirent contra nos. 7. Itaque ſurrexe-
runt, fugerúntque ſub auroram, relictis tentoriis ſuis, equis, aſinis & caſtris, quemadmo-
dum erant, ac vitæ ſuæ fugâ conſuluerunt. 8. Pervenerunt ergo ii leproſi ad extrema
caſtra; ingreſſíque quoddam tentorium, comederunt & biberunt, indéque argentum, au-
rum ac veſtes abſtulerunt, & illinc profecti ea abdiderunt. Tum venerunt ad aliud tento-
rium, indeque ablata profecti *ſimiliter* occultarunt. 9. Deinde invicem dixerunt: non rectè
facimus, dies hic eſt dies boni nuncii, nos verò tacemus & differimus ad lucem uſque
matutinam. Pœnas nobis contrahemus. Nunc ergo agite, eamus & rem nunciemus regiæ.
10. Ve-

ſe Regi Iſraëlis, ne paciſceretur cum Rege Syriæ, quòd ei promiſiſſet Samariam minimè captum iri; proptereáque Jehoramum, cùm videret tantam Samariæ famem, ejus conſilii pœnituiſſe, ac ſubito, audito horrendo mulierum facinore, in Eliſæum exarſiſſe, quem harum miſeriarum ſibi cauſam fuiſſe putabat. Probabiliora hæc mihi videntur, quàm quod commentus eſt *Joſephus*, qui ſic hac de re loquitur Ant. Jud. Lib. IX. c. 2. τῶτ' ἀκύσας σφοδρῶς Ἰώραμος περιῤῥηξάμενος τὴν ἐσθῆτα καὶ δεινὸν ἀνακράξας, ἔπειτα ὀργῆς ἐπὶ τὸν προφήτην Ἐλισσαῖον πληρωθεὶς, ἀνελεῖν αὐτὸν ὥρμησεν, ὅτι μὴ δεῖται τῷ θεῷ πόρον αὐτοῖς καὶ διαφυγὴν τῶν περιεχόντων κακῶν δοῦναι: *Hoc vehementi dolore adfecit Joramum, cùm audiſſet, laceratáque veſte & graviter exclamans, ira deinde plenus in Prophetam Eliſæum, occidere eum voluit quòd non oraret Deum ut daret remedium & fugam malorum quibus tenebatur.* Sed quæcumque fuerit occaſio conceptæ in Eliſæum iræ, furioſus fuit Joramus, qui non veritus eſt, tantâ calamitate circumventus, jubere Prophetam occidi.

32. *Senes*] Magiſtratus, aut honoratiſſimi quique Samariæ, qui in tantis malis, ad Prophetam confugiebant, qui eos ſolaretur.

Rex vero miſit] Nominativus omiſſus ſuppleri debet. Eſt verbo tenus: *& miſit virum è conſpectu ſuo, antequam nuncius veniret ad eum & ille dixit.*

Homicidæ] Achabi, qui Nabotham occidendum curaverat.

33. *Quid exſpectem ampliùs* &c.] Videtur nuncius hæc nomine Regis reſpondiſſe iis, qui conabantur impedire ne interficeret Eliſæum; ideoque dicebant exſpectandum eſſe auxilium divinum, quod Eliſæus prædixerat. Quòd ſi nuncius hæc non dixit, erunt Regi ipſi, qui mox venit, tribuenda. Mirum enim in modum contracta eſt hæc narratio.

In CAPUT VII.

1. S*Atum ſimilæ*] Sati pondus vide ad Geneſ. XIX, 6. Æquabat, nempe, circiter decem libras ponderis nunc pleriſque locis uſitati. Non erat quidem magna vilitas farinæ, ſi tempus copiæ ſpectemus; ſed in tanta inopia, vile hoc fuit pretium duorum ſtuverorum Hollandicorum & dimidii in ſingulas libras ſimilæ.

2. *Rex qui jam aderat*] Μεταβουλευσάμενος, *mutato conſilio*, ut ait *Joſephus*.

Feneſtras in cœlo] Unde demittat farinam.

6. *Sonitum curruum* &c.] *Vocem currûs, vocem equi & vocem exercitûs magni* &c. Angeli, nempe, eodem modo concuſſerunt aerem circa Syrorum caſtra, quo concuſſus fuiſſet motu advenientis exercitûs; quâ ratione factum erat ut Syri audirent ſonitum, quem judicarunt eſſe equorum, curruum & hominum.

Reges Chitthæorum] Erant enim etiamnum in vicinia Chananææ Chitthæi, quos non deleverant Iſraëlitæ, de quibus etiam 2. Reg. X, 29. Cum LXX. Intt. habeant βασιλεῖς Χετταίων, mirum eſt *Joſephum* hic ejus nominis loco ſubſtituere βασιλέα τῶν νήσων, *regem Inſularum.*

Regeſque Ægyptiorum] Si loquuntur accuratè homines territi, Ægyptus eo tempore diviſa jam fuit in varios Reges; quod tamen non contigit, ex calculo *Joan. Marshami*, niſi XVI. ſæculo rerum Ægyptiacarum, cùm hoc tempore XV. laberetur. Sed poſſunt Syri minùs accuratè loquuti eſſe; poſſunt & errores in tam antiquam Chronologiam irrepſiſſe. *Joſephus* habet in ſingulari τὸν Αἰγυπτίων βασιλέα.

7. *Vitæ ſuæ fugâ conſuluerunt*] ינוסו אל נפשם *fugerunt propter animam.* Vide ad 1. Reg. XIX, 3. Vulg. *animas ſuas tantùm ſalvare cupientes.*

9. *Pœnas nobis contrahemus*] ומצאנו עון *& inveniet nos iniquitas*, ſeu *iniquitatis pœna.* Vulg. *Sceleris arguemur.*

10. *Vo-*

20. Venerunt ergo & vocarunt *cuſtodes* portæ, nunciaverúntque eis, his verbis: ingreſſi ſumus caſtra Aramæorum, nec quiſquam in iis erat, nec vox ulla humana audiebatur. Erant dumtaxat equi vincti, aſini vincti & tentoria qualia fuerant. 11. Tum hæc cuſtodes portæ nunciaverunt magnâ voce regiæ, *quæ* intus *eſt*. 12. *Ibi* ſurrexit Rex, de nocte, & ſervis ſuis, dicam vobis, inquit, quid nobis fecerint Aramæi. Norunt nos fame laborare, ideóque egreſſi ſunt è caſtris, ut ſe in agris abderent, dicentes fore ut quando urbe egreſſi erimus nos apprehendant vivos, & in urbem ingrediantur. 13. *Ibi* unus è ſervis reſpondit, & ſumantur, inquit, quinque ex equis reliquis, qui ſuperſtites ſunt in hac *urbe*, ſintque illi inſtar *totius* multitudinis Iſraëlis, quæ hic ſuperſtes eſt, & inſtar multitudinis Iſraëlis, quæ periit; & mittamus eos, ac videamus *quid hoc rei ſit*. 14. Sumti ergo ſunt duo currus equis juncti, miſitque eos Rex ut ſequerentur exercitum Aramæorum, his verbis: ite, ac ſpeculamini. 15. Itaque eos ſequuti ſunt ad Jordanem; ecce verò viam plenam veſtibus, & armis, quæ Syri, in feſtinatione ſua, projecerant. Dein reverſi nuncii rem Regi renunciarunt. 16. Igitur egreſſus populus diripuit caſtra Aramæorum, *venditúmque* eſt ſatum ſimilæ ſiclo & duo ſata hordei *pariter* ſiclo, prout dixerat Jehova.

17. Tunc Rex Tribunum, cujus manui innitebatur, præfecit portæ, ibique eum conculcavit populus, ita ut mortuus ſit: quemadmodum dixerat vir divinus, quando Rege ad ſe deſcendente loquutus fuerat. 18. Contigit, prout dixerat vir divinus Regi, his verbis: duo ſata hordei ſiclo, ſatum ſimilæ ſiclo *vendentur* hoc tempore, craſtino die, ad portam Samariæ.
19. Reſponderat verò viro divino Tribunus: ſi Jehova faciat feneſtras in cœlo, an erit prout dicis? Eliſæus autem, tu ipſe, inquit, oculis tuis rem videbis, ſed ex iis non comedes. 20. Sic ei contigit; nam conculcavit eum populus ad portam, ita ut mortuus ſit.

VIII. Eliſæus ſeptennem famem prædicit, quam Sunamithidem vitare jubet peregrinatione, quâ exactâ in patriam redit. Prædicit idem Ben-hadado mortem, Chazaëli regnum. Joſaphato ſucceſſit in regno Judæ Jehoramus, Jehoramo Achazias, Jehorami Regis Iſraëlis amicus.

CAPUT VIII. 1. POSTEA Eliſæus alloquutus eſt mulierem, cujus filium in vitam revocaverat, his verbis: ſurge, abito, túque & familia tua, & peregrè vivito ubicumque po-

20. *Vocarunt cuſtodes portæ*] *Clamarunt ad portam urbis*, יקראו אל שער העיר.

Equi vincti &c] Ii certè, quibus ad fugiendum non utebantur.

Tentoria qualia fuerant] Tantâ feſtinatione fugerant, ut nihil convaſare ſuſtinuiſſent; quod crederent mox adfuturos hoſtes, caſtráque ingreſſuros.

11. *Tum hæc cuſtodes portæ*] ויקרא השערים ויגידו *vajjikra haſſchoharim vejjaggidon*, & clamavit cuſtodes portæ & adnunciarunt. Meliùs, ut puto legeretur, יקראו *jekrebon*, in plurali, quamvis non ignorem quomodo ſingularis numerus defendi queat. Sed durum eſt alterum verbum eſſe ſingulare, alterum plurale; nec dubito quin ejuſmodi Anomalias permultas debeamus librariis.

12. *Adprehendant vivos*] *Adprehendemus vivos, & in urbem ingrediemur.*

13. *In hac urbe*] בה bah, *in illa*. LXX. Intt. ἀὐ. Vulg. *in urbe*.

Sintque illi inſtar] *Ecce ut omnis multitudo* &c. Exitio quidem exponentur, ſed non erunt deteriore loco, quàm reliqui omnes Iſraëlitæ, aut qui perierunt, aut qui ſuperſunt, nec præ fame evadent.

14. *Sumti ſunt*] *Sumſerunt duos* &c. Bigæ, aut quadrigæ.

Exercitum] מחנה *caſtra*.

17. *Cujus manui innitebatur*] Mos fuit Orientis Regum, cum in publicum prodirent, niti manu Aulici cujuſpiam. Vide Cap. V, 18.

Præfecit portæ] Ut tumultum populi ingredientis & egredientis compeſceret.

19. *Reſponderat* &c.] Hæc & ſequentia ad finem Capitis exemplum ſunt ſimplicitatis ſtyli Hebræorum redundantis ſine neceſſitate; ut paſſim narratio eſt æquo brevior, nec poteſt intelligi, niſi animo plures circumſtantias ſuppleamus. Vide C. VI, 33.

In CAPUT VIII.

1. P*Eregre vivito, ubicumque poteris.*] גורי באשר תגורי *peregrè vivito ubi peregrè vives.* Vulg. *peregrinare ubicumque repereris.* In Ægypto, in Syria, in Philiſthæorum ora, aliiſve tractibus, ubi penuria non erit. Cùm dives eſſet hæc mulier, facilius alibi poterat vivere, cum ſuis, quàm qui nihil præter agellum habebant.

2. *In terra Philiſthæorum*] Cùm apud Philiſthæos non deeſſet annona, duo efficere poterant ut penuriâ laborarent Iſraëlitæ. Alterum fuit quòd is populus, totus agriculturæ deditus, nec regionem obtinens à qua metalla pretioſiora haurirentur, pecuniâ minimè abundaret; quo fiebat ut ſterilitate diuturniore agrorum, res ejus vehementer acciderentur. Alterum quòd cum vicinis commercia nulla aut exigua haberet, illis certè temporibus; propter interdictum familiarem, cum iis populis, convictum, & bella cum iis frequentia. Alioqui tam vicina fuit ora maritima Philiſthæorum, in quam profugit Sunamithis, Ægyptus frugibus abundans, & Phœnicia, quæ undequaque poterat frumentum coëmere,

poteris; nam Jehova vocavit famem, jámque venit in hancce terram, *ubi* per ſeptem
annos *erit*. 2. Surrexit itaque mulier, ſéque geſſit, prout ei dixerat vir divinus, &
abiit, cùm ipſa, tum familia; ut in terra Philiſthæorum, per ſeptem annos, peregrè ha-
bitarent. 3. Exactis verò ſeptem annis, reverſa eſt mulier è terra Philiſthæorum, egreſ-
ſáque eſt, quò imploraret *auxilium* Regis, ut *recuperaret* domum & agrum. 4. Rex
autem interea colloquebatur cum Gechazi, miniſtro viri divini, cùm ei dixiſſet: narra
mihi omnes res magnas, quas geſſit Eliſæus. 5. Dum autem narraret Regi eum mor-
tuum ad vitam revocaſſe, ecce verò mulierem, cujus filium in vitam revocaverat, *auxi-
lium* Regis implorabat, ad *recuperandam* domum ſuam, agrúmque ſuum, dixitque Ge-
chazis: domine mi Rex, hæc eſt mulier, filiúſque ejus, quem ad vitam revocavit Eli-
ſæus. 6. Percunctatus eſt Rex mulierem, quæ ei *rem* narravit. Ille verò ei dedit Eu-
nuchum, cui dixit: cura reſtitui huic mulieri quæcumque ejus fuerunt, cum omnibus
fructibus agri, à die, quo terram *hanc* reliquit, ad hunc uſque.
7. Cùm verò iviſſet Eliſæus Damaſcum & Ben-hadadus, Rex Aramæorum, ægrota-
ret, *res* ei nunciata eſt, his verbis: huc uſque venit vir divinus. 8. At Rex Chazaëli,
ſume, inquit, in manum tuam munus, proceditóque obviam viro divino, & ſciſcitare
mentem Jehovæ ab illo, dicens *meo nomine:* convaleſcámne ex hoc morbo. 9. Proceſ-
ſit ergo ei obviam Chazaël, cúmque ſumſiſſet ſecum quidquid præſtantiſſimum erat Da-
maſci, *quo* onuſti erant quadraginta cameli, abiit, ſeque ei ſtitit, &, filius tuus, in-
quit, Ben-hadadus, Rex Aramæorum, miſit me ad te, ut dicam *ejus nomine:* conva-
leſcámne ex hoc morbo? 10. Tum ei Eliſæus, ito, inquit, dic ei convaliturum; quam-
vis oſtenderit mihi Jehova eum moriturum. 11. Deinde vultum in eum *conſtanter* con-
verſum habuit, donec pudore ſuffunderetur, & in lacrimas prorupit vir divinus. 12. Cha-
zaël verò, quare, inquit, dominus meus flet? Quia, inquit *Eliſæus*, intelligo ma-
lum, quo Iſraëlitas affecturus es. Munitis eorum locis ignem ſubjicies, juvenes eorum
ferro interimes, infantes eorum allides, ac prægnantes diſſecabis. 13. At Chazaël,
quis verò eſt, inquit, ſervus tuus, *niſi* canis, ut rem hanc magnum perficiat? *Ibi* Eli-
ſæus, oſtendit, mihi Jehova, te fore Regem Aramæorum.
14. Cùm verò diſceſſiſſet ab Eliſæo, venit ad dominum ſuum, qui ei, quid tibi, in-
quit, dixit Eliſæus? Dixit mihi, inquit, fore ut convaleſcas. 15. Poſtero verò die,
ſum-

mere; ut mirum ſit tantam penuriam in Hebræorum agris eſſe potuiſſe, ut etiam familia locuples neceſſe habuerit ſolum propterea vertere.

3. *Exactis ſeptem annis*] *A fine ſeptem annorum.*

Quo imploraret auxilium &c.] *Ut clamaret ad Regem.*

Ut recuperaret] אל ביתה ואל שדה *ad domum ſuam & ad agrum ſuum.* In vſ. ſequente, pro אל *el* eſt על *hal.*

4. *Cum Gechazi*] Qui ſi leproſus erat, ut videtur, ex certa diſtantia Regem alloqui poterat.

6. *Eunuchum*] סריס *ſaris. Eunuchum* vertunt Veteres, quos ſequuti ſumus; quamvis Aulicum, aut Purpuratum quemvis, integris membris, ſignificare queat. Vide ad Gen. XXXVII, 36.

Cura reſtitui &c.] השיב *fac redire.* Fortè deſerta prædia fiſco addicta fuerant, fortè à propinquis occupata.

7. *Iviſſet Eliſæus Damaſcum*] Fortè vitandæ famis causâ, fortè à Deo miſſus.

Huc uſque venit vir divinus] Rarum hoc, ſine dubio, fuit; ideóque quaſi rem miram Ben-hadado narrant. Nec ſanè ſolebant Hebræi, niſi urgente gravi neceſſitate, ad populos vicinos ſe conferre. *Virum* autem *divinum* hic κατ' ἐξοχὴν Syri Eliſæum vocant, quia nemo ei par eo tempore erat.

8. *Chazaëli*] De quo 1. Reg. XIX, 15.

Mentem Jehovæ] *Jehovam.* Quamvis alios Deos haberent Ethnici, nihil tamen vetabat eos Jehovam Deum agnoſcere; quia neſciebant Deum, qui eo nomine ab Hebræis vocabatur, conſortem non pati.

Meo nomine] Hoc ſuppleri debuit, aut ſequentia tertiâ perſonâ exprimi debuerunt: *an convaleſcet Rex Syriæ?* Vide & vſ. ſeqq.

9. *Quidquid præſtantiſſimum*] *Omne bonum.*

Quadraginta camelorum] Regium planè munus, ſed & fortè cum Eliſæo erant *filii* multi *Prophetarum*, quibus victum ab Eliſæo ſuppeditari oportere putabat. Alioquin homini pauperi, nec divitias omnino ſectanti nimium vel quatuor camelorum onus fuiſſe videretur.

Filius tuus] Si Rex præſens adfuiſſet, nomine *Patris* Regem ſalutaſſet. Vide Cap. VI, 21.

10. *Convaliturum* &c.] *Vivendo vives*; hoc eſt, lethalis non eſt hic morbus, per ſe; nec re ipſa mortuus eſt eo morbo Ben-hadadus.

11. *Vultum ſuum*] *Fecit ſtare vultum ſuum & poſuit donec puderet.*

12. *Munitis eorum locis ignem ſubjicies*] *Munita loca eorum mittes in ignem.*

Infantes eorum allides &c.] Ejuſmodi crudelia facinora, apud Orientales præſertim, antiquioribus temporibus perpetrabantur in bello; à quibus factis abhorruerunt poſtea excultiores Gentes. Vide Pſ. CXXXVII, 9. Sic & apud Græcos fiebat, Heroicis temporibus, nam Aſtyanactem, Hectoris filium puerum, è turri præcipitem dejectum à Græcis narrant fabulæ, ſeu antiquiſſimæ famæ reliquiæ.

13. *Niſi canis*] Contemtim ita de ſe loquitur, ut David 1. Sam. XXIV, 15.

14. *Fore ut convaleſcas*] *Vivendo vives.*

ſumſit ſtragulam veſtem, quam in aquam immerſit, expanditque in vultum Ben-hadadi, qui mortuus eſt; ejúſque loco regnavit Chazaël.

16. Anno quinto Jorami, Achabi filii, Regis Iſraëlis, cùm Joſaphatus Rex Judæ *etiamnum ſuperſtes eſſet*, tegnare cœpit Joramus Rex Judæ, Joſaphati filius. 17. Triginta duos annos natus erat, cùm regnare inciperet, & octo quidem annis Jeroſolimæ regnavit. 18. Sequutus eſt autem veſtigia Regum Iſraëlis, quemadmodum fecerat Achabi familia, quia uxorem duxerat Achabi filiam, fecitque quod Jehovæ diſplicet. 19. Noluit tamen Jehova perdere Judam, propter Davidem ſervum ſuum; prout ei prædixerat, fore ut filiis ejus in perpetuum lucernam daret. 20. Tempore Jorami, defecerunt Idumæi à ditione Judæ, Regémque ſibi conſtituerunt. 21. Se contulit quidem Joramus Sehirem, omnéſque cum eo currus fuerunt, & cùm de nocte ſurrexiſſet, concîdit Idumæos circumquaque & *præſertim* duces curruum, fugitque populus in tentoria ſua. 22. Defecerunt *tamen* Idumæi à ditione Judæ, *& in defectione ſua*, uſque ad hodiernum diem, *manſerunt*. Eodem etiam tempore defecit *urbs* Libna. 23. Ceteræ autem res geſtæ Jorami, & quæcumque fecit, annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ? 24. Obdormiit verò Joramus cum Majoribus ſuis, in urbe Davidis, regnavitque ejus loco Achazja filius ejus.

25. Anno duodecimo Jorami, Achabi filii, Regis Iſraëlis, regnare cœpit Achazja Jorami, Regis Judæ, filius. 26 Natus erat Achazja viginti duos annos, cùm regnare inciperet, & per annum unum regnavit Jeroſolimæ. Nomen matri ejus fuit Hathaliæ, quæ fuit filia Homris, Regis Iſraëlis 27. Ingreſſus eſt viam familiæ Achabi, fecitque quæ diſplicent Jehovæ, inſtar familiæ Achabi, quia adfinis ejus familiæ fuit.

28. Profectus eſt etiam cum Joramo, Achabi filio, ad bellum cum Chazaële Rege Aramæorum *gerendum*, ad Ramothas Galahaditidis; verùm Aramæi Joramum vulnerarunt. 29. Reverſus verò eſt Joramus Jizrehelem, ut curarentur vulnera, quæ acceperat ab Aramæis ad Ramam, cùm pugnaret cum Chazaële, Aramæorum Rege. Achazja etiam, filius Jorami, Rex Judæ, profectus eſt ut viſeret Joramum, Achabi filium, quia ægrotabat.

IX. Je-

15. *Stragulam veſtem*] מכבר *machber*. LXX. Intt. τὸ μαχβὰρ. Vulg. *ſtragulam*, hoc eſt, craſſiorem veſtem villis caprarum conſtantem.

Quam in aquam immerſit] Ut hominem faciliùs ſuffocaret, ne vi interemtus videretur. Amabatur enim Ben-hadadus à populo Damaſceno, à quo in Deorum numerum eſt relatus; ſi *Joſepho*, in hac hiſtoria, credimus, qui & Chazaëlem pariter cultum fuiſſe docet. Ea de re, non eſt hîc agendi locus.

16. *Anno quinto* &c.] Vide ad tabulas Chronologicas.

Jorami] Hîc ſcribitur & in ſequentibus ירם *Joram*, contractè pro יהורם *Jehoram*, ut antea.

Cùm Joſaphatus, Rex Judæ, etiamnum ſuperſtes eſſet] Eſt tantùm ויהושפט מלך יהודה *& Joſaphat Rex Judæ*, ſed ſupplendum עוד חי *hod hhai*, adhuc erat in vivis, aut ſimile quidpiam. Si cum Scriptore libri *Seder Holam* ſuppleas מת *meth*, mortuus erat, tota invertitur Chronologia.

18. *Sequutus eſt veſtigia*] *Ivit in via.*

Uxorem duxerat Achabi filiam] *Filia Achabi erat ei in uxorem.*

19. *Lucernam daret*] Hoc eſt, ſuperſtitem aliquem, qui, ne genus Davidis exſtingueretur, impediret. Vide 1. Reg. XI, 36.

20. *Defecerunt Idumæi*] *Defecit Edom de ſub manu Judæ.*

Regemque ſibi conſtituerunt] Nam antea Præfecto Regis Judæ parebant. Vide 1. Reg. XXII, 48.

21. *Et præſertim*] Addidi *præſertim*, quia & hi erant Idumæi.

22. *Uſque ad hodiernum diem*] Hæc primùm ſcripta ſunt, ſtante regno Judæ; nam deſtructo eo regno, nemo poteſt dicere, Idumæos etiamnum Judæ Regibus non parere. Itaque Scriptor hujus libri ea verba ex antiquiore Scriptore hauſerit.

22. *Libna*] Fuit in Tribu Judæ, ut videmus Joſ. XV, 42. & quidem urbs Sacerdotalis, ut docemur ejuſdem Libri Cap. XXI, 13. *Euſebius* de hac urbe: κώμη νῦν ἐστιν ἐν Ἐλευθεροπολίτῃ λεγομένη Λοβανά. *nunc eſt villa in regione Eleutheropolitana, quæ appellatur Lobana.* Vide & Par. XXI, 10, 11.

26. *Viginti duos annos*] Vide ad 2. Paralip. XXII, 2.

Filia fuit Homris] Hoc eſt, neptis, erat enim filia Achabi, ut habemus vſ. 18. qui Achabus erat Homris filius.

27. *Adfinis ejus familiæ*] חתן *hhathan*. Hæc verba: *quia adfinis ejus familiæ fuit*, omiſſa ſunt in Codd. LXX. Intt.

29. *Achazja* &c.] Hæc dicuntur hîc propter ſequentia.

In Ca-

IX. Jehuus unctus à Propheta regnum Iſraëlis invadit, Joramum occidit, cadavérque ejus projicit, & Achazjam Judæ Regem vulnerat, qui Megiddone moritur. Tum Izebelam è feneſtra præcipitem dejici jubet, cadavérque ejus exponi, quod eſt à canibus maxima ex parte abſumtum.

1. ELISÆUS autem Propheta vocato uni è filiis Prophetarum, accinge, inquit, CAPUT
lumbos tuos, & ſume hanc lecythum olei in manum tuam. Tum ito Ramothas IX.
Galahaditidis, 2. cúmque eò veneris, viſito illic Jehuum, filium Joſaphati, fi-
lii Nimſis, cum convenito, ſeorsímque à fratribus ſeducito, & intromittito ex uno
conclavi in aliud. 3. *Ibi* verò ſumtam olei lecythum in caput ejus effundito, additis
hiſce verbis: ſic dixit Jehova; unxi te in Regem Iſraëlis. Deinde aperto oſtio, fugam
capeſſito, neque exſpecta. 4. Abiit ergo adoleſcens, Prophetæ miniſter, Ramothas
Galahaditis, 5. cúmque eò veniſſet, en *vidit* duces copiarum ſedentes, &, eſt, in-
quit, mihi, ô Dux, quod tibi dicam. Jehuus verò, cuinam, inquit, ex omnibus no-
bis? Tibi, ait ille, ô Dux. 6. Surrexit ergo ille & ingreſſus eſt domum, adfuditque
Prophetæ miniſter capiti ejus oleum, eique, ſic dixit, inquit, Jehova Deus Iſraëlis: te
unxi Regem populi Jehovæ, *Regem* Iſraëlis. 7. Concides autem familiam Achabi,
domini tui, ultionémque ſumam cædis ſervorum meorum Prophetarum, & cædis om-
nium ſervorum Jehovæ, ab Izebela. 8. Peribit tota Achabi familia, excindámque
Achabo meïentem in parietem, & clauſum atque relictum in Iſraële. 9. Familiæ A-
chabi faciam id quod feci familiæ Jerobohami, Nebati filii, & familiæ Bahaſæ, Achijæ
filii. 10. Iſebelam autem vorabunt canes, in agro Jizrehelis, nec erit qui eam ſepeliat.
Dein aperuit oſtium & aufugit.
11. Poſtea Jehuus ad domini ſui miniſtros egreſſus eſt; *quorum nonnemo* ei dixit: ſatíſne
rectè omnia? cur venit inſanus iſte ad te? Ille verò iis, vos, inquit, noviſtis virum & quid
dicat. 12. Falſum eſt, inquiunt illi, rem, quæſumus, nobis indica. Tum ille, ita, inquit,
me alloquutus eſt: ſic dixit Jehova: unxi te Regem in Iſraëlem. 13. Ibi verò feſtinanter
quiſ-

In Caput IX.

1. L*Ecythum olei*] פך *phach.* LXX. Intt. τὸν φακόν, & Latinus, *lenticulam.* Vaſculum lenticulari formâ factum interpretantur, quod abſonum non eſt; ſed mirum vocem Hebraïcam פך ſignificare etiam vaſculum ejuſmodi, cùm *lens* non dicatur פך *phach.*

2. *Viſito illic*] *Et vide.*

Seorſim ſeducito] *Fac ſtare eum è medio fratrum ſuorum*; hoc eſt, aliorum ducum qui illic cum eo erant.

Ex uno conclavi in aliud] חדר בחדר *hheder bhheder.* Quam loquutionem habuimus antea 1. Reg. XX, 30. XXII, 25. LXX. Intt. incommodè verterunt, εἰς τὸ ταμεῖον ἐν ταμιείῳ, melius Vulgatus: *in interius cubiculum*; quod, nempe, ingredi nemo poteſt, niſi per aliud tranſeat.

3. *Unxi te*] Jam olim Elias juſſus erat hoc facere, ſed res dilata videtur. Vide 1. Reg. XIX, 16.

Neque exſpecta] Ne, nimirum, caperetur ab iis, qui familiæ Achabi etiamnum fidi erant.

8. *Meientem in parietem* &c.] Hoc eſt, omnes ejus poſteros ac conſanguineos. Vide not. ad 1. Sam. XXV, 22.

9. *Familiæ Achabi faciam* &c.] *Dabo*, aut *ponam domum Achabi*, *ut* &c.

10. *In agro Jizrehelis*] בחלק יזרעאל *bhhelek Jizrehel.* Eſt 1. Reg. XXI, 23. unâ litterâ minus בחל bhhel, *in pomœrio.* Sed hæc non pugnant, nam pomœrium urbis eſt etiam ager urbis.

Nec erit qui eam ſepeliat.] Fruſtra juſſit Jehuus eam ſepeliri. Vide vſ. 34.

11. *Satiſne rectè omnia*] השלום *an pax.* Quærebant, nimirum, an ille, qui Jehuum alloquutus fuerat, nullius calamitatis nuncius veniſſet.

Inſanus] המשגע *hammeſchaggah.* Ita loquuntur de miniſtro Prophetæ, quòd veſte & facie compoſitus non videretur, ut ſolebant vulgò Iſraëlitæ. Cultus Prophetarum erat aſperior, & vultus etiam triſtior, præſertim ſi quid triſtius, nomine Dei, nunciaturi venirent.

Noſtis virum & quid dicat] ידעתם את האיש ואת שיחו. Videtur hæc eſſe formula proverbialis, quâ ſignificabant eos, qui homines noſſent, poſſe etiam facilè conjicere quos ſermones habere ſolerent; ut ſi quis dicat: qualis eſt vir, tales ejus ſermones.

12. *Falſum eſt*] Hoc eſt, inſanos ſermones tecum habuiſſe. Suſpicati enim ſunt neſcio quid divinitus revelatum ab homine illo allatum fuiſſe.

13. *Ibi verò feſtinanter* &c.] *Et feſtinarunt & tulerunt quiſque* &c. Intellexerunt, nempe, jam tempus adveniſſe, quo impleri oportebat vaticinium Eliæ, contra domum Achabi. Sed non videntur hæc ita capienda, quaſi non habuiſſent inter ſe longiores ſermones, quàm qui hîc narrantur. Res ejuſmodi tanto conſenſu non fit è veſtigio, ſine ulla conſiliorum communicatione. Sed hîc res compendioſè narratur, lectoriſque eſt ſupplere quæ deſunt.

quiſque ſumſit veſtem ſuam, ſuppoſuitque ei in faſtigio graduum. Tubâ deinceps ceci-
nerunt, & dixerunt: regnare cœpit Jehuus.
14. *Sic* conſpiravit Jehuus, filius Joſaphati, Nimſis filii, in Joramum. Joramus autem
antea Ramothis Galahaditidis obſervaverat, cum toto Iſraële, Chazaëlem, Aramæorum
Regem. 15. Verùm *illinc* reverſus erat Rex Joramus, ut curaretur Jizrehele à vulneri-
bus, quibus eum ſauciarant Aramæi, cùm pugnaret cum Chazaële Aramæorum Rege.
Dixit verò Jehuus *ſuis:* ſi *ita* eſt animus veſter, ne egrediatur quiſquam, qui evadat ex
hac urbe, ut rem eat nunciatum Jizrehelem. 16. Tum conſcenſo equo, Jehuus ivit Jizre-
helem, quia illic decumbebat Joramus, & Achazja quidem Rex Judæ eum inviſerat.
17. Interea ſtabat ſpeculator, in turre Jizrehelis, qui vidit turmam Jehui, cùm veni-
ret, dixitque: turmam video. Tum Joramus, ſume, inquit, equitem, eúmque mitte ei
obviam, & quærat an pacata *veniat?* 18. Ivit ergo obviam illi eques, &, ſic Rex dixit,
inquit, num pacatus *venis?* Jehuus verò, quid tibi, inquit, cum pace? circumito à
tergo meo. *Rem* verò renunciavit ſpeculator his verbis: pervenit ad eos nuncius, ſed
non revertitur. 19. Miſit *ergo Rex* alterum equitem, qui ad eos venit, &, ſic, inquit,
dixit Rex, an pacatus *venis?* Quid verò tibi, inquit Jehuus, cum pace, circumito à
tergo meo. 20. Nunciavit iterum ſpeculator *quod viderat*, &, nuncius, inquit, ad eos
pervenit, ſed non revertitur. Eſt autem inceſſus ſicut inceſſus Jehui, Nimſis nepotis;
nam celeriter incedere ſolet.
21. Jehoramus verò *auriga*, junge, inquit, *currum.* Is autem currum ejus junxit, egreſ-
ſique ſunt Jehoramus Rex Iſraëlis & Achazja, Rex Judæ, ſinguli in ſuis currubus, ob-
viám-

Suppoſuitque ei] Sic ſolebant in ejuſmodi ſollemnioribus Regum actionibus. Vide Matth. XXI, 8. & quæ illic habent Intt.

In faſtigio graduum] אל גרם המעלות *el gerem hammahaloth.* LXX. Intt. ἐπὶ τὸ γαρὶμ τῶν ἀναβαθμῶν. Vulgatus, *in ſimilitudinem tribunalis.* גרם *gerem* quidem Hebraicè eſt *os.* Sed quæ pars graduum, & cur ita dicta fuerit, non conſtat. Conjecerunt viri docti ſummam graduum partem ſignificari, ex qua Jehuus à toto populo cerni poterat, & quæ veſtibus ducum, qui aderant, tecta fuerit ei inſtar ſolii. Nec melius quidquam hactenus inveniri potuit.

Tubâ cecinerunt] Quod ſolebat fieri, cùm in ſollemnioribus aliis feſtis, tum in Regum inauguratione. Vide 1. Reg. I, 32.

Regnare cœpit] *Regnavit.*

14. *Obſervaverat*] היה שמר *fuerat ſervans*, ut conſiliis Syrorum adverſaretur, illic cum exercitu conſederat, circumſpiciens quid eſſent illic aggreſſuri. LXX. Intt. ἐφύλασσεν ἐν Ῥαμμώθ. Vulgatus: *obſederat Ramoth.* Quod non ferunt Hebraïca verba.

Chazaëlem] מפני חזאל mipphene Chazaël, *à facie Chazaëlis.* Quæ verba ſignificant Iſraëlitas ſibi à Chazaële timuiſſe.

15. *Si ita eſt animus veſter*] Si animus vobis eſt me Regem verè conſtituere.

Nunciatum] Eſt לגיד in textu, ſed rectè Maſſorethæ viderunt legendum להגיד *lehaggid.* Hinc & ex multis aliis locis, intelligere eſt Maſſorethas ad antiquum quemdam Codicum textum, ſine mutatione ulla, etiam exſcriptis mendis manifeſtis, compoſuiſſe.

16. *Conſcenſo equo*] *Et vectus eſt Jehu, & abiit* &c.

17. *Stabat ſpeculator*] הצפה hatſopheh. Sic ſolebant habere in locis editis ſpeculatores, ne ſubito incurſu opprimerentur, præſertim tempore belli. Vide 2. Sam. XIII, 34. XVIII, 24.

Turmam Jehui] שפעת יהוא *ſchiphhath Jehoa.* Vox שפעה multitudinem, ſeu copiam rei, de qua agitur, ſignificat. Hic ubi ſermo eſt de equitibus, *turmam* vertimus, quod ſignificat Ezech. XXVI, 10. Radix, apud Chaldæos, perinde eſt ac *abundare.* LXX. Intt. κονιορτὸν ex conjectura. Vulgatus, *globum.*

An pacata veniat] השלום, *an pax.*

18. *Quid tibi cum pace?*] Nihil intereſt tuâ ſcire, pacatóne veniam, an hoſtili animo.

Circumito à tergo meo] סב אל אחרי *circumito ad poſteriora mea*, hoc eſt, ad extremum agmen ito & me ſequitor.

20. *Nepotis*] בן *ben*, filii. Vide vſ. 2.

Celeriter incedere ſolet] בשגעון ינהג bſchiggahon jinhag, *in inſania ducet.* Sed *inſania* pro celeritate, cum qua conjuncta eſſe ſolet, ſumitur. Futurum verò ſignificat conſuetudinem. Vulgatus ideò vertit, *præceps graditur.* LXX. Intt. obſcurè & incommodè ἐν παραλλαγῇ ἐγίνετο. Celeritas autem hæc tanta erat, quanta poterat eſſe copiarum ad prælium, ſi opus eſſet, paratarum.

21. *Junge currum*] אסר eſor, *liga*; nempe, equos currui. Cœpit enim ſibi nonnihil timere à copiis equeſtribus, quas viderat ſpeculator, cùm equites ad eas miſſi non redirent.

In prædio Nabothæ] Non procul à Regia, nam prædium illud factum erat hortus olerum Regiæ. Eſt hic בחלקת נבות *bhhelkath Naboth*, ut antea בחלק *bhhelek.*

22. *Num pacatus*] *An pax.*

Quid pax?] Non eſt quod pacem exſpectes, cùm mater tua leges omnes Hebræorum conculcet.

Cùm tot ſint &c.] *Adhuc fornicationes matris tuæ Izebelæ, & incantationes ejus multæ.*

Fornicationes] זנונים *znonnim*, quæ videntur de idololatria intelligi, pro Hebræorum conſuetudine.

Incantationes] Quæ non minùs illicitæ erant, quàm idololatria. Vide Levit. XIX, 26, 31.

23. *Convertit manus ſuas*] Currum convertere voluit, ut aufugeret.

24. *Arrepto arcu*] *Implevit manum ſuam in arcu & vulneravit.*

Egreſſa eſt ex ejus corde] Tranſadegit cor.

25. *Equitantibus conjunctim*] רכבים צמדים *ro-*

viámque iverunt Jehuo, quem invenerunt in prædio Nabothæ Jizrehelitæ. 22. Cùm verò vidiſſet Jehoramus Jehuum, num pacatus, inquit, *venis*, ô Jehue? Ille verò, quid pax? inquit, cùm tot ſint fornicationes & incantationes matris tuæ Izebelæ? 23. Convertit verò manus ſuas Jehoramus, fugitque, & Achazjæ, fraus hîc eſt, inquit, ô Achazja. 24. At Jehuus arrepto arcu, vulneravit Jehoramum, inter brachia, egreſſáque eſt ſagitta ex ejus corde. Quare in currum ſuum pronus concidit. 25. Deinde Bidkari tribuno, tolle, inquit, *hunc* ac projicito in prædium agri Nabothæ Jizrehelitæ; memento enim, me & te equitantibus conjunctim, poſt hujus patrem Achabum, Jehovam contra eum hanc ſententiam protuliſſe. 26. Annon cædem Nabothæ & filiorum ejus vidi heri? inquit Jehova; reddam *hæc* tibi, in hocce prædio, inquit Jehova. Hunc ergo tolle & projice in prædium, prout dixit Jehova.

27. Cùm *hæc* vidiſſet Achazja Rex Judæ, aufugit per viam domûs horti. At ſequutus eum eſt Jehuus & dixit: hunc quoque vulnerate in curru ſuo; *quod factum* in clivo Guris, ad Jiblehamum. Fugit tamen Megiddonem, atque illic mortuus eſt. 28. Inde eum ſervi ejus Jeroſolimam vexerunt, ſepulcróque ejus condiderunt, cum Majoribus, in urbe Davidis. 29. Anno undecimo Jorami, Achabi filii, regnare cœperat Achazja in Judam.

30. Cùm veniret Jehuus, Jizrehelem, audivit *hoc* Izebela, cúmque fucum oculis ſuis impoſuiſſet, & ornaſſet caput ſuum, per feneſtram deſpexit. 31. Jehuo verò portam ingreſſo, dixit: an incolumis fuit, Zimris, domini ſui interfector? 32. Ille verò ſublato vultu ad feneſtram, quis, inquit, mecum *facit*? quis? Reſpexerunt verò illum

rochebim tſemadim, *equitantes paria*, hoc eſt, cùm par equitum conſtitueremus.

Hanc ſententiam protuliſſe] נשא את המשא הזה *naſcha eth bammaſſcha bazze*; tulit hoc onus. Accuratè cùm de radice נשא *naſcha*, tum de derivato משא *maſſcha* egit *Joan. Cocceius* in Lexico, nec uſquam fortè alibi tam accuratam eorum interpretationem invenire licet. Oſtendit hanc eſſe inter alias ſignificationem radicis, ut ſit perinde ac *proferre* verba quædam; unde משא eſt *quod profertur*, ut admonitio, objurgatio, ſententia, quemadmodum hoc in loco. Vide & Hoſ. VIII, 10. Proverb. XXXI, 1. & Zach. IX, 1. LXX. Intt. habent hîc: ἔλαβεν ἐπ' αὐτὸν τὸ λῆμμα τῦτ. Vulgatus: *onus hoc levavit ſuper eum.* Quæ ſunt duræ & incommodæ interpretationes, quibus tamen meliores plerique Recentiorum non edidere.

26. *Annon cædem* &c.] אם לא *ſi non ſanguines Nabothæ & ſanguines filiorum ejus* &c. Si hæc ſunt ipſa verba Eliæ, Dei nomine loquentis, ſententia tantùm eorum relata fuerit 1. Reg. XXI, 19. Sin minùs, hîc erit ſententia verborum, alibi ipſa verba. Loco 1. Regum, ubi narratur Nabothæ cædes, non tantum nulla mentio fit filiorum ejus, ſed res ita deſcribitur, ut ſatis liqueat calumniam in ſolum Nabotham fuiſſe inventam. Itaque ſi unà cum patre filii interierunt, factum hoc oportuit, quòd judicio in patrem prolato adverſati ſint, aut alia de cauſa nobis ignota. Ac ſanè ſæpe Scriptores prætereunt ſuo loco quod poſtea aliud agentes memorant. Sed mavult *H. Grotius* intelligi paupertatem, in quam fuerint redacti filii Nabothæ, quòd דם *ſanguis* dicatur quævis pœna, apud Hebræos, ut Levit. XVII, 1. At exemplum hoc non probat quod vult vir ſummus, ut inſpecto eo loco liquebit. Crediderim potiùs Jehuum exaggerare hîc facinus Achabi & patri filios addere, quod morte patris bonorúmque ejus ereptione periiſſe cenſerentur.

Hunc ergo tolle] Redditum eſt filio quod patri debebatur, eò quod filius delictum patris probaverit, nec injuriam Nabothæ, ejúſque familiæ, per calumniam, illatam, quatenus potuit, reſarciverit.

27. *Cùm hæc vidiſſet* &c.] *Et vidit Achazja Rex Judæ & fugit* &c.

Hunc quoque vulnerate] Ne avunculi mortem ulciſci adgrederetur.

Quod factum eſt in clivo] Supplevimus, *quod factum eſt*, quia verba, *in clivo Guris* &c. ſunt verba Hiſtorici Sacri, oſtendentis quo loco vulneratus ſit Achazja, non Jehui.

Ad Jiblehamum] Urbs fuit in dimidia Tribu Manaſſæ, ad occaſum Jordanis. Vide Joſ. XVII, 11.

Megiddonem] Megiddo urbs fuit in eodem tractu, ut ex eodem Joſuæ loco, aliiſque conſtat.

30. *Fucum oculis ſuis* &c.] ותשם בפוך עיניה *& poſuerat in fuco oculos ſuos.* LXX. Intt. ἐστιμμίσατο, aut ἐστιβίσατο τοὺς ὀφθαλμοὺς, & Vulgatus: *depinxit oculos ſuos ſtibio.* Nempe, comminuto in tenuiſſimum pulverem antimonio ſupercilia ſua pingebant. Qua de re multis egit *Job. Ludolphus* ad Hiſt. *Æthiop.* Lib. I. cap. VII. n 51. quem vide, ut & *Hug. Grotium* ad hunc locum. Non crediderim tum demum Izebelam oculos fucaſſe & caput ornaſſe, cùm vidit occiſum filium; ſed dum hoc fieret, occupatam in ſe ſe comenda fuiſſe, & ornatam ex feneſtra deſpexiſſe.

31. *An incolumis fuit Zimris*] *An pax Zimri.* Zimrin ad mortem adegerat Homris ſocer Izebelæ. 1. Reg. XVI, 18. Videtur impotentis ingenii mulier, præ deſperatione, eò adducta fuiſſe, ut Jehuo factum exprobraret. Alioqui nihil pacati ab eo exſpectare potuit.

32. *Quis mecum facit*] מי אתי *mi itthi*, quis mecum? Hoc eſt, quis eſt in Regia, qui mihi faveat? Norat, Rege occiſo, non defuturos qui ſibi faverent, aut metu, aut ut ipſum demererentur, imperatáque facere parati eſſent.

Reſpexerunt] Hoc eſt, è feneſtris paratos ſe exſequi quod imperarat oſtenderunt. Vile hominum genus paratum ſemper erat iis ſervire, qui ſuperiores erant.

illum duo, *aut* tres Eunuchi. 33· Quibus dixit: præcipitem eam dejicite. Tum mu-
lierem præcipitem dejecerunt, ſanguinéque ejus paries & equi adſperſi ſunt. Dein eam
conculcavit. 34· Ingreſſus verò Regiam, comedit & bibit, ac *ſuis*, viſite quæſo, in-
quit, maledictam illam, eámque ſepelite, quia fuit filia Regis. 35· Iverunt ergo, ut
eam ſepelirent, nec quidquam ejus invenerunt, præter calvariam, pedes & manus.
36· Reverſi rem ei renunciarunt; &, hoc eſt, inquit, verbum Jehovæ, quod protulit per
ſervum ſuum Eliam Thisbitam, in hanc ſententiam: in prædio Jizrehelis, canes carnem
Izebelæ vorabunt, 37· eritque cadaver Izebelæ, inſtar ſtercoris in agris, in prædio
Jizrehelis, ita ut dicturi non ſint hanc eſſe Izebelam.

X. Achabi familiam & amicos trucidat Jehuus, ut & conſanguineos Achazjæ, in quos incidit. Amicitiam cum Jonadabo contrahit, Babaliſque Sacerdotes, dolo coactos, occidit. Ceteroqui Jeroboami Idololatriam imitatur, ſucceſſorémque mortuus relinquit Joaſum filium.

CAPUT X. 1· CUm Achabo eſſent ſeptuaginta filii Samariæ, ſcripſit Jehuus litteras, Sama-
riámque miſit ad principes Jizrehelis, ſeniores & nutritios Achabi, his verbis.
2· Statim ac pervenerint hæ litteræ ad vos, cùm apud vos ſint filii domini veſ-
tri, currúſque & equi, cúmque urbs ſit munita & armis *inſtructa*; 3· videatis quinam è
filiis domini veſtri optimus ſit ac juſtiſſimus, eúmque imponatis ſolio patris ſuis, ac
pro familia domini veſtri bellum geratis. 4· Illi verò maximo terrore adfecti, en, in-
quiunt, duo Reges coram illo conſiſtere non potuerunt; quomodo ergo nos conſiſte-
remus? 5· Miſerunt ergo qui domui *regiæ* præerat, & qui urbi, ſenioréſque & nu-
tritii ad Jehuum, qui dicerent, *ipſorum nomine:* ſervi tui ſumus, quidquid nobis dixe-
ris faciemus, nullum Regem conſtituemus, fac quod tibi videbitur.

6· Quam-

31· *Conculcavit*] Equorum ungulis, quos per ejus cadaver admiſit.

34· *Fuit filia Regis*] Ethbahalis Sidoniorum Regis 1. Reg. XVI, 31.

35· *Præter calvariam*] Canes hoſce oportet & multos fuiſſe & vehementi fame, non ſine divina providentia, percitos, qui tam brevi tempore cadaver Izebelæ abſumſerint.

Manus] *Volas manuum.*

16· *Hoc eſt, inquit, verbum Jehovæ*] Jam recordatus eſt minarum in Izebelam prolatarum, quarum fermè oblitus antea fuerat, cùm juſſerat Izebelam ſepeliri.

17· *Eritque cadaver Izebelæ* &c.] Hæc non habentur 1. Reg. XXI. dicta tamen videntur ab Elia. Vide ad vſ. 26.

Hanc eſſe Izebelam] Hoc eſt, jacere alicubi cadaver Izebelæ, cùm diſcerptum eſſet à canibus, nec quidquam ejus, præter oſſa nonnulla, ſupereſſet.

In CAPUT X.

1· SEptuaginta filii] בנים *banim.* Liberi quidem utriuſque ſexûs eâ voce ſignificantur, ſed maſculi hîc intelliguntur; quibus ſi aliquot fuerunt ſorores, ingens & fertile Gynæceum fuit Achabo.

Ad principes Jizrehelis] Mirum eſt cur principes Jizrehelis eſſent Samariæ, cùm Joramus Rex ſubitò Jizrehele oppreſſus fuiſſet. Ideò LXX Intt. videntur ſuſpicati hîc mendum eſſe, habent enim πρὸς τοὺς ἄρχοντας Σαμαρείας, & Vulgatus: *optimates civitatis.* Sed יזרעאל *Jizrehel*, שמרון *Schomron*, & העיר *hahir*, nimium differunt. Si quid mutandum eſſet, pro יזרעאל *Jizrehel*, legerem ישראל *Jiſchraël*, intelligerémque totius Iſraëlitici regni præſides, qui ſub Joramo erant.

Verùm potuit fieri ut dum convivaretur Jehuus, aufugiſſent Samariam principes Jizrehelitarum; ad quos ſcripſerit Jehuus, quia eorum patriam jam obtinebat.

Nutritios Achabi] האמנים אחאב *haomenim Achab.* Status abſolutus, pro conſtructo. Intelliguntur ii qui præerant educationi liberorum Achabi, האמנים את בני אחאב, *alentes filios Achabi.*

2· *Statim ac pervenerint*] *Et nunc cùm venerit Epiſtola hæc.*

3· *Optimus ſit ac juſtiſſimus*] *An bonus & an rectus è filiis* &c.

4· *Maximo terrore*] *Et timuerunt valde & dixerunt* &c.

Conſiſtere non potuerunt] Reſiſtere non potuerunt.

5· *Quod tibi videbitur*] *Bonum in oculis tuis.*

6· *Primores urbis*] גדולי העיר *magni urbis*, hoc eſt, divites, ac primores urbis.

7· *Comprehenderunt* &c.] Mirum eſſet ne unum quidem elapſum, niſi ſatis conſtaret Orientales populos, ut ſuperioribus ſerviliter erant ſubjecti: ita in infirmiores fuiſſe perfidos ac crudeles.

9· *Vos, ſcilicet, innocentes eſtis* &c.] *Juſti vos.* Ironicè hæc dicuntur à Jehuo, ut ſequentia oſtendunt. Sic autem loquitur, ut oſtendat ſibi ſoli non eſſe exprobrandum quod in Achabi familiam rebellaſſet, cùm primores ipſi Iſraëlitarum omnes ejus filios interemiſſent.

At ego &c.] *Ecce ego.*

10· *In terram caſurum*] Metaphora nota, de promiſſis, aut minis non impletis, ducta à telis quæ fruſtra *cadunt in terram*, cum ſcopum non ferierunt.

11· *Occidit etiam Jehuus* &c.] Quaſi ut impleret vaticinium Eliæ, ſed reverâ ut ſecuriùs

regna-

6. Quamobrem alteras eis litteras ſcripſit, in hæc verba: Si mei, ſique mihi dicto audientes eſtis, ſumite capita filiorum domini veſtri & ad me venite, cras hoc tempore, Jizrehelem. Filii autem Regis ſeptuaginta viri erant, apud primores urbis, qui eos educabant. 7. Cùm verò ad eos hæ perveniſſent litteræ, comprehenderunt filios Regis, trucidaruntque ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis ac miſerunt ad eum Jizrehelem. 8. Venit ergo nuncius, qui ei *rem* nunciavit his verbis: attulerunt capita filiorum Regis. Ille verò, ponite ea, inquit, in duos acervos, ad portæ introitum, ad matutinum uſque tempus. 9. Manè autem egreſſus illic conſtitit, & toti populo, vos *ſcilicet*, inquit, innocentes eſtis; at ego conjuravi in dominum meum, eúmque interfeci. Quis tamen hoſce omnes occîdit? 10. Scitote nunc ex verbis Jehovæ *irritum* nihil in terram caſurum, quod in domum Achabi protulerit; Jehova enim fecit quod per ſervum ſuum Eliam prædixerat. 11. Occidit etiam Jehuus omnes, qui ex familia Achabi Jizrehele ſupererant, omnes ejus proceres, notos & amicos, donec nemo ei ſuperſtes maneret.

12. Pòſt ſurrexit, profectúſque eſt Samariam, & erat domi ligationis paſtorum in via, 13. cùm incidit in fratres Achazjæ, Regis Judæ, quibus, quinam eſtis? inquit. Sumus, inquiunt illi, fratres Achazjæ, venimus ad ſalutandos filios Regis, & Reginæ. 14. *Jehuus* verò *ſuis*, comprehendite, inquit, eos vivos, comprehenderúntque eos vivos & trucidarunt ad ciſternam domûs ligationis, cùm eſſent quadraginta duo viri; neque ullum ex iis ſuperſtitem reliquit.

15. Illinc profectus incidit in Jonadabum, Rechabi filium, obviam ei venientem, eúmque ſalutavit & ſic alloquutus eſt: an eſt animus tuus *erga me* rectus, ſicut animus meus eſt erga animum tuum? Eſt, inquit Jonadabus. Si ſit, *ait ille*, da *mihi* manum. Manum *Jonadabus* dedit, eúmque *Jehuus* currum *ſuum* conſcendere juſſit. 16. Tum veni, inquit, mecum & vide zelum meum erga Jehovam; hominémque curru ſuo

regnaret, occiſis omnibus qui familiæ Achabi favere poterant.

Amicos] וכהניו *vechobanau*. Vide not. ad 2. Sam. VIII, 18. ubi ſic vocantur filii ipſius Regis.

12. *Domi ligationis*] בית עקד *beth beked*. LXX. βαιθακάθ, aut βαιθακάδ. Vulg. *cameram paſtorum*. Quid eſſent non conſtat. De hoc loco ſic *Euſebius*: Βαιθακὰθ τῆς Σαμαρείας, ἔνθα ἦλθεν Ἰού. κώμη ἀπέχουσα τῆς Λεγεῶνος σημείοις ιε΄. ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ. Ἀκύλας, οἶκος κάμψεως. Σύμμαχος οἶκος ἰδίων. Interprete Hieronymo, BETHACAD, *vicus Samariæ, ad quem venit Jehu Rex Iſraël, qui in latiſſimo campo ſitus non ampliùs quindecim millibus à Legionis oppido ſeparatur; pro quo Aquila interpretatur* domus curvantium. *Symmachus* domum ſingulorum, *eo quòd anguſtus & humilis introitus ſingulos tantùm & nec ipſos ſtantes ingredi ſuſtineret.* Conjecit *Jac. Bonfrerius*, ad hæc verba, *Aquilam*, mutatâ unâ litterulâ, legiſſe בית-עקל *Beth-akal*, quod ſignificat, ut ait, *domum obliquationis, incurvationis.* Qua in re fallitur, nam Radix עקד *bakad* ſignificat, apud Chaldæos, *flexit genua, procubuit honoris causâ*, quæ actio Græce κάμψις dicitur. Credibilior eſt altera ejuſdem conjectura, quâ opinatur *Symmachum* legiſſe בית-אחד *Beth-achad, domum unius* vel *ſingulorum*. Sed inanis eſt interpretatio *Hieronymi*, qui utriuſque ſententiam conjungere nititur, cùm unà conſiſtere nequeant.

13. *Fratres Achazjæ* &c] Cognatos fortè & fratres aliquot propriè dictos, qui Jeroſolimâ profecti erant, antequàm eò nuncii, de morte Regum Iſraëlis & Judæ, adveniſſent.

Ad ſalutandos filios &c.] לשלום *ad pacem filiorum regis* &c. Salutatio ſolita erat שלום לך *ſchalom lcha*, ſit tibi pax. Inde *venire ad pacem*, & *ſalutandi causâ* venire perinde eſt. Sic interpretatur Vulgatus: *ad ſalutandos filios Regis* &c.

Reginæ] הגבירה *baggebirah*. Fortè Izebela ſignificatur. Aliis ex uxoribus liberos ſuſtulerat Achabus, quare diſtinguuntur *filii Regis* à *filiis Reginæ*.

14. *Trucidarunt* &c.] Quòd amici, & adfines eſſent familiæ Achabi, ac proinde ei fortè timendi. Nam eò uſque non pertinebat vaticinium Eliæ, quod ſatis impletum fuiſſet, ſi quidquid fuit conſanguineorum, adfinium, & amicorum ei familiæ, in regno decem Tribuum, occideretur. Sed homo crudelis prætexebat ſuæ tyrannidi ac crudelitati vaticinium Eliæ.

15. *Jonadabum Rechabi filium*] Unde orti Rechabitæ illi, quorum mentio fit apud Jeremiam Cap. XXXV.

Salutavit & ſic alloquutus eſt] *Benedixit ei & dixit ei.* Cùm hîc Jonadabus Nomadum ritu viveret, abſtineretque à vino, ut liquet ex Jeremia, ſingulari vitæ inſtituto omnibus notus fuiſſe videtur. Fortè etiam auctoritatem ſibi, apud plebem, eâ ratione nactus erat. Quare Jehuus eum ſibi conciliare voluit, blandâ ſalutatione.

An eſt animus tuus erga me rectus] היש את לבבך ישר *hajeſch eth lbabecha jaſchar.* Τὸ את videtur indicare aliquid omiſſum ut *, ut legamus אתי *itthi*, mecum, aut erga me; niſi malimus legere את לבבי *eth lbabi*, quæ vox omiſſa fuerit propter ſequentem, quia LXX. Intt. habent: εἰ ἔστι καρδία σου μετὰ καρδίας μου εὐθεῖα. Vulgatus omiſit, cùm verterit: *numquid eſt cor tuum rectum* &c. Sententia eſt: *an benevolo erga me es animo: ut ego erga te?*

Da mihi manum] *Da manum tuam.* Fidei, nempe, hoc fuit apud pleraſque gentes ſymbolum, quam fallere nefas habebatur.

18. *Je-*

ſuo vexit. 17. Cùm verò perveniſſet Samariam, occidit omnes, qui Achabo Samariæ ſupererant, donec eos deleviſſet; ſecundùm verba Jehovæ, quæ Eliæ dixerat. 18. Convocavit deinde Jehuus univerſum populum, apud quem, coluit quidem, inquit, Achabus nonnihil Bahalem, ſed Jehuus vehementer eum colet. 19. Igitur omnes Prophetas Bahalis, omnes ſervos, ac Sacerdotes ejus vocate ad me, ne ullus deſit; ſollemnia enim Sacra mihi ſunt Bahali ſacienda; nemo, qui abſuerit, vivet. Hæc autem dolo ſaciebat Jehuus, ut Bahalis cultores perderet. 20. Deinde, conſecrate, inquit, feſtum Bahali. Itaque promulgarunt *feſti tempus.* 21. Cúmque miſiſſet Jehuus, per totum Iſraëlem; venerunt omnes Bahalis cultores, neque ullus remanſit, qui non venerit. Tum ingreſſi ſunt ædem Bahalis, quæ iis confertis impleta eſt. 22. *Ibi Jehuus* præfecto veſtiarii, profer, inquit, veſtem ſingulis Bahalis cultoribus. Is verò protulit eis veſtem. 23. Deinde Jehuus & Jonadabus Rechabi filius ingreſſi ſunt Ædem Bahalis, & cultoribus Bahalis, ſcrutamini, inquit *Jehuus*, & videte ne quis ſortè hîc vobiſcum ſit, è cultoribus Jehovæ, ſed ut ſoli ſint cultores Bahalis. 24. Deinde ingreſſi ſunt, ad offerendas victimas, *adolendáque* holocauſta, dum Jehuus foris collocaret octoginta viros, quibus dixit: ſiquis ex hominibus, quos in manus veſtras tradam, evaſerit, illius vitæ loco erit ejus vita, *qui eum evadere ſiverit*. 25. Cùm autem abſolviſſent holocauſtum offerre, tum Jehuus curſoribus & tribunis, ingredimini, inquit, occidite eos, nemo egrediatur. Eos ergo curſores & tribuni ferro trucidarunt, abjecerúntque. Deinde iverunt in urbem, *ubi erat* Ædes Bahalis, 26. eduxerúntque ſtatuas ex Æde, & eam combuſſerunt. 27. Demoliti ergo ſunt ſignum Bahalis, diruerúntque ejus Ædem, & eam in lattinas converterunt, *quæ illic ſunt* ad hunc uſque diem. 28. *Sic* ſuſtulit Jehuus Bahalem ex Iſraële; 29. nec tamen abſtinuit à peccatis Jerobohami, Nebathi filii, qui Iſtaëlem ad peccandum adduxit; à vitulis, *nempe*, aureis, qui erant Bethele & Dane.

30. Dixit verò Jehova Jehuo: quia te tectè geſſiſti, faciendo quod mihi placet, & quidquid erat in animo meo feciſti familiæ Achabi, abnepotes *tui* ſedebunt in ſolio Iſtaë-

15. *Jehuus vehementer* &c.] Lege quidem Moſaïcâ nefas fuit eos, qui Bahali alieniſve aliis Diis ſacra feciſſent, vivere; ſed non licebat fraude, & fide illis datâ eos fallere, ut fecit Jehuus. Videtur homo crudelis & ambitioſus Bahalis Sacerdotes, quos Izebela magno in pretio habuerat, crediſiſſe factioni ejus favere, infenſóſque ſibi futuros, quòd eam, proſapiámque ejus occidiſſet.

19. *Sollemnia ſacra*] *Magnum ſacrificium.*

20. *Promulgarunt*] יקראו *vocarunt*, nempe, עצרה hatſarah, *feſtum.*

21. *Iis confertis impleta eſt*] *Et impleta eſt domus Bahalis, ore ad os*, hoc eſt, ita ut aliis alii vicini eſſent, quaſi *ore ad os converſo* colloquuturi. Aut פה *pheh* hîc *angulum* ſonat, ita ut intelligamus *ab angulo ad angulum.* Vide infra XXI, 16. & Eſa. IX, 12.

22. *Præfecto veſtiarii*] לאשר על המלתחה *ei qui ſuper veſtiario.* Hoc ſolo loco exſtat vox מלתחה *meltahhah*, nec ſignificatio ulla occurrit huic adfinis, niſi in Lingua Æthiopica, in qua אלתחה elthahhe *veſtem byſſinam* ſignificat. Veſtes autem ei dari juſſit, ut fidem faceret omnibus nullam fraudem ſubeſſe, allicerétque omnes, ſi qui adhuc laterent.

23. *Jonadabus* &c.] Qui conſcius rei erat, nec eſt hoc in negotio laudandus; nemo enim, per humanitatis ſpeciem, falli jure poteſt.

Ne quis fortè hic vobiſcum] Cùm omnes interficere cuperet, vereretúrque ne quis curioſitatis causâ, aut ut veſtem haberet, à cultu Bahalis alioquin alienus, irrepſiſſet, voluit diligenter in omnes inquiri, ne eum cum Bahalis cultoribus occideret.

24. *Illius vitæ loco* &c.] *Anima pro ejus anima* נפשו תחת נפשו. Vide 1. Reg. XX, 39.

25. *Cùm abſolviſſent*] ככלותו *cum abſolviſſet*, nempe, unuſquiſque.

Urbem ubi erat Ædes Bahalis] עיר בית בעל *hir beth-bahal*; fortè oppidulum in vicinia quod ſic vocabatur, quia erat in eo fanum Bahalis: quemadmodum vulgò ſolitum fieri oſtendunt vel nomina multarum urbium Ægypti, à nominibus Deorum, qui in illis colebantur, deducta, *Latopolis*, *Panopolis*, *Aphroditopolis*, *Heracleopolis*, *Hermopolis*, *Apollonopolis* &c.

27. *In latrinas*] למחראות *lmahharaoth.* Pro quo volunt legi Maſſorethæ למוצאות *lmotſaoth*, quod eorum tempore honeſtius fuit.

29. *A vitulis, nempe, aureis*] Nimirum, colendis, aut potiùs Deo Iſraëlis, ſub imagine vitulorum.

30. *Quod mihi placet*] *Rectum in oculis meis.*

Et quidquid erat &c.] *Secundùm omnia quæ in corde meo.* Hæc non ſunt ita intelligenda, quaſi Deus per omnia probaſſet quod fecerat Jehuus, qui ceteroquin animo minimè religioſo erat, ut ex cultu vitulorum ſatis liquet. Sed hoc probat Deus, quòd Achabi familiam exſtinxiſſet, prout prædixerat Elias; quamvis alio animo hoc feciſſet, quàm decuiſſet hominem Dei timentem.

Abnepotes tui] *Quarti* (רבעים rbihim) *ſedebunt tibi*; hoc eſt, quartæ ætatis homines. Vide Cap. XV, 8.

31. *Non dedit operam ut ſequeretur*] *Non ſervavit ad eundum in lege Jehovæ* &c.

32. *Minuere Iſraëlem*] לקצות בישראל *ad amputandum in Iſraële.*

Per univerſos fines] *In omni termino Iſraëlis.*

33. *Ab Harobere* &c.] In tota ora, quam Iſraëlitæ

Digitized by Google

Iſraëlis. 31. Sed Jehuus non dedit operam, ut ſequeretur legem Jehovæ Dei Iſraëlis, toto
animo ſuo; neque receſſit à peccatis Jerobohami, qui Iſraëlem ad peccandum adduxit.
32. Temporibus illis, cœpit Jehova minuere Iſraëlem, & concidit eum Chazaël, per
univerſos fines, 33. à Jordane ad ortum ſolis, per omnem tractum Galahaditidis, Ga-
ditarum, Rubenitarum, & Manaſſitarum ab Harohere, quæ eſt ad torrentem Arno-
nem, ad Galahaditidem, & Baſanitidem. 34. Reliquæ autem res geſtæ Jehui, quid-
quid fecit, & fortia omnia ejus facta annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Re-
gum Iſraëlis? 35. Obdormiit tandem Jehuus, cum Majoribus ſuis, ſepeliêruntque
eum Samariæ, & ejus loco regnavit filius ejus Jehoachazus. 36. Tempus autem, quo
regnavit Jehuus in Iſraëlem, Samariæ, fuit viginti octo annorum.

XI. Mortuo Achazjâ Rege Judæ, Hathalia prolem omnem regiam exſtinguere conatur, verùm ei eripitur Joaſus, qui à Jehojada, Pontifice Maximo, in ſolium, occiſâ Hathaliâ, reſtituitur.

1. HATHALIA mater Achazjæ, poſtquàm mortuum eſſe filium vidit, ſurrexit, CAPUT XI.
& omnem ſtirpem regiam trucidavit; 2. ſed Jehoſeba, filia Jorami Regis,
Achazjæ ſoror, abſtulit Joaſum Achazjæ filium, rapuitque eum è media *tur-
ba* filiorum Regis interfectorum, unà cum ejus nutrice, in cubiculo lectorum; abdi-
derúntque eum, ne ab Hathalia cerneretur, nec interfectus eſt. 3. Fuit autem cum
illa, in Æde Jehovæ, per ſex annos abditus, dum Hathalia terræ imperaret. 4. An-
no verò ſeptimo, accerſivit Jehojada Centuriones, Duces & Curſores, eóſque in Æ-
dem Jehovæ ad ſe intromiſſos, icto cum eis fœdere, ſacramento adegit, in Æ-
de Jehovæ, atque eis filium Regis oſtendit. 5. Deinde mandata eis dedit, his
verbis: hoc eſt, quod facietis. Tertia pars veſtrûm munus inchoabit Sabba-
tho, & excubias aget, apud Regiam; 6. tertia pars erit ad januam Suris; ter-
tia pars ad januam, quæ eſt poſt Curſores, & cuſtodietis domum tranſlationis.
7. Duæ

litæ ad ortum Jordanis incolebant, cujus fines meridiani fuerunt ad Haroherem, boreales in Baſanitide.

34. *Fortia ejus facta*] *Et omnis fortitudo ejus.*

36. *Tempus autem*] *Et dies.*

In CAPUT XI.

1. O*Mnem ſtirpem repiam*] *Omne ſemen regni.* Quod non difficile fuit, cùm jam quadraginta viri ex fratribus Achazjæ fuiſſent à Jehuo interfecti. Vide Cap. X, 13, 14. *Semen* enim *regni* hîc ſignificat aut prolem Jorami, aut liberos Achazjæ. Non videtur alioqui defeciſſe omnis proſapia Davidis ejúſque ſucceſſorum quinque, ante Joramum, Salomonis, Robohami, Abijami, Aſæ & Joſaphati, cùm præſertim multas uxores habuiſſent. Sed *ſemen regni* habebatur filius præcipuæ uxoris, quæ dicebatur הגבירה *baggebirah*, ſeu Regina. Ad alios non videtur regnum devolutum, præſertim ſi ex ſuperioribus Regibus eſſent oriundi.

2. *Filia Jorami Regis*] At non ex Hathalia, quæ paſſa non fuiſſet filiam ſuam nubere Pontifici Maximo.

E media turba &c.] מתוך בני המלך הממותים *è medio filiorum Regis occiſorum*, aut *occidendorum.* Rectè legunt Maſſorethæ in margine המומתים *bammoumathim.*

In cubiculo lectorum] Ubi liberi infantes Regum cubabant.

- *Ne ab Hathalia cerneretur*] *A facie Hathaliæ.*

4. *Accerſivit*] *Miſit & ſumſit.*

Centuriones &c.] Duces copiarum Jorami & Achazjæ, quos ſine dubio tyrannis mulieris peregrinæ offendebat.

Duces & Curſores] לכרי ולרצים *laccbari velaratſim.* Τὸ ל refertur ad שלח *miſit.* LXX. Intt. habent ἑκατοντάρχους τ̃ Χοῤῥὶ καὶ τ̃ Ῥασὶμ. Vulg. *milites.* Chaldæus: גבריא gibbaraja, *viros fortes.* Neſcio quid hîc corruptum eſſe videtur, in vocula כרי *chari.* Vide & infra ad vſ. 19. Legendum ſaltem eſſet כרים *charim.*

5. *Munus inchoabit die Sabbathi*] באי השבת ושומרי משמרת *ingredientes Sabbathi & cuſtodientes cuſtodiam.* Videntur prætoriani milites Regum Judæ, non aliter ac Levitæ in Templo, per integram hebdomadem, excubias egiſſe ad Regiam, & die quidem Sabbathi munere fungi cœpiſſe, eodémque die, ut habemus vſ. 7. ſequente hebdomade munere, ut quieſcerent, abiiſſe.

6. *Ad januam Suris*] בשער סור *beſchahar Sour.* Vulgò volunt hanc fuiſſe unam è januis Templi, quæ 2. Par. XXIII, 5. dicitur שער היסוד *janua fundamenti*, & quidem orientalem. Sed obſcura eſt hæc narratio, ut non facilè intelligamus utrum de Regia agatur, an verò de Templo.

Ad januam quæ eſt poſt curſores] Satis conſtat curſores fuiſſe regios ſatellites, de quibus vide ad 1. Reg. XIV, 17. Ideoque videtur hîc ſermo eſſe de janua quapiam Regiæ.

Cuſtodietis domum tranſlationis] *Cuſtodietis cuſtodiam domûs* מסח *maſſach.* Omiſſa eſt hæc vox à LXX. Intt. *Hieronymus* verò habet *Meſſa.* Hoc unum conſtat, eſſe hanc vocem à radice נסח *naſabh* tranſtulit. Sed quid ſit ignotum eſt. Crediderim Scriptorem Sacrum hîc, omiſſis Levitarum ſtationibus, memorare tantùm prætorianorum militum ſtationes, contrà quàm fit 2. Par. XXIII, 4. ubi ſermo eſt de Levitarum ſtationibus tantum.

7. *Duæ*

7. Duæ partes veſtrûm, qui omnes exitis *munere* die Sabbathi, agetis excubias in Æde
Jehovæ, apud Regem. 8. Cingetis Regem circumquaque, quiſque arma ſua manu
geret; quiſquis ingredietur ordines *veſtros* interficietur, aderitiſque Regi, cùm exibit,
& cùm intrabit. 9. Fecerunt Centuriones, per omnia, prout juſſerat eos Jehojada Sa-
cerdos, & quiſque adſumſit viros quibus præerat inchoantes *munus* Sabbatho, cum iis
qui *functione ejus* Sabbatho egrediebantur, ac ſe ſe ad Jehojadam Sacerdotem contule-
runt. 10. Is Centuriones inſtruxit lanceis & ſcutis, quæ fuerant Regis Davidis, & quæ
in Æde Jehovæ erant. 11. Steterunt interea Curſores, manibus arma geſtantes, à la-
tere Ædis dextro ad ſiniſtrum, ad altare, & Ædem, & apud Regem circumqua-
que. 12. Dein produxit *Jehojada* filium Regis, impoſuitque ei coronam & inſignia *re-
gia*. Tum conſtituerunt eum Regem, unxerunt, comploſiſque manibus dixerunt: vi-
vat Rex.

13. Hathalia verò, audito ſtrepitu populi concurrentis, ingreſſa eſt ad populum, in
Ædem Jehovæ, 14. proſpexitque Regem ſtantem ad columnam, pro more, ducéſque
& tubas apud Regem, ac univerſum terræ populum lætantem & canentem tubâ. *Ibi*
verò, laceratis veſtibus exclamavit: conſpiratio. 15. Tum mandata dedit Jehojada Sa-
cerdos Centurionibus, qui copiis præerant, &, educite, inquit, eam extra ordines,
& ſi quis eam ſequatur, eum gladio interficite. Dixerat enim Sacerdos: ne interficia-
tur in Æde Jehovæ. 16. Itaque cùm ei injeciſſent manus, ingreſſa eſt viam introïtûs
equorum domûs regiæ, atque illic interfecta eſt. 17. Deinde Jehojada fœdus fecit in-
ter Jehovam & Regem, ac populum, ut eſſet populus Jehovæ; itémque inter Regem
& populum. 18. Poſtea univerſus terræ populus ingreſſus eſt Ædem Bahalis, diruit
eam cum aris ejus, perfregitque ejus ſigna. Tum Matthanem Sacerdotem ejus ante
aras occidit, ſacerdóſque *Johajada* reſtituit claſſes *ſacerdotales* Ædi Jehovæ. 19. Ad-
ſumtis etiam Centurionibus, Ducibúſque & Curſoribus, ac univerſo terræ populo, de-
duxerunt Regem ex Æde Jehovæ; ingreſſique ſunt viam januæ Curſorum Regiæ, ac
ſedit Rex in throno Regum. 20. Lætatus verò eſt univerſus terræ populus, úrbſque,
occisâ ad regiam gladio Hathaliâ, conquievit. 21. Septem annorum erat Joaſus, cùm
regnare inciperet.

XII. Joa-

7. *Duæ partes veſtrûm*] *In vobis, omnes exeuntes Sabbathi.*

Agetis excubias] *Cuſtodietis cuſtodiam.*

In Æde Jehovæ &c.] Ad ea conclavia, in quibus Rex hactenus adſervatus eſt, ne quâ vis, juſſu Hathaliæ, ei inferatur.

8. *Ordines veſtros*] שדרות *ſchderoth.* LXX. εἰς τὰς σαδηρὼθ, Vulg. *ſeptum templi.* Sed meliùs recentiores de ordinibus militaribus intelligunt, quos invitis militibus nemo impune perrumpere potuit.

10. *Lanceis*] *Et dedit lanceam & ſcuta.*

11. *A latere dextro* &c.] Juxta latitudinem Templi à meridie, ad ſeptemtrionem, ne ex ullo loco ad Regem quiſquam perrumpere poſſet.

12. *Coronam*] Eſt הנזר *hannezer*, quod Vulgatus vertit *Diadema.* LXX. habent νεζέρ.

Inſignia regia] עדות *hedouth*, teſtimonium.

Comploſiſque manibus dixerunt] *Et percuſſerunt volam & dixerunt* &c.

13. *Populi currentis*] הרצין העם *haratſin haham.* Terminatio eſt Chaldaïca, pro Hebraïca.

14. *Ad columnam*] Ad columnam ad quam ſolebant ſtare Reges; in atrio, nempe Iſraëlis, ubi ex atrio Sacerdotum, & ex atrio mulierum cerni poterant. Quid ſentiant hac de re Rabbini pluribus expoſuit vir eruditus *Camp. Vitringa*, in Operis de Synag. Vetere Proleg. Cap. IV.

Laceratis veſtibus &c.] *Et laceravit veſtes.* Ut in calamitate publica.

15. *Extra ordines*] Vide ad vſ. 8.

Si quis eam ſequatur] Quaſi eam adjuturus.

17. *Fœdus fecit*] Quæſivit, nempe, à populo duarum Tribuum, quæ Jeroſolimitanis Regibus parebant, annon vellent colere Deum Majorum ſuorum, populúmque ejus haberi; quod cùm adfirmaſſent, omnis generis beneficia iis nomine Dei promiſit, Sacráque Deo fecit. Vide Exod. XXIV.

Inter Regem & populum] Quo Regi ſe fore dicto audientem, quemadmodum fuerat Majoribus ejus, promiſit.

18. *Perfregit ejus ſigna*] *Imagines ejus fregerunt bene.*

Claſſes ſacerdotales] Quas olim inſtituerat David. Vide 1. Par. XXIV.

19. *Ducibuſque & curſoribus*] ואת הכרי ואת הרצים *veeth hacchari veeth haratſim.* LXX. Intt. habent: καὶ τὸ Χορρὶ καὶ τὸ Ῥασὶμ, quaſi eſſent nomina propria. Vulgatus videtur crediſſe hîc eſſe aliquid mendoſum, cùm habeat: *& Cerethi & Phelethi legiones*, quaſi legendum eſſet pro ואת כרי *veeth chari* ואת כרתי *& Cherethi*, addendúmque ואת פלתי *& Phelethi.* Ac ſanè hi erant, à tempore Davidis, veluti prætoriani milites Jeroſolimitanorum Regum. Vide 2. Sam. VIII, 18. Chaldæus habet: גבריא *gibbaraja*, viros fortes.

Deduxerunt] *Deſcendere fecerunt.*

20. *Urbſque occisâ* &c.] *Et urbs quievit & Hathaliam occiderunt in gladio.*

Digitized by Google

XII. Joaſus puer, ex conſilio Jehojadæ, Rempublicam adminiſtrat, pecunias colligit ad inſtaurationem Templi, idque inſtaurat. A Chazaële Syriæ Rege obſeſſus, auro omni ſacro ei tradito, liberatur, ac ſuorum conjuratione perit.

1. ANno Jehui ſeptimo, regnare cœpit Joaſus, & quadraginta quidem annis reg- Caput
navit Jeroſolimæ. Nomen matri ejus *erat* Tſibiæ, Beerſebenſi. 2. Fecit Joaſus XII.
quod gratum eſt Jehovæ, toto tempore quo eum Jehojada Sacerdos inſtiruit.
3. Loca dumtaxat excelſa amota non ſunt, ſed in iis populus etiamnum mactabat vic-
timas, & ſuffitum offerebat. 4. Dixit verò Joaſus Sacerdotibus: omnem pecuniam re-
rum conſecrararum, quæ infertur in Ædem Jehovæ, pecuniam tranſeuntium, pecuniam
animarum, *pro cujuſque* æſtimatione, omnem denique pecuniam, quam cuivis animus
feret inferre in Ædem Jehovæ, 5. ſument ſibi Sacerdotes, quiſque à notis; inſtaura-
búntque ruinas Ædis, ubicumque invenientur ruinæ. 6. Verùm anno vigeſimo tertio
regni Joaſi, nondum ruinas Ædis inſtaurarant Sacerdotes. 7. Itaque vocavit Rex Je-
hojadam Sacerdotem, *reliquóſque* Sacerdotes, quibus, cur ruïnas, inquit, Ædis non
ſarcitis? Ne ergo à notis pecuniam accipiatis, quaſi eam ad *inſtaurandas* Ædis ruinas
inſumturi. 8. Adſenſerunt Sacerdotes, *promiſerúntque* ſe non accepturos pecuniam à
populo, nec inſtauraturos ruinas Ædis.
9. Sumſit deinde Jehojada Sacerdos arcam unam, foraménque fecit, in ejus oper-
culo, & poſuit eam juxta altare, ad dextram, quà quivis Ædem Jehovæ ingredieba-
tur; atque illic Sacerdotes, liminis cuſtodes, omnem pecuniam, quæ inferebatur in
Ædem Jehovæ depoſuerunt. 10. Cùm autem viderent ſat multam eſſe in arca pecu-
niam, veniebant Scriba regius & Pontifex Maximus, claudebántque *ſaccis* & numera-
bant pecuniam, quæ in Æde Jehovæ inventa fuerat. 11. Tum pecuniam paratam tra-
debant in manum operariorum, præfectorum domûs Jehovæ, qui promebant eam fa-
bris lignariis & lapidariis, qui Ædem Jehovæ inſtaurabant, 12. cæmentariis, & iis qui
cædebant lapides, ad comparanda ligna, & lapides cæſos, quibus ſarcirentur ruinæ
Ædis

In Caput XII.

2. Q*Uod gratum eſt Jehovæ*] *Rectum in oculis Jehovæ.*

Toto tempore] *Omnibus diebus.*

3. *Loco dumtaxat excelſo* &c.] Hæc paſſi etiam erant ſuperiores Reges, quia qui illic Sacra faciebant vero Deo Sacra ſe facere profitebantur.

4. *Quæ infertur in Ædem Jehovæ*] יבוא *jouba*. Hoc eſt, quæ inferri ſolet; nam ex 2. Par. XXIV, 5. collectam hanc per Tribus Judæ & Benjaminis pecuniam à Sacerdotibus liquet.

Pecuniam tranſeuntium] כסף עובר איש *cheſeph hober iſch*. Hæc ſunt obſcura, & fortè in mendo cubant. LXX. Int. habent: ἀργύριον συντιμήσεως, ἀνὴρ &c. Vulgatus: *quæ illata fuerit à prætereuntibus*. Videtur ſignificari pecunia, quam Templum ingreſſi tranſeundo in ciſtas conjiciebant. Vide Deſcriptionem Templi *Joan. Lightfootii* Cap. XIX.

Pecuniam animarum] Pretium, nempe, redemtionis eorum, qui Deo voti fuerant, ut docemur Levit. XXVII, 2. & ſeqq.

Quam cuivis animus feret &c.] *Quæ adſcenderit in cor cujuſvis.*

5. *Sument ſibi ſacerdotes* &c.] Quia ſub Hathalia nemo quidquam Templo conſecrarat, ne avaritiæ mulieris prædam objiceret.

6. *Nondum ruinas Ædis*] Nefandum hoc fuit ſacrilegium, quo avari Sacerdotes conſecratam pecuniam intervertebant, & in uſus ſuos abſumebant. Non facilè credendum ejuſmodi hominibus, quibus utile eſt fallere, nec fraudis ulla timenda pœna.

7. *Vocavit Rex*] *Et vocavit Rex Jehoaſch.*

Quaſi eam ad inſtaurandas &c.] *Quia ad ruinam Ædis tradituri eam eſtis.*

8. *Se non accepturos* &c.] Sed pecuniam, quam antea acceperant, per viginti tres annos, non reſtituerunt.

9. *Sumſit deinde Jehojada*] Juſſus à Rege, ut docemur 2. Par. XXIV, 8. Pontificis Maximi aut non fuerat ſat magna auctoritas, ut rationem pecuniæ ſacræ à Sacerdotibus repeteret; aut nimia negligentia, ſi quod poterat facere prætermiſit incuriâ.

Juxta altare ad dextram] In Atrio, nempe, Iſraëlis, aut ita in atrio Sacerdotum collocatam, ut ex Atrio Iſraëlis in eam collata ſtips injici poſſet.

Liminis cuſtodes] Qui oſtium Atrii Sacerdotum ſervabant.

10. *Claudebant ſaccis*] ויצרו *jatſouron* colligarunt; nimirum, in ſaccis. Rectè LXX. Intt. ἔσφιγξαν, malè Vulgatus *effundebant*, quæ non eſt vocis ſignificatio, ſed rei deſcriptio. Pecuniam enim primùm effuderunt ex arca in ſaccos, dein eam numerarunt aliò tranſlatam, atque ex ſaccis depromtam.

11. *Operariorum præfectorum*] עשי המלאכה המפקדים בית יהוה *facientium opificium præfectorum* (ſubaudiendum על) *domui*, aut *domûs Jehovæ*. Intelliguntur fabri quidem, ſed qui ceteris minoris peritiæ præfecti eſſent, & toti labori præeſſent.

Fabris lignariis & lapidariis] *Fabris ligni & ædificantibus facientibus Ædem Jehovæ.*

12. *Cæmentariis*] לגדרים *luggoderim*, iis, nempe, quorum munus erat facere גדרים gderim, *ſepta*, aut *parietes*.

Ædis Jehovæ, & omnia quæ expendebantur, ad inſtaurandam Ædem Jehovæ. 13. Ve-
rùm non fiebant Ædi Jehovæ ſcyphi argentei, pſalteria, pelves, tubæ, vaſáve *ulla* au-
rea, vel argentea, ex pecunia, quæ Ædi Jehovæ illata fuerat. 14. Operariis enim
eam dabant, eáque inſtaurabant Ædem Jehovæ. 15. Nec ratio exigebatur à viris, in
quorum manus tradebatur pecunia, ut *eam* darent operariis; rem enim cum fide admi-
niſtrabant. 16. Pretium tamen victimarum pro noxa, aut pretium victimarum pro pec-
cato non intromittebantur in Ædem Jehovæ, ſed Sacerdotum erant.

17. Poſtea expeditionem ſuſcepit Chazaël, Aramæorum Rex, oppugnavitque Ga-
thum & id cœpit. *Inde* Chazaël convertit vultum, ut iret contra Jeroſolimam. 18. Sed
Joaſus, Rex Judæ, cepit quæcumque conſecraverant Joſaphatus, Joramus & Achazja
Majores ejus, Reges Judæ, quidquid ipſe conſecraverat, quidquid denique inventum
eſt auri, in theſauris Ædis Jehovæ & regiæ, miſitque ad Chazaelem Aramæorum Re-
gem, iſque à Jeroſolima diſceſſit. 19. Reliquæ res geſtæ Joaſi & quæcumque fecit,
annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ? 20. Conſurrexerunt denique in
eum ſervi ejus & conjuratione factâ, occiderunt eum domi Millonis, ad Sillam deſcen-
dentem. 21. Jozachar Simhathæ filius, & Jozabad, Someri filius, ejus ſervi, vulne-
rarunt eum & mortuus eſt. Tum in urbe Davidis, cum Majoribus ſuis, ſepultus eſt, &
ejus loco Amatſja, filius ejus regnavit.

XIII. Joachaſus, Jehui filius Idololatra, regnat in Iſraële, vincitúrque à Syris, è quorum manibus ægrè elabitur. Ei mortuo ſuccedit Joaſus filius, patre non melior. Cùm tamen Eliſæum ægrum inviſiſſet, prædictionem victoriarum de Syris reportandarum ab eo accipit. Moritur Eliſæus, oſſáque ejus mortui excitant hominem in ejus ſepulcrum ſubitò conjectum. Joaſus vincit Syros.

CAPUT XIII. 1. ANNO vigeſimo tertio Joaſi, Achazjæ filii, Regis Judæ, regnare cœpit Jehoa-
chazus, Jehui filius, in Iſraëlem, Samariæ, *& regnavit quidem* per ſeptemde-
cim annos. 2. Fecit etiam quod diſplicet Jehovæ, ſequutuſque eſt peccata Je-
robohami, Nebati filii, qui ad peccandum Iſraëlem adduxit, neque ab iis abſtinuit.
3. Qua-

Quæ expendebantur] *Quæ exibant ad Ædem, ad eam inſtaurandam.*

13. *Scyphi argentei* &c.] Vaſa ad uſum ſacrorum; fortè quod non eſſet ſat magna pecuniæ ſumma, ut etiam hanc in rem ſufficeret.

15. *Nec ratio exigebatur*] ולא יחשבו *velo jechaſſchebou*, nec calculum inibant cum viris. LXX. Intt. καὶ οὐκ ἐξελογίζοντο τοὺς ἄνδρας. Vulgatus: *non fiebat ratio iis hominibus.*

Rem enim cum fide] *Nam in fide illi faciebant.*

16. *Pretium tamen victimarum* &c.] כסף אשם כסף חטאות *argentum noxæ & argentum peccatorum.* De hiſce victimis egimus ad Levit. V, 16. Cùm victimæ non erant ad manum iis, qui ejuſmodi piacularia Sacra debebant, pecuniam Sacerdotibus numerabant, qui victimas eis ſuppeditabant. Vide Levit. V, 15.

Non intromittebantur &c.] Nequaquam intervertebantur in alienos uſus, qualis fuiſſet inſtauratio Templi; ſed Sacerdotibus numerata ad victimas emendas abſumebantur.

17. *Poſtea expeditionem* &c.] אז יעלה חזאל *az jahaleh Chazael*, tum, aut poſtea adſcendit Chazaël, nam ambigua eſt particula אז *az.*

Gathum] Urbs hæc fuit Philiſthæorum, vicina Daniticis agris, ad occaſum Tribûs Judæ. Itaque ut Rex Syriæ Damaſcenæ eam oppugnatum veniret, oportuit eum aut per agros Regni decem Tribuum illuc ſe contuliſſe, aut mari ad oram Philiſthæorum copias advexiſſe; niſi quis malit eum volentibus, aut etiam invitis Phœnicibus, juxta oram maritimam à ſeptemtrione in auſtrum iter feciſſe. Quacumque ratione res intelligatur, potentiſſimum Regem fuiſſe liquet ex hac expeditione.

Convertit vultum ut iret &c.] *Et poſuit Chazaël faciem ad adſcendendum* &c.

18. *Quæcumque conſecraverant*] *Omnes conſecrationes, quas conſecraverant.* Cùm eſſent theſauri ſacri à tot annis in Templum congeſti, mirum videri queat collectam eſſe à populo pecuniam, ut ruinæ ejus ſarcirentur. Sed credibile eſt res conſecratas, quarum hîc fit mentio, vaſa fuiſſe ſacra, quæ vendere, aut in monetam conflare & cudere nolebant; ut ſervarentur in extremæ neceſſitatis caſus, qualis hic erat, ubi ſalus Jeroſolimæ & totius regni agebatur.

20. *Domi Millonis*] Duo ſunt loca, quæ hoc nomine vocantur. Alter fuit pars urbis Jeroſolimitanæ, inter Templum & urbem Davidis, de quo 2. Sam. V, 9. 2. Par. XXXII, 5. Alter verò non procul à Sichima, in agro Ephraimitico, de quo Jud. IX, 6. Sed prior locus hîc ſignificatur, in quo domum etiam Regiam fuiſſe oportet, ubi decumbens Joaſus occiſus fuerit. Vide 2. Par. XXIV, 25.

Ad Sillam deſcendentem] היורד סלא *haijored Silla.* LXX. Intt. in Cod. Romano, τῷ ἐν Σελὰ, in Alexandrino, τὸν καταβαίνοντα Γααλλάδ. Vulgatus: *in deſcenſu Sella.* Locus fuit Jeroſolimæ.

In CA-

3· Quare accenſa eſt ira Jehovæ, in Iſraëlitas, tradiditque eos in manum Chazaëlis,
Aramæorum Regis, & in manum Ben-hadadi, Chazaëlis filii, omni *eorum* tempore.
4· Itaque deprecatus eſt Jehoachazus iram Jehovæ, qui eum exaudivit, quia vidit op-
preſſionem Iſraëlis; nam Aramæorum Rex eum vexabat. 5· Conceſſit Jehova Iſraëli
ſervatorem, ita ut poteſtati Aramæorum ſe ſubtraheret; habitarúntque Iſraëlitæ in ten-
toriis ſuis, quemadmodum antea *ſolebant*. 6· Attamen non abſtinuerunt a peccato fa-
miliæ Jerobohami, quo ad peccandum Iſraëlem adduxit, ſtetitque etiam Samariæ lu-
cus. 7· Nullas autem copias reliquerat Jehoachazo Rex Aramæorum, niſi quinqua-
ginta equites, decem currus & decem millia peditum; *reliquas* enim deleverat, & in-
ſtar pulveris qui conculcatur reddiderat. 8· Reliquæ verò res geſtæ Jehoachazi, quæ-
cumque fecit, & fortia ejus facta, annon in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis ſcrip-
ta ſunt? 9· Obdormiit deinde Jehoachazus, cum Majoribus ſuis, ſepultúſque eſt Sa-
mariæ, & ejus loco regnavit filius ejus Joaſus.

10· Anno trigeſimo ſeptimo Joaſi, Regis Judæ, regnare cœpit Jehoaſus, Jehoachazi
filius, in Iſraëlem, Samariæ, *regnavitque* ſeptemdecim annis. 11· Fecit etiam quod diſ-
plicet Jehovæ, nec abſtinuit ab ullo peccatorum Jerobohami, Nebati filii, qui ad peccan-
dum Iſraëlem adduxit, *ſed* ea ſequutus eſt. 12· Reliquæ autem res geſtæ Joaſi, quæcum-
que fecit, & fortitudo, quâ bellum geſſit cum Amatsja, Rege Judæ, annon ſcripta ſunt
in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis? 13· Obdormiit deinde Joaſus, cum Majoribus ſuis,
in ſolio ejus ſedit Jerobohamus, ſepultúſque eſt Joaſus Samariæ, cum Regibus Iſraëlis.

14· Cùm autem Eliſæus ægrotaret eo morbo, quo mortuus eſt, eum Joaſus, Rex
Iſraëlis, inviſerat, fleverátque in vultum ejus, & dixerat: ô, mi pater, mi pater,
currus Iſraëlis, ejúſque equites! 15· Eliſæus verò illi, ſume, inquit, arcum & ſagit-
tas. *Itaque Rex* ſibi arcum & ſagittas ſumſit. 16· Tum Eliſæus Regi Iſraëlis, impo-
ne, inquit, manum tuam arcui, impoſuitque manum ſuam; Eliſæus verò manus ſuas
manibus Regis impoſuit. 17· *Dein Regi*, aperi, inquit, feneſtram Orientem versùs.
Cum eam aperuiſſet, jaculare, inquit. *Ille* verò jaculatus eſt. *At Eliſæus*, ſagitta, in-
quit, hæc *erit* liberationis Jehovæ, ſagitta liberationis contra Aramæos; concidéſque
Aramæos Aphekæ, donec eos abſumſeris. 18· Poſtea, ſume, inquit, ſagittas. Sum-
ſit ille. Regi verò Iſraëlis *Eliſæus*, percute, inquit, *iis* terram, ac Rex quidem tribus
vicibus eam percuſſit, & ſubſtitit. 19· At excanduit in illum vir divinus, & percutien-
do,

In Caput XIII.

2· Quod diſplicet] *Malum in oculis.*

Ab iis] *Ab eo*, ממנה *mimmennah*, quaſi non חטאות eſſet antea legendum, ſed חַטָּאת in ſingulari, quod videtur melius. LXX. Intt. in Cod. Romano, habent antea ἁμαρτίαις in plurali & poſtea ἀπ' αὐτῆς. Vide vſ. 6.

3· *Omni eorum tempore*] *Omnibus diebus.*

5· *Servatorem*] Liberatorem, qui fuit Jehoachazi filius. Vide vſ. 25.

In tentoriis ſuis] In ædibus ſuis, quas antea deſerere coacti fuerant, ut in munitiora loca ſe conferrent.

Quemadmodum antea] *Sicut heri nudius tertius.*

6· *A peccato*] Eſt quidem מֵחַטֹּאת, ſed quia ſequitur ſingularis numerus, etiam hîc ſingulari uſi ſumus, nec quidquam vetabat ſcribi חַטַּאת, ut & vſ. 2.

7· *Nullas autem copias*] כי לא השאיר ליהואחז עם *quia non reliquit Jehoachazo populum.* Aut τὸ כי *chi* hîc prorſus abundat, aut idem eſt ac *autem.*

Inſtar pulveris] וישמם כעפר לדוש *& poſuit eos ut pulverem ad calcandum.* LXX. Intt. ὡς χοῦν εἰς καταπάτησιν. Vulgatus, *redegerat quaſi pulverem in tritura areæ.* Hoc eſt, adeò attriverat eas copias, ut ad exiguum illum numerum, antea memoratum, eas redegiſſet.

8· *Fortia ejus facta*] *Fortitudo ejus.*

11· *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

Ea ſequutus eſt] *Ivit in eo.*

14· *Fleverátque in vultum ejus*] Dum eum jacentem oſcularetur, lacrimas profuderat.

O mi pater &c.] Verba ſunt ipſius Eliſæi, cùm Elias raperetur. Vide Cap. II, 12.

17· *Orientem versùs* &c.] Quia Syri imperio ſuo ſubdiderant quidquid erat Iſraëlitarum, qui ad Jordanis ortum habitabant. Vide Cap. X, 33.

Sagitta, inquit, hæc erit liberationis] Symbolica hæc fuit actio, quâ Propheta voluit pleniùs & clarius exprimere victoriam, quam Regi Iſraëlis pollicebatur. Vide ad 1. Reg. XI, 30. XXII, 11.

Aphekæ] Vide not. ad C. XX, 30. 1. Reg.

Donec eos abſumſeris] עד כלה *had challeh.* Ambigua eſt hæc loquutio, ſignificatúmque nunc arctiorem, nunc ampliorem obtinet; nam hîc dicitur fore ut Rex Iſraelis Syros ita concideret עד כלה, *donec eos abſumſiſſet*, arctiori ſine dubio ſenſu; at vſ. 19. idem negatur, quòd illic ampliori ſignificatu ſumatur.

19· *Excanduit in illum* &c.] Non immeritò viri docti conjiciunt Prophetam dixiſſe Regi id quod jubebatur nunc facere, terram feriendo, id eſſe Symbolum eorum quæ futura eſſent; ita ut ſæpiùs ac vehementiùs ab eo terram feriri oporteret, ſi vellet ſibi concedi pleniores de Syris victorias. Igitur cum Rex apud animum ſuum potentiam Syriæ Regum reputaret, nec fidem prorſus haberet Eliſæo, ſatis eſſe credidit, ſi ter

do, inquit, quinquies, ant ſexies, concidiſſes Aramæos, donec eos abſumſiſſes; nunc verò ter tantùm eos cædes.

20. Mortuus deinde eſt Eliſæus ac ſepultus, venerúntque in terram *Iſraëlitidem* copiæ prædonum Moabitarum, ſequente anno. 21. Cùm autem quidam ſepelirent virum, viderunt prædonum agmen, projecerúntque eum in ſepulcrum Eliſæi & abierunt. Tactis verò oſſibus Eliſæi, vir ille ad vitam revocatus ſurrexit in pedes ſuos.

22. Chazaël oppreſſerat Iſraëlem, toto tempore Jehoachazi. 23. At Jehova erga *Iſraëlitas* benignus ac miſericordia permotus, homines reſpexit; nec, propter fœdus ſuum cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, delere eos voluit, neque ad hoc uſque tempus è conſpectu ſuo expulit. 24. Mortuus eſt deinde Chazaël, Rex Syrorum, & ejus loco regnavit filius ejus Ben-hadadus. 25. Jehoaſus autem, Jehoachazi filius, recepit è manu Ben-hadadi, Chazaëlis filii, urbes; quas manui Jehoachazi patris ſui, bello eripuerat. Ter eum concidit Joaſus, urbéſque Iſraëlis recuperavit.

XIV. *Amatsja, Rex Judæ, initio bene rem gerit, deinde à Joaſo, Rege Iſraëlis, capitur & malè mulctatur. Joaſo ſuccedit Jerobohamus, qui fines Iſraëlis recuperat, ſucceſſorémque relinquit Zachariam filium. Amatsjæ à conjuratis occiſo ſuccedit Hazarja.*

CAPUT XIV. 1. ANNO ſecundo Joaſi, Joachazi filii, Regis Iſraëlis, regnare cœpit Amatsja, Joaſi filius, Rex Judæ. 2. Viginti quinque annos natus erat, cùm regnare inciperet, & viginti novem annis regnavit Jeroſolimæ. Matri ejus nomen fuit Jehohaddani, fuitque Jeroſolimitana. 3. Fecit quæ placent Jehovæ, attamen non ita

ter feriret terram, veritus nt vaticinium impleretur, ſi plures ictus terræ impingeret. Quamobrem meritò ei Propheta indignatur, quippe Deo & ſibi fidem non habenti, poſt tot edita in Iſraëlitarum gratiam miracula. Alioqui moroſus videretur vir divinus erga Joaſum, ſi hic merâ ignorantiâ deliquiſſet.

Donec eos abſumſiſſet] Vide ad vſ. 17.

20. *Sequente anno*] בא שנה *ba ſchanah*. LXX. Intt. ἐλθόντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, hoc eſt, anno ſequente. Vulgatus verò, *in ipſo anno*, quaſi legiſſet, aut legendum putaſſet בשנה *baſſchanah*, quod melius fortè eſt; nam more Hebræo alioqui dicendum fuit non בא שנה, ſed בשנה הבא *baſſchanah habbah*; & præterea qui ita loquitur ſolet loqui de tempore futuro, quando loquitur, non hiſtoricus qui multis pòſt annis ſcripſit. *Val. Schindlerus* probat verſionem Latinam, ſed vult *Hieronymum* legiſſe בה שנה *bah ſchanah*. Verum hoc Hebræum non eſt. Alii בא שנה interpretantur, *in adventu*, aut *initio anni*, quaſi eſſet pro בבא השנה. Sic Chaldæus: במיעל רשנא *in adventu anni*. Poſſet etiam ſuppleri, aut excidiſſe כ, ut eſſet pro כבא *cùm veniſſet annus*, hoc eſt, anno poſt mortem Eliſæi.

21. *In ſepulcrum Eliſæi*] Quod fortè neſcio qua de cauſa patebat, aut quod aperuerunt; nam Hebræi, nt aliæ omnes Gentes, ſolebant ſepulcra claudere; ut videmus vel ex hiſtoria ſepulturæ Chriſti.

Tactis verò oſſibus] *Et tetigit vir oſſa.* Si hæc propriè intelligantur, oportet hoc cadaver devolutum in ipſum Sarcophagum Eliæ, in quo jam nihil, præter oſſa, ſupererat. Alioqni poſſent intelligi de contactu tantùm ipſius Sarcophagi. Quidquid ſit, ſingulare hoc fuit miraculum, quo, etiam poſt mortem Eliſæi, Deus oſtendit quàm ſibi gratus, acceptúſque fuiſſet is vates. Ideò à Sirachide dicitur Eccleſ. XLVIII, 16. καὶ ἐν κοιμήσει προεφήτευσε τὸ σῶμα αὐτοῦ, *cadaver ejus in ſomno*, id eſt, in morte, *prophetaſſe*. Subdit Sirachides: καὶ ἐν ζωῇ αὐτοῦ ἐποίησε τέρατα, καὶ ἐν τελευτῇ θαυμάσια τὰ ἔργα αὐτοῦ: *in vita ſua fecit prodigia, & in morte mirabilia fuerunt ejus opera.* Qua in re magiſtrum Eliam ſuperavit.

23. *Erga Iſraëlitas benignus*] *Et benignè ſe geſſit Jehova erga illos, & miſertus eſt eorum & ſe convertit ad eos.*

Ad hoc uſque tempus] Hæc ſcripta ſunt, ſtantibus etiamnum Regnis Judæ & Iſraëlis; hoc eſt, ante tempora Ezechiæ, quo regnante, decem Tribus ſunt in captivitatem abductæ.

E conſpectu ſuo] E terra Iſraëlitide, cui præſens ſingulari ratione adeſſe putabatur.

24. *Ben-hadadus*] Cognominis deceſſori patris Chazaëlis. Uterque fuit in Deorum numerum relatus, ut auctor eſt *Joſephus* Libro IX. Ant. Jud. c. 2. Μέχρι νῦν αὐτός τε ὁ Ἄδερ καὶ ὁ Ἀζάηλος ὁ μετ᾽ αὐτὸν ἄρξας ὡς θεοὶ τιμῶνται διὰ τὰς εὐεργεσίας καὶ τῶν ναῶν τὰς οἰκοδομίας, οἷς ἐκόσμησαν τὴν τῶν Δαμασκηνῶν πόλιν. πέμπουσι δ᾽ αὐτοῖς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐπί τε τιμῇ τῶν βασιλέων καὶ σεμνύνονται τὴν τούτων ἀρχαιότητα, οὐκ εἰδότες ὅτι νεώτεροι εἰσί, καὶ οὐκ ἔχουσιν οἱ βασιλεῖς ἔτη χίλια καὶ ἑκατόν. *Ipſe Ader* (pro Adad) & *Azaëlus qui poſt eum regnavit, adhuc coluntur, propter beneficia & ædificationes Templorum, quibus ornarunt Damaſcenorum urbem. Pompas verò illi celebrant quotidie in eorum Regum honorem, & gloriantur propter eorum antiquitatem, ignari eos eſſe recentiores, & ipſos Reges mille & centum annorum antiquitatem non habere.* Potuiſſet etiam recentiores facere, cùm, ex accuratiori calculo, non multùm nongentos annos ſuperaſſent, tempore *Joſephi*. Sed mirum eſt eum mendoſam lectionem LXX. Intt. ſequutum, potiùs quàm textûs Hebræi, cum quo Syrorum etiam conſentiebat ſermo; vocabant enim Deorum illorum alterum Ἄδαδ, ut liquet ex *Macrobio* Saturn. Lib. I. c. 23.

ita ut David progenitor ejus, ſed ſe geſſit prorſus quemadmodum pater ejus Joaſus fecerat. 4. Excelſa non fuerant amota, in iiſque populus Sacra faciebat & ſuffitum offerebat. 5. Cùm verò regnum in ejus manu confirmatum fuiſſet, occidit ſervos ſuos, qui Regem patrem ſuum occiderant. 6. At percuſſorum liberos non occidit, prout ſcriptum eſt in libro Legis Moſis, ubi Jehova *ſic* præcepit his verbis: non afficientur patres morte, propter liberos; neque liberi morte afficientur, propter patres, ſed unuſquiſque, propter peccatum ſuum, morte pœnas dabit.

7. Concîdit decem millia Idumæorum, in valle ſalis, cepitque Selam bello, & nomen ei impoſuit Joktheeli, *quod ei eſt*, ad hunc uſque diem. 8. Deinde Amatsja miſit nuncios ad Joaſum filium Joachazi, filii Jehui, Regem Iſraëlis, qui dicerent ipſius nomine: age, nos coram videamus. 9. Miſit verò Joaſus, Rex Iſraëlis, ad Amatsjam Regem Judæ, qui dicerent: Carduus, qui *erat* in Libano, miſit ad Cedrum quæ *itidem erat* in Libano, qui dicerent *ejus nomine*: colloca filiam tuam filio meo; at tranſierunt feræ, quæ *erant* in Libano, conculcarúntque Carduum. 10. Concîdiſti Idumæos, ideóque extulit te animus tuus; gloria tua fruere, ac mane domi tuæ; cur *me* laceſſeres in perniciem *tuam*, túque & Juda tecum caderetis? 11. Verùm ei non auſcultavit Amatsja, venitque Joaſus Rex Iſraëlis, & ſe coram viderunt ipſe & Amatsja Rex Judæ, Beth-ſemeſi, quod *erat ditionis* Judæ. 12. Cæſus eſt autem Juda, in conſpectu Iſraëlis, & quiſque fugit ad tentoria ſua. 13. Sed Amatsjam Regem Judæ, filium Jehoaſi, filii Achazjæ, cepit Jehoaſus, Rex Iſraëlis, Beth-ſemeſi, venitque Jeroſolimam; cujus mœnia diruit in porta Ephraïmi, uſque ad portam anguli, per quadringentos cubitos. 14. Tum abſtulit omne aurum & argentum & omnia vaſa, quæ inventa ſunt in Æde Jehovæ, & in theſauris regiæ, *abduxitque* obſides & reverſus eſt Samariam. 15. Reliquæ autem res geſtæ Jehoaſi, fortiáque ejus facta, & quomodo cum Amatsja, Rege Judæ, pug-

c. 23. Crediderim etiam potiùs Chazaëlem & filium ejus cultos fuiſſe à Syris, quàm Chazaëlis prædeceſſorem; quòd non ſit veriſimile Benhadadum illum non tantùm magnas clades paſſum in Deorum numerum relatum eſſe, ſed eodem honore & Regem & ejus homicidam cultos fuiſſe.

25. *Recepit*] *Et reverſus eſt & accepit urbes.*

In Caput XIV.

3. Q*Uæ placent*] *Rectum in oculis.*

4. *Excelſa non fuerunt amota*] Vide not. ad 1. Reg. XXII, 44.

In iiſque] *In excelſis.*

6. *Percuſſorum liberos non occidit* &c.] Contra morem impium multorum Regnorum, ubi ſi quis rebellaſſet in Regem, non tantùm ipſe pœnas dabat, ſed & ejus liberi quamlibet cœptorum ejus minimè conſcii & participes. Vide hac de re *Curtium* Lib. VI. c. 11, 20. & ad eum *Joannem Freinshemium.*

Libro legis &c.] Vide Deut. XXIV, 16. & quæ illic notavimus.

7. *In valle ſalis*] בגיא המלח *bge hammelahh.* LXX. Intt. habent in Cod. Romano vitioſè Γεμιλὲθ, in Alexandrino melius Γαιμελά, unde *Euſebius*: Γημελὰ, χώρα Ἐδὼμ, ἐν τῇ βασιλείας φάραγξ ἁλός: interprete Hieronymo: GEMELA, *regio Idumæorum, pro qua Aquila & Symmachus interpretantur* vallem ſalis.

Joktheeli] יקתאל. LXX. Intt. efferunt. Ἰεκθοήλ. Latinus, *Jectheel.* Urbs fuit Tribûs Judæ, ut liquet ex Joſ. XV, 38. quæ illic etiam vocatur יקתאל, & quæ an eadem ſit non ſatis conſtat. Alii putant fuiſſe urbem in deſerta Arabia, quæ cùm סלע *ſelah* Hebraïcè vocetur, quæ vox ſignificat *Petram*, dicta ſit ab Arabibus חגר *hhagar*, quod idem ſonat. De ea vide quæ collegit *Sam. Bochartus* Chanaan. Lib. I. c. 44.

8. *Nos coram videamus*] נתראה פנים *nithraeh phanim*, videamur faciebus. Videtur ſubandiendum אל פנים facie ad faciem. Quæ loquutio propriè ſignificat actionem eorum, qui coram ſe invicem vident; ſed tralaticio ſignificatu denotat, ut ſequentia docent, provocationem ad certamen. Videtur autem hæc provocatio hinc nata quòd Amatsja res ab Iſraëlitis repeteret, nam nonnulli Ephraïmitæ ab ipſo domum remiſſi prædas ex ejus agro egerant, ut liquet ex 2. Par. XXV, 10, 13. nec Joaſus ullam rationem ejus querelarum haberet, quòd copias ſuas injuriâ adfeciſſet.

9. *Carduus* &c.] Apologo, pro orientalium more, de quo vide not. ad Jud. IX, 7. contemtum ſuum erga Regem Judæ teſtatur. Ac ſanè Iſraëlis Reges multò potentiores erant Jeroſolimitanis, qui duabus tantùm Tribubus imperabant.

10. *Concidiſti*] *Percutiendo percuſſiſti.*

Gloria tua fruere] הכבד hicchabed, *gloriare*, vel *glorioſus eſto.* Rectè Vulgatus: *contentus eſto gloria.*

Me laceſſeres in perniciem tuam?] תתגרה ברעה *thithgareh brahah*, laceſſeres in malo. Sic verbum גרה ſumitur Deut. II, 5. & alibi. Poſſet etiam verti reciproco ſenſu: *concitares te in perniciem tuam*; hoc eſt, bellum quæreres tibi noxium. LXX. Intt. ἐρίζεις ἐν κακίᾳ σου. Vulgatus: *provocas malum.*

11. *Se coram viderunt*] Copias utrimque adduxerunt, pugnarúntque.

13. *Venitque*] Sic habet קרי, nempe, ויבא *vajjabo*, ut LXX. Intt. ἦλθεν, ſed כתיב legit ויבאו *vajjaboon*, in plurali. Neutrum eſt abſurdum, ſed prius commodius eſt.

In porta Ephraïmi &c.] Quâ Jeroſolima Regnum Iſraëlis ſpectabat, ne poſthac defendi in Reges Iſraëlis poſſet.

14. *Obſides*] בני התערבות *filios arrhabonum*, hoc eſt, obſides, ut rectè Vulgatus. Malè LXX. Intt. υἱοὺς τῶν συμμίξεων.

15. *Qui*

pugnarit, annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis? 16. Obdormiit Jehoaſus cum Majoribus ſuis, ſepultúſque eſt Samariæ, cum Regibus Iſraëlis, & ejus loco regnavit filius ejus Jerobohamus. 17. At Jehoaſo, Jehoachazi filio, Regi Iſraëlis, ſuperſtes fuit Amatsja, Jehoaſi filius, Rex Judæ, quindecim annis. 18. Reliquæ verò res geſtæ Amatsjæ annon ſcriptæ ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ? 19. Fuerunt autem qui contra illum Jeroſolimæ conſpirationem facerent, quamobrem fugit Lachiſum; ſed miſerunt qui eum ſequerentur, hominémque illic occiderunt. 20. Dein equis vectus Jeroſolimam, ſepultus eſt cum Majoribus ſuis, in urbe Davidis.

21. Sumſit verò univerſus populus Judæ Hazarjam, qui erat ſexdecim annos natus, eúmque Regem, loco patris Amatsjæ, conſtituerunt. 22. Is munivit Elatham, quam recuperavit Judæ, poſtquàm obdormiit Rex, cum Majoribus ſuis.

23. Anno decimoquinto Amatsjæ, Joaſi filii, Regis Judæ, regnáre cœpit Jerobohamus, Joaſi filius, Rex Iſraëlis, Samariæ, *&* per unum quidem & quadraginta annos *regnavit*. 24. Fecit quod diſplicet Jehovæ, neque abſtinuit ab ullo peccatorum Jerobohami, Nebati filii, qui ad peccandum Iſraëlem adduxit. 25. Recuperavit ille fines Iſraëlis, ab introitu Chamathæ, uſque ad mare planitiei; pro verbis Jehovæ Dei Iſraëlis, quæ protulerat per ſervum ſuum Jonam, Amitthaïs filium, Prophetam, Gath-chepherenſem. 26. Viderat enim Jehova amariſſimum eſſe mœrorem Iſraëlis, nihil eſſe ei clauſum, nihil relictum, neque quemquam Iſraëli auxilium ferre. 27. Nondum loquutus erat Jehova, de delendo nomine Iſraëlis ſub cœlo, ideóque eum per Jerobohamum, Joaſi filium, liberavit. 28. Reliquæ res geſtæ Jerobohami & quæcumque fecit, fortitudóque ejus, quâ bellum geſſit, reſtituitque Damaſcum & Chamatham, *quæ olim* Judæ *fuerant*, Iſraëli; annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis? 29. Deinde obdormiit Ierobohamus, cum Majoribus ſuis, Regibus Iſtaëlis, regnavítque ejus loco filius ejus Zacharias.

XV. Ha-

19. *Qui eum ſequerentur*] *Poſt eum.*

22. *Is munivit Elatham*] *Ædificavit. Elath*, aut *Elatha* urbs fuit Idumææ, de qua ad Deut. II, 8.

Recuperavit Judæ] Antea eam habuerunt Judæi Reges, cum iis Idumæa parêret, ſed receperunt Idumæi, cùm rebellaſſent ſub Joramo. Vide Cap. VIII, 20. & ſeqq.

Poſtquam obdormiit Rex] Pater ejus Amatsja.

24. *Quod diſplicet Jehovæ*] *Malum in oculis.*

25. *Recuperavit ille fines* &c.] Ad ortum, nempe, Jordanis. Finis ſeptemtrionalis erat Chamatha, meridianus Mare Mortuum, quod dicitur hic *Mare Planitiei*, quòd eſſet in extremo Campo Magno. Vide Num. XXXIV, 7. & ſeqq.

Jonam, Amitthaïs filium] יונה בן אמיתי *Jonah ben Amitthai.* Cujus ſupereſt Prophetia ad Ninivitas pertinens. Vide Jon. I, 1. Ceterarum nihil ſupereſt, præter id quod hoc loco habetur. Hinc porrò liquet quanta fuerit benignitas Dei in Iſraëlitas, licèt Idololatriæ deditos, cùm & Prophetas ad eos miſerit & inſignes victorias de hoſtibus iis conceſſerit.

Gath-chepherenſem] מגת החפר *E Gath-hachhepher.* In LXX. Intt. Codicibus, mirè corruptum fuit hoc nomen, habet enim Vaticanus Codex: Γεθχοφὲρ, Alexandrinus, Γεθαχοβὲρ, Aldinus, Γεθαχοφὲρ, cùm legamus apud *Euſebium*, Γεθθαρχοφὲρ, & Γεθθηφά. Vulgatus hîc: *Gath quæ eſt in Opher.* Urbs fuit Tribûs Zabulonicæ, ut liquet ex Joſ. XIX, 3. de qua ſic *Hieronymus* in Præfatione in Jonam: *Porrò Geth in ſecundo Sephorim miliario, quæ hodie appellatur Cæſarea, euntibus Tiberiadem, haud grandis eſt viculus, ubi & ſepulcrum ejus oſtenditur. Quamquam alii juxta Dioſpolim, hoc eſt, Liddam eum & natum & conditum velint, non intelligentes hoc quod additur* Opher, *ad diſtinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quæ juxta Eleutheropolin, ſive Dioſpolim hodie quoque monſtrantur.*

26. *Amariſſimum eſſe mœrorem*] מרה מאד quod effertur, ex punctatione Maſſorethica, *moreh meod.* Sed quid ſibi velit עני מרה *honi moreh* dici non poſſe puto, quamvis non ignorem eſſe qui *jactatum*, *mutabilem* &c. vertunt. Itaque ſequutus ſum hîc punctationem LXX. Intt. qui habent πικρὰν σφόδρα, & Vulgati, qui vertit: *amaram nimis.* Legerunt, nimirum, מָרָה *amarum*, quod eſt doloris & mœroris frequentiſſimum Epitheton; cùm מֹרָה *dolor* nuſquam dicatur. Scio eſſe, qui hanc vocem non jungant cum עני, ſed nullum, niſi contortum ſenſum, & uſui Linguæ Hebrææ contrarium hinc eliciunt. Itaque, cum nonnullis recentioribus Interpretibus, lectionem Veterum ſequi maluimus; quamvis punctationem mutare alioqui non ſoleamus.

Nihil clauſum &c.] אפס עצור *ephes hatſour.* Jam ſatis eſt notum voculâ אפס ſignificari idem ac voce אין *ea*, ſeu *nihil*; quia radix אָפֵס eſt *abſumtus fuit*, *deſiit*, aut in nihilum redactus fuit. Vid. 2. Sam. IX, 3. Eſa. V, 8. XXXIV, 12. &c. Sed Veteres non ſatis ſe hinc expedierunt, cùm LXX. Intt. verterint ὀλιγοστοὺς συνεχομένους καὶ ἐσπανισμένους καὶ ἐγκαταλελειμμένους. Vulgatus verò, *quod conſumti eſſent uſque ad clauſos carcere & extremos.* Multò commodior eſt ſententia, & analogiæ convenientior, quam hinc Recentiores exſculpunt, *nihil*, nempe, ſuperfuiſſe expilatis Iſraëlitis, *neque clauſum*, *neque relictum*; ne-

XV. Hazarja, Rex Judæ, leproſus factus adminiſtratione regni cedit filio Jothamo, qui poſtea ejus loco regnat. Interea regnat in Iſraële Zacharia, qui interficitur à Sallumo, qui & ipſe à Menachemo è medio tollitur. Is Aſſyriorum Regem pecuniâ ſibi placat. Mortuo ſuccedit filius Phekachja, qui à Phekacho occiditur, eadem ratione & ipſo pereunte. At in Juda Jothamus obiit, ſucceſſorémque Achazum filium reliquit.

1. ANNO vigeſimo ſeptimo Jerobohami, Regis Iſraëlis, regnavit Hazarja, Amatzjæ, CAPUT XV.
Regis Judæ, filius. 2. Annos ſexdecim natus erat cùm regnare inciperet, & Je-
roſolimæ quidem quinquaginta duobus annis regnavit. Matri ejus nomen fuit
Jecholiæ, *erátque* Jeroſolimitana. 3. Fecit ille quod gratum eſt Jehovæ, prorſus quem-
admodum fecerat pater ejus Amatsja. 4. Excelſa tantùm loca amota non fuerunt, po-
pulúſque adhuc in iis immolabat, ac ſuffitum offerebat. 5. Sed plagam impoſuit Jehova
Regi, leproſúſque fuit uſque ad diem mortis ſuæ; quare habitavit in domo libera,
Jothamúſque, Regis filius, domui ejus præfectus, populo regionis jus dicebat. 6. Re-
liquæ autem res geſtæ Hazarjæ, & quæcumque fecit, annon ſcripta ſunt in libro Ephe-
meridum Regum Judæ? 7. Obdormiit tandem Hazarja, cum Majoribus ſuis, ſepul-
túſque cum iis eſt in urbe Davidis, & regnavit ejus loco Jothamus filius.
8. Anno verò trigeſimo octavo Hazarjæ, Regis Judæ, regnare cœpit Zacharias, Je-
robohami filius, in Iſraëlem, Samariæ, & per ſex quidem menſes *regnavit*. 9. Fecit quod
diſplicet Jehovæ, quemadmodum fecerant Majores ejus, nec abſtinuit à peccatis Jero-
bohami, Nebati filii, qui Iſraëlem ad peccandum adduxit. 10. Conſpiravit verò contra
eum Sallumus, Jabeſi filius, feriitque eum & occidit coram populo, ejúſque loco regna-
vit. 11. Reliquæ res geſtæ Zachariæ annon ſcriptæ ſunt in libro Ephemeridum Regum
Iſraëlis? 12. Hæc autem fuerunt verba Jehovæ, quæ Jehuo dixerat: abnepotes *tui* ſede-
bunt in throno Iſraëlis; & ſic quidem fuit.
13. Sallumus, Jabeſi filius, regnare cœpit anno trigeſimo nono Huzziæ Regis Judæ,
& per menſem quidem Samariæ regnavit. 14. Deinde Menachemus, Gadis filius, Thirtsâ
venit, ingreſſúſque Samariam percuſſit Sallumum, Jabeſi filium, Samariæ, occiditque eum
& loco ejus regnavit. 15. Reliquæ res geſtæ Sallumi, ejúſque conſpiratio in libro Ephe-
meridum Regum Iſraëlis, ſcriptæ ſunt. 16. Poſtea exſcidit Menachemus Thiphſachum,
om-

neque ex iis quæ claudi ſolent in apothecas, aut armaria, neque ex iis quæ expoſita ſunt quibuſvis; hoc eſt, nihil prorſus. Similis aliquatenus eſt loquutio, quam multis expendimus ad 1. Sam. XXV, 22. Sed hæc ipſa occurrit Deut. XXXII, 36.

27. *Loquutus erat*] Nondum ſtatuerat apud ſe, aut nondum per Prophetas dixerat, ſe ſtatuiſſe exſtinguere regnum Iſraëlis, atque ita gentem illam diſſipare, ut nomen ejus, quaſi gentis ſeorſim habitantis, nullum amplius futurum eſſet.

28. *Damaſcum*] Præſidium olim Damaſci habuerat David. Vide 2. Sam. VIII, 6.

Chamatham] Videtur & Chamatenſium Rex ſtipendiarius fuiſſe Davidi. Certè fuit Salomoni, ut liquet ex 1. Reg. IV, 21. Quare dicuntur hæ urbes fuiſſe antea in ditione Judæ, quia per Reges ex Tribu Judæ oriundos & in ejus agris Regiam habentes, erant ſubactæ.

Quæ olim Judæ fuerant Iſraëli] ליהודה בישראל *lIhoudah beJiſchraël*. LXX. Intt. τῷ Ἰούδᾳ ἐν Ἰσραὴλ, ſed eas urbes Rex Iſraëlis non recuperavit æmulis & inimicis Judæ Regibus, ſed populo Iſraëlitico, cui imperabat. Itaque hîc aliquid ſupplendum neceſſariò fuit.

In CAPUT XV.

1. A*nno vigeſimo* &c.] Vide ad Tabulas Chronologicas.

3. *Quod gratum eſt in oculis*] *Rectum in oculis.*

4. *Excelſa tantùm loca*] Vide ad C. XIV, 4.

5. *Plagam impoſuit*] Cauſa ejus rei dicitur 2. Par. XXVI, 16.

In domo libera] בבית החפשית *bebeth babhopſchith*. LXX. Intt. cùm hoc non intelligerent, verterunt ἐν οἴκῳ ἀφφουσώθ. Vulgatus melius: *in domo libera*; hoc eſt, ſeparata, ne quemquam Regiam adeuntem pollueret.

8. *Trigeſimo octavo* &c.] Vide ad Tabulas Chronologicas.

9. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

12. *Abnepotes tui*] בני רבעים *filii quartorum*, hoc eſt, quarti, ut Cap. X, 30. nam Zacharias erat quartus à Jehuo.

13. *Huzziæ*] לעזיה *leHuzzijah*. Idem dicebatur *Hazarjah*, עזריה. Nomina quæ idem ſignificant confundi ſolent, & עזיה quidem ſignificat *robur meum Jehova*, עזריה vero *auxilium meum eſt Jehova*, quod eodem redit.

Thirtſa] Urbe Ephraïmitica, in qua primùm habitaverat Jerobohamus I. Vide 1. Reg. XIV, 17.

15. *Scriptæ ſunt* &c.] *Ecce ſcriptæ ſunt.*

16. *Thiphſachum*] תפסח. Vidimus ad 1. Reg. IV, 24. ſic dici urbem, quam Græci vocant *Tapſacum*, ad Euphratem ſitam. Sed hîc alia eſt ad occaſum Jordanis & ab urbe quidem Thirtſa non

omnéſque qui in ea erant, & intra ejus fines à Thirtſa; quia *portas* non aperuerat. Occîdit & omnes ejus prægnantes, *eáſque* diſcidit.

17. Anno trigeſimo nono Hazariæ, Regis Judæ, regnare cœpit Menachemus, Gadis filius, & regnavit quidem Samariæ, in Iſraëlem, per decem annos. 18. Fecit quod diſplicet Jehovæ, nec, per totum regni tempus, abſtinuit à peccatis Jerobohami, Nebati filii, quibus Iſraëlem ad peccandum adduxit. 19. Venit autem Phul, Rex Aſſyriorum, in terram *Iſraëlitidem*, deditque Menachemus Phuli mille argentea talenta, ut ſibi auxilio eſſet, quò in ejus manu firmaretur regnum. 20. Impoſuit autem Menachemus *tributum* pecuniarium Iſraëli, & omnibus quidem opulentis, ut *id* daret Aſſyriorum Regi, ſingulis quinquagenos argenteos ſiclos. Reverſus deinde eſt *ad ſua* Rex Aſſyriorum, nec *diutiùs* in Iſraëlitide terra conſtitit. 21. Reliquæ autem res geſtæ Menachemi & quæcumque fecit, annon in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis ſcripta ſunt? 22. Obdormiit Menachemus, cum Majoribus ſuis, & Phekachja, ejus filius, ejus loco regnavit.

23. Anno quinquageſimo Azariæ, Judæ Regis, regnare cœpit Phekachja, Menachemi filius, in Iſraëlem; *& regnavit* quidem Samariæ, per biennium. 24. Fecit etiam quod diſplicet Jehovæ, nec abſtinuit à peccatis Jerobohami, Nebati filii, qui Iſraëlem ad peccandum adduxit. 25. Conſpiravit autem, contra eum, Phekachus, filius Remaljæ, Tribunus ejus, confoditque eum Samariæ, in palatio domûs regiæ, cum Argobo & Arje, unáque cum illo *erant* quinquaginta viri Galahaditidæ, & eo occiſo, loco ejus regnavit. 26. Reliquæ autem res geſtæ Phekachjæ & quæcumque fecit, in libro Ephemeridum Regem Iſraëlis ſcripta ſunt.

27. Anno quinquageſimo ſecundo Hazarjæ, Regis Judæ, regnare cœpit Phekachus, Remaliæ filius, in Iſraëlem, *& regnavit quidem* Samariæ viginti annis. 28. Fecit etiam quod diſplicet Jehovæ, nec abſtinuit à peccatis Jerobohami, Nebati filii, qui Iſraëlem ad peccandum adduxit. 29 Temporibus Phekachi, Regis Iſraëlis, venit Thiglath-Phileſer, Rex Aſſyriorum, cepitque Hijonem, Abel-beth-mahakam, Janoachum, Kedeſum, Chatſorem, Galahadum, Galilæam, *ſeu* omne Nephthalis ſolum, tranſtulitque

litque

non remota, ut ſequentia oſtendunt. LXX. Intt. hîc mendosè habent Θερσὰ, Vulgatus, *Thapſa.*

Eáſque diſcidit] בקע *bikkeah*, quod interpretatus ſum quaſi ſcriptum eſſet ובקע אותן *oubikkeah othan*, qua in re Vulgatum Int. ſequutus ſum. Sed fortè aliquid hîc eſt corruptum. Ceterùm hinc colligere licet quàm crudeles eſſent populi Orientis, inter quos ejuſmodi nefanda ſupplicia uſitata erant, quæ cultioribus populis horrorem incuſſiſſent. Qui talia audebant non poterant non eſſe intolerandi tyranni.

18. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

Totum regni tempus] *Omnibus diebus ſuis.*

19. *Rex Aſſyriorum*] פול מלך אשור *Phoul melech Aſſchour.* ΦΟΥΑ apud LXX. Intt. mendoſe dicitur, pro ΦΟΥΛ, propter ſimilitudinem litterarum Α & Λ. Hæc eſt prima mentio Regum Aſſyriorum, à temporibus Nimrodi. Non ſunt autem confundendi cum Regibus Medorum, aut Babyloniorum, ut vulgò fieri ſolet. Reges enim, apud Medos, Babylonios & Aſſyrios diverſi iis temporibus fuerunt. Ea de re diximus ad Gen. X, 9. Credibile eſt Syros, poſt magnas illas clades, quas ab Iſraëlitis paſſi erant, tandem ab Aſſyriis ſubactos, cùm Aſſyrios oportuerit per Syriam tranſire, ut Chananæam ingrederentur.

Mille argentea talenta] Talentum, ut viri docti oſtenderent, fuit trium millium ſiclorum, ſeu mille quingentarum unciarum Romanarum.

Ut ſibi auxilio eſſet.] *Ut eſſet manus ejus ſecum.*

20. *Impoſuit autem tributum* &c.] *Et fecit exire Menachemus argentum ſuper omnes pollentes opibus*; hoc eſt, edictum emiſit, quo divitibus imperabatur ſumma quinquagenorum talentorum.

21. *Anno quinquageſimo* &c.] Vide ad Tabulas Chronologicas.

24. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

25. *Tribunus ejus.*] שלישו *ſchaliſcho*, quod venit à שלש *tribus*, ut & vox *tribunus*. LXX. Intt. habent τριστάτης.

Cum Argobo & Arje] Quæ videntur nomina eſſe purpuratorum; quamvis ארגב *Argob*, ſit etiam nomen regionis, quam dimidia Tribus Manaſſæ ad ortum Jordanis incoluit; & אריה *arjeh*, leonem ſignificet.

Unaque cum illo erant &c.] Hæc referenda videntur ad Phekachum.

28. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

29. *Thiglath-Phileſer*] Hic eſt alter Rex Aſſyriorum de quo Scriptura, nam primi meminit ſuprà vſ. 19. Si crederemus iis qui putarunt primum Babylonios, deinde Medos rerum eſſe in Oriente potitos, ita ut totus Oriens, ab Euphrate ad Indum, eis pareret; hæc loca Scripturæ vix interpretari poſſemus. Verùm jam ſatis apud Eruditos conſtat, fuiſſe varia regna ἀντιπάλινα ſimul ad ortum Euphratis, quale hoc fuit Aſſyriorum; & variantibus rerum humanarum vicibus, nunc hoc, nunc illud potentius ceteris fuiſſe. Itaque hiſce temporibus, potentiſſimi erant Aſſyriorum Reges, qui ex tractu trans Tigrin ſito, peragratâ Meſopotamiâ & Syriâ, in Palæſtinam veniebant. De eorum ſucceſſione vide *Dionyſ. Petavii* de Doctr. Temporum Lib. IX. c. 37. De nominis autem

תגלת.

litque incolas in Aſſyriam. 30. Conſpiravit deinde Hoſea, Elæ filius, in Phekachum,
Remaljæ filium, eúmque confodit & occidit, ac regnavit ejus loco, anno vigeſimo Jo-
thami, Huzziæ filii. 31. Reliquæ autem res geſtæ Phekachi, & quæcumque fecit ſcripta
ſunt in libro Ephemeridum Regum Iſraëlis.
32. Anno ſecundo Phekachi, Remaliæ filii, Regis Iſraëlis, regnare cœpit Jothamus,
Huzziæ filius, Rex Judæ. 33. Viginti annos natus erat, cùm inciperet regnare, & per
ſexdecim quidem annos Jeroſolimæ regnavit. Nomen matri fuit Jeruſæ, Tſadoki fi-
liæ. 34. Fecit quod gratum eſt Jehovæ, itáque per omnia ſe geſſit, ut ſe ſe Huzzia,
pater ejus, geſſerat. 35. Attamen amota non ſunt excelſa loca, populúſque in iis
etiamnum victimas mactabat & ſuffitum offerebat. Is inſtauravit januam Ædis Jehovæ
ſuperiorem. 36. Reliquæ autem res geſtæ Jothami, & quæcumque fecit, annon ſcripta
ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ? 37. Temporibus illis, cœpit Jehova Retſi-
nem, Aramæorum Regem, & Phekachum, Remaliæ filium, in Judam immittere.
38. Obdormiit verò, cum Majoribus ſuis, Jothamus, ſepultúſque cum illis in urbe Da-
vidis, progenitoris ſui, regnavitque ejus loco Achazus filius.

XVI. Achazus, Rex Judæ, in Idololatriam delabitur. Obſeſſus à Regibus Iſraëlitarum & Syrorum, liberatur ab Aſſyriæ Rege. Altare ædificat, in Templo Jeroſolimitano, ad inſtar Damaſceni, amovétque altare æneum. Tum moritur ac Hezekiam filium ſucceſſorem relinquit.

1. ANNO decimo ſeptimo Phekachi, Remaljæ filii, regnare cœpit Achazus Jotha- CAPUT
mi, Regis Judæ, filius. 2. Viginti annos natus erat Achazus, cùm regnare inci- XVI.
peret, & ſexdecim quidem annis Jeroſolimæ regnavit; nec fecit quod gratum eſt
Jehovæ Deo ſuo, ſicut progenitor ejus David, 3. ſed imitatus eſt Reges Iſraëlis, & fi-
lium etiam ſuum, pro exſecrandis gentium, quas expulit Jehova è conſpectu Iſraëlita-
rum,

חגלת-פלאסר ſignificatione nihil proferri poteſt, præter conjecturas. LXX. Intt. Codd. habent Θεγλαθ-φελλασάρ, Vulgatus *Theglath-Phalaſar.*

Hijonem] עיון *hijon.* Hæc urbs & quatuor ſequentes oppida fuere Nephthaliticæ Tribûs, ut *Onomaſticon* docebit, ſi quis neſciat.

Janoachum] ינוח *Janoahh.* Urbs hujus nominis erat in Tribu Ephraïmi, ut liquet ex Joſ. XVI, 6, 7. Sed cum *Jacobo Bonfrerio* alteram hanc fuiſſe crediderim, priori cognominem, in Nephthalitica Tribu; exercitus enim Aſſyriorum ſolas ſeptemtrionales oras Palæſtinæ videtur ſubegiſſe.

Galabadum, Galilæum, ſeu omne Nephthalis &c.] Scriptor Græcus, aut Latinus, dixiſſet, inverſo ordine: *omnéque Nephthalis ſolum & Galabadum*; quia cùm proximè anteceſſerint urbes Nephthaliticæ Tribûs, totum tractum iis continuò ſubjiciendum crediſſet, nominandámque poſtea *Galabaditidem*, quæ alia eſt regio. Sed Hebraici ſtyli ſimplicitas minùs accuratum ordinem nequaquam reſpuit.

Galilæam, ſeu &c.] ואת גלילה כל ארץ נפתלי, *veeth glilah, chol erets Nephthali.* Cum Galilæa ſuperior eadem ſit, aut circiter, ac Nephthalitica Tribus, hæc conjungenda eſſe videntur; cùm præſertim nulla conjunctio intercedat, in Hebraicis verbis.

Tranſtulitque incolas] *Et tranſtulit eos.*

30. *Anno vigeſimo Jothami*] At Jothamus vſ. 33. dicitur tantùm ſexdecim annos regnaſſe. Videntur hi anni de tempore, quo ſolus regnavit Jothamus, intelligendi; cùm ceteroqui per quadriennium cum patre regnaſſet.

30. *Huzziæ filius*] עזיה *Huzzijah.* Quod nomen iterum occurrit vſ. 34. cùm antea vocetur עזריה *Hazarjah.* Sed, apud Hebræos, unus idémque vir ſæpe vocabatur nominibus variis, idem ſignificantibus. Prius autem horum nominum ſignificat *robur Jehovæ*, alterum verò *auxilium Jehovæ*, quæ eodem redeunt. Sic יה *jah* & אל *el*, in nominibus propriis, paſſim confunduntur.

34. *Quod gratum eſt*] *Rectum in oculis.*

35. *Attamen amota non ſunt*] Vide not. ad 1. Reg. XV, 14.

Januam Ædis Jehovæ ſuperiorem] העליון *haheljon.* Liquet ex comparatione 2. Par. XXIII, 20. cum 2. Reg. XI, 6. hanc vocatam etiam *Januam Suris.* Cùm autem antea fuiſſet hæc janua, ut liquet ex locis allatis, verbum בנה *banah* vertimus, non *ædificavit*, ſed *inſtauravit.* Lapſu temporis, aut alio caſu collapſa erat.

37. *Cœpit Jehova Retſinem* &c.] Hoc eſt, Deus paſſus eſt eo tempore Reges Iſraëlitarum & Syrorum fœderatos, Judæ agros primùm ingredi; ut Judæ Tribûs peccata plecterentur.

38. *Cum illis*] *Cum patribus ſuis.*

In CAPUT XVI.

2. V*iginti annos* &c.] Vide not. ad Cap. XVIII, 2.

Quod gratum eſt] *Rectum in oculis.*

3. *Imitatus eſt*] *Ivit in viam.*

Filium etiam ſuum &c.] *Et etiam filium ſuum fecit tranſire per ignem, pro abominationibus.* De loquutione העביר באש, *fecit tranſire per ignem*, multis egimus ad Levit. XVIII, 20. ubi oſten-

Digitized by Google

rum, factis, per ignem tranſmiſit. 4· Victimas quoque immolavit, ſuffitúmque in excelſis locis & collibus, & ſub quavis arbore virente obtulit. 5· Tunc venerunt Retſin, Aramæorum Rex, & Pekachus Remaljæ filius, Rex Iſraëlis, Jeroſolimam, ad bellum *gerendum*, Achazúmque obſederunt, ſed expugnare non potuerunt. 6· Illo tempore, reſtituit Retſin, Aramæorum Rex, Elatham Idumæis, ejecitque Judæos ex Elothis; *quo facto*, Idumæi ingreſſi Elatham illic habitarunt & ad hodiernum uſque diem *habitant*. 7· Sed miſit Achazus nuncios ad Thiglath-Pheleſerum, Aſſyriorum Regem, qui dicerent *ipſius nomine*: ſervus tuus & filius tuus ſum; veni & libera me è manu Regis Aramæorum & Regis Iſraëlis, qui in me conſurrexerunt. 8· Sumſit deinde Achazus aurum & argentum, quod inventum eſt in Æde Jehovæ & in theſauris regiæ, eáque dono Regi Aſſyriorum miſit. 9· Ei verò auſcultavit Aſſyriorum Rex, venitque Damaſcum & eam cepit. Tum ejus incolas Kirem tranſtulit, ac Retſinem interemit. 10· Ivit verò Achazus Rex obviam Thiglath-Pheleſero, Regi Aſſyriorum, Damaſcum; viditque altare, quod Damaſci erat, & miſit ad Uriam Sacerdotem figuram & imaginem altaris, ſecundùm omnem ejus formam. 11· Ædificavit ergo Uria Sacerdos altare, omnino, prout miſerat Rex Achazus Damaſco. Sic fecit Uria Sacerdos, interea dum Rex Damaſco rediret. 12· Venit deinde Rex Damaſco, viditque altare, ad id acceſſit, & in eo victimas adolevit. 13· Adolevit *in eo* holocauſtum ſuum & *farreum* munus; libamen ſuum effudit, adſperſitque ſanguinem Sacrorum ſalutarium ſuorum ad altare. 14· Altare verò æneum, quod erat coram Jehova, tranſtulit *à loco in quo erat* ante Ædem, inter altare & Ædem Jehovæ, idque ad latus boreale altaris collocavit. 15· Deinde Achazus Rex Uriæ Sacerdoti mandata dedit, his verbis: in magno altari, adoleto holocauſtum matutinum, oblationem veſpertinam, holocauſta & *farrea* dona Regis, uni-

oſtendimus eâ ſignificari non luſtrationem, ſed combuſtionem. Ac ſanè non eſſet magis mirum ab Achazo *etiam filium ſuum* igne luſtratum fuiſſe, cùm hoc tamen quaſi ſingulare quiddam hîc narretur, quàm ſi alium quemvis ita luſtraſſet. Imò verò potuiſſet ipſe *tranſmitti per ignem*, ſi hiſce verbis luſtratio tantùm intelligeretur, quæ ſine periculo, celeri tranſitu per mediam flammam, fieri poterat. Nec objici queat Hezekiam filium ei ſucceſſiſſe, cùm nihil vetet alios ei fuiſſe filios, quorum unum holocautomatis inſtar Molocho obtulerit. Vide 2. Paral. XXVIII, 3.

4· *Sub quavis arbore virente*] Etiam pii Reges paſſi fuerant Sacra fieri in excelſis, ut liquet ex Cap. XV, 35. aliiſque ſimilibus locis. Sed ſub quavis arbore virente non fiebant, niſi ab Idololatris. Vide not. ad Deut. VII, 5.

6· *Idumæis*] לארם *laaram*, Syris; ſed dubium eſſe non poteſt quin legendum ſit לאדום *leedom*, Idumæis; primùm enim nimis procul à Syria aberat Elatha ad mare Rubrum ſita, quàm ut ab iis, niſi ſubactâ Judæâ, teneri poſſet: contrà verò Idumææ erat vicina. Deinde & ipſi Maſſorethæ hoc viderunt, quoniam hoc ipſo verſu pro וארומים *vaaromim*, quæ vox eſt nihili, rectè viderunt legendum ואדומים *veedomim*, Idumæi. Ii autem ingreſſi ſunt urbem, quibus reddita eſt. Sed Maſſorethæ ſimilem notam voci לארם *laaram* addere debuiſſent. Verùm ſic invenerunt in ſuo Codice, ut & LXX. Intt. ac Vulgatus, qui habent *Syriæ*. Vide *Lud. Cappelli* Criticam Sacram Lib. III. cap. VIII, 5. & ſeqq. ubi multa habet exempla ר & ד inter ſe à librariis confuſorum. Cur autem Idumæis reſtituerit Elatham Rex Syrorum, intelligere licet ex 2. Par. XXVIII, 17. ubi narrat Sacer Hiſtoricus Idumæos eodem tempore arma in Judæos cepiſſe, & urbes aliquot meridianas Judææ invaſiſſe. Quare mirum non eſt remotiorem multò ad meridiem à Syris fuiſſe Idumæis ſociis conceſſam.

Judæos] היהודים *hajjehoudim*, quod hîc Judæ poſteros ſignificat, ſed poſtea, exſtinctâ aliarum Tribuum memoriâ, fuit nomen commune Iſraëlitarum omnium, cujuſcumque Tribûs eſſent.

Elothis] Promiſcuè hæc urbs vocetur אילת *Elath* & אלות *Eloth*.

7· *Thiglath-Pheleſerum*] תִּגְלַת־פִּלְאֶסֶר *thiglath-phleſer*. Antea Cap. XV, 29. ſcribitur hoc nomen פִּלְאֶסֶר *phileſer*. Sed quis dixerit utra ratio ſcribendi ſit melior? Alibi etiam aliter ſcribitur, ut 2. Par. XXVIII, 20.

Ipſius nomine] Hoc ſupplendum fuit, ut alibi ſæpe, quia legatus loquitur iiſdem verbis, quibus uti potuiſſet præſens Achabus.

Filius tuus ſum] Ut *pater* honoris causâ dicebatur, ſic qui ſe humiliter gerebat *filium* ſe ejus, quem ita compellarat, vocabat.

9· *Ejus incolas Kirem tranſtulit*] ויגלה קירה *& fecit migrare eam Kirem.* LXX. Intt. & Vulgatus habent Κυρήνην, ſeu *Cyrenas*, ob ſimilitudinem nominis. Sed nemo crediderit Regem hunc Aſſyriorum Cyrenas uſque, in Africa, imperii fines protuliſſe, cùm Ægyptum minimè ſubegerit. Vide Cap. XVII, 4. Itaque alii rectiùs *Kir* volunt nomen eſſe urbis in Media. Vide *Sam. Bochartum* in Phal. Lib. IV. c. 32.

10· *Damaſcum*] Scribitur hîc דומשק *doumeſchek*, ſed vitioſè, cùm alibi conſtanter legamus דַּמֶּשֶׂק quod Græci protulerunt Δαμασκός. Rectiùs emendaſſent Maſſorethæ, ſcribendo aut דַּמֶּשֶׂק aut דַּרְמֶשֶׂק quomodo etiam hoc nomen proferri ſolet.

Figuram & imaginem &c.] *Figuram altaris & formam ejus, pro omni ejus fabrica.*

11· *Adolevit in eo* &c.] Omnia fecit quæ fieri ſolebant in altari æneo, ex Lege conſtructo.

14· *Coram Jehova*] E regione Sanctuarii.

Ad latus boreale] Ad dextram ingredientibus in atrium Sacerdotum, venientibuſque ab orien-

univerſi item regionis populi holocauſta & *farrea* dona, ac eorum libamina. Omnem
etiam ſanguinem holocauſtorum, & *aliarum* victimarum ad hoc altare ſpargito. Ad
altare verò æneum quod adtinet, meum erit inquirere *quid eo ſit faciendum.* 16. Fecit
Uria Sacerdos, per omnia, quæ Rex Achazus mandaverat.
17. Præterea Rex Achazus abſcidit limbos & baſes *concharum æ nearum*, amovitque
ab iis conchas. Labrum etiam æneum demiſit è bubus æneis, qui ei ſuberant, atque pa-
vimento lapideo impoſuit. 18. Quin etiam tectum Sabbathi, quod ædificatum fuerat
in Æde, & introitum Regis exteriorem amovit *à* Jehovæ Æde, propter Aſſyriorum
Regem. 19. Reliquæ verò res geſtæ Achazi, nonne in libro Ephemeridum Regum
Judæ ſcriptæ ſunt? 20. Obdormiit tandem Achazus, cum Majoribus ſuis, & cum iis
in urbe Davidis ſepultus eſt, ejúſque loco regnavit Hezekias filius ejus.

XVII. Hoſeas Rex Iſraëlis, à Salmaneſere, Aſſyriorum Rege, ſubigitur, rebellionémque parans opprimitur, & ultra Euphratem, unà cum populo, captivus transfertur. Horum loco mittuntur Idololatræ, qui cultum veri Dei edocti, eum priſtinæ Religioni admiſcent.

1. ANNO duodecimo Achazi, Regis Judæ, regnare cœpit Hoſea, filius Elæ, CAPUT XVII.
Samariæ, in Iſraëlem & per novem quidem annos regnavit, 2. fecitque quod
diſplicet Jehovæ; non tamen ad inſtar Regum Iſraëlis, qui ante illum fuerant.
3. Contra eum venit Salmaneſer, Aſſyriorum Rex, cui ſervus factus munus perſolvebat.

orientali janua. Vide *Joan. Lightfootii* deſcriptionem Templi cap. XXXIV.

15. *In magno altari*] Sic vocat ſuum altare, quod ſolito majus erat.

Holocauſta & ferrea dona] *Holocauſtum Regis & farreum ejus donum.*

Meum erit inquirere] יהיה לי לבקר *erit mihi ad quærendum.* LXX. Intt. pro לְבַקֵּר legerunt לַבֹּקֶר *ad matutinum*, εἰς τὸ πρωΐ, quod caret ſenſu. Vulgatus: *paratum erit ad voluntatem meam.*

17. *Limbos & baſes*] המסגרות והמכנות *hammiſgeroth vehammechonoth*, de quibus vide 1. Reg. VII, 28, & 29. Ære illo aut monetam, aut aliud quidpiam conflavit, vel vendito ſibi comparavit id quo ſe indigere putabat, exhauſtis omnibus theſauris ſacris & regiis. Poſſit etiam intelligi hoc ipſum æs ad Regem Aſſyriorum miſiſſe.

18. *Tectum Sabbathi*] מוסך השבת *mouſach haſſchabbath.* Sic rectè in margine, cùm in textu ſit מיסך *miſach.* LXX. Intt. τὸ θεμέλιον τῆς καθέδρας, quaſi legiſſent מִיסַּד הַשֶּׁבֶת *fundamentum ſellæ*, quod quid ſit neſcio. Vulgatus ſervavit vocem *Muſach*, quòd neſciret quid ſibi vellet; nec ſanè quidquam hac de re exploratum habemus. Si licet ex antecedentibus verbis conjicere, crediderim fuiſſe æneas laminas, quibus tecta erat porticus quæpiam, aut area, in quam die Sabbathi convenire ſolebat populus; quas vendidit aut tradidit Aſſyriorum Regi, ut baſes concharum & labri ænei.

Quod ædificatum fuerat] בנו banou, *ædificarant*, nempe, בנים *bonim*, quicumque fuerint. At LXX. habent ᾠκοδόμησαν, & Vulgatus, *ædificaverat*, quaſi legiſſent בנה *banah.*

Introitum Regis &c.] Veſtibulum fortè fuit, quod cùm ære tectum, ornatúmve eſſet, dirutum eſt, ut æs traderetur Aſſyriorum Regi, aut venderetur. Vide ad Cap. XVIII, 16.

Amovit à Jehovæ æde] הסב בית יהוה *heſeb beth Jehovah*, quod vertimus perinde ac ſi ſcriptum eſſet מבית *mibbeth*, nam ſæpe מ *mia* omittitur, aut uſu Linguæ, aut lapſu etiam aliquando temporis, incuriâve librariorum. Vide *Chr. Noldium* ad eam particulam. Notum eſt Hiphil הסב *heſeb*, aliquando eſſe *amovere*, ut 2. Sam. XX, 12. LXX. Intt. vertunt: ἐπέστρεψεν ἐν οἴκῳ Κυρίου. Vulgatus, *convertit in domum Domini*, quo ſenſu non intelligo.

Propter Aſſyriorum Regem] מפני מלך אשור *mippheue melech Aſſchour.* Græci, ἀπὸ προσώπου, hoc eſt, *propter*, ut habet Vulgatus; nempe, ut daret Aſſyriorum Regi, ea quæ *tecto* & *introitui* detraxerat. Neque enim metuit ſibi Achazus ab Aſſyriorum Rege, quem pecuniâ conduxit, ut Syrorum, Iſraëlitarúmque Reges compeſceret & à ſe averteret.

19. *Res geſtæ Achazi*] *Verba Achazi quæ fecit.*

20. *Cum iis*] *Cum patribus ſuis.*

In CAPUT XVII.

1. A*Nno duodecimo Achazi*] Cùm Cap. XV, 30. dicatur Hoſea regnare cœpiſſe, vigeſimo anno Jothami, qui fuit quartus Achazi; variâ comminiſcuntur viri docti, ut hæc in concordiam redigant, quæ non proferam. Satius fortè ſit ſi dicamus olim numeros litteris, ſeu ſignis arithmeticis fuiſſe expreſſos, unde factum ſit ut mendum irrepſerit. Si priùs ſcriptum erat בשנת ד׳ *anno quarto*, poſtea ſcribi potuit בשנת יב׳ *anno duodecimo.* Omnes norunt quàm frequentia menda ſint in numeris Codd. MSS.

2. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

3. *Salmaneſer*] שַׁלְמַנְאֶסֶר, quod efferunt LXX. Intt. & Vulgatus: Σαλαμανασσάρ, aut *Salmanaſar.* Tertius fuit rex Aſſyriorum, quorum quidem meminit Scriptura, primus enim fuit *Phul* פול Cap. XV, 19. ſecundus *Thiglath-phileſer* תגלת-פלאסר, Ib. 29.

Cui ſervus factus &c.] *Et fuit ei ſervus & reddidit ei munus.* Stipendiarius fuit Aſſyriorum Regis.

bat. 4. Poſtea deprehendit Rex Aſſyriorum apud Hoſeam conſpirationem, quòd miſiſſet nuncios ad Soum Ægypti Regem, nec curaſſet ferri munus ad Regem Aſſyriæ, ut ſolebat quotannis fieri. Itaque eum Rex Aſſyriæ incluſit & vinxit in carcere. 5. Tum venit Rex Aſſyriorum in univerſam terram *Iſraëlitidem*, & Samariam, quam per tres annos obſedit. 6. Eam verò cepit anno nono Hoſeæ, tranſtulitque Iſraëlitas in Aſſyriam, & ſedes iis adtribuit in Chalachene, ad Chaboram fluvium Gozanitidis, & in urbibus Mediæ.

7. Hæc autem contigerunt, quia peccaverant Iſraëlitæ in Jehovam Deum ſuum, qui eduxerat eos ex Ægypto, poteſtatique Pharahonis Regis Ægypti ſubtraxerat; & Deos alienos reveriti erant. 8. Sequuti fuerant inſtituta gentium, quas è conſpectu Iſraëlitarum ejecerat Jehova, & Regum Iſraëlis, qui *talia* fecerant. 9. Muſſitaverant Iſraëlitæ verba non recta, contra Jehovam Deum ſuum; ædificarántque ſibi excelſa in omnibus urbibus ſuis, à turri *in qua ſunt* præſidiarii *milites*, ad urbem munitam. 10. Statuerant ſibi ſtatuas & ſimulacra in omni edito colle & ſub omni arbore virente. 11. Adoleverant illic, in omnibus excelſis locis, ut gentes quas Jehova è conſpectu eorum expulerat, *alia*que mala fecerant, quibus irritarent Jehovam. 12. Coluerant ſtercoreos Deos, de quibus iis dixerat Jehova: ne hoc facite. 13. Obteſtatus erat Jehova Iſraëlem & Judam, per omnes Prophetas ſuos, per omnes videntes, in hæc verba: revertimini à malis veſtris viis, obſervate præcepta ac inſtituta mea, ſecundùm omnes leges, quas impoſui Majoribus veſtris, & quas ad vos per ſervos meos Prophetas miſi. 14. Ve-

4. *Soum*] סוא *So.* LXX. Intt. in Cod. Alexandrino Σωὰ, Vulgatus, *Sua*; quaſi legendum eſſet סְוָא, aut סְוֹא. Hunc *Joan. Marshamus* putabat fuiſſe, qui *Sabachon* dicitur in Catalogis Regum Ægypti. Eum vide ad ſæculum XVI. rerum Ægyptiacarum.

Ut ſolebat quotannis fieri] *Sicut anno in annum.*

5. *Et Samariam*] *Et adſcendit Samariam* ויעל שמרון.

6. *Eam verò cepit &c.*] *Cepit Rex Aſſyriorum Samariam.*

Sedeſque iis adtribuit] Et habitare fecit *eos in Chalach*, בחלח. Eſt *Ptolemæi & Strabonis Chalachene*, ad ſeptemtrionem Aſſyriæ, ut rectè animadvertit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. III. c. 14. ubi negat ſe capere quorſum Iſraëlitæ vel in Colchidem & Iberiam, vel in Armeniam minorem, vel in ultimam Scythiam relegentur; quos Scriptura diſertè in Aſſyriam & Medorum urbes migraſſe docet, hîc & C. XVIII, 11. Sed ex Chalachene potuerunt facilè familiæ aliquot Judæorum migrare in Armeniam vicinam, deinde in Colchidem & Iberiam ei finitimas, indéque in Scythiam quæ à Septemtrionibus eas claudit.

Ad Chaboram fluvium Gozanitidis] ובחבור נהר גוזן *& in Chabor fluvio Gazan*, hoc eſt, ad ripas Chaboræ fluvii. LXX. Intt. habent ποταμοῖς Γωζὰν, ſine ratione. Nec meliùs Vulgatus: *in Chabor, juxta fluvium Gozan.* Judice *Bocharto*, loco laudato, Chabor eſt *Ptolemæi* ὁ Χαβώρας τὸ ὄρος, mons Chaboras inter Mediam & Aſſyriam, ubi Tabulæ perperam habent Choatras. *A quo monte*, inquit, *ad mare Caſpium euntibus, medio ferè ſpatio occurrit* Gauzania *urbs, id eſt*, גוזן gozan, *inter duos Cyri alveos, quam regioni & fluvio nomen dediſſe veriſimile eſt; antequàm ibi locorum Perſæ dominarentur, à quibus Cyrus dici cœpit iſte amnis, ut vicinus alter Cambyſes, in gratiam Cyri & Cambyſis.* Poſſent hæc fortè ferri, ſi fluvius aliquis, illis in oris, dictus fuiſſet *Gozan*, ſed nullus fuit. Mirum eſt à viro ſummo oculos non fuiſſe conjectos, cùm inſpiceret tabulas *Ptolemæi*, ad lævam Aſſyriæ; quod ſi feciſſet, inveniſſet & *Chaboram* fluvium nobilem in Meſopotamia, incidentem in Euphratem, & circa eum regionem *Gauzanitim*, nec alibi nomina hæc Scripturæ quæſiviſſet. Is tractus, ut docemur infra Cap. XIX, 12. tunc paruit Regibus Aſſyriorum, qui per eum tantùm Syriam & Palæſtinam adire poterant. Vide quæ de Gauzanitide & Chabora fluvio collegit *Chriſt. Cellarius* Geogr. Antiquæ Lib. III. c. 15. ubi tamen quæ habet hoc loco Scripturæ confirmare omiſit.

Et in urbibus Mediæ] Sic Iſraëlitas ſedibus diviſit, ne ſi in vicinis tractibus collocarentur, novas res multitudine ſuâ freti aliquando moliri poſſent, ſi quæ occaſio ſe daret. LXX. Intt. habent ἐν ὄρη Μήδων. Quaſi legiſſent non וערי vehare, *& urbibus*, ſed והרי vehare, *& montibus.* Vulgatus: *in civitatibus Medorum*, reſectâ conjunctione. Mirum autem eſt aut quàm corrupta fuerint, tempore *Euſebii*, exemplaria LXX. Intt. in his nominibus, aut quàm corruptus ipſe *Euſebius* ad nos pervenerit. Habet enim, in locis Hebraïcis: Ἀλλαοὺζὰρ Γωζὰν, ἐν χώρᾳ Μήδων ποταμοί, ὧν ἐν τοῖς ὄρεσιν ἀπῳκίσθη ὁ Ἰσραήλ: interprete *Hieronymo:* ALLEA BAR GOZAN, *nomina fluviorum in terra Medorum, ad quorum montes captivus Iſraël abductus eſt.* Alibi *Gozan* ad Damaſcenam collocat, habet enim Γωζὰθ (lege Γωζὰν ex *Hieronymo*) ἐν χώρᾳ Ἐμαθ, ἧς τινός Ἡσαΐας μέμνηται· ἔτι δὲ πρὸς τῇ Δαμασκηνῇ: GOZAN, *in regione Emath; & hujus meminit Eſaias. Eſt autem in finibus Damaſci.* Locus Eſaiæ exſtat Cap. XXXVII, 12. ſimiliſque legitur infra Cap. XIX, 12. ubi vox *Gozan* præmittitur nominibus urbium Meſopotamiæ, ut oſtendemus; nec proinde ex eo colligere potuit *Euſebius* hîc ſermonem eſſe, de tractu Damaſcenæ vicino. Præterea *Chalach*, *Chabor*, & *Gozan* non dicuntur flumina Mediæ, ſed ſolum חבור *Chabor* vocatur נְהַר גּוֹזָן *fluvius Gauzanitidis.* Ab hac interpretatione qui abeunt ii & diſcedunt à textu Sacro, & in Geographiam peccant,

14. Verùm ei non auſcultarant, ſed obfirmarant cervicem ſuam, quemadmodum eo-
rum Majores, qui Jehovæ Deo ſuo non crediderant. 15. Spreverant inſtituta ejus, fœ-
dúſque, quod cum Majoribus ſuis pepigerat, & obteſtationes ejus, quibus eos fuerat
obteſtatus. Sequuti erant inania, ac inanes facti erant, inſtar gentium finitimarum, quas
ne imitarentur vetuerat Jehova. 16. Reliquerant omnia præcepta Jehovæ Dei ſui,
fecerant ſibi conflatilia ſimulacra duorum vitulorum, & lucos, adoraverántque om-
nem exercitum cœli, & Bahalem coluerant. 17. Tranſmiſerant liberos ſuos per ignem,
divinationibus auguriiſque uſi fuerant, ac ſe ſe vendiderant ad faciendum id quod diſ-
plicet Jehovæ, ejúſque iram movendam. 18. Quamobrem vehementer indignatus eſt
Jehova in Iſraëlitas, eóſque è conſpectu ſuo amovit, nec remanſit *in Iſraëlitide ter-
ra*, niſi Tribus Judæ ſola. 19. Sed nec Juda obſervavit præcepta Jehovæ Dei ſui,
ſequutique ſunt *Judæi* inſtituta, quæ ſibi fecerant Iſraëlitæ. 20. Idcirco rejecit Jehova
poſteros omnes Iſraëlis, eos afflixit, tradiditque in manum prædonum, donec eos è
conſpectu ſuo abjiceret.

21. Poſtquàm Iſraëlitæ ſeceſſionem fecerant à familia Davidis, Regémque conſtituerant
Jerobohamum, Nebati filium; avertit eos Jerobohamus à Jehova, & ad grande nefas com-
mittendum adduxit. 22. Imitati ſunt Iſraëlitæ omnia peccata à Jerobohamo admiſſa, nec
ab iis receſſerunt; 23. donec Jehova Iſraëlem è conſpectu ſuo amoveret, ſicut per om-
nes ſervos ſuos Prophetas prædixerat, ac transferret è terra ſua in Aſſyriam, *ubi eſt* ad
hunc uſque diem. 24. Adduxit verò Rex Aſſyriorum *homines* Babylone, Chuthâ, Havvâ,
Cha-

cant, cujus nullam habent rationem; cùm Geographiæ antiquæ optimè conveniat cum verbis Hebraïcis.

7. *Poteſtatique Pharahonis* &c.] *E ſub manu Parahonis.*

8. *Sequuti fuerant*] *Ambulaverant in inſtitutis.*

9. *Muſſitaverant*] ויחפאו jehhappheou, *occultarant*; hoc eſt, clam & demiſſâ voce blaſphemarant in Deum, aut etiam in eum fremuerant. LXX. Intt. ἠμφίεσαν, incommodè verterunt. Vulgatus minùs propriè, *offenderunt.*

A turri in qua ſunt &c.] מגדל נוצרים *à turri cuſtodum*, hoc eſt, à minimis pagis, ad urbes maximas. Proverbialis eſt loquutio.

10. *Simulacra*] אשרים *aſcherim*, quod vertimus hìc ſimulacra, propter verba ſequentia. Vide not. ad 1. Reg. C. XIV, 15.

12. *Stercoreos Deos*] גלולים gillulim, *ſtercora.* Unde Vulgatus, *immunditias.* LXX. εἴδωλα.

13. *Per omnes Prophetas* &c.] *Per manum omnium.*

14. *Obfirmarant cervicem* &c.] *Indurarant cervicem ſuam, ut cervicem patrum ſuorum*; hoc eſt, jugum Dei excuſſerant. Dura eſt & rigida cervix jumentorum nondum jugo adſuetorum, mollior verò & flexilior domitorum. Vide ad Exod. XXXII, 9.

15. *Inania*] ההבל hahebel, *inanitatem.* Intelliguntur Idola, aut commentitii Dii Ethnicorum. Vide Jerem. II, 5.

Quas ne imitarentur] *De quibus præcepit Jehova illis non facere ſicut illæ.*

16. *Simulacra conflatilia*] *Conflationem, duos vitulos.*

17. *Tranſmiſerunt* &c.] Vide ad Cap. XVI, 3. Vulgatus habent hìc: *conſecraverunt*, perperam.

Liberos] *Filios ſuos & filias ſuas.*

Se vendiderant] Vide not. ad 1. Reg. XXI, 20.

Quod diſplicet] *Malum in oculis.*

18. *E conſpectu ſuo*] מעל פניו *à facie ſua*; hoc eſt, è regione cui ſingulari ratione aderat. Vide vſ. 23.

Niſi Tribus Judæ &c.] Videtur intelligenda & Tribus Benjaminis, quæ parebat etiam Regibus Judæ; ut jam Levitas multos omittam.

20. *Poſteros omnes*] *Omne ſemen Iſraëlis.* Non ampliùs habuit eos pro populo ſuo, nec tantùm ita ſe geſſit erga decem Tribus, ſed etiam erga regnum Judæ.

Tradiditque in manum prædonum &c.] Paſſus eſt eorum agros vaſtari à vicinis, captivóſque multos abduci; donec utriuſque regni omnes incolas è Palæſtina ejiceret. Hinc liquet hunc librum per captivitatem Babylonicam ſcriptum fuiſſe.

21. *Iſraëlitæ ſeceſſionem fecerant* &c.] כי קרע ישראל *poſtquàm ſcidit Iſraël.* Vulgatus, *ſciſſus eſt.* LXX. Intt. hìc corrupti ſunt, cùm habeant ὅτι πλὴν, in Codd. Aldino, Alexandrino & Romano; nam emendatio nupera videtur eſſe in Editione Complutenſi, quæ habet πλὴν ὅτι ἐῤῥάγη.

22. *Imitati ſunt*] *Iverunt in omnibus* &c.

23. *E conſpectu ſuo*] Vide ad vſ. 18.

Transferret] *Migrare faceret Iſraëlem è terra ſua.*

24. *Chutha*] Exiſtimarim hanc eſſe urbem, quæ nomen fecit toti regioni, quæ erat ad ortum Tigridis & ſeptemtrionem Suſianæ, quæque olim *Ciſſia*, aut *Cuſſia*, pro ſollemni mutatione litterarum ש & ת dicta. Populi *Coſſæi* vocantur *Arriano*, *Diodoro*, *Curtio*, *Polyæno* & *Ptolemæo.* Vide quæ collegit hanc in rem *Chr. Cellarius* Collect. Hiſtor. Samarit. Cap. I. Sect. 19. & Geogr. Antiquæ Cap. III. e. 19. Adi & *Thom. Hydeum* de Relig. Vet. Perſarum Cap. II.

Havvâ] Urbs eſt, ut videtur, Meſopotamiæ, aut Syriæ, ab Aſſyriæ Regibus olim ſubacta, quæ vocatur infra עוא *Hivva* C. XIX, 13. ubi conjungitur cum Sepharvajimis, & Chamata, ut hìc. Varietas punctorum vocalium oſtendit tantùm non prorſus conſtitiſſe punctorum inventoribus, quâ ratione pronunciandum eſſet hoc nomen.

Cha-

Chamathâ & Sepharvajimis, iiſque ſedes dedit in urbibus Samariæ, loco Iſraëlitarum, poſſederúntque Samariam & eam oppidatim habitarunt.

25. Cùm autem illic initio habitarent, nec Jehovam revererentur, immiſit Jehova in homines leones, qui eos occidebant. 26. Monuit autem *quiſpiam* Regem Aſſyriorum, his verbis: gentes quas tranſtuliſti, & quibus ſedes in Samariæ urbibus dediſti, non noverunt inſtituta Dei tractûs illius; quare in eos immiſit leones, qui homines occidunt, eò quòd inſtituta Dei tractûs illius ignorant. 27. Mandata ergo dedit *ſuis* Rex Aſſyriæ, his verbis: mittite illuc unum ex Sacerdotibus, quos illinc tranſtuliſtis, eátque & habitet illic, ut eos inſtituta Dei tractûs illius doceat. 28. Venit ergo unus è Sacerdotibus, quos tranſtulerant Samariâ, habitavitque Bethele, & docuit eos quâ ratione Jehovam venerarentur. 29. At unaquæque gens *ſibi* fecit Deos ſuos, quos collocavit in Templis editorum locorum, quæ Samariæ incolæ fecerant. *Sic fecit* unaquæque gens, in urbibus, quas habitavit. 30. Babylonii fecerunt Succhoth-benothas, Chuthæi Nergalem, Chamathenſes Aſimam, 31. Havvæi Nibchazum, & Tharthakum, Sepharvajimæi *denique* igne adoleverunt liberos ſuos Adrammelecho & Anammelecho Diis Sepharvajimorum 32. Igitur *ſimul* venerati ſunt Jehovam, conſtituerúntque ſibi ex ſe ipſis Sacerdotes locorum excelſorum, & Sacra fecerunt in locorum editorum Templis. 33. Jehovam venerati ſunt, Deóſque ſuos coluerunt, pro ritu gentium, ex quibus migrare juſſi erant. 34. Ad hunc uſque diem, ſic ſe gerunt, pro prioribus illis ritibus; neque *enim* timent Jehovam *ſolum*, neque inſtituta, ritúſque ſuos *ſo-*

Chamata] מחמת *mehhamath.* Urbs fuit Syriæ, de qua diximus ad Gen. X, 18.

Sepharvajimos] Similitudo nominis facit ut in eorum propendeam ſententiam, qui hanc urbem eamdem eſſe putant ac Sippharam *Ptolemæi* (ספרוים) quæ *Abydeno*, apud *Euſebium* Præp. Evang. Lib. IX. c. 41. dicitur Σιππαρηνῶν πόλις, in Meſopotamia ad Euphratem, qui infra eam dividitur in alveum Regium, & alveum quo ad Seleuciam fertur fluvius, Tigridi mox miſcendus.

In urbibus Samariæ] בערי שמרון *behare Schomron*; hoc eſt, in urbibus quarum metropolis erat Samaria, niſi malis voce שמרון intelligere regionem.

Poſſederuntque Samariam] Videtur Aſſyriorum Rex hos populos migrare voluiſſe in alienas ſedes, eadem de cauſa, ob quam Iſraëlitas aliò tranſtulit; nimirum, ne res novas facilè moliri poſſent. Varii enim populi unà miſti, idque in alieno ſolo, vix poterant ita coaleſcere, ut communi conſilio bellum gerere aggrederentur.

25. *Leones*] האריות *haarajoth*, quod poſſet de *leænis* intelligi, niſi ſequeretur הורגים *horegim*, in maſculino genere. Præterquàm quòd plena erat leonibus Arabia vicina, iique facilè Jordane trajecto in deſerta Iſraëlitide vagabantur; providentiâ divinâ fiebat, ut frequentiores illuc irrumperent, novóſque colonos diſcerperent.

26. *Monuit autem* &c.] *Dixerunt*; nempe, præfecti Iſraëlitidis, aut alius quiſpiam.

Inſtituta Dei &c.] *Judicium Dei terræ ejus*, משפט אלהי הארץ; hoc eſt, ritus à Deo Hebræorum inſtitutos. Vide vſſ. 33, & 34. Exiſtimabant enim Ethnici non tantùm ſingulis regionibus peculiares præeſſe Deos, ut liquet ex 1. Reg. XX, 23. & infra XVIII, 35. ſed etiam iis in ſolo cui præeſſent Sacra eſſe facienda, pro ſingularum gentium conſuetudine, nam peregrina Sacra iis diſplicere. Itaque exiſtimabant leones in novos Samaritas à Numine Samariæ, ſive Deus, ſive Dea eſſet, immitti; quòd neſcirent eum colere eo modo, qui ei gratus erat.

27. *Sacerdotibus*] Levitis fortè, aut aliis, qui norant ritus à Moſe inſtitutos, aut etiam ex Aharonis poſteris aliquem. Non eſt, quia is Sacerdos in Samaria habitarat, continuò colligendum idololatram fuiſſe; poterat enim fieri ut in agro decem Tribuum Sacerdotici generis homines, iique non impii, habitarent.

28. *Jehovam venerarentur*] Quibus ritibus eum colere oporteret.

29. *At unaquæque gens* &c.] Coluerunt quidem omnes Deum Hebræorum, Sacráque ei Bethele more Hebræo fecerunt; ſed ſinguli præterea patrios Deos ſibi etiamnum colendos cenſuerunt, iiſque Templa in editis locis condiderunt. Neque enim idem erat ingenium Religionis Ethnicæ, quod Hebrææ. Hæc præter unum, repudiabat omnes Deos; illa verò & priſtinos Deos colere & novos adſciſcere ſe poſſe exiſtimabat.

In Templis editorum locorum &c.] *In æde excelſorum, quæ fecerant.*

30. *Succhoth-benothas* &c.] Quæcumque dicta ſunt cùm vera, tum falſa, de hiſce Numinibus collegit *Joan. Seldenus* de Diis Syris Syntagmate II. Capp. VII, VIII, IX & X. Adeant eum Lectores, nam ad me quod adtinet, fateor nihil mihi de iis eſſe exploratum, præter hoc unum, quòd quibuſvis ex lectione hujus loci innoteſcit; ſcilicet, his nominibus, quæ recitantur, vocata fuiſſe Numina novorum Samariæ colonorum, eáque iis patria fuiſſe.

32. *Ex ſe ipſis*] מקצותם mikketſotham, *ex extremitatibus ſuis.* Vulgatus habet *de noviſſimis*, quaſi ſignificaretur infima plebs. Sed fallitur, ut oſtendimus ad 1. Reg. XII, 31.

33. *Jehovam venerati ſunt* &c.] Tametſi nihil dicit Sacer Hiſtoricus de effectu ejuſmodi cultûs, ad expulſionem leonum quod adtinet; tamen credibile ſit ex ipſo ejus ſilentio, non irritum prorſus eum cultum fuiſſe. Alioqui dixiſſet Deum, cultu illo impuro offenſum, non eò ſeciùs immiſiſſe leones in Samaritarum agros. Sed quamvis Deus ejuſmodi cultum improbaret, minùs paullò peccabant ignari prorſus veri Dei

Digitized by Google

ſolos obſervant, neque *vivunt* ſecundùm legem & præcepta, quæ Jehova impoſuit poſ-
teris Jacobi, cui Iſraëli nomen indidit.
35. Fœdus cum illis fecerat Jehova, mandatáque hiſce verbis dederat: ne timete
Deos alienos, nec eos adorate aut colite, nec iis ſacra facite. 36. Sed Jehovam, qui
vos ex Ægypto eduxit, magnâ potentiâ, & exſerto brachio, reveremini, & adorate,
eique ſacra facite. 37. Inſtituta, ritus, leges, præcepta, quæ vobis ſcripſit, obſer-
vate in perpetuum; nec Deos alienos veneramini. 38. Fœderis, quod vobiſcum pepi-
gi, ne immemores eſtote, neque Deos alienos timete; 39. ſed Jehovam Deum veſ-
trum reveremini, qui vos è manu omnium hoſtium veſtrorum liberabit. 40. Verùm
ei minimè auſcultarunt, ſed priſtinum ſuum morem ſunt ſequuti. 41. Gentes verò il-
læ Jehovam veneratæ ſunt, & ſimulacra ſua coluerunt, *quod fecerunt* etiam earum liberi.
Liberi etiam liberorum, ad hunc uſque diem, faciunt prout fecerunt eorum Majores.

XVIII. Hezekias, Rex Judæ religioſiſſimus, primùm feliciter regnat. Mox à Sancheribo obſeſſus malè habetur, quamvis vectigalem ſe ejus futurum polliceatur. Contumelioſè in populum & Deum ipſum loquuntur Aſſyriorum Regis legati.

1. ANNO tertio Hoſeæ, Elæ filii, Regis Iſraëlis regnare cœperat Hezekia,
Achazi filius, Rex Judæ. 2. Natus erat viginti quinque annos, cùm reg-
nare

Dei & ejus cultûs populi, cùm eum colerent, unà cum ſuis Diis, quàm ſi cultum ejus prorſus omiſiſſent. Non eadem ratio fuiſſet Hebræorum, quos Deus cognitione ſui illuſtrarat, & ingentibus beneficiis affecerat, ut ſe ſolum colerent; & quibus proinde hibridam, ut ſic loquar, cultum ignoſcere non potuiſſet. Videmus tamen, & in ipſis Hebræis, gradus veluti quoſdam Idololatriæ diſtingui; quorum inferior quidem fuit cultus Dei, ſub imagine vitulorum, inſtitutus à Jerobohamo: ſuperior verò cultus Bahalum, Deorum Ethnicorum, quo ſe inquinavit Achabus. Sic igitur & in populis Ethnicis, maxima quidem Idololatria fuit ignoratio veri Numinis, ejúſque cultûs, & fictorum Deorum adoratio; minor verò cultus Dei veri & falſorum conjunctus. Hanc tulit aliquamdiu Deus, & paullatim Samaritas ad ſui unius cultum adduxit.

34. *Ad hunc uſque diem* &c.] Hoc eſt, ad tempus, quo ipſa Judæ Tribus in captivitate Babylonica erat; nam poſt ejus reditum, & præſertim cùm Manaſſes Sacerdos, Sanaballati gener, ſe ſe eis adjunxiſſet, Idololatræ eſſe delierunt; quamvis Judæi, ex odio in eam gentem concepto, contrarium iis exprobrarint. Vide hac de re Collectanea Hiſtor. Samariticæ *Chr. Cellarii* Cap. III.

Neque enim timent Jehovam ſolum &c.] Addidimus *ſolum*, re ita poſtulante, & quia in ſequentibus verbis Samaritæ negantur *ritus ſuos* obſervare; quod de ſolis priſtinis ritibus manifeſtò intelligendum. Vide & vſ. 41.

Poſteris Jacobi] *Filiis Jacobi.*

40. *Priſtinum ſuum morem*] *Secundùm morem ſuum priſtinum illi facientes.*

In CAPUT XVIII.

2. N*Atus erat viginti quinque annos*] Atqui Achazus vixit tantùm triginta ſex annos, ut liquet ex Cap. XVI, 2. unde ſequeretur ab eo genitum Hezekiam, cùm tantùm decem aut undecim annos natus eſſet, quod non eſt credibile. *Sam. Bochartus*, hac de re conſultus, longam Epiſtolam ſcripſit, quæ exſtat ad calcem Editionum Batavarum Geographiæ Sacræ. Obſervat ante omnia Hezekiam poſſe dici cœpiſſe regnare anno ætatis 25. quamvis enim annum dumtaxat ingreſſus eſſet, ita ut exegiſſet tantùm 24. annos & aliquot dies; adeóque & patrem Achazum eum genuiſſe, non anno 10. ſed 12. Si enim à 36. annis demantur 24. cum diebus aliquot, ſupererunt adhuc 12. anni, diebus quibuſdam præciſis. Reſpondet autem vir doctiſſimus inſuetum quidem eſſe ut puer 12. annos natus liberos gignat; ſed tamen aliquoties hoc contigiſſe, quod pluribus exemplis probat. Addit etiam, in calidioribus illis oris, celeriùs pueros & puellas pubeſcere; quod ſatis conſtat, vel Hiſpanorum exemplo.

Attamen fortè ſatius eſſet hîc quoque errorem Librariorum in numeris agnoſcere, ita ut Hezekias, cùm regnare cœpit non כה, hoc eſt, 25. ſed כ, ſeu 20. annos natus fuiſſe dicatur. Certè ejuſmodi menda facilè in Hebræorum Sacros Libros, ut in alios omnes, ne exceptis quidem Novi Teſtamenti codicibus, irrepere potuerunt; nec propterea quiſquam Hiſtoriam Sacram falſitatis arguere jure poſſit, quia ſunt quædam fortè [illegible] in numeris.

Verùm hîc alia quoque eſt difficultas Chronologica; cùm enim dicatur Hezekias cœpiſſe regnare anno Hoſeæ tertio, & regnaſſe viginti novem annos, poſt mortem patris, videtur huic ſummæ deeſſe biennium, aut triennium. Contendit *Lud. Cappellus*, in Chronologia Sacra, not. ad Tab. XI. Hezekiam regnaſſe per triennium, aut pluſquàm biennium cum patre. Regnavit enim Achazus annos ſexdecim, anno autem ejus duodecimo regnare, cœpit Hoſeas, ut vidimus Cap. XVII, 1. cujus annus tertius, quo Hezekias dicitur cœpiſſe regnare, concurrit cum Achazi decimo quarto. Sed vidimus ad Cap. XVIII, 1. non ſatis conſtare annon, pro anno duodecimo Achazi, legere debeamus annum quartum. Quis ſcit etiam an hîc pro anno ג aut tertio, legendum ſit יא undecimum? Scio hæc con-

CAPUT XVIII.

nare cœpit, & viginti novem annis regnavit Jeroſolimæ. Nomen matri ejus Abi fuit, Zachariæ filiæ. 3. Fecit is quod gratum eſt Jehovæ, prorſus quemadmodum progenitor ejus David fecerat. 4. Amovit loca excelſa, confregit ſtatuas, exſcîdit lucos, & comminuit ſerpentem æneum, quem fecerat Moſes; quia uſque ad ea tempora, Iſraëlitæ ei thymiamata offerebant; vocavitque eum molem æneam. 5. Jehovæ, Deo Iſraëlis, confidit, nec poſt eum ei ſimilis fuit, inter omnes Reges Judæ, uti nec inter eos, qui ante eum fuerant. 6. Adhæſit Jehovæ, nec ab eo receſſit, obſervavitque præcepta, quæ Moſi dederat Jehova. 7. Adfuit ei Jehova & in omnibus ſuis expeditionibus proſperè egit, rebellavitque in Regem Aſſyriorum, nec ei ſerviit. 8. Concîdit Philiſthæos ad Gazam uſque & fines ejus, à turri *in qua ſunt milites* præſidiarii, ad urbem uſque munitam.

9. Anno autem quarto Regis Hezekiæ, qui annus fuit ſeptimus Hoſeæ, filii Elæ, Regis Iſraëlis, venit Salman-eſer, Aſſyriorum Rex, contra Samariam, eámque obſedit. 10. Exactis verò tribus annis, eam cepit; anno ſexto Hezekiæ, qui annus nonus fuit Hoſeæ Regis Iſraëlis, capta eſt Samaria. 11. Tranſtulit deinde Rex Aſſyriorum Iſraëlitas in Aſſyriam, eóſque duxit in Chalachenen, ad Chaboram fluvium Gozanitidis, & in urbes Mediæ. 12. *Quod eis contigit*, quia non auſcultaverant voci Jehovæ, Dei ſui, perfregerant fœdus ejus, nec cuiquam eorum quæ præceperat Moſes,

conciliari à *Cappello*, poſito duplici initio Achazi, altero regni quo cum patre regnarit, altero quo ſolus rerum ſummæ præfuerit, & quod ſex vel ſeptem annis altero ſerius fuerit. Verùm tam facilè menda quædam in numeros irrepſiſſe ſtatuere poſſumus, quamvis ea certò indicare nequeamus; quam duplicia multorum regnorum fuiſſe initia, de quibus tacet Scriptura. Hac in re, liberum unicuíque judicium relinquimus, nihil quaſi exploratæ veritatis proferimus.

4. *Thymiamata ei offerebant* &c.] Non eſt quidem credibile à temporibus uſque Moſis, ſine ulla intermiſſione, cultum fuiſſe ænei ſerpentis ſimulacrum. Non videtur hoc paſſurus fuiſſe David, uti nec Salomo, primis regni ſui annis. Sed potuerunt eſſe homines ſuperſtitioſi, qui interdum ad illud ſimulacrum ſuffitum adoleverint, quaſi in honorem veri Dei, qui juſſerat Moſem id conflare; dein auctâ etiam, ut fit, ſuperſtitione, coluerint aut Deum Iſraëlis ſub ea imagine; aut, quod deterius erat, peregrinum Numen animo ei ſubſtituerint, atque ſimulacrum ejus Dei ſerpentem æneum habuerint. Quod cùm eſſet ab Hezekia animadverſum, id confringi meritò juſſit. Hæc eò veriſimiliora videbuntur, quò magis ſunt conſentanea cum vicinarum gentium Idololatria. Conſtat autem Babylonios, ſub imagine ſerpentis, Deum coluiſſe ex hiſtoria Belis & Draconis. Idem de Phœnicibus & Ægyptiis liquet, ex hiſce verbis *Sanchoniathonis*, aut rectiùs *Philonis* Byblii, quæ exſtant apud *Euſebium* de Præp. Evangelica Lib. I. c. 10. Τὴν μὲν ὖν τῷ δράκοντος φύσιν, καὶ τῶν ὄφεων ἐξεθείασεν ὁ Τάαυτος (Ægyptiorum antiquiſſimus legiſlator) καὶ μετ' αὐτὸν αὖθις Φοίνικές τε καὶ Αἰγύπτιοι *Taautus quidem Draconis, ſerpentiúmque naturæ divinitatem quamdam tribuebat, & poſt eum rurſus Phœnices & Ægyptii.* Tum reddit neſcio quas rationes Phyſicas, ob quas putat ſerpentibus tributam ab iis populis divinitatem, ſubditque: Διὸ καὶ ἐν ἱεροῖς τῦτο τὸ ζῶον, καὶ ἐν μυστηρίοις συμπαρείληπται: *Ideóque hoc animal in ſacris & myſteriis adhiberi ſolet.* Sic etiam *Clemens* Alexandrinus, in admonitione ad Gentes pag. 9. Σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος: *ſignum orgiorum bacchicorum ſerpens eſt initiatus.* Idem teſtatur in Protreptico p. 11. de Myſteriis Sabaziis, ſed quæ fortè eadem ſunt ac Orgia Bacchi. Similiter *Arnobius* contra Gentes Lib. V. *Ritus initiationis ipſius, quibus Sebaziis nomen eſt, teſtimonio eſſe poſſunt veritati; in quibus aureus coluber in ſinum demittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus atque imis.* Dein hæc habet *Philo:* Φοίνικες δὲ αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλῦσιν· ὁμοίως καὶ Αἰγύπτιοι Κνὴφ ἐπονομάζουσι· ἐπιτιθέασι δὲ αὐτῷ ἱέρακος κεφαλὴν, καὶ διὰ τὸ πρακτικὸν τῦ ἱέρακος· καί φησιν ὁ Ἐπήεις (al. Ἐπεῖος) ἀλληγορῶν, ὁ ὀνομασθεὶς παρ' αὐτοῖς μέγιστος ἱεροφάντης, καὶ ἱερογραμματεὺς, ὃν μετέφρασεν εἰς Ἑλλάδα φωνὴν Ἄρειος Ἡρακλεοπολίτης κατὰ λέξιν οὕτως· τὸ πρῶτον ὂν θειότατον ὄφις ἐστὶν ἱέρακος ἔχων μορφὴν ἄγαν ἐπίχαρις. *Phœnices id ſimulacrum vocant bonum Genium. Similiter & Ægyptii Kneph* (à כנף chanaph, *ala*, quaſi *alatam ſerpentem*) *cognomen ei imponunt. Addunt ei accipitris caput, propter accipitris agendi vim. Dicit quoque Epeus, qui vocatur ab iis maximus Hierophantes & Sacrorum Scriba, allegoricè rem exponens, quem in Græcam Linguam tranſtulit Arius Heracleopolita, verbo tenus, ſic: primum Ens diviniſſimum ſerpens eſt accipitris habens formam, idémque adſpectu jucundiſſimus.* Tandem, ut hæc poſtremùm verba hac de re proferam, Παρὰ Φοινίκων δὲ, inquit, καὶ Φερεκύδης λαβὼν τὰς ἀφορμὰς, ἐθεολόγησε περὶ τῦ παρ' αὐτῷ λεγομένου Ὀφιονέως θεῦ, καὶ τῶν Ὀφιονιδῶν: *à Phœnicibus & Pherecydes arreptâ occaſione, Theologicè diſputavit de eo, qui apud eum dicitur Deus Serpentinus, & de Serpentini poſteris.* Conſultò omitto, quæ leguntur apud Græcos & Latinos de Æſculapio, qui colebatur ſub imagine anguis, aliiſque anguibus ſacris; quia ſi quid habent adfine Idololatriæ Hebræorum, id potiùs Phœnicibus & Ægyptiis, quàm Hebræis, debuerunt.

Molem æneam] נחשתן *nehhouſchthan.* Videtur omnino ita loqui Hezekias, contemtûs causâ. Sed non omnino conſtat, quo ſignificatu. Si enim deducatur hæc vox à נחש *nahhaſch*, quod *ſerpentem* ſonat, poſſit ſignificare dirum Serpentem, ac contemtu dignum. Certè fuit forma Cherſydri, odio potiùs digni, quàm cultu. At ſi deducatur à נחשת nehhoſcheth, *ære*, quod recentius videtur, נחשתן erit *moles ænea*, in qua proinde nihil erat divini: ut Idola *lapis & lignum*, con-

ſes, ſervus Jehovæ, aurem aut obſequium præbuerant.

13. At decimo quarto anno Regis Hezekiæ, venit Sancheribus, Aſſyriorum Rex, contra omnes urbes munitas Judæ, eáſque cepit. 14. Tum miſit Hezekia, Rex Judæ, ad Aſſyriorum Regem, Lachiſum, qui dicerent *ei*, *ipſius nomine:* peccavi, abſcede à me, & quidquid mihi impoſueris feram. Impoſuit ergo Rex Aſſyriorum Hezekiæ, Regi Judæ, trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. 15. Dedit Hezekia omnem pecuniam, quæ inventa eſt in Æde Jehovæ, & in theſauris regiæ. 16. Eo tempore ſecuit Hezechia valvas templi Jehovæ, & limina, quæ ipſe obduxerat, iiſque Aſſyriorum Regem donavit. 17. Deinde Aſſyriæ Rex Tharthanem, præfectum Eunuchorum, & præfectum Pincernarum Lachiſo miſit ad Regem Hezekiam, cum multis copiis, Jeroſolimam. Cùm adveniſſent acceſſerunt, conſtiterúntque ad aquæ ductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt ad viam ſtratam agri fullonis. 18. Inde clamore Regem evocarunt, & ad eos quidem proceſſerunt Eljakimus, Chilkijæ filius, domui *regiæ* præfectus, Sebna ſcriba, & Joachus, Aſaphi filius, à commentariis.

19. Tum præfectus Pincernarum, dicite, quæſo, inquit, Hezekiæ: ſic dixit magnus Rex, Rex Aſſyriorum, quænam hæc fiducia eſt, quâ *uſque adeò* confidens es? 20. Labiis tantùm verba protuliſti; *at* conſilio & fortitudine opus eſt, ad bellum *gerendum*. Nunc verò quonam fretus in me rebellaſti? 21. Utique confi-

contemtim vocantur. Vide C. XIX, 18. Vocem ipſam Hebraicam ſervarunt LXX. Intt. & Vulgatus.

5. *Illi nec inter eos* &c.] Hoc eſt, qui à Davide regnaverant, & qui poſt eum fuerunt; nam antea confertur cum Davide, vſ. 3.

8. *E turri in qua ſunt* &c.] Formula proverbialis, de qua antea ad Cap. XVII, 9. quâ ſignificantur omnes urbes, pagi ac vici.

9. *Salman-eſer* &c.] Hanc Hiſtoriam habuimus totidem ferè verbis Capite ſuperiore, vſſ. 5, & 6 Sed hîc repeti videtur, propter expeditionem Sancheribi, ſucceſſoris Salman-eſeris, qui ſibi parem ſucceſſum belli, quod Regi Judæ intulit, pollicebatur.

12. *Quod eis contigit*] Hoc ſupplevimus, perſpicuitatis causâ, neceſſariò alioqui ſubintelligendum; nam hæc fuit cauſa non cur Salmaneſer ipſe abducendos cenſuerit Iſraëlitas, ſed cur Deus abduci ab eo curarit, quamvis neſciente ſe inſtrumentum dumtaxat eſſe Dei, in plectendis Iſraëlitis.

Nec cuiquam eorum &c.] *Omnia quæ præceperat Moſes, ſervus Jehovæ, nec audiverunt, nec fecerunt.*

13. *Eaſque cepit*] Exceptâ tamen Jeroſolimâ, & paucis aliis, ut ſequentia oſtendunt. Enunciationes primâ ſpecie univerſales ex re ipſa ſæpe ſunt contrahendæ.

14. *Lachiſum*] Urbs erat Judæ, auſtralior Jeroſolimâ, nam vicus fuit eo nomine, tempore *Euſebii*; qui vicus ſeptem milliaribus ab Eleutheropoli aberat ad Auſtrum, ut teſtatur in locis Hebraïcis.

Peccavi] Quòd deſiiſſet ſolvere tributum Aſſyriæ Regibus, ut dictum vſ. 7.

Talenta argenti] Talentum, ut notum, fuit trium millium ſiclorum, ſeu ſemunciarum Romanarum.

16. *Valvas Templi* &c.] Valvæ & limen erant obtecta ære, quod detractum Sancheribo miſit. Vide ad Cap. XVI, 18.

17. *Præfectum Eunuchorum*] רב-סריס rab-ſaris, *præfectum Eunuchi*, aut *princeps Eunuchus*. Veteres Intt. & magna pars recentiorum putarunt *Rabſaris* nomen eſſe proprium. Sed cùm propriè id ſignificet quod diximus, conſtétque in aulis Regum Orientis multos fuiſſe Eunuchos, non videbamus cur à propria vocum ſignificatione recederemus. De Cubiculariis & Eunuchis Regum Perſarum, vide, ſi opus eſt, quæ collegit vir doctiſſimus *Barn. Briſſonius* de Regno Perſarum Lib. I. p. 138.

Præfectum Pincernarum] רב-שקה rab-ſchake, *præfectum pincernæ*, aut *princeps pincerna*. Officium hoc fuit in aulis Regum, ut videmus Geneſ. XL, 2, 3. ubi eo ornatus vocatur שר המשקים *princeps pocillatorum*. De iiſdem Miniſtris, apud Perſarum Reges, vide eumdem *Briſſonium* Lib. I. p. 66. Itaque non erat cur רב-שקה nomen hominis, ut veteres Intt. aliique, eſſe putaremus, potiuſquàm muneris.

Miſit ad Regem Hezekiam] Violenti hoc fuit tyranni, cùm jam Hezekias mulctam ſibi impoſitam ſolviſſet.

Ad aquæductum piſcinæ &c.] Vide ad Joſ. XV, 7.

18. *Domui regiæ præfectus*] על הבית *hal babbajith*, ſupra domum.

Scriba] ספר *ſopher*; qui Regis Edicta, Reſcripta, Epiſtolas, aliáque id genus ſcribebat. Tales erant, apud Perſas, qui *Herodoto* γραμματισταὶ βασιλήιοι, aliis γραμματεῖς vocantur, ut oſtendit *Barn. Briſſonius* de Regno Perſarum Lib. I. p. 139.

A Commentariis] המזכיר *hammazchir*. Aliud hoc fuit munus, hiſtorici, nempe, regii, qui rerum geſtarum quotidianos commentarios ſcriberet. Tales erant & apud Perſas, ut ex Eſdræ, Estheræque hiſtoriis ſatis conſtat. Vide & eumdem *Briſſonium* Lib. I. p. 142.

19. *Magnus Rex*] Superbiæ hoc fuit Orientalis, quæ titulos magnificos ſtudioſè ſectabatur. Hic tranſiit ad Regem Perſarum, qui, multò potentior, eo titulo potiori jure utebatur. Notum eſt apud Græcos κατ' ἐξοχὴν eum τὸν βασιλέα, & τὸν βασιλέα τὸν μέγαν dictum, ut oſtendit idem vir eruditus Commentarii laudati p. 4.

20. *Labiis tantùm verba protuliſti* &c.] *Dixiſti tantùm verbum labiorum.* Sententiæ horum verborum adfinia ſunt illa Virgiliana:

Larga, quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi,
Tum cùm bella manus poſcunt.

 21. *Sci-*

fidiſti ſcipioni illi arundinis fractæ; *nimirum*, Ægypto; qui, ſi quis ei innitatur, ſubibit volam, eámque pertundet. Sic faciet Pharaho, Rex Ægypti, omnibus qui ei fident. 22. Si mihi dixeritis: confidimus Jehovæ, Deo noſtro; annon hic eſt, cujus Hezekia loca excelſa, altariáque amovit, & de quo dixit Judæ & Jeroſolimæ: ante hoc altare adorabitis *Deum* Jeroſolimæ? 23. Nunc verò ſponſionem facito, cum domino meo Rege Aſſyriæ (dabo autem tibi duo equorum millia) niſi poſſis invenire, qui iis vehantur. 24. Quomodo ergo poſſes in fugam vertere ducem unum, ex minimis domini mei ſervis, licet confidas tibi propter Ægyptum, ad currus & ad equites quod adtinet? 25. An ſine Jehova adſcendi ad locum, ut eum deleam? *Imò* Jehova mihi dixit: vade in illam terram, eámque corrumpito. 26. Eljakimus verò, Chilkijæ filius, & Sebna & Joachus præfecto Pincernarum: alloquere, inquiunt, ſervos tuos *linguâ* Aramæâ, nam eam intelligimus. Ne loquere nobiſcum Judaïcè, audiente hoc populo, qui eſt ad murum. 27. Præfectus verò Pincernarum, an ad dominum tuum, vel

21. *Scipioni arundinis fractæ*] Proverbialis formula, quâ & infirmitas auxilii, & periculum quod ſequitur, ſi quid aggrediaris neceſſariis auxiliis deſtitutus, ſignificantur.

Sic faciet Pharaho] Contemtim de Rege Ægypti ita loquebatur Sancheribus, non ex vero, ſed ex indignatione in eum concepta, quod Ægypto fruſtra tentatâ, re infectâ rediiſſet. Hoc nos docet *Herodotus* Lib. II. c. 141. Narrabant Ægyptii Sethonem Sacerdotem Vulcani, eumdémque Regem Ægypti, ſpreviſſe Ægyptios milites, μετὰ δὲ ἐπ' Αἴγυπτον ἐλαύνειν στρατὸν μέγαν Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων· οὐκ ὦν δὴ ἐθέλειν τοὺς μαχίμους τῶν Αἰγυπτίων βοηθέειν, τὸν δ' ἱρέα ἐς ἀπορίην ἀπειλημένον, ἐσελθόντα ἐς τὸ μέγαρον πρὸς τὤγαλμα ἀποδύρεσθαι οἷα κινδυνεύει παθεῖν· ὀλοφυρόμενον δ' ἄρα μιν ἐπελθεῖν ὕπνον, καί οἱ δόξαι ἐν τῇ ὄψι ἐπιστάντα τὸν Θεὸν θαρσύνειν ὡς οὐδὲν πείσεται ἄχαρι ἀντιάζων τὸν Ἀραβίων στρατόν· αὐτὸς γάρ οἱ πέμψειν τιμωρούς· τούτοισι δή μιν πίσυνον τοῖσι ἐνυπνίοισι παραλαβόντα Αἰγυπτίων τοὺς βουλομένους οἱ ἕπεσθαι στρατοπεδεύσασθαι ἐν Πηλουσίῳ. ταύτῃ γάρ εἰσι αἱ ἐσβολαί· ἕπεσθαι δέ οἱ τῶν μαχίμων μὲν οὐδένα, καπήλους δὲ καὶ χειρώνακτας καὶ ἀγοραίους ἀνθρώπους. ἐνθαῦτα ἀπικομένοισι τοῖσι ἐναντίοισι αὐτοῖσι ἐπιχυθέντας νυκτὸς μῦς ἀρουραίους κατὰ μὲν φαγεῖν τοὺς φαρετρεῶνας αὐτῶν, κατὰ δὲ τὰ τόξα, πρὸς δὲ τῶν ἀσπίδων τὰ ὄχανα. ὥστε τῇ ὑστεραίῃ, φευγόντων σφέων γυμνῶν, πεσεῖν πολλούς: *deinde in Ægyptum adduxiſſe exercitum magnum Sanacharibum Regem Arabum & Aſſyriorum; nec voluiſſe militaris generis homines ei auxiliari; Sacerdotem verò conſilii inopem ſe in cœnaculum contuliſſe, ibique apud ſimulacrum comploraſſe quanta pati periclitaretur, eique dum lamentaretur obrepſiſſe ſomnum, & inter quietem viſum adſtare Deum, & animum addere, quippe ingrati nihil paſſurum, exercitui Arabum obviam euntem, ſe enim ultores ei miſſurum. Iis inſomniis fretum Sacerdotem, ſumtis Ægyptiorum iis, qui eum ſequi voluerant, caſtra ad Peluſium poſuiſſe (hic enim eſt Ægypti ingreſſus) nec eum fuiſſe quemquam militaris generis ſequutum, ſed inſtitores & operarios & circumforaneos homines. Eò cum perveniſſent, effuſos noctu in hoſtes mures agreſtes, eoſque comediſſe eorum pharetras & arcus, tum etiam ſcutorum habenas, ita ut poſtero die cùm fugiſſent nudi, multi ceciderint.* Re infectâ, abiiſſe Aſſyrios non eſſe abſimile vero, ſed cetera fabuloſa, quæ meritò quidem rejecit *Joſephus* Ant. Jud. Lib. X. c. 1. ſed quibus aliam ex cerebro fabellam ſubſtituere non debuit: τ̃ δὲ χρόνυ διελθόντος, inquit, καὶ ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς διαμαρτὼν τῆς ἐπὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἐπιβουλῆς ἄπρακτος ἀνεχώρησεν οἴκαδε, δι' αἰτίαν τοιαύτην· πολὺν αὐτὸς χρόνον ἐτρίβετο πρὸς τὴν Πηλουσίου πολιορκίαν, καὶ τῶν χωμάτων ἤδη μετεώρων ὄντων ἃ πρὸς τοῖς τείχεσιν ἤγειρε, καὶ ὄντος ὅσον οὔπω μέλλοντος προσβάλλειν αὐτοῖς, ἀκούει τὸν τῶν Αἰθιόπων βασιλέα Θαρσίκην πολλὴν ἄγοντα δύναμιν ἐπὶ συμμαχίᾳ τοῖς Αἰγυπτίοις ἥκειν, διεγνωκότα ποιήσασθαι τὴν πορείαν διὰ τῆς ἐρήμου καὶ ἐξαίφνης εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἐμβαλεῖν: *Procedente tempore, Aſſyriorum rex, cùm malè ceſſiſſent ei inſidiæ in Ægyptios, re infectâ domum rediit, tali de cauſa. Longum tempus in oppugnatione Peluſii abſumtum eſt, & cùm jam aggeres, quos ad mœnia excitarat, alti eſſent, & ita ut non eſſet ampliùs cunctaturus ea aggredi, audivit Æthiopum Regem Tharſiken magnum adducentem exercitum, ut ſuppetias ferret Ægyptiis, venire, cùm decreviſſet viam facere per deſertum & ſtatim in Aſſyriorum agros ingredi.* Aptat, nempe, audax hiſtoricus Peluſii obſidioni quæ de Lachiſenſi narrat Scriptura. Poſtea ſequebatur apud *Joſephum*, ut non abſurdè videtur *Joſepho Scaligero*, pag. 45. ad Fragm. ſupplenti quod hiſtorico Judæo deeſt, & quod uncinis clauſimus, hoc modo: Ταραχθεὶς οὖν ἐπὶ τούτοις ὁ βασιλεὺς Σαναχήριβος [λύει τὴν πολιορκίαν· Ἡρόδοτος δὲ γράφει Σαναχήριβον] ἐπὶ τὸν ἱερέα τοῦ Ἡφαίστου στρατεῦσαι λέγων (non ἔλεγεν) ὡς αὐτὸς ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα ἦλθεν (non ἦλθον) ἱερέα ὄντα: *turbatus ergo hiſce Rex Sanacheribus [ſolvit obſidionem. Herodotus verò ſcribit, Sanacheribum] in Sacerdotem Vulcani expeditionem ſuſcepiſſe, dicens hunc Regem veniſſe in Regem Ægyptiorum, qui erat Sacerdos.* Deinde hiſtoriam narrans, quam verbis *Herodoti* protulimus, hæc habet: πλανᾶται γὰρ καὶ τοῦτο Ἡρόδοτος, οὐκ Ἀσσυρίων λέγων τὸν βασιλέα ἀλλ' Ἀράβων: *fallitur & in hoc Herodotus, quod non dicat eum Aſſyriorum Regem fuiſſe, ſed Arabum.* Oportuit eum mutilum *Herodoti* codicem habuiſſe, aut negligenter legiſſe; niſi is, qui eum adjuvit in conſcribenda Hiſtoria, peccarit. Obſervat etiam *Beroſum* meminiſſe Sancheribi, quamvis verba Beroſi non adferat, ut rectè animadvertit *Joſ. Scaliger.*

22. *Cujus loca excelſa, altariáque &c.*] Non ſatis hæc expenderant Rabbini, qui putarunt præfectum Pincernarum Proſelytum fuiſſe Judaicæ Religionis, qui poſtea ab ea defecerit; eò quòd ſciret Hebraïcè. Quaſi verò nemo Phœniciam Linguam ſciret, quæ aut eadem prorſus ac Hebraïca, aut non multùm diſſimilis fuit! Sed nec hoc ſciebant Rabbini, qui ſaltem Judaicæ Religionis peritum non ita abſurdè loquuturum eſſe intelligere debebant. Quid enim erat no-

vel ad te miſit me dominus meus, ut hæc verba proferam? Annon potiùs ad viros il-
los, qui ſedent ad murum, ut ſtercus ſuum comedant, & urinam ſuam bibant vobiſ-
cum? 28. Stetit ergo præfectus Pincernarum & exclamavit voce magnâ, Judaïcè, &
audite, inquit, verba magni Regis, Regis Aſſyriorum. 29. Sic dixit Rex: ne deci-
piat vos Hezekia, neque enim vos è manu mea liberare poterit. 30. Nec vos adducat
Hezekia ad fidendum Jehovæ, dicens: Jehova nos liberabit, neque tradetur hæc urbs
in manum Regis Aſſyriorum. 31. Ne auſcultetis Hezekiæ, ſic enim dixit Rex Aſſy-
riorum: me ſalutatum venite, exite ad me, comedite quiſque è vite & ficu ſua, &
bibite quiſque aquam ciſternæ ſuæ; 32. donec veniam, abducámque vos in terram, in-
ſtar veſtræ terræ, terram frumenti & muſti, terram panis & vinearum, terram olivæ, olei,
& mellis; ut vivatis, nec moriamini. At ne audite Hezekiam, cùm vos concitat, his
verbis: Jehova nos liberabit. 33. An liberarunt Dii *aliarum* gentium quiſque terram ſuam,
è

notius, quàm Hezekiam, in eo quod fecerat, diligentem Legis obſervatorem fuiſſe?

23. *Sponſionem facito*] התערב *hithhareb.* Ex re ipſa expoſuimus *deponere pignus*, ſeu ערבון *arrhabonem*; ſeu ſponſione contendere cum rege Aſſyriorum, niſi duo millia virorum ei ſuppeditaret, qui equitandi eſſent periti. Hoc vult *Rab-ſake*, ſeu Princeps Pincerna, tantùm abeſſe ut Hezekias ſperare poſſet ſe fore parem Aſſyriorum Regi, equitatu & curribus pollenti; ut ne poſſet quidem Rex Judæorum ei ſuppeditare duo millia virorum, qui artem equitandi callerent. Verùm LXX. Intt. hanc vocem de prælio intellexerunt, habent enim: Καὶ νῦν μίχθητε δὴ τῷ Κυρίῳ μου. Vulgatus vertit: *tranſite ad dominum meum*; quaſi legiſſet, non הִתְעָרֵב ſed הִתְעַבֵּר *tranſito.*

Invenire] *Dare tibi.*

24. *Quomodo ergo* &c.] Cùm neminem fermè habeas equitandi peritum, non poſſes vertere in fugam unum præfectorum Regis Aſſyriorum, quamvis confidas equitatui & curribus Ægyptiorum. Is eſt ſenſus horum verborum, quæ conſentiunt cum eo quod habet *Herodotus*, militaris generis Ægyptios noluiſſe arma capere in gratiam Sethonis; unde conſequens eſt, ut minorem habuerit numerum equitum & curruum, quàm ut copias in Palæſtinam mittere poſſet.

25. *An ſine Jehova* &c.] Hæc purum putum ſunt mendacium à Pincerna Aſſyrio inventum, niſi fortè & ipſe à Pſeudo-propheta quopiam Iſraëlita deceptus fuerit.

26. *Lingua Aramæâ*] ארמית *aramith.* Subaudiendum בלשון *bilſchon*, linguâ Aramæa. Quod etiam ſupplendum ad vocem יהודית *jehoudith.*

Nam eam intelligimus &c.] Cùm Linguis, quæ in uſu erant cis & ultra Euphratem, maxima eſſet adfinitas, quam etiamnum eſſe videmus inter Linguas Chaldaïcam ſeu Syriacam & Hebræam, mirum non eſt viros litteratos eas intellexiſſe, iiſque potuiſſe loqui.

27. *Ut ſtercus ſuum comedant* &c.] Hæc ſunt hyperbolicè dicta, ad ſignificandam gravem famem, quam timere poterant Judæi, ſi Jeroſolima obſideretur. Pro *ſtercore* eſt in contextu חריהם *hhorehem*, ſed Maſſorethæ ſubjecerunt huic voci puncta vocis צואתם *tſoatham*, *excrementa ſua*; cùm hanc ut pote, cùm inventa ſunt puncta, honeſtiorem eſſe viderent, in Lingua Chaldaïca minùs pura, qua tum utebantur.

Urinam ſuam] Eſt in textu שיניהם *ſcheneh**em***, pro quo, eadem de ratione, voluerunt legi Maſſorethæ מימי רגליהם *aquas pedum ſuorum.* Nimis delicati hac in re fuiſſe videntur. Qua de re conſule *Lud. Cappelli* Criticam Sacram Lib. III. c. 6.

29. *E manu mea*] מידו mijjado, *è manu ejus.* LXX. Intt. Ἐκ χειρός μου in Codd. Complutenſi, Aldino, & Alexandrino. Vulgatus ſimiliter, *è manu mea.* Sanè cùm Rex Aſſyriorum loquens inducatur, legendum מידי *majjudi.* At in Cod. Vaticano eſt ἐκ χειρὸς αὐτοῦ, pro lectione hodierna, quam *Joan. Piſcator* mendoſam eſſe meritò ait. Itaque priorem, cùm minima eſſet mutatio, ſequuti ſumus.

31. *Me ſalutatum venite*] עשו אתי ברכה haſchou ithi brachah, *facite mecum benedictionem.* LXX. Intt. ad verbum: ποιήσατε μετ' ἐμοῦ εὐλογίαν. Vulgatus: *facite mecum quod vobis eſt utile.* Thargum: שלמא *pacem.* Verùm hoc in negotio ברכה poteſt eſſe dumtaxat aut *munus*, aut *ſalutatio*; nam *benedicere alicui* ſæpe perinde eſt ac eum ſalutare, quia non fiebat ſalutatio, niſi additâ fauſtâ adprecatione. Poſterius maluimus, quia videtur hoc voluiſſe Sancheribus, ut ſe Regem ſuum Judæi ſalutarent, hac aut ſimili formulâ: יחי לעלם מלכנא סנחריב *vivat in perpetuum rex noſter Sancherib.*

Comedite quiſque &c.] Fruimini tranquillè hac veſtra patria terra, à Majoribus accepta, donec &c.

32. *Donec veniam* &c.] Etiam migrare eos volebat, ut omnia rerum novarum conſilia in peregrino ſolo, hac illac ſparſi, abjicerent: quemadmodum fecerant decem Tribus in captivitatem abductæ.

Abducámque vos in terram &c.] *Et ſumam vos* (abducendos) *in terram* &c.

Ut vivatis &c.] Alioqui minabatur ſe effecturum ut mœnibus Jeroſolimitanis clauſi fame perirent.

Cùm vos concitat] כי יסית *chi jaſith.* Hic כי eſt *quando.*

33. *An liberarunt* &c.] *An liberando liberarunt.*

Terram ſuam] ארצו, hoc eſt, terram ſibi ſollemni cultu conſecratam. Putabant, nempe, Aſſyrii Deos ſuos potentiores eſſe Diis vicinarum gentium, & urbium, quia eas ſubegerant; cùm debuiſſent cogitare potuiſſe fieri ut Numen aliquando, minùs ſanctè cultum, cultores ſuos minimè tueretur, quod contigerat decem Tribuum Iſraëlitis. Nec ullius ponderis ſunt argumenta potentiæ Numinis, ejúſve favoris petita ex rebus proſperis; cùm mutatis, ut fit, rerum humanarum vicibus, retorqueri omnia poſſint, in eos qui ſecundis rebus ſuis iis abuſi fuerant.

 34. *Cho-*

è manu Regis Aſſyriorum? 34. Ubi ſunt Dii Chamathæ & Arphadi? ubi Dii Sepharvajimorum, Henæ & Hivvæ? num eripuerunt *Dii* Samariam manui meæ? 35. Quinam, inter omnes terrarum Deos, liberarunt terram ſuam è manu mea, ut Jehova Jeroſolimam manui meæ eripiat? 36. Tacuit verò populus, nec quidquam reſpondit, nam mandatum fuerat Regis, his verbis: ne ei reſpondete.

37. At Eljakimus, Chilkijæ filius, domui *regiæ* præfectus, Sebna Scriba, & Joachus à commentariis, iverunt ad Hezekiam veſtibus laceratis, eique verba præfecti Pincernarum renunciarunt.

XIX. Hezekias auditis Aſſyriorum blaſphemiis veſtes lacerat, saccóque indutus in Templum ſe confert, & Iſaïam Prophetam conſulit. Sancheribus blaſphemas litteras mittit ad Hezekiam, qui eas lectas coram Deo apertas exponit, auxiliúmque ejus ſupplex petit. Iſaïas liberationem ſpondet, quam mox præſtat Deus.

CAPUT XIX.

1. CUM verò hæc audiviſſet Rex Hezekia, laceravit veſtes ſuas, ſéque ſacco operuit, atque Ædem Jehovæ ingreſſus eſt. 2. Tum Eljakimum domui *regiæ* præfectum, Sebnam Scribam & ſeniores Sacerdotum ſaccis tectos miſit ad Iſaiam Prophetam, Amotſi filium, 3. ut dicerent: ſic dixit Hezekia: dies anguſtiæ, objurgationis & contumeliæ hic dies eſt; venerunt enim filii ad collum uteri, ſed vis nulla eſt

34. *Chamathæ*] Vide ad Cap. XVII, 30.

Arphadi] ארפד *Euſebius* & *Hieronymus* in locis: Ἀῤφὰθ, πόλις Δαμασκοῦ, ἣν ἐπολέμησε βασιλεὺς Ἀσσυρίων, ἐν Ἡσαΐα, καὶ Ἱερεμίᾳ, καὶ βασιλείαις: *Arphad, urbs Damaſci, quam expugnavit Rex Aſſyriorum, ſicut in Eſaia, Jeremia, & libris Regum ſcribitur.* Liquet reverâ fuiſſe urbem Damaſcenæ, ex Jerem. XLIX, 23. Vide & Eſ. X, 9.

Sepharvajimorum] Vide ad Cap. XVII, 30.

Henæ & Hivvæ] *Hivva* eadem eſſe videtur ac *Havva*, de qua antea dixi, ad locum memoratum. *Hena* הנע ubi fuerit non conſtat, ſed in Meſopotamia, aut in Syria fuiſſe crediderim, ut ceteras. LXX. Intt. habent hîc Αἰὰ καὶ Ἀβὰ, vel Αὐὰ, Vulgatus, *Ana* & *Ava*. A priori nomine non multùm abludunt *Aniana* ad Euphratem, ſi *Ptolemæo* credimus; aut *Ina* in Cœle Syria, quam idem memorat.

Num eripuerunt] כי הצילו *chi hitsſilou*. Hîc כי eſt idem ac *an*, *num*. Vide ejus Signif. 2. apud *Chr. Noldium*.

37. *Veſtibus laceratis*] *Laceri veſtibus*; nempe, propter auditam blaſphemiam. Vide Cap. XIX, 1.

IN CAPUT XIX.

1. *SEque ſacco operuit*] Ut in luctu publico, quòd timeret iram Regis Aſſyriorum.

Iſaiam] ישעיהו *Jeſchahjahou*. Iſaiam diximus cùm propter Latinorum uſum, tum quia propior hæc prolatio eſt Hebraicæ. Alioquin *Eſaiam*, more apud multos jam recepto, paſſim vocamus in Commentariis noſtris.

3. *Contumeliæ*] נאצה *niatſa*. LXX. Intt. habent παροργισμοῦ, Vulgatus: *blaſphemiæ*. Pertinet, nempe, hoc ad blaſphemam Pincernæ Aſſyrii orationem.

Venerunt filii &c.] Eſt proverbialis loquutio, quâ ſummæ anguſtiæ ſignificantur, in quibus verſantur ii qui vident quidem quid faciendum ſibi ſit, ut calamitatem imminentem vitent, ſed ſentiunt rem eſſe ſupra vires ſuas, timéntque ne dum ſe expedire conantur funditus pereant. Petita eſt loquutio ab anxietate puerperæ, quæ ſentit quidem fœtum ſuum eſſe maturum & pondere ſuo ex utero illico proditurum, ſi conatu ſuo eum adjuvare poſſet; ſed diuturnitate dolorum ita eſt debilitata, ut jam vires ad enitendum ei deſint. Quo in ſtatu, niſi præſens obſtetricis adſit auxilium, certa mors puerperæ imminet. Poſſet quod hic dicitur comparatione facilè exprimi: quali in ſtatu eſt puerpera, quæ —— tali nunc eſt Jeroſolima &c. Quod in omnibus proverbialibus formulis obſervare licet, quæ ideò ab Hebræis משלים *mſchalim*, ſimilitudines dicuntur.

4. *Fortè audivit* &c.] Sciebat quidem Hezekias Deo omnia eſſe nota, ideóque non dubitabat quin hoc quoque ad aures Dei perveniſſet; ſed hoc volebat, fortè Deo hanc rem cordi eſſe, nec impune hoc abire paſſurum eum eſſe. Deus enim *non audire* dicitur, ea quorum rationem nullam habere videtur, *audire* contra quæ plectit, ſi mala ſint: præmio afficit, ſi recta. Eſt antecedens pro conſequente. Hunc ſenſum eſſe verborum Hezekiæ oſtendit quod poſtea dicit, Deum *verba audiviſſe*. Sed quia multa mala Deus novit fieri, de quibus tamen pœnas, in hac certè vita, non ſumit; ideò dubitabat Hezekias, an Deus vellet Aſſyriorum blaſphemias plectere, Jeroſolimámque propterea liberare.

Itaque orationem] *Et tolles orationem* &c.

Reliquiis Iſraëlis] Quia non tantùm Decem Tribuum regnum deletum fuerat, ſed Judæa etiam vaſtata.

6. *Servi Regis Aſſyriorum*] *Pueri Regis Aſſur.*

7. *En ego mittam mox in eum ſpiritum*] *Ecce ego pono in eo ſpiritum*, נותן בו רוח. Vox *ſpiritus* intelligi queat de Subſtantia intelligente, ſeu de Angelo, quem Deus miſit in caſtra Sancheribi, ut 1. Reg. XXII, 21. vel de *affectu* quodam terroris & trepidationis, quo factum eſt, ut

eſt ad pariendum. 4. Fortè audivit Jehova, Deus tuus, omnia verba præfecti Pincer-
narum, quem ejus dominus Aſſyriorum Rex miſit, ut probris afficeret Deum vivum,
increparétque eum, verbis, quæ audivit Jehova Deus tuus. Itaque orationem pro re-
liquiis *Iſraëlis*, quæ *etiamnum* inveniuntur, fundito.
5. Cùm ergo conveniſſent ſervi Hezekiæ Regis Iſaïam, 6. dixit illis Iſaïas: ſic dice-
tis domino veſtro: ſic dixit Jehova: ne timeas, propter verba quæ audiviſti, & qui-
bus ſervi Aſſyriorum Regis me proſciderunt. 7. En ego immittam mox in eum ſpi-
ritum, audietque rumorem, & revertetur in terram ſuam, ubi gladio eum proſter-
nam.
8. Reverſus præfectus Pincernarum invenit Regem Aſſyriæ oppugnantem Libnam,
nam acceperat eum Lachiſo diſceſſiſſe. 9. Audiverat verò de Thirhaka, Chuſitidis Rege,
qui dicerent: egreſſus eſt, ut tecum pugnaret. Itaque reverſus miſit legatos ad Heze-
kiam, Regem Judæ, quibus, 10. ſic dicetis, inquit, Hezekiæ Regi Judæ: ne decipiat
te Deus tuus, cui confidis, his verbis: non tradetur Jeroſolima in manum Regis Aſ-
ſyriorum. 11. En audiviſti quæ fecerint Reges Aſſyriæ omnibus terris, ut eas perde-
rent; tu verò liberareris? 12. Num liberaverunt eas Dii *aliarum* gentium, quas dele-
verunt Majores mei, ut Gozanitidem, Charanem, Retſephum, & Hedenenſes, qui
ſunt Thelaſſare? 13. Ubi *ſunt* Rex Chamathæ, Rex Arphadi, Rex urbis Sepharvaji-
morum, Henæ, & Hivvæ? 14. Sumſit verò Hezekia litteras è manu legatorum eáſ-
que legit, tum adſcendit in Ædem Jehovæ, & eas coram illo explicuit. 15. Dein ora-
vit coram Jehova, in hæc verba: ô Jehova, Deus Iſraëlis, qui Cherubis inſides, tu ſolus
Deus

ut obſidionem oppidi, quod alioqui cepiſſet, ſolverit. De hac poſteriori ſignificatione vocis, egimus *Artis Criticæ* P. 2. Sect. I. Cap. V, 16. num. VII.

Revertetur] Non quidem illico, ſed paullò pòſt, ut Hiſtoria docet. Ceterùm Deus plus præſtitit ad liberandam Jeroſolimam, metúmque omnem Judæis eripiendum, quàm hîc per Iſaiam pollicetur.

Gladio eum proſternam] Patiendo, nempe, eum à filiis iratis opprimi, qui filii inſcii fuerunt juſtitiæ divinæ inſtrumenta. Cavendum tamen ne putemus Deum adoleſcentibus tam malam mentem immiſiſſe, quia Deus ipſe facturus dicitur id quod illi fecerunt. Vide de ejuſmodi loquutionibus dicta ad 2. Sam. XII, 11.

8. *Oppugnantem Libnam*] Videtur Libna non ita munita fuiſſe ac Lachiſum, aut ſic ſita, ut eam obſidens non ſibi timeret ab invaſione Regis Chuſitidis; quòd validis præſidiis fauces montium occupaſſet, aut alia quapiam de cauſa nobis ignota.

9. *Audivit verò de Thirbaka*] אל תרהקה *el Thirbaka*, ubi אל vertendum *de*, non aliter ac ſi legeretur על *hal*, ut infra vſ. 32.

Chuſitidis Rege] מלך כוש *melech Chouſch*, quod *Chuſæorum* etiam *Regem* vertere potuiſſemus. LXX. Intt. verterunt βασιλέα Αἰθιόπων, Vulgatus, *Æthiopiæ*. Sed dudum oſtendit *Sam. Bochartus* Phal. Lib. IV. c. 2. & nos ex illo ad Gen. X, 6. non Æthiopiam, ad auſtrum ſuperioris Ægypti ſitam, ſed Madianitidem ad intimum ſinum Arabicum eâ voce ſignificari. Quod cùm *Joſephus* non intelligeret, finxit contra Sancheribum, dum Peluſium obſideret, minatum eſſe ſe venturum Æthiopiæ Regem, ut Ægyptiis auxilium ferret. Vide Antiq. Jud. Lib. X. cap. 1.

Reverſus] Ex obſidione Peluſii, & Lachiſi, quas urbes cùm capere non potuiſſet, mirum eſt hominem tam ſuperbè loquutum.

10. *Ne decipiat te* &c.] *Dicendo, ne decipiat.* Poſt priorem legationem, inaudiverat Deum Judæorum vetuiſſe Jeroſolimitanos timere ne urbs ſua caperetur ab Aſſyriis. Quod Dei oraculum hîc ſtultâ ferociâ oppugnat.

12. *Gozanitidem*] Vide ad Cap. XVII, 6.

Charanem] חרן, urbem in Meſopotamia, de qua ad Gen. XI, 30.

Retſephum] Reſcipha eſt Meſopotamiæ, ubi Saocoras in Euphratem, aut Ræſapha in Palmyrena. Utra hîc intelligatur non ſatis mihi conſtat.

Hedenenſes, qui ſunt Thelaſſare] *Hedenenſem* tractum ad Syriam pertinere oſtendi ad Gen. II, 8. Θελασσὰρ *Euſebio* & *Hieronymo* eſt regio Syriæ.

13. *Ubi ſunt Rex Chamathæ* &c.] Qui antea Dii dicti fuerant Cap. XVIII, 34. hîc vocantur *Reges*, quòd tractus terrarum in quibus Dii quidam colebantur dicerentur eorum *regna*, & populi eos nomine *Regum* invocarent. Sic Chryſes apud *Homerum* Iliad. A, 35.

—— ἠρᾶθ' ὁ γεραιὸς
Ἀπόλλωνι ἄνακτι, τὸν ἠΰκομος τέκε Λητώ.
Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις.

Orabat ſenex Apollinem regem, quem Latona pulcrâ comâ prædita peperit. Audi me, argenteum arcum habens, qui Chryſam cinxiſti, Cillámque divinam, & in Tenedo fortiter regnas.

Rex Arphadi &c.] Sunt eadem urbes, quas memoravit Pincerna antea.

14. *Litteras* &c.] In quibus ſimilia memoratis habebantur.

Coram illo explicuit] Non ut Deo oſtenderet quod non viderat, ſed ut populum earum litterarum conſpectu ad Deum orandum magis excitaret.

15. *Oravit*] *Et oravit Hezekia.*

Cherubis inſides] Te præſentem ſingulari ratione ſupra Cherubos Adyti Jeroſolymitani oſtendis.

Deus

Deus es omnium regnorum terræ, tu feciſti cœlum & terram. 16. Præbe aurem
tuam, ô Jehova, & audi: aperi, ô Jehova, oculos tuos, vidéque *hæc* & audi verba
Saneheribi, quæ, ut probris Deum vivum afficeret, *ad me* miſit. 17. Vaſtarunt cer-
tè, ô Jehova, Reges Aſſyriorum *alias* gentes, earúmque terras, 18. injecerúntque
Deos earum in ignem, quia non erant Dii, ſed opificium manuum humanarum, lig-
númque & lapis, & eos perdiderunt. 19. Nunc verò, ô Jehova, Deus noſter, libe-
ra nos ex ejus manu; intelligéntque omnia regna terræ, te Jehovam ſolum eſſe Deum.
20. Tum miſit Iſaïas, Amotſi filius, ad Hezekiam, qui diceret: ſic dixit Jehova
Deus Iſraëlis: audivi ea quæ à me petiiſti de Saneheribo Aſſyriorum Rege. 21. Hæc
ſunt verba, quæ de eo protulit Jehova: contemſit te, ſubſannavit te, ô virgo filia Sio-
nis: poſt te caput movit, ô filia Jeroſolimæ. 22. Quemnam probris affeciſti? *cuinam*
con-

Deus es omnium regnorum] Non quales commentitii illi Dei, qui, ut putabant Ethnici, nihil poterant extra ſingularem quemdam terræ tractum ſibi dicatum. Deus verus & terris omnibus & ſolus præeſt. Ceteri enim Dii aut erant figmenta mera ingenii humani, aut Cacodæmones, aut animi mortuorum, quorum aut nulla prorſus eſt potentia, aut ejuſmodi quæ planè pendet è ſummi & unici Numinis nutu, quo inviſo & inſcio nihil facere poſſunt.

Tu feciſti cœlum & terram] Ideóque eorum es dominus, & quidem ſolus.

16. *Præbe aurem* &c.] Deus *præbere aurem & aperire oculos* dicitur, quando id facit quod conſequi ſolet auditum & conſpectum rei cujuſpiam; quæ plectitur quidem, ſi mala eſt: præmio verò afficitur, ſi bona. Sic paſſim loquuntur Sacri Scriptores.

18. *Injecerúntque Deos eorum*] Nempe, Deorum ſimulacra, quæ paſſim Ethnici Deos ſuos vocant. Quamvis enim crederent, præter conſpicua illa ſimulacra, eſſe Mentes quaſdam inconſpicuas, quas propriè vocabant Deos; attamen paſſim ita loquuntur, quaſi ſublatis ſibi ſtatuis nullos ampliùs haberent Deos. Exempla attulimus *Artis Criticæ* P. 2. Sect. I. C. XV, 51.

Non erant Dii &c.] Ethnici vocabant ejuſmodi ſtatuas Deos, non tantùm quòd Deorum eſſent ſimulacra; ſed etiam quòd Deorum Numen, quibus erant conſecratæ, iis adeſſe putarent. Quam in rem legendus libellus de Dea Syria, inter *Luciani* opera, ex quo pauca ſubjiciam verba, quia de Syris agit de quibus hîc ſermo eſt. Sic igitur ille de Templo Heliopolitano: ἔνι δὲ καὶ ἔργα ἐν αὐτῷ πολυτελέα καὶ ἀρχαῖα ἀναθήματα καὶ πολλὰ θωύματα καὶ ξόανα θεοπρεπέα καὶ θεοὶ δὲ κάρτα αὐτέοισιν ἐμφανέες· ἱδρώει δὲ ὦν παρά σφισι τὰ ξόανα καὶ κινέεται καὶ χρησμηγορέει· καὶ βοὴ δὲ πολλάκις ἐγένετο ἐν τῷ νηῷ κληϊσθέντος τοῦ ἱροῦ καὶ πολλοὶ ἤκουσαν: *ſunt autem & opificia in eo pretioſa & antiqua donaria & multa mirabilia & ſtatuæ religioſæ, & Dii quoque illis admodum præſentes; nam apud eos ſimulacra ſudant & moventur & oracula edunt, & clamor ſæpe numero in Æde coortus clauſo templo, quem multi audiverunt.* Sic etiam ſuperſtitioſus loquitur, apud *Plutarchum*, in libro de Pythiæ oraculis T. II. p. 398. ubi agitur de donariis Templi Delphici: ἐγὼ δὲ φαίην ἂν καὶ τῶν ἀναθημάτων τὰ ἐνταυθοῖ μάλιστα συγκινεῖσθαι καὶ συνεπισημαίνειν τῇ τοῦ Θεοῦ προνοίᾳ, καὶ τούτων μέρος μηδὲν εἶναι κενὸν, μηδὲ ἀναίσθητον, ἀλλὰ πεπλῆσθαι πάντα θειότητος: *ego autem dicere auſim quæ ſunt hic donaria, ea maximè Dei providentiâ moveri & ſimul futura ſignificare, nec horum partem ullam eſſe vacuam, ac ſenſu deſtitutam, ſed omnia eſſe plena divinitate.* Si vera hæc fuiſſent de ſimulacris Deorum Syriæ & Meſopotamiæ, Dii illi ſuas ipſorum ſtatuas contra Aſſyriorum molimina tutati eſſent. Quod cùm factum non eſſet, meritò Hezekias iis nihil, præter ligna & lapides, ineſſe contendit.

20. *De Sancheribo*] אל סנחריב *el Sanhherib.* Hîc אל eſt perinde ac על, ut vſ. 7.

21. *O virgo filia Sionis*] בתולת בת ציון *bthoulath bath Tſijon.* Eſt ſtatus conſtructus pro abſoluto בתולה *bthoulah*, quod, ut & multas alias ejuſmodi anomalias, ſuſpicor librariis potiùs deberi quàm Sacris Scriptoribus, quamvis ſæpiùs occurrat. Intelligitur autem urbs Jeroſolima, quæ eſt filia Sionis, quia collis ille omnium tutiſſimus videtur primùm habitatus, ac poſtea, additis novis incolis, propter loci munitionem, Jeroſolimam veluti peperiſſe, dum circumquaque incolitur.

O filia Jeroſolimæ] Jeroſolimitanæ puellæ, quas ſibi prædæ fore putabat.

22. *Magnâ voce loquutus es*] *Extuliſti vocem.*

Nimirum, contra Sanctum Iſraëlis] Nempe, Deum.

23. *Multitudine curruum*] ברכב רכבי *birebob richbai*, hoc eſt, cùm vehar curribus meis. Sed Maſſorethæ putarunt potiùs legendum ברב brob, *multitudine*, ut legerunt LXX. Intt. qui habent ἐν τῷ πλήθει τῶν ἁρμάτων, & Vulg. *multitudine curruum.* Sic legitur etiam Eſaiæ XXXVII, 24. Exiſtimat tamen *Lud. Cappellus* retineri poſſe τὸ כתיב, hoc ſenſu: non modò peditibus meis, vel equitibus, ſed etiam curribus ſuperabo ipſa montium juga; quæ Thraſonica eſt jactantia. *Criticæ Sacræ* Lib. III. c. IX, 13.

Adſcendam in verticem &c.] Hæc videntur allegoricè intelligenda, de cœptis difficillimis, quæ ad finem perducturos ſe ſe jactabant Aſſyrii; quale eſſet curribus arduos montes & ſaltus invios peragrare, quod fieri non poſſet niſi viæ exſcinderentur in rupibus, ſaltúſque horridi cæderentur, ingenti labore & ſumtu. Itaque ſic loquutus eſt Propheta, ut ſignificaret tantam fuiſſe Aſſyriorum fiduciam, ut ab exercitibus ſuis nihil non fieri poſſe exiſtimarent.

Stantes ejus cedros] קומת ארזים *komath arazim*, hoc eſt, *ſtaturam cedrorum* pro ſtantibus cedris. LXX. Intt. habent: τὸ μέγεθος τῆς κέδρου, & Vulg. *ſublimes cedros.*

Electiſſimáſque abietes] *Electionem abietum.*

Diverſorium quod eſt in ejus extremitate] מלון קצה *mlon kittſo*, pro קצו. Credibile eſt habitaculum quoddam fuiſſe in ſummo Libano, quod adiri curribus nullo modo poterat, circa eadem loca, ubi Græcorum & Maronitarum eſt
Mo-

conviciatus es? contra quem magnâ voce loquutus es, extuliſtique in ſublime oculos tuos? *Nimirum*, contra Sanctum Iſraëlis. [23] Per nuncios tuos, probris laceraſti Dominum, & dixiſti: multitudine curruum meorum, adſcendam in verticem montium, in latera Libani; *ubi* exſcindam ſtantes ejus cedros, electiſſimáſque abietes; ingrediar diverſorium quod eſt in ejus extremitate, & ſaltum arboreti ejus. [24] Fodiam & bibam alienas aquas, ac plantâ pedum meorum rivos omnes Ægypti exſiccabo. [25] Annon audiviſti e longinquo? Feci hanc antiquis temporibus, & eam formavi. Nunc verò adducam *eò* illam ut deſoletur, urbeſque munitæ *fient* acervi ruderum. [26] Ideò incolæ earum manus breviores habebunt, conterentur, & pudefient, fient *inſtar* viroris herbulæ, *inſtar* fœni tectorum, *inſtar* eorum quæ aduruntur antequam in culmos creverint. [27] Ego verò, *inquit Jehova*, novi quando ſedeas, quando egrediaris & ingredia-

Monaſterium, de quo *Pet. Belonius* Obſervationum Cap. XCV. *Eſt in jugo*, inquit, *monaſterium Calogerorum Maronitarum & Græcorum, qui oſtendunt altas Cedros, ſimiles iis, quibus Salomon Templum ſuum ædificari curavit, ut perduraret.* Ejuſdem loci meminerunt & alii Itinerariorum Scriptores.

Dignum eſt obſervatu pro מלון *melon*, ut hîc legimus, quod ſignificat locum, in quo per noctem divertere licet, apud Iſaiam C. XXXVII, 24. ubi Prophetæ verba eadem proferuntur, legi מרום *merom*, altitudinem. Quod factum videtur propter ſimilitudinem ſoni, aut ſensûs. LXX. Intt. habent, in Cod. Vaticano: καὶ ἦλθον εἰς μέσον δρυμοῦ. In Aldino verò & Alexandrino: εἰσῆλθον εἰς μέρος τέλους αὐτοῦ. Videntur retinuiſſe Hebraïcam vocem ΜΕΡΩΜ, ex qua μέσον & μέρος facta ſunt, quæ omni ſenſu carent. At memoratur à *Fl. Nobilio* codex, qui habebat Μηλὼν, quæ vox hîc legitur in noſtris Codicibus. Vulgatus, cùm hæc non intelligeret, vertit, *ingreſſus ſum uſque ad terminos ejus*, quaſi pro מלון legendum putaſſet על aut עד.

Saltum arboreti ejus:] יער כרמלו *jabar charmillo*. De ſignificatione vocis יער nemo dubitat. *Silva* eſt, aut *ſaltus*, ubi de montibus ſermo eſt. At obſcurior eſt vox כרמל *charmel*. Nomen proprium eſſe putarunt veteres Interpretes. Nam LXX. habent δρυμοῦ καρμήλου αὐτοῦ, & Vulgatus, *ſaltum Carmeli ejus*. Sed nomen hîc eſt appellativum, ut liquet vel ex pronomine ſuffixo. Itaque Recentiorum alii locum frugibus, alii arboribus conſitum, ſeu nemus interpretantur: quæ poſterior ſignificatio huic loco meliùs convenire videtur. Vide & Eſai. X, 18. ubi יערו & כרמלו quaſi ſynonyma junguntur.

[24] *Fodiam & bibam alienas aquas*] In alieno ſolo, quaſi in meo, fodiam puteos; quibus verbis, ſignificabant Aſſyrii fore ut aliorum populorum agros invaderent. Qui enim domi manent ſuas ipſorum aquas, non alienas bibunt, nec umquam puteos in alieno ſolo fodiunt.

Plantâ meorum pedum &c.] Hoc eſt, vel pulvere plantæ pedibus meorum adhærente aggeres faciam, quibus alvei rivorum, in quos diviſus eſt Nilus, opplebuntur. Vel, dum abluit exercitus meus pedes, exhauriet Nili omnes alveos. Quæ maxima eſt & intoleranda jactantia, cum qua *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. V. c. 15. confert hæc verba Alarici, apud *Claudianum*, de Bello Getico:

— *ſubſidere noſtris*
Sub pedibus montes, areſcere vidimus amnes.

Rivos omnes Ægypti] כל יאורי מצור *chol jeore matſor*. LXX. πάντας ποταμοὺς περιοχῆς. Vulgatus, *omnes aquas clauſas.* Thargum נהרין עמיקין *flumina profunda.* Similia alii, quæ proferre nihil adtinet. Egregiè oſtendit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 24. מצור *matſor* hîc eſſe nomen Ægypti, unde factum vult nomen מצרים *mitſrajim* in duali, per compendium. Malim tamen dualem hanc formam deducere à ſingulari מצר *metſer*, quomodo Arabes etiamnum hodie Ægyptum vocant. Idem nomen exſtat, Ægyptumque manifeſtò ſignificat Eſai. XIX, 6. & Mich. VII, 12. Hoc veluti per nebulam jam viderat *Val. Schindlerus*, quem vide in צור *tſour.*

[25] *Feci hanc* &c.] Hæc verba, & quæ ſequenti vſ. continentur, quæ vulgò Dei per Prophetam loquentis exiſtimantur, prorſus cenſeo, non ſecus ac ſuperiora, Aſſyriorum Regis eſſe, & ad Ægyptios ſpectare. Is ſe quondam *feciſſe*, ac *formaſſe* Ægyptum dicit, quòd in eam ex Aſſyria coloni iviſſent; nam *Chamus*, Noachi filius, & *Chuſus*, ex Aſſyria profecti in Ægyptum vicináſque oras iverant, ut oſtendit ipſum nomen *terræ Chami*, quo Hebræi Ægyptum deſignabant. Vide Pſ. LXXVIII, 5. CV, 23, 27. CVI, 21, 22.

[26] *Manus breviores* &c.] *Incolæ earum contracti ſunt manu* &c. hoc eſt, potentia & viribus priſtinis deſtituentur. Nam *contrahi*, הקצר, *manus* ejus dicitur, qui facere aliquid non poteſt, metaphorâ ductâ ab eo, cujus manus contracta morbo non poſſet id facere quod antea poterat. Vide Numer. XI, 23. Eſa L, 2. LIX, 1.

Herbulæ] דשא *deſche*, quod minorem herbam ſignificat, ut חציר *hhatſir* majorem. Vide ad Gen. I, 11.

Herbæ tectorum] In planis Orientis tectis, niſi diligenter purgarentur, facilè naſcebantur herbulæ ex ſeminibus, quæ fortè illic, dum ſiccarentur, relicta fuerant, aut vento eò delata. Sed cùm terra illic non eſſet, brevi exareſcebant. Vide Pſ. CXXIX, 6. Has omnes minas Aſſyriorum in Ægyptios σαρκαστικῶς Deus memorat, quòd omnibus jam notum eſſet irritas eas fuiſſe; cùm Sancheribus, ut ex *Herodoto* oſtendimus, ne intrare quidem Ægyptum potuiſſet, nedum ut eam ſubigeret. Tales ergo minas, quales hîc legimus, repetere, poſtquàm conſtat inanes fuiſſe, perinde eſt ac eas acerrimè ridere, & ridendas aliis exponere.

[27] *Novi quando* &c.] Hæc demum Dei ſunt, nam quæ hîc dicuntur nemini convenire poſſunt, niſi Deo. Sæpe apud Prophetas prætermiſſio, ſubitáque mutatio perſonarum loquentium magnam obſcuritatem creant. *Sedere*, *egredi*, & *ingredi* totam humanam vitam complectun-

diaris, & quando contra me indigneris. 28. Quia autem mihi iratus es, & adſcendit tumultus tuus in aures meas, hamum meum immittam naribus tuis, & frænum meum labiis tuis, efficiámque ut redeas per viam, per quam veniſti. 29. Hoc autem tibi, ô *Ezekia*, *erit* ſignum. Hoc anno, comede ſponte nata, ſecundo etiam anno per ſe orta, tertio *denique* ſementem facite & metite; vineas plantate & fructus earum comedite. 30. Poſthac etiam reliquiæ domûs Judæ, quæ ſuperſunt, radicem deorſum, & fructum ſurſum emittent. 31. Jeroſolimâ egredientur reliquiæ, & qui evaſerint ex monte Sione. Zelotypia Jehovæ hoc efficiet. 32. Quamobrem ſic dixit Jehova, de Aſſyriorum Rege: non ingredietur in hanc urbem, neque intra eam ſagittam jaciet, neque antevertet eam ſcuto, neque aggerem contra eam faciet. 33. Per viam per quam venit, redibit, nec in urbem hanc ingredietur, inquit Jehova. 34. Protegam hanc urbem, ita ut eam ſervem, propter me & propter Davidem, ſervum meum.

35. Eâ autem nocte, egreſſus eſt Angelus Jehovæ & in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia hominum occidit. Cúmque mane *reliqui* ſurrexiſſent, en verò omnia cadaveribus *erant plena*. 36. Itaque profectus abiit, rediitque *ad ſua* Sancheribus, Aſſyriorum Rex, & Ninivæ habitavit. 37. Cùm autem in Æde Niſrochi, Dei ſui, adoraret, Adrammelechus & Saretſer filii ejus gladio eum confoderunt, atque in terram Araratidem aufugerunt, & ejus filius Eſar-chaddon ejus loco regnavit.

XX. He-

tuntur; ideóque Deus hoc vult, ſibi notum fuiſſe quidquid molirentur ac agerent Aſſyrii.

28. *Hamum meum* &c.] חחי באפך *hhabbi beapphecha*. LXX. Intt. ἄγκιςρά μυ εἰς τοῖς μυκτῆρσί συ. Sic ſumitur חח *hhabb* Job. XL, 21. Confertur, ex hac verſione, Rex Aſſyriorum cum piſce, qui hamo capitur, & trahitur quò libet piſcatori. At ſi eam vocem cum Vulgato *circulum* interpreteris, quæ eſt etiam ejus ſignificatio Exod. XXXV, 22. conferetur Aſſyrius cum porco, aut urſo, qui annulo naribus inſerto, & ſuni alligato trahitur. Utrovis modo intelligas, idem exſurgit ſenſus; nimirum, Aſſyriorum Regem inviſo Deo, nihil facturum, aut facere poſſe.

Frænum] Metaphora ducta ab equis & mulis, quæ invita quò ire nolunt trahuntur à ſeſſoribus.

29. *Tibi, ô Hezekia, erit ſignum*] Supplevimus, *ô Hezekia*, quia manifeſtum eſt Deum hîc Hezekiæ polliceri, nihil eſſe, quod ſibi timeret, propter devaſtatam ab Aſſyriis Judæam, & propter potentiam Sancheribi, cujus reditus alioqui timeri poterat. Signum autem hoc non eſt præſens, ſed futurum, magnâ certè ex parte; quòd res futura agebatur. Primo anno, oſtendit Deus non eſſe cur Judæi famem timerent, quia vaſtatis licèt frugibus ab Aſſyriis, ſatis tamen fuit copioſus proventus; ſecundo verò, non hoc tantùm, ſed etiam non redituros Aſſyrios, ut pollicebatur Propheta, quòd quamvis ſementem non feciſſent Judæi, tamen ſat magnam ſegetum copiam habuiſſent, ut ſe ſe ſuſtentarent, donec anni ſequentis meſſes colligerent; tertio denique anno, ex tranquilla ſatione, quam promittebat Judæis, oſtenſurus erat Deus, nihil eſſe quod ab Aſſyriis timerent. Tribus enim vaticiniis impletis, facilè intelligere poterant Deum præſtiturum quod porrò erat pollicitus. Vide etiam ſignum futurum, ad confirmationem fidei rei futuræ Eſaiæ C. VII, 14.

Sponte nata] ספיח *Saphiahh*. LXX. Intt. vertunt τὰ αὐτόματα ut Levit. XXV, 5. eadémque ſignificantur voce סחיש *ſabhiſch*. Vulgatus, quæ *repereris*. Severant quidem eo anno Judæi, ſed Aſſyrii ſegetes aut demeſſuerant, aut corruperant maxima ex parte, antequàm abirent. Ideóque quod reliquerant id vocatur *ſponte natum*, ad quod accedit etiam id quod ex deciduis ſeminibus ortum erat. Satis quidem notum eſt, ſi propriè loquamur, plantam nullam ſponte, hoc eſt, ſine ſemine oriri, ſed ſponte ortæ dicuntur, quæ ſine induſtria humana eas ſerente ortæ ſunt.

Per ſe orta] סחיש *ſabhiſch*, quod apud Eſaïam in hac hiſtoria ſcribitur שחיס *ſchabhis*, litterarum metatheſi. Vertunt hîc LXX. τὰ ἀνατέλλοντα, & Vulgatus *pomis*. Sed mirum eſt Interpretes Græcos Iſaiæ Cap. XXXVII. aliter vertiſſe, nec *Hieronymum* ipſum ſibi planè conſtare. Alter hic annus fuit Sabbathicus, quia Deus eo quidquam ſeri vetat. Itaque eo quod colligebatur tempore meſſis, hoc anno, quamquam ſponte nato, ali oportebat Judæos, non tantùm in annum ſequentem quo ſerere licebat; ſed & in tertium, ad id tempus quo maturuiſſent meſſes. Singulare fuit ſignum providentiæ & beneficentiæ divinæ erga Judæos, quòd corruptis ſegetibus ab Aſſyriis, anno qui Sabbathicum antecedebat, non eò ſeciùs Sabbathicum annum ſequentem obſervarunt, nec interea famem ſenſerunt.

Et metite] Nempe, anno ſequente, nam non eodem anno ſerebant & metebant, certè triticum; ſunt enim aliæ fruges, quæ primo quidem vere ſeruntur, autumno vero metuntur. Hæc omnia non obſtant, quominus Judæi à vicinis populis frumentum emerent, ut ſe ſe ſuſtentarant, ſi fortè domi deeſſet, aut pecuniâ abundarent.

Vineas plantate &c.] Eâ ſpe, nempe, freti, fore ut earum fructus colligere poſſitis, ſine Aſſyriorum, vos in alias oras tranſlaturorum metu.

30. *Poſthac etiam*] *Et addet —— radicem deorſum & faciet fructum ſurſum*. Hoc eſt, creſcet & confirmabitur, quod diuturnum quidem non fuit, ante Captivitatem Babylonicam, ſed poſt reditum demum è Captivitate, impletum eſt.

31. *Zelotypia*] Ea divinæ mentis affectio, ut more humano loquar, quâ pati non poterat ſecum

XX. Hezekiæ ægrotanti mortem denunciat Iſaïas, qui tamen deprecanti obitum quindecim annos præterea, Dei juſſu, pollicetur, quod miraculo in Sciotherico confirmat. At Babyloniis legatis theſauros oſtentanti prædicit captivitatem Babylonicam. Tandem moriens Hezekias ſucceſſorem relinquit filium Manaſſen.

1. POSTEA cùm in morbum lethalem incidiſſet Hezekia, eum inviſit Iſaïas Prophe- CAPUT
ta, Amotſi filius, eique: ſic dixit, inquit, Jehova; mandata da familiæ tuæ, quo- XX.
niam morieris, neque vives. 2. Tum verò vertit Hezekia vultum ad parietem,
oravitque Jehovam, his verbis: 3. obſecro *te*, ô Jehova, memento, quæſo, me inceſſiſſe
coram te non fucatè, ſed integro animo, & quod tibi gratum eſt feciſſe. Deinde multas
lacrimas profudit Hezekia. 4. Nondum egreſſus erat Iſaïas in medium atrium, cùm
verba Dei ad eum facta ſunt, in hanc ſententiam: 5. revertere, dic Hezekiæ duci populi
mei: ſic ait Jehova, Deus Davidis progenitoris tui: exaudivi deprecationem tuam, reſ-
pexi lacrimas tuas, en mox ſanabo te, & tertio die in ædem Jehovæ adſcendes. 6. Ad-
dam præterea diebus tuis quindecim annos, à manu Aſſyriorum Regis te liberabo, ut &
hanc urbem. Propter me & propter Davidem ſervum meum, hanc urbem protegam.
7. Deinde Iſaïas, ſumite, inquit, maſſam ficuum; eámque ſumſerunt & impoſuerunt
inflammationi, & curatus eſt.

8. Dixe-

cum alienos Deos conferri; quod fecerant Aſſyrii, cùm voce, tum litteris ad Hezekiam ſcriptis.

32. *Antevertet eam ſcuto*] יקדמנה מגן *jekaddemennah magen*; hoc eſt, milites ſcuto ante ſe poſito antevertent, ac vitabunt vulnera ſagittarum à Jeroſolimitanis emiſſarum, dum urbem eorum oppugnabunt.

34. *Propter me*] Ut oſtendam me ſolum eſſe Deum, convenientérque virtutibus meis agam.

Propter Davidem] In memoriam Davidis, cui, poſteriſque ejus me benefacturum promiſi. Tanti Deus virtutem facit, ut bonorum poſteris, etiam malis, Majorum eorum causâ, diutiùs parcat, quàm aliis. Vide 1. Reg. XI, 12, 13.

35. *Occidit*] *Percuſſit*, ſubitâ peſte, ut interpretatur *Joſephus*.

Cúmque mane reliqui &c.] *Et ſurrexerunt mane & ecce omnes illi cadavera mortua.*

36. *Ninivæ habitavit*] Ea fuit ſedes regia Aſſyriorum Monarcharum, de qua diximus ad Gen. X, 11. Vide & *Joan. Marshamum* ad Sæc. XVIII. rerum Ægytiacarum.

37. *Filii ejus*] Deerat in Codice Maſſorетharum בניו *banau*, quod meritò ſuppleverunt. Eam etiam vocem legerunt LXX. Intt. & Vulgatus.

Araratidem] אררט *Ararat*, de qua voce, vide dicta ad Gen. VIII, 4.

Eſar-chaddon] אסר-חדן *Eſar-hhaddon*. Quintus fuit Aſſyriorum Rex, quorum quidem meminit Scriptura. Vide ad C. XVII, 3. & XVIII, 13.

In CAPUT XX.

1. MAndata da] Hoc eſt, facito teſtamentum, & ſi quid mandandum præterea habes feſtinato.

Morieris] *Mortuus tu*; hoc eſt, quàm primùm morieris.

2. *Vertit vultum ad parietem*] Ne adſtantes interpellarent ejus preces. Hoc multò ſimplicius, quàm Paraphraſtæ Chaldæi interpretatio: לכותל בית מקדשא *ad parietem domûs Sanctuarii.*

3. *Non fucatè, ſed integro animo*] *In veritate, & in corde integro.*

Quod tibi gratum eſt] *Bonùm in oculis tuis.*

Multas lacrimas &c.] *Et flevit fletu magno.* Præmatura mors, per Prophetam ei denunciata, videbatur ei indicium iræ Dei; qui ſolebat longam vitam, & tranquillam ſenectutem iis polliceri, qui legum ſuarum obſervantes fuiſſent.

4. *In medium atrium*] Eſt quidem in textu העיר התיכנה hahir hatthichonah, *in mediam urbem*; ſed Maſſorethæ in margine notarunt legendum non העיר *hahir*, ſed חצר *hhatſar*, atrium. Sic legerunt LXX. Intt. qui habent: ἐν Ἡσαΐας ἐν τῇ αὐλῇ τῇ μέσῃ; & Vulgatus, qui vertit, *mediam partem atrii*; nimirum, Regiæ.

5. *Mox ſanabo te*] *Ecce, ego curans te.* Participium rem paullò pòſt futuram ſignat, ut vſ. 1.

6. *Addam præterea diebus* &c.] Faciam ut quindecim annos vivas, quibus non vixiſſes, niſi deprecatus me fuiſſes. Videtur Deus miſiſſe Prophetam ad Hezekiam, ut occaſionem ei præberet precibus & lacrimis ad ſe confugiendi, quò diuturniorem vitam impetraret. Pro ratione morbi, mori eum oportuiſſet, & mortuus eſſet; niſi Deus oratione ejus permotus vitam hominis in quindecim annos, qui quartam humanæ vitæ partem conficiunt, produxiſſet.

7. *Inflammationi*] על השחין *hal haſſchebin*. Hæc vox ſignificat *inflammationem*, ut oſtendimus ad Exod. IX, 9. ſed quo genere inflammationis laborarit Hezekias & in quo membro non docet Scriptura. LXX. Intt. ἕλκος & Vulgatus, *ulcus* verterunt, ſed ſine ratione. An verò cataplaſma ficuum nativâ fructûs ejus virtute curarit Hezekiam, an Deus ipſe, præter ordinem naturæ, hoc effecerit vix dici queat. *Dioſcorides* Lib. I. c. 183. de ficubus, nonnulla habet, quæ huc facere queant. Sic enim de recentibus loquitur: ἐξανθηματικῶν καὶ ἱδρώτων κινητικά, ἄδιψα δὲ καὶ σβεστικὰ θερμασίας. *Plinius* eum ferè exſcripſit Lib. XXIII. c. 7. ubi de ficuum virtutibus: *ſudorem movent, papulaſque.* Alia etiam nonnulla uterque habet, quæ huc fortè trahi queant. Eos adeant Lectores.

8. *Quod-*

8. Dixerat autem Hezekia Iſaiæ: quodnam erit ſignum, *ex quo intelligam* fore ut Jehova me curet, atque in Ædem Jehovæ, die tertio, adſcendam. 9. Ibi Iſaïas, hoc *erit*, inquit, tibi à Jehova ſignum, *ex quo intelligas* Jehovam facturum id quod dixit. An progredietur umbra decem gradibus, an verò decem gradibus retrocedet? 10. Hezekia verò, facile eſt, inquit, umbram decem gradibus declinare; retrocedat potiùs de-

8. *Quodnam erit ſignum* &c.] Videtur tunc temporis varia ſigna imbecillitati humanæ conceſſiſſe Deus, ut intelligerent Judæi aliquid à ſe fieri, non caſu contingere, quale hoc eſt. Cùm enim mora tridui longa non eſſet, ad tertium diem facilè exſpectare potuiſſet Hezekias, aut certè debuiſſet; ſed quia dicere potuiſſet non nemo, nullum hîc eſſe ſingulare beneficium Dei, Regémque convaliturum fuiſſe, quamvis ad Deum precibus non confugiſſet, nec à Propheta monitus fuiſſet; ideò antequàm triduum elaberetur, ſingulari miraculo oſtendit Deus Iſaïam à ſe miſſum fuiſſe, nec irritas futuras fuiſſe minas, niſi exoratus fuiſſet ab Hezekia precibus & lacrimis. Alioqui quia celeriter interdum curantur graviſſimi & acutiſſimi morbi, vix miraculum ullum hac in re ſatis liquidò animadverti potuiſſet. Fac Hezekiæ, exempli causâ, amygdalas intumuiſſe & inflammatas fuiſſe; poterat mors præſens ſequi; poterat & inflammatio ſponte minui, aut remedio exſtingui. Nec fortè defuiſſent, qui dicturi fuiſſent ab Eſaia remedio curatum ægrum Regem, ſed cetera ficta fuiſſe. Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῶν, inquit *Dioſcorides* agens de ficubus, ταῖς περὶ ἀρτηρίαν, καὶ παρίσθμια φλεγμοναῖς ἁρμόζει, εἰς ἀναγαργαρισμὸν· καὶ εἰς τὰς ἐμπλάσεις δὲ μίγνυται: *illarum decoctum arteriæ ac tonſillarum inflammationibus gargarizatu prodeſt. Quin & cataplaſmatis ex hordeacea farina miſcetur.*

9. *An progredietur umbra decem gradibus*] מעלות *mahaloth.* Βαθμοῖς aut ἀναβαθμοῖς verterunt LXX. Intt. *lineas* aut *gradus* Latinus; quibus intelliguntur partes, in quas lineis quibuſdam Sciotherici Horologii area erat diviſa; per quas umbra progredi, aut regredi ſubitò, lucente Sole, nec regrediente, aut progrediente, ſine miraculo non potuit. Quales autem & quot eſſent ejuſmodi diviſiones, an horarum tantùm, vel duodecimarum partium diei, an minorum temporis intervallorum, non conſtat; nam quod habet Paraphraſtes Chaldæus עסר שעין *decem horas*, id verò conjectura mera eſt.

Copioſiſſimè de Horologiis Sciothericis egit *Claud. Salmaſius* ad Solinum pag. 447. & ſeqq. cui tractationi ſubjecit aliquid de hoc loco. Exercitationis ejus hæc ſumma eſſe videtur, quatenus quidem ad rem præſentem pertinet. Primùm, contendit apud antiquiores Græcos & ante Alexandri Magni tempora, nulla fuiſſe horologia Sciotherica; quæ quidem, ad uſum communem, in partes duodenas diem quemvis dividerent, cùm diviſio illa dierum quorumvis in horas etiamnum iis eſſet ignota; quidquid enim apud Antiquos, de Horoſcopiis, vel Heliotropiis & hujus generis Sciothericis, legitur nullum ad alium uſum referri, quàm captandorum ex umbris ſolſtitiorum; aut, ſi fortè, æquinoctialium aut æquabilium diei partium, non autem inæqualium ac civilium; ut ea res non tam vulgi uſibus ac negotiis, quàm Aſtronomorum ac Genethliacorum inſtituto ſervierit. Secundo loco, idem ſentiendum putat de Solariis Chaldæorum & Ægyptiorum, déque ipſo Horologio Achazi, de quo hîc ſermo eſt.

Non adtingemus quæ de Græcis habet, ut pote ad Scripturam Sacram nihil facientia. Eum paucis confutavit *Dionyſ. Petavius* Variar. Diſſert. ad Uranolog. Lib. VII. c. 8. quem adibunt Lectores. Cúmque hoc potiſſimùm argumento utatur quod vox ὥρα non occurrat, apud antiquiores Alexandro Scriptores, pro diei parte duodecima; prolatus eſt locus *Xenophontis* contrarius, ab *Ægid. Menagio* ad *Diogenis Laërtii* Lib. II. §. 1. Sed torquet vir ſummus locum *Herodoti* ex Lib. II. c. 109. πόλον μὲν γνώμονας καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες: *polum & gnomones & duodecim partes diei à Babyloniis didicerunt Græci*; ubi vult intelligi horas æquinoctiales & æquabiles, non καιρικὰς & populares, quæ in omni die ac nocte erant duodecim. Si hoc enim voluiſſet *Herodotus*, aliter loqutus eſſet.

Fatetur quidem *Salmaſius* Judæos, ut pote Babyloniis & Ægyptiis viciniores quàm Græcos, maturiùs Gnomonicorum habuiſſe notitiam. Tum profert hunc locum, & Eſai. XXXVIII, 8. ubi umbra deſcendiſſe dicitur במעלות אחז, quod verti ſolet *in Horologio Achaz. Ita Vulgaris*, inquit, *& Septuaginta ex uſu temporum ſuorum. Nam* LXX. Intt. *ætate jam horologia frequentata, & nomen horarum notum, in hac ſignificatione.* Sed fruſtra LXX. Intt. non inſpectos memorat, qui non habent hîc, aut uſquam alibi ὡρολόγιον, ſed tantùm ἀναβαθμούς. Solus Vulgatus ita habet, ut dicit. *Cùm graduum*, inquit, *faciat tantùm mentionem Scriptura, eodémque nomine appellet vas ipſum, vel lapidem, in quo gradus illi notati erant; ſcire hinc licet, pari prorſus modo fuiſſe compoſitum illud Sciothericum, quo apud Babylonios & Ægyptios fieri ſolebant, & primitus etiam apud Græcos, ante horologia reperta & horarum promiſcuam obſervationem, quando Æquinoctiales dies ſoli in duodecim partes dividebantur.* Sed nemo non videt מעלות *mahaloth*, aut *gradus* tam poſſe dici lineas, quibus horæ cujuſlibet diei duodecim populares ſignificabantur, quàm æquinoctialis. Nulla vel minima quidem ratio, cur hoc fieri nequeat, profertur, & res ipſa oſtendit utraſque lineas æquè commodè potuiſſe ſic vocari. Præterea quod dicit vir doctiſſimus, de Solariis Babylonicis & Ægyptiacis, id nullo idoneo teſtimonio probat. Huc accedit, ut eſt à *Petavio* animadverſum, quòd non eſſet conſuetudinis, publicè & in foris urbium, eas proponi machinas diſcernendorum temporum, quæ ſolis Aſtrologis ac Genethliacis erant uſui. Præterea conſtat Judæorum populo ſeveriſſimè Genethliaces & Aſtrologiæ uſum interdictum fuiſſe. Quare tametſi Achazus, illaudatus princeps & in Ethnicorum ritus atque inſtituta propenſus, horoſcopicum inſtrumentum, Babyloniorum imitatione, uſurpare potuit, & in propatulo ponere; numquam tamen id

decem gradibus. 11. Invocavit verò Iſaias Propheta Jehovam, qui reduxit umbram per gradus, per quos deſcenderat in gradibus Achazi, per decem gradus retrorſum.
12. Non multò pòſt, miſit Berodach-baladan, Baladanis filius, Rex Babylonis, litteras & munus ad Hezekiam, quia audiverat Hezekiam ægrotaſſe. 13. Cùm eos audiviſſet Hezekias, oſtendit iis totam domum rerum pretioſarum, argentum, aurum, aromata,

id Hezekias ſiviſſet, ſed una cùm reliquis Idololatriæ ac ſuperſtitionis veſtigiis, celebre hoc & inſigne ſuſtuliſſet; nec eo ſaltem Deus uti voluiſſet, per Prophetam, ad illuſtre poteſtatis ſuæ præbendum ſpecimen, ne illicitis artibus pretium addere eo miraculo videretur. Hæc & alia habet *Petavius*, quibus diutiùs non immorabor.

Nec opus eſt nos tempus terere, in examine ſententiæ *Joſ. Scaligeri*, in Prolegom. in Canones Iſagogicos Chronologiæ, ubi contendit hìc ſignificari *gradus Palatii Achazi*, ſed nullam ejus rei rationem addit. Dicit tantùm Horologium hoc fuiſſe *poſteris tam veteres Judæos & eos ſequutum Hieronymum, quàm Judæos recentiores perſuaſiſſe.* Sanè ita ſenſit etiam *Joſephus* Lib. X. c. 3. Ant. Judaic. ſi bene ejus verba intelligimus: τ̓ ἥλιον ἠξίωσεν ἐπειδὴ σκιὰν ἐπὶ δέκα βαθμοὺς ἀποκλῖναι ἤδη πεποιήκει ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐπὶ τ̓ αὐτὸν ἀναστρέψας τόπον ποιήσας αὐτὴν πάλιν παρασχεῖν: *ſolem petiit quandoquidem umbram in decimum gradum jam declinare fecerat, in ædibus, poſtquàm in eumdem locum redire feciſſet, eam iterum exhibere*; hoc eſt, umbram redire à decima linea ad primam, & iterum à prima ad decimam.

Verùm hic movetur gravior quæſtio de ſigno, quod Hezekiæ causâ editum eſt; an, nimirum, Sol ipſe retrorſum redierit, aut redire viſus ſit, ex eorum ſententia qui Terram moveri cenſent, ut motu vero, aut apparente Solis umbra retrocederet; an tantùm umbra retroceſſerit, Sole interea, vel Terrâ progrediente; nam ut hoc poſterius fieret, opus etiam miraculo fuit; quamvis tantum non videatur, quàm ſi retro agatur Sol, aut Terra. Graves rationes profert *Gaſpar Sanctius*, in hunc locum, credendi miraculum factum eſſe dumtaxat in umbra; ſed quia Patres, ut ait, & Interpretes putant retro actum Solem, non audet contra torrentem brachia dirigere, & ſequi ſe eos dicit qui Solem retro actum putant. Sed cùm Interpretes, quicumque ſunt, ac fuerunt, nulla monumenta, nullámve revelationem hac de re habuerint, præter hanc ipſam Hiſtoriam; nihil eſt cur eorum auctoritati, ſine rationibus, adſentiamur. Plerique res vix expendunt, ſequuntúrque anteriores ſine examine; nonnulli etiam vix ſatis commodè ratione ſua, quam numquam ſatis excoluerant, uti norant. Itaque quidquid alii cenſuerint, multò mihi credibilius videtur miraculum in ſola umbra factum; quàm propter rem tantillam, Solis, aut potiùs Telluris motum in contrariam partem vi divinâ reflexum fuiſſe. Quod non ſine incommodo magnæ partis hominum factum fuiſſet, ſi gradus fuere horarii; nam niſi præter omnem fidem acceleratus fuiſſet ille motus tam in occaſum, quàm in ortum, dies viginti horis auctior fuiſſet; ac proinde Hemiſphærium, quod tum Sol illuſtrabat, inſolito ardore flagrare oportuit, præſertim in calidioribus oris; & contrà id quod averſum à Sole erat, auctâ nocte tot horis, in frigidis potiſſimùm regionibus, rigere. Itaque multò ſatius eſt dicere in ſola umbra fuiſſe miraculum, nec Solis meminiſſe Eſaïam C. XXXIV. niſi quia umbra mota eſt, non aliter ac ſi Sol ipſe moveretur.

10. *Facilè eſt umbram* &c.] Non ſatis intelligebat Hezekias quid diceret, nam umbram antecedere Solis motum non eſt facilius, quam ei adverſari. Sed ſubitæ quæſtioni Prophetæ feſtinans non ſatis prudenter reſpondit.

11. *Reduxit umbram*] Si Sol motus fuiſſet, aut moveri viſus eſſet, quod perinde eſt, dixiſſet Scriptor Sacer, Solem eſſe reductum potiùs quàm umbram.

12. *Berodach-Baladan*] בראדך-בלאדן. Nomen eſt ex duobus compoſitum, quorum poſterius nomen fuit patris. Vocatur & מראדך *Merodach*, ſollemni mutatione litterarum ejuſdem organi. Conſentiunt Chronologorum præſtantiſſimi בלאדן *Baladanem* eumdem fuiſſe, qui *Nabonaſſar Ptolemæo* dicitur, unde celebris Æra Aſtronomica; Merodachum verò eumdem eſſe qui *Mardokempadus*, מרדך-אמפד, eidem dicitur. Ac ſanè cùm duæ priores ſyllabæ conveniant, nec diſſentiant tempora, cur eſt cur hanc eorum conjecturam aſpernemur.

Rex Babylonis] מלך בבל *melech Babel.* Non erat Rex Aſſyriorum, nec ei parebat; ideóque videtur amicitiam Hezekiæ, qui jugum ejus excuſſerat, captaſſe.

Quia audiverat Hezekiam &c.] Ut gratularetur ei quòd convaluiſſet, quod humanitatis genus, etiam apud Orientis Reges, obtinebat. Additur & alia cauſa 2. Par. XXXII, 31. ubi vide notata.

13. *Cùm eos audiviſſet*] וישמע עליהם *& audivit ad eos*, hoc eſt, cùm audiſſet mandata quæ à Rege ſuo habebant, juſſit iis oſtendi quæcumque pretioſiſſima habebat. Sed Eſai. XXXIX, 2. legimus ישמח jiſchmahh, *lætatus eſt*, ut legerunt etiam hìc veteres Interpretes. LXX. enim habent ἐχάρη ἐπ' αὐτοῖς, & Vulg. *lætatus eſt autem in adventu eorum.*

Domum rerum pretioſarum] בית נכתה *beth nechothah*, ſed in margine legitur נכתו *nechotho.* Quod cur non legatur etiam Eſa. XXXIX, 2. non intelligo, nam illic eſt etiam נכתה in textu, ut legerunt hìc LXX. Intt. qui habent οἶκον τ̃ νεχωθᾶ. Vertimus Geneſ. XXXVII, 25. נכאת *nechoth*, ſtyracem, quòd videatur illic ſingularem ſpeciem aromatis ſignificare. Sed cùm hìc בית נכתה *domus nechotha* dicatur, non genus unum aromatis, aut gummi intelligi; ſed nomine ſpeciei rerum omnium pretioſarum, quæ à Regibus Hebræorum adſervari ſolebant, genera quævis ſignificari videntur, unde Thargum habet בית גנזוי *domum gazarum ſuarum.* Certè in ſequentibus ſpecies memorantur, argentum, aurum, aromata, oleum &c. Mirum eſt tamen hæc fuiſſe tantâ copiâ, ut oſtentari poſſent, apud Babylonios, cùm antea dediſſet Hezekias Sancheribo quidquid erat in theſauris

mata, & oleum optimum; ac domum ſupellectilium & quidquid in theſauris ſuis inve-
niebatur. Nec quidquam fuit, quod non eis oſtenderet Hezekias, cùm domi ſuæ, tum
in omni ſua ditione.
14. Poſtea venit Iſaïas Propheta ad Regem Hezekiam, eique, quid dixerunt, inquit,
viri iſti & unde ad te venerunt? E terra, inquit Hezekias, remota; venerunt Babylo-
ne. 15. Quid verò, inquit Iſaias, viderunt domi tuæ? Omnia, inquit Hezekia, quæ
ſunt domi meæ viderunt, nec quidquam eſt domi meæ, quod eis non oſtenderim, in
theſauris meis. 16. Tum verò Iſaïas Hezekiæ, audi, inquit, verba Jehovæ. 17. En
dies venient, quibus avehetur quidquid eſt domi tuæ, & quidquid congeſſerunt Ma-
jores tui, ad hunc uſque diem, Babylonem, nec quidquam reliquum erit, inquit Je-
hova. 18. E poſteris tuis, qui orti fuerint ex te, quos genueris, ſumentur qui in Regis
Babylonis palatio Eunuchi ſint. 19. Hezekias verò Iſaïæ, bona, inquit, ſunt verba
Jehovæ, quæ protuliſti. Sed ſubjecit: annon pax & fides erunt diebus meis? 20. Reli-
quæ autem res geſtæ Hezekiæ, omniáque fortia ejus facta & quomodo fecerit piſcinam
& aquæ ductum, ac intromiſerit aquam in urbem, annon ſcripta ſunt in libro Ephe-
meridum Regum Judæ? 21. Obdormiit deinde Hezekia cum Majoribus ſuis, & Ma-
naſſes, filius, ejus loco regnavit.

XXI. Ma-

Templi & Regiæ, ut docet nos Hiſtoricus Sacer ſupra Cap. XVIII, 15. nec intervallum multò longius annuo intereeſſit. Habemus quidem 2. Par. XXXII, 23, 24, 27, 28. allata fuiſſe undequaque munera ad Hezekiam, cùm convaluiſſet. Sed, ut dixi, breve ſpatium fuit inter hæc; & vaſtatum fuerat ejus regnum à Sancheribo. Fortè occultiores quoſdam theſauros, quàm ii erant quos miſit ad Sancheribum, in lucem protulit, aut alio modo nobis ignoto divitias ſibi ſubitas comparavit. Vide & dicenda ad vſ. 17.

Nec quidquam fuit &c.] Videtur opes ſuas Babyloniorum Regis legatis oſtentaſſe, ut intelligerent ſe dignum eſſe, cum quo Babyloniorum Reges amicitiam & fœdus inirent, ut ſe contra Aſſyrios communes hoſtes tuerentur. Qua in re, deliquit Hezekias, quippe qui nec in opibus ſuis, nec in fœdere cum Babyloniorum Rege, ſed in ſolo Deo, à quo tanta beneficia nuper acceperat, fiduciam omnem ponere debuit.

14. *Quid dixerunt viri iſti* &c.] Rem quidem norat Iſaias, cùm minimè clam eſſet geſta, ut ex ejus reſponſione ſatis liquet, ſed peccati confeſſionem ex ipſius Regis ore elicere voluit.

E terra remota] Non uſque adeò remota erat Babylon Jeroſolimâ, ſed remotior quàm Ægyptus, Arabia, Syria, Phœnicia, quæ circa Palæſtinam erant. Vide Iſaiæ Cap. XIII, 15, 57. ubi Medi contra Babylonios venturi dicuntur *è terra remota, è cœli extremitate.* Nihil eſt certi, in ſignificatione adjectivorum ejuſmodi *relativorum*, ut philoſophicè loquar, quemadmodum oſtendi *Artis Criticæ* P. 2. Sect. II. C. 4. Non habetur hîc quid dixerint legati Babylonii, ſed non ſequitur hoc omiſſum ab Hezekia, cùm Eſaïam alloqueretur. In compendiaria Hiſtoria, omitti videtur, quia hoc potiſſimùm non ſpectabat Propheta.

17. *En dies venient* &c.] Judæos plectere eo modo ſtatuerat Deus, non propter hoc ſolum Hezekiæ peccatum; ſed quia videbat eos ſubinde in Idololatriam delabi, norátque eos ad ſaniorem mentem aliter revocatum non iri. Verùm delictum Hezekiæ occaſionem Deo præbuit patefaciendi quas pœnas, regnante ejus filio & deinceps, de Judæis ſumturus erat.

Quidquid congeſſerunt &c.] Et quod ſupereſt. Sæpe enim exhauſtum fuerit Regum Judæ Ærarium, & non ita pridem ab Aſſyriorum Regibus, ſub Achazo, & ipſo Hezekia. Fortaſſe tamen hi Reges ſimularunt ſe dare Aſſyriis quidquid habebant, ita ut ne ab ipſis quidem Templi ornamentis abſtinerent, ut viderentur exhauſiſſe omnes theſauros ſuos, neu quid ampliùs ab iis exigeretur; cùm tamen multa in ſanctioribus Ærariis ſervarent.

Nec quidquam reliquum erit] Quod contigit ſub Sedekia, in ultima captivitate.

18. *E poſteris tuis* &c.] *E filiis tuis.* Vertimus tamen poſteros, quia quamvis Manaſſes, Hezekiæ filius, abductus fuerit Babylonem, ut habemus 2. Par. XXXIII, 11. non dicitur Eunuchus, aut Aulicus Regis Babyloniorum eſſe factus, nec alius è filiis Hezekiæ. Res videtur referenda ad Danielem, ejúſque calamitatis ſocios. Vide Dan. I, 3 & ſeqq.

19. *Bona, inquit, ſunt verba Jehovæ*] *Bonum eſt verbum Jehovæ.* Hîc *bonum* dicitur non quod jucundum eſt, nam ſine dubio ægro animo hæc audiebat Hezekias; quis enim delectetur, aut potiùs non graviter commoveatur rebus adverſis poſterorum ſuorum, quæ ei prænunciantur? Sed *bonum* vocatur id in quo adquieſcere par eſt, quippe ab eo profectum, qui nihil facit quod non ſit non tantùm juſtiſſimum, ſed quod ſummâ bonitate non ſit temperatum, etiam cum pœnas ſumit. Vide ſimilem loquutionem 1. Reg. II, 38, 42.

Annon pax & fides] הלא אם שלום ואמת *halo im ſchalom veemeth.* LXX. Intt. ἐν εἰρήνῃ & Vulgatus, *ſit pax*, neglectis interjectionibus הלא אם, quorum prior הלא *halo* propriè eſt *annon*, poſterior אם *im* eſt *an.* Apud Eſaïam, in hac Hiſtoria, Cap. XXXIX, 8. eſt כי *chi. Chr. Noldius* interpretatur *utinam!* Sed non video cur à ſolita particularum ſignificatione recedamus. Quamvis enim non addatur reſponſio Eſaiæ, credibile eſt eum reſpondiſſe ita futurum, cùm ex ipſa ejus prædictione res colligi poſſit. Fides autem, Heb. אמת, quæ vox *veritas* ſolet verti, referenda ad Babylonios, qui an fidi erga ſe futuri eſſent petit Hezekias; hoc eſt, an cum fide contractam ſecum amicitiam eſſent culturi.

20. *Omniáque ejus fortia facta*] *Et omnis ejus fortitudo.*

In CA-

XXI. *Manaſſes in Idololatriam delabitur, ſibique & Judæis iram Dei contrahit, quæ ei per Prophetas denunciatur. Succedit ei mortuo filius Amon, non melior patre, cui per conſpirationem ſublato, ſubſtituitur Joſias filius.*

1. DUODECIM annos natus erat Manaſſes, cùm cœpit regnare, & quinque qui- Caput
dem ac quinquaginta annos regnavit Jeroſolimæ. Matri ejus nomen ſuit Cheph- XXI.
tſibæ. 2. Fecit quod diſplicet Jehovæ, & imitatus eſt abominanda facta gen-
tium, quas è conſpectu Iſraëlitarum expulerat Jehova. 3. Inſtauravit loca excelſa,
quæ deleverat pater ejus Hezekia, & erexit altaria Bahali, fecitque *ei* lucum, quem-
admodum fecerat Achabus, Rex Iſraëlis, & adoravit omnem exercitum cœlorum,
eúmque coluit. 4. *Quin* & exſtruxit aras in Æde Jehovæ, de qua dixerat Jehova: Je-
roſolimæ ponam nomen meum. 5. Exſtruxit autem eas aras toti exercitui cœli, in duo-
bus atriis Ædis Jehovæ. 6. Filium ſuum per ignem trajecit, auſpicatus eſt, auguratus
eſt, fatidicos ſpiritus conſuluit, multóſque habuit præſcios; ita ut fecerit quod diſpli-
cebat Jehovæ, irámque ejus moverit. 7. Poſuit & ſtatuam in luco, quem fecerat, in
Æde, de qua dixerat Jehova Davidi & Salomoni, ejus filio: in hac Æde & Jeroſoli-
ma, quam elegi ex omnibus Tribubus Iſraëlis, ponam nomen meum in perpetuum.
8. Non patiar ampliùs Iſraëlitas pedem movere, ex terra, quâ eorum Majores dona-
vi, ſi modò meminerint ſe gerere ſecundùm omnia quæ illis mandavi, & ſecundùm
omnes leges, quas iis impoſuit ſervus meus Moſes. 9. Sed minimè *ei* auſcultarunt,
verùm Manaſſes eos in errorem induxit, ita ut deteriùs ſe gererent, quàm gentes,
quas è conſpectu Iſraëlitarum deleverat Jehova
10. Tum loquutus eſt Jehova, per ſervos ſuos Prophetas, in hanc ſententiam:
11. cùm

In Caput XXI.

1. D*Uodecim annos* &c.] Ergo natus erat trienio poſtquàm convaluiſſet pater Hezekias, qui quindecim annos poſtea regnavit. Verùm primogenitúſne fuerit, an ſecus, non conſtat; quia, apud Hebræos, non ſemper ſuccedebant primogeniti regno parentum, ut liquet exemplo Salomonis.

Quinquaginta annos] Numeratis iis, quibus Babylone captivus fuit, 2. Par. XXXIII, 11.

2. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

Imitatus eſt abominanda facta] *Secundùm abominationes* &c.

3. *Inſtauravit* &c.] *Et rediit & ædificavit.* Hebræi iterationem, inſtaurationémque ejuſmodi periphraſi exprimunt, quia, ut notum eſt, carent verbis compoſitis. Incommodè veteres Intt. ἐπέστρεψε καὶ ᾠκοδόμησε, *converſus eſt & ædificavit.*

Quemadmodum fecerat Achabus] 1. Reg. XVI, 32, 33.

Omnem exercitum cœlorum &c.] Stellas. Mirum eſt tam religioſi Regis uſque adeò impium fuiſſe filium. Educationi non ſatis accuratæ, cùm pater ejus puerum eum reliquerit, miniſtriſque ex vicinis gentibus, à quibus corruptus eſt, hoc tribuerim.

4. *Aras in Æde*] Aſtris, quaſi Diis, conſecratas.

Ponam nomen meum] De nomine meo, vocabitur hæc domus *Ædes Jehovæ*. Quamobrem cùm Deus Iſraëlis zelotypus eſſet Deus & ſocietatis omnis impatiens, non oportebat ei συνναοὺς καὶ συνθρόνους θεοὺς, *Deos templi & throni participes*, ut vulgò apud Ethnicos fiebat, adjungere.

5. *In duobus Atriis*] In Atrio exteriore, ubi verſabatur populus; & interiore, in quo ſoli erant Sacerdotes, & altare veri Dei.

6. *Per ignem trajecit*] Vide not. ad C. XVI, 3. ubi Manaſſæ avus idem delictum admiſiſſe narratur.

Auſpicatus eſt, auguratus eſt] וענן ונחש *vebonen venihheſch.* Vide ad Levit. XIX, 26.

Fatidicos ſpiritus conſuluit] ועשה אוב *& fecit Ob*; hoc eſt, fecit quod fieri ſolet, cùm conſulitur animus hominis mortui, qui animus Hebræis dicebatur *Ob*, de qua voce vide notata ad Levit. XIX, 31. inſtituitque eum morem.

Multóſque habuit præſcios, ita ut &c.] *Et præſcios multiplicavit* (ידענים הרבה לעשות) *ad faciendum malum in oculis* &c. Attamen לעשות interpretati ſumus, *ita ut fecerit*; quia nemo tam furioſum crediderit Manaſſen fuiſſe, ut datâ operâ hoc animo ſuo proponeret, ut iram Dei Iſraëlis moveret. Itaque ל hîc etiam eſt ἐκβατικόν.

7. *Statuam in loco* &c.] פסל *pheſel*, hoc eſt, ſtatuam ſcalpro factam, lapideámque proinde, aut ligneam.

8. *Non patiar ampliùs Iſraëlitas pedem movere*] לא אוסיף להניד רגל ישראל *non addam ad faciendum movere pedem* &c. Vide 2. Sam. VII, 10. 1. Reg. IX, 3.

Si modò meminerint] *Si ſervaverint facere.* Vide ad Gen. XXXVII, 11. Ex hoc loco, innumeriſque aliis liquidum eſt veteres Hebræos omnes quaſi certum ſtatuiſſe, potuiſſe Leges Moſaïcas eatenus obſervari, ut pœnæ quibus ſancitæ ſunt vitari poſſent & gratia Dei iniri. Alioqui puniri non potuiſſent Hebræi, quòd non feciſſent quod facultates eorum ſuperabat, indignatióque & querelæ Prophetarum inania aurium ludibria fuiſſent.

11. *Pe-*

11. cùm Manaſſes, Rex Judæ, abominanda hæc perpetrarit, pejora faciens iis omni-
bus quæ fecerant Emoræi, qui ante illum fuerunt; cúmque ſtercoreis ſuis Diis, Judam
etiam ad peccandum adduxerit; 12. propterea, ſic dixit Jehova Deus Iſraëlis: en addu-
cam calamitatem in Jeroſolimam & Judam, quam quiſquis audierit ejus ambæ aures
tinnient. 13. Extendam in Jeroſolimam libellam Samariæ, & perpendiculum familiæ
Achabi. Delebo Jeroſolimam, quemadmodum abſtergi ſolet paropſis, quam, ubi quis
abſterſit, invertit in anteriorem partem. 14. Deferam etiam reliquias hereditatis meæ,
tradámque eam in manum hoſtium ejus, & omnibus hoſtibus ſuis prædæ ac direptioni
erunt; 15. quia fecerunt quod mihi diſplicet, irámque meam, à die, quo Majores eo-
rum ex Ægypto egreſſi ſunt, ad hunc uſque diem, provocarunt.
16. Sanguinem etiam innoxium multum fudit Manaſſes, donec *eo* impleret Jeroſoli-
mam, ab una extremitate ad alteram; præter peccatum, ad quod admittendum ad-
duxit Judam, ut faceret quod diſplicet Jehovæ. 17. Reliquæ autem res geſtæ Manaſ-
ſæ, omnia quæ fecit, peccatúmque quod admiſit, annon ſcripta ſunt in libro Ephe-
meridum Regum Judæ? 18. Obdormiit Manaſſes cum Majoribus ſuis, ſepultúſque
eſt in horto domûs ſuæ, in horto Huzzæ, & regnavit ejus loco filius ejus Amon.
19. Natus erat viginti duos annos Amon, cùm regnare cœpit & per biennium reg-
navit Jeroſolimæ Matri ejus nomen fuit Meſullemethæ, Charutſi Jotbenſis filiæ. 20. Fe-
cit quod diſplicet Jehovæ, quemadmodum Manaſſes pater ejus fecerat. 21. Ingreſſus
eſt per omnia *eamdem* viam, quam pater ejus calcaverat, coluitque ſtercoreos Deos,
quos pater ejus coluerat, cóſque adoravit. 22. Deſeruit Jehovam, Deum Majorum
ſuorum, neque viam Jehovæ ingreſſus eſt. 23. At conſpirarunt ſervi Amonis in ipſum,
Regémque domi ſuæ occiderunt. 24. Verùm terræ populus eos, qui in Regem Amo-
nem

11. *Pejora faciens iis omnibus* &c.] Hac fortè in re pejora erant iis, quæ fecerant Chananæi, quòd profecta eſſent ab homine Hebræo; religioſiſſimi Regis filio & cui Hiſtoria legéſque populi Hebræi non erant ignotæ. Oportet conſceleratum Regem Deo Hebræorum non credidiſſe, uti nec Hiſtoriis Majorum ſuorum; vix enim tanta ſcelera ab homine non prorſus impio admitti potuiſſent. Hoc certè ſubinnui videtur 2. Par. XXXIII, 13. Fortè & obſcuritas eorum quæ de futura, poſt hanc mortalem, vita dicebantur, & eum & alios Iſraëlitas, aliqua ex parte, in Idololatriam conjecit; quòd ſpe certâ alterius vitæ minimè freti non poſſent videre res vicinorum ſuis florentiores, ſine animi perturbatione; ex qua paullatim delabebantur in hanc opinionem, Deos vicinarum gentium potentiores eſſe Deo Iſraëlis, cùm eorum cultores beatiorem vitam agerent quàm Iſraëlitæ; unde fiebat ut eos colerent, relicto Majorum ſuorum Deo. Fortè & difficultas obſervandarum Legum Moſaïcarum, quæ ad ritus ſpectabant, & ex quibus fructum nullum, moleſtiæ certè æquiparandum, ſibi capere videbantur, effecit ut tam ſæpe ab iis deficerent, quò alias commodiores leges, & quarum obſervantes feliciores erant Hebræis, ut iis quidem videbatur, obſervandas ſuſciperent. Fortè eos Sacerdotibus & Levitici generis hominibus vectigales eſſe pigebat; cùm ad eos non exigua pars fructuum Palæſtinæ, ſi omnia legibus impoſita perſoluta fuiſſent, rediiſſet, qua de re diximus ad Num. XVIII, 20. Hæc & alia, quæ fortè nos fugiunt, effecerunt ut tam difficulter veteres Hebræi Legibus Moſaïcis parêrent; ad ea uſque tempora, quibus altera vita clariùs revelata illos in cultu veri Dei conſtantiores reddidit; quòd præmia alterius vitæ ſperarent à Deo, & pœnas in ea infligendas timerent. Res digna eſt, quæ ſtudioſiùs expendatur ab iis qui & ingenio & otio abundant.

12. *Ejus ambæ aures tinnient*] Hæc exprimunt admirationem, cum terrore conjunctam. Vide 1. Sam. III, 11.

13. *Libellam Samariæ, & perpendiculum familiæ Achabi*] Hoc eſt, eam prorſus delebo. Metaphora eſt à Fabris ducta, qui, ſi ædificare velint in loco, in quo alia fuerant ædificia, ea primùm diruunt, nec fundamenta jaciunt, antequàm aream omnibus ruderibus probè expurgatam ad libellam æquarint; quæ an planè horizontalis ſit ex perpendiculo agnoſcunt, ſi eo rectis angulis ſecetur. Libella hîc dicitur קו *kav*, hoc eſt, *linea*; perpendiculum verò משקלת *miſchkoleth*, id eſt, *pondus*. Prius LXX. Intt. μέτρον, Vulgatus, *funiculum*; poſterius στάθμιον & *pondus* dixerunt. Addunt autem Prophetæ *libellæ* nomen *Samariæ*, & *perpendiculo* ſubjiciunt *domûs Achabi*, quia & Samaria & familia Achabi funditus perierant. Eſt ergo perinde ac ſi diceret: delebo Jeroſolimam, ut delevi Samariam & familiam Achabi. Quas tamen minas per omnia non eſt exſequutus Deus, quandoquidem aliquando tandem Jeroſolimam reſtitui voluit, per reduces è Captivitate Babylonica, cùm alii in perpetuum periiſſent.

Quemadmodum abſtergi &c.] Ut nihil relinquitur in paropſide, quæ purgatur, & invertitur ut meliùs ſiccetur: ſic Deus expulſurum ſe Judæos, everſurúmque eorum patriam minatur.

14. *Reliquias hereditatis meæ*] Tribus Judæ, Levis & Benjaminis, & ſi qui aliarum Tribuum eis erant admiſti.

15. *A die quo Majores* &c.] Poſtquàm per multa ſæcula gentis illius ingenium pervicax & ad Idololatriam pronum expertus eſſet Deus, cùm eam, cultum ſuum ſemel per Moſem edoctam, deinde per Prophetas in caſſum curaſſet ſubinde moneri & revocari ad ſaniorem mentem, immiſſiſque calamitatibus identidem fruſtra caſtigaſſet; tandem decem quidem Tribus
in

nem conſpiraverant occidit, Regémque ejus loco Joſiam filium ejus conſtituit. 25. Re-
liquæ autem res geſtæ Amonis, *&* *omnia* quæ fecit, annon in libro Ephemeridum Re-
gum Judæ ſcripta ſunt? 26. Sepultus verò eſt in ſepulcro ſuo, in horto Huzzæ, reg-
navitque ejus loco filius ejus Joſia.

XXII. Joſias inſtaurat Templum, quod dum fieret, inventum eſt Exemplar Legis, diu amiſſum, cujus minis territus Joſias ad Prophetidem Chuldam mittit ſciſcitatum Dei voluntatem. Ea maximas calamitates Jeroſolimæ, ſed poſt mortem demum Regis Joſiæ, Hebræis incubituras prædicit.

CAPUT XXII.

1. OCTO annos natus erat Joſia, cùm regnare inciperet, & unum quidem ac
triginta annos Jeroſolimæ regnavit. Matri ejus nomen fuit Jedidæ, filiæ Ha-
dajæ Botskathenſis. 2. Is fecit quod placet Jehovæ, ingreſſúſque eſt per omnia
viam Davidis progenitoris ſui, neque ad dextram, aut ad ſiniſtram *ab ea* divertit.
3. Decimo verò octavo anno Joſiæ Regis, miſit Rex Saphanem, filium Atſaljæ, filii
Meſullami, Scribam, in Ædem Jehovæ, dicens: 4. adſcende ad Chilkijam, Sacerdotem
magnum, atque ſummam ſubducat pecuniæ illatæ in Ædem Domini, quam liminis cu-
ſtodes à populo collegerunt. 5. Tum eam tradat in manum opificibus præfectis Ædi
Jehovæ, qui eam dent iis qui opus faciunt *quod faciendum eſt* in Æde Jehovæ, ad in-
ſtaurandas Ædis ruïnas; 6. fabris, nimirum, *lignariis*, ædificantibus, & cæmentariis, ad
comparanda ligna, & lapides cæſos, ut inſtauretur Ædes. 7. Sed non ſubducebatur
ratio pecuniæ, quæ in eorum manum tradebatur, quia fideliter ſe gerebant.
8. Tum

in perpetuam captivitatem, tres reliquas ad tempus in Babyloniam abduci paſſus eſt. Hîc tota gens, ab initio ad finem, inſtar unius perſonæ, ut ſic loquar, habetur; quia poſteriores exemplis priorum ſapientiores fieri debuerant, gravioribúſque pœnis digni erant, quod ne exemplis quidem illis potuerint commoveri & ad melius inſtituendos mores adduci.

16. *Ab una extremitate ad alterum*] פה לפה *pheh lepheh*, ore ad os. Vide Cap. X, 21.

Præter peccatum &c.] Idololatriam.

18. *In horto domûs ſuæ*] Volunt nonnulli Manaſſen noluiſſe ſepeliri cum Judæ Regibus, quòd ſe eo honore indignum judicaret. Vix crediderim. Sed parum noſtrâ intereſt ſcire cur ſeorſim ſit ſepultus. Filius qui ei ſucceſſit, ſi notam aliquam ejus memoriæ eâ re inuri putaſſet, non paſſus eſſet eum in alio loco ſepeliri, quàm cæteros Reges. Nec mirum eſt cauſam ejus rei omitti, cum omittatur res multò majoris momenti; qualis eſt abductio Manaſſæ in Babyloniam, quam ignoraremus, niſi memoraretur 2. Par. XXXIII.

In horto Huzzæ] Ubi & qualis eſſet is hortus non conſtat.

19. *Jotbenſis*] *E Jotbah* מן־יטבה. Qui locus ubi fuerit non conſtat. *Hieronymus* ait fuiſſe *urbem antiquam Judææ*.

20. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

21. *Ingreſſus eſt per omnia* &c.] *Ivit in omnem viam in quam iverat pater ejus.*

In CAPUT XXII.

1. B*Otſcathenſis*] מבצקת mibbotskath, *è Botſcath.* Nomen hujus loci alibi non exſtat.

2. *Quod placet Jehovæ*] *Rectum in oculis.* Quæ loquutio in his libris potiſſimùm ſpectat cultum Deo ex lege exhibitum.

Per omnia viam &c.] *Ivit in omnem viam Davidis patris ſui.* Mira eſt veluti reciprocatio in hiſce Regibus, cùm ex optimo quidem patre Hezekia, peſſimum filium Manaſſen; ex peſſimo verò Amone, optimum filium Joſiam ortum eſſe videamus.

3. *Scribam*] Vide dicta ad C. XVIII, 18.

4. *Summam ſubducat*] יתם jatthem, *perficiet.* Sed ſermo hîc eſt non de collatione pecuniæ, quam Pontifex Maximus numerare neceſſe habuerit ad perficiendam ſummam, ſed de pecuniæ jam datæ ſumma cognoſcenda. Hinc Paraphraſtes Chaldæus habet יעקים *ordine diſponat, paret.* Sed LXX. Intt. habent ϗ σφράγισον, quia legerunt וחתם vehhatthem, *&* *obſigna.* Vulgatus, *conflетur.* Sed vult Joſias cognoſci ſummam pecuniæ, deinde eam dari iis qui reficiendo Templo præfecti erant, ut eam fabris dividerent, ad emendum lapides & ligna, mercedémque operis ſolvendam.

Illatæ in Ædem Jehovæ] Niſi compendiaria hæc eſſet narratio, dictum antea oportuit juſſiſſe Regem à populo pecuniam conferri ad reficiendum Templum, ut Cap. XII, 3. & ſeqq.

5. *Tum eam tradat*] יתנה quod non capio cur Maſſorethæ legi velint יתנהו *jitthenouhou*, tradant eam, quod vitioſum eſſet, cùm referatur hoc verbum ad Pontificem Maximum. Scribendum dumtaxat eſſet יתנו *det eam*, nam כסף *cheſeph* eſt maſculini generis. At habent LXX. Intt. δότωσαν αὐτὸ, & Vulgatus, *detur.*

Opificibus præfectis] Hoc eſt, Architectis & fabris præfectis iis, qui ipſi opus faciebant.

6. *Fabris lignariis*] Eſt tantùm לחרשים *lahharaſchim*, ſed lignarios fabros intelligi oſtendit ſequens vox גודרים *goderim*, quæ *cæmentarios* ſonat. Τειχισταῖς vocant LXX. Intt. quia גדר *geder*, murum ſignificat, Vulgatus *cæmentarios.*

7. *Non ſubducebatur ratio* &c.] Non neceſſe habebant rationem reddere ſingulatim ſumtuum à ſe factorum, ad inſtaurandum Templum. Quod ad quos referatur, præfectóſne an operarios, non ſatis conſtat, ſed ad priores referri malim.

 8. *Li-*

8· Tum Chilkija, magnus Sacerdos, Saphani Scribæ, librum, inquit, Legis inve-
ni, in Æde Jehovæ; deditque Chilkija eum librum Saphani, qui eum legit. 9· Poſtea
convenit Saphan Regem, rémque ei retulit, &, ſubduxerunt, inquit, ſervi tui pecu-
niam inventam in Æde, eámque tradiderunt in manum operariorum præfectorum Æ-
di Jehovæ. 10· Nunciavit etiam Saphan Scriba Regi *quod invenerat Sacerdos*, his ver-
bis: librum dedit mihi Chilkija Sacerdos; tum eum Saphan Regi prælegit. 11· Cùm
verò Rex libri ejus legis verba audiret, laceravit veſtes ſuas, 12· & mandata dedit
Chilkijæ Sacerdoti, Achikamo Saphanis filio, Hachbori Michajæ filio, Saphani
Scribæ, & Haſajæ Miniſtro Regio, his verbis: 13· Ite, ſciſcitamini Jehovam pro me,
pro populo & pro univerſo Juda, de verbis libri hujuſce inventi; vehemens enim in-
dignatio Jehovæ in nos accenſa eſt, eò quòd non auſcultarint Majores noſtri verbis
hujus libri, ut ſe gererent per omnia, quemadmodum in eo ſcriptum eſt. 14· Abie-
runt itaque Chilkija Sacerdos, Achikamus, Hachbor, Saphan, & Haſaja ad Chul-
dam Prophetidem, uxorem Sallumi, filii Thikvæ, Charchaſi filii, veſtiario præfecti.
Ha-

8· *Librum legis inveni*] ספר התורה *ſepher hat-thorah*. De hoc libro varia quæruntur, ab Interpretibus, & primùm quidem an eſſet totum Pentateuchum, an tantùm Deuteronomium. Cui quæſtioni vix certò reſpondere poſſimus, nam quæ ſequuntur utrique operi æquè conveniunt; ſed Pentateuchum malim. Secundò, quæritur an fuerit ipſum Autographum Moſis; quod multi affirmant, ſed ſine ulla certa ratione, ſatis enim eſt exemplar quoddam Legis antiquum fuiſſe, idque authenticum; eùm in Templo ſervatum fuiſſet, in uſus, ut videtur, publicos; ut, nimirum, Reges in eo Legem ſeptimo quoque anno coram populo legerent; útque Sacerdotes id poſſent conſulere, ſi quid incideret quod id inſpici poſtularet. Tertiò quærunt quamdiu amiſſum fuiſſet; quod nemo dixerit. Alii volunt ſub Manaſſa aliquamdiu latuiſſe; ſub eodem iterum inventum, poſtquàm Rex ille ad ſaniorem mentem rediiſſet, juſſiſſetque Templum purgari 2. Par. XXXIII, 15, 16. at ſub Amone impio iterum occultatum fuiſſe. Alii alia proferunt, prout cuique videtur. Tempus definiri nequit, ſed oratio ipſa Chilkijæ, Pont. Maximi, oſtendit librum illum jamdudum conſpectum non fuiſſe, ut & quæ geſta dicuntur apud Regem. Quartò, quæritur an ergo numquam Rex Legem legiſſet, cùm inventis minis, in eos qui Legem perfringebant, uſque adeò territus fuerit? Res ipſa hîc loquitur, cognoſcúntque ii qui ſibi fingunt iis temporibus vulgò tritos fuiſſe, apud Hebræos, libros Legis, ut nunc ſunt, poſt inventam Typographicam artem, fateri oportuiſſe libros Legis vulgò mancos & mutilos fuiſſe; quandoquidem Rex numquam legerat minas, quæ in Deuteronomio exſtant, ſub finem. Sed quid opus eſt verbis? Lex numquam videtur per omnia obſervata, ne ſub religioſis quidem Regibus; quod hinc videmus, ut ex multis aliis locis. Joſias enim decimo ſexto ætatis, octavo regni anno, ut docemur 2. Par. XXXIV, 3. cœpit inquirere in veram Religionem, & deinceps omnia fecit quæ officii ſui eſſe credidit; nec tamen ante vigeſimum ſextum ætatis, decimum octavum regni, umquam legerat aut legi ſibi curarat integram Legem, ut manifeſtò hinc liquet; imò verò ne librum quidem Legis fortè umquam viderat. Conſtat enim eum nunc quidem primùm minas Legis audiſſe, ſed minimè conſtat, quod probè notandum, ceteras Legis partes, ab eo umquam auditas. Quod factum ab eo ad hæc tempora fuerat, id fecerat monitibus eorum, qui à parentibus Legem acceperant, ſine librorum ullorum auxilio, eámque imperfectam, ut ſolet cùm ſcripta deſunt monumenta, ei tradiderant. Fruſtra ſibi multi fingunt Rempublicam populi Hebræi, ſub Regibus religioſis, ad omnes Moſaïcas leges exactam accuratè fuiſſe. Satis habebant ii modò ſolus Deus Iſraëlis, rerum omnium creator, ſine externorum rituum ulla miſtura, coleretur; multáque ferebant, quæ ægrè fuiſſent emendata; ut, exempli causâ, Sacra alibi fieri quàm in Templo Jeroſolimitano, & quidem in locis excelſis, quod Lex non concedebat. Quin & malos mores, in rebus multò majoris momenti, quàm ſunt quæ pertinent ad cærimonias, emendare non poterant; quod de his ipſis Joſiæ Regis temporibus, ſatis liquet ex Jeremiæ & Sophoniæ vaticiniis. Idem, nimirum, fuit fatum Legum Moſaïcarum, quod omnium aliarum Rerumpublicarum; ubi ſumma poteſtas ſatis habet leges minimè palam contemni, earúmque partem maximam obſervari; quod cùm fit, ſat bene agitur cum Republica, nec ſolet quiſquam de infelicitate temporum queri. Hæc moneo, quia video viros aliquin eruditos contraria omnia, præter omnem veriſimilitudinem, fidémque etiam Hiſtoriæ Sacræ, ſtatuere.

9· *Subduxerunt*] התיכו, quod eſt à נתך *nathach*, liquefactus fuit. Ideò LXX. Intt. ἐχώνευσαν & Vulg. *conflarunt*. Sed eùm hæc ſit exſequutio mandati regii, quod legitur verſu 4. oportet התיך *hittich* idem ſonare ac התם *hatthem*, quod tamen non eſt *conflare*. Nec ſanè credibile eſt populum Hebræum tum pauperem, & ſpoliatum ab hoſtibus, contuliſſe, ad inſtaurandum Templum, maſſas argenteas; quas conflarint, percuſſerintque Sacerdotes. Itaque hoc quoque loco, Thargum habet טקיסו *tekiſon*, hoc eſt, ordine poſuerunt, pararunt. Cùm tamen נתך *nathach* numquam ſignificet *numerare*, non diſſimulabo me ſuſpicari legendum eſſe hic התכנו, hoc eſt, *numerarunt*; imò & antea vſ. 4. non יתם *jatthem*, perficiat, ſed יתכן, *numeret*. Nec parum hoc confirmatur ſimili hiſtoriâ, quæ exſtat hoc ipſo libro Cap. XII, 10, 11. Verbum χωνεύειν, quo uſi ſunt LXX. Intt. peperit nobis fabellam quæ exſtat apud *Joſephum* Ant. Lib. X. c. 5. ubi narrat Pontificem Maximum pecuniæ ſibi datæ à Rege, ad inſtaurandum Templum, reliquias conflaſſe, ut vaſa ſacra inde fierent.

11· *La-*

Habitabat illa Jeroſolimæ, in parte ſecunda, *ubi* eam alloquuti ſunt.

15· Illa verò iis, ſic, inquit, dixit Jehova, Deus Iſraëlis: dicite viro, qui vos miſit ad me: 16· ſic dixit Jehova: en inducam calamitatem in hunc locum, & in ejus incolas; pro omnibus verbis libri hujus, quem legit Rex Judæ. 17· Quia me deſeruerunt & ſacra fecerunt Diis alienis, ut me irritarent, omni opere manuum ſuarum; accenſa eſt ira mea in hunc locum, neque exſtinguetur. 18· Regi verò Judæ, qui vos miſit ſciſcitatum Jehovam, ſic dicetis: ita dixit Jehova, Deus Iſraëlis, *de* verbis quæ audiviſti: 19· quia emollitus eſt animus tuus, & te humilem præbuiſti coram Jehova; cùm audires quæ dixi contra hunc locum, & contra ejus incolas; fore, *nempe*, ut devaſtaretur, & maledictis proſcinderetur; ideóque laceraſti veſtes tuas, & coram me fleviſti; ego quoque *te* exaudivi, inquit Jehova. 20· Quamobrem te Majoribus tuis adgregabo, & in monumenta tuorum tranquillè infereris; nec videbunt oculi tui omnem calamitatem, quam in hunc locum inducam. Hæc verba Regi renunciarunt.

XXIII. Jo-

11· *Laceravit veſtes ſuas*] Hinc ſatis liquet Joſiam numquam legiſſe antea eum locum Moſaicæ legis, quem Saphan ei prælegebat; ſi modò umquam quidquam ex ea prælegi audiſſet, quod minimè conſtat. Laceravit autem veſtes, quaſi in calamitate publica, quod auditâ Lege, audiiſque minis quibus ſancita erat, intelligeret ſimul quàm malè obſervata fuiſſet & quanta imminerent Judæis mala, niſi Deus eorum miſereretur.

12· *Et mandata dedit*] *Et mandavit Rex.*

13· *Pro populo*] Jeroſolimitano.

Vehemens enim indignatio &c.] *Magna indignatio Jehovæ, quæ ipſa accenſa eſt, in nos quia* &c. Non indignabatur Deus poſteris, quia Majores peccaverant; quaſi alienorum delictorum pœnæ, præſertim dudum mortuorum, repeti ab iis jure poſſent. Deus ipſe hoc pernegat apud Ezekielem, Cap. XVIII. & graviſſimè caſtigat Judæos horum temporum talia jactantes. Hoc dumtaxat vult Joſias, Deum indignari Judaicæ genti, quòd ab initio uſque ad hæc tempora numquam ſerm[illegible] l[illegible]es ejus obſervaſſet, nec etiamnum [illegible]rvat. Major erat ratio indignandi populo, qui [illegible] numquam officio ſuo functus erat, quàm [illegible] rariùs multò peccaſſet. Propter virtutes Majorum, ignoſci potuiſſet nepotibus, benéque de iis ſperari, quia rariora gentis delicta fuiſſent; ſed cùm ab initio ad finem contexta veluti fuiſſet depravatio, quamquam nihil prætermiſſum fuerat ad eam emendandam, tum verò nulla aut exigua ſpes potuit eſſe emendationis, ideóque in ejuſmodi homines major indignatio exorta eſt.

14· *Veſtiario præfecti*] שומר הבגדים *ſervans veſtes*; nempe, regias.

In parte ſecunda] במשנה *bmiſchneh.* LXX. Intt. ſervatâ voce ἐν τῇ Μασενὰ, Vulgatus, *in ſecunda.* Pars aliqua urbis videtur eâ voce ſignificari. Auctor Quæſtionum in Paralipomena, quæ *Hieronymo* olim tribuebantur, hæc habet in Cap. XXXIV, 22. *Locus erat Jeroſolymis extra murum, id eſt, inter murum civitatis & antemurale, qui vocabatur* Secunda, *cujus mentio fit in Sophonia Propheta.* Nempe, Cap. I, 10. Thargum habet hîc בבית אולפנא *bebeth oalphana*, in domo doctrinæ. Quærunt Interpretes, cur, cùm Jeremias & Sophonias vaticinarentur temporibus Joſiæ, eos non conſuluerit, potiùs quàm Chuldam. Sed ejus rei non una ratio eſſe potuit. Fortè hoc tempore nondum cœperant viri illi vaticinari, fortè Jeroſolimâ aberant, fortè ita viſum Regi propter rationes quas nunc comminiſci non poſſumus. Stultus ſit qui quidquam, Rabbinico more, de ejuſmodi rebus adfirmare ſuſtineat.

16· *Pro omnibus verbis*] את כל דברי *omnia verba*; hoc eſt, ſecundùm omnia verba. Vide apud *Chr. Noldium* Signif. XIX. particulæ את.

17· *Ut me irritarent*] למען הכעיסני *ut irritarent me*; hoc eſt, ita ſe geſſerunt, quaſi hoc unum ſpectarent, ut iram meam moverent. Nam ne Ethnicos quidem crediderim datâ operâ Numinum alienorum iram in ſe concitare conatos; nemo enim homo præſtantioris naturæ indignationem ſibi, datâ operâ, contrahere ſuſtineat.

18· *De verbis, quæ audiviſti*] הדברים אשר שמעת *haddebarim aſcher ſchamahtha*. LXX. Intt. ad verbum οἱ λόγοι οὓς ἤκουσας, Vulgatus, *pro eo quod audiſti verba voluminis.* Supplendum cenſuimus על *hal*, aut ſimile quidpiam.

19· *Emollitus eſt animus tuus*] רך לבבך *molle* factum *cor tuum*, quod in bonam partem ſumitur, opponiturque animo duro & pervicaci, qui nullâ admonitione & nullis minis percellitur.

Fore ut devaſtaretur] להיות לשמה ולקללה *ut ſit in deſolationem & maledictionem*; ut fiat deſolata, & maledictis laceretur, contemtuique ſit omnibus.

20· *In monumenta tuorum* &c.] *Colligeris in ſepulcra tua in pace*, בשלום. Occubuit quidem in prælio, ut narrat Hiſtoria Sacra, Cap. XXIII, 29. ab Ægyptiis occiſus. Sed quia tranquillè ſepultus eſt, nec vidit eladem ullam Judææ, aut Jeroſolimæ, ideò dictus eſt *in pace colligendus in ſepulcra ſua.*

XXIII. Joſias convocato Judâ cultum divinum, ad Leges Moſaïcas exactum, inſtaurat, & tollit, vel impurat loca omnia Idolis conſecrata, ne Bethele quidem excepto. Paſcha deinde, ſollemnem in modum, celebrat. Non multò pòſt à Nechone, Ægypti Rege, occiditur. Jehoachaſum filium ei ſufficiunt Judæi, at Necho, eo abducto, Jehojakimum ejus fratrem Regem conſtituit.

CAPUT XXIII. 1. POSTEA dimiſit Rex *nuncios per Judam*, convenerúntque ad eum omnes ſeniores Judæ Jeroſolimam. 2. Tum Rex adſcendit in Ædem Jehovæ, & viri omnes Judæ, incolæque omnes Jeroſolimæ unà cum illo, Sacerdotéſque & Prophetæ, ac univerſus populus, à minimo uſque ad maximum. *Ibi* legit, iis audientibus, omnia verba libri fœderis, qui in Æde Jehovæ inventus fuerat. 3. Stabat Rex ad columnam, fecitque fœdus coram Jehova, *ex quo pollicebatur* ſe ſequuturum Jehovam, obſervatutum ejus præcepta, edicta, & inſtituta, toto corde & toto animo; ita ut rata ha-

In CAPUT XXIII.

1. S*Eniores*] Honoratiſſimum quemque, ut paſſim.

2. *Viri omnes* &c.] His verbis ſignificatur ingens populi cœtus, neque enim poſſunt ad vivum reſecari, quaſi omnes viri Judæi Templo contineri potuiſſent; qui olim quidem aliquot centena millia fuerant, & quamvis tunc temporis pauciores eſſent, pluſquàm centies millies erant.

3. *Ad columnam*] על העמד *hal hahammond.* LXX. Intt. πρὸς τὸν στύλον, Vulg. *ad gradum.* Vide C. XIX, 14.

Se ſequuturum &c.] *Iturum poſt Jehovam*, hoc eſt, legibus ejus pariturum.

Toto corde &c.] Hoc eſt, ſolum Deum Iſraëlis culturum, ſolas ejus leges obſervaturum; ſine ulla cultûs alieni, morúmve alienorum miſtura. Vide not. ad Deut. IV, 29.

4. *Secundi ordinis Sacerdotes*] כהני המשנה *chohane hammiſchneh.* LXX. Intt. ἱερεῦσι τῆς δευτερώσεως. Vulgatus, *Sacerdotibus ſecundi ordinis.* Paraphraſtes Chaldæus: סגן כהניא *ſgan chabanaja*, quem viri docti volunt eſſe Vicarium Pontificis Maximi, cujus multa mentio in Thalmudicis ſcriptis. Sed ſi hoc voluiſſet, dixiſſet in ſingulari כהנא *Sacerdotis*, non Sacerdotum, nam ſolus Pontifex Maximus Saganem habuit. Hîc vox סגן, apud Chaldæum, pro *principe Sacerdotum* ſumitur, qui proximè Pontificem Maximum ſequebatur. Vide *Joan. Buxtorfii* Lexicon Thalmudicum, ad eam vocem.

Cuſtodes liminis] Levitas, qui oſtiarii erant.

Omnia vaſa &c.] In Templi Apothecis videntur hæc ſervata fuiſſe. כלים *chelim* omnis generis ſupellectilia dicuntur, ſed intelligenda ea quæ poſſent comburi, aut in calcem redigi. Metallica non potuerunt in cineres abire, ideoque aut limâ comminui in pulverem, aut arte ſingulari miſturáque aliarum rerum in calcem aut vitrum mutari oportuit, ut comminui poſſent. Vix credibile eſt lignea tantùm, aut lapidea fuiſſe ſupellectilia.

In campeſtribus Kedronis] בשדמות קדרון *biſchdemoth Kidron.* LXX. ἐν σαδημὼθ Κέδρων, Vulgatus *in convalle Cedron.* Notum eſt *Cedronem*, aut *Kedronem* torrentem prætcrfluxiſſe ad ortum Jeroſolimæ. Itaque in planitie, quæ ad ripas ejus fuit, extra urbem hoc factum eſt.

Bethelem tulit] Quem locum polluere voluit, ut oſtenderet quantopere Vitulorum cultum damnaret.

5. *Exauctoravit Sacrificos*] והשבית את כמרים *biſchbbith eth chmarim*, fecit ceſſare Sacerdotes. LXX. Intt. κατέκαυσε (lege κατέπαυσε) τοὺς Χωμαρείμ. Vulgatus: *& delevit aruſpices.* Conſtat ita dictos Idolorum ſacerdotes, ſed an ſic vocati ſint, quia veſtibus nigris induti erant, mihi non conſtat, quamvis כמר chamar, *nigreſcere* ſignificet; nam, ut verbis *Ciceronis* utar, Lib. II. de Legibus: *color albus præcipuè decorus Deo eſt, cùm in ceteris, tum maximè in textili*, quod ex *Platone* habet. Hinc deducunt viri docti *Camillos* & *Camillas*, quomodo apud Tuſcos Flaminum miniſtri & miniſtræ vocabantur.

Ut ſuffitum offerrent] ויקטר *vajjekatter.* Interpretatus ſum, quaſi legeretur in plurali ויקטרו *vajjekatteron*; quia manifeſtum eſt verbum hoc referri non ad Joſiam, ſed ad ſacerdotes Idolorum. Scio, ut conſtructionis ratio reddatur, dici unumquemque ſacerdotum ſuffitum obtuliſſe. Sed excidiſſe τὸ ו potiùs crediderim. LXX. Intt. habent καὶ ἐθυμίων, Chaldæus עפיקי *haſſikon, adoleverunt.* Vulgatus: *ad ſacrificandum*, quaſi legendum cenſuiſſet לקטר *lkatter.*

Signis Zodiaci] למזלות *lemazzaloth.* LXX. Intt. τοῖς μαζουρὼθ, Vulgatus: *duodecim ſignis*, quomodo Recentiores Hebræi etiam intelligunt. Ac ſanè Signorum Zodiaci ſingularis erat cultus, apud Chaldæos, ut liquet ex *Th. Stanleji* Hiſtoria Philoſ. Chaldæorum Lib. I. Sect. II. c. 19. Ceterùm hæc vox ſcribitur apud Job. XXXVIII, 32. per ר, non per ל, מזרות *mazzaroth*, quæ videtur vera eſſe vocis prolatio, ut diximus in Indice Hiſtor. *Philoſ. Orientalis.*

6. *Lucum.*] Eum plantarat Manaſſes, ut vidimus Cap. XXI, 7. Vult quidem *Joan. Seldenus* de Diis Syris Synt. II. c. 2. voce אשרה *aſcherah*, quam lucum vertimus, ſignificari ſtatuam *Aſtartæ*, quæ Hebraïcè עשתרת *Haſchthoreth* dicitur; ſed nobis non perſuaſit.

Sepulcra hominum plebeiorum] Quæ erant extra urbem, ut vel cineres luci pollueret; ſepulcris

haberentur verba ejus fœderis, quæ in hoc libro ſcripta erant. Adſtabat autem univer-
ſus populus, in hoc fœdere *faciendo*.
4. Deinde juſſit Rex Chilkijam, magnum Sacerdotem, ſecundi ordinis Sacerdotes,
& cuſtodes liminis efferre ex Templo Jehovæ omnia vaſa, quæ facta fuerant Bahali,
& luco & omni exercitui cœli, eáque combuſſit extra Jeroſolimam, in campeſtribus
Kedronis, & eorum cineres Bethelem tulit. 5. Exauctoravit ſacrificos, quos inſtitue-
rant Reges Judæ, ut ſuffitum offerrent in locis excelſis per urbes Judæ, & circa Jero-
ſolimam, & ſuffitum offerentes Bahali, Soli, Lunæ, Signis *Zodiaci* & toti exercitui
cœli. 6. Eduxit etiam lucum ex Æde Jehovæ, extra Jeroſolimam, ad torrentem
Kedronis, ubi eum in valle Kedronis combuſſit, comminuitque in cinerem, quem ad
ſepulcra hominum plebeïorum projecit. 7. Diruit & conclavia cynædorum, quæ *erant*
in Æde Jehovæ, ubi mulieres texebant domos luco. 8. Sacerdotes omnes ex urbibus
Judæ eduxit, impuravitque loca excelſa, in quibus ſacra fecerant Sacerdotes, à Gebâ
uſque ad Beerſebam. Deſtruxit quoque loca edita portarum, *& præſertim* ad ingreſ-
ſum portæ Joſuæ præfecti urbi; quæ *loca excelſa ſingula erant*, ad ſiniſtram uniuſcujuſ-
que, ad portam urbis. 9. Verùm *qui fuerant* Sacerdotes excelſorum locorum non
adſcenderunt ad altare Jehovæ Jeroſolimam, ſed tantùm inter fratres ſuos azyma
comederunt. 10. Polluit etiam Thophethum, quod erat in valle filiorum Hinnomi,
ne

cris enim & cadaveribus nihil magis pollutum habebatur.

7. *Conclavia cynædorum*] בתי הקדשים *batthe bakkedeſchim.* De hac voce vide dicta ad Gen. XXXVII, 21. & Deut. XXIII, 16. ubi oſtendimus conſecrata Diis fictis proſtibula ſignificari. Adito & 1. Reg. XIV, 24.

Domos luco] Hoc eſt, tentoria, quæ collocabantur in luco, quando in eo Sacra facere & convivari cupiebant; quænam enim domus textiles eſſe poterant, præter tentoria? Pro בתים *domus*, LXX. Intt. legerunt כתים *chetthim*, unde fit ut habeant Χεττιίμ, quo ſenſu ignoro. Cùm אהל *obel*, tentorium, & בית beth, *domus*, paſſim confundantur; multò veriſimilius eſt Ethnicos in lucis tentoria habuiſſe, cùm Sacra in iis faciebant, ut ardorem ſolis vitarent, & ſub aulæis auram captarent. *Cicero* Lib. V. contra Verrem, cap. 12. de ratione quâ ſummam æſtatem tranſigebat *Verres. Ibi*, inquit, *novo quodam genere Imperator, pulcherrimo Syracuſarum luco, ſtativa ſibi caſtra faciebat; nam in ipſo aditu atque ore portûs, ubi primum ex alto ſinus ad urbem ab littore inflectitur, tabernacula carbaſeis intenta velis collocabat. Huc ex illa domo prætoria, quæ Regis Hieronis fuit, ſic emigrabat, ut per eos dies nemo iſtum, extra illum lucum, videre poſſet, niſi qui aut ſocius, aut miniſter libidinis eſſe poſſet. Huc omnes mulieres, quibuſcum iſte conſueverat, conveniebant* &c. Talia videntur fuiſſe tabernacula in lucis Orientalium, & fortè tales erant [illegible] illæ [illegible] luci Daphnæi ad Antiochiam, quem tantopere laudat *Libanius*, in Oratione Antiochena, quæ eſt XI. Tomi II. quique infamis erat libidinibus juventutis, ut liquet ex *Sozomeno* Hiſt. Eccleſ. Lib. V. c. 19. aliiſque pluribus quos hîc ad teſtimonium citare nihil adtinet.

8. *Sacerdotes omnes*] Nempe, falſorum Deorum.

Impuravit] Cineribus, aut oſſibus mortuorum.

A Geba] Ab urbe Tribûs Benjaminis, ad ultimam Tribûs Judæ meridiem versùs urbem, hoc eſt, per totam amplitudinem Regni Judæ, à Septemtrione ad Auſtrum.

Loca edita portarum] Fortè ad eas Jeroſolimæ partes loca excelſa ædificata fuerant, ut intrantes & exeuntes obiter Numini, quæ in iis colebantur, ſub Regibus Idololatris, adorarent, iiſque ſupplicarent, ut negotia propter quæ exibant ſecundarent, & reduces ob ea perfecta gratias agerent.

Et præſertim &c.] Cùm hic nominatim appelletur, videtur præcipuus fuiſſe. Itaque pronomen אשר vertimus *& præſertim*; nec ſanè poteramus vertere: *loca edita portarum, quæ ad ingreſſum portæ Joſuæ*, nam ad *portam Joſuæ* fuit locus editus non portarum, ſed portæ Joſuæ. Vide ad Cap. XXV, 9.

Quæ loca excelſa erant &c.] Hæc ſupplenda fuerunt propter ſequentia, perſpicuitatis causâ.

Ad ſiniſtram uniuſcujuſque] Urbem, ut videtur, intrantis.

9. *Qui fuerant ſacerdotes* &c.] Videntur fuiſſe etiam homines ordinis ſacerdotalis, qui operam ſuam locaverint ad Sacra facienda Idolis, in locis excelſis, lucri causâ. Iis quidem ignoverat Joſias, quia ſi capitis ſupplicium voluiſſet ſumere de omnibus iis, qui Idola coluerant, oportuiſſet longè maximam partem populi è medio tolli, quod Reipublicæ non intererat.

Inter fratres ſuos &c.] Hoc eſt, participes quidem erant emolumentorum ſacerdotalium, ſed Sacra ipſi facere non poterant. Inter emolumenta ſacerdotalia erant Azymi panes, ſeu placentæ Azymæ, de quibus Levit. II, 4, 5, 11. Sed ſub hoc nomine contineri etiam videntur reliqui omnes ſacerdotii fructus, ſine quibus vitam tolerare non potuiſſent. Hi Sacerdotes illicitis hoſtiis impurati habiti ſunt veluti immundi, & inſtar eorum qui vitio aliquo corporis laborabant, quos vetuerat Moſes accedere *ad offerendum cibum Dei ſui* Levit. XXI, 17, 21. ſed quibus tamen fas erat *cibum Dei ſui ex ſacroſanctis, aut ſacris comedere.*

10. *Polluit etiam Thophethum*] התפת *hatthopheth.* Conſtat ex hoc loco in Thophetho victimas humanas Molecho, Hammonitarum Deo, oblatas fuiſſe. Volunt autem Rabbini, genus conjecturis ſummopere deditum, quas à Doctoribus acceptas quaſi hiſtorias narrant, ſic dictum fuiſſe, quòd dum adolerentur pueri aut puellæ, adeſſent conſcelerati homines qui tympana pulſarent, ne audirentur gemitus, clamores, &
eju-

Digitized by Google

ne quis tranſmitteret filium aut filiam ſuam Molecho. 11. Abolevit etiam equos, quos conſecraverant Reges Judæ Soli, ab introïtu domûs Jehovæ, ad cubiculum Nethanmelechi Eunuchi, quod erat in ſuburbiis, currúſque Solis igne abſumſit. 12. Aras item quæ erant ſupra tectum cœnaculi Achazi, quas fecerant reges Judæ, & aras quas fecerat Manaſſes, in duobus atriis Ædis Jehovæ, demolitus eſt Rex, evulſitque inde & pulverem earum in torrentem Kedronem abjecit. 13. Excelſa etiam, quæ erant è regione Jeroſolimæ, ad dextram montis Oliveti, quæ ædificaverat Salomo Rex Iſraëlis Haſtharthæ, *Deæ* abominandæ Sidoniorum, Chemoſóque *Deo* exſecrando Moabitarum, & Milchomo *numini* deteſtabili Hammonitarum. 14. Confregit *denique* ſtatuas, concîditque ſimulacra; & loca, in quibus erant, oſſibus humanis replevit. 15. Quin & altare, quod Bethele erat, in loco edito, quem fecerat Jerobohamus, Nebati filius, qui Iſraëlem ad peccandum adduxit; altare, *inquam*, ipſum & locum excelſum deſtruxit. Combuſſit excelſum locum, contrivitque in pulverem, & lucum abſumſit. 16. Cùm autem illic ſe convertiſſet Joſia, vidit ſepulcra, quæ erant illic in monte, miſitque qui auferrent oſſa ex ſepulcris, ea adolevit in altari, idque polluit; ſecundùm verba Jehovæ, quæ pronunciaverat vir divinus, qui ea protulerat. 17. Ibi Joſia, quodnam, inquit, eſt monumentum illud quod video? Sepulcrum eſt, inquiunt oppidani, viri divini, qui venit è Juda, & pronunciavit rem, quam feciſti altari Bethelis. 18. Tum Jo-

ejulatus miſerarum victimarum. Hebraicè enim תופ *thoph*, Tympanum Hebræis dicitur. Sed ante omnia oportuiſſet ab eis probari Veteribus nota fuiſſe illa Tympana majora, quæ nunc ſunt in uſu; nam minora illa Tympana, quæ pulſabant Fidicinæ, inter ſaltandum, tantum ſonitum edere non poterant, ut impedirent quominùs audirentur eorum voces, qui inviti comburebantur. Majora Tympana debentur Arabibus, qui ea in Hiſpaniam attulerunt, unde ſunt per reliquam Europam ſparſa, ut docet *Joſ. Scaliger* in Copam. Olim erant ignota, unde factum ut Etymologia hæc nominis *Thopheth*, *Hieronymi* tempore, eſſet etiam ignota. Nihil vetat nos eum audire hac de re loquentem, eadem enim operâ ab eo ſitum τῦ *Thopheth* diſcemus. Sic ergo loquitur in Jerem. Cap. VII, 31. ubi Propheta exbrobrat Judæis, quòd *exſtraxiſſent loca excelſa Thophethi*, *quod eſt in valle filiorum Hinnomi*, *ad comburendos filios ſuos & filias ſuas igni. Excelſa autem*, inquit, *quæ Hebraicè appellantur* BAMOTH, *ſeu aram Thopheth*, *quæ eſt in valle filiorum Ennom*, *illum locum ſignificat*, *qui Siloë fontibus irrigatur*, *& eſt amœnus atque nemoroſus*, *hodiéque hortorum præbet delicias. Hic autem Gentilitatis error omnes provincias occupavit*, *ut ad capita montium lucoſque amœniſſimos victimas immolarent*, *& omnis pravæ ſuperſtitionis Religio ſervaretur.* THOPHETH *linguâ Hebræâ interpretatur* latitudo. *Scriptumque fertur in libro Joſuæ filii Nun*, *de hoc loco*, *qui eſt in valle filiorum Ennom*, *& Hebraicè dicitur* GE ENNOM, GE *quippe* φάραγγα, *id eſt*, *vallem*, *&* ENNOM *vel hominis nomen*, *vel* gratiam *ſonat*. Confundebat ח & ה quaſi חנום *bhinnom*, non הנום *hinnom* ſcriptum fuiſſet, quæ tamen conſtans eſt & perpetua ſcriptura. Locus Joſuæ eſt Cap. XV, 8. ubi vide notata. Non puto במות *bamoth* ſignificare aram, quamvis ſint qui vocem βωμὸς hinc non abſurdè deducant, nam מזבח *mizbeahh* conſtanter ara vocatur.

Ne quis tranſmitteret] In loco enim mortuorum oſſibus polluto, non audebant Sacra facere.

11. *Equos quos conſecraverant*] Non Græci tantùm, ſed etiam Orientales alebant equos Soli conſecratos. Perſæ ante omnes ita ſolebant. *Xenophon* Inſtit. Cyri Lib. VIII. p. 216. Ed. Wechelianæ: ἐπεὶ δὲ ἀφίκοντο πρὸς τὰ τεμένη, ἔθυσαν τῷ Διὶ καὶ ὡλοκαύτωσαν τοὺς ταύρους, ἔπειτα δὲ τῷ ἡλίῳ, καὶ ὡλοκαύτωσαν τοὺς ἵππους: *cùm ad delubra perveniſſent*, *Sacra Jovi fecere*, *combuſtis integris tauris*; *deinde etiam Soli*, *eique ſolos equos adoleverunt.* Idem de expeditione Cyri Lib. IV. pag. 333. ἵππον δὲ εἰλήφει παλαιότερον δίδωσι τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ ἡλίου: *equum ſenem*, *quem ceperat*, *dat Comarchæ qui nutrierat*, *ut mactaret*, *quia audiverat eum Soli ſacrum eſſe.* Ovidius Lib. I. Faſtorum:

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Juſtinus Lib. I, 10. *Nam & Solem Perſæ unum Deum eſſe credunt & equos eidem Deo ſacratos ferunt.* Plura habet hanc in rem *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II. c. X.

In ſuburbiis] בפרורים *bpharvarim*, quod Chaldaïcè *ſuburbia* notat. LXX. & Vulgatus legerunt *Pharurim*; quam vocem ſervarunt. Poſſet etiam eſſe nomen loci.

Carrúſque Solis] Non modò equos ſingulares, ſed etiam quadrigas ſoli conſecrabant, ut oſtendit *Sam. Bochartus* loco laudato.

12. *Demolitus eſt* &c.] Quamvis Manaſſes ad ſaniorem mentem rediiſſet, attamen illicitas haſce aras nondum amoverat, niſi fortè ab Amone repoſitæ fuiſſent.

13. *Excelſa quæ erant* &c.] Hæc, ſub Regibus etiam piis, manſerant; ſed non videntur ſacra in iis facta, niſi vero Deo, ſi tamen hoc paſſi ſint.

Ad dextram montis Oliveti] להר המשחית *lehar hammaſchhith.* LXX. Intt. corruptè, τοῦ ὄρα τοῦ Μοσθὰθ, aut Μοσθὶ, pro Μασὶθ. Vulgatus, *montem Offenſionis* vertit. Intelligitur mons Oliveti, is enim erat è regione Jeroſolimæ. Vide 1. Reg. XI, 7. Dicitur הר המשחית *mons unctionis*, quia in eo erat Olivetum; nam ſatius videtur deducere vocem à משח, *unxit*, quàm à שחת *deſtruxit*, quamvis aliter ſentiant Rabbini.

14. *Simulacra*] אשרים *aſcherim*, quod poſſimus etiam vertere *lucos*, cum veteribus Interpretibus.

Oſſi-

Joſia, ſinite illud, inquit, nec quiſquam ejus oſſa moveat. Sic liberata ſunt oſſa ejus, cum oſſibus Prophetæ, qui Samariâ venerat. 19. Omnia etiam templa excelſorum locorum, quæ erant per urbes Samariæ & quæ fecerant Reges Iſraëlis, ad movendam *Dei* iram, amovit Joſia, & ita per omnia ſe geſſit erga illa, ut ſe geſſerat Bethele. 20. Jugulavit præterea omnes Sacerdotes excelſorum, qui illic erant, ad altaria, combuſtiſque in iis oſſibus humanis, Jeroſolimam reverſus eſt.

21. Poſtea edictum propoſuit Rex univerſo populo, his verbis: celebrate Paſcha Jehovæ Deo veſtro, ut in libro hujuſce fœderis ſcriptum eſt. 22. Nec celebratum eſt Paſcha, inſtar Paſchatis hujus, à temporibus Judicum, qui jus *olim* dixerunt Iſraëli, per omnia tempora Regum Iſraëlis & Regum Judæ. 23. Octavo autem & decimo anno Regis Joſiæ, celebratum eſt hoc Paſcha Jehovæ Jeroſolimæ.

24. Quin etiam Necyomantes, præſcios, ſimulacra *fatidica*, Deóſque ſtercoreos, & omnia abominanda *numina*, quæ conſpiciebantur in terra Judæa & Jeroſolimæ amovit Joſia; ut rata haberet verba legis ſcripta in libro, quem Chilkija Sacerdos in Æde Jehovæ invenit. 25. Ante eum non fuerat Rex, qui rediiſſet ad Jehovam, toto corde, toto animo, & totis viribus ſuis, ſecundum univerſam Moſis Legem, nec poſtea ei ſimilis exortus eſt. . 26. Verumtamen non revocatus eſt Jehova à fervore vehementis iræ, quâ exarſerat contra Judam; propter omnes iraſcendi cauſas, quas ei præbue-

Oſſibus humanis] *Oſſibus hominis*, ut pollucrentur.

15. *Altare quod Bethele erat*] Auſus eſt excurrere Joſias in agros ditionis Aſſyriorum Regis, vel quia erant deſerti; vel quia Rex ille, creſcente Babyloniorum potentiâ, timeri à Judæis deſierat; vel adductus antiquo de ſe vaticinio, ex quo colligebat tutò hoc à ſe poſſe fieri. Certè propter viciniam, diruendum fuit id altare, ne à reliquiis Iſraëlitarum, Benjaminitíve, ac Judæ poſteris ampliùs illic Sacra fieri poſſent.

16. *Miſit qui auferrent*] *Miſit & cepit.*

Secundùm verba &c.] *Secundùm verbum Jehovæ, quod clamaverat vir Dei.* Vide 1. Reg. XIII, 2.

17. *Monumentum illud*] הציון הלז *hattſijoun hallaz.* LXX. Intt. τὸ σκόπελον ἐκεῖνο. Vulgatus, *titulus ille.* Eſt, ut videtur, *monumentum.* Ezech. XXXIX, 15. Jerem. XXXI, 21.

Oppidani] Non peregrini illi populi, qui eò à Salmanaſare tranſlati fuerant, & qui veteres Iſraëlitarum Hiſtorias ignorabant, ſed veterum Bethelenſium reliquiæ quædam; quæ Aſſyrios fugerant, cùm Iſraëlitæ ab iis trans Euphratem abducerentur.

Viri divini] *Viri Dei.* Vide 1. Reg. XIII, 2.

18. *Liberata ſunt*] *Liberarunt oſſa ejus*; hoc eſt, non combuſſerunt.

Cum oſſibus] Quia miſta erant. 1. Reg. XIII, 31. Exiguæ ſine dubio utrorumque, poſt tot annos, ſupererant reliquiæ; nec ſepulcrum fortè ipſum potuiſſet agnoſci, niſi, religione quadam Iſraëlitarum, conſervatum & fortè etiam inſtauratum fuiſſet. Vide Matth. XXIII, 24.

19. *Ad movendam Dei iram*] להכעיס *lehachbis*, omiſſo nomine Dei. LXX. Intt. addunt κύριον & Vulgatus, *Dominum.* Fortè excidit vox יהוה. Non erat quidem conſilium Regum Iſraëlis, ut Deum irritarent, ſed id fecerunt, quod norant ex lege Moſaïca, ſi modò vera doceret, quod fortè in dubium revocabant, apta eſſe ad contrahendam ſibi iram divinam.

21. *Ut in libro* &c.] Hoc eſt, prorſus ut ſcriptum erat in libro Legis nuper invento; quam in rem apographa legum de Paſchate per totum regnum mittere potuit.

22. *Non celebratum eſt Paſcha* &c.] כי לא נעשה *quia non factum eſt.* Videtur abundare τὸ כי *chi.* Crediderim hoc velle Scriptorem Sacrum, per tempora Regum numquam ab omnibus, ſecundùm omnes leges Moſaïcas, tam accuratè Paſcha celebratum fuiſſe. Conſuetudinem antea, etiam ſub piis Regibus, videntur ſequuti, potiùs quàm ipſa verba Legis; quod cùm fit, multa neceſſariò mutantur ac negliguntur. Sed inventi nuper libri verba attendi diligentiſſimè voluit Joſias. Hinc intelligimus, quod ſæpe obſervavimus, Leges Moſaïcas vix umquam accuratè obſervatas fuiſſe; nam cùm non obſervatum fuiſſet Paſcha, ut par erat, per tot ſæcula, credibile non eſt minùs inſignia feſta diligentiùs celebrata fuiſſe.

A temporibus] *A diebus.*

24. *Necyomantes*] האובות *haaboth*, hoc eſt, בעלות אוב *dominas Ob*, ut pleniùs loquebantur. Vide 1. Sam. XXVIII, 7. & dicta ad Lev. XIX, 31.

Simulacra fatidica] תרפים *thraphim*, de quibus diximus ad Gen. XXXI, 19.

25. *Toto corde* &c.] Hoc eſt, qui omnem alienorum cultuum miſturam prorſus amoverit. De hac loquutione vide notata ad Deuter. IV, 29.

26. *Non revocatus eſt* &c.] Non mutavit conſilium, de captivitate Babylonica, quòd ſciret populum toto animo ad officium non rediiſſe. Quamvis enim Rex religioſiſſimus eſſet, populúſque metu ei parêret, propterea tamen animus populi non erat mutatus; ut ſatis liquet ex caſtigationibus Jeremiæ, Sophoniæ, & aliorum Prophetarum, qui circa hæc tempora, & paullò pòſt vaticinati ſunt.

A fervore vehementis &c.] *A fervore iræ ſuæ magnæ, quâ excanduit ira ejus in Judam* &c. Quæ loquutio ſignificat à Judæis uſque adeò, & tantâ pertinaciâ violatas fuiſſe leges Dei, ut jam divinæ juſtitiæ & veracitatis intereſſet graviſſimas pœnas de iis ſumere; cùm præſertim ſæpiùs iteratis minis prædixiſſet, ſi pergerent ita ſe gerere, fore ut pateretur eos captivos abduci. Jam à temporibus Moſaïcis talia minatus erat Deus, ut liquet ex Cap. XXVIII. Deuteronomii. Alii Prophetæ & præſertim Eſaïas ſimilia

etiam

buetat Manaſſes. 27. Dixerat autem Jehova: etiam Judam è conſpectu meo amovebo, quemadmodum amovi Iſtaëlem; & repudiabo urbem hancce, quam elegeram; Jeroſolimam & Ædem, de qua dixi: nomen meum illic erit. 28. Reliquæ autem res geſtæ Joſiæ & quæcumque fecit, annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum Regum Judæ?

29. Temporibus ejus, ivit Pharaho Necho, Rex Ægypti, contra Aſſyriorum Regem, ad Euphratem. Obviam autem illi proceſſit Rex Joſia, quem *Necho*, cùm eum vidiſſet, Megiddone interfecit. 30. Avexerunt eum mortuum Megiddone ejus ſervi, & Jeroſolimam detulerunt ac in ipſius ſepulcro ſepelierunt.

Tum terræ illius populus ſumſit Jehoachazum, Joſiæ filium, eúmque unxit, & patris loco Regem conſtituit. 31. Viginti tres annos natus erat Jehoachazus, cùm regnare inciperet, & per tres quidem menſes Jeroſolimæ regnavit. Matri ejus nomen fuit Chamutali, quæ fuit filia Jeremiæ Libnenſis. 32. Fecit autem quod diſplicet Jehovæ, prorſus ſicut Majores ejus fecerant. 33. At eum in vincula conjecit Pharaho Necho ad Riblam, in terra Chamathæa, dum regnaret Jeroſolimæ; impoſuitque mulctam terræ Judææ centum talentorum argenti, *unius*que auri talenti. 34. Deinde Eljakimum, Joſiæ filium, regem conſtituit Pharaho Necho, loco patris ejus Joſiæ, mutavitque nomen ejus in Jehojakimum; Jehoachazum verò abduxit, ivitque ille in Ægyptum, ubi mortuus eſt. 35. Argentum autem & aurum dedit Jehojakimus Pharahoni, & curavit quidem æſtimari terram, juſſu Pharahonis, & ab unoquoque, pro æſtimatione ſua, exigebat argentum & aurum, *ſeu* à populo terræ, ut ea daret Pharahoni Nechoni. 36. Viginti

etiam erant ſæpiùs minati. Vide Eſ. cap. XXIX, & ſeqq. Cap. XLIV, 26, & ſeqq. & Cap. XLV.

27. *Etiam Judam* &c.] Senſus horum verborum continetur iis locis Eſaiæ Prophetæ, quæ indicavimus, aliiſque ſimilibus, ut Sophoniæ Cap. I. & III. Sed & alii Prophetæ, quorum vaticinia ſcriptis mandata non ſunt, ſimilia prædixerunt, ut Chulda illa, cujus mentio fit Cap. XXII.

E conſpectu meo] E terra cui præſentem me ſingulari ratione adeſſe ſæpiùs oſtendi.

29. *Pharaho Necho*] פרעה *Pharho*, ut oſtendimus ad Gen. XII, 15. apud Ægyptios dicebatur *Rex*, ac proinde ſingulis Regibus, nomen ſuum proprium præterea eſſe debuit, ut diſtingui poſſent; ac re verâ fuit, ut liquet ex laterculis Regum Ægypti, quos ſummâ curâ collegit vir doctiſſimus *Joan. Marshamus*, in Ægyptiaco Canone. Ac ſanè circa hæc tempora, regnavit in Ægypto Nechos, Pſammitichi filius, ut docet *Herodotus* Lib. II. cap. 158. Ψαμμιτίχου δὲ Νεκῶς παῖς ἐγένετο, καὶ ἐβασίλευε Αἰγύπτου. *Pſammitichi verò Necos filius fuit, & regnabat in Ægypto.*

Contra Aſſyriorum Regem] Regis hujus nomen non profertur. *Chiniladanum* vocatum putat *Joan. Marshamus*, quem vide ad Sæculum XVIII. Cùm nullam hiſtoriam nunc habeamus populorum, qui ad ortum Euphratis habitarunt, uti nec Ægyptiorum, ſed tantùm fragmenta, hinc illinc collecta, Angli præſertim eruditi, quem nomine appellavimus, induſtriâ; mirum non eſt nos ſatis non adſequi, quid eſſet negotii Regibus Aſſyriorum cum Ægyptiis, tanto terrarum tractu diviſis. Conjicere tamen licet, poſtquàm Salman-eſer agros decem Tribuum invaſerat, colonóſque in eos miſerat, paruiſſe ei tractum quem incoluerant Simeonitæ, & qui vicinus erat Ægypti finibus, ac propterea de finibus ortam controverſiam Ægyptiis & Aſſyriis. Ea potuit eſſe aut vera, aut ficta cauſa belli, quod Sancheribus, ſub Hezekia, intulit Ægyptiis; eadémque fortè commiſit Chiniladanum & Nechonem, quem bellicoſum fuiſſe Regem docet *Herodotus* Lib. II. c. 159. ubi poſtquam narravit vetitum fuiſſe oraculo foſſam, quâ Rubrum & Mediterraneum maria conjungeret, perficere, ita pergit: Παυσάμενος δὲ τῆς διώρυχος ὁ Νεκῶς ἐτράπετο πρὸς στρατηίας: *cùm deſiiſſet foſſam facere, converſus eſt ad expeditiones.* Earum expeditionum una hîc memoratur, quâ auſus iter ad Euphratem per Judæam capeſſere.

Obviam autem illi proceſſit] Non quòd faveret Aſſyriorum Regi (certè Aſſyrii, à temporibus Hezekiæ, avi Joſiæ, inimici fuerant Judæorum) ſed quòd crederet ſuâ intereſſe Ægyptios finibus ſuis contineri; ne concurrentibus Aſſyriis ſedes belli fieret Palæſtina, prædáque tandem victoris eſſet.

Cùm eum vidiſſet] כראותו *chirotho*; hoc eſt, prælio cum illo commiſſo, ut 2. Reg. XIV, 8.

Megiddone interfecit &c.] *Megiddo*, aut *Mageddo* urbs fuit, in dimidia Tribu Manaſſæ, non procul à mari Mediterraneo; juxta quam proinde oportuit tranſire Nechonem, ſi ſecundùm mare agmen duxit, quod per Syriam deinde ad ortum defluxurum eſſet, ut ad Euphratem iret. Hujus rei meminit etiam *Herodotus*, his verbis: Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν μάχην Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε: *terreſtri autem acie congreſſus cum Syris ad Magdolum victoria potitus eſt, & poſt prælium Cadytin, magnam Syriæ urbem, cepit.* Confudit non tantùm Judæos cum Syris, ſed & Μάγδωλον, Ægyptiacum urbem, quæ fuit ad mare rubrum, cum Mageddone, quæ fuit ad Mediterraneum, ut rectè obſervavit *Marshamus.* Addendum, quod prætermiſit vir doctiſſimus, Κάδυτιν ab eo vocari urbem nobilem Galilææ ſuperioris, quæ קדש *Kedeſch*, aut *Kades* dicebatur, juxta quam Nechoni tranſeundum erat, ut circumiret Judæam, Syriámque ingrederetur. Hanc tam longinquam expeditionem ſuſcepiſſe videtur Necho, ut par pari Aſſyriis referret, oſtenderétque Ægyptiis nec animum, nec vires deeſſe, quibus auderent bellum inferre Aſſy-

ginti quinque annos natus erat Jehojakimus, cùm regnare inciperet, & undecim quidem annis regnavit Jeroſolimæ. Matri ejus nomen erat Zebudæ, filiáque fuit Phedajæ Rumenſis. 37. Fecit autem quod diſplicet Jehovæ, prorſus quemadmodum fecerant ejus Majores.

XXIV. Nebuchadnetſar ſubigit Judæam, quæ à vicinarum gentium latronibus infeſtatur. Mortuo Jehojakimo ſuccedit Jehojachinus, quem obſeſſum & captum abducit Rex Babyloniorum, ſubſtituítque ei Sedekiam, qui parum religioſus erga Deum in Regem Babyloniorum rebellat.

1. TEMPORIBUS ejus, venit *in Judæam* Nebuchadnetſar, Rex Babyloniorum, ſerviitque ei Jehojakimus, per tres annos; at reverſus *ad priora conſilia*, in eum rebellavit. 2. Tum immiſit Jehova in eum copias prædonum Chaldæorum, copias prædonum Aramæorum, copias prædonum Moabitarum, & copias prædonum Hammonitarum; immiſitque eos in Judam, ad eum perdendum, pro verbis, quæ miniſterio ſervorum ſuorum Prophetarum proloquutus fuerat. 3. *Hæc* profectò contigerunt Judæ, prout dixerat Jehova, ut eum amoveret è conſpectu ſuo, prop- CAPUT XXIV.

Aſſyriis, & eorum agros ingredi.

32. *Quod diſplicet Jehovæ*] *Malum in oculis Jehovæ.*

33. *In vincula conjecit* &c.] Quod injuſſu ſuo regnaret.

Ad Riblam] ברבלה *briblah*, quod æquè *ad Riblam*, vel *in Ribla* verti queat. Prius prætulimus, quia Ribla fuit in terra Iſraëlitide, non in Chamathæa. . Fuit enim ad ſuperiorem partem Jordanis ſita, ad ſeptemtriones Semechonitidis paludis; quæ fuit in finibus orientalibus terræ Chananææ, ea in parte, ut habemus Num. XXXIV, 11. ubi vide notata.

In terra Chamathæa] De urbe Chamatha diximus, eodem in loco. Poteſt fieri ut fines ejus urbis tunc temporis ad Jordanem uſque extenderentur, è regione Riblæ.

Dum regnaret Jeroſolimæ] Dum Jeroſolimitani eum pro Rege haberent.

Centum talentorum] Talentum fuit, ut ſæpe diximus, mille quingentarum unciarum Romanarum.

34. *Eljakimum*] Secundus is filius fuit Joſiæ, ut habemus 1. Par. III, 15. *Jehoachazus* verò, ſeu *Schallumus* quartus.

Mutavitque nomen ejus] Exigua quidem fuit mutatio, eáque in ſono, potiùs quàm in re, ſita; nam אליקים eſt *Deus ſtare faciet*, & יהויקים *Jehova ſtare faciet*. Sed ſolebant domini ſervorum mutare nomina, prout libebat, ac proinde inſtar domini ſe gerebat Necho, hac in re. Vide Dan. I, 7.

35. *Æſtimari terram* &c.] Poſſunt intelligi agri, aut etiam ipſi homines cum omnibus ſuis facultatibus, qualeſcumque eſſent; ut unuſquiſque, pro ſuis opibus, pecuniam conferret.

36. *Rumenſis*] מן רומה *à Ruma*. Urbs fuit tribûs Judæ, Joſ. XV, 52.

37. *Quod diſplicet Jehovæ*] *Malum in oculis.* Hinc ſatis liquet omnes Judæos ad veri Dei cultum ex animo non rediiſſe, vix enim credibile eſt hunc adoleſcentem Patris inſtitutis illico valedicturum fuiſſe. Sed ſimulatores pietatis, mutato Rege, quid ſentirent oſtenderunt.

In CAPUT XXIV.

1. N*Ebuchadnetſar*] נבוכדנצר, quod LXX. Intt. proferunt Ναβουχοδονόσορ, & Vulgatus, *Nabuchodonoſor*, quod meliúſne ſit ignoro; cùm corruptiſſima ſint nomina Orientalia, apud Veteres, & πολυωνυμία Regum obſtet quominùs facilè ſciamus quomodo vocentur in fragmentis orientalium rerum, quæ ſuperſunt. In *Ptolemæi* Canone vocatur *Nabocolaſſarus*, quaſi dictus eſt נבו-קל-אסר *Naboukoleſer*, aut נבו-כול-אסר *Nabucholeſer*. De eo quæ ſuperſunt, apud Veteres, collegit *Joan. Marshamus* ad Sæculum XVIII. Hic omnia vicina regna, excepto Medorum imperio, ſubegiſſe videtur.

At reverſus ad priora &c.] Servierat primùm Regi Ægypti, deinde hoc à Babyloniis victo & ſubacto, Nabopolaſſari Babyloniorum Regi; cúmque regnum ἀνυπόδικον, quale Majorum fuerat, affectaret, jugum Babyloniorum excuſſit.

2. *Copias prædonum*] גדודי כשדים *gdoude Chaſchdim.* Sæpiùs vidimus גדודים *gdoudim*, dici globos prædonum. LXX. Intt. hîc ut alibi μονοζώνους vertunt, Vulgatus, *latrunculos.* Vide 1. Sam. XXX, 8. 2. Sam. III, 22. Videtur Nebuchadnetſar, aut pater ejus Chaldæos & populos nonnullos in vicinia Judææ juſſiſſe ex ea prædas undequaque agere, ut rebellionem Jehojakimi ulciſceretur. Nam quod dicitur Deus eas prædonum copias in Judæam miſiſſe, id non videtur ita intelligendum, quaſi per Prophetas eos Judæam invadere juſſiſſet; ſed tantùm quia, non ſine ejus providentia, factum eſt ut illuc irent, volente Babyloniorum Rege.

Pro verbis, quæ miniſterio &c.] *Secundùm verbum Jehovæ, quod proloquutus fuerat per manum* &c.

3. *Contigerunt Judæ*] *Super os Jehovæ fuit in Juda.*

propter peccata Manaſſæ, pro omnibus quæ fecerat, 4. & ſanguinem etiam inno-
centium, quem effuderat; nam repleverat Jeroſolimam ſanguine innoxio, neque
Deus ignoſcere voluit. 5. Reliquæ autem res geſtæ Jehojakimi, & quæcumque fe-
cit, annon in libro Ephemeridum Regum Judæ ſcripta ſunt? 6. Obdormiit au-
tem Jehojakimus, cum Majoribus ſuis, regnavitque ejus loco Jehojachinus ejus fi-
lius.

7. Poſtea ampliùs non exiit è terra ſua Rex Ægypti, quia Rex Babyloniorum
omnia ceperat, quæ fuerant Regis Ægypti, à fluvio Ægypti, uſque ad fluvium Eu-
phratem. 8. Octodecim annos natus erat Jehojachinus, cùm regnare inciperet,
& per tres quidem menſes regnavit Jeroſolimæ. Nomen ejus matri fuit Nechuſthæ,
quæ filia *fuit* Elnathanis Jeroſolimitani. 9. Fecit autem quod diſplicet Jehovæ, pror-
ſus quemadmodum pater ejus fecerat. 10. Verùm tempore illo, venerunt ſervi Ne-
buchadnetſaris, Babyloniorum Regis, Jeroſolimam, & urbs obſidione cincta eſt.
11. Venit & Nebuchadnetſar *ipſe*, Babyloniorum Rex, contra urbem, dum ſervi
ejus eam obſiderent. 12. Egreſſus verò eſt Jehojachinus, Rex Judæ, ad Regem
Babylonis, cùm ipſe, tum mater ejus, ſervique, duces, ac Eunuchi, eúmque ce-
pit Rex Babyloniorum, anno octavo ex quo regnare cœperat. 13. Avexit inde
omnes theſauros domûs Jehovæ, & theſauros regiæ, concîditque omnia vaſa au-
rea, quæ fecerat Salomo, Rex Iſraëlis, in Templo Jehovæ, ſicut prædixerat Je-
hova. 14. Deportavit & totam Jeroſolimam, omnes duces, viros omnes fortes,
qui decies millies erant, captivos, & omnes artifices ac mercatores. Nemo re-
manſit, præter tenuiſſimam oræ illius plebem. 15. Deportavit Babylonem Jehoja-
chinum, matrem Regis, uxores ejus, & Eunuchos. Fortiſſimos etiam illius oræ ab-
duxit captivos Jeroſolimâ Babylonem. 16. Omnes viros fortes, qui erant ſepties
millies, artifices & mercatores mille, & omnes fortes bellum gerentes, abduxit Rex
Babyloniorum captivos Babylonem.

17. Regem verò conſtituit Rex Babylonis Matthanjam, patruum ejus, mutatóque
ejus

Propter peccata Manaſſæ] Quæ etiamnum imitabantur Judæi. Vide Cap. XXIII, 22.

4. *Ignoſcere voluit*] Vide dicta ad Cap. XXII, 17.

7. *Qui Rex Babyloniorum* &c.] Ejus rei clara veſtigia ſuperſunt, in inſigni fragmento *Beroſi*, ex Lib. III. rerum Chaldaïcarum, ſervato à *Joſepho* Lib. X. c. 11. Sic loquitur *Beroſus*: Ἀκούσας δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ναβουχοδονόσορος (qui aliter vocatur Ναβοπολάσαρος) ὅτι ὁ τεταγμένος σατράπης ἔν τε Αἰγύπτῳ καὶ τοῖς περὶ τὴν κοίλην Συρίαν καὶ τὴν Φοινίκην τόποις ἀποστάτης αὐτῷ γέγονεν, οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτι κακοπαθεῖν συστήσας τῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως, ἔπεμψεν ἐπ᾽ αὐτόν. Συμμίξας δὲ Ναβουχοδονόσορος τῷ ἀποστάτῃ καὶ παραταξάμενος αὐτοῦ τε ἐκράτησε καὶ τὴν χώραν ἐκ ταύτης τῆς ἀρχῆς ὑπὸ αὐτοῦ βασιλείαν ἐποιήσατο: *Cùm pater ejus Nabuchodonoſorus* (aliàs Nabopolaſſarus) *audiſſet Satrapam præfectum, in Ægypto & locis quæ ſunt circa Syriam Cavam, à ſe defeciſſe, eúmque non poſſet ampliùs vexationem pati, permiſsâ Nabuchodonoſoro* (filio) *qui in ætate florente erat, parte aliquâ copiarum, hunc in illum miſit. Cùm verò Nabuchodonoſorus collatis ſignis pugnaſſet, eum vicit & ab hoc imperio ſub ſuum ipſius imperium regionem reduxit.* Deinde narratâ morte patris, ſic pergit: αἰσθόμενος δὲ μετ᾽ οὐ πολὺν χρόνον τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν Ναβουχοδονόσορος, καὶ καταστήσας τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα, καὶ τὴν λοιπὴν χώραν καὶ τοὺς αἰχμαλώτους Ἰουδαίων τε, καὶ Φοινίκων, καὶ Σύρων, καὶ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐθνῶν, καὶ συντάξας τισὶ τῶν φίλων, μετὰ τῆς βαρύτητος δυνάμεως, καὶ τῆς λοιπῆς ὠφελείας, ἀνακομίζειν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν, αὐτὸς ὁρμήσας ὀλιγοστὸς διὰ τῆς ἐρήμου παρεγίνετο εἰς Βαβυλῶνα: *Cùm non multo poſt tempore audiviſſet mortem patris Nabuchodonoſori & compoſuiſſet negotia Ægypti ac reliquæ regionis, captivorúmque Judæorum, Phœnicum & Syrorum, gentiumque Ægyptiacarum, eóſque commiſiſſet quibuſdam amicorum, cum gravi armaturâ & reliquis impedimentis, ut eos in Babyloniam abducerent, ipſe cum paucis per deſertum Babylonem properavit.* Ex quibus liquet Nebuchadnetſarem Syriam, Judæam, Phœniciam & ipſam Ægyptum ſubegiſſe; quemadmodum Hebræorum Prophetæ prædixerant. Vide Ezekielem C. XXIX, & XXX.

9. *Quod diſplicet Jehovæ*] *Malum in oculis Jehovæ.*

10. *Et urbs obſidione cincta eſt*] *Et venit urbs in obſidionem.*

13. *Omnia vaſa aurea* &c.] Quæ quidem ſupererant; cùm enim ſæpiùs theſauri Templi dati fuiſſent Regibus peregrinis, ut auxilium ferrent, parcerénive Jeroſolimæ, non poterant ſupereſſe, niſi ea quæ occultata fuerant.

Sicut prædixerat Jehova] Vide ſupra Cap. XX, 17.

14. *Totam Jeroſolimam*] Hoc eſt, potiſſimam partem civium, & copiarum.

Mercatores] המסגר *bammaſger*. LXX. Intt. συγκλείοντα; Vulgatus, *cluſorem*; Chaldæus תרעיא, *janitores*. Intelligo *mercatores*, qui merces in apothecis clauſas habebant. Alii volunt eſſe fabros ferrarios, à feris, aut clauſtris faciendis.

Nemo remanſit &c.] Ex iis, nempe, qui intra urbis mœnia fuerant tempore obſidionis; nam ſine dubio multi aufugerunt, quibus fretus Sedekias poſtea rebellavit.

15. *For-*

ejus nomine, vocavit Sedekiam. 18. Natus erat unum & viginti annos Sedekia, cùm
regnare inciperet, & per undecim quidem annos regnavit Jeroſolimæ. Nomen ma-
tri ejus fuit Chamutali, *quæ* filia *erat* Jeremiæ Libnenſis. 19. Fecit quod diſpli-
cet Jehovæ, prorſus quemadmodum fecerat Jehojakimus. 20. Iratus autem erat Je-
hova Jeroſolimæ & Judæ, donec eos abjiceret è conſpectu ſuo; rebellavitque Sede-
kia in Regem Babylonis.

XXV. Sedekias rebellis obſidetur Jeroſolimæ, captáque urbe fugiens capitur & poſt occiſos in ejus conſpectu liberos excæcatur, vinctúſque ducitur Babylonem. Nebuzaradan Jeroſolimam funditus evertit, popúlúmque abducit, & quidquid ſuperfuerat æris in Templo aufert. Duces etiam abducit, qui occiduntur à Rege Babyloniorum, qui Gedaljam Judææ præficit, quo per inſidias occiſo, reliqui Judæi in Ægyptum profugiunt. Jehojachinus meliùs habetur ab Evilmerodacho, Babyloniorum Rege.

1. ANNI verò noni, ex quo regnare cœperat, menſe decimo, & decimo qui- CAPUT
dem die menſis, venit Nebuchadnetſar, Rex Babyloniorum, cùm ipſe, tum XXV.
ejus omnis exercitus, contra Jeroſolimam, caſtráque ad eam poſuit, & ædi-
ficavit circa eam turres. 2. Paſſa autem urbs eſt obſidionem, ad undecimum an-
num Regis Sedekiæ. 3. At *quarto menſe*, nono die menſis, invaluit fames in urbe,
nec erat panis terræ populo. 4. Perrupta erat etiam urbs, & omnes viri militares fu-
gerunt illâ nocte, per viam portæ, quæ erat inter duos muros, juxta hortum regium,
abierúntque per viam planitiei. 5. Perſequutus verò eſt Chaldæorum exercitus Re-
gem,

16. *Fortiſſimos illius oræ viros*] אילי הארץ *ele haarets*, quos capere potuit circa Jeroſolimam.

17. *Patruum ejus*] Nempe, Jehojachini.

Mutatóque ejus nomine vocavit] *Mutavit nomen ejus.*

Sedekiam] צדקיהו *Tſidkijahou*, quod emollivimus more Veterum, durius enim erat nomen, quàm ut Latinè ſic efferretur.

18. *Chamutali*] Uxor fuit Joſiæ. Vide Cap. XXIII, 31.

19. *Quod diſplicet Jehovæ*] *Malum in oculis Jehovæ.*

20. *Iratus eſt autem* &c.] כי על אף יהוה היתה *quia ſuper iram Jehovæ fuit in Jeroſolima & in Juda, donec.* Τὸ כי *chi* abundat, ut alibi non rarò, niſi malis vertere *quamobrem.* Sed quid ſibi velit על hic non ſatis intelligo. Suſpicor legendum עלה אף יהוה בירושלם *adſcenderat ira Jehovæ in Jeroſolimam*, hoc eſt, aucta erat. Vide 2. Par. XXVI, 16.

Rebellavitque] Occultè fortè concitatus ab Ægyptiis, aliiſve vicinis populis, qui auxilium ei pollicebantur; vix enim alioquin auſus eſſet contra tantum Regem arma movere, exhauſtus ipſe & inops; cùm, ne florentiſſimis quidem rebus, tutò quidquam ſimile tentare potuiſſet.

In CAPUT XXV.

1. ANni verò noni &c.] *Et fuit in anno nono regnandi, menſe decimo, decimo menſis.*

Turres] דיק *dajek.* LXX. Intt. περίτειχος; Vulgatus, *munitiones*; Thargum כרקום *charkoum*, vallum. *Turrim* intellexi à radicis דיק *douk*, quæ eſt *ſpeculari*, *proſpicere* ſignificatione, quod in obſidione ex turribus facere licet; ut hoſtis adventus præcaveatur.

2. *Paſſa eſt autem urbs*] *Et venit urbs in obſidionem.* Ut Cap. XVIV, 10.

3. *Nono die menſis*] בתשעה לחדש *battiſchbah lahhodeſch.* Supplevimus hîc ex Jerem. LII, 6. בחדש הרביעי *menſe quarto*, quæ verba hinc exciderunt, neque enim additur dies menſis, omiſſo ipſo menſe. Vide vſ. 8.

4. *Perrupta erat etiam urbs*] ותבקע העיר *vatthibbakah habir.* Perfractus jam erat murus; ita ut mox irrupturus eſſet hoſtis. Igitur & fames & periculum, ne mox vi caperentur, milites ad fugam adegerunt. Vide Jerem. LII, 7.

Per viam portæ] Vide Jerem. XXXIX, 3, 4.

Per viam planitiei] דרך הערבה *derech haharabah.* Intelligitur planities ultra Jordanem, è regione Jerichuntis, unde ſperabant ſe poſſe aufugere in Hammonitidem, aut in Arabiam deſertam, indéque in Ægyptum. De ea planitie vide Deut. I, 1. Hac parte minùs intentæ erant excubiæ Babyloniorum, quia non putabant illac elapſuros Jeroſolimitanos, quòd longum hac & periculoſum eſſet iter. Itaque illac fefellerunt faciliùs Judæi.

5. *Perſequutus eſt* &c.] Innotuit, nempe, brevi per transfugas, aut alios; Regem Judæorum elapſum eſſe, & Jerichuntem versùs fugere.

gem, eúmque in campeſtribus Jerichuntis adeptus eſt, *unde* omnes ejus copiæ ab eo palantes aufugerunt. 6. Comprehenderunt itaque *Chaldæi* Regem, eúmque duxerunt ad Regem Babyloniorum Riblam, ubi de eo ſententiam tulerunt. 7. Filios Sedekiæ, coram eo occiderunt, oculóſque Sedekiæ excæcarunt; & hominem duabus catenis vinctum Babylonem abduxerunt. 8. Quinto verò menſe, & ſeptimo quidem die menſis (is decimus nonus erat annus Nebuchadnetſaris Regis Babyloniorum) venit Nebuzaradan, Satellitum præfectus, ſervus Regis Babyloniorum, Jeroſolimam, 9. incenditque Ædem Jehovæ, regiam, omnes domos Jeroſolimitanas, & *præſertim* omne ædificium majus igne abſumſit. 10. Muros etiam Jeroſolimæ circumquaque diruit totus exercitus Chaldæorum, qui præfecto Satellitum *aderat*. 11. Reliquum verò populum, qui ſuperfuerat in urbe, eóſque qui deſciverant ad Babyloniorum Regem, & ceteram multitudinem, deportavit præfectus Satellitum Nebuzaradan. 12. Reliquit tamen, ex tenuiſſimis illius oræ, præfectus Satellitum, qui vinitores & agricolæ eſſent. 13. Columnas verò æneas, quæ erant in Æde Jehòvæ, & baſes & labrum æneum, quod erat in Æde Jehovæ, confregerunt Chaldæi, & æs quo conſtabant Babylonem avexerunt. 14. Etiam ollas, palas, pſalteria, cochlearia & omnia vaſa ænea, quibus utebantur *Sacerdotes*, abſtulerunt. 15. Acerras & pateras, quidquid argentei & aurei fuit, ſumſit Satellitum præfectus. 16. Columnarum quidem duarum, labri unius, & baſium factarum à Salomone Rege in uſum Ædis Jehovæ, omniúmque eorum vaſorum æneorum *notum* non erat pondus. 17. Altitudo ſingularum columnarum erat octodecim cubitorum, prætereaque erat impoſitum illis capitulum, & altitudo capituli erat trium cubitorum. Rete verò & mala punica inerant coronidi circumquaque, eáque omnia ex ære. Similia erant columnæ alteri, ſupra rete.

18. Abduxit præterea præfectus Satellitum Serajam primum Sacerdotem, & Sephanjam ſecundum Sacerdotem, ac tres liminis cuſtodes. 19. Ex urbe abduxit & Eunuchum unum, qui militum fuerat præfectus; quinque viros, ex iis qui in conſpectum Regis admittebantur, qui deprehenſi ſunt in urbe; ſcribam ducem

In campeſtribus Jerichuntis] Inter Jordanem & urbem, cetera enim erant montana. Vide ad Joſuæ C. II, 16.

6. *Riblam*] De qua diximus ad Cap. XXIII, 33. nam רבלה *Ribla* & רבלתה *Riblatha*, ut hîc legimus, uuum idémque ſunt.

Sententiam tulerunt] *Loquuti ſunt cum illo judicium.*

7. *Coram eo occiderunt*] Inſignis crudelitas, de qua vide uot. ad Geneſ. XXXII, 11. Gravi tamen pœna dignus erat Sedekias, qui rebellare ſuſtinuerat in eum à quo iu ſolio collocatus fuerat, cùm jure belli poſſet iuterfici. Nec mitiora Judæi Babyloniis imprecabantur, ut liquet ex Pſ. CXXXVII, 9.

Duabus catenis] Non quòd timereut ue fugeret homo cæcus, ſed ſupplicii cauſâ.

8. *Satellitum præfectus*] שר טבחים *præfectus occiſorum.* Vide not. ad Geueſ. XXXVII, 36. Satellitum varia genera erant Perſarum Regibus, de quibus *Bern. Briſſonius* Lib. I. de Reguo Perſico. Quinam hîc intelligantur uemo dixerit.

9. *Et præſertim*] Poſtquàm *omnes domus* ſunt uominatæ, ſi quid addatur, liquidum eſt eximium quidpiam eſſe. Ideóque addidi *præſertim.* Vide vſ. 23. Caſas fortè & bumilia aliquot ædificia reliquit, quibus aratores & vinitores utereutur.

10. *Qui præfecto Satellitum aderat*] אשר רב טבחים *aſcber rab tababbim.* Deeſt conjunctio את eth, *cum*, quæ exprimitur Jerem. LII, 13. unde hæc deſumta ſunt.

12. *Ex tenuiſſimis illius oræ*] מדלת הארץ middallath haarets, ex *tenuitate illius terræ*, aut *tractûs.*

13. *Æs quo conſtabant*] *Eorum æs.* Cùm camelis ad Euphratem eſſet æs fereudum, cujus ſecundo alveo Babylouem devehi potuit, dividi in plures partes debuit, ut bajulari eò poſſet.

15. *Quidquid argentei & aurei fuit*] *Quod aurum aurum, quod argentum argentum.* Quidquid pretioſorum metallorum in Templo ſuperfuit, abſtulit.

17. *Altitudo ſingularum* &c.] Vide 1. Reg. VII, 15.

Trium cubitorum] Solius, nempe, capituli; ſed alia ornamenta addita duorum fortè erant cubitorum, quibus omnibus quinque conflabantur cubita; ut habetur 2. Reg. VII, 16. & Jerem. LII, 22. Ne quid tamen diſſimulem pro ג אמה ſeu *tribus cubitis*, hîc etiam olim ſcriptum putarim ה אמה *quinque cubita*; quia videntur hæc deſumta ex Jeremia, ubi omnia copioſiùs & emendatiùs exſtant.

18. *Primum Sacerdotem*] כהן הראש *Sacerdotem caput*, ſeu primum Sacerdotem, qui כהן הגדול *Sacerdos magnus* dici ſolet.

Secundum Sacerdotem] כהן משנה, *Sacerdotem ſecundi ordinis*, qui proximus dignitate Pontificem Maximum attingebat.

Tres liminis cuſtodes] Tres præfectos cuſtodiæ Leviticæ, num Levitæ janitores erant.

19. *In conſpectum Regis admittebantur*] *Ex videntibus faciem Regis*, hoc eſt, amieis intimæ admiſſiouis.

Scribam] הספר. Scribam, uempe, regium.

Mi-

Digitized by Google

cem exercitûs, qui populum militiam docebat; & ſexaginta viros è populo ter-
ræ, in urbe deprehenſos. 20. Cepit eos Nebuzaradan, præfectus Satellitum, &
duxit ad Babyloniorum Regem Riblam 21. Percuſſit eos Rex Babylonio-
rum & interfecit ad Riblam, in Chamathæo tractu, Judámque è ſolo ſuo depor-
tavit.
22. Quod verò adtinet ad populum, qui ſupererat in terra Judæ, & quem re-
liquerat Nebuchadnetſar Babyloniorum Rex, præfecit ei Gedaljam, filium Achi-
kami, Saphanis filii. 23. Audiverunt verò duces omnes copiarum, *qui fugerant
Chaldæos*, cùm ipſi, tum viri quibus præerant, Regem Babyloniorum præfectum
conſtituiſſe Gedaljam & ad eum Mitſpham ſe ſe contulerunt, & *præſertim* Iſma-
hel Nethanjæ filius, Jochanan Koreachi filius, Seraja Thanchumethæ filius * *
Netophathitæ; & Jaazanja Mahachathis filius, cùm ipſi, tum viri quibus præ-
fecti erant. 24. Jusjurandum autem eis dedit, & viris quibus præerant Gedal-
ja, dixitque: ne timeatis ſervos Chaldæorum, manete in terra & ſervite Re-
gi Babylonis, vobiſque bene erit. 25. Verùm menſe ſeptimo, venit Iſmahel, fi-
lius Nethanjæ, Eliſamæ filii, è ſobole regia, & decem viri, unà cum illo, con-
fœderúntque Gedaljam & mortuus eſt, ac interemerunt Judæos & Chaldæos, qui
erunt unà cum illo Mitſphæ. 26. Deinde ſurrexit omnis populus, à minimo
ad maximum, & duces copiarum, iverúntque in Ægyptum, quòd ſibi à Chal-
dæis timerent.
27. Trigeſimo autem ſeptimo anno migrationis Jehojachini, Regis Judæ, duo-
decimo menſe, & vigeſimo quidem ſeptimo die menſis, Evilmerodachus Babylo-
niorum Rex, eo quo regnare cœpit anno, Jehojachini, Regis Judæ, qui in car-
cere erat, rationem habuit. 28. Benignè eum alloquutus eſt, ſoliúmque ejus col-
locavit ſupra ſolia Regum, qui unà cum illo erant Babylone. 29. Mutavit veſ-
tes, quas in carcere geſtaverat, cibúmque ſemper coram ipſo ſumſit, per omnes
vitæ ſuæ dies. 30. Ferculum ſemper illi dabatur à Rege, ſingulis diebus, per om-
nes dies ejus vitæ.

Militiam docebat] המצביא *hammatsbi*, qui exercebat populum more militari. LXX. Intt. ἐκτάσσοντα τὸν λαὸν τῆς γῆς. *Hieronymus: probabat tirones de populo terræ.* Vocabant Romani *Campidoctorem*, de quo vide *Juſt. Lipſium* Lib. V. cap. 14.

22. *Quod verò adtinet ad* &c.] *Et populus relictus —— præfecit eis* &c.

23. *Duces omnes copiarum* &c.] Ii, nempe, qui per avia fugerant, ne in Babyloniorum manus inciderent.

Mitſpham] המצפה. Cùm variæ fuerint Mitſphæ, intelligi ea videtur, quæ fuit in confinio Tribuum Judæ & Benjaminis, de qua Joſ. XV, 38. XVIII, 26. His enim tractibus præfectus fuit Gedalja. Vide Jeremiam Capp. XL, & XLI.

Et præſertim] *Præſertim* ſupplevimus, ut ſupra vſ. 9.

* * *Netophathitæ*] Deſunt, nempe, hîc duo hæc verba בני עיפי bne Hephaï, *filii Hephaïs*, cujus patria fuit Netopha, urbs Tribûs Judæ, ut non malè conjicit *Jac. Bonfrerius*, in Onomaſtico. Vide 1, Par. IX, 16.

Viri quibus præfecti erant] *Viri eorum.*

24. *Jusjurandum dedit*] Se iis nullâ re nocituros.

25. *Confœderúntque* &c.] Concitati fuerant à Rege Hammonitarum, ut liquet ex Jerem. XL, 14. ubi hæc hiſtoria pluribus narratur. Jam ab hiſce temporibus, ſeditioſiſſimi erant Judæi, ingeniúmque hoc fuit gentis per multa ſæcula.

26. *Iverúntque in Ægyptum*] Quamvis vetaret Jeremias Propheta, ut liquet ex Cap. XLII, 9. & ſeqq. idque optimo conſilio, ne Judæa in ſolitudinem prorſus converteretur, cùm eſſet iterum ſub Cyro incolenda, quemadmodum dudum promiſerat Eſaias Propheta XLIV, 28. XLV, 1. Faciliùs enim poſtea inſtaurari res Judæorum poterant, ſi Judæa coli minimè deſiiſſet. Sed impii homines Prophetis fidem detrahebant, & dum prætexunt amorem patriæ & libertatis, eis maximè nocuerunt.

27. *Evilmerodachus*] אויל-מרדך. Vocatur in Canone *Ptolemæi*, *Ilvarodamus* אילורדם; à *Beroſo*, *Evilmaraduchus* אוילמרדוך; à *Megaſthene* *Evilmaluruchus* אוילמלרוך; à *Joſepho* *Abilamarodachus*, ut obſervavit *Joan. Marshamus*. Videntur eſſe corruptiones nominis *Evilmerodachi*, qui Nebuchadnetſari ſucceſſit.

Jehojachini] Qui ante Sedekiam regnarat Cap. XXIV, 8.

Rationem habuit] נשא את ראש *ſuſtulit caput*, quam loquutionem explicuimus ad Gen. XL, 13.

28. *Soliúmque ejus* &c.] Sellam in qua, honoris causâ, ut alii Reguli, qui Babylone erant, coram potentiore Babyloniorum Rege, ſedebat.

29. *Cibúmque ſemper* &c.] לחם תמיד *lehhem thamid*, panem perpetuum, hoc eſt, per totam vitam in regia menſa epulatus eſt. Sic apud *Spartianum*, Hadrianus Imp. pauperibus Senatoribus, unicuique *in diem vitæ ſuæ, demenſum præſtitiſſe* dicitur.

30. *Ferculum* &c.] *Portio ejus portio jugis dabatur ei à Rege res diei in diem, omnibus diebus vitæ ſuæ.* Hebraïcè eſt ארחה *arubba*, quod propriè eſt viaticum, ſed hîc pro demenſo ſumi-

mitur. Adtribuit ab eo tempore ei Babyloniorum Rex *ἐφήμερον ἐπιούσιον ἄρτον*, ut loquar cum Oratione Dominica, *quotidie in reliquam vitam panem. Omnes vitæ dies* ſunt idem ac *dies*, ſeu tempus *vitæ*, apud *Spartianum*, ut rectè *Claud. Salmaſius*, ad eum locum. Plura exempla protulit *Iſ. Caſaubonus*, qui tamen loquutionem non intellexit. Huc etiam facit quod habet *Vopiſcus*, in Aureliano, ubi narrat eum Imperatorem Romæ operam dediſſe *ut ſiligineum ſuum quotidie toto ævo ſuo & unuſquiſque reciperet & poſteris ſuis dimitteret*. Ad quem locum, oſtendit *Salmaſius* à Græcis eos panes dictos διαιωνίζοντας & ἐφημερινούς, quippe qui *δι' αἰῶνος* per totam vitam & *καθ' ἡμέραν*, *quotidie*, acciperentur. Non tanta fuit Evilmerodachi in Jehojachinum, ejúſque poſteros liberalitas.

2. LIBRI REGUM FINIS.

EPHE-

EPHEMERIDUM,

SIVE

PARALIPOMENΩN

LIBER PRIMUS.

I. Genealogia Principum Hebræorum ad Jacobum, & Idumæorum ad Hiramum.

1. ADAMUS, Sethus, Enoſus, 2. Kenan, Mahalaleel, Jaredus, 3. Chanochus, Methuſelachus, Lamechus, 4. Noachus, Semus, Chamus & Japhethus. CAPUT I.

5. Japhethi filii *fuerunt* Gomer, Magogus, Madais, Javan, Thubal, Meſechus, & Thiras. 6. Filii verò Gomeri Aſchenazus, Diphathus & Thogarma. 7. Javanis filii fuerunt Eliſa, Tharſis, Chitthæi, & Dodanæi.

8. Filii Chami *fuere* Chuſus, & Ægyptii, Phut & Chanahan. 9. Filii Chuſi fuere Seba, Chavila, Sabtha, Rahma, Sabthecha; filii Rahmæ Seba & Dedan. 10. Chuſus etiam genuit Nimrodum; is cœpit potens eſſe in terra. 11. Ægyptii genuere Ludæos, Hanamæos, Lehabæos, Naphthuchæos, 12. Pathruſæos, Chaſluchæos, unde orti ſunt Philiſthæi, & Chaphthoræos. 13. Chanahan verò genuit Sidonem primogenitum ſuum, Chethum, 14. Jebuſæum, Emoræum, Girgaſæum, 15. Chivvæum, Harkæum, Sinæum, 16. Arvadæum, Tſemaræum & Chamathæum.

17. Filii Semi fuerunt Helamus, Aſſur, Arphachſadus, Ludus, Aramus, Hutſus, Chulus, Gether & Meſechus. 18. Arphachſadus genuit Selachum, Selachus verò genuit Heberum, 19. Hebero etiam nati ſunt duo filii, quorum uni nomen fuit Phelego, quia temporibus ejus diviſa eſt terra. Fratri verò ejus nomen fuit Joktani. 20. Joktan genuit Almodadum, Selephum, Chatſarmavethum, Jerachum, 21. Adoramum, Uzalem, Diklam, 22. Hebalem, Abimaëlem, Sebam, 23. Ophirem, Chavilam, & Jobabum. Hi omnes fuere filii Joktanis.

24. Semus, Arphachſadus, Selachus, 25. Heber, Phelegus, Rehuus, 26. Serugus, Na-

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

1. A*Damus* &c.] Primos humani generis, variarúmque gentium conditores Scriptor Sacer collegit, quaſi prooemium quoddam Hiſtoriæ Hebræorum, quam contexturus erat; ut quàm antiqua eſſet liqueret, & quantò ultimæ antiquitatis memoriâ inſtructior eſſet aliis gentibus; quæ conditorum ſuorum nomina pleræque ignorabant, aut certè eorum ſeriem ad initia humani generis uſque deducere minimè poterant. De pleriſque hiſce Patriarchis, nominibuſque conditorum gentium, & regionum appellationibus, egimus ad Geneſ. V, & X. nec opus eſt alibi jam dicta repetere.

6. *Diphathus*] דיפת *diphath.* In margine notatur legendum ריפת *Riphath*, ut legimus etiam Geneſ. X, 3. quæ lectio melior eſſe videtur, ut diximus ad locum Geneſeos.

7. *Dodanæi*] דודנים *Dodanim.* Sic legimus etiam Gen. X, 4. Sed hîc in margine monemur legendum רודנים *Rodanim.* Vide notata ad locum Geneſeos.

10. *Potens in terra*] Hoc eſt, habere plures colonias humani generis à ſe pendentes, quod pluribus oſtenditur Gen. X, 9. & ſeqq.

11. *Ludæos*] לודיים *Loudijim*, ſed meliùs in margine לודים, ut & Gen. X, 13.

17. *Hutſus*] ועוץ *vehouts.* Legendum hîc eſt, ut Gen. X, 23. ובני ארם עוץ *& filii Arami Hutſus* &c. Alioqui nepotes Semi cum ejus filiis miſcerentur; nec dubito quin ea verba exciderint.

22. *Hebalem*] עיבל *Hebal.* Gen. X, 28. eſt עבל *Hobal.*

27. *Qui*

Digitized by Google

Nachor, Therachus, 27. Abramus, qui *poſtea* Abrahamus. 28. Abrahami filii, Iſaacus & Iſmahel.

29. Hæc autem eſt eorum progenies. Primogenitus Iſmahelis *fuit* Nebajoth, tum Kedar, Abdeel, Mibſamus, 30. Miſma, Duma, Maſſa, Chadadus, Thema, 31. Jetur, Naphis, & Kedma Hi fuere filii Iſmahelis. 32. *Hi verò fuerunt* filii Keturæ pellicis Abrahami. Peperit Zimranem, Jokſanem, Medanem, Madianem, Jisbakum & Suachum. Filii verò Joktanis fuere Seba & Dedan. 33. Filii Madianis, Hepha, Nepher, Chanochus, Abida, & Eldaha, qui omnes Keturæ filii fuerunt.

34. Genuit Abrahamus Iſaacum, & filii Iſaaci *fuere* Heſavus & Iſraël. 35. Filii verò Heſavi Eliphazus, Rehuel, Jehuſus, Jahlamus, Korachus. 36. Filii Eliphazi *fuerunt* Theman, Omar, Tſephis, Gathamus, Kenazus, Thimna & Hamalekus. 37. Rehuelis filii Nachathus, Zerachus, Samma, & Mizza. 38. Filii verò Sehiris fuerunt Lotan, Sobal, Tſibon, Hana, Diſon, Etſer, & Diſan. 39. Filii Lotanis fuere Choris & Homamus; ac ſoror quidem Lotanis Thimna. 40. Filii Zobalis *fuere* Haljan, Manachathus, Hebal, Sephis, & Onamus. Filii verò Tſibonis Aja & Hana. 41. Filii Hanæ Diſon, & Diſonis filii Chamran, Esban, Jitran & Cheran. 42. Filii *denique* Etſeri Bilhan, Zahavan & Jahakan, & filii Diſanis Hutſus & Aran.

43. Hi autem Reges fuerunt, qui regnarunt in terra Idumæa, antequàm Rex *ullus* regnaret in Iſraëlitas. Bela, Behoris filius, nomen ejus patriæ Dinhaba. 44. Mortuus eſt Bela, ejúſque loco regnavit Jobabus, Zerachi filius, Botſrenſis. 45. Mortuus eſt Jobabus, regnavitque ejus loco Chuſamus, è tractu Themanitarum. 46. Mortuus eſt Chuſamus, regnavitque ejus loco Hadadus, Bedadi filius, qui Madianem in agro Moabitico concidit; nomen ejus patriæ fuit Havithæ. 47. Mortuus eſt Hadadus, regnavitque ejus loco Samla, Maſrekenſis. 48. Mortuus eſt Samla, regnavitque ejus loco Saül, Rechobothenſis ad fluvium *Euphratem*. 49. Mortuus eſt Saül, regnavitque ejus loco Bahalchanan, Hachboris filius. 50. Mortuus eſt Bahalchanan, regnavitque ejus loco Hadadus. Nomen patriæ ejus fuit Phahi, & uxori Mehetabeli, filiæ Mathredæ, filiæ Mezahabi. 51. Mortuus eſt Hadadus, fuerúntque principes Idumææ, princeps Thimna, princeps Halja, princeps Jethethus, 52. princeps Oholibama, princeps Ela, princeps Phinon, 53. princeps Kenazus, princeps Mibtſar, 54. princeps Magdiel, princeps Hiramus. Hi principes fuerunt Idumææ.

II. Genus Jacobi, præſertim ex Juda, & Davidis quidem ac Chalebi familiarum Genealogia.

1. HI *ſunt* Iſraëlis filii, Ruben, Simon, Levis, Juda, Iſſaſchar, Zabulon, 2. Dan, Joſephus, Benjamin, Nephthalis & Aſer. 3. Filii Judæ fuerunt Her, Onan &

27. *Qui poſtea*] *Is Abrahamus.*

29. *Progenies*] תולדותם *tholedotham*, progenies eorum. Gen. XXV, 12.

32. *Filii Keturæ* &c.] Gen. XXV, 2.

35. *Filii verò Heſavi* &c.] Gen. XXXVI, 2, & ſeqq.

36. *Tſephi*] צפי *Tſephi.* Geneſ. XXXVI, 11. legitur צפו *Tſepho.*

Thimna] תמנע *Thimnah.* Nomen eſt Geneſ. XXXVI, 12. pellicis *Eliphazi*, non filii, quæ ei peperiſſe dicitur Hamalekum. Fortè hæc exciderunt: היתה פילגש לאליפז בן עשו ותלד לאליפז את, *fuit pellex Eliphazi, filii Heſavi, & peperit Eliphazo*, quæ cùm deeſſent, præfixum eſt ו voci עמלק *Hamalek*, quaſi is frater Thimnæ fuiſſet.

43. *Hi autem Reges* &c.] Vide ad Geneſ. XXXVI, 31.

50. *Hadad*] הדד. Gen. XXXVI, 39. vocatur הדר *Hadar.*

Phehi] פעי. Eſt Geneſeos loco laudato פעו *Phaou.*

51. *Halja*] עליה. Sic quidem legitur in textu, in margine verò eſt עלוה *Halva*, ut Geneſ. XXXVI, 40.

In Caput II.

3. F*ilii Judæ* &c.] Vide Gen. C. XXXVIII, 2, & *ſeqq.*

E Bath-Sua] מבת שוע. At Gen. XXXVIII, 2. dicitur detractâ priore Syllaba שוע *Suah*, niſi quis malis vertere, cum LXX. Int. & Vulgato, *filia Suæ*, ita ut idem fuerit nomen matris & filiæ.

5. *Filii Phereţſi* &c.] Gen. XLVI, 12.

6. *Filii verò Zerachi*] 1. Reg. IV, 31. ubi vide notata.

Zimris] זמרי *Zimri.* Dicitur זבדי *Zabdi* Joſ. VII, 1.

7. *Filii Charmis*] בני *bne*, quemadmodum etiam legerunt LXX. Int. & Vulgatus. Plurali numero hîc & verſu ſequenti, & vſ. 31. vocantur filii, qui fuere patribus ſuis unici. Vide ad Gen. XLVI, 7.

Hachar] Vide Joſ. VII, 1.

10. *Ramus genuit*] Vide Ruth. IV, 19.

Principem poſterorum Judæ] Tempore Moſis. Vide Num. I, 7.

13. *Iſais genuit* &c.] Vide 1. Sam. XVI, 6. & ſeq.

13. *Sun-*

& Sela, qui tres ei nati ſunt è Bath-Sua Chanahanitide. Her quidem, primogenitus Ju-
dæ, diſplicuit Jehovæ, qui eum morti dedit. 4. Thamara nurus ejus peperit ei Phe-
retſum & Zerachum. Filii Judæ fuerunt omnino quinque.

5. Filii Pheretſi *fuerunt* Chetſron & Chamul; 6. filii verò Zerachi Zimris, Ethan,
Heman, Chalchol, & Dara; omnino quinque. 7. Filii Charmis Hachar, perturba-
tor Iſraëlis, qui deliquit in præda devota. 8. Filii Ethanis Hazarja. 9. Filii, qui nati
ſunt Chetſroni Jerachmeel, Ram & Chelubaïs. 10. Ramus genuit Hamminadabum,
Hamminadabus genuit Nachſonem principem poſterorum Judæ, 11. Nachſon genuit
Salmam, Salma genuit Bohazum, 12. Bohazus genuit Hobedum, Hobedus genuit Iſaïn,
13. Iſaïs genuit primogenitum ſuum Eliabum, ſecundum Abinadabum, tertium Sim-
ham, 14. quartum Nethaneelem, quintum Reddaïn, 15. ſextum Otſemum, ſeptimum Da-
videm. 16. Sorores verò eorum fuerunt Tſeruja & Abigaila; ac filii quidem Tſerujæ
fuerunt Abiſaïs, Joabus & Hazaël, tres. 17. Abigaïla verò peperit Hamaſam, & pater
quidem Hamaſæ fuit Jether Iſmaëlita.

18. Chalebus verò, Chetſronis filius, genuit ex Hazuba uxore & ex Jerihotha, & hi
ſunt ejus filii, Jeſer, Sobabus & Ardon. 19. Mortuâ autem Hazubâ, duxit Chalebus
Ephratham, quæ ei peperit Churem. 20. Chur verò genuit Urim, & Uris genuit Bet-
ſaleelem. 21. Poſtea Chetſron congreſſus eſt cum filia Machiris, Galahadi patris, eám-
que duxit; illaque, cùm ſexaginta annos natus eſſet, Segubum ei peperit. 22. Segubus
genuit Jaïrem, eique fuerunt viginti tria oppida in terra Galahaditide. 23. Verùm Ge-
ſuritæ & Aramæi villas Jaïris iis ceperunt, Kenatham & urbes ad eam pertinentes, op-
pida ſexaginta. Omnes illi fuerunt poſteri Machiris Galahadi patris. 24. Poſtquàm
verò mortuus eſſet Chetſron Chaleb-Ephrathæ, uxor Chetſronis Abija ei peperit A-
ſchurem, patrem Thekohæ.

25. Filii verò Jerachmeelis, primogeniti Chetſronis, *fuerunt* primogenitus Ramus, tum
Buna, Oren, Otſen, *ex* Achija. 26 Fuit & altera uxor Jerachmeeli, cui nomen Hataræ,
& quæ mater fuit Onami. 27. Rami filii fuerunt, primogeniti Jerachmeelis, Mahatſus,
Jamin & Heker. 28. Filii verò Onami fuerunt Sammaïs & Jada, & Sammaïs quidem
Nadabus & Abiſur. 29. Abiſuris uxori nomen fuit Abichaïlæ, quæ peperit ei Achbanem
& Molidum. 30. Nadabi verò filii *fuerunt* Seledus & Apphajimus, & mortuus quidem
eſt Seledus, ſine liberis. 31. Filii Apphajimi fuerunt Ishis, & filii Ishis, Seſan, & li-
beri Seſanis Achlaïs. 32. At filii Jadæ, fratris Sammaïs, *fuerunt* Jether & Jonathan,
&

Simham] שמעא. Is dicitur 1. Sam. XVI, שמה *Schammah*. Non puto hanc & ſimiles in nominibus varietates, quæ hîc occurrunt, eſſe πολυωνυμίᾳ tribuendæ; ſed longinquitati temporum, aut librariis, à quibus hîc illic nomina vitiata ſint, propter ſimilitudinem litterarum, aut prolationis. In nulla vocabula frequentiùs menda irrepſerunt, quàm in nomina propria, quòd librariis pleraque ignota eſſent. Hoc vel ex verſione LXX. Intt. liquet.

15. *Septimum Davidem*] Hinc liquet quod dicitur 1. Sam. XVI, 10. Iſaïs juſſiſſe tranſire *ſeptem filios* coram Samuele, cùm David nondum tranſiiſſet, id intelligendum non ſine exceptione Davidis.

16. *Filii Tſerujæ*] Vide 2. Sam. II, 18.

17. *Peperit Hamaſam*] Vide 2. Sam. XVII, 25. ubi oſtendimus meliorem eſſe hujus loci lectionem. Hîc יתר *Jether* dicitur qui illic יתרא *Jethra*.

18. *Chalebus*] כלב qui antea vſ. 9. dicitur *Chelubai* כלובי.

Ex Hazuba uxore] את עזובה *eth Hazouba*, ubi את *eth* videtur eſſe pro מאת *meeth*, ex, ut infrà C. VIII, 8. & alibi ſæpe.

20. *Bethſaleelem*] Vide Exod. XXXI, 2.

21. *Galahadi patris*] Vide Num. XXVII, 1.

Sexaginta annos] LXX. Intt. habent ἑξήκοντα ἐτῶν.

22. *Eique fuerunt* &c.] *Oppida*. Hebraïcè עָרִים, *harim*. Vocantur חות *hhavoth*, villæ Num. XXXII, 41. ubi vide quæ notavimus, ut & ad Joſ. X, 4. Fuerunt fortè majores vici, qui ſæpiùs *Joſepho* dicuntur κωμοπόλεις.

23. *Geſuritæ & Aramæi*] Populi vicini. Hebraïcè גשור וארם *Gſchour, veAram.*

24. *Chaleb-Ephrathæ*] בכלב אפרתה. Loci nomen eſſe videtur, ſic dicti à nominibus filii Chalebi, uxoriſque ejus, ſi recta ſit noſtra lectio. Sed LXX. Intt. habent: ἦλθε Χαλὲβ εἰς Ἐφραθά, & Vulgatus: *ingreſſus eſt Chaleb ad Ephrata*, quaſi legiſſent בא כלב *ba Chaleb*. Sed videtur noſtra lectio melior.

Patrem Thekohæ] Fortè quidem vir fuit ejus nominis, ſed crediderim ſignificari urbem תקוע *Thekoha*, quæ fuit patria Hamoſi Prophetæ, & urbs Tribûs Judæ, ad auſtrum Beth-lechemi. Sic in ſequentibus vſ. 45, 49, 50. *patres* urbium dicuntur, qui eas condiderunt, vel inſtaurarunt, vel colonis inſtruxerunt. Vide vſ. 45, 49, 50.

25. *Ex Achija*] Eſt tantùm אחיה, ſine conjunctione, aut præpoſitione; ſed propter ſequentia verba ſupplevimus מאת *meeth*, ex, ut Achija fuerit altera uxorum Jerachmeelis. LXX. Intt. habent Ἀχιὰ ἀδελφὸς αὐτοῦ, quaſi legiſſent אחיו *ahhiv*, frater ejus. Vulgatus, *& Achia*.

31. *Filii Apphajimi Iſchis*] Hoc eſt, habuit filium unicum. Vide ad vſ. 7.

Liberi Seſanis] Vide ad vſ. 34.

& Jether quidem ſine liberis mortuus eſt. 33. Filii Jonathanis *fuerunt* Phelethus & Za-za. Hi fuerunt poſteri Jerachmeelis.

34. Non fuerunt quidem Seſani filii, ſed filiæ; & Seſani fuit ſervus Ægyptius, cui nomen Jarchæ 35. Huic Jarchæ ſervo ſuo filiam ſuam uxorem collocavit, quæ peperit ei Hatthaïn. 36. Hatthais deinde genuit Nathanem, Nathan genuit Zabadum, 37. Zabadus genuit Ephlalem, Ephlal genuit Hobedum, 38. Hobedus genuit Jehuum, Jehuus genuit Hazarjam, 39. Hazarja genuit Cheletſum, Cheletſus genuit Elhaſam, 40. Elhaſa genuit Siſmaïn, Siſmais genuit Sallumum, 41. Sallumus genuit Jekamjam, & Jekamja genuit Eliſamam.

42. Filii verò Chalebi, fratris Jerachmeelis, fuerunt Meſa, primogenitus ejus, qui pater Ziphi, & filii Mareſæ, qui pater fuit Chebronis. 43. Filii Chebronis fuerunt Korachus, Thapphuachus, Rekemus, & Sema. 44. Sema quidem genuit Rachamum, Jorkehami patrem; Rekemus verò genuit Sammaïn. 45. Filius Sammais fuit Mahon, & Mahon fuit pater Beth-tſuris.

46. Hepha pellex Chalebi peperit Charanem, & Motſam & Gazezum; Charan verò genuit Gazezum. 47. Filii Jahdais fuerunt Regemus, Jothamus, Geſan, Pheletus, Hepha & Sahaphus. 48. Pellex verò Chalebi Mahacha peperit Seberum & Thirchanam. 49. Peperit etiam Sahaphum patrem Madmannæ, Sevam patrem Machbenæ & Gibhæ. Filia verò Chalebi *fuit* Hachſa.

50. Hi fuerunt filii Chalebi, Churis filii, primogenitus ejus Ephratha, Sobal pater Kirjath-jeharimorum, 51. Salma pater Beth-lechemi, Charephus pater Beth-gaderi. 52. Filii fuerunt Sobalis, patris Kirjath-jeharimorum, Haroës, *cui fuit* dimidia pars Quietarum Sedium. 53. Familiæ verò Kirjath-jeharimorum *fuerunt* Jithrii, Phuthii, Summa-

34. *Filii, ſed filiæ*] Attamen vſ. 31. אחלי *Achlai*, proles Seſanis, dicitur בנים *banim*, filii; ſed hæc vox prolem utrinſque ſexûs etiam unicam ſignificat. Vide ad vſ. 7. Unica filia hîc בנות *bnoth* dicitur.

35. *Huic Jarchæ*] Proſelyto, nimirum, facto & libertate donato. Ægyptios non aſpernabantur Hebræi, ut gentes Chananæas. Vide Deut. XXIII, 3.

42. *Qui pater Ziphi*] Qui incoluit tractum illum, qui dicebatur deſertum *Ziph*, in quo latuit David Saülem fugiens, 1. Sam. XXIII.

45. *Beth-tſuris*] Duplex fuit Beth-tſur, in Tribu Judæ, ſi *Euſebio* credimus, in Locis Hebraicis. Unius certè meminit Scriptura Joſ. XV, 58. & 2. Par. XI, 7.

49. *Madmannæ*] מדמנה urbs fuit Tribûs Judæ, Joſ. XV, 31. Eſa. X, 31. Nomina etiam urbium crediderim eſſe מכבנה *Machbenah* & גבעא *Gibba*, quas Seva condiderit, inſtauraritve, aut incolis inſtruxerit.

Filia verò Chalebi fuit &c.] Hoc ipſum fuit nomen filiæ Chalebi, Jephunnæ filii Joſ. XV, 16. Sed in iiſdem familiis frequenter eadem nomina occurrunt, ut oſtendit ipſum nomen Chalebi vſ. ſequente.

50. *Filii Chalebi, Churis F.*] Nepotis Chalebi Chetſronis filii. Vide vſ. 18. & 19. Si quæras cur hujus Chalebi mentio non fiat vſ. 20. ubi mentio fit alterius filii Churis; facile eſt reſpondere fragmenta hæc eſſe antiquarum Genealogiarum Tribûs Judæ, qualia pervenerant in manus Eſdræ; in quas longa dies multa mutare potuerat.

Kirjath-jeharimorum] Urbs fuit nobilis in Tribu Judæ, de qua ſic *Euſebius* in Locis Hebraicis: Καριαθιαρείμ, ἡ καὶ Καριαθβαάλ, ἡ καὶ πόλις Ἰαρείμ, μία τῶν Γαβαωνιτῶν, φυλῆς Ἰούδα, μεταξὺ Αἰλίας καὶ Διοσπόλεως, ἐπὶ τῇ ὁδῷ κειμένη ἀπὸ σημείων θ' Αἰλίας· Ἐντεῦθεν ἦν Οὐρίας ὁ Προφήτης, ὃν ἀνεῖλεν Ἰωακεὶμ ἐν Ἱερουσαλὴμ, ὡς ἐν Ἱερεμίᾳ. Ἐκαλεῖτο δὲ Καριαθιαρεὶμ καὶ ὁ υἱὸς τοῦ Σωβὰλ, ὡς ἐν Παραλειπομένοις. interprete *Hieronymo*: KARIATHIARIM, *quæ & Cariathbaal, civitas ſaltuum, una de urbibus Gabaonitarum, pertinens ad Tribum Juda euntibus ab Ælia Dioſpolin, in milliario nono. De hac urbe fuit Urias Propheta, quem interfecit Joachim in Hieruſalem, ſicut ſcribit Hieremias. Sed & in libris Paralipoménon filius Sobal appellatur Cariathiarim.* Sed fallitur, eſt nomen urbis, quam inſtauravit Sobal.

51. *Pater Beth-lechemi*] Nemo ſomniarit *Beth-lechem & Beth-gader* nomina eſſe virorum; cùm Beth-lechemum notiſſima fuerit urbs Judææ, & Beth-gaderum ſit etiam nomen urbis, licèt minùs notæ, ut vox *Beth*, domus ſatis indicat.

52. *Haroës, cui fuit*] הראה חצי המנחות *Haroë hhatſi hammenouhhoth*. Hæc omiſſa ſunt à Græcis Interpretibus, fortè quòd ea corrupta putarent. Vulgatus habet ad verbum, *qui videbat dimidium requietionum*; unde intelligimus in ejus Codice eadem fuiſſe verba, quæ in noſtris. Sana tamen eſſe præſtare non auſim. Interea dum aliquid certius proferatur, הראה putavimus eſſe nomen proprium viri, ad quem pertineret dimidia pars tractûs qui dicebatur *Quietæ Sedes*. Verùm quandoquidem vſ. 54. mentio fit חצי המנחתי *hhatſi Hammanahhthi*, poſſet fieri ut ita quoque hîc legendum eſſet & Manachthæi dicti eſſent homines familiæ cujuſdam, in Judæ Tribu.

53. *Tſorathitæ & Eſthaolitæ*] צרעה *Tſorha* & אשתאול *Eſthaol* nota ſunt oppida Tribûs Danis, Judæ Tribui vicina. Vide Joſ. XV, 33. & XIX, 41. & Jud. XVI, 31.

54. *Netophathitæ*] Vide ad 2. Reg. XXV, 23.

Hatarothitæ] עטרות *Hatroth*. Fuit urbs *Hatroth-adar*, aut *Archi-hataroth*, in finibus Benjaminis & Ephraïmi. Sed videtur ſignificari hîc urbs in Tribu Judæ, quandoquidem de poſteris Judæ ſermo eſt. Variarum ejus nominis urbium me-

mathii & Miſrahii. Ab hiſce oriundi ſunt Tſorhathitæ & Eſthaolitæ. 54. Filii Salmæ
fuerunt Bethlechemitæ, Netophathitæ, Hatarothitæ, Beth-Joabum, & dimidia pars
Manachthitarum Tſoritharum; 55. item familiæ Scribarum, quæ incolebant Jahbetſum,
Thirathæi, Simhathæi, & Suchathæi. (hi Kinæi ſunt, oriundi Chamathâ) *&* pater fa-
miliæ Rechabi.

III. Genealogia poſterorum Davidis, ad tempora uſque, quæ Captivitatem Babylonicam ſequuta ſunt.

1. HI fuerunt filii Davidis, qui nati ei ſunt Chebrone, primogenitus Amnon, ex Caput
Achinohama Jizrehelitide; ſecundus Daniel, ex Abigaïla Charmelitide; 2. ter- III.
tius Abſalomus, filius Mahachæ, filiæ Thalmaïs Geſuritarum Regis; quar-
tus Adonija, Chaggithæ filius; 3. quintus Sephatsja, ex Abitala; ſextus Jithrehamus,
ex Hegla ejus uxore. 4. Sex illi nati ſunt Chebrone, ubi per ſeptem annos & ſex
menſes regnavit, cùm per triginta tres annos Jeroſolimæ regnarit. 5. Hi verò ei Je-
roſolimæ nati ſunt, Simha, Sobabus, Nathan & Salomo, quatuor ex Bath-Suha, Ham-
mielis filia. 6. Nati etiam ei ſunt Jibchar, Eliſama, Elipheletus, 7. Noga, Nephe-
gus, Japhia, 8. Eliſama, Eljada, & Elipheletus, qui novem ſunt. 9. Omnes hi fue-
runt filii Davidis, præter filios concubinarum, & Thamara quidem eorum ſoror fuit.
10. Filius Salomonis fuit Robohamus, Abija filius ejus, Aſa filius ejus, Jehoſapha-
tus filius ejus, 11. Joramus filius ejus, Achazja filius ejus, Joaſus filius ejus, 12. Ama-
tſia filius ejus, Hazarja filius ejus, Jothamus filius ejus, 13. Achazus filius ejus, Heze-
zekia filius ejus, Manaſſes filius ejus, 14. Amon filius ejus, Joſia filius ejus.
15. Filii

meninere *Euſebius* & *Hieronymus*, in Locis Hebraicis, verum hæc eorum verba huc pertinere videntur. Ἀταρὼθ, πόλις κλήρου Βενιαμίν. εἰσὶ δὲ δύο εἰς ἔτι νῦν Ἀταρὼθ περὶ τὴν Αἰλίαν. ATAROTH, *civitas Tribûs Benjamin. Sunt autem duæ Atharoth haud procul ab Ælia.* Alterutram harum poſteriorum, aut utramque hîc ſignificari crediderim.

Beth-joabum] בית יואב *Beth-Joab.* Fortè ita dictum fuit oppidum à Joabo, qui Davidis exercitibus præfuit, conditum vel inſtauratum, ſi modò recta eſt lectio. LXX. Intt. in Cod. Vaticano habent Ἀταρὼθ οἴκου Ἰωάβ, in Alexandrino Ἰωβάβ. Vulgatus: *coronæ domûs Joab.* Sed omnino ſignificantur oppida, aut pagi. Scio quidem Maſſorethas conjunxiſſe עטרות *Hatroth*, cum ſequentibus vocibus בית יואב *Beth-Joab*; verum liquet ex *Euſebio* fuiſſe pagos in Tribu Judæ, qui *Ataroth* dicerentur. Si quis tamen unum nomen eſſe velit *Hatroth-beth-Joab*, per me licet.

55. *Item familiæ Scribarum* &c.] משפחות סופרים ישבי יעבץ תרעתים שמעתים שוכתים *miſchpehhoth ſopherim joſchebe Jabbets, Thirhathajim, Schimhatim, Schouchathim.* LXX. Intt. Πατριαὶ γραμματέων κατοικοῦντες ἐν Ἰαβὴς (aut Ἰαβὴς) Θαργαθιὶμ, καὶ Σαμαθιὶμ καὶ Σωχαθιὶμ. At Vulgatus: *cognationes quoque Scribarum habitantium in Jabes, canentes atque reſonantes & in tabernaculis commorantes.* Conſtat סופרים *Sopherim* dici viros legis peritos, ſed loca ſequentia ſunt ignota. Nam licèt *Jabets* quidem Galahaditidis notum ſit oppidum, ad ortum Jordanis, non liquet de eo hîc agi, & reliqua omnia ſunt obſcura. Quare Vulgatus Interpres in iis appellativa nomina quæſivit, ſed parum feliciter.

Hi Kinæi ſunt] המה הקינים *hemmah hakkinim.* Sic dicti antiquiores Moſe populi, ad meridiem Tribûs Judæ incolentes, de quibus diximus ad Gen. XV, 19. Sic etiam vocati poſteri ſoceri Moſis, de quibus ad Jud. I, 16. Horum popolorum & nominum origines denſâ ſunt caligine cinctæ.

Oriundi Chamathâ] הבאים מחמת *habbaim meHhamath.* Videtur ſignificari urbs *Hhamath*, ſeu Epiphania, de qua ſæpe diximus, urbs Syriæ, in finibus Iſraëlitarum ad ortum Jordanis. Quod ſi verum eſt, hi alii fuerint *Kenæi.*

Et pater familiæ Rechab] Notiſſima fuit familia Rechabitarum, de qua Jerem. XXXV, 2. Sed an hæc ſignificetur ignotum eſt. Hæc verba ſejunximus à ſuperioribus, quæ parentheſi clauſimus, quia חמת *Hhamath*, urbs, non poteſt dici pater familiæ Rechabi. Sed cùm hæc ſint obſcura, meliora conjicienti facilè adſentiemus.

In Caput III.

1. H*I fuerunt filii Davidis*] Vide 2. Sam. III, 2.

Secundus Daniel] דניאל. 2. Sam. III, 3. vocatur כלאב *Chilab.*

5. *Simha*] שמעא. Dicitur 1. Sam. V, 14. שמוע *Sammuha.*

Bath-ſuha Hammielis filia] לבת-שוע בת עמיאל. Vocatur 1. Sam. XI, 3. בת-שבע בת אליעם *Bathſeba filia Elihami.* Vide ad vſ. 16.

6. *Eliſama*] אלישמע. Idem meliùs vocari videtur אלישוע *Eliſuah*, 2. Sam. V, 15. quia non eſt credibile Davidi fuiſſe cognomines duos filios.

Elipbelet] Hic omittitur loco Samuëlis laudato, omittendúſque videtur, quòd, ut dixi, Davidi non videantur fuiſſe cognomines filii.

7. *Noga*] נגה, qui omittitur etiam, apud Samuelem.

8. *Qui novem ſunt*] Numerantur tantum ſeptem, apud Samuelem. Quod tribuendum varietati priſcarum Genealogiarum.

 15. *Jo-*

15. Filii Joſiæ, primogenitus Jochanan, ſecundus Jehojakimus, tertius Sedekia, quartus Sallumus. 16. Filii Jehojachimi fuere Jechonia & Sedekia.

17. Filii Jechoniæ Aſſir, cujus filius Sealthiel, 18. Malchiramus, Phedaja, Senattſar, Jekamja, Hoſama & Nedabja. 19. Filii Phedajæ Zorobabel, & Simhis. Filius Zorobabelis Meſullamus, & Chananja, quorum ſoror fuit Selomitha; 20. præterea Chazuba, Ohel, Barachja, Chaſadja, Juſab-cheſedus, qui quinque fuerunt. 21. Filius Chananiæ Phelathja & Jeſahja; filii Rephajæ, filii Arnanis, filii Hobadjæ, filii Sechanjæ, 22. filii Sechanjæ Semahja; & filii Semahjæ Chattuſus, Jigal, Bariachus, Neharja & Saphatus, qui ſunt ſex. 23. Filius Neharjæ Eljohenaïs, & Hezekia, & Hazrikamus, tres. 24. Filii verò Eljohenaïs Hodavja, Eljaſibus, Phelaja, Hakkubus, Jochanan, Delaja & Hananis, ſeptem.

IV. Familiæ Tribuum Judæ & Simeonis, earúmque Sedes.

CAPUT IV. 1. POSTERI Judæ Pheretſus, Chetſron, Charmis, Chur & Sobal. 2. Reaja verò, Sobalis filius, genuit Jachathum, Jachathus genuit Achumaïn & Lahadum. Hæ ſunt familiæ Tſorathæorum. 3. Hæ autem ſunt patris Hetami, Jizrehel, Jiſma, & Jidbaſus, noménque ſorori eorum fuit Tſelelphoni. 4. Phenuel fuit pater Gedoris, & Hezer pater Chuſæ. Hi ſunt poſteri Churis primogeniti Ephrathæ, *&* patris Beth-lechemi. 5. Aſchuri verò, patri Thekoæ, fuerunt duæ uxores, Chela & Nahara. 6. Peperit autem ei Nahara Achuzamum, Chepherum, Themnin & Haachſthatin. Hi fuerunt filii Naharæ. 7. Filii verò Chelæ fuerunt Tſerethus, Tſohar, & Ethnan. 8. Kotſus verò genuit Hanubum & Hatſobebam. Sed familiæ Hacharchelis, Benharumus.

9. Fuit

15. *Jochanan*] יוחנן. Vocari quibuſdam videtur יהואחז *Jehoahhaz*, 2. Reg. XXIII, 30. ſed fuiſſe eumdem ac Sallumum liquet ex Jerem. XXII, 11.

16. *Jechonia*] יכניה. Inverſis vocibus quibus hoc nomen conſtat, vocatur 2. Reg. XXIV, 8. יהויכין *Jehojachin*. Sic, ut vidimus vſ. 2. *Elihum* אליעם & *Hammiel* עמיאל unus idemque vir eſt.

17. *Aſſir*] אסיר. Quod nomen proprium eſſe veteres Interpretes putarunt, recentiores nonnulli *vinctum* vertunt.

Sealthiel] Non naturâ, ſed adoptione. Extincta fuit Salomonis linea in Jechonia, cui ſucceſſit linea Nathanis, ex qua erat Sealthiel. Vide Luc. III, 27, 31.

19. *Filii Phedajæ Zorobabel*] Atqui Zorobabel, apud Lucam, Salathielis filius dicitur. Oportet ergo aut Phedajæ, aut Salathielis adoptionis jure tantùm filium fuiſſe.

Filius Zorobabelis] ובן *ouben*. LXX. Intt. υἱοὶ Ζοροβαβὲλ. Itaque legerunt, aut legendum cenſuerunt בני *bne*, quod eſt melius. Vulgatus: *Zorobabel genuit*, ut ne *filium* vocaret duos filios.

20. *Præterea Chaſuba* &c.] Ex alia uxore.

21. *Filius*] ובן *ouben*. Iterum hîc LXX. Intt. υἱοὶ Ἀνανία, ut legatur בני *bne*, quod melius, quàm quod habet Vulgatus: *filius autem Hananiæ Phalthias pater* &c.

Filii Rephajæ &c.] Videntur hîc addi nomina familiarum quinque, ex regia ſtirpe oriundarum, quamvis ſingulorum nomina non addantur. In rebus tam obſcuris, ne conjecturæ quidem locus eſt, niſi quis aërem verberare velit.

23. *Filius*] ובן *ouben*. LXX. Intt. καὶ υἱοὶ. Vulgatus, *& filius*. Vide ad vſ. 19 & 21.

In CAPUT IV.

1. POſteri Judæ] *Filii Judæ*.

Charmis] כרמי *Charmi*. Negant eſſe Charmin de quo Cap. II, 7. ſed volunt eſſe Chelubaïm de quo Cap. II, 9. & qui fuit Chetſronis filius. Sed non ita ordine diſpoſitæ ſunt hæ Genealogiæ, ut certi quidquam dici queat. In hoc ipſo verſu, poſt Sobalem omiſſus eſt *Chalebus*, Churis filius, de quo Cap. II, 50.

2. *Reaja*] ראיה. Vocatur הראה *Haroeh*, Cap. II, 52.

3. *Patris Hetami*] אבי עיטם *abi Hetam*. Urbs fuit in finibus Tribûs Judæ & Simeonis, quam poſtea inſtauravit Robohamus, 2. Paral. XI, 6.

4. *Phenuel fuit pater*] Eumdem fuiſſe putant ac *Charephum*, de quo Cap. II, 51. Aut alia fuit Gedor, de qua vſ. 18. aut hic ex parte tantùm ejus conditor fuit, cùm Jeredus eam illic condidiſſe dicatur.

Primogeniti Ephrathæ] Primogeniti Chalebi ex Ephratha, Cap. II, 19. Ideò ſupplevimus poſtea *&*, ne Ephratha crederetur eſſe nomen conditoris, aut inſtauratoris Beth-lechemi.

Patris Beth-lechemi] Partim, nam idem dicitur de Salma C. II, 54.

5. *Aſchuri*] Poſtumus is fuit filius, ut docemur ſuprà Cap. II, 24.

7. *Tſohar*] Sic eſt in margine, in textu verò יצחר *Jetſohar*.

Ethnan] Addunt *Fr. Junius* & *Joan. Piſcator*, *& Kots*, quia Kotſi poſteri ſequente verſu memorantur. Omiſſam putat *Piſcator* errore librarii, quia וקוץ *vekots* initio ſequentis verſûs repetitur. Abſurda non eſt conjectura, ſed quis audeat præſtare, in confuſione harum Genealogiarum?

8. *Sed familiæ*] ומשפחות *& familiæ*, quod alii vertunt, *& familias Hacharchelis filii Harumi*, incommodè.

9. *Fuit Jabbetſus*] Conditor fortè fuit urbis cognominis יעבץ *Jabbets*, quæ memoratur ſuprà Cap. II, 55. Si integræ eſſent hæ Genealogiæ, dictum fuiſſet antea cujus filius eſſet. Qui Kotſi filium putant divinant. Fortè à temporibus Eſdræ, hæc mutilata ſunt, fortè & jam antea,

9. Fuit Jahbetſus honoratus inter fratres ſuos, & mater quidem ejus nomen ei impoſuit Jahbetſo; cùm diceret eum ſe peperiſſe, cum dolore. 10. Invocavit autem Jahbetſus Deum Iſraëlis, his verbis: *ô Jehova*, utinam benedicas mihi, amplies fines meos, manus tua mihi adſit, & liberes à me calamitate, ita ut ne afficiar dolore! Deus verò effecit ut contingeret quod petebat.

11. Chelubus frater Suchæ genuit Mechirem, is pater fuit Eſthonis. 12. Eſthon verò genuit Bethrapham, Phaſeachum & Thechinnam, qui fuit pater urbis Nachaſi. Hi fuerunt homines Rechæ.

13. Filii Kenazi fuerunt Hothniel & Seraja, & filii Hothnielis Chathathus. 14. Menothaïs verò genuit Hophram, & Seraja genuit Joabum, patrem vallis fabrorum, nam *incolæ vallis illius* fabri fuerunt. 15. Filii Chalebi, Jephunnæ filii, Hiruus, Ela, & Nahamus. Filii verò Elæ etiam Kenazus.

16. Filii Jehaleleelis Ziphus, Zipha, Thirja & Aſareel. 17. Filii Hezræ Jether, Mared, Epher, & Jalon. Concepit autem *uxor Ægyptia Maredi* Mirjamum, Sammaïn, & Jiſbachum patrem Eſthemohæ. 18. Uxor verò ejus Judæa peperit Jeredum Gedoris patrem, Cheberum patrem Sochonis & Jekuthielem patrem Zanoachi. Atque illi quidem filii fuerunt Bithiæ, filiæ Pharahonis, quam duxit Maredus; 19. *hi verò* filii uxoris *ejus* Judææ, ſororis Nahami, patris Kehilæ, Garmitarum & Eſthemohæ Mahachathitarum.

20. Filii Simonis Amnon, Rinna, Ben-chanan, & Thilon. Filii Iſkis Zochethus, & Ben-Zochethus.

21. Poſteri Selæ, Judæ filii, Her pater Lechæ, & Lahda pater Mareſæ, & familiæ officinæ byſſi, quæ eſt domus Asbehæ, 22. item Jokimus, & viri Chozebæ & Joas & Sa-

tea, ita ut ea mutila dederit qualia in antiquis Genealogiarum Schedis inveniebat.

Se peperiſſe cum dolore] ילדתי בעצב *jaladthi behotſeb*, peperi in dolore. Si à עצב *hotſeb* deducamus יעבץ *Jabbets*, metatheſis litterarum erit admittenda, ita ut ſic dicatur, pro יעצב *Jahtſeb*, nec ſemper analogica eſt nominum formatio. Vide 1. Sam. I, 20.

10. *Liberes à calamitate*] עשית מרעה *feceris à malo, ne doleam*. LXX. Intt. legerunt רעה, habent enim ποιήσῃς γνῶσιν. Sed ordo eſt, *feceris ne doleam à calamitate*, עשית לבלתי עצבי מרעה *haſehitha lbilthi hotsbi merahah*.

Fecit ut contingeret] *Addaxit*, יבא *jabe*. Videtur hæc hiſtoriola narrari, quòd alludat ad nomen Jahbetſi deductum à עצב *hotſeb*, dolore.

12. *Urbis Nachaſi*] Fuit urbs Tribûs Judæ, ſed quæ alibi non memoratur.

13. *Filii Kenazi* &c.] Vide Joſ. XV, 17.

14. *Patrem vallis Fabrorum*] Hoc eſt, qui eam incolis inſtruxit. Hujus vallis mentio fit Nehem. XI, 35. LXX. habent hîc πατέρα Ἀγεαδδαὶρ ὅτι τέκτονες ἦσαν. Pro Ἀγεχαρασείμ. Vulgatus, *vallem artificum*. *Jacobus Bonfrerius* putat eſſe nomen urbis, quia valles non habent *conditores*; ſed fallitur, *conditores* enim ſeu κτίσται non minùs dicuntur qui incolis regionem quampiam inſtruunt, quàm qui urbes condunt. Vide ad Gen. I, 1.

15. *Filii verò Elæ etiam Kenazus*] ובני אלה וקנז *& filii Elæ & Kenaz*. Vertimus, ut potuimus, prout verba habent; ſed *Joan. Piſcator* non ineptè ſuſpicatur deeſſe hîc aliquid ante וקנז *& Kenaz*, *cujuſmodi omiſſionis*, inquit, *plura exempla in his genealogiis occurrunt*. Quod non poteſt negari ab iis, qui hæc Genealogiarum lacera fragmenta attentè modò legerint.

17. *Uxor Ægyptia Maredi*] Hoc ex ſequentibus omnino ſupplendum viſum eſt, nam poſt ותהר vatthahar, *&* concepit ſequi debuit *uxor*, eáque diſtincta à ſequente, quod exprimi optimè poſſit אשת למרד המצרית *eſcheth lMared hammitſrith*. Ejus poſtea nomen profertur.

18. *Judæa*] היהודיה *hajehoudija*. Corruptum hoc nomen eſt, in LXX. Intt. qui habent Ἀδία, aut Ἰδία. Vulgatus habet *Judaja*. Fortè ſcribendum eſt יהודית *Jehoudith*, quod eſt, ex Grammatica Analogia, Judæa; aut dicendum erit Hebraïcè etiam Judæam dictum יהודיה *Jehoudijah*. Vide C. VII, 14.

Atque illi quidem &c.] אלה בני בתיה. Hæc verba referenda ſunt ad *Sammaïa* & *Jiſbachum*, non ad filios Judææ; & more quidem Scripturæ perpetuo debuiſſent verſui 17. proximè ſubjungi.

Bithiæ Pharahonis filiæ] Qui filia Pharahonis, ſeu Regis Ægypti, inciderit in manus viri Hebræi & quidem hominis privati nemo dixerit. Fortè ab Arabibus, aut Hebræis rapta in Judæam adducta eſt. Nec tanti filias faciebant barbari Reges, qui uxorum & concubinarum magnum numerum habebant.

19. *Judææ*] Eſt הודיה, quod non multùm abit à priore nomine. Deeſt י ab initio.

21. *Officinæ byſſi*] בית עבדת הבוץ beth habodath habbouts, *domus opificii byſſi*. Hæc mirè corrupta in verſione LXX. Intt. qui ex Codice Vaticano habent: οἰκείαν Ἐφραθαβάκ, in Alexandrino paullò meliùs Ἐβδαθαββούς. Vulgatus: *domus operantium byſſum*. Non apud Ægyptios tantùm, ſed & Hebræos byſſus colligebatur, & parabatur, ut nos docet *Pauſanias* Lib. V. c. 5. Θαυμάσειε δ' ἄν τις ἐν τῇ γῇ Ἠλείᾳ τήν τε βύσσον —— ἡ δὲ βύσσος ἡ ἐν τῇ Ἠλείᾳ λεπτότητος μὲν οὕνεκα οὐκ ἀποδεῖ τῆς Ἑβραίων, ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως ξανθή. *Miretur quiſpiam, in terra Elea, Byſſum* —— *Byſſus verò, quæ eſt in Elide, ad tenuitatem quod attinet, non eſt inferior Hebræa, ſed non eſt inſtar ejus flava.*

Familiæ Asbeæ] לבית אשבע *beth Asbeah*. LXX. Intt. τοῦ οἴκου Ἐσοβά. Vulgatus: *in domo juramenti*, minùs commodè. Sic & in ſequentibus nomina propria appellativa eſſe credidit.

 22. *Qua*

Saraphus, qui Moabitis dominati ſunt, & Jaſubi-lechem; quæ res ſunt antiquæ. 23· Hi figuli fuerunt, qui habitarunt Netahimos & Gederam. Apud Regem fuerunt, & in opere ejus illic habitarunt.

24· Filii Simeonis fuerunt Nemuel, Jamin, Jaribus, Zerachus, Saul, 24· cujus filius Sallumus, cujus filius Mibſamus, cujus filius Miſma 26· Poſteri Miſmæ Chammuel filius ejus, cujus filius Zacchur, cujus filius Simhis. 27· Filii verò Simhis fuerunt ſexdecim & filiæ ſex. At fratribus ejus non fuerunt multi filii, nec univerſa eorum familia crevit ad inſtar poſterorum Judæ. 28· Habitarunt autem Beerſebæ, Moladæ, Chatſar-ſuhale, 29· Bilhæ, Hetſimi, Tholadi, 30· Bethuele, Chormæ, Tſiklagi, 31· Beth-marchabothis, Chatſar-ſuſimis, Beth-biri, & Saharajimis. Hæ urbes eorum fuerunt, donec regnaret David. 32· Villæ eorum fuere Hetamum, Hajin, Rimmon, Thoken, Heſan, pagi quinque, 33· & omnes villæ circa eas urbes, ad Bahalem. Hæ ſunt ſedes eorum, & hæc eorum genealogia.

34· Meſobabus verò, Jamlechus, Joſa Amatsjæ filius, 35· Joël, Jehuus, filius Joſibjæ, filii Serajæ, filii Haſielis, 36· Eliohenaïs, Jahakoba, Jeſochaja, Haſaja, Hadiel, Jeſimeel, Benaja, 37· Ziza filius Siphis, filii Allonis, filii Jedajæ, filii Simris, filii Semahjæ; 38· hi, *inquam*, nominatim, cenſentur principes in familiis ſuis; domúſque Majorum eorum in multitudinem excreverunt. 39· Se contulerunt autem ad ingreſſum Gedoris, uſque ad orientem vallis, ut minoribus ſuis pecudibus paſcuum quærerent. 40· Invenerunt autem illic paſcuum pingue ac bonum, terrámque latam, quietam ac tranquillam; nam è Chamia *erant* qui illic antea habitabant. 41· Qui *antea* nominatim perſcripti ſunt *eò* iverunt, tempore Hezekiæ, Regis Judæ, conciderúntque eorum tentoria & habitacula quæ illic inventa ſunt & ad internecionem deleverunt, *nec reſtituti ſunt* ad hunc uſque diem. Habitarunt autem Simeonis poſteri eorum loco, quia minoribus ſuis pecudibus illic paſcuum erat. 42· Ex iis, Simeonis, nempe, poſteris iverunt in montem Sehirem quingenti, & Phelatja quidem, Neharja, Rephaja, & Huzziel Ishis filii duces eorum erant. 43· Conciderunt quod ſupererat ex iis qui Hamalekitis evaſerant, habitarúntque illic ad hunc uſque diem.

V. Genea-

22· *Quæ res ſunt antiquæ*] והדברים עתיקים *& verba antiqua.*

23· *Netahimos*] נטעים *netahim. Plantationes* vertit Vulgatus, ſed nomen eſt loci, qui familiæ Regum Judæ proprius fuiſſe videtur.

In opere ejus] Opificia fecerunt in loco, qui fuit poſſeſſio privata domûs Regiæ.

24· *Nemuel*] Vocatur hic ימואל *Jemuel* Gen. XLVI, 10. ubi & pro *Jarib* & *Zerach* habetur *Obad*, *Jachin*, & *Tſochar*.

27· *Ad inſtar poſterorum Judæ*] *Uſque ad filios Judæ.*

28· *Beerſebæ* &c.] Sunt urbes tractûs meridiani Judææ. Vide Joſ. XIX, 2. & ſeqq.

29· *Bilhæ*] בלהה. Poſterius ה omittitur Joſ. XIX, 2. & ſcribitur *Balah* בלה.

Tholadi] Pleniùs dicitur. Joſ. XIX, 4. אל-תולד *El-tholad.*

30· *Bethuele*] בתואל. Contractiùs ſcribitur, apud Joſuam, בתול *Bethoul.*

31· *Chatſar-ſuſimis*] חצר-סוסים. Scribitur Joſ. XIX, 5. חצר-סוסה *Hhatſar-ſouſa.*

Donec regnaret David] Qui fortè aliquâ parte ſoli, quod occuparant, eos mulctavit. Certè Tſiklagum eis abſtulit, ut docet nos Hiſtoria Sacra, 1. Sam. C. XXVII, 6.

31· *Bahalem*] בעל *Bahal.* Pleniùs dicitur Joſ. XIX, 8. בעלת באר רמת *Bahalath-beer-ramoth.*

38· *Nominatim cenſentur principes*] *Venientes in nominibus principes in familiis ſuis.*

39· *Gedoris*] Urbis Tribûs Judæ. Joſ. XV, 58.

40· *Terrámque latam*] רחבת ידים *rahhabath jadajim*, latam manibus, hoc eſt, ſpatiis. Extendebatur, nimirum, Nilum versùs, intra quem ſe continebant Ægyptii.

Quietam ac tranquillam] שקטה ושלוה *ſchoketeth uſchlevah.* LXX. Καὶ εἰρήνη, καὶ ἡσυχία. Quòd, nimirum, Ægyptii, finibus ſuis contenti, ad tempora uſque Robohami, iis egreſſi non ſint, ut obſervavit *Joan. Marshamus*, ad regnum Seſoſtris, quod fuit ſæculo XIV. nec mortuo Seſoſtri quidquam per multos annos tentarint.

E Chamia] כי מן חם *chi min Cham.* LXX. Intt. ἐκ τῶν υἱῶν Χὰμ, & Vulgatus: *è ſtirpe Cham.* Verùm hæc non poteſt eſſe ratio cur ora illa Simeonitarum bello obnoxia non fuerit; Chananæi enim Chami poſteri erant, iidémque Iſraëlitarum hoſtes infenſiſſimi, & qui frequenter iis bellum intulerant, interdum etiam jugum impoſuerunt. At imbelles erant Ægyptii & per multa ſæcula intra fines ſuos ſe continuerunt, cúmque Seſoſtris auſpiciis egreſſi eſſent, antiquis iterum finibus coërciti diu manſerunt; unde factum ut agros illos Chananææ à ſe deſertos ne per plura quidem ſæcula recuperare conati ſint. Quamobrem מן חם interpretamur *è Chamia*, hoc eſt, ex Ægypto, & ſupplevimus היו hajou, *erant.* Ac ſanè ut ארם *Aram*, אדום *Edom*, & ſimilia nomina conditorum gentium & populorum ſignificant paſſim terras ab eorum poſteris incultas, ſic חם *Cham*, nomen filii Noachi, qui Ægyptum condidit, ſignificat etiam ipſam Ægyptum, quæ pleniori lo-

V. Genealogiæ ac ſedes Rubenitarum, Gaditarum, Manaſſitarum ad ortum Jordanis habitantium, ad captivitatem uſque Babylonicam.

1· FILII Rubenis primogeniti Iſraëlis, (cùm enim primogenitus eſſet & polluiſſet cubile patris ſui, datum eſt jus primogeniti quod habebat poſteris Joſephi, Iſraëlis filii; nt non ampliùs recenſeatur *Ruben* primogeniti loco; 2· quia Juda quidem potentiſſimus fuit intet fratres, & ex eo *electus eſt* qui dux eſſet, Joſepho verò fuit jus primogeniti.) 3· Filii, *inquam*, Rubenis primogeniti Iſraëlis fuerunt Chanochus, Phalluus, Chetſron & Charmis. 4· Poſteri Joëlis *fuerunt* Semahja filius ejus, cujus filius Gogus, cujus filius Simhis, 5· cujus filius Micha, cujus filius Reaja, cujus filius Bahal, 6· cujus filius Beera; quem migrare juſſit Thilgath-Pholneſer, Aſſyriorum Rex; is princeps erat Rubenitarum. CAPUT V.

7· Fratres autem ejus, ſecundùm familias ſuas, prout recenſentur per ſuas ætates, fuerunt primus Jehiel, tum Zecharja, 8· Bela filius Hazazi, filii Semæ, filii Joëlis, qui habitabat Harohere, uſque ad Nebonem & Bahal-mehonem. 9· Ad orientem etiam habitarunt, ad introitum uſque deſerti, à fluvio Euphrate, quia pecora eorum creverant in terra Galahaditide. 10· Temporibus verò Saülis, bellum geſſerunt cum Haggeriis, qui eorum manu ceciderunt, & in quorum territoriis habitarunt, per totam Galahaditidis orientalem plagam.

11· Gaditæ verò è regione eorum conſederunt; in terra Baſanitide, Salcham uſque. 12· Joël primus *erat*, Saphamus ſecundus, deinde Jahanais, & Saphatus in Baſanitide. 13· Fratres verò eorum, pro Majorum ſuorum familiis, *fuerunt* Michaël, Meſullamus, Seba, Jorais, Jahachan, Zia & Heber, ſeptem. 14· Hi filii fuerunt Abichaëlis, filii Churis, filii Jaroachi, filii Galahadi, filii Michaëlis, filii Jeſiſais, filii Jachdonis, filii Buzi. 15· *Præterea fuit* Achis, filius Habdielis, filii Gunis, qui princeps fuit familiæ Majorum illorum. 16· Sedes habuerunt in Galahaditide, *& quidem* in Baſanitide, urbibúſque ejus, & in ſuburbiis Saronis, ad eorum fines. 17· Omnes hi recenſiti ſunt temporibus Jothami Regis Judæ, & temporibus Jerobohami Regis Iſraëlis.

18· Rubenitæ autem, Gaditæ & dimidia Tribus Manaſſæ, fortes fuerunt, virique gerentes ſcutum & gladium, arcum tendentes, ac periti belli, & quadraginta quidem

qua-

loquutione dicitur *terra Cham* Pſ. LXXVIII, 51. CV, 23, 27. CVI, 22. Poſtea tamen Ægyptii erediderunt ſie vocatam ſuam patriam à nigrore ſoli; qua de re, vide not. ad Joſ. XIII, 3.

42· *Duces eorum erant*] *In eorum capite erant.* Gallicè, *étoient à leur tête.*

In CAPUT V.

1· POllniſſet cubile] Vide Gen. XXXV, 22.

Poſteris Joſephi] Qui duplici ſorte donati ſont in Chananæa, duáſque Tribus confecerunt. Vide Gen. XLVIII, 22. Attamen ex Hiſtoria Populi Hebræi liqoet Tribûs Judæ ſingularem fuiſſe exiſtimationem & auctoritatem. Vide Judic. C. I, 1.

4· *Poſteris Joëlis*] Oportuit quidem hunc Joëlem fuiſſe è poſteris Rubenis, ſed nepotem fuiſſe nihil neceſſe eſt; imò neceſſe eſt non fuiſſe, quia nimis paucæ ſunt ætates inter eum & tempora Tiglath-phileſeris; aut oportet aliquem ex ejus poſteris, in ſequente Catalogo, fuiſſe omiſſum.

6· *Thilgath-Philneſer*] תלגת-פלנאסר. Alibi aliter hoc nomen ſcribitur, ut notavimus ad 2. Reg. XVI, 7. Sacri Scriptores eodem modo ſemper ſcripſiſſe, hæqoe varietates deberi librariis videotur.

7· *Primus Jehiel*] הראש *caput Jehiel*; qui primus temporis, non digoitatis ordine fuiſſe videtur.

9· *A fluvio Euphrate*] Factum hoc oportuit eo tempore qoo Hammonitarum regio, qoæ fuit ad ortum Rubenis, Iſraëlitis patuit, ita ut poſſent ad Euphratem uſque per Arabiam Petræam greges agere. Contingere hoc potuit Davidis & Salomonis temporibus.

10· *Cum Haggeriis*] עם ההגראים quod verterunt LXX. Intt. πρὸς τοὺς παροίκους, quaſi idem eſſet ac הגרים *haggerim*. Sed ſatius eſt intelligere populum cum *Hieronymo*, qui habet, *contra Agaræos*; ac ſanè in Arabia, ad ortum agrorum Rubenis, à *Ptolemæo* Geographo collocaotur *Agræi* populi. Miror, cùm in Vulgata Agaræorum nomen exſtet, id à viro diligentiſſimo *Jac. Bonfrerio* in Onomaſtico omiſſum fuiſſe.

Per totam Galahaditidis &c.] *Super omni facie Orientis Galahadi.*

11· *Salcham uſque*] סלכה quæ à LXX. Intt. Σελχὰ dicitur, *Selcha* à Vulgato. *Euſebio* eſt πόλις Ὢγ βασιλέως, ἐν Βασανίτιδι, *urbs Og Regis, in Baſanitide.*

12· *Primus*] הראש *caput*, ot vſ. 7.

13· *Pro majorum ſuorum familiis*] *Pro domo patrum eorum*, pro familiis, quæ à Patriarchis quæque ſuis nomen duxerunt.

16· *Urbibúſque ejus*] *Filiabus ejus.*

Suburbiis Saronis] מגרשי שרון *migreſche Scharon.* Alia fuere loca ad occaſum Jordanis, dicta etiam *Saron*, de quibus vide *Onomaſticon.*

18· *Arcum tendentes*] דרכי קשת *dorcche keſcheth*, calcantes arcum, quia pede caltari oportet alterom cornu, ſeu extremitatem arcûs, ut tendi queat.

19· Cum

quatuor *virorum* millia, ſexcenti ſexaginta, qui in exercitum exibant. 19. Bellum autem geſſerunt cum Hageriis, Ituræis, Naphiſæis & Nodabæis. 20. Adjuti verò ſunt à *Deo* contra illos, & in eorum manus traditi ſunt Hagerii, & quicumque cum eis fuerant; nam Deum invocarunt *Iſraëlitæ* in prælio, exoratúſque eſt ab iis, quia in eo fiduciam poſuerant. 21. Abegerunt etiam eorum pecudes, camelorum quinque millia, minorum pecudum ducenta quinquaginta millia, aſinorum duo millia, & mancipiorum centum millia. 22. Etenim plerique *hoſtes* confoſſi ceciderant, quia hoc bellum erat à Deo, habitarúntque eorum loco, uſque ad captivitatem.

23. Homines verò dimidiæ Tribûs Manaſſæ ſedes habuerunt in terra Baſanitide, uſque ad Bahal-Chermonem, & Senirem, & montem Chermonem, *ubi* creverunt. 24. Hi autem principes familiarum illorum, Hepher, Jishis, Eliel, Hazriel, Jirmeja, Hodavja, Jachdiel, viri fortes, viri *celebris* nominis, principes familiarum patriarum. 25. Deliquerunt verò illi in Deum Majorum ſuorum, & fornicati ſunt ſequuti Deos populorum terræ, quos in conſpectu eorum deleverat Deus. 26. Itaque excitavit Deus Iſraëlis animum Phulis, & animum Thilgath-Philneſeris Regum Aſſyriorum, juſſeruntque migrare Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Tribum Manaſſæ, & abduxerunt eos in Chalachenen, ad Chaboram & Haram, & fluvios *alios* Gazanitidis, *ubi ſunt* uſque ad hunc diem.

VI. Genealogia Pontificum Maximorum, ad captivitatem uſque, itémque aliarum familiarum Leviticarum, earúmque munera in Templo ac ſedes in Judæa.

CAPUT VI.

1. FILII Levis *fuerunt* Gerſon, Kehathus & Meraris; 2. filii verò Kehathi Hamramus, Jitshar, Chebron, & Huzziel; 3. Hamrami liberi Aharon, Moſes, & Mirjama; Aharonis filii Nadabus, Abihuus, Elehazar & Ithamar. 4. Ele-

19. *Cum Hageriis*] Vide ad vſ. 10.

Ituræis] יטור *Jetour*. Vide ad Geneſ. XXV, 14.

Naphiſæis] נפיש *Naphiſch*. Vide ad eumdem locum.

Nodabæis] נודב *Nodab*. Ituræi & Naphiſæi è poſteris Iſmahelis fuerunt. Unde dicti fuerint Nodabæi non conſtat. Videtur familia Arabica fuiſſe ad ortum Baſanitidis vagari ſolita.

21. *Mancipiorum*] *Animæ hominis.*

23. *Et Senirem & montem Chermonem*] Sunt juga ejuſdem montis, quem Græci Antilibanum vocarunt. Vide Deut. III, 9.

24. *Viri celebris nominis*] *Viri nominum.*

25. *Sequuti Deos*] *Poſt Deos* &c.

26. *Excitavit animum*] *Excitavit ſpiritum*; hoc eſt, immiſit ei cogitationem, quacumque ratione factum hoc fuerit, invadendæ Palæſtinæ.

Phulis] Vide 2. Reg. C. XV, 19.

Animum Thilgath-Philneſeris] Vide Ibid. v. 29. & hujus Cap. vſ. 6.

Ad Chaboram & Haram & fluvios alios Gozanitidis] וחבור והרא ונהר גזן *veHhabor, veHara, ounehar Gozan*. Alibi, ubi fit mentio horum locorum, nulla fit mentio *Haræ* & Chobar dicitur *fluvius Gozan* Vide not. ad 2. Reg. XVII, 6. Crediderim hîc quoque non aliter legendum eſſe.

Uſque ad hunc diem] Ad tempora Captivitatis Tribûs Judæ.

In CAPUT VI.

1. G*Erſon*] גרשון. Alibi vocatur *Gerſom* גרשום, ut vſ. 16. Quæ varietas à librariis eſſe videtur.

2. *Jitshar*] Putant hunc vocari *Hamminadabum* vſ. 22.

7. *Achitubum*] Vide 2. Sam. IX, 3. XV, 27.

9. *Jochananem*] Qui vocatur *Jehojada* 2. Reg. XI, 4.

10. *Is Sacerdotio functus eſt* &c.] Cùm ejus deceſſores à tempore Salomonis, poſt conditum Templum, Sacra in eo feciſſent, quæritur cur hoc de Jochanane nominatim memoretur. Quod eſt difficile dictu, cùm præterea non ſatis conſtet ad quem referantur hæc verba, ad Jochananem, an ad Hazarjam. Si de Jochanane, vel Jojada intelligantur, volunt ſignificari ſingularem auctoritatem, quam obtinuit tempore Hataliæ, & Joaſi, ut liquet ex 2. Reg. XI, 4. Quod ſi hîc de filio ejus Hazarja ſermo ſit, ſignificari cenſent auctoritatem quâ reſtitit Regi Huzziæ adolere in altari cupienti, 2. Paral. XXVI, 17, 18. Sed quamvis hæc minimè ſint abſurda, ampliandum cenſeo, donec nobis conſtet verbum כהן *chihen* non tantùm eſſe *Sacerdotio fungi*, ſed *Sacerdotem eſſe cum ſingulari auctoritate.* Omnino oportet hæc addita fuiſſe, ut peculiare quiddam ſignificaretur. Fortaſſe כהן *chiben* hîc non ſignificat *ſacerdotali munere fungi*, ſed potiùs eſſe inter amicos Regis intimæ admiſſionis, & Regi dignitate proximum. Certè כהן *chohen* ejuſmodi aulicum interdum ſignificat, ut 2. Sam. VIII, 18. Talis fuit Jojada, primis Joſiæ annis, de quo potuit hoc quaſi ſingulare obſervari; quòd licet habitaret non in Regia, ſed in Templo, fungeretur tamen ejuſmodi munere. Quod donec meliùs quidpiam inveniatur, mihi videbitur non abſimile vero.

12. *Sallumum*] Vocatur *Meſullam* משלם infrà Cap. IX, 11.

Chil-

Digitized by Google

4. Elehazar genuit Phinchaſum, Phinchaſus genuit Abiſuam, 5. Abiſua genuit Bukkim, Bukkis genuit Huzzim, 6. Huzzis genuit Zerachjam, Zerachja genuit Merajothum, 7. Merajothus genuit Amarjam, Amarja genuit Achitubum, 8. Achitubus genuit Tſadokum, Tſadokus genuit Achimahatſum, 9. Achimahatſus genuit Hazarjam, Hazarja genuit Jochananem, 10. Jochanan genuit Hazarjam. Is ſacerdotio functus eſt in Æde, quam Salomo Jeroſolimæ exſtruxerat. 11. Genuit Hazaria Amarjam, Amarja genuit Achitubum, Achitubus genuit Tſadokum, 12. Tſadokus genuit Sallumum, Sallumus genuit Chilkijam, Chilkija genuit Hazarjam, 13. Hazarja genuit Serajam, Seraja genuit Jehotſadakum, Jehotſadakus verò abiit, cùm Jehova Judam & Jeroſolimam per Nebucadnetſarem tranſtulit.

16. Filii Levis fuerunt Gerſomus, Kehathus & Meraris. 17. Hæc fuerunt nomina filiorum Gerſomi, Libnis & Simhis. 18. Filii Kehathi Hamramus, Jitshar, Chebron & Huzziel. 19. Filii Meraris Machlis, & Muſis. Et hæ quidem ſunt familiæ Levitarum, pro Majoribus ſuis. 20. Gerſomo filius fuit Libnis, cujus filius Jachathus, cujus filius Zimma, 21. cujus filius Joachus, cujus filius Hiddo, cujus filius Zerachus, cujus filius Jeathraïs. 22. Poſteri *alii* Kehathi fuerunt Hamminadabus filius ejus, cujus filius Korachus, cujus filius Aſſit, 23. cujus filius fuit Elkana, cujus filius fuit Ebjaſaphus, cujus filius Aſſir, 24. cujus filius fuit Thachathus, cujus filius Uriel, cujus filius Huzzija, cujus filius Saül. 25. Filii Elkanæ *præterea* fuerunt Hamaſaïs & Achimothus, 26. cujus filius Elkana, cujus filius Elkana-tſophis, cujus filius Nachathus, 27. cujus filius Eliabus, cujus filius Jerochamus, cujus filius Elkana. 28. Filiorum Samuelis primogenitus Vaſchnis, tum fuit Abija. 29. Poſteri Meraris fuerunt Machlis, cujus filius Libnis, cujus filius Simhis, cujus filius Huzza, 30. cujus filius Chaggija, cujus filius Haſaija.

31. Hi ſunt quos David præfecit canticis Ædis Jehovæ, ex quo Arca requievit. 32. Fuerunt enim qui canendi miniſterium obirent, ante Tabernaculum Tentorii Conventûs, donec Salomo Ædem Jehovæ Jeroſolimæ conderet, & vicibus miniſterii ſui causâ, ſtarent.

33. En

Chilkijam] De quo 2. Reg. XXII, 4.

16. *Filii Levis fuerunt*] Memoratâ ſerie Pontificum Maximorum Elehazaridarum, hæc repetuntur ante quàm proſapia aliorum filiorum Aharonis.

20. *Cujus filius Zimma*] Ante hunc fuit *Simhi* שמעי, ut liquet ex vſ. 42.

21. *Joachus*] יואח. Vocari videtur איתן *Ethan* vſ. 42.

Hiddo] עדו. Vocatur עדיה *Hadaja*, vſ. 41.

Jeathraïs] יאתרי. Vocatur ibidem *Ethni* אתני.

22. *Aſſir*] Adi Exod. VI, 23.

28. *Filiorum Samuelis*] Ante hæc verba ſupplendum, שמואל בנו *Samuël filius ejus*, quæ mirum eſſet datâ operâ omiſſa fuiſſe. Librariis & antiquitati omnia abſumenti eam omiſſionem tribuere malim. Eodem retulerim varietatem, quæ eſt in nominibus Majorum Samuelis, 1. Sam. I, 1. & hic. Jerochami, avi Samuëlis, pater qui hìc vocatur אליאב *Eliab* dicitur illic אליהוא *Elihu*; avus qui hìc נחת *Nahhath*, illic תחו *Tohhou*; proavus qui hìc צופי *Tſophi*, (præmiſſo etiam nomine Elkana) illic צוף *Tſouph*. Nominum appellativorum, quæ in antiquis membranis minùs rectè ſcripta, aut quorum evanidi ſunt facti ductus, veram lectionem conjecturâ ex ſerie orationis ſæpe non ægrè adſequimur; ſed nomina propria minùs celebria nec emendare pravè ſcripta, nec divinare oculos fugientia poſſumus. Sic factum videtur, ut tot varietates in Genealogiis occurrant; nam quamvis non negem πολυωνύμους multos fuiſſe, attamen nec uſque adeò frequentem πολυωνυμίαν fuiſſe crediderim, nec difficile eſt intellectu pro *Eliab* אליאב potuiſſe ſcribi *Elihu* אליהוא, *Tſouph* צוף pro *Tſouphi* צופי, in hac Samuelis Genealogia, imò &, fugientibus litterarum ductibus, *Nahhath* נחת pro תחו *Thahhou*, aut vice verſâ.

28. *Vaſni*] ושני *Vaſchni*. Dicitur Joël 1. Sam. VIII, 2. & infra vſ. 33. Quamobrem vehementer ſuſpicor hìc pro הבכר ושני ואביה *habbechor Vaſchni vaAbijah*, hoc eſt, *primogenitus Vaſni & Abija*, legendum eſſe הבכור יואל ושני אביה *primogenitus Joël & ſecundus Abijah*, ut ושני ſit pro והשני *vehhaſſeni* & ſecundus, delendúmque ſit ו ante אביה additum ab eo qui propter omiſſionem vocis יואל *Joël* credidit in voce ושני quærendum eſſe nomen majoris natu filiorum Samuëlis, ac proinde conjunctionem eſſe præfigendam nomini ſequenti.

31. *Præfecit Canticis*] על ידי שיר *hal jedeſchir*, ſupra canticum. LXX. Intt. habent ἐπὶ χειρὸς ᾠδῶν, ſed rectius Vulgatus, *ſuper cantores*, nam על ידי perinde eſt ac על. Præſtabat etiam שיר *ſchir* ſumere pro שירים *ſchirim*.

Ex quo Arca requievit] *A requie Arcæ* ממנוח הארון. Ex quo David intulit in domum ſuam, unde non eſt tranſlata, niſi in Templum, intra ejuſdem urbis mœnia, cùm antea non uno loco manſiſſet. Vide 2. Sam. C. VI. LXX. Intt. ἐν τῷ καταπαῦσαι κιβωτόν. Vulgatus, *ex quo collocata eſt*.

32. *Canendi miniſterium obirent*] *Miniſtrarent in cantico*. LXX. Iutt. λειτουργοῦντες ἐν ὀργάνοις. Vulg. *canentes*.

Ante Tabernaculum Tentorii] Non Moſaïcum, ſed id quod domi ſuæ tetenderat David. 2. Sam. VI, 17.

Vicibus miniſterii ſui cauſâ] *Secundùm judicium ſuum ad miniſterium ſuum.*

Starent] Nam in ſacro miniſterio Templi, non magis ſtare licebat, quàm ſervis coram hero. *Stare* propterea paſſim perinde eſt ac *ſervire*.

33. En autem eos qui ſtabant, eorúmque filii, è poſteris Kehathi, Heman cantor, filius Joëlis, filii Samuelis, 34. filii Elkanæ, filii Jerochami, filii Elielis, filii Thoachi, 35. filii Tſuphi, filii Elkanæ, filii Machathi, filii Hamaſaïs, 36. filii Elkanæ, filii Joëlis, filii Hazarjæ, filii Tſephanjæ, filii Thachathi, filii Aſſiris, filii Ebjaſaphi, filii Korachi, 38. filii Jittharis, filii Kehathi, filii Levis, filii Iſraëlis.

39. Frater verò ejus Aſaphus ſtabat ad dexteram, Aſaphus, inquam, filius Berechjæ, filii Simhæ, 40. filii Michaëlis, filii Bahaſejæ, filii Malchiæ, 41. filii Ethnis, filii Zerachi, filii Hadajæ, 42. filii Ethanis, filii Zimmæ, filii Simhis, 43. filii Jachathi, filii Gerſomi, filii Levis.

44. Poſteri verò Meraris eorum fratres, ad ſiniſtram erant, Ethan filius Kiſis, filii Habdis, filii Malluchi, 45. filii Chaſabjæ, filii Amatsjæ, filii Chilkijæ, 46. filii Amtſis, filii Banis, filii Semeri, 47. filii Machlis, filii Muſis, filii Meraris, filii Levis

48. At fratres eorum Levitæ conſtituti erant, ad univerſum miniſterium Tabernaculi Ædis Jehovæ obeundum. 49. Aharon verò & poſteri ejus in altari holocauſti adolebant, ut & in altari ſuffitûs, *præerántque* omni operi ſanctiſſimi *adyti*, & expiationi Iſraëlis, prorſus quemadmodum mandaverat Moſes ſervus Dei.

50. Hi autem ſunt poſteri Aharonis, Elehazar ejus filius, cujus filius Phinchaſus, cujus filius Abiſua, 51. cujus filius Bukkis, cujus filius Huzzis, cujus filius Zerachja, 52. cujus filius Merajothus, cujus filius Amarja, cujus filius Achitubus, 53. cujus filius Tſadokus, cujus filius Achimahatſus.

54. Hæ autem ſunt eorum habitationes, pro eorum caſtellis ac finibus. Poſteris Aharonis, è familia Kehathitarum, quoniam eorum fuit ſors, 55. dederunt Chebronem, in terra Judæ, ejúſque ſuburbia circumquaque. 56. Verùm agrum urbis & ejus villas dederunt Chalebo, Jephunnæ filio. 57. Aharonis poſteris dederunt etiam urbes Judæ Chebronem Aſylum & Libnam ac ſuburbia ejus, Jatthirem & Eſthemoham & ſuburbia ejus, 58. Chilenem & ſuburbia ejus, Debirem & ſuburbia ejus, 59. Haſanem & ſuburbia ejus, Beth-ſemeſum & ſuburbia ejus; 60. è tribu verò Benjaminis Gebam & ſuburbia ejus, Hallemetham & ſuburbia ejus, Hanathothas

34. *Filii Elielis, Filii Thoachi*] Qui hîc dicitur *Eliel* אליאל, vocatur אליאב *Eliab* vſ. 27. & 1. Sam. I, 1. *Elihu* אליהוא; & qui תוח *Thoahh*, 1. Sam. I, 1. תחו *Thohhou*, & hîc vſ. 26. נחת *Nachath*, quæ non datâ operâ, ſed ex varietate ſcripturæ orta videntur. Nec variè repeti ab Eſdra, ſive alio, quicumque ſit hujus libri Scriptor, niſi quia ſic variè ſcripta hæc nomina in antiquis Genealogiis inveniebantur.

39. *Frater ejus Aſaphus*] Nempe, ex Levi etiam oriundus, ſed per Gerſomum, cùm Heman per Kehathum ex illo ortum duceret.

41. *Hadajæ*] עדיה. Dicitur עדו *Hiddo*, vſ. 21.

44. *Poſteri verò Meraris*] Tertii Aharonis filii.

Ethnu] Qui dicitur *Jeduthun* ידותון, infrà Cap. IX, 6. & C. XXV, 1, 3, 6.

48. *Conſtituti erant ad*] *Dati erant ad omne miniſterium.*

49. *Præerántque*] Aut repetendum נתונים *nthounim*, ex antecedente verſu, aut ſupplendum פקודים *phkoudim*.

Sanctiſſimi Adyti] *Sanctitatis Sanctitatum.*

50. *Hi ſunt poſteri Aharonis*] Videntur hæc ſequentia exſcripta eſſe ex Codice temporis Salomonis, cujus ævo vixit Achimahatſus, verſu 53. ultimus Elehazaridarum memoratus; cui Codici etiam ſequentia, de ſedibus Sacerdotum, adnexa erant. Alioqui nihil erat cur repeterentur cùm dicta ſint vſ. 3, ad 8.

55. *Dederunt Chebronem*] *Et dederunt eis Chebronem.* Vide Joſ. XXI, 11.

58. *Chilenem*] חִילֵן. Joſuæ XXI, 15. ſcribitur חולן *Hholon*.

60. *Tredecim fuerunt*] שלש עשרה *ſchloſch heſchreh*. Omiſſa eſt urbs una earum, quæ à Tribu Juda datæ ſunt, nempe, *Jutta* יטה Joſ. XXI, 16. & una earum quæ in Tribu Benjaminis fuerunt, nimirum, *Gabuhon* גבעון, quæ ibidem vſ. 17. recenſetur. His additis, ſunt tredecim urbes; reſectis, tantùm undecim. Itaque, cùm ſumma urbium edatur, non eſt cur quiſquam dubitet an negligentiâ Librariorum duæ ſint hîc omiſſæ. Librariis etiam tribuerim, quòd urbs, quæ apud Joſuam עלמון *Halmon* dicitur, hîc vocatur עלמת *Hallemeth*.

61. *Tribûs* * *] Deſunt hîc tres voces, quæ exſtant Joſ. XXI, 5. אפרים וממטה דן *à familiis Tribûs* Ephraïm, & à tribu Dan, *& à dimidia* &c. Confer Joſ. XXI, 21, & ſeqq. unde liquidum fit omiſſa eſſe hæc verba.

62. *Poſteri Gerſomi*] Vide Joſ. XXI, 6.

63. *Poſteris Meraris*] Vide Joſ. XXI, 7.

66. *Hominibus è familiis*] Ante vocem ממשפחות aliquid deeſſe liquet, ut לאנשי *leanſche* hominibus, aut, ſi mavis, לבני אהרן *libne* Aharon, *filiis Aharonis*.

67. *Urbes aſyli*] ערי המקלט *hare hammiklat*. Abundat hîc * in voce ערי, nam una tantùm fuit in Ephraimo urbs Aſyli Sichemum, aut Sechemum, ut liquet ex Joſ. XX, 5. Sic tamen etiam LXX. legerunt, cùm habeant τὰς πόλεις τῶν φυγαδευτηρίων, & Vulgatus: *in quas confugerent.*

68. *Jok-*

thas & ſuburbia ejus. *Quæ* omnes eorum urbes tredecim fuerunt, in eorum fami-
lias *diviſæ*.
61. Reliquis verò Kehathi poſteris, à familia tribûs * * & à dimidia tribu Manaſ-
ſæ, ſorte *datæ ſunt* decem urbes; 62. poſteris verò Gerſomi, pro familiis ſuis à tribu
Iſſaſcharis, à tribu Aſeris, à tribu Nephthalis, & à tribu Manaſſæ, in Baſanitide, ur-
bes tredecim; 63. poſteris denique Meraris, pro familiis ſuis, à tribu Rubenis, à tri-
bu Gadi, & à tribu Zabulonis, ſorte urbes duodecim. 64. Has dederunt Iſraëlitæ Le-
vitis urbes & earum ſuburbia. 65. Dederunt ſorte ex tribubus poſterorum Judæ, poſ-
terorum Simeonis, & poſterorum Benjaminis urbes illas, quas nominatim appella-
runt.
66. *Hominibus* è familiis poſterorum Kehathi fuerunt etiam urbes, finium eorum, à
tribu Ephraimi. 67. Dederuut eis urbes Aſyli, Sechemum & ſuburbia ejus in monta-
nis Ephraimi, Gazerum & ſuburbia ejus, 68. Jokmehamum & ſuburbia ejus, Beth-cho-
ronem & ſuburbia ejus, 69. Ajalonem & ſuburbia ejus, Gath-rimmonem & ſuburbia
ejus. 70. Ex dimidia verò tribu Manaſſæ, Hanerum & ſuburbia ejus, Bilhamum &
ſuburbia ejus. *Hæc data ſunt* reliquorum Kehathitarum familiæ.
71. Poſteris verò Gerſomi *dederunt* à familia dimidiæ tribûs Manaſſæ Golanem in
Baſanitide & ſuburbia ejus, Haſtharothas & ſuburbia ejus; 72. à tribu Iſſaſcharis Ke-
deſum & ſuburbia ejus, Dabratham ejúſque ſuburbia, 73. Ramothas ejúſque ſuburbia,
& Hanemum ac ejus ſuburbia; 74. à tribu Aſeris Maſalem & ejus ſuburbia, Habdonem
& ejus ſuburbia, 75. Chukokum & ejus ſuburbia, Rechobum & ejus ſuburbia; 76. à
tribu Nephthalis, Kedeſum in Galilæa, & ejus ſuburbia, Chammonem & ejus ſubur-
bia, Kirjathajimos & ejus ſuburbia.
77. Poſteris Meraris reliquis *dederunt*, à tribu Zabulonis, Rimmonem & ejus ſub-
urbia, Thaborem & ejus ſuburbia. 78. Sed trans Jordanem, è regione Jerichun-
tis, ad ortum Jordanis, dederunt à tribu Rubenis Beſerum in deſerto & ejus ſub-
urbia, Jahatſam & ejus ſuburbia, 79. Kedemothas & ejus ſuburbia, Mephahatham
& ejus ſuburbia; 80. à tribu verò Gadi Ramothas Galahaditidis & ejus ſuburbia,
Machanajimos & ejus ſuburbia, 81. Chesbonem & ejus ſuburbia, Jahazerum *deni-
que* & ejus ſuburbia.

VII. Ge-

68. *Jokmehamum*] יקמעם. Pro hac urbe eſt Joſ. XXI, 22. קבצים *Kibtſajim*.

69. *Ajalonem*] Hoc & ſequens oppidum fuere Tribûs Danis. Vide Joſ. XXI, 24.

70. *Hanerem & ſuburbia*] Duo oppida hîc memorantur ענר *Haner* & בלעם *Bilham*; ſed Joſ. XXI, 25. è dimidia Tribu Manaſſæ ad occaſum Jordanis, Thahanachum, & Beth-rimmonem data his Levitis legimus. Itaque à temporibus Joſuæ ad hæc mutationem aliquam hac in re factam oportuit. Præterea pro בלעם *Bilham*, nomine urbis Manaſſæ, ſcribitur Joſ. XVII, 11. יבלעם *Jiblebam*, ut legerunt hîc LXX. Intt. qui habent Ἰεμβλαάμ, ut eſt in Vaticano Codice, aut Ἰβλαάμ, ut eſt in Alexandrino. Quam lectionem præferebat *Lud. Cappellus* Lib. IV. cap. IX, 1. Vulgatus habet *Baalam*, ut vitaretur Homonymia, quæ eſt in voce *Balaam*.

71. *Haſtharothas*] Hæc urbs vocatur Joſ. XXI, 27. בעשתרה *Behaſchtherah*.

73. *Ramothas*] ראמות. At Joſ. XXI, 29. legibus ירמות *Jarmonth*. Vocari eamdem putat רמת *Remeth* Joſ. XIX, 21. *Jac. Bonfrerius*. Sic πολυώνυμος fuerit hæc urbs, ſin minùs Librariis tribuenda erit hæc varietas.

Hanemum] ענם *Hanem*. Joſ. XXI, 29. ut & XIX, 21. vocatur עין-גנים *Hen-gannim*.

74. *Maſalem*] משל *Maſchal*. Scribitur Joſ. XXI, 30. משאל *Miſchal*. Quorum utrum melius ſit ignoro, quod de multis nominibus minùs notis, nec eadem ratione ſcriptis dictum etiam velim.

75. *Chukokum*] חוקק *Hhoukok*. Dicitur חלקת *Hhelkath* Joſ. XXI, 31.

76. *Chammonem*] חמון *Hhammon*. Vocatur Joſ. XXI, 32. חמות דאר *Hhammot-dor*.

Kirjathajimos] קריתים *Kirjathajim*, quæ aliâ flexione dicitur קרתן *Karthan*, Joſ. XXI, 32.

77. *Rimmonem*] רמונו *Rimmono*. Pro hac urbe & *Thabore*, quæ ſequitur, leguntur Joſ. XXI, 34 & 35. quatuor alia oppida. Fortè & hîc aliquid, lapſu temporis, mutationis irrepſit.

78. *Sed trans Jordanem*] Vide Joſ. XXI, 36.

80. *A Tribu verò Gadi*] Vide Joſ. XXI, 38.

Digitized by Google

VII. Genealogia, ſedes & cenſus Iſſaſcharitarum, Benjaminitarum, Nephthalitarum, Manaſſitarum, Ephraïmitarum & Aſeritarum.

CAPUT VII.

1. AD filios Iſſaſcharis *quod attinet*, fuerunt Thola, Phua, Jaſubus, & Simron quatuor. 2. Filii Tholæ Huzzis, Rephaja, Jeriel, Jachmaïs, Ibſamus & Samuel; qui principes fuerunt patriarum familiarum. Ex Thola prognati ſunt, per *varias* ætates, viri fortes; quorum temporibus Davidis numerus fuit viginti duorum millium & ſexcentorum. 3. Poſteri quidem Huzzis fuerunt Jiztachja, & Jizrachjæ filii Michaël, Hobadja, Joël & Jiſſija, omnino quinque capita. 4. Apud eos poſt *varias* ætates, pro patriis familiis, erant copiæ exercitûs, belli *gerendi causâ*, triginta ſex *hominum* millia, multas enim habuerant uxores, multóſque liberos. 5. Fratres verò eorum omnium familiarum Iſſaſcharis, virorum fortium erant octoginta ſeptem millia, ſi omnes cenſerentur.

6. Benjaminis *filii fuerunt* tres, Bela, Becher & Jedihaël; 7. filii verò Belæ Etsbon, Huzzis, Huzziel, Jerimothus & Hiris, quinque principes familiarum patriarum, & virorum fortium, ſi cenſerentur, viginti duo millia triginta quatuor. 8. Filii Becheri fuerunt Zemira, Johaſus, Elihezer, Eljohenaïs, Homris, Jeremothus, Abija, Hanathothus, & Hallemethus. Omnes hi fuerunt Becheri filii. 9. Si cenſeantur per ætates ſuas, *pro* familiarum patriarum principibus, virorum fortium fuere viginti millia & ducenti. 10. Poſteri Jedihaëlis fuerunt Bilhan, & filii Bilhanis Jehuſus, Binjamin, Ehudus, Chenahena, Zethan, Tharſis, & Aehiſachar. 11. Omnes illi poſteri Jedihaëlis, pro principibus *familiarum* patriarum, virorum fortium fuerunt ſeptemdecim millia, & ducenti, egredientes in exercitum, belli gerendi causâ. 12. Fuerunt & Supphimus, & Chupphimus Hiris filii, ac Chuſimus Acheri filius.

13. Fi-

In CAPUT VII.

1. A*D filios Iſſaſcharis*] לבני *libne*. Hîc ל ſignificat, *quod attinet ad*, ut Gen. XXXI, 43. Conſervata autem ſunt ab Eſdra hæc nomina, ut ſi qui ex aliis Tribubus redirent in Palæſtinam, agnoſci ex nominibus Majorum ſuorum poſſent.

Phua] פואה *Phouah*. Gen. XLVI, 13. פוה *Phuvah*, omiſſo *Alpha*. Sic & Num. XXVI, 23.

Jaſubus] ישוב. Sic in margine, ut Numer. XXVI, 23. nam in Textu eſt ישיב *Jaſchib*; at Gen. XLVI, 31. יוב *Job*, extritâ litterâ.

2. *Per varias ætates*] לתלדותם *generationibus eorum.*

Temporibus Davidis] *Diebus Davidis*. Vide infra C. XXVII, 1. Intelligitur cenſus à Davide factus, de quo 2. Sam. XXIV.

4. *Copiæ exercitûs*] גדודי צבא *gdoude tsba*. Hoc eſt, viri qui facilè ad bellum gerendum educi poſſent; alioquin erant multò plures, ſi omnes omnino ætatis militaris homines educerentur, ut ſequentia docent.

6. *Benjaminis filii*] Eſt tantùm בנימין *Binjamin*, ſed ſupplendum בני *bne*, aut repetendum λαῶν ὁμοῦ ex vſ. 1. לבני, *quod attinet ad filios.*

Jedihaël] ידיעאל. At Gen. XLVI, 21. omittitur hoc nomen, ejúſque loco octo nomina recenſentur; ſed numerantur illic aliquot Benjaminis nepotes, ut liquet ex Numer. XXVI, 39, 40. & inferiùs ex vſ. 12. Varietas alia occurrit infra C. VIII, 1.

7. *Filii verò Belæ*] Duo tantùm recenſentur Numer. XXV, 40. ארד *Ard* & נעמן *Nahaman*, omiſſis omnibus de quibus hic ſermo eſt.

8. *Hanathothus*] Hic & ſequens fuere conditores urbium cognominum; ſi modò hæc nomina ſint virorum, non oppidorum.

11. *Jachtſiel*] יחציאל. Quod Gen. XLVI, 24. pronunciatur יחצאל.

Sallumus] שלום. Gen. XLVI, 24. שלם.

14. *Quem peperit* *] אשר ילדה *aſcher jaledah*. Intercidit nomen matris. At LXX. Intt. jungunt hæc cum ſequentibus: ὃν ἔτεκεν ἡ παλλακὴ αὐτοῦ ἡ Σύρα, addúntque, ἔτεκε δὲ αὐτῷ, quaſi fuiſſet in Hebræo Textu: וילדה לו *vejaledah lo*. Vulgatus prius omiſit.

Aramæa] הארמיה *haarammijah*, quod perinde ac ארמית. Vide ad C. IV, 18.

15. *Uxorem * * Chupphimi*] Hebraïca habent: לקח אשה לחפים ולשפים ושם אחתו מעכה. Sic legerunt LXX. Intt. ἔλαβε γυναῖκα τῷ Ἀμφεὶμ, καὶ Σαπφεὶμ, καὶ ὄνομα ἀδελφῆς αὐτοῦ Μααχά. Verùm cùm duobus viris non collocetur una uxor, vox אשה *iſchah* non poteſt conjungi cum vocibus ſequentibus; & præterea Supphimus & Chupphimus erant Benjaminitæ. Prius cùm intelligeret Vulgatus interpres, vertit: *accepit uxores filiis ſuis Hupphim & Saphan*, quaſi eſſent hæc nomina uxorum. Sed vel hinc patet habuiſſe eum hunc locum, pro corrupto. Quæ cùm ita ſint, non capio qui recentiores aliquot Interpretes vertere potuerint: *Machir autem accepit uxorem nomine Mahacham, ſororem Hupphimi & Supphimi.* Oporteret enim ſcriptum fuiſſe: לקח אשה מעכה שמה אחות לחפים: Qui ſic vertunt, contendúntque nihil hîc eſſe corruptum, ii lectores ſuos ſtipites eſſe putant. Maluimus ergo aſteriſcis indicare aliquid hîc deeſſe; nec fortè ſana ſunt verba, quæ aſteriſcos ſequuntur.

Nomen ſororis ejus] אחותו *achotho*, quod oſtendit anteceſſiſſe nomen viri.

Nomen verò ſecundo fuit] Secundo filio, ex ea

13. Filii Nephthalis fuerunt Jachatſiel, Gunis, Jetſer, & Sallumus, filii Bilhæ.

14. Poſteri Manaſſæ Aſriel, quem peperit * * At concubina ejus Aramæa peperit Machirem patrem Galahadi. 15. Machir verò duxit uxorem * * Chupphimi & Supphimi, nomen ſorori ejus fuit Mahachæ. Nomen verò ſecundo fuit Tſelophchado, ejúſque fuerunt filiæ Tſelophchadi. 16. Peperit & Mahacha uxor Machiris filium, cui nomen impoſuit Phereſo. Nomen fratri ejus fuit Sereſo, & filii ejus fuerunt Ulamus, & Rekemus. 17. Filii Ulami Bedan. Hi filii fuerunt Galahadi, filii Machiris, filii Manaſſæ. 18. Soror ejus Molechetha peperit Ishodum, Abihezerum, & Machlam. 19. Filii Semidæ fuerunt Achjan, Sechemus, Likchis & Anihamus.

20. Poſteri Ephraïmi fuerunt Suthelachus, cujus filius Beredus, cujus filius Thachathus, cujus filius Elhada, cujus filius Thachathus, 21. cujus filius Zabadus, cujus filius Suthelachus; *ut* & Hezer & Elhad. Sed occiderunt eos Gathenſes, nati in terra, quia iverant ut greges eorum abigerent 22. Luxit verò Ephraimus horum pater, diebus multis, & venerunt fratres ejus, ut eum conſolarentur. 23. Congreſſus deinde eſt cum uxore ſua, quæ concepit & peperit filium, eique Berihæ nomen impoſuit, quòd in calamitate fuiſſet domi ejus. 24. Filia hujus fuit Seera, quæ Beth-choronem ſuperiorem & inferiorem inſtauravit, & Uzzenum Seeræ. 25. Fuit ejus *viri* filius Rephachus, *ut* & Reſephus, cujus filius Thelachus, cujus filius Thachan, 26. cujus filius Lahadan, cujus filius Hammiudus, cujus filius Eliſama, 27. cujus filius Non, cujus filius Jehoſua. 28. Poſſeſſio eorum & ſedes fuerunt Bethel, & pagi ejus, ad orientem verò Naharan & ad occidentem Gezer, & pagi ejus, Sichemum & pagi ejus uſque ad Hazam & pagos ejus. 29. Juxta poſteros Manaſſæ fuit Beth-ſean & pagi ejus, Thahanachum & pagi ejus, Megiddo & pagi ejus, Dor & pagi ejus. Hæc *loca* incoluerunt poſteri Joſephi, Iſraëlis filii.

30. Filii Aſeris Jimna, Jiſva, Jiſvis, Beriha, & Seracha eorum ſoror. 31. Filii Berihæ fuere Cheber & Malchiel. Hic fuit pater Birzajithi. 32. Cheber verò genuit Japhletum,

ea muliere cujus nomen fuit prætermiſſum, ut & nomen primogeniti ejus filiorum.

Tſelophchado] Qui dicitur *Chepheri filius*. Num. XXVI, 33. cujus pater fuit Aſriël.

Filiæ Tſelophchadi] Reſpicitur ad Numer. XXVII, 1.

18. *Soror ejus*] Galahadi, ut quidem videtur.

19. *Filii Semidæ*] Sunt qui velint hunc *Semidam* שמידע omiſſum fuiſſe in calce antecedentis versûs, quia continenter ſubjiciuntur ejus filii. Nec abſimile eſt vero.

21. *Hezer & Elhad*] ועזר ואלעד *veHezer veElhad*; nempe, filii Ephraïmi æquè ac Suthelachus; niſi ſequens verſus ſit corruptus.

Occiderunt eos &c.] Quinam Gathenſes hi fuerint, quave in terra nati, non ſatis liquet. Poſſis ſuſpicari intelligi homines Gatho Philiſthæorum urbe oriundos, ſed qui dicuntur נולדים בארץ *noladim baarets*, quòd eſſent nati in Ægypto, ubi erat Ephraïmus, cum filiis. Nam qui de terra Chananæa intelligunt, ii non animadvertunt ſine ratione hæc dici; quia nemo ignorabat Gathi incolas, eo ævo natos fuiſſe in Palæſtina. Præterea emittunt ex Ægypto Ephraimi filios in Chananæam, ut abigant greges, quod vix in Ægyptiaca ſervitute ab Iſraëlitis factum crediderim. Scio eſſe, qui ipſius Ephraïmi vitam producant, uſque ad ingreſſum Iſraëlitarum in terram Chananæam; ſed præterquàm quòd talia non ſunt, propter unum locum obſcurum, fingenda, quis credat qui quintam generationem jam viderat, eum genuiſſe liberos, quod de eo poſtea narratur? Si verum amamus, fatendum ex parum accuratè digeſtis Genealogiis, vitioſiſque in tam multis Codicibus, plures naſci nodos, quàm qui nunc à nobis ſolvi queant.

Quia iverant ut greges] Gathenſes hi origine, Ægyptii verò natalibus, greges non procul à Goſenitide paviſſe videntur.

23. *Quod in calamitate fuiſſet*] ברעה היתה *brahah hajetha*; nempe, mulier illa, dum filii ipſius, aut certè viri à Gathenſibus occiſi fuerant. Inde filius natus dictus eſt בריעה *Brihah*.

24. *Filia ejus fuit Seerah*] Hoc eſt, ex poſteris ejus, nam בן & בת tam poſteros remotiores, quàm *filium* & *filiam* ſignificant. Liquet hoc ex ætatibus, quæ ſunt inter filium Berihæ & Joſuam vſſ. 25. & ſeqq.

Inſtauravit] ותבן *vattbiben*, ædificavit. Sed jam hæ urbes, aut urbis unius partes ſtabant tempore Joſuæ. Vide Joſ. Cap. X, 10.

Uzzenum Seeræ] און שארה *Uzzen Scheerah*. Alibi ejus mentio non occurrit.

27. *Cujus filius Non*] נון quod nomen alioqui ſcribi ſolet נון *Noun*.

28. *Poſſeſſio eorum* &c.] Fines Ephraïmitarum pleniùs deſcribuntur Joſ. XVI, 1. & ſeqq.

Uſque ad Hazam] עזה *Hazza*. Sic quidem ſcribitur nomen celeberrimæ urbis Gazæ, in Philiſthæorum tractu, vicinæ *Judæ* & *Simeoni*. Verùm hîc alia urbs eſt.

29. *Juxta poſteros* &c.] Eam enim Manaſſitæ ſtatim occupare non potuerunt, ut eſt Joſ. XVII, 11. & ſeqq. Eodem capite, pleniùs traduntur fines dimidiæ Tribûs Manaſſæ ad occaſum Jordanis.

30. *Filii Aſeris*] Vide Gen. XVVI, 13. Num. XXVI, 44.

31. *Birzajithi*] ברזית. Sic in margine, in textu eſt ברזות *Birzavith*. Oppidi nomen fuiſſe videtur.

tum, Somerum, Chothamum, & Suham eorum ſororem. 33. Filii Japhlethi *fuerunt* Phaſachus, Bimhal, & Haſvathus. Hi *fuerunt* Japhleti filii. 34. Filii Someri fuerunt Achis, Rahga, Jechubba, & Aramus. 35. Filius Helemi fratris ejus fuit Tſophachus, *ut* & Jimna, Seles, & Hamal. 36. Filii verò Tſophachi fuerunt Suachus, Charnepher, Suhal, Beris, Jimra, 37. Betſer, Hodus, Samma, Silſa, Jithran & Beera. 37. Filii Jetheri fuere Jephunna, Phiſpha, & Ara. 38. Filii Hullæ, Arachus, Channiel & Ritsja. 40. Omnes hi poſteri *fuerunt* Aſeris, principes ſamiliarum patriarum electi, viri fortes & capita ducum; ſi cenſerentur in exercitum, belli gerendi cauſâ, numerus eorum erat viginti ſex millium virorum.

VIII. Accuratior Genealogia Benjaminitarum, in honorem familiæ Saülis, primi Iſraëlitarum Regis.

CAPUT VIII. 1. BENJAMIN genuit Belam primogenitum ſuum, Asbelem ſecundum, Achrachum tertium, 2. Nocham quartum, & Rapham quintum. 3. Belæ verò filii fuerunt Addar, Gera, Abihudus, 4. Abiſua, Nahaman, & Achoachus. 5. At Gera, Sephuphan & Churamus 6. fuerunt filii Echudi; hi principes *familiarum* patriarum eorum qui habitabant Gebæ, & qui Manachatham tranſlati ſunt, 7. & Nahaman, Achija, & Gera; is eos tranſtulit, genuitque Huzzam & Achihudum.

8. Sacharajimus genuit, in agro Moabitico; poſtquàm dimiſiſſet Chuſimam & Baharam uxores ſuas; 9. genuit, inquam, ex Chodeſa uxore ſua Jobabum, Tſibjam, Meſam, Macham, 10. Jehutſum, Sachjam & Mirmam. Hi fuerunt ejus filii, & quidem patriarum *familiarum* principes. 11. Ex Chuſima autem genuerat Abitubum, & Elphahalem, 12. filii verò Elphahalis fuerunt Heber, Mishamus & Samadus. Is condidit Ononem & Lodum ejúſque pagos.

13. Beriha & Sema fuerunt principes familiarum patriarum, eorum qui habitabant Ajalone, iidémque fugaverant *illinc* Gathenſes. 14. Achio, Salachus, Jeremothus 15. Zebadjas, Haradus, Heder, 16. Michaël, Jiſpha, & Jocha filii *fuerunt* Berihæ.

17. Zebadja, Meſullamus, Chiskis, Cheber, 18. Jiſmeraïs, Jizlija, Jobabus *fuerunt* Eliphahalis filii. 19. At Jakimus, Zichris, Zabdis, 20. Elihenaïs, Sillethaïs, Eliel, 21. Hadaja, Beraja & Simrathus *fuerunt* filii Simhis. 22. Jiſphan, Heber & Eliel, 23. Habdon, Zichris, Chanan, 24. Chananja, Helamus, Hanthothija, 25. Jiphdeja, & Pheniel filii fuere Saſaki. 26. Samſeraïs, Secharja, Hathalja, 27. Jaharesja, Elija & Zichris *fuere* Je-

34. *Someri*] Scribitur hoc nomen vſ. 32. שׁוֹמֵר *Schomer*, hîc verò שָׁמֶר *Schamer*. Utrobique ſcribendum *Somer*, cùm LXX. Intt. ex Cod. Alexandrino & Vulgato.

Rahga] רוהגה quod legitur רהגה *Rahga*, omiſſo *Vau*. LXX. Intt. *Roaga*, & Vulg. *Roaga*.

In CAPUT VIII.

1. B*Enjamin genuit* &c.] Jam antea Cap. VII, 6. breviter tradita eſt Benjaminis progenies, ſed hîc pleniùs ex alio laterculo deſcribitur. Vide Gen. XLVI, 21. Num. XXVI, 38.

Achrachum] אחרח *Abhrahh*. Nulla hujus mentio Geneſ. XLVI, & hujus Libri Cap. VII. Sed Num. XXVI, 38. occurrit inter filios Benjaminis אחירם *Abhiram*, unde *Achiramitarum* familia. Hinc potuit fieri אחרח omiſſo י & ם mutato in ח.

2. *Nocham quartum & Rapham quintum*] Nulla horum in memoratis locis mentio, niſi fuerint alio etiam nomine appellati.

3. *Belæ verò filii*] Aliquot horum alibi memorantur, quos indicabimus.

Addar] אדר. Idem eſſe videtur ac qui vocatur, tranſpoſitis elementis, ארד *Ard*, in Geneſi & in Numeris, unde *Arditarum* familia. Sic ex voce אדיר *Adir*, illuſtris, deducitur Perſicum ארד *ard*, ejuſdem ſignificationis, ut rectè obſervavit *Sam. Bochartus* Phaleg. Lib. IV. c. 10.

Gera] In Geneſi recenſetur quaſi filius Benjaminis, eodem ordine ac pater Bela.

Abihudus] Nulla hujus, ſub hoc quidem nomine, alibi fit mentio.

4. *Abiſua*] Nec hujus nomen alibi legitur.

Nahaman] Inter filios Benjaminis recenſetur in Geneſi, ſed in Numeris quaſi filius Belæ, ut hîc.

Achoachus] אחוח *Abhoahh*, qui non alibi memoratur, niſi ſit fortè idem ac אחי *Echi*, de quo in Geneſi.

5. *At Gera* &c.] וגרא *& Gera & Sephuphan & Churam & illi filii Echudi* &c. Quia Bela non videtur habuiſſe duos filios cognomines, hæc cum ſequente verſu conjunximus, & à ſuperioribus diſtinximus.

6. *Echudi*] אחוד *Ehhoud*. Aliquem ex poſteris Benjaminis virum inſignem ſic vocatum oportet, ſi lectio ſana eſt. Fortè fuit unus ex filiis Benjaminis, ſed qui alio nomine vocatus ſit, aut אחוד vocatur mendosè pro אחירם *Achiram*, aut אחוח *Abhoahh*; nam ut ita loquatur Scriptor Sacer, ut loquitur, oportet hujus viri mentionem præmiſſam.

5. *Familiarum patriarum*] Eſt tantùm אבות *patrum*, ſed ſubaudienda vox בית, quæ paſſim exprimitur.

6. *Tranſlati ſunt*] Quæ tranſlatio cur & quando

Jerochami filii. 28. Hi *fuerunt* principes *familiarum* patriarum, pro ætatibus ſuis; capita hæc habitarunt Jeroſolimæ.

29. Gabahone verò habitarunt pater Gabahonis & uxor ejus Mahacha. 30. Filius ejus primogenitus fuit Habdon, tum Tſur, Kiſus, Bahal, Nadabus, 31. Gedor, Achio, & Zecher. 32. Mikhothus verò genuit Sinam, & hi quoque è regione fratrum ſuorum, cum fratribus ſuis, Jeroſolimæ habitarunt.

33. Ner verò genuit Kiſum, Kiſus genuit Saülem, Saül genuit Jonathanem, Malchi-ſuam, Abinadabum, & Esbahalem. 34. Filius Jonathanis fuit Meribbahal, qui Meribbahal genuit Micham. 35. Michæ filii *fuerunt* Phithon, Melechus, Thaarea, & Achazus. 36. Achazus genuit Jehohaddam, Jehohadda genuit Halemethum, Hazmavethum & Zimrin; Zimris genuit Motſam, 37. Motſa genuit Binham, cujus filius fuit Rapha, cujus filius Elhaſa, cujus filius Etſel. 38. Etſeli verò *fuerunt* ſex filii, quorum hæc fuerunt nomina, Hazrikamus, Bochruus, Iſmaël, Seharja, Hobadja & Chanan. Hi omnes fuerunt Etſelis filii. 39. Filii verò Heſeki, fratris ejus, Ulamus primogenitus, ſecundus Jehuſus, tertius Elipheletus. 40. Hi fuerunt filii Ulami viri fortes, arcum tendentes, & qui multos habuere filios & nepotes, ad centum quinquaginta. Hi omnes *fuerunt* è poſteris Benjaminis.

IX. Quorumdam Judæ poſterorum ſedes, ad captivitatem Babylonicam. Jeroſolimæ quot hominum genera eſſent.

CAPUT IX.

1. OMNIUM Iſraëlitarum habitus eſt cenſus, & perſcripti ſunt in libro Regum Iſraëlis. Judæi etiam captivi abducti ſunt in Babyloniam, propter ſua peccata. 2. Incolæ priores *terræ Judææ*, qui erant in poſſeſſione ſua atque in urbibus ſuis *erant* Iſraëlitæ, Sacerdotes, Levitæ & Nethinæi 3. Jeroſolimam incoluerunt homines è poſteris Judæ, è poſteris Benjaminis, éque Ephraimi & Manaſſæ poſteris. 4. *Inter alios* fuit Uthais filius Hammihudi, filii Homris, filii Imris, filii Banis, è poſteris Phereſi Judæ filii. 5. E Silonitis fuit Haſaja, primogenitus & filii ejus. 6. E poſteris Zerachi, Jehuel & fratres ejus, numero ſexcenti nonaginta.

7. E poſteris Benjaminis, Sallumus, filius Meſullami, filii Hodavjæ, filii Senuæ. 8. Jibneja filius Jerochami, Ela filius Huzzis, filii Michris, filii Saphatjæ, filii Rehuelis, filii Jibnijæ, 9. & fratres eorum, pro ætatibus ſuis, nongenti quinquaginta ſex. Hi omnes viri erant *familiarum* patriarum principes.

10. E-

do facta fuerit non conſtat.

22. *Ononem*] אונו *Ono.* Vide Nehem. XI, 35.

23. *Ajalone*] אילון. Fuit urbs, ut notum, Tribûs Danis. Quando Benjaminitæ eam Gathenſibus eripuerint, non conſtat. At certum eſt Ajalonem Gatho remotam non fuiſſe.

28. *Habitarunt Jeroſolimæ*] Quæ partim fuit Judæ, partim Benjaminis. Vide ad Joſ. XV, 64.

29. *Pater Gabahonis*] Urbis illius inſtaurator, aut qui coloniam in eam duxit, qui Jehiel vocabatur, ut docemur Cap. IX, 35. Sic paſſim in hoc libro. Sic quoque loquebantur Latini, ut liquet vel ex hoc Virgiliano verſu Æneid. VIII, 134.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor.

Mahacha] De hoc nomine & ſeqq. vide ad IX, 35. & ſeq.

33. *Ner verò*] Pro *Nadab* נדב, qui eſt vſ. 30. legendum videtur נר *Ner*, ex his verbis & Cap. IX, 36.

Jonathanem] Vide 1. Sam. XIV, 49.

Abinadabum] Eumdem qui dicitur 1. Sam. XIV, 49. *Jiſvis.*

Esbahalem] Dictum etiam אישבשת *Iſchboſcheth*, 2. Sam. II, 8.

34. *Meribbahal*] Qui dicitur *Mephiboſcheth* מפיבשת, quaſi בשת *boſcheth*, ignominia, & בעל *babal* eſſent ſynonyma, quòd nomen hoc eſſet pudendi Idoli.

In CAPUT IX.

1. IN *libro Regum Iſraëlis*] Nempe, in Ephemeridibus Regum Iſraëlis, quæ ſæpe citantur in libris Regum, & quæ interierunt.

Judæi] *Juda.*

2. *Incolæ priores*] Qui coluerant Judææ agros, cùm ea Tribus captiva abducta eſt.

Iſraëlitica] Ex Iſraële, ſeu Jacobo oriundi, ut opponantur vicinis populis, qui in Judæam deſertam confluxerant.

Sacerdotes, Levitæ & Nethinæi] Qui miniſterio Templi Jeroſolimitani addicti erant. De Sacerdotibus & Levitis conſtat. *Nethinæi* נתינים ſeu *deditiui*, creduntur fuiſſe Gabahonitæ, qui ſe dediderant populo Hebræo, & qui vilioribus miniſteriis à Joſua fuerant mancipati, Joſ. IX, 43. Vide & Eſdr. II, 43. VIII, 20.

3. *Eque Ephraimi* &c.] Qui, cùm decem Tribus captivæ abducerentur, profugerant, aut etiam antiquioribus temporibus inquilini illic fuerant.

9. *Familiarum patriarum principes*] *Capita patrum, domûs patrum ſuorum* ראשי אבות לבית אבותיהם. Nihil deeſſet, ſi vox אבות *patrum* abeſſet, ſed eſt Pleonaſmus Hebraïcus. Vide vſ. 13.

11. *Me-*

10. E ſacerdotibus erant Jedahia, Jehojaribus, Jachin, 11. Hazarja filius Chilkijæ, filii Meſullami, filii Tſadoki, filii Merajothi, filii Achitubi, dux Ædis Dei, 12. Hadaja filius Jerochami, filii Phachſuris, filii Malchijæ; & Mahaſaïs filius Hadielis, filii Jachzeræ, filii Meſullami, filii Meſullemethi, filii Immeri; 13. tum etiam eorum fratres patriarum familiarum principes, mille ſeptingenti ſexaginta, viri fortes, operéque miniſterii Ædis Dei occupati.

14. E Levitis, *fuere* Semahja filius Chaſſubi, filii Hazrikami, filii Chaſabjæ, è poſteris Meraris, 15. Bakbakkar faber; Galal; Matthanja, filius Michæ filii Zichris, filii Aſaphi; 16. Hobadja, filius Semahjæ, filii Galalis, filii Jeduthunis, & Berechja filius Aſæ, filii Elkanæ, qui habitarat in villis Netophathitarum.

17. Janitores erant Sallumus, Hakkubus, Talmon & Achiman, fratréſque eorum, quorum princeps erat Sallumus. 18. Fuerant adhuc ad januam regiam, orientem verſùs, janitores caſtrorum Levitarum. 19. At Sallumus filius Korei, filii Ebjaſaphi, filii Korachi, & fratres ejus è familia patria, Korachitæ, præfecti erant operibus miniſterii, cuſtodeſque liminis Tentorii. Patres verò eorum præfecti fuerant caſtris Jehovæ, ingreſſum ejus cuſtodientes; 20. Phinchaſúſque, Elehazaris filius, eorum dux olim fuerat, & Jehova ei adfuerat. 21. Zecharja filius Meſelemjæ erat janitor oſtii Tentorii Conventûs. 22. Omnes hi *erant* electi, ut janitores eſſent ad limina, ducenti duodecim in ſuis villis cenſi. Eos conſtituerant David & Samuel Videns, propter eorum fidelitatem. 23. Hi, corúmque filii præfecti erant januis Ædis Jehovæ, Ædis Tentorii, cuſtodiæ causâ. 24. Ad quatuor ventos erant janitores, ad orientem, ad occidentem, ad ſeptemtrionem & ad meridiem.

25. Fratres verò eorum *qui habitabant* in villis ſuis *neceſſe habebant* venire in hebdomadum dierum præſtitutis temporibus, unà cum illis. 26. Nam propter fidem ſuam,

qua-

11. *Meſullami*] שלום Schallum dicitur Cap. VI, 12, 13.

Merajothi] Interponitur hic inter Tſadnkum, & Achitubum etiam Nehem. XI, 11. Sed omittitur antea in hoc libro Cap. VI, 12. Omiſſum hoc nomen ſuſpicatur *Lud. Cappellus*, in notis ad ſtemma Sacerdotale, quòd impius rex Achazus, ſub quo Sacerdotio fungebatur, eum munere amoverit, Uriámque ei ſuffecerit 2. Reg. XVI, 10. qnem Idololatriæ indnlgentiorem experiebatur; qua de cauſa, uterque in Pontificum Maximorum laterculo omittitnr. Malo tacere, quàm vaticinari, quot enim vaticiniis opus eſſet, nt ratio omiſſiounm, additionum & mutatiounm omnium in hiſce Genealogiis redderetur?

Dux Ædis Dei] נגיד בית אלהים *ngid beth Elohim.* Intellexerim præfectum cuſtodiæ Leviticæ Templi, quæ cuſtodia erat inſtar præſidii, ut liqnet ex vſ. 18. cui præfectus erat Hazarja, Chilkijæ filius; qua de re vide quæ diximus, in additamentis ad *Hammoadam*, Lnc. XXII, 52. Idem eſt Seraja, de quo Nehem. XI, 10. Simul fuiſſe videtur Pontifex Maximus, déque eo quaſi ſingulare quidpiam obſervat Sacer Hiſtoricus utroque munere functum, quòd, dum viveret pater, præfectus Levitis fuiſſet. Idem de Phinchaſo legimus vſ. 20.

13. *Operéque miniſterii*] מלאכת עבודת *mlecheth habodath.* Subaudienda præpoſitio על *hal*, ita ut dicantur fuiſſe על מלאכת *hal mlecheth*, præfecti operi miuiſterii. Vide vſ. 19.

15. *Bakbakkar faber*] בקבקר חרש. LXX. Intt. Βακβακὰρ καὶ Ἀρὴς, quaſi legiſſent חרש, quæ fortè melior eſt lectio. Latinus tamen Interpres nullam copulam hîc vidit, cùm verterit *Bacbacar quoque carpentarius.*

18. *Fuerant adhuc*] עד הנה *had hennah*; hoc eſt, ad tempus deſtructionis Templi.

Ad januam regiam &c.] Extra januam regiam, orientem verſùs; hoc eſt, inter eam jauuam & montem Templi; nam Regia erat ad occaſum Templi ſeptemtriones verſùs, erátque inter Regiam & Templum janua Regia, ſic dicta quod per eam Rex in Templnm veniret. Hæc eadem eſt, quæ dicitur *Schallecheth* infrà Cap. XXVI, 18. Vide *Joan. Lightfootii* deſcriptionem Templi Cap. V. ejuſdemque ſciagraphiam Jeroſolimæ.

Caſtroram Levitaram] למחנות בני לוי *lmachanoth bne Levi.* Sic Moſes Num. VIII, 24. & 25. צבא *tſeba*, ſeu *militiam* vocat Levitarum miniſteria.

Cuſtodéſque liminis Tentorii] Sic vocabantur, quia ante conditum Templum reverâ limen Tentorii ſervaverant Levitæ; ſed poſt conditum Templnm, ſervabant ingreſſum Atrii Sacerdotum.

Caſtris Jehovæ] Hoc eſt, tentorio, aulæis, aut velis, quibus cinctum erat in Deſerto, & ante Templum conditum.

Et conſtituerant David &c.] Vide infra Cap. XXIII, 4.

Samuel videas] Vide 1. Sam. IX, 9.

24. *Ad quatuor ventos*] Portæ erant in monte Templi, ad quatuor cœli plagas, quas Levitæ cuſtodiebant. Vide *Joan. Lightfootii* deſcriptionem Templi Cap. III, & ſeqq.

25. *Neceſſe habebant venire*] לבוא *ad veniendum*, ſubauditur היו פקודים *erant conſtituti ad veniendum.* De claſſibus Sacerdotum & Levitarum, Vide infrà Cap. XXVI.

26. *Quatuor illi* &c.] Qni memorati ſunt vſ. 17. & quibus poſteri, aut alii Levitici generis in eodem munere ſucceſſerunt.

Præfectique erant conclavibus &c.] Multa enim erant couclavia, multæque Apothecæ circa ambitum moutis Templi, in quibus quæ erant uſui Ædis neceſſaria adſervabantur. Qua de re multis egit idem *Joan. Lightfootius*, in iis libris de Templo, déque ejns miuiſteriis.

27. *Cir-*

quatuor illi fortiſſimi janitorum Levitæ præfecti *iidem* erant conclavibus & theſauris Ædis Dei. 27. Circa Ædem Dei pernoctabant, commiſſa enim illis erat *ejus* cuſtodia, iidémque ſingulis matutinis temporibus apertioni erant præfecti.

28. Ex iiſdem præfecti erant vaſibus miniſterii, numero enim ea inferebant *theſauris*, & numero efferebant. 29. Ex iis erant præfecti vaſibus, & omnibus quidem vaſibus Sanctuarii, ſimilæ item, oleo, vino, thuri & aromatibus. 30. Sed è filiis Sacerdotum erant unguentarii, qui unguentum aromaticum conficiebant. 31. At Matthithja è Levitis, qui erat primogenitus Sallumi Corchitæ, propter fidem, præfectus erat operi ſartaginum. 32. E Kehathitis, eorum fratribus, præfecti erant pani apponendo, ut eum in ſingula Sabbatha pararent. 33. Hi ſunt cantores, principes patriarum *familiarum* inter Levitas, in cubiculis immunes, quia interdiu & noctu eos operi incumbere oportebat 34. Hi principes patriarum *familiarum*, inter Levitas, pro ætatibus ſuis; hi habitarunt Jeroſolimæ.

35. Gabahone verò habitarunt pater Gabahonis Jehiel, cujus ſorori Mahachæ nomen fuit. 36. Filius ejus primogenitus fuit Habdon, tum Tſur, Kiſus, Bahal, Ner & Nadabus, 37. Gedor, Achio, Zecharja & Miklothus. 38. Miklothus autem genuit Simamum, & hi quoque è regione fratrum ſuorum Jeroſolimæ habitarunt, cum fratribus ſuis. 39. Ner autem genuit Kiſum, Kiſus genuit Saülem, Saül genuit Jonathanem, Malchiſuam, Abinadabum, & Esbahalem. 40. Filius autem Jonathanis fuit Meribbahal, qui Meribbahal genuit Micham. 41. Filii Michæ fuerunt Pithon, Melechus & Thachrea. 42. Achazus genuit Jahram, Jahra genuit Hallemethum, Hazmavethum & Zimrim. Zimris verò genuit Motſam, 43. Motſa genuit Binham, cujus filius fuit Rephaja, cujus filius fuit Elhaſa, cujus filius fuit Etſel. 44. Huic Etſeli ſex fuerunt filii, quorum hæc nomina Hazrikamus, Bochruus, Jiſmahel, Scharja, Hobadja & Chanan. Hi ſunt Etſelis filii.

X. Hiſto-

27. *Circa Ædem Dei*] Vide eumdem de Miniſterio Templi Cap. VII. Sect. 1.

28. *Numero enim* &c.] Certum numerum proferebant, eumdémque eò referebant, unde deſumtus fuerat, poſtquàm Sacra facta erant, ne quid furto, aut negligentiâ periret.

30. *Unguentarii qui* &c.] רקחי מרקחת הבשמים rokehhe mirkahhath habbeſchamim, *unguentarii unguenti aromatum*; quo Sacerdotes inungebantur, cùm miniſterio fungi inciperent, ut & vaſa quæ dedicabantur. Intelligitur & ſuffitus, de quo Exod. XXX.

31. *Sartaginum*] חבתים *hhabitthim*. Vide Levit. II, 5, 6.

32. *E Kehathitis*] ומבני הקהתי *è filiis Kehathitæ*, ſeu Kehathitarum. Exiſtimabat *Joan. Piſcator* vitioſè ſcriptum הקהתי hakkehathi, pro קהת *Kehath*. Sed ſi crederemus LXX. Intt. in priore voce mendum eſſet, habent enim, Βαναίας ὁ Κααθίτης, quaſi legiſſent בניה הקהתי *Banajah hakkehathi*.

Pani apponendo] לחם המערכת *lehhem hammaharakath*, panis ordinis, ſeu qui ordine in menſa Sanctuarii ſingulis hebdomadibus collocabatur, ſolétque alias לחם פנים, lehhem phanim, *panis faciei* vocari. Vide Levit. XXIV, 5, 6.

33. *In cubiculis immunes*] בלשכת פטורים *halleſchachoth phtourim*. Liberi vel immunes dicuntur, ab aliis, nempe, miniſteriis, quales erant excubiæ. LXX. Intt. hîc habent: διατεταγμέναι ἐφημερίαι, & *Hieronymus: in exedris morabantur*, incommodè.

Quia interdiu & noctu &c.] *Quia die & nocte ſuper eos in opificio* עליהם במלאכה. Redundat ב, poſſis enim dicere מלאכה עליהם *opificium ſuper eos*, hoc eſt, iis incumbebat: aut ſubaudiendum להיות *lhijoth*, ut conſtructio ſit עליהם להיות במלאכה *iis impoſitum erat eſſe in opere*. Non omnes quidem noctu & interdiu occupati erant, ſed eorum nonnulli, & præterea eâ loquutione non tam perpetua, quàm quotidiana occupatio ſignificatur.

35. *Pater Gabahonis*] De quo diximus ad Cap. VIII, 29.

Jehiel] Eſt in textu יעואל *Jehouël*, in margine verò יעיאל *Jehiël*. Sed idem hîc vir vocatur אביאל *Abiël* 1. Sam. IX, 1. & alibi. Repetitur autem hîc genealogia Saülis, ob ſequentem ejus regni hiſtoriam.

Sorori Mahachæ] אחותו מעכה *ahhotho Mahachah*. At eadem dicitur Cap. VIII, 29. אשתו *iſchtho*, ejus uxor. Sic etiam hîc legerunt, aut legendum cenſuerunt LXX. Intt. qui habent γυναικὸς; & Vulgatus, *uxoris*. Sic Chaldæus. Sic ſe etiam in antiquis Codd. MSS. legiſſe ait *F. Junius*. Sed difficile eſt dictu ubi ſit mendum, nam hinc tam facilè poteſt emendari Caput VIII. quàm ex Capite VIII. hîc locus. Itaque varietatem reliquimus, quæ eſt in optimis Editionibus.

36. *Ner, Nadabus*] Omittitur *Ner* Cap. VIII, 10. Fortè unus, idémque fuit.

40. *Meribbahal, qui Meribbahal*] Mirum eſt in Codicibus Hebraicis ſcriptum eſſe מריב-בעל ומרי-בעל, cùm uno modo ſcribi oporteat, aut מְרִיבַעַל.

41. *Thachrea*] תחריע *Thahhreah*. Scribitur תארע *thaareah*, & ſubjicitur ואחז *veAhhaz*, quod hîc à librariis omiſſum.

42. *Jahram*] יערה. Scribitur Cap. VIII, 36. יהועדה *Jehohaddah*, quod meliùs videtur. LXX. Intt. hîc habent Ἰαδὰ, ſed Vulgatus *Jara*.

43. *Rephaja*] רפיה. Cap. VIII, 3. dicitur רפה *Rapha*. Varietates illæ videntur ex eo ortæ, quòd hîc liber ex variis antiquis membranis ſit conflatus.

X. *Hiſtoria extremi regni Saülis, mortiſque ejus, & ſepulturæ à Jabeſitis, cauſæque mortis ejus.*

CAPUT X. 1. CUM Philiſthæi pugnaſſent cum Iſraëlitis, fugit quiſque Iſraëlita è conſpectu
Philiſthæorum, ceciderúntque confoſſi in monte Gilboa. 2. Perſequuti autem
ſunt Philiſthæi Saülem & filios ejus, occiderúntque Jonathanem, Abinadabum
& Malchiſuam filios Saülis. 3. Acri verò prælio circa Saülem commiſſo, in eum ſagit-
tarii inciderunt, & à jaculatoribus vulneratus eſt. 4. Tum Saül armigero, educito,
inquit, gladium tuum & me confodito, ne veniant incircumciſi iſti & mihi illudant.
Sed noluit armiger, quòd eſſet perterritus; ideóque Saül ſumſit gladium, & in eum
concidit. 5. Armiger verò videns mortuum eſſe Saülem, & ipſe gladio incubuit &
mortuus eſt.
6. Sic mortuus eſt Saül tréſque ejus filii, & tota ſimul ejus familia. 7. Cùm autem
vidiſſent omnes Iſraëlitæ, qui erant in valle, fugiſſe & mortuos eſſe Saülem, ejúſque
filios; relictis urbibus ſuis, aufugerunt, venerúntque Philiſthæi atque in iis habita-
runt. 8. Poſtero die, venerunt Philiſthæi ut confoſſos ſpoliarent, invenerúntque
Saülem, ejúſque filios in monte Gilboa jacentes. 9. Spoliarunt Saülem, capútque
ejus & arma abſtulerunt, ac miſerunt qui, per Philiſthæorum terram circumquaque,
bonum nuncium per Deorum ſuorum *delubra*, ac per populum nunciarent. 10. Ap-
penderunt autem ejus arma, in Æde Dei ſui, craniúmque ejus adfixerunt Ædi Da-
gonis.
11. Audivit univerſum Jabeſum Galahaditidis quæcumque fecerant Philiſthæi Saüli,
12. ſurrexerúntque omnes viri fortes, rapuerunt cadaver Saülis & cadavera filio-
rum ejus, & abſtulerunt Jabeſum; tum ſepelierunt eorum oſſa ſub quercu Jabeſi & per
ſeptem dies jejunarunt. 13. Mortuus eſt autem Saül, propter delictum, quod in Je-
hovam admiſerat, quia verba ejus non obſervarat & quia etiam interrogaverat Necyo-
mantin, ut *futurum* inquireret. 14. Non conſuluit Jehovam; quare eum interfecit,
regnúmque ad Davidem Jiſaïs filium tranſtulit.

XI. Iſraë-

In CAPUT X.

1. C*Um Philiſthæi*] Vide 1. Sam. XXXI, 1. & ſeqq.

4. *Ideoque Saül* &c.] Hamalekitæ mentientis occiſum à ſe Saülem, ipſius rogatu, hiſtoriam habemus 2. Sam. I. Cùm ageremus de Hamalekitæ ſupplicio ad vſ. 14. calami, potiùs quàm mentis, delictum admiſimus in hiſce verbis: *Reverentiórne fuiſſet in Regem* &c. pro, *minúſne reverens* &c. quod monemus hîc, ne malevoli carpant. Addimus præterea à Romanis vehementer laudatos ſervos, qui manum ſuam præbuiſſent heris mox ab hoſtibus occidendis & ludibrio habendis. Vide hac de re *Valerium Maximum* Lib. VI. cap. VII. exemp. 2, 3, & 4. ubi de ſervis qui C. Marium filium, C. Gracchum & C. Caſſium inimicorum crudelitati & ludibrio exemerunt, iis occiſis. Comparentur illa exempla cum facto ſervi Saülis, nec minùs generoſa comperientur, pro illius ævi ingenio.

6. *Et tota ſimul ejus familia*] *Et omnis domus ejus ſimul mortui ſunt.* Intelligendum hoc de iis qui prælio interfuerunt, quod exprimitur 1. Sam. XXXI, 6. Nam Mephiboſethus & alii, ut ex Hiſtoria Regum notum eſt, ſuperſtites fuerunt.

7. *In valle*] Eſt 1. Sam. XXXI, 6. *cis vallem*, ubi vide notata.

9. *Spoliarunt Saülem*] *Spoliarunt eum.*

Per ædes Deorum ſuorum] את עצביהם *Diis ſuis*, hoc eſt, ad Ædes Deorum, ad quas concurſus populorum, Sacrorum cauſâ, fieri ſolebat. Rectiùs, ut videtur, 1. Sam. XXXI, 9. בית עצבים *ædem Deorum.*

10. *Dei ſui*] Nomen Numinis profertur 1. Sam. XXXI, 10. עשתרות *Haſtharoth*, ſeu, Aſtharthæ.

Craniumque ejus &c.] At reliquum cadaver adfixum fuit mœnibus Scythopoleos, ut ibidem dicitur. Quod illinc, in hac hiſtoria, ſupplendum.

12. *Sub quercu*] תחת האלה *thahhath haelah.* Eſt 1. Sam. XXXI, 13. *ſub arboribus*, ſeu in arboreto, אשל *eſchel.*

13. *Propter delictum*] *Propter delictum, quod deliquerat.* Hoc delictum ad alia acceſſit, iiſque veluti cumulum addidit, qua de cauſa ſolum memoratur.

Necyomantia] באוב *baob*, in ſpiritu mortui. Vide ad 1. Sam. XXVIII, 3.

XI. Iſraëlitæ, poſt mortem Saülis & Isboſethi, Davidem Regem creant, qui Chebrone Jeroſolimam, expugnatâ Sione, migrat. Fortes viri, qui cum eo erant, recenſentur.

1. CONGREGATI deinde ſunt omnes Iſraëlitæ ad Davidem Chebronem, quem Caput
in hæc verba alloquuti ſunt: en, os tuum, & caro tua ſumus. 2. Antea quo- XI.
que cùm etiamnum Rex eſſet Saül, tu educebas & reducebas Iſraëlem, dixitque tibi Jehova Deus tuus: tu paſces populum meum Iſraëlem, tu eris dux populi mei Iſraëlis. 3. Venerunt omnes ſeniores Iſraëlis ad Regem Chebronem, feriítque David cum iis fœdus Chebrone, coram Jehova, & unxerunt Davidem in Regem Iſraëlis, prout prædixerat Jehova per Samuëlem.

4. Ivit deinde David & omnis Iſraël Jeroſolimam, quæ & Jebus, nam incolæ illius tractûs erant Jebuſæi. 5. Tum dixerunt Jebuſi incolæ Davidi: non ingrederis huc. Sed cepit David munitionem Sionis, quæ *poſtea fuit* urbs Davidis. 6. Ibi dixit David: quiſquis primus Jebuſæos concidet, ille fiet caput & dux. Joabus verò Tſerujæ filius primus adſcendit & caput evaſit. 7. David autem habitavit in munitione, quamobrem vocarunt eam urbem Davidis. 8. Ædificavit urbem circumquaque, à Millone ad circuitum; Joabus verò reliquam urbem inſtauravit. 9. David autem paullatim augebatur, Jehováque *Deus* exercituum ei aderat.

10. Hæc autem ſunt capita virorum fortium, qui erant Davidi, qui fortiter ei adfuerunt, in ejus regno, cum toto Iſraële, ita ut eum Regem conſtituerint in Iſraëlem, prout prædixerat Jehova. 11. Hic eſt numerus virorum fortium, qui erant Davidi: Jaſobehamus, Chachmonis filius, ducum primus. Is movit haſtam ſuam contra trecentos, unâ vice, occiſos. 12. Poſt eum Elehazar, Dodonis filius, Achochita. Is fuit inter tres fortes viros. 13. Fuerat cum Davide Phas-damminis, quò convenerant Philiſthæi, prælii causâ. Ibi autem erat pars agri hordeo plena, & populus quidem à conſpectu Philiſthæorum fugerat. 14. At illi conſtiterunt in medio agro, eum liberarunt & conciſis Philiſthæis, ingenti liberatione ſervavit Jehova *Iſraëlem.*

15. Venerunt tres è triginta ducibus ad rupem, ad Davidem, prope Hadullami ſpe-

In Caput XI.

1. CONGREGATI &c.] Vide 2. Sam. V, 1. & ſeqq.

2. *Antea quoque* &c.] *Etiam heri, etiam nudius tertius, etiam cùm eſſet Saül* &c. Vide 1. Sam. XVIII, 13.

4. *Ivit deinde*] Vide 2. Sam. V, 6, & ſeqq.

6. *Primus concidet*] *Percutiens Jebuſæum initio*; hoc eſt, qui primus munimenta hoſtium ſuperarit; quod fecit Joabus, qui pro murali corona imperium in exercitum accepit.

9. *Paullatim augebatur* &c.] *Et ivit David, eundo & creſcendo.*

10. *Hæc autem ſunt capita* &c.] Vide 2. Sam. XXIII, 8. & ſeqq.

Fortiter ei adfuerunt] מתחזקים עמו *corroborantes ſe cum eo*; fortem & conſtantem operam ei navarunt.

11. *Jaſobehamus*] Diximus ad 2. Sam. XXIII, 8. ſaniorem videri hanc lectionem; nec ejus judicii nos adhuc pœnitet.

Ducum primus] ראש השלישים *caput ducum.* Sed pro הַשָּׁלִישִׁים, quod eſt in margine, habet textus הַשְּׁלוֹשִׁים hoc eſt, *triginta*, ut legerunt LXX. Intt. & Vulgatus. Sed marginali lectioni favet lectio 2. Samuelis XXIII.

Contra trecentos] Aut inermes, aut non eodem modo armatos, & territos. Credibilius hoc, quàm *octingentos* occiſos, ut eſt apud Samuelem.

12. *Achochita*] האחוחי. Hîc 2. Sam. XXIII, 9. dicitur *filius Achochi.*

13. *Phas-damminis*] בפס דמים *bphas-dammim*, pro quo eſt, apud Samuelem בחרפם *bhhorepham*, & ſequitur בפלשתים *bapphliſchthim*, non והפלשתים *vehapphliſchthim*, ut hîc. Sed nomen eſt proprium loci, in Tribu Judæ, qui pleniùs vocatur 1. Sam. XVII, 1. אפס דמים *ephes-dammim*, quod *Aquila* verterat ἐν πέρατι Δομμίμ, ut docet *Hieronymus*, in locis Hebraicis.

Ibi autem erat &c.] At 2. Sam. XXIII, 9. & ſeqq. legimus: *cùm contra eos Iſraëlitæ iviſſent ſurrexit ille* (Elehazar) *& occidit Philiſthæos, donec manus ejus defeſſa eſſet, adhæreretque gladio; quo die Jehova magnam liberationem fecit, populúſque eum ſequebatur tantùm ad ſpoliandum. Poſt eum fuit Samma, filius Agæ, Hararita. Cùm Philiſthæi contra villam congregati eſſent, eſſetque illic part agri plena lentibus* (עדשים hadaſchim) *& populus fugiſſet è Philiſthæorum conſpectu; conſtitit in medio* &c. Unde colligere licet hîc omiſſum nomen *Sammæ*, qui tertius eſt trium qui hîc memorantur & neceſſariò memorandus fuit, ſi trium numerum conſtare oporteat; ut jam mittam aliarum circumſtantiarum varietatem. Quæ orta videntur ex variis Codicibus, quibus uſi ſunt Scriptor 2. Libri Samuëlis & Scriptor hujus libri, ſive is Eſdras fuerit, ſive alius quiſpiam; unde liquet quàm abſurdè de hiſce libris judicarit *Ben. de Spinoſa*, qui uni Scriptori tribuit.

15. *Tres è triginta*] Vide 2. Sam. XXIII, 13.

Ad rupem] על הצור *hal battſur.* 2. Sam. XXIII, 13. legimus אל קציר el katſir, *ad meſſem.* LXX, Intt. illic habent Κασὶν aut Κασωὰρ, unde credibile fit legiſſe eos cum Vau קצור *Katſor*, quod facilè potuit ſcribi, pro הצור *hatſour*, *rupes*, quæ vera lectio eſſe videtur.

 19. *Ne*

ſpeluncam; caſtra verò Philiſthæorum erant in valle Rephæorum. 16. David tunc erat
in munitione, at præſidium Philiſthæorum ad Bethlechemum. 17. Cupiditate verò
bibendi captus David, quis mihi, inquit, bibendam dabit aquam è ciſterna Bethleche-
menſi, quæ eſt ad *oppidi* portam? 18. Tum tres illi *viri* perruperunt per caſtra Philiſ-
thæorum, hauſerúntque aquam è ciſterna Bethlechemenſi, quæ eſt ad portam, & abſ-
tulerunt. Deinde attulerunt ad Davidem, at David bibere noluit, ſed Jehovæ effudit;
19. & ne ſirit, inquit, Deus meus me hoc facere! An ſanguinem horumce virorum,
cum eorum vita, biberem? nam vitæ ſuæ *periculo* eam attulerunt. Quare noluit bibe-
re. Hæc fecerunt tres illi fortes viri.
20. Abiſaïs verò frater Joabi, dux trium *aliorum*, & ipſe moverat haſtam ſuam in
trecentos confoſſos; nec *celebre* tamen nomen fuit *illi* inter tres *priores*. 21. Ex tribus
inter duos gloriam conſequutus eſt, fuitque eorum dux, ſed ad tres illos *priores*, non
pervenit. 22. Benaja *etiam*, Jehojadæ filius, Cabtſeelenſis, filius fuit viri fortis, &
multa facinora ediderat. Occiderat duos Arieles Moabiticos, interemerátque leo-
nem, in media foſſa, die nivoſo. 23. Occidit etiam virum Ægyptium, virum cu-
jus ſtatura erat quinque cubitorum, & qui manu gerebat haſtam, inſtar jugi texto-
rum. Ad eum deſcendit *Benaja armatus* baculo, rapuitque haſtam è manu Ægyptii,
eúmque telo ſuo occidit. 24. Hæc facinora edidit Benaja, Jehojadæ filius, nomén-
que ei *celebre* fuit inter tres *poſteriores* viros fortes. 25. Triginta *virorum fortium* maxi-
mam gloriam ſibi peperit, ſed ad tres illos *priores* non pervenit. Eum David ſatelli-
tio ſuo præfecit.
26. Fortes verò *viri fuerunt* Haſaël Joabi frater; Elchanan Dodonis filius, Bethle-
chemenſis; 27. Sammothus Harodita; Cheletſus Phelonita; 28. Hira, Hikkeſi filius,
Thekohita; Abihezer, Hanathothita; 29. Sibbechaïs Chaſathita, Hilaïs Achochæus;
30. Maharaïs Netophathita; Cheledus, Bahanæ filius, Netophathita; 31. Ithaïs, Ribaïs
filius, Gibhâ Benjaminitarum; Benaja Phirathonita; 32. Churaïs, è vallibus Gahaſi;
Abiël Harbathita; 33. Hazmavethus Bacharumita; Eljachba Sahalbonita; 34. filii Haſe-
mi Gizonitæ; Jonathan, Sagæ filius, Hararita; 35. Achiamus, Sacharis filius, Hara-
rita; Eliphal, Uris filius; 36. Chepher Mechetathita; Achija Phelonita; 37. Chetſro
Charmelita; Naharaïs, Ezbaïs filius. 38. Joël, Nathanis filius; Mibchar, Geris fi-
lius; 39. Tſelekus Hammonita; Nachraïs Berothita, armigeri Joabi, Tſerujæ filii;
40. Hira Jithræus; Garebus Jithræus; 41. Urias Chitthæus; Zabadus Achlaïs filius;
42. Hadina Sizæ filius, Rubenita, dux Rubenitarum & præter eum *alii* triginta; 43. Cha-
nan filius Mahachæ; Joſaphatus Mithnita; 44. Huzzja Haſtherathita, Sama & Jehiel
Chothami filii Haroheritæ; 45. Jedihaël, Simris filius, & Jocha frater ejus Thitſi-
ta; 46. Eliel, ex Mahachavæïs; Jeribaïs, & Joſavias Elnahami filii, Jithma Moabita;
47. Eliel, Obad, Jahaſiel Metſobæus.

XII. Iſraë-

19. *Ne ſirit Deus meus*] *Abſit mihi à Deo meo.*

20. *Trium aliorum*] השלושה quod poſſit etiam verti, *horum trium*, nempe, qui ſequuntur. Sed clarior erat orationis ſeries ſupplendo, *aliorum*. *Abiſai* autem אבישי, contractè hîc dicitur אבשי *Abſchai*.

Nec celebre tamen nomen &c.] Scriptum eſt in textu ולא *nec*, at in margine ולו *& illi*, ut 2. Sam. XXIII, 18. Sed utrumque verum, ſi de variis triadibus virorum fortium intelligatur. Vide vſ. ſequentem.

Priores] Perſpicuitatis causâ, hoc fuit ſupplendum.

22. *Multa facinora ediderat*] רב פעלים rab phehalim, *multus factis*.

23. *Virum cujus ſtatura erat* &c.] *Virum menſuræ, quinque in cubito*. Pro איש מדה iſch middah, *viro menſuræ*, habent LXX. Intt. ἄνδρα ὁρατὸν, quaſi legiſſent מראה *mareh*, ut 2. Sam. XXIII. meliùs Latinus *ſtaturam*.

Inſtar jugi textorum] מנור ארגים *mnor oregim*. LXX. ἀντίον ὑφαινόντων, & Vulgatus, *liciatorum texentium*. Non ſatis conſtat quale ſit hoc lignum, ideoque generali nomine jugi uſi ſumus.

25. *Triginta virorum fortium*] *E triginta ecce eum, glorioſus ille.*

26. *Fortes*] *Fortes viribus.*

27. *Sammothus*] שמות *Schammoth*. Aliter vocatur 2. Sam. XXIII, 25. Vide eum locum, ubi varietatem, quæ in nominibus fortium horumce virorum occurrit, protulimus.

34. *Filii Haſemi*] Vide ad 2. Sam. XXIII, 32.

In CA-

XII. Iſraëlitæ qui ad Davidem ſe ſe contulerunt, cùm ante mortem Saülis; tum etiam eo mortuo, ad Davidem Regem conſtituendum.

Caput XII

1. HI autem venerunt ad Davidem Tſiklagum, cùm *illic* adhuc eſſet clauſus prop-
ter Saülem, Kiſi filium; qui quidem inter viros fortes & auxiliarii in bello
gerendo fuerunt, 2. ornati arcu, dextrâ ac ſiniſtrâ jaculantes lapides, aut arcu
ſagittas, ex tribulibus Saülis, ſeu Benjaminitis. 3. Primus fuit Achihezer, tum Joas,
filii Senajæ Gibhathitæ; Jeziel & Phelethus, filii Hazmavethi; Beracha & Jehuus Hana-
thothita; 4. Jiſmahja Gabahonita, vir fortis inter tricenos & tricenis præfectus; Jiremeja;
Jachaziel; Jochanan; Jozabadus Gederathita; 5. Elhuzaïs; Jerimothus; Behalja; Se-
marja; Setaphja Charuphita; 6. Elkana; Jiſſija; Hazareël; Johezer, & Jaſobehamus
Korchitæ; 7. Johela, Zebadja, Jerochami filii, Gedore.
8. Ex Gaditis, ſeceſſerunt ad Davidem, in munitionem, in deſertum, viri fortes,
viri militares & *periti* belli, inſtructi ſpiculo & clypeo. Vultus eorum erant inſtar vultus
leonum; &, ſi feſtinandum eſſet, erant inſtar caprearum in montibus. 9. Primus fuit
Hezer, Hobadja ſecundus, Eliabus tertius, 10. Miſchmanna quartus, Jirmeja quintus,
11. Hatthaïs ſextus, Eliel ſeptimus, 12. Jochanan octavus, Elzabadus nonus, 13. Jirmeja
decimus, Machbanaïs undecimus. 14. Hi ſunt Gaditæ duces copiarum, minimus cen-
tenorum, maximus millenorum virorum. 15. Hi trajecerant Jordanem, menſe pri-
mo, cùm ripas omnes ſuas expleret, fugaverántque *incolas* vallium, ad ortum & ad oc-
caſum.
16. Venerunt etiam è poſteris Benjaminis & Judæ in munitionem, ad Davidem, 17. Da-
vidque obviam illis egreſſus eſt, ac eos alloquutus, &, ſi pacati quidem, inquit, ad
me venitis, ut mihi auxilium feratis, erit mihi idem animus erga vos; ſin verò ad me
decipiendum, ut ſitis hoſtes mei, cùm ſim innoxius, viderit Deus patrum noſtrorum,
idque arguat. 18. Tum ſpiritus induit Hamaſain potiſſimum ducum, *&*, tibi, *inquit*, ô
David, tecúmque, ô fili Jiſaïs, ſit pax; pax, *inquam*, tibi & iis qui te adjuvant, nam
Deus tuus te juvat. Ibi excepit homines David, eóſque duces copiarum conſtituit.
19. Ex Manaſſitis etiam defecerunt ad Davidem, cùm veniret cum Philiſthæis, con-
tra Saülem, ad bellum *gerendum*, nec tamen eos juvit; quia *habito* conſilio dimiſerunt
eum Satrapæ Philiſthæorum, cùm dicerent: capitum noſtrorum periculo, *hic* deficiet
ad

In Caput XII.

1. *CUm illic adhuc eſſet clauſus*] Vide 1. Sam. XXVII, 6. Sed עצור *hatſour*, verti poſſit & *retineretur*; hoc eſt, cùm nondum diſceſſiſſet Tſiklago.

2. *Dextrâ ac ſiniſtrâ* &c.] Funditores eximii in Benjamine erant, jam ab antiquis temporibus. Vide Judic. XX, 16. Ceterùm participia מימינים ומשמאלים *dextra & ſiniſtra jaculantes* non tantum ad lapides referri videntur, ſed & ad arcum. Cùm enim vulgò ſiniſtrâ arcus teneri, ac dextrâ nervus trahi ſoleat; poterant hi Benjaminitæ, prout commodius erat, dextrâ tenere arcum & ſiniſtrâ nervum trahere; ut ad dextram, aut ad ſiniſtram, ex iiſdem veſtigiis, commodè jaculari poſſent.

Ex tribulibus] *Ex fratribus.*

8. *Viri militares & periti*] *Viri militiæ ad bellum.*

Inſtar vultûs leonum &c.] Fortes & audaces erant; nec minùs celeres, ſi feſtinato opus eſſet. Quæ maximæ laudes militum, quos & ſtataria pugna uti & procurſionibus oportet, ut itinera miſſa faciam.

14. *Minimus centenorum*] *Unus centenorum parvus & magnus millenorum.*

15. *Cùm ripas omnes ſuas expleret*] Primo enim menſe, nivibus liquefactis, exundat. Vide Joſ. III, 15. Facit hæc circumſtantia ad oſtendendam horum Gaditarum audaciam, qui tam alieno tempore Jordanem trajecerint.

Incolas vallium] *Valles*, quæ, nempe, ſecundùm Jordanem hinc atque inde porriguntur.

17. *Pacati*] לשלום lſchalom, *ad pacem.*

Cùm ſim innoxius] *In nulla noxa in volis meis*, בלא חמס בכפי *blo bhamas bchapphai*. LXX. Intt. ὢν ἐν ἀληθείᾳ χειρός, abſurdè. Rectè Latinus: *cùm ego iniquitatem in manibus non habeam.*

18. *Tum ſpiritus induit*] Hæc loquutio occurrit Jud. VI, 34. quamquam paullùm diverſo ſenſu. Hîc enim adflatus nullus ſignificari videtur, ſed ſubitus tantùm animi impetus.

Hamaſain] Potiſſimum eorum, qui veniebant è Judâ, Benjaminiſve poſteris, dúxque ſub Saüle fuerat.

Potiſſimum ducum] ראש השלושים *caput triginta.* LXX. Intt. ἄρχοντα τῶν τριάκοντα, Vulgatus, *principem inter triginta.* Sed Maſſorethæ rectiùs in margine legunt שלישים ſchaliſchim, *ducum.*

Et tibi, inquit, ô David &c.] Omiſſum eſt ויאמר *& dixit.*

Tibi pax] Hoc eſt, *ſecundis rebus fruaris.*

19. *Habito conſilio*] בעצה *in conſilio*, hoc eſt, de conſilii Philiſthæi ſententia. Vide 1. Sam. XXIX, 6.

Capitum noſtrorum periculo] בראשינו *in capitibus noſtris.* Sic Cap. XI, 19. *Vitæ periculo* eſt בנפשותם, *in animabus ſuis.*

ad dominum ſuum Saülem. [20.] Cùm ergo iret Tſiklagum, defecerunt ad eum ex Ma-
naſſitis Hadnachus, Jozabadus, Jedihaël, Michaël, Jozabadus, Elihuus & Tſilllethaïs
Chiliarchæ Manaſſitarum. [21.] Hi auxilium tulerunt Davidi, pluſquàm cohors, nam
fuerunt omnes viri fortes, fuerúntque duces in exercitu. [22.] Eo enim tempore, in dies
veniebant ad Davidem, qui ei auxilium ferrent, donec *copiæ ejus excreverint* in caſtra
tanta, quanta *fuerant* caſtra Dei.

[23.] Hic autem eſt numerus capitum hominum armatorum ad exercitum *conflandum*,
qui venerunt ad Davidem Chebronem, ut ad eum transferrent regnum Saülis, ex man-
dato Jehovæ. [24.] Poſterorum Judæ gerentium clypeum & haſtam, expeditorum ad exer-
citum, ſex millia & octingenti [25.] Ex poſteris Simeonis, virorum fortium ad exer-
citum *conflandum* ſeptem millia & centum. [26.] E Levis poſteris quatuor millia & ſex-
centi. [27.] Jehojada verò dux erat Aharonis *familiæ*, & cum eo erant tria millia ſep-
tingenti. [28.] At Tſadokus erat adoleſcens ſtrenuus, & familiæ ejus patriæ viginti duo
principes *aderant*. [29.] Ex poſteris Benjaminis, tribulibus Saülis, tria erant millia; nam
major eorum pars etiamnum obſervantiam familiæ Saülis exhibebat. [30.] Ex poſteris
Ephraïmi, viginti millia & octingenti fortes viri, viri *celebris* nominis, in familiis pa-
triis. [31.] E dimidia tribu Manaſſæ octodecim millia, qui nominatim appellati ſunt,
ut irent ad conſtituendum Regem Davidem. [32.] Ex poſteris Iſſaſcharis, eruditis cogni-
tione temporum, ita ut ſcirent quid Iſraëli faciendum eſſet, principes ducenti, ex quo-
rum imperio pendebant omnes eorum tribules. [33.] E Zabulone, exeuntium in exer-
citum, inſtructorúmque omni apparatu bellico, quinquaginta millia, qui in acie animo
non dubio ſtarent. [34.] E Nephthali mille duces, & cum iis clypeum & haſtam geren-
tium triginta ſeptem millia. [35.] E Danitis ad prælium inſtructorum viginti octo mil-
lia ſexcenti. [36.] Ex Aſere exeuntium in exercitum, ut in prælium inſtruerentur, qua-
dra-

[20.] *Chiliarchæ Manaſſitarum*] *Capita millium qui Manaſſæ.*

[21.] *Pluſquàm cohors*] על גדוד *ſupra cohortem*; niſi malis intelligere ſingulos præfectos fuiſſe cohorti, ut ſubaudiatur איש *quiſque*; præfectus, nimirum, cohorti. LXX. Intt. *ἐπὶ τ̃ γεδδοὺρ*, pro *γεδδοὺδ*, nam eſt על גדוד *hal baggedoud.* Vulgatus, *contra latrunculos*, quia גדוד cohortem prædonum ſignificat.

[22.] *Eo enim tempore, in dies* &c.] *Nam ad tempus diei in diem.*

Caſtra Dei] Totius populi Hebræi. Alii interpretantur magnum exercitum, ut *cedri Dei*, *urbs Dei* pro cedris magnis & urbe magna dicuntur.

[23.] *Numerus capitum*] *Numeri capitum.*

Ex mandato Jehovæ] *Ut os Jehovæ*, vel *ſecundùm os Jehovæ.*

[25.] *Virorum fortium*] *Fortium robore.*

[27.] *Dux erat Aharonis familiæ*] הנגיד לאהרן *dux Aharonis.* Si, nempe, ad bellum prodiret; nam princeps Aharonis familiæ fuit Pontifex Maximus Ebiathar.

[28.] *Tſadokus*] Princeps Elehazaridarum, qui & poſtea Pontificatum recuperavit. Vide 3. Reg. II, 26. & IV, 4.

[29.] *Tribulibus*] *Fratribus.*

Obſervantiam exhibebant] *Obſervabant obſervationem domûs.*

[30.] *Viri celebris nominis*] *Viri nominum.*

[32.] *Eruditis cognitione temporum*] יודעי בינה לעתים *ſcientes ſcientiam temporum*, vel *tempeſtatum.* LXX. Intt. *γινώσκοντες σύνεσιν εἰς τοὺς καιρούς.* Vulgatus, *qui noverunt ſingula tempora.* Singulæ voces minimè obſcuræ ſunt, ſed loquutionis ſenſus quis ſit vix quiſquam dixerit. Cognitionem tamen ſignificari, quæ ad omnium Iſraëlitarum uſum, officiúmve pertineret, oſtendunt ſequentia verba: לדעת מה יעשה ישראל *ita ut ſcirent quid Iſraëli faciendum eſſet.* Credibile eſt peritos fuiſſe motuum corporum cœleſtium, ita ut Neomenias, Menſéſque adeò digerere, & tempora etiam ſollemniorum feſtorum Paſchatis, Pentecoſtes, & Scenopegiæ priùs judicare poſſent; unde intelligerent Iſraëlitæ quid ſui eſſet, in obſervatione eorum dierum, officii. Non placet hæc interpretatio *Caſp. Sanctio*, cùm quòd Iſſaſcharitæ, ruſtico operi dediti, nuſquam ejuſmodi rerum periti dicantur; tum etiam quòd denunciare feſta Sacerdotum potiùs eſſet, quàm ruſticorum. Sed nihil vetat quin Iſſaſcharitæ ſcientiâ pollerent, cujus alibi nulla mentio; nec magis erant ruſtico operi addicti, quàm ceteri Iſraëlitæ. Laudandi quidem fuiſſent Sacerdotes, ſi Aſtronomiam, quatenus complectitur leges motûs aſtrorum, coluiſſent; ut Neomenias & Feſta prædicerent, totiúſque anni decurſum ordinarent. Sed quis nos doceat id ab iis factum, non verò ejus rei curam aliis relictam, à contentis muneribus ſacerdotalibus fungi? Alia majoris momenti ſæpe neglexerunt.

Idem vir doctus putat deſignari ſcientiam illam ruſticorum, quâ ex longa obſervatione intelligunt quæ futura ſit cœli tempeſtas, ex quibuſdam veluti prognoſticis ſignis, qualia *Virgilius* Georgicorum I. tradidit. Sed hujuſmodi rerum non minùs periti poterant eſſe reliqui Iſraëlitæ, qui non minùs ruſtico operi mancipati erant, gregéſque alebant. Singulare autem hîc quidpiam notatur, quo Iſſaſcharitæ excellerent. Itaque prior interpretatio potior videtur, confirmatúrque loco Eſth. I, 13. ubi ſeptem ſapientes, qui à conſiliis erant Perſarum Regi, dicuntur fuiſſe יודעי העתים *jodehe habitthim*, periti temporum. Scio quidem fortè eam Aſtrologiæ partem, quam apoteleſmaticam Veteres, nos *judiciariam* vulgò vocamus, potiſſimùm reſpici; cujus nullus uſus erat, apud Hebræos. Sed cùm Aſtrologia apoteleſmatica niteretur accuratâ cognitione motuum cœleſtium, quæ jure vo-

draginta millia. 37· Ex *regione qua eſt* trans Jordanem, è Rubenitis, Gaditis, & dimidia tribu Manaſſæ, cum omni apparatu militari, centum viginti millia.

38· Omnes hi viri militares, *parati* in aciem inſtructi *prodire*, animo integro venerunt Chebronem, ut Davidem toti Iſraëli Regem conſtituerent; & reliquus quidem omnis Iſraël unanimis erat in regno Davidi conferendo. 39· Fuerunt autem per triduum cum Davide, comederúntque & biberunt; pararant enim illis *victum* fratres. 40· Vicini enim ab Iſſaſchare uſque, Zabulone & Nephthali, advexerant panem aſinis, camelis, mulis & bubus, farinam item, palathas, uvas paſſas, vinum, oleum, boves & minores pecudes magnâ copiâ; erat enim hilaritas in Iſraële.

XIII. *Arcam transferre adgreditur David Sionem, ſed cùm Huzza temerè manum Arcæ injeciſſet, & à Deo morte mulctatus eſſet, deponitur Arca domi Hobed-edomi, ubi per tres menſes manet.*

1· CONSILIUM iniit David, cum Chiliarchis, Centurionibus, *reliquiſ*que omnibus ducibus; 2· &, toti cœtui Iſraëlis, ſi vobis, inquit, videtur, *rèſque eſt* à Jehova Deo noſtro *profecta*, diſcedamus & dimittamus *nuncios* ad reliquos fratres noſtros, per omnes terras Iſraëlis, quibuſcum ſunt Sacerdotes & Levitæ, per oppida, quorum ſuburbia poſſident, *ii* ad nos conveniant, 3· atque ad nos transferamus Arcam Dei noſtri; neque enim, temporibus Saülis, eam requiſivimus. 4· Totus verò cœtus faciendum ſic eſſe dixit, res enim recta univerſo populo videbatur. CAPUT XIII.

5· Con-

vocari poteſt בינה לעתים *ſcientia temporum*, hoc in loco crediderim hanc tantùm peritiam Iſſaſcharitis tribui. Sic ſenſiſſe video & Chaldæum, qui habet: חַכִּימִין לְמִקְבַּע רֵישׁ שְׁנִין וְרֵישׁ יַרְחִין, *ſapientes ad figenda initia annorum & initia menſium.*

Principes ducenti] *Capita ducenta.*

Ex quorum imperio &c.] *Et omnes fratres eorum ad os eorum.*

33· *Inſtructorúmque omni apparatu* &c.] *Inſtruentium bellum*, aut *prælium*, *cum omnibus inſtrumentis belli*; hoc eſt, gravis & levis armaturæ milites.

Quinquaginta millia] חמישים אלף *hhamiſchim eleph*. LXX. Intt. πεντήκοντα χιλιάδες. Vulg. *quinquaginta millia*. Cùm aliarum Tribuum Zabulonitica multò potentiorum, ut Tribuum Judææ & Ephraïmiticæ, multò pauciores fuerint, crediderim pro חמישים *quinquaginta*, legendum חמישה *quinque*. Sic 2. Sam. XXIII, 13. שלושים *triginta*, pro שלושה *tribus*, in textu legi obſervarunt Maſſorethæ. Videntur & in ſequentibus aucti numeri.

In acie animo non dubio ſtarent.] לעדר בלא לב ולב, *ad ordinandum in non corde & corde*. LXX. Intt. βοηθῆσαι τῷ Δαυὶδ οὐ χερσὶν κενῶς. Vulgatus, *venerunt in auxilium, non corde duplici*. Legerunt לעזר lahazor, *ad auxilium ferendum*, pro לעדר *labador*, ad inſtruendam ordine aciem. Sed noſtram lectionem rectam eſſe oſtendit vſ. 38. Hebræi *cor & cor* vocant eam animi affectionem, quâ in varias partes fertur, probátque quod improbarat & viciſſim. Sic Pſ. XII, 3. *Mendacium proximo dicere quiſque ſolet, labium eſt blandum, loquitur* in corde & corde; hoc eſt, alium animum ore promit, alium in pectore occultat.

37· *Cum omni apparatu militari*] *Cum omnibus inſtrumentis militiæ belli.*

38· *Animo integro*] בלבב שלם *blebab ſchalem.* Opponitur hæc loquutio *cordi* in diverſas partes diſtracto, ſeu duplici, de quo vſ. 33. Malè legerunt LXX. Intt. שלום *ſchalom*, cùm verterint ἐν ψυχῇ εἰρηνικῇ. Meliùs Vulgatus, *perfecto corde*. Vide 1. Reg. VIII, 61.

Unanimis erat] *Cor unum.*

39· *Paraverant enim* &c.] De tribulibus, & aliis hoc intelligendum oſtendunt ſequentia. Exhauſta fuiſſet Judæ Tribus, ſi tanto exercitui, vel per triduum, cibaria ſuppeditare coacta ſola fuiſſet.

40· *Ab Iſſaſchare uſque*] Hoc eſt, ab Iſſaſchare uſque, Zabulone & Nephthali, quæ Tribus Iſraëlitidis terræ boreales oras incolebant; cùm Chebron ad meridiem ſpectaret.

Hilaritas] שמחה *ſchimhhah*, dies feſtus cum convivio conjunctus.

In CAPUT XIII.

1· R*Eliquiſque omnibus ducibus*] לכל נגיד *omnis ducis*, hoc eſt, qui copias ducere ſolebat. LXX. Intt. παντὶ ἡγουμένῳ. Vulg. *& univerſis principibus.*

2· *Toti cœtui Iſraëlis*] Iſraëlitis, qui Jeroſolimam convenerant. Vide 2. Sam. VI.

Si vobis videtur] *Si ad vos bonum.*

Reſque eſt à Jehova &c.] Si ea cogitatio mihi à Jehova immiſſa eſt.

Per oppida, quorum ſuburbia poſſident] *Per oppida ſuburbiorum illorum*. LXX. Intt. ἐν πόλεσι κατασχέσεως αὐτῶν. Vulg. *qui habitant in ſuburbanis urbium*. Incommodè, ſic enim loquitur Sacer Hiſtoricus, quia Sacerdotes & Levitæ urbium, quas colebant, habebant tantùm ſuburbia, ut docemur Num. XXXV.

3· *Temporibus Saülis*] Cujus animus parum religioſus non curabat quo loco Arca habitaret.

4· *Recta univerſo populo* &c.] *Recta in oculis univerſi populi.*

5· *A*

5. Convocavit itaque David omnem Iſraëlem, à Sichore Ægypti fluvio ad introitum uſque Chamathæ, ut Kirjath-jeharimis Arcam reduceret; 6. iverúntque David & totus Iſraël Bahalathâ Kirjath-jeharimos Judæ, ut inde transferrent Arcam Dei, Jehovæ inſidentis Cherubis, *ad quam* ejus nomen invocatur. 7. Vexerunt autem Arcam Dei plauſtro novo, ex ædibus Abinadabi; Huzzáque & Achio plauſtrum ducebant. 8. David verò & univerſus Iſraël omnibus viribus ſaltabant, ante Deum, *cantantes* cantica, citharisque, nabliis, tympanis, ſiſtriſque & tubis *adhibitis*. 9. Cùm verò veniſſent ad aream Chidonis, Huzza injecit manum Arcæ, ad eam retinendam, quia labaſcebant boves. 10. Sed accenſa eſt ira Jehovæ in Huzzam, eúmque plagâ affecit, quia manum injecerat Arcæ, & illic quidem coram Deo mortuus eſt. 11. Doluit verò Davidi, quòd Jehova vulnus intuliſſet Huzzæ, & vocavit eum locum Pherets-Huzzam, *quo nomine appellatur* ad hunc uſque diem.

12. Timuit etiam David Deum, die illo, dixitque: quomodo ad me Arcam Dei intromitterem? 13. Neque duxit David Arcam ad ſe, in urbem Davidis, ſed eam divertere curavit ad ædes Hobed-Edomi Gitthæi. 14. Manſit autem Area Dei domi Hobed-Edomi, in ædibus ejus, per tres menſes; ac benedixit quidem Deus familiæ Hobed-Edomi, & omnibus quæ ejus erant.

XIV. Chiramus Tyriorum Rex mittit ligna & fabros, ad ædificandam regiam Davidi, qui plures liberos ex multis uxoribus Jeroſolimæ genuit, & Philiſthæos duobus præliis fudit.

CAPUT XIV. 1. MISIT deinde Chiramus, Tyri Rex, legatos ad Davidem & ligna cedrina, fabróſque lapidarios & lignarios, qui ei domum ædificarent. 2. Intellexit autem David ſe Regem Iſraëlis à Deo confirmatum eſſe, quia in ſublime extollebatur ipſius regnum, propter populum ejus Iſraëlem. 3. Duxit David præterea *alias* uxores Jeroſolimæ, genuitque filios & filias. 4. Hæc autem ſunt nomina liberorum, qui ei *nati* ſunt Jeroſolimæ, Sammua, Sobabus, Nathan, Salomo, 5. Jibchar, Eliſua, Elipheletus, 6. Noga, Nephegus, Japhia, Eliſama, Beheljada, & Elipheletus.

7. Cùm autem audiviſſent Philiſthæi unctum eſſe Davidem, in Regem totius Iſraëlis; omnes, expeditione ſuſceptâ, venerunt ad eum quærendum. Quod cùm accepiſſet David, obviam illis progreſſus eſt. 9. Philiſthæi verò venerunt & in valle Rephæorum tetenderunt. 10. Tum David Deum hiſce verbis interrogavit: an vadam in Philiſthæos, ánve

5. *A Sichore*] A Nilo, ut oſtendimus ad Joſ. XIII, 3. Is fuit limes meridianus regni.

Ad introitum Chamathæ] Ubi poſtea condita Epiphania, ad ſeptemtriones agrorum populi Hebræi, ad ortum Jordanis. Vide Geneſ. X, 17.

6. *Bahalatha*] בעלתה. Plurali nomine maſculino vocatur hic locus בעלים *bahalim*, 2. Sam. VI, 2.

Dei, Jehovæ inſidentis Cherubis] Hoc eſt, Dei Iſraëlis, qui ad Cherubos præſentem ſe, ſingulari ratione, teſtabatur. LXX. Intt. ſic habent: τοῦ θεοῦ κυρίου καθημένου ἐπὶ τοῖς Χερουβίμ. Vulgatus verò: *Domini Dei, ſedentis ſuper Cherubim*. Hinc intelligere poterant vocem יהוה incommodè κύριον, aut *Dominum* verti.

Ad quam ejus nomen invocatur] אשר נקרא שם *aſcher nikra ſchem*. Si legeremus שָׁם pro שֵׁם, ſeries orationis molliùs quidem flueret, *qui illic invocatur*; ſed videtur hîc plenior quædam oratio quærenda, de qua vide dicta ad 2. Sam. VI, 2. LXX. Intt. habent οὗ ἐπεκλήθη ὄνομα αὐτοῦ, & Vulgatus, *ubi invocatur nomen ejus*.

8. *Saltabant*] משחקים *ludebant*. Vide ad Exod. XXXII, 6.

9. *Ad aream Chidonis*] גרן כידן *goren Chidon*. Hæc eadem area *Nachonis* נכון 2. Sam. VI, 9. Hîc in LXX. Intt. nomen omittitur, reſectum à Librariis, ne repugnantia inter has hiſtorias eſſe videretur. Vulgatus verò *Chidon*. Unius viri, aut loci duplex eſſe nomen facilè potuit, aut etiam hîc aut illic mendum in nomen proprium minùs notum irrepſiſſe.

In CAPUT XIV.

1. *MIſit deinde Chiramus*] Vide 2. Sam. C. V, 11.

5. *Elipheletus, Noga*] Duo hæc nomina omiſſa ſunt 2. Sam. V, 15. nec veriſimile eſt duos filios Davidi cognomines fuiſſe.

6. *Behaljada*] בעלידע *Beheljadah*. Vocatur hic 2. Sam. V, אלידע *Eljadah*. Quod librariis potiùs tribuerim, quàm Davidi, qui non miſcuiſſet nomina אל *Deus* & בעל *Bahal*. Hic habent LXX. Intt. Ἐλιαδί. Latinus tamen, *Baaliada*.

7. *Ad eum quærendum*] Vide 2. Sam. V, 17.

12. *Qui jubente Davide* &c.] *Et dixit David & combuſti ſunt igne*. Ablati dicuntur 2. Sam. V, 21. quia illinc ablati ſunt, ut comburerentur.

14. *Davidi denuo ſciſcitanti*] *Et interrogavit adhuc David Deum, & dixit ei Deus: non adſcendes poſt eos*.

Circumacto agmine] *Circumage ab iis*.

16. *A*

ànve eos in manum meam trades? Vade, inquit Jehova, eos in manum tuam tradam.
11. Cùm ergo Bahal-pheretſimos adſcendiſſent, concidit eos David, & disjecit, in-
quit, Deus hoſtes meos per me, quemadmodum aqua derivatur; quare vocarunt locum
illum Bahal-pheratſimos. 12. Reliquerunt autem illic Deos ſuos, qui, jubente Davi-
de, igne ſunt abſumti.
13. Iterum venerunt Philiſthæi, ac tetenderunt in *eadem* valle; 14. at Davidi denuo
Deum ſciſcitanti; eos, inquit Deus, ne ſequere, ſed circumacto *agmine*, contra eos
vadito, è regione mororum. 15. Cùm autem audies ſtrepitum inceſsùs, per cacumina
mororum, tum progredere in prælium; quia ante te egreſſus fuerit Deus, ad conci-
denda Philiſthæorum caſtra. 16. Fecit verò David, quemadmodum ei præceperat
Deus, concidebàntque *Iſraëlitæ* caſtra Philiſthæorum à Gabahone Gazerum uſque. 17. Fa-
ma Davidis deinceps ſparſa eſt per omnes terras, & Jehova ejus terrorem gentibus om-
nibus injecit.

XV. *David, in præparatum locum in Sionis arce, Arcam maxima cum ſollemnitate intromittit.*

1. FECIT deinde Rex ſibi domos, in urbe Davidis, locúmque paravit Arcæ Dei, CAPUT
& tentorium tetendit. 2. Tum dixit: nemini *fas eſt* bajulare Arcam Dei, ni- XV.
ſi Levitis; quia Deus eos elegit, ad bajulandam Arcam ſuam, ſibique miniſ-
trandum in perpetuum. 3. Coëgit verò David univerſum Iſraëlem, ad transferendam
Arcam Jehovæ, in locum quem ei paraverat. 4. Congregavit etiam poſteros Aharo-
nis & Levitas. 5. E poſteris Kehathi, *adfuere* Uriel *eorum* princeps, & fratres ejus
centum viginti; 6. è poſteris Meraris, Haſaja *eorum* princeps, & fratres ejus ducen-
ti viginti; 7. è poſteris Gerſomi, princeps eorum Joël, & fratres ejus centum trigin-
ta; 8. è poſteris Eliſaphanis, Semaja *eorum* princeps & fratres ejus ducenti; 9. è
poſteris Chebronis, Eliel princeps *eorum*, & fratres ejus octoginta; 10. è poſteris Huz-
ziëlis, Hammanidabus *eorum* princeps & fratres ejus centum duodecim.
11. Vocavit deinde David *ad ſe* Tſadokum & Ebiatharem Sacerdotes, Levitáſque
Uriëlem, Haſajam, Joëlem, Semahjam, Eliëlem & Hamminadabum; 12. eíſque, vos,
inquit, eſtis patriarum Leviticarum *familiarum* principes. Sanctificate vos & fratres veſ-
tros, & transferetis Arcam Jehovæ Dei Iſraëlis, in *locum quem* ei paravi. 13. Quia
ab initio non aderatis, vulnus nobis inflixit Jehova Deus noſter, quòd eum non ritè
quæſiverimus. 14. Sanctificarunt ergo ſe Sacerdotes & Levitæ, ad transferendam Ar-
cam

16. *A Gabahone*] מגבעון. At 1. Sam. V, 25. legitur מגבע *à Gebab* omiſſo ן. Crediderim potiùs illic omiſſum quidpiam fuiſſe, quàm hîc additum.

17. *Fama Davidis* &c.] *Et exiit nomen Davidis* &c.

In CAPUT XV.

1. D*Omus*] בתים *bathim*. Pluralis numerus adhibetur, quia Regia pluribus Ædificiis conſtabat.

Tentorium] Vide ad 2. Sam. VI, 17.

2. *Nemini fas eſt*] לא לשאת *non ad ferendum*. Subauditur verbum, ut נפקד niphkad, *non mandatum* eſt ferre arcam, niſi Levitis, aut ſimile quiddam.

Deus eos elegit &c.] Vide Num. I, 50.

4. *Congregavit etiam poſteros*] *Et congregavit David filios Aharonis & Levitas.*

11. *Tſadokum & Ebiatharem*] Ebiathar quidem Ithamarides Pontificatu Maximo ſolus fungebatur; ſed proximus illi dignitate erat Tſadokus Elehazarides, qui & illi ſucceſſit, ut liquet ex 1. Reg. II, 12, 35. Præponitur hîc Tſadokus, aut quòd poſtea primum dignitatis locum, ſub Salomone, obtinuerit, aut quòd ordinis uſque adeò obſervantes eſſe non ſoleant Scriptores Sacri.

12. *Patriarum Leviticarum* &c.] *Capita patrum Levitarum*, ראשי האבות pro ראשי בתי האבות *capita domuum patrum*.

Sanctificate vos] Hoc eſt, date operam ut mundi ſitis, veſtibuſque mundis induti veniatis. Vide ad Gen. XXXV, 2. & Exod. XIX, 10.

In locum quem ei paravi] אל הכינותי לו *el hachinothi lo*, pro אל מקום אשר הכינותי לו *in locum quem ei præparavi*. LXX. Intt. ὃ ἡτοίμασα αὐτῇ, Vulgatus, *ad locum qui ei præparatus eſt*.

13. *Non aderatis*] לא אתם *non vos*, ſupplendum aut הייתם עמנו *eratis nobiſcum*, aut נשאים *bajulantes*; fuerat enim Arca plauſtro novo impoſita. Non videtur mens Davidis eſſe, ideò tantùm Deum vulnus inflixiſſe, quòd non adfuerint Levitæ ut Arcam bajularent; ſed ſi adfuiſſent Levitæ, Deum id vulneris inflicturum non fuiſſe, quia non contigiſſet quod contigerat, ut laberentur, nempe, juvenci, Arcámque ſuſtinere adgrederetur Huzza, bajulantibus eam Levitis.

Non rite quæſiverimus eum] *Secundùm judicium*, hoc eſt, accerſiverimus ex conſuetudine ab eo inſtituta, ſeu pro ritu vetere, quæ eſt ſignificatio non rara vocis משפט *miſchphat*, quæ propriè *judicium* ſonat; quòd *judicia* conſuetudinis initium faciant. LXX. Intt. ἐξεζητήσαμεν ἐν κρίματι. Quod cùm non adſequeretur Vulgatus Inter-

pres,

Digitized by Google

cam Dei Iſraëlis; 15. bajularúntque Levitæ Arcam Dei, quemadmodum præceperat Moſes, ex mandato Jehovæ, humeris ſuis vectibus impoſitis.

16. Juſſerat etiam David principes Levitarum conſtituere ex fratribus ſuis, qui inſtrumentis muſicis canerent, nabliis, citharis & cymbalis ſonoris, ut ſonitum hilaritatis causâ tollerent. 17. Conſtituerunt ergo Levitæ Hemanem, Joëlis filium, & è fratribus ejus Aſaphum Berechjæ filium, & è poſteris Meraris fratribus ſuis Ethanem, Chuſajæ filium. 18. Cum illis erant fratres eorum ſecundi ordinis, Zecharja Jahaziëlis filius, Semiramothus, Jechiel, Hunnis, Eliabus, Benaja, Mahaſeja, Matthithja, Eliphelethus, Mikneja, Hobed-Edomus, & Jehiel janitores. 19. Cantores erant Heman, Aſaphus, & Ethan, cymbalis æneis, ut *procul* exaudirentur. 20. Zecharja verò, Haziël, Semiramothus, Jechiel, Hunnis, Eliabus, Mahaſeja, & Benaja nabliis, ſuper Halamoth. 21. At Matthithja, Elipheletus, Mikneja, Obed-Edomus, Jehiel & Hazazja, canebant citharis ſuper Seminith, ita ut præeſſent. 22. Chenanja præerat Levitis in prolatione & docebat prolationem, quia ejus erat peritus. 23. Berechja & Elkana erant janitores Arcæ. 24. Sebanja, Joſaphatus, Nethaneel, Hamaſaïs, Zecharja, Benaja & Elihezer Sacerdotes tubis canebant ante Arcam Dei; & Hobed-Edomus quidem ac Jechija erant janitores Arcæ.

25. Iverunt ergo David, ſeniores Iſraëlis & Chiliarchi, ut transferrent Arcam fœderis Jehovæ, domo Hobed-Edomi, cum hilaritate. 26. Cúmque adjuviſſet Deus Levitas bajulantes Arcam fœderis Jehovæ, mactabant ſeptem juvencos & ſeptem arietes. 27. David quidem amictus erat pallio byſſino, ut & omnes Levitæ bajulantes Arcam, cantoréſque, & Chenanja, cantorum præcentor; David, *inquam*, *& ipſe* Ephodum lineum gerebat. 28. Univerſus Iſraël tranſtulit Arcam fœderis Jehovæ, cum vociferatio-

pres, cujus eruditionis Hebraïcæ maximam partem faciebat Verſio LXX. Intt. non bene paraphraſi hac uſus eſt: *ut à principio —— ſic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.* Tum demum paraphraſi utendum, cùm Lingua verbotenus verti non patitur. Si quis ignoret quænam dicantur משפטי אלהים *judicia Dei*, adeat Pſ. CXIX. ubi perpetuò miſcentur cum legibus divinis.

16. *Muſicis inſtrumentis*] *Vaſibus*, aut *inſtrumentis cantici*, בכלי שיר *bichle ſchir*. De inſtrumentis vide ad 2. Sam. VI, 5.

Cymbalis ſonoris] מצלתים *meſilthajim*. *Cymbala* vertunt veteres Interpretes, quam verſionem rectam eſſe ſuadet forma dualis vocis; nam Cymbala conſtabant duobus Hemiſphæriis, quæ conflictu acutum ſonitum reddebant, ut oſtendimus in loco ad hanc hiſtoriam 2. Samuëlis VI. indicato. Neglecto accentu, conjunximus participium משמיעים *maſchmihim* cum voce antecedenti; quia cum optimè conveniat hoc epitheton cymbalis, quæ *faciant audire* ingentem ſonitum, non ita bene conveniebat cum ſequentibus. Sic Pſ. CL, 5. *ſiſtra* dicuntur צלצלי שמע *ſiſtra auditûs*, hoc eſt, ſonora. Sed vide vſ. 19.

Non ſonitum tollerent] להרים *leharim*; nempe, inſtrumentis memoratis. LXX. Intt. habent: τ͂ φωνῆσαι εἰς ὕψος ἐν φωνῇ εὐφροσύνης. Vulgatus: *ut reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ*. Sed להרים בקול לשמחה ſunt tantùm *ad tollendum ſonitum lætitiæ*, nec poſſunt aliter verti.

19. *Cymbalis* &c.] מצלתים נחשת להשמיע *Cymbalis æneis ad faciendum audire*. Maximè, nempe, ſonora erant cymbala, unde tralatitio ſignificatu vir qui maximam ſui famam excitat, cúmque inanem χαλκὸς ἠχῶν ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον dicitur 1. Cor. XIII, 1. Multus uſus erat Cymbalorum in Sacris, apud Orientales. *Apuleius* de Deo Socratis, pag. 49. Ed. Elmenhorſtii. *Ægyptiaca Numina fermè plangoribus, Græca pleramque choreis, Barbara autem ſtrepitu cymbaliſtarum, & tympaniſtarum & choraularum* gaudent.

20. *Super Halamoth*] על עלמות. LXX. Intt. ἐπὶ ἀλαιμώθ. Vulgatus, *arcana cantabant*, nam עלם *halam* eſt *occultus fuit*. Sed videtur eſſe initium noti carminis, cujus tonos exprimebant Levitæ nabliis.

21. *Super Seminith*] על השמינית LXX. Intt. retinuerant ipſam vocem Hebraïcam, cùm ſit in Codicibus, qui ad nos pervenerunt ἀμασενίθ. Vulgatus, *pro octava*. Crediderim hoc quoque fuiſſe carminis noti initium.

Ita ut præeſſent] לנצח *lenatſeahh*. Cùm מנצח *mnatſeahh* in titulis Pſalmorum rectè videatur intelligi, de *Cantorum præfecto*, hîc quoque eam ſignificationem ſequuti ſuimus, ubi de Muſico concentu ſermo eſt. LXX. τ͂ ἐνισχῦσαι, ſine ſenſu. Vulgatus, *canebant epinicion*, quia נצח *netſahh* aliquando eſt victoria. Sed non eſt hoc carmen ἐπινίκιον.

22. *Præerat in prolatione*] במשא *bmaſſcha*. Nemo bene hæc intelligat, aut interpretetur, niſi qui rationem hujus Muſicæ ſciverit, quæ hodie eſt ignota. Cùm נשא *naſcha* cum *voce* conjunctum ſit *vocem attollere*, aut etiam proferre, unde משא ſumitur pro *prolatione* ſive eo quod proferitur; crediderim eum qui dicitur *princeps Levitarum* במשא, eum fuiſſe qui canentibus præibat, & cantum inchoabat, proferendo ante omnes quod erat canendum. Gallicè dicimus *intonare*; hoc eſt, incipere cantum, eo tono quo inchoari debet.

Docebat tonum] יסר במשא *jaſor bmaſſcha*, docendo in prolatione, hoc eſt, incipiendo canere, ne intentiùs, aut remiſſiùs, quàm par erat, canerent. Confirmantur hæc auctoritate. LXX. Intt. qui habent hîc ἄρχων τ͂ ᾠδῶν, & quos ſequutus eſt, more ſuo, Vulgatus, qui vertit: *prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam. Prophetiam* habet quia משא orationem propheticam ſæpe ſignificat; ſed ea ſignificatio ab hoc loco aliena eſt.

23. *Ja-*

Digitized by Google

ratione, cantu buccinarum & tubarum, cymbalis ſonoris, nabliiſque & citharis. 29. Cùm verò Arca fœderis Jehovæ ingrederetur urbem Davidis, Michala, Saülis filia, proſpexit per feneſtram, viditque Regem Davidem ſaltantem ac ludentem; quamobrem eum in animo ſuo deſpexit.

XVI. David, intromiſsâ Arcâ, convivium populo præbet, conſtituitque cantores ad Arcam Levitas, quibus ipſe canticum à ſe factum ſuppeditat. Sacerdotes verò relinquit, cum aliis Levitis, in loco excelſo Gabahonis, ut illic quotidiana Sacra facerent, laudéſve Dei coram Tabernaculo canerent.

1. ALLATAM Arcam Dei collocarunt in medio tentorio, quod ei tetenderat David, obtuleruntque holocauſta & ſalutaria Sacra, coram Deo. 2. Cùm verò holocauſta & ſalutaria Sacra perfeciſſet David, populo, nomine Jehovæ, bene precatus eſt. 3. Tum diviſit omnibus Iſraëlitis, à viris ad mulieres, ſingulis placentam unam panis, fruſtum carnis & lagenam *vini*. CAPUT XVI.

4. Deinde ex Levitis, coram Arca Jehovæ, conſtituit miniſtros, ad commemotanda, agnoſcendáque *Dei beneficia*, & Jehovam Deum Iſtaëlis laudandum. 5. Aſaphus primus *fuit*, alter ab illo Zecharja, tum Jehiel, Semiramothus, Jechiel, Matthithja, Eliabus, Benaja, Hobed-Edomus & Jehiel, *qui* inſtrumentis *muſicis* nabliorum & citharatum *canebant*, dum Aſaphus cymbalis ſonum ederet. 6. Benaja verò & Jachaziel Sacerdotes cum tubis perpetuò *aderant*, ad Arcam fœdetis Dei.

7. Eo die mox dedit David *hunc Pſalmum*; quo initio *beneficia* Dei, pet Aſaphum & ſta-

23. *Janitores Arcæ*] Hoc eſt, loci in quo Arca, tamquam in Sanctuario, adſervabatur. Alii etiam vſ. ſequente memorantur, & omnes à Davide, antequàm in eum locum intromitteretur Arca, janitores conſtituti eſſe videntur.

26. *Cùm adjuviſſet Deus*] Cùm vidiſſent à Levitis ſine noxa Arcam eſſe in humeros ſublatam & per aliquot paſſus bajulatam; tunc intellexerunt rem, non nolente Deo, fieri. Alioqui plaga quæpiam iis impoſita fuiſſet, non aliter ac Huzzæ. Vide 2. Sam. C. VI, 13.

Mactabant ſeptem juvencos] Vide ad eumdem locum.

27. *Amictus erat pallio byſſino*] מכרבל במעיל בוץ. LXX. Intt. ἐνδεδυμένος στολῇ βυσσίνῃ, & Vulgatus, *indutus ſtolâ byſſinâ*. Sed cùm apud Samuelem, in hac hiſtoria, habeatur אפוד *ephod*, ut & in ſequentibus verbis, & conſtet voce מעיל ſæpe *pallium*, quod tunicis, vel ſtolis ſuperinjiciebatur, ſignificari, *pallium* vertimus.

Cantorum præcentor] השר המשא המשררים *princeps prolationis cantorum*, quaſi eſſet למשררים. Alioquin hæc vox hîc abundaret. LXX. Intt. ἄρχων τῶν ᾠδῶν τῶν ᾀδόντων. Hieronymus: *princeps prophetiæ inter cantores.*

Ephodum lineum gerebat] *Et ſupra Davidem Ephod lineum*. Repetitur, more Hebraïco, quod initio verſûs dictum erat. Vide not. ad 1. Sam. II, 18. *Procopius* ad hunc locum teſtatur *Aquilam* vertiſſe אפוד ἐπένδυμα & *Symmachum* ἐπωμίδα.

28. *Cymbalis ſonoris*] מצלתים משמיעים *metſilthajim maſmihim*. Vide ad vſ. 16. Malè ſeparant hæc verba LXX. Intt. & Vulgatus, qui habent ἀναφωνοῦντες & *concrepantes*, ut referatur ad cantores, non ad inſtrumentum. Vide Cap. XVI, 5.

In CAPUT XVI.

1. A*Llatam Arcam* &c.] *Et adtulerunt Arcam Dei & poſuerunt eam.*

4. *Ad commemoranda, agnoſcendáque*] להזכיר ולהודות *ad commemorandum & ad confitendum.* LXX. Intt. ἀναφωνοῦντας καὶ ἐξομολογεῖσθαι. Vulgatus: *& recordarentur operum ejus & glorificarent*. Eſt imperfecta loquutio, neque enim ſequens nomen ליהוה ab his verbis regitur, quæ ſunt activæ conjugationis. Itaque ſubaudiendum cenſuimus accuſativum חסדים *hhaſadim*, aut ſimile quidpiam.

Et Jehovam Deum Iſraëlis laudandum] להלל ליהוה *ad laudandum Jehovæ*, nempe, גבורתיו *potentia ejus facta*, aut גדלו *magnitudinem ejus*, aut ſimile quidpiam. Nec tamen ſupplevimus quidquam, quia hoc ipſum complectitur loquutio, *laudare Deum*, aut *Jehovam*.

5. *Cymbalis ſonum ederet*] במצלתים משמיע *Cymbalis audire faceret*. Vide ad Cap. XV, 16, 28. LXX. Intt. κυμβάλοις ἀναφωνῶν. Vulgatus, *ut Cymbalis perſonaret*. Et ipſum inſtrumentum, & qui eo utitur poteſt dici משמיע *faciens audire*, hoc eſt, ſonitum acutum emittens, aut excitans.

7. *Eo die*] ביום ההוא אז *illo die tunc*. LXX. Intt. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τότε. At *Hieronymus* omiſit אז *az*, tum, quod abundat; niſi vertas *mox*, quæ eſt interdum ſignificatio ejus particula, ut oſtendit *Chr. Noldius*. Hoc, nempe, vult Sacer Hiſtoricus, Davidem, eo die, quo conſtituerat Levitas qui Deum laudarent ad Arcam, mox dediſſe iis canticum quod ſequitur.

Initio] בראש baroſch, *in capite*, ראש hîc idem eſt ac ראשית *reſchith*, ut Eſai. XLI, 4. LXX. ἐν ἀρχῇ. Vulgatus, *fecit David principem*, quæ non eſt ſignificatio eorum נתן בראש *nathan baroſch*, ſed נתן לראש *nathan leroſch*. Habet autem hic *initio* Scriptor Sacer, quia poſtea & alia cantica acceſſerunt, quæ ad Arcam cani voluit David.

8. *Con-*

fratres ejus, fateretur. 8. Fatemini *beneficia* Jehovæ, invocate nomen ejus, &
facta inter populos patefacite. 9. Ei canite, ei pſallite, mirabiléſque omnes ejus res
geſtas meditamini. 10. Nomen ejus ſanctum laudate, exhilaretur animus eorum qui
Jehovam quærunt. 11. Quærite Jehovam & potentiam ejus, quærite ſemper ejus faciem.
12. Recordamini rerum mirabilium, quas fecit, portentorúmque & judiciorum oris
ejus, 13. ô poſteritas Iſraëlis ejus ſervi, ô poſteri Jacobi electi ab illo. 14. Ille eſt Je-
hova Deus noſter, & per omnes terras ſunt judicia ejus *celebria*. 15. Recordamini in
perpetuum fœderis ejus, & rerum quas præcepit, in mille ætates; 16. *fœderis, inquam,
ejus* quod pepigit cum Abrahamo, & jurisjurandi *quod dedit* Iſaaco. 17. Conſtituit hoc
Jacobo, ut eſſet præceptum, & Iſraëli fœdus perpetuum, 18. his verbis: vobis dabo
terram Chananæam, ut ſit prædium poſſeſſionis veſtræ, 19. *quod dixit*, cùm eſſetis exi-
guo numero, atque in ea peregrinaremini. 20. Iverunt enim *Majores noſtri* à gente ad
gentem, & à regno ad alium populum; 21. nec tamen cuiquam permiſit eos opprime-
re, & Reges propter eos caſtigavit. 22. Ne attingatis, *inquiebat*, unctos meos, neque
prophetis meis malum inferatis. 23. Canite Jehovæ, *ô incolæ* totius terræ, nunciate
quotidie ejus liberationem. 24 Narrate, apud gentes, gloriam ejus, & mirabilia ejus
facta, apud omnes populos. 25. Magnus eſt enim Jehova & ſummopere laudabilis,
ac pluſquàm omnes *alii* Dii terribilis; 16. nam omnes Dii populorum res ſunt nihili,
at

8. *Confitemini beneficia Jehovæ*] הודו ליהוה *hodou liavoh*, hoc eſt, הודו חסדים *confitemini beneficia Jehovæ*, ut diximus ad vſ. 4. Eſt autem hic Pſalmus CV, uſque ad vſ. 22. unde incipit alius.

9. *Meditamini*] שיחו *ſchibhou*. LXX. Intt. habent διηγήσασθε, & Vulgatus, *narrate*. *Meditandi* ſignificationem prætuli. Vide Pſ. LXXVII, 13.

11. *Quærite Jehovam*] Ad eum precibus confugite. Vide Eſaiæ LV, 6.

Quærite ejus faciem] Alludit ad Arcam, ad quam eſſe dicebatur *facies Jehovæ* פני יהוה, quòd illic præſentem ſe teſtificaretur. Vide ad Pſ. XXVII, 8. XCV, 2.

13. *O poſteritas Iſraëlis*] *Semen Iſraëlis*. Pſ. CV, 6. pro ישראל eſt אברהם *Abraham*, eodem ſenſu.

14. *Judicia ejus*] Addidimus *celebria*, perſpicuitatis causà, quaſi eſſet נודעים *nota*. *Judicia* autem ſunt, ubi jura à Deo conſtituta non ſignificant, tam præmia, quàm pœnæ, quæ ſunt judiciorum conſectaria.

15. *Rerum quas præcepit*] דבר צוה *verbi*, aut *rei præcepit*, pro הדבר אשר צוה *& rei quam præcepit*.

16. *Jurisjurandi quod dedit*] שבועתו ליצחק *ſchbouhatho lejitsbhak*. Supplendum אשר נשבע *quod juravit*. Sed Latinè *dare jusjurandum* dicimus.

17. *Præceptum*] Mox ſequitur *fœdus*, ſed fœdera divina aliud nihil ſunt, præter leges, promiſſis & minis ſancitas. Vide dicta hac de re *Artis Criticæ* P. 2. S. 2. C. V, 9.

18. *Vobis*] *Tibi*. Sed quia ſequebatur *veſtræ*, ponendum hîc fuit *vobis*.

Prædium] חבל *funis*. Cujus loquutionis originem oſtendimus ad Deut. III, 13.

19. *Cùm eſſetis*] *Quando eratis mortales numeri, quaſi tantillum, & peregrinantes in ea*. Temporibus Abrahami, Iſaaci & Jacobi, quibus, ſine divina revelatione, ſibi polliceri non poterant fore aliquando ut armis Chananæam invaderent.

20. *A gente ad gentem*] Ex Chaldæa in Chananæam, ex Chananæa in Ægyptum, ex Ægypto in Chananæam, & in ipſa Chananæa ex agro populi cujuſpiam in agrum alîus.

21. *Reges propter eos caſtigavit* &c.] Regem Ægypti Geneſ. XII, 17. & Gerarorum Ib. Cap. XX, 3.

22. *Ne attingatis*] Ut, nimirum, iis noceatis. Vide 2. Sam. XIV, 10. Alludit ad Gen. XX, 6. ubi vide not.

Unctos meos] Hoc loquendi genus intelligendum adhibitum, ad exprimendam Dei mentem, à Davide, ex more ætatis ſuæ, non temporis Patriarcharum; qui numquam, quod quidem ex hiſtoria intelligere liceat, uncti fuerant. Sed quoniam tempore Davidis ungebantur Sacerdotes, & fortè etiam Prophetæ (certè Eliæ ævo factum hoc fuiſſe conſtat) cùm vellet dicere Patriarchas Sacerdotes fuiſſe veri Dei, ac proinde ſacroſanctos fuiſſe habendos, vocavit eos *unctos*, & *prophetas* etiam, quòd Deus ſe ſe iis non ſemel revelaſſet. Deum induxit ita de iis loquentem, quòd hæc ſit ſententia verborum ejus ad Abimelechum Gen. XX, 7. quamvis non ſint eadem verba.

Prophetis meis] בנביאי *binbiai*. Legitur Pſ. CV, 16. eſt לנביאי *linbiai*.

23. *Canite Jehovæ*] Hîc abrumpitur Pſalm. CV. qui multò longior eſt, ut ſubjiciantur verba Pſ. XCVI, 1. & ſeqq. paucis mutatis.

Nunciate quotidie &c.] *Nunciate à die in diem*. Ante hæc verba legimus Pſ. XCVI, 2. שירו ליהוה ברכו שמו *canite Jehovæ, benedicite nomini ejus*.

26. *Res nihili*] אלילים *elilim*. Nomen eſt fictum, ut riderentur ii, qui eos vocabant אלהים *elohim*, cùm voce nonnihil mutatâ, אלילים potiùs eſſent dicendi. Vertunt LXX. Intt. & Vulgatus εἴδωλα, *idola*.

27. *Coram eo ſunt*] Hoc eſt, Jeroſolimæ apud ejus Arcam, ſacra fiunt purè & prout tantam majeſtatem decet. Loquitur pro captu illius ævi.

Potentia & lætitia ſunt in ejus ſede] עז וחדוה במקומו *hoz vebhedvah bimkomo*. LXX. Intt. vertunt: ἰσχὺς καὶ καύχημα ἐν τόπῳ αὐτοῦ. Vulgatus, *fortitudo & gaudium in loco ejus*. Sanè חדוה apud Chaldæos præſertim & Syros, imò aliquando etiam apud Hebræos, gaudere ſignificat, ut Exod. XVIII, 9. Sed pro verbis allatis, legimus Pſ. XCVI, 6. עז ותפארת במקדשו *potentia & decus in*

ejus

at Jehova fecit cœlum. 27. Decus & majeſtas coram eo ſunt, potentia & lætitia ſunt
in ejus ſede. 28. Tribuite Jehovæ, ô familiæ populorum, tribuite Jehovæ gloriam &
potentiam. 29. Tribuite Jehovæ gloriam nominis ejus. Sumite munera, venite in con-
ſpectum ejus & adorate Jehovam, in decoro Sanctuario. 30. Contremiſcite propter
eum, omnes terræ *populi; quia ab illo* etiam orbis firmatur, ne moveatur. 31. Læten-
tur cœli & exſultet terra, dicántque inter gentes: Jehova regnare cœpit. 32. Remu-
giat mare; omniáque quibus plenum eſt; exſultet ager & quidquid eſt in eo. 33. Tum
perſonent arbores ſilvarum, propter Jehovam; quia venit, ut terram judicet. 34. Con-
fitemini *beneficia* Jehovæ, nam bonus eſt, atque in perpetuum eſt ejus benignitas. 35. Di-
cite: ſerva nos, ô Deus ſalus noſtra, noſque recolligito. Libera nos à gentibus, ut
fateamur *beneficia* ſancti tui nominis, & in laude tua gloriemur. 36. Benedictus ſit Je-
hova Deus Iſraëlis, ab ævo *præterito* in ævum *futurum*. Dixit verò omnis populus
AMEN, & LAUDATE JEHOVAM.
37. Reliquit autem *David* ante Arcam fœderis Jehovæ Aſaphum & fratres ejus,
ut perpetuum miniſterium obirent, coram Arca, prout ſingulis diebus opus eſt;
38. deinde Hobed-Edomum, & fratres eorum ſexaginta octo, & Hobed-Edomum
quidem Jeduthunis filium & Choſam ut janitores eſſent. 39. At Tſadokum Sacerdotem,
& fratres ejus Sacerdotes *manere juſſit* coram tabernaculo Jehovæ, in excelſo loco qui
erat

ejus ſanctuario. Senſus fermè idem ac ſuperiorum verborum; ad Arcam, nempe, Dei Sacra fieri ſplendidè & hilariter, vel decorè.

29. *Sumite munera*] *Tollite munus*, שאו מנחה. Pſalmo XCVI, 8. proximè ſequitur ובואו לחצרותיו *& venite in atria ejus*, quæ verba aptiùs, poſt conditum Templum, potuere dici, ubi triplex fuit Atrium; qualia an fuerint, eo tempore, ad Arcam minimè conſtat.

In decoro ſanctuario] בהדרת קדש *behadrath kodeſch*, in decore ſanctitatis. LXX. Intt. vert···runt ἐν αὐλαῖς ἁγίαις αὐτοῦ, quaſi legiſſent בחצרות קדשו behhatſroth kodſcho, *in atriis ſanctitatis ejus.*

30. *Quia ab illo etiam orbis &c.*] אף תכון תבל *etiam firmabitur orbis*, hoc eſt, perpetuò orbem in eo ſtatu conſervat, in quo eſt, ne diſſolvatur. Sed ante hæc verba, in Pſ. XCVI, 10. legimus: אמרו בגוים יהוה מלך *dicite in gentibus, Jehova regnavit*, quod habetur ad calcem vſ. 31.

31. *Dicántque*] ויאמרו *& dicant*, quod in imperativo effertur Pſ. XCVI. ut vidimus.

Regnare cœpit] מלך *malach*, quod paſſim ita ſumitur, in hiſtoria Regum. Regnare autem ſingulari quadam ratione iterum incipiebat Deus, cùm cultus ejus publicus, ad Arcam à Moſe factam, antea neglectus inſtaurabatur. Loco horum verborum eſt Pſal. XCVI, 10. ידין עמים במישרים *judicabit populos in campis.*

32. *Remugiat mare*] ירעם הים *tonet mare.* Rectè LXX. Intt. βομβείτω. Sonitus maris non dicitur Latinis *tonitru*, aut βροντὴ Græcis, ſed potius *mugitus*, ideoque metaphoram mutavimus.

Omniáque quibus plenum eſt] Licet muti ſint piſces, attamen majores, aut motu corporis, aut marinæ aquæ vomitu, magnos in eo tumultus excitant; & præter piſces, poſſunt intelligi hîc Inſularum incolæ.

Ager] השדה *haſchadeh.* At Pſalmo XCVI, 12. eſt שדי *ſchadai*, quæ ſingularis eſt forma hujus vocis, qualis etiam אדני *adonai*, & alia.

33. *Ut terram judicet*] Hoc eſt, ut præmiis & pœnis homines, pro meritis afficiat.

34. *Confitemini &c.*] Hæc non ſequuntur in Pſ. XCVI.

35. *Recolligite*] Sub unum Regem; nam fortè his temporibus, erant etiamnum nonnulli, qui faverent familiæ Saülis.

Libera nos à gentibus] Si quid contra nos moliantur, aut bellum nobis inferant.

Beneficia ſancti tui nominis] Quæ ſenſimus, eò quòd nomen tuum invocemus, dicamúrque *populus Jehovæ:*

Et in laude tua gloriemur] Ut gloriemur Deum à nobis coli, cui omnis generis laudes debemus; cùm ceteris gentibus nulla cauſa eſſet cur gloriarentur, quòd commentitios Deos colerent.

36. *Ab ævo præterito &c.*] מן העולם ועד העולם *min haholam vehad haholam.* Cùm עולם ſignificet longum quodvis tempus, ſive præteritum illud ſit, ſive futurum, maluimus vertere *ævum*, quàm *ſæculum.* Hæc quoque eſt ſignificatio Græcæ vocis αἰὼν, quamvis ortum ducere videatur ἀπὸ τοῦ ἀεὶ, *ſemper.*

Dixit omnis populus Amen] Ut confirmaret carmen à Levitis decantatum, probarétque ſe ab iis dicta oſtenderet. Vide Deut. XXVII, 15. & ſeqq.

37. *Prout ſingulis diebus opus eſt*] *In rem diei, die ſuo.* Ad canendas, nempe, Dei laudes, opémque ejus implorandam; nam ſacra faciebant Sacerdotes.

39. *Manere juſſit*] Hæc ſupplevimus, perſpicuitatis causâ; nam alioquin hæc reguntur à verbo vſ. 37. ויעזב *& reliquit.*

In excelſo loco &c.] Sæpe obſervavimus, etiam ſub religioſis Regibus, excelſa loca, in quibus Sacra fierent, in Iſraëlitarum agris fuiſſe, ante & poſt conditum Templum; nec proinde omnia Sacra ad Dei Tentorium facta fuiſſe. Sed mirum eſt à Davide religioſiſſimo cultûs divini inſtauratore & Legis obſervantiſſimo, non fuiſſe Tentorium & Altare cum Arca iterum conjuncta; nam Tentorium factum erat Arcæ causâ, non ut ſeorſim ſtaret, & Altare etiam ideò ante Tentorium collocabatur, quòd Deus Arcæ in eo latenti ſingulari ratione adeſſe intelligeretur. Fortè cùm hæc ſat diu à Tentorio ſeparata fuiſſet, nec Prophetarum aut Sacerdotum querelæ ullæ propterea audirentur; David non invitus ſeparata ea reliquit, ut Ebiathar quidem I-

erat Gabahone, 40. ut perpetua holocautomata adolerent Jehovæ in altari holocauſtorum, mane & veſperi, & prorſus quemadmodum ſcriptum eſt in lege Jehovæ, quam impoſuit Iſraëli. 41. Cùm illis erant Heman & Jeduthun, & ceteri delecti qui nominibus appellati fuerant, ut faterentur coram Jehova perpetuam eſſe ejus benignitatem. 42. Aderant eis Heman & Jeduthun, *cum* tubis & cymbalis, iis qui *illis* canerent, & inſtrumentis muſicis Dei; ac filii quidem Jeduthunis ad januam erant. 43. Abiit verò univerſus populus, quiſque domum ſuam, ac reverſus eſt David, ut familiæ ſuæ bene precaretur.

XVII. David de condendo Templo cogitans prohibetur à Nathane Propheta, qui ei tamen prædicit fore ut ejus filius id ædificaret. Quare gratias Deo multis agit, implementúmque promiſſi à Deo petit.

CAPUT XVII. 1. CUM autem David habitaret domui ſuæ, dixit Nathani Prophetæ: en ego quidem habito in ædibus cedrinis, Arca verò fœderis Jehovæ ſub cortinis. 2. Nathan verò Davidi, quidquid eſt, inquit, in animo tuo facito, Deus enim tibi adeſt. 3. At illâ ipsâ nocte, Deus alloquutus eſt Nathanem, his verbis: 4. ito & dicito Davidi ſervo meo: ſic dixit Jehova: tu quidem mihi Ædem, in qua habitem, non ædificabis; 5. neque enim in Æde habitavi à die, quo eduxi Iſraëlem, ad hunc uſque diem, ſed è tentorio in tentorium, è tabernaculo *in tabernaculum* ivi. 6. Toto *tempore*, quo vagatus ſum per totum Iſraëlem, verbúmne dixi cuiquam judici Iſraëlis, quem juſſi paſcere populum meum, in hanc ſententiam: cur non Ædem cedrinam mihi ædificatis? 7. Nunc verò ſic dices ſervo meo Davidi: ſic dixit Jehova *Deus* exercituum: ſumſi te è caula, cúmque oves ſequereris; ut eſſes dux populi mei Iſraëlis. 8. Tibi adfui, quocumque iviſti, omnes hoſtes tuos è conſpectu tuo ſuſtuli, noménque tibi paravi, inſtar nominis magnorum in terris *Regum*. 9. Conſtitui ſedes populo meo Iſraë-

thamarida Pontifex Maximus ad Arcam Sacra faceret, Tſadokus verò Elehazarida ad Tabernaculum; quâ ratione veluti diviſum erat inter Ebiatharem & Tſadokum Sacerdotium.

Certè poſterioris jure antiquo erat Pontificatus Maximus, ut pote à majore natu filiorum Aharonis oriundi; prioris verò reipsâ erat dignitas, propter neſcio quid quod olim contigerat, nec eſt memoriæ mandatum, aut ad nos non pervenit. Vide ad 1. Sam. II, 30. Rabbinus quiſquis ille ſit, qui Paraphraſin Chaldaïcam horum librorum confecit, quam edidit *Matth. Frid. Beckius*, hinc excelſum locum ſuſtulit, habet enim בְּבֵית כְּנִישְׁתָּא דִּי בְּגִבְעוֹן *in Synagoga Gabahonenſi*. Sed Synagogas eo tempore fuiſſe nondum quiſquam probavit; nec magis fas erat ad eas Sacra facere, quàm in editis locis.

40. *Et prorſus quemadmodum* &c.] Ad ritus & tempora Sacrorum quod adtinet, nam alioqui nuſquam Moſes ad Tabernaculum, ſeorſim ab Arca poſitum, Sacra fieri juſſerat.

41. *Ceteri delecti*] Ex iis, qui ex Tribu Levitica nominatim evocati à Davide fuerant, ad Dei laudes publicè canendas.

Ut faterentur coram Jehova perpetuam &c.] Hîc habemus plenam loquutionem, ex qua intelligere licet, quando הודות hodoth, *confiteri* ſolum ponitur, ellipticum eſſe loquendi genus; conjungitur enim hoc verbum cum ultimis commatis verbis: כי לעולם חסדו *chi lebolam hhaſdo*, perpetuam ejus eſſe beneficentiam.

42. *Cum tubis* &c.] Tubis & Cymbalis, ut paſſim liquet, utebantur in illa Muſica Sacra; quæ inſtrumenta omnium maximè erant ſonora, unde qui iis canebant dicebantur, non minùs ac inſtrumenta ipſa, משמיעים *audire facientes*, ut in hoc loco. LXX. Intt. vertunt למשמיעים *facientibus audire*, vel canentibus, τοῦ ἀναφωνεῖν, quaſi legiſſent להשמיע *lehaſchmiah*. *Hieronymus* verò habet, *canentes tubâ & quatientes cymbala*, quæ eſt paraphraſis.

Inſtrumentis muſicis Dei] *Inſtrumentis cantici Dei* שיר אלהים ſchir elohim. LXX. Intt. τῶν ᾠδῶν τοῦ Θεοῦ. Vulgatus: *ad canendum Deo*.

Ad januam] Septi, nimirum, quo Tentorium claudebatur, ut poſtea Levitæ fuere janitores Templi.

In CAPUT XVII.

1. *CUm autem David* &c.] Narrata hæc ſunt 2. Sam. VII.

4. *Tu quidem* &c.] Hæc negatio exprimitur interrogatione 2. Sam. VII, 5. Interrogationis & negationis idem eſt ſenſus. Vide Intt. ad Matth. II, 6.

5. *Eduxi Iſraëlem*] העליתי *feci adſcendere*. Subaudi, ex Ægypto, quod exprimitur apud 2. Sam. VII, 6.

In tabernaculum] Ex antecedentibus verbis liquet hîc ſubaudiendum אל משכן *in tabernaculum*. Alibi diximus אהל *hoël* eſſe propriè tentorium pellibus, aut velis tentis conſtans; משכן *miſchchan* verò, quod conſtabat tabulis. LXX. Intt. ἤμην ἐν σκηνῇ καὶ ἐν καταλύματι, incommodè. Vulgatus: *fui ſemper mutans loca Tabernaculi & in tentorio*. Quaſi legiſſent, aut legendum cenſuiſſent במשכן *bemiſchſchan* pro ממשכן *mimmiſchchan*, quæ melior eſt lectio, ſi modò ſuppleatur quod orationi deeſt.

7. *Cùm*

Iſraëli, eum plantavi, locóque ſuo habitabit, nec commovebitur ampliùs, nec homines iniqui eum adterere pergent, quemadmodum initio, 10. & quidem à temporibus, quibus mandata dedi judicibus, de populo meo Iſraële. Omnes hoſtes tuos humiles reddidi. Præterea tibi nuncio Jehovam tibi domum ædificaturum, 11. cúmque exacti fuerint dies tui, ut ad Majores tuos eas, excitabo poſt te prolem tuam, quæ erit è filiis tuis, regnúmque ejus confirmabo. 12. *Filius* ille *tuus* exſtruet mihi Ædem, firmabóque ſolium ejus in perpetuum. 13. Ego quidem illi ero patris loco, ille verò erit mihi loco filii. Benignitatem meam ab eo non amovebo, ſicut amovi ab eo, qui ante te fuit. 14. Stabiliam eum domi meæ, inque regno meo, in perpetuum, thronúſque ejus in perpetuum firmus erit. 15. Secundùm hæc omnia verba & ſecundùm totam hanc viſionem, Nathan Davidem eſt alloquutus.

16. Tum ivit Rex David *in Sanctuarium*, conſtititque coram Jehova, & dixit: quiſnam verò ego ſum, ô Jehova Deus, & quænam eſt familia mea, ut me huc uſque promoveris? 17. Quin & parum tibi viſum hoc eſt, ô Deus, ſed etiam loquutus es de familia ſervi tui, in remotum *tempus*, & mihi de ſublimi gradu more humano proſpexiſti. 18. Quid tibi præterea dicet David, de gloria quam in ſervum tuum contuliſti? Servum tuum noſti. 19. O Jehova, in gratiam ſervi tui, & ſponte tuâ, omnem hanc magnam rem perfeciſti, ut omnes illas magnas res patefaceres. 20. O Jehova, nullus eſt inſtar tui, nullus eſt Deus præter te; pro omnibus, quæ auribus noſtris audivimus. 21. Quænam eſt, inſtar tui populi Iſraëlis *vel* gens una in terris; quam liberatum iverit Deus, ut ſibi populus eſſet, ad parandum tibi nomen, *ô Iſraël*, rebus magnis & terribilibus, ut gentes expelleres è conſpectu populi tui, *ô Deus*, quem ex Ægypto liberaveras? 22. Conſtituiſti populum Iſraëlem, ut ſit tibi populus in perpetuum; tu verò, ô Jehova, factus es eorum Deus. 23. Nunc verò, ô Jehova, quod dixiſti de ſervo tuo déque ejus familia, in perpetuum confirmetur, & facito quemadmodum dixiſti. 24. Permaneat & magnum habeatur nomen tuum in æternum, dicántque vulgò: ô Jehova *Deus* exercituum, Deus Iſraëlis, *ſis* Deus Iſraëlis, familiáque Da-

7. *Cùm oves ſequereris*] *A poſt oves*, מאחרי הצאן. Commodè Græcè ἐξόπισθεν τῶν ποιμνίων.

10. *Tibi nuncio Jehovam*] 2. Sam. VII, 11. *nunciat tibi Jehova.*

11. *Ut ad Majores tuos eas*] *Ut eas*, vel *abeas cum patribus tuis.*

Quæ erit è filiis tuis] 2. Sam. VII, 12. *quæ egredietur è viſceribus tuis.*

15. *Secundùm hæc* &c.] Prolixior paullò eſt oratio Nathanis 2. Samuelis: unde, ut ex multis aliis locis, manifeſtò liquet orationes, quamvis directas, verbo tenus minimè referri.

17. *Mihi de ſublimi* &c.] וראיתני כתור האדם המעלה *& vidiſti me ſecundùm ordinem hominis ſublimitatis*; vel, *vidiſti mihi ſecundùm ordinem hominum ſublimitatem.* Alia eſt lectio 2. Sam. VII, 19. ubi vide notata. Hujus verò ſenſus nullus commodior occurrebat eo, quem expreſſimus; quo ſignificat David ſe Regem à Deo conſtitutum eſſe. LXX. Intt. καὶ ἐπεῖδές με ὡς ὅρασις ἀνθρώπου, καὶ ὕψωσάς με. Vulgatus, *feciſti me ſpectabilem ſuper omnes homines*, quæ paraphraſis eſt, à verbis nimis remota. Paraphraſtes Chaldæus habet hîc: ואחזיתני למיקם כסדר גבריא *oſtendiſti mihi fore ut ſtem ſecundùm ordinem hominum*, hoc eſt, ut familia mea, labentibus ſæculis, conſervetur. Sed verbis hæc non conveniunt.

18. *De gloria quam in ſervum tuum contuliſti*] לכבוד את עבדך *de gloria cum ſervo tuo.* LXX. Intt. πρὸς σε τοῦ δοξάσαι. Vulgatus, *cùm glorificaveris ſervum tuum*; quaſi legendum eſſet לכבדך *lecabbedcha*; quæ profectò lectio minimè ſpernenda eſt, cùm meliùs cum Grammatica conſentiat, nec ſenſum mutet. Sic interpretatur & Chaldæus, qui habet: ועבדת ליקרא יתי *dum me glorioſum feciſti.* Hæc verba omittuntur 2. Sam. VII, 20.

19. *In gratiam ſervi tui*] בעבור עבדך *bababour habdecha.* Alia eſt lectio eáque melior 2. Sam. VII, 21. ubi vide notata.

Sponte tuâ] *Secundùm cor tuum*; hoc eſt, nullis à me meritis provocatus.

Ut omnes illas magnas res patefaceres] להודיע את כל הגדלות *lehodiah eth chol haggedouloth.* Pro duobus poſtremis verbis eſt apud Samuelem עבדך *habdecha, ſervo tuo.* Sed idem eſt totius orationis ſenſus.

21. *Ad parandum tibi nomen*] Hoc eſt, ad pariendam ei famam, quam tibi peperit, ô Iſraël. Eſt apoſtrophe ad Iſraëlitas eáque durior, ut ſequentia continent apoſtrophen ad Deum. Miſcentur quæ ad plures pertinent, ſed quæ ab attento lectore non ægrè diſtinguuntur.

Rebus magnis & terribilibus] Si nihil hîc deſit, ſubaudienda tantùm præpoſitio ב ante גדלות *rebus magnis.* Sed 2. Sam. VII, 23. antecedit verbum לעשות *labaſchoth*, ut faceret.

23. *Confirmetur*] יאמן *jeamen.* 2. Sam. VII, 25. eſt הקם *hakem*, confirma.

24. *Permaneat*] ויאמן *vajjeamen*, quod loco Samuelis laudato deeſt. LXX. Intt. habent πιστωθήτω & Vulgatus, *permaneat*; hoc eſt, homines ſemper tui meminerint, & cognitio tui latiùs in dies ſpargatur, ut ab omnibus colaris.

Sis Deus Iſraëlis] Hoc eſt, pergito eſſe quod es, erga Hebræos, eóſque divinis beneficiis conſtanter afficito, ut adhuc feciſti. Notum eſt enim hanc eſſe vim hujus loquendi generis, *Deum eſſe alicujus.* Vide ad Gen. XVII, 8.

25. *Pa-*

Digitized by Google

Davidis ſervi tui in conſpectu tuo firma ſit. 25. Tu enim, Deus meus, patefeciſti ſervo tuo, te ædificaturum ei domum: ideóque ſervus tuus *animum ſuum* comparavit ad orandum coram te. 26. Nunc autem, ô Jehova, Deus es ille *unicus* & bonam hancce rem promiſiſti ſervo tuo. 27. Nunc voluiſti benefacere familiæ ſervi tui, ut in perpetuum ſit in conſpectu tuo; quia tu, ô Jehova, *ei* benefeciſti, bene ei erit in perpetuum.

XVIII. David plura bella feliciter conficit, donariáque in uſum Templi ædificandi conſecrat. Potiſſimi ejus miniſtri.

CAPUT XVIII. 1. POSTEA David concîdit Philiſthæos, humiléſque reddidit, & Gathum vicoſque ad id pertinentes manui Philiſthæorum eripuit. 2. Concîdit & Moabitas, ac fuerunt quidem Moabitæ ſervi Davidis, qui adferebant *ad eum* munus. 3 Concîdit quoque Hadarhezerum, Tſobæ Regem, Chamathæ, cùm iviſſet ad ſiſtendam ejus manum ad fluvium Euphratem. 4. Ei cepit David mille currus, ſeptem millia equitum, & viginti millia peditum. Subnervavit autem David omnes curruum *equos*, ſervavitque dumtaxat centum currus. 5. Venerunt autem Aramæi Damaſceni ad ſuppetias ferendas Hadarhezero, Tſobæ Regi, concîditque David Aramæis viginti duo millia virorum. 6. Impoſuit deinde David *præſides* Aramæis Damaſcenis, fuerúntque Aramæi ſervi Davidis, qui *ad eum* munus adferebant. Servavit autem Jehova Davidem, quocumque iverat. 7. Abſtulit & David clypeos aureos, quos geſtaverant ſervi Hadarhezeri, eóſque Jeroſolimam adtulit. 8. Tibchathi & Chune, urbibus Hadarhezeri, cepit David ingentem copiam æris, eóque fecit Salomo labrum æneum, calumnas, & vaſa ænea.

9. Audivit autem Tſohuus, Rex Chamathæ, à Davide univerſas copias Hazarhezeri Regis cæſas, 10. miſitque Hadoramum filium ſuum ad Regem Davidem, ut eum rogaret, ſatiſne rectè haberet, & bene precaretur ei, quòd, pugna cum Hadarhezero commiſſâ, eum concîdiſſet; nam Tſohuus bellum cum Haderhezero gerebat, *miſitque unà* omnia vaſa *ſua* aurea, argentea & ænea. 11. Hæc quoque conſecravit David Jehovæ, cum argento & auro, quæ ex omnibus gentibus *finitimis* abſtulit, ex Idumæis, ex Moabitis, ex Hammonitis, ex Philiſthæis & Hamalekitis.

12. Abi-

25. *Patefeciſti ſervo tuo*] *Retexiſti aurem ſervi tui.* Vide not. ad Ruth. IV, 4.

Te ædificaturum &c.] Vide ad 1. Sam. XXV, 28.

Comparavit animum ſuum &c.] מצא לתחפלל לפניך *invenit ad orandum coram te.* Plenior eſt loquutio 2. Sam. VII, 27. ubi legimus: מצא את לבו *invenit cor ſuum ad orandum apud te.* Chaldæus hîc habet: אַשְׁכַּח עַבְדָּךְ רְפוּמָה לְצַלָּאָה קֳדָמָךְ *invenit ſervus tuus oſtium oris ad orandum coram te*; hoc eſt, ad gratias agendas. Vulgatus: *invenit ſervus tuus fiduciam ad orandum.*

26. *Bonam hancce rem promiſiſti*] *Dixiſti.* Præmittuntur apud Samuelem hæc: *verba tua ſunt veritas.*

27. *Voluiſti benefacere*] הואלת לברך *hoaltha lbarech.* Eſt, apud Samuelem, in imperativo הואל וברך, *velis & benedicito.*

Benefeciſti] Apud Samuelem: *Loquutus es & benedictione tuâ benedicetur domus* &c. Idem ſenſus. Sed varietas verborum, quam in hac oratione obſervavimus, rei majorem rationem haberi oſtendit, quàm ſingularum vocum.

In CAPUT XVIII.

1. G*Athum, vicóſque ad id pertinentes*] *Et filias ejus.* Pro גת ובנותיה *Gath oubnothcha* eſt 2. Sam. VIII, 1. מתג האמה *metheg haammah*, de quibus vide quæ illic diximus.

3. *Hadarhezerum*] Pro הדרעזר *Hadarhezer*, legimus 2. Sam. VIII, 3. הדדעזר *Hadadhezer*, quod melius.

Ad ſiſtendam ejus manum] להציב ידו. Vide ad locum laudatum Samuelis. *Hieronymus* hîc habet: *ut dilataret imperium ſuum*, ut ידו *manum ſuam* referatur ad Davidem. Malim ad Tſobæ Regem referre, quem in ipſis Euphratis ripis concîderit David, ne latiùs Syrus fines ampliaret, graviſque deinde Iſraëlitis fieret.

4. *Mille currus* &c.] Vide ad 2. Sam. VIII, 4.

6. *Impoſuit deinde præſides*] Omiſſa hîc eſt vox נציבים *ntſibim*, præſides, quæ legitur apud Samuelem. Suppleverunt LXX. Intt. qui habent: ἔϑετο φρουράν, & *Hieronymus*, qui vertit: *poſuit milites*, ut Chaldæus, qui ex illo fortè habet: אִסְטְרַטְיוֹטִין στρατιώτας.

7. *Quos geſtaverant*] *Qui fuerant ſuper ſervis* &c. Pro על *hal*, eſt apud Samuelem אל *el* minùs bene. Vocem שלטים *ſchlatim* LXX. Intt. κλοιοὺς *torques*, & Vulgatus *pharetras* verterunt. Malui intelligi χρυσασπίδας, vel qui clypeos, non aureos, ſed auro ornatos gererent, quales poſtea fuerunt Perſis & Alexandri militibus.

8. *Tibchathi & Chune*] מטבחת ומכון *mittibhhath oumicchoun.* Vide ad 2. Sam. VIII, 8. LXX. hîc Ματεβὲθ καὶ ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν πόλεων, quaſi legiſſent ut apud Samuelem. Sed Vulgatus de *Tebath & Chun.* Nominum harum urbium nulla ſuperſunt in Veteribus Geographis, quæ quidem norim, veſtigia. Vicinas oportet fuiſſe metallis æris, quandoquidem in iis maxima fuit congeſta æris copia.

9. *Chamathæ*] Quæ poſtea Epiphania, ut ſæpe diximus, ad ſeptemtrionales fines Iſraëlitici ſoli, ad ortum Jordanis. Qui תעו *Thohou* hîc dicitur vocatur תעי *Thohi* 2. Sam. VIII, 11. facili mutatione litterarum, quæ non differunt, niſi ductûs longitudine.

10. *Ha-*

12 Abiſaïs etiam, filius Tſerujæ, cecîdit Idumæorum, in valle ſalis, octodecim millia,
13 impoſuitque Idumææ præſides, & fuerunt omnes Idumæi ſervi Davidis. Jehova au-
tem ſervavit Davidem, quocumque iviſſet.
14 Regnabat David in totum Iſraëlem, júſque toti populo juſtè dicebat. 15 Joa-
bus, Tſerujæ filius, præerat exercitui; Joſaphatus, Achiludi filius, erat à commenta-
riis; 16 Tſadokus, Achitubi filius, & Achimelechus, Ebiatharis filius, Sacerdotes;
Sauſa ſcriba; 17 Benaja, Jehojadæ filius, præerat Cherethæis, & Phelethæis; filii ve-
rò Davidis principes erant, *poſt Regem.*

XIX. Chanun Hammonitarum Rex legatos Davidis peſſimè habet, belloque ab eo propterea impetitur & vincitur, unà cum Syris vicinis, qui à Davide ſubiguntur.

1 POSTEA mortuus eſt Nachaſus, Hammonitarum Rex, regnavitque ejus loco CAPUT XIX.
filius ejus. 2 Dixit verò David: benignum me præbebo Chanuni, Nachaſi fi-
lio, quemadmodum pater ejus benignum erga me ſe præbuit; miſitque David
legatos, qui eum ſolarentur, ſuper patre; & ingreſſi quidem ſunt ſervi Davidis terram
Hammonitidem ad Chanunem *euntes*, ut eum conſolarentur. 3 Tum verò Hammo-
nitarum principes Chanuni, an honore, inquiunt, David patrem tuum proſequi tibi
videtur, quia miſit ad te conſolatores? Annon *potiùs* ut perſcrutentur, evertántque &
explorent terram, venerunt ad te ſervi ejus? 4 Adprehendit ergo Chanun ſervos Da-
vidis, raſitque eos & veſtes eorum dimidias, ad podicem uſque, reſecari curavit, ho-
mineſque dimiſit. 5 Itaque abierunt, nunciatáque *res* eſt Davidi, qui obviam iis mi-
ſit, quia homines maximo pudore erant ſuffuſi, dixitque Rex: manete Jerichunte, do-
nec creverit barba veſtra, tam redibitis. 6 Intellexerunt Hammonitæ inviſos ſe factos
eſſe Davidi, miſerúntque Chanun & Hammonitæ mille talenta argenti, ut ſibi condu-
cerent ex Meſopotamia, Aram-mahacha & Tſoba currus & equites. 7 Sibi conduxe-
runt triginta duo millia curruum, Regemque Mahachæ & populum ejus, qui venerunt
&

10 *Hadoramum*] הדורם. Vocatur, deletâ litterâ ה & decurtatis litteræ ר ductibus, יורם *Joram*, 2. Sam. VIII, 10.

Satiſne rectè haberet] לשלום *de pace*. Perinde eſt ac ſi miſiſſe filium ſalutandi Davidis, eique gratulandi causâ, diceretur.

Miſitque unà] Aut repetendum hîc καὶ ἀπέστειλε & *miſit* ex vſ. antecedente, aut ſupplendum quod eſt 2. Sam. VIII, 10. & *in manu ejus erant.*

12 *Idumæorum* &c.] את אדום *eth Edom*. Melior lectio, quàm את ארם *eth Aram*, ut diximus ad 2. Sam. VIII, 13.

14 *Júſque juſtè dicebat*] *Et erat faciens judicium & juſtitiam.*

16 *Sauſa*] שושא. Eſt 2. Sam. VIII, 17. שריה *Seraja.*

In Caput XIX.

1 *POſtea mortuus* &c.] Vide 2. Sam. X. ubi hanc hiſtoriam explicuimus.

2 *Benignum me præbebo*] *Faciam benignitatem.*

Miſitque David &c.] Miſit legatos, *condolentiæ*, ut nunc loquimur, causâ; quò amicitiam ſuam teſtatam filio Regis amici faceret, ſéque velle fœdus cum eo ſervare, qualecumque eſſet, quod cum patre ejus contraxerat.

3 *Honore proſequi tibi videtur*] *An honorat in oculis tuis?*

Evertant] Hoc verbum rectiùs ſequeretur id quod ſequitur, nam poſt explorationem ſequitur everſio regni. Vide 1. Sam. X, 3. Sed non ita ordinis obſervantes ſunt Hebræi. LXX. tamen Intt. pro ולהפך לחקר habent ὅπως ἐξερευνήσωσι τὴν πόλιν, quaſi loco ſecundæ vocis legiſſent, aut legendum cenſuiſſent העיר *hahir*. Vulgatus vertit: & *inveſtigent*. Sed הפך *inveſtigare* nuſquam ſignificat. Aurium Latinarum rationem majorem habuit, quam Hebraici textûs.

4 *Ad podicem*] עד המפשעה *had hammiphſchahah*. LXX. Intt. ἕως τῆς ἀναβολῆς. Ἀναβολὴ eſt amictus ſuperior, qui ad nates tantùm pertinebat. Vide LXX. Intt. Nehem. V, 13. Ezech. V, 3. Vulgatus: *à natibus uſque ad pedes*, ſenſum ſecutus, potiùs quàm verba. Chaldæus: עד בהתתהון *ad pudenda eorum*. Voce hac videtur ſignificari is locus ubi femora divaricari incipiunt, à radice פשע phaſchah, *gradi*, quòd divaricatio illa ſit greſſui animalium aptata.

5 *Nunciataque res eſt*] *Et nunciarunt*; nonnulli, nempe, qui rem reſciverant.

6 *Mille talenta*] Talentum conſtabat tribus millibus ſiclorum, ſeu mille quingentis unciis Romanis. Itaque erant unciæ Romanæ 1500000, quarum ſingulæ quinquaginta ſtuveris Hollandicis, aut circiter æſtimantur.

Meſopotamia] ארם נהרים *Aram duorum fluviorum*. Pro hoc nomine, legimus ארם בית־רחוב *Aram-beth-rehhob*, 2. Sam. X, 6. nec tamen crediderim idem fuiſſe, nam videtur בית־רחוב fuiſſe ad occaſum Euphratis, cùm Meſopotamia ſit ad ortum ejus fluvii.

7 *Triginta duo millia curruum*] Apud Samuëlem nulla curruum mentio, ſed tantùm triginta duorum millium virorum, præter eos quos Rex Mahachæ adduxit, qui mille viri erant. Cùm is Rex hîc quoque ſeorſim nominetur, cúmque nulla ſit proportio inter exercitum pedeſtrem

& caſtra poſuerunt ante Medebam. Hammonitæ quoque convenerunt, ex urbibus ſuis, & venerunt ad bellum *gerendum.* [8] His auditis, David Joabum, cum toto fortiſſimorum virorum exercitu, miſit.

[9] Egreſſi *urbe* Hammonitæ inſtruxerunt aciem, ad urbis portam; Reges verò ſeorſum iverunt in agrum. [10] Animadvertit Joabus *duplicem* eſſe aciei frontem contra ſe, à fronte, nimirum, & à tergo. Itaque elegit ex electiſſimis quibuſque Iſraëlis, quos inſtrueret contra Aramæos; [11] reliquas verò copias tradidit in manum Abiſaïs, fratris ſui, qui aciem inſtruxit contra Hammonitas. [12] Tum *fratri*, ſi me, inquit, ſuperiores fuerint Aramæi, me liberabis; ſin verò Hammonitæ ſuperiores fuerint te, te liberabo. [13] Forti animo eſto & *ſat* validi erimus *pugnaturi* pro populo noſtro, & pro urbibus Dei noſtri. Jehova verò faciat quod ei bonum videbitur. [14] Adpropinquavit deinde Joabus & copiæ, quæ cum eo erant, è regione Aramæorum, ad prælium *committendum.* Illi verò è conſpectu ejus aufugerunt, ; [15] & videntes Hammonitæ fugiſſe Aramæos, ipſi quoque fugam capeſſiverunt, è conſpectu Abiſaïs fratris ejus, ingreſſique ſunt urbem. At Joabus, *his rebus geſtis*, Jeroſolimam venit.

[16] Cùm autem vidiſſent Aramæi, ſe cæſos fuiſſe, in conſpectu Iſraëlis, miſerunt legatos, qui exciverunt Aramæos qui trans fluvium *Euphratem habitabant*; Sophachúſque, dux exercitûs Hadarhezeri, iis præibat. [17] Nunciatum hoc Davidi, qui coëgit univerſum Iſraëlem, trajectóque Jordane, ad eos ivit, & aciem contra eos inſtruxit. Inſtructâ acie obviam ivit Aramæis, prælii *committendi* causâ, & cum eo pugnarunt. [18] Sed fugerunt Aramæi, à conſpectu Iſraëlis, occiditque David ex Aramæis ſeptem millia curruum, & quadraginta millia peditum. Sophachum etiam ducem exercitûs interemit. [19] Cùm verò vidiſſent ſervi Hadarhezeri ſe cæſos fuiſſe in conſpectu Iſraëlis,

deſtrem & currus (nam in ſingulis curribus duo erant viri & minimùm duo equi, quo fiebat ut ſemper multò pauciores eſſent currus quàm pedites) non incredibile mihi videtur pro voce רכב *rechèb* eſſe reponendam vocem איש *viri.* Fateor eo modo nullam diſertam mentionem hîc futuram curruum conductorum, ab Hammonitis, qui currus antea memorantur. Sed nec poſitâ receptâ lectione, mentio ulla fit equitum, qui antea conducti dicuntur; quamobrem poſſet æquè omiſſus fuiſſe numerus curruum, ac numerus equitum. Huc accedit quòd reguli aliquot Syriæ ac Meſopotamiæ vix videantur, præter pedites & equites, potuiſſe conſcribere triginta duo millia curruum, hoc eſt, virorum ſexaginta quatuor millia, & totidem minimùm equos. Infra eorumdem, aut vicinorum populorum memorantur tantùm ſeptem millia curruum. Poſſem hîc advocare verſionem Syriacam, quæ habet *equitum* non curruum & Arabicam quæ habet *curruum & equitum*; verùm cùm ſint tranſlationes non vitioſæ tantùm, ſed nimiùm audaces, auctoritatem earum magni fieri nolim, nec profectò illis uti ſoleo. Græci verò & Latinus, ne Chaldæum memorem, quos multò pluris facio, non aliter hîc legerunt ac nos.

Ante Medebam] מידבא. Urbs Rubenitarum fuit. Vide Joſ. XIII, 16.

[8] *His auditis David* &c.] *Et audivit David & miſit.*

[9] *In agrum*] Locum remotiorem ab urbe Rabba.

[10] *Ex electiſſimis quibuſque*] מכל בחור *ex omni electo.* LXX. Intt. ἐκ παντὸς νεανίου. Vulgatus: *ex fortiſſimis totius Iſraël.* Quamvis בחור *babhour*, juvenem ſæpe ſignificet, malui propriam ſignificationem ſequi; quòd contra tantum exercitum delectis potiùs copiis, iiſque veteranis opus fuerit, quàm junioribus.

[11] *Reliquas copias*] *Reliquias populi.*

[13] *Quod ei bonum videbitur*] *Bonum in oculis ſuis.*

[16] *Qui trans fluvium Euphratem.*] Hoc eſt, plures ex illis, nam antea vidimus copias illinc quoque accitas.

[18] *Septem millia curruum*] Viros, nempe, & equos.

Quadraginta millia peditum] Hîc proportio aliqua obſervatur, inter currus & pedites, ſed antea nulla, ſi lectionem receptam ſequamur.

In Caput XX.

[1] V*Ertente verò anno*] Vide 2. Sam. C. XI, t. XII, 27. & ſeqq. hæc eadem hiſtoria narratur.

[3] *Securibus*] במגרות *bammegeroth.* Sed cùm antea legatur וישר במגרה *& ſecuit ſerra*, non poteſt eadem ſerie orationis dici: ובחריצי ברזל ובמגרות *tribulis ferreis & ſerris.* Itaque hic legendum ut 2. Sam. XII, 31. ובמגזרות oubammagzeroth, *& in ſecuribus*, ut plerique verterunt; niſi quis velit מגרה *megerah* in ſingulari *ſerram* ſignificare, in plurali verò מגרות megeroth, *ſecures*, quod abſurdum. Multò rectiùs dixeris hinc excidiſſe ז, quod in loco parallelo rectè legitur; nam à גזר gazar, *ſecuit*, deducitur מגזרה magzerah, *ſecuris.* LXX. Intt. ſic legiſſe videntur, cùm habeant καὶ διέπριϛε πρίοσι καὶ ἐν σκεπάρνοις σιδηροῖς καὶ ἐν διασχίζων. Vulgatus minùs accuratè: *& fecit ſuper eos tribulos & trahas, & ferrata carpenta tranſire*; nam מגזרות *magzeroth* non ſunt carpenta, ſi de derivati ſignificatu ex radicis ſignificatione judicare licet.

[4] *Poſtea exortum eſt bellum* &c.] De hoc bello 2. Sam. XXI, 18. De verbo תעמד quod vertimus *exortum eſt*, vide not. ad Cap. XXI, 1.

Ge-

lis, pacem fecerunt cum Davide, eique ſervierunt; nec *amplius* Aramæi Hammonitas liberare voluerunt.

XX. Bellum à Davide cum Hammonitis confectum. Quatuor contra Philiſthæos expeditiones.

1. Vertente verò anno, quo tempore expeditionem ſuſcipiunt Reges, eduxit Joabus robur exercitûs, terrámque Hammonitarum devaſtavit. Tum ivit obſeſſum Rabbam, & dum David maneret Jeroſolimæ, Joabus Rabbam expugnavit & delevit. 2. David verò detraxit coronam a capite eorum regis, eámque invenit pondere talenti aurei, & in ea gemmas. Fuit ſupra caput Davidis, qui ingentem ex urbe prædam eduxit, 3. populúmque, qui in ea erat, ſerrâ diſſecuit, tribuliſque ferreis & ſecuribus *percuſſit*. Ita ſe geſſit erga omnes Hammonitarum urbes, reverſúſque eſt David & totus populus Jeroſolimam. Caput XX.

4. Poſtea exortum eſt bellum Gezeri cum Philiſthæis, & tunc quidem Sibbechaïs Chuſathita occidit Sippham, è filiis Raphæ; humiléſque facti ſunt Philiſthæi. 5. Fuit adhuc bellum cum Philiſthæis, occiditque Elchanan, Jahiris filius, Lachmin fratrem Goliathi Gitthæi, quamvis haſtæ ejus lignum eſſet inſtar jugi textorum. 6. Fuit præterea bellum Gathi, ubi erat vir procerus, *in cujus manibus & pedibus* erant ſeni digiti, *ita ut eſſent omnino* viginti quatuor, & qui fuit etiam è filiis Raphæ. 7. Is probris lacerabat Iſraëlem, ſed eum occidit Jonathan filius Simhæ, fratris Davidis. 8. Hi Raphæ nati erant Gathi, & manu Davidis, ſervorúmve ejus ceciderunt.

XXI. Enu-

Gezeri] בגזר *bgezer*, quod poſſet etiam verti *ad Gezerum*. Fuit hæc urbs in tractu maritimo Ephraïmi, non procul à Philiſtæorum finibus, de qua Joſ. XVI, 3. Sed 2. Sam. XXI, 18. pro hac voce legimus בגוב *begob*. Sic etiam legerunt illic *Hieronymus*, Chaldæúſque Paraphraſtes, & *Euſebius* in Codice ſuo LXX. Intt. ut liquet ex locis Hebraïcis. Attamen in Codicibus LXX. qui ſuperſunt, legimus nunc Γὲθ, quæ eſt eadem ac Gath notiſſima urbs Philiſthæorum, quomodo etiam ibidem habent Syrus, & Arabs interpretes. Fortè ita ex conjectura legendum cenſuerunt, quòd ignotus ſit locus qui *Gob* illic dicitur; fortè invenerunt eam lectionem, in Hebraïcis ac Græcis Codicibus. Nihil eſt quod affirmetur, licentia enim non exigua in vertendo utuntur. Sic in hoc Ephemeridum loco, ubi Græci, Latinus, & Chaldæus Intt. conſentiunt, cùm utrique immeritò diſpliceret vox גזר *gezer*, pro ea poſuerunt עזה *Gazam*, celebre Philiſthæorum oppidum. Sed nihil eſt cur à noſtra lectione abeamus.

Sipphaim] ספי *Sippbai*. Is omiſſo י dicitur סף *Saph* 2. Sam. XXI, 18.

E filiis Raphe] מילידי הרפא *jelide Rapha*. Vide not. ad vſ. 8.

5. *Jahiris filius* &c.] Vide not. ad 2. Sam. XXI, 19. LXX. Intt. hîc Hebræum Codicem prorſus ſequuntur, habent enim: Ἐλλανὰν υἱὸς Ἰαΐρ τὸν Λαχμὶ ἀδελφὸν Γολιὰθ τοῦ Γετθαίου. *Hieronymus* verò perperam hunc locum ex libro 2. Samuëlis emendavit, cùm verterit: *Adeodatus filius ſaltûs Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi*; de qua verſione dixi ad locum Samuëlis. Chaldæus non aliter legiſſe videtur quàm nos, ſed mirificè hunc locum interpretatur: קטל דויד בר ישי הוא גברא חסידא דהוה מתער משנתיה כפלגות ליליא לשבחא קדם יי ית לחמי, *occidit David filius Iſaïs, ille vir pius qui ſurgebat è ſomno ſuo media nocte ad laudandum coram Jehova, Lachmi*. Quæ interpretatio nititur ſignificatione vocis יעיר, quæ hîc quidem nomen eſt proprium, ſed alioqui ſignificat *excitabit*. Verùm inane acumen hoc eſſe nemo non videt.

6. *Vir procerus*] *Vir menſuræ*. Vide ad 2. Sam. XXI, 20.

8. *Hi Raphæ* &c.] *Hi nati ſunt Raphæ*. Oſtendimus ad Gen. XIV, 5. רפאים *Rephaim* dictos viros grandioris ſtaturæ, ab antiquiſſimis temporibus. Liquet etiam ex Deut. III, 11. *Hogum* fuiſſe ex reliquiis Rephæorum. Sed cùm hæc vox ſignificaret id quod dixi, videtur Pater quatuor Gigantum, hîc & apud Samuëlem memoratorum, dictus *Rapha* aut quòd majoris eſſet ſtaturæ, aut quod oriundus eſſet ex priſcis illis Rephæis. Itaque ſive *poſteros* eos, ſive *filios Raphæ* voces, perinde erit.

XXI. Enumeratio populi à Davide facta iram Dei movet, qui per triduum peſtem Hebræis immittit, deinde placatur à Davide; qui altare exſtruit ſacráque facit, in area Ornanis Jebuſæi.

CAPUT XXI. 1. EXORTUS deinde eſt inimicus contra Iſraëlem, qui Davidem ad enumerandum populum impulit. 2. Quare David Joabo, & primoribus populi, ite, inquit, recenſete Iſraëlem à Beerſeba Danem uſque, & referte ad me ejus numerum, ut eum ſciam. 3. Joabus verò, augeat, inquit, Jehova populum ſuum, ita ut centuplo major ſit! Annon, domine Rex, omnes tui ſunt ſervi? Quare dominus meus hoc cupit? Cur hoc Iſraëli vitio verteretur? 4. Sed regis mandatum confirmatum fuit Joabo, egreſſúſque Joabus, & per univerſum Iſraëlem vagatus Jeroſolimam rediit. 5. Dedit deinde Davidi numerum censûs populi, fuerúntque in toto Iſraële undecies centies millies viri gladium ſtringentes, & in Juda quater centies ſeptuageſies millies viri gladium ſtringentes 6. Levitas verò & Benjaminitas inter eos non recenſuit Joabus, quia mandatum Regis vehementer ei diſplicebat.

7. Deo quoque res diſplicuit, quamobrem plagam impoſuit Iſraëli. 8. Tum verò David Deo, vehementer, inquit, peccavi, quia hoc feci; at nunc, quæſo, ignoſce culpæ ſervi tui, nam ſtultè admodum me geſſi. 9. Alloquutus autem eſt Jehova Gadum Videntem Davidis, his verbis: 10. ito & alloquitor Davidem, in hanc ſententiam: ſic dixit Jehova: tria tibi propono, elige tibi unum ex illis, quod tibi faciam. 11. Convenit ergo Gadus Davidem, eique, ſic, inquit, dixit Jehova, accipe tibi *quod malueris ex tribus.* 12. Famémne per tres annos; an verò fugam per tres menſes e conſpectu hoſtium tuorum, eorúmque gladium te adſequentem; an *denique* gladium Jehovæ per tres dies, peſtem in terra tua, & Angelum vaſtatorem per omnes fines Iſraëlis, *mavis*? Vide nunc quid relaturus ſim ei, qui miſit me. 13. Tum David Gado Prophetæ, in magnis, inquit, anguſtiis verſor; verùm incidam, quæſo, in

In CAPUT XXI.

1. EXortus deinde eſt inimicus] *Et ſtetit ſatan contra Iſraëlem.* De hoc loco diximus ad 2. Sam. XXIV, 1. addemus tamen hîc nonnulla. Primùm ויעמד *vajjahamod* vertimus, *exortus eſt*, ut Cap. XX, 4. תעמד מלחמה *ſtetit bellum*, exortum eſt bellum. Deinde vocem שטן interpretati ſumus de *inimico* Iſraëlitarum, hoc eſt pravo quopiam conſiliario, qui aut malè volebat Iſraëlitis; aut certè, ſi malo animo conſilium de iis recenſendis non dedit Davidi, ita ei nocuit, ut nocere magis non potuiſſet homo populi Hebræi inimiciſſimus. Hæc propria eſt ſignificatio vocis Hebraïcæ שטן, &, ut hoc loco, ſumitur 2. Sam. XIX, 22. ubi David Abiſaï, qui illi tunc temporis intempeſtivæ ſeveritatis auctor erat: *quid mihi vobiſcum eſt*, inquit, *ô filii Tſerujæ, ut mihi hodie adverſemini*? Eſt in Hebræo textu, *ut ſitis mihi* לשטן *in inimicum.* Sic & apud Matthæum C. XVI, 23. Chriſtus Petrum vocat *Satanam*, quod mali conſilii auctor ipſi eſſet. Ex hiſce, quæ prorſus nituntur auctoritate Scriptoris Sacri hujus libri, & manifeſto Linguæ Hebraïcæ uſu; ſatis liquet hunc locum perperam torqueri ab iis, qui volunt Deum aliquâ ratione impellere homines ad peccandum. Imò verò ex hoc loco colligere licet quâ ratione intelligendi ſint omnes loci, ex quibus ſimilia colligi poſſent. Si enim in ſolo Samuëlis Libro II. narraretur hæc hiſtoria, iis verbis quibus expreſſa eſt, non deeſſent qui pertinaciter contendere poſſent Deum impulſorem fuiſſe Davidis, in hac re ſuſcipienda, & fruſtra à divinæ ſanctitatis defenſoribus Scripturam torqueri, cùm 2. Sam. XXIV, 1. res disertè Deo tribui videatur. Sed non ſine divina providentia factum videtur, ut ab alio Scriptore res eadem narretur, ex cujus Scriptoris verbis ſatis liquet Deum culpæ Davidis planè immunem fuiſſe. Itaque & in aliis locis, quæ ſi nimiùm urgeantur Deus videbitur auctor peccati, Lector apud animum ſuum reputare debet, ſi Scriptor Sacer interrogatus fuiſſet, an cenſeret Deum eſſe auctorem, ultorémque delictorum hominum, fuiſſe illico negaturum, ſe enim Deum & ſanctum, & juſtum eſſe exiſtimare, verbáque ſua ita velle intelligi, ut iis Numinis virtutibus nihil detraheretur. Quare non poſſum ſatis mirari Paraphraſten Chaldæum ex loco Samuëlis, ubi res obſcuriùs exprimitur, hunc, in quo multò clarior eſt Scriptoris Sacri ſtylus, interpretatum; ſic enim hîc habet: ואקים יי סטנא על ישראל *& excitavit Jehova adverſarium*, aut *Satanam in Iſraëlem* &c. Atqui ſatius erat ex loco claro obſcurum interpretari; cùm præſertim conſtet omnis peccati labis immunem eſſe Deum. Latinus habet: *conſurrexit autem Satan contra Iſraël, & concitavit* &c. quæ ambiguum relinquunt utrum hominem, an Cacodæmonem intellexerit. LXX. Intt. καὶ ἔστη διάβολος ἐν τῷ Ἰσραήλ, ex quibus verbis colligere fortè liceat, credidiſſe eos hunc διάβολον Iſraëlitam quempiam fuiſſe.

2. *Ejus numerum* &c.] *Adferte ad me & ſciam numerum.*

3. *Augeat Jehova* &c.] *Addat Jehova populo ſuo, ſicut illi, centum vicibus.* Videtur intellexiſſe Joabus fieri hæc à Davide, animo non ſatis religioſo, ſed multitudine populi confidente.

Sunt

in manum Jehovæ, maxima enim eſt ejus miſericordia; in manum verò hominum ne incidam.

14. Immiſit igitur Jehova peſtilentiam Iſraëli, ceciderúntque ex Iſraële ſeptuaginta millia hominum, 15. & miſerat jam Deus Angelum in Jeroſolimam, ut eam devaſtaret, cúmque urbem mox vaſtaturus eſſet, *rem* vidit Jehova, pœnituitque eum ejus calamitatis *Iſraëlitis immiſſæ*, & dixit Angelo vaſtanti: ſatis *eſt*, nunc remitte manum tuam. Angelus verò Jehovæ reſtitit juxta aream Ornanis Jebuſæi. 16. Tunc David, ſublatis oculis, vidit Angelum Jehovæ conſiſtentem inter terram & cœlum, erátque gladius ſtrictus in ejus manu, & contra Jeroſolimam extenſus. Ibi verò David & ſeniores Iſraëlis, ſaccis induti, in vultus ſuos conciderunt, 17. & David quidem Deo, annon ego, inquit, juſſi recenſeri populum? Ego is ſum qui peccavi, & malè feci; oves verò illæ quid commiſerunt? O Jehova, Deus mi, convertatur, quæſo, manus tua in me & in domum patris mei; at ne populo tuo plagam imponat.

18. Angelus verò Jehovæ Gadum juſſit dicere Davidi, ut adſcenderet ad excitandum altare Jehovæ, in area Ornanis Jebuſæi. 19. Adſcendit David, ex mandato Gadi, quod nomine Jehovæ protulerat. 20. Converſus etiam Ornan vidit Angelum, *aderántque* quatuor ejus filii, qui ſe cum eo abdiderunt. Ornan autem triticum triturabat. 21. Pervenerat *interea* David ad Ornanem, qui adſpiciens eum vidit, egreſſúſque ex area, facie in terram converſâ, ſe coram eo proſtravit. 22. Ibi David Ornani, da mihi, inquit, locum areæ, ut in illo exſtruam altare Jehovæ; da mihi, *inquam*, hunc, juſto accepto pretio; & coërcebitur plaga, à populo. 23. Ornan verò Davidi, accipe, inquit, tibi, faciátque dominus meus Rex quod ei videbitur; en dono te juvencis ad holocauſta, tribulis ut ſint inſtar ligni, & tritico ut ſit munus *farreum;* hiſce omnibus te dono. 24. Verùm Rex David Ornani, nequaquam, inquit, ſed juſto pretio emam; neque enim ſumam quod tuum eſt, ut holocautoma gratis Jehovæ offeram. 25. Tum dedit David Ornani, pro loco illo, ſiclos aureos *integri* ponderis ſex-

Sunt tui ſervi] *Domino meo in ſervos.* Quaſi diceret: non opus eſt ut eos numeres, cùm eorum omnium fidei credere poſſis.

Cur hoc Iſraëli &c.] *Cur eſſet in delictum Iſraëli*, qui, nimirum, multitudini ſuæ plus credet, quàm Deo, qui vult nos ipſius auxilio fretos eſſe, non viribus noſtris.

4. *Sed regis mandatum* &c.] *Et verbum regis invaluit ſupra Joabum.*

5. *Undecies centies millies* &c.] *Mille millia & centum millia.* Vide ad 2. Sam. XXIV, 9.

7. *Deo quoque res diſplicuit*] *Et fuit malum in oculis Dei.*

8. *Ignoſce culpæ*] *Fac tranſire culpam.*

Nam ſtultè admodum &c.] Fateor enim ſtultum hoc fuiſſe factum meum, qui fiduciam ex multitudine populi non ex tuo unius auxilio mihi pararem. Τὸ *nam*, ſeu כי, non eſt ratio ignoſcendi, ſed ratio ob quam David à Deo veniam petit.

12. *Famem per tres annos*] Vide not. ad 2. Sam. XXIV, 13.

Fugam per tres menſes] *Tribus menſibus fugientem eſſe à conſpectu hoſtium tuorum, & gladium hoſtium tuorum adprehendentem*, aut *adſequentem.* Pro *fugientem* eſt נספה niſpheh, *deficientem*, ſubauditâ voce להיות lihjoth, *eſſe*; & pro ultima voce eſt למשגת *lmaſſchegeth*; unde ſi abeſſet ל, ſenſui & conſtructioni nihil detraheretur; referretur enim משגת ad חרב hhereb, *gladius*; niſi ſi quid ſubaudiatur, ut קרובה למשגת *propinquus adſequenti*, hoc eſt, adeò vicinus tibi ut propemodum te adſequatur.

Quid relaturus ſim &c.] *Quid redire faciam* (את pro אל) *mittentem me verbum.* Vide 2. Sam. XXV, 13. LXX. Intt. τί ἀποκριθῶ τῷ ἀποστείλαντί με λόγον, quaſi pro שלחי *ſcholebhi* legiſſent שלחה *ſcholeabh.* Rectiùs Latinus: *quid reſpondeam ei qui miſit me.* Sic & Chaldæus.

13. *In magnis anguſtiis verſor*] *Anguſtia mihi valde.*

15. *Cúmque eam mox vaſtaturus eſſet*] ובהשחית *oubehaſchhith.* Hîc ſignificatur paullo pòſt futurum. Vide 2. Sam. XXIV, 16.

Ornanis] ארנן. Hic dicitur 2. Sam. in margine ארונה *Arauna.* Græci habent utrobique Ὀρνὰ, quaſi legerint ארנה, ut eſt in textu Samuëlis. Latinus habet illic *Arauna*, hîc *Ornan*, Chaldæus אַרְנוֹן *Ornon*, poſtea אָרְנָן *Ornan*, deinde אַרְוָן *Orvan*, mendosè.

16. *Inter terram & cœlum*] Hoc eſt, ἐν μεσουρανήματι, ut loquitur Joannes in Apocalypſi.

17. *Convertatur, quæſo*] *Sit manus tua in me* &c.

Ne populo tuo plagam &c.] *In populum tuum non in plagam* למגפה *lmaggephah*; ne convertatur ad feriendos Iſraëlitas.

18. *Gadum juſſit dicere*] *Dixit Gado dicere.*

19. *Nomine Jehovæ*] Quod acceperat ab Angelo, nomine Jehovæ loquente; nam ἀμέσως Deus Prophetam alloquutus non fuerat.

22. *Juſto pretio*] *In argento pleno*, בכסף מלא *bcheſeph male*; hoc eſt, non minore pretio quàm alii cuivis venderes. Vide Geneſ. XXIII, 9. Ἐν ἀργυρίῳ ἀξίῳ, ut bene LXX. Intt.

23. *Quod ei videbitur*] *Bonum in oculis ſuis.*

25. *Siclos aureos integri ponderis*] Vide not. ad 2. Sam. XXIV, 24. Pro משקל *miſchkal* habent LXX. Intt. ὁλκῆς. Vulgatus: *juſtiſſimi ponderis*; hoc eſt, qui ſemunciam Romanam æquarent.

ſexcentos. 26. Dein illic exſtruxit David altare Jehovæ obtulitque holocauſta & ſalutaria Sacra; cúmque invocaſſet Jehovam, exaudivit illum, igne è cœlo in altare holocautomatis *demiſſo*. 27. Jubente verò Jehovâ, Angelus gladium in vaginam recondidit.

28. Illo tempore, cùm vidiſſet David à Jehova ſe exauditum fuiſſe in area Ornanis Jebuſæi, illic Sacra fecit. 29. Tabernaculum enim Jehovæ, quod fecerat Moſes in deſerto & altare holocautomatis tunc temporis erant in excelſo Gabahonis loco. 30. Nec potuit David eo tempore illuc ire in conſpectum Dei, ut eum quæreret, quia propter gladium Angeli Jehovæ territus erat.

XXII. *David locum eligit condendo Templo, parátque materiam, metalla, artificéſque, & mandata ea de re dat Salomoni & primoribus Iſraëlis.*

CAPUT XXII. 1. DIXIT poſtea David: Hîc eſto Ædes Jehovæ Dei, hîc altare holocautomatum Iſraëlis. 2. Tum juſſit David congregari peregrinos, qui in terra Iſraëlitide erant, conſtituitque *ex iis* fabros lapidarios ad cædendos lapides quadratos, quibus ædificaretur Ædes Dei. 3. Tum ferrum magnâ copiâ, ad clavos, fores januarum, commiſſuráſque paravit David; æſque tantâ copiâ, ut nullum ei eſſet pondus; 4. lignáque cedrina, ſine numero, nam advehebant Sidonii & Tyrii ligna cedrina, magnâ

26. *Igne è cœlo* &c.] Quod certum fuit indicium Deo Sacra à Davide facta placere. Vide 2. Par. VII, 1, 2, 3 &c. Hac de re integrum caput ſcripſit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 1. Lib. II, 35. quod conſule.

27. *Angelus gladium* &c.] Non eſt propterea putandum, re ipsâ ab Angelo gladio quodam percuſſos eos, qui mortui ſunt. Dicitur enim antea דבר *deber*, ſeu *peſtis* immiſſa Iſraëlitis, non cædes eorum facta. Arma Angelorum ſunt mandata, quibus à Deo inſtructi ſunt. Sed Angelus conſpicuus factus gerebat conſpicuum gladium, ut intelligeret David eſſe Angelum illum ἐξολοθρευτὴν, qui morbum, potentiâ à Deo acceptâ, immiſerat Iſraëlitis. Hinc à Chaldæo vocatur hic Angelus מלאכא דמותא, *Angelus mortis*.

28. *Illic ſacra fecit*] Intellexerim hæc verba de ſacrificiis, quæ poſtea illic obtulit David, non de primo, quod diſerto Angeli juſſu fecit, etiam antequàm ignem è cœlo delapſurum ſciviſſet.

29. *Tunc temporis erant* &c.] Vide C. XVII, 39.

30. *Nec potuit* &c.] Potuiſſet quidem, & feciſſet, ſi Angelus juſſiſſet; ſed Angelus, qui ſummopere territum videbat, voluit, ſine mora, hominem ad meliorem ſpem revocare. Itaque *potuiſſe* facere negatur David, quod non tam facilè feciſſet, ac quod ei ab Angelo imperatum eſt. Verbum *poſſe* πολύσημον eſſe nemo neſcit.

Ut eum quæreret] Hoc eſt, oblatis victimis, invocaret. Nam *quærere Deum*, apud Hebræos, ſæpe eſt perinde ac eum orare. Vide Jerem. XXI, 2. XXIX, 12.

In CAPUT XXII.

1. HIc *eſto Ædes*] הוא זה *hæc illa Ædes* &c. Sed maluimus זה vertere *hic* ut Geneſ. XXVIII, 16. Eſt pro בזה *bazzeh*, quod eſt *hic* Num. XXIII, 1. Nondum enim illic ædificatum erat Templum. Conſecravit ergo David arcam Araunæ, vel Ornanis, ut à filio illic conderetur Templum, nec id fortè ſine divino adflatu, aut ſine Prophetarum reſponſis.

2. *Juſſit congregari* &c.] *Dixit ad congregandum.*

Peregrinos] Quibus notæ erant artes neceſſariæ ad ædificandum Templum, nam Iſraëlitæ ipſi, homines pecuarii aut aratores, earum artium erant imperiti. Peregrini, quibus non licebat agros in perpetuum emere, videntur mercaturâ, aut ſellulariis artibus vitam ſuſtentaſſe.

Lapides quadratos] אבני גזית *lapides cæſionis*. In formam quadratam cæduntur lapides ad ædificandum, ideóque Latini ejuſmodi lapides quadratos vocant, quos Græci hîc ξυστοὺς politos.

3. *Fores januarum* &c.] Ut fierent cardines, clavique, quibus conjungerentur tabulæ ac trabes ædificii, commiſſuræque firmarentur.

Ut nullum ei eſſet pondus] Ut pondus ejus ignoraretur.

4. *Advehebant Sidonii* &c.] Plura tamen ligna paravit Salomo, qui fortè magnificentiores Ædes ſtruxit, quàm primùm animo conceperat David.

5. *Dicebat enim David* &c.] Cùm jam ſtatuiſſet Salomonem ſucceſſorem ſibi deſignare, aut jam deſignaſſet.

Debet eſſe eximia magnitudine] להגדיל *lehagdil*.

6. *Vocavit* &c.] Paullò, ut videtur, ante mortem.

7. *Et illi, mihi* &c.] *Et dixit David Salomoni filio ſuo, ego, fuit cum corde meo* &c.; hoc eſt, ego quidem cogitaram. Nominativus אני, *ego*, abſolutè hic ſumitur, nec cum ſequentibus verbis conſtruitur, cujus rei multa exempla congeſſit *Sal. Glaſſius* Gram. Sacræ Tract. I. can. 28. LXX. Intt. habent: καὶ εἶπεν Δαυὶδ Σαλωμὼν, τέκνον, ἐμοὶ ἐγένετο ἐπὶ ψυχῇ. Pro בנו *bno*, legerunt בני *bni*, fili mi. Sic & Vulgatus: *fili mi, voluntatis meæ fuit*, & Chaldæus: ברי אנא הוה עם לבבי *fili mi, fuit in animo meo.*

Nomini Jehovæ] Quæ de nomine Dei Iſraëlis vocaretur *Ædes Jehovæ*.

8. *Allata ſunt ad me* &c.] *Fuit ad me verbum.* Videtur hoc dixiſſe Nathan Propheta, quamvis non habeatur in oratione ejus, quæ traditur Cap. XVII. hujus Libri; nam quæ ſequuntur hic in ea oratione habentur. Sed quod ſuo loco

magnâ copiâ ad Davidem. 5. Dicebat enim David: Salomo filius meus puer eſt & tener, at Ædes conſtruenda Jehovæ debet eſſet *eximia* magnitudine, & altitudine, ita ut fama, & gloria *ei pariatur* per omnes terras. Age ergo, ei parabo *materiam.* Itaque ingentem apparatum fecit David, ante mortem.

6. Vocavit etiam Salomonem filium ſuum, eique in mandatis dedit ædificare Ædem Jehovæ Dei Iſraëlis; 7. & illi, mihi quidem, inquit, in animo fuit exſtruere Ædem nomini Jehovæ Dei mei. 8. Sed *allata* ſunt ad me verba Jehovæ, in hanc ſententiam: multum ſanguinem effudiſti & bella magna geſſiſti; non ædificabis Ædem nomini meo, quia coram me ſanguinem multum in humum effudiſti. 9. En natus tibi eſt filius; is erit vir quietus, concedámque ei quietem ab omnibus hoſtibus circumquaque, ideóque Salomo vocabitur, & pacem ac otium Iſraëli ejus temporibus dabo. 10. Exſtruet ille Ædem nomini meo, erit mihi inſtar filii, & ego illi patris loco ero, confirmabóque ſolium ejus regni in Iſraëlem in perpetuum. 11. Nunc, fili mi, aderit tibi Jehova, & ſecundis rebus frueris. Condito verò Ædem Jehovæ Dei tui, quemadmodum prædixit de te. 12. Verùm det tibi Jehova prudentiam & peritiam, mandatiſque te inſtruat, de *regendo* Iſraële, déque obſervanda lege Jehovæ Dei tui. 13. Tum demum proſperè ages, ſi memineris exſequi inſtituta & jura, quæ dedit Jehova Moſi, in gratiam Iſraëlis. Forti & conſtanti animo eſto, ne timeas, neu paveas. 14. En, pro mea tenuitate, paravi in uſum Ædis Jehovæ centum millia talentorum auri, & mille

co non narratur non rarò alieno invenitur, in hiſce Hiſtoriis. Vide Indicem Pentateuchi, in voce *Circumſtantia.*

Multam ſanguinem &c.] Quamvis omnia bella, quæ geſſit David, pro moribus illius ævi & pro jure Belli & Pacis tunc recepto, apud Hebræos, eſſent pia & juſta bella; attamen Deus ſignificavit non placere ſibi bellorum etiam juſtorum immanitatem, quandoquidem à conſtantiſſimo ſui cultore Davide templum accipere noluit, eò quòd in ejuſmodi bellis nimiam ſanguinis humani copiam effudiſſet. Eodem fortè ſpectabat Ethnicorum conſuetudo Sacra cruentis manibus à recenti cæde minimè tractandi; unde Virgilianus Æneas Æneïd. Lib. II, 717. ſic patrem, quem Penates capere jubebat, alloquitur:

Tu genitor cape Sacra manu, patriôſque Penates,
Me bello è tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.

Sed poſtea hæc in ſuperſtitionem verſa.

9. *Natus tibi eſt filius*] Hæc videntur Davidi dicta, non multò poſt Salomonis natales. Hebræa verba ſunt בן נולד לך *ben nolad lecha*, quæ verbo tenus vertimus. At LXX. Intt. υἱὸς τίκτεταί σοι, in præſenti; ſed Vulgatus in futuro: *filius qui naſcetur tibi*; quaſi ante natales Salomonis hæc dicta fuiſſent. Quod tamen unde colligi poſſet non video. Nam quæ habentur 2. Sam. VII, 12. & ſeqq. poſt natales Salomonis optimè dici potuerunt.

Vir quietus] איש מנוחה *vir quietis*; hoc eſt, pace fruetur, ſine qua nulla eſt vera quies.

Salomo vocabitur] שלמה *Schlomoh* à שלום ſchalom, *pax*. Non fuit hoc primum Salomonis nomen, ſed *Jedidja*, ut liquet ex 2. Sam. XII, 21.

11. *Aderit*] Eſt quidem יהי *ſit*, aut *eſto.* Sed videtur per ἐλλειπτικῶς poſitum pro יהיה *jihjeh*, erit. Quod ex antecedente prophetia intelligere licet. Vide & vſ. 16.

12. *Mandatis te inſtruat de regendo*] יצוך על ישראל *jetſavvecha hal Jiſchraël.* LXX. Intt. κατισχύσαι σε ἐπὶ Ἰσραήλ, quaſi legiſſent יחזקך jahezcha, *confirmet te.* Vulgatus omiſit. Chaldæus: יְמַנֵּינָךְ לְמַלְכָּא עַל יִשְׂרָאֵל *conſtituat te Regem in Iſraëlem*, quibus confirmatur lectio LXX. Intt. Sed nulla mutatione opus eſſe oſtendunt 2. Sam. VII, 11. & 2. Par. XVII, 10. ubi ſimilis loquutio.

13. *Si memineris exſequi*] *Si ſervaveris adfaciendum.* שמר, *ſchamar*, hic eſt recordari. Vide Gen. XXVIII, 11.

Dedit in gratiam] *Præcepit Moſi de Iſraële*, vel *ad Iſraëlem* על ישראל.

Forti &c.] Vide Joſ. I, 6. & ſeqq.

14. *Pro mea tenuitate*] בעניי behonji, *in paupertate mea.* LXX. Intt. κατὰ τὴν πτωχείαν μου. Vulg. *in paupertate mea.* Quæ ſunt ſignificantiora in hoc loco, in quo Rex loquens inducitur. Sed cùm David primus ſuæ gentis regnum adeptus eſſet, nec divitias à Majoribus congeſtas ullas haberet, tenuitatem ſuam memorare jure potuit, at non πτωχείαν, ſeu mendicitatem.

Centum millia talentorum auri] Atqui hæc non eſt ſumma, quæ à tenui Rege ſepoui poſſet; quippe quæ à nullo umquam Perſarum Rege, Judææ regulo multò potentiore & ditiore, imò ne ab omnibus quidem Orientis Regibus ſimul, ſi talenta argenti aureis jungas, poſſeſſa eſt. Talentum Hebraicum aureum ex calculo doct. & reverendiſſ. viri. *Ric. Cumberlandi*, in libro Anglico, de Scripturæ Ponderibus & Menſuris, eſt Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ ſunt 11 florenorum Hollandicorum, 5076, Schillingorum 3, & Solidorum 10. Quæ ſumma ſi multiplicetur per 100000, neglectis etiam Schillingis & Solidis, conficit 507 milliones 600 millia Librarum Sterlingicarum; immanem ſummam, quæ omnium totius Aſiæ Regum divitias multùm ſuperat, ſuffeciſſétque in aliquot centena ſplendidiſſima templa ædificanda.

Plinius Lib. XXXV. c. 3. ſic loquitur de divitiis, quas ex devicta Aſia abſtulit Cyrus: *Jam Cyrus devictâ Aſiâ pondo* (auri) XXXIV *millia invenerat, præter vaſa aurea, aurumque factum, & in eo folia ac platanum, vitémque. Quâ victoria argenti quingenta millia talentorum reportavit & craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim Talenta colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo* LXXX. *patere Varro tradit.* Quæ ſum-

mille millia talentorum argenti, æris verò & ferri *initum* non eſt pondus, propter copiam; ligna etiam & lapides paravi, quibus addes *quod videbitur*. 15. Adſunt & tibi magno numero opifices, qui cædunt dolántque lapides & ligna, & quicumque periti ſunt cujuſvis opificii. 16. Auri, argenti, æris & ferri nullus eſt numerus. Surge ergo, age, tibi Jehova aderit.

17. Mandavit etiam David omnibus primoribus Iſraëlis, ut Salomoni filio auxilio eſſent, 18. &, annon, *inquit*, Jehova Deus veſter vobis adeſt? Requiem vobis dedit circumquaque, nam in manum meam tradidit incolas terræ, ſubactáque eſt terra in conſpectu Jehovæ & populi ejus. 19. Nunc animum, mentémque adjicite, ad quærendum Jehovam Deum veſtrum. Agite, ædificate Sacrarium Jehovæ Dei, ut in id intromittatis Arcam fœderis Jehovæ, vaſáque omnia Deo ſacra, in uſum Ædis nomini Jehovæ conditæ.

XXIII. David regnum in filium Salomonem transfert, Levitáſque in varias claſſes, miniſterii Templi gratiâ, dividit.

CAPUT XXIII.

1. CUM verò David conſenuiſſet & ſatur eſſet dierum, Salomonem filium ſuum Regem Iſraëli conſtituit. 2. Congregavit etiam primores omnes Iſraëlis, Sacerdotes & Levitas. 3. Tum cenſi ſunt Levitæ à triginta annos natis ad majores natu, fuitque numerus eorum ſecundùm capita, & viritim *numeratorum* triginta octo millia virorum. 4. Ex illis, *inquit David*, ſint qui præſint operi Ædis Jehovæ viginti quatuor millia, & ſex millia *qui ſint* apparitores & judices. 5. Quatuor item millia janitorum ex iis *eligantur*, & quatuor millia, qui laudent Deum *utentes* inſtrumentis, quæ ad *eum* laudandum feci.

6. Diviſit deinde hoſce David in claſſes, pro *numero* filiorum Levis, Gerſonis, Kehathi & Meraris. 7. Gerſonitarum fuere Lahadan & Simhis. 8. Filii Lahadanis fue-

ſumma, quamlibet immenſa videatur, non eſt æquiparanda cum divitiis à Davide ad ædificandum Templum ſepoſitis, & quidem, ut ait, *pro ejus tenuitate*; nam præter centum millia talentorum aureorum, fuere mille millia talentorum argenteorum. *Curtius* de pecunia Perſepoli ab Alexandro inventa, præeunte *Diodoro* Siculo, ſic loquitur Lib. V. c. 6. *Ingens pecuniæ captivæ modus traditur, prope ut fidem excedat. Ceterùm aut de aliis quoque dubitamus, aut credimus in hujus urbis Gaza fuiſſe* c *&* xx *millia talenta.* Quæ nihil ad Davidicam ſummam, quamvis totius Perſidis opes illuc eſſent congeſtæ.

Hæc ſi quis ſeriò expendat, facilè ſibi perſuadebit in numeris hîc aliquid eſſe peccatum, non à Scriptore Sacro (abſit!) ſed à Librariis Judæis, divitias Majorum ſuorum augere ſtultè cupientibus. Liquet hoc non tantùm ex re ipſa, ſed ex loquutione, quâ tenuitatem ſummæ excuſat David, quæ perabſurda eſſet, ſi tantam ſummam ſepoſuiſſet, quantam nulli unquam Reges habuerunt. Mihi quidem multùm eſſe videretur, ſi David conſecraſſet זהב ככרים מאה *centum talenta aurea*, & כסף אלף ככרים *argenti mille talenta.*

Mille millia talentorum] *Millionem* hodie vocamus. Talentum argenteum Hebraïcum fuit, ex ejuſdem, quem antea appellavimus, calculo, Librarum Sterlingicarum 353, Schillingorum 11, Solidorum 10 & dimidii. Quæ ſumma per *millionem* multiplicata, neglectis Schillingis & Solidis, conficit 353 milliones Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ ſunt undecim florenorum Hollandicorum. Si mille ponamus talenta, erunt 353 millia Librarum, quod plus ſatis fuiſſe videtur.

Scio viros doctos *Guil. Budæum*, de Aſſe Lib. IV. *Jac. Cappellum*, ad calcem deſcriptionis Templi *Lud. Cappelli* & alios, qui animadverterunt hanc eſſe ſummam multò majorem, quàm poſſet à Davide conſecrari, hîc voce ככר *chicchar* intellexiſſe talentum neſcio quod minus. Sed omnino conſtat ex Exod. XXXVIII, 25, 26. talentum Hebraïcum argenteum ſeu ככר *chicchar*, fuiſſe trium millium Siclorum; nec uſquam, apud Hebræos, mentio fit minoris Sicli. Quod enim de Siclo ſacro & profano, quorum prior fuerit duplo gravior altero, ut & de duplici talento, comminiſcuntur nonnulli, nullum habet in antiquis Scriptoribus fundamentum. Quin & nimia multò hîc eſſet ſumma, ſi dimidia tantùm ſtatueretur; ac proinde diſtinctio talenti difficultatem minimè tolleret. *F. Junius* habet, in notis ad hunc locum: *quinquies centies mille Dalerorum in auro, & totidem in argento*; ſed quonam calculo hanc confecerit ſummam non docet, unde enim accepit talentum aureum æquari quinque millibus Dalerorum, & eadem ſummâ confici decem argentea talenta? Præterea quo jure ſtatuit proportionem auri ad argentum eo tempore fuiſſe inſtar 1 ad 10? Satius multò eſt dicere id quod eſt credibilius; nempe, auctos eſſe numeros, ab inſanientibus & improbis Librariis, cùm & alibi ſæpe difficultas ex nimia multitudine oriatur. Vide not. ad 2. Sam. XXIV, 9.

15. *Periti ſunt*] כל חכם *omnem ſapientem*, *πᾶς σοφὸς*, habent LXX. Intt. Sed utraque vox peritum ſignificat, ut obſervavimus *Artis Criticæ* P. 2. S. I. c. II, 29.

16. *Aderit*] Eſt quoque hîc יהי pro יהיה, ut vſ. 11.

18. *In conſpectu Jehovæ*] Quia Deus ſingula-

ri

fuerunt primus Jechiel, tum Zethamus & Joël, tres. 9. Filii Simhis Selomithus, Chaziel & Haran, tres. Hi principes familiarum patriarum Lahdanitarum erant. 10. *Alii* filii Simhis fuerunt Jachathus, Zina, Jehuſus, Beriha; hi quatuor fuerunt filii Simhis. 11. Primus fuit Jachathus, Ziza ſecundus, Jehuus verò & Beriha plures non habuerunt filios, recenſitique ſunt quaſi familia, unâ hac enumeratione.

12. Filii Kehathi *fuerunt* Hamramus, Jitshar, Chebron & Huzziel, quatuor. 13 Hamrami filii *fuerunt* Aharon & Moſes, & Aharon quidem, cùm ipſe, tum ejus filii ſeparati ſunt ut res ſanctiſſimas conſecrarent, adolendo coram Jehova, ei miniſtrando & benedicendo ejus nomine in perpetuum. 14. Moſes verò vir fuit divinus, & ejus poſteri recenſentur in tribu Levis. 15. Filii Moſis *fuerunt* Gerſomus & Elihezer. 16. Filii Gerſomi *fuerunt* Sebuël primus. 17. Filii Elihezeri *fuerunt* Rechabja primus, nec alii filii Elihezero *fuerunt*; at filii Rechabjæ multo plures. 18. Filii Jitsharis *fuerunt* Selomithus primus. 19. Filii Chebronis *fuerunt* Jerija primus, Amarja ſecundus, Jachaziel tertius, & Jekamhamus quartus. 20. Filii Huzzielis *fuerunt* Micha primus, Jiſſija ſecundus.

21. Filii Meraris *fuerunt* Machlis & Muſis, filii verò Machlis, Elehazar & Kiſus. 22. At mortuus eſt Elehazar, nec fuerunt ei filii, ſed tantùm filiæ, quas duxerunt filii Kiſi earum conſobrini. 23. Filii Muſis, Machlis, Heder & Jeremothus, tres.

24. Hi *fuerunt* poſteri Levis, pro patriis familiis, & patriarum familiarum principes in eorum recenſionibus, pro numero nominum & capitum, qui curabant quod faciendum erat in miniſterio Ædis Jehovæ, à viginti annos natis ad natu majores. 25. Dixit enim David: quietem conceſſit Jehova Deus Iſraëlis populo ſuo, habitabitque Jeroſolimæ in perpetuum. 26. Non *opus* etiam erit Levitas bajulare Tabernaculum, omniáque vaſa in ejus uſum *facta*. 27. Idcóque ex ultimis Davidis mandatis, numerus Levitarum *initus*, à viginti annos natis, ad majores natu. 28. Nam

ri ratione aderat exercitibus populi Hebræi, præſertim ſi in iis Arca ferretur. *Terræ* autem nomine intelligit regna vicina.

19. *Ad quærendum*] Vide ad Cap. XXI, 30.

In Caput XXIII.

1. *Cum verò David* &c.] Vide 1. Reg. I, 11. & ſeqq.

3. *A triginta annos natis* &c.] *A filio triginta annorum & ſupra.* Vide notata ad Num. IV, 3.

4. *Inquit David*] Hoc ſupplevimus, quòd quæ hìc narrantur inſtituerit David, nec ſit alius ad quem hæc mandata poſſint referri.

Apparitores] שטרים *ſchoterim*, de qua voce vide not. ad Exod. V, 6. Cùm Levitis non eſſent agri colendi, ut ceteris Iſraëlitis, cúmque per omnes eorum Tribus ſparſi eſſent, nemo meliùs iis Judicum & Apparitorum muneribus poterant fungi. Eſſet optandum additum hîc fuiſſe quænam eſſet ratio Judicum & Judiciorum, in Hebræorum urbibus; quod cùm nuſquam reperiatur, neceſſe eſt multa in forma Reipublicæ Populi Hebræi nos fugere.

5. *Janitorum*] Templi, nimirum.

Ad eum laudandum] Quæ pulſarentur, dum laudes Dei canebantur.

9. *Principes familiarum* &c.] *Capita patrum Lahdanis.* Cùm hi dicantur filii Simhis, & tamen principes familiarum Lahdanis ejus fratris; oportet eos in nomen hujus ſucceſſiſſe, fortè quòd ex uxore ejus, à Simhi poſt mortem ejus ducta, nati eſſent, aliis defunctis filiis.

13. *Res ſanctiſſimas*] Sacrificia, vaſa ſacra &c.

Benedicendo ejus nomine] Nomine ejus prolato. Vide Num. VI, 24. & ſeqq.

14. *Vir divinus*] *Vir Dei*, hoc eſt, Propheta.

Ejus poſteri recenſentur] *Filii ejus vocabuntur ſuper Tribu Levi.* Vide not. ad Numer. III, 1.

17. *Multò plures*] *Multiplicati ſunt ſupra.*

22. *Conſobrini*] *Fratres*, quæ vox conſanguinitatis gradus omnes, etiam remotiores, paſſim ſignificat.

24. *Curabant quod faciendum erat*] *Facient opus ad miniſterium Ædis* &c.

A viginti annos natis] מבן עשרים שנה *à filio viginti annorum.* Mirum primâ fronte videtur vigeſimum annum hîc memorari, cùm non cenſerentur niſi anno ætatis trigeſimo, ut liquet ex vſ. 3. Similis eſt etiam in ipſo Moſe difficultas, de qua diximus ad Num. IV, 3. Quæ ad eum locum dicta ſunt huic quoque aptari poſſe videntur, & difficultatis ſolutionem ſuppeditat vſ. 27.

25. *Habitabitque*] Nempe, Deus; quia Arca & Templum numquam erant in alium locum transferenda: quemadmodum Tentorio & Arcæ ad tempora Davidis contigerat.

27. *Ex ultimis mandatis Davidis*] *In verbis Davidis, poſtrema ea ſunt, numerus filiorum Levis*; nempe, יפקד *recenſetur, initur.* Itaque Levitarum primùm peractus eſt cenſus, initio facto à triginta annos natis; deinde conſtructo Templo, cenſebantur à viginti annos natis, quia tantus non erat eorum labor, nec tanta cura gerenda erat, ac fuerant temporibus, quibus Tabernaculum & Arca bajulanda erant; quod negotium junioribus mandare non audebant, ne fortè de petulantioribus aut negligentioribus Deus pœnas ſumeret.

[28] Nam ſtatio eorum fuit, juxta poſteros Aharonis, ut miniſtrarent Ædi Jehovæ, in atriis, in conclavibus, ad munditiem totius Sanctuarii, quod attinet, operáque alia miniſterii Ædis Dei; [29] in pane qui ſtruebatur *coquendo*, in ſimila, in munere farreo, in placentis azymis, in ſartagine, in patella, in omni dimenſione, & menſura; [30] ut ſtarent quotidie mane ad agnoſcenda *Dei beneficia*, laudandúmque Jehovam, & pariter veſperi; [31] útque *adeſſent* quotieſcumque holocautomata adolerentur Jehovæ, Sabbathis, Neomeniis, feſtis, *certo* numero, pro lege iis impoſita; *ita ut* perpetuò *eſſent* coram Jehova. [32] Præterea quæ pertinebant ad Tentorium Conventûs, Sacrarium, & filios Aharonis fratres ſuos, obeuntes miniſteria Ædis Jehovæ obſervabant.

XXIV. Sacerdotes in viginti quatuor claſſes ſorte dividuntur, ad Sacerdotalia miniſteria vicibus obeunda; iiſque Levitæ ad alia attribuuntur.

CAPUT XXIV. [1] POSTERORUM etiam Aharonis claſſes *ſunt conſtitutæ*. Filii Aharonis erant Nadabus, Abihuus, Eleazar & Ithamar. [2] Mortui verò ſunt Nadabus & Abihuus, ante patrem ſuum, nec fuerunt eis filii, ſed Sacerdotio functi ſunt Elehazar & Ithamar. [3] Diviſit autem eos David unà cum Tſadoko, ex poſteris Elehazaris, & Achimelecho, ex poſteris Ithamaris, pro eorum recenſione, in ipſorum miniſteria. [4] Inventa autem ſunt poſterorum Elehazaris plura capita, quàm poſterorum Ithamaris, diviſerúntque eos ita ut poſterorum Elehazaris eſſent ſexdecim principes familiarum patriarum, & poſterorum Ithamaris *duntaxat* octo eſſent familiarum patriarum principes. [5] Diviſerunt verò eos ſorte, & hos quidem cum illis; erant enim principes ſacri & principes Dei, è poſteris Elehazaris & Ithamaris.

[6] Deſcripſit eos Semahja, Nethaneelis filius, ſcriba è genere Levitico, coram Rege

[28] *Ad munditiem totius Sanctuarii*] *Totius*, aut *omnis ſanctitatis*; hoc eſt, ut totum Templum diligenter purgarent, mundáque omnia utenſilia ſacra eſſe curarent.

[29] *In pane qui ſtrueretur* &c.] ללחם המערכת *in pane ſtructionis*. Intelligitur panis, cujus ſtrues apponebantur Deo, in menſa Sanctuarii.

In ſartagine, in patella &c.] In coquendis omnibus, quæ in ſartagine, ac patella coqui oportebat.

[31] *Uſque adeſſent, quotieſcumque* &c.] *Ad omnem oblationem holocautomatum.* Soli quidem Sacerdotes ſanguinem victimarum ad altare offerebant; ſed nihil vetabat quominùs mactarent victimas, pelles eis detraherent, pararéntque earum carnes, prout par erat. Vide 2. Par. XXXV, 6, 11. &, ſi ita videtur, *Guil. Outrannum* de Sacrificiis Lib. I. c. 7.

Certo numero, pro lege &c.] *In numero, ſecundùm judicium*, aut *jus ſuper eos.*

[32] *Præterea quæ pertinebant* &c.] *Et ſervabant ſervationem tentorii* &c. Hoc eſt, obſervabant quidquid iis impoſitum erat obſervandum circa Tentorium &c. Vide Numer. I, 53. III, 8, 25.

In CAPUT XXIV.

[2] MOrtui verò ſunt] Vide Levit. X, 2.

Cum Tſadoko &c.] Ebiathar excluſus fuit hac cura, aliqua de cauſa quæ nos fugit; hæc enim facta videntur, antequàm Salomo regnaret.

[4] *Plura capita* &c.] *Ad capita virorum.*

Diviſerúntque eos &c.] *Diviſerunt eos filiis Elehazaris capita domûs patrum ſexdecim.*

[5] *Hos quidem cum illis*] Nomina omnia Elehazaridarum & Ithamaridarum principum ſimul in urnam conjiciebant, unde, prout concuſſione urnæ prodibant, conſtituebant ordinem claſſium Sacerdotalium, ne quis ſibi alios eſſe prælatos quereretur.

Principes ſacri &c.] *Principes ſanctitatis & principes Dei.* LXX. Intt. ἄρχοντες τῶν ἁγίων καὶ ἄρχοντες κυρίου. Quia erant divino cultui conſecrati.

[6] *Cum Elehazare conjuncta fuit*] אחד אחז לאלעזר *ehhad abhouz leElhazar.* LXX. Intt. οἶκος εἷς τῷ Ἐλεάζαρ, quaſi legiſſent אחד אחד *ehhad ehhad.* Vulgatus: *unam domum, quæ ceteris præerat, Elehazar.* Incommodè; ſenſus enim eſt, alteram familiarum Sacerdotalium cum Elehazare fuiſſe ſanguine conjunctam, quippe quæ ab eo oriunda erat.

Altera cum Ithamare] ואחז אחז לאיתמר, *veabhouz abhouz leIthamar* & conjuncta Ithamari. LXX. Intt. καὶ οἶκος εἷς τῷ Ἰθάμαρ. quaſi legiſſent: ואחד אחד *veehhad ehhad.* At Vulgatus: *& alteram domum, quæ ſub ſe habebat ceteros, Ithamar.* Res ipſa oſtendit legendum: ואחד אחז לאיתמר *& una conjuncta cum Ithamare*; vel: ואחר אחז *veahher abhouz, & altera conjuncta.* Chaldæus omiſit quæ de Elehazaris familia dicuntur, habétque de Ithamaridis: חד מתאחד תמניא למטרת איתמר *una complexa eſt octo, pro cuſtodia Ithamar.* Videtur excidiſſe: *una complexa eſt ſexdecim, pro cuſtodia Elehazar*: חד מתאחד אשתא עשר למטרת אלעזר: ſed propter repetitionem voculæ חד, Librarius feſtinantibus oculis tranſiliit ad חד ſecundo loco poſitum; quæ omiſſionis ratio frequens eſt in omnibus Scriptoribus, nec in Sacris etiam ignota. Vide Joſ. XXI, 36, 37.

ge & principibus, Tſadokóque Sacerdote, & Achimelecho, Ebiatharis filio, ac principibus familiarum patriarum Sacerdotalium & Leviticarum. Familia una cum Elehazare conjuncta fuit, altera cum Ithamare. [7] Exivit prima ſors Jehojaribo, ſecunda Jedahjæ, [8] tertia Charimo, quarta Sehorimo, [9] quinta Malchijæ, ſexta Mijamini, [10] ſeptima Hakkotſo, octava Abijæ, [11] nonâ Jeſuæ, decima Sechanjæ, [12] undecima Eljaſibo, duodecima Jakimo, [13] decima tertia Chupphæ, decima quarta Jeſebeabo, [14] decima quinta Bilgæ, decima ſexta Immero, [15] decima ſeptima Cheziri, decima octava Phitſetſo, [16] decima nona Phethachjæ, vigeſima Jechezkeli, [17] vigeſima prima Jachini, vigeſima ſecunda Gamuli, [18] vigeſima tertia Delajæ, vigeſima quarta Mahazjæ. [19] Hæc fuit eorum recenſio, pro eorum miniſterio, ita ut venire eos oporteret in Ædem Jehovæ, ex lege *tradita* per Aharonem eorum progenitorem, quemadmodum eum juſſerat Jehova Deus Iſraëlis.

[20] Ad ceteros Levitas quod attinet, poſterorum Hamrami *princeps fuit* Subaël; filiorum Subaëlis Jechdeja. [21] Quod attinet ad Rechabjam, poſterorum Rechabjæ princeps *fuit* Jiſſija, [22] Jitsharitarum Selomothus; poſterorum Selomothi Jachathus; [23] poſterorum Jerijæ * *, Amarja ſecundus, Jachaziel tertius, Jekamhamus quartus; [24] poſterorum Huzzielis Micha; poſterorum Michæ Samir. [25] Frater Michæ fuit Jiſſija, poſterorum Jiſſijæ *princeps* Zecharja.

[26] Filii Meraris *fuerunt* Machlis & Muſis, filii Jahazajæ Beno, [27] Meraris poſteri ex Jehazaja Beno, Sohamus, Zacchur, & Hebris. [28] Machlis *filius fuit* Elehazar, cui filii nulli fuerunt. [29] Ad Kiſum quod attinet, filiorum Kiſi *princeps fuit* Jerachmeel. [30] Filii Muſis fuerunt Machlis, Heder & Jerimothus. Hi fuere Levitarum poſteri, pro familiis patriis. [31] Jecerunt etiam illi ſortes è regione fratrum ſuorum, poſterorum Aharonis, coram Davide Rege, Tſadoko, Achimelecho & principibus patriarum familiarum Sacerdotalium & Leviticarum; ita ut princeps *familiæ* patriæ *major* eſſet è regione fratris ſui minoris.

XXV. Can-

37. & quæ diximus *Artis Criticæ* P. 3. Sect. 1. Cap. V. ubi multa ejus rei exempla protulimus.

[7] *Exivit prima ſors*] Ex urna, nimirum, agitata.

[19] *Tradita per Aharonem* &c.] *Per manum Aharonis.* Non hæc ita intelligenda, quaſi Scriptor Sacer velit ab Aharone inſtitutas claſſes Sacerdotales, quæ ſunt Davidis inſtitutum, ut antea docuit; ſed hoc vult Sacerdotes ritus Sacrorum primùm edoctos fuiſſe ab Aharone, quos ille à Deo acceperat.

[23] *Poſterorum Jerijæ* &c.] ובני יריהו אמריהו השני omiſſum eſt nomen maximi natu filiorum Jerijæ, niſi fortè Jerija ſit primogenitus cujuſpiam cujus nomen ſit omiſſum. Deerat jam hoc in Codice Græcorum interpretum, qui habent: καὶ Ἐλιοῦ (pro Ἰριοῦ) Ἀμαρίας ὁ δεύτερος. Vulgatus verò habet: *filiiſque ejus Jeriau primus, Amaria ſecundus* &c. quaſi legendum cenſuiſſet: ובנו יריהו הראשון, *& filius ejus Jerjahou primus.* Chaldæus: וּבְנֵי יְרִיָּהוּ quaſi eſſet בני *Benai* nomen proprium. Sed hîc eſt vitioſus codex, ex quo editus eſt, nam omiſſus eſt verſus 22, ut & 24 & 25. Quibus melioris Codicis copia erit, illi eum conſulant.

[25] *Princeps Zecharja*] Supplevimus הראש *harosch*, ut vſ. 21.

[26] *Filii Jahazajæ Beno*] בני יעזיהו בנו *bne Jahazahou Beno.* Hîc videntur verba quædam abundare. Certè ſi tantùm ſcriptum fuiſſet יעזיהו, ut *Jahazaja* intelligeretur tertius fuiſſe Meraritarum, qui hîc nominantur, nihil deeſſe putaremus.

[29] *Princeps fuit*] Ut vſ. 21.

[31] *Ita ut princeps familiæ patriæ*] אבות הראש *aboth harosch.* Verti quaſi eſſet הראש אבות *harosch aboth*, pro הראש בית אבות *harosch beth aboth*, princeps domûs *patrum*; quòd in verbis, prout nunc leguntur, nullus ſit ſenſus, ut vel ex antiquis Interpretibus liquet, quorum Græci habent πατριαὶ Ἀρὼς καθὼς οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ οἱ νεώτεροι, ut eſt in Codice Alexandrino; nam vitioſior eſt Vaticanus, ubi eſt πατριάρχαι Ἀρωάβ. Latinus vertit: *tam majores, quàm minores, omnes ſors æqualiter dividebat.*

[31] *Major*] Hoc, quod excidit, ſupplevimus, cum Vulgato Interprete, propter ſequentem vocem הקטן *hakkaton*, parvus, aut minor. Vide Cap. XXV, 8. XXVI, 13. Senſus eſt quem ille paraphraſi expreſſit, ſortitionis hujus participes fuiſſe minimas quaſque Sacerdotales familias, non aliter ac opulentiores; aut ortas à minoribus natu, non aliter ac à maximis natu oriundas, ſine ullo primogenitorum reſpectu.

In Ca-

XXV. Cantores conſtituuntur poſteri Aſaphi, Hemanis & Jeduthunis, & in viginti quatuor claſſes dividuntur.

CAPUT XXV.

1. DIVISIT etiam David, cum ducibus exercitûs, ad miniſterium *ſacrum*, poſteros Aſaphi, Hemanis & Jeduthunis, qui citharis, nabliis & cymbalis canebant, fuitque *omnis* eorum numerus virorum obeuntium *id* eorum miniſterium. 2. Ad filios Aſaphi quod attinet, *fuerunt* Zacchur, Joſephus, Nethanja, Aſarela, filii Aſaphi, ad latus Aſaphi canentis juſſu Regis. 3. Ad Jeduthunem verò quod ſpectat, filii Jeduthunis *fuerunt* Gedalja, Tſeris, Jeſahja, Chaſabja & Matthithja, ſex ad latera patris Jeduthunis citharâ canentis, ad agnoſcenda *beneficia Dei*, laudandúmque Jehovam. 4. *Denique* quod attinet ad Hemanem, filii Hemanis *fuerunt* Bukkija, Matthanja, Huzziel, Šebuel, Jerimothus, Chananja, Chananis, Eliatha, Giddalthis, Romamthi-Hezer, Josbekaſa, Mallothis, Hothir, & Machaſiothus. 5. Hi omnes fuerunt filii Hemanis, Videntis Regis in verbis Dei, ad extollendum cornu; nam dederat Deus Hemani quatuordecim filios & tres filias. 6. Omnes illi *erant* ad latera patris, cum caneret *in* Æde Jehovæ, *adhibitis* cymbalis, nabliis & citharis, ad miniſterium Ædis Dei, *ut eſſent* ad manum Regi, Aſapho, Jeduthuni & Hemani. 7. Fuit autem eorum numerus, cum fratribus ſuis edoctis cantica Jehovæ, quotquot *eorum* periti fuere, ducenti octoginta octo.

8. Jecerunt autem ſortes functionum, è regione aliorum alii, parvi ſicut magni, *&* periti cum diſcipulis. 9. Prima egreſſa eſt ſors Aſaphi Joſepho; ſecunda Gedaljæ, *cum quo* fratres & filii ejus duodeni erant; 10. tertia Zacchuri, *cum quo* filii ejus & fratres duodeni erant; 11. quarta Jitſris, cum quo filii ejus & fratres duodeni erant; 12. quinta Nethanjæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 13. ſexta Bukkijæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 14. ſeptima Jeſarelæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 15. octava Jeſahjæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 16. nona Matthanjæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 17. decima Simhi, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 18. undecima Hazareli, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 19. duodecima Chaſabjæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 20. decima tertia Subaëli, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 21. decima quarta Matthithjæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni, 22. decima quinta Jeremothæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 23. decima ſexta Chananjæ, *cum quo*

In CAPUT XXV.

1. C*Um ducibus exercitûs*] Apud Hebræorum Reges, duces copiarum ſæpe adminiſtrationi rerum civilium, imò & ſacrarum, quatenus eas licebat attingere hominibus ad Sacerdotalem proſapiam, Leviticámque Tribum minimè pertinentibus, admovebantur. Quod ex hoc loco, aliiſque ſimilibus colligere licet. Credo tamen *Hieronymum* שרי הצבא *magiſtratus exercitûs* vertiſſe, quod in hujuſmodi negotio, vox *magiſtratus* aptior videretur, quàm ducis. Sic LXX. Intt. ἄρχοντες δυνάμεως verterunt, quod meliùs vertiſſent ἡγεμόνας στρατοῦ. Ceterùm hinc quoque intelligimus quod de Synedrio quodam Magno, quod à temporibus Moſis Reipublicæ Hebræorum ſummâ auctoritate præfuerit, merum eſſe ſomnium. Si enim ejuſmodi Senatus fuiſſet, David per eum potius conſeſſum, déque ejus conſilio rem feciſſet, quàm operâ & conſilio ducum exercitûs.

Qui citharis &c.] הנבאים בכנרות *vaticinantes in citharis*. LXX. Intt. ἀποφθεγγομένους ἐν κινύραις. Vulgatus: *qui prophetarentur citharis*. Hoc eſt, canebant; loquutione ortâ ex eo quod Prophetæ ſolerent, adhibitis ejuſmodi inſtrumentis, laudes Dei canere. Vide 1. Sam. X, 5, 10.

Fuitque omnis eorum numerus] *Et fuit eorum numerus virorum opificii ad miniſterium ſuum.*

2. *Canentis juſſu Regis*] *Vaticinantis ad manus Regis*, על ידי. Quod verti etiam queat *juxta Regem*, ut fecit Vulgatus, poſt LXX. Intt. qui habent ἐχόμενοι βασιλέως. Vide *Chr. Noldium* ad has voces.

5. *Videntis Regis*] Quod de Gado dicitur. Vid. 2. Sam. XXIV, 11. 1. Eph. XXI, 9.

Ad extollendum cornu] להרים קרן *leharim keren*. Quid ſignificetur hac loquutione, ubi ſermo eſt de augmento regiæ potentiæ, ſat notum eſt. Sed quid ſibi hîc velit eſt obſcurum. Chaldæus vertit: לְמִתְקַע בְּשׁוֹפְרָא *ad canendum tubâ*. Ac ſanè Levitæ tubâ canebant, ut & Sacerdotes, aut in præliis, aut ut feſta indicarentur. Sed alibi nuſquam hoc vocatur *extollere cornu*. Scio eſſe recentiores Intt. qui verterint: *in verbis Dei de extollendo cornu*, interpretatique ſint de victoriis, quas Davidi Heman prædicebat: aut, *in actionibus Dei, cùm is extolleret cornu*, quod intelligunt de laudibus Dei canendis, poſt victoriam. Verùm hæc ſunt coacta. Satius videtur ἐπέχειν, interea dum melius quidpiam inveniatur.

8. *Functionum*] משמרת miſchmereth, *obſervationis*, ut vicibus cultui publico adeſſent.

9. *Cum quo fratres*] Quoſdam, nimirum, alios è Levitica Tribu ſibi adlegerunt, ut numerum ne-

Digitized by Google

quo filii ejus & fratres erant duodeni; 24. decima ſeptima Joſbekaſæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 25. decima octava Chanani, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 26. decima nona Mallothi, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni, 27. vigeſima Eljathæ, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni, 28. vigeſima prima Hothiri, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 29. Vigeſima ſecunda Giddalthi, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 30. vigeſima tertia Machaziotho, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni; 31. vigeſima quarta Romamthi-hezero, *cum quo* filii ejus & fratres erant duodeni.

XXVI. Janitorum & cuſtodum Templi varia officia.

1. QUod attinet ad claſſes janitorum, Korchitarum *princeps erat* Meſelemja, filius Koræ, è poſteris Aſaphi. 2. Meſelemjæ filii *erant* Zecharja primogenitus, Jedihaël ſecundus, Zebadja tertius, Jathniel quartus, 3. Helamus quintus, Jochanan ſextus, Elihohenaïs ſeptimus. 4. Hobed-Edomi filii *fuerunt* Semaja primogenitus, Jehozabadus ſecundus, Joachus tertius, Sachar quartus, Nethaneël quintus, 5. Hammiel ſextus, Iſſaſchar ſeptimus, Pheulléthaïs octavus, nam ei benedixerat Deus. 6. Semajæ etiam ejus filio nati ſunt filii, qui principatum obtinebant in familia patria, quia erant fortes viri. 7. Filii autem Semajæ fuerunt Hothnis, Rephaël, Hobedus, Elzabadus. Fratres ejus viri fortes fuerunt, Elihuus, & Semachja. 8. Omnes hi fuere oriundi ex Hobed-edomo, ipſi autem filiique eorum & conſanguinei viri fortes fuerunt, viribus *præditi* ad miniſterium *obeundum*; & Hobed-edomo quidem erant ſexaginta duo *viri*. 9. Meſelemjæ etiam filii & conſanguinei viri fortes fuerunt octodecim. 10. Choſæ verò, è Meraritis, filii *fuerunt* Simris princeps; neque enim erat primogenitus, ſed pater ejus principem eum conſtituerat; 11. Chilkija ſecundus, Tebalja tertius, Zecharja quartus; omnéſque filii & conſanguinei Choſæ *erant* tredecim. 12. Hæ claſſes erant janitorum, pro capitibus *quibus conſtabant*, quique è regione fratrum officio fungebantur, dum Ædi Jehovæ miniſtrarent. Caput XXVI.

13. Jecerunt fortes parvus haud aliter ac magnus, pro familiis patriis de ſingulis januis *Templi*. 14. Selemjæ fors cecidit orientem verſus, Zecharjæ verò filio ejus, conſiliario propter prudentiam, dejectis fortibus, fors exiit ad ſeptemtriones; 15. Hobed-edomo ad auſtrum, & filiis ejus ad Domum Collectionum; 16. Supphimo verò & Choſæ ad occidentem, cum janua Sallechethæ, ad viam adſcenſûs ſtratam, ita ut cuſtodia eſſet è re-

neceſſarium canentium explere poſſent, qui fuit duodenorum virorum, ut ſequentia docent.

In Caput XXVI.

1. PRinceps erat] Hoc ſupplevimus, quod alibi non ſemel exſtat, ut infra vſ. 10.

13. *Parvus haud aliter ad magnus*] *Sicut parvus, ſicut magnus.*

De ſingulis januis] *In januam & januam.*

14. *Conſiliario propter prudentiam*] יועץ בשכל *conſiliario in intellectu*; regio, nempe, ut videtur.

15. *Ad domum collectionum*] בית האספים *bethbaaſuppbim.* Vertunt LXX. Intt. οἶκον Ἐσεφὶμ, aut Ἀσαφεὶν, Vulgatus, *domum ſeniorum concilium Sephim.* Nempe אסף ſignificat *collegit*, & אסופים *aſouphim*, collectos. Chaldæus habet: בֵּית שִׁקְפַיָּא *domum liminum*, quaſi legiſſet הספים *haſſipphim*, nam סף *ſaph* eſt limen. Videtur ædificium quoddam fuiſſe ad auſtrum Montis Templi, in quod ædificium quædam in uſum Templi conſecrata recondebantur. Sic de Levitis 2. Reg. XXII, 4. ubi ſermo eſt de pecunia, *quam collegerant cuſtodes liminis à populo*, אשר אספו שומרי הסף מאת העם. Vide 2. Paral. XXV, 24. Sed & ex Nehem. XII, 25. אספי השערים *aſuppbe haſſchabarim* videntur dici ædificia, in quæ ad ſingulas januas donaria colligebantur. Hac de re copioſiùs egit *Joan. Lightfootius*, in Deſcriptione Templi Cap. V. Sect. 3. ubi difficilem & obſcuram eſſe fatetur.

16. *Cum janua Sallechethæ*] עם שער שלכת *im ſchahar Schallecheth.* LXX. Intt. πύλην παστοφορίου. Paſtophoria vocabantur ab Ægyptiis conclavia ad templa, quæ habitabant Sacerdotes. Vulgatus, *portam quæ ducit ad viam adſcenſionis.* Chaldæus: תַּרְעָא דְמִתְרְמֵה בְּכִיבְשָׁא דְסָלְקָא כָּל קֳבֵל בֵּית מַקְדְּשָׁא *janua quæ jacta eſt in ſemita, quâ unus quiſque in Sanctuarium adſcendit.* Rectiùs *Joan. Lightfootius* ex Rabbinis obſervat Deſcript. Templi Cap. V. Sect. I. voce שלכת *ſchallecheth* ſignificari *terram aggeſtam*, & ita dictam hanc januam, quòd eſſet ad viam aggeſtam, quæ è Regia ad Templum ducebat, quæque erat adſcenſus ille Salomonis, de quo 1. Reg. X, 5. 2. Par. IX, 4. De hac via *Joſephus* Lib. XV, cap. 14. ἐν δὲ τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι τοῦ περιβόλου πύλας τέσσαρας ἐφίστασαν. ἡ μὲν εἰς τὰ βασίλεια τείνουσα, τῆς ἐν μέσῳ φάραγγος εἰς δίοδον ἀπειλημμένης: *in occidentalibus partibus ſepti januas quatuor poſuerunt, una tendebat ad Regiam, valle quæ interjacet propter tranſitum completâ.*

Ad viam adſcenſûs] Quâ adſcendebatur in regiam. Vide ad ſuperiora verba.

Ita ut cuſtodia eſſet &c.] Cùm ad omnes januas eſſent cuſtodiæ, ſibi ex adverſo reſpondebant.

regione cuſtodiæ. 17. Ad orientem Levitæ erant ſeni, ad ſeptemtriones interdiu quaterni; ad meridiem interdiu quaterni, & bini ad *Domum* Collectionum; 18. ad Pharbarem, occidentem versùs, quaterni, & ad viam ſtratam bini ad Pharbarem. 19. Hæ fuerunt claſſes janitorum, è Korchitis & Meraritis.

20. E Levitis Achija præerat theſauris Ædis Dei, theſauriſque rerum conſecratarum. 21. Orti Lahdane *fuerunt* Gerſunitarum filii; & Lahdani quidem *fuerunt* capita *familiarum* patriarum Gerſunitarum, Jechielis; 22. *&* filii Jechielis Zethamus & Joël frater ejus, qui Theſauris Ædis Jehovæ præerant. 23. Hamramitis, Itsharitis, Chebronitis & Hozzielitis *erant ſua munera*. 24. Sebuel quoque, oriundus Gerſomo, Moſis filio, præerat theſauris. 25. *Quod attinet ad* conſanguineos ejus *ortos* Elihezero, cujus filius *fuit* Rechabja, cujus filius *fuit* Jeſahja, cujus filius *fuit* Joramus, cujus filius *fuit* Zichris, cujus filius *fuit* Selomithus; 26. Is Selomithus, unà cum conſanguineis, præfuerunt omnibus theſauris rerum conſecratarum à Rege Davide, principibus *familiarum* patriarum, Chiliarchis, Centurionibus & ducibus, 27. è bellicis manubiis, quas ad ſartam tectam conſervandam Ædem Jehovæ conſecrarant. 28. Ad quas accedebat quidquid conſecraverant Samuel Videns, Saül Kiſi filius, Abner Neri filius, & Joabus Tſerujæ filius. Quiſquis conſecrabat *quidpiam id tradebat* in manum Selomithi, ejúſque fratrum.

29. Ex Jitsharitis Chenanja & filii ejus, in negotiis externis, præfecti *erant* Iſraëli, ita ut eſſent apparitores & judices. 30. Ex Chebronitis Chaſabja, fratréſque ejus mille & ſeptingenti viri fortes, præfecti erant Iſraëli cis Jordanem ad occaſum; in omnibus negotiis quæ pertinebant ad Jehovam, & ad Regis miniſterium. 31. Inter Chebronitas, princeps erat Jerija Chebronitarum, pro ætatibus eorum, & familiis. Anno quadrageſimo regni Davidis in eos inquiſitum eſt, inventique ſunt apud eos viri fortes, Jahzeri Galahaditidis. 32. Fratres ejus viri fortes *inventi ſunt* bis mille ſeptingenti principes familiarum patriarum; præfecitque eos David Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſitarum, in omnibus negotiis Dei & Regis.

XXVII. Munera & ordo Aulæ Davidicæ.

CAPUT XXVII. 1. ISRAELITÆ pro numero ſuo, principibúſque *familiarum* patriarum, Chiliarchis, Centurionibus, apparitoribúſque eorum, miniſtrabant Regi, ſecundùm rationem claſſium, ingredientes & egredientes ſingulis menſibus, per omnes anni menſes. Unaquæque claſſis erat viginti quatuor millium *virorum*. 2. Claſſi primæ in men-

Bini] *Duo, duo.* Itaque ad occidentem erant ſeni; nam hæc domus fuit ad occidentem, non minùs ac janua *Pharbar*, ubi erant quaterni.

Ad domum collectionum] לאספים *laaſupphim.* Vide ad vſ. 15.

18. *Ad Pharbarem*] לפרבר *lepharbar.* LXX. Intt. habent εἰς διαδεχομένους, quod quid ſit, nec quî conveniat Hebraicæ voci non intelligo. Vulgatus, *in cellulis quoque janitorum*, non meliùs. Chaldæus verò interpretatur, קלפי ברא *foras versùs.* Sunt qui velint nomen hoc idem eſſe ac פרור pharvar, *ſuburbium*, quod ſpectaret hæc janua ad ſuburbia. Quidquid ſit, janua fuit in latere occidentali Templi, de qua vide *Joan. Lightfootii* Deſcript. Templi Cap. V. Sect. I.

20. *E Levitis*] הלוים *hallevijim*, pro מהלוים mehallevijim, *è Levitis.*

21. *Orti Lahdane fuerunt*] *Filii Lahdanis filii Gerſonitæ Lahdani capita patrum Lahdani Gerſonitæ Jechieli.* Senſum hinc extudimus quem potuimus, & quem tamen præſtare nolimus, qui an hæc ſatis emendatè ad nos pervenerint neſcimus.

23. *Erant ſua munera*] Hoc ſupplevimus, quod neſcio quid ſimile deeſſe videatur, nec ulla alioqui ſit conſtructio. Si quid melius inveniatur, libenter amplectemur. Dativum habent hîc LXX. & Vulgatus, ſine conſtructione. Chaldæus ſimpliciter exſcripſit Hebraïca.

24. *Præerat theſauris*] *Dux* (נגיד nagid) *ſupra theſauros.*

25. *Quod adtinet ad* &c.] *Et fratres ejus Elihezeri*; qui alter Moſis filius fuit. Vide Exod. XVIII, 4. & Cap. XXIII, 15. & ſeqq.

27. *E bellicis manubiis*] *E bellis & è ſpolio.*

29. *In negotiis externis*] למלאכה החיצונה *ad negotium externum.* Cùm hi Judices fuiſſe dicantur, non video quodnam *negotium externum* iis fuerit, niſi præfecti fuerint juri dicundo, inter Iſraëlitas & peregrinos. Sed nihil adfirmo.

30. *In omnibus negotiis* &c.] In iis quæ pertinebant ad jura Templi & Sacerdotum, & ad jura regia; non poterant enim hæc omnia à paucis adminiſtrari.

In CAPUT XXVII.

1. I*Ngredientes* &c.] Inchoantes munus ſuum, initio menſis & deſinentes unà cum menſe. Non videntur hæ copiæ conveniſſe Jeroſolimam, quod factum non fuiſſet, ſine maximis ſumtibus Regis & Iſraëlitarum non exiguo incommodo. Sed paratæ erant ducum imperiis parere, ſi quid contigiſſet; dum ceteræ copiæ, ſi neceſſe eſſet, convenirent.

2. *Pa-*

Digitized by Google

menſem primum præerat Jaſobehamus, Zabdielis filius, & in ejus claſſe erant viginti
quatuor millia *virorum*. 3. *Erat* è poſteris Pheretſi, & primus omnium ducum exer-
cituum, in menſem primum. 4. Claſſi menſis ſecundi præerat Dodaïs Achochita, &
ſub eo dux claſſis erat Miklothus, claſſis ejus in qua erant viginti quatuor millia *viro-
rum*. 5. Dux exercitûs tertii, menſe tertio, erat Benaja filius Jehojadæ Sacerdos, &
princeps erat claſſis viginti quatuor millium *virorum*. 6. Is Benaja fortis fuit inter
triginta *fortes*, imò ſupra quàm *alii* triginta, ejúſque claſſis *ſub eo dux erat* Hammiza-
badus, ejus filius. 7. Quartus quarti menſis *dux fuit* Haſaël Joabi frater, & Ze-
badja, filius ejus, poſt eum; ac in claſſe ejus *erant* viginti quatuor millia *virorum*.
8. Quintus quinto menſe dux *fuit* Samhuthus Jizrachita, & in claſſe ejus *erant* vigin-
ti quatuor *virorum* millia. 9. Sextus ſexto menſe *fuit* Hira, Hikkeſi filius, Thekohi-
ta, & in ejus claſſe erant viginti quatuor millia 10. Septimus ſeptimo menſe fuit
Cheletſus Phelonita ex Ephraïmitis, & in ejus claſſe fuerunt viginti quatuor mil-
lia *virorum*. 11. Octavus, octavo menſe, Sibbechais Chuſathita ex Zarchitis, &
in ejus claſſe *erant* viginti quatuor millia *virorum*. 12. Nonus, nono menſe, Abi-
hezer Hannathothita, ex Benjaminitis, & in ejus claſſe *fuerunt* viginti quatuor mil-
lia *virorum*. 13. Decimus, decimo menſe, Maharaïs Netophatita, ex Zarehitis,
& in ejus claſſe *fuerunt* viginti quatuor millia *virorum*. 14. Undecimus, undeci-
mo menſe, fuit Benaja Phirathonita, ex Ephraïmitis, & in claſſe ejus *fuerunt* vi-
ginti quatuor millia *virorum*. 15. Duodecimus, duodecimo menſe, fuit Chel-
daïs Netophathita ex Hothnielitis, & in ejus claſſe *erant* viginti quatuor millia *vi-
rorum*.

16. Tribubus Iſraëlis *hi* præfecti *fuerunt*; & Rubenitis quidem Elihezer Zichris
filius; Simeonitis verò Sephatja, Mahachæ filius; 17. Levitis Chaſabja, Kemuë-
lis filius; Aharonis *poſteris* Tſadokus; 18. Judæ *poſteris* Elihuus è fratribus Davi-
dis; Iſſaſcharitis Homris, Michaëlis filius; 19. Zabulonitis Jiſmaja, Hobadjæ filius;
Nephthalitis Jeremothus Hazrielis filius; 20. Ephraimitis Hoſea Hazarjæ filius;
Dimidiæ Tribui Manaſſæ *ad occaſum Jordanis* Joël, Phedajæ filius; 21. *alteri* di-
midiæ parti Manaſſæ, Galahaditidem verſûs, Jiddo, Zecharjæ filius; Benjaminitis
Jahaziel, Abneri filius; 22. Danitis Hazarel, Jerochami filius. Hi fuerunt principes
Tribuum Iſraëlis. 23. Non recenſuit David numerum eorum à viginti annos natis, ad
minores natu, quia dixerat Jehova, ſe Iſraëlem inſtar ſtellarum cœli aucturum; 24. &
Joabus quidem, Tſerujæ filius, cœperat numerare, ſed non abſolvit, proptereáque
ex-

2. *Jaſobehamus*] Primus primæ Triadis fortium virorum, Cap. XI, 11.

3. *Primus omnium ducum* &c.] Nempe, ducum qui ſequuntur, nam ceteroqui penes Joabum erat ſumma imperii.

4. *Dodaïs*] דודי *Dodaï*. Idem eſſe videtur, qui fuit ſecundus ejuſdem Triadis, vocatúrque Cap. XI, 12. אלעזר בן דודו האחוחי *Elehazar Dodonis filius Achochita*.

6. *Inter triginta*] Vide 2. Sam. XXIII, 24.

7. *Hazaël*] Vide 2. Sam. XXIII, 25. 1. Ephem. XI, 26. Nam potuit vivus tot hominum millibus præeſſe, eo enim vivo, Davidi nondum totus Iſraël parebat, ut liquet ex 2. Sam. II, 23. Sed honoris causâ videtur hæc claſſis, cui filius præerat, de patris defuncti nomine appellata.

8. *Samhuthus Jizrachita*] שמהות היזרח *Schamhouth haijizrahh*. Sunt qui putant eumdem eſſe ac *Sammothum Haroditam* Cap. IX, 27.

9. *Hira*] Vide Cap. XI, 28.

10. *Cheletſus*] Vide Cap. XI, 27.

11. *Sibbechaïs*] Vide Cap. XI, 29. XX, 4. *Ex Zarchitis*] Poſteris Zerachi Judæ filii, Gen. XLVI, 11.

12. *Abihezer*] Vide Cap XI, 28.

13. *Maharaïs*] Vide Cap. XI, 30.

14. *Benaja*] Vide Cap. XI, 31.

15. *Cheldaïs*] Videtur idem fuiſſe, qui vocatur *Cheled* חלד Cap. XI, 30.

Hothnielitis] Poſteris fratris Chalebi, cujus gener fuit Hothniël Joſ. XV, 17.

17. *Chaſabja*] Vide Cap. XXVI, 30.

Tſadokus] Sub Salomone Pontifex Maximus.

18. *Elihuus*] Vocatur אליאב *Eliab* 1. Sam. XVI, 6.

20. *Ad occaſum Jordanis*] Hoc addidi, quia in ſequentibus verbis memoratur altera pars Tribûs Manaſſæ, quæ ad ortum Jordanis ſedes habebat.

22. *Hi fuerunt principes* &c.] Mirum eſt Aſeri Tribum hîc omitti. Crediderim à Librariis caſu factum, potiuſquàm certo conſilio.

23. *A viginti annis* &c.] Non ſolebant hi cenſeri. Vide Num. I, 3, 26. Quare miror dici hîc Davidem eos, qui vigeſimum annum non attigiſſent, omiſiſſe; quia promiſerat Deus ſe aucturum Iſraëlitas, inſtar ſtellarum. Sed fortè hæc fuit ratio communis omnibus, qui cenſum Iſraëlis, à temporibus Moſäïcis, inſtituerant, non illi peculiaris ac propria. Omittebant, ſi vera eſt hæc conjectura, juniores, ne dubitare viderentur de promiſſionis divinæ impletione.

24. *Cœperat numerare* &c.] A viginti annos natis ad grandioris ætatis homines; ſed duas Tribus omiſit, ut habemus Cap. XXI, 6.

Nec

excanduit ira Jehovæ in Iſraëlem, nec *poſtea* pervenit *Iſraëlitarum* numerus, ad numerum *qui exſtat* in Ephemeridibus Regis Davidis.

25. Theſauris regiis præfectus fuit Hazmavethus, Hadielis filius, at opibus *ſitis* in agris, in urbibus, in villis, & in turribus, præfectus erat Jonathan, Huzzijæ filius. 26. Illis qui opus ruſticum faciebant, ad terræ culturam, præerat Hezris, Chelubi filius. 27. Vineis præerat Simhis Ramathita; cellis verò vinariis, quæ erant in vineis, Zabdis Siphmita. 28. Olivetis & ſycomoris, quæ erant in planitie, Bahal-Chanan Gederita, cellariis verò olei Johaſus. 29. Bubus, qui paſcebant in Sarone, Sitris Saronita; & bubus, qui paſcebant in vallibus, Saphatus Hadlaïs filius. 30. Camelis Obil Iſmaëlita, aſinabus Jachdeja Meronothita. 31. Minoribus pecudibus Jazizus Hagerita. Hi omnes fuerunt præfecti opibus Regis Davidis.

32. Jonathan verò patruus Davidis, conſiliarius, cùm eſſet vir prudens, & ſcriba etiam erat; at Jechiel, Chachmonis filius, erat cum Regis filiis. 33. Achithophel conſiliarius erar Regis, & Chuſaïs Archita ejus amicus. 34. Poſt Achithophelem *fuerunt* Jehojadah, Benajæ filius, Ebiathar & dux exercitûs regii Joabus.

XXVIII. Da-

24. *Nec poſtea pervenit* &c.] *Et non adſcendit numerus in numerum verborum dierum Regis Davidis.* LXX. Intt. habent Οὐ κατεχωρίσθη ὁ ἀριθμὸς ἐν βιβλίῳ λόγων τῶν ἡμερῶν βασιλέως Δαυίδ. Vulgatus: *idcirco numerus eorum, qui fuerant recenſiti, non eſt relatus in faſtos Regis David*; quaſi legiſſent, aut certè legendum crediſſent pro במספר bammiſphar, *in numerum*, בספר baſſepher, *in librum*. Certum eſt plenum numerum omnium Iſraëlitarum non potuiſſe referri in Ephemeridas Regis Davidis, quia cenſus à Joabo perfectus non eſt; attamen is non videtur eſſe Hiſtorici Sacri ſenſus, qui hoc vult, à temporibus Davidici cenſûs tam numeroſum non fuiſſe Iſraëlem, ſeu propter bella, ſeu propter morbos. Alioqui dicendum fuiſſet, non לא עלה במספר, ſed לא עלה על ספר *non adſcendit in librum.*

25. *Theſauris regiis*] *Theſauris Regis*, qui in regia ſervabantur.

Opibus ſitis in agris] Hìc quoque eſt האוצרות *haotſeroth*; ſed intelliguntur proventus agrorum, ſeu fructus ipſi agrorum regiorum. Eâ enim voce, apud Hebræos, ſignificatur collectio quarumvis divitiarum, ut liquet etiam ex vſſ. 27, & 28.

28. *In planitie*] בשפלה *baſſchphela*. Pars fuit agrorum Tribûs Judæ, ut Jud. I, 9. de qua egimus ad Abdiæ vſ. 9.

29. *In Sarone*] Cùm fuerint varia loca ejus nominis, intelliguntur hìc pinguia paſcua, circa Joppen & Liddam. *Hieronymus* ad Eſaïæ Cap. XXXIII. p. 273. Edit. Bened. *Saron autem omnis juxta Joppen Liddámque appellatur regio, in qua latiſſimi campi, fertileſque tenduntur. Euſebius* in locis: ΣΑΡΩΝ, Ἡ πεδιάς· ἕως ἐκαλεῖτο ἡ Σαρὼν, ἡ ἀπὸ τοῦ Θαβὼρ ἐπὶ τὴν Τιβεριάδα λίμνην χώρα, καὶ ἄλλος δὲ Σαρωνᾶς ἡ ἀπὸ Καισαρείας εἰς Ἰόππην χώρα. interprete *Hieronymo*: SARON, *cujus & Eſaias meminit dicens, in paludes verſus eſt Saron. Uſque in præſentem autem diem, regio inter montem Thabor & ſtagnum Tiberiadis Saronas appellatur. Sed & à Cæſarea Palæſtina, uſque ad oppidum Joppe, omnis terra quæ cernitur dicitur Saronas.* Hoc de loco, egit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 31. Deducit hoc nomen à שור *proſpexit*, quia nullibi latiùs patet proſpectus, quàm in campis apertiſſimis. Sed nihil opus eſt Etymologias omnium nominum quærere; quæ ſunt plerumque incertæ, niſi hiſtoriâ nitantur.

30. *Camelis Obil*] Non exiguam partem divitiarum Orientalium ſitam fuiſſe in camelis, ex multis Scripturæ locis liquet. Vide Job. I, 3. XLII, 12. Qua de re egit etiam copioſè *Sam. Bochartus* Hieroz. P. I. Lib. II. c. 2. ubi & hoc obſervat de nomine Præfecti camelorum, Arabicè אביל *abil* ſignificare *præfectum camelorum.* LXX. Intt. habent in Cod. Vaticano Ἀβίας pro Ἀβιλ, in Alexandrino Οὐβίλας, Vulgatus, *Ubil.*

Meronothita] המרנתי *bammeronothi* LXX. Intt. ἐκ Μεραθὼν, vel Μαραθὼν. Vulgatus, *Maronathites.* Idem occurrit 2. Eſdr. III, 7. Nomen eſt incolarum pagi cujuſpiam ceteroqnin ignoti.

31. *Jazizus Hagerita*] ההגרי *babageri*. LXX. Ἀγαρίτης, Vulg. *Agaræus*, Chaldæus, ההגראה *bageraah*. Erant populi Arabiæ, quos *Ptolemæus* vocat *Agræos*. Vide Cap. V, 10, 19. Videtur David elegiſſe homines è gentibus vicinis, quæ peritiſſimæ habebantur eorum, ad quæ viros hìc memoratos adhibuit.

32. *Jonathan verò patruus*] דוד דויד *dod David.* Alibi ejus mentio non occurrit.

Scriba] ספר *Sopher.* Scriba, nempe, Regius.

Cum Regis filiis] Eorum educationi, inſtitutionique præerat.

33. *Achitophel*] Ante conſpirationem, nempe, Abſalomi. Vide 2. Sam. XV, 12. & ſeqq.

Chuſais Archita] Vide 2. Sam. XV, 32.

In CA-

XXVIII. David, principibus Iſraëlis convocatis, orationem habet, in qua conſilium ſuum de ædificando Templo exponit; cujus conſilii exſequutionem mandat Salomoni filio, cui formam ædificii & omnem apparatum tradit. Simul eum ad religioſum unius veri Dei cultum hortatur.

1. CONVOCAVIT David omnes principes Iſraëlis, principes Tribuum, principes Caput
claſſium miniſtrantes apud Regem, Chiliarchos, Centuriones, & præfectos XXVIII
omnes opibus, poſſeſſionibúſque Regis & filiorum ejus, cum Eunuchis, viriſque
ſtrenuis, & fortibus quibuſvis, Jeroſolimam. 2. Tum pedibus inſiſtens Rex David, au-
dite me, inquit, fratres & populares mei. Erat quidem mihi animus ædificare Ædem,
in qua quieſceret Arca fœderis Jehovæ, & quæ eſſet ſcabellum pedum Dei noſtri, &
paraveram *omnia* ad ædificandum. 3. Verùm Deus mihi dixit: non exſtrues Ædem no-
mini meo, quia vir es militaris & qui ſanguinem multum effudiſti. 4. Jehova Deus Iſraë-
lis me elegit ex tota patris mei familia, ut eſſem Rex Iſraëlis in perpetuum; nam Judam
elegit ducem, & in familia Judæ domum patris mei, ac in filiis patris mei ei viſum eſt
me Regem conſtituere totius Iſraëlis. 5. Ex omnibus verò filiis meis (nam multos mihi
dedit Jehova) elegit Salomonem filium meum, ut ſedeat in ſolio regio Jehovæ in Iſraëlem.
6. Dixit autem mihi *Deus*: Salomo filius tuus Ædem meam & atria mea exſtruet; eum
enim elegi mihi, ut ſit mihi filius, ſímque ei patris loco. 7. Confirmabo regnum ejus
in perpetuum, ſi modò conſtans ſit in obſervandis præceptis meis, & legibus, quemad-
modum hodie *facit*. 8. Nunc ergo coram toto Iſraële, cœtu Jehovæ & audiente Deo
noſtro, *vos obteſtor*; obſervate & quærite omnia præcepta Jehovæ Dei veſtri, ut fertilem
hanc terram poſſideatis, útque poſſidendam poſteris veſtris in perpetuum tranſmittatis.
9. Tu verò, ô Salomo fili mi, cognoſce Deum patris tui, eúmque integro
corde & lubente animo colito; Jehova enim omnes animos ſcrutatur, &
quid-

In Caput XXVIII.

1. P*Rincipes Tribuum*] Vide Cap. XXVII, 16.

Principes Claſſium] Vide Cap. XXVII, 1, 2, & ſeqq.

Præfectos omnes &c.] De quibus capite ſuperiore vſ. 25, & ſeqq.

Eunuchis] סריסים *Sariſim*. Εὐνούχους *Eunuchos* verterunt LXX. Intt. & Vulgatus. Ac ſanè in aulis Regum Orientis, vulgò Eunuchorum operam adhibitam fuiſſe ſatis conſtat. Sed poſſet etiam ſignificari quivis Aulicus, ut diximus ad Geneſ. XXXVII, 36.

Strenuis & fortibus quibuſvis] *Fortibus & omni forti robore*. Repetitio Hebraica. LXX. tamen diſtinguunt, habent enim: τοὺς δυνάστας καὶ τοὺς μαχητὰς τῆς στρατιᾶς. Vulgatus: *potentes & robuſtiſſimos quoſque*.

2. *Pedibus inſiſtens*] *Et ſurrexit ſuper pedes ſuos*. Ut facilius ab omnibus audiretur, vel ut blandiùs eos compellaret.

Populares mei] עמי hammi, *popule mi*.

Erat quidem mihi animus] Vide ad Cap. XXII, 3.

Ædem, in qua quieſceret] *Domum quietis*.

Quæ eſſet ſcabellum] ולהדם *& in ſcabellum*. Sic dicitur Arca Pſ. XCIX, 5. CXXXII, 7. LXX. Intt. ὑποπόδιον ποδῶν, & Vulgatus, *ſcabellum pedum*. Sic loquitur quaſi rerum univerſitatem pro Dei ſede habens, in qua Templum & Arca ſint inſtar ſcabelli, hoc eſt, veluti viliſſimum omnium ejus utenſilium, quale ſolet eſſe ὑποπόδιον, Chaldæus habet: כבש כורסי יקרא *ſcabellum throni gloriæ*, ita ut intelligatur Deus veluti in cœlo ſedere, ſed habere ſcabellum in terris & quidem in Templo Jeroſolimitano. Quæ metaphoricæ loquutiones ſignificant Deum Templo & Arcæ adfuiſſe.

3. *Non exſtrues* &c.] Vide ad Cap. XXII, 8.

4. *Judam elegit ducem*] Hoc eſt, voluit primum dignitatis locum inter Tribus Iſraëlis obtinere. Vide Gen. XLIX, 8. & ſeqq. Pſ. LX, 9.

7. *Conſtans ſit in obſervandis* &c.] אם יחזק לעשות *ſi confirmetur ad faciendum*.

8. *Coram toto Iſraële*] Coram proceribus, qui totius populi perſonam ſuſtinebant, multiſque regiis miniſtris & Jeroſolimitanis.

Vos obteſtor] Quaſi eſſet העידותי בכם *habidothi bachem*, quod eſt neceſſariò ſubaudiendum, nam hæc verba *coram toto Iſraële & audiente Deo noſtro*, pertinent ad formulam obteſtationis coram teſtibus factæ; nec verba ſequentia, *obſervate* &c. commodè cum ſuperioribus conjungi poſſunt.

Quærite omnia &c.] In ea inquirite, ita ut probè intellecta & memoriæ mandata obſervetis eâ, quâ par eſt, religione. Scriptor Græcus dixiſſet ζητεῖτε καὶ φυλάττετε. Latinus, *quærite & obſervate*; ſed ſæpe obſervavimus Hebræos ordinis verborum uſque adeò obſervantes non eſſe, ut poſtponant quod ex rei natura præponendum eſſet.

9. *Cognoſce Deum*] Da operam ut cognoſcas quid de ſe patefecerit, quid præceperit Hebræis, & quid in eorum gratiam fecerit.

Lubente animo] בנפש חפצה *in anima volente*, non invitus, atque externâ tantum ſpecie.

Omnes animos ſcrutatur] *Omnia corda inquirens*. Niſi hoc eſſet, ritibus ſolis coli poſſet Deus, quamvis animo non coleretur.

 Quid-

quidquid cogitando fingimus novit. Si eum quæſiveris, invenietur à te; ſin verò eum deſerueris, te in perpetuum abjiciet. 10. Vide nunc Jehovam te elegiſſe, ad condendam Ædem Sacrarii; conſtante animo eſto, idque exſequitor.

11. Tum dedit David Salomoni filio formam porticûs, conclavium ejus, cellariorum, cœnaculorum, penetraliúmque interiorum, & Ædis operculi, 12. formámque omnium eorum, quæ animo conceperat, de atriis Ædis Jehovæ, omnibus ejus cubiculis circumquaque, apothecisque Ædis Dei, & apothecis rerum conſecratarum. 13. *Dedit etiam deſcriptionem eorum*, quæ pertinebant ad claſſes Sacerdotum & Levitarum; ad omne opus miniſterii Ædis Jehovæ; ad omnia vaſa, quibus in ea uterentur; 14. ad aurum, pro ejus pondere; ad omnia vaſa ſingulorum miniſteriorum; ad omnia vaſa argentea, pro eorum pondere, omnia *prorſus* vaſa, cujuſcumque eſſent uſûs. 15. *Dedit &* pondus candelabrorum aureorum, eorúmque lucernarum aurearum, pro pondere uniuſcujuſque candelabri ac lucernarum ejus; & candelabrorum argenteorum, pro pondere candelabri & lucernarum ejus, ac ſingulorum uſu; 16. pondus item auri in menſas inſtructas, pro ſingulis menſis, & argentum menſis argenteis; 17. in fuſcinas etiam, crateres & pateras, aurum purum; in ſcyphos tectos aureos certo pondere *faciendos*, & in ſingulos quidem ſcyphos; in argenteos ſcyphos tectos certo pondere *faciendos*, & in unumquemque ſcyphum; 18. in altare ſuffitûs, aurum purgatum, certo pondere; ac *tandem*

Quidquid cogitando effingimus] *Omne figmentum cogitationem.* Pulcrè hanc in rem, ut alia multa, *Epictetus* Lib. II. c. 14. Οὐκ ἀπαρκεῖ τὸ βούλεσθαι καλὸν καὶ ἀγαθὸν γενέσθαι, χρεία δὲ καὶ μαθεῖν τινα. ζητοῦμεν ἂν τίνα ταῦτα λέγουσιν οἱ φιλόσοφοι, ὅτι μαθεῖν δεῖ πρῶτον τοῦτο, ὅτι ἔστι Θεὸς, καὶ προνοεῖ τῶν ὅλων· καὶ οὐκ ἔστι λαθεῖν αὐτὸν οὐ μόνον ποιοῦντα, ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενον ἢ ἐνθυμούμενον. *Non ſatis eſt velle honeſtum & bonum eſſe, opus eſt & quædam diſcere. Quæramus ergo quænam illa dicant eſſe Philoſophi. Nimirum, primum hoc diſcendum eſt, eſſe Deum, eúmque omnia providentiâ regere, nec quemquam ei quidpiam occultare poſſe non tantùm agentem, ſed etiam cogitantem & animo verſantem.*

Si eum quæſiveris &c.] Ad eum confugeris, opémque ejus imploraris. Vide Cap. XXI, 30.

Te in perpetuum abjiciet] יזניחך לעד *jaznibbacha labad.* Aut *amovebit*: nimirum, à regno. Vide 2. Ephemer. XXIX, 19. Promiſerat quidem Deus Davidi, ut antea vidimus, non futurum hoc; ſed ſciebat David pendere promiſſum illud ex Salomonis religione, cùm Deus minimè promiſiſſet ſe ei adfuturum, quomodocumque ſe gereret.

11. *Formam porticûs*] Hinc videmus deſcriptionem Templi ingenio Salomonis minimè debitam fuiſſe. Eſt hic אולם *oulam*, quod LXX. Intt. malè ναὸν, bene *porticum* interpretatus eſt Vulgatus. Porticibus erant cincta atria, ut poſſent accedentes illic, ardente ſole, in umbra, aut pluviâ cadente, ſine humoris incommodo, ambulare.

Cellariorum &c.] Ad januas enim exterioris atrii, ſupra, & juxta porticum varia erant conclavia in uſum Templi; qua de re conſuli poterit deſcriptio Templi Jeroſolimitani conſcripta à *Joanne Lightfootio.*

Ædis operculi] בית הכפרת *beth hachapporeth.* Sic vocatur ſynecdochicè tota Arca, cui impoſitum erat כפרת *chapporeth*, ſeu operculum, de quo egimus ad Exod. XXV, 17. LXX. Intt. habent οἶκον τ̃ ἐξιλασμοῦ, quaſi reſpiceretur ad propitiationem quæ quotannis in Adyto fiebat, verùm numquam propitiandi actio כפרת *chapporeth* dicitur ab Hebræis, ſed כפור *chippour*, aut כפורים *chippourim.* Rectiùs Hieronyms: *domûs propitiatorii*, quo nomine vocari ſolet operculum Arcæ.

12. *Quæ animo conceperat*] *Omnis quod in ſpiritu fuerat cum illo*, ברוח עמו *barouahh bimmo*, LXX. Intt. ὃ εἶχεν ἐν πνεύματι αὐτοῦ, Vulgatus: *quæ cogitaverat.* At Chaldæus de ſpiritu prophetiæ interpretatur: ברוח נבואה דעימה *in ſpiritu prophetiæ, qui eum illo erat.* Vide vſ. 9.

Apothecis ædis Dei &c.] Aliis Apothecis continebantur metalla pretioſa, ad Ædem pertinentia; aliis quæcumque in uſum ejus conſecrabantur, ut oleum, farina &c. Vide Cap. XXII, 20.

13. *Dedit etiam deſcriptionem eorum*] Hæc, perſpicuitatis causâ, addenda fuerunt Latinè loquenti, quod non liceret repetere ex antecedentibus δὼς τ̃ κοινῦ, *dedit formam.* Neſcio etiam an ſatis propriè dicere poſſent Hebræi: יִתֵּן לוֹ תַּבְנִית לְמַחְלְקוֹת הַכֹּהֲנִים *dedit illi formam claſſium Sacerdotalium*, nam תבנית *thabnith*, formam, aut figuram rerum materialium ſignificat. Sed improprietates fert ſermo Hebraicus, quas Latinus minimè ferre poſſet.

Quibus in eo uterentur] Repetitur hîc *Ædis Jehovæ*, loco pronominis.

14. *Pro ejus pondere*] *Pro pondere auri.*

Singulorum miniſteriorum] *Miniſterii & miniſterii.* Similes loquutiones occurrunt, in ſequentibus, ubi de argento.

15. *Uniuscujuſque candelabri*] *Candelabri & candelabri.*

Pro ſingulorum uſu] *Secundùm miniſterium candelabri & candelabri.*

16. *Pondus item auri* &c.] *Et aurum pondus menſis ſtructionis, menſæ & menſæ.* שלחנות המערכה ſunt menſæ quibus ſtrues liborum, aut panum, aut aliarum dapum imponebantur, qualis erat menſa illa aurea, quæ intra Sanctuarium fuit. In Tabernaculo Moſaïco, fuit dumtaxat una menſa aurea, quam collocari oportuit in Sanctuario; nullarum aliarum mentio fit, Exodi XXV. ubi deſcribitur. Sed in magnifico hoc Templo, quod à Salomone ædificatum eſt, plures menſæ fuere & aureæ & argenteæ, uſibus ſacris adtributæ, quamquam omnes eos uſus nunc explicare non poſſumus. Vide *Joan. Lightfootium* in Deſcript. Templi C. XXXVII. S. 4.

17. *In*

dem in formam currûs Cheruborum aureorum, extendentium alas & tegentium Arcam fœderis Jehovæ. 19. Hæc omnia, *inquiebat David*, Jehova, cùm manum mihi impoſuiſſet, opificiáque omnia exemplaris, delineatione, ut intelligerem effecit.

20. Dixit præterea David Salomoni filio: conſtanti & forti animo eſto, facitóque *quæ dixi*. Ne timeas, neque deterrearis, nam Deus Jehova, Deus meus, tibi aderit, nec te deferet, aut derelinquet, donec abſolveris omnia opificia *neceſſaria* uſui Ædis Jehovæ. 21. En *habes* claſſes Sacerdotum & Levitarum, ad omnia Ædis Dei miniſteria. Tecum etiam ſunt in omni opere, quod à quovis ſponte ſe offerente peritè *fieri debet*, & ad omne miniſterium *parati*, & principes & totus populus, pro omnibus tuis imperiis.

XXIX. David ingentia donaria conſecrat, & à principibus impetrat ad ædificandum Templum. Tum Deo gratias agit & preces pro Salomone fundit, coram omni populo, feſtúmque diem celebrat. Ei mortuo ſuccedit Salomo.

1. DIXIT deinde David Rex toti cœtui: Salomo filius meus, quem unum Deus elegit, puer eſt & tener, opus verò magnum; neque enim homini palatium, ſed Deo Jehovæ *ædificandum eſt*. 2. Omnibus viribus, paravi Ædi Dei mei au- CAPUT XXIX.

17. *In ſcyphos tectos*] Vocantur Hebraïcè כפורים *Chephorim*, LXX. Intt. verſio hîc mendoſa eſt, vocat enim hæc vaſa θυΐσκαις χεφουρὶ, *thuribula Kephure*, ſervatâ voce Hebraicâ, eáque cum Græca conjunctâ, cùm alterutra tantùm eſſe debuerit. Vulgatus vertit *leunculos*, quia כפיר *chephir* eſt catulus leonis. Nos verò, cùm ſermo ſit de vaſe, *ſcyphum tectum* vertimus, à ſignificatione Arabica radicis כפר quâ *tegere* ſignificat; ut intelligantur ſcyphi, aut ejuſmodi vaſa, quibus impoſitum eſſet operculum.

In ſingulos quidem ſcyphos &c.] *Scypho & ſcypho.*

18. *In formam currûs*] לתבנית המרכבה *ltbabnith hammerchabah*. Rectè LXX. Τὸ παράδειγμα τοῦ ἅρματος τῶν Χερουβίμ. Vulgatus minus commodè, *ut ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim.* Vocem מרכבה ſimpliciter *currum* vertimus, non *quadrigam*; quia Salomo duos tantùm Cherubos fecit, (de quibus I. Reg. C. VI, 23. & ſeqq.) qui potiùs proinde *biga*, quàm *quadriga*, dici deberent. Sed *Hieronymus* reſpexit ad Ezech. C. I. ubi quatuor Cherubi deſcribuntur, thronum Dei vehentes. Eodem fortè etiam reſpexit hujus libri Scriptor. Sanè Arca, quæ peculiaris ſedes Dei habebatur, potuit veluti currus ejus deſcribi. Vide Pſ. XVIII, 11.

19. *Hæc omnia Jehova* &c.] *Hæc omnia in deſcriptione* (במכתב bmichthab) *à manu* (מיד mijjad, quod *ob manum* verti queat.) *Jehovæ ſuper me, intelligere fecit omnia opificia exemplaris. Manus Dei ſuper Propheta* eſſe dicebatur, cùm hic revelationem ab eo accipiebat, ut liquet ex 2. Reg. III, 15. ac proinde intelligere quidpiam מיד *mijjad*, à manu Dei ſuper ſe, perinde eſt ac revelatione divinâ rem edoceri. Addit David במכתב, *deſcriptione*, quòd in ſomnis, aut in ecſtaſi vidiſſet, *deſcriptionem*, aut delineationem Templi, ejúſque ſupellectilis; quam deſcriptionem vocat etiam תבנית *formam*, aut *exemplar*. Simile quidpiam in gratiam Moſis fecerat Exod. XXV, 40. cùm ei in monte oſtenderat Tabernaculi, omniúmque ad id pertinentium formam. Sunt autem verba hæc Davidis, quare ſupplevi, *inquiebat David*.

Hæc cùm non ſint difficilia intellectu, conſentiántque cum Hebraïcis verbis, mirum eſt quàm incommodè à pleriſque Interpretibus hic locus verſus ſit. LXX. Intt. habent: πάντα ἐν γραφῇ χειρὸς Κυρίου ἔδωκε Δαυὶδ Σαλωμὼν κατὰ τὴν περιγενηθεῖσαν αὐτῷ σύνεσιν τῆς κατεργασίας τοῦ παραδείγματος. Quæ violenta ſunt paraphraſis. Nec multò melius Vulgatus: *omnia, inquit, venerunt ſcripta manu Domini ad me, ut intelligerem univerſa opera exemplaris.* Recentiores non moror, qui vim ſingulatum loquutionum non magis attenderunt. Chaldæus habet: כולא בכתבא מן יד דיי הוה עלי לאסתכל בכל עבידת צורתא *omnia hæc delineatione, poſtquàm manus Jehovæ fuit ſuper me, ut intelligerem omne opificium exemplaris*; nimirum, *tibi trado*, aut quid ſimile. Qui ſenſus nequaquam ineptus eſt.

20. *Deus Jehova*] *Jehova Deus*; hoc eſt, Deus qui nomine Jehovæ nuncupari voluit. Quo in nomine, hic prolato, peculiaris eſt ἔμφασις, etenim eo *creatorem* ac χυτουργὸν ſignificari oſtendimus ad Exod. VI, 3. Vult David Salomoni animum eſſe conſtantem & bonâ ſpe plenum, fore ut abſolveret opus Templi; quia Deus ille, qui effecerat ut quæcumque ſunt extiſterent, ei ad extremum erat adfuturus.

21. *In omni opere* &c.] Hoc eſt, tibi ſponte ſua aderunt omnes Iſraelitæ, quicumque periti erunt horum operum. *Peritè* vertimus quod eſt Hebraïcè *in ſapientia*; quia, ubi de artibus ſermo eſt, peritiam vulgò ſignificat *ſapientia*.

Pro omnibus tuis imperiis] *Ad omnia verba*, aut *dicta ſua*.

In CAPUT XXIX.

1. P*Uer eſt & tener*] Vide ad 1. Reg. III, 7.

Deo Jehovæ] Deo Iſraelis, & à quo omnia creata ſunt. Non ignorabat David quod filius ejus Salomo, luculentâ oratione, in dedicatione Templi, profeſſus eſt; Deum propriè loquendo in Æde quantævis magnificentiæ nequaquam habitare, neque homines poſſe ullam Ædem Deo dignam condere; at cùm nos non animo tantùm, ſed etiam corpore oporteat religioſos eſſe & videri, cúmque plebs, qualis erat erat Hebræa, maximè caperetur iis quæ ſenſus afficiunt, credidit quàm ſplendidiſſimum Tem-

 plum

aurum ad aurea, argentum ad argentea, æs ad ænea, ferrum ad ferrea, ligna ad lignea *opificia facienda*, lapillos Soham, & inſitivos, lapillos ornatui & phrygionico operi *aptos*, omniſque *generis* lapillos pretioſos, & marmoreos lapides multos. 3. Præterea cùm delecter Æde Dei mei, eſt mihi peculium auri & argenti, quo donabo Ædem, præter omnia quæ paravi, ad *condendam* Ædem Sanctuarii. 4. Sunt mihi tria millia talenta auri, auri, *inquam*, Ophirenſis, & ſeptem millia talenta argenti purgati, quibus obducantur conclavium parietes; 5. *ita ut* aurum *conjungatur* auro, argentum argento, ad omne opificium, manu artificum *perficiendum*. Quis verò præterea ſponte offeret, ita ut plenâ manu hodie Jehovæ *aliquid conſecret?*

6. Sponte verò obtulerunt principes *familiarum* patriarum, principes Tribuum Iſraëlis, Chiliarchi, Centuriones, ad præfectos uſque negotiorum regiorum. 7. Donarunt in uſum Ædis Dei quinque millia talentorum aureorum, & Daricorum myriadem; decem millia talentorum argenti; octodecim millia talentorum æris, & centum millia talentorum ferri. 8. Ii verò, apud quos inventi ſunt lapilli, eos dederunt theſauris Ædis Jehovæ, in manum Jechielis Gerſonitæ. 9. Gaviſus eſt etiam populus, propter ſponte collata donaria, integro enim animo ſponte Deo obtulerant. Quin etiam David Rex maximo gaudio affectus eſt.

10. Tum benedixit David Jehovæ, coram toto cœtu, &, benedictus eſto, inquit, ô Jehova, Deus Iſraëlis progenitoris noſtri, ab ævo in ævum. 11. Ad te pertinent, ô Jehova, magnitudo, potentia, gloria, victoria, & honor; quandoquidem quæcumque

plum Deo eſſe ædificandum. Non pugnant ergo hæc verba Davidis cum Hebræorum & præſertim Chriſtianorum doctrina, qui verè negant Deum ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖν, ut docent Stephanus Act. VII, 48. & Paulus Act. XVII, 24. ad quæ loca vide quæ congeſſerunt *H. Grotius*, & *J. Pricæus*, unde liquet ſapientiſſimos quoſque viros omnis ævi ſimilia ſenſiſſe. Adi & *Lactantium* Lib. II. c. 5.

2. *Aurum ad aurea* &c.] *Auro aurum*, & *argentum argento* &c.

Lapillos Soham] אבני שהם *abne ſchoham*, de quibus vide notata ad Gen. II, 12.

Inſitivos, lapillos ornatui] ומלואים אבני פוך millouïm abne phouch, *impletiones, lapides Phouch*. Satis quidem conſtat voce מלואים ſignificari lapillos qui in palam inſeruntur, quales fuere lapilli pectoralis Pontificis Maximi. Sed an ejuſmodi lapilli hîc ſpectentur neſcio, cùm non de veſtibus ſacerdotalibus, ſed de ædificio Templi ſermo ſit. Nec certius eſt quinam dicantur אבני פוך, quamvis alioqui פוך *phouch*, ſtibium dicatur. LXX. Intt. habent πολυτελεῖς. *Hieronymus*, *lapides quaſi ſtibinos*, Chaldæus denique אזמרגדין *azmaragzin*, ſeu *ſmaragdos*. At Eſai. LIV, 11. בפוך *bapphouch* vertunt LXX. Intt. ἄνθρακα, Vulgatus, *per ordinem*. Generali voce uſi ſumus, cùm nihil occurreret quod exploratiùs quavis aliâ conjecturâ videtur.

Marmoreos lapides] אבני שיש *abne ſchajiſch*. LXX. πάριον πολὺν & Vulgatus, *marmor parium*. Chaldæus אבני מרמריה *abne marmeraijah*.

4. *Tria millia talenta auri*] שלשת אלפים ככרי זהב *ſchloſcheth alaphim chiccbere zahab*. Si David ſepoſuiſſet jam centum millia talentorum auri, ut habent noſtri Codices Cap. XXII, 14. exigua hæc & nullius pænè pretii fuit acceſſio, eáque prorſus inutilis; ſed ingens fuit ſumma pecuniæ per ſe ſpectata. Omiſſis Schillingis & aſſibus Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ undecim florenis Hollandicis æquiparantur, efficit quindecim milliones, ducenta viginti octo millia. Quod ſi minuenda ſit prior ſumma, hæc quoque circumcidenda erit, & *tria* fortè talenta aurea, pro *tribus millibus* erunt ponenda, hoc eſt, 15228 libras Sterlingicas, & aliquanto plus, quæ ſumma non eſt ſpernenda.

Septem millia talenta argenti] Sunt Librarum Anglicarum duo milliones, quadringenta unum & ſeptuaginta millia, omiſſis Schillingis & aſſibus aliquammultis; quæ ingens quoque eſt ſumma, & nimia quàm ut à Rege Hebræorum ſeponi poſſet. Satis fortè erit ſi *ſeptem* talenta numeremus, hoc eſt, aliquantò plus quàm 2471. Libras Sterlingicas. Sed nihil de numeris ſingillatim definimus, hoc unum licet adfirmare hîc & Cap. XXII. auctos eſſe numeros, cùm nullorum Regum, aut regnorum tantæ umquam fuerint divitiæ.

Quibus obducantur conclavium parietes] Legimus Cap. VI. 1. Regum tam Sanctuarii, quàm Adyti parietes, auro obductos fuiſſe. Quare ſi argentum hanc in rem abſumtum eſt, de alio conclavi hîc ſermo ſit neceſſe eſt.

5. *Ita ut aurum conjungatur* &c.] לזהב לזהב *auro auro*, & *argento argento*. Quod ita intelligo quaſi eſſet לדבק זהב לזהב lidbak zahab lazzahab, *ut adhæreat aurum auro*; hoc eſt, ut nulla ligni ſubjecti metallo particula conſpicua ſit, ſed totum occultetur laminis aureis. LXX. Intt. Εἰς τὸ χρυσίον τῷ χρυσίῳ, hoc eſt, ut habet Vulgatus, *ubicumque opus eſt aurum*, *de auro*. Sed ut hoc diceretur, alterum ל reſecandum fuit לזהב זהב *lazzahab zahab*, ut antea vſ. 2.

Ita ut plenâ manu &c.] *Ad implendam manum ſuam Jehovæ*; hoc eſt, ad implendam manum dono, quod Deo conſecret.

7. *Quinque millia talentorum*] Librarum Sterlingicarum viginti quinque milliones trecenta octoginta millia, reſectis in ſingulis talentis Schillingis & ſolidis, quæ ſunt præter Libras; quæ ſumma ut, ceteræ omnes, nimia eſt, quàm ut à populo Hebræo conferri poſſet.

Dari eorum myriadem] אדרכנים רבו *adarchonim ribbo*. LXX. Intt. χρυσοῦς μυρίους; Vulgatus, *ſolidos decem millia*. Videntur intelligi nummi ejuſdem ponderis, ac qui tempore Scriptoris horum librorum dicebantur *Adarchonim*, aut *Darchemonim*, qui Libram Sterlingicam quatuor

que ſunt in cœlo & in terra *tua ſunt*; ô Jehova, tuum eſt regnum, idque elatum ita ut ſit potiſſimum omnium *regnorum*. 12. Divitiæ & gloria à conſpectu tuo *manant*, tu omnibus dominaris, in manu tua ſunt robur & potentia, in manu tua eſt augmentum & confirmatio omnium *rerum*. 13. Nunc, ô Deus noſter, *beneficia* tua agnoſcimus, noménque tuum glorioſum laudamus. 14. Quiſnam enim ego *eram*, & quiſnam populus meus, ut obtineremus facultatem ſponte offerendi, quemadmodum fecimus? Nam à te ſunt omnia, & à manu tua *acceptis* te donavimus. 15. Peregrini enim eramus in conſpectu tuo & advenæ, inſtar omnium Majorum noſtrorum; dies noſtri ſunt inſtar umbræ in terra, neque ſpes ulla eſt. 16. O Jehova Deus noſter, omnes hæ noſtræ copiæ, quas paravimus ad exſtruendam tibi Ædem, & ſancto tuo nomini, à manu tua *profectæ* ſunt, & tuæ ſunt omnes. 17. Scio te, ô Deus mi, animum explorare, & recta *ejus* affectione delectari. Ego verò recto animo hæc omnia tibi ſponte obtuli, & nunc populum tuum, qui hîc adeſt, vidi hilariter tibi offerentem. 18. O Jehova, Deus Abrahami, Iſaaci & Iſraëlis, Majorum noſtrorum, ſic te gerito in perpetuum, ut fingas cogitationes animi populi tui, & cor ejus ad te dirigas. 19. Salomoni verò filio meo da animum integrum, ita ut præceptorum, admonitionum, inſtitutorúmque tuorum ſit memor, ad ea omnia obſervanda, ædificandúmque palatium, in quod *hos* apparatus feci.

20. Tum David univerſo cœtui, benedicite, inquit, Jehovæ Deo veſtro. Omnis verò cœtus benedixit Jehovæ Deo Majorum ſuorum, inclinatóque corpore ſe *omnes* proſtra-

tuor aſſibus ſuperabant, ex calculo *Ric. Cumberlandi*, quem jam ſequuti ſumus.

Decem millia talentorum argenti] Tres milliones, quingenta triginta millia Librarum Sterlingicarum; quæ ſumma non tantùm ſuperioribus addita, ſed & ſola nimia eſt; nam oportuit Hebræos multò majorem pecuniæ ſummam ſibi, in uſus quotidianos, ſervare; quod in tam exiguo regno, & cujus incolæ aratores erant, aut pecuarii, fieri non potuit.

8. *Is vero apud quos* &c.] *Et inventus ſecum lapillos, dederunt*; hoc eſt, quicumque invenerunt lapillos apud ſe eos dederunt, aut ut iis ornarentur vaſa, parietéſve aut aulæa ſacra, aut ut aliis permutarentur.

Jechielis] Ærario Sacro præfecti. Vide Cap. XXVI, 21, 22.

10. *Benedictus eſto*] Hoc eſt, lauderis, ubi de Deo ſermo eſt; cui bene eſſe precari nefas eſt, cùm malè eſſe non poſſit.

11. *Ita ut ſit*] *Omnibus in caput*, לכל לראש *lchol lroſch*.

12. *Augmentum & confirmatio*] *Augere & confirmare omnibus*.

13. *Noménque tuum glorioſum*] *Nomen gloriæ tuæ*, aut *decoris tui*.

14. *Quiſnam enim eram* &c.] Hoc eſt, neque ego, neque populares mei ullo merito noſtro tua erga nos beneficia provocavimus.

15. *Peregrini*] In terra Chananæa & in Ægypto. Vide Pſ. XXXIX, 13.

Inſtar umbræ] בצל *chatſel*. Vide Pſ. CXLIV, 4. Ut umbra nihil habet ſolidi ac permanentis: ſic & noſtra vita ſubitò evaneſcit.

Neque ſpes ulla eſt] Producendæ in perpetuum vitæ. Vide Pſ. XLIX, 9. LXXXIX, 49. Mirum eſt in ejuſmodi locis vitæ beatioris poſt hanc futuræ nullam fieri mentionem; cùm, ut videre eſt ex hiſtoria Necyomantis quam Saül adiit ut animum Samuëlis evocaret, animos ſeorſim eſſe Hebræi putarent, poſt mortem corporis. Obſcuras fuiſſe oportet eorum hac de re notiones, nec ſatis notam fuiſſe alterius vitæ felicitatem. Vocem מקוה *mikvah*, verterunt ὑπομονὴ LXX. Intt. & Vulgatus, *moram*. Sed eſt *ſpes*, *exſpectatio*. Vide Jerem. XIV, 8. L, 7.

16. *Sancto tuo nomini*] *Nomini ſanctitatis tuæ*.

17. *Animum explorare* &c.] Non tam ad dona ſpectare, quàm ad animum donantis; qui ſi religioſus ſit, pretium dono addit, quod vile tibi eſt, ſine recta animi affectione. Egregia ſunt hanc in rem & à veteribus Chriſtianis non immeritò laudata *Perſii* verba è Sat. II, 69 & ſeqq.

Dicite, Pontifices, in ſancto quid facit aurum?
Nempe, hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id Superis de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſallæ lippa propago;
Compoſitum jus faſque animo, ſanctóſque receſſus
Mentis & incoctum generoſo pectus honeſto?
Hæc cedo ut admoveam Templis & farre litabo.

Alia eamdem in ſententiam loca ſuppeditabunt *Th. Marcilius* & *Iſ. Caſaubonus Perſii* Interpretes. Vide & *Lactantium* Lib. II. c. 5.

Tibi ſponte obtuli] Quæ tibi obtuli, non quaſi grave quoddam vectigal, & quod invitus penderem, tibi conſecravi; ſed ſponte meâ, ut ex opibus meis cultui tuo decus quoddam, hominum oculis, non tuis adderem.

Hilariter tibi offerentem] Non invitum, ſed ſpontaneo animi impetu, quo oſtendit cultum tuum ſibi cordi eſſe. Vide 2. Cor. IX, 7. & ad eum locum Interpretes.

18. *Sic te gerito* &c.] *Hoc ſerva in perpetuum ad formationem cogitationum populi tui*. LXX. Intt. habent: φύλαξον ταῦτα ἐν διανοίᾳ καρδίας λαοῦ σου. Vulgatus: *cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum*.

19. *Sit memor ad ea omnia obſervanda*] *Servet & ad facienda omnia & ad ædificandum* &c.

20. *Inclinatoque* &c.] *Inclinaverunt ſe & proſtraverunt Jehovæ & Regi*; quos tamen diſſimili prorſus cultu adficiebant. Sed mos erat Orientis non aliter ſalutare Reges, quam Numina adorabantur.

 21. *Mil-*

ſtraverunt in honorem Jehovæ & Regis. 21. Deinde mactarunt victimas Jehovæ adoleverúntque holocautomata, poſtridie ejus diei, mille juvencorum, mille arietum & mille agnorum, additis eorum libaminibus, præter victimas totius Iſraëlis, ingenti copiâ. 22. Comederunt & biberunt, coram Jehova, die illo, in magna hilaritate, atque iterum conſtituerunt regem Salomonem, Davidis filium, unxerúntque Jehovæ, ut dux eſſet, & Tſadokum, ut eſſet Sacerdos.

23. Sedit itaque Salomo in ſolio Jehovæ, ut eſſet Rex loco Davidis patris ſui, eique ſecunda *omnia* fuerunt & paruit univerſus Iſraël. 24. Omnes duces, fortéſque viri, & omnes quoque ceteri filii Davidis ſe ſe ſubjecerunt Regi Salomoni. 25. Jehova autem auxit ſummopere Salomonem, coram univerſo Iſraële, majeſtatémque regno ejus conciliavit, qualis nulli Regi Iſraëlis, ante illum, fuerat.

26. *Sic* David, Jiſais filius, in univerſum Iſraëlem regnavit. 27. Tempus autem, quo regnavit in Iſraëlem, fuit quadraginta annorum; Chebrone *enim* ſeptem annis, Jeroſolimæ verò triginta tribus regnavit. 28. Poſtea mortuus eſt in bona canitie, ſatur dierum, in opulentia & gloria; regnavitque Salomo, filius ejus, patris loco. 29. Res geſtæ autem Davidis & priores & poſteriores ſcriptæ ſunt in verbis Samuelis Videntis, Nathanis Prophetæ & Gadi Videntis, 30. cum tota regni adminiſtratione, fortitudine, temporibúſque ei præterlapſis, Iſraëlique & omnibus terrarum regnis.

21. *Mille juvencorum* &c.] Hæc tria millia victimarum videntur fuiſſe holocautomata, reliquæ verò ſalutares victimæ, quarum carne convivarentur.

Additis eorum libaminibus] Ex lege, quæ exſtat Levit. II, 1.

22. *Iterum conſtituerunt*] Tumultuaria enim fuerat prior Salomonis inauguratio, de qua 1. Reg. Cap. I.

Tſadokum &c.] Ut eſſet Pontifex Maximus, ablegato Ebiathare, ut habemus 1. Reg. II, 27.

23. *In ſolio Jehovæ*] Hoc eſt, in ſolio Regum populi Jehovæ, qui fuit reverâ Rex Iſraëlitarum, ita ut Salomo aliique Reges legati tantùm ejus eſſent.

24. *Se ſubjecerunt Regi* &c.] *Dederunt manum ſub Salomone Rege.*

25. *Majeſtatémque*] *Dedit ſuper eum decus regni.*

Nulli Regi] Saüli & Davidi, quamvis maximas victorias de hoſtibus ſuis retuliſſent.

27. *Tempus autem quo*] *Et dies quibus.*

Quadraginta annorum &c.] Vide 1. Reg. II, 11. & 2. Sam. V, 5.

28. *In opulentia*] עשר *boſcher*, pro בעשר bechoſcher, *in divitiis.*

29. *In verbis Samuëlis* &c.] Dum enim hi Prophetæ, Davidi æquales, prophetias ſuas, mandatáque à Deo accepta ſcriberent, non potuerunt non ſcribere magnam partem rerum à Davide geſtarum. Putant viri docti ex eorum ſcriptis conflatos eſſe libros, quibus Samuëlis nomen præfixum eſt. Certè magna ex parte ex iis deſumti videntur. Sed putandum non eſt eos fuiſſe מזכירים *mazchirim*, ſeu [illegible] Davidis, cùm alii eo munere functi fuerint, ut liquet ex 2. Sam. VIII, 16. & 2. Reg. XVIII, 18.

30. *Temporibuſque* &c.] *Et temporibus, quæ tranſierunt ſuper eo, ſuper Iſraële, & ſuper omnibus regnis terrarum*; Iſraëlitidi, nempe, vicinarum & quibuſcum negotii aliquid fuit Davidi.

LIBRI I. EPHEMERIDUM FINIS.

EPHE-

EPHEMERIDUM,

SIVE

PARALIPOMENΩN

LIBER SECUNDUS.

I. *Salomonis initia & opes.*

1. IN regno confirmatus eſt Salomo, Davidis filius, eique Jehova Deus CAPUT
ejus adfuit, & hominem in ſublimem *potentiam* evexit. 2. Cùm au- I.
tem Salomo *ſic* edixiſſet univerſo Iſraëli, Chiliarchis, Centurionibus,
Judicibus, omnibúſque primariis viris totius Iſraëlis, patriarum *fa-
miliarum* principibus; 3. iverunt cùm ipſe, tum univerſus cœtus unà
cum illo, ad excelſum locum, qui erat Gabahone; illic enim erat
Tentorium Conventûs Dei, quod fecerat Moſes ſervus Jehovæ in deſerto. 4. Verùm
Arcam Dei advexerat David Kirjath-jeharimis in *locum*, *quem* ei paraverat. 5. Altare
tamen æneum, quod fecerat Betſaleel, filius Uris, filii Churis, illic erat ante Taber-
naculum Jehovæ; quò illum quæſitum ivit Salomo, unà cum cœtu, 6. obtulitque illic
coram Jehova, qui *aderat in* Tentorio Conventûs, in altari æneo holocautomata mille.
7. Illâ nocte, Deus conſpiciendum ſe præbuit Salomoni, eique, pete, inquit, quod
tibi dem. 8. Salomo verò Deo, ſummam, inquit, benignitatem, erga patrem meum
Davidem, exercuiſti, ejúſque loco ut regnarem effeciſti. 9. Nunc autem, ô Jehova
Deus, *à te* confirmetur id quod promiſiſti Davidi patri meo, quandoquidem Regem
in populum, qui multitudine pulverem terræ æquat, me conſtituiſti. 10. Sapien-
tiam & peritiam da mihi, ut egrediar, ingrediárque ante hunc populum; quis enim
tuo huic magno populo jus dixerit? 11. *Ibi* Deus Salomoni, quoniam, inquit, is fuit
animus tuus, nec petiiſti divitias, opes, gloriam, vitámve eorum qui te odio habent,
imò nec longam vitam rogaſti; ſed petiiſti tibi ſapientiam & peritiam, ut jus dicas po-
pulo meo, cui te Regem impoſui; 12. ſapientia & peritia tibi conceduntur, prætereá-
que te divitiis, opibus & gloriâ donabo, quales antea non fuerunt Regibus, nec poſt
te erunt.
13. Tum Salomo à loco excelſo, qui erat Gabahone, Jeroſolimam rediit, è con-
ſpectu Tentorii Conventûs, & in Iſraëlem regnare cœpit. 14. Coëgit deinde currus
& equites, & ei quidem erant mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum,
quos

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

3. I*Verunt cùm ipſe* &c.] *Et iverunt Salomo & omnis cœtus.*

Illic enim erat tentorium] Vide 1. Ephem. XVI, 39. XXI, 29.

4. *Arcam Dei advexerat* &c.] Vide 1. Ephem. XV.

5. *Quæſitum ivit*] Oratum, poſt Sacra illic facta.

7. *Illâ nocte* &c.] Vide 1. Reg. III, 7.

8. *Summam, inquit* &c.] Senſum horum habemus 1. Reg. III. Sed non eadem verba, quamvis oratio directa ſit utrobique, more Hebræorum.

10. *Ut egrediar, ingrediarque* &c.] Ut regam hunc populum, eique domi & foris præſim. Nihil frequentius eâ loquutione.

Quis enim &c.] Quis enim tantâ ſapientiâ & æquitate ſit, ut jus dicere, prout par eſt, tanto populo, veritatémque à mendacio, & jus ab injuria ſecernere, ſine ſingulari auxilio divino, poſſit?

11. *Is fuit animus tuus*] *Fuit hoc cum corde tuo.*

Longam vitam] *Dies multos.*

12. *Regibus*] Nempe, Hebræorum; quis enim dubitet quin Perſarum Reges Salomone multò ditiores ac potentiores fuerint?

14. *Mille quadringenti*] Hîc verus & antiquus numerus remanſit, qua de re vide notata ad 1. Reg. IV, 26.

15. *In-*

quos cùm in urbibus curruum, tum etiam cum Rege Jeroſolimæ collocavit. 15. Effecit autem Rex, ut eſſent argentum & aurum Jeroſolimæ, inſtar lapidum, útque cedri ſycomoros in planitie creſcentes copiâ æquarent. 16. Præterea *erat* exitus equorum, *qui* ex Ægypto *veniebant*, Salomoni & telæ; ac negotiatores quidem Regis telam pretio accipiebant, 17. verùm *alii* adſcendebant, educebántque ex Ægypto quadrigam, *perſolutis* ſexcentenis argenteis, equum verò ſingularem centum quinquaginta; & ſic omnibus Regibus Chitthæorum & Aramæorum per manus eorum educebantur.

II. Salomo bajulos & cæſores lapidum ad ſtructuram Templi conſcribit. Ligna & artifices à Churamo, Tyriorum Rege, pactâ mercede, accipit, peregrinóſque ad opus faciendum idoneos enumerat.

CAPUT II. 1. DEINDE egit Salomo de condenda Æde nomini Jehovæ, & regia, 2. numeravirque ſeptuaginta millia hominum bajulorum, & octoginta millia virorum, qui lapides in montibus cæderent, corúmque præfectos ter mille ſexcentos. 3. Miſit deinde Salomo ad Churamum Tyriorum Regem, qui *ipſius nomine* dicerent: ut te geſſiſti erga Davidem patrem meum, ad quem miſiſti cedros, ad ædificandam domum, quam habitaret: *ſic te etiam erga me gerito.* 4. En autem ædifico Ædem nomini Jehovæ Dei mei, quam ei conſecrem, ut coram eo ſuffitum aromaticum adoleam, jugiter *menſam* inſtruam *panibus*, holocautomata mane & veſperi *offeram*, *aliáque Sacra faciam* Sabbathis, Neomeniis, ſollemnibúſque feſtis Jehovæ Dei noſtri; *ita ut hoc onus ſit* in æternum Iſraëli impoſitum. 5. Ædes autem quam conſtruo magna eſt, quia Deus noſter omnibus Diis major eſt. 6. Quis inſtruetur potentiâ ad condendam illi Ædem, nam cœlum, & cœlum cœli non poſſunt eum capere? Quis verò ego ſum, qui conſtruam ei Ædem? Sed *ædifico* tamen, ut coram eo ſuffitus adoleatur? 7. Nunc verò mitte ad me virum peritum, qui *opificia* faciat auro, argento, ære, ferro, purpureâ, coccineâ, hyacinthináque *lana*, & qui ſciat ſculpere; *ut ſit* cum hominibus peritis, qui apud me ſunt, apud Judam & Jeroſolimæ, quos paravit David pater meus. 8. Mitte ad

15. *Inſtar lapidum*] Hyperbole eſt, ut omnes vident; ſed quæ multò minor eſſet, ſi Salomo majores divitias poſſediſſet, quàm quæ à Davide, in ſuperiore libro, dicuntur Deo conſecratæ.

Utque cedri &c.] *Et dedit cedros ſicut ſycomoros, quæ in planitie, præ multitudine.*

16. *Præterea erat exitus* &c.] Vide ad 1. Reg. X, 28.

In CAPUT II.

1. REgia] *Domo regni ſui.*

2. *Septuaginta millia* &c.] Vide ad 1. Reg. V, 15.

3. *Ad Churamum*] חורם qui Libro I. Regum חירם *Chiram* dicitur. Vide ad Cap. V, 1.

Sic te etiam erga me gerito] Hoc neceſſariò eſt ſubaudiendum, quaſi hîc ſcriptum eſſet כן עשה עמי *ſic facito mecum.* Nec tamen omiſſum eſſe à Librariis putandum, cùm plura ſint exempla aut prioris, aut poſterioris membri orationis omiſſi. Vide in Indice Pentateuchi *Ellipſin* & *Membrum.* Sed à vertente ſuppleri neceſſariò oportuit, quod fecit & Vulgatus Interpres qui habet hîc: *ſic fac mecum.*

4. *Jugiter menſam inſtruam panibus*] ומערכת תמיד *& ſtruem perpetuam.* Refero hoc ad menſam panis Deo jugiter adponendi, interpretórque quaſi ſcriptum fuiſſet ולערוך מערכת תמיד, *ad ſtruendam ſtruem perpetuam.* Sed poſſint duo poſteriora vocabula regi ab infinitivo להקטיר *lehaktir*, qui propriè convenit *ſuffitui*, qui proximè ſequitur, impropriè verò ſtrui liborum, quæ non adolebatur, ſed adponebatur tantùm Deo per ſeptiduum; quo exacto, panes ablati à Sacerdotibus comedebantur. Alibi etiam cùm plura nomina verbo uni conjungantur, non omnibus tamen propriè convenit. Vide Indicem Pent. in voce *Verbum.*

Aliáque ſacra faciam.] Hoc ſupplevi, quia præter holocauſtum quotidianum, alia Sacra diebus feſtis accedebant. Vide Num. XXVIII. ubi recenſentur.

6. *Quis inſtruetur potentia*] Hoc eſt, nemo poteſt eſſe tantâ potentiâ inſtructus, ut Templum Deo dignum ædificet. Eſt Hebraïcè מי יעצר כח *mi jahtſor choahh*, quæ loquutio jam occurrit 1. Ephemer. XXIX, 14. Utrobique ἰσχύειν verterunt LXX. Intt. Vulgatus verò, *poſſe* & *poſſe prævalere.* Nec alia eſſe poſſe videtur loquutionis ſignificatio.

Cœlum & cœlum cœli] Vide 1. Reg. VIII, 27.

Sed ædificia] Subaudiendum בנה *boneh*, aut ſimile quiddam.

7. *Virum peritum*] *Virum ſapientem.*

Purpureâ, coccineâ, hyacinthináque lanâ] Mirum eſt hominem aptum tractandis metallis, & ſculpturæ peritum potuiſſe præterea opificia ex lana contexere. Purpura hic dicitur אַרְגְּוָן, quæ alibi אַרְגָּמָן, כַּרְמִיל *coccineus*, תְּכֵלֶת *hyacinthinus color*; de quibus vocibus copioſè egit *Sam. Bochartus* Hierozoïci P. 2. Lib. V. c. 9. & ſeqq. Hæc videntur parata fuiſſe, ad texenda Sanctuarii vela.

8. *Algumina*] Vide ad 1. Reg. X, 11. ubi dicuntur *Almuggina.*

9. *Magna eſt & mirabilis*] Hoc intelligendum pro captu Hebræorum, illo præſertim ævo; nam

ad me ligna cedrina, abiegna, algumina ex Libano; nam ſcio ſervos tuos peritos eſſe
cædendorum lignorum in Libano; atque ecce ſervos meos, qui ſint cum tuis, 9. ad
paranda mihi ligna magnâ copiâ; Ædes enim, quam conſtruo, magna eſt & mirabi-
lis. 10. Iis verò qui cædent ligna dabo tritici excuſſi, ſervis quidem tuis, vigeſies mil-
le choros, hordei tantumdem; vini verò viginti millia bathorum, olei tantumdem.
11. Scripto verò reſpondit Churamus, idque miſit ad Salomonem, &, Jehova, *inquit*,
ex amore erga populum ſuum, te ei impoſuit Regem. 12. Præterea Churamus, Be-
nedictus, inquiebat, ſit Jehova Deus Iſraëlis, qui fecit cœlum & terram, quia dedit
Davidi filium ſapientem, peritum ac intelligentem, ut ædificet Ædem Jehovæ, & re-
giam. 13. Nunc ergo ad te mitto virum peritum & doctum, *qui fuit* patri meo Chu-
ramo, 14. eúmque filium mulieris, *quæ fuit* è Danis poſteris, ſed patris Tyrii. Is novit
opificia facere auro, argento, ære, ferro, lapidibus, lignis, purpureâ, & hyacinthinâ *lanâ*,
byſſo, & coccineâ *lanâ*, ſculpturas quaſvis; & excogitare *artem efficiendi* quidquid ei
proponetur, cum hominibus peritis quos habes, hominibúſque peritis domini mei Da-
vidis patris tui. 15. Igitur triticum, hordeum, oleum & vinum mittat dominus meus,
quæ dixit, ſervis ſuis. 16. Nos quidem cædemus ligna è Libano, omnino prout iis in-
digebis, tum ea ratibus ad te devehemus, ad mare Japhonis; tu verò hinc ea Jeroſo-
limam vehi curabis.

17. Tum numerum iniit Salomo omnium peregrinorum, qui erant in terra Iſraëliti-
de, poſt eorum cenſum, quem pater ejus David fecerat, & inventi ſunt centum
quinquaginta tria millia, ſexcenti. 18. Ex iis ſeptuageſies mille bajulos conſtituit, oc-
togeſies verò mille cæſores *lapidum* in montibus, ac ter mille ſexcentos præfectos, ut
populi labori præeſſent.

III. Deſcriptio ædificii Templi & columnarum ænearum.

1. COEPIT ergo Salomo exſtruere Ædem Jehovæ Jeroſolimæ, in monte Morija, CAPUT III.
qui oſtenſus fuerat Davidi patri, in loco quem paraverat David, in area Or-
nanis

nam ex ipſa deſcriptione Templi, nihil fuiſſe colligimus uſque adeò magnificum, præter aurum & ſacra vaſa. Murus ille ſtupendæ altitudinis & craſſitiei, quo cingebatur mons Templi, & area Sacræ Ædis ſuſtinebatur, poſtremorum ſæculorum opus fuerat, ut docet *Joſephus* de Bello Jud. Lib. V. c. 14. in Græcis.

10. *Hordei tantumdem*] *Chororum viginti millia.* Chorus, ex calculo *R. Cumberlandi*, continebat 17477. digitos ſolidos. Ingens quoque hæc fuit copia tritici, hordei, olei & vini. Aliquid in numeris peccatum ſuſpicantur viri docti ex 1. Reg. V, 11. ubi tamen vide notata.

11 *Scripto verò* &c.] *Et dixit Churamus Rex Tyri ſcripto & miſit ad Salomonem.*

Jehova, inquit, ex amore &c.] *In amore Jehovæ cum populo ſuo dedit te ſuper eos Regem.* Tyriorum Rex, licèt Idololatra, loquitur hic inſtar Hebræorum, quòd Idololatræ poſſent quidem concedere Hebræis ſuum eſſe peculiare Numen, idque potentiſſimum; quamvis ſua ceteroqui, pro more Majorum, retinerent. Verùm Hebræi non poterant admittere cultum Jehovæ, niſi reliqua omnia Numina divinitate ſua ſpoliarent, déque ſolo Jehova θεοπρεπῶς loquerentur.

12. *Qui fecit cœlum & terram*] Mirum eſſet ita loquutum hominem Ethnicum, niſi magnitudine ac potentiâ Hebræorum Regis territus fuiſſet, voluiſſetque eâ ratione Populo Hebræo blandiri. Alioqui Deus, cui creatio cœli & terræ, hoc eſt, omnium rerum tribuebatur, eo ipſo ſummum Numen eſſe agnoſcebatur. Tam abjecti animi, & tam parum religioſi erant Ethnici, ſicut ex Græcis & Romanis Scriptoribus intelligere licet, ut Diis ſuis homines mortales æquipararent, aut interdum etiam anteponerent, cùm Regibus ac Principibus adulabantur. Eodem adulationis æſtu abreptus Tyriorum Rex Hebræorum Deum ſuis prætuliſſe, in hac Epiſtola, videtur.

Regiam] *Domum regni ſui.*

13. *Doctum*] ידע בינה *Scientem prudentiam*, aut *peritiam.*

Patri meo Churamo] Vide not. ad 2. Sam. V, 11. & 1. Reg. V, 1.

16. *Ratibus ad te devehemus*] נביאם לך רפסדות *nbiem lecha raphſedoth.* Veteres Interpretes verterunt σχεδίαις, ſeu *ratibus.* Nec ſanè aliter ligna mari & fluviis vehi ſolent.

Japhonis] יפו quæ poſtea *Joppe*, & quæ portum habuit, quo nullus Jeroſolimæ propior.

17. *Centum quinquaginta* &c.] Intelligendi ſunt viri, eâ ætate quâ poſſent labores ferre; cùm ex iis centum quinquaginta millia virorum ſint electa, ad bajulandum, aut ad cædendos lapides. Erant enim multò plures, qui ejuſmodi laborem ferre non potuiſſent. Qua in re, Salomon Hebræis pepercit, cùm oneris graviſſimi eos immunes præſtiterit. Mirum eſt eum tot hominibus indiguiſſe & tam diu ad ædificandum Templum; quod potuiſſet à peritis multò paucioribus, & breviori tempore abſolvi.

In CAPUT III.

1. *IN monte Morija*] Vide 1. Paralip. XXI, 18.

In loco quem paraverat] אשר הכין במקום דויד *quem paraverat in loco Davidis*, inverſis verbis pro במקום אשר הכין דויד *in loco quem paraverat David.* Vix aliter ſcriptum eſſe putem à

nanis Jebuſæi. ²· Cœpit autem ædificare menſe ſecundo, *die* ſecundo, anno regni ſui quarto. ³· Hæ autem *ſunt menſuræ*, quibus fundamentum poſitum à Salomone ad condendam Ædem Dei. Longitudo ex prima dimenſione fuit ſexagenûm cubitorum, latitudo vicenûm. ⁴· Porticus ſecundùm longitudinem, ad frontem latitudinis Ædis, fuit cubitorum vicenûm, altitudo centenûm vicenûm, eámque intrinſecus auro puro obduxit. ⁵· Ædem magnam texit lignis abiegnis, eáque obduxit auro puro, eique impoſuit palmas & catenas. ⁶· Texit etiam Ædem lapillis pretioſis ad ornatum, aurúmque erat aurum Pharvajimorum. ⁷· Obduxit quoque Ædem, *quod attinet* ad trabes, limina, parietes, & januas auro, ſculpſitque in parietibus Cherubos.

⁸· Fecit præterea Ædem ſanctiſſimi *Adyti*, ejúſque longitudo, ſecundùm latitudinem *totius* Ædis *fuit* vicenûm cubitorum, & latitudo vicenûm; eámque optimo auro obduxit, ad ſexcenta talenta. ⁹ Pondus verò clavorum fuit ſiclorum aureorum quinquaginta. Cœnacula etiam auro obduxit. ¹⁰· Fecit & in Æde ſanctiſſimi *Adyti* Cherubos duos, opere ſculptili, quos *artifices* auro puro obduxerunt. ¹¹· Longitudo alarum Cheruborum *erat* vicenûm cubitorum; ala una quinûm erat cubitorum, attingebátque parietem Ædis; aláque altera quinûm ſimiliter *erat* cubitorum, attingebátque alterius Cherubi alam. ¹²· Ala Cherubi unius quinûm *erat* cubitorum, attingebátque parietem Ædis; ala verò altera quinûm *ſimiliter* cubitorum, quæ conjuncta erat alæ Cherubi alterius. ¹³· Alæ

Scriptore Sacro; quid enim, in ſimplici narratione, in qua vocum ordinem inverti nihil cogit, tam violenta trajectione opus erat?

²· *Die ſecundo*] בשני *baſſcheni*, pro ביום השני *bajjom haſſcheni*, die ſecundo. Omiſerunt hoc LXX. & Vulgatus Interpretes. Chaldæus habet בתרין יומין לירחא *duobus diebus menſis*, quo videtur intelligere duos poſtremos dies menſis. Sed oportuiſſet in Hebræis eſſe בשתי ימים *biſchthe jamim*, duobus diebus, non *ſecundo*.

³· *Hæ autem ſunt menſuræ quibus fundamentum &c.*] ואלה הוסד, *& hi ſactus eſt fundare Salomo ad ædificandum.* Quaſi dixiſſet ואלה מדות כאשר הוסד *& hæ ſunt menſuræ, ſecundùm quas juſſus eſt Salomo jacere fundamentum.* LXX. Intt. καὶ ταῦτα ἤρξατο Σαλωμὼν τοῦ οἰκοδομῆσαι, & Vulgatus: *Et hæc ſunt fundamenta quæ fecit.* Senſum expreſſerunt, non verba. Rectiùs Chaldæus: ואלין משחתא דבנים יתיה, *& illæ ſunt menſuræ, quibus fundavit illud Salomo &c.*

Longitudo ex prima &c.] *Longitudo cubitorum, in menſura prima.* Vide ad 1. Reg. VI, 2. *Menſura prima* videtur innuere ſecundam, quæ alia eſſe non potuit, quàm menſura Templi ſecundi, quod Scriptoris hujus ævo ædificatum eſt. Vide Eſdr. VI, 3, 4.

⁴· *Secundùm longitudinem*] *Quæ ſecundùm faciem longitudinis.*

Altitudo centenûm vicenûm] והגבה מאה ועשרים *vehaggobah meah veheſchrim.* 1. Reg. VI, 3. fit mentio latitudinis Porticûs, quæ fuit decem cubitorum, nulla verò altitudinis, quæ hîc deſcribitur quadruplo major altitudine ipſius Ædis, quæ fuit tantum tricenûm cubitorum, ut liquet ex 1. Reg. VI, 3. Si nihil peccatum ſit hîc in cubitorum numero, hæc Porticus frontem Ædis prorſus texit; nec credibile eſt ſolam Porticum uſque adeò altam fuiſſe; oportuiſſet enim columnas, quibus ſuffulta erat, fuiſſe non multò minoris altitudinis, quàm centenûm vicenûm cubitorum; quæ fermè incredibilis eſt, ſi reputemus cubitum fuiſſe circiter unius & viginti unciarum, ut oſtendimus ad Gen. VI, 15. Itaque ſi nulla in re hîc peccarint Librarii, crediderim huic Porticui fuiſſe impoſita nonnulla conclavia, in uſum Templi, non minùs ac exteriori, quæ Atrium exterius complectebatur. Cùm hæc non adſequeretur *Joſephus*, rem ita expreſſit Lib. VIII. cap. 2. Τὸ μὲν οὖν ὕψος ἦν ἑξήκοντα πηχῶν, τὸ δ' αὐτοῦ καὶ τὸ μῆκος, εὖρος δὲ εἴκοσι· κατὰ τοῦτο δὲ ἄλλος ἦν ἐγηγερμένος ἴσος τοῖς μέτροις· ὥστε εἶναι τὸ πᾶν ὕψος τοῦ ναοῦ πηχῶν καὶ εἴκοσι: *Altitudo quidem erat ſexaginta cubitorum totidem & longitudo, latitudo verò viginti. Super hoc autem aliud ſurgebat ædificium, paribus menſuris; ita ut tota altitudo templi eſſet centum viginti cubitorum.* Alterum hoc ædificium, de quo nihil habet Scriptura, confinxiſſe videtur, quòd nollet Templum ipſum Porticu humilius fuiſſe. Subdit enim de Porticu: τὸ δὲ πρόναον αὐτοῦ συνέστησαν ἐπὶ πήχεις εἴκοσι τὸ μῆκος, πρὸς τὸ εὖρος τοῦ οἴκου τεταγμένον· εἶχε δὲ πλάτος πήχεις δέκα· ὕψος δὲ ἀνεγηγερμένον πηχῶν ἑκατὸν εἴκοσι: *Veſtibulum verò ejus extenderunt ad viginti cubitos longitudinis, longitudine ad latitudinem* (Ædis) *aptatâ. Habebat verò latitudinis cubitos decem, & altitudo ad centum viginti cubitos adſurgebat.*

Eámque intrinſecus] Si hæc de Porticu intelligenda, ut videtur, laquearia Porticûs fuerint auro obducta.

⁵· *Ædem magnam*] Ipſum Templum, in quo Sanctuarium & Adytum.

Texit lignis abiegnis] Summum hoc fuit tectum, quo pluvia & ſol arcebantur, interiora enim tabulata cedrina fuerunt.

Palmas & catenas] Aureas, adfixas, aut inſculptas tecto.

⁶· *Lapillis pretioſis*] Hîc illic auro infixis.

Aurum Pharvajimorum] Ex inſula Taprobana allatum. Vide ad 1. Reg. X, 11. LXX. Intt. χρυσίῳ τοῦ ἐκ Φαρουΐμ, Vulgatus, *aurum erat probatiſſimum.*

⁷· *Cherubos*] Vide 1. Reg. VI, 29.

⁸· *Sanctiſſimi Adyti*] *Sanctitatis Sanctitatum.*

Ad ſexcenta talenta] Minimùm tres milliones quadraginta quinque millia Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ ſunt undecim florenorum Hollandicorum, quæ eſt ingens ſumma.

⁹· *Siclorum aureorum &c.*] Singuli ſicli, ut ſæpe diximus, erant ſemunciæ Romanæ; unde colligere eſt non multos fuiſſe clavos, aut certè tenues.

¹⁰· *Opere ſculptili*] מעשה צעצעים *mahuſcheh*

tſa-

13. Alæ *ergo* horum Cheruborum expanſæ erant cubitos vicenos, inſiſtebántque ii pedibus, & facies eorum introrſus erant converſæ. 14. Fecit & velum ex hyacinthina, purpurea & coccinea *lana*, byſſóque, atque ei Cherubos intertexuit.

15. Poſtea fecit ante Ædem columnas duas, quarum longitudo *fuit* tricenûm quinûm cubitorum, & capitulum quod vertici impoſitum fuit, quinûm cubitorum. 16. Fecit etiam catenas, *ut* in Adyto, quas impoſuit vertici columnarum; fecitque mala Punica centum, quæ addidit catenis. 17. Tum collocavit eas columnas ante Templum, unam à dexrra, alteram à ſiniſtra, impoſuitque nomen dextræ quidem Jachin, ſiniſtræ verò Bohaz.

IV. Altaria, labra, candelabra, menſæ, vaſáque & ſupellectilia reliqua Templi.

1. FECIT & altare æneum cujus longitudo & latitudo fuerunt vicenûm cubitorum; altitudo verò denûm. 2. Præterea fecit labrum fuſile, cujus oræ decem cubitis invicem diſtabant; rotundum erat circumquaque, quinque cubitos altum; & filo triginta cubitorum circumquaque cingebatur. 3. Erant ei formæ boum ſub *ora* id CAPUT IV.

tſabatſabim. Sculptile opus interpretati ſumus, cùm ex re ipſa, tum etiam ex ſignificatione Arabica vocis affinis צאיג *tſaig*; quæ, ſi punctum ſuperaddatur על ע, ſignificat *ſculptorem, anaglypten, aurificem*. Sic & ציגות *tſijagaton* eſt *ars*, aut *opus aurifabri* & מצוגן *matſougon* eſt *aurificis arte res elaborata*. Cùm ergo de ejuſmodi artificio ageretur, non dubitavimus, quin צעצעים *tſabatſabim* ejuſcemodi artifices ſignificaret, qui lignum ſculptum auro tegerent, quod genus eſt operis ſculptilis. LXX. Intt. ex conjectura, ut puto, verterunt ἔργον ἐκ ξύλων, quaſi legendum eſſet מעצים mehetſim, *è lignis*, pro צעצעים *tſabatſabim*. Vulgatus *opere ſtatuario*, quòd jam ejus ævo Rabbini eam vocem *pueros* interpretarentur, ſed ſine ratione. Chaldæus habet hîc עבד שושנין *opificio liliorum* ex 1. Reg. VII, 19, 22. Verùm res ipſa oſtendit aliud intelligi.

Quos artifices texerunt] יצפו אותם זהב *jetſapphou otham zahab*, texerunt eos auro, nempe, צעצעים *aurifices*; aut *ſculptores*.

13. *Longitudo*] Vide ad 1. Reg. VI, 24.

13. *Introrſus*] לבית *labbajith*. Converſæ erant non ad anterius Sacrarium, ſed ad Adytum; quatenus licebat in figura animalis, cui quatuor erant facies. LXX. Intt. εἰς τὸ οἶκον, Vulgatus, *ad exteriorem domum*. Sed cùm הבית ſolum eſt, interiorem cujusvis rei partem ſignificat.

14. *Fecit & velum*] Siparium, quod januæ Adyti apertæ obtendebatur, quale fuerat in Tabernaculo Moſaïco. Vide Exod. XXVI, 31. & ſeqq.

15. *Columnas duas*] Vide 1. Reg. VII, 15.

Tricenûm quinûm &c.] Si triginta quinque cubitis addas quinque alios capitulorum, qui ſeorſim memorantur; univerſa altitudo erit quadraginta cubitorum, ad quam non pertingit altitudo quæ habetur 1. Reg. VII, 15. ubi ſingulis columnis tribuitur altitudo octodecim cubitorum, præter quinque cubitos capituli, hoc eſt, utriſque numeratis, vigiuti trium cubitorum. Sunt Interpretes hujus libri, qui hæc ita in concordiam redigere conantur. Nimirum, volunt utriuſque columnæ longitudinem hîc indicari, quarum ſingulas ſtatuunt fuiſſe dumtaxat ſeptemdecim cubitorum & dimidii, quæ ſi ſimul jungantur efficiunt triginta quinque. Sed primûm 1. Reg. VII, 15. & Jerem. LII, 21. diſertè tribuitur columnæ unicuique, ad ſcapum quod attinet, altitudo octonûm denûm cubitorum, & capitulis ſeorſim quinûm cubitorum. At erit fortè qui malit ipſum capitulum, unà cum columna, effeciſſe octonos denos cubitos. Nihil quidem video, quod perſuadere hoc poſſit; verùm ſi hoc concedamus, nemo neſcit planè inuſitatum eſſe & inauditum, ubi traditur altitudo aliquot columnarum parium, conjungi ſimul earum altitudines. Memoratur tantùm altitudo unius; quæ eadem eſt reliquarum. Si centum columnæ eſſent ſingulæ vicenûm pedum, in Æde quapiam, an diceretur altitudo columnarum fuiſſe bis millium pedum? Nemo ita loquatur. Igitur cùm conſentiant Jeremiæ Codices, cum Codicibus libri Regum; multò faciliùs crediderim peccatum hîc in numeris, quàm illic & pro יח *octodecim*, ſcriptum לה *triginta quinque*, fugientibus, aut non ſatis diſtinctis arithmeticarum notarum veſtigiis. Huc accedit quòd altitudo quadraginta cubitorum, hoc eſt, ſeptuaginta pedum, in tam craſſis columnis, nimia eſſe videatur.

In Caput IV.

1. D*Eenûm*] Hæc nimia fuit altitudo, quàm ut poſſent Sacerdotes ligna imponere altari, ligniſque victimas. Itaque neceſſe fuit adſcendi ad altare, per clivum arte factum, cùm per gradus eò adſcendere non liceret, ut docemur Exod. XX, 26. Eum clivum vocant Rabbini כבש *chebeſch*, de quo vide quæ collegit *Joan. Lightfootius* in deſcriptione Templi, Cap. XXXIV.

2. *Cujus oræ* &c.] *Decem in cubito à labio ad labium*. Vide ad 1. Reg. VII, 23. & ſeqq.

3. *Formæ boum*] דמות בקרים *demouth bkarim*. Pro hoc habemus 1. Reg. VII, 24. פקעים phekahim, *colocynthides*. Vir eruditus Deſcriptionis Templi Cap. XXXVII. Sect. 4. exiſtimat, cùm Rabbini פקעים *phekahim* dicant figuras ovales fuiſſe, rem ſic intelligendam, ut capita dumtaxat boum inſculpta fuerint, quibus erat ovalis figura. Sed cùm ſit exiguum diſcrimen inter פקעים & בקרים, varietatem hîc aliquam lectionis meliùs quæſiverimus.

id circumdantium undequaque, in decem cubitos, cingentiúmque duobus ordinibus boum fuſilium. 4. Impoſitum autem erat duodecim bubus, quorum tres reſpiciebant aquilonem, tres occidentem, tres meridiem, tres *denique* orientem. Iis deſuper impoſitum erat labrum, poſticæque eorum partes intrinſecus erant. 5. Craſſities erat *unius* palmi, & ora ejus inſtar oræ calicis *inſtar* floris lilii, continebátque tria millia bathorum, *ſi quis id* metiretur. 6. Fecit etiam conchas decem, & quinas à dextra, quinas à ſiniſtra collocavit, ad abluendum in illis; & in eas quidem quod pertinet ad holocautomata immittebant, ſed labrum erat ad abluendos Sacerdotes.

7. Fecit quoque candelabra aurea decem, prout ſolent fieri, eáque poſuit in Templo quina à dextra, & quina à ſiniſtra. 8. Pariter fecit menſas decem, quas collocavit in Templo, quinas à dextra & quinas à ſiniſtra. Fecit etiam crateres aureos centum.

9. Fecit & atrium Sacerdotum ac atrium magnum, erátque huic janua, cujus valvas obduxit ære. 10. Ceterùm labrum collocavit ad latus dextrum orientem versùs, contra meridiem.

11. Fecit quoque Churamus ollas, palas, & pateras, abſolvitque facere omnia opificia, quæ conflavit Regi Salomoni, in uſum Ædis Dei; 12. geminas columnas, capitula & coronides, geminarum illarum columnarum vertici impoſita; retia duo ad tegenda duo capitula coronidum, quæ vertici columnarum erant impoſita; 13. mala Punica quadringenta duobus retibus, nam duo erant ordines malorum Punicorum uni reti, ad tegenda duo capitula coronidum, quæ columnis erant impoſita. 14. Fecit & baſes, & conchas baſibus impoſitas; 15. item labrum unum & ſub eo duodecim boves; 16. ollas, palas, fuſcinas, & omnia eorum vaſa fecit Churamus, *quem miſerat Rex Tyri ſervum* patris ſui, Regi Salomoni, in uſum Ædis Jehovæ, ex ære purgato. 17. In planitie Jordanis ea liquefecit Rex, in ſolo pingui, inter Succothas & Tſeredatham. 18. Fecit Salomo omnia hæc vaſa maximo numero, neque enim inveſtigabatur pondus æris.

19. Fe-

In decem cubitos] *Decem in cubito*; hoc eſt, qui circumquaque decem cubitos occupabant. Cùm verò eſſent triginta cubiti in peripheria labri, hinc intelligimus tertiam tantùm ejus partem boum capitibus tectam fuiſſe, in ceteris verò fuiſſe interſtitia.

Boum fuſilium] *Fuſorum in fuſione ejus*, hoc eſt, unà cum labro fuſione ex eadem maſſa formatorum.

5. *Tria millia bathorum*] At 1. Reg. VII, 26. dicitur continuiſſe *duo bathorum millia*; qua de re egit vir eruditus in Diſſertatione de mari æneo, quæ ſubjecta eſt libro *Ed. Bernardi* de Ponderibus & Menſuris. Sed in verbis *ſi quis metiretur* יכיל *jachil*, ubi eſt omiſſum אם *ſi*, hoc ſenſu: אם יכיל אתו *ſi id metiretur*, nimirum כל *metiens*; in his, inquam, verbis continetur locorum conciliatio. Non ſolebat, nempe, impleri ad extremam oram, ſed tantùm ad duas tertias partes, quæ continebant tantùm duo millia bathorum; cùm ſi integrum impletum fuiſſet labrum, tria millia continere poſſet. LXX. Intt. & Vulgatus habent *metretas*, ſed *metreta* Batho nequaquam reſpondet, neque tria millia metretarum faciunt duo millia Bathorum, ut docebunt qui de ponderibus & menſuris egerunt. Bathus enim continet 1747 digitos ſolidos, Metreta verò 207.

6. *Quinas à dextra*] In atrio, nempe, Sacerdotum. Vide J. *Lightfootium* Deſcript. Templi Cap. XXXVII. Sect. 2.

Quod pertinet ad holocautomata] *Opus holocautomatis impellebant in eas.*

Labrum erat ad abluendos &c.] Cùm hæc ſint manifeſta, mira eſt Chaldæa in hoc loco Paraphraſis, quæ, poſtquàm dixit præter decem conchas Salomonis fuiſſe concham quam fecerat Betſaleël, ſubdit: *Labrum autem Betſaleëlis erat ad ſanctificandum Pontificem Maximum, & mare ad ſanctificationem Sacerdotum.* Atqui hinc conſtat viſcera, membráve victimarum abluta fuiſſe in Salomonicis conchis; ſed Sacerdotes ſe ipſos, hoc eſt, manus ac pedes, abluiſſe aquâ ex magno labro, quod *mare æneum* vulgò vocari ſolet, profluente. Sed Rabbini ex cerebro addunt ac detrahunt quod videtur Scripturæ.

7. *Prout fieri ſolent*] *Secundùm judicium eorum.*

Quina à dextra &c.] Hoc eſt, ad meridianum ac ſeptemtrionalem parietem Sanctuarii. At Chaldæus aliter interpretatur: *ea poſuit in Templo, quina à dextra candelabri, quod confecerat Betſaleel, & quina à ſiniſtra.* At nuſquam, circa hæc tempora, mentio fit candelabri Betſaleelis.

8. *Qui nos à dextra* &c.] Idem Interpres hæc interpretatur eodem modo ac ſuperiora, quináſque ad dextram menſæ Betſaleëlis, & quinas ad ſiniſtram collocatas fuiſſe vult.

9. *Atrium magnum*] Iſraëlis. Vide *Joan. Lightfootium*, in Deſcript. Templi, Cap. XVI. Nulla, iis temporibus, Atrii Mulierum, aut Gentilium mentio.

10. *Ad latus dextrum*] Si Orientem, ad quem obverſum fuit Templum, ſpectes, latus dextrum eſt ad meridiem, ſiniſtrum ad ſeptemtrionem; unde etiam, apud Hebræos, meridies dicitur *dextra*, ſeptemtrio *ſiniſtra*. Itaque hoc vult Scriptor Sacer fuiſſe labrum ingens ad meridianum latus, januam orientalem versùs.

13. *Mala Punica quadringenta*] Ut hæc probè intelligerentur & conferrentur cum 1. Reg. VII, 20. & Jeremiæ Cap. LII, 23. oporteret vidiſſe columnas. Si in coronide erant duo ordines

19. Fecit quoque Salomo omnia ſupellectilia Ædis Dei, altare aureum, menſas quibus imponebatur panis *Deo* apponendus; 20. candelabra, lucernas eorum, quæ accenderentur pro more, ante Adytum, ex optimo auro; 21. flores, lucernas, forcipes aureos, ex auro puriſſimo; 22. pſalteria, pateras, cochlearia, ignis receptacula, ex auro optimo. Oſtii Ædis valvæ interiores ad ſanctiſſimum *Adytum*, & valvæ Ædis ad Templum erant aureæ.

V. Salomo Templo abſoluto infert patris donaria; Arcámque, convocato populo, in Adytum intromittit; quo facto, gloriá Dei Templum impletur.

1. CUM abſolutum fuiſſet omne opus, quod faciendum habebat Salomo Ædi Jehovæ, intromiſir *in eam* quæ conſecraverat David pater ejus, argentúmque, aurum & omnia ſupellectilia in Ædis Dei apothecis depoſuit. 2. Deinde convocavit ſeniores Iſraëlis, omnia capita Tribuum, principéſque *familiarum* patriarum Jeroſolimam, ad transferendam Arcam fœderis Jehovæ, ex urbe Davidis, quæ Sion *vocatur*. 3. Convenerunt ergo ad Regem Iſraëlitæ ad feſtum, menſis autem ſeptimus erat. 4. Venerunt omnes ſenes Iſraëlis, Levitæque Arcam bajularunt, 5. & eam tranſtulerunt, ut & Tentorium Conventûs; ac omnia ſacra ſupellectilia, quæ erant in Tentorio, tranſtulerunt Sacerdotes & Levitæ. CAPUT V.

6. Rex verò Salomo & univerſus cœtus Iſraëlis, convenerant ante Arcam, mactabántque minores pecudes & juvencos, quæ *victimæ* non numerabantur, neque ſubducebantur, præ multitudine. 7. Intromiſerunt autem Sacerdotes Arcam fœderis Jehovæ, in locum ſuum, in Adytum Ædis, in *penetrale* ſanctiſſimum, ſub Cheruborum alas. 8. Cherubi enim extendebant alas ſuas, ſupra locum in quo erat Arca, eámque & vectes ejus deſuper tegebant. 9. Longi autem erant vectes, cernebantúrque eorum extremitates ex Arca *prominentes* ante Adytum, ſed extrinſecus non cernebantur. Fuit verò

nes malorum Punicorum, & ducenta quidem in ſingulis ordinibus, circa capitulum columnæ; potuerunt eſſe quadringenta mala Punica. Verùm hæc cum Jeremia videntur pugnare, qua de re, Deo juvante ad eum Prophetam agemus.

14. *Fecit & baſes* &c.] Hîc confuſiùs narrantur, quæ antea diſtinctiùs narrata fuerant. Styli Hebraïci ſimplicitatem hæc redolent.

16. *Quem miſerat Rex Tyri ſervum patris ſui*] Aliquid hinc excidiſſe ſatis liquet, nam nullus eſt nexus in his verbis עשה חורם אביו למלך שלמה *fecit Churam pater ejus Regi Salomoni*; Churam enim aurifaber non potuit dici pater Regis Tyriorum, aut Regis Hebræorum; nec ſanè quidquam anteceſſit, ad quod pronomen vocis אביו *abiv* poſſit referri. Scio viros honoratos *patres Regum* dictos, quod liquet ex Gen. XLV, 8. Sed inter aulæ proceres non fuit aurifaber, nec invidioſo ejuſmodi titulo ornari potuit; nec eſt, ut dixi, quò referatur pronomen adfixum voci אב *ab*, pater. Itaque cùm conſtet ex Cap. II, 13. aurifabrum Churamum fuiſſe inter opifices Churami Tyriorum Regis, qui fuit pater Churami, aut Chirami Salomonis æqualis; omnino crediderim excidiſſe hinc aliquot voces, ob repetitionem vocis *Churam*, quales ſunt eæ, quas inter uncinos ſubjeci: עשה חורם [אשר שלח אותו מלך הצור עבד חורם] אביו לשלמה *fecit Churam* [*quem miſit Rex Tyri ſervum Churam*] *patris ſui Salomoni*. Alia loca antea hiulca ejuſmodi ſupplementis ſanare conati ſumus. Vide ad 1. Ephem. XXIV, 6.

Hunc locum fortè corruptum cenſuerunt LXX. Intt. nam vocem אביו *pater ejus*, verterunt καὶ ἀνήνεγκε, quaſi pro ea legendum eſſet ויבא, vajjabe, *intulit*, inverſis litteris. Abſurdè ſanè *Hieronymus*: *omnia vaſa fecit Salomoni Hiram pater ejus*. Chaldæus habet etiam אבוהי *abouhi*, pater ejus, quod nonnemo vult eſſe nomen proprium.

17. *In ſolo pingui*] בעבי האדמה *in denſitatibus terræ*. Vide 1. Reg. VII, 46.

Tſeredatham] צרדתה, quæ urbs 1. Reg. I, 46. vocatur צרתן *Tſarthan*.

19. *Supellectilia Ædis Dei*] Quæ erant intra Ædem propriè dictam, hoc eſt, in Sanctuario & Adyto.

20. *Ex optimo auro*] *Ex auro clauſo*; quia quò purius, eò pretioſius, ideóque diligentiùs clauſum adſervatur.

21. *Ex auro puriſſimo*] *Hoc perfectiones auri*, הוא מכלות זהב *hou michloth zahab*.

In CAPUT V.

1. Q*Uæ conſecraverat*] De quibus Cap. XXIX, 4. ſuperioris libri.

2. *Quæ Sion vocatur*] *Illa Sion*.

3. *Ad feſtum*] Dedicationis, an Tabernaculorum, an utriuſque? Poſtremum malim.

Menſis autem ſeptimus &c.] Cujus quindecimo die celebratur feſtum Tabernaculorum. Vide Levit. XXIII, 34. & infra Cap. VII, 9.

5. *Tentorium Conventûs* &c.] Quod erat Gabaone, & Jeroſolimam allatum videtur. Sed an Tentorium Moſaïcum collocatum eſt in Adyto Salomonis? Sic debuit fieri, ni Sacra ſupellectilia ſepararentur, quorum unum alterius causâ factum erat. Ceterùm vide explicationem hujus hiſtoriæ ad 1. Reg. VIII.

9. *Ex Arca prominentes*] מן הארון *min haaron*. At 1. Reg. VIII, 8. eſt מן הקדש *è ſanctuario*, quod refertur ad ſpectatores, qui è Sanctuario

Digitized by Google

verò illic *Arca* ad hodiernum uſque diem. 10. Nihil erat in Arca, præter duas tabu-
las, quas *in ea* repoſuerat Moſes, ad Chorebum, & *ſecundùm quas* ferierat Jehova *fœ-
dus* cum Iſraëlitis, poſtquàm egreſſi eſſent ex Ægypto.
11. Cùm verò exiiſſent è Sanctuario Sacerdotes (omnes autem qui aderant Sacerdo-
tes ſe ſe ſanctificarant, neque neceſſe fuit obſervari claſſes.) 12. Levitæ cantores om-
nes ortum ducentes ex Aſapho, Hemane & Jeduthune, filii eorum, conſanguineique,
induti byſſo, cum cymbalis, nabliis & citharis, conſtiterunt ad orientem altaris, &
cum iis Sacerdotes centum viginti, qui tubis canebant. 13. Dum autem inſtar unius
tubâ clangerent, & canerent, ita ut vox una audiretur laudantium & agnoſcentium *be-
neficia* Jehovæ; dúmque magnum ſonitum ederent tubis & cymbalis, inſtrumentiſque
muſicis, laudando Jehovam, quia eſt bonus, quia benignitas ejus *eſt* in perpetuum;
Ædes impleta eſt nube, Ædes, *inquam*, Jehovæ; 14. nec potuerunt Sacerdotes con-
ſiſtere ad miniſterium obeundum, propter nubem; gloria quippe Jehovæ Ædem Dei
impleverat.

VI. Oratio Salomonis ad populum, & preces ad Deum, in Templo, fuſæ.

CAPUT VI.
1. TUM Salomo, Jehova, inquit, dixit ſe habitare in caligine; 2. at ego, *ô Deus*,
condidi tibi Ædem, quam habites, & ſedem in qua maneas in æternum.
3. Deinde Rex, converſo vultu, bene precatus eſt toti cœtui Iſraëlis, qui cœ-
tus *illic* adſtabat, 4. ſubjecitque: benedictus eſto Jehova Deus Iſraëlis, qui ore ſuo lo-
quutus eſt cum Davide patre meo, & per eum implevit quod prædixerat, hiſce verbis:
5. à die, quo populum meum ex Ægyptia terra eduxi, non elegeram mihi urbem, ex
omnibus Tribubus Iſraëlis, ad ædificandam Ædem, ut eſſet illic nomen meum; neque
elegeram virum, qui dux populo meo Iſraëli imponeretur; 6. verùm elegi *nunc* Jeroſo-
limam, ut illic ſit nomen meum, & Davidem, ut populo meo Iſraëli præſit. 7. Ani-
mus quidem fuerat Davidi, patri meo, ædificare Ædem nomini Jehovæ, Dei Iſraëlis.
8. Verùm dixit Jehova Davidi, patri meo: quòd animus tibi fuerit condere Ædem no-
mini meo, rectè feciſti, cùm is fuerit animus tuus. 9. Attamen non exſtrues Ædem;
ſed filius *eſt* tuus, è lumbis tuis egreſſus, qui Ædem nomini meo condet. 10. Rata
fecit Jehova verba quæ protulerat, exortúſque loco patris mei Davidis ſedi in ſolio
Iſraëlis, quemadmodum prædixerat Jehova, Ædémque nomini Jehovæ, Dei Iſraëlis,
condidi. 11. In hac repoſui Arcam, in qua ſunt *Tabulæ* fœderis Jehovæ, quod cum
Iſraëlitis pepigit.
12. Deinde ſtetit ante altare Jehovæ, coram univerſa Iſraëlis concione, & palmas
tetendit. 13. Fecerat enim Salomo concham æneam, eámque poſuerat in medio
atrio. Longitudo ejus & latitudo erant quinûm cubitorum, altitudo trium. In hac
ergo ſtetit, & flexis genubus, coram toto cœtu Iſraëlis, palmas ad cœlum extendit.
14. Deinde, ô Jehova, inquit, Deus Iſraëlis, nullus eſt inſtar tui Deus in cœlo & in
terra;

rio poterant videre extremitatem vectium, ſi velum eſſet reductum, aut fortè ſub velo, quod pellebant.

11. *Se ſe ſanctificarant*] Abſtinuerant ab uxoribus, corpus abluerant, mundáſque veſtes induti venerant. Vide not. ad Exod. XIX, 10, 15.

Neceſſe fuit] אין לשמר, en liſchmor, *non ad obſervandum*. Elliptica loquutio, pro אין צרך לשמור, *nulla neceſſitas fuit ſervandi*; hoc eſt, non neceſſe fuit ſolam claſſem, quæ eâ hebdomade vice ſuâ miniſterio Sacro fungebatur, Sacra facere. Ac ſanè nimia erat victimarum copia, quàm ut ab una claſſe ſanguis earum offerri poſſet.

13. *Inſtar unius tubâ* &c.] *Et erat inſtar unius tubâ canentium.* Subauditur vox קול kol, *ſonitus*. Eodem tempore, omnes canebant & ſecundùm eoſdem modos, ita ut unus ſonitus ex pluribus conflaretur, ut fit in accuratis Symphoniis.

Quia eſt bonus] Viri docti non abſurdè cantatum putant Pſalm. CXXXVI. cujus ſinguli verſus in haſce voces deſinunt.

In CAPUT VI.

1. J*Ehova, inquit, dixit*] Vide ad 1. Reg. VIII, 11. & ſeqq.

2. *Sedem*] *Locum habitationis tuæ.*

6. *Verùm elegi Jeroſolimam, ut illic ſit nomen meum*] Hæc verba non leguntur Reg. VIII, 6. ubi tamen orationis ſeries ea etiam poſtulare videtur.

11. *In hac repoſui Arcam*] 1. Reg. VIII, 21. *conſtitui ibi locum Arcæ.* Additur etiam verſui, *poſtquàm eum ex Ægypto eduxiſſet.*

12. *Palmas extendit*] 1. Reg. VIII, 22. additur השמים *ad cœlum*, quod hîc etiam legeretur, niſi poſtea occurreret.

13. *Fecerat enim Salomo* &c.] Hæc parentheſis abeſt à 1. Reg. VIII.

Con-

terra; qui *conſtanter* fœdus obſervas, benignitatémque erga ſervos tuos, qui toto corde coram te incedunt, *exerces*, 15. & ſervo tuo patri meo quod pollicitus ei eras præſtitiſti, quódque ore tuo protuleras id manu tuâ implevisti, quemadmodum feciſti hodie. 16. Nunc verò, ô Jehova, Deus Iſraëlis, patri meo Davidi præſta quod ei promiſiſti, his verbis: non exſcindetur tibi vir è conſpectu meo ſedens in ſolio Iſraëlis, ſi modò poſteri tui ſibi caverint in via ſua, ita ut incedant in lege mea, quemadmodum inceſſiſti coram me. 17. Nunc ergo, ô Jehova Deus Iſraëlis, confirmetur *à te*, quod promiſiſti ſervo tuo Davidi. 18. An reverâ habitaret Deus in terra, cum hominibus? Atqui cœlum & cœlum cœli non ceperint te, quantò minùs Ædes hæc, quam condidi? 19. Attamen reſpicito ad orationem ſervi tui, & ad ſupplicationem ejus, ô Jehova Deus meus; ita ut exaudias clamorem, precéſque, quas ſervus tuus fundit coram te; 20. útque oculi tui ſint aperti ad hancce domum, interdiu & noctu, ad locum in quo dixiſti te collocaturum nomen tuum, & exaudias preces quas fundit ſervus tuus in hocce loco. 21. Exaudito ſupplicationes ſervi & populi tui Iſraëlis, quas in hoc loco fundent. Exaudito eas è loco ſedium tuarum, è cœlo exaudito & ignoſcito. 22. Si quis deliquerit in proximum ſuum, qui ei detulerit jusjurandum, quo eum adigat, veneritque ille, ut juraret ante altare tuum in hanc Ædem; 23. tu verò audito *hoc* è cœlo, perficitóque & judicato de ſervis tuis; ita ut reddas quidem reo *quod ei debetur*, rationémque ejus vivendi in caput ejus recidere cures: innocentem verò abſolvas, ita ut pro ejus innocentia ei largiaris. 24. Si cæſus fuerit populus tuus Iſraël, in conſpectu hoſtis ſui, quia in te deliquerit, ſique *ad te* redierit, celebraveritque nomen tuum, oraverit, & ſupplicaverit coram te, in hac Æde; 25. tu verò exaudito eum è cœlo, ignoſcito peccato populi tui Iſraëlis, reducitóque eum in terram hancce, quâ Majores ejus donaſti. 26. Cùm clauſum fuerit cœlum, neque fuerit pluvia, quia in te deliquerint; tibi verò ſupplicabunt in hoc loco, laudabúntque nomen tuum, & à peccatis ſuis *ad te* redierint, quia eos adflixeris; 27. tum tu eos exaudito è cœlo, ignoſcito peccato ſervorum tuorum, & populi tui Iſraëlis, quandoquidem docueris eos viam bonam, quam ingrediantur, & dato pluviam in terram tuam, quam populo tuo poſſidendam dediſti. 28. Si fuerit fames in terra, ſi fuerit peſtis; ſi fuerit uredo, aut rubigo; ſi fuerit locuſta, aut bruchus; ſi eum obſederint hoſtes ejus, in terra urbium ejus; quæcumque fuerit plaga, quicumque morbus; 29. omnem orationem, omnem ſupplicationem cujuſvis, aut totius populi tui Iſraëlis; ſi quiſque intellexerit plagam ſuam & vulnus ſuum, tetenderitque palmas in hac Æde; 30. exaudito tu è cœlo, habitationis tuæ loco, ignoſcito, & dato unicuique pro omnibus ejus moribus; *tu* qui noſti animum ejus, nam hominum animum ſolus noſti. 31. Propterea te timebunt, ita ut incedant in viis tuis, omnibus diebus quibus in terra vivent, quâ Majores noſtros donaſti.

32. Peregrinum etiam, qui non erit è populo tuo Iſraële, ſed venerit è terra longinqua, propter magnum nomen tuum, manum tuam potentem, & exſertum brachium; venerit, in-

Concham æneam] כיור נחשת *chijor nhhoſcheth.* LXX. Int. βάσιν χαλκῆν, Vulg. *baſin æneam.* Videtur fuiſſe ſuggeſtum inſtar conchæ.

In medio atrio] Non quidem fortè accuratè in medio, ſed intra Sacerdotum Atrium, ita ut ex atrio Iſraëlis, quo illud cingebatur, undequaque audiri & conſpici poſſet.

14. *In cœlo & in terra*] *In cœlo ſurſum & in terra deorſum.*

16. *Caverint ſibi in via ſua*] *Servaverint viam ſuam.*

18. *Cum hominibus*] את האדם *eth haadam*, quod abeſt 1. Reg. VIII, 27.

21. *E loco ſedium tuarum, è cœlo*] ממקום שבתך מן השמים *mimmekom ſchibhthecha, min haſſchamajim.* 1. Reg. VIII, 30. אל מקום שבתך אל השמים *el mekom ſchibhthecha el haſſchamajim.* Unde liquet אל & מן interdum confundi, quamvis אל propriè *ad*, מן verò *ab* ſignificet.

25. *E cœlo*] מן השמים *min haſſchamajim*, 1. Reg. VIII, 34. omittitur מן *min.*

Reducitoque eum &c.] Hoc eſt, eam populi Hebræi partem, quæ ab hoſte victore in captivitatem abducta fuerit, & pro qua quæ in terra ſua remanſerit Jeroſolimæ orabit.

27. *Quandoquidem docueris* &c.] כי תורם *chi thorem.* Vide ad 1. Reg. VIII, 36 Ideò ei parcito, quòd eum populum elegeris, ut eum cognitione tuâ, & cultûs quo delectaris illuſtrares. Antecedens beneficium fit ratio ulteriùs benefaciendi. Vide ad Exod. XXXIII, 19.

29. *Plagam ſuam*] נגעו *nigho.* At 1. Reg. VIII, 38. נגע לבבו *plagam cordis ſui*, quibus verbis vitium, aut peccatum in Deum clariùs ſignificatur.

30. *Ejus moribus*] *Viis ejus.*

Hominum] *Filiorum hominis.* Eſt 1. Reg. VIII, 39. *omnium filiorum hominis.*

32. *In terra*] *Super facie terræ.*

Veneris, inquam &c.] *Et venerint & oraverint.* Hæc & quæ antecedunt, ab his verbis: *manum tuam potentem* &c. non leguntur in libro Regum.

33. *De*

inquam, & in hac Æde oraverit; 33. exaudito tu è cœlo ſedium tuarum loco; & exſequere omnia, de quibus alienigena te invocaverit; ut omnes terrarum populi reſciſcant nomen tuum, ita ut te revereantur, inſtar populi tui Iſraelis, intelligántque de nomine tuo vocari hanc Ædem quam exſtruxi. 34. Cùm exierit populus tuus in bellum contra hoſtes ſuos, per viam quâ eum miſeris, & oraverit te in via hujus urbis, quam elegiſti, & Ædis quam nomini tuo ædificavi; 35. tu verò è cœlo exaudito orationem & ſupplicationem eorum, & facito id quod jure poſtulabunt. 36. Cùm peccaverint in te (nam nemo eſt, qui non peccet) atque in eos excanderis, objecerìſque hoſti, qui captivos eos in terram longinquam aut propinquam abduxerit; 37. illi verò *culpam ſuum* in animum revocaverint, in terra in quam captivi erunt abducti, reverſique *ad te* oraverint te in terra captivitatis ſuæ, his verbis: deliquimus, peccavimus, rei ſumus; 38. & redierint ad te toto corde ſuo & toto animo, in terra in quam captivi abducti fuerint, ac te orabunt in via terræ, quâ Majores eorum donaviſti, urbis quam elegiſti, Ædiſque quam nomini tuo condidi; 39. exaudito è cœlo, habitationis tuæ loco, orationem, & obſecrarionem eorum, facito quod jure poſtulabant, ac populo tuo, qui in te deliquerit, ignoſcito. 40. Nunc, Deus mi, ſint, quæſo, oculi tui aperti, aureſque attentæ ad orationem hujuſce loci. 41. Nunc, ſurge, ô Jehova Deus, ut *te conferas* ad quietam tuam ſedem, te & Arcam potentiæ tuæ. Sacerdotes tui, ô Jehova Deus, induantur ſalute, & pii tui bono *ſuo* lætentur. 42. O Jehova Deus, ne averſator faciem Uncti tui, ſed beneficiorum Davidis ſervi tui memento.

VII. Dedicatio Templi, igne è cœlo delapſo, gloriáque Dei & omnis generis ſacrificiis per octiduum. Populum dimittit Salomo, & in ſomnis reſponſum à Deo accipit, quo ſe exauditum intelligit.

CAPUT VII. 1. POSTQUAM Salomo abſolviſſet orare, ignis deſcendit è cœlo, holocautoma & victimas abſumſit, gloriáque Jehovæ Ædem implevit, 2. nec potuerunt Sacerdotes eam ingredi, quia impleverat eam gloria Jehovæ. Omnes verò Iſraëlitæ, qui viderant deſcendere ignem & gloriam Jehovæ in Ædem, ſe ſe incurvarunt fa-

33. *De nomine tuo vocari*] *Quòd nomen tuum invocatur ſuper hacce domo*; hoc eſt, verè hanc eſſe Ædem Jehovæ, ſeu Creatoris.

39. *Ignoſcito*] Aliquot verba leguntur 1. Reg. VIII, 50 & 51. quæ hîc omiſſa.

40. *Nunc, Deus mi*,] 1. Reg. VIII, 52. *Ita ut ſint oculi tui aperti ad obſecrationem ſervi tui* &c. quæ hîc non leguntur, ut hîc ſunt quæ illic non exſtant.

42. *Beneficiorum Davidis*] Aut in Davidem collatorum, aut à Davide in alios, quod rectius videtur.

In CAPUT VII.

1. I*Gnis deſcendit* &c.] Certum iudicium exauditarum precum, ut 1. Ephem. XXI, 26. Hæc non leguntur in Hiſtoria Regum.

Ædem implevit] Nube implente Adytum & Sanctuarium, ut temporibus Moſaicis.

5. *Viginti duobus millibus* &c.] *Joannes Lightfootius* in Deſcriptione Templi Cap. XXXIV. multis quærit quî tanta victimarum & holocauſtorum copia potuerit tam brevi tempore offerri & abſumi, putátque ignem cœleſtem in altare delapſum ardentiorem fuiſſe igne communi. Sed credibilius eſt non tantùm toto atrio, ut habemus vſ. 7. ſed & quacumque patebat Mons Templi, pyras fuiſſe accenſas, in quas holocauſta & proficias aliarum victimarum conjecerint. Quòd ſi ne hoc quidem modo abſumi potuerint, veriſimilius fortè ſit auctos hîc, ut alibi, à Librariis victimarum numeros, quàm miraculum factum, de quo Scriptura planè tacet; cùm præſertim non ſemel ingens victimarum oblata ſit copia, intra breve tempus. Eodem loco, vir eruditus alia commenticia miracula memorat, qualia ſunt columnam fumi ſemper ex altari rectà adſcendiſſe, nec ullas illic fuiſſe muſcas. Talia ſanè *credat Judæus Apella*, *non ego*. Nobis, qui nidori & fumo Sacrorum, aliiſve ejuſmodi incommodis, inde manantibus, non ſumus adſueti, propemodum intoleranda videntur; ſed à populis, qui victimas Numini mactabant, facilè ferebantur. Si quis cogitet in magna urbe, qualis fuit Roma antiqua, quotidie centena aliquot funera fuiſſe, accenſóſque rogos & combuſta cadavera, & frequentiora etiam iis ſacrificia; intelliget quotidie oportuiſſe Romam undequaque, & quicumque flaret ventus, hîc illic fumo & nidore oppleri. Attamen Romani nuſquam ob ejuſmodi incommodum queruntur. Scio rogos accenſos extra urbem, nec fuiſſe apud eos tam frequentia holocauſta, quàm apud Hebræos; ſed ventus undequaque diſſipavit fumum, & multitudo proficiarum in ignem conjectarum, omnibus diebus quibus Sacra facere licuit, ſat incommodum nidorem quaquaverſùm ſparſit. At ejuſmodi odori & fumo erant adſueti. Itaque mirum eſſe non debet, ſi Hebræos ejuſcemodi incommoda æquo animo paſſos eſſe dicamus, miraculáque à ſolis Rabbinis allata rejiciamus.

6. *Illorum miniſterio*] *In manu illorum.*

7. Com-

Digitized by Google

facie *converſâ* in terram, ad pavimentum, adorarúntque *Deum*, agnoſcendo *beneficia* Jehovæ; quia bonus eſt, & quia in perpetuum eſt ejus benignitas.
[4] Deinde verò Rex & totus populus mactarunt victimas, coram Jehova. [5] Rex Salomo Sacra fecit, viginti duobus millibus juvencorum, minoriſque pecoris centies vigeſies millies victimis, & *ſic quidem* Jehovæ Ædem Rex univerſúſque populus dedicarunt. [6] Sacerdotes *obeundis* functionibus ſuis præſto aderant, & Levitæ cum inſtrumentis muſicis Jehovæ; quæ fecerat Rex David, ad laudandum Jehovam, quia benignitas ejus eſt in perpetuum, ut *eum* laudaret illorum miniſterio. Sacerdotes verò tubis ex eorum regione canebant, ac univerſus Iſraël adſtabat. [7] Conſecravit autem Salomo medium atrium, ante Ædem Jehovæ, obtulit enim illic holocautomata, & ſalutarium Sacrorum adipem, cùm altare æneum, quod fecerat, holocauſta, munera *ferrea* & adipem capere non poſſet. [8] Celebravit feſtum Salomo, eo tempore, per ſeptem dies, totúſque cum eo Iſraël, *cujus erat* maximus conventus; ab ingreſſu Chamathæ, ad fluvium uſque Ægypti. [9] Die octavo, clauſulam fecerunt, quia dedicationem altaris celebrarunt per ſeptem dies, & totidem feſtos habuerunt. [10] Die verò vigeſimo tertio menſis ſeptimi, dimiſit *Rex* ad ſua tentoria populum hilarem & lætum; propter beneficia à Jehova Davidi, Salomoni & Iſraëli populo ſuo collata. [11] Abſolvit Salomo Ædem Jehovæ & regiam, & quidquid ei venit in mentem facere in Æde Jehovæ, aut domi ſuæ feliciter perfecit.
[12] Conſpiciendum verò ſe præbuit Jehova Salomoni noctu, eique, exaudivi, inquit, orationem tuam, elegíque locum hunc, ut ſit mihi Ædes, in qua Sacra fiunt. [13] Si clauſero cœlum, nec fuerit pluvia, ſi juſſero locuſtam abſumere terram, ſi populo meo peſtem immiſero; [14] populus verò meus, qui de nomine meo vocatur, humiliter ſe ſe abjecerit, oraverit, quæſiverit faciem meam, & ad *ſaniorem mentem* à pravis ſuis moribus redierit; tum ego illum exaudiam è cœlo, ignoſcam peccatis ejus, terrámque ejus curabo. [15] Poſthac oculi mei erunt aperti, auréſque meæ attentæ orationibus, *quæ fient* hoc in loco. [16] Nunc elegi ac conſecravi *mihi* hanc Ædem, ut in ea ſit nomen meum, in perpetuum; eruntque ſemper oculi mei & animus meus eò *defixi*. [17] Tu verò ſi coram me incedas, quemadmodum inceſſit pater tuus David, ita ut te per omnia geras quemadmodum præcepi tibi, iuſtitutáque & jura mea ſerves; [18] con-

7. *Conſecravit autem Salomo* &c.] Propter multitudinem victimarum, de quibus vide vſ. 5.
8. *Ab ingreſſu Chamathæ*] A finibus borealibus ad meridianos.
9. *Die octavo*] Convenerant die ſeptimo menſis ſeptimi, celebrarántque dedicationem Templi, per ſeptem dies, uſque ad 14. Tum 15. cœpit feſtum Tabernaculorum, ex lege per ſeptem etiam dies celebrandum. Itaque primus dies poſterioris feſti fuit עצרת *hatſereth*, ſeu *clauſula* prioris. Vide not. ad Levit. XXIII, 36. LXX. Intt. habent hîc ἐξόδιον, Vulgatus, *collectam*.
Totidem feſtos habuerunt] *Et feſtum diebus ſeptem*. Ad diem 21. Die verò 22. fuit *clauſula* feſti, ac tandem die 23. dimiſſus eſt populus.
10. *Hilarem & lætum*] *Hilares & bonos corde, propter bonum quod fecerat* &c.
11. *Feliciter perfecit*] הצליח *hitsliahh*, ſecundavit. LXX. Intt. εὐοδώθη, Vulgatus, *proſperatus eſt*; ſed verbum eſt activum, quod regit antecedens accuſativum ואת כל הבא וגו' *& quidquid venit in mentem*. Nec puto umquam aliter accipi hanc conjugationem niſi activè, quamvis non ſemper exprimatur caſus, quo factum ut Interpretes verbis paſſivis, aut neutris uſi fuerint. Qui ante verbum הצליח ſupplent conjunctionem *Vau*, ſine cauſa, regimen à verbo divellunt. Similis eſt conſtructio Pſ. I, 3.
12. *Ædis in qua Sacra fiant*] בית זבח *domus ſacrificii*.
13. *Si clauſero*] הן *ecce clauſero* &c. Sic & in ſequente membro, *ecce juſſero* &c. in tertio verò eſt אם im, *ſi*.
14. *Qui de nomine meo vocatur*] *Qui vocatur nomen meum ſuper eos*.
Quæſiverit faciem meam]. Ad Arcam venerit, ad quam converſus adoret.
A pravis ſuis moribus] *Viis*.
15. *Poſthac*] עתה hatthah, *nunc*. Significat hoc loco, *in poſterum*, eáque ſignificatio addenda eſt iis, quas notavit *Chr. Noldius*. Vel עתה hîc eſt pro מעתה *mehatthah*, ab hoc tempore. Vide ad Cap. VIII, 12.
16. *Nunc elegi* &c.] Hinc fermè incipit 1. Reg. IV. oratio Dei ad Salomonem.
17. *Ita ut te per omnia* &c.] *Ad faciendum ſecundùm omnia quæ præcepi tibi* &c. Quod non eſt ita intelligendum, quaſi perfectam obſervationem totius Legis neceſſariò ab eo exigeret Deus, ut eum potentiâ ſuâ tegeret, alioqui de quovis delicto pœnas ſumturus; quandoquidem ne David quidem ipſe, cujus exemplum filio proponit Deus, eam ita obſervavit. Legem obſervaſſe, eatenus ut eſſet Deo gratus, dicebatur quiſquis cultui unius veri Dei ſemper adhæſerat, legéſque ejus obſervarat ex animo, & ſi quando peccaverat, tempeſtivâ reſipiſcentiâ ad Dei miſericordiam confugerat; quemadmodum fecerat David. Promiſſa Dei de ignoſcendo pœnitentibus delicto, quæ ſunt per omnes libros Veteris Teſtamenti ſparſa, oſtendunt Deum tunc temporis eodem modo ſe geſſiſſe, ac poſtea geſſit; hoc eſt, miſericordiâ infirmitati hominum ſubveniſſe.

Digitized by Google

18. confirmabo ſolium regni tui, *pro fœdere quod* pepigi cum Davide patre tuo, his verbis; non exſcindetur tibi vir dominans Iſraëli. 9. Verùm ſi vos avertamini *à me*, reliqueritis inſtituta, præceptáque mea, quæ vobis propoſui, abiveritis, colueritiſque Deos alienos, & eos adoraveritis; 20. exſtirpabo Iſraëlitas è terra mea, quâ eos donavi, & hanc Ædem, quam conſecravi nomini meo, è conſpectu meo abjiciam, faciámque ut adagio, ludibrióque ſint omnibus populis. 21. Cúmque hæc Ædes ſublimis *viſa* fuerit cuivis juxta eam tranſeunti, obſtupeſcet *viator*, dicétque: cur ita ſe geſſit Jehova erga hanc terram & erga hanc Ædem? 22. Quia, inquient *alii*, deſeruerunt *incolæ loci* Jehovam Deum Majorum ſuorum, qui eos ex terra Ægyptia eduxerat, adhæſerúntque Diis alienis, quos adorarunt ac coluerunt; ideò iis omnem hanc calamitatem immiſit.

VIII. Salomo urbes condit, aut munit, ſtipendiarios reddit reliquos Chananæos, cultum divinum obit ipſe & ordinat, navéſque cum Tyriis Ophiram mittit.

CAPUT VIII. 1. EXACTIS viginti annis, quibus Salomo Ædem Jehovæ & domum ſuam ædificavit; 2. urbes etiam, quibus eum donaverat Churamus, muniit Salomo, incoliſque Iſraëlitis inſtruxit. 3. Abiit & Salomo Chamatham Tſobam, eámque cepit. 4. Condidit etiam Thadmoram in deſerto, & omnes urbes horreorum, quas muniit in Chamathæ *tractu*. 5. Inſtauravit quoque Beth-choronem ſuperiorem & Beth-choronem inferiorem, urbes muris, portis & vectibus munitas, 6. & Bahalatham & omnes urbes horreorum, quæ habebat, ut & urbes curruum & equitum, ac denique quid-

18. *Vir dominans*] Vide 1. Reg. IX, 5.

20. *Exſtirpabo Iſraëlitas*] *Exſtirpabo eos.*

Ut adagio, ludibrióque ſint &c.] Nempe, Iſraëlitæ, ut 1. Reg. IX, 7.

21. *Sublimis viſa fuerit*] *Quæ fuerit alta omni tranſeunti juxta eam:* אשר היה עליון לכל עובר עליו *aſcher hajah heljon lchol hober halau.* At 1. Reg. IX, 7. eſt: *erit locus excelſus & quiſquis juxta eam tranſibit obſtupeſcet.* Ad quem locum vide notata.

In CAPUT VIII.

1. E*Xactis* &c.] *A fine viginti annorum, quibus* &c. 1. Reg. IX, 10.

2. *Urbes etiam, quibus eum donaverat Churamus* &c.] Loco 1. Regum laudato, mentio fit urbium, quas Salomo Churamo dono dederat & quæ Tyriorum Regi minùs placuerant. Ideò Interpretes exiſtimant Salomoni ab eo redditas, eáſque hîc munitas à Rege Iſraëlitarum dici; nec abſurda eſt conjectura. Sed ſi hoc eſſet, Scriptor Sacer videtur potiùs dicturus fuiſſe eas urbes à Churamo *redditas*, quàm *datas*, uſurúſque verbo השיב *reddidit.* Verùm cùm, in tam brevi hiſtoria, multa obſcura eſſe neceſſe ſit; rem in medio relinquo, poſſet enim hîc etiam de aliis urbibus ſermo eſſe.

3. *Chamatham Tſobam*] Vide 2. Sam. VIII, 3.

4. *Thadmoram*] Vide ad 2. Reg. IX, 18.

5. *Inſtauravit Beth-choronem*] *Ædificavit.* At 1. Reg. IX, 17. mentio fit tantùm *Beth-choronis inferioris*, & loco ſuperioris memoratur *Gezer.* Nihil vetat utrumque oppidum inſtauratum fuiſſe, & alterutrum hîc & illic omiſſum.

Urbes muris &c.] *Urbes munitionis murorum, valvarum & vectis.*

6. *Urbes curruum & equitum*] *Urbes currûs & urbes equitum*; in quibus collocarat currus & equitatum, quem alebat, de quibus Cap. I, 14.

In Libano] Vide ad 1. Reg. IX, 19.

8. *Stipendiarium fecit Salomo*] *Fecit adſcendere eos in tributum*, למס *lmas.* Vide ad 1. Reg. IX, 21.

Quod ad hunc uſque diem obtinuit] Ad tempus, quo ſcripti fuerant commentarii regni Salomonis, ex quibus hæc hiſtoria depromta eſt.

9. *Ut opus ſuum faceret*] Quale fecerunt peregrini, de quibus 1. Ephem. XXII, 2. & 2. Ephem. II, 2. Impoſuit quidem tributum Hebræis, ſed coacti non ſunt ſervilia opera obire, ut peregrini. Similia de ſuo Seſoſtri jactabant Ægyptii, ut docet *Diodorus* Siculus Biblioth. Lib. I. p. 51. ubi de Seſoſtri, pacis operibus occupato, ſic loquitur: πρῶτον μὲν γὰρ ἀπὸ Θεῶν ἀρξάμενος ᾠκοδόμησεν ἐν πάσαις ταῖς κατ' Αἴγυπτον πόλεσιν ἱερὸν Θεοῦ τοῦ μάλιστα παρ' ἑκάστοις τιμωμένου, ἐπὶ δὲ τὰς ἐργασίας τῶν μὲν Αἰγυπτίων οὐδένα παρέλαβε, δι' αὐτῶν δὲ τῶν αἰχμαλώτων ἅπαντα κατεσκεύασε. διόπερ ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἱεροῖς ἐπιγέγραφεν ὡς ΟΥΔΕΙΣ ΕΓΧΩΡΙΟΣ ΕΙΣ ΑΥΤΑ ΜΕΜΟΧΘΗΚΕ. *Cùm ergo à Diis initium feciſſet, in omnibus Ægypti urbibus, templum Dei qui maximè apud quemque colebatur ædificavit. Ad opera verò neminem Ægyptiorum adſumſit, ſed per ipſos captivos omnia perfecit. Quare omnibus Templis inſcripſit*, INDIGENARUM NEMO HUC LABOREM IMPENDIT. Multò magis decuiſſet virum magnanimum, neminem niſi qui vellet, & juſtam mercedem acciperet, ejuſmodi operibus adhibuiſſe. Arctis clauditur finibus beneficentia, quæ ad cives tantùm pertinet. Sed nondum erant tempora, nec ii homines, quibus notum eſſet totius orbis homines non cives tantùm unius Reipublicæ, ſed proximos ſibi invicem ac fratres eſſe.

Duces tribunorum] שרי שלישו *ſchare ſchaliſchau.* Cùm legamus 1. Reg. IX, 22. שריו ושלישיו *ſcharau veſchaliſchau*, duces & tribuni ejus, cúmque שלישים *ſchaliſchim* numero ducum eſſent; meliùs ita, hoc etiam in loco, legeretur. Sic cenſuerunt LXX. Intt. qui habent καὶ ἄρχοντες καὶ δυνατοί.

Vul-

quidquid cupiit ædificare Jeroſolimæ, in Libano, & in univerſa ditionis ſuæ terra.

7. Populum omnem reliquum è Chitthæis, Emoræis, Pherizæis, Chivvæis, Jebuſæis, qui non erant ex Iſraële, 8. aut eorum poſteris, qui poſt eos in terra Chananæa manſerant, & quos Iſraëlitæ non deleverant, ſtipendiarium fecit Salomo, *quod* ad hunc uſque diem *obtinuit*. 9. At ex Iſraëlitis neminem reddidit Salomo ſervum, ut opus ſuum faceret, ſed erant viri militares, duces tribunorum ejus, ducéſque curruum & equitum. 10. Erant hi principes præfectorum Salomonis ducenti quinquaginta, qui præerant populo. 11. Filiam Pharahonis tranſtulit Salomo ex urbe Davidis domum, quam ei ædificaverat; dixit enim: non habitabit mihi uxor domi Davidis Regis Iſraëlis, ſunt enim ſacra ea *ædificia*, cùm in ea ingreſſa fuerit Arca Jehovæ.

12. Exinde obtulit Salomo holocauſta Jehovæ, in altari Jehovæ, quod ante porticu exſtruxerat, 13. & quidem quod unoquoque die præſcriptum erat, ita ut offerret ex præcepto Moſis, Sabbathis, Neomeniis, & feſtis tribus vicibus quotannis; feſto, *nempe*, azymorum, feſto hebdomadum, & feſto tabernaculorum. 14. Conſtituit etiam, ſecundùm ordinem à Davide patre *præſcriptum*, claſſes Sacerdotum, quæ miniſterium ſuum obirent; Levitas qui officiis ſuis fungerentur, in agnoſcendis *Dei beneficiis*, & miniſtrando Sacerdotibus, prout quotidie præſcriptum erat; & janitores pro claſſibus ſuis ad ſingulas januas; ita enim mandaverat David, vir divinus, 15. Nec receſſum eſt à mandatis Regis, de Sacerdotibus, de Levitis, ulla in re, neque in eo quod attinebat ad theſauros. 16. Præſcriptum erat omne Salomonis opus, à die quo fundamenta jecit Ædis Jehovæ, donec prorſus eſſet abſoluta.

17. Poſtea ivit Salomo Hetsjongeberum & Elothas, ad littus maris, in terram Idumæam. 18. Miſerat autem in ejus gratiam Churamus, per ſervos ſuos, naves &

Vulgatus verò, *duces primi*, & Chaldæus, רבני גברי *duces fortium*; unde liquet non aliter eos legiſſe, ac nos hodie.

11. *Filiam Pharahonis*] Vide 1. Reg. IX, 24.

Sunt enim ſacra] *Sanctitas illa*. Itaque peregrinam in iis diutiùs habitare noluit.

12. *Exinde*] אז az, *tunc*, pro מאז mehaz, *ab eo tempore*. Vide ad Cap. VII, 15.

13. *Quod unoquoque die præſcriptum erat*] *In verbo diei in diem*.

Feſtis tribus] Vide Num. XXVIII.

14. *Ad ſingulas januas*] *Ad januam & januam*.

15. *Neque receſſum eſt à mandatis*] לא סרו מצות *lo ſarou mitſvath*, pro ממצות mimmitſvath, *à mandato*. Excidit מ, propter ejus repetitionem. Hoc & ſimilia multò rectiùs Librariorum incuriæ, quàm Linguæ anomaliæ tribuantur, quamvis aliter vulgò ſentiant Grammatici.

16. *Præſcriptum erat*] ותכן vatticchon, *præſtitutum* ita erat, ut nihil novi incideret, quod eum ulla in re conſilium mutare cogeret.

A die quo &c.] *Uſque ad diem fundationis Ædis Jehovæ, & uſque ad abſolutionem ejus, perfecta domus Jehovæ*.

17. *Hetsjongeberum*] Vide 1. Reg. IX, 26.

18. *Miſerat in ejus gratiam Churamus, per ſervos ſuos, naves*] וישלח לו חורם ביד עבדיו אניות *vaiiſchlahh lo Chouram bejad hahadau oniijoth*. LXX. Intt. καὶ ἀπέστειλε Χιρὰμ ἐν χειρὶ παίδων αὐτοῦ πλοῖα. Omiſerunt לו *illi*, quòd intelligerent Tyro naves in mare Rubrum tunc temporis mitti non potuiſſe. Vulgatus; *miſit autem ei Chiram, per manus ſervorum ſuorum, naves*. Sic & Chaldæus: ושדר ליה חירם בידא דעבדוי אלפיא *miſit ei Churam per manum ſervorum ſuorum naves*. Nec dubium eſt quin verbo tenus ſic Hebraïca ſonent. Si tamen hanc vertendi rationem ſequamur, neceſſe erit dicere naves Tyro Hetsjongeberum miſſas, aut circumactâ totâ Africâ, quod non eſt veriſimile, aut diſſolutas, & per jumenta tranſvectas; aut integras, ſubjectis ſeutulis, per iſthmi Ægyptiaci latitudinem tractas; quæ quamvis ut abſurda non rejiciantur à *P. Dan. Huëtio* viro doctiſſimo, in Diſſert. de Navigationibus Salomonis, poſthabentur tamen alii conjecturæ, quâ ſatius eſſe ducit ſtatuere ante hæc tempora foſſam excavatam, quâ mare Mediterraneum cum Arabico jungebatur, & per quam naves, Tyro venientes, poterant mare Erythræum ingredi. Non eſt, ſi judicium ejus ſequimur, credibile Ægyptios laborioſam gentem, ejuſmodi operibus adſuetam, poſt tot exciſos in pingui & molli ſolo alveos, quibus Ægyptus ſecta erat, ut per eos vel averteret Nili aquas, vel induceret, poſt immenſam illam & operoſiſſimam Pyramidum ſubſtructionem, marium horum neglexiſſe commiſſuram, unde tantum eſſet ad ſe emolumenti rediturum. Et factum id conſtanter adſeverant Arabes, atque hanc Nili & Arabici ſinûs conjunctionem repetunt ab Abrahami temporibus. At *Strabo* Libro XVII. foſſam hanc ante Troianum bellum excavatam fuiſſe vult à Seſoſtri, potentiſſimo Ægyptiorum Rege, cùm inchoatum tantùm ab eo opus priùs dixiſſet Lib. I. Troianum autem bellum toto ſæculo fuiſſe Davide antiquius norunt Eruditi. Verum eo recentiorem fuiſſe Seſoſtrin, qui *Seſac* fuit auctoribus Sacris commemoratus, & Robohami æqualis, ex temporum ratiociniis probatur & ſtatuitur à *Joſepho* Ant. Jud. Lib. VII. c. 4. licèt aliter ſenſerint Græcorum plerique. Unde rectè colligi putat vir doctiſſimus, alveum hunc ante Seſoſtrin fuiſſe perfoſſum & pervium: aſt neglectum deinde & obſtructum à Seſoſtri denuo repurgari cœptum eſſe, & altiùs depreſſum.

Hæc quoque conjectura, licèt alioqui minimè abſurda, vix ſatis conſentit cum Scriptura, pugnátque cum utilitatibus Ægyptiorum, quas ab iis in gratiam Hebræorum neglectas veriſimile non eſt. Cùm enim Scriptura Seſacum ſeu

& ſocios navales, qui cum ſervis Salomonis iverunt Ophiram, & illinc quadringenta quinquaginta auri talenta ſumſerunt, atque attulerunt ad Regem Salomonem.

IX. Regina Sabæorum inviſit Salomonem eúmque mirata, datis & acceptis muneribus, in regnûm redit. Opes, magnificentia & mors Salomonis, cui ſuccedit Robohamus.

Caput IX.
1. Regina Sabæorum, cùm Salomonis famam audiviſſet, venit Jeroſolimam, ut
eum ænigmatibus exploraret, cum maximo comitatu, cameliſque ferentibus aromata, aurum magnâ copiâ, & lapillos pretioſos, convenitque Salomonem,
& cum eo de quacumque re tulit animus colloquuta eſt. 2. Salomo verò ei indicavit
quidquid rogavit, nec quidquam fugit Salomonem quod mulieri non aperuerit. 3. Vidit
Sabæorum Regina quæ eſſet ſapientia Salomonis, quæ domus, quam ædificaverat,
4. qui cibus menſæ, quæ habitatio ſervorum ejus, qui adſtarent ei miniſtri, quæ eorum
veſtes, qui pincernæ, quæ eorum indumenta, & clivum per quem adſcendebat in Ædem Jehovæ, neque ulteriùs ulla in ea fuit ſuperbia. 5. Tum verò Regi, verum erat,
inquit, quod in terra mea de factis tuis, tuáque ſapientia audiveram. 6. Non credebam iis, quæ dicebantur, donec venerim & *rem* viderint oculi mei; nunc autem ne dimidia quidem pars multæ tuæ ſapientiæ mihi nunciata fuerat. Addidiſti famæ, quam
acceperam. 7. Felices homines tuos, felices ſervos iſtos tuos tibi perpetuò adſtantes,
qui audiunt ſapientiam tuam! 8. Benedictus ſit Jehova Deus tuus, qui te delectatus
eſt, adeò ut te in ſolio ſuo collocarit, ut eſſes Rex Jehovæ Deo tuo, pro amore Dei tui erga Iſraëlem, ut id in perpetuum firmaret; & te Iſraëlitis impoſuit Regem, ut jus *iis* diceres, & juſtitiam *exerceres*. 9. Deinde Regem centum viginti talentis aureis,
aromatúmque ingenti copiâ & lapillis pretioſis donavit: nec fuere *poſtea Jeroſolimæ* aromata iis ſimilia, quibus Sabæorum Regina Regem Salomonem donavit.
10. *Redierunt* deinde quoque ſervi Churami, & ſervi Salomonis, qui Ophirâ attulerunt aurum, ligna Algummina, & lapillos pretioſos. 11. Fecit verò Rex ex lignis Algum-

Seſoſtrin faciat æqualem Robohami, non eſt veriſimile foſſam illam, quæ pervia fuerat ſub Robohami patre, ſæpiúſque Phœniciis & Hebræis navibus tranſitum præbuerat, tam brevi tempore ita obſtructam fuiſſe, ut ſub Robohami regno iterum excavari neceſſe habuerit. Præterea cùm tantæ divitiæ ex India adveherentur, à claſſe Hebræa & Phœnicia, nemo ſibi facilè perſuadeat Ægyptios pati potuiſſe vicinas gentes Nilum ingredi claſſe, & ſupra Memphin in foſſam ad mare Rubrum ductam declinare, deinde eadem viâ regredi onuſtam maxima auri pretioſarúmque mercium copiâ, quas Joppen, ac Tyrum veheret. Non ita ſpernere divitias ſolent Reges & populi, neque ita amantes eſſe vicinorum, ut eos ſic ditari ſuo labore patiantur. Nemo non videt ſolos Ægyptios ejuſmodi commercium facturos fuiſſe, ſi facilè potuiſſent obſtare ne alii aggrederentur, neque claſſem alienam per ſuum Nilum navigare paſſuros. Quod ſi quis objiciat Ægyptios abhorruiſſe à mari, ut prodiderunt Veteres; at opera Phœnicum, non minùs ac Salomo, uti potuiſſent; eáque reverâ in longas navigationes uſi ſunt, ut ex *Herodoto* oſtendit *Huëtius*.

Itaque cùm conſtet ex hiſtoria Joſaphati, 2. Reg. XXII, 50. 2. Ephem. XX, 35. naves Hetsjongeberi fabricatas fuiſſe, ſatius videtur ita verba Hiſtorici Sacri interpretari, ut intelligamus Tyriorum Regem non miſiſſe claſſem ex Tyrio mari in Erythræum; ſed Hetsjongeberi conſtructam claſſem miſiſſe Ophiram, ut Salomoni gratificaretur. Ac ſanè in hoc loco nequaquam dicitur miſſa claſſis מצור *mittſour*, Tyro, ſed tantùm naves iviſſe Ophiram; nec opus etiam fuiſſet Salomonem ire Hetsjongeberum, ſi claſſis profecta illinc non fuiſſet, ſed ex Ægyptia foſſa, ad contrarium maris littus perducta è Nilo. Itaque לו *lo* interpretamur non *ad eum*, ſed *in ejus gratiam*; quæ non eſt infrequens præpoſitionis ל ſignificatio, ut oſtendit *Chr. Noldius* ſignificationibus ejus 27, & 28. ubi multa exempla afferuntur ex quibus liquet eam ſæpe ſignificare *in uſum*, *in gratiam* alicujus, *propter* rem quampiam. Sic Deut. III, 22. *Jehova Deus veſter pugnat pro vobis* לכם Prov. VI, 1. *Fili mi, ſi ſpoponderis in gratiam proximi tui* לרעך. 1. Reg. XXII, 49. *Naves quæ Ophiram irent ad petendum aurum* לזהב. Igitur cùm dicitur Churamus *miſiſſe Salomoni, per ſervos ſuos, naves*, perinde eſt ac ſi diceretur miſiſſe Hetsjongeberum nautas, qui naves illic à Salomone ædificatas conſcenderent, & cum illis Ophiram irent. Hinc tamen intelligere licet, ut alibi jam dixi, Phœnicibus non ignotum fuiſſe Ophiræ ſitum, nec primùm tentatam illuc navigationem fuiſſe.

Socios navales] *Servos peritos maris.*

18. *Quadringenta quinquaginta auri talenta.*] Hoc eſt, Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ ſunt undecim Hollandicorum florenorum, minimùm duos milliones, ducenta octoginta tria millia & ducentas; quæ maxima eſt ſumma, ideoque fortè à Librariorum manu auctior.

In Ca-

gumminis fulcra in Æde Jehovæ & in regia, citharas & nablia cantoribus, nec antea, in terra Judæ, talia ligna conſpecta fuerant. 12. Rex verò Salomo donavit Reginam Sabæorum omnibus quæ concupivit & petiit, præter ea quæ ad Regem attulerat. Tum reverſa eſt & abiit in ſuam terram cùm ipſa, tum ejus ſervi.

13. Pondus autem auri, quod veniebat ad Salomonem quotannis, erat ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum aureorum; 14. præter *id quod accipiebat* à negotiatoribus, mercatoribúſque, qui *id* advehebant, omnibúſque Regibus Arabiæ & terræ Præfectis, qui Salomoni aurum & argentum adferebant. 15. Fecit Salomo Rex ducenta ſcuta ex auro ductili & ſexcentos quidem *ſiclos* aureos procuſos inſumſit ſingulis ſcutis. 16. Fecit & trecentos clypeos ex auro ductili, in quorum ſingulos trecentos aureos ſiclos impendit, eóſque collocavit Rex domi ſilvæ Libani. 17. Fecit etiam Rex ſolium eburneum magnum, idque auro puro texit. 18. Sex erant gradus ſolio, ſcabellúmque aureum ſolio adhærentia, & in lateribus hinc atque inde, ad locum ſeſſionis, bini leones ſtantes ad latera. 19. Duodecim erant leones illic ſtantes in gradibus, hinc atque inde; nec factum eſt tale ſolium, in ullo regno. 20. Omnia etiam vaſa, quibus potus præbebatur Regi Salomoni, erant aurea, omniáque vaſa domûs ſilvæ Libani, ex auro puriſſimo erant. Argentum verò, temporibus Salomonis, nullo in pretio habebatur. 21. Naves enim regiæ, quæ unà cum ſervis Churami Tharſiſum ibant ſemel ſingulis trienniis veniebant; navéſque illæ Tharſiſenſes advehebant aurum, argentum, dentes Elephantum, ſimias & pavones.

22. Rex Salomo omnes terrarum Reges divitiis & ſapientiâ ſuperavit. 23. Omnes terrarum Reges in conſpectum ejus venire cupiebant, ut audirent ſapientiam, quam ejus animo Deus indiderat. 24. Unuſquiſque eorum munus ſuum ad eum advehebat, vaſa argentea, vaſa aurea, veſtes, arma, equos, mulos, prout debebantur ſingulis annis. 25. Fuerunt autem Salomoni quatuor millia ſtabulorum in equos & currus, ac duodecim millia equitum, quos collocavit in urbibus curruum, & cum Rege Jeroſolimæ. 26. Imperium verò obtinuit in omnes Reges, qui erant à flumine *Euphrate*, uſque ad terram Philiſthæorum, & ad fines Ægypti. 27. Effecit etiam Rex, ut argentum eſſet Jeroſolimæ, inſtar lapidum, cedrique inſtar ſycomororum, quæ *ſunt* in planitie, tantâ

In Caput IX.

1. R*Egina Sabæorum*] Vide ad 1. Reg. C. X, 1. & ſeqq.

Cum maximo comitatu] בחיל כבד מאד *in exercitu*, aut *multitudine gravi valde*.

De quacumque re tulit animus] *Quidquid erat cum corde ejus.*

2. *Quidquid rogavit*] *Omnia verba ejus.*

4. *Qui adſtarent ei miniſtri*] *Stationem miniſtrorum ejus.*

6. *Multæ tuæ ſapientiæ*] *Multitudinis ſapientiæ tuæ.*

8. *Benedictus ſit*] Laude dignus eſt. Non dubitabant laudare Ethnici Deum Iſraëlis, quia non propterea Deorum ſuorum cultum deſerebant.

In ſolio ſuo] על כסאו *hal chiſo*; hoc eſt, in ſolio quod ad ipſum propriè pertinuit, neque ad ſe tranſlatum eſt, niſi quaſi ad legatum, ejus vice Hebræis imperantem.

9. *Centum viginti talentis auri*] Ingens profectò munus, & verè regium, quod conficit Librarum Sterlingicarum minimùm ſexcenta novem millia, centum viginti. Abundaſſe auro hanc Reginam oportuiſſet, ut tantum munus offerre Salomoni poſſet; niſi pretium ejus, aliis muneribus ab eo viciſſim acceptis, recepiſſet. Vide vſ. 12.

Aromata iis ſimilia] *Sicut aroma illud.*

10. *Redierunt*] Quaſi excidiſſet וישובו *vajaſchoubou*.

11. *Fulcro*] מסלות *meſilloth*. Eſt 1. Reg. X, 12. משעד *misbad*, fulcrum. Quod tamen quale fuerit parum liquet.

12. *Præter ea*] Quæ donis ejuſdem pretii rependit Salomo.

13. *Quotannis*] *In uno anno.*

Sexcentorum ſexaginta ſex &c.] Vide quæ diximus ad 1. Reg. X, 14. Tributum hoc cùm diximus collectum ex Iſraëlitis, non ſunt tantùm intelligendi qui terram Iſraëlitidem incolebant, ad occaſum & ad ortum Jordanis, ſed & præfecti Salomonis regionibus finitimis; ex quibus ingentes ſummas extorquebant, more Orientalibus uſitato. Quod ſi nimium ſic quoque videatur auri pondus, ne Hiſtoria ipſa rejiciatur; quæ potuit à Judæis Librariis vitiari, incolumi tamen re ipſa, ad ſummam Hiſtoriæ quod attinet.

15. *Inſumſit ſingulis* &c.] *Adſcendebant ſuper clypeum unum.*

19. *Tale ſolium*] *Sic.*

21. *Naves enim regiæ* &c.] Vide ad 1. Reg. X, 22.

22. *Omnes terrarum reges* &c.] Vicinarum, nempe; nam non alii veniebant in conſpectum Salomonis.

23. *In conſpectum venire cupiebant*] *Quærebant faciem ejus.*

24. *Prout debebantur* &c.] *Rem anni in annum.*

25. *Quatuor millia ſtabulorum*] Vide not. ad 1. Reg. IV, 26.

27. *Effecit etiam Rex* &c.] Vide 1. Reg. X, 27.

tantâ erant copiâ. 28. Educebant autem equos ex Ægypto atque ex omnibus terris Salomoni. 29. Reliquæ res geſtæ Salomonis, cùm priores, tum poſteriores annon ſcriptæ ſunt in verbis Nathanis Prophetæ, in prophetia Achijæ Silonitæ, & in viſionibus Jehdonis Videntis, contra Jerobohamum, Nebati filium? 30. Regnavit autem Salomo Jeroſolimæ, in omnem Iſraëlem, per quadtaginta annos. 31. Deinde obdormiit Salomo, cum Majoribus ſuis, ſepeliérúnt eum in urbe Davidis patris ſui, & ejus quidem filius Robohamus, ejus loco, regnavit.

X. Cùm à Robohamo petentes remiſſionem tributorum Iſraëlitæ malè excepti eſſent, ab eo Tribus decem deficiunt.

CAPUT X. 1. IVIT verò Robohamus Sechemum, quia Sechemum convenerat univerſus Iſraël ad eum Regem conſtituendum. 2. Hoc autem cùm accepiſſet Jerobohamus, Nebati filius (is in Ægypto erat, quò fugerat è conſpectu Salomonis Regis) ex Ægypto reverſus eſt; 3. *nam fuerant, qui* eum accerſiverant. Itaque venit Jerobohamus & totus Iſraël, alloquutique ſunt Robohamum, his verbis: 4. pater tuus gravi jugo nos preſſit, tu verò leva *nos* ſervitute durâ patris tui, gravique jugo quod nobis impoſuit, & tibi ſerviemus. 5. Ille verò iis, poſt triduum, inquit, revertimini ad me. 6. Interea conſilium habuit Rex Robohamus cum ſenibus, qui patri ſuo Salomoni, dum viveret, adſtiterant, & quidnam, inquit, mihi auctores eſtis, ut populo huic reſpondeam? 7. Illi verò, ſi benignus fueris, inquiunt, huic populo, eíque placere conatus fueris, & blandis verbis homines alloquutus fueris, ſervient tibi in perpetuum. 8. Verùm omiſſo conſilio ſenum, quod ei dederant, conſilium habuit cum juvenibns, qui unà cum ipſo adoleverant, eíque adſtabant, 9. eiſque, quid vos, inquit, eſtis mihi auctores, ut reſpondeamus huic populo, qui ſic me alloquutus eſt: leva nos jugo, quod pater tuus nobis impoſuit. 10. Eum verò alloquuti ſunt juvenes, qui cum eo adoleverant, in hanc ſententiam: ſic dices populo, qui te alloquutus eſt, in hæc verba: pater quidem tuus gravi jugo nos preſſit, tu verò nos leva; ſic, *inquam*, ei dices: minimus meus *digitus* craſſior eſt lumbis patris mei. 11. Igitur cùm patet meus vobis grave jugum impoſuerit, jugum iſtud veſtrum ego augebo. Pater quidem meus caſtigavit vos ſcuticis, ego verò vos flagellis *caſtigabo*.

12. Venerunt deinde Jerobohamus & totus populus ad Robohamum die tertio, quemadmodum dixerat Rex, his verbis: ad me die tertio redite. 13. Durè verò eis reſpondit Rex Robohamus, ſenúmque conſilium neglexit, 14. & eos alloquutus eſt, ex conſilio juvenum, in hæc verba: pater meus gravi jugo vos preſſit, at ego iſtud augebo. Pater meus caſtigavit vos ſcuticis, at ego flagellis *utar*. 15. Rex ergo populo non auſcultavit, erat enim *hæc* occaſio à Deo, ut præſtaret Jehova verba, quæ protulerat

29. *In verbis Nathanis* &c.] Similem loquutionem vide 1. Par. XXIX, 29.

In CAPUT X.

1. I*Vit verò Robohamus* &c.] Vide ad 1. Reg. XII, 1. & ſeqq.

3. *Nam fuerunt* &c.] *Et miſerunt & vocaverunt eum.*

4. *Gravi nos jugo*] Non fecit ſervos ut peregrinos, à quibus ſervilia opera exegit. Vide 1. Reg. IX, 21, 22. ad quem locum quæ à nobis dicta hinc intelligenda ſunt.

7. *Si benignus fueris* &c.] *Si fueris in bonum*, אם תהיה לטוב; hoc eſt, *ſi fias bonus.*

Placere conatus fueris] רציתם *retſitham*, obſequio benevolentiam eorum captaveris, Græci [illegible] dicunt.

10. *Pater tuus* &c.] Hæc & ſeqnentia ſunt exempla ſimplicitatis ſtyli priſcorum Hebræorum, in quo repetitiones minimè refugiebant. Quod alibi meminiſſe juvabit, ne ſingula verba nimiùm urgeantur.

15. *Erat enim hæc occaſio* &c.] Vide ad 1. Reg. XII, 15.

16. *Viderunt ergo*] Snpplendum hoc ex 1. Reg. XII, 16. Sine dubio excidit, quamvis nec LXX. Int. nec Vulgatus legerint; neque enim in ulla lingua ejuſmodi ellipſes feruntur.

18. *Hadoramum*] הדורם, quod 1. Reg. XII, 18. ſcribitur אדורם.

In CAPUT XI.

2. C*Oëgit è familia* &c.] Vide 1. Reg. XII, 21. & ſeqq.

4. *Ne ſuſcipite* &c.] *Non adſcendetis, neque pugnabitis.*

6. *Munivit ergo* &c.] *Et ædificavit Bethlechemum* &c.

11. *Auxit munitiones*] *Firmavit munitiones.*

Apothecas cibi] Ut copiis alendis paratæ eſſent, poſſéntque eæ urbes, ſi fortè obſiderentur, diuturniorem obſidionem pati.

13. *Sacerdotes* &c.] Seu quòd hi eſſent cultui divino conſtantiùs addicti, ſeu quòd timerent ne jura ſacerdotalia amitterent, ſi in perduellium agris habitarent. Nihil enim erat quod ab his in Idololatriam prolapſis ſperarent, ut liquet ex

Digitized by Google

lerat per Achijam Silonitam Jerobohamo, Nebati filio. [16] *Viderunt* omnes Iſraëlitæ
Regem ſibi non auſcultaſſe, reſponditque populus Regi, in hæc verba: quæ nobis pars
in Davide? Nulla nobis eſt poſſeſſio in filio Jiſaïs. Quiſque in tentoria ſua redeat, ô
Iſraël. Nunc, ô David, proſpicito domui tuæ. *Quibus dictis*, totus Iſraël in tentoria
ſua rediit [17] Verùm in Iſraëlitas, qui habitabant in urbibus Judæ, regnavit Robo-
hamus. [18] Miſit tamen *ad reliquos* Robohamus Hadoramum, qui præfectus erat tri-
buto; ſed eum Iſraëlitæ lapidibus obruerunt, *quâ ratione* mortuus eſt. Quamobrem Ro-
bohamus ſe ſe confirmavit, ut currum adſcenderet, quò Jeroſolimam fugeret. [19] *Sic*
Iſraëlitæ à familia Davidis, ad hunc uſque diem, defecerunt.

XI. Robohamus Iſraëlitis bellum inferre parans vetatur. Varias urbes munit, excipitque Sacerdotes & Levitas, viróſque religioſos ad ſe Sacrorum causâ venientes. Multos filios ſuſcipit, ex quibus Abiam ceteris præfert.

[1] POSTQUAM verò Robohamus Jeroſolimam venerat, coëgit è familia Judæ & Caput
Benjaminis centum octoginta millia virorum delectorum ac militarium, ad ge- XI.
rendum bellum cum Iſraële, quò Regnum Robohamo recuperarent. [2] Sed
Jehova alloquutus eſt Semahjam, virum divinum, in hæc verba: [3] alloquere Roboha-
mum, Salomonis filium, Regem Judæ & totum Iſraëlem, qui eſt apud Judam & Ben-
jaminem, in hanc ſententiam: [4] ſic dixit Jehova: ne ſuſcipite expedirionem, neque
bellum gerite cum fratribus veſtris, redite quiſque domum ſuam; res enim à me *pro-
fecta* eſt. Auſcultarunt illi verbis Jehovæ, & reverſi ſunt, ne contra Jerobohamum
irent.
[5] Robohamus verò habitavit Jeroſolimæ, condiditque urbes munitas, apud Judam.
[6] Munivit ergo Bethlechemum, Hetamum, Thekoham, [7] Bethſurem, Sochonem,
Hadullamum, [8] Gathum, Mareſam, Ziphum, [9] Adorajimos, Lakiſum, Hazekam,
[10] Tſoram, Ajalonem, & Chebronem; quæ fuerunt in Juda & Benjamine urbes muni-
tæ. [11] Auxit munitiones præfecitque eis duces & apothecas cibi, olei & vini *in iis
collocavit*. [12] Unamquamque urbem *inſtruxit* ſcutis & haſtis, ac valde munivit; & ejus
quidem fuerunt Juda & Benjamin. [13] Sacerdotes etiam & Levitæ, qui erant per totum
Iſraëlem, ad illum ſe ſtiterunt ex omnibus ſuis finibus. [14] Levitæ, enim, relictis ſub-
urbanis ſuis & poſſeſſionibus, ſe contulerunt in Judam & Jeroſolimam; eos enim Jero-
bohamus, ejúſque filii amoverunt, ne eſſent Sacerdotes Jehovæ. [15] Contrà verò ſibi
conſtituit Sacerdotes excelſorum locorum, Dæmonibus & Vitulis quos fecerat. [16] Dein-
ceps etiam ex omnibus Tribubus Iſraëlis, qui animum adpellebant, ad quærendum Je-
hovam

ex vſ. 14. timeréque poterant ne Reges Judæ vetarent ne eum iis jura Sacerdotalia communicarentur.

14. *Relictis ſuburbanis*] *Reliquerunt ſuburbana*; hoc eſt, urbes cum ſuburbiis.

Amoverunt ne eſſent Sacerdotes Jehovæ] Nam, Jerobohamus & qui partes ejus ſequebantur volebant videri Deum Iſraëlis etiamnum colere, quamvis ſub imagine vituli.

15. *Dæmonibus & Vitulis*] לשעירים ולעגלים *laſſchebirim velahagalim*. LXX. τοῖς εἰδώλοις καὶ τοῖς ματαίοις καὶ τοῖς μόσχοις, nimis generalibus verbis. Vulgatus: *Dæmoniorum vitulorúmque*. Chaldæus לשידיא *leſchedaja*, Dæmonibus. Oſtendimus ad Levit. XVII, 7. שעירים quidem propriè hircos eſſe, ſed & Cacodæmonas eâ voce intellectos, quòd Ægyptii neſcio quos Deos, quos Cacodæmonum loco Hebræi habebant, ſub hircorum figura colerent. Poſteriori ſenſu, hîc intelligitur vox שעירים *ſchebirim*, quia ſatis conſtat nullas alias figuras cultui populorum propoſitas à Jerobohamo, quàm Vitulorum. Si quis objiciat hanc non fuiſſe mentem Jerobohami, ut Dæmonas coleret, ſed ſub imagine Vitulorum verum Deum; non diffitebor quidem hunc ejus animum fuiſſe, verùm contendam à Deo cultum ejuſmodi, contra leges ſuas ſibi exhibitum, haud alio loco habitum fuiſſe quàm cultum Dæmonibus ipſis, datâ operâ, tributum; non tantùm enim volebat ſe ſolum ab Hebræis coli, ſed & eo modo. quo ſe coli juſſerat, non ab hominibus invento.

Igitur *Dæmonibus & Vitulis*, hîc perinde eſt ac ſi dixiſſet Hiſtoricus Sacer; Dæmonibus, quos colebat ſub imagine Vitulorum, neque enim Deus pro cultu ſibi habito accipit cultum quem vetuit.

16. *Qui animum adpellebant*] *Qui dabant cor ſuum*. Multi ſine dubio initio fuerunt, qui imbuti veræ Religionis cognitione non vacillante, aut à Prophetis moniti noluerunt commenticiis Diis cultum ullum exhibere. Hi ſe Jeroſolimam, Sacrorum causâ, per triennium contulerunt; ut nos docet, in ſequentibus verbis Hiſtoricus Sacer, ſed poſtea hic eorum zelus refrixiſſe videtur; quamquam ſemper aliquot homines in Iſraële verè religioſi fuerunt, qui ſolum Deum, qui Jeroſolimæ adorabatur, coluerunt. Nec mul-

Digitized by Google

hovam Deum Iſraëlis, veniebant Jeroſolimam, ut Jehovæ Deo Majorum ſuorum Sacra facerent. 17. Hi confirmarunt regnum Judæ & vires addiderunt Robohamo, Salomonis filio, per tres annos; quia ſequuti ſunt viam Davidis & Salomonis, per tres annos.

18. Duxit verò uxorem Robohamus Machalatham, filiam Jerimothi, filii Davidis, & Abichailæ filiæ Eliabi, Jiſaïs filii. 19. Peperit hæc ei filios, Jehuſum, Semarjam, & Zahamum. 20. Poſt eam duxit, Mahacham filiam Abſalomi, quæ peperit ei Abijam, Hatthaïm, Zizam & Selomitham. 21. Amavit autem Robohamus Mahacham, Abſalomi filiam, plus quàm *ceteras* omnes uxores ſuas & pellices; etenim octodecim uxores & ſexaginta concubinas duxerat, genuitque octodecim filios & ſexaginta filias. 22. Verùm principem conſtituit Robohamus Abijam, Mahachæ filium, ita ut dux eſſet inter fratres ſuos, nam eum regem conſtituere *decreverat*. 23. Prudenter etiam diſperſit ex omnibus filiis ſuis *nonnullos*, per omnes Judæ & Benjaminis tractus, pérque omnes urbes munitas, deditque eis alimenta pro *eorum* multitudine; nam magnum numerum uxorum quæſivit.

XII. Robohamus, cùm Leges divinas obſervare deſiiſſet, traditur in manus Siſaki Ægyptiorum Regis, à quo mulctatur. Attamen pergit regnare, regnúmque moriens Abijæ filio relinquit.

CAPUT XII.

1. POSTQUAM autem ſtabiliiſſet Robohamus regnum ſuum, idque confirmaſſet, reliquit legem Jehovæ & totus cum eo Iſraël. 2. Anno verò quinto Regis Robohami, adſcendit Siſakus, Ægyptiorum Rex, contra Jeroſolimam, quia deliquerant *incolæ* in Jehovam; 3. cum mille ducentis curribus & ſexaginta millibus equitum,

multò diuturnior fuit conſtantia Robohami in vero Deo colendo, ut liquet ex Cap. XII, 1.

17. *Sequuti ſunt viam*] Eos imitati ſunt, in cultu quem exhibuerunt Deo Iſraëlis.

20. *Mahacham filiam Abſalomi*] Dicitur etiam מיכיהו בת אוריאל *Michaja Urielis filia* Cap. XIII, 2. Mirum eſt & patrem & filiam duplici nomine vocatos, patri enim *Abſalomo* & *Urieli* nomen fuit, filiæ verò *Mahachæ* & *Michajæ*, quæ nomina ſunt planè diverſa.

22. *Verùm principem* &c.] *Et conſtituit caput*; quamvis, ut videtur, primogenitus non eſſet. Certè ex uxore ſecundùm ducta natus erat, nec videtur res memorari ab Hiſtorico Sacro, niſi quia ſingularis erat; quod dici non poſſet, ſi Abija primogenitus fuiſſet. Jam ita ſe geſſerat David, qui Salomonem ſibi ſucceſſorem, auctore Deo, deſignavit, quamvis filiorum ejus maximus natu non eſſet.

Regem conſtituere decreverat] כי להמליכו chi lehamlicho, *nam ad faciendum eum Regem.* Subauditur היה עם לבבו *fuerat cum animo ejus*, aut ſimile quidpiam. Ideò LXX. Intt. ὅτι βασιλεῦσαι διενοεῖτο αὐτὸν, & Vulgatus, *ipſum enim Regem facere cogitabat.* Chaldæus ſimiliter, ארום אמר למתן ליה מלכותא, *nam dixerat traditurum ſe ei regnum.*

23. *Prudenter etiam diſperſit*] ויבן ויפרץ *vejjaben vajjphrats*, & intellexit & ſparſit. Vide 1. Sam. III, 8. Cùm filios ſparſiſſet per varias urbes, iiſque de neceſſariis proſpexiſſet, non potuerunt, nec voluerunt fortè res novas Jeroſolimæ moliri.

Nam magnum numerum &c.] *Nam petiit multitudinem uxorum*; quæ ratio eſt cur copioſos fructus filiis, unde ſe ſuſtentarent, relinquere neceſſe habuerit.

In CAPUT XII.

1. TOtus cum eo Iſraël] Nam exceptis Judâ & Benjamine, qui ad hæc tempora verum Deum coluerunt, reliquus Iſraël à Jerobohamo ad Idololatriam admittendam jam adductus fuerat.

2. *Adſcendit Siſakus* &c.] Vide 1. Reg. XIV, 25. & ſeqq.

Quia deliquerant incolæ] Non ſanè hæc fuit, ut quidem videtur, Siſako ratio belli inferendi Judæ Regi; ſed ideò hoc eum adgredi paſſus eſt Deus, qui alioqui ejuſmodi conſilium aut avertiſſet, aut eluſiſſet, ſi Robohamus favorem ejus ſibi conciliare perrexiſſet.

3. *Cum mille ducentis curribus*] Habebat Salomo mille quadringentos, ut videmus Cap. I, 14. Sed filius ejus, qui duarum tantùm Tribuum regnum ſibi retinuit, tantum numerum alere non potuit. Ceterùm numerus hîc modicus curruum potentiſſimi Regis oſtendit tantum non fuiſſe aliis gentibus, quantus ſibi à Librariis proponitur. Vide 1. Paral. XIX, 7.

Libybus] לובים *loubim.* Sic vocantur Libyægyptii & infra C. XVI, 8. & Dan. XI, 41. ut oſtendit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 28, & 33. quem vide.

Troglodytis] סכיים *ſucchijim.* Rectè LXX. Intt. & Vulgatus, Τρωγλοδύται, *Troglodytæ.* Dicti ſunt Hebraïcè eo nomine, eadem de ratione, ob quam dicti ſunt Græcè Τρωγλοδύται. Ut enim Græci eos ita vocarunt, quia ἔδυον τρώγλας, *ingrediebantur cavernas*, quas habitabant: ſic Hebraïcè סכיים *Succhijim*, quòd habitarent סכות *ſucchoth*, quod interdum ſignificat cavernas, ut Pſ. IX, 10. Job. XXXIX, 40. Troglodytica autem erat juxta littus occidentale Maris Erythræi, quamvis de ejus finibus non prorſus conſentiant Scriptores. Vide *Strabonem* Lib. XVI. & *Plinium* Lib. VI, 39. Adi & hac de re *Bochartum*

rum; nec numerus iniri poterat copiarum *pedeſtrium*, quæ cum eo venerant ex Ægyp-
tiis, Libybus, Troglodytis, & Chuſæis. 4· Cepit ille urbes munitas, quæ Judæ erant,
& Jeroſolimam uſque pervenit. 5· Semahja verò Propheta adiit Robohamum & prin-
cipes Judæ, qui convenerant Jeroſolimam propter Siſakum, eiſque, ſic dixit, inquit,
Jehova: *quia* vos reliquiſtis me, ego etiam reliqui vos in manu Siſaki. 6· Tum verò
humiliter ſe abjecerunt principes Iſraëlis & Rex, dixeruntque: juſtus *eſt* Jehova. 7· Cùm
verò videret Jehova eos humiliter ſe abjeciſſe, alloquutus eſt Semahjam in hanc ſen-
tentiam: humiliter ſe ſe abjecerunt, eos non delebo, ſed concedam illis brevi libe-
rationem, nec effundetur ira mea in Jeroſolimam, per Siſakum; 8· verùm fient ejus ſer-
vi, intelligéntque, *quid interſit inter* ſervitutem quæ mihi ſervitur, & ſervitutem quæ
ſervitur terrarum regnis.
9· Siſakus ergo Rex Ægypti contra Jeroſolimam expeditionem ſuſcepit, abſtulit-
que theſauros Ædis Jehovæ, & theſauros regiæ, omnia corraſit, ſumſitque etiam
clypeos aureos, quos Salomo fecerat. 10· Quorum loco Rex Robohamus fecit cly-
peos æneos, eoſque tradidit in manum ducum curſorum, qui oſtium regiæ cuſtodie-
bant. 11· Quando verò Rex ibat in Ædem Jehovæ, veniebant curſores, eóſque ſume-
bant, deinde in conclave curſorum referebant.
12· Cùm igitur ſe ſe humiliter abjeciſſet *Robohamus*, ab eo averruncata eſt ira Jeho-
væ, ita ut eum penitus non perdiderit, ſed Judæ etiam res ſecundæ fuerint. 13· Con-
firmavit autem ſe Rex Robohamus Jeroſolimæ, & regnare *perrexit*; nam unum & qua-
draginta annos natus erat Robohamus, cùm regnare inciperet & per ſeptemdecim
annos regnavit Jeroſolimæ; quam urbem elegerat Jehova, ex omnibus Tribubus Iſraë-
lis, ut in ea nomen ſuum collocaret. Matri veró ejus Hammonitidi Nahamæ nomen
fuit. 14· Verùm malè fecit, neque enim animum adpulit ad quærendum Jehovam.

15· Pri-

tum Phal. Lib. IV. c. 29. Addam tantùm deſcriptionem Troglodyticæ gentis, quam tradidit *Heliodorus* Æthiopicorum Lib. VIII. pag. 402. Edition. *Bourdelotii*, unde liquebit cur Ægyptii Troglodytas ſecum ducerent in exercitibus: Τρωγλοδύται δὲ μοῖρα μέν ἐστιν Αἰθιοπικὴ, νομαδική τε καὶ Ἀράβων ὅμορος, δρόμου τε ὀξύτητα, φύσει τε εὐτυχοῦντες καὶ ἐκ παίδων ἀσκοῦντες· τὴν μὲν βαρεῖαν ὅπλισιν οὐδὲ ἀρχὴν ἐκδιδαχθέντες, ἀπὸ σφενδόνης τε κατὰ τὰς μάχας ἀκροβολιζόμενοι, ἢ δρῶσί τι αὐτοὺς ὀξὺ τοὺς ἀνθισταμένους, ἢ κρειττόνων αἰσθόμενοι διαδιδράσκουσιν· οἱ δὲ ἀπογινώσκουσιν αὐτίκα τὴν ἐπιδίωξιν ὑποπτερωμένους τῇ ποδωκείᾳ συνειδότες, καὶ εἰς ὀπάς τινας βραχυστόμους καὶ χηραμοὺς κρυφίους πετρῶν καταδυομένους. *Troglodytæ autem ſunt pars quædam Æthiopum, paſcendis gregibus dedita, & Arabibus contermina, qui pernicitatem in currendo à natura conſequuntur & à pueris exercent. Graviore armatura uti nullo modo didicerunt, ceterùm fundâ in prœliis velitantes, aut non ſine effectu ſunt contra acriùs reſiſtentes, aut ſi ſuperiores ſenſerint aufugiunt. Illi vero ſpem inſequendi continuò abjiciunt, valere illos pedum celeritate & quaſdam cavernas anguſti aditûs & latebras occultas rupium ſubire ſcientes.* Quæ, ut pleraque ejuſmodi, ex antiquioribus Scriptoribus hauſerat *Heliodorus*, quos habebat.

Mirum autem non eſt Troglodytas fuiſſe in exercitu Seſoſtris, cùm primus Regum Ægyptiorum eos ſubegerit, ut habet *Herodotus* Lib. II. c. 102. Τὸν ἔλεγον οἱ ἱρέες πρῶτον μὲν πλοίοισι μακροῖσι ὁρμηθέντα ἐκ τοῦ Ἀραβίου κόλπου τοὺς παρὰ τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν κατοικημένους καταστρέφεσθαι: *hunc dicebant Sacerdotes, primùm quidem navibus longis profectum ex Arabico ſinu habitantes circa mare rubrum domuiſſe.* Scio latiùs patere mare rubrum, quàm Arabicum ſinum, ſed tamen inter accolas ejus maris erant Troglodytæ: quos etiam à Seſoſtri ſubactos diſertè ex *Eratoſthene* narrat *Strabo* Lib. XVI. pag. 1114. Edit. Amſtelodamenſis, ubi de faucibus Arabici ſinûs: Καί φασιν ἐνταῦθα στήλην εἶναι Σεσώστριος τοῦ Αἰγυπτίου, μηνύουσαν ἱεροῖς γράμμασι τὴν διάβασιν αὐτοῦ· φαίνεται γὰρ τὴν Αἰθιοπίδα καὶ τὴν Τρωγλοδυτικὴν πρῶτος καταστρεψάμενος οὗτος: *aiunt hic columnam eſſe Seſoſtris Ægyptii, ſignificantem ſacris litteris ejus tranſitum. Is enim primus videtur Æthiopiam, Troglodyticamque ſubegiſſe.*

Chuſæis] Arabibus ex Madianitide, quos etiam ſubegerat Seſoſtris; nam כוש *Chouſch* eſſe Madianitidem, quæ fuit ad mare rubrum, in ipſo ingreſſu Arabiæ felicis demonſtravit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 2. *Strabo* loco laudato, poſtquàm dixit ſubactam à Seſoſtri Troglodyticam; εἶτα διαβὰς εἰς τὴν Ἀραβίαν, κἀντεῦθεν τὴν Ἀσίαν ἐπελθὼν τὴν σύμπασαν: *poſtea tranſgreſſus in Arabiam, illinc totam Aſiam peragravit.*

7· *Brevi liberationem*] כמעט לפליטה chimhat liphleta, *quaſi exiguum ad liberationem.* Nam Seſoſtris non hæſit in Judæa, ſed mulctato Robohamo, aliò ſe contulit.

8· *Fient ejus ſervi*] Cogentur muneribus ſalutem redimere, & vectigales ei fient. Vide ad 1. Reg. XIV, 25.

Intelligent quid interſit inter ſervitutem &c.] *Scient ſervitutem meam & ſervitutem regnorum terræ.* Servientes Deo, hoc eſt, legibus ejus parentes, ſuis omnibus fruebantur, nec quidquam facere cogebantur, niſi quod ſibi reverâ utile erat, totique Reipublicæ populi Hebræi ſalutare; ſed ſervientes Seſoſtri ſuas divitias ad exteros transferre cogebantur, eorúmque majeſtatem comiter obſervare.

12· *Judæ etiam res ſecundæ fuerint*] *In Juda fuerint verba bona, aut res bonæ* דברים טובים *dbarim tobim.*

14· *Animum adpulit ad quærendum Jehovam*] *Non direxit cor ſuum*, לא הכין לבו *lo hechin libbo.* Non coluit Deum verum ex animo, eoque fervore & tenore qui à Deo poſtulatur.

Ffff

15· *Ita*

15. Prima verò & ultima facta Robohami annon ſcripta ſunt in verbis Semahjæ Prophetæ, & Hiddonis Videntis, ita ut *ſingula* recenſita ſint? Bellum autem Robohamo perpetuum fuit cum Jerobohamo. 16. Obdormiit verò Robohamus, cum Majoribus ſuis, ſepultúſque eſt in urbe Davidis, & Abija filius ejus loco ejus regnavit.

XIII. Abija, Robohami filius, bellum gerit cum Jerobohamo, quem, exprobratâ rebellione, vincit, & aliquot urbibus ſpoliat. Ei ſuccedit filius Aſa.

CAPUT XIII. 1. ANNO decimo octavo Regis Jerobohami, regnare cœpit Abija in Judam. 2. Tribus annis regnavit Jeroſolimæ, noménque matri ejus fuit Michajæ, quæ filia erat Urielis Gibhenſis. Cùm verò inter Abijam & Jerobohamum eſſet bellum, inſtruxit quidem aciem Abija, *quæ conſtabat* exercitu fortium in bello virorum, quadringentorum millium, eorúmque delectorum; Jerobohamus verò inſtruxit contra eum aciem octingentorum millium delectorum & fortium virorum.

4. Tum ſtetit Abija in monte Tſemarajimorum, qui eſt è montanis Ephraïmi, & dixit: audite me, ô Jerobohame, & univerſe Iſraël. 5. Annon veſtrum erat ſcire Jehovam Deum Iſraëlis Davidi dediſſe regnum in Iſraëlem in perpetuum, cùm ipſi, tum poſteris ejus, fœdere ſalino? 6. Exortus verò eſt Jerobohamus, Nebati filius, ſervus Salomonis, filii Davidis, atque in dominum ſuum rebellavit. 7. Confluxerunt autem ad illum homines nequam, nec ullius pretii; qui ſe confirmarunt contra Robohamum, Salomonis filium; Robohamus verò adoleſcens erat, molliorifque animi, nec coram illis fortiter conſtitit. 8. Jam autem dicitis fore ut fortiter conſiſtatis coram Jehovæ regno, quod eſt in manibus poſterorum Davidis; & ingens quidem eſtis multitudo, ac vobis adſunt vituli aurei quos fecit Jerobohamus, ut vobis eſſent Dii. 9. Annon expuliſtis Sacerdotes Jehovæ, Aharonis poſteros ac Levitas, feciſtiſque vobis Sacerdotes, quemadmodum *ceteri* terrarum populi? Quiſquis venit, ut conſecraretur, cùm

15. *Ita ut ſingula recenſita ſint*] לְהִתְיַחֵשׂ *lehithjahheſch.* Neſcio quid hîc legerint LXX. Intt. qui habent αἱ πράξεις αὐτοῦ. Vulgatus, *& diligenter expoſita.* At Chaldæus habet hîc: בְּסֵפֶר יִחוּס בֵּית דָּוִד *in libro genealogiæ Domûs Davidis.* Reverà הִתְיַחֵשׂ ſignificat *genus recenſere*, ſed quia non videtur Propheta librum ſcripſiſſe, in quo genus Davidis recenſeret; explicuimus, ex mente *Hieronymi*, de accurata narratione.

16. *Abija*] אביה *Abijah.* Ita ſemper in hoc libro vocatur, qui 1. Lib. Reg. אבים *Abijam.* Prius fortè rectius, & facilè ם pro ה, ſcribi potuit.

In Caput XIII.

1. A*Nno* &c.] Vide 1. Reg. XV, 1.

2. *Michajæ*] Vide not. ad Cap. XI, 21. Habet hîc Rabbinici acuminis ſpecimen ſingulare Chaldæus, cujus verba ſic Latinè ſonant: *ea eſt Mahacha filia Abſalomi; quia verò legitima uxor fuit, immutatum eſt* (nomen) *ut vocaretur Michajehon, nomine præſtantiori. Similiter & nomen patris ejus immutatum fuit, ut nominaretur Uriel Gibatenſis, ne mentio fieret nominis ejus Abſalomi.* Sunt in editione *Beckii*, textûs Paraphraſtæ verba aliquot omiſſa, ut ex ſenſu, & verſione ejus liquet. Codicem inſpiciant, qui ejus copiam habebunt.

Inſtruxit quidem aciem &c.] ויאסר את המלחמה *jeeſor eth hammilhhamah*, quod poſſit etiam verti *commiſit prælium.* Prius ſequuti ſunt LXX. Intt. qui habent παρετάξατο Ἀβιὰ, poſterius Vulgatus, qui vertit: *Cùmque iniiſſet certamen.* Vide 1. Reg. XX, 14. Sed ſequentia oſtendunt nondum hîc eſſe ſermonem de prælio.

Exercitu fortium virorum &c.] בְּחֵיל גִּבּוֹרֵי מִלְחָמָה, quod verti, quaſi eſſet in ſtatu constructo חֵיל, aut, ſi ita libet, quaſi ſtatus abſolutus eſſet pro conſtructo. Alioquin hiat hic locus. Sic Chaldæus: סְדַר קְרָבָא בְּחֵיל גִּבָּרֵי עָבְדֵי קְרָבָא *inſtruxit prælium cum exercitu ſtrenuorum ſervorum prælii.*

Contra eum] *Cum eo*, ut Latini dicunt *bellum gerere, pugnare cum aliquo.*

4. *Tum ſtetit*] *Surrexit è ſupra montem.*

Tſemarajimorum] צמרים. Urbs fuit in Benjaminis agris, ut liquet ex Joſ. XVIII, 22. Ei vicinum collem fuiſſe oportet, in finibus Ephraïmi, nec eum præaltum, ut Abija ex eo loquens ab Iſraëlitis audiri poſſet. Videtur Abija facultatem loquendi petiiſſe ab Iſraëlitis, alioqui qui non procul aberant, cùm vocem ejus audire poſſent, ſagittis aut lapidibus hominem impetiiſſent.

5. *Fœdere ſalino*] ברית מלח *brith melahh*, fœdere ſalis. LXX. Intt. διαθήκην ἁλός, Hieronymus, *in pactum ſalis*; Chaldæus: קְיָם מְלַח הֵיכְדֵין רְמוֹי רִקְעָא *fœdus ſalis quemadmodum aquæ maris.* Quia ſalis natura æterna eſt, ideo fœdus *ſalinum* æternum dicitur. Vide Diſſert. de Statua Salina. Fœdus porrò æternum, quod hîc memorat Abija, ex conditione pendebat; nimirum, fore in perpetuum totum Iſraëlem in poteſtate domûs Davidis, ſi modò ea domus in perpetuum unius veri Dei cultum, legúmque ejus obſervationem tueretur. Quod cùm factum à Salomone non eſſet, Deus decem Tribuum regnum alii dedit, nec eripi paſſus eſt; quamvis alioqui Salomone, ejuſve filio melior non eſſet.

7. *Adoleſcens erat molliorifque animi*] היה נער ורך לבב *erat puer & tener corde.* Non eſt intelli-

cùm juvenco, & arietibus ſeptem, factus eſt Sacerdos eorum qui non ſunt Dii. 10. Ad nos verò quod attinet, Jehova Deus eſt noſter, nec eum deſeruimus. Miniſtrant Jehovæ Sacerdotes poſteri Aharonis, & Levitæ functionem ſuam *obeunt*. 11. Adolent Jehovæ holocauſta, ſingulis matutinis & veſpertinis temporibus, *eſt* ſuffitus aromatum, ſunt panes appoſiti in menſa munda, eſt candelabrum aureum, cum ſuis lucernis, ut accendantur ſingulis veſpertinis temporibus; obſervamus enim nos quod obſervandum nobis impoſuit Jehova Deus noſter, vos verò eum reliquiſtis. 12. Adeſt nobis in principiis Deus, ſacerdotéſque ejus cum tubis fracti ſonitûs, ut contra vos iis canant. O Iſraëlitæ, ne pugnetis contra Jehovam, Deum Majorum veſtrorum, res enim bene vobis non cedet.

13. Interea Jerobohamus circumire juſſerat inſidiatores, qui à tergo eorum venirent. Itaque erant *Iſraëlitæ* à fronte Judæ, & inſidiatores à tergo. 14. Cùm autem reſpexiſſent *homines* Judæ, ecce verò iis à fronte & à tergo erat acies. Itaque clamoribus Jehovam invocarunt, & Sacerdotes tubis clanxerunt. 15. Vociferati ſunt homines Judæ, & dum vociferarentur, Jehova cecîdit Jerobohamum & univerſum Iſraëlem coram Abija & Juda, 16. fugeruntque Iſraëlitæ ex Judæ conſpectu, & Deus eos in eorum manum tradidit. 17. Eos Abija ejúſque copiæ affecerunt ingenti clade, & ceciderunt ex Iſraële quingenta millia delectorum virorum confoſſa.

18. Humiles eo tempore facti ſunt Iſraëlitæ, contra verò Judæ poſteri invaluerunt, quia freti erant Jehova Deo Majorum ſuorum. 19. Perſequutus eſt autem Abija Jerobohamum, eique abſtulit *has* urbes; Bethelem, cum villis ab ea pendentibus; Jeſanam, cum villis ab ea pendentibus; & Hephronem, cum villis ab ea pendentibus. 20. Nec vires recuperavit ampliùs Jerobohamus, Abijæ temporibus; ſed Deus hominem percuſſit, qui mortuus eſt. 21. Confirmavit ſe ſe Abija, duxitque quatuordecim uxores, & duos quidem ac viginti filios, ſexdecim verò filias genuit. 22. Reliquæ autem res geſtæ Abijæ moréſque, ac dicta ejus ſcripta ſunt in Hiddonis Prophetæ commentario.

XIV. Mor-

telligendum hoc de ætate, cùm unum & quadraginta annos natus regnare cœpiſſet, ut habemus Cap. XII, 13. quæ eſt ætas quâ firmiſſimus eſt animus, corpúſque robuſtiſſimum; ſed de affectione animi, quâ licèt ætatis provectioris ſimilis erat adoleſcentulo, aut puero. Abija parum honorificè de patre ſuo loquitur, ejúſque oratio parum prudens erat, apud homines ſibi infenſos, quos blanditiis capere potiùs debebat.

Nec coram illis fortiter &c.] *Nec ſe in eorum conſpectu confirmavit.*

8. *Coram Jehovæ regno*] Erat enim propriè Deus Rex Iſraëlis, cujus legati erant Reges Davidicæ familiæ, ut antea jam aliquoties diximus. Vide 1. Ephem. XXIX, 23. Eruditam Diſſertationem de Theocratia Reipublicæ Populi Hebræi ſcripſit *Joan. Spencerus*, quem vide.

9. *Annon expuliſtis* &c.] Impediebant quominùs Aharonis poſteri jura ſacerdotalia obtinerent, muneribúſque ſuis defungerentur; cùm coram ſtatuis Vitulorum Sacra facerent, coram quibus Aharonidis Sacra facere nefas erat. Eodem etiam modo Levitas habuerant, eóque libentiùs utrumque fecerunt, quòd eo pacto ſtipendiis decimarum, primitiarum, aliarúmque rerum, quæ Sacerdotibus & Levitis debebantur, liberati eſſent.

Quiſquis venit, ut conſecraretur &c.] *Omnis veniens ad implendam manum ſuam in juvenco filio bovis* &c. Itaque nulli peculiari proſapiæ tribuebatur jus Sacerdotale, imò nec Sacerdotii fructus, quales Aharonidæ habebant; certè horum nulla uſquam fit mentio, nec apud Ethnicos ſimiles ulli fuiſſe leguntur.

Eorum qui non ſunt Dei] Vitulorum, qui per ſe divini nihil habebant, neque à vero Deo pro ſuis imaginibus habebantur.

10. *Functionem ſuam obeunt*] *In functione*, nimirum, ſunt.

11. *Sunt panes appoſiti*] *Strues panis*, ex inſtituto Moſaïco, ut cetera omnia quæ hîc memorantur.

Singulis veſpertinis temporibus] *In veſperam, in veſpera.*

Quod obſervandum nobis impoſuit.] *Obſervationem Jehovæ Dei noſtri.*

12. *Adeſt nobis in principiis*] *Ecce nobiſcum in capite*; nempe, exercitûs, quod principia vocant Latini.

13. *Interea Jerobobam*] *Et Jerobobam.*

15. *Vociferati ſunt*] Ut prælium inirent.

Jehova cecidit] Immiſſo illis terrore ſubito, quo in fugam acti ſunt, & terga cædenda Judæ exercitui præbuerunt.

19. *Hephronem cum villis*] Eſt in textu עפרון *Hephron*, ſed legunt Maſſorethæ עפרין. LXX. & Latinus Interpretes lectionem textûs retinuerunt. Hujus urbis alibi mentio non occurrit.

Cum villis ab ea pendentibus] *Cum filiabus ejus.*

21. *Confirmavit ſe*] Hoc eſt, poſtquàm ſibi nihil timendum eſſe vidit à Jerobohamo, amoribus indulſit.

22. *Hiddonis Prophetæ commentario*] במדרש הנביא עדו *bmidraſch hannabi Hiddo.* LXX. Int. & Vulgatus *librum*. Quia דרש *daraſch* ſignificat *inveſtigare, quærere*, volunt מדרש *miſdrach* eſſe librum, in quo quærebantur ea de quibus agebat. Uſu poſterioris ævi, commentarium allegoricum ſignificavit.

XIV. Mortuo Abijæ ſuccedit Aſa Rex religioſus, qui varias urbes Judæ muniit, ingentémque victoriam de Zeracho, Madianitarum Rege retulit.

Caput XIV. 1. OBDORMIIT Abija cum Majoribus ſuis, ſepeliertúntque eum in urbe Davidis,
& ejus loco regnavit filius ejus Aſa; cujus temporibus *Judæa* terra, per de-
cem annos, quievit. 2. Fecit autem Aſa quod bonum & rectum videbatur Je-
hovæ Deo ſuo. 3. Removit altaria alienorum *Deorum*, & excelſa loca, confregit ſta-
tuas & ſuccidit lucos. 4. Juſſit Judam quærere Jehovam Deum Majorum ſuorum, le-
gémque & præcepta obſervare. 5. Amovit quoque ex omnibus urbibus Judæ excelſa
loca, & ſolis delubra. Quiete fruitum eſt regnum, eo inſpectante. 6. Ideóque condi-
dit urbes munitas in Juda, quia terra quiete fruebatur, nullúmque per illos annos ei
fuit bellum; etenim quietem ei conceſſerat Jehova. 7. Tum dixit Judæ; ædificemus
eas urbes, eáſque cingamus muro & turribus, portiſque ac vectibus *muniamus*, dum
terra eſt in noſtra poteſtate, quia Jehovam Deum noſtrum quæſivimus; quæſivimus,
inquam, *eum*, ideoque quietem nobis undequaque conceſſit. Itaque eas condiderunt,
réſque eis bene ceſſit.
8. Aſæ exercitus erat gerentium ſcutum & haſtam, è Juda, trecentorum millium;
è Benjamine verò, gerentium clypeum & tendentium arcum, ducentorum & octoginta
millium; qui omnes fortes viri erant. 9. Contra eos autem expeditionem ſuſcepit Ze-
rachus Chuſita, cum exercitu millies mille virorum, trecentorúmque curruum, ac Ma-
reſam uſque venit. 10. Ei verò obviam proceſſit Aſa, aciémque in valle Tſephathæ
inſtruxerunt, ad Mareſam. 11. Tum Aſa Jehovam Deum ſuum invocavit, &, ô Je-
hova, inquit, nihil *intereſt* apud te, ad auxilium ferendum, inter eum qui multos ha-
bet viros, & eum cui nullæ ſunt vires. Adjuva igitur nos, ô Jehova Deus noſter, quia
te freti ſumus, & in oomine tuo venimus contra hancce multitudinem. O Jehova Deus
noſter es, ne te cohibeant homines. 12. Cecidit verò Chuſitas Jehova, in conſpectu
Aſæ & Judæ, fugámque capeſſiverunt Chuſitæ. 13. Perſequuti ſunt eos Aſa & popu-
lus, qui cum eo erat, Gerarem uſque, ceciderúntque Chuſitæ *tanto numero*, ut iis cu-
ratio

In Caput XIV.

1. PER *decem annos quievit*] Nullum bellum cum Iſraëlitis, nec cum aliis populis habuit, uſque ad annum regni ſui quiodecimum. Vide ad Cap. XV, 19.

2. *Quod bonum & rectum videbatur*] *Bonum & rectum in oculis.*

4. *Quærere Jehovam*] Orare, colere.

5. *Solis delubra*] החמנים *habhamanim*. LXX. Intt. εἴδωλα, Vulgatus, *fana*. Chaldæus: חֲנִיסָנַיָּא quod *ſolares ſtatuas* vertunt. Vide ad Levit. XXVI, 30.

Eo inſpectante] *Ad faciem ejus.*

6. *Quia terra quiete* &c.] Ne, ſi fortè bellom ingrueret, ejus ditio vaſtari facilè poſſet.

7. *Et in noſtra poteſtate*] לפנינו *lphanenou*, hoc eſt, *ante faciem noſtram*. Metaphora ſumta à cibis, qui iis, qoorum ſunt, apponuntur.

8. *Ducentorum & octoginta*] Oportet multùm creviſſe Tribum Benjaminis, nam Judæ Tribus erat triplo major. Memorantur autem hîc non milites mercenarii, ſed cives omnes, qui arma gerere poterant, & brevem expeditionem ſumtibus ſuis ſuſcipere. Nec tamen non maximus eſt numerus, cum quater, aut quinquies plures eſſent ſenes, mulieres, impuberes aut ſervi, qui arma noo gerebant. Sed hi numeri non ſunt ad vivum reſecandi, cùm Librarii Judæi, ſtudio inani amplificandarum rerum Majorum ſoorum, molta io his auſi ſint.

9. *Zerachus Chuſita*] זרח הכושי *Zerahh haccuſchi*. Chuſitas, aut Chuſæos Madianitas fuiſſe diximus ad Cap. XII, 3.

9. *Millies mille virorum*] Si vel totam Arabiam ſedibus ſuis exciviſſet, vix potuiſſet tantum exercitum habere; nec, ſi tantus conſcribi potuiſſet, erat ſatis magna copia victuum, quibus aleretur, vel per paucos dies. Præterea *trecenti currus* ſunt nimis pauci tanto exercitui. Itaque numerus hîc *mille millium* aut eſt auctus à Librariis, aut eſt ad ſignificandum quemvis magnum numerum poſitus, ita ut ſit numerus certus pro incerto. Obſervandum autem exercitum Zerachi noo conſtitiſſe tantùm Madianitis, verùm etiam vicinorum populorum copiis, cum in iis memorentur Cap. XVI, 8. לובים *Libyes*, qui ex Ægypto ad eum venerant.

10. *In valle Tſephathæ*] LXX. Intt. κατὰ Βοῤῥᾶν Μαρισὰ, quaſi pro צפתה legiſſent צפון *tſaphon*. Sed Vulgatus *Sephata*. Nulla eſt vallis in tribu Judæ, in qua inſtrui poſſent acies aliquot centenorum millium virorum; ſed inſtructi ſunt quicumque inſtrui poterant.

11. *In nomine tuo venimus*] Iovocato too oomine, aut eo freti, quòd, te volente, vocemur & ſimus *populus Jehovæ*.

12. *Cecidit*] Terrore objecto, In ſogam convertit; ita ut terga cædenda præberent. Quo major eſt multitudo, eo tumultus ac terror major, cùm trepidare cœpit & fugere.

13. *Gerarem uſque*] *Gerar*, aut *Gerara* fuit ad terminum auſtralem tribûs Judæ, Ægyptum verſùs. Vide ad Gen. XX, 1.

Curatio vulneris] מחיה *mihhjah*. LXX. Intt. περιποίησιν vertunt, ſeu reliquias hominum qui
vivi

ratio *vulneris accepti* nulla eſſet; fracti enim fuerant coram Jehova & in conſpectu copiarum ejus, quæ maximam prædam abſtulerunt. 14. Concîderunt etiam urbes omnes circa Gerarem, pavor enim Jehovæ iis *populis* incubuerat, diripueruntque oppida omnia, nam ingens in iis præda erat. 15. Quin & tentoria pecuariorum concîderunt, abduxerunt minorum pecudum magnum numerum, & camelos, ac Jeroſolimam ſunt reverſi.

XV. Hazarias Propheta Aſam adhortatur ad conſtantem veri Dei cultum, quem Aſa ubique inſtaurat, & longa pace fruitur.

1. SPIRITUS Dei Hazarjæ Hodedi filio incubuit, 2. egreſſúſque eſt obviam Aſæ, ac CAPUT XV.
ei, audite me, inquit, ô Aſa, túque univerſe Juda & Benjamin, Jehova *erit* vobiſcum, dum vos eritis cum illo; ſi eum quæſiveritis, à vobis invenietur: ſin verò vos eum deſerueritis, vos *& ipſe* deſeret. 3. Erunt tempora multa, quibus Iſraëli non erit Deus verus, neque Sacerdos qui eum doceat, neque Lex. 4. Sed cùm in anguſtiis verſabitur, redibit ad Jehovam Deum Iſraëlis, eúmque quæret, & ille ab eo invenietur. 5. Temporibus illis, pacatum nihil erit egredienti aut ingredienti; quia erunt magni tumultus, apud omnes terrarum incolas. 6. Collidetur gens cum gente, urbs cum urbe; quia Deus, omni *genere* anguſtiæ eos conturbarit. 7. Vos verò conſtantes eſtote, neque remittantur manus veſtræ, quia merces ei quod facitis *erit*.

8. Cùm audiſſet Aſa hæc verba, & prophetiam *Hazarjæ*, Hodedi *filii*, Prophetæ, confirmatus *in propoſito*, amovit abominanda *Numina*, ex univerſa Judæ & Benjaminis terra, atque ex urbibus quas è montanis Ephraïmi ceperat, inſtauravitque altare Jehovæ, quod ante porticum Jehovæ fuerat. 9. Deinde convocavit univerſum Judam & Benjaminem, & advenas, qui apud illum erant, ex Ephraïmo, Manaſſa & Simeone; nam defecerant ad eum ex Iſraële magno numero, cùm Jehovam, ejus Deum, homini adeſſe animadverterent. 10. Convenerunt autem Jeroſolimam, menſe tertio anni decimi quinti Regni Aſæ. 11. Mactaverunt die illo Jehovæ, ex præda, quam abduxerant, juvencos ſeptingentos, minorúmque pecudum ſeptem millia; 12. inivérúntque fœdus de quærendo Jehova, Deo Majorum ſuorum, toto corde ſuo & toto animo; 13. ita ut quicumque non quæreret Jehovam Deum Iſraëlis, morte afficeretur, à minimo ad maxi-

vivi manſeruut. Vulgatus eodem ſenſu, *ad interneeionem cæſos* ait. Chaldæus habet: שיזבותא לאתקימא *evaſio ad reſurrectionem*, hoc eſt, tantus numerus eorum, qui evaſerant, ut res ſuas in priſtinum ſtatum reſtituere aliquando poſſent. Nos *curationem* vertimus, quia hoc ſonat apud Syros, & ſæpe חיה ſignificat *ſanari*, etiam apud Hebræos.

14. *Urbes circa Gerarem*] Quæ aut Chuſiarum erant, aut eorum partes ſequutæ. Madianitica hæc Chuſitis aliquando à mari Erythræo ad Mediterraneum, iuter Ægyptiorum & Hebræorum ditionem, porrecta eſt; unde factum videtur nomen mouti *Caſio* ad Serbonidem paludem.

Pavor Jehovæ] Vel quòd tam potentem, ſibique iufenſum Deum timerent, vel quòd pavor ille à Deo eſſet iis immiſſus.

15. *Tentoria pecuariorum*] אהלי מקני *tentoria pecoris*, hoc eſt, eorum qui in illis tractibus pecudes alebant. LXX. Intt. habent ad verbum σκηνὰς κτήνων, ut Vulgatus, *caulas ovium*. Sed Græci addunt ἀλιμαζονεῖς, quæ vox occurrit etiam in eorum verſione Cap. XXII, 1. neſcio quo ſenſu. Fortè pro אהלי מקנה legerunt אהלי מענים extuleruntque hæc verba Α'λιμαζονείμ, quod putarunt eſſe uomeu geutis Madianiticæ.

In CAPUT XV.

1. SPiritus &c.] *Et Hazarjah filius Hoded fuit ſuper eo ſpiritus Dei.*

2. *Si eum quæſiveritis*] Si oraveritis eum, vos exaudiet.

3. *Deus verus*] *Deus veritatis.* Reſpicit ad tempora Regum Idololatrarum.

4. *Sed cùm in anguſtiis* &c.] *Et revertetur in anguſtia ſibi ad Jehovam.*

Quæret] *Quærent*, & poſt ea *ab iis*.

5. *Pacatum nihil*] *Nulla pax*, propter tumultus & latrocinia. *Egredi & ingredi*, apud Hebræos, omnia vitæ munera ſignificat. Alii hæc omnia ita vertunt, ut agatur de rebus præteritis & quidem tempore Judicum; quod nobis viſum eſt remotius.

7. *Neque remittantur manus veſtræ* &c.] Metaphora ab iis, qui manibus quidpiam moliuntur, ducta, & quibus præ laſſitudine remittuntur manus. Vult Propheta Hebræos debuiſſe, ſine intermiſſione ac faſtidio ullo, legum divinarum obſervationi addictos eſſe, & incumbere.

8. *Hazarjæ Hodedi filii*] Eſt tantum עודד *Hoded*, quod ſuit uomen patris hujus Prophetæ. Sed crediderim excidiſſe עזריהו בן *Hazarjæ filii*. Probabilius hoc mihi fit, quàm filium uomine patris vocatum, præter aliud nomeu proprium, & iu ſimplici narratione utrumque hoc nomeu adhiberi. Sic & LXX. Intt. habent iu Alexandrino Codice, Α'ζαρίαν τ̃ Α'δὰδ, & Vulgatus, *Azariæ filii Oded.*

11. *Non quæreret Jehovam*] Non coleret. Nulla tum erat vel miuima ratio Iſraëlitis negandi cultum diviuum Deo Majorum ſuorum, à quo Legem, & tot alia beneficia acceperant, ut ad alios deficerent Deos. Alia prorſus ratio eſt hodie diſſentientium inter ſe, de capitibus fidei, Chriſ-

Digitized by Google

maximum *natu*, à viris ad fœminas. 14. Tum ſacramentum dixerunt Jehovæ, voce magnâ, additóque tubarum & buccinarum infracto ſono. 15. Lætatus eſt univerſus Juda, ob hoc jusjurandum; nam toto corde juraverant *Deo*, totóque cùm *animi* ſtudio eum quæſiviſſent, inventus fuerat, & quietem circumquaque eis conceſſerat Jehova. 16. Quin etiam Mahacham, matrem ſuam, amovit Rex Aſa; ne ampliùs eſſet Regina, quia fecerat in luco ſimulacrum; exciditque Aſa, contrivit, ac combuſſit id ejus ſimulacrum ad torrentem Kidronem. 17. Excelſa tamen amota non ſunt ex Iſraële; verum animus Aſæ, per totam ejus vitam, integer fuit. 18. Intulit, quæ conſectaverat pater ejus, & quæ ipſe conſecraverat in Ædem Jehovæ, argentum, aurum & vaſa. 19. Bellum autem non fuit, ad annum uſque trigeſimum quintum Regis Aſæ.

XVI. Aſa bello impetitus à Bahaſa, Iſraëlis Rege, Ramam contra eum muniente, conducit Benhadadum, Syriæ Regem, qui Bahaſæ bellum infert. Hoc Ramam relinquente, munitiones ejus delet Aſa; qui reprehenditur à Propheta, quòd ad Syriæ Regem confugiſſet, nec multò poſt in morbum incidens moritur.

CAPUT XVI.

1. ANNO trigeſimo ſexto Regni Aſæ, Bahaſa Rex Iſraëlis expeditionem ſuſcepit, contra Judam, & Ramam quidem munire *cœpit*; ne pateretur quemquam egredi, aut ingredi ad Aſam, Judæ Regem. 2. Protulit verò Aſa, è theſauris Ædis Jehovæ & Regiæ, argentum & aurum, quæ miſit ad Benhadadum Aramæorum Regem, qui habitabat Damaſci, *ei*que dixit: 3. Fœdus eſt mihi tecum, patrique meo fuit cum

Chriſtianorum; qui omnes profitentur ſe unum Deum, Patrem Domini Noſtri Jeſu-Chriſti, velle colere, nec diſſident niſi in ejus revelationis, quam omnes agnoſcunt, interpretatione. Adde quòd Deus, Legiſlator & Rex Hebræorum, legem tulerat de tollendis è medio Hebræis, qui à cultu ſuo deficerent; idémque Deus, per filium ſuum Jeſum-Chriſtum, vetuerit occidi in interpretatione ejus voluntatis diſſentientes, ut liquet exemplo Samaritarum, de quo Luc. IX, 52. & ſeqq. Quare hoc & ſimilibus locis graviter abutuntur, quicumque diſſentientes Chriſtianos malè haberi, & occidi etiam oportere cenſent.

14. *Additoque* &c.] *Et in infractione & in buccinis & in tubis.*

15. *Inventus fuerat*] Propitius, nimirum, & favens.

16. *Quin etiam Mahacham* &c.] *Et etiam Mahacha mater, Aſa Rex amovit eam.* Vide ad 1. Reg. XV, 14. Aviam fuiſſe Aſæ nonnulli putant, ſed potuit ejus mater & eo nomine appellari.

Ne ampliùs eſſet Regina] מגבירה miggebirah, *è Regina.* LXX. Intr. μὴ εἶναι τῇ Ἀςάρτῃ λειτουργοῦσαν. Meliùs 1. Reg. XIV, 13. μὴ εἶναι ἡγουμένην.

17. *Per totam ejus vitam*] *Omnibus diebus ejus.*

19. *Ad annum uſque trigeſimum quintum*] Intelligi hîc videtur bellum cum Iſraëlitis, nam fuit antea bellum cum Madianitis, ſed ſecundum Judæ Regi. Vide Cap. XIV, 9. Præterea intelligendum apertum bellum, & quod magnis exercitibus gereretur, ita ut in ſummæ rei diſcrimen veniretur. Alioquin, ut legimus 1. Reg. XV, 16. *bellum*, hoc eſt, diſcordia fuit Aſæ cum Bahaſa, *per totam ejus vitam.* Denique trigeſimus quintus annus hîc deducendus eſt non ab initio regni Aſæ, ſed à ſeparatione Reipublicæ populi Hebræi in regnum Judæ & Iſraëlis; nam alioquin Aſa quindecimum tantùm annum regni agebat, cùm Bahaſa bellum ei moliri cœpit. Vide Tabulas Chronologicas.

In Caput XVI.

1. E*Xpeditionem ſuſcepit*] *Adſcendit*, cùm ab anno antecedente expeditionem moliri cœpiſſet, ut videmus ex vſ. ultimo Capitis antecedentis.

Ramam quidem munire cœpit] *Et ædificavit Ramam.* Vide ad Reg. XV, 13.

3. *Fœdus eſt mihi tecum*] *Fœdus inter me & inter te* &c.

Ut frangas fœdus] *Ito, frangito fœdus tuum.*

4. *Abel-majimos*] 1. Reg. XV, 20. vocatur *Abel-beth-mahacha.*

Et omnes apothecas urbium Nephthalis] כל מכסנות ערי נפתלי *chol michſenoth hare Naphthali.* Eſt 1. Reg. XV, 21. כל כנרות על כל ארץ נפתלי *chol chinneroth hal chol erets Naphthali*, totas Chinnerothas præter urbes Nephthali. Non abſurdè fortè illic legeretur כל מכסנות ערי *omnes apothecas urbium totius terræ Nephthalis.* Nihil tamen muto. מכסנות *michſenoth* ſunt apothecæ, in quibus ſegetes, aliique terræ fructus reponebantur.

7. *Ideò exercitus Regis Aramæorum*] Hæc loquutio, ſi propriè hîc ſumeretur, innueret Aſæ bellum fuiſſe cum Syriæ Rege; exercitus enim Regis amici non dicitur evadere è manibus alîus Regis fœderati, ſed hoſtis. Verùm videtur Prophetæ abruptus eſſe ſermo, & hoc ſibi velle: tantùm abeſt ut debueris timere Iſraëlitarum Regem, atque in eum Syriæ Regem pecuniâ corruptum immittere; ut ne quidem Syriæ Regem, cum Iſraëlitis conjunctum, formidare debueris; Deus enim non Iſraëlitas tantùm, ſed & Syros in manus tuas tradidiſſet.

8. *Chuſitæ & Libyes*] Vide ad Cap. XIV, 9. Hinc autem colligere eſt non Madianitas tantùm, ſed & Libyægyptios fuiſſe in Zerachi exercitu. Alioquin ex ſolis Chuſitis vix magnus exercitus colligi potuiſſet.

10. *In carcerem*] בית המהפכת *beth hammahphecheth.* LXX. εἰς φυλακήν. Vulgatus, *in nervum.* Vide Jerem. XX, 2. Putant fuiſſe inſtrumen-

eum patre tuo. En mitto ad te aurum & argentum, ut frangas fœdus quod tibi eſt cum
Bahaſa Rege Iſraëlis, ut à me recedat. 4. Auſcultavit Benhadadus Regi Aſæ, miſitque
duces copiarum ſuarum in urbes Iſraëlis, qui conciderunt Hijonem, Danem, Abel-maji-
mos & omnes apotheeas urbium Nephthalis. 5. Quod ubi audivit Bahaſa, deſiit munire
Ramam, & opus ſuum omiſit. 6. At Rex Aſa univerſum adſumſit Judam, qui abſtulit lapides
Ramæ, lignáque quibus eam muniebat Bahaſa; iiſque Gebam & Mitſpham muniit.

7. Eo tempore, Chananis Videns Aſam Regem Judæ convenit, eique dixit: quia con-
fidiſti Regi Aramæorum, nec confidiſti Jehovæ Deo tuo, ideò exercitus Regis Aramæo-
rum è manu tua evaſit. 8. Annon Chuſitæ & Libyes erant in exercitu magno numero, cur-
ruúmque & equitum habebant maximam copiam; nec eo ſeciùs, cùm confideres Jehovæ,
eos tradidit in manum tuam? 9. Jehovæ enim oculi perluſtrant totam terram, ut confir-
met animum eorum qui integri erga eum ſunt. Stultè egiſti hac in re, proptereáque ab-
hinc tibi erunt bella. 10. Iratus verò eſt Aſa in Videntem, eúmque conjecit in carcerem,
quia propterea ei excanduerat. Oppreſſit etiam illo tempore *nonnullos* è populo. 11. Res
autem geſtæ Aſæ cùm primæ, tum poſtremæ, ſcriptæ ſunt in libro Regum Judæ & Iſraëlis.

12. In morbum verò pedum incidit Aſa, anno trigeſimo nono regni ſui, morbúſ-
que ad partes uſque ſuperiores *adſcendit;* neque in morbo ſuo quæſivit Jehovam, ſed
medicis *confidit.* 13. Obdormiit ergo Aſa cum Majoribus ſuis, mortuúſque eſt anno
uno & quadrageſimo, ex quo regnare cœperat. 14. Sepelierunt verò eum in monumen-
tis ipſius, quæ ſibi foderat, in urbe Davidis, impoſuerúntque eum lecto, quem imple-
verat aromatibus & variis generibus unguentorum, opere unguentario *confectorum*,
combuſſerúntque *ea* honoris ejus causâ, maximâ copiâ.

XVII. Jo-

mentum ligneum, in quod vincti membra inſe-rebant, ut cippum, aut numellam.

Quia propterea excanduerat] *Quia in ira cum illo propter hoc.*

11. *In libro Regum Judæ & Iſraëlis*] Hoc eſt, in commentariis publicis Regum Judæ & Iſraëlis, cùm enim regna illa vicina eſſent, bellúmque inter ſe gererent; commentarii publici, ſive Ephemerides Regum tam continebant res geſtas vicinorum, quàm ipſius regni in quo ſcribebantur.

12. *In morbum pedum incidit*] *Laboravit pedibus*; podagrâ, ut videtur.

Morbúſque ad partes uſque ſuperiores adſcendit] עד למעלה חליו *uſque ad ſupra morbus ejus.* De intentione morbi intelligunt LXX. Intt. qui habent ἕως σφόδρα ἐμαλακίσθη, & Vulgatus, *ægrotavit dolore pedum vehementiſſimo*, & Chaldæus: עד לעילא התגבר *bad lebelah ithgabbar*, ad ſummum crevit morbus ejus. Sed & poteſt intelligi de podagra, quæ incipit à pedibus, & ſuperiores poſtea partes aggreditur, quo tempore lethalis eſt. Galli vocant, *une goute remontée.*

Quæſivit Jehovam] Imploravit ejus opem.

Medicis confidit] כי ברפאים *chi barophe'im*; ſupplendum, בטח *batahh*, confidit aut ſimile quiddam; nam conſtruitur בטח cum ב, non verò verbum דרש *quæſivit.* Ideò Vulgatus: *ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.* Non vetuerat Deus arte medica uti, ſed volebat auxiliis artis preces decumbentis adjungi.

14. *In monumentis ipſius* &c.] Sibi vivus in monte Sione cryptam fecerat, in quam cadaver ſuum inſerretur; cùm fortè jam cryptæ monumentorum regiorum plenæ eſſent.

14. *Lecto quem impleverat aromatibus*] Ut comburerentur illa aromata, ut ſequitur deinceps. Quamvis enim Hebræi non ſolerent cadavera comburere, circumquaque tamen poſita aromata incendebant, quod ex pluribus locis liquet. Vide infra XXI, 19. Jerem. XXXIV, 5. Amos VI, 10 Adfine eſt quod Ethnici faciebant, qui odores in rogum conjiciebant, ut copioſè oſtendit *Joan. Kirchmannus* de Funeribus Rom. Lib. III. c. 5.

Opere unguentario] מרקחת מעשה *mirkahhath mahaſcheh*, unguento operis. Videtur deeſſe רקח *rokeahh*, unguentarii, nam ſolent ita loqui Hebræi מרקחת מעשה רקח *unguentum operis unguentarii*, ut Exod. XXX, 25. nec ejuſmodi ellipſi utuntur, qualem hîc eſſe oporteret, ſi nihil excidiſſet. LXX. Intt. habent, γέμα μύρων μυρεψῶν. Hieronymus: *plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta. Meretricia unguenta* hîc perabſurdè quæſivit, quia antecedunt hæc verba זנים מרקחים *& ſpecies unguentatæ*, ubi priorem vocem deduxit à זנה zanah, *ſcortatus eſt.* At Chaldaicè זן *zan* eſt ſpecies, genus.

Ut paucis de hac voce agam, crediderim זנים מרקחים propriè quidem eſſe *ſpecies unguentarii arte paratas*, ſed apud Hebræos alióſque orientales populos eâ voce ſignificata aromata, atque ab iis derivatam eſſe ſignificationem vocis εἶδος & vocis *ſpecies*, quæ aromata ſonant, in inferiore Helleniſmo & Latinitate poſteriore. Nec abſurdum eſt ex Oriente, rem unà cum voce, in Græciam & in Italiam veniſſe. Rectè obſervavit *Claud. Salmaſius* ad Solinum p. 739. Ed. Ultrajectinæ, inferiorem Latinitatem *ſpeciem* ſimpliciter aroma quod libet dixiſſe, quod nunc *drogam* barbarè vocamus. Sic *Martianus* Juriſconſultus Digg. Lib. XXXIX. T. IV. leg. 16. §. 7. *ſpecies pertinentes ad vectigal, cinnamomum, piper longum, piper album, folium pentaſphærum, folium barbaricum, coſtum, coſtamomum* &c. Sic & Græci uſi ſunt, ut docet, voce εἶδος. *Silphium*, Λιβυκὸν εἶδος, *Myrrha*, Ἀραβικὸν εἶδος, & ſimilia. At *ſpecies aromaticæ*, τὰ εἴδη ἀρωματίζοντα.

Combuſſerúntque ea honoris ejus causâ] *Et combuſſerunt* (לו lo) *ei combuſtionem maximam.* Vide Cap. XXI, 19. Incendebant odores & aromata cadaveri impoſita.

In Ca-

XVII. Joſaphatus Aſæ ſuccedit, regnum reliquiis Idololatriæ purgat, circummittítque Sacerdotes & Levitas, qui populum leges divinas edoceant. Cùm pacem haberet à vicinis, auget opes ſuas, urbes munit & exercitum comparat.

CAPUT XVII. 1. REGNAVIT ejus loco Joſaphatus filius & Iſraële potentior factus eſt. 2. Impoſuit copias omnibus urbibus munitis Judæ, præfectóſque in terra Judæ & in urbibus Ephraïmi, quas ceperat pater ejus Aſa, conſtituit. 3. Adſuit verò Jehova Joſaphato, quia inſtiterat viis priſtinis Davidis progenitoris ſui; nec Bahales quæſivit, 4. verùm quæſivit Deum patris ſui, præceptáque ejus ſequutus eſt, nec opera Iſraëlitarum eſt imitatus 5. Confirmavit Jehova regnum in ejus manu, donavitque univerſus Juda Joſaphatum muneribus, & fuerunt illi opes & divitiæ, magnâ copiâ. 6. Erexit verò animum ſuum, *dum* viis Jehovæ *inſiſtit*, prætereáque amovit è Juda excelſa & ſtatuas.

7. Anno verò tertio, ex quo regnare cœperat, miſit principes *viros*, qui apud ſe erant, Benehaïlem, Hobadjam, Zecharjam, Nethanaëlem & Michajam; ad docendum *populum*, per urbes Judæ; 8. & cum iis Levitas Semahjam, Nethanjam, Zebadjam, Haſaëlem, Semiramothum, Jonathanem, Adonijam, Tobijam, & Tobadonijam, qui Levitæ erant, & quibus aderant Eliſama & Jehoramus Sacerdotes. 9. Docuerunt in Juda, erátque cum iis liber Legis Jehovæ; ac circumiverunt urbes Judæ, & populum docuerunt.

10. Interea pavor Jehovæ omnibus regnis terrarum, circa Judam ſitarum, incubuit, nec Joſaphato bellum intulerunt. 11. Quin & à Philiſthæis adferebant Joſaphato munus argenti & auri, vectigalis loco. Arabes quoque adducebant ad eum pecudes & arietes quidem ſepties mille ſeptingentos, hircos verò totidem. 12. Joſaphatus verò convaleſcebat magis ac magis, ad ſublimem uſque *potentiam*, condidítque in Juda palatia & urbes apothecarum. 13. Opus multum ei fuit per urbes Judæ, & viri militares ac ſtrenui *erant* Jeroſolimæ.

14. Hic autem eſt eorum cenſus, pro familiis patriis. Judæ Chiliarchæ fuerunt, *quorum* dux Hadna, & cum eo trecenta millia fortium virorum. 15. Ad manum ei fuit dux Jochanan, & cum eo ducenta octoginta millia *virorum*. 16. Ad manum etiam ei fuit Amasja, Zichris filius, qui ſponte ſe ſe obtulit Jehovæ, & cum eo ducenta millia virorum fortium. 17. Ex Benjamine verò fuit vir fortis Eljada, & cum eo ducenta millia clypeo & arcu armatorum. 18. Ad manum ei fuit Jehozabadus & cùm eo centum octoginta millia expeditorum *ad* exercitum. 19. Hi erant miniſtri Regis, præter eos quos Rex per totum Judam urbibus munitis præfecerat.

XVIII. Jo-

In CAPUT XVII.

2. QUas *ceperat*] Vide Cap. XV, 8.

4. *Quæſivit*] Coluit, oravit &c.

Præceptáque ejus &c.] *In præceptis ejus ambulavit, & non ſecundum opus Iſraël.*

5. *Divitiæ*] כבוד chabod, *gloria*. Sed ea vox ſæpe divitias ſignificat. Vide not. ad Geneſ. XXXI, 1.

6. *Erexit verò animum ſuum* &c.] *Et extulit cor ſuum in viis Jehovæ*; hoc eſt, magno, erectóque animo leges divinas obſervare perrexit.

9. *Eratque cum iis liber legis*] Cùm hæc circumſtantia adnotetur, quaſi ſingulare quidpiam, hinc intelligere licet vulgò non fuiſſe in plebis manibus librum Legis. Nec ſanè opus fuiſſet librum illum circumferri, cùm ubique inveniretur. Imò verò minimè neceſſe fuiſſet Levitas mitti, qui Judam circumirent, docendi causâ, cùm quivis poſſent & deberent librum legis legere. Edicto potuiſſet Joſaphatus jubere omnes, qui litteras ſcirent, ſibi comparare exemplar legis, aut exemplaria ipſe quaquaversùm mittere. Potuiſſet inſtituere ſcholas publicas, in quibus legeretur & explicaretur, ut poſtea factum eſt in Synagogis, ſingulis diebus Sabbathi. Sed illis temporibus, non docebantur eadem curâ populi, quâ poſtea eruditi ſunt; nec ex moribus, inſtitutiſque noſtris, de Veteribus judicare poſſumus, quæ cauſa eſt innumerorum commentorum & errorum; dum Antiquis tribuimus quod faceremus, ut nobis quidem videtur, ſi in ſimilia tempora incideremus. Hiſtoria Joſiæ ſimiliter oſtendit, ejus tempore, nequaquam vulgò lectitatam fuiſſe legem. Vide 2. Reg. XXI, 8. & quæ illic diximus.

10. *Pavor Jehovæ*] Vide ad Cap. XIV, 13.

11. *Arabes*] הערביאים *habarbiim*. Scribitur aliàs הערבים *harabim*. Vide Cap. IX, 4. Eſai. XV, 7. à nomine terræ, quod eſt ערב *harab*.

12. *Convaleſcebat magis* &c.] *Iens & creſcens, uſque ad ſublimitatem.*

14. *Opus*

XVIII. Joſaphatus, adfinitate cum Achabo contractâ, ſocium ſe ei præbet ad bellum Syris inferendum, quod, Pſeudo-prophetis fauſtum fore pollicentibus, infauſtum fore prædicit Micha Propheta, cujus vaticinium eventu confirmatur.

1. FUERUNT Joſaphato divitiæ & opes magnâ copiâ, & adfinitatem quidem cum CAPUT
Achabo contraxit. 2. Poſt aliquot annos inviſit Achabum Samariæ, qui ejus XVIII.
& comitatûs, qui cum eo erat, honoris causâ mactavit minores pecudes & bo-
ves, magno numero, eúmque concitavit ad expeditionem ſuſcipiendam contra Ramo-
thas Galahaditidis. 3. Dixit enim Achabus Rex Iſraëlis Joſaphato Regi Judæ: an me-
cum ibis Ramothas Galahaditidis? Ille verò, ſum, inquit, inſtar tui, & populus meus
inſtar populi tui. Tibi in bello *adero*. 4. Dixit etiam Joſaphatus Regi Iſraëlis: inquire,
quæſo, hodie in verbum Jehovæ. 5. Tum congregavit Rex Iſraëlis quadringentos vi-
ros, quibus, an ibimus, inquit, Ramothas Galahaditidis, ad bellum *gerendum?* an
verò *hoc conſilium* omittam? Ito verò, inquiunt, nam Deus *eas* in manum Regis tra-
det. 6. At Joſaphatus, numquis, inquit, Propheta Jehovæ ampliùs hìc eſt, ut ab eo
inquiramus? 7. Rex verò Iſraëlis Joſaphato, eſt adhuc, inquit, vir unus, à quo quæ-
ratur *voluntas* Jehovæ; verùm hominem odio habeo, quia bona nulla de me vaticina-
tur, ſed ſemper mala. Is eſt Micha, Jimlæ filius. Joſaphatus verò, ne, inquit, ita
loquatur Rex. 8. Itaque Rex Iſraëlis vocato Eunucho: feſtina, inquit, *adducere* Mi-
cham, Jimlæ filium.
9. Interea Rex Iſraëlis & Joſaphatus Rex Judæ ſedebant uterque in ſolio ſuo, veſti-
bus *regiis* induti, & ſedebant quidem ad aream portæ Samariæ, ac Prophetæ omnes co-
ram iis vaticinabantur. 10. Tſidkija etiam, Chanahanæ filius, ſibi cornua ferrea fece-
rat, &, ſic dixit, inquiebat, Jehova, hiſce feries Aramæos, donec eos abſumſeris.
11. Omnes etiam Prophetæ ſic vaticinabantur, dicentes: adſcende Ramothas Galaha-
ditidis & bene rem gerito, *eas* enim Jehova in manum Regis tradet. 12. Nuncius ve-
rò, qui iverat vocatum Micham, eum hiſce verbis alloquutus eſt: en verba Propheta-
rum, *quaſi ex* uno ore *profecta*, bona *prænunciant* Regi; ſit, quæſo, ſermo tuus inſtar
ſermonis cujuſvis illorum, & bona prædicas. 13. Micha verò, *ut* vivit, inquit, Je-
hova: *ita* quidquid dixerit Deus meus id proloquar. 14. Cùm verò veniſſet ad Regem,
tum illi Rex, Micha, inquit, an ibimus Ramothas Galahaditidis ad bellum geren-
dum, an verò hoc *conſilium* omittam? Adſcendite, inquit ille, & bene rem gerite,
nam tradentur in manum veſtram. 15. At illi Rex, quoties, inquit, te jurejurando
adigam, ne mihi *quidquam* præter veritatem, nomine Jehovæ, dixeris? 16. Ille verò,
vidi, inquit, univerſum Iſraëlem palantem per montes, inſtar minuti pecoris, cui nul-
lus eſſet paſtor; dixitque Jehova: nullus eſt illis dominus, itaque incolumis quiſque
domum revertatur. 17. Ibi Rex Iſraëlis Joſaphato, annon, inquit, tibi dixi non va-
ticinaturum de me bona, ſed tantùm mala? 18. At ille, itaque, inquit, audite ver-
bum

13. *Opus multum ei fuit*] Nimirum, ad eas muniendas.

14. *Trecenta millia* &c.] Si hic numerus cum ſequentibus conjungatur, eſt millio unus, centies mille, octoginta millia virorum. Reputemus præter arma ferentes, fuiſſe quater, aut quinquies plures qui arma gerere non poſſent, ſenes mulieres, pueri & ſervi. Itaque is numerus tantus videtur, ut neceſſe ſit auctum à Librariis fuiſſe. Alioquin Judæ & Benjaminis exercitus nuſquam tantus fuiſſe legitur. Vide Cap. XIII, 3. XIV, 8.

15. *Ad manum*] על ידו *hal jado*. LXX. Intt. poſt hunc μετ' αὐτόν, Vulg. *poſt hunc*. Sed על יד *hal jad* propriè ſignificat *juxta, propè*, ut Joſ. XV, 46. 2. Sam. XV, 2. Ideóque vertimus על יד *ad manum*, quâ loquutione ſignificatur qui alii dicto audiens eſt, ut ſunt ſervi qui juxta heros ſtant, parati quibuſvis miniſteriis. Majori poteſtati *ad manum* eſt minor, quam parère majori neceſſe eſt.

16. *Sponte ſeſe obtulit Jehovæ*] המתנדב ליהוה *hammithnaddeb lAdonai*. LXX. Intt. προθυμούμενος Κυρίῳ. Vulgatus, *conſecratus Domino*. Sed quanam in re hæc conſecratio ſita fuerit non conſtat. Nonnulli Nazitæum fuiſſe volunt.

In CAPUT XVIII.

1. *ADfinitatem contraxit*] Quia Joramo filio *Hathaliam* Achabi filiam collocavit. 2. Reg. VIII, 18.

2. *Qui ejus & comitatûs* &c.] Pro *honoris ejus cauſa* eſt לו *lo* & לעם *lebam*.

Mactavit] יזבח *jizbahh*, quod tam de carne parata convivio, quàm ſacrificio dicitur.

3. *An mecum ibis* &c.] Vide ad 1. Reg. XXII, 4. & ſeqq.

11. *Bene rem gerito*] הצלח haſlahh, *proſperato*; ſubaudi, עצתך *conſilium tuum*, aut ſimile quiddam. Sic & vſ. 14.

16. *Incolumis*] *In pace*.

22. *Pro-*

bum Jehovæ. Vidi Jehovam inſidentem ſolio ſuo, & omnem exercitum cœli ad dextram ejus ac ſiniſtram ſtantem. 19. Dixit verò Jehova: quis proliciet Achabum Regem Iſraëlis, ut adſcendat & cadat ad Ramothas Galahaditidis? Tum ſubjecit: alius dixit hoc modo *rem poſſe fieri*, alius alio. 20. Deinde proceſſit ſpiritus, conſtititque coram Jehova, & ego, inquit, eum proliciam. Quo modo? inquit ei Jehova. 21. Egrediar, inquit, eróque in ore omnium ejus Prophetharum ſpiritus mendacii. Prolicies, inquit *Deus*, ſuperiórque eris, egredere & ſic facito. 22. Nunc ergo paſſus eſt Jehova eſſe ſpiritum mendacii; ſed Jehova de te mala prænunciat. 23. Acceſſit verò Tſidkija, Chanahanæ filius, percuſſóque Micha, in gena: quanam viâ, inquit, migravit ſpiritus Jehovæ à me, ut te alloqueretur? 24. Micha verò, en, inquit, videbis eo die quo è penetrali *egreſſus*, in *alterum* penetrale, ut te abdas, ingredieris.

25. Tum verò Rex Iſraëlis, adprehendite, inquit, Micham & reducite ad Amonem urbi præfectum, & ad Joaſum filium meum, 26. ſicque *iis* dicite: conjicite, ait Rex, hunc in carcerem, & pane & aquâ, quoad neceſſe erit, alite, donec incolumis revertar. 27. Ibi Micha, ſi revertaris, inquit, incolumis, ne loquutus ſit Jehova per me; ſubjecitque: audite *hæc* omnes populares.

28. Profecti ergo ſunt Rex Iſraëlis & Joſaphatus Rex Judæ Ramothas Galahaditidis, 29. dixitque Rex Iſraëlis Joſaphato: mutabo veſtes & prælium inibo, tu verò induito veſtes tuas. Deinde mutavit veſtes Rex Iſraëlis, præliúmque iniverunt. 30. Rex verò Aramæorum mandata dederat ducibus curruum ſuorum, his verbis: ne pugnetis contra quemquam magnum, aut parvum, ſed tantùm contra Regem Iſraëlis. 31. Cùm ergo vidiſſent duces curruum Joſaphatum, dixerunt: hic eſt Rex Iſraëlis, & converſi ſunt in eum, ut *cum eo* pugnarent. At exclamavit Joſaphatus, Jehováque ei auxiliatus eſt, & Deus homines ab eo avertit. 32. Cùm enim vidiſſent duces curruum non eſſe Regem Iſraëlis, ab eo ſeſe averterunt. 33. At vir quidam temerè tetendit arcum, vulneravitque Regem Iſraëlis, inter commiſſuras & thoracem. Quare aurigæ, converte, inquit, manum tuam, méque educito ex acie, nam vulneratus ſum. 34. Sed invaleſcente prælio illo die, Rex Iſraëlis conſtitit in curru, contra Aramæos, uſque ad veſperam, & tempore occaſûs ſolis mortuus eſt.

XIX. Jo-

20. *Proceſſit ſpiritus*] Habet hîc Chaldæus: וּנְפַק רוּחָא דִנְבוֹת דְמִן יִזְרְעֵאל מִמְּצִיעוּת צַדִּיקַיָּא *prodiit ſpiritus Nabothæ è Jizreële ex ſabulato juſtorum.* Sed commentum eſt Rabbinicum.

22. *Paſſus eſt Jehova*] נתן יהוה *nathan Jehovah*, hoc eſt, permiſit. Vide 2. Ephem. XVI, 1. & not. ad 1. Reg. XXII, 23.

29. *Mutabo veſtes & prælium inibo*] הִתְחַפֵּשׂ וָבוֹא *muta veſtes & ito.* Sed legendum eſſe ad 1. Reg. XXII, 30. conjecimus אֶתְחַפֵּשׂ וְאָבוֹא *mutabo veſtes & inibo*, quod res ipſa comprobat. LXX. Intt. qui bene illic primâ perſona verterunt, hîc deteriùs habent: κατακαλύψομαι καὶ εἰσελεύσομαι. Vulgatus verò, qui illic ſenſum pervertit, hîc rectius habet: *Mutabo habitum & ſic ad pugnam vadam.* Sic & hîc quoque Chaldæus: אֲנָא אֶשְׁתַּנֵי וְאֵיעוֹל בִּקְרָבָא *ego mutabor & ingrediar prælium.*

31. *Deus homines* &c.] Providentiâ divinâ factum eſt, ut aliovorsùm ſe converterint; alioquin intererat Regis Syriæ & Joſaphatum occidi. Sed mandata cùm accepiſſent, de ſolo Rege Iſraëlis impetendo, verba potiùs quàm animum Regis attenderunt, Deo ita volente.

33. *Ex acie*] מִן הַמַּחֲנֶה min hammahaneh, è *caſtris.* Sed מחנה ſumitur hîc pro acie, ſive hominibus præliantibus.

In Caput XIX.

2. Siccine iviſti ad ſuppetias ferendas &c.] *An ad nocentem, ad auxiliandum.* Licet quidem nocenti auxiliari, ſed non ad nocendum aliis, verùm ut melior fiat. Hîc autem Joſaphatus auxilium ferebat Achabo, ut regni fines ampliaret, quod nihil faciebat ad eum ab impietate revocandum.

Propterea contra te &c.] *In hoc contra te fervor à facie Jehovæ.* Rectè ſenſum expreſſit Vulgatus, his verbis: *Iram quidem Domini merebaris.*

4. *Iterum egreſſus eſt*] *Et rediit & egreſſus eſt.* Per alios antea hoc fecerat, Cap. XVII, 8. nunc per ſe.

Beerſebâ ad montana &c.] A finibus meridianis regni ad ſeptemtrionales.

Iſraëlitas reduxit] *Reduxit eos.*

5. *Conſtituit etiam judices*] Debuiſſent eſſe, ex inſtituto Davidis. Vide 1. Ephem. XXVI, 29. Sed rem neglectam oportuit, quandoquidem Joſaphatus judices conſtituere neceſſe habuit. Hinc & ex aliis locis intelligere licet quod Rabbini de Synedrio Magno Jeroſolimæ ſedente, déque minoribus conſeſſibus Judicum in urbibus Hebræorum narrant, ea eſſe ſomnia hominum Rempublicam ſibi, non qualis fuerat, ſed qualem debuiſſe eſſe putabant, fingentium.

6. *Neque enim hominibus* &c.] Non tam hominibus rationem reddetis judiciorum veſtrorum, quàm Deo, cujus loco judices eſtis; ac proinde non in gratiam hominum, ſed ex lege Dei jus dicere debetis.

Qui vobis in judiciis aderit] *Et vobiſcum in verbo judicii.* Cùm jus dicetis, ſcitote Deum adeſſe judiciorum veſtrorum teſtem. Plura ſunt hanc in ſententiam in *Heſiodi* Operibus & Diebus, & inter alia hæc, vſ. 247.

ὦ

XIX. Joſaphatus incolumis redux ad ſuos reprehenditur, quòd impium Regem adjuviſſet. Tum Ephraïmitas ad cultum veri Dei revocat, & judices, juris dicundi causâ, per totum regnum conſtituit.

1. REDIIT verò Joſaphatus, Rex Judæ, domum ſuam incolumis, Jeroſolimam. CAPUT XIX.
2. Verùm ei obviam egreſſus eſt Jehuus Videns, Chananis filius, qui Regi,
ſiccine iviſti ad ſuppetias ferendas homini nocenti? An eos amas, qui odio ha-
bent Jehovam? Propterea contra te *accendi potuiſſet* ira Jehovæ. 3. Sed bona nonnulla
in te inventa ſunt, quòd, nempe, è terra *Judæa* lucos eliminaſti, & animum appuliſti
ad quærendum Deum.
4. Itaque cùm Joſaphatus *aliquamdiu* commoratus eſſet Jeroſolimæ, iterum egreſſus
eſt per populum, *ivitque* Beerſcbâ ad montana uſque Ephraimi, & *Iſraëlitas* reduxit
ad Jehovam Deum Majorum ipſorum. 5. Conſtituit etiam judices, per omnes urbes
munitas Judæ, in ſingulis oppidis, 6. & judicibus, videte, inquit, quid agatis; ne-
que enim hominibus judicabitis, ſed Jehovæ, qui vobis in judiciis aderit. 7. Nunc ergo
timor Jehovæ vobis incumbat, cavete vobis & facite *quod par eſt;* nulla enim eſt apud
Jehovam Deum noſtrum iniquitas, aut affectus quo hominum ratio habeatur, aut mu-
nerum acceptio. 8. Jeroſolimæ etiam conſtituit Joſaphatus *nonnullos* è Levitis, Sacer-
dotibus, & principibus patriarum *familiarum* Iſraëlis, ad judicia Jehovæ & ad lites
diſceptandas, qui redierunt Jeroſolimam. 9. Mandata autem eis dedit, his verbis: ſic
vos gerite, in timore Jehovæ, in fide & in integritate animi. 10. In omni lite quæ ad
vos venerit, à fratribus veſtris habitantibus per urbes ſuas, *de diſcrimine ſtatuendo* in-
ter cædem & cædem, inter legem & præceptum, inſtitutáque & jura, præmonete eos,
ne *quid* delinquant in Jehovam, néve accendatur ira *Dei* in vos fratréſque veſtros. Sic
vos gerite, neque delinquite. 11. En habetis Amarjam Sacerdotem primarium, qui vo-
bis præeſt, quod attinet ad omnem cauſam Jehovam ſpectantem; Zebadjam verò, Iſmahe-
lis filium, principem familiæ Judæ, in omnibus cauſis regiis. Sunt & apparitores Levi-
tæ, in conſpectu veſtro. Vos igitur conſtanter gerite, aderitque Jehova bonis.

XX. Moa-

Ὦ βασιλῆς, ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ
Τήνδε δίκην, ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἐόντες
Ἀθάνατοι λεύσσουσιν, ὅσοι σκολιῇσι δίκῃσιν
Ἀλλήλους τρίβουσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
Τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,
Οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα.

O Reges, vos verò conſiderate etiam ipſi pœnam hanc, propè enim inter homines verſantes Dii vident quotquot pravis judiciis ſe mutuò atterunt, Deorum vindictam non curantes. Ter enim decies mille ſunt, in terra multorum ultrice, Dii Jovis cuſtodes mortalium hominum, qui judicia obſervant & prava opera.

7. *Affectus quo hominum ratio habeatur*] משא פנים maſſcha phanim, *acceptio faciei*; hoc eſt, affectus quo non juris, ſed hominum ratio habeatur. Helleniſtæ Judæi vocarunt προσωποληψίαν, Latini unâ voce non poſſunt.

8. *Ad judicia Jehovæ*] Sic vocantur quæ ſpectabant jus ſacerdotale, legeſque rituales; non privatas lites, & jus civile.

9. *In integritate animi*] *In corde integro*, vel *perfecto*.

10. *Inter cædem & cædem*] בין דם לדם ben dam ldam, *inter ſanguinem ſanguini*; hoc eſt, inter cædem datâ operâ factam, & eam quæ caſu contigerit; qua de re vide Deut. XVII, 8. & Num. XXXV, 16.

Inter legem & præceptum &c.] Hoc eſt, ubi agitur de ſecernendo eo quod jus & fas eſt fieri ex lege quapiam, ab iis quæ leges tamquam injuſta & nefaria damnant. Caſus ſunt, quibus leges nonnullæ adverſari, aliæ verò favere videntur. Pleraque judicia ſunt de ejuſmodi rebus, nam de dubiis plurimæ naſcuntur lites, non de claris. Cùm apud Hebræos paucæ eſſet leges, eæque generalibus verbis conceptæ, prudentiæ & æquitatis judicum erat in innumeris caſibus quid juſtum, aut injuſtum eſſet definire; quod conati ſunt facere Thalmudici Doctores, Judæorum, poſt exſtinctam Rempublicam, Juriſconſulti, non minùs operoſi & ſubtiles, quàm aliarum Gentium Juris periti, quamquam fortè moroſiores. Non crediderim quidem recentiorum Rabbinorum reſponſa antiquioribus temporibus omnia aptari potuiſſe; ſed nemo non intelligit innumerabiles quæſtiones de jure in quavis Republica naſci.

11. *Sacerdotem primarium*] *Sacerdotem caput.*

In omnibus cauſis regiis] *In omni re Regis*; hoc eſt, ubi de ſtipendiis, mandatiſve Regis, aut ejus majeſtate violata quiſpiam in jus trahetur.

Apparitores] שטרים *ſchoterim*, de qua voce vide notata ad Exod. V, 6. Quiſquis hunc locum ſtudioſè & adtentè leget, ſatis intelliget, ſi fuiſſet tunc temporis Jeroſolimæ Synedrium LXXII. virorum, penès quod ſumma fuiſſet auctoritas, mentionem hîc ejus fieri neceſſariò debuiſſe; quæ cùm nulla fiat, conſequens eſt ut nihil ejuſmodi eſſet, quamvis aliter ſentiant Rabbini.

Aderitque Jehova bonis] ויהי יהוה עם הטוב *& ſit Jehova cum bono.* Sed יהי *jehi* videtur eſſe pro יהיה jihjeh, *erit.*

XX. Moabitis, & Hammonitis bellum Joſaphato inferentibus, ad Deum confugit, qui ei victoriam pollicetur, quam inſignem refert. Religioſè deinde regnat Joſaphatus, ſed amicitia, quam cum Achabo contraxerat, damnatur, irámque Dei in eum movet.

CAPUT XX. 1. POSTHÆC venerunt Moabitæ, Hammonitæ & cum iis *nonnulli, ex populis qui*
ultra Hammonitas *habitant*, ut bellum Joſaphato inferrent. 2. Tum venerunt
qui *rem* Joſaphato nunciarent, his verbis: venit contra te multitudo ingens, è
locis trans mare *ſalſum ſitis*, *atque* ex Aramæa; ecce autem eos ad Chatſatſon-thamarem, quæ & Hen-gedi. 3. Timuit verò Joſaphatus, ſéque ad quærendum Jehovam
convertit, & per totum Judam jejunium promulgavit. 4. Convenit ergo Juda ad petendum à Jehova *auxilium*, & ex omnibus Judæ urbibus venerunt ad quærendum Jehovam. 5. Stetit verò Joſaphatus in cœtu Judæ & Jeroſolimæ, in Æde Jehovæ, ante
atrium novum, 6. & dixit: ô Jehova Deus Majorum noſtrorum, annon tu es Deus
ille *qui eſt* in cœlo? *Annon* dominaris omnium Gentium regnis, adeò ut in tua manu
ſint vires & potentia, nec quiſquam contra te conſiſtere poſſit? 7. Nonne tu, ô Deus
noſter, expuliſti incolas hujus terræ, à conſpectu populi tui Iſraëlis, eáque donaſti
poſteros Abrahami amici tui in perpetuum? 8. Eam incoluerunt, ædificaruntque ſibi
in ea Sanctuarium nomini tuo, cùm dicerent: 9. ſi quæ inciderit nobis calamitas, ut
gladius judicii, aut peſtis, aut ſames, ſtabimus ante hanc Ædem, in conſpectu tuo,
quia nomen tuum eſt in hac Æde, te clamoribus invocabimus in anguſtiis noſtris, túque *nos* exaudies & liberabis. 10. Nunc autem Hammonitæ, Moabitæ & Montis Sehiris *incolæ*; contra quos ire Iſraëlitas non paſſus es, cùm venirent ex Ægypto, nam de-

In CAPUT XX.

1. N*Onnulli ex populis qui ultra Hammonitas*] מהעמונים *mehahammonim*, quod verti oporteret *ex Hammonitis*, niſi antea Hammonitæ jam memorati fuiſſent. Abſurdè habet hîc Vulgatus: *filii Ammon & cum iis de Ammonitis*, nam filii Ammon & Ammonitæ iidem ſunt. Vitare hanc repetitionem voluerunt. LXX. Intt. niſi fortè aliter in Codicibus ſuis legerint, habent enim: *καὶ Ἀμμὼν καὶ μετ' αὐτῶν ἐκ τῶν Μιναίων*. Chaldæus verò Idumæos hîc quæſivit, habet enim מן אדומאי *ex Idumæis*, quia reverà Idumæi ſuas copias Moabitis & Hammonitis conjunxerant, ut liquet ex vſ. 10. Fortè credidit ex veſtigiis vocis מהאדומים *mehaedomim* factum מהעמונים *mehahammonim*.

Sam. Bochartus Phalegi Lib. II. c. 23. ubi multis agit de Minæis, qui populi fuerunt, quorum ſedes erat in media Arabia Felice, auſtrum verſùs, credit hos populos ab Hebræis dictos מעונים *mehonim*, rectèque 1. Ephem. IV, 41. hîc & infra Cap. XXVI, 7, 8. vertiſſe LXX. Intt. *Μιναίους*. Quin & hoc loco audet, ut ait, præferre Græcam lectionem Hebraïcæ, & pro מהעמונים *mehahammonim*, tranſpoſitis ה & ע, legendum cenſet מהמעונים *mehammehonim*. Ne autem ei quis objiciat Minæos Arabiæ Felicis remotiores fuiſſe à Judæis, quàm ut eis moleſti eſſe poſſent, duplices facit Minæos, alios è ſtirpe Semi in Arabia Felice, alios è proſapia Chami in Arabia Petræa, quorum mentionem fieri putat locis hujus libri memoratis. Hæc copioſiùs expoſita apud ipſum auctorem legi poterunt.

Non rejecerim quidem ut abſurda quæ habet vir doctiſſimus, ſed non muto ſententiam quam protuli ad Jud. X, 12. Mehonitas, aut Mahonitas fuiſſe exiguum populum Hamalekitis vicinum, & in Deſerta Arabia vagantem; quæ ſententia cum iis, quæ habet *Bochartus*, non pugnat. Hoc verò in loco, nullam lectionis varietatem quæſiverim, cùm מהעמונים vertere poſſimus *ultra Hammonitas*, ita ut ſignificentur Arabiæ Deſertæ aut Syriæ populi, qui à Chananæa remotiores erant, quàm Hammonitæ. Certè מ ſignificat ultra 1. Sam. XX, 22, & 37. ubi ממך *mimmecha* eſt *ulteriùs quàm tu es, præter te.* Itaque מהעמונים eſt compendiaria loquutio pro עמים אשר מהעמונים *populis qui præter*, aut *ultra Hammonitas* habitabant. Cùm lectio recepta cum analogia Linguæ conſentit, nec malum ſenſum parit, non video cur mutari debeat. Itaque perperam putavit vir ſummus nullum ſenſum hîc poſſe inveniri, quia credidit מהעמונים non poſſe verti aliter quàm *ex Hammonitis*.

2. *Tum venerunt qui* &c.] *Et venerunt & nunciarunt.*

Trans mare ſalſum] Addidimus hîc *ſalſum*, quia ſic vocant Hebræi lacum Aſphaltiten, de quo agi liquet.

Atque ex Aramæa] Addidimus hîc conjunctionem, quia Moabitæ & Hammonitæ nuſquam vocantur ארם *Aram*. Significantur, hiſce verbis, populi illi qui ultra Hammonitas habitabant.

Chatſathon-thamarem] Ad occaſum maris ſalſi, quod circumiverant, ad meridianam plagam, quà Judæ regnum ingreſſi erant.

3. *Séque ad quærendum Jehovam convertit*] *Et dedit faciem ſuam ad quærendum.* In Templum ivit, ubi ad Sanctuarium converſus oravit.

Jejunium promulgavit] Deo quidem gratiores non ſunt religioſorum hominum preces, poſtquàm cibum neceſſarium ſumſerunt, quàm quando jejuni ſunt; ſed jejunio primùm impediun-

declinarunt ab iis, nec eos deleverunt; 11. nobis gratiam rependunt veniendo, ut nos
ejiciant ex hereditate noſtra, quam nobis poſſidendam dediſti. 12. O Deus noſter,
annon judicium in eos exercebis? Neque enim ullæ ſunt nobis vires, contra ingentem
hanc multitudinem, quæ contra nos venit; nec ſcimus quid faciamus, ſed in te *defixi
ſunt* oculi noſtri.
13 Totus autem Juda *ſimul* ſtabat coram Jehova, impuberes ejus, uxoréſque & li-
beri. 14. Jachazieli verò, filio Zecharjæ, Benajæ filii, Jechielis filii, Matthanjæ filii,
Levitæ, ex poſteris Aſaphi, incubuit ſpiritus Jehovæ, in medio cœtu; 15. &, attenti,
inquit, eſtote, univerſe Juda & incolæ Jeroſolimæ, túque ô Rex Joſaphate, ſic dicit
Jehova vobis: ne timete, néve expaveſcite, propter ingentem hancce multitudinem;
neque enim vobis, ſed Deo bellum *infertur*. 16. Cras contra eos vadite, en adſcen-
dunt per clivum Tſitſi, incidetiſque in eos in extrema valle, è regione deſerti Jeruëlis.
17. Veſtrum non eſt pugnare hoc tempore, conſiſtite, ſtate, ac videte liberationem
Jehovæ, *qui* vobis adeſt, ô Juda & Jeroſolima; ne timeatis, néve expaveſcatis, *ſed*
cras obviam illis ite, nam vobis adeſt Jehova. 18. Joſaphatus verò vultu in terram
flexo & totus Juda, incolæque Jeroſolimæ prociderunt coram Jehova, ut eum ado-
rarent. 19 Tum ſurrexerunt Levitæ è Kehathitis & Korachitis, ad laudandum Deum
Iſraëlis, voce maximâ.
20. Tum exiverunt mane, progreſſique ſunt in deſertum Thekohæ; & cùm eò
progreſſi eſſent, conſtitit Joſaphatus, & audire me, inquit, ô Juda & incolæ Jero-
ſolimæ; credite Jehovæ Deo veſtro, & ejus Prophetis, ac proſperè agite. 21. Dein-
de conſilium iniit cum populo, & conſtituit cantores Jehovæ & laudantes eodem
ordine quo in Sanctuario, dum egrederentur ante expeditos, & dicentes: confi-
temini Jehovæ, æternam eſſe ejus benignitatem. 22. Quo tempore autem incepe-
runt cantum & laudem, immiſit Jehova inſidiantes Hammonitis, Moabitis, & mon-
tis

diuntur omnes cibi, potûſque abuſus, tempore quo eſt implorandum auxilium divinum, prout neceſſe eſt ut pio animo fundantur preces; deinde eo modo plebs fit attentior ad id quod agitur, magiſque commovetur, quâ ratione officii ſui meliùs admonetur, & religioſior fit. Jejunium idem præſtat quod cetera, quæ ad corpus pertinent, qualia ſunt genua flectere, ad Templum orandi causâ ſe conferre, & ſimilia; quæ omnia homines magis commonefaciunt & percellunt, quàm ſi quidquid ad cultum divinum pertinet intra animum, quem ſolum tamen ſpectat Deus, perageretur.

5. *Ante atrium novum*] Salomo duo atria fecerat, interius Sacerdotum, exterius Iſraëlis. Fortaſſe tunc tertium atrium addi cœpit, quod Gentilium & Mulierum dictum eſt, de quo vide *Joan. Lightfootium* Deſcriptionis Templi Cap. XVIII.

6. *Nec quiſquam* &c.] *Et nemo tecum ad conſiſtendum.*

7. *Amici tui*] אהבך *ohabcha*, qui te amabat. LXX. Intt. *τοῦ ἠγαπημένου σου, quem amabas.*

9. *Si quæ inciderit nobis calamitas*] *Si venerit ſuper nos malum.* Senſus horum verborum pluribus expreſſus fuerat à Salomone, in inſigni illa oratione ad Deum, quam in Dedicatione Templi fudit, Cap. VI.

Gladius judicii] חרב שפוט *hhereb ſchephoth*, gladius τοῦ judicare. Infinitivus hic eſt loco nominis, ut alibi ſæpe. *Gladius judicii* eſt cædes, quâ Deus pœnas ſumit de hominibus; nam *judicare* reum paſſim perinde eſt ac eum plectere, quia ſupplicium ſequi debet ejuſcemodi judicium. LXX. Intt. ſejunxerunt hæc verba, habent enim *ῥομφαία, κρίσις.* Vulgatus junxit, cùm habeat, *gladius judicii.*

10. *Montis Sehiris incolæ*] Idumæi, qui cum vectigales fuiſſet Judæorum, ſe ſe eorum hoſtibus per ipſorum agros, aut certè in vicinia tranſeuntibus adjunxerunt.

Contra quos &c.] Vide Num. XX, 21. Deut. II, 12.

11. *Nobis gratiam* &c.] *Et ecce gratiam rependunt.* Ironicè hoc dicitur.

16. *Per clivum Tſitſi*] LXX. Intt. *ἀνάβασιν Ἀσσίς*, Vulg. *clivum nomine Sis.* Alibi ejus mentio non occurrit.

Deſerti Jeruelis] Hoc nomen alibi non occurrit, ſed videntur fuiſſe inculta loca ad Thekoham, ut colligere licet ex vſ. 20.

19. *Voce maximâ*] *Voce magnâ ad altitudinem.*

20. *In deſertum Thekohæ*] Urbs fuit ad auſtrum Bethlechemi.

21. *Eodem ordine quo* &c.] להדרת קדש *ad decorum Sanctuarii.* LXX. Intt. *ἐξομολογεῖσθαι καὶ αἰνεῖν τὰ ἅγια.* Quaſi ſcriptum eſſet להדרת קדש *lehodoth kodeſch.* Vulgatus: *in turmis ſuis.* Chaldæus: בשבהורא דקודשא *in decore ſanctitatis*; hoc eſt, eodem decore, ſeu ordine Sanctuarii. Vide Pſ. XXIX, 2. CX, 3.

22. *Inſidiantes*] מארבים *mearabim.* LXX. Intt. *ἔδωκε κύριος πολεμεῖν τοὺς υἱοὺς Ἀμμὼν ἐπὶ Μωάβ.* Eodem ſenſu Vulgatus: *Vertit Dominus inſidias eorum in ſemet ipſos, filiorum, ſcilicet, Ammon* &c. Sed hæc cum verbis Hebraicis non conſentiunt, quæ ſic habent: מארבים על בני עמון מואב והר שעיר *inſidiantes contra filios Hammon, Moab & montem Sehir.* Conjunximus *inſidiantes* cum *Moabitis*; ita ut intelligantur fuiſſe inter eos diſcordiæ, adeò ut Idumæi partem Moabitarum concitarint contra ſocios, & cum iis per inſidias eos ſint aggreſſi; quod ſequentibus confirmatur.

tis Sehiris *incolis*, qui veniebant contra Judam, & cæſi ſunt. 23. Conſtiterunt verò Hammonitæ & Moabitæ contra Sehiris montis incolas, ut eos ad internecionem uſque delerent, & cum *ferro* incolas Sehiris abſumſiſſent, adjuverunt ſe invicem ad ſe *mutuò* delendos. 24. Iraque cùm pervenit Juda ad ſpeculam deſertum versùs, profſpexerunt eam multitudinem; ecce vero cadavera in terra jacentia, nec quiſquam *erat* ſuperſtes. 25. Ivit ergo Joſaphatus & copiæ ejus ad diripienda eorum ſpolia, invenerúntque magnam copiam cùm divitiarum, tum cadaverum, ac vaſorum pretioſorum, quæ ſibi diripuerunt, ita ut ferendo non eſſent, & per triduum quidem prædam rapuerunt, quia erat ingenti copiâ.

26. Quarto verò die, convenerunt in vallem benedictionis; nam illic benedixerunt Jehovæ, quamobrem vocarunt locum illum vallem benedictionis; *quomodo* etiamnum hodie *vocatur*. 27. Dein reverſi ſunt viri omnes Judæ & Jeroſolimæ, & præibat quidem Joſaphatus Jeroſolimam redeuntibus, cum hilaritate, quia Jehova lætitiam iis ex hoſtibus ſuis conceſſerat. 28. Ingreſſi ſunt ergo Jeroſolimam, cum nabliis, citharis & tubis, *ac ſe* in Ædem Jehovæ *contulerunt*.

29. Incubuit deinde pavor Jehovæ omnibus terrarum regnis, cùm audirent Jehovam pugnaſſe cum hoſtibus Iſraëlis. 30. Quievit interea regnum Joſaphati, poſtquàm Deus ei quietem circumquaque conceſſiſſet. 31. *Sic* regnavit Joſaphatus in Judam, & quinque quidem ac triginta annos natus erat, cùm regnare inciperet. Viginti quinque annis regnavit Jeroſolimæ, matrique ejus Hazubæ, filiæ Silchis, nomen fuit.

32. Sequutus eſt viam patris ſui Aſæ, nec ab ea receſſit, ita ut fecerit quod placet Jehovæ. 33. Attamen excelſa loca amota non ſunt, nec dum populus animum appulerat ad Deum Majorum ſuorum. 34. Reliquæ autem res geſtæ Joſaphati, cùm primæ, tum poſtremæ, ſcriptæ ſunt in verbis Jehui, Chananis filii, quæ libro Regum Iſraëlis inſerta ſunt. 35. Poſtea ſocietatem iniit Joſaphatus, Rex Judæ, cum Achazja Rege Iſraëlis, qui peſſimè ſe geſſit; 36. ſocietatem, *inquam*, cum illo iniit ad faciendas naves quæ Tharſiſum irent, & eas quidem fecerunt Hetsjon-geberi. 37. Tum verò vaticinatus eſt Elihezer, Dodavahui filius, è Mareſa, contra Joſaphatum his verbis: quia ſo-

Et cæſi ſunt] Dubium eſt an hoc referendum verbum ſit ad inſidiatores, an verò ad eos qui inſidiis excepti ſunt. Poteſt enim fieri ut Idumæi aliis inſidiantes ipſi cæſi fuerint, aut etiam ut Hammonitas primum ceciderint, deinde ab iis vice verſâ cæſi.

23. *Conſtiterunt verò* &c.] Cùm deprehendiſſent Idumæos malâ fide ſe ſe gerere, ex inſidiis quas iis poſuerant. Tacente Scriptura de circumſtantiis, certi nihil proferri poteſt. Hoc unum liquet, cæſis Idumæis, inter Hammonitas & Moabitas natas eſſe diſcordias.

Ut eos ad internecionem delerent] להחרים ולהשמיד *lehabbarim oulehaſmid*, ad delendum & perdendum; nempe, Idumæos.

Adjuverunt ſe invicem &c.] *Juverunt quiſque in proximum ſuum ad delendum.*

24. *Ad ſpeculam*] המצפה *hammitspheh*. Sic dicitur editus locus, aut alta turris, unde viciniam deſpicere licebat. LXX. Intt. ἐπὶ τὴν σκοπιάν. Vulgatus, *ad ſpeculam.*

Nec quiſquam erat ſuperſtes] אין פליטה *nulla evaſio*; quia ſuperſtites omnes aufugerant.

25. *Vaſorum pretioſorum*] כלי חמדות *chle hhamudoth*, vaſa deſideriorum.

27. *Præibat Joſaphatus*] *Et Joſaphat in capite eorum.*

29. *Pavor Jehovæ* &c.] Non auſi ſunt vicini cultores tam potentis Dei invadere, quòd ſibi ab ejus ultione metuerent.

31. *Viginti quinque*] Vide Tabulas Chronologicas.

33. *Nec dum populus*] Hoc eſt, univerſus populus; nam alioqui permulti à temporibus Aſæ juraverant in leges Moſaïcas, nec id fucato animo. Vide Cap. XV, 12. & ſeqq.

34. *Quæ libro Regum Iſraëlis* &c.] אשר הֹעֲלָה על ספר *qui factus eſt adſcendere in librum*; hoc eſt, cujus liber inſertus eſt Ephemeridibus Regum Iſraëlis. LXX. Intt. ὃς κατέγραψε βιβλίον Βασιλέων Ἰσραήλ. Legerunt in Hiphil הֶעֱלָה *fecit adſcendere*, ſed poſitâ hac lectione, ſenſus eſſet *qui inſeruit in librum Regum Iſraëlis*, quem ſenſum expreſſit Vulgatus, his verbis: *quæ digeſſit in libros Regum Iſraël.* Itaque incommodè Græci verterunt; paullò commodiùs Vulgatus. Sed malim hoc ita intelligere, ut liber Jehui ſit, à ſcriptoribus Ephemeridum regum Iſraëlis, inſertus ei operi. Quòd ſi quis quæſiverit, an Propheta Jehuus fuerit ὑπομνηματογράφος Regum Iſraëlis, negare non dubitabimus, quia Reges Idololatræ ejuſmodi muneri non præficiebant Prophetas. Non diſſimulabimus tamen hanc fuiſſe ſententiam Chaldæi Interpretis, qui habet hîc: די אתמנא לבלר על ספר דוכרניא למלכיא רבית ישראל *qui præfectus fuit ut eſſet à commentariis libro memoriæ Regum domûs Iſraël.* Sed הֹעֲלָה עַל סֵפֶר minimè ſignificat, *præfectus fuit libro*, verùm *inſertus eſt libro.* Iterum fortè quæretur quænam fuerit ratio, cur liber Jehui Prophetæ insereretur Ephemeridibus Regum Iſraëlis. Cujus rei nulla alia ratio reddi poteſt, niſi quòd in eo libro multa eſſent ad Regnum Iſraëlis pertinentia ſcripta; qua de cauſa inſertus fuerat commentariis publicis rerum, quæ apud Iſraëlem contigerant, aut ſingulari quapiam de cauſa nunc nobis ignota.

35. *So-*

Digitized by Google

ſocietatem iniviſti cum Achazja, *ideò* Jehova opera tua dirupit, navéſque fractæ ſunt, nec potuerunt Tharſiſum ire.

XXI. Joramus Joſaphato patri ſuccedit, occiditque fratres & in Idololatriam prolabitur. Idumæos, qui defecerant, fruſtra in officium redigere conatur, multóſque alios hoſtes habet, tandémque morbo abſumtus ſepelitur, ſed non inter Reges.

1. OBDORMIIT Joſaphatus, cum Majoribus ſuis, & cum iis quidem ſepultus eſt, CAPUT
in urbe Davidis, regnavitque ejus loco Jehoramus ejus filius. 2. Et fratres XXI.
erant, Joſaphati filii, Hazarja, Jechiel, Zecharja, Michael & Sephatja. Hi
omnes filii fuere Joſaphati Regis Iſraëlis. 3. Donaverat autem eos pater donis mul-
tis argenti, auri, rerúmque pretioſarum, cum urbibus munitis in Juda; ſed regnum
dederat Jehoramo, quia maximus erat natu. 4. Cùm verò ſucceſſiſſet in regnum pa-
tris ſui, & ſe ſe confirmaſſet, gladio omnes fratres ſuos, & *nonnullos* etiam è princi-
pibus Iſraëlis occidit. 5. Duos & triginta annos natus erat Jehoramus, cùm cœpit
regnare, & octo quidem annis regnavit Jeroſolimæ. 6. Inſtitit viæ Regum Iſraëlis,
quemadmodum fecerat familia Achabi, quia uxor ejus fuit filia Achabi, fecitque
quod diſplicet Jehovæ. 7. Attamen noluit Jehova delere ſamiliam Davidis, propter
fœdus quod fecerat cum Davide, & quia dixerat ſe illi, poſteriſque ejus perpetuam
lucernam daturum.
8. Temporibus ejus defecit Idumæa, ne in poteſtate Judæ eſſet, conſtituitque ſibi
Regem. 9. Eò verò ſe contulit Jehoramus, cum ducibus ſuis & currubus omnibus.
Surrexit autem noctu, & concîdit Idumæos, qui eum circumvenerant, omnéſque cur-
ruum duces. 10. Attamen defecit Idumæa, ne eſſet in poteſtate Judæ, *cui nec* ad ho-
diernum diem *paret*. Libna etiam ab illo eo tempore defecit, quia Jehovam Deum
Majorum ſuorum reliquerat. 11. Fecit quoque ille excelſa loca, in montibus Judæ, ef-
fecitque ut ſcortarentur incolæ Jeroſolimæ, & *ad idem facinus* Judam impulit. 12. Ve-
nerunt autem ad eum litteræ ab Elia Propheta, his verbis *conceptæ:* ſic dixit Jehova
Deus

35. *Societatem iniit*] De navigatione Ophirenſi. Videtur primùm iniiſſe ſocietatem, quod cùm ei à Propheta exprobratum eſſet, ſocietatem abrupit. Hîc de inita Societate ſermo eſt, at 1. Reg. XXII, 50. [illegible]e abrupta.

In CAPUT XXI.

3. *QUia maximus erat natu*] Perpetuum tamen hoc non fuit, ut liquet exemplo Davidis, & Robohami, qui minoribus natu regnum reliquerunt.

4. *Cùm verò ſucceſſiſſet in regnum patris*] *Et ſurrexit Jehoram ſuper regno patris.*

6. *Quod diſplicet Jehovæ*] *Malum in oculis Jehovæ.*

7. *Perpetuam lucernam*] *Lucernam omnibus diebus.* Vide ad 2. Sam. XXI, 17.

8. *Defecit Idumæa*] Nam ſub Joſaphato, paruerat Idumæa præfecto ab eo conſtituto. Vide 1. Reg. XXII, 48.

9. *Eò vero ſe contulit*] *Et tranſiit.*

Eum circumvenerant] *Edomum circumeuntem ad eum.*

10. *Ne eſſet in poteſtate Judæ*] *E ſub manu Judæ.*

Cui nec ad hodiernum diem] Hoc eſt, cui numquam poſtea paruit.

Libna] Vide 2. Reg. VIII, 22.

11. *Fecit ut ſcortarentur*] ויזן *vajjezen.* Ad Idololatriam compulit. Vide ad Exod. XXXIV, 15.

12. *Litteræ ab Elia Propheta*] מכתב מאליהו *ſcriptum ab Elia.* Atqui Elias Propheta jam in cœlum raptus fuerat, tempore Joſaphati. Vide 2. Reg. II, 11. & ſeqq. Sunt ergo inter Judæos & Chriſtianos, qui Prophetam è cœlo, ſedibúſque felicitatis, in quibus eſt, litteras ad Joramum ſcripſiſſe cenſent, eáſque ab Angelis ad Regem allatas. Sed cùm non ſit credibile ſingulare prorſus factum eſſe miraculum, in gratiam Regis Idololatræ, qui habebat Moſem & Prophetas; qui, ex ſententia Chriſti, ſatis eſſe debebant iis qui hanc mortalem vitam agebant, ut ex eorum Scriptis doctrinam ſalutarem haurirent, ita ut non opus eſſet mortuos exciturí, aut litteras è beatitudinis ſedibus adferri, ad eos ad ſaniorem mentem revocandos. Nec ſanè Deus ita ſe, erga homines, gerere ſolet; & facilè fraudi hîc locus eſſe potuiſſet. Itaque alii putant haſce litteras ab Elia, dum apud homines viveret, ſcriptas, quòd ſpiritu prophetiæ præviderct fore ut Joſaphati filius in Idololatriam delaberetur; eáſque ab Elia diſcipulo cuidam ſuo traditas, additis hiſce mandatis, ut eas ferret ad Joramum, Joſaphati filium, cùm videret eum à veri Dei cultu defeciſſe. Sed & hoc quoque parum veriſimile eſt; prophetæ enim mittebantur ad eos qui ipſorum tempore vivebant, ut mandata Dei iis exponerent, non ad ſcribendas litteras, quæ poſtquàm demum ex hac mortali vita migraſſent traderentur. Ideò unaquæque ætas ſuos Prophetas habuit, ut hæc Eliſæum, Magiſtro Eliæ nequaquam poſtponendum. Quamobrem non alienus ſim à ſententia ejus, qui putaret hîc primùm à Scriptore Sacro ſcriptum fuiſſe מאלישע *meEliſchah*, ab Eliſæo, deinde fugientibus duabus litteris poſtremis, à librariis,
tem-

Deus Davidis progenitoris tui: quia non inſtitiſti viis Joſaphati patris tui, viiſque Aſæ
Regis Judæ; 13. ſed ſequutus es viam Regum Iſraëlis, adduxiſtique Judam & inco-
las Jeroſolimæ ad ſcortandum, quemadmodum familia Achabi *Iſraëlitas* ad ſcor-
tandum impulit, & fratres tuos, ſamiliam patris tui, te meliores, occidiſti; 14. en
Jehova ingentem plagam infliget populo tuo, liberis tuis, uxoribúſque tuis, & om-
nibus tuis opibus. 15. Tu verò *mulctaberis* morbis magnis, & morbo *præſertim* inteſ-
tinorum, donec biennio pòſt, præ morbo, exeant inteſtina tua.

16. Concitavit etiam Jehova, contra Jehoramum, animum Philiſthæorum & Arabum,
qui ſunt juxta fines Chuſæorum. 17. Itaque expeditionem ſuſceperunt in *terram* Ju-
dæ, & in eam irruperunt, indéque avexerunt omnes regiæ familiæ opes, quæ inventæ
ſunt, imò etiam liberos ejus & uxores, nec ullus ei ſuperfuit filius, præter Jehoacha-
zum, qui filiorum ejus natu minimus erat. 18. Poſt hæc omnia Jehova plagam inflixit
ei in inteſtinis, morbò qui non potuit curari. 19. De die in diem *ægrotavit graviùs*,
& cùm exacti eſſent duo anni, exiverunt ejus inteſtina ex morbo, mortuúſque eſt
gravibus morbis. Nec combuſſerunt ei populares *aromata*, quemadmodum Majo-
ribus ejus combuſta fuerant. 20. Triginta duos annos natus erat, cùm regna-
re cœpit, & octo quidem annis regnavit Jeroſolimæ, nec ullum ſui deſiderium re-
liquit, ſepelieruntque eum in urbe Davidis, ſed non in ſepulcris Regum.

XXII. Acha-

tempora non ſatis attendentibus, ſcriptum מאליהו *meElijahon*, ab Elia. Sic ex ſententia doctiſſimorum Interpretum Act. VII, 16. legitur *Abraham* pro *Jacob*; nec ulla eſt ratio cur veteres librarios Judæos aut doctiores, aut accuratiores fuiſſe ſtatuamus, quàm eos qui Novum Teſtamentum exſcripſere; niſi Judæi pro Chriſtianis ſimus. Vero ſimilior videtur eſſe & facilior intellectu ejuſmodi corruptio exemplarium antiquorum, quàm eorum ſententia qui nobis hic fingunt alterum Prophetam, qui Elias vocaretur, & his temporibus viveret.

13. *Ad ſcortandum*] Ad colendos alienos Deos. Vide ad vſ. 11.

14. *Plagam infligat populo tuo* &c.] Aut quia factum Jorami non improbarant, vel etiam adjuverant; aut ſi non adjuverant, neque probarant, vitam quam dederat iis ademit Deus, paullò citiùs quàm feciſſet, non ut de iis, ſed ut de Rege Judæ, ad quem pertinebant, pœnas ſumeret.

15. *Tu verò mulctaberis*] וְאַתָּה בָּחֳלָיִם *Et tu in morbis.* Supplendum verbum תנגף *thinnageph*, ex antecedentibus.

Morbo præſertim inteſtinorum] במחלה מעך *bemahhaleh mebeehu.* LXX. Intt. ἐν νόσῳ κοιλίας; intellexerunt ventris dolores. Vulgatus, *languore uteri tui*; ſed uterus mulierum eſt, non virorum. Præterea מעים *mehajim* ſunt *viſcera* & *inteſtina*, non venter, nec uterus.

Donec biennio pòſt &c.] Pro biennio eſt in Hebræis ימים על ימים *jamim hal jamim*, hoc eſt, anno ad annum accedente, ut liquet ex vſ. 19. & conſtat voce ימים *jamim* ſæpe annum ſignificari. Vide 1. Sam. I, 3. Multi ſunt inteſtinorum morbi, ut docuerunt Medici, & inter alios *Cornelius Celſus* de Medicina Lib. IV. c. 11. & ſeqq. Sed cùm hic ſermo ſit de ejuſmodi eorum morbo, cujus finis fuerit eruptio inteſtinorum ex ventre, ſi naturali morbo uſus ſit Deus, ad impium hunc Regem perdendum; duplex eſt potiſſimum morbus, quo inteſtina ejus erumpere potuerunt. Alter eſt ani ἔκπτωσις, quæ fit aut relaxatione muſculi ſphincteris, aut difficili excrementorum egeſtione. Cum hoc morbo poſſunt eſſe conjuncta moleſta ſymptomata doloris, inflammationis, corruptionis inteſtinorum, fiſtulæ putris, quæ in ano oriatur, & aliorum, quibus tandem morbus artem medicam ſuperet. Alter eſt qui dicitur τεινεσμός, in quo frequens eſt, ut docet *Celſus* Lib. IV. c. 18. deſidendi cupiditas; æquè dolor, ubi aliquid excernitur. Deſcendunt autem pituitæ, muciſque ſimilia, interdum etiam leviter ſubcruenta. Hic quidem morbus, ut & ſuperior, neque acutis, neque longis morbis adnumeratur; cùm facilè tollatur, ut idem docet Medicus, neque per ſe jugulet. Sed ſi hi morbi frequenter redeant, & cum ſymptomatibus periculoſis conjuncti ſint, tandem fiunt lethales. Itaque irâ divinâ factum eſt, ut poſtquàm Joramus per biennium his, aut ſimilibus morbis frequenter laboraſſet; tandem, iis auctis, inteſtina eruperint, & mortuus ſit.

16. *Concitavit animum*] *Excitavit ſpiritum*; hoc eſt, animum excutiendi Judæ Regis jugi injecit.

Philiſthæorum] Qui tributum pependerant Joſaphato, ut videmus 2. Ephem. C. XVII, 11. & qui iterum ſubacti fuerunt ab Huzzija, Cap. XXVI, 7.

Arabum qui ſunt juxta fines &c.] והערבים אשר על יד כושים, *Arabes qui ſunt ad latus Chuſæorum.* Chuſæi ut diximus ad Cap. XII, 3. ſunt Madianitæ, qui ſedes in ingreſſu Arabiæ Felicis habebant. Itaque intelliguntur Arabes, qui Arabiam Petræam incolebant, & qui à Philiſthæis, oram maris Mediterranei ad auſtrum Chananæis obtinentibus, remoti non erant.

18. *Qui non potuit curari*] לאין מרפא *nullius curationis.*

19. *De die in diem*] *Et fuit in dies de diebus*; hoc eſt, paullatim graviùs ægrotavit. Poſſet etiam verti *ex anno in annum*, ut ſit idem ac מימים ימימה *mijjamim jamimah.*

Cum exacti eſſent duo anni] *Secundùm tempus, quo exiit finis dierum duorum annorum.*

Exiverunt] Vide ad vſ. 15.

Nec combuſſerunt ei &c.] *Nec fecerunt ei populus ejus combuſtionem, inſtar combuſtionis patrum ejus.* Vide not. ad Cap. XVI, 14.

20. *Triginta duos annos*] בן שלשים ושתים *filius triginta duorum.* Subaudiendum שנה ſchanah,

XXII. Achazias ſuccedit regno & vitiis Jorami, occiditúrque cum fratribus à Jehuo. Quo occiſo, Hathalia mater ejus, trucidatâ omni ſtirpe Regiâ, præter Joaſum, regnum invadit.

1. LOco ejus incolæ Jeroſolimæ Achazjam, minimum ejus natu filium, Regem con- Caput
ſtituerunt; omnes enim majores natu occiderat prædonum agmen, quod ve- XXII.
nerat cum Arabibus in caſtra; regnavitque Achazja Jorami, Regis Judæ, filius.
2. Quadraginta duos annos natus erat Achazja, cùm regnare cœpit, & per annum
unum Jeroſolimæ regnavit. Matri ejus, filiæ Homris, nomen fuit Hathaliæ.
3. Hic quoque inſtitit viæ familiæ Achabi, quia mater ejus conſilium ei dedit, ut
reum illum redderet. 4. Itaque fecit quod diſplicet Jehovæ, inſtar familiæ Achabi; illi
enim homines ei fuerant conſiliarii, poſt mortem patris, ut eum perderent. 5. Ex il-
lorum etiam conſilio profectus eſt & ivit cum Jehoramo, Achabi filio, Rege Iſraëlis, ut
bellum gereret cum Chazaële, Aramæorum Rege, ad Ramothas Galahaditidis, ubi
Aramæi Joramum vulnerarunt.
6. Reverſus deinde *hic* eſt, ut curaretur Jizrëhele, *erant* enim ei vulnera inflicta ad
Ramothas, quando cum Chazaële Syrorum Rege pugnaverat. Hazarja etiam Jehorami,
Regis Judæ, filius, inviſit Jehoramum, Achabi filium Jizrehelem, *ibi* enim decumbebat.
7. A Deo *profecta* erat ſecuritas Achazjæ, ut inviſeret Joramum; cùm enim *eò* iviſſet,
egreſſus eſt ad Jehuum, Nimſis filium, quem unxerat Jehova ad exſcindendam Acha-
bi familiam. 8. Cùm ergo pœnas repeteret Jehuus ex familia Achabi, invenit princi-
pes

nah, *annorum*. Regnavit octo annis, ac proinde mortuus eſt annos quadraginta natus; nec proinde potuit habere ſucceſſorem quadraginta annorum, niſi longum fuiſſet interregnum, quod nullum fuit. Vide Cap. XXII, 2.

Nec ullum ſui deſiderium &c.] *Abiit ſine deſiderio*; quòd ob crudelitatem & infelicitatem, inviſus omnibus eſſet, qua de cauſa, ſepulcris regiis non eſt illatus.

In Caput XXII.

1. *OMnes enim natu majores* &c.] ראשנים riſchonim, *primos*, ſeu priùs natos.

In caſtra] Philiſthæorum, ad quæ dum prædonum cohors contenderet, incidit in Regis Jehorami filios, quos omnes occidit. Fortè Jeroſolimâ fugiebant adoleſcentes, ut in tutiorem locum ſe conferrent.

Achazja] Vide ad vſ. 6.

2. *Quadraginta duos annos* &c.] ארבעים ושתים שנה *arbahim ouſchethajim ſchanah*. At 1. Reg. VIII, 26. dicitur Achazja natus fuiſſe *viginti duos annos*, cùm cœpit regnare, quod confirmatur Capitis ſuperioris vſ. 20. ubi docemur Achazjæ patrem Jehoramum triginta duos annos natum fuiſſe, cùm regnare cœpit & regnaſſe octo annis, ita ut quadraginta annos natus mortuus ſit. Ac proinde non potuit relinquere filium quadraginta duos annos natum, qui ſibi ſuccederet. Itaque *Joannes Deodatus* & *Joan. Piſcator* ſuſpicantur hîc aliquid mendoſi eſſe in numeris, quod cenſet etiam *Lud. Cappellus* Crit. Sacr. Lib. VI. cap. VII, 7. Credibile eſt pro כב ſcriptum מב, cùm numeri litteris ſignarentur. Talia menda in omnis generis Scriptoribus inveniuntur, ut rectè obſervavit *Job. Ludolfus*, in Comment. ad Hiſtoriam Æthiopicam Lib. I. num. 28. Vide & *Jac. Uſſerium* Chron. Sacræ P. 2. pag. 78. Edit. Brem. ubi & alii viri docti ſimilia ſentientes appellantur.

Filiæ Homris] Hoc eſt, neptis, nam Achabi erat filia. Vide ad 2. Reg. VIII, 26.

3. *Ut reum eum redderet*] להרשיע lebarſchiah. Subaudiendum אותו *illum*. Senſus eſt, ut violaret leges divinas, adeóque reus apud Deum fieret.

4. *Illi enim homines*] המה *hemmah*. Referendum ad homines familiæ Achabi.

5. *Cum Jehoramo* &c.] Avunculo ſuo.

Ubi Aramæi Joramum &c.] ויכו הרמים את יורם *vajjacchou harammim eth Joram*. Legendum videtur ארמים aut הארמים, ſic enim conſtanter ſcribitur Syrorum nomen. Sic legimus 2. Reg. VIII, 28. Sic Vulgatus *Syros* hîc habet, & Chaldæus ארמאי *aramae*. At LXX. verterunt τοξότας, quaſi legiſſent הרמים *jaculatores*.

6. *Erant enim ei vulnera inflicta*] כי המכים chi hammacchim, *nam vulnera, quibus vulneraverant eum*. At 2. Reg. VIII, 29. eſt מן המכים min hammacchim, *à vulneribus*. Quod præfert *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. I. Cap. XI, 3. ac ſanè mollior eſt verborum ſtructura.

Ad Ramothas] ברמה *bramah*, in ſingulari, cùm plerúmque dicatur רמות *Ramoth*. Sed & ſingulari numero dicitur *Ramath-mitſphe* Joſ. XIII, 26.

Hazarja etiam &c.] Idem qui *Achazjah*, & inverſis vocibus ſimplicibus, quibus hoc nomen conſtat, *Jehoachaz* ſupra XXI, 6. Exiſtimat *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. VI. cap. VII, 8. lapſum hîc eſſe librariorum ex nominum ſimilitudine, quia in ſequentibus conſtanter vocatur Achazja. LXX. certè Intt. habent hîc Ὀχοζίας, ut & Vulgatus; ſed neſcio an ex conjectura.

7. *Securitas*] תבוסת *thbouſath*, propriè *conculcatio*; ut intelligatur conculcaſſe, hoc eſt, ſpreviſſe rationes quæ ſuadebant ut in regno ſuo maneret, & ſecurus in regnum Iſraëlis iviſſe. LXX. Intt. habent καταστροφή.

Egreſſus eſt ad Jehuum] Vide 2. Reg. IX, 21.

8. *Cùm pœnas repeteret*] ויהי כשפט *Et fuit in judicando*. *Judicare* eſt punire, ubi de reis ſermo eſt. Vide Cap. XX, 9.

pes *aliquot* Judæ, filióſque fratrum Achazjæ, ei miniſtrantes, eóſque occidit. 9. Quæ-
ſivit & Achazjam, quem comprehenderunt (nam latebat Samariæ) adduxerunt ad
Jehuum, occiderúntque & ſepelierunt; eſt enim, inquiebant, nepos Joſaphati, qui
toto animo Jehovam quæſivit. Nemo autem erat domui Achazjæ, qui vim imperii re-
tinere poſſet; 10. cúmque Hathalia, Achazjæ mater, filium ſuum mortuum eſſe vide-
ret, ſurrexit, & perdidit omnem ſtirpem regiam domûs Judæ. 11. At Jehoſabehatha,
Regis filia, ſumſit Joaſum, Achazjæ filium, cúmque ſubripuit è mediis filiis Regis qui
erant interfecti, & collocavit eum ac nutricem ejus in conclavi lectorum; tum eum ab-
didit Jehoſabehatha, filia Regis Jehorami, uxor Jehojadæ Sacerdotis (nam erat ſoror
Achazjæ) ne eum videret Hathalia; nec *puerum* interemit. 12. Fuit cum illis in Æde
Dei, abditus per ſex annos, dum Hathalia terræ imperitaret.

XXIII. Jehojada Joaſum Regem, faventibus principibus Judæ, ungit, & Hathaliam occidit. Tum fœdus inter Deum & populum renovat, Regémque in throno ſuo collocat.

CAPUT XXIII.

1. VERUM anno ſeptimo confirmavit animum Jehojada, & centuriones Ha-
zarjam, Jerochami filium, Iſmahelem Jochananis filium, Hazarjam Hobedi
filium, Mahaſejam Hadajæ filium, & Eliſaphatum Zichris filium fœdere ſibi
adjunxit. 2. Hi circumiverunt Judam & coëgerunt Levitas ex omnibus Judæ urbibus,
principes *familiarum* patriarum Iſraëlis, qui venerunt Jeroſolimam. 3. Tum totus cœ-
tus fœdus iniit cum Rege, in Æde Dei, dixit enim illis *Jehojada:* en Regis filium,
quem regnare oportet, prout Jehova de poſteris Davidis pollicitus eſt. 4. Hoc autem
eſt quod facietis. Tertia quidem veſtri pars, cùm Sacerdotum, tum Levitarum, in-
gredietur die Sabbathi, ad cuſtodienda limina. 5. Tertia verò pars ad Regiam, ter-
tia denique ad portam fundamenti *conſiſtet*, dum totus populus in atriis Ædis Jehovæ
erit. 6. Ne quis ingrediatur Ædem Jehovæ, præter Sacerdotes, qui miniſterio fun-
guntur, & Levitas; hi *demum* ingrediantur quia ſunt conſecrati, *reliquus* verò omnis
populus obſervet quod obſervari voluit Jehova. 7. Cingant autem Levitæ Regem un-
dequaque, quiſque cum armis ſuis, quæ manu geſtet. Quiſquis ingredietur Ædem,
morte afficiatur. At vos eſtote cum Rege, cùm ingredietur & cùm exibit. 8. Ita ſe
per omnia geſſerunt Levitæ & univerſus Juda, ut præceperat Jehojada Sacerdos. Quiſ-
que adſumſit viros quibus præerat, inchoantes Sabbatho *miniſterium*, cum iis qui Sabba-
tho eo egrediebautur, neque enim Jehojada Sacerdos claſſes dimiſerat. 9. Inſtruxit au-
tem Jehojada Sacerdos centuriones haſtis, clypeis & peltis quæ fuerant Regis Davidis,
&

Filios fratrum] Vide 2. Reg. X, 13. ubi *fratres*. Sed ea vox quoſvis conſanguineos & affines paſſim ſonat. Achazjæ fratres, certè ex legitimo matrimonio nati, omnes fuerant occiſi. Vide Cap. XXI, 13. XXII, 1.

9. *Quæſivit* &c.] Hæc paullò aliter narrantur 2. Reg. IX, 27. & ſeqq.

Quem comprehenderunt] In hiſtoria Regum dicitur Jehuus adſequutus eſſe Achazjam fugientem & juſſiſſe eum in curru occidi. Sed nihil vetat comprehenſum & confoſſum in curru, deinde dimiſſum.

Nam latebat Samariæ] Per occulta itinera fugiebat in regno Samaritico, vel cujus Samaria erat Metropolis; nam alioqui procul à Samaria occiſus eſt Achazja.

Sepelierunt] Non iidem, ſed ipſius miniſtri, & quidem Jeroſolimæ. Itaque *ſepelierunt* hîc perinde eſt, ac paſſi ſunt ſepeliri.

Nepos Joſaphati] *Filius Joſaphati*. *Filii* quivis poſteri dicuntur, & *filia* neptem ſonat vſ. 2.

Qui vim imperii retinere poſſet] לעצר כח לממלכה *ad continendam vim regni*. Filium nullum adultum habebat, qui poſſet rerum habenas capeſſere & ſibi reverentiam conciliare.

11. *Jehoſabehatha*] יהושבעת, quod ſcribitur 2. Reg. XI. יהושבע *Jehoſebah*.

Et collocavit] ותתן *vatthitthen*. Vox hæc omiſſa eſt 2. Reg. XI, 2. nec quiſquam certò dixerit rectiúſne omittatur, an addatur. Malim omitti.

In CAPUT XXIII.

1. *COnfirmavit animum* &c.] התחזק hithhazzek, *confirmavit ſe*; hoc eſt, animoſior & audacior factus eſt.

Centuriones — fœdere ſibi adjunxit] *Et ſumſit duces centuriarum — ſecum in fœdere.*

Hazarjam] Præfixum eſt ל huic nomini & ſequentibus, ויקח את שרי המאות לעזריהו, cùm ex ſolita conſtructione deberet præfigi ſingulis את nota accuſativi. Sed tamen ל etiam accuſativum antecedit, ut oſtendit *Chr. Noldius*.

4. *Limina*] ספים *ſipphim*; limina, nempe, januarum, de quibus 2. Reg. XI, 6. & aliarum, quæcumque in Templo fuerunt, ne qui Hathaliæ favebant irrumpere poſſent.

5. *Januam fundamenti*] Vide ad locum 2. Reg. laudatum.

6. *Conſecrati*] *Sanctitas.*

Obſervet quod obſervari voluit] *Obſervent obſervationem Jehovæ.*

8. *Viros quibus præerat*] *Viros ſuos.* Gallicè, *ſes gens.*

In-

& quæ in Æde Dei erant. 10. Collocavit verò univerſum populum, cujus unuſquiſ-
que telum manu gerebat, à latere Ædis dextro, uſque ad latus ſiniſtrum, ad altare,
ad Ædem, apud Regem circumquaque. 11. Tum produxerunt filium Regis, eique im-
poſuerunt coronam & inſignia, ac Regem eum conſtituerunt & unxerunt Jehojada ejúſ-
que filii, dixerúntque: vixat Rex!

12. Cùm verò Hathalia audiſſet ſtrepitum populi concurrentis & Regem laudantis,
ad populum venit, in Ædem Jehovæ; 13. *ubi* vidit Regem ſtantem ad ſuam columnam,
in introitu, duces & tubas juxta Regem, populúmque terræ hilarem & clangentem tu-
bis, & cantores, peritóſque cantûs inſtrumentis muſicis *canentes*; laceravítque Hathalia
veſtes ſuas; &, conjuratio, inquit, conjuratio. 14. Tum emiſit Jehojada Sacerdos
Centuriones, exercitui præfectos; quibus, educite illam, inquit, extra ordines, &
ſi quis eam ſequatur gladio occidatur. Dicebat enim Sacerdos, ne eam interficiatis *in-
tra* Ædem Jehovæ. 15. Itaque ei injecerunt manus, cúmque perveniſſet ad introitum
januæ equorum Regiæ, illic eam interfecerunt.

16. Pepigit deinde Jehojada fœdus inter ſe, intérque univerſum populum & Regem,
ut eſſent populus Jehovæ. 17. Tum ingreſſus univerſus populus Ædem Bahalis, eam
diruit, altariáque ejus & ſimulacra confregit, ac Matthanem Bahalis Sacerdotem an-
te altaria occidit. 18. Reſtituit verò Jehojada præfecturas Ædis Jehovæ, per Sacer-
dotes Levitas, prout eas diviſerat David, ad offerenda holocauſta Jehovæ, quemad-
modum ſcriptum eſt in lege Moſis, cum hilaritate & canticis, ad præſcriptum Davi-
dis. 19. Reſtituit & janitores januis Ædis, nec ulla ratione ingrediebatur immundus.
20. Deinde adſumtis Centurionibus, viriſque illuſtribus, imperiúmque apud populum
obtinentibus & univerſo populo terræ, deduxerunt Regem ex Æde Dei, & ingreſſi
ſunt per januam ſuperiorem regiæ, *ubi* Regem in ſolo regio collocarunt. 21. Lætatus
verò eſt univerſus populus, & cum Hathaliam gladio occidiſſent, urbs tranquilla fuit.

XXIV. Joaſus, vivo Jehojadâ, ſapienter & religioſè regnat; eo mortuo, in Idololatriam prolabitur, contemtis aut occiſis Prophetis. A Syris mox vincitur, ægérque à ſuis occiditur.

1. SEPTEM annos natus erat Joaſus, cùm regnare inciperet, & quadraginta quidem CAPUT XXIV.
annis Jeroſolimæ regnavit. Nomen matri ejus fuit Tſibiæ Beerſebenſi. 2. Fecit Joa-
ſus quod rectum Jehovæ videtur, per totam vitam Jehojadæ Sacerdotis. 3. Collo-
cavit ei Jehojada uxores duas; filióſque *is* & filias genuit. 4. Poſtea animum Joaſi ſubiit
cupi-

Inchoantes Sabbatho] *Ingredientes Sabbatho.*

Dimiſerat] פטר *phatar*, ut domum abirent, donec poſt viginti quatuor hebdomadas eorum vices redirent.

12. *Populi concurrentis*] העם הרצים *haham haratſim*, populi currentium, quod non immeritò præfert *Lud. Cappellus* Crit. Sac. Lib. I. c. IX, 10. lectioni 2. Reg. XI, 13.

13. *Ubi vidit Regem*] *Et vidit & ecce Regem.*

16. *Pepigit fœdus*] Hoc fœdus & alia id genus nihil fuerunt, præter ſollemnes promiſſiones Populi Hebræi, quibus jurabat ſe divinas Leges poſthac obſervaturum; pollicebatúrque, nomine Dei, Pontifex Maximus Deum quoque populo præſtiturum, eâ lege, quæcumque promiſerat.

Inter ſe] בינו *beno*. At 2. Reg. XI, 17. eſt בין יהוה *ben Jehovah*, inter Jehovam. Quod idem eſt, Pontifex enim, ut dixi, perſonam Dei gerebat. Verùm *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. I. c. VII, 5. contendit meliorem eſſe 2. Reg. lectionem, háncque natam ex ׳י בין, hoc eſt, בין יהוה. Sed nihil opus eſt, ut ex interpretatione allata liquet; virque eruditus interdum æquo pronior eſt ad variarum lectionum numerum augendum.

18. *Reſtituit*] וישם *& poſuit.* Sed cùm ſermo ſit de re antea inſtituta, inſtaurationem intelligi liquet. Quod tribuitur hîc Regi, adſcribitur Sacerdoti 2. Reg. XI. quia nihil fecit Sacerdos, niſi juſſu Regis.

19. *Ullâ ratione*] לכל דבר *ad omne verbum.* Neglectum antea hoc fuiſſe oportet, propter Jorami idololatriam.

20. *Deduxerunt*] יורד *jored*, deſcendere fecit. A Templo deſcendebatur ad viam aggeſtam שלכת *ſchallecheth*, ad occidentem Templi, ut de adſcenſus erat in regiam.

21. *Et cùm Hathaliam &c.*] *Et urbs quievit & interfecerunt Hathaliam gladio.* Cùm interfecta fuerit priùs Hathalia, quàm urbs quieſceret, rem, more Latino, inverſis verbis narravimus. Hebræi ordinis erant negligentiores, nec argutiùs ex ſolo ordine Hebraicorum verborum umquam eſt diſputandum.

In CAPUT XXIV.

2. *QUod rectum Jehovæ videtur*] *Rectum in oculis Jehovæ.*

Per totam vitam] *Omnibus diebus.*

4. *Animum Joaſi ſubiit*] *Fuit cum corde Joaſi.*

cupiditas inſtaurandæ Ædis Jehovæ. 5. Itaque convocavit Sacerdotes & Levitas, eiſque, egredimini, inquit, per urbes Judæ & colligite ex univerſo Iſraële pecuniam ad inſtaurandam Ædem Dei veſtri quotannis, & rem maturate. Attamen minimè feſtinarunt Levitæ. 6. Itaque vocavit Rex *eorum* principem Jehojadam, &, cur, inquit, non inquiſiviſti in Levitas, ut offerrent ex Juda & Jeroſolima munus Moſis ſervi Jehovæ à cœtu Iſraëlis, in uſum Tentorii Teſtimonii? 7. Improba enim Hathalia *&* ejus filii perruperant Ædem Dei, & omnia in Æde Jehovæ conſecrata Bahalum eſſe voluerant. 8. Igitur jubente Rege facta eſt arca, quam poſuerunt ad januam Ædis Jehovæ extrinſecus. 9. Tum proclamatum per Judam & Jeroſolimam, ut adferretur Jehovæ munus Moſis ſervi Dei, *quod impoſuerat* Iſraëli in deſerto. 10. Lætati verò ſunt omnes proceres, univerſúſque populus, & attulerunt *pecuniam*, quam injecerunt in arcam, donec impleretur. 11. Tempore ergo *hoc elapſo*, *Jehojada* curavit ferri arcam ad præfectos Regis, per manus Levitarum, cúmque viderent ſatis eſſe pecuniæ, veniebat ſcriba regius & præfectus Sacerdotis primarii, exhauſtáque arcâ, eam referebant, locóque ſuo iterum collocabant. Sic fecerunt, de die in diem, pecuniámque affatim collegerunt. 12. Deinde Rex & Jehojada eam numerarunt iis, qui faciebant opus quo indigebat Ædes Jehovæ; qui conduxerunt cæſores *lapidum* & fabros, ad inſtaurandam Ædem Jehovæ, fabróſque ferrarios & ærarios ad eam reficiendam. 13. Adlaborantibus verò iis, qui opus faciebant, perfecta eſt inſtauratio ad opus illud quod attinet, eorum manibus, reſtituerúntque Ædem Dei in ſuam integritatem, & eam firmarunt; 14. cúmque abſolviſſent, attulerunt coram Rege & Jehojada pecuniam quæ ſupererat; ex qua fecerunt *artſfices* vaſa in uſum Ædis Jehovæ, vaſa miniſterii, & oblationis, & lances, aurea vaſa & argentea. Deinceps holocauſta jugiter obtulerunt *Sacerdotes* in Æde Jehovæ, per omnem Jehojadæ vitam. 15. Sed cùm conſenuiſſet Jehojada, ſatúrque dierum eſſet,

5. *Quotannis*] מדי שנה בשנה *midde ſchanah baſſchanah*, ab anno in annum. Vide 1. Sam. VII, 16.

6. *Manus Moſis*] A Moſe inſtitutum, Exod. XXX, 12, 13. ubi mares omnes ſemi-ſiclum ſolvere jubentur.

7. *Et ejus filii* &c.] בניה *banaa*. Excidit littera ו *&*. Achazja & filii qui dicuntur occiſi Cap. XXI, 17.

Bahalum eſſe voluerant] *Fecerant Bahalum*, aut *Bahalibus*; hoc eſt, effecerant ut Bahalibus conſecrarentur, & in eorum fana transferrentur.

8. *Igitur jubente* &c.] *Et dixit Rex & fecerunt.*

Ad januam Ædis Jehovæ] 2. Reg. XII, 9. dicitur hæc Arca collocata fuiſſe *juxta altare ad dextram, quà quivis Ædem Jehovæ ingrediebatur.* Itaque *Janua Ædis* hîc videtur eſſe ingreſſus in Atrium Sacerdotum; & quod *extrinſecus* fuiſſe arca dicitur, id intelligendum ita ut arca illa eſſet in extrema ora Atrii Sacerdotum, attingerétque Atrium Iſraëlis.

9. *Tum proclamatum*] *Et dederunt vocem.*

Quod impoſuerat Iſraëli &c.] *Super Iſraël.*

11. *Ad præfectos Regis*] אל פקדת המלך *ad præfecturam Regis*; hoc eſt, ut rectè LXX. Intt. πρὸς τοὺς προστάτας τȣ̃ βασιλέως.

12. *Rex & Jehojada*] Non per ſe, ſed per alios.

Opus quo indigebat] מלאכת עבודה *opus miniſterii*. Intelliguntur Architecti & fabri peritiores, qui ceteris præerant. Vide 2. Reg. XII, 11.

13. *Adlaborantibus verò iis* &c.] *Et fecerunt facientes opus &* &c.

Perfecta eſt inſtauratio, ad opus illud quod attinet] ותעל ארוכה למלאכה *& adſcendit medela operis*, vel *quod adtinet ad opus*; hoc eſt, quidquid erat ruptum, aut collapſum, in muris ædificiorum Templi, id refectum eſt, nec quidquam, ad hoc quod ſpectat, faciendum ampliùs ſuperfuit. ארוכה *aroucha* propriè ſignificat *emplaſtrum*, quod in longitudinem extenditur, ut Jerem. VIII, 22. XXX, 17. deinde & quodvis medicamentum, ſeu remedium, adeóque medelam, ut ita loquar, quæ fit muris perruptis. Vide Nehem. IV, 1. Hinc & Vulgatus in hoc loco: *obducebatur parietum cicatrix*, ſervatâ metaphorâ. At LXX. Intt. ἀνέβη μῆκος τοῖς ἔργοις. Sed hanc loquutionem non intellexerunt, nam *adſcendere* ארוכה *arouchah* dicitur, cùm imponitur parti laboranti emplaſtrum. Vide loca Jeremiæ laudata.

Reſtituerúntque Ædem &c.] *Et conſtituerunt Ædem Dei in ſua conſtitutione & eam firmarunt.*

14. *Et oblationis*] והעלות *vahahaloth*, quod puto eſſe infinitivum conjugationis Hiphil, loco nominis. Exemplum infinivi pro nomine vide Cap. XX, 9. Intelliguntur itaque omnia vaſa, inſtrumentáve, quibus in Sacris faciendis utebantur. LXX. Intt. habent ὁλοκαυτωμάτων, quaſi legiſſent העלות *hahaloth*. Sequutus eos eſt Vulgatus, cùm habeat: *& ad holocauſta*. Alii *mortaria*, aut *piſtillos* vertunt, quo ſenſu occurrit עלי *heli* Proverb. XXVII, 22.

Jugiter obtulerunt] Mane & veſperi, nam hoc עולה תמיד *holocauſtum juge* vocatur.

15. *Centum triginta annos natus*] *Filius centum triginta annorum cùm moreretur.*

16. *Erga Iſraëlem* &c.] *Fecerat bonum in Iſraële & cum Deo & domo ejus.*

17. *Proſtraverunt coram Rege* &c.] Supplenda videtur hæc, aut ſimilis ſententia, ut liceret ſibi colere Deum, quem vellent. Mirum eſt Hebræos uſque adeò in ſuperſtitiones vicinorum pronos fuiſſe; cujus rei cauſas alibi inveſtigavimus.

Qui deinceps &c.] אז *az* pro מאז *meaz*.

18. *Sta-*

eſſet, mortuus eſt centum triginta annos natus. 16. Sepelierunt autem illum in urbe Da-
vidis, cum Regibus, quia erga Iſraëlem, Deúmque & ejus Ædem bene ſe geſſerat.
17. Poſt mortem verò Jehojadæ, venerunt principes Judæ, ſéque proſtraverunt co-
ram Rege; qui deinceps iis auſcultavit. 18. Tum relictâ Æde Jehovæ, Dei Majorum
ſuorum, coluerunt ſtatuas & ſimulacra; propter quod delictum in Judam & Jeroſoli-
mam *accenſa* eſt *Dei* ira. 19. Deinde miſit ad eos Prophetas, qui eos reducerent ad
Jehovam, quique eos obteſtati ſunt, ſed auditi non ſunt. 20. Spiritus verò Dei ſubiit
Zachariam, Jehojadæ Sacerdoris filium, qui apud populum, è ſuperiore loco ſtans, ei
dixit: ſic dixit Deus: cur violatis præcepta Jehovæ? Atqui proſperè non agetis, quia
deſeruiſtis Jehovam, vos autem ille viciſſim deſeret. 21. Conſpirarunt verò in illum,
eúmque lapidibus, juſſu Regis, in atrio Ædis Jehovæ, obruerunt. 22. Nec recorda-
tus Joaſus Rex benignitatis, quam pater ejus erga ipſum exercuerat, filium occidit; qui
cùm moreretur, dixit: videbit Jehova & pœnas repetet.
23. Anno verò vertente, venir contra Joaſum exercitus Aramæorum, qui ingreſſi
ſunt Judæ *terram* & Jeroſolimiranum *agrum*, ſuſtulerúntque duces omnes populi è me-
dio, & univerſam prædam miſerunt Damaſcum ad Regem. 24. Tametſi cum paucis
viris venerat exercitus Aramæorum, Jehova tamen in manum ejus tradidit maximum
exercitum; quia deſeruerant *Judæ poſteri* Jehovam, Deum Majorum ſuorum. Itaque
Aramæi à Joaſo pœnas ſumſerunt. 25. Cúmque ab eo abiiſſent, nam magno morbo
oppreſſum reliquerant, conſpirarunt contra eum ſervi ejus, propter cædem filiorum
Jehojadæ Sacerdotis, trucidarúntque hominem in lecto ſuo, & mortuus eſt. Sepelive-
runt autem eum in urbe Davidis, at non in ſepulcris Regum. 26. Hi autem contra
eum conſpiraverant, Zabadus filius Simhathæ Hammonitidis, & Jozabadus, Simri-
thæ Moabitidis filius. 27. Filii autem ejus, multáque in eum prolata vaticinia, &
in-

18. *Statuas*] אשרים *aſcherim*, de qua voce vide dicta ad 1. Reg. XIV, 15.

20. *Subiit Zachariam*] *Inanit Zachariam.*

Apud populum è ſuperiore loco] *Stetit deſuper populum.*

21. *In atrio Ædis Jehovæ*] Inter Templum & Altare, ut docemur Matth. XXIII, 35. ad hanc enim hiſtoriam ſpectare Chriſtus videtur, quamvis *Barachias* vocetur pater Zachariæ, nihil enim vetat Jojadam binominem fuiſſe; idque tunc vulgò fuiſſe notum iis, qui legerant Pontificum Maximorum notiſſimam Genealogiam. Fuit autem occiſus aut in Atrio Sacerdotum, aut in Atrio Iſraëlis, in ſpatio quod fuit inter Ædem & altare. Portento ſimilis videtur hæc mutatio Joaſi, qui primùm Dei cultui addictus, à cujus Sacerdotibus ſervatus fuerat, quorum etiam operâ regnum receperat, poſtea tamen ætate provectiore turpiter ad Idola defecit. Fortè tamen ejus mutationis cauſa fuere ipſi Sacerdotes, quorum mores muneri, quo fungebantur, non conveniebant, & alia quæ attigimus ad 2. Reg. XX, 21.

22. *Pœnas repetet*] *Quæret* ידרש *jidroſch*. Inquirere in ſcelera, eáque plectere perinde eſt, apud Judices legum obſervantes, & multò magis apud Deum. Eſt antecedens pro conſequente, ut cùm *judicare* & punire idem ſunt, quod paſſim occurrit. Vide Gen. IX, 5. XLII, 22.

23. *Anno verò vertente*] *In converſione anni adſcendit in eum.*

Jeroſolimitanum agrum] Sic vertimus, quia urbem ipſam non eſt ingreſſus. Vide 2. Reg. XII, 17, 18. & infrà C. XXVI, 6.

E medio] *E populo.*

24. *Tametſi*] כי *chi*. Ea particula non poteſt eſſe αἰτιολογικὴ, his enim verbis non continetur ratio ſuperiorum. Itaque *tametſi* vertimus, ut Deut. XXXII, 36. ubi vide notata.

Cum paucis viris] במצער אשים *bmitſhar anaſchim*. LXX. Intt. ἐν ὀλίγοις ἀνδράσι. Vulgatus: *cùm permodicus veniſſet numerus*. Obſervat *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. III. c. XVII, 12. hîc non conſentire Occidentales & Orientales Judæos; nam cùm Occidentales ita legant, ut diximus, Orientales habent במעצר *bmahatſar*, in coërcitione hominum; hoc eſt, ut vult vir eruditiſſimus, cum paucis, eodem cum Occidentalibus ſenſu; cùm enim coërcentur, ſeu prohibentur homines exire, vel ingredi; pauci tum exeunt, vel ingrediuntur. Sed dura hæc eſt lectio, & Hebraïcæ Linguæ ignota quam fingit loquutio, cùm prior ſit frequens. Nec ſanè magni pretii eſt illa Orientalium, Occidentaliúmque lectionem varietas.

Itaque Aramæi à Joaſo &c.] *Et cum Joas fecerunt judicia.*

25. *Magno morbo oppreſſum*] *In morbis magnis*, aut *multis*.

Filiorum Jehojadæ] Unius tantùm cædis mentio fit vſ. 21. ſed nihil obſtat & alios, fratris mortem ægrè ferentes, trucidatos fuiſſe.

26. *Zabadus filius Simhathæ*] זבד בן משעת *Zabad ben Simhath*. Vocatur hic יוזכר *Jozachar* 2. Reg. XII, 21.

Simrithæ] שמרית *Schimrith*. Loco hujus nominis, eſt ibidem שמר *Schomer*. Prius nomen ab initio decurtatus & mutatus hîc videtur; poſterius illic à fine mutilatus.

27. *Multaque in eum prolata vaticinia*] וְרֹב הַמַּשָּׂא עָלָיו. Legi volunt Maſſoretæ יִרֶב. LXX. Intt. mirè verterunt, cùm habeant καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ πάντες, καὶ συνῆλθον αὐτῷ πέντε, quaſi legiſſent וּבָנָיו כֻּלָּם וַיָּבֹאוּ חֲמִשָּׁה עָלָיו & *filii ejus omnes & venerunt quinque ad eum*. Vulgatus verò: *ac ſumma pecuniæ quæ adunata fuerat ſub eo*, quia מַשָּׂא *munus* ſignificat. Chaldæus quoque valdè impeditè: *Filii etiam ejus ejecerunt offerentes adſcendendo pro domo Judæ*. Punctationem textûs ac marginalem lectionem nullius eſſe pretii

 rectè

inſtauratio Ædis Dei ſcripta ſunt in hiſtoria libri Regum. Amatsja verò, filius ejus, loco ejus regnavit.

XXV. Amatſias Deum verum colit, eóſque, à quibus pater ſuus occiſus erat, è medio tollit. Conducit Iſraëlitas, qui bellum ſecum inferrent Idumæis, at iis remiſſis, conſilio Prophetæ, ſuis copiis vincit Idumæos, ſed eorum Idololatriam imitatur; quamobrem à Rege Iſraëlis, quem provocaverat, vincitur & à conjuratis occiditur.

CAPUT XXV. 1. VIGINTI quinque annos natus Amatsja regnare cœpit, & viginti novem annis Jeroſolimæ regnavit. Matri ejus, quæ Jeroſolimitana erat, nomen fuit Jehohaddani. 2. Fecit ille quidem quod rectum videtur Jehovæ, ſed non integro animo. 3. Cùm verò ei confirmatum eſſet regnum, ſervos ſuos, qui patrem ipſius occiderant, è medio ſuſtulit. 4. Filios tamen eorum non interfecit, quia, ſicut ſcriptum eſt in lege, in libro Moſis, præceptum dedit Jehova, his verbis: non morientur patres, propter filios; neque filii morientur, propter patres, nam unuſquiſque propter peccatum ſuum morietur.

5. Congregavit autem Amatsja Judam, conſtituitque, pro familiis patriis, Chiliarchos & Centuriones toti Judæ & Benjamini. Tum cenſum eorum egit, à viginti annos natis ad majores natu, invenitque trecenta millia delectorum, qui in exercitum exirent haſtâ & clypeo inſtructi. 6. Conduxit etiam ex Iſraële, centum talentis argenteis, centum millia fortium virorum. 7. Sed vir divinus eum convenit, his verbis: ô Rex, ne tecum veniat exercitus Iſraëlis, neque enim Jehova Iſraëlitis, qui omnes Ephraïmitæ ſunt, aderit. 8. Sin minùs tu vadito, age, fortis eſto in bello; faciet Deus ut offendas coram hoſte, eſt enim in Deo potentia ad auxilium ferendum, faciendúmque ut *quivis* offendat. 9. Amatsja verò viro divino, at quid fiet, inquit, centum talentis, quæ copiis Iſraëlis dedi? *Ibi* vir divinus, Jehovæ, inquit, eſt tibi plura illis dare 10. Itaque Amatsja ſejunxit *à ſuis* eas copias, quæ ad ipſum ex Ephraïmo venerant, ut in ſedes ſuas abirent. Verùm vehementer iratæ ſunt Judæ, atque in ſedes ſuas reverſæ ſunt irâ accenſæ.

11. A-

rectè vidit *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. III. Cap. XII, 19. Rectè etiam animadvertit *Joan. Piſcator* anomalam plane eſſe vocem וְיָבֹ legendumque וְיָבֹ cum Chamets-chatuph, quamvis malim וְיָבֹ cum Cholem, ut vox ſcribi ſolet. Phraſin verò ורב משא עליו *& multitudo oneris ſuper eo*, intelligit unà cum *Fr. Junio*, de magnitudine muneris quo ſolutionem obſidionis Jeroſolimæ à Chazaële Syriæ Rege redemit, 2. Reg. XII, 18. Malim interpretari de multitudine vaticiniorum in eum prolatorum, nam נשא משא עליו eſt *protulit vaticinium de eo*. (Vide 2. Reg. IX, 25.) & certum eſt miſſos Prophetas ad Joaſum, qui hominem ad officium revocarent, ex vſ. 19.

Fundatio Ædis Dei] וִיסוֹר בֵּית אֱלֹהִים *& fundamentum Ædis Dei*, quibus verbis aliud nihil ſignificari poteſt, præter inſtaurationem Templi; ideóque rectè Vulgatus, *inſtauratio domûs Dei*. Attamen LXX. Intt. hîc habent καὶ τὰ λοιπὰ, quaſi legiſſent ויתר הנם וגו' *vejether hinnam* &c.

In hiſtoria libri] במדרש ספר *bmidraſch ſepher*. De voce מדרש vide ad Cap. XIII, 22. LXX. Intt. ἐπὶ τὴν γραφήν. Hieronymus: *ſcripta ſunt diligentiùs*. *Hiſtoriam* vertimus, quia commodius nihil hîc occurrebat.

In CAPUT XXV.

2. QUod rectum videtur] *In oculis.*

Non integro animo] Colebat quidem Deum, ſed non ſine Idololatriæ miſtura. Vide 2. Reg. XIV, 3.

5. *Trecenta millia*] Exiguus numerus præ eo, qui ſub Joſaphato Rege fuiſſe dicitur antea Cap. XVII, 14. Sed numeri illic aucti videntur, quamvis Judæ & Benjaminis Tribus cladibus minutæ eſſe poſſent.

6. *Centum talentis argenteis*] Talentum argenteum fuit Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ æquant undecim florenos Hollandicæ monetæ, 353 & aliquantò ampliùs. Itaque hæc exigua eſt ſumma, quæ Librarum tantùm triginta quinque millia trecentas conficit. Quamobrem oportet viliſſimo pretio conductos milites, aut eam fuiſſe pecuniam datam Regi Iſraëlis, ſed ſtipendium militibus præterea fuiſſe perſolutum.

7. *Vir divinus*] *Vir Dei*, ſeu à Deo miſſus.

Ephraimitæ] *Filii Ephraim*, ac proinde cultores vitulorum, & deteriori etiam fortè Idololatriæ deditorum.

8. *Sin minùs tu vadito*] Quod ſi mihi non credis, exſequere quod animo concepiſti, & ex clade tua intelliges me à Deo verè miſſum. Hebræa habent: כי אם בא אתה *chi im bo atthah* &c. quæ cùm non adſequerentur LXX. Intt. neglectis verbis Hebraïcis, verterunt: ὅτι ἐὰν ὑπολάβῃς κατισχῦσαι ἐν τούτοις, & Vulgatus ſimiliter, *quod ſi putas in robore exercitûs bella conſiſtere.* Sed ſi ita licet vertere, ex quibuſvis verbis quivis

11. Amatſja verò, confirmato animo, eduxit copias ſuas & ivit in vallem ſalis, occiditque Schiritarum decem millia. 12. At decies mille vivos abduxerunt Judæ poſteri, duxerúntque in verticem rupis, ac dejecerunt eos illinc, ita ut omnes diſrupti fuerint. 13. Copiæ verò illæ, quas juſſerat redire Amatſja, ne ſecum irent ad bellum, vagatæ ſunt per urbes Judæ à Samaria Beth-choronem uſque, occiderúntque tria millia hominum, & multam prædam abſtulerunt.

14. Poſtquàm autem rediiſſet Amatſja à cæde Idumæorum, abſtuliſſetque Schiritarum Deos, eoſdem ſibi Deos ſtatuit, coram iis ſe proſtravit, ſuffitúmque eis obtulit. 15. Tum verò incenſa eſt ira Jehovæ, contra Amatſjam, miſitque ad eum Prophetam, qui ei dixit: cur quæſiviſti Deos populi, qui populum ſuum à manu tua non liberarunt? 16. Dum *ſic* eum alloqueretur; an conſtitutus es, inquit *Amatſja*, conſiliarius Regis? Deſine, quare enim occidereris? Deſiit ergo Propheta, & novi, inquit, Deum conſilium cepiſſe de te perdendo, quia hoc feciſti, neque conſilio meo auſcultas.

17. Poſtea Amatſja, Rex Judæ, conſilio inito, miſit ad Joaſum, filium Jehoachazi, filii Jehui, Regem Iſraëlis, *qui ſuo nomine* dicerent: age, videamus nos coram. 18. Sed miſit Joaſus, Rex Iſraëlis, ad Amatſjam, Regem Judæ, qui dicerent: Carduus qui *erat* in Libano, miſit ad Cedrum quæ *pariter erat* in Libano, *qui ejus nomine* dicerent: filiam tuam uxorem colloca filio meo: at tranſiverunt feræ, quæ *erant* in Libano, carduúmque conculcarunt. 19. Dixiſti, *ô Amatſja*, en cecidi Idumæos; extulitque te animus tuus, ita ut gloriam quæras; mane verò domi tuæ, cur tibi malum miſceres, túque & Juda tecum caderetis? 20. Non auſcultavit Amatſja, quia res erat à Deo *profecta*, ut eos traderet in manum *Joaſi*, quia Deos Idumæorum quæſiverant. 21. Adſcendit itaque Joaſus Rex Iſraëlis, & ſe coram viderunt ipſe & Amatſja Rex Judæ, Bethſemeſi, quæ erat *in ditione* Judæ. 22. Cæſus verò eſt Juda, in conſpectu Iſraëlis, & quiſque in tentoria ſua fugit. 23. Verùm Amatſjam Regem Judæ, filium Joaſi, filii Jehoachazi, cepit Joaſus Rex Iſraëlis Bethſemeſi, deduxitque eum Jeroſolimam; cujus mœnia diruit, à porta Ephraimi, uſque ad portam ſpeculæ, per quadringentos cubitos. 24. Tum omne aurum & argentum, & omnia vaſa, quæ inventa ſunt in Æde Dei, apud Hobededomum, & theſauros regiæ & obſides *cepit*, rediitque Samariam.

25. Superſtes verò fuit Amatſja, Joaſi filius, Rex Judæ, Joaſo, filio Jehoachaſi, Re-

vis eruetur ſenſus. Chaldæus etiam violenter interpretatur: ארום אין עליל את עם שבטא דבית אפרים *nam ſi adſcenderis cum Tribu domus Ephraimi.*

9. *Quid fiet*] מה לעשות *quid ad faciendum.*

10. *Irâ accenſæ*] *In ardore iræ.* Quòd ſpreta eſſet earum opera, & ſpe prædæ excidiſſent.

Vallem ſalis] Vallem ad Idumæam. Vide ad 2. Sam. VIII, 13.

Sehiritarum] *Filiorum Sehir.*

12. *Dejecerunt illinc*] Crudele ſupplicium, niſi Idumæi ſimili feritate irritaſſent Judæ poſteros, nec poſſet niſi triſti ejuſmodi exemplo coërceri.

13. *A Samaria Beth-choronem uſque*] משמרון ועד בית חורון *à Samaria uſque ad Beth-choronem.* Erant quidem hæ urbes Tribûs Ephraïmitidis, ſed oportet in illo tractu plures fuiſſe urbes, non procul à finibus Benjaminis, quæ Judæ Regibus parerent. Vide Cap. XIII, 19.

14. *Eoſdem ſibi Deos ſtatuit* &c.] Mirum eſt victos Deos placuiſſe victori, eique antepoſitos cui victoriam debebat. Furor hoc fuit, qui oſtendit quanti ſint faciendi eorum temporum Hebræi. Propterea Deus vetuerat, ne ſtatuæ Deorum auferrentur; rumpique eas ac comburi volebat. Vide Deut. VII, 25.

16. *Quare enim occidereris*] *Cur percuterent te?* Satellites, nempe, regii.

17. *Videamus nos*] Vide ad 2. Reg. XIV, 8. ubi hæc eadem hiſtoria narratur.

19. *Ita ut gloriam quæras*] להכביד *lebachbid.* Eſt 2. Reg. XIV, 10. הכבד hicchabed, *gloriare.*

20. *Quia res erat* &c.] Ejuſmodi conſilium dari Amatſjæ paſſus erat Deus, eúmque illi fidem habere, ut pœnas de eo ſumeret; alioqui, ſi reſipuiſſet Amatſja, rem impediturus.

Joaſi] Eſt tantum ביד *bejad*, in manum, ſed ſupplendum eſſe יואש *Joaſch* res ipſa oſtendit, videtúrque vox excidiſſe, neque enim hæc eſt conſueta Ellipſis Hebraicæ Linguæ.

23. *Portam ſpeculæ*] שער הפונה *ſchahar happhone*; hoc eſt, adſpicientis, ſeu ſpeculantis. Sed 2. Reg. XIV, 13. & infrà Cap. XXVI, 9. eſt הפנה *happhinnah*, ſeu anguli. Sic & LXX. Intt. hic γωνίας. & Vulgatus *anguli*, & Chaldæus זויתא *anguli*, quæ melior lectio eſſe videtur, ut etiam *Joan. Piſcator* cenſebat.

24. *Apud Hobededomum*] Levitam præfectum Sacro Ærario, à Davide, & à cujus nomine vocabatur ædificium, in quo Sacri Theſauri ſervabantur, cùm præſertim eorum cuſtodia poſteris etiam ejus eſſet demandata. Vid. 1. Paral. XXVI, 15.

Obſides] בני התערבות *filios arrhabonum.* LXX. Intt. habent hic, ut Lib. 2. Regum τοὺς υἱοὺς τῶν συμμίξεων, incommodè, verterunt enim vocem ex Etymologia, non ex uſu, prout par erat. Vul-

Regi Iſraëlis, per quindecim annos. 26. Reliquæ autem res geſtæ Amatsjæ, cùm primæ,
tum ultimæ, annon ſcriptæ ſunt in libro Regum Judæ & Iſraëlis? 27. A tempore porrò,
quo defecit Amatsja à Jehova, conſpiratio contra eum facta eſt Jeroſolimæ. Quare fu-
git Lachiſum, ſed miſſi ſunt, qui eum ſequerentur Lachiſum & qui eum illic interfece-
runt. Dein advexerunt eum equis, ſepeliernntque cum Majoribus ſuis, in urbe Judæ.

XXVI. Huzzias, Amatsjæ filius, patri ſuccedit, religioſéque ſe gerens hoſtes vincit, Jeroſolimam munit, exercitúmque armis probè inſtructum habet. Sed dum Sacerdotali munere fungi vult, leproſus fit, regnúmque adminiſtrandum relinquit Jothamo filio, qui ei mortuo ſuccedit.

CAPUT XXVI.
1. SUMSIT deinde totus Judæ populus Huzzijam, qui ſexdecim annos natus erat,
eúmque patris Amatsjæ loco Regem conſtituit. 2. Is munivit Elothas, quas
reſtituit Judæ, poſtquàm Rex *Amatsja*, cum Majoribus ſuis, obdormiit. 3. Na-
tus erat ſexdecim annos Huzzija, cùm regnare inciperet, & quinquaginta quidem duo-
bus annis regnavit Jeroſolimæ. Matri ejus, quæ Jeroſolimitana fuit, Jecholiæ nomen
erat. 4. Fecit ille quod rectum videtur Jehovæ, prorſus quemadmodum fecerat pa-
ter ejus Amatsja. 5. Quæſivit Deum dum vixit Zecharja, viſionum divinarum peri-
tus, & quamdiu quæſivit Jehovam, Deus *cœpta ejus* ſecundavit. 6. Egreſſus pugnavit
cum Philiſthæis, diruitque mœnia Gathi, Jabnæ, & Aſdodi, ædificavitque urbes in
Aſdodæorum, & *aliorum* Philiſthæorum *ſolo*. 7. Adjuvit eum Deus contra Philiſthæos,
contra Arabas, habitantes Gur-bahale, & Mehunæos. 8. Dederunt etiam Hammo-
nitæ munus Huzzijæ, pervenitque fama ejus ad introïtum Ægypti, nam ſe ſe ſummo-
pere

Vulgatus, *filiot obſidum*, imò verò obſides, ut res ipſa oſtendit, útque habet Lib. 2. Regum. Chaldæus non malè בְּנֵי רַבְרְבַנַיָּא וּמַשְׁכְּנִין לֵיהּ *filios principum ei oppigneratos*.

26. *In libro Regum Judæ* &c.] Hoc eſt, in libris Ephemeridum Judæ & Iſraëlis, qui tamen libri erant diverſi; cùm in regno quidem Judæ alii, in regno verò Iſraëlis alii ſcriberentur. Sic, omnibus expenſis, præſtat intelligere, quàm de libris Regum, quos etiamnum habemus; quia in iis libris de rebus geſtis Amatsjæ plura non ſunt, quàm hîc.

27. *Conſpiratio facta eſt*] *Conſpirarunt conſpirationem.*

Miſſi ſunt qui ſequerentur] *Miſerunt poſt eum & occiderunt* &c.

In urbe Judæ] בעיר יהודה *bebir Jehoudah*. 2. Reg. XIV, 20. eſt בעיר דויד *in urbe Davidis*, ut hîc quoque legendum eſt; nam quamvis Jeroſolima ſit urbs Judæ, non tamen ita loquuntur Hebræi, ubi ſermo eſt de urbe Davidis. Sic Græci habent ἐν πόλει Δαυίδ. & Vulgatus, *in civitate David*, ſeu ita legerint in ſuis Codicibus, ſeu ita legendum cenſuerint.

In CAPUT XXVI.

1. HUzzijam] 2. Reg. XIV, 2. vocetur עזריה *Hazarja*. Sed prior vox *vis Dei*, poſterior *auxilium Dei* eſt, quod idem ſonat. Ideóque inter ſe miſcentur.

2. *Munivit Elothas*] *Ædificavit Eloth*, אילות quod ſcribitur אילת *elath* 2. Reg. XIV, 22.

4. *Quod rectum videtur*] *Rectum in oculis.*

5. *Quæſivit Deum*] *Et fuit ad quærendum Deum in diebus* &c. Deum coluit, conſuluitque ubi opus fuit.

Viſionum divinarum peritus] *Peritus in viſionibus Dei:* המבין בראות אלהים. LXX. Intt. τοῦ συνιέντος ἐν φόβῳ κυρίου, quia pro בראות biroth, *in viſionibus*, legerunt ביראת bejirath, *in timore*. Teſtantur *Junius* & *Tremellius* in antiquo Codice Biblioth. Palatinæ fuiſſe בִּירְאוֹת in timoribus, & ſic legit etiam Chaldæus qui habet: מלף בדחלתא דיי *doctor in metu Jehovæ*. Vulgatus, *intelligentis & videntis Deum*. Eſt periphraſis Prophetæ, qualis eſt Dan. I, 7. ubi de Daniele dicitur: *& Danielem doctum reddidit (Deus) in omni viſione & ſomniis*, הבין בכל חזון *hebin bcbol hhazon*. Ac ſanè ars quædam viſionum eſſe potuit, quam diſcipuli Prophetarum à magiſtris accipere potuerunt, qua de re aliàs.

6. *Mœnia Gathi* &c.] *Murum Gath, & murum Jabneh & murum Aſdod*; quæ fuerunt potiſſimæ urbes Philiſthæorum.

In Aſdodæorum & aliorum Philiſthæorum ſolo.] באשדוד ובפלשתים *in Aſchdod & in Phliſchthim*, quod perinde eſt ac בארץ אשדוד ויתר הפלשתים *in terra Aſdod & reliquorum Philiſthæorum*; notum enim eſt *Aſdod* urbem dictam, quæ Græcis *Azotus*, & memoratas urbes in ora quam obtinebant Philiſthæi fuiſſe.

7. *Arabas*] הערביים in textu, in margine verò meliùs הערבים *haarbim*.

Gur-bahale] בגור-בעל, cujus loci nomen alibi non legitur. Si credimus LXX. Intt. locus fuit non procul à Petra Arabiæ, habent enim hîc ἐπὶ τῆς Πέτρας, quod non de quavis rupe, ſed de urbe Arabiæ Petrææ ita dicta intelligendum. Latinus habet hîc *Gur-baal*, ſed Chaldæus בגרר *bigrar*, quaſi de Geraris ad auſtrum Judææ ſermo eſſet. Locus certè fuit in meridiano tractu.

Mehunæos] המעונים. Vide not. ad Cap. XX, 1. LXX. Intt. habent Μιναίους, Vulgatus, *Ammonitas*. Chaldæus במישר מעון *in planitie Mahon*.

Ivit nomen ejus] Vicinum quidem erat Regnum Judæ introïtui Ægypti; ſed antea Chuſitæ, Arabes, ac Philiſthæi videntur tractum interpoſitum

Digitized by Google

pere confirmarat. 9. Ædificavit Huzzija turres Jeroſolimæ, ad portam anguli, ad portam vallis, & ad angulum, & eas munivit. 10. Exſtruxit & turres in deſerto, foditque ciſternas multas, pecus enim multum ei erat in planitie & campeſtribus locis; agricolæ verò, & vinitores ei erant in montibus & in Charmelo, nam agriculturæ deditus fuit.

11. Fuerunt & Huzzijæ copiæ gerentes bellum, exeuntes in exercitum agminatim, pro numero recenſionis *factæ* miniſterio Jehielis ſcribæ, & Mahaſejæ apparitoris; *qui* ad manum erat Chananjæ, qui fuit inter duces regios. 12. Numerus univerſus principum *familiarum* patriarum, fortium virorum, fuit bis mille ſexcentorum. 13. Ad manum illis erat exercitus trecentorum ſeptem millium & quingentorum bellum gerentium fortiter & animosè, ad auxilium Regi contra hoſtes ferendum. 14. Paravit autem eis Huzzija, toti, ſcilicet, exercitui clypeos, haſtas, galeas, loricas, arcus & lapides fundarum. 15. Fecit etiam Jeroſolimæ machinas ab artificibus excogitatas, quæ eſſent in turribus & in angulis, ad jaculandas ſagittas & ingentes lapides, famáque ejus procul evagata eſt, quia mirifica ſubſidia comparavit, donec invaluiſſet.

16. Cùm ergo ſe ſe confirmaſſet, elatus eſt animus ejus, ita ut *eum* corrumperet, delinqueretque in Jehovam Deum ſuum. Ingreſſus enim eſt Templum Jehovæ, ad ſuffitum offerendum in altari ſuffitûs; 17. at ſequutus eſt eum Hazarja Sacerdos, & cum illo Sacerdotes Jehovæ octoginta viri fortes, 18. qui ſteterunt contra Huzzijam, eique, tuum non eſt, ô Huzzija, inquiunt, offerre Jehovæ ſuffitum, ſed Sacerdotum Aharonis poſterorum, qui ſunt conſecrati ad ſuffiendum. Egredere è Sacrario, nam deliquiſti; nec hoc tibi à Jehova Deo gloriæ *erit*. 19. Verùm indignatus eſt Huzzija, inque ejus manu jam erat acerra, ad ſuffiendum; dúmque rixaretur cum Sacerdotibus, le-

ſitum ſubinde, prout hi aut illi potentiores erant, occupaſſe; ita ut Ægyptiis nihil eſſet negotii cum Hebræis. Ideò Huzzijæ, qui gentes interpoſitas domuerat, nomen dicitur ad introïtum Ægypti perveniſſe, quaſi quidpiam memorabile & potentiæ invaleſcentis argumentum.

10. *Exſtruxit & turres*] In quibus præſidia collocaret contra Arabum latrocinia, & circa quas pecus in ſtabula colligeretur.

In planitie] Aptior, nempe, eſt planities & vallis gramini, quàm montes.

Agricolæ verò &c.] Satis conſtat in collibus, in quibus ſeri ſegetes non poſſunt, vites feliciùs provenire; ſed ſegetibus montes & colles plerumque parum apti ſunt. Sunt tamen etiam inter juga montium fertiliſſimæ convalles, quales ab Huzzija cultas credibile eſt.

Charmelo] Monte in tribu Judæ, in quo Nabal vir dives prædia, & greges habuit. Vide 1. Sam. XXV, 2. Nam alter ille mons Charmelus, in finibus Aſeri & Manaſſæ, non procul à mari Mediterraneo, fuit Regum Iſraëlis.

Agriculturæ deditus fuit] אהב אדמה היה *amans terræ erat.* Φιλογεωργὸς ἦν ut optimè habet Alexandrinus Codex LXX. Intt.

11. *Copiæ gerentes bellum*] חיל עשה מלחמה *exercitus faciens bellum*, hoc eſt, virorum ætatis militaris & paratorum expeditionem, quamcumque juberet, ſuſcipere.

Pro numero recenſionis] למספר פקדתם *lemiſphar phkadatham, ad numerum recenſionis eorum*; hoc eſt, poſtquàm recenſitæ fuiſſent copiæ, ut integer fuiſſe copiarum numerus intelligatur, non ex conjectura collectus.

13. *Fortiter & animosè*] בכח חיל behoahh hhajil, *in fortitudine roboris*, quâ loquutione magna fortitudo ſignificatur. Vide Epheſ. I, 19.

15. *Machinas ab artificibus excogitatas*] חשבנות מחשבת חושב *biſchbonoth mahhaſchebeth hhoſcheb.* LXX. Intt. habent μηχανὰς μεμηχανευμένας λογιστοῦ. Vulgatus: *diverſi generis machinas.*

Ad jaculandas ſagittas] Tales erant *Balliſtæ* Romanorum, quarum vide deſcriptionem apud *Ammianum Marcellinum* Lib. XXIII. cap. 4. & *Juſt. Lipſium* Lib. III. Poliorceticorum.

Ingentes lapides] Ejuſmodi erat *Scorpio*, qui poſtea *Onager* dicebatur, de quo *Ammianus* Lib. XXIII. cap. 4. & *Juſt. Lipſius* Poliorceticorum Lib. III. Ex hoc loco colligi queat hæc non fuiſſe inventa Græcorum & Romanorum, cùm jam in Oriente nota eſſent, antequàm Poliorceticæ artes in Græcia eſſent notæ.

Mirifica ſubſidia] הפליא לעזור *mirum ſe præbuit ad auxiliandum*, hoc eſt, mirabiles machinas ad defenſionem urbium ſibi comparavit. LXX. Intt. verbotenus ἐθαυμαστώθη τοῦ βοηθῆναι. Vulgatus verò perperam, *eò quòd auxiliaretur ei Dominus.*

Donec invaluiſſet] Ita inſtruxit armis machiniſque urbes munitas, ut potentiam ſuam non parum firmarit.

16. *Ita ut eum corrumperet*] עד להשחית *had lehaſchhith.* Subaudiendum דרכיו *vias ejus*, aut ſimile quidpiam, ita ut intelligamus nimiâ Huzzijæ ſuperbiâ factum eſſe ut corrumperetur, eáque moliri auderet, quæ ab eo fieri nefas erat. Sic משחיתים legitur Cap. XXVII, 2. omiſſo nomine quod regitur.

Templum Jehovæ] Anteriorem Ædis partem, quæ מקדש ſeu *Sanctuarium* dicebatur, ubi erat altare aureum, in quo ſuffitus Deo offerebatur.

17. *Viri fortes*] בני חיל bne hhajil, *filii fortitudinis*; qui Regi, nimirum, obſiſtere auderent.

18. *Nec hoc tibi à Jehova Deo gloriæ erit*] Non patietur Jehova te, ob id factum gloriari.

19. *Inque ejus manu* &c.] Fortè imitari voluit gentes, apud quas Reges Sacerdotio etiam fungebantur, ut augeret ſui reverentiam. Talis olim fuerat Melchiſedekus, Rex Salemi, de quo

lepra in ejus fronte exorta eſt, in conſpectu Sacerdotum, in Æde Jehovæ, juxta al-
tare ſuffitûs. 20. Eum verò cùm intueretur Hazarja Sacerdos primarius, unáque om-
nes *alii* Sacerdotes, en leproſus erat in fronte; itaque eum illinc feſtinanter exire juſ-
ſerunt, ipſéque egredi properavit, quia plagam ei impoſuerat Jehova. 21. Fuit au-
tem Huzzija Rex leproſus, ad diem uſque mortis ſuæ, habitavitque in ædibus liberis
leproſus; fuit enim excluſus Æde Jehovæ, Jothamúſque filius ejus præfuit regiæ, &
populo terræ jus dixit. 22. Reliquas res geſtas Huzzijæ, cùm primas, tum poſtremas,
ſcripſit Iſaia, Amotſi filius, Propheta. 23. Obdormiit deinde Huzzija, cum Majo-
ribus ſuis, ſepelierúntque eum cum Majoribus ejus, in agro ſepulcrorum, qui Regibus
erat, leproſum enim eum fuiſſe dicebant; dein regnavit ejus loco Jothamus filius ejus.

XXVII. Jothamus Dei veri cultor Jeroſolimam, variáſque urbes munit, ac Hammonitas vincit. Mortuus denique ſucceſſorem Achazum filium relinquit.

CAPUT XXVII.
1. VIGINTI quinque annos natus erat Jothamus, cùm regnare cœpit, & ſexde-
cim quidem annis regnavit Jeroſolimæ. Nomen matri ejus fuit Jeruſæ, quæ
Tſadoki fuit filia. 2. Fecit quod Jehovæ rectum videtur, prorſus quemadmo-
dum fecerat Huzzija pater ejus, verùm non eſt ingreſſus Templum Jehovæ, & popu-
lus etiamnum depravatis moribus erat. 3. Is inſtauravit januam Ædis Jehovæ ſuperio-
rem, & in muro Hophelli multùm ædificavit. 4. Urbes munivit in montanis Judæ, &
in ſaltibus ædificavit palatia & turres.
5. Bellum geſſit etiam cum Hammonitis, cúmque ſuperior fuiſſet, eo anno ſolverunt
ei Hammonitæ, centum talenta argenti, decem millia chororum tritici, totidémque
hordei. Hoc iterarunt etiam Hammonitæ, anno ſecundo & tertio. 6. Convaluit ve-
rò Jothamus, quia mores ſuos coram Jehova Deo ſuo inſtituit. 7. Reliquæ verò res
geſtæ Jothami, belláque omnia ejus & mores, ſcripta ſunt in libro Regum Iſraëlis &
Judæ. 8. Viginti quinque annos natus erat, cùm regnare inciperet, & per ſexdecim
annos regnavit Jeroſolimæ. 9. Obdormiit deinde Jothamus, cum Majoribus ſuis. Se-
pelierunt eum in urbe Davidis, locóque ejus regnavit Achazus ejus filius.

XXVIII. Acha-

Gen. XIV. quod & apud alias gentes obtinuit, ut exemplis oſtendit ad hunc locum *Joan. Dougtæus*, Excurſu CXVI.

Lepra in ejus fronte &c.] Eo ſine dubio etiam ſentiente mutationem quamdam in fronte ſua fieri; alioqui non crediditſet Sacerdotibus quibus iratus erat, & quorum res agebatur. Ceterùm vide Diſſert. noſtram de Lepra. Hoc ſigno oſtendit Deus, ſibi diſplicere quod moliebatur Huzzija, quandoquidem morbum in eum immittebat, quo non tantùm ingreſſu Templi, ſed & conſortio hominum arcebatur.

20. *Feſtinanter exire juſſerunt*] יבהילוהו משם *jabhilouhou miſſcham*, feſtinare fecerunt illinc: ne, nimirum, diutiùs pollueret Sanctuarium, Deúſque graviorem plagam ei imponeret, & pœnas etiam ſumeret de Sacerdotibus, ſi Regem irreverenter morari illic diutiùs paterentur.

21. *In ædibus liberis*] בית החפשית *beth hachophſchith*, in domo libertatis. Sic in margine, ſed in textu eſt החפשות, ut LXX. Intt. ἀφφουσώθ, ſicuti 2. Reg. XV, 5.

22. *Iſaia*] ישעיהו *Jeſchahjahou*, ſed more Latino, ſeu antiquo celeberrimum nomen extulimus. Liquet ex Iſaiæ Cap. I, 1. Prophetam ſub Huzzija vaticinatum eſſe, ſed non video quî dici poſſint primæ & poſtremæ, hoc eſt, omnes res geſtæ Huzzijæ narrari in libro Iſaiæ quem habemus. Itaque alium quempiam intellexerim, in quo hiſtoria regni Huzzijæ contineretur.

23. *Sepelieruntque eum cum Majoribus ſuis*] Hoc eſt, ſepultus eſt non minùs ac ſepulti fuerant ejus Majores, ſed non in eodem loco; nam Reges familiæ Davidis, in ſepulcra quæ erant in Sione, ſeu in urbe Davidis, inferebantur; hîc autem memoratur *ager ſepulcri*, שדה הקבורה, *ſchdeh hakkebourah*, ratióque hujus loquutionis additur: *leproſum enim eum fuiſſe dicebant*; quæ ratio eſſe non potuit, cur Huzzijæ cadaver inferretur ſepulcris Regum, ſed potiùs ut iis excluderetur. Itaque non ſatis rectè verterunt LXX. Intt. qui habent, ἐν τῷ πεδίῳ τῆς ταφῆς τῶν βασιλέων, nec Vulgatus qui tranſtulit: *in agro regalium ſepulcrorum*; nam ſermo eſt de agro, in quo erant alia ſepulcra, & qui pertinebat ad patrimonium Regum Davidicæ familiæ, non in quo eſſent monumenta Regum. Sed eos fefellit ambiguitas linguæ Hebraicæ, quòd Huzzija diceretur ſepultus fuiſſe *cum Majoribus ſuis*, quæ loquutio ſepulturam tantùm, non locum ſepulturæ hîc ſignificat.

In CAPUT XXVII.

2. QUod rectum videtur] *Rectum in oculis.*

Non eſt ingreſſus in Templum] Hîc iterum eſt ambiguitas, ex re ipſa diſcutienda; nam *ingredi Templum* poteſt dici is qui Atrium Iſraëlis ingreditur, non minùs ac Sacerdos, qui in Sanctuarium ipſum intrat; ſed poſteriori ſenſu hîc ſumitur, quia ad Huzzijæ factum reſpicitur.

Depravatis moribus erat] משחיתים *maſchhithim*, *corrumpentes*, nempe, דרכיהם *drachehem*, *vias ſuas*. Vida Gen. VI, 12.

3. *Su-*

XXVIII. Achazus, Jothami filius, Idololatriam Regum Iſraëlis imitatur. Quamobrem vincitur à Regibus Syrorum & Iſraëlitarum, qui tamen captivos Judæ reddunt. Auxilium petit ab Aſſyriorum Rege, nec eò ſeciùs ab Idumæis & Philiſthæis malè mulctatur, & Aſſyriorum quidem Rex ei eſt oneri. Moritur & Hezekiam ſucceſſorem relinquit.

1. ANNOS viginti natus erat Achazus, cùm regnare inciperet, & ſexdecim qui- Caput
dem annis regnavit Jeroſolimæ; nec fecit quod rectum videtur Jehovæ, quem- XXVIII.
admodum progenitor ejus David. 2. Inſtitit viis Regum Iſraëlis, & ſtatuas
conflatiles etiam fecit Bahalibus. 3. Suffitum obtulit in valle filii Hinnomi, combuſſit-
que liberos ſuos igne, pro exſecranda conſuetudine gentium, quas Jehova è conſpec-
tu Iſraëlitarum expulerat. 4. Mactavit ſuffitúmque obtulit, in locis excelſis, in col-
libus & ſub quavis arbore virente.
5. Itaque tradidit eum Jehova Deus ejus, in manum Regis Aramæorum, qui concî-
derunt eum, multóſque captivos fecerunt ex ejus *populo*, quos Damaſcum abduxerunt.
Præterea traditus eſt in manum Regis Iſraëlis, qui ei magnum vulnus inflixit. 6. Oc-
cidit enim Phekachus, Remaljæ filius, uno die, in Juda centum viginti millia viro-
rum, qui omnes fortes erant; cùm eos Jehova, Deus Majorum illorum, deſeruiſ-
ſet. 7. Occidit & Zichris, ſtrenuus Ephraimita, Mahaſejam, Regis filium, Hazri-
kamum præfectum domui *regiæ*, & Elkanam ſecundum à Rege. 8. Captivos etiam ab-
duxerunt Iſraëlitæ è ſuis fratribus ducenta millia mulierum, puerorúmque & puellarum,
prætereáque prædam multam diripuerunt & Samariam avexerunt. 9. Illic autem erat Pro-
pheta Jehovæ, cui nomen fuit Hodedo, qui obviam egreſſus eſt exercitui Samariam
venienti, eique dixit: en iratus Jehova Deus Majorum veſtrorum Judæ, hos tradidit
in manum veſtram; vos verò eos occidiſtis eâ ſævitiâ, *quæ* ad cœlum uſque pervenit.
10. Nunc quoque Judæ poſteros & Jeroſolimitanos cogitatis vobis ſubjicere ut ſint ſer-
vi

3. *Superiorem*] העליון *habeljon*. Vide 2. Reg. XV, 35.

In muro Hophelli] בחומת העופל *bhhomath bahophel*. In Romano Codice eſt Ὀπλ, in Alexandrino meliùs τ̃ Ὀφλά, quomodo vocabatur is locus Jeroſolimæ, tempore *Joſephi*. Fuit ad Orientem, ut liquet ex eo Scriptore de Bello Judaïco Lib. VI. c. 13. in Græcis, ubi de muro: ἔνθεν δὲ πάλιν ἐκκλῖνον πρὸς ἀνατολὴν ἐπὶ τὴν Σολομῶνος κολυμβήθραν καὶ διῆκον μέχρι χώρου τινὸς ὃν καλοῦσιν Ὀφλᾶς τῇ πρὸς ἀνατολὴν στοᾷ τοῦ ἱεροῦ συνῆπτε: *inde rurſus declinans ad orientem in Salomonis piſcinam, & tranſiens per locum quemdam, quem vocant Ophlas, adhærebat porticui Templi, quæ erat ad Orientem.* Vide Nehem. III, 27, 28. & quæ hac de re habet *Joan. Lightfootius* in Cent. Chorog. Matthæo præmiſſa, Cap. XXVI.

4. *Palatia & turres*] Hoc eſt, villas, in quibus ſæpe turres erant. Vide Eſ. V, 2. Math. XXI, 33.

5. *Centum talenta*] Triginta quinque millia, trecentas Sterlingicas Libras, quarum ſingulæ ſunt undecim florenorum Hollandicorum, & aliquantò plus.

7. *Mores ſuos*] *Vias ſuas.*

In libro] Vide not. ad C. XXV, 26.

In Caput XXVIII.

2. R*Ectum videtur*] *Rectum in oculis.*

3. *In valle filii Hinnomi*] Vide ad 2. Reg. XXIII, 10.

Combuſſitque] ויבער *vajjabher*. LXX. Intt. διῆγε τὰ τέκνα αὐτοῦ διὰ πυρός. Vulgatus, *& luſtravit filios ſuos in igne.* Chaldæus: וְאַעְבַּר *& trajecit*; quaſi omnes legiſſent, tranſpoſitis litteris, ויעבר *vejabber*. Nemo quidem negarit luſtrationes ejuſmodi, apud Ethnicos, in uſu fuiſſe; ſed nemo etiam inficietur mactatas & oblatas fuiſſe humanas victimas. Quare lectionem hujus loci minimè ſollicitandam putamus, ſed hinc potiùs intelligenda loca, in quibus mentio fit *traductionis per ignem*. Vide not. ad Levit. XVIII, 20.

Liberos ſuos] בניו *filios ſuos*. Eſt 2. Reg. XVI, 3. *filium*, in ſingulari. Verùm hæc non pugnant, plurali enim uti ſolemus, etiam cùm loquimur de uno, quando nihil intereſt accuratè loqui. Vide quæ diximus hac de re ad Canonem XVII. Diſſert. II. Harmoniæ Evangelicæ ſubjectæ.

5. *Qui conciderunt eum*] *Et percuſſerunt eum & abduxerunt ex eo captivitatem magnam.*

6. *Occidit enim Phekachus* &c.] Leviter hoc bellum attingitur 2. Reg. XVI, 5.

7. *Præfectum domui regiæ*] נגיד הבית *ngid babbajith*, quod eſt perinde ac שר הבית *ſchar babbajith*.

Secundum à Rege] מִשְׁנֵה הַמֶּלֶךְ *ſecundus Regis*; qui auctoritate proximus Regi erat.

9. *En iratus Jehova* &c.] *Ecce in ira Jehovæ Dei patrum veſtrorum in Judam, tradidit eos* &c.

Quæ uſque ad cœlum pervenit] Quod de magna nequitia dici ſolet. Vide ad Gen. XIX, 20.

10. *Cogitatis vobis ſubjicere*] אומרים לכבש לעבדים *omerim lichboſch lahabadim*, dicitis ad ſubjiciendum in ſervos.

vi ac ſervæ. Annon re verâ delicta *hæc* ſunt in vobis, erga Jehovam Deum noſtrum?
11. Audite ergo me, dimittite captivos, quos feciſtis è fratribus veſtris, quia Jehova
vobis iratus eſt. 12. Ergo viri è ducibus Ephraïmitarum, Hazarja Jochananis filius,
Berechja Meſillemothi filius, Jechizkija Sallumi filius, Hamaſa Chadlais filius, ob-
ſtiterunt iis qui veniebant ab exercitu; 13. iiſque, non adducetis, inquiunt, hoſce cap-
tivos huc, quia hoc nobis delictum *eſſet* apud Jehovam. Cogitatíſne de augendis pec-
catis, delictiſque noſtris? Atqui ſat magnum eſt noſtrum delictum, *ſátque magna* ira
incumbit Iſraëli. 14. *His auditis*, expeditus quiſque captivos & prædam, coram du-
cibus & toto cœtu, abjecit. 15. Tum ſurrexerunt viri, nominibus appellati, qui com-
prehenderunt captivos & omnes, qui nudi erant, veſtierunt è ſpoliis; veſtes, *inquam*,
iis, calceos, cibúmque & potum ſuppeditarunt, eos unxerunt, aſiniſque vexerunt
omnes infirmos, ac eos deduxerunt Jerichuntem, urbem palmarum, ad fratres ſuos
& Samariam ſunt reverſi.

16. Eo tempore, miſit Achazus ad Reges Aſſyriorum, ut ſibi ſuppetias ferrent.
17. Sed præterea venerunt Idumæi, *multóſ*que occiderunt in Juda & captivos abduxe-
runt. 18. Philiſthæi quoque vagati ſunt per urbes planitiei, & meridianæ plagæ Judæ,
ceperúntque Beth-ſemeſum, Ajalonem, Gederothas, Sochonem villáſque ad eam per-
tinentes, Thimnam villáſque ad eam pertinentes, & Gimzonem villáſque ad eam
pertinentes atque in iis habitarunt. 19. Depreſſit enim Jehova Judam, propter Acha-
zum, Regem Iſraëlis, quia denudaverat Judam, & defecerat à Jehova.

20. Venit deinde ad eum Thiglath-philneſer, Aſſyriorum Rex, qui eum ad *magnas*
anguſtias redegit, nec vires ejus auxit. 21. Achazus enim ſumſit partim ex Æde Je-
hovæ, partim ex regia, & à principibus, quod daret Regi Aſſyriorum; nec tamen
auxilio illi fuit.

22. Quin etiam tempore, quo in anguſtiis verſabatur, perrexit *idem* ille Rex Acha-
zus deficere à Jehova. 23. Mactavit Diis Damaſcenorum, qui eum conciderant, &
dixit:

Annon reverá &c.] הלא רק אתם עמכם אשמות *annon revera vos vobiſcum delicta.* Vocu1am רק *rak* vertimus *reverá*, quæ eſt ſecunda ſignificatio hujus particulæ, apud *Chr. Noldium.* Vide Deut. IV, 6. Poſt אתם *vos* ſubaudiendum חטאים *peccatores*, vel אתם vertendum, *ad vos quod attinet*, aut ſimile quidpiam. LXX. Intt. hîc habent: οὐκ ἰδοὺ εἰμὶ μεθ' ὑμῶν μαρτυρῆσαι κυρίῳ, quæ ſunt obſcura, nec Hebraïcis reſpondent. Vulgatus paraphraſin adhibet: *quod nequaquam facto opus eſt, peccaſtis enim ſuper hoc Domino.* Chaldæus denique: הלא לחוד אתון עמכון קרבא אשמין אתחיבתון לקרבא קדם יי *annon dumtaxat vos vobiſcum bellum meditantes rei facti eſtis belli coram Jehova?*

11. *Jehova vobis iratus eſt*] *Ira Jehovæ ſuper vobis.*

12. *Obſtiterunt iis* &c.] *Surrexerunt contra*, nam ויקמו *& ſurrexerunt*, quod eſt initio verſûs, conjungo cum על *contra.* LXX. Intt. ἀνέστησαν —— ἐπὶ τοὺς, & Vulgatus, *ſteterunt contra.*

13. *Hoc nobis delictum eſſet* &c.] לאשמת יי עלינו *in delictum Jehovæ ſuper nobis*; hoc eſt, peccatum hoc haberet Deus in nobis.

Cogitatíſne de augendis &c.] *An dicitis* (apud vos) *ad addendum peccatis noſtris.*

Atqui ſat magnum] כי רבה אשמה *chi rabbah aſchmah.* Τὸ כי hîc adverſativè ſumitur. *Sed* ſonat ſupra Cap. XX, 15. Vide alia exempla, apud *Chr. Noldium* ſign. XXIII. Aut ſubaudiendum quidpiam, ut אל תוסיפו *ne addatis*, ita ut ſequatur, *nam ſat magnum* &c.

Ira incumbit] *Fervor naſi*, aut *iræ ſuper Iſraële.*

15. *Captivos*] *Captivitatem.*

Veſtes, inquam, iis &c.] *Veſtiverunt eos, & calcaverunt eos, & paraverunt eos, & potum dederunt iis* &c.

Eos unxerunt] Abluerunt & unxerunt, ut ex pædore & ſordibus, quas captivi contraxerant, reficerentur.

Duxerunt omnes infirmos] *Duxerunt eos in aſinis ad omnem impingentem* (כושל choſchel) *quod attinet:* כושל eſt qui præ infirmitate *impingit.* Hinc ἀσθενοῦντα LXX. Intt. & *qui erant imbecillo corpore*, Vulgatus vertit.

16. *Reges Aſſyriorum*] מלכי אשור *malche Aſſchour.* LXX. Intt. βασιλέα Ἀσσοὺρ, & Vulgatus *Regem Aſſur*, qua legiſſent מלך *melech.* Sic & Chaldæus למלכא *lemalcha*, in ſingulari. Certè unus Rex memoratur 2. Reg. XVI, 7. & infrà vſ. 20.

18. *Planitiei & meridianæ plagæ*] Hæc vicina erant Philiſthæis, atque in eorum finibus urbes, quarum nomina poſtea leguntur. Vide Jud. I, 9. & Abdiæ vſ. 20.

Villáſque ad eum pertinentes] *Et filias ejus.*

Atque in iis habitarunt] Mirum eſt Philiſthæos oræ maritimæ, non ita latæ, incolas, potuiſſe negotia faceſſere Regi, cui erant aliquot centena millia virorum ætatis militaris. Sed credibile eſt & alios populos vicinos, Hebræis infenſos, ſpe prædæ, ſe ſe adjunxiſſe Philiſthæis, quamvis hi ſoli memorentur.

19. *Regem Iſraëlis*] מלך ישראל *melech Jiſchraël.* LXX. Intt. βασιλέα Ἰούδα, & Vulgatus, *Regem Juda*; ſive legerint in ſuis Codicibus, aut legendum exiſtimarint יהודה *Jehoudah.* Sic quoque Chaldæus מלכא דיהודה *malcha dIhoudah. Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. IV. c. XVII, 7. meliorem hanc lectionem cenſet, ut & Cap. XXI, 2. ubi Achazus, qui in Hebraico Codice dicitur מלך

Digitized by Google

dixit: quandoquidem Dii Regum Aramæorum eos adjuvant, iis Sacra faciam ut mi-
hi auxilio ſint. Itaque ſuerunt *cauſa* illi & toti Iſraëli, cur offenderent. 24. Collegit
Achazus vaſa Ædis Dei, eáque confregit, & clauſit fores Ædis Jehovæ. Tum fecit
ſibi altaria, per omnes angulos Jeroſolimæ. 25. In ſingulis urbibus Judæ fecit loca ex-
celſa, ad ſuffiendum Diis alienis, movitque iram Jehovæ, Dei Majorum ſuorum.
26. Reliquæ autem ejus res geſtæ, moréſque priores & poſteriores ſcripta ſunt in li-
bro Regum Judæ & Iſraëlis. 27. Obdormiit autem Achazus cum Majoribus ſuis, ſe-
pultúſque eſt in urbe Jeroſolima, at non illatus eſt ſepulcro Regum Iſraëlis. Hezekia
verò, ejus filius, loco ejus regnavit.

XXIX. Hezekias Rex religioſus Templum Dei aperit & purgat, totúmque cultum ejus, convocatis Sacerdotibus ac Levitis, inſtaurat, & Sacra ſollemnia facit.

1. HEZEKIA regnare cœpit, cùm viginti quinque annos natus eſſet, & novem Caput
quidem ac viginti annis regnavit Jeroſolimæ. Nomen matri ejus ſuit Abijæ, XXIX.
quæ filia erat Zecharjæ. 2. Fecit ille, quod rectum videtur Jehovæ, quem-
admodum ſecerat David, progenitor ejus. 3. Is igitur primi anni, quo regnavit,
menſe primo, aperuit ſores Ædis Jehovæ, eáſque inſtauravit. 4. *Eò* intromiſit Sa-
cerdotes & Levitas, eóſque in orientalem aream coëgit, 5. *ubi* illis, audite me, in-
quit, Levitæ; nunc purificate vos, & purgate Ædem Jehovæ Dei Majorum veſtro-
rum, ac è Sanctuario ſordes educite. 6. Defecerunt enim parentes noſtri, ſecerunt
quod diſplicet Jehovæ Deo noſtro, cum deſeruerunt, averterunt ſaciem à Tabernaculo
Jehovæ, eique cervicem obverterunt. 7. Clauſerunt etiam fores porticûs, exſtinxerunt
lucernas, ſuffitum non adoleverunt, nec holocautoma Deo Iſraëlis in Sanctuario obtu-
lerunt. 8. Incubuit verò ira Jehovæ Judæ & Jeroſolimæ, expoſuitque eos Deus terrori,
ſtu-

מלך ישראל vocatur *Rex Juda* à LXX. Intt. quia ſuerunt Achazus & Joſaphatus Reges Judæ, non Iſraëlis, quomodo ſolent in libris Regum & Chronicorum diſtingui inter ſe Reges Judæ & Reges Iſraëlis. De conſuetudine nemo dubitat, ſed poteſt fieri ut præter conſuetudinem Rex Judæ dicatur *Rex Iſraëlis*, quia Judæ poſteri etiam Iſraëlitæ erant; quomodo interdum vocantur, etiam poſt diviſionem populi Hebræi in duo regna, ut ſuprà Cap. XXIII, 2. XXIV, 5. & infra vſ. 23.

Denudaverat Judam] הפריע ביהודה *hiphriah bIhoudah.* Omiſerunt hæc LXX. Int. Vulgatus, *eò quòd nudaſſet eum auxilio*; nimirum, Dei. Chaldæus: אתבטילו רבית יהודה מפולחנא דיי *ceſſarant domus Judæ à cultu Domini.* Sequuti ſumus ſenſum, qui exemplo nititur. Vide Exod. XXXII, 25.

20. *Ad magnas anguſtias redegit*] ויצר לו *vajjatſar lo*, anguſtia ſuit illi; quia magnâ pecuniâ donandus, & fortè etiam commeatu juvandus ſuit.

Nec vires ejus auxit] לא חזקו *non firmavit eum.*

21. *Sumſit partim ex Æde* &c.] *Partitus eſt* (חלק hhalak) *Achaz domum Jehovæ, domum Regis & principes* &c.

Nec tamen auxilio illi fuit] Liberavit quidem eum à Damaſcenis, ut videmus 2. Reg. XVI, 9. ſed propterea res ejus, exhauſto regno, viciniſque expoſito, meliore in ſtatu non fuerunt.

23. *Mactavit Diis Damaſcenorum*] Videtur hoc factum, antequam Aſſyriorum Rex Damaſcum cepiſſet & Retſinem occidiſſet, cúmque etiamnum à Syris & Iſraëlitis graviter premeretur. Alioqui Damaſco capta, occiſo Damaſcenorum Rege, populóque in alias ſedes abducto, non potuiſſet dicere Achazus Damaſcenos à Diis ſuis adjutos fuiſſe, eóſque ob ſpem ſimilis auxilii colere.

Cur offenderent] Malè rem gererent, quia Deus ob cultos alienos Deos pœnas ab Hebræis exegit, paſſuſque eſt eos à vicinis malè haberi.

24. *Eaque confregit*] *Et confregit vaſa Domûs Dei*; nimirum, ut metallis, quibus conſlabant, in aliam rem uteretur.

25. *In ſingulis urbibus Judæ*] *Et in omni urbe & urbe Juda* &c.

26. *In libro Regum* &c.] Vide notata ad Cap. XXV, 26.

In Caput XXIX.

1. C*Um viginti quinque* &c.] Vide ad 2. Reg. Cap. XVIII, 1.

4. *In orientalem aream*] לרחוב המזרח *lirhhob hammizrahh.* Videtur area illa intelligi, in qua fuit Atrium Gentium.

5. *Purificate vos & purgate*] התקדשו וקדשו *ſanctificate vos & ſanctificate.* Prior ſanctificatio erat mundities corporis & veſtium, ita ut nihil eſſet, in Sacerdotibus & Levitis, pollutum ex Lege Moſaïca; poſterior verò eſt ejectio ſordium, quæ erant in Templo.

6. *Quod diſplicet*] *Malum in oculis.*

Cervicem obverterunt] *Dederunt cervicem.*

7. *Fores porticûs*] Sacerdotum, ut videtur.

8. *Terrori*] לזועה *lzavahah.* LXX. Intt. ἔκστασιν, Vulgatus, *commotionem* habet. Sed agitur de *commotione*, quæ eſt cum ſummo terrore conjuncta.

Stu-

ſtupori & ſibilis: quemadmodum oculis veſtris videtis. 9. Propterea gladio ceciderunt patres noſtri, & filii noſtri, filiæque & uxores noſtræ in captivitatem abductæ ſunt. 10. Nunc verò animus mihi eſt ferire fœdus cum Jehova Deo Iſraëlis, ut fervorem iræ ſuæ à nobis avertat. 11. Ne ergo nunc, ô filii mei, quieſcatis; quandoquidem vos elegit Jehova, ut ſtetis in ipſius conſpectu miniſterii causâ, útque ſibi ſerviatis, & adoleatis.

12. Exorti ergo ſunt Levitæ, Machathus Hamaſaïs filius, Joël Hazarjæ filius, è filiis Kehathitarum; è filiis verò Meraritarum, Kiſus Habdis filius, Hazarja Jehallelis filius; è Gerſonitis Joachus Zimmæ filius, & Heden Joachi filius; 13. è poſteris Elitſaphanis, Simris & Jehiel; è poſteris Aſaphi, Zecharja & Matthanja; 14. è poſteris Hemanis Jehiel & Simhis; è poſteris *denique* Jeduthunis, Semahja & Huzziel. 15. Hi coëgerunt fratres ſuos, cúmque ſe purificaſſent ingreſſi ſunt, ex mandato Regis, prout dixerat Jehova, ad purgandam Ædem Jehovæ; 16. & ingreſſi quidem ſunt Sacerdotes in interiorem partem Ædis Jehovæ, ad *eam* mundandam, ac eduxerunt omnes ſordes, quas invenerunt in Templo Jehovæ, in atrium Ædis Jehovæ, *ubi* eas acceperunt Levitæ, ut foràs efferrent in torrentem Kedronem. 17. Cœperunt autem primo *die* menſis primi purgare, & die octavo menſis ingreſſi ſunt porticum Jehovæ, purgarúntque Ædem Jehovæ diebus octo, & die *demum* decimo ſexto menſis primi abſolverunt.

18. Deinde convenerunt intra *regiam* Hezekiam Regem, eique, purgavimus, inquiunt, totam Ædem Jehovæ, altare holocautomatis & omnia ejus utenſilia, & menſam in qua ſtruuntur *panes*, omniáque ejus utenſilia. 19. Omnia item vaſa, quæ amoverat Rex Achazus, dum regnaret, & in defectione *à Jehova viveret*, paravimus & purgavimus, atque en illa ante altare Jehovæ. 20. Mane autem ſurrexit Rex Hezekia, coactiſque civitatis principibus, adſcendit in Ædem Jehovæ. 21. Duxerunt eò ſeptem juvencos, ſeptem arietes, ſeptem agnos, & ſeptem hædos, ut eſſent *hoſtiæ* pro peccato pro Regno, Sanctuario & Juda; juſſitque *Rex* poſteros Aharonis Sacerdotes eas offerre in altari Jehovæ. 22. Mactati ſunt ergo juvenci, exceperúntque Sacerdotes ſanguinem, & eo altare adſperſerunt. Mactati deinde arietes, eorúmque ſanguine al-

Stupori] לשמה *lſchammah.* Qui neſciunt quò ſe vertant, *ſtupent*; & qui ex magna felicitate in ſummam miſeriam prolapſi ſunt, ſtupori etiam ſunt aliis. Contigerat hoc Achazo, cujus infeliciſſimum fuerat regnum, propter clades quas ab Iſraëlitis, Damaſcenis & Philiſthæis paſſus fuerat, & propter rapacitatem inexpletam Aſſyriorum, quibus omnes ſuas, & amicorum opes donaverat.

10. *Animus mihi eſt*] *Nunc cum corde meo.*

11. *Ne quieſcatis quandoquidem* &c.] אל תשלו *al thiſſchalou*; hoc eſt, ne quieſcite, donec abſolveritis quod jubeo; Templum, nempe, purgaveritis, quoniam eam in rem à Deo eſtis electi. LXX. Intt. μὴ διαλίπητε, Vulgatus, *nolite negligere.*

14. *Jehiel*] In textu יחואל *Jehhoel*, at in margine יחיאל *Jehiel.* Sic LXX. Intt. Ἰεϊὴλ, & Vulgatus *Jahiel.*

15. *Prout dixerat Jehova*] *In verbis Jehovæ.* Nam Deus Sacerdotibus & Levitis mandaverat curam Sanctuarii.

Ad purgandum] לטהר *ltaher*, quod idem eſt ac קדש *kaddeſch*, quo verbo uſus eſt Scriptor Sacer vſ. 5. Vide & vſſ. 17 & 18.

16. *Omnes ſordes* &c.] כל הטמאה *omnem immunditiam.* Quam aut ſitus & ſquallor Ædi pepererant, aut nequitia Idololatrarum intulerat. Cùm tam dira eſſet Achazi impietas, non videtur, in magnis anguſtiis, ſibi omnino temperaſſe ab aureis ornamentis Sanctuarii, ſitis in menſis, altari, candelabris, arca, & laminis aureis quibus parietes Sacrarii erant obducti. Eo reſpici videtur Cap. XXVIII, 24. Sed omnia fortaſſe auferre auſus non eſt, quod colligi queat ex vſſ. 18 & 19.

17. *Die octavo menſis*] Per octo dies purgarunt ipſum Templum & atrium Sacerdotum; quibus exactis, atrium quoque exterius, cum omnibus ſuis ædificiis, purgarunt etiam, per octo dies.

18. *Menſam in qua ſtruuntur panes*] *Menſam ſtruis.* Una fuit, in Tentorio Moſaïco, menſa aurea, ſed plures in Salomonico Sanctuario, ut conſtat ex Cap. IV, 8.

21. *Pro regno, Sanctuario & Juda*] על הממלכה ועל המקדש ועל יהודה, *hal hammamlachah vehal hammikdaſch, vehal Jehoudah.* Voce *Regni* videtur intelligi Rex ipſe, pro cujus peccatis victimæ offerebantur; voce *Sanctuarii*, Sacerdotes, & Levitæ, qui nec ſine peccatis erant & fortè nimio obſequio Achazi impietatem tulerant & foverant; voce denique *Judæ*, omnes qui Hezekiæ parebant, ſeu reverà poſteri Judæ eſſent, ſeu Benjaminitæ aut aliarum Tribuum homines, qui inquilini erant in agris ditionis familiæ Davidis. Septenæ autem erant quaternûm generum victimæ, quòd mactarentur in honorem Dei, qui ſeptem diebus omnia creavit. Vide ad Exod. XXIX, 30. Levit. XIV, 7.

22. *Eo altare adſperſerunt*] Hoc erat ſingulare munus Sacerdotum. Vide Levit. I, 5. III, 3. IV, 7.

23. *Nitendo manus ſuas* &c.] Vide not. ad Exod. XXIX, 11. & Levit. IV, 4.

24. *Juſſerat offerri holocauſta*] *Dixit Rex holocauſtum & peccatum.* אמר המלך העולה *amar ham-*

altare adſperſerunt. Mactati poſtea agni, & eorum ſanguine altare adſperſerunt. 23. *Tan-*
dem admoverunt hircos, qui erant hoſtiæ pro peccato, Regi & cœtui, qui nitendo
manus ſuas iis impoſuerunt. 24. Mactaverunt eos Sacerdotes, & effuderunt ſanguinem
eorum ad altare, ad expiandum univerſum Iſraëlem; nam Rex pro univerſo Iſraële
juſſerat *offerri* holocauſta & victimas pro peccato.
25. Conſtituit etiam Levitas in Æde Jehovæ, cum cymbalis, nabliis & citharis, ex
præſcripto Davidis, Gadi Videntis regii, & Nathanis Prophetæ; nam à Jehova præ-
ceptum hoc per Prophetas *datum fuerat*. 26. Adſtabant ergo Levitæ, cum inſtrumen-
tis Davidis, & Sacerdotes cum tubis. 27. Cùm itaque juſſiſſet Hezekia offerri holo-
cauſtum in altari, tempore quo cœpit holocauſtum *adoleri*, cani cœpit canticum Jeho-
væ & *clanxerunt* tubæ, in manibúſque *erant* inſtrumenta Davidis, Regis Iſraëlis. 28. Om-
nis verò cœtus ſe proſtravit, dum canticum canebatur & tubæ clangebant; *quod ab*
omnibus *factum*, donec abſolutum eſſet holocauſtum. 29. Poſtea perfectis holocauſ-
tis, Rex & quicumque cum eo erant genua flexerunt, & *Deum* adorarunt. 30. Dein-
de Rex Hezekia & principes juſſerunt Levitas laudare Jehovam, verbis Davidis & Aſa-
phi Videntis, laudaverúntque eum ad hilaritatem uſque, flexerunt deinde cervicem &
Deum adorarunt.
31. Poſtea Hezekia, nunc, inquit, *vos quidem*, *ô Sacerdotes*, conſecrati eſtis Jehovæ.
Vos verò, *ô Iſraëlitæ*, accedite & adducite victimas *ſalutares* & laudis, in Ædem Jehovæ.
Itaque cœtus victimas *ſalutares* & laudis adduxit, & quiſquis ſponte ſuâ voluit holo-
cautomata. 32. Numerus autem holocautomatum, quæ adduxit cœtus, fuit juvenco-
rum ſeptuaginta, arietum centum, & agnorum ducentorum; quæ omnia *adducta ſunt*,
ut eſſent holocautomata Jehovæ. 33. At res conſecratæ *fuerunt* juvenci ſexcenti & pecu-
dum minorum tria millia. 34. Verùm cùm Sacerdotes eſſent nimis pauci, nec poſſent co-
ria detrahere omnibus holocauſtis, eos adjuverunt Levitæ, donec opus eſſet perfectum, &
donec purificati eſſent *plures* Sacerdotes; nam Levitæ rectiori animo fuerunt, ad ſe pu-
rificandos, quàm Sacerdotes. 35. Holocauſta etiam magno numero fuerunt, ut & adeps
ſalutarium Sacrorum, & libamina holocautomatum; & reſtitutum eſt miniſterium Ædis
Je-

bammelech baholah, poſt המלך intelligendum להעלות *offerre*, ut vſ. 27.

25. *Ex præſcripto Davidis* &c.] Vide 1. Eph. Cap. XXIII. & ſeqq.

27. *Inſtrumenta Davidis*] Aut quæ à Davidis temporibus ſupererant, aut certè ex inſtituto Davidis facta.

29. *Quicumque cum eo erant*] *Et omnes inventi cum eo.*

30. *Verbis Davidis*] Hoc eſt, decantato quopiam Davidis Pſalmo, & fortè ex iis qui incipiunt vocibus הללו יה *halelujah*, ut Pſ. CXLVI, & ſeqq.

31. *Conſecrati eſtis*] *Impleviſtis manus veſtras.* Vide ad Exod. XXVIII, 41. Hæc verba ad ſolos Sacerdotes pertinent; ad quos converſus ea protuliſſe videtur Hezekias. Ideóque, perſpicuitatis causâ, ſupplevimus: *vos quidem*, *ô Sacerdotes*. Conſecrati autem iterum dicuntur, quia denuo muneribus fungi cœperant.

Vos verò, *ô Iſraëlitæ*] Hæc quoque, ad obſcuritatem vitandam, ſuppleri neceſſe fuit; nam ſequentia verba ad populum converſus pronunciavit Hezekias.

Adducite victimas ſalutares] זבחים *zebahhim*; quæ vox victimas quidem quaſlibet, ex Etymologia ſua, ſignificat, ſed hic ſumitur pro victimis ſalutaribus, ut Lev. XVII, 8. Holocautomata & victimæ pro peccato oblata erant, ideóque nihil ſupererat offerendum niſi שלמים *victimæ ſalutares* & תודה *victimæ laudis*. De prioribus. Vide Levit. C. III. & poſterioribus. Ib. C. VII, 12. Holocauſtorum ac victimarum pro peccato caro ab offerentibus non attingebatur, ſed victimæ ſalutares & laudis, oblatis lege definitis proficiis, erant in convivium. Vide Lev. VII, 14. Itaque Hezekias has victimas jubebat offerri, ut conviviis inſtauratio cultûs divini celebraretur.

Quiſquis ſponte ſuâ voluit] *Spontaneus corde.* Sacrificium ſic oblatum vocabatur נדבה *nedabah*, de quo vide ad Levit. VII, 16.

33. *Res conſecratæ*] והקדשים *vehakkodaſchim*. Quamvis omnis generis victimæ ſic vocentur, videntur tamen hic intelligi victimæ ſalutares & laudis, quia jam ſunt enumerata holocautomata; niſi fortè omnes omnino victimæ intelligantur, & omnium ſumma ſubducatur.

34. *Eos adjuverunt*] ויחזקום *jehhazzekoum*. Confirmarunt, vel vires eorum auxerunt; hoc eſt, adjuverunt, ut ſupra C. XXVIII, 20.

Ad ſe purificandos] Ut Sacra facere poſſent, à quibus immunditiâ arcebantur.

35. *Adeps ſalutarium ſacrorum*] Eorum proficiæ, quarum magna pars erat adeps. Vide Lev. III, 3. & ſeqq.

Libamina] נסכים *neſachim*. Vide Num. XV, 5. & ſeqq. Tot erant libamina quot Sacra, itaque neceſſarium non erat dicere multa fuiſſe libamina, poſtquàm multæ victimæ memoratæ erant, res enim per ſe intelligitur. Sed Hebræi non ita numerant verba, nihil ut redundet; quamvis in hiſtoriis plerumque parci ſint, & innumera, quæ ſcire cuperemus, prætermittant.

Reſtitutum] ותכון *vatticcon*, ſtabilitum eſt. Sed Hebræi compoſitis carent.

36. *Aſ-*

Jehovæ. 36. Lætatus autem eſt Hezekia, ut & univerſus populus, quòd Deus ita af-
feciſſet populum; res enim ſubitò facta erat.

XXX. Hezekias Paſcha menſe ſecundo celebrandum indicit, etiam per urbes Iſraëlis, idque maximo omnium concurſu celebratur.

CAPUT XXX.

1. MISIT deinde Rex Hezekia per omnem Iſraëlem & Judam, & litteras etiam
ſcripſit ad Ephraimum, & Maſſaſſen, ut venirent in Ædem Jehovæ Jeroſoli-
mam, ad celebrandum Paſcha Jehovæ Deo Iſraëlis. 2. Conſilium verò iniit
Rex, duces ejus & univerſus cœtus Jeroſolimæ, de celebrando Paſchate, menſe ſe-
cundo; 3. neque enim potuerant illud celebrare illo tempore, quia Sacerdotes ſat mag-
no numero non erant purificati, nec populus Jeroſolimam convenerat. 4. Res autem
placuit Regi & toti cœtui. 5. Itaque decreverunt promulgatum iri per totum Iſraë-
lem, à Beerſeba Danem uſque, ut venirent *Iſraëlitæ* celebratum Paſcha Jehovæ Deo
Iſraëlis Jeroſolimam; quia jam dudum, ex *Legis* præſcripto, id non celebrarant.
6. Iverunt ergo curſores cum Litteris à Rege, ejúſque proceribus, per univerſum
Iſraëlem & Judam, ut ex mandato Regis dicerent: ò Iſraëlitæ, revertimini ad Jeho-
vam Deum Abrahami, Iſaaci & Iſraëlis, & revertetur *ipſe* ad eos qui evaſerunt, & re-
liqui ſunt vobis è manu Regum Aſſyriorum. 7. Ne ſitis ut patres, fratréſque veſtri,
qui à Jehova Deo Majorum ſuorum defecerunt, quamobrem expoſuit eos ſtupori,
quemadmodum vos videtis. 8. Nunc autem ne cervicem veſtram, ut patres veſtri,
induretis, date manum Jehovæ, venite ad ejus Sanctuarium, quod ſibi in perpetuum
conſecravit, & colite Jehovam, Deum veſtrum, fervórque ejus iræ à vobis avertetur.
9. Si enim redieritis ad Jehovam, fratres veſtri miſericordiam *conſequentur* apud eos,
qui illos captivos abduxerunt, ita ut redituri ſint in hancce terram; quia beneficus ac
mi-

36. *Affeciſſet populum*] על ההכין לעם *hal habechin laham.* Eſt pro עַל אֲשֶׁר שֶׁהֵכִין *propter id quod præparaverat*, aut *diſpoſuerat*, ut cenſet *Joan. Buxtorfius* Theſ. Lib. II. c. 17. Sed præterea ſubaudiendum לב *leb*, cor, ut phraſis integra ſit אשר הכין אלהים לב לעם *propterea quod affecerat Deus cor populi*; nam cum verbo כון *choun*, ſæpe conjungitur לב *leb*, ut ſupra Cap. XII, 14. XXX, 19.

Res enim ſubitò facta erat] Religio populi divino adflatui tribuebatur, quia ſat longum tempus non fuerat, ut rationibus, vel auctoritate Regis moveri poſſent Hebræi.

In CAPUT XXX.

1. A*D Ephraimum & Manaſſen*] Proximas Tribus ad ſeptemtriones, quarum reliquiæ faciliùs Jeroſolimam conſerre ſe poterant.

3. *Quia Sacerdotes* &c.] Templum priùs repurgandum fuit, & quidem à mundis Sacerdotibus, qui cùm pauci eſſent, ſexdecim diebus initio facto à primo menſis primi eam in rem indiguerunt, Cap. XXIX, 17. cùm decimus quintus Paſchatis ſtatus eſſet dies. Præterea ingentem copiam Sacerdotum præſto eſſe oportuit, ad ſanguinem agnorum Paſchalium offerendum.

5. *Decreverunt promulgatum iri*] *Conſtituerunt verbum*, aut rem, *ad faciendum tranſire vocem.*

Jam dudum] לרב *larob.* LXX. Intt. verterunt πλῆθος, Vulgatus, *multi.* Sed licèt רב *rob* multitudinem ſignificet, non populi, ſed annorum multitudo intelligenda videtur; ita ut integra phraſis ſit לרב שנים *larob ſchanim*, per multitudinem annorum; à ſchiſmate, nempe, Jerobohami.

6. *Ut ex mandato Regis dicerent*] *Et in mandato Regis, dicendo.*

Qui evaſerunt & reliqui ſunt] *Ad evaſionem relictam*; nam Salmanaſar maximam eorum partem in captivitatem abduxerat.

Regem Aſſyriorum] מלכי אשור *malche Aſſchour.* LXX. Intt. in ſingulari habent βασιλέως Ἀσσὺρ, & Vulgatus, *Regis Aſſur.* At Chaldæus מלכיא ראתור *Regum Aſſyriorum.* Intelliguntur *Phul* & ejus ſucceſſores *Thiglath-phileſer* & *Salmaneſer*, qui Iſraëlitas malè habuerant, & præſertim quidem poſtremus, à quo captivi fuerant abducti.

8. *Date manum Jehovæ*] תנו יד ליהוה *thenou jad llhavoh*; hoc eſt, vos Deo ſubjicite, ut res ipſa oſtendit & uſus loquutionis 1. Par. XXIX, 24. Sic etiam loquuntur Latini, apud quos *dare manus* eſt perinde ac, victum ſe fateri, cedere; ut apud *Ovidium* Ep. Phædræ ad Hippolytum, vſ. 14.

Ille mihi primò dubitanti ſcribere dixit:

Scribe, DABIT VICTAS *ferreus ille* MANUS.

Lucretius Lib. II. p. 268. Ed. Lambinianæ Francofurtenſis.

Deſine quapropter, novitate exterritus ipsâ,
Exſpuere ex animo rationem; ſed magis acri
Judicio perpende, &, ſi tibi vera videtur
DEDE MANUS, *aut ſi falſa eſt, accingere contrà.*

Ad quem locum plura exempla ex *Cæſare* & *Cicerone* congeſſit *Dionyſius Lambinus.* LXX. Intt. hic habent δότε δόξαν, quæ ſenſum potiùs quàm verba exprimunt.

9. *Miſericordiam conſequentur*] לרחמים *lerahhamim.* LXX. Intt. ἔσονται ἐν οἰκτιρμοῖς. Subaudiri voluerunt verbum יהיו *jihjou*, erunt, aut ſimile quidpiam. Chaldæus habet: בניכון יהב לרחמים *filios veſtros dabit miſericordiæ*, quaſi ſubaudiendum eſſet יתן jitthen, *dabit.*

10. *Tranſierunt curſores*] Deſerti erant maxima ex parte tractus illi, cúmque Aſſyriis parêrent Iſraëlitæ, qui evaſerant captivitatem, nihil vetuit Hezekiæ nuncios quaquaverſùm ire.

12. *Se exſeruit manus Dei*] *Fuit manus Dei ad dandum eis cor unum, ut facerent præceptum Regis* &c.

13. *Feſ-*

miſericors eſt Jehova Deus veſter, nec avertet faciem ſuam à vobis, ſi ad illum redieritis.

10. Tranſierunt igitur curſores ex urbe, in urbem, per terram Ephraimi, & Manaſſæ, uſque ad Zabulonem, eóſque *plerique* deriſerunt & ſubſannarunt. 11. Attamen nonnulli ex Aſero, Manaſſa & Zabulone ſe ſe humiliter abjecerunt, venerúntque Jeroſolimam. 12. Apud Judam etiam ſe exſeruit manus Dei, ita ut iis immiſerit animum unum, ad parendum imperio Regis & procerum, ex verbo Jehovæ. 13. Convenit multus populus Jeroſolimam, ad celebrandum feſtum azymorum, menſe ſecundo, *aderátque* maximus cœtus. 14. Surrexerunt autem & amoverunt altaria, quæ Jeroſolimæ erant, omniáque inſtrumenta ad ſuffiendum, & ea in torrentem Kedronem conjecerunt. 15. Tum mactarunt Paſcha decimo quarto die menſis ſecundi, Sacerdotéſque & Levitæ pudore ſuffuſi purificarunt ſe & in Ædem Jehovæ holocautomata duxerunt. 16. Steterunt loco ſuo ex more, ſecundùm legem Moſis viri divini, & Sacerdotes quidem adſperſerunt ſanguinem è manu Levitarum acceptum; 17. magna enim erat multitudo in cœtu, quæ ſe ſe non purificarat, Levitæque erant præfecti mactationi *victimarum* paſchalium, in gratiam quorumvis, qui non erant mundi, ad *eas* conſecrandas Jehovæ. 18. Ingens multitudo populi ex Ephraïmo, Manaſſa, Iſſaſchare & Zabulone ſe ſe non mundarat; ſed comedit Paſcha, non ex *legis* præſcripto. Verùm oravit pro iis Hezekia, his verbis: Jehova, qui bonus eſt, propitius ſit iis 19. omnibus, qui animum adpulerint ad quærendum Deum Jehovam, Deum Majorum ſuorum, licèt non ſecundùm Sanctuarii purificationem; 20. exaudivitque Jehova Hezekiam, & populum expiavit. 21. Celebrarunt ergo Iſraëlitæ, qui fuerunt Jeroſolimæ, feſtum azymorum, per ſeptem dies, magnâ hilaritate; laudarúntque quotidie Levitæ, & Sacerdotes Jehovam *ac* inſtrumentis *muſicis* potentiam Jehovæ *extulerunt*.

22. Deinde dixit Hezekia quæ cordi erant omnibus Levitis, qui canticum quodpiam egregium Jehovæ norant, comederúntque *hoſtias* feſti per ſeptem dies, victimas ſa-

13. *Feſtum azymorum*] Paſchatis, in quo azymis panibus veſcebantur.

14. *Altaria*] Ab Achazo dedicata. Vide Cap. XXVIII, 24.

15. *Decimo quarto die menſis ſecundi*] Quia non potuerat celebrari eodem die menſis primi.

Pudore ſuffuſi &c.] *Pudore ſuffuſi ſunt & purificarunt ſe* &c. quòd, nempe, ne ſuo tempore celebraretur Paſcha, inertiâ ſuâ partim impediiſſent.

16. *Loco ſuo*] *In ſtatione ſua*, ubi ex munere ſibi impoſito ſtare miniſteriis ſacris paratos oportebat.

Adſperſerunt ſanguinem] Ad altari baſin. Vide ad Cap. XXIX, 22.

17. *Quæ ſe non purificarat*] Ideoque victimam mactare, ſanguinémque ejus ad Sacerdotes ferre non audebat. Poterat quivis occidere victimam, ſed ſanguinem ejus offerre nemo, præter Sacerdotes.

Qui non erant mundi] Hos quidem excludebat Lex à cœna Paſchali, ſed quia merâ ignorantiâ peccarant, multúmque intererat eos allici ad cultum veri Dei, à quo nimiâ ſeveritate alienati fuiſſent; paſſus hoc eſt Hezekia, Deúmque oravit ut iis ignoſceret, quod in ſequentibus verbis narratur.

18. *Ex legis præſcripto*] ככתוב *ut ſcriptum eſt*; nimirum, in Lege. Vide Num. IX, 6.

Propitius ſit iis] יכפר בעד *jechappher behad*; ſed hæc conjungenda cum ſequentibus כל *chol* &c. *Expiabit pro omni* qui *animum adpulerit* &c. Non debuit nota commatis hîc addi. Vide hujus conſtructionis exemplum Exod. XXXII, 30.

19. *Sanctuarii purificationem*] Quam obſervari oportebat in Sanctuario, ex lege Moſaïca.

20. *Et populum expiavit*] וירפא את העם *vajjirpha eth haham*, ſanavit populum. LXX. Int. verbo tenus, ἰάσατο τὸν λαόν. Vulgatus verò, *placatus eſt populo*. Sed רפא *rapha*, ubi ſermo eſt de condonatione peccatorum, expiationem ſonat, ut infra Cap. XXXVI, 16. Eſai. VI, 10. ut rectè obſervavit *Val. Schindlerus*, apud quem & alia exempla.

21. *Inſtrumentis muſicis potentiam Jehovæ extulerunt.*] בכלי עז ליהוה *bichle haz lJhavoh*. Repetendum ex antecedentibus מהללים *mehalelim* laudantes, & ſupplendum שיר *ſchir*, cantici, poſt כלי, ut tota phraſis ſint: מהללים בכלי שיר עז ליהוה, *laudantes inſtrumentis muſicis potentiam Jehovæ*. LXX. Int. ἐν ὀργάνοις τῷ κυρίῳ, quaſi omiſiſſent עז *haz*. Vulgatus, *per organa quæ ſuo officio congruebant*; quæ neſcio quomodo invenerit in verbis Hebraïcis. Chaldæus: בזיני תושבחתא קדם יי *bzene thouſchbhabhtha kodam Adonai*, inſtrumentis laudis coram Jehova.

22. *Dixit quæ cordi erant*] *Alloquutus eſt cor*, quæ loquutio eſt, qua ſignificatur oratio grata iis, qui eam audiunt. Vide Gen. Cap. XXXIV, 3. Vult Scriptor Sacer laudatos eſſe ab Hezekia Levitas, qui laudes Dei tenerent.

Canticum quodpiam egregium Jehovæ norant] המשכילים שכל טוב ליהוה *hammaſchchilim ſchechel tob lJhavoh*. Vox משכיל cùm ſit à conjugatione Hiphil, propriè hominem *erudientem* alios ſignificat, ut שכל *ſchechel* eſt *oratio, qua aliquid docetur*. Cùm verò canticis & carminibus contineretur magna pars eruditionis Veterum, inde factum eſt ut utrumque ad *carmina* transferretur; unde fit ut in titulis Pſalmorum occurrat vox משכיל *maſchchil*, ad ſignificandum *canticum*, & Pſal. XLVII, 8. *canite* משכיל, perinde ſit ac, canite canticum eruditum, unde liceat Dei laudes diſcere. LXX. Int. ad verbum συνιόντες σύνεσιν ἀγαθήν, & Vulgatus, *habentes intelligentiam bonam*; quaſi ſermo eſſet de Levitis cultui veri Dei addictis & rerum divinarum peritis, quod ſi quis malit, non intercedam.

Comederuntque hoſtias feſti] ויאכלו את המועד *vajjochelou eth hammohed*, comederunt feſtum, hoc eſt, hoſtias feſti. Sic חג *hhag*, quod propriè feſ-

ſalutares mactantes, & *beneficia* Jehovæ Dei Majorum ſuorum agnoſcentes. 23· Inivit autem conſilium univerſus cœtus de celebrandis ſeptem aliis diebus, celebrarúntque hilariter ſeptem *alios* dies. 24· Hezekia enim, Rex Judæ, obtulit univerſi cœtûs causâ, mille juvencos, & minorum pecudum ſeptem millia; proceres verò obtulerunt, cœtûs causâ, juvencos mille, & minorum pecudum decem millia. Multi autem Sacerdotes ſe ſe purificarant. 25· Lætatus ergo eſt univerſus cœtus Judæ & Sacerdotes & Levitæ, omniſque cœtus qui venerat ex Iſraële, & peregrini, cùm qui ex terra Iſraëlis venerant, tum qui apud Judam habitabant. 26· Fuit ſumma hilaritas Jeroſolimæ, quia à temporibus Salomonis, Davidis filii, Regis Iſraëlis, nihil ſimile Jeroſolimæ *contigerat*. 27· Tandem ſurrexerunt Sacerdotes & Levitæ, & populo bene precati ſunt. Exaudita verò eſt *à Deo* eorum vox, & ad ſanctas ejus ſedes in cœlum pervenit.

XXXI. Hezekias cultum omnem Idololatricum, apud Judam & Iſraëlem abolet. Veri Dei cultum inſtaurat & Sacerdotibus unde viverent dari curat.

CAPUT XXXI.

1· POSTQUAM hæc omnia abſoluta fuiſſent, omnes Iſraëlitæ, qui erant in urbibus Judæ, egreſſi ſunt & fregerunt ſtatuas, ceciderunt lucos, demolitique ſunt loca excelſa & altaria ex univerſo Juda, Benjamine, Ephraimo & Manaſſa, donec aboleviſſent. Dein reverſi ſunt omnes Iſraëlitæ, quiſque ad poſſeſſionem ſuam & ad urbes ſuas.

2· Conſtituit porrò Hezekia claſſes Sacerdotum & Levitarum, pro eorum diſtributionibus & unumquemque pro ratione miniſterii ſui, cùm ad Sacerdotes, tum ad Levitas quod attinet; holocautomatum, ſalutariúmque *Sacrorum* causâ, ad miniſtrandum, agnoſcendáque & laudanda *Dei beneficia*, intra portas caſtrorum Jehovæ. 3· *Conſtituit* & collationem regiam, ex facultatibus ſuis, ad quotidiana holocautomata matutina & veſpertina, & ad holocautomata Sabbathorum, Neomeniarum, feſtorúmque, quemadmodum in Lege Jehovæ ſcriptum eſt.

4· Juſſit etiam populum & incolas Jeroſolimæ dare Sacerdotibus & Levitis partem *eis debitam*, ut conſtantes eſſent in *exſequenda* Lege Jehovæ. 5· Cúmque res eſſet pronul-

feſtum ſignificat, ſumitur pro victima quæ tempore feſto mactabatur. Sic Pſ. CXVIII, 27. *vincite* חג *victimam feſti funibus cornibus altaris*. Vide & Exod. XXIII, 18. Eſai. XXIX, 1. LXX. Intt. συνετέλεσαν τὴν ἑορτὴν τῶν ἀζύμων, quaſi legiſſent, ויכלו, *& perfecerunt*. Vulgatus, *comederunt ſeptem diebus ſollemnitatis*. Omiſſa hæc ſunt in textu edito Paraphraſtæ Chaldæi. Interpretatio primùm allata optima videtur, ideóque inter ſignificationes vocis מועד *mohed* poſthac erit ponenda *victimæ*, quæ feſto die mactatur.

23· *De celebrandis*] *De faciendis.*

Hilariter ſeptem alios dies] יעשו שבעת ימים שמחה *fecerunt ſeptem diebus hilaritatem*, aut *egerunt ſeptem diebus in hilaritate*, quaſi eſſet בשמחה *beſchimhhah.*

24· *Obtulit*] הרים *ſuſtulit.* Alluditur ad oblationes elatas, quæ תרומות *throumoth* dicebantur, quòd attollerentur antequam imponerentur altari. Vide ad Exod. XXV, 2.

26· *A temporibus Salomonis*] Quia ejus tempore celebrati fuerant ſeptem dies, propter dedicationem Templi, & ſeptem alii, propter feſtum Tabernaculorum, ut habuimus Cap. VII, 8. & ſeqq. Sic & nunc per duas hebdomadas Paſcha & Inſtaurationem cultûs divini celebrarunt.

27· *Ad ſanctas ejus ſedes*] *Ad habitaculum ſanctitatis ejus.*

In CAPUT XXXI.

1· Q*Ui erant in urbibus Judæ*] *Inventi in urbibus Judæ.*

Ephraimo & Manaſſa] Hæ quidem Tribus, aut potiùs earum reliquiæ parebant Aſſyriorum Regi, ſed non videtur curaſſe quid agerent, ad Religionem quod attinet.

2· *Conſtituit*] Aut reſtituit in munera ſua, quæ ante Achazum Hezechiæ patrem obiverant.

Intra portas caſtrorum Jehovæ] בשערי מחנות יהוה *beſchahare machanoth Jehova*. LXX. Intt. ἐν ταῖς πύλαις (vel αὐλαῖς) οἴκου κυρίου. Sed Templum loquutione, quâ ad ævum Moſaicum alluditur, vocatur *caſtra Jehovæ*; quia tempore Moſis Tentorium & aulæa, quibus erat cinctum atrium ejus, propriè vocari poterant caſtra Jehovæ.

3· *Collationem regiam*] מנת המלך *mnath hammelech.*

Quotidiana holocautomata] *Ad holocautomata, ad holocautomata*, לעלות לעלות *laholoth leholoth.*

4· *Partem eis debitam*] מנת הכהנים *partem Sacerdotum* &c. Jura Sacerdotalia & Levitica, quæ recenſuimus ad Num. XVIII, 20. & quorum nonnulla poſtea memorantur; primitiæ, nimirum, & decimæ, quæ ſub Idololatris Regibus Sacerdotibus negabantur, quo fiebat ut cultus divinus publicus ab iis, penuriâ preſſis, negligeretur.

Ut conſtantes eſſent] *Ut confirmarentur* למען יחזקו *lmahan jehhezekou.*

5· *Magnâ copiâ dederunt*] *Multiplicarunt.*

6· *Acervatim depoſuerunt*] *Et dederunt acervos, acervos*; nempe, frugum & fructuum.

7· Ca-

mulgata, magnâ copiâ dederunt Iſraëlitæ primitias frumenti, muſti, olei, mellis, omniſque proventûs agri, & decimam omnium illorum magno numero advexerunt. 6. Iſraëlis & Judæ poſteri, qui habitabant in urbibus Judæ, dederunt etiam decimam boum & minorum pecudum, & decimam rerum Jehovæ Deo ſuo conſecratarum advexerunt, & acervatim depoſuerunt. 7. Menſe tertio, cœperant ſtruere acervos, & menſe ſeptimo eos abſolverunt. 8. Tum venerunt Hezekia & proceres, conſpectiſque acervis, benedixerunt Jehovæ & populo ejus Iſraëli. 9. Dein ſciſcitatus eſt Hezekia Sacerdotes & Levitas, de acervis. 10. Hazarja verò Sacerdos primarius, è familia Tſadoki, ex quo, inquit, elata oblatio in Ædem Jehovæ allata eſt, comedimus & ſaturati ſumus, & ſupereſt adhuc *ex ea* magna copia; quia populo ſuo benedixit Jehova, & reliqua facta hæc eſt *copia*. 11. Juſſit itaque Hezekia parari cellas, in Æde Jehovæ, quas pararunt. 12. Eò autem oblationes elatas, decimas & res conſecratas fideliter intulerunt.

Hiſce verò præerant Chananja Levita, & ſecundus ab illo Simhis frater ejus. 13. At Jechiel, Hazarja, Nachathus, Haſahel, Jerimothus, Jozabadus, Eliel, Jiſmachja, Machathus, Benaja præfecti erant, ſub Chananja & fratre ejus Simhi, ex mandato Hezekiæ Regis & Hazarjæ ducis Ædis Dei. 14. Kora verò, Jimnæ filius, Levita, janitor ad Orientem, præerat donis Dei ſponte oblatis, ad dandam oblationem elatam Jehovæ, & ſanctiſſima donaria. 15. Ad manum ei erat Heden, Minjamin, Jeſua, Semahja, Amarja, & Sechanja, in urbibus ſacerdotalibus, ad *ea* danda fratribus ſuis, pro eorum claſſibus, tam magno, quàm parvo. 16. Præterea *præfecti erant* recenſioni maſculorum, ab iis qui tres annos nati erant ad majoris ætatis homines ingredientes Ædem Jehovæ, ad negotia quotidiana, pro miniſteriis ſuis, muneribúſque ſecundùm claſſes ſuas; 17. & recenſioni Sacerdotum, pro familiis patriis ac Levitarum, à viginti annos natis ad eos qui erant majoris ætatis, pro muneribus, claſſibúſque eorum; 18. recenſioni item omnium impuberum, uxorum, filiorum, filiarúmque eorum, ad totam multitudinem quod attinet; quia fidei eorum commiſſa erant, quæ conſecrabantur. 19. Poſteris verò Aharonis Sacerdotibus, in agro ſuburbano urbium illorum, in ſingulis urbibus, *erant* viri, nominatim deſignati, ad dividendas partes omni maſculo, inter Sacerdotes, & cuicumque inter Levitas recenſitus erat.

20. Sic

7. *Cœperunt ſtruere acervos*] *Cœperunt acervos fundare*; hoc eſt, in acervos congerere primitias omnes & decimas. Sed an debitas præteritorum annorum, an verò hornas tantùm ſolverint, non conſtat.

10. *E familia Tſadoki*] Elehazaridæ, qui ſacerdotium familiæ ſuæ, tempore Salomonis, recuperavit. Vide 1. Reg. II, 26, 35.

12. *Hiſce autem præerant*] *Et ſuper ea dux* (נגיד nagid) *Chananja* &c. Hic נגיד *nagid* perinde eſt ac פקיד *phakid* præfectus, ſeu *ἐπιστάτης*, ut habent LXX. Intt. Ceterùm hîc præfectus vocatur in textu כונניהו *Chonanjahou*, quod Græci & Latinus pronunciant *Chonenias*; ſed in margine *Vau* detrahitur, & dicitur כנניהו *Chananjahou*.

13. *Sub Chananja*] *A manu* (מיד mijjad) *Chananjæ*; hoc eſt, qui ei ad manum erant, imperiis ejus obſequi parati.

Ducis Ædis Dei] Pontificis Maximi, qui fortè præterea munere Ducis Levitarum functus eſt; de quo munere diximus ad 1. Ephem. IX, 11.

14. *Ad dandam*] Nempe, Sacerdotibus, quorum hæc erant & quibus dividebantur.

Sanctiſſima donaria] *Sanctitatis ſanctitatum*. Quæ à Sacerdotibus abſumi neceſſe erat. Vide Levit. II, 3, 10. VI, 10, 18, 22, 24. VII, 1, &c.

15. *Tam magno, quàm parvo*] *Sicut magno, ſicut parvo.*

16. *Præfecti erant recenſioni* &c.] מלבד התיחשם *præter recenſere eos*; hoc eſt, præterquàm quòd recenſebant filios Levitarum; ut in diſtribuendis iis, quæ Sacerdotibus & Levitis dividenda erant, ratio haberetur magnitudinis familiarum. Vide vſſ. 18, & 19.

Ad majoris ætatis homines] ולמעלה *oulmahelah*, & ſupra.

Ad negotia quotidiana] *In rem diei die ſuo*; ut obirent, quæ ſingulis diebus erant iis curanda.

18. *Fidei eorum commiſſa erant*] *In fide eorum ſanctificabant ſanctitatem*; hoc eſt, iis tradebant quæ conſecrabantur Deo, quicumque ea ad Templum adferebant; quam in rem adhibendi fuerunt homines ſpectatæ fidei, ne fratres ſuos defraudarent; quod factum à Sacerdotibus ſuis temporibus queritur *Joſephus* Antiq. Jud. Lib. XX. cap. 8. ubi de Anania Pontif. Max. Εἶχε δ' οἰκέτας πάνυ μοχθηρούς, οἱ συναναστρεφόμενοι θρασυτάτοις, ἐπὶ τὰς ἅλωνας πορευόμενοι τὰς τῶν ἱερέων δεκάτας ἐλάμβανον βιαζόμενοι, καὶ τοὺς μὴ διδόντας οὐκ ἀπείχοντο τύπτειν· οἵ τε ἀρχιερεῖς ὅμοια τοῖς ἐκείνου δούλοις ἔπραττον, μηδενὸς κωλύειν δυναμένου· καὶ τῶν ἱερέων τοὺς πάλαι ταῖς δεκάταις τρεφομένους τότε συνέβαινε θνήσκειν, τροφῆς ἀπορίᾳ: *habebat autem ſervos nequiſſimos, qui adjungebant ſibi audaciſſimos homines, & ad areas ſe conferentes Sacerdotum decimas vi ſumebant, nec abſtinebant ab iis verberandis qui eas non dabant. Pontifices ſimilia illis ſervis faciebant, cùm nemo impedire poſſet. Tum etiam Sacerdotes, qui olim decimis ſe alebant, mori contigit, penuriâ cibi.*

20. *Egit-*

20. Sic ſe geſſit Hezekia, per totum Judam, egitque bene, rectè ac fideliter, coram Jehova Deo ſuo. 21. In omni opere, quod cœpit in uſum Ædis Jehovæ, in lege, in præceptis *obſervandis*, ad quærendum Jehovam totum animum ſuum adpulit, & proſperè egit.

XXXII. Sancheribus Aſſyriorum Rex bellum parat in Hezekiam, qui forti animo ſe ſe ad defenſionem Jeroſolimæ omnibus inſtruit. Miniſtri Sancheribi populum ad defectionem arrogantibus verbis & in Deum contumelioſis ſollicitant; quamobrem ab Angelo deletus Aſſyriorum exercitus. Hezekias ægrotus à Deo curatur, ejus iram concitat; ideóque ei Deus minatur, ſed ob ejus pœnitentiam, exſequutionem minarum differt, quietámque mortem ei concedit.

CAPUT XXXII. 1. REBUS illis fideliter geſtis, venit Sancheribus, Aſſyriorum Rex, ingreſſus eſt Judæ *agrum*, caſtra poſuit contra urbes munitas, ſtatuitque eas perrumpere, ut ad Hezekiam *perveniret*. 2. Animadvertit verò Hezekia venire Sancheribum, & faciem *convertere* ad oppugnandum Jeroſolimam, 3. & conſilium cepit cum proceribus, fortibúſque viris, qui ei aderant, obturandorum aquarum fontium, qui erant extra urbem, eúmque adjuverunt. 4. Convenit ergo multus populus, & obturarunt omnes fontes, & fluvium mediam terram rigantem; cùm dicerent: cur Reges Aſſyriæ venient, inveniéntque aquas multas? 5. *Hezekia* etiam confirmato animo, inſtauravit omnem murum dirutum, & produxit ad turres, atque extrinſecus alium murum. Munivit quoque Millonem & urbem Davidis, fecitque magnam copiam miſſilium & clypeorum. 6. Præfecit & duces belli populo, coactóſque eos ad plateam portæ urbis *ſic* ex eorum animi ſententia alloquutus eſt: 7. Conſtanti & forti animo eſtote, ne timete, neu terreamini, propter Regem Aſſyriorum, & propter omnem multitudinem, quæ cum illo eſt, quandoquidem nobiſcum plures ſunt, quàm cum illo. 8. Cum illo

20. *Egitque bene* &c.] *Fecit bonum, rectum & veritatem.*

21. *In præceptis obſervandis* &c.] *Et in præcepto ad quærendum Deum ſuum, toto corde fecit.*

In CAPUT XXXII.

1. R*Ebus illis fideliter geſtis*] *Poſt res illas & veritatem illarum.*

Caſtra poſuit] Oppugnavit, & partim cepit, 2. Reg. XVIII, 13.

Statuitque eas perrumpere] ויאמר לבקעם אליו *& dixit ad perrumpendas eas ad illum*; hoc eſt, iis captis ad Jeroſolimam perrumpere.

2. *Faciem convertere ad oppugnandum*] *Et facies ejus ad bellum contra Jeroſolimam.* Videbatur eò ſpectare, ut ſibi viam ad Jeroſolimam aperiret. Similis eſt loquutio Luc. IX, 52. πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον (vel πορευομένου) εἰς Ἱερουσαλήμ.

3. *Proceribus, fortibuſque viris, qui ei aderant*] *Principibus ſuis & fortibus ſuis.*

Obturandorum aquarum] Corrumpendorum fontium; ne iis uteretur Sancheribi exercitus. Torrens Kedron ſolebat exſiccari, potiúſque erat vallis, quàm torrens, niſi pluviarum copiâ vallis illa tegeretur; ideóque facilè fons illius obturari potuit. Quare ab *Euſebio* vocatur χειμάῤῥους ἢ φάραγξ *torrens, aut vallis.* Sed circa urbem copioſi erant fontes, ex quibus aqua per tubos ſubterraneos in Templum ferebatur, ſi credimus *Pſeudo-Ariſteæ*: ὕδατος δὲ, inquit, ἀνέκλειπτός ἐστι σύστασις ὡς ἂν καὶ πηγῆς ἔσωθεν πολυῤῥύτου φυσικῶς ἐπιῤῥεούσης· ἔτι δὲ θαυμασίων καὶ ἀνεκδιηγήτων ὑποδοχείων ὑπαρχόντων ὑπὸ γῆν, καθὼς ἀπέφαινον, πέντε σταδίων κυκλόθεν τῆς κατὰ τὸ ἱερὸν καταβολῆς· καὶ ἑκάστου τούτων σύριγγας ἀναριθμήτους καθ' ἕκαστον μέρος ἑαυτῶν συναπτόντων τῶν ῥευμάτων· καὶ πάντων τούτων μεμολιβδωμένων κατ' ἐδάφους καὶ τοῦ τοίχου· ἐπὶ δὲ τούτων κεχυμένης πολύ τι πλῆθος κονίας, ἐνεργῶς γεγονότων ἁπάντων· εἶναι δὲ πυκνὰ τὰ στόματα πρὸς τὴν βάσιν, ἀοράτως ἔχοντα τοῖς πᾶσι, πλὴν αὐτοῖς οἷς ἐστι λειτουργία· ὡς ῥοπῇ καὶ νεύματι πάντα καθαρίζεσθαι τὰ συναγόμενα παμπληθῆ τῶν θυμάτων αἵματα: *aquæ vero eſt collectio, quæ numquam deficit, cùm ſit fons interiùs copioſus qui naturâ eò influit, & cùm præterea ſint mirabilia & quæ verbis deſcribi nequeant, ſub terra receptacula, prout dixi, per quinque ſtadia, quæ dejiciunt aquam, & quorum ſingula habent innumerabiles fiſtulas, in unamquamque partem conjunctis fluentis. Omnino autem hæc ſunt plumbo obducta & in ſolo & in lateribus, & multâ terrâ tecta, donec omnia ad effectum adducerentur. Sunt præterea (in Templi labris) multa oſtia in baſi, quæ nemini conſpicua ſunt, niſi iis quibus cura eorum mandata eſt, ita ut impetu & flatu ſanguis quantumvis copioſus à victimis collectus expurgetur.* Tum ſubjicit: πεπεισμένος δὲ αὐτὸς καὶ τὴν τῶν ὑποδοχείων κατασκευὴν δηλώσω καθὼς ἐπίστευσα· προήγαγον γὰρ πλεῖον σταδίων τεσσάρων ἐκ τῆς πόλεως, καὶ πρός τινα τόπον ἐκέλευσαν κατακύψαντα συνακοῦσαι τοῦ γινομένου ψόφου τῆς ἀπαντήσεως τῶν ὑδάτων· ὥστε συνεφάνη μοι γεγονέναι τὸ μέγεθος τῶν ἀγγείων, καθὼς δεδήλωται. *Cùm hoc mihi perſuaſum ſit, oſtendam quæ ſit ſtructura receptaculorum, prout ejus mihi fides facta eſt. Nam abduxe-*

illo enim eſt brachium carnis, nobiſcum verò Jehova Deus noſter, ad nos adjuvandos, conficiendáque bella noſtra. Populus verò in verbis Hezekiæ, Regis Judæ, fiduciam poſuit.

9. Poſtea miſit Sancheribus, Aſſyriorum Rex, ſervos ſuos Jeroſolimam (ipſe verò ad Lachiſum erat, omnéſque ejus copiæ) ad Hezekiam Judæ Regem, qui erat Jeroſolimæ, ut dicerent: 10. ſic dixit Sancheribus, Aſſyriæ Rex; quanam re freti exſpectatis obſidionem Jeroſolimæ? 11. Annon Hezekia vos incitat, ut vos adducat ad moriendum fame & ſiti, dum dicit: Jehova Deus noſter nos manui Aſſyriorum Regis eripiet? 12. Annon is eſt, cujus Hezekia loca excelſa & altaria amovit, *quo facto* dixit Judæ & Jeroſolimæ: *Deum* ante altare unum adorabitis, & ſuper eo adolebitis? 13. Annon noſtis quid fecerimus ego & Majores mei omnibus terrarum populis? An potuerunt Dii gentium terrarum terram ſuam manui meæ eripere? 14. Quis inter omnes Deos earum gentium, quas deleverunt Majores mei, potuit populum ſuum è manu mea liberare, ut Deus veſter vos manui meæ eripere poſſit? 15. Nunc ergo ne vos Hezekia decipiat, neque hoc modo vos concitet. Ne ei credite, quia nullus cujuſquam gentis, aut regni Deus potuit eripere populum ſuum è manu mea, aut è manu Majorum meorum; nec Deus veſter vos è manu mea liberabit. 16. Plura etiam proloquuti ſunt ſervi ejus, contra Jehovam Deum, & contra Hezekiam ſervum ejus. 17. Quin etiam litteras ſcripſit, ut conviciaretur Jehovæ Deo Iſraëlis, & contra eum loqueretur, in hæc verba: ſicut *fuerunt* Dii gentium terrarum, qui non eripuerunt populum ſuum e manu mea: ſic è manu mea Deus Hezekiæ populum ejus non liberabit. 18. Clamaverunt etiam voce magnâ Judaïcè ad populum Jeroſolimitanum, qui ad murum erat, ut eum terrerent, turbaréntque, quò urbem caperent. 19. Loquuti ſunt de Deo Jeroſolimæ, quemadmodum contra Deos populorum terræ, qui ſunt manuum humanarum opificia.

20. Oravit verò propterea Rex Hezekia & Iſaïa Propheta, atque ad cœlum vociferati ſunt. 21. Miſit ergo Jehova Angelum, qui interfecit omnes viros fortes, ducéſque & præfectos, in caſtris Aſſyriorum Regis, qui pudore ſuffuſus in terram ſuam rediit; ubi ingreſſum Ædem Dei ſui gladio interfecerunt *nonnulli* ex iis, qui ex viſceribus ejus egreſſi erant.

22. Sic

duxerunt me ex urbe ultra quatuor ſtadia, & in quodam loco juſſit me nonnemo demiſſo capite audire concurſum aquarum. Itaque apertè cognovi magnitudinem vaſorum, de quibus dixi. Quidquid erat fontium, per ſubterraneos meatos, in ea erat derivatum; quo ficbat ut regio circumpoſita ſicca videretur, tempore *Strabonis*, qui de ſitu Jeroſolimæ ſic loquitur Lib. XVI. p. 1104. Ed. Amſt. Ἔστι (τὸ χωρίον) πετρῶδες, αὐτὸ μὲν εὔυδρον, τὴν δὲ κύκλῳ χώραν ἔχον λυπρὰν καὶ ἄνυδρον, τὴν δὲ ἐντὸς ἑξήκοντα σταδίων ὑπόπετρον. *Eſt locus ſaxoſus, aquis ipſe quidem abundans, cùm regio circum ſterilis ac ſicca ſit, & intra ſexaginta ſtadia ſolum habeat interiùs lapidoſum.* Erat, nempe, Jeroſolimæ fons Siloam, præter quem etiam utebantur aqua pluvia, ciſternis in rupe excavatis excepta. *Tacitus* Hiſt. Lib. V, 12. de Jeroſolimæ ad obſidionem tolerandam præſidiis: *fons perennis aquæ, cavati ſub terra montes & piſcinæ, ciſternæque ſervandis imbribus.*

4. *Cur Reges Aſſyriæ* &c.] Regolos, nempe, plores ſecum ducebat Sancheribus. Eſ. X, 8. Interrogatio autem hæc locum obtinet negationis: ne Reges Aſſyriæ venientes multam aquam hîc inveniant, faciléque obſidionis moram ferant. Non legimus tamen in hiſtoria obſidionis à Tito difficultatem ullam, ex longinquiore aquatione ortam.

5. *Confirmato animo* &c.] *Et confirmatus eſt & ædificavit* &c.

Produxit ad turres] *Fecit adſcendere ad turres.* Murum triplicem, quo cincta erat urbs, tempore ſuo, deſcribit *Joſephus* de Bello Jud. Lib. VI. c. 13. in Græcis. Intimus hîc intelligitur, cujus fundamenta ab antiquis Regibus, ut ait, fuerant jacta, & in quo erant, ut docet idem Hiſtoricus, ſexaginta turres.

Alium murum] Secundum, quem deſcribit ibidem *Joſephus*, aut alium ei ſimilem.

Millonem & urbem Davidis] את מלוא עיר דויד *Millonem urbem Davidis.* Excidit hinc copula, nam urbs Davidis non erat idem ac Millo. Si idem fuiſſet, oportuiſſet dici את עיר דויד, aut היא עיר דויד *ea urbs Davidis.* Vide 2. Sam. V, 9.

6. *Ex eorum animi ſententia* &c.] *Loquutus eſt ad cor eorum*; hoc eſt, ea dixit quæ toti populo placuerunt, & quibus vehementer perculſus eſt, ita ut obſidioni ferendæ paratus eſſet.

8. *Brachium carnis*] Potentia hominum, eaque infirma. Vide Eſa. XXXI, 3. Jerem. XVII, 5.

9. *Poſtea miſit* &c.] Vide 2. Reg. XVIII, 19. & ſeqq.

10. *Exſpectatis obſidionem* &c.] *Sedetis in obſidione.* Nondum erat obſeſſa Jeroſolima, ideóque vertere non debuit Vulgatus, *ſedetis obſeſſi.* LXX. Int. verba יושבים במצור vertunt, καθῆσθε ἐν τῇ περιοχῇ; ac ſanè מצור *matſor*, etiam *arcem munitam* ſignificat.

15. *Potuit accipere*] לא יוכל *non poterit*, pro quo *Joan. Piſcator* legi vult יכל *jachol*, potuit. Sed futurum ſumi poteſt, pro præterito.

16. *Plura etiam*] *Adhuc etiam.*

21. *Nonnulli ex iis* &c.] Duo ex ejus filiis. 2. Reg. XIX, 37.

22. *Quos*

22. Sic Jehova Hezekiam & incolas Jeroſolimæ liberavit è manu Sancheribi Aſſyriorum Regis, & è manibus omnium *hoſtium*, quos ex circumpoſitis locis abduxit. 23. Multi attulerunt donaria ad Jehovam Jeroſolimam, & res pretioſas ad Hezekiam, Judæ Regem, qui poſtea ſublimis, apud omnes gentes, factus eſt.

24. Eo tempore, in lethalem morbum incidit Hezekia, deprecatúſque eſt & alloquutus Jehovam, qui ei conceſſit portentum. 25. Verùm Hezekia eum, prout debebat, non remuneratus eſt, elatus eſt enim ejus animus; quamobrem ira *Dei* in eum, Judam ac Jeroſolimam *accenſa eſt*. 26. At ſe ſe, poſt elationem animi ſui, humiliter abjecit Hezekia, unà cum incolis Jeroſolimæ; nec iis incubuit *Dei* ira, temporibus Hezekiæ. 27. Erat autem Hezekia opulentiſſimus & ditiſſimus, apothecáſque fecerat ſibi argenti, auri, lapillorum pretioſorum, aromatum, clypeorum & vaſorum omnium quæ concupiſci poterant; 28. cellas item proventûs frumenti, vini & olei, & ſtabula unicuique pecudum generi, & greges *habuit* in ſtabulis. 29. Urbes quoque comparavit ſibi, pecúſque minutum & boves magnâ copiâ; maximas enim divitias ei dederat Deus. 30. Hezekia etiam obturavit exitum aquarum Gichonis Superioris, eáſque derivavit deorſum, occidentem versùs, ad urbem Davidis, ac in omnibus operibus ſecundum exitum habuit. 31. Attamen cùm miſſi ſunt ad eum interpretes principum Babyloniorum, ut inquirerent in portentum, quod in terra factum fuerat; deſeruit eum Deus, ut hominem tentaret, ſcirétque quidquid erat in ejus animo. 32. Reliquæ autem res geſtæ Hezekiæ, benignáque ejus facta ſcripta ſunt in viſione Iſäïæ Prophetæ, Amotſi filii, & in libro Regum Judæ & Iſraëlis. 33. Obdormiit deinde Hezekia, cum Majoribus ſuis, & ſepelierunt eum in ſumma parte ſepulcrorum poſterorum Davidis, honoréque eum poſt mortem affecerunt univerſus Juda, & *præſertim* incolæ Jeroſolimæ. Regnavit verò ejus loco ejus filius Manaſſes.

XXXIII. Ma-

22. *Quos ex circumpoſitis*] *Et duxit eos à circuitu.*

24. *Eo tempore*] *Diebus illis.* Hoc eſt, paullò pòſt. Vide 2. Reg. XX.

In lethalem morbum incidit] *Ægrotavit ad mortem.*

25. *Prout debebat non remuneratus eſt*] ולא כגמול עליו השיב *nec ut tribuerat ei reſtituit*; hoc eſt, religioſus poſtea non fuit, prout beneficia à Deo accepta poſtulabant.

26. *Poſt elationem* &c.] בגבה *bgobah*, in elatione, ſed ſignificat hìc *poſt*, nam non potuit ſimul elato animo eſſe & humili. Videntur hæc reſpicere oſtentationem theſaurorum, apud legatos Babyloniorum, de qua 2. Reg. XX, 2. & ſeqq. Oſtentatio enim illa aliunde orta non videtur, quàm ex ſuperbia ex fiducia, ex illis divitiis concepta; cùm præſidio unico Dei niti eum oporteret, neo aliud quidquam apud alias gentes jactare, ut gloriam Deo tribueret, quæ ei debebatur. Quare illum graviter caſtigavit Iſaia, ut habemus 2. Reg. XX, 14. & Eſa. XXXIV, 3.

Humiliter abjecit] Eò videtur reſpici. 2. Reg. XX, 19. & Eſai. XXXIX, 8.

27. *Erat Hezekia opulentiſſimus & ditiſſimus*] *Erat Hezekiæ opulentia & gloria valde multum*, ubi כבוד *gloria* eſt pro divitiis, ut alibi ſæpe.

28. *Stabula*] ארות *veuravoth.* LXX. Intt. *φάτνας*, & Vulg. *præſepia.* Propriè loculos videtur ſignificare; qua de re diximus ad 1. Reg. IV, 26. Sed hic meliùs ſumatur pro ſtabulis, nam ſingulis ovibus, aut capris non fiunt loculi.

Unicuique pecudum generi] *Omni jumento & jumento*, לכל בהמה ובהמה *lchol behemah oubehemah.*

Greges in ſtabulis] לאורות *laaveroth.* Eadem eſt vox ac quæ ſcribitur אֻרוֹת in antecedentibus verbis, videtúrque utraque iiſdem punctis inſtruenda, & efferenda OROTH. Sed aliter viſum Maſſorethis.

29. *Comparavit ſibi*] *Fecit ſibi.*

Pecuſque minutum] מקנה צאן *mikneh tſou*, quod tam ovillum, quàm caprinum genus ſignificat.

30. *Exitum aquarum*] Fontem, aut terræ cavernam, ex qua erumpebant. Hoc מוצא *motſa* ſignificat Pſ. CVII, 33. & Eſa. LVIII, 11.

Gichon ſuperioris] גיחון העליון *gibhon habeljon.* *Joan. Lightfootius* Chorogr. Matthæo præmiſſæ Cap. XXV. contendit, ex auctoritate Paraphraſtæ Chaldæi Librorum Regum, *Gichonem* eumdem fuiſſe ac fontem Siloam, qui fuit ad occidentem Jeroſolimæ. Nondum mihi ſatis liquet. Sed ex additione epitheti העליון *ſuperior*, videtur fuiſſe גיחון התחתון *Gichon inferius.*

31. *Attamen*] וכן vechen, *& ſic.*

Cùm miſſi ſunt ad eum &c.] *In Interpretibus principum Babelis qui miſerunt* —— *reliquit eum* &c.; hoc eſt, in negotio interpretum ad eum miſſorum.

In portentum, quod in terra &c.] Intelligitur *terra Judæa*, ut paſſim, non totus terrarum orbis. Retroceſſerat umbra in *Sciotherico* Achazi, quod miraculum Babylonii ſapientes (qui hìc, ut erant, שרי בבל *principes* Babyloniorum dicuntur) audiverant à legatis, qui à Rege Babyloniorum antea gratulatum ad Hezekiam venerant, 2. Reg. XX, 12. Ut verò homines rerum cœleſtium peritiſſimi certiùs ſcirent utrùm id quod narrabatur contigiſſet, Interpretes ad Regem Hezekiam miſerant, qui rem ab ipſo ſciſcitarentur. Scio eſſe, qui hinc colligant miraculum hoc factum eſſe in ſole ipſo, qui retroceſſerit, quia à Chaldæis alioqui non fuiſſet obſervatum. Sed nec Scriptores Sacri obſervatum in cœlo aiunt, nec quidquam vetat quominùs rem ab aliis, ut à le-

XXXIII. Manaſſes Hezekiæ filius in turpem Idololatriam delabitur, ideóque traditur à Deo in manum Babyloniorum, qui eum captivum abducunt. At Dei iram deprecatus, reſtituitur in regnum, ac mortuus Jeroſolimæ ſucceſſorem relinquit Amonem filium idololatram, qui occiſus à ſuis ſucceſſorem accipit Joſiam filium.

1· DUODECIM annos natus erat Manaſſes, cùm regnare cœpit, & quinque qui- CAPUT XXXIII.
dem ac quinquaginta annos Jeroſolimæ regnavit. 2· Fecit quod diſplicet Je-
hovæ, imitatúſque eſt abominanda facta gentium, quas è conſpectu Iſraëlita-
rum expulerat Jehova. 3· Inſtauravit loca excelſa, quæ Hezekia pater ejus diruerat,
erexit altaria Bahalibus, fecit lucos, adoravítque & coluit univerſum exercitum cœli.
4· Quin & ædificavit altaria in Æde Jehovæ, de qua dixerat Jehova: nomen meum
Jeroſolimæ in perpetuum erit. 5· Exſtruxit autem *ea* altaria toti exercitui cœli, in duo-
bus atriis Ædis Jehovæ. 6· Idem trajecit liberos ſuos per ignem, in valle filii Hin-
nomi, auſpicabatur, augurabatur, divinatione utebatur, conſtituit Necyomantin, &
multos inſtituit divinos; ita ut faceret quod diſplicet Jehovæ, ad eum irritandum.
7· Præterea ſculptile ſimulacrum, quod fecerat, ſtatuit in Æde Dei, de qua Deus
Davidi, Salomonique ejus filio dixerat: in hac Æde & Jeroſolimæ, quam elegi ex
omnibus Tribubus Iſraëlis, ponam nomen meum in perpetuum. 8· Non ampliùs effi-
ciam ut Iſraël pedem demoveat ex terra, quam Majoribus ejus adtribui, ſi modo me-
minerint facere quæcumque eis præcepi, ſecundùm omnes leges, inſtituta & jura, quæ
per Moſem *dedi*.
9· In errorem ergo induxit Manaſſes Judam & *præſertim* incolas Jeroſolimæ, ita ut
deteriora facerent gentibus, quas è conſpectu Iſraëlitarum deleverat Jehova 10· Al-
loquutus quidem eſt Jehova Manaſſen & populum ſuum; verùm *dicta ejus* non atten-
derunt

à legatis Merodachi, qui redierant Jeroſolima, audiviſſent.

Deſeruit eum Deus] Hoc eſt; ſibi ipſum planè permiſit, nullo monito ad Hezekiam per Prophetas miſſo, nec ullâ aliâ ratione animo ejus ad id, quod optimum factu erat, converſo. Nihil ademit ei quod haberet, ſed non dedit quod nequaquam debebat, qualia ſunt monita extraordinaria, aliaque ſimilia, quibus Deus poteſt impedire ne homines labantur.

Sciretque quidquid erat &c.] Noverat hæc quidem Deus, ut docet Salomonem David 1. Ephem. XXVIII, 9. Sed ſic ἀνθρωποπαθῶς loquitur Scriptor Sacer, ut oſtendat Deum, in hac re, idem feciſſe quod ſolent homines, quando reſcire volunt quid lateat in animo cujuſpiam. Occaſionem, nimirum, ſuppeditant iis quos penitus noſcere cupiunt aperiendi animi; nec quidquam faciunt aut dicunt, quod obſtare poſſit, ne animum prorſus nudent. Sic quoque ſe geſſit Deus, in hoc negotio, in quo non oſtendit Hezekias eam religionem, quæ ab eo meritò exſpectabatur. Verùm quid fecerit, aut dixerit Hezekias, quo iram Dei moverit, non docet Hiſtoria Sacra. Scio viros doctos velle peccatum hoc fuiſſe oſtentationem theſaurorum legatis Babyloniis; verùm hîc ſermo non eſt de legatis à Rege Babyloniorum, congratulandi cauſâ, miſſis; ſed de Interpretibus Principum Babyloniorum, ſeu Magorum, qui cupiebant reſcire an verum eſſet miraculum retroceſſionis umbræ. Non eſt abſimile vero ab Hezekia hîc non eſſe tributam gloriam Deo, ob miraculum tam inſigne, convaleſcentiámque cum eo conjunctam; quæ debebant ita hominibus Idololatris narrari, ut eos ad cognitionem veri Dei adducere poſſent. Hinc autem intelligere licuit Hezekiæ valenti & florenti non tantam fuiſſe religionem, quanta fuiſſe videbatur in adverſis, & in morbo.

32· *In viſione Iſaiæ*] Vide Iſai. XXXVI. & ſeqq.

33· *Honore eum poſt mortem* &c.] *Gloriam fecerunt ei in moriendo* כבוד עשו לו במותו *chabod baſchou lo bmotho.* Magno concurſu totius populi ſunt exſequiæ ejus celebratæ, & multa aromata circa cadaver ejus, more illius ævi, combuſta.

IN CAPUT XXXIII.

2· Q*Uod diſplicet*] *Malum in oculis.*

3· *Coluit univerſum exercitum cœli*] Solem, Lunam & reliquos Planetas, more Babyloniorum, qui cœleſtibus luminibus præſides Deos adfixos putabant. Qua de re, adi *Philoſophiæ Orientalium Hiſtoriam* Lib. I. Sect. 2. Eodem modo inſaniebant & Arabes, ut liquet ex Lib. III. ejuſdem Operis.

5· *In duobus atriis*] In atrio Iſraëlis & atrio Sacerdotum.

6· *Idem trajecit* &c.] העביר *bebebir.* Vide ad Cap. XXVIII, 3.

Auſpicabatur &c.] Vide ad Levit. XIX, 26. & 31.

Ad eum irritandum] Hoc eſt, quaſi apud animum ſuum conſtituiſſet Dei iram movere; nam alioqui Manaſſes, licèt Idololatra, non videtur ita furioſus fuiſſe, ut datâ operâ Deum Iſraëlis, ſi Deum illum putabat, laceſſere vellet.

7· *Davidi, Salomonique* &c.] Vide 1. Ephem. XXVIII, 5, 6. 2. Ephem. VII, 12.

11· *In-*

derunt. 11. Quare contra eos adduxit Jehova duces exercitûs Regis Aſſyriorum, in-
eſcatúmque Manaſſen vinxerunt duabus catenis & Babylonem abduxerunt. 12. Cùm au-
tem in iis anguſtiis verſaretur, deprecatus eſt Jehovam Deum ſuum, & valde ſe ſub-
miſit in conſpectu Dei Majorum ſuorum. 13. Cúmque ei ſupplicaret, exorari *Deus*
ſe paſſus eſt, exaudivit ejus ſupplicationem, reduxítque eum Jeroſolimam in regnum
ſuum; ac intellexit Manaſſes Jehovam eſſe Deum.
14. Poſtea ædificavit murum exteriorem urbis Davidis, ad occidentem Gichonis,
in valle, & quâ aditus eſt ad portam piſcium. Circumdedit etiam Hophellum, idque
valde extulit, & omnibus urbibus munitis in Juda duces copiarum præfecit. 15. Amo-
vit Deos alienos, ſimulacrúmque ex Æde Jehovæ, & omnes aras, quas exſtruxerat
in monte Ædis Jehovæ Jeroſolimæ, eáſque projecit extra urbem. 16. Inſtauravit dein-
de altare Jehovæ, mactavitque in eo victimas ſalutares & laudis, Judámque Deum Iſraë-
lis Jehovam colere juſſit. 17. Populus tamen adhuc Sacra faciebat in locis excelſis, ſed
tantùm Jehovæ Deo ſuo. 18. Reliquæ autem res geſtæ Manaſſæ, oratio ejus ad
Deum ipſius, verbáque Videntium, qui eum alloquuti ſunt, nomine Jehovæ Dei
Iſraëlis, *ſcripta* ſunt in rebus geſtis Regum Iſraëlis. 19. Oratio verò ejus, & quâ
ratione exauditus ſit; omnia item ejus peccata & defectio, locaque in quibus æ-
dificavit excelſa, ac ſtatuit ſigna & ſimulacra, antequàm ſe humilem *coram Deo* ab-
jiceret, ſcripta ſunt in orationibus Chozaïs. 20. Obdormiit deinde Manaſſes,
cum Majoribus ſuis, ſepeliérúntque eum domi ejus, & filius ejus Amon loco ejus
regnavit.
21. Viginti duos annos natus erat Amon, cùm regnare inciperet, & per bien-
nium Jeroſolimæ regnavit. 22. Fecit quod diſplicet Jehovæ, quemadmodum fece-
rat pater ejus Manaſſes; omnibúſque ſimulacris, quæ fecerat Manaſſes pater ejus,
mactavit Amon, eáque coluit. 23. At ſe humilem Jehovæ non ſubmiſit, quemad-
modum fecerat pater ejus Manaſſes, ſed Amon graviùs peccavit. 24. Conſpira-
runt verò contra eum ejus ſervi, & interfecerunt domi ſuæ. 25. Sed terræ popu-
lus occidit omnes, qui contra Regem Amonem conſpirarant, Regémque ejus lo-
co Joſiam filium ejus conſtituit.

XXXIV. Jo-

11. *Ineſcatúmque Manaſſen*] *Ceperunt Manaſſen hamis*, ילכדו את מנשה בחוחים *jilkhedou eth Menaſcheh babhobhim*. Arte, nempe, hominem ineſcarunt & quaſi hamo captum abduxerunt. Alii interpretantur *in compedibus*, alii in *vepretis*, pro vocis חוח *hhoahh* ambiguitate.

Babylonem abduxerunt] Cùm Babyloniæ Reges iidem nunc eſſent ac Reges Aſſyriæ, qui antea diſtincti erant, oportet Babyloniorum Regem quempiam Aſſyrios ſubegiſſe. Si credimus Canoni Regum Babyloniorum, vocabatur Rex, qui initio Manaſſæ Babylone regnabat, *Napronadius*, cui ſucceſſit *Rigebalus*, qui ſucceſſorem habuit *Meſeſſimordakum*, poſt quem fuit interregnum, quòd defeciſſet proles regia. Deinde octo annis elapſis, Babylonios ſubjecit *Aſſaradinus*, qui *Jac. Uſſerio* idem eſſe videtur, ac is quem Scriptura vocat *Eſarchaddonem*. Hoc regnante Manaſſes, ut putat, captus & Babylonem abductus eſt, deinde liberatus ac in regnum remiſſus.

14. *Ad occidentem Gichonis*] Vide ad Cap. XXXII, 30. Habent hîc LXX. Intt. καὶ Λιβὸς κατὰ Νότον, ἐν τῷ χειμάῤῥῳ. Rectiùs Vulgatus, *ad occidentem Gichon in convalle*.

Quâ aditus eſt ad portam piſcium] Hujus portæ שער הדגים, *ſchahar haddagim*, mentio etiam fit Neh. C. III, 3. & Sophon. I, 10. Erat ad auſtrum, ut docet *Joan. Lightfootius* Centur. Matthæo præmiſſæ Cap. XXVI.

Hophellum] De quo vide ad Cap. XXVII, 3.

16. *Inſtauravit*] In textu eſt ויכן *vajjachen*, hoc eſt, κατώρθωσεν, ut habent LXX. Intt. Sed in margine legendum monemur ויבן vajjiben, & *ædificavit*, hoc eſt, inſtauravit.

18. *Oratio ejus ad Deum*] Hæc cùm interciderit, eſt neſcio quis qui orationem illam finxit, quæ ſolet ad calcem Latinorum Bibliorum legi.

Verbaque Videntium] דברי החזים *dibre hahhozim*. Intelliguntur verba Prophetarum hominem ad religionem patriam revocantium, ante captivitatem, vel poſt reditum ad ſeriam morum mutationem, conſtantiámve adhortantium. Vide 1. Sam. IX, 9.

Regum Iſraëlis] Sic interdum vocantur Reges *Judæ*, ut diximus ad Cap. XXVIII, 19. Nunc verò potiori jure, cùm nullus eſſet Rex Iſraëlita, præter Manaſſam, eo titulo cohoneſtatur.

19. *Chozaïs*] חוזי *Hhozaï*, quod nomen Prophetæ eorum temporum æqualis fuiſſe videtur. Vide Cap. XXXII, 32. & 1. Ephemer. XXIX, 29.

20. *Domi ejus*] Vide 2. Reg. XXI, 18.

23. *At ſe humilem*] *Non abjecit ſe humilem in conſpectu Jehovæ*, aut *propter Jehovam*, מלפני יהוה *millipbne Jehovah*.

Graviùs peccavit] *Auxit delictum.*

In Ca-

XXXIV. Joſias cultum divinum reſtituit, Templum inſtaurat, librúmque Legis invenit; quo lecto, terretur, conſultáque Prophetide Chuldâ, fœdus cum Deo ſollemniorem in modum pangit.

1. OCTO annos natus erat Joſia, cùm regnare inciperet, & unum quidem ac CAPUT
triginta annos Jeroſolimæ regnavit. 2. Fecit ille quod rectum videtur Je- XXXIV.
hovæ, inſtititque viis Davidis progenitoris ſui, neque ad dextram, aut ad
ſiniſtram declinavit 3. Octavo enim anno, cùm regnare cœpiſſet & puer etiam-
num eſſet, cœpit quærere Deum progenitoris ſui Davidis & duodecimo anno, pur-
gare Judam & Jeroſolimam excelſis, ſtatuis, ſigniſque ſculptilibus, & conflatilibus.
4. Deſtruxerunt etiam in ejus conſpectu altaria Bahalum, & templa Solis excelſa,
quæ ſupra ea erant, exſcîdit, ſignáque & ſtatuas ſculptiles & conflatiles contrivit ac
comminuit, ſparſitque eorum *pulverem* ſupra ſepulcra eorum, qui eis Sacra fecerant.
5. Oſſa etiam Sacerdotum in eorum altaribus combuſſit, Judámque & Jeroſolimam
purgavit. 6. Quin & in urbibus Manaſſæ, Ephraïmi & Simeonis, uſque ad Neph-
thalin, & in ſolitudinibus eorum circumquaque, 7. demolitus eſt altaria, ac ſtatuas &
ſculptilia contrivit comminuendo, ac templa Solis delevit, per omnem terram Iſraë-
lis; *quo facto*, Jeroſolimam reverſus eſt. 8. Anno verò decimo octavo, ex quo
regnare cœperat, & purgare terram ac Ædem *Jehovæ*, miſit Saphanem filium At-
ſaljæ, Mahaſejam principem urbis, & Joachum, Joachazi filium, à commentariis,
ad inſtaurandam Ædem Jehovæ Dei ſui. 9. Convenerunt illi Chilkijam, Sacerdo-
tem Maximum, tradiderúntque *ei* pecuniam illatam Ædi Jehovæ & quod college-
rant Levitæ liminis cuſtodes è manu Manaſſitarum, Ephraïmitarum, & ex omnibus
reliquiis Iſraëlis, ex univerſis item Juda & Benjamine; *quo peracto*, Jeroſolimam re-
verſi erant. 10. Deinde eam *und* tradiderunt in manum operariorum præfectis in Æ-
de Jehovæ, qui dederunt eam operariis operi incumbentibus in Æde Jehovæ, ad ſar-
ciendam, inſtaurandámque Ædem. 11. Dederunt & fabris ac architectis, ut emerent
lapides quadratos, ligna ad commiſſuras & ad contignanda conclavia, quæ Reges Ju-
dæ dirui paſſi erant. 12. Homines verò fideliter operi incumbebant, iiſque præfecti
erant Jachathus & Hobadja Levitæ è Meraritis, Zecharja verò & Meſullamus è Ke-
hathithis, ut *illis* præeſſent, & Levitæ omnes inſtrumentorum muſicorum periti. 13. Ba-
julis etiam nonnulli præerant, & præfecti erant omnibus operariis, pro unaquaque
functione. Ex Levitis etiam erant Scribæ, apparitores & janitores.

14. Cùm

In CAPUT XXXIV.

2. *QUod rectum videtur*] *Rectum in oculis.*

3. *Cœpit quærere Deum*] Ex conſilio ſine dubio Procerum, qui ejus nomine Rempublicam adminiſtrabant, aut etiam Prophetarum, vel Sacerdotum.

4. *Templa Solis*] חמנים *bhamanim*, de quibus vide dicta ad Levit. XXVI, 40. Pro *excelſis* eſt למעלה lmahalah, *ſupra*; unde intelligere eſt juxta altaria Bahalis, in editis locis, fuiſſe Templa Solis. Sed an hoc fieri ſoleret non conſtat.

Supra ſepulcra] Ut cinerem illum pollueret, 2. Reg. C. XXIII, 6.

6. *Quin & in urbibus Manaſſæ* &c.] Vide 2. Reg. XXIII, 15.

In ſolitudinibus eorum] בחרבתיהם *bhharbothehem*, vox enim eſt conjunctim legenda, ut in margine, non בחר בתיהם diviſim, ut in textu. Abductis incolis, & paucis dumtaxat colonis in Samariticum regnum remiſſis, plerique agri erant deſerti. LXX. Intt. habent ἐν τοῖς τόποις αὐτῶν. Vulgatus verò, *cuncta ſubvertit*, quòd non ſatis intelligeret vocem Hebraïcam. Chaldæus meliùs בְּבֵית צְדִיוּתְהוֹן *in domo ſolitudinis eorum.*

9. *Redierunt*] Sequuti ſumus Maſſorethas, qui pro ישבי *joſchebe*, quod eſt in textu, legunt in margine ישבו *jaſchebou*. Alioqui poſſet legi ישבי ירושלם juſchebe Jerouſchalem, *incolæ Jeroſolimæ*, ut legerunt Græci & Latinus. Illi habent οἰκοῦσιν ἐν Ἱερουσαλήμ, hic, *habitatoribus Jeruſalem.*

8. *A commentariis*] המזכיר *hammazchir*. Vide ad 2. Sam. VIII, 16.

11. *Architectis*] לבונים labbonim, *ædificantibus.*

Lapides quadratos] *Lapides ſciſſionis.*

Ligna ad commiſſuras] למחברות *lamechhabberoth*. Trabes.

Dirui paſſi erant] Aut *diruerunt* השחיתו *biſchhbbithou*. Prius maluimus, quia non legimus poſt tempora Achazi, datâ operâ, dirutum quidquam in Templo. Sed cùm à tempore Joaſi refectum non fuiſſet, multa diuturnitate tempore corruere potuerant.

13. *Pro unaquaque functione*] *Adminiſterium & miniſterium.*

14. Cùm verò depromerent pecuniam Ædi Jehovæ illatam, reperit Chilkija Sacerdos librum legis Jehovæ, pet Moſem *latæ*. 15. Tum verò Chilkija Saphani Scribæ, librum, inquit, Legis repeti in Æde Jehovæ, tradiditque Chilkija librum Saphani. 16. At Saphan librum ad Regem tulit, prætereáque rem Regi retulit his verbis, quidquid mandatum eſt per ſervos tuos, id faciunt. 17. Subduxerunt argentum, quod eſt inventum in Æde Jehovæ, præfectiſque & operariis in manum tradiderunt. 18. Renunciavit etiam Saphan Scriba Regi *librum inventum*, his verbis: librum dedit mihi Chilkija Sacerdos; legitque in eo Saphan coram Rege. 19. Cùm verò audiſſet Rex verba Legis, laceravit veſtes ſuas, 20. mandatúmque dedit Rex Chilkijæ, Achikamo Saphanis filio, Habdoni Michæ filio, Saphani ſcribæ, & Haſajæ ſervo Regis his verbis: 21. ite ſciſcitatum Jehovam pro me, & pro iis qui ſuperſunt in Iſraële & in Juda, de verbo libri hujuſce reperti, nam magna indignatio *eſt* Jehovæ, quæ in nos effuſa eſt, eò quòd non obſervarunt Majotes noſtri verbum Jehovæ, ut facerent per omnia, prout in hoc libro ſcriptum eſt.

22. Iverunt ergo Chilkija & qui à Rege *miſſi erant*, ad Chuldam Prophetidem, uxorem Sallumi, filii Thokhathi, filii Chaſræ cuſtodis veſtium. Illa verò habitabat Jeroſolimæ, in ſecunda *urbis* parte, eámque ſic ſunt alloquuti. 23. Illa verò illis, ſic dixit, inquit, Jehova Deus Iſraëlis: dicite viro, qui vos miſit ad me, 24. ſic dixit Jehova: en adducam calamitatem in hunc locum, ejúſque incolas; omnes, *nimirum*, diras ſcriptas in libro, quem legerunt coram Rege Judæ; 25. quia deſeruerunt me, ſuffitúmque Diis alienis obtulerunt, ita ut me irritatint omnibus manuum ſuarum operibus. Effuſa eſt indignatio mea in locum hunc, neque reſtinguetur. 26. Ad Regem autem *quod attinet* Judæ, qui vos miſit ſciſcitatum Jehovam, ſic eis dicetis: ſic dixit Jehova Deus Iſraëlis, *de* verbis quæ audiviſti: 27. quandoquidem emollitus eſt animus tuus, & humilem præbuiſti te, in conſpectu Dei, cùm audiviſti ejus verba contra hunc locum, ejúſque incolas, téque humilem abjeciſti coram me, laceraviſti veſtes tuas & fleviſti in conſpectu meo, *ideò* te etiam exaudivi, inquit Jehova. 28. En ego te Majori-

14. *Librum legis Jehovæ per Moſem latæ*] Supplevimus *latæ*, quia eſt tantùm in Hebraicis בּיד משה bejad Moſcheh, *per manum Moſis*, paſſim autem dicitur lex data, aut lata *per manum Moſis*; quæ loquutio frequentiſſima eſt ad ſignificandum quodvis miniſterium, & paſſim etiam adhibetur, ubi ſermo eſt de miniſterio Prophetarum mandata Dei ad homines ferentium. Vide vſ. 16. & C. XXXIII, 8 Sed eùm ſuppleamus hîc נתונה *datæ*, alii ſupplent כתובה *chthoubah*, ſcriptæ, ut intelligatur Chitographum ipſum Moſis. Sed longinquitas temporis, negligentiáque Judæorum in obſervanda Lege, obſtant ne credam poſt tot ſæcula Autographum Moſis etiamnum in rerum natura fuiſſe. Quærunt viri eruditi, poſt Judæos, ubi inventum fuerit hoc exemplar, & totáne Lex, aut integer Peutateuchus, ánve pars ejus inventa fuerit; quas quæſtiones, ut alias omnes ſimiles, omitto, quia nulla ſatis probabilis de iis poteſt proferri conjectura, aut ex natura rei, aut ex circumſtantiis hiſtoriæ deducta; quid enim intereſt quæſtiones proponere, quibus nihil eſt quod reponas, niſi te quod quæritur neſcire? niſi velis videri ſcire quod neſcis.

15. *Tum verò* &c.] ויען vajjahan, *& inſit Chilkija & dixit* &c.

16. *At Saphan librum ad Regem tulit*] ויבא שפן את הספר *vajjabe Saphan eth haſſepher*. Obſervat *Lud. Cappellus* Crit. Sacræ Lib. I. c. IV, x. 2. Reg. XXII, 9. ſcriptum eſſe ויבא שפן הספר *vajjabo Schaphan haſſopher*, & ivit Schaphan Seriba. Sed non ſunt hæ variæ lectiones, ſed variæ narrationes ejuſdem rei, ut oſtendit את nota aceuſativi quæ eſt in hoc loco.

Quidquid mandatum eſt] *Omne quod datum eſt* (נתן nitthan) *per manus ſervorum tuorum*. Fecerunt, nempe, fabri in Templo quidquid à Rege, per Miniſtros, Sacerdoteſque juſſi erant facere. LXX. Intt. habent πᾶν τὸ δοθὲν [illegible] ἐν χειρὶ τῶν παίδων σου, minùs commodè. נתן *nathan* eſt interdum *dicere*, *docere*, ut Proverb. IX, 9. תן *da ſapienti & ſapiet amplius*, *doce juſtum & addet doctrinam*. Simili ſenſu hîc *mandare*, aut *docere quid faciendum ſit* ſignificat.

17. *Subduxerunt*] Vide not. ad 2. Reg. XXII, 9.

21. *Quæ in nos effuſa eſt*] נתכה *nitthekah*. Eſt 2. Reg. XXII, 13 נצתה *nittſethah*, accenſa eſt, & pro שמרו ſchamerou, *obſervarunt*, שמעו ſchamehou, *audiverunt*. Sed hæc non ſunt variæ lectiones, verùm loquutiones ſynonymæ.

Non obſervarunt Majores noſtri] His verbis non excluduntur il qui tum vivebant, & qui Majores ſuos imitati erant, ſub Amone & Manaſſa.

22. *Et qui à Rege miſſi fuerant*] ואשר המלך *& quos Rex*; nempe, miſerat, שלחם *ſchlabham*, miſerat eos.

Thokhathi] תוקהת. Τὸ *Vau* delent Maſſorethæ, & efferunt תָּקְהַת. At 2. Reg. XXII, 13. legunt & punctant תִּקְוָה *Thikvah*.

Chaſræ] חסרה *Hhaſrah*. In 2. Reg. legimus חרחס *Hharhhas*, quæ ſunt variæ lectiones in nominibus frequentes. LXX. Intt. habent τοῦ Θεκυὲ υἱῶ Ἀσρὶ, & Vulg. *Thecuath filii Haſra*.

25. *Suffitúmque obtulerunt*] In textu eſt יקטירו *jaktirou*, quod nihil eſt cur mutemus, cum Maſſorethis, in יַקְטִּירוּ nam utrumque rectum eſt. Significatur hac voce quidem *oblatio ſuffitûs* propriè, ſed & paſſim cujuſvis *ſacrificii*, quo ſenſu hîc eſt capienda.

Effuſa eſt — neque reſtinguetur] ותתך vatthe-

joribus tuis adgregabo, & in monumenta tua tranquillè infereris, nec videbunt oculi tui
omnem calamitatem, quam in locum hunc, ejúſque incolas addueam. Rem autem
illi retulerunt Regi.
29. Miſit verò Rex, qui congregarent omnes ſeniores Judæ & Jeroſolimæ. 30. Tum
adſcendit Rex in Ædem Jehovæ, omnéſque viri Judæ, Jeroſolimitani, Sacerdotes, Le-
vitæ & univerſus populus, à maximo uſque ad minimum; legitque, iis audientibus,
omnia verba libri fœderis reperti in Æde Jehovæ. 31. Dein ſtetit Rex in loco, in
quo ſtare conſueverat, pepigitque fœdus coram Jehova; *ex quo promiſit* fore ut ſeque-
rentur Iſraëlitæ Jehovam, obſervarentque præcepta ejus, edicta, & inſtituta toto cor-
de & toto animo, ita ut facerent verba fœderis ſcripta in eo libro. 32. Siſtere etiam
ſe curavit omnes qui erant Jeroſolimæ & apud Benjaminem, fecerúntque Jeroſolimita-
ni, ſecundùm fœdus Dei, Dei Majorum ſuorum.
33. Amovit deinde Joſia omnia exſecranda *ſimulacra*, ex omnibus Iſraëlitarum ter-
ris, effecitque ut quicumque inventi ſunt apud Iſraëlem, ſervirent Jehovæ Deo ſuo;
nec per totam ejus vitam receſſerunt à Jehova, Deo Majorum ſuorum.

XXXV. Joſias Paſchatis feſtum magnâ frequentiâ celebrat. Verùm poſtea in prælio temerè cum Nechone, Ægypti Rege, commiſſo vulneratus moritur, maximóque totius Judæ luctu ſepelitur.

1. Celebravit deinde Joſia Jeroſolimæ Paſcha Jehovæ, & mactarunt quidem Caput
Paſcha decimo quarto die menſis primi, 2. curavitque ut ſe muneribus ſuis XXXV.
obeundis ſiſterent Sacerdotes, cóſque conſtantes eſſe juſſit in miniſterio Ædis
Jehovæ. 3. Levitis autem qui erudiebant Iſraëlem, *&* qui ſacri erant Jehovæ, repo-
nite, inquit, Arcam Sacram in conclavi, quod ei ædificavit Salomo, Davidis filius,
Rex Iſraëlis. Nullum ampliùs humeris veſtris onus eſt. Nunc ergo miniſtrate Jehovæ,
Deo veſtro, & populo ejus Iſraëli. 4. Parate *vos*, ſecundùm familias patrias, claſ-
ſéſque

thittach, à נתך nathach, *effuſus eſt*. At 2. Reg. XXII, 17. eſt נצתה *nitteſethah*, hoc eſt, accenſa eſt, quod melius opponitur τῷ *exſtingui*, & ſic videtur legendum. Ita LXX. Intt. ἐξεκαύθη —— καὶ οὐ σβεσθήσεται. Vulgatus vero legit, ut habemus: *ſtillabit* —— *& non exſtinguetur.*

26. *De verbis* &c.] הדברים *baddebarim*. Subaudiendum על *hal*. De verbis legis, quæ prælecta fuerant Joſiæ, hæc intelligenda.

27. *Contra hunc locum*] Non minatur quidem Lex Jeroſolimæ, aut Judæ Tribui ſeorſim; ſed quod dicit de toto populo Hebræo & quavis ejus parte, id meritò intellectum de Jeroſolimitanis & Judæ poſteris; quandoquidem id fecerant, propter quod extrema mala Deus Hebræis minatur in Lege.

29. *Omnes ſeniores*] Vel magiſtratus, vel etiam quoſvis grandiores natu.

31. *In loco in quo ſtare conſueverat*] על עמדו *hal homdo*, in ſtatione ſua. 2. Reg. XXIII, 3. in hac ipſa hiſtoria Rex dicitur ſtetiſſe על העמוד hal hahamoud, *ad columnam*, quæ lectio melior videtur *Lud. Cappello* Criticæ Sacræ Lib. I. C. V, 12. quia ſollemne fuit Regibus ſtare, vel ſedere, juxta unam è duabus columnis æreis, quæ in Templi veſtibulo erant, ut videre eſt ex Hiſtoria Joaſi 2. Par. XXIII, 13. Putat ergo pro עמדו legendum עַמּוּדוֹ, quomodo loco allato legitur de Joaſo, eum ſtetiſſe על עמודו juxta columnam ſuam. Sed utraque lectio ſtare omnino poteſt, nec videtur refingenda.

Ex quo promiſit &c.] ללכת *eundi poſt Jehovam* &c.

33. *Effecitque eſt — ſervirent*] *Et ſervire fecit ut ſervirent.*

In Caput XXXV.

3. *Qui erudiebant Iſraëlem*] המבינים *bammebinim*. Sic legitur in margine pro המבונים, quod eſt in textu. LXX. Intt. habent τοῖς δυνατοῖς ἐν παντὶ Ἰσραήλ, & Vulg. *ad quorum eruditionem omnis Iſraël ſanctificabatur*. Legerunt LXX. Intt. הגבורים *baggeborim*. Obſervat *Lud. Cappellus* Criticæ Sacræ Lib. V. c. XII, 27. Scriptorem Libri, cujus inſcriptio eſt *Seder Holam Rabba*, pro voce מבנים habere מִבְצָרִים *munimenta*. Sed non immeritò mendoſam hanc vocem eſſe putat *Joan. Buxtorfius* Anticrit. Lib. II. c. XII. p. 840. cùm præſertim in Thalmudico Libro *Joma* C. V. legamus etiam מבינים. Præterea potuiſſet eſſe lapſus memoriæ, in Scriptore Chronici Hebraïci, potiùs quàm varia codicis ejus lectio. Levitis autem, his temporibus, potuit impoſita eſſe cura erudiendi Iſraëlis, ut fuerat tempore Joſaphati. Vide Cap. XVII, 8, 9.

Reponite, inquit, arcam &c.] Ex hiſce verbis, liquet quidem ex Adyto ſublatam fuiſſe, ſed à quo, quando, & qua de cauſa tam eſt obſcurum, quàm quid eâ, cùm Jeroſolima à Nabuchodonoſore capta fuiſſet, & incenſum etiam Templum, factum fuerit.

Nullum ampliùs humeris &c.] *Nullum vobis onus in humero*; hoc eſt, non opus eſt ampliùs vos humeris veſtris Arcam bajulare.

4. *Parate ergo vos*] הכינו hachinou, *parate*. Subaudi אתכם *vos*; nimirum, miniſteriis veſtris, ut ad ea obeunda præſto ſemper ſitis, vicibus veſtris, pro claſſibus in quas diviſi fuiſtis.

ſéſque veſtras, ex præſcripto Davidis, Regis Iſraëlis & Salomonis, ejus filii. 5. State
in Sanctuarlo, pro diviſionibus familiarum fratrum veſtrorum, popularium veſtrorum,
& diviſione familiarum patriarum Levitarum. 6. Mactate Paſcha, purificate vos, *id-*
que parate fratribus veſtris, ut *feſtum* celebrent, ſecundùm verbum Jehovæ, per Mo-
ſem *traditum*. 7. Obtulit verò Joſia, in gratiam popularium, pecus minutum, *nimi-*
rum, agnos & hædos, omnes in paſchales victimas, omnibus qui adfuerunt, ad nu-
merum uſque triginta millium, præter tria millia boum, ex facultatibus Regis. 8. Pro-
ceres etiam ejus ſponte ſuâ, in gratiam populi, Sacerdotum & Levitarum, obtulerunt,
& Chilkija quidem, Zecharja & Jechiel præfecti Ædis Dei Sacerdotibus in paſchales
hoſtias dederunt bis mille ſexcentas *pecudes minores* & boves trecentos; 9. Chananja ve-
rò, Semahja & Nethaneel fratres ejus, Chaſabja, Jchiel, & Jozabadus principes Le-
vitarum obtulerunt, in gratiam Levitarum, in paſchales victimas, quinquies mille
minores pecudes & boves quingentos. 10. Parati miniſterio ſteterunt Sacerdotes, ubi
ſolebant ſtare, & Levitæ pro claſſibus ſuis, ex mandato Regis. 11. Tum mactarunt
paſchalem hoſtiam, & Sacerdotes quidem adſpergebant ſanguinem, Levitæ verò pel-
lem detrahebant. 12. Deinde amoverunt quod erat adolendum, ut eam darent, pro
diviſionibus familiarum patriarum popularium, offerréntque Jehovæ, ut in libro legis
Moſis ſcriptum eſt; ſimilitérque *fecerunt*, ad boves quod attinet. 13. Poſtea torrue-
runt paſcha igne, pro conſuetudine, & conſecratas *carnes* coxerunt in ollis, lebetibus
& ahenis, popularibúſque omnibus diſtribuerunt. 14. Exin ſibi & Sacerdotibus pa-
rarunt

Ex præſcripto] בכתב bichthab, *in ſcripto Davidis — & in ſcripto Salomonis.*

6. *Idque parate* &c.] Mactabantur agni paſchales in Templo, & adſpergebatur eorum ſanguis altari. Poſterius operâ Sacerdotum fiebat, prius à Levitis fieri potuit. Vide vſ. 11.

Per Moſem traditum] Eſt tantùm ביד *bejad*, per manum, ſed ſubaudiendum נתון *nathoun*, traditum, ut ſupra Cap. XXXIV, 14.

7. *Popularium*] *Filiorum populi.*

Hædos] *Filios caprarum.*

Omnes in Paſchales victimas] הכל לפסחים *haccbol lapphesabbim.*

8. *Pecudes minores*] צאן *tſon*, quod prætermiſſum, intelligendum ex antecedentibus.

9. *Boves quingentos*] Videtur בקר *bakar*, bucerum genus, hic & in ſuperioribus verbis, contineri etiam nomine דּוּ פסחים *phesachim*, quo vocatæ fiut victimæ omues, quæ octiduo paſchali mactabantur.

10. *Ubi ſolebant ſtare*] על עמדם *bal bomdam*, in ſtatioue ſua. LXX. ἐπὶ τῆς στάσεως αὐτῶν. Sed Cap. antecedente vſ. 33. על עמדו *bal bomdo* verterunt ἐπὶ τ̃ σύλον.

11. *Paſchalem hoſtiam*] פסח *Phesabb*, tranſitum, ſeu hoſtiam, quæ inſtituta fuerat in commemorationem tranſitûs Angeli.

12. *Amoverunt quod erat adolendum*] יסירו העלה *jaſiron babolab.* Hic העלה quod *bolocauſtum* aliàs ſignificat, præter morem ſumi videtur pro iis partibus paſchalium victimarum, quæ adolebantur; nempe, iiſdem proſiciis, quæ Sacrorum ſalutarium erant. Vide Levit. III, 9, 10, 11. & infra vſ. 14.

Ut eam darent] Paſchalem, nempe, victimam de qua antea. Hunc locum LXX. Intt. nou intellexerunt, qui habent καὶ ἡτοίμασαν τὴν ὁλοκαύτωσιν παραδοῦναι καὶ τὰ ἑξῆς. Nec meliùs Vulgatus, qui vertit: *& Levitæ detraxerunt pelles holocauſtorum, & ſeparaverunt ea ut darent.*

Ad boves quod attinet] לבקר *labbakar*, ut haberent unde copioſiùs convivarentur, neque enim agnus, aut hædus, detractis viſceribus in proſicias, ſatis erat ad cœnam decem hominum. LXX. Intt. legerunt לבקר *labboker*, cùm habeant εἰς τὸ πρωΐ, ſed malè, nam matutiuo tempore cœnam paſchalem abſumtam eſſe oportuit.

13. *Torruerunt*] יבשלו *jebaſſchelon*, impropriè, nam hoc verbum propriè eſt *elixare*. Paſchales autem agnos *elixare* non licuit, debuerunt *torreri*. Vide Exod. XII, 9. Similis improprietas occurrit & Deut. XVI, 7.

Conſecratas carnes] הקדשים *bakkodaſchim*. Victimæ ſalutares buceri generis intelliguntur. Non eſt fortè intelligendum hoc comma, quaſi Levitæ torruiſſent roti populo paſchales victimas, coxiſſéntque carnes juvencorum, eáſque populo diviſiſſent. Neque enim potuiſſet hoc fieri in Templo, nec neceſſarium erat fieri à Levitis. Satis fuit ſanguinem earum & proſicias ſolitas in Templo offerri. Itaque ante *torruerunt*, ſubaudiendum eſt, *Iſraëlitæ*. Aut ſi factum hoc à Levitis velimus, per totam urbem ſparſos fuiſſe oportet, ut nomine Regis & Procerum aſſareut, coquerent & dividerent carues. Similis fuerat Hezekiæ liberalitas. Vide Cap. XXX, 24.

14. *Exin ſibi & ſacerdotibus*] Diviſeruut Levitæ priùs victimas paſchales & carues bubulas populo; tum ſui curam geſſerunt, ut & Sacerdotum.

Holocauſtis & adipe] Paſchalium victimarum & aliarum.

15. *Ad fores ſingulas*] *Ad portam & portam.*

Nec illis opus fuit] אין להם *en labem*. Subaudiendum צרך *tſorech*, opus.

16. *Inſtauratum*] ותכון *vattbicchon*, paratum eſt; hoc eſt, iterum paratum, ſeu reſtitutum. Vide vſ. 20.

18. *Paſcha inſtar illius* &c.] Tanto ordine, & tanto concurſu hominum, pro numero Iſraëlitarum, qui remanſerant in Chananæa.

20. *Quibus inſtauravit*] אשר הכין *aſcher hechin*, pro באשר baaſcher, *in quibus*. Inſtauravit autem & ipſum ædificium & univerſum cultum, pro ordiue à Davide & Salomone inſtituto.

Charchemiſium] כרכמיש *Charchemiſch*. LXX. Intt.

rarunt *Paſcha;* Sacerdotes enim, Aharonis poſteri, *occupati fuerunt* in adolendis holocauſtis & adipe, uſque ad noctem. Ideò Levitæ ſibi & Sacerdotibus Aharonis poſteris *Paſcha* pararunt. 15. Interea cantores Aſaphi poſteri fuerunt, ubi ſtare eos par erat, ex præcepto Davidis, Aſaphi, Hemanis & Jeduthunis Videntis regii, & janitores ad fores ſingulas; nec illis *opus fuit* recedere à miniſterio, quia fratres eorum Levitæ pararunt iis *paſchales victimas.* 16. *Sic* inſtauratum fuit univerſum miniſterium Jehovæ, die illo, in celebratione Paſchatis, & oblatione holocautomatum, in altari Jehovæ, ex Joſiæ Regis præcepto. 17. Celebrarunt Iſraëlitæ, qui aderant, Paſcha, illo tempore, & feſtum azymorum, per ſeptem dies. 18. Nec celebratum fuerat Paſcha, inſtar illius, in Iſraële, à temporibus Samuelis Prophetæ; nec omnes Reges Iſraëlis celebrarunt Paſcha ei ſimile, quod celebrarunt Joſia, Sacerdotéſque & Levitæ, omniſque Juda & Iſraël qui adfuit, ac Jeroſolimitani. 19. Decimo octavo anno regni Joſiæ, celebratum eſt hoc Paſcha.

20. Poſt hæc omnia, quibus inſtauravit Joſia Ædem *Jehovæ*, expeditionem ſuſcepit Necho, Rex Ægypti, ad oppugnandum Charchemiſium, ad Euphratem. Illi verò obviam ivit Joſia. 21. At *Rex Ægypti* miſit ad eum nuncios, qui *ipſius nomine* dicerent: quid tibi & mihi, ô Rex Judæ? non enim contra te hodie contendo, ſed contra familiam mecum bellum gerentem. Deus autem me juſſit feſtinare; abſtine ab *oppugnando* Deo, qui mecum eſt, ne te perdat. 22. Non tamen avertit ſe ab illo Joſia, ſed mutavit *veſtes*, ut cum eo pugnaret; nec auſcultavit verbis Nechonis, ex ore Dei *pro-*

Intt. omiſerunt. *Euſebius* tamen habet in locis Hebraïcis, ex alia verſione. Exiſtimant viri docti oppidum hoc fuiſſe quod à Græcis & Latinis *Cercuſium*, vel *Circeſium* vocabatur, ſitum ad confluenta Euphratis & Chaboræ in Meſopotamia; de quo vide collecta à *Chriſtoph. Cellario* Geogr. Antiquæ Lib. III. c. 15. Sed nemo nominis originem, quod equidem ſciam, attigit. Cùm ultimum munimentum eſſet veterum Babyloniæ Regum ad Euphratem, id vocarunt כרכמיש quaſi כרך מיש *chrach-miſch*, hoc eſt, arx remota; nam Chaldæis & Syris כרך *chrach*, aut כרכא *charcha* arcem ſonat. Inde Petra deſerti dicta eſt *Chrach*, & *Characmoba* dicitur *munimentum Moabi* כרך מואב. *Brocardus* Monachus, in deſcriptione Terræ Sanctæ cap. V. *Tranſibis terram Moab, uſque ad Petram deſerti, quæ nunc Crac dicitur.* Stephanus: Χαραχμῶβα πόλις τῆς νῦν τρίτης Παλαιστίνης, ἣν ἀναγράφει Πτολεμαῖος ἐν Γεωγραφικοῖς, ἐν πέμπτῳ βιβλίῳ, ἐν ταῖς Ἀραβικαῖς· ἀξιόπιστος δ' ἀνὴρ περὶ τὰ τοιαῦτα, σπουδὴν γὰρ ἔθετο ἱστορῆσαι ἀκριβῶς τὰ τῆς Ἀραβίας, καὶ Μωβουχάρακα φησίν. CHARACMOBA, *urbs tertiæ nunc Palæſtinæ, quam recenſet Ptolemæus in Geographicis, libro V. in Arabicis urbibus. Vir autem fide dignus in talibus, diligentiam enim adhibuit, ut accuratè exponeret quæ ad Arabiam pertinent, & Mobucharax appellat.* Habent MSS. βυχάρακα, pro Μωβυχάρακα; verterunt, nempe, Græci כרך מואב Μωάβου χάρακα, ob ſimilitudinem ſoni & ſignificationis. Fateor à *Ptolemæo* hanc urbem ad Auſtrum *Petræ* poni, ac proinde remotiorem à finibus Moabitarum; ſed nihil vetat aut non ſatis accuratè ſitum iudicari, aut ne Moabitæ aliquando eum locum in Arabia occuparint, muniverint, nomenque propterea ei fecerint. Hinc ergo liquet כרך *chrach* locum munitum ſignificaſſe. Ad alteram partem vocis כרכמיש quod adtinet, notum eſt מוש apud Hebræos eſſe *remotum eſſe*, unde Chaldaico more formatur participium paſſivum מיש miſch, *remotus* Ut autem *Charchemis* fuit remotiſſimum præſidium Babyloniorum ad Euphratem: ſic & Romanis, ut docet *Procopius* Lib. II. Belli Perſici Cap. V. Circeſium fuit Romanorum φρούριον ἔσχατον, *munimentum extremum* in eam partem.

Illi verò obviam ivit] Quia oportuit Regem Ægypti tranſire per fines ditionis regni Joſiæ, ut in Meſopotamiam eum exercitu iret; nam iter per Arabiam deſertam vix propter penuriam, aut ſiccitatem regionis, fieri poteſt. Non conſultum exiſtimavit Joſias ſinere per fines ſuos magnum tranſire exercitum, cùm præſertim illac quoque rediturus videretur; & fortè etiam favit Rex Judæ Aſſyriis, eorúmque impulſu obviam Regi Ægypti ivit.

21. *Non enim contra te hodie contendo*] לא עליך אתה היום *non contra te tu nunc.* LXX. Intt. οὐκ ἐπὶ σὲ ἥκω σήμερον, & Vulgatus, *non adverſum te hodie venio.* Chaldæus etiam לא עלך סליקת *non contra te adſcendi.* Nec dubium eſſe poteſt, quin ſit is ſenſus loci. Sed crediderim vocem אתה ſic efferendam quaſi ſcriptum eſſet אֹתֶה participium præſens verbi אתה *atha* venit, & ſic legiſſe, aut legendum cenſuiſſe memoratos Interpretes. Subaudiendum אני *ego.* לא עָלֶיךָ אֲנִי אֹתֶה *non contra te ego venio.* Qui אתה vertunt, *hens tu*, durius multò vertunt.

Familiam mecum bellum gerentem] *Domum belli mei.* Nam à tempore Sancheribi bellum fuerat Aſſyriis cum Ægyptiis, ut obſervavimus ad 2. Reg. C. XXIII.

Deus autem me juſſit &c.] Aut Deus quiſpiam Ægyptiorum, unde טעותי *tahavathi*; hoc eſt, *idolum meum*, habet Chaldæus; aut, ut alii volunt, Deus Iſraëlis à quo putant Prophetam Hebræum miſſum eſſe ad Nechonem, propter ſequentia vſ. 23. verba, quæ eventu ſunt confirmata.

22. *Avertit ſe*] *Avertit faciem ſuam.*

Mutavit veſtes] Ne agnitus in prælio ab Ægyptiis potiſſimùm impeteretur, ut fecit Achabus in prælio contra Syros, ſuprà Cap. XXII, 30. idemque utrique exitus fuit.

Ex ore Dei] Chaldæus habet: *ut verò audivit mentionem fieri Idoli ejus* &c. Sed eventus favet iis, qui verum Deum deſignari putant, quacumque tandem ratione voluntatem ſuam Ægypti Regi ſignificari curarit.

 23. *Lu-*

prodeuntibus, verùm ivit ad prælium committendum in vallem Megiddonis. 23. Sagittarii verò ſagittas miſerunt in Regem Joſiam, qui dixit ſervis ſuis: abducite me hinc, graviſſimè enim vulneratus ſum. 24. Tranſtulerunt igitur eum ſervi ejus ex eo curru, in currum ſecundum qui ei erat, & avexerunt Jeroſolimam, ubi mortuus & ſepultus eſt in Majorum ſuorum ſepulcris. Omnis verò Juda, *totáque* Jeroſolima eum luxit. 25. Lugubre etiam carmen compoſuit Jeremias ſuper Joſia, cantoréſque & cantrices, in lugubribus ſuis carminibus, de Joſia loquuntur, ad hunc uſque diem, conſuetudinémque hanc in Iſraële inſtituerunt. En autem ea ſcripta in lugubribus carminibus. 26. Reliquæ autem res geſtæ Joſiæ, benignáque ejus facta, *exacta* ad id quod ſcriptum eſt in lege Jehovæ, 27. facinoráque ejus prima & ultima ſcripta ſunt in libro Regum Iſraëlis & Judæ.

XXXVI. Judæ tribus Jehoachazum filium Joſiæ patri ſufficit. Hunc ſolio deturbat Necho, eique ſubſtituit Jehojakimum. At Nebuchadnetſar hujus loco abducti Babylonem Jehojachinum ejus filium regnare jubet, cui mox tamen & ipſi ſucceſſorem dat Sedekiam; quem rebellem captâ Jeroſolimâ occidit, populo in captivitatem abducto, quæ à Cyro tandem ſolvitur.

CAPUT XXXVI. 1. SUMSIT deinde terræ populus Jehoachazum, Joſiæ filium, eúmque Regem Jeroſolimæ conſtituit, patris loco. 2. Viginti tres annos natus erat Jehoachazus, cùm regnare inciperet, & per tres quidem menſes Jeroſolimæ regnavit. 3. Nam amovit eum Rex Ægypti, cùm eſſet Jeroſolimæ, & terræ *Iſraëlitidi* centum talentorum argenteorum, & unius aurei mulctam impoſuit. 4. Tum conſtituit Regem Rex Ægypti Eljakimum, fratrem ejus, Judæ & Jeroſolimæ, mutavitque nomen ejus in Jehojakimum, & Jehoachazum quidem, fratrem ejus, Necho abduxit, atque in Ægyptum tranſtulit. 5. Viginti quinque annos natus erat Jehojakimus, cùm regnare cœpit, & undecim quidem annis Jetoſolimæ regnavit, fecitque quod Jehovæ ejus Deo diſplicuit.

6. Contra eum expeditionem ſuſcepit Nebuchadnetſar, Rex Babyloniorum, eúmque vinxit geminâ catenâ æneâ, ut Babylonem abduceret. 7. Nonnulla etiam ex vaſibus

25. *Lugubre etiam carmen*] יקונן ירמיהו *lamentatus eſt Jeremias.* Sic etiam ſcripſit David lugubre canticum in mortem Saülis, 2. Sam. I, 17.

Cantoréſque & Cantrices] In luctu inſigniorum virorum, aut mulierum, conducebantur etiam apud Hebræos ידעי נהי *periti luctûs*, ut loquitur Amoſus C. V, 16. & vocabantur מקוננות mekonenoth, *mulieres quæ lamentarentur* & חכמות hhachamoth, *ſapientes*, quæ luctum inchoarent, ut docet Jeremias Cap. IX, 17, 18. quod pluribus perſequutus eſt *Martinus Geſerus* de Luctu Hebræorum Cap. V. Romani quoque & Græci ſuas habebant *præficas*, quæ mortuorum laudes canebant, de quibus ii qui de ritibus funerum egerunt, & præ ceteris *Joan. Kirchmannus* de Funeribus Romanorum Lib. II. c. 6.

De Joſia loquuntur &c.] Tam inſignis & celebris fuit luctus, Joſiæ cauſâ, ſeu propter ſingulares virtutes hominis, ſeu quia ultimus fuerat Rex, quem publico luctu proſequuti fuerant Hebræi; ut in formulis luctûs, quibus per aliquot ætates uſi ſunt Hebræi, mentio fieret luctûs Joſiæ, in hæc, aut ſimilia verba: *dignus es qui lugearis, inſtar Joſiæ* &c.

Conſuetudinémque — inſtituerunt] ויתנום לחק *vajitthenoum lehhok.* Vide ſimilem loquutionem Jud. XI, 39.

In lugubribus carminibus] על הקינות *hal hakkinoth.* Videtur threnorum collectio fuiſſe, quæ tunc exſtabat.

27. *In libro Regum Iſraëlis & Judæ*] Deſierant quidem fieri Ephemerides regni Iſraëlis à temporibus Salmanaſaris, qui id everterat; ſed cùm in Judæ regno poſtea ſcriptæ ſint, hæ omnes Ephemerides habitæ ſunt inſtar unius Operis, quod vocabatur, *Liber Ephemeridum Regum Iſraëlis & Judæ*, qui in Babylonicis ac Aſſyriacis tabulariis ſervatus fuiſſe videtur, poſtquàm Iſraëlitæ in captivitatem abducti ſunt.

In CAPUT XXXVI.

3. *CUm eſſet Jeroſolimæ*] 2. Reg. XXIII, 33. Jehoachazus dicitur Riblæ, in terra Chamathæa, à Pharahone in vincula conjectus; ſed non pugnat hoc cum eo, quod hîc habetur, nam Jeroſolimâ priùs amoveri oportuit Jehoachazum, quàm in vincula conjici; nec quidquam vetat Jeroſolimæ priùs ſolio dejectum, quàm Riblam abductum.

5. *Quod diſplicuit*] *Malum in oculis.*

8. *Abominandáque ejus facta*] *Abominationes ejus.*

Quidquid mali] הנמצא עליו *inventum ſuper eo*, aut *contra eum*; nempe, malum. Vide ſimilem loquutionem Cap. XIX, 2. niſi quòd de bono ſermo eſt.

9. *Octo annos*] שמונה שנים *ſchmoneh ſchanim.* At 2. Reg. XXIV, 8. dicitur fuiſſe בן שמונה עשרה שנה *octodecim annos natus*, quæ melior eſt lectio, vix enim puer, octo annos natus & aliquot dies, poteſt dici feciſſe *malum in oculis Dei*, aut *quod Deo diſplicet*; tunc enim Tutores & Conſiliarii, potiùs quàm Rex, faciunt quod ſibi videtur. LXX. Intt. in Cod. Alexandrino habent,

Digitized by Google

ſibus Ædis Jehovæ avexit Nebuchadnetſar Babylonem, & in palatio ſuo Babylone po-
ſuit. 8. Reliquæ autem res geſtæ Jehojakimi, abominandáque ejus facta, & quidquid
mali in eo deprehenſum eſt, ſcripta ſunt in libro Regum Iſraëlis & Judæ. Ejus loco
regnavit filius ejus Jehojachinus. 9. Octo annos natus erat Jehojachinus, cùm regnare
inciperet, tribúſque menſibus & decem diebus regnavit Jeroſolimæ, ac quod Jehovæ
diſplicet fecit.

10. Anno vertente, miſit Rex Nebuchadnetſar, qui eum abducerent Babylonem,
unà cum omnibus vaſibus pretioſis Ædis Jehovæ, & conſtituit Regem Sedekiam fra-
trem ejus in Judam, & Jeroſolimam. 11. Unum & viginti annos natus erat Sedekia,
cùm regnare inciperet, & undecim quidem annis Jeroſolimæ regnavit. 12. Fecit quod
diſplicuit Jehovæ Deo ſuo, nec ſe humilem abjecit, propter Jeremiam Prophetam, ex
ore Jehovæ *loquentem*. 13. Quin & rebellavit contra Regem Nebuchadnetſarem, qui
eum jurejurando per Deum adegerat, induravitque cervicem ſuam, & animum obfir-
mavit, ne ad Jehovam Deum Iſraelis rediret. 14. Omnes etiam principes Sacerdo-
tum & populi, multis in rebus, defecerunt *à Deo*, pro omnibus abominandis factis gen-
tium, & polluerunt Ædem Jehovæ, quam Jeroſolimæ conſecraverat. 15. Miſit qui-
dem iis Jehova, Majorum illorum Deus, *admonitiones* per nuncios ſuos, qui mane
ſurrexerunt, cùm *ad eos* eſſent miſſi; volebat enim parcere populo ſuo & ſedi ſuæ.
16. Sed ſubſannarunt nuncios Dei, ſpreverunt eorum verba & illuſerunt prophetis
ejus; donec ita augeretur indignatio Jehovæ in populum ejus, ut nullum eſſet ampliùs
remedium.

17. Itaque immiſit in eos Regem Chaldæorum, qui delectos eorum gladio occidit,
in eorum Sanctuarii Æde, nec pepercit juveni, virgini, ſeni aut decrepito. Om-
nes in manum ejus tradidit Jehova. 18. Vaſa omnia Ædis Dei, magna & par-
va, theſauros Ædis Jehovæ, theſauróſque Regis & procerum ejus omnes avexit
Babylonem. 19. Incenſa eſt Ædes Dei, diruti muri Jeroſolimæ, omniáque ejus pala-
tia igne abſumta, ita ut omnia ornamenta ejus ſumtuoſa corrupta ſint. 20. Tranſtu-
lit etiam *Nebuchadnetſar* quod à gladio ſupererat Babylonem, fuerúntque *Iſraëli-
tæ* ipſius & filiorum ejus ſervi, donec oriretut Perſarum regnum; 21. ut imple-
rentur verba Jehovæ, ore Jeremiæ *prolata*, donec exigeret terra Sabbatha ſua;
nam

bent, [illegible] Itaque hinc exciderit vox עשרוי *beſebreb*, decem; prout rectè cenſebat etiam *Joannes Piſcator*.

10. *Anno vertente*] לתשובת שנה *lithſchoubath ſchanab*, in reditu anni; hoc eſt, aut primo menſe anni, aut anno circumacto, vel ſequente.

Miſit qui abducerent] *Miſit & abduxerunt eum.*

Vaſibus pretioſis] *Vaſibus deſiderii.*

12. *Propter Jeremiam*] Qui rem multis, in vaticiniis ſuis, exſequutus eſt.

13. *Induravit cervicem*] Excuſſum ſemel jugum numquam poſtea ſubire voluit; hoc eſt, ad abjectam veram Religionem numquam rediit.

14. *Multis in rebus defecerunt* &c.] *Multiplicarunt deficiendo defectionem.*

15. *Qui mane ſurrexerunt, cùm ad eos eſſent miſſi*] השכם ושלוח *haſchchem veſchaloahh*, mane ſurgendo & mittendo, quod refertur ad Deum. Significant hæc verba Prophetas ipſos feſtinaſſe nunciare quæ à Deo acceperat, nec ullo modo mandatorum ſuorum expoſitionem diſtuliſſe; quia qui maturè aliquid perfectum cupiunt ſolent ſummo mane ſurgere, ut quàm primùm abſolvant. Latinè loquentes rem ad Prophetas retulimus, quorum proprium fuit *mane ſurgere* non Dei.

Volebat parcere] חמל *hhamal*, pepercit; hoc eſt, cupiebat reſipiſcenti ignoſcere. 16.

16. *Donec ita augeretur indignatio* &c.] *Donec adſcenderet excandentia Jehovæ* &c.

17. *Immiſit in eos*] *Fecit adſcendere in eos.*

Non pepercit &c.] Occidit armatos & reliquos in captivitatem abduxit; quorum tamen, irrumpente in urbem milite, nonnulli ſunt ſine dubio etiam occiſi.

19. *Ornamenta ejus ſumtuoſa*] וכל כלי חמדיה להשחית *& omnia vaſa deſideriorum ejus ad corrumpendum*. Intelliguntur hîc ornamenta urbis, nam ad vaſa pretioſa quod adtinet, ea integra abſtulerunt Babylonii. כלי *cheli* dicitur inſtrumentum, ſupellex, vas, & quidvis aliud, quo res, de qua ſermo eſt, ornatur.

20. *Ipſius & filiorum ejus*] Eſt intelligendus Nabuchodonoſor, quamvis nomen ejus ſit remotius; neque enim videntur hi captivi, inſtar mancipiorum, diviſi fuiſſe proceribus Babyloniis, ſed tantùm Regi ſtipendiarii fuiſſe. Certè liberæ ſortis erant tempore Cyri, qui ſervos heris non eripuit, ſed liberis in patriam redeundi poteſtatem fecit.

Donec oriretur] *Donec regnaret Perſidis regnum.* Hæc oſtendunt hunc librum, poſt reditum è Captivitate, ſcriptum fuiſſe.

21. *Exigeret Sabbatha ſua*] Hoc eſt, dum veluti hebdomadibus ſabbathicorum annorum quieſceret; quòd ſabbathici anni, ab Hebræis, non accuratiùs quàm cetera lex obſervati fuiſſent. Verbum רצתה *ratſetha* vertimus *exigeret*, ex ſignificatione conjugationis *Niphal*, in qua *abſolvi, compleri* hæc vox ſignificat. Terra autem ditionis Regum Judæ obſervavit Sabbatha, quia maxima ex parte deſerta & inculta remanſit.

Ut

Digitized by Google

nam toto tempore deſolationis ſuæ ceſſavit, ut implerentur ſeptuaginta anni.

22. Anno verò primo Cyri, Perſarum Regis, ut implerentur verba Jehovæ, ore Jeremiæ prolata, excitavit Jehova animum Cyri, Perſarum Regis, qui curavit pronunciari per totum ſuum regnum, & ſcripto etiam *edictum proponi*, in hæc verba: 23. ſic dixit Perſarum Rex Cyrus: omnibus terræ regnis donàvit me Jehova Deus cœli, mandavitque mihi ut ei exſtruerem Ædem Jeroſolimæ, quæ eſt apud Judam; *ſi* quis *eſt* apud vos ex omni populo ejus, ei verò adſit Jehova Deus ejus, *eò*que ſe conferat.

Ut implerentur LXX. anni] Vide Tabulas Chrouologicas.

22 *Curavit pronunciari*] *Fecit tranſire vocem*; per præcones, nempe, pronuuciari per omnes regni pruvincias.

23. *Omnibus terræ regnis* &c.] Intelligendum terræ Aſiæ, & quidem ejus partis Aſiæ, quæ cis Indnm eſt, & ad meridiem marium Caſpii & Euxini, uſque ad Ægyptum. Sed ſie Orientales Reges de ſua ditione magnificè loqui ſolebant. Vide Dan. III, 31.

Jehova Deus cœli] Revelatio hæc Dei Cyro fieri potuit aut per ſomnium, aut per vatem; aut rem intellexit ex iuterpretatinne Eſaiæ XLIV, 28. XLV, 1. ubi uomine appellatur, prædicitúrque facturus id quod cœpit. At hoc poſtremum veriſimillimum mihi videtur. Cùm ei oſtenſus eſſet ab Hebræo quopiam, aut non mine Hebræis favente, iu antiquis membranis, Eſaiæ locus, gaviſus videtur ob tam eximium de ſe vaticiuium & vnluiſſe etiam implere quod prædicitur illic de inſtauratinne Templi Jeroſolimitani. Ex eodem illo Propheta, nperâ Interpretis, intellexit quis eſſet ille Deus, & qun nomine vocaretur; unde factum ut in edicto *Deum cœli* & *Jehovam* eum vocet. Nou crediderim tamen Cyrum, Perſarum ſuperſtitione abjectâ, Religionem Judaicam amplexum eſſe. Potuit ita loqui, ut loquitur, de Deo Iſraëlis, nec eo ſeciùs colere Perſarum Deos; nam Ethnici plures Deos ſimul colebant, & Sacra interdum alienis Diis faciebant.

Mandavitque mihi] Per vaticinium in quo prædicitur hoc futurum.

Eòque ſe conferat] Pleniùs habetur edictum Heſdr. Cap. I.

LIBRI 2. EPHEMERIDUM FINIS.

LIB.

LIBER ESDRÆ, SIVE PRIOR ESDRÆ.

I. Cyrus edicto permittit Judæis reditum in patriam, qui ſe ſe ad iter parant, & ab eo vaſa ſacra Jeroſolimâ olim avecta recipiunt.

1. ANNO primo Cyri, Perſarum Regis, ut impleretur verbum Jehovæ, CAPUT I.
quod ex Jeremiæ ore *prodierat*, excitavit Jehova animum Cyri Regis
Perſarum, qui pronunciari curavit, per totum regnum ſuum, &
ſcripto etiam *promulgavit* hæc verba : 2. ſic dixit Cyrus, Perſarum
Rex; omnibus terræ regnis me donavit Jehova, Deus Cœli. Man-
davit autem mihi ut Ædem ei ædificarem Jeroſolimæ, in Judæa. 3. *Si*
quis eſt ex univerſo ejus populo, inter vos, Deus ejus ei adſit eátque Jeroſolimam, quæ
eſt in Juda, & inſtauret Ædem Jehovæ Dei Iſraëlis; Deus ille eſt, qui Jeroſolimæ *co-*
lebatur. 4. Reliquos enim omnes, ex omnibus locis, in quibus peregre vivunt, ſuble-
vent

COMMENTARIUS

In CAPUT I.

1. A*Nno primo Cyri*] Duplex fuit initium Cyri Perſarum Regis. Prius Perſicum, idque antiquius; poſterius Babylonicum de quo Heſdras, quia dum Cyrus in Perſide tantùm regnaret, regnum ejus ad Judæos, qui in Babylonia erant, nihil adtinuit. De utroque illo initio, vide quæ habet *Dionyſ. Petavius* de Doctr. Temporum Lib. X. c. 15 & 16. Poſterius incidit in annum ante Chriſtum DXXXVIII. à quo tempore per novem annos regnavit.

Quod ex Jeremiæ ore &c.] Jerem. XXIX, 10. & 2. Par. XXXVI, 20. Quia apud Prophetam initium LXX. annorum perſpicuè non ſignificatur, colligendum id ſibi exiſtimarunt eruditi Chronologi à fine, qui indicatur apud Zachariam Cap. I, 7, 12. ubi *annus ſecundus Darii, die 24 menſis XI. Sebath*, dicitur fuiſſe *ſeptuageſimus*. Is autem Darius fuit, cui Hyſtaſpidi à nomine patris cognomen factum eſt, cujus annus ſecundus, ex Babyloniorum Regum Canone, & ex duabus Eclipſibus Lunæ, quas Chaldæi obſervarant, ut docet *Ptolemæus* Lib. IV. Syntaxeos, idem eſt ac annus DXX. ante vulgarem Chriſti Æram. Itaque cum is poſtremus annus fuerit deſolationis & Sabbathiſmi Judææ, qui per annos ſeptuaginta durarat, initium Sabbathiſmi conferendum eſt in annum DLXXXIX. (nam pars anni DXX. numeranda eſt) ante eamdem Æram. Erat verò ille annus DLXXXIX. ante Chriſtum, nonus regni Sedekiæ, quo Nebuchadnetſar venit in Judæam, eámque obſeſsâ Jeroſolimâ vaſtavit, ut docemur 2. Reg. XXIV, 17.

Excitavit Jehova animum Cyri &c.] Non eſt putandum vaticinium Jeremiæ de LXX. annis Sabbathiſmi, impletum fuiſſe anno primo Cyri; pauci enim Judæi, qui in patriam tunc redierunt, longè maximam ejus partem incultam etiamnum reliquerunt. Hoc vult ergo Eſdras, Deum menti Cyri eam injeciſſe cogitationem, ut Judæis reditum in patriam concederet; quo reditu factum eſt ut initium fieret reſtitutionis Judææ, quæ integrum demum effectum ſortita eſt, anno ſecundo Darii Hyſtaſpidis, de quo anno Angelus apud Zachariam I, 12. *Quo uſque*, inquit, *ô Jehova Deus exercituum, tu non miſereberis Jeroſolimæ & urbium Judæ, quibus jam hic eſt ſeptuageſimus annus ex quo indignaris?* Vide & Hag. II, 11, 19 ubi Deus ab eo tempore dicitur benedixiſſe terræ Judææ.

Qui pronunciari curavit] *Et tranſire fecit vocem*; prælecto per præcones edicto, quo poteſtatem faciebat Judæis redeundi in patriam.

Promulgavit hæc verba] *Dicendo.*

2. *Omnibus terræ regnis*] Vide 2. Par. XXXVI, 23.

3. *Inſtauretque*] *Ædificet.*

Qui colebatur Jeroſolimæ] Supplevimus, colebatur נעבד *nebbad*.

4. *Reliquos autem omnes* &c.] *Et omnem reliquum*; nempe, יהודי *Judæum*, vel ישראלי *Iſraëlitam*. Commodius viſum plurali numero exprimere.

vent loci *cujuſque* incolæ argento, auro, opibus, pecudibus, cum ſpontanea oblatione in Ædem Dei, qui Jeroſolimæ *colebatur*.

5. Exorti itaque ſunt principes *familiarum* patriarum Judæ & Benjaminis, Sacerdotéſque & Levitæ, & omnes quorum animum excitavit Deus, ad eundum, inſtaurandámque Ædem Jehovæ, quæ eſt Jeroſolimæ; 6. omnéſque eorum vicini animum iis addiderunt, datis vaſibus argenteis, auro, facultatibus, pecudibus, pretioſiſque muneribus, præter omnia, quæ ſponte ſunt oblata. 7. Rex verò Cyrus protulit vaſa Ædis Jehovæ, quæ Nebuchadnetſar Jeroſolimâ eduxerat, & in Deorum ſuorum Æde poſuerat. 8. Protulit ea Cyrus, Rex Perſarum, *quæ erant* ad manum Mithredathi præfecto Ærarii, eáque numeravit Sesbatſari Judæ principi. 9. Hic autem erat eorum numerus: pelves aureæ triginta; pelves argenteæ mille; cultri viginti novem; 10. crateres aurei tecti triginta, argentei tecti ſecundarii decem & quadringenti; vaſa alia mille. 11. Omnia vaſa, aurea & argentea, fuerunt quinque millia & quadringenta. Omnia tranſtulit Sesbatſar, cùm eos, qui captivi fuerant Babylone, Jeroſolimam duceret.

II. Recenſio eorum qui cum Zorobabele in Judæam redierunt, & qui, oblatis muneribus ad inſtaurandum Templum, per Judææ urbes ſparſi ſunt.

CAPUT II. 1. HI autem ſunt provinciales, qui profecti ſunt è captivis, abductis Babylonem à Nebuchadnetſare, Babyloniorum Rege. Reverſi verò ſunt Jeroſoli-

Loci cujuſque incolæ] *Viri loci ejus.* Pro *ſublevent* eſt ינשאוהו *jenaſſcheouhou*, hoc eſt, *attollant*; eadem metaphorâ, quâ Latini *ſublevare* dicunt, pro eo quod eſt adjuvare.

Cum ſpontanea oblatione &c.] עם הנדבה *him hannedabah.* Hoc eſt, cùm Judæorum paupertatem opibus ſuis ſublevent, tum etiam per eorum manus ſponte mittant Jeroſolimam, quod Deo offeratur.

5. *Principes familiarum patriarum*] *Capita patrum.*

Quorum animum excitavit Deus] Hoc eſt, qui reverentiâ & amore Dei Iſraëlis perculſi, voluerunt redire in Judæam, deſertam licèt, ad inſtaurandum cultum divinum. Piæ autem ejuſmodi cogitationis ſuſcipiendæ omnibus auctor quidem fuit Deus, promiſſis & mandatis, quæ apud Jeremiam, alióſque Prophetas exſtant, ſed omnes Dei invitationem ſequnti non ſunt. Itaque cùm res eſſet libera, nec migrare Judæi à Perſis cogerentur, ii ſoli profecti ſunt, quos reverentia & amor Dei Iſraëlis impulere.

6. *Animum iis addiderunt, datis* &c.] *Confirmarunt in manibus eorum in vaſibus argenti* חזקו בידיהם בכלי כסף *bhizzekou bidehem bichle cheſeph.* Fortè præfecti regii muneribus eos donarunt, oſtenderúntque omnes, qui darent, rem gratam Regi facturos; quo factum eſt ut multi certatim aliquid conferrent, veluti ad impetrandam Perſarum Regi Dei Jeroſolimitani pacem.

7. *Vaſa Ædis Jehovæ*] Quæ quidem comparuerunt, nam multò plura fuerant.

8. *Quæ erant ad manum*] על יד *hal jad.* Supplendo אשר *quæ.* LXX. Intt. ἐπὶ χεῖρα, Vulgatus, *per manum.* Verùm hoc Hebræi ביד *bejad* dicunt, ut notum eſt. Itaque maluimus hanc loqutionem ita intelligere, ut vaſa Ædis Jeroſolimitanæ, quæ ſupererant, dicantur ad manum fuiſſe *Mithredathi* Ærarii Præfecto.

Mithredati præfecto Ærarii] מתרדת הגזבר *Mithredath haggizbar.* LXX. Intt. efferunt hoc nomen Μιθραδάτης, Vulgatus, *Mithridates.* Poſteriori modo ſcribunt hoc nomen Codd. MSS. ubi ſermo eſt de Ponticis Regibus; priori numiſmata, ut videre licet ex eorum nummis, quæ protulit Vir Illuſtris *Ezech. Spanhemius* de Uſu & Præſtantia Numiſmatum Diſſ. VIII. Vocem הגזבר crediderunt LXX. Intt. nomen eſſe patriæ, cùm habeant Γασβαρηνοῦ, Vulgatus patris, cùm verterit, *filii Gozabar.* Sed vir doctiſſimus *Guilielmus Guiſius* in Cap. I. libri Thalmudici, qui inſcribitur מסכת מאה, oſtendit derivandam hanc eſſe vocem ab antiqua voce Perſica גנזא *ginza*, aut *gaza*, unde, additâ terminatione ſollemni Perſicæ Linguæ בר *bar*, vox facta. Eum adi. *Joſephus* Ant. Jud. XI. cap. 1. Γαζοφύλακα vocat. Vide Cap. VII, 25.

Sesbatſari] לששבצר *lſcheſchbatſar.* Sic à Babyloniis vocatus creditur Zorobabel; ſolebant enim captivis nomina alia imponere, ut liquet ex Dan. I, 7. Vide Cap. II, 2.

Judæ principi] הנשיא ליהודה *hannaſchi lIhoudah.* Cùm Zorobabel ortus eſſet ex proſapia Regum Judæ, eſſétque etiam Babylonem abductus, à ſuis quaſi princeps omnium Tribulium agnoſcebatur, ſed ſine ullo coërcitionis jure; omnia enim penès Babylonios primùm, deinde etiam Perſas fuerunt. Jam verò quaſi præfectus ſuæ genti à Rege Perſarum in Judæam mittebatur. Proſapiam Zorobabelis vide 1. Par. III, 19. Luc. III, 27, 31.

9. *Pelves aureæ*] אגרטלי *argetele.* LXX. Intt. ψυκτῆρες, Vulgatus, *phialas*; hoc eſt, vaſcula lata ac minùs profunda, quæ bibendo *exſiccare*, ſeu ψύχειν oportebat.

Cultri] מחלפים *mahhalaphim.* LXX. Intt. παρηλλαγμένα, Vulgatus *cultros.* Re verâ חלף *hhalaph* eſt mutavit & חליפות *hhaliphoth* ſunt *veſtes quæ mutentur.* Sed quia hîc ſermo eſt de vaſibus Templi, non de veſtibus ſacerdotalibus, Vulgatum ſequuti ſumus, cui & recentiores Rabbini adſtipulantur.

10. *Crateres aurei tecti*] כפורי *chphore.* LXX. Intt. κεφφουρῆς, ſervatâ voce Hebraicâ, Vulgatus *ſcyphi.* Vide ad 1. Par. XXVIII, 17.

11. *Quinque millia & quadringenta*] Si ſubducantur in ſummam ſuperiores numeri, ne dimidiam quidem partem conficient. Quare neceſſe eſt hîc, aut illic peccatum eſſe in numeris. Scio viros doctos, ut hunc nodum ſolverent, commentos eſſe, præcipua dumtaxat & elegantiora vaſa in antecedentibus enumerata fuiſſe; re-

ſolimam, & in *tribûs* Judæ *agros*, unuſquiſque in urbem ſuam. 2. Iverunt cum Zo-
robabele *principes populi* Jeſua, Nechemja, Seraja, Rehelaja, Mordechæus, Bilſan,
Miſphar, Bigvaïs, Rechumus, & Bahana; numerus verò virorum populi Iſraë-
lis *hic fuit*. 3. Poſterorum Pharhoſi duo millia, centum, ſeptuaginta duo. 4. Poſ-
teri Sephatjæ trecenti, ſeptuaginta duo. 5. Poſteri Arachi ſeptingenti, ſeptuagin-
ta quinque. 6. Poſteri Phachath-moabi, qui è poſteris Jeſuæ *&* Joabi, bis mil-
le, octingenti, duodecim. 7. Poſteri Helami mille, ducenti, quinquaginta quatuor.
8. Poſteri Zatthui nongenti, quadraginta quinque. 9. Poſteri Zacchaïs ſeptingen-
ti, ſexaginta. 10. Poſteri Banis ſexcenti, quadraginta duo. 11. Poſteri Bebaïs
ſexcenti, viginti tres. 12. Poſteri Hazgadi mille, ducenti viginti duo. 13. Poſte-
ri Adonikami, ſexcenti, ſexaginta ſex. 14. Poſteri Bigvaïs, bis mille, quinqua-
ginta ſex. 15. Poſteri Hadinis, quadringenti, quinquaginta quatuor. 16. Poſteri
Ateri, è Jechizkija, nonaginta octo. 17. Poſteri Betſaïs, trecenti, viginti tres. 17. Poſ-
teri Joræ, centum duodecim, 19. Poſteri Chaſumi, ducenti, viginti tres. 20. Poſ-
teri Gibbaris nonaginta quinque, 21. Bethlechemitæ centum, viginti tres. 22. Ne-
tophatitæ quinquaginta ſex. 23. Hanathothenſes, centum, viginti octo. 24. Hazma-
vethenſes quadraginta duo. 25 Kirjath-jeharimenſes, Chephirenſes & Beerothen-
ſes, ſeptingenti, quadraginta tres. 26. Ramenſes & Gabenſes, ſexcenti, viginti unus.
27. Mich-

reliqua verò datâ operâ omiſſa, quæ tamen nihilo ſecius in ſubductione ſummæ memorantur. Sed ſi hoc eſſet, oportuiſſet hîc indicatum, & dictum fuiſſe כל כלים האלה ואחרים אשר לא נכפרו *omnia illa vaſa & alia quæ non ſunt numerata*, aut aliquid ſimile. Non diſſimulabo tamen *Fr. Junium* & *Imm. Tremellium* vertiſſe poſtrema ſuperioris commatis verba כלים אחרים אלף *inſtrumenta alia* per *millia*, & *Joan. Piſcatorem* hancce interpretationem amplexum ſupplere ל ante אלף. Sed non ita loquuntur Hebræi, ſi enim plura millia dicere velint, dicunt אלפים *alaphim* in plurali. Multò credibilius eſt peccatum aliquid in numeris, quod & alibi contigiſſe negari nequit. Qui nulla ejuſmodi menda, & ne varias quidem lectiones in Vetere Teſtamento inveniri volunt, quòd metuant ne auctoritas Librorum Hebraïcorum labefactetur; ii non cogitant à ſe Novum Teſtamentum prodi, in cujus Codicibus ſunt variæ lectiones, & loca malam manum paſſa, quod in *Arte Critica* multis oſtendimus. Cujus rei in ſequentibus etiam meminiſſe oportebit.

Cùm eos qui captivi &c.] *Cùm faceret adſcendere captivitatem Babylone.*

In CAPUT II.

1. PRovinciales] בני המדינה *filii provinciæ.*

Qui profecti ſunt è captivis] *Adcendentes à captivitate migrationis.* Quamvis שבי *ſchbi* captivitatem vertamus, idem prorſus non intelligimus ac Latini eâ voce intelligebant, aut Græci voce αἰχμαλωσίας. *Captivos* enim vocabant Latini, αἰχμαλώτους Græci, eos qui venditi, aut diviſi, cum cetera præda, apud plures ſeorſim ſerviebant. At Judæi videntur à Babyloniorum Rege abducti, inſtar coloniæ cujuſdam, cujus ſinguli coloni ſoli Regi ſerviebant; nec minùs liberæ ſortis erant, ac alii qui Babyloniorum Regi parebant. Alioquin oportuiſſet Judæos à Cyro redimi, aut ejus imperio libertatem conſequi ab iis quibus ſerviebant, quod factum non legimus. Imò verò Judæos in Babylonia liberos fuiſſe hinc liquet, quòd tam pauci in Judæam redierint, cùm omnibus redeundi poteſtas facta eſſet; ſi enim in Babylonia ſervitutem omnes ſerviiſſent, nemo non redire in patriam maluiſſet, ut libertatem ſuam recuperaret, aut certè perpauci ſervitutem libertati prætuliſſent.

Unus quiſque in urbem ſuam] Aut in qua ipſe puer habitaverat, ante quinquaginta annos, & quod excurrebat, aut in qua ſciebat Majores ſuos habitaſſe. Abducti enim fuerant Judæi, poſtremâ vice, in captivitatem à Nebuchadnetſare, anno ante Chriſtum D LXXXIX. & primùm redierunt, anno D XXXVIII.

2. *Cum Zorobabele*] Qui Scheſbatſar dictus eſt Cap. I, 8.

Principes populi] Hæc ſupplevimus, quia hi viri à populo diſtinguuntur & nominatim appellantur.

Jeſua] ישוע *Jeſchouah.* Pontifex Maximus, Zachar. VI, 1.

Seraja] שריה *Scherajah.* Pro hoc nomine eſt Nehem. VII, 6. עזריה *Hazarja*, & in ſequentibus aliæ non minores varietates, ſed de quibus ad Nehemiam agemus, pro more noſtro.

Numerus verò virorum populi &c.] Hic eſt veluti titulus recenſionis ſequentis.

3. *Poſterorum Pharhoſi*] *Filii Pharhos*, & ſic in ſequentibus.

6. *Et Joabi*] Hîc *&* ſupplevimus, ex Nehem. VII, 11. ubi disertè ויואב *veJoab.*

13. *Sexcenti, ſexaginta ſex*] Miror viros eruditos, quia Adonikami poſteri hîc dicuntur fuiſſe DC LXVI. crediſſe huc reſpici Apoc. XIII, 18. ubi dicitur is numerus eſſe numerus nominis beſtiæ, cùm præſertim Nehem. VII, 19. numerus Adonikami poſterorum dicatur fuiſſe DC LXVII. Sed quamvis alius numerus non ederetur apud Nehemiam, an ex fortuita ſimilitudine eſſet ejuſmodi myſterium deducendum? Non puto.

21. *Bethlechemitæ*] *Filii Bethlechem.* Sed cùm hoc nomen & ſequentia ſint ſine dubio urbium Judæ aut Benjaminis plerarumque nomina, non potuimus בנים banim *poſteros* vertere. Ideò Nehem. VII, 26. dicuntur אנשי בית-לחם *viri Bethlehem*, & ſic porrò. Si quis autem quærat cur hi quoque de nomine proavi aut πατριαρχῶ non vocentur, ſed de nomine patriæ; fortè ita factum quòd conſtabat quidem eos eorúmve Majores habitaſſe urbes quæ memorantur, ſed eorum proſapia dubia erat.

27. Michmaſenſes, centum, viginti duo. 28. Bethelenſes & Haïenſes, ducenti, viginti tres. 29. Nebuntini quinquaginta duo. 30. Magbiſi poſteri centum, quinquaginta ſex. 31. Poſteri Helami alterius, mille, ducenti, quinquaginta quatuor. 32. Charimi poſteri trecenti, viginti. 33. Lodenſes, Chadidenſes, & Onuntini ſeptingenti, viginti quinque. 34. Jerichuntini, trecenti, quadraginta quinque. 35. Senaenſes, ter mille, ſexcenti, triginta.

36. Sacerdotes: poſteri Jedahjæ, è familia Jeſuæ, nongenti, ſeptuaginta tres. 37. Poſteri Immeri, mille, quinquaginta duo. 38. Poſteri Phaſchuris, mille, ducenti, quadraginta ſeptem. 39. Poſteri Charimi, mille, ſeptemdecim. 40. Levitæ: poſteri Jeſuæ & Kadmielis, è poſteris Hodavjæ ſeptuaginta quatuor. 41. Cantores poſteri Aſaphi centum, viginti octo. 42. Poſteri janitorum & quidem Sallumi, Ateri, Talmonis, Hakkubi, Chatiræ, & Sabaïs, omnino centum, triginta novem.

43. Nethinæi: poſteri Tſichæ, Chaſuphæ, Tabahothi, 44. Keroſi, Sihahæ, Phadonis, 45. Lebanæ, Chagabæ, Hakkubi, 46. Chagabi, Samlaïs, Chananis, 47. Giddolis, Gacharis, Reajæ, 48. Retſinis, Nekodæ, Gazami, 49. Huzzæ, Phaſeachi, Beſais,

28. *Bethelenſes & Haienſes*] Bethel & Haï duæ fuerunt, ut notum, urbes tribûs Ephraïmi, & quarum prior etiam ſub Jerobohamo & aliis multis Regibus turpi Idololatriâ fœdata erat. Sed poſtremis temporibus, propter viciniam Jeroſolimæ, videntur eorum locorum incolæ reliqui, poſt abductas in captivitatem decem Tribus, ad ſaniorem mentem rediiſſe.

29. *Nebuntini*] בני נבו *bne Nebo.* Notiſſima eſt urbs Tribûs Rubenis, ad ortum Jordanis, quæ vocabatur נבו *Nebo*, aut *Nabo*, ut pronunciabant Veteres. Vide Num. XXXII, 38. Eſai. XLVI, 1. Si hîc ſit nomen ejus urbis, oportet Nebuntinos quoſdam ſe ſe Judæis adjunxiſſe. Sed additio voculæ אחר *abher*, quæ conjungitur cum hac voce, apud Nehemiam VII, 33. facit ut ſuſpicer alium locum in Tribu Judæ aut Benjaminis ſignificari, qui *alter* vocatur, diſtinctionis causâ. Sunt qui putent eſſe urbem נב *Nob*, ſacerdotalem, de qua 1. Sam. XXI, 1.

30. *Magbiſi poſteri*] בני מגביש *bne Magbiſch.* Quis hîc *Magbiſus* ſit ignoro, ſed conſtat *Megabyzi* nomen eſſe Perſicum. Sic vocabatur unus ex ſeptem Perſarum principibus, qui contra Magos conjurarunt, ut docet *Herodotus* Lib. III. c. 20. Sic & Zopyri filius, cujus meminit idem Hiſtoricus, Lib. eodem c. 160. & alii.

31. *Helami alterius*] עילם אחר *Helam abher.* LXX. Intt. habent ἠλ Ἠλαμάρ, conjunctâ perperam utraque voce; Vulgatus meliùs *Elam alterius.* Sic vocatur hic vir, quicumque ſit, ut diſtinguatur ab *Helamo* de quo vſ. 7.

33. *Lodenſes, Chadidenſes, & Onuntini*] לוד חדיד ואנו *Lod, Chadid veOno.* Lod & Ono urbs fuerunt Tribûs Benjaminis, ut liquet ex 1. Par. VIII, 12. Idem videre eſt ex Nehem. XI, 35. quod & de *Chadido* ex vſ. 34. intelligere licet.

35. *Senaenſes*] בני סנאה *bne Snaah.* Urbs fuit in tribu Ephraïmi, octo millibus paſſuum ab Jerichunte. *Euſebius* in locis Hebraïcis: Σεννὰ ὅριον τῆς Ἰδουμαίας· καὶ ἔστι νῦν Μαγδαλσεννὰ κώμη ἀπὸ σημείων Ἱεριχοῦς εἰς βορρᾶν. Interprete *Hieronymo*: SENNA, *terminus Judææ* (quaſi legiſſet Ἰουδαίας) *& uſque hodie oſtenditur in ſeptimo lapide Hierichûs, contra ſeptemtrionalem plagam villæ, nomine* Magdalſeuna, *quod interpretatur* turris *Senna.* Dixi quid mihi videretur de *Hieronymiana* interpolatione, & duo potiùs loca hîc eſſe in verbis *Euſebii* quærenda, quorum alter fuerit in finibus Idumææ, alter non procul Jerichunte; de quo hîc ſermo eſſe videtur. Eſt in Codice Vaticano Σεναά, ſed in Alexandrino propiùs ad lectionem *Euſebii* Σενναά, unde factum Σεννά.

36. *E familia Jeſuæ*] Non videtur is fuiſſe Pontifex Maximus, de quo antea; nam potiùs ad ἀρχιερεὺς Pontificem aliquem referretur. Nihil tamen definio. Obſervavit *Joan. Lightfootius*, in Addendis ad Horas Hebraïcas ad 1. Ep. ad Corinthios, Cap. II. Jeroſolimitanos Thalmudicos in Librum Thahanith, collegiſſe ex hoc loco quatuor tantùm claſſes ſacerdotales è Babylonia rediiſſe; nec ſanè plures hîc memorantur. Sed ſine dubio plures poſtea rediere, quandoquidem tempore *Joſephi* viginti quatuor erant, ut teſtatur Ant. Jud. Lib. VII. c. 11. ubi memoratâ diviſione claſſium à Davide factâ: διέμεινε, inquit, οὗτος ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας: *manſit hæc diviſio ad hodiernum uſque diem.* Similia habet initio Vitæ ſuæ.

43. *Nethinæi*] Vide ad 1. Par. IX, 10.

Chaſuphæ] Ante hanc vocem & ſequentes, repetitur vox בני bne, *filii* aut *poſteri.*

55. *Poſteri ſervorum Salomonis*] Fortè Proſelyti fuerunt ſervi aliquot Salomonis, quorum poſteri cives Hebræi facti ſunt.

59. *Thel-melacha & Thel-charſa*] מתל מלח תל חרשא è *Thel-melahh thel-hharſa.* Videntur nomina urbium hæc fuiſſe, in Babylonia, non nomina virorum, aut familiarum.

An eſſent ex Iſraële &c.] Judaïcam Religionem dudum ſequebantur, quamobrem ſe Judæos cenſebant; quamvis non poſſent genealogicas ullas tabulas oſtendere, ex quibus conſtaret ex Hebræis oriundos eſſe. Poterant eſſe familiæ quidem è Judæ Tribu, ſed ex prima migratione, quæ octodecim annis ante poſtremam contigit; & in quibus omnis, grandioribus natu mortuis, nec reliquis ullis tabulis ſcriptis, antiquæ proſapia extincta erat memoria. Interceſſerant inter eam captivitatem & reditum ſeptuaginta anni.

61. *E filiabus Barzillaïs* &c.] Viri divitis, qui tempore Davidis vivebat, ſingularémque gratiam ab eo iniit. Vide 2. Sam. XVII, 27.

Nomine illarum] Hoc eſt, nomine patris earum, propter hominis divitias. Alioquin, apud Hebræos, nullo loco habebatur familia materna, nec ex materno avo quiſquam appellationem deducebat. Hîc autem eſt שְׁמָם maſculino genere pro שְׁמָן fœminino, quòd jure virorum gauderent Barzillaïs filiæ, aut potiùs Linguæ He-

ſaïs, 50. Aſnæ, Mehunimi, Nephuſimi, 51. Bakbuki, Chakuphæ, Charchu-
ris, 52. Batſluthi, Mechidæ, Charſæ, 53. Barkoſi, Siſeræ, Thamachi, 54. Net-
ſiachi, & Chatiphæ. 55. Poſteri ſervorum Salomonis, poſteri Sotaïs, Sopherethi,
Pherudæ, 56. Jahalæ, Darkonis, Giddelis, 57. Sephatjæ, Chattilis, Phochereth-hats-
baïmi, & Amis. 58. Omnes Nethinæi & poſteri ſervorum Salomonis, trecenti, nona-
ginta duo.
59. Hi verò, qui venerunt è Thel-melacha, *&* Thel-charſa, Cherubus, Adan &
Immer, non potuerunt indicare patriam familiam, prolapiámve, *ut* an eſſent ex Iſraë-
le *conſtaret*. 60. Poſteri Delajæ, Tobiæ, & Nekodæ, ſexcenti, quinquaginta duo.
61. E poſteris Sacerdotum, poſteri Chabajæ, poſteri Kotſi, poſteri Barzillaïs, qui
duxerat *uxorem* è filiabus Barzillaïs Galahaditæ, & vocatus eſt nomine illarum, 62. quæ-
ſiverunt ſcriptum eorum, qui recenſuerant Sacerdotes, nec inventi ſunt, quare repulſi
ſunt à Sacerdotio; 63. dixitque iis Thirſatha, ne comederent de rebus ſanctiſſimis,
donec oriretur Sacerdos, cui eſſent Urim & Thummim.
64. Omnis multitudo *fuit*, ſicut unus, quatuor myriadum, duorum millium, tre-
cen-

Hebraïcæ miuùs analogicâ conſtructione, niſi quis librariis tribuere malit. Sed plura profert exempla ejuſmodi Enallages *Joan. Buxtorfius* in Theſ. Gram. Lib. II. c. 8.

62. *Quæſiverunt ſcriptum* &c.] אלה בקשו כתבם המתיחשים *hi quæſiverunt ſcriptum eorum recenſentes genus*; hoc eſt, qui recenſuerunt Sacerdotes petierunt ab iis genealogiam ſcriptam, quàm diligentiùs ſervabaut ſacerdotalis generis familiæ; quia, niſi couſtaret de earum genere, ab altari, omnibúſque Sacerdotii emolumentis arcebantur. Pro המתיחשים *hammithjahhaſchim*, LXX. habeut quidem vitiosè Μεθωείμ, ſed unde tamen liquet non aliter multò habuiſſe eorum Codicem quàm noſtrum. At Vulgatus vertit *ſcripturam genealogiæ ſuæ*, quaſi verbotenus vertendum eſſet, *ſcripturam ſuam genealogias recenſentium*, hoc eſt, ſcriptum genealogicum acceptum ab iis qui ſacerdotales familias olim recenſuerant.

Nec inventi ſunt] Hoc eſt, nomiua parentum eorum, uec ipſorum inventa nou ſunt in genealogicis ſcriptis familiarum ſacerdotalium; nam verbum נמצאו *nimtſaou*, nou ad *ſcriptum*, ſed ad viros retulerim.

63. *Thirſatha*] התרשתא *hatthirſchatha*. Nomen *Atherſatha* ſervarunt Græci & Latiuus, quæ videtur eſſe appellatio muneris deducenda à voce ראש *roſch*, *caput*; ita ut intelligatur Zorobabel, caput Judæorum iu patriam reducum. Certè ceteræ conſouantes ſunt ex earum uumero, quas ſerviles Hebræorum Grammatici vocant, & eliſio litteræ א in hac voce Chaldæis uſitata eſt, cùm pro ראש dicant ריש.

De rebus ſanctiſſimis] *De ſanctitate ſanctitatum*; hoc eſt, iis cibis quos Sacerdotes ſolos comedere ſas erat. Vide Levit. II, 3. Itaque excludebantur à proficiis ſacerdotalibus.

Cui eſſent Urim & Thummim] לאורים ולתמים *Urimorum & Thummimorum*; hoc eſt, qui collari ſacro indutus & Interrogatus de hominum illorum proſapia oraculum edere poſſet. Vide ad Exod. XXVIII, 30. Hiue nonnulli colligunt Zorobabelem vidiſſe, aut videre potuiſſe Pontificem Maximum, ornameutis illis ſacris inſtructum, nec deſperaſſe eorum recuperationem. Sed eos confutavit *Joan. Spencerus* de Ur. & Thum. Cap. VII. ubi rectè conjicit deſiiſſe multò citiùs hoc oraculum, nec umquam fuiſſe reſtituendum, nam quod dicit Zorobabel: *donec oriretur Sacerdos* &c. perinde fuit ac in perpetuum, ſi Zorobabel numqnam oraculi illius ſacerdotalis reſtitutionem ſperavit.

64. *Quatuor myriadum* &c.] Eadem ſumma editur Nehem. VII, 66. Attamen ſi miuores ſummas addamus cùm hîc, tum apud Nehemiam, non efficiuut ſummam multò majorem tribus myriadibus, ita ut diſcrimen ſit myriadis unius. Ideoque exiſtimaruut Iuterpretes ſummis minoribus addendos eos eſſe, qui oſtendere non potuerunt ſe Sacerdotalis, aut Iſraëlitici eſſe generis, ut conſletur ſumma quatuor myriadum, & aliquantò major, quæ hîc habetur. Poſſet etiam quiſpiam conjicere ex reliquiis Judæorum, qui tempore captivitatis in Judæa relicti à Nabuzardane fuerant, aut in Ægyptum, vel vicinas aliquot oras confugerant, multos ſe ad Zorobabelem contuliſſe. Sed mirum eſſet hoc à Scriptore Sacro diſertè expreſſum non eſſe, cùm alioqui ſumma non conſentiens cum minoribus numeris lectorem offendere poſſet. Præterea cùm ſinguli Nehemiæ numeri nou conſeutiant cum Eſdræ numeris, non potuit ex iis eadem utrobique ſumma conflari, ideóque alterutro in loco menda ſint oportet. Itaque rectiùs fortè concedemus in *Lud. Cappelli* ſententiam, qui *Criticæ Sacræ* Lib. I. Cap. X, 8. exiſtimat, cùm tanta ſit in uno catalogo numerorum diſcrepantia, aliunde ortam non eſſe, quàm ex Librariorum, iuter deſcribendum, ob uotarum arithmeticarum ſimilitudinem, lapſu; nam ceteroqui conſtat multas lectiouis varietates adfinitati figuræ litterarum ortum debere, ut ille multis eo iu Opere oſtendit. Etſi enim nullæ jam ſuut in in Sacro Textu ejuſmodi notæ, nou ſequitur, ut putat, nullas olim fuiſſe. Fieri itaque poteſt, ut eumdem catalogum notis ſignatum deſcribentes Librarii alii aliter deſcripſeriut, præſertim iu illis ubi differentia eſt in ſolis unitatibus, vel decadibus, vel hecatontadibus, vel chiliadibus; lapſus enim calami legentis, vel oculus ſcribentis proclivis eſt in ejuſmodi numeris.

Sic irrepſiſſe videtur mendum in *Joſephum* Ant. Jud. Lib. XI. c. 1. ubi ſic iu fine loquitur: τῶν δὲ ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας συνελθόντων εἰς Ἱεροσόλυμα μυριάδες ἦσαν δ' καὶ δισχίλιοι υξβ'. *eorum verò, qui è captivitate convenerunt Jeroſolimam, myriades erant quatuor, duo millia & quadringenti ſexaginta duo.* Cùm Græci aliter hîc non habeant, ac Hebræi, nimirum, τριακόσιοι ἑξήκοντα, ſcribendum hîc eſt apud *Joſephum* τξ'. hoc eſt, 360.

 65. *Can-*

centorum, ſexaginta; 65. præter ſervos eorum & ancillas, qui erant ſepties mille, tre-
centi, triginta ſeptem. Iis erant præterea cantores & cantrices ducenti. 66. Equi il-
lis erant ſeptingenti, triginta ſex; muli ducenti, quadraginta quinque; 67. cameli qua-
dringenti & triginta quinque; aſini *denique* ſexies mille, ſeptingenti, & viginti.
68. *Qui erant* ex principibus patriarum familiarum, quando venerunt ad Ædem Je-
hovæ, quæ eſt Jeroſolimæ, ſponte ſuâ obtulerunt Ædi Jehovæ, ad eam in fundamen-
tis ſuis inſtaurandam. 69. Pro facultatibus ſuis, dederunt theſauro operis, drachma-
rum auri ſex myriadas & mille, & argenti minas quinquies mille, ac tunicas ſacer-
dotales centum.
70. Habitarunt autem Sacerdotes, Levitæ, *homines* è populo, cantores, janitores
& Nethinæi, & univerſus Iſraël in ſuis urbibus.

III. Menſe ſeptimo, Jeſua & Zorobabel, coacto Jeroſolimam populo, dedicant altare, ſacráque quotidiana in eo facere incipiunt, & celebrant feſtum Tabernaculorum. Anno ſequente, jactis Templi fundamentis, Deum laudant.

CAPUT III. 1. CUM autem inſtaret menſis ſeptimus, & Iſraëlitæ in urbibus ſuis eſſent, con-
venit populus Jeroſolimam, inſtar unius viri. 2. Tum ſurrexere Jeſua, Jotſa-
daki filius, & fratres ejus Sacerdotes, ac Zorobabel Salathielis filius & ejus
fratres, ædificarúntque altare Dei Iſraëlis, ut in eo holocautomata offerrent; quem-
admodum præſcriptum eſt, in lege Moſis, viri divini. 3. Statuerunt ergo altare in lo-
co in quo ſteterat, quamvis iis incumberet metus populorum *vicinorum* tractuum, at-
que in eo obtulerunt holocauſta Jehovæ, holocautomata matutina & veſpertina. 4. Ce-
lebrarunt etiam feſtum Tabernaculorum, prout præſcriptum erat, & holocautoma quo-
tidia-

65. *Cantores & cantrices*] Suſpicantur Interpretes conductos hoſce fuiſſe, ut ſacram Templi Muſicam Levitæ reſtituere poſſent, eorum auxilio. Sed vix putarim utilem horum operam eſſe potuiſſe, cùm Babylonii eſſent & Hebræorum priſcam Muſicam ignorarent. Crediderim potiùs Cantores & Cantrices abductos fuiſſe, ut in nuptiis, feſtiſque diebus, aut etiam funeribus, tibiis aliiſque inſtrumentis canerent; Orientales enim ejuſmodi feſtis ac triſtibus cantibus ſummopere addicti erant. Vide 2. Sam. XIX, 3. 2. Par. XXXV, 25. Eccleſiaſtic. II, 8.

68. *Quando venerunt ad Ædem Jehovæ*] Ad locum in quo Templum fuerat, & ubi ejus rudera conſpiciebantur.

Ad eam in fundamentis &c.] להעמידו *ad eam erigendam* על מכונו hal mchono, *in ſtabilimento ſuo*, hoc eſt, in fundamentis, aut certè in eo loco, in quo olim fundata fuerat.

69. *Drachmarum auri*] זהב דרכמונים *auri drachmarum*, דרכמון *darchmon*, videtur deductum à voce Græca δραχμὴ *drachma*. Perſicum *Darchmon* aureum, ex virorum doctorum calculo, æquabat pondere 12. Geras, quales viginti erant in Siclo, ſive in ſemuncia Romana, & pretio Libram Sterlingicam, ſeu 11. florenos Hollandicos.

Argenti minas] כסף מנים *chefeph manim*. מנה *maneh* æquabat pretio 60 Siclos Hebraicos, & Libras Sterlingicas novem, ex ſententia *Ric. Cumberlandi* & *Ed. Bernardi*.

70. *Nethinæi*] Poſt hanc vocem, ſequitur בעריהם *beharehem*, in urbes ſuas, ſed quia in ſequentibus verbis repetitur, hîc omiſimus. Intelliguntur autem *urbes*, in quibus ante captivitatem eorum familiæ habitarant; quamvis in vaſta regione, pro copia incolarum, latiùs habitarent, quàm colerent. Qui verò oſtendere non potuerunt Iſraëlitici generis ſe eſſe, ii agris à nemine occupatis frui potuerunt; aut varias artes in urbibus exercere.

In CAPUT III.

1. *CUm autem inſtaret* &c.] ויגע החדש השביעי *vajjiggah habbodeſch haſſchebihi*, & attigit menſis ſeptimus, hoc eſt, inſtabat; nam antequàm adveniſſet, ſe contulerunt Jeroſolimam; cùm in primum diem incideret celebratio σκηνοπηγίας. Vide Num. XXIX, 1.

Inſtar unius viri] Hoc eſt, ſummo conſenſu. Vide vſ. 9.

2. *Altare Dei Iſraëlis*] Holocautomatum, nempe. Non potuiſſe videntur rei divinæ operam priùs dare, quòd ante omnia ſibi conſtituendæ eſſent ſedes, in quibus habitarent; & colenda terra, prout poterat eo anni tempore coli.

Quemadmodum præſcriptum eſt] Vide Num. XXIX, 2. & ſeqq.

Viri divini] *Viri Dei.*

3. *Statuerunt* &c.] יכינו על מכונתו *jachinou hal mchonatho*, ſtabilierunt in ſtabilimento ſuo. LXX. Intt. ἡτοίμασαν ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτῶ. Vulg. *collocarunt ſuper baſes ſuas.* Vide ad Cap. II, 65.

Quamvis iis incumberet metus] כי באימה עליהם מעמי הארצות *chi beemah halehem mehamme haaratſoth*; quia in metu ſuper eos à populis terrarum. Sed τὸ כי *chi* hîc, ut alibi, eſt pro *quamvis*; neque enim metus vicinorum proponitur hîc, quaſi cauſa ædificationis altaris; ſed laudantur Judæi, quòd ne metu quidem vicinorum deterriti fuerint, ne altare veri Dei inſtaurarent.

Ita-

tidianum, pro numero & conſuetudine, ſingulis diebus *obtulerunt*. 5. Poſtea etiam *reſtituerunt* holocauſtum perpetuum, Neomeniarum, omniumque ſtatorum temporum Jehovæ conſecratorum, & omnium qui ſpontanea Sacra Jehovæ facere vellent. 6. A primo die menſis ſeptimi, cœperunt offerre holocauſta Jehovæ; quamvis Templi Jehovæ fundamenta nondum eſſent jacta. 7. At dederunt pecuniam cædentibus *lapides* & fabris, cibúmque, potum & oleum Sidoniis & Tyriis, ut adveherent ligna cedrina è Libano ad Japhonis mare, pro facultate Cyri, Perſarum Regis, iis conceſſa.

8. Anno verò ſecundo, ex quo venerant ad Ædem Dei, quæ eſt Jeroſolimæ, menſe ſecundo, cœpere Zorobabel, Salathielis filius, & Jeſua, Jotſadaki filius, ac reliqui fratres eorum, Sacerdotes, Levitæ, & omnes qui venerant à captivitate Jeroſolimam, præficere Levitas, à viginti annos natis, ad majoris ætatis homines, ut operi Ædis Jehovæ præeſſent. 9. Conſtituit etiam Jeſua, filii & fratres ejus, Kadmielem & filios ejus, Judæ poſteros, inſtar unius viri, ut præeſſent operariis in Æde Jehovæ, *unà cum* poſterorum Chenadadi filiis, & Levitis eorum fratribus. 10. Poſuerunt ergo ædificantes fundamenta Templi Jehovæ, intereáque juſſi ſunt ſtare Sacerdotes *lineis* induti, cum tubis, & Levitæ Aſaphi poſteri, cum cymbalis, ut Jehovam, ex inſtituto Davidis, Regis Iſraëlis, laudarent. 11. Reſpondebant autem *alii aliis*, inter laudandum Jehovam *ejúſ*que *beneficia* agnoſcenda, bonum eum eſſe & benignitatem ejus perpetuam, erga Iſraëlem. Omnis etiam populus vociferatus eſt voce magnâ, in laudando Jehova, quòd jacta eſſent fundamenta Ædis Jehovæ. 12. Multi verò è Sacerdotibus & Levitis, *familiarúmque* patriarum principibus ſenibus, qui viderant priorem Ædem, cùm jacerentur fundamenta hujus Ædis, coram ſe, flebant magno cum ejulatu, ſed plures erant qui lætis clamoribus vocem attollebant; 13. nec populus ſecernere potuit vocem clamantium præ lætitia, a voce flentis turbæ; populus enim magnam vociferationem edebat & ſonitus è longinquo exaudiebatur.

IV. Ini-

Itaque incommodè LXX. Intt. verterunt hîc ἐν τῷ κατασεῖσαι ἐπ' αὐτοὺς ἀπὸ τῶν λαῶν τῶν γαιῶν. Quod ut vitaret *Hieronymus* vertit: *deterrentibus eos per circuitum populis terrarum.*

4. *Quotidianum* &c.] *Diei in die, in numero ſecundùm conſuetudinem, rem diei die ſuo*; hoc eſt, ſingulis diebus, prout copiosè eſt præſcriptum Num. XXIX, 1. & ſeqq.

5. *Reſtituerunt*] Hoc verbum Latinè loquenti addendum fuit, quia verbum עשו *fecerunt*, vſ. 4. quod vertimus *celebrarunt* ἀπὸ [illegible] repeti non potuit.

Neomeniarum] *Menſium*, חדשים *hhodaſchim*. Sed eo vocabulo menſis vocatur, ob renovationem Lunæ, à חדש *hhadaſch*, novus.

6. *A primo die* &c.] Menſis ſeptimus anni Sacri eſt Thiſri, cujus dies 1. ex Judaïco computo incidebat eo anno in Septembris Proleptici 3. feriam 1.

Quamvis Templi] *Et Templum Jehovæ non erat fundatum.* Debebat area priùs purgari, ut inſtaurarentur fundamenta.

7. *Cibúmque, potum* &c.] Triticum & vinum. Hæc enim, quibus Judæi abundabant, deerant oræ maritimæ cultoribus Tyriis & Sidoniis. Vide 1. Reg. V, 11.

Ad mare Japhonis] Qui portus erat Jeroſolimæ proximus. Vide 2. Par. II, 16.

8. *Menſe ſecundo*] Neomenia ſecundi menſis, in Computo Judaïco.

Præficere] *Cœperunt & præfecerunt* &c. Hoc eſt cùm cœpiſſent fundamenta Templi jacere, præfecerunt operi Levitas, ut omnia cum cura & fide fierent.

A viginti annos natis &c.] *A filio viginti annorum & ſupra.*

9. *Judæ*] Qui hîc dicitur יהודה *Jehoudah*, vocatur C. II, 40. הודויה *Hodavjah*, inverſis litteris, & addito ו.

Inſtar unius viri] Unanimi conſenſu, ut vſ. 1.

10. *Cymbalis*] מצלתים *mtſiltbajim*. Vide ad 1. Par. XV, 16.

Ex inſtituto Davidis] על ידי דויד *ad manus Davidis.* LXX. Intt. διὰ χειρὸς Δαυίδ. Vulgatus, *per manus Davidis*, incommodè. Alibi legimus על ידי כלי דויד *ſuper manus inſtrumentorum Davidis*, hoc eſt, inſtrumentis Davidis juſſu factis, 2. Par. XXIX, 27. Quare poſſet & hîc ſubandiri כלי. Sed neceſſe tamen non eſt, uam על יד *ad manum* alicui eſſe dicitur, qui ei paret, ut 2. Par. XVII, 15, 16, 18. Unde factum ut על ידי *ad manus* alicujus factum dicatur, quod ex ejus mandato factum eſt.

11. *Reſpondebant autem* &c.] ויענו *vajjahanou.* Cùm chorus unus ceciniſſet ex Pſ. CXXXVII. *Beneficia Jehovæ agnoſcite, quin eſt bonus*, tacebat, altérque reſpondebat: *quin beneficentia ejus eſt in perpetuum*; & ſic deinceps.

12. *Qui viderant priorem domum*] Ante tres & quinquaginta annos. Itaque viri ſexaginta annos nati, & grandiores natu prioris Ædis facilè meminiſſe poterant.

Flebant] Cùm animo conferrent magnificentiam prioris ædificii, cum tenuibus initiis hujus.

Lætis clamoribus &c.] *In vociferatione, in lætitia, ad attollendam vocem.*

13. *Clamantium præ lætitia* &c.] *Vociferationes lætitiæ à voce fletûs populi.*

In Ca-

IV. Inimici Judæorum cùm iis obtuliſſent communem operam, ad ædificandum Templum, repulſam paſſi calumniis ſuis, apud Perſarum Reges, opus interrumpi curant, ad annum uſque ſecundum Darii.

CAPUT IV.

1. CUM verò audiviſſent Judæ & Benjaminis inimici eos, qui tranſmigrarant, ædificare Templum Jehovæ Deo Iſraëlis, 2. convenerunt Zorobabelem & principes *familiarum* patriarum, eiſque dixerunt: ædificemus vobiſcum, nam inſtar veſtri quærimus Deum veſtrum, eique Sacra facimus, à temporibus Aſar-chaddonis, Aſſyriorum Regis, qui nos huc adduxit. 3. At illis Zorobabel, Jeſua, & reliqua capita *familiarum* patriarum Iſraëlis, veſtrum non eſt, inquiunt, ædificare Ædem Deo noſtro nobiſcum; ſed nos *Iſraëlitæ* unà ædificabimus Jehovæ Deo Iſraëlis, quemadmodum præcepit nobis Perſarum Rex Cyrus.

4. Itaque populus terræ languidas manus populi Judæ reddebat, eúmque in ædificando conturbabat. 5. Conduxit etiam conſiliarios, contra eos, qui irrita conſilia eorum facerent, per totam Cyri Perſarum Regis vitam, uſque ad regnum Darii Perſarum

In CAPUT IV.

1. I*Nimici*] צרי *tſare.* Sequentia Samaritas intelligi oſtendunt; qui jam tum erant inimici Judæorum, fortè iiſdem de cauſis, propter quas perpetuæ inimicitiæ inter eos populos fuerunt. Aſpernabantur, nimirum, Judæi Chuthæos, ut pote ex Iſraële minimè oriundos, quamvis legem Moſaicam maxima ex parte obſervarent; Chuthæique, ut fit, favorem Regum Perſarum finitimo populo invidebant.

2. *Quærimus Deum veſtrum*] Vide ad 2. Reg. XVII, 26.

Eique ſacra facimus] Eſt quidem in textu ולא *velo*, nec Sacra facimus. Verùm in margine emendant Maſſorethæ ולו *velo*, eique. Sic & LXX. Intt. καὶ αὐτῷ. Vulgatus verò habet: *ecce nos immolavimus* &c.

3. *Veſtrum non eſt, inquiunt, — nobiſcum*] לא לכם ולנו *non vobis & nobis ædificare Ædem* &c. Hoc eſt, conceſſum non eſt vobis & nobis condere Templum, ſed nobis tantùm. LXX. Intt. οὐχ ἡμῖν καὶ ὑμῖν τοῦ οἰκοδομῆσαι. Vulgatus: *non eſt vobis & nobis ut ædificemus* &c.

4. *Languidas manus* &c.] מרפים *merapphim*, languere facientes, deterrendo, minis additis, nocendóque ſi quâ poſſent.

5. *Conduxit conſiliarios*] יועצים *johatſim.* Videntur intelligi conſiliarii Cyri, Perſarum Regis, qui pecuniâ à Cuthæis acceptâ, effecerunt auctoritate ſuâ apud Cyrum, ne Judæis pergere liceret in inſtauratione Templi.

Per totum Cyri &c.] *Omnibus diebus Cyri.* Is per ſeptem annos, poſt hæc tempora, regnavit, quibus addendi ſunt ſeptem anni & quinque menſes Cambyſæ, ſeptem menſes Smerdis, & duo Darii; hoc eſt, anni ſeptemdecim, aut circiter.

Ad regnum Darii] Hyſtaſpidæ, nempe, nam ad *Darii Nothi* tempora rem differri non poſſe ſatis oſtenderunt recentiores Chronologi. Vide inter alios *Dion. Petavium* Doctr. Temp. Lib. XII. c. 25.

Scribitur hoc nomen his vocalibus דָּרְיָוֶשׁ, quod potuiſſet etiam ſcribi דריוש unde Græcè Δαρεαῖος vel Δαρεῖος, quomodo docti quidam viri efferendam vocem putarunt. Sed auribus ac linguæ Græcorum, nomina ad morem ſuum inflectentium, non plus credo, quàm Maſſorethis, rémque in medio relinquo. Vide quæ de nominibus Perſicis habet *Joſ. Scaliger* de Emende Temporum Lib. VI.

6. *Sub regno Achaſueri*] אחשורוש *Abhaſchveroſch.* Poſtquàm Scriptor Sacer dixit ædificationem Templi interruptam fuiſſe, à temporibus Cyri ad tempora Darii Hyſtaſpidæ, hîc narrat quid ea in re contigerit ſub Regibus, qui inter utrumque vixerunt; nam poſt Darium, non fuit id opus impeditum, ut videmus Capp. V & VI. Inter Cyrum autem & Darium fuerunt tantùm *Cambyſes*, Cyri filius, & *Smerdis* Magus, ſub nomine *Tanyoxaris* Cyri itidem filii, juſſu Cambyſis interfecti. Itaque Cambyſen vocari hîc credibile eſt אחשורוש *Achaſuerum*, prout cenſuit *Joſephus* Antiq. Jud. Lib. XI. c. 2. Quod ſi quis quærat cur nomina tam diverſa impoſita ſint uni viro; nihil eſt quod reſpondeamus, niſi duo nomina Regibus nonnullis Perſarum interdum impoſita fuiſſe, quorum alterum quidem innotuerit Judæis, alterum verò Græcis; qui facilius etiam in ignota Perſica Lingua falli potuerunt, quàm Judæi, linguarum Orientis peritiores. Ὁμωνυμία & πολυωνυμία in Hiſtoria etiam Sacra multas difficultates pepererunt, quas penuriâ antiquorum monumentorum nunc quidem tollere non poſſumus. Vide *Joſ. Scaligeri* locum laudatum, de hoc nomine.

7. *Temporibus etiam Arthaxerxis*] *Et in diebus* ארתחששתא *Arthachſchaſchtha*, quæ dura vox emollita eſt à Græcis in *Artaxerxen*, de qua vide etiam eumdem virum doctiſſimum; conjecturas enim ejus, nihil ad Scripturam facientes, transferre huc nolumus. Cùm autem hîc præponatur etiam Dario & diſtinguatur ab *Achaſuero*, non videtur alius fuiſſe quàm *Smerdis* Magus, qui inter Cambyſen & Darium regnavit. Potior hæc conjectura eſſe videtur, quàm eorum qui unum eumdémque Cambyſem putant utroque nomine ſignari, quam tamen probabat *Dionyſ. Petavius*, in notula ad Cap. 25. Lib. XII. de Doctrina Temporum. Manifeſtè certè diſtinguuntur ab Eſdra, nec à *Joſepho* confunduntur, niſi pro ſolita ejus audacia, qua Scripturam ſæpe torquet, ut cum Ethnicis Scriptoribus conſentiat.

Societatis ejus] כנותו quod hiſce punctis adfecerunt Maſſorethæ כְּנָוֹתָו, ſed meliùs legi potuiſſet כְּנָתוֹ *ſocietas ejus* in ſingulari. Sic autem videntur vocati aliquot præfecti Perſarum in Palæſti-

ſarum Regis. 6. Sub regno Achaſueri, & quidem initio ejus regni, contra incolas Judæ & Jeroſolimæ, ſcripſerunt accuſationem. 7. Temporibus etiam Arthaxerxis, ſcripſerunt Biſlamus, Mithredathes, Tabeel, & reliqui ſocietatis ejus ad Arthaxerxem, Regem Perſarum. 8. Exemplar Epiſtolæ ſcriptum fuit Aramicè, & Aramicâ linguâ conceptum. 9. Rechumus Conſiliarius & Simſais Scriba ſcripſerunt Epiſtolam de Jeroſolima, ad Arthaxerxem Regem, qualem proferemus. Rechumus Conſiliarius, Simſais Scriba, & reliqui eorum Societatis, Dinæi, Arphaſathchæi, Tarphelæi, Apharſæi, Archevæi, Babylonii, Suſenſes, Dehavæi, Helamitæ, 10. ceteri populi, quos tranſtulit Aſnapphar magnus & illuſtris, quóſque collocavit in urbe, quæ fuit Samaritarum, & reliqui, qui ſunt cis fluvium, & cetera, 11. hoc exemplum Epiſtolæ miſerunt tunc ad eum, ad Arthaxerxem Regem. Servi tui viri qui ſunt cis fluvium & cetera: 12. Notum ſit Regi Judæos, qui venerunt abs te, ad nos, ſe contuliſſe Jeroſolimam, urbem rebellem ac malam, quam inſtaurant, & cujus muros reficiunt, & fundamenta reparant. 13. Atqui ſciat Rex, ſi urbs illa inſtaurata fuerit murique ejus refecti, fore ut ſtipendium, tributum ac vectigal nullum pendant, & reditui Regum detrimentum adferatur. 14. Nunc ergo quia ſalario Palatii fruimur, nec par eſt nos vide-

læſtina viciniſve locis, qui in unum fortè conventum, adminiſtrandarum provinciarum causâ, conveniebant. Ceterùm hîc non profertur, ne quis erret, Epiſtola horum nomine ſcripta; ſed ea quam, ab iis ſine dubio impulſi, ſcripſerunt Conſiliarius & Scriba Perſarum Regis; quæque eis tribuitur, quia, ut dixi, eorum impulſu data eſt.

Scriptum fuit &c.] כתוב ארמית ומתרגם ארמית *chathoub Aramith oumthurgam Aramith*; hoc eſt, ut puto, characteribus Chaldaicis, qui ſunt Hebraici hodierni, & linguâ Chaldaïcâ. Notum eſt latiſſimè patuiſſe nomen ארם *aram*, eoque plures provincias, trans & cis Euphratem, comprehenſas. Vocem מתרגם *mthurgam* interpretatus ſum *conceptum*, non *verſum*, aut *tranſlatum*; quia ſcripta erat ab hominibus Babyloniis, non verſa ex alia Lingua in Babylonicam.

9. *Conſiliarius*] בעל טעם *bebel tehem*, id eſt, *dominus decreti*, quâ loquutione ſignificatur quiſquis adeſt Regi de re quapiam deliberanti, de qua decretum, aut edictum emiſſurus eſt. De hoc ſignificatu vocis טעם, apud Chaldæos, vide infra C. IV, 19, 21. V, 5. VII, 13. Dan. III, 10, 12. LXX. Intt. βαλτάμ, aut βααλτάμ, Vulgatus, *Beelteem*, quaſi eſſet nomen proprium. Sed cùm disjunctim illæ voces legantur, maluimus nomine appellativo *Conſiliarium* vertere. *Joſephus* vertit: ὁ πάντα τὰ πραττόμενα γράφων, quaſi is ſignificaretur qui acta provinciæ ad Regem mitteret. Sed in voce Chaldaica nihil eſt, quod cum ejuſmodi ſignificatione ſit adfine.

Scriba] ספרא *ſaphra*. Hujus potius eſſet πάντα τὰ πραττόμενα γράφων, quàm ſuperioris.

9. *Rechumus*] *Tunc Rechumus* &c. Sed *tunc* poſtpoſuimus.

Dinæi &c.] Sunt nomina populorum & gentium, è quibus orti erant Samaritæ, qui decem Tribubus ſucceſſerant. Hos populos vult *Fr. Junius* vocari à Geographis *Dennæos*, *Parataceni*, *Tapyros*, *Perſas*, *Aracenos*, *Babylonios*, *Suſianos*, *Daritas*, qui etiam *Zapavartent* & partem *Medorum*; nec negari poteſt quin nonnullorum horum nominum clara apud *Ptolemæum* veſtigia, & alia ſint notiſſima, ut Babyloniorum, Elymæorum, & Suſianorum. Sed ſingulorum rationem reddi poſſe vix putem. Certè אפרסיא *Apharſæos*, Perſas eſſe non crediderim, cum ubique פרס *Pharas* vocentur, & mirum eſt Chuthæorum, Havvenſium, Chamathæorum, & Sepharvajimenſium nullam mentionem hîc fieri, cùm ex iis populis fuiſſe colonos in Samariæ regnum miſſos habeamus 2. Reg. XVII, 24.

10. *Aſnapphar*] אסנפר. Sunt qui velint eumdem fuiſſe ac *Eſer-chaddonem*, cui idem tribuitur antea vſ. 2. Quod nec negare, nec affirmare auſim, poteſt enim fieri ut πολυώνυμος fuerit *Eſer-chaddon*; aut ſaltem non unâ appellatione honorificâ, pro more Regum, vocaretur; ſed poteſt etiam *Aſnapphar* præfectus ejus fuiſſe, qui coloniam ejus juſſu in Iſraëlitarum agros deduxerit.

Reliqui qui ſunt cis fluvium & cetera] ושאר עבר נהרה וכענת *reliqui cis fluviam* oucheheneth; hoc eſt, *& nunc*, nam כען *cheban* Chaldaïcè eſt *nunc*; aut *ut tempus*, nimirum, poſtulat, nam ענת *heneth* eſt tempus. Omiſerunt LXX. Intt. Vulgatus habet, *in pace*, in hoc verſu, & poſtea *ſalutem dicant*. Si attentè legamus hunc & ſequentem verſum, ut & Cap. VII, 12. facilè intelligemus formulam hanc eſſe, ut Græcam καὶ τὰ ἑξῆς & Latinam *& cetera*, quam ſubjicimus, compendii gratiâ, verbis notis & quibus ſubjectæ quædam formulæ notæ eſſe ſolent.

Et cetera] Supplentur his verbis hæc: *Regi Arthaxerxi ſalutem*, aut ſimile quiddam.

12. *Quam inſtaurant* &c.] *Ædificantes, & muros perſecerunt & fundamenta poſuerunt.* Hæ meræ erant calumniæ, Templum enim ſolum inſtaurare cœperant, & domus privatas, in quibus habitarent.

13. *Detrimentum adferatur*] *Detrimento adficies*; ſi, nempe, hoc fieri patiaris. Sed Latinè res commodius tertiâ perſonâ exprimitur.

14. *Salario Palatii fruimur*] *Sale Palatii ſaliti ſumus*; quo loquendi genere ſignificant ſe munificentiâ Regis ſuſtentatos fuiſſe, ut operæ ſuæ hanc mercedem acciperent. Sic apud Latinos *Salarium* dicta primùm certa copia ſalis, quæ gratis dabatur honores gerentibus, ut fit etiamnum hodie multis in locis; deinde etiam ciborum, ſive ſale conditorum, ſive aliorum. Nec hoc confundendum cum ſtipendio, quod in veſtibus ac pecunia ſitum erat. *Valerianus* Imp. in Ep. ad Gallienum, apud *Fl. Vopiſcum* in vita Probi. *Huic igitur dari jubebis, (quoniam mediocris fortunæ eſt) ut ejus dignitat incremen-*

videre quod turpe eſt Regi, propterea miſimus *nuncios* & rem indicavimus Regi; 15. ut quærat in libro commentariorum Majorum ſuorum; quo in libro commentariorum inveniet & intelliget urbem hanc urbem fuiſſe rebellem & noxiam Regibus & provinciis, atque in ea defectionem factam ab antiquis temporibus, quam ob rem hæc urbs deleta fuerat. 16. Significamus ergo Regi, ſi urbs hæc inſtaurata fuerit & muri ejus refecti; tractus, qui ſunt cis flumen, ejus ampliùs non futuros.

17. Reſcriptum verò miſit Rex ad Rechumum Conſiliarium, Simſaïn Scribam, & reliquam eorum Societatem, qui habitabant Samariæ, reliquóſque trans flumen *incolentes*, ſalutem & cetera. 18. Litteræ quas miſiſtis ad nos, diſtincte coram me lectæ ſunt; 19. & cùm à me *factum eſſet* decretum, quæſitum eſt & inventum eam urbem, ab antiquis temporibus, contra Reges ſe ſe extuliſſe, rebellionéſque & defectiones in ea factas; 20. ac Reges potentes fuiſſe Jeroſolimæ, & dominatos omnibus, qui trans flumen ſunt, ita ut munus, tributum & vectigal cis penderint. 21. Itaque proponite edictum, ad revocandos ab opere viros illos, ne urbs illa inſtauretur, donec decretum *ea de re* à me factum fuerit. 22. Cavete ne errorem, hac in re, admittatis; cur enim augeretur contagio, in detrimentum Regum?

23. Deinde cùm exemplum hujus Epiſtolæ Regis Arthaxerxis lectum eſſet, coram Rechumo & Simſaï Scriba, eorúmque Societate, abierunt feſtinanter Jeroſolimam ad Judæos, eóſque ceſſare coëgerunt, vi & copiis. 24. Tunc ergo ceſſavit opus Ædis Jehovæ, quæ eſt Jeroſolimæ, éſtque intermiſſum ad annum ſecundum regni Darii Perſarum Regis.

V. Zo-

tis juvetur, tunicas ruſſulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas paragandias duas, patinam argenteam librarum decem ſpecillatam, aureos Antoninianos centum, argenteos Aurelianos mille, æreos Philippeos decem millia. Hoc ſtipendium propriè dictum erant, ſequitur ſalarium his verbis expreſſum: *Item in ſalarie diurno bubulæ pondo* * * *porcinæ pondo ſex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum, olei per biduum ſextarium unum, vini veteris diurnos ſextarios decem, cum larido bubulino,* SALIS, *olerum, lignorum, quantum ſatis eſt.* Vide *Claud. Salmaſium* ad eum locum, & ad Clodium Albinum *Jul. Capitolini. Plinius* Lib. XXXI. c. 7. de ſale: *Honoribus etiam militiiſque interponitur, ſalariis inde dictis.* Facilè plura proferri poſſent, ſed hæc ſatis ſunt, ut intelligamus cur Præfecti Perſarum Regis dicant ſe *ſalitos ſale palatii*, pro eo quod dixerunt poſtea Latini *ſalarium accipere.* Omiſſa ſunt hæc verba à LXX. Int. fortè quod non intelligerent quid ſibi vellent. *Hieronymus: memores ſalis quod in palatio comedimus.* Vide Cap. VII, 22.

Quod turpe eſt Regi] *Nuditatem Regis.*

15. *In libro commentariorum*] בספר דכרניא *biſphar dochranajo*, in libro memoriarum. Intelliguntur Ephemerides Regum Babyloniorum & præſertim quidem Nabuchodonoſoris. De ejuſmodi Ephemeridibus, vide Eſther. C. VI, 1. X, 2. Ex iis commentariis Hiſtoriam ſuam partim hauſiſſe ſe teſtatur *Cteſias* Cnidius, apud *Diodorum* Lib. II. Bibliothecæ: Οὗτος οὖν φησιν, inquit *Diodorus*, ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν (ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις, κατά τινα νόμον, εἶχον συντεταγμένας) πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστον, καὶ συνταξάμενον τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενηνοχέναι: *hic ait è membranis regiis (in quibus Perſæ res antiquas, ex lege quadam, habebant collectas) curioſe ſcrutatum ſingula eſſe, & hiſtoriam compoſitam Græcis edidiſſe.* Hunc morem ſequutus Alexander Ephemerides habebat, in quibus omnia quæ fiebant ſcribebantur; unde *Plutarchus* & *Arrianus*, qui eas vocant βασιλείους ἐφημερίδας, mortem ejus, & quæ paullò antè fecerat deſcripſerunt. Eos vide ſub finem ejus Vitæ.

15. *Inveniet & intelliget*] *Invenies & intelliges.*

16. *Tractus qui ſunt* &c.] *Portio* (חלק) *cis fluvium non illa erit tibi.*

17. *Samariæ*] בְּשָׁמְרָיִן. Ut dicam quod ſuſpicor, crediderim ſcriptum fuiſſe שָׁמְרוֹן *ſchomron*, quod fuit nomen certiſſimum hujus urbis, non pluralis, ſed ſingularis numeri.

Et cetera] וכענת *oucheheth.* Vide not. ad C. IV, 10.

18. *Diſtinctè coram me lectæ ſunt*] מפרש קרי mphoraſch kri, *explicitè lectæ.*

19. *Decretum*] טעם *tehem*, de inquirendis, nempe, Babyloniorum Regum Ephemeridibus, videndóque an id in iis exſtaret de Judæis, quod ſcripſerant Præfecti Samariæ.

Quæſitum eſt & inventum] *Quæſiverunt & invenerunt.*

Rebelliones &c.] *Rebellionem & defectionem*, non unam, ſed plures; ideoque plurali numero uſi ſumus.

20. *Reges potentes*] תקיפין *thakkiphin.* Ἰσχυροὶ verterunt LXX. Intt. meliùs quàm Vulgatus, qui habet *fortiſſimos*; neque enim hîc de fortitudine, ſed de potentia & opibus ſermo eſt, ut oſtendunt ſequentia. Cùm ergo Smerdis, ſeu Artaxerxes, vidiſſet ex antiquis Babyloniorum Regum annalibus, in Judæa & quidem Jeroſolimæ fuiſſe Reges potentes, qui vicinos tractus ſubegerant; conſultum non eſſe credidit pati Jeroſolimam inſtaurari, & ne Templum quidem refici, quod inſtar arcis in monte Morija eſſe poterat.

22. *Contagio*] חבלא *hhabalah.* Vocis ſignificationem Chaldaicam & Syriacam elegimus, quæ aptiſſima videbatur huic loco; timebat enim ſibi Smerdis, ne pravi hoc eſſet exempli, ſi liceret

Digitized by Google

V. Zorobabel & Jeſua, adhortantibus Prophetis, abſolvere Templum aggrediuntur; interpellantibúſque Perſarum Præfectis reſpondent ſe ex Cyri edicto hoc facere. Qua de re, ad Darium Regem ſcribunt præfecti.

1. PRophetarunt deinde Chaggæus Propheta, & Zacharias Propheta, Hiddonis filius, apud Judæos, qui erant in Judæa & Jeroſolimæ, nomine Dei Iſraëlis ad eos *miſſi*. 2. Tum verò ſurrexerunt Zorobabel, Salathielis filius, & Jeſua, Jotſadaki filius, cœperúntque *denuo* ædificare Ædem Dei, quæ erat Jeroſolimæ, iiſque Prophetæ Dei auxilium ferentes aderant. 3. Eo tempore venit ad eos Thatthenais, præfectus *tractibus* cis fluvium *ſitis*, Sethar-boznaïs, eorúmque ſocii, qui ſic eis dixerunt: quis mandatum vobis dedit, de inſtauranda hac Æde, reficiendiſque his muris? 4. Tunc iis diximus quæ nomina eſſent virorum, qui hoc ædificium exſtruebant. 5. Oculus verò Dei fuit *intentus* in ſenes Judæorum, ne curarent eos deſiſtere, donec reſcriptum Darii veniſſet. Tum enim *præfecti Perſarum* hac de re litteras iterum miſerunt. Caput V.

6. Exemplum litterarum quas miſerunt Thatthenaïs, præfectus cis fluvium, Setharboznaïs, eorúmque ſocii Apharſechæi, qui ſunt cis flumen, ad Darium Regem. 7. Epiſtolam ad eum miſerunt, cui mediæ ſic inſcriptum erat: Dario Regi pacem omnis generis. 8. Notum ſit Regi nos iviſſe in Judæam provinciam, ad Ædem Dei magni, quæ ædificatur lapide quadrato, & in cujus parietibus trabes ponuntur. Opus autem hoc feſtinanter fit, & in manibus operariorum feliciter procedit. 9. Tum verò inter-

ceret Judæis, olim potentibus, & rebellibus in Chaldæos, Metropolin ſuam inſtaurare; nam & alios populos ſimilia auſuros, & rebellandi ſtudium, quaſi peſtem quamdam, longè latéque ſparſum iri; quod ſummopere metuebat, ne contingeret, cùm, ſub nomine filii Cyri, regnaret. Vide *Herodotum* Lib. III. c. 67.

23. *Vi & copiis*] *Brachio & copiis*, aut *robore* חיל *chajil*. Copias, nimirum, illuc ſecum duxerunt, quibus coegerunt Judæos opus imperfectum relinquere.

24. *Ad annum ſecundum regni Darii*] Hyſtaſpidæ, ut antea diximus; hoc eſt, per annum & quod excurrit, nam Smerdis per ſeptem dumtaxat menſes regnavit, ut docet *Herodotus*, loco laudato.

In Caput V.

1. P*Rophetarunt deinde* &c.] Obſervat hoc Scriptor Sacer, quia Chaggæus & Zacharias auctores fuerunt Judæis inſtaurandi Templi, invitis inimicis; quod paullò poſt exſequuti ſunt.

3. *Thatthenais* &c.] Alii hi fuere præfecti à Dario miſſi, Reges enim novi præſides provinciarum mutare ſolebant.

Socii] *Societas*.

4. *Virorum qui* &c.] Zorobabelis & Jeſuæ, qui auctores populo inſtaurandi denuo Templi fuerant.

5. *Oculus verò Dei* &c.] Poteſt hoc intelligi de Providentia divina, quæ per ſe ipſa caverit ne Judæorum ſenes deterrerentur ab opere, quod cœptum denuo erat. Itaque *oculus Dei* erit hîc cura, quia nulla paullò diligentior cura ſine inſpectione eſt; unde &, in veterum Perſarum proverbio, *oculus heri* pro ejus cura ſumitur. *Ariſtoteles* Oecon. Lib. I. c. 6. Περσικὰ δὲ καὶ τὸ πάντα τετάχθαι καὶ πάντ᾽ ἐφορᾷν αὐτόν: *Perſica erant inſtituta omnia eſſe ordine diſpoſita, ipſúmque herum ea inſpicere.* Paullò poſt: τὸ δὲ Πέρσου ἀπόφθεγμα εὖ ἂν ἔχοι. ὁ μὲν γὰρ ἐρωτηθεὶς τί μάλιστα ἵππον πιαίνει; ὁ δὲ δεσπότου ΟΦΘΑΛΜΟΣ, ἔφη: *bene habet Perſæ reſponſum, qui quidem interrogatus quid maximè equum pinguefaceret? domini, inquit,* OCULUS. Verùm poſſet etiam intelligi de uno ex iis Angelis, qui dicuntur Zach. IV, 10. *oculi Dei*; per quem Deus conſtantiam animis Judæorum injecerit.

6. *Socii*] *Societas ejus*.

Apharſechæi] אפרסכיא *Apharſechaje*. Scribitur antea Cap. IV, 9. אפרסתכיא *Apharſathchaje*. Si intelliguntur Paratæceni *Ptolemæi*, ut putabat *Fr. Junius*, non erit ת ſuperfluum. Sed ſunt populi Perſidis, qui neſcio an paruerint Aſſyriorum Regibus, ita ut ab Eſer-chaddone mitti in Palæſtinam potuerint.

7. *Pacem omnis generis*] שלמא כלא *ſchlama cholla*, pax omnis; hoc eſt, omnis generis incolumitas, ac res ſecundæ.

8. *Dei magni*] Ex Judæorum & Samaritarum ſententia loquuntur.

Lapide quadrato] אבן גלל *eben glal*, lapis volutionis, quod interpretantur *magnum lapidem*, ita ut volvi quidem poſſit, ſed bajulari non poſſit. Rabbini אבן גלל vocant lapidem molarem, ſeu quo fiebant molæ, quarum ſuperior lapis ſeu catillus vocari jure poteſt *lapis volutionis*; unde factum ut lapis, quo fiebant molæ, vocaretur אבן גלל, quamvis in aliam formam cæſus eſſet, & in alios uſus adhiberetur. Vulg. Interpres hîc habet, *lapide impolito*, Græci contrà: λίθοις ἐκλεκτοῖς, utrumque ex conjectura. *Lapides quadratos* maluimus, cùm quia aptiores ſunt ad ædificandum Templum, tum etiam quia antea dicitur pecunia numerata fuiſſe iis, qui lapides cædebant, Cap. III, 7. Itaque hîc אבן גלל erit idem ac אבן גזית *eben gazith*, lapis ſciſſionis, aut quadratus.

Operariorum] *Eorum*, nimirum, qui ædificant.

interrogavimus ſeniores illos, & ſic illis diximus: quis dedit vobis hoc mandatum, de exſtruenda iſta Æde, reficiendóque iſto muro? 10. Etiam nomina eorum rogavimus, ut ea tibi pateſaceremus, ſcriberemúſque nominatim viros, qui capita eorum ſunt. 11. Ejuſmodi autem reſponſum nobis dederunt, & ſervi nos ſumus, inquiunt, Dei cœli & terræ, inſtauramúſque Ædem, quæ antehac à multis annis condita fuerat; & quam magnus quidam Rex Iſraëlis exſtruxerat, ac perfecerat. 12. Verùm cùm patres noſtri irritaſſent Deum cœli, tradidir eos in manum Nebuchadnetſaris Chaldæi, Babyloniorum Regis, qui Ædem hanc diruit, & populum Babylonem tranſtulit. 13. Verùm anno primo Cyri, Babyloniorum Regis, Cyrus Rex mandatum dedit de hac Æde Dei inſtauranda. 14. Quin etiam vaſa, quæ fuerant Ædis Dei, argentea & aurea, quæ Nebuchadnetſar avexerat à Templo quod erat Jeroſolimæ, intulerátque Templo Babylonico, protulit inde Cyrus, & data fuerunt Sesbatſari, ut vocabatur, quem ille præfectum conſtituerat. 15. Dixit autem huic: hæc ſunt vaſa, ea ſumito, ito, avehitóque ea in Templum, quod *fiet* Jeroſolimæ, ac Ædes Dei ſuo loco exſtruatur. 16. Tunc Sesbatſar huc venit, poſuitque fundamenta Ædis Dei, quæ eſt Jeroſolimæ, & ab eo tempore hactenus ædificata eſt, nec ramen abſoluta. 17. Nunc autem, ſi Regi ſic videatur, quæratur in Tabulario Regis, quod eſt illic Babylone, an ſit hoc à Cyro Rege datum mandatum, de ædificanda Æde hac Jeroſolimæ; & quid velit *fieri* Rex ad nos mittat.

VI. Darius invenit Cyri decretum, quod confirmat. Itaque abſolvitur inſtauratio Templi, quod dedicatur. Tum Paſcha Jeroſolimæ celebratur.

CAPUT VI. 1. TUNC jubente Dario Rege, quæſiverunt in Tabulario, in quo gazas recondunr Babylone, 2. & inventum eſt in capſa, in palatio Mediæ provinciæ, volumen

14. *Protulit inde*] *E templo Babylonis.*

17. *In ærario Regis*] *In domo gazarum*, בבית גנזיא *bebeth ginzaja*; in qua ſolebant reponi edicta Regum; ut Romæ publicæ multæ tabulæ reponebantur in Æde Saturni, quæ Ærarii loco erat. Vide Cap. VI, 1.

In CAPUT VI.

1. JUbente] *Poſuit edictum*, aut *mandatum*, (שם טעם *ſcham tehem*) & *quæſiverunt* &c. *In tabulario*] בבית ספריא *in domo librorum*, *quæ Gazarum repoſitarum illic Babylone.*

2. *In capſa in palatio Mediæ Provinciæ*] באחמתא בבירתא די במדי מדינתא *beebhmetha bebiratha di bMadai mdinatha*. Cùm, nempe, Cyri edictum quæſiviſſent in Babylonico tabulario, nec inveniſſent; quæſiverunt in palatio quodam Mediæ, ubi invenerunt. LXX. Intt. ex Codice Vaticano: ἐν πόλει ἐν τῇ βάρει, ex Codice verò Alexandrino meliùs: ἐν Ἀμαθὰ ἐν πόλει. Vulgatus, *in Ecbatanis quod eſt caſtrum in Medena Provincia*. Quaſi legiſſet אחמתא *Ecbbatha*, aut אחמתא putaviſſet nomen fuiſſe Ecbatanæ. Sed multò meliùs Recentiores, ex uſu Chaldaïcæ Linguæ, *capſam*, aut *ſcrinium* interpretantur. Vide Paraphraſten Chaldæum Eſth. I, 4. Apud Hebræos etiam חמת *bhamath*, vas ſignificat, quamquam alius figuræ & alios in uſus.

3. *Altitudo ſit cubitorum ſexagenûm*] Templi Salomonici altitudo fuit tantùm tricenûm & latitudo vicenûm cubitorum, ſed longitudo ſexagenûm, de qua hîc nihil dicitur. Vide 1. Reg. VI, 3.

4. *Ordo vero trabium novarum unus*] *Ordo ligni novi*. נדבך *nidbach*, quam vocem bene *ordinem* Vulgatus vertit, LXX. Intt. δόμος, quod idem ſignificat, ut liquet vel ex *Herodoto* Lib. I. cap. 179. ubi de Babylonis mœnibus: Διὰ τριήκοντα δόμων πλίνθου ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες, *per tricenos ordines lateris ſeriem arundinum ſtipantes*. Vide & *Joſephum* Lib. XI. c. 4. Erant in muro Templi interpoſitæ trabes eodem modo, ut videtur, quo in mœnibus veterum Gallorum, quæ ſic deſcribit *Cæſar* de Bello Gallico Lib. VII. c. 23. *Muris autem omnibus Gallicis hæc ferè forma eſt. Trabes directæ perpetuæ in longitudinem, paribus intervallis diſtantes inter ſe binos pedes in ſolo collocantur; hæ revinciuntur introrſus & multo aggere veſtiuntur. Ea autem, quæ diximus, intervalla grandibus in fronte ſaxis effarciuntur; iis collocatis & coagmentatis, alius inſuper ordo adjicitur, ut idem illud intervallum ſervetur, neque inter ſe contingant trabes, ſed paribus intermiſſæ ſpatiis, ſingulæ ſingulis ſaxis interjectis, arte contineantur. Sic deinceps omne opus contexitur, dum juſta muri altitudo expleatur.* Ne verò quis putet, ſtructuram hanc fuiſſe deformem & quæ oculos offenderet, ſubjiciam & ſequentia *Cæſaris* verba. *Hoc cùm in ſpeciem*, inquit, *varietatémque opus deforme non eſt, alternis trabibus, aut ſaxis, quæ rectis lineis ſuos ordines ſervant; tum ad utilitatem & defenſionem urbium, ſummam habet opportunitatem; quòd & ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit, quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrſus revincta, neque perrumpi, neque diſtrahi poteſt.* Quæ verba quiſquis non intelliget, adeat *Juſt. Lipſium* Poliorceticorum Lib. III. Dial. 5. Credibile eſt, & apud Perſas, alióſve Orientales, ſimiles muros fuiſſe, quandoquidem ejuſmodi ſtructura à Cyro Judæis præſcripta eſt.

5. *Reddantur, mittantúrque* &c.] *Reddant & ibit ad Templum, quod Jeroſolimæ, ad locum ſuum & deſcendere facias ad Ædem Dei.* Mira hîc eſt conjugationum, numerorum & perſonarum miſtura, nam יהתיבון *jahathiboun* eſt *reddant*, tertia perſona pluralis Futuri *Hiphil*; יהך eſt

lumen unum, & ſic ſcriptum in eo monumentum. 3. Anno primo Cyri Regis.
Cyrus Rex *hoc* edictum propoſuit, de Æde Dei, qui Jeroſolimæ *colebatur*; Ædes
inſtauretur, *quæ* locus *erat* quo victimæ mactabantur, fundamenta ejus comporten-
tur, altitudó*que* ejus *ſit* cubitorum ſexagenûm, & latitudo *pariter* cubitorum ſexage-
nûm. 4. Ordines ſint lapidum quadratorum tres, ordo verò trabium novarum *unus*;
ſumtúſque è regia ſuppeditetur. 5. Quin etiam vaſa Ædis Dei aurea & argentea,
quæ Nebuchadnetſar avexit è Templo Jeroſolimitano, attulitque Babylonem, red-
dantur, mittantúrque in Templum Jeroſolimitanum locum ſuum, & perveniant in
Ædem Dei. 6. Nunc verò, ô Thatthenai, *prolato hoc decreto, inquiebat Darius*,
qui præfectus es trans fluvium, túque ô Sethar-boznaï, ſociique illorum Aphar-
ſechæi, qui eſtis trans fluvium, illinc procul abite. 7. Sinite incumbere operi Æ-
dis Dei hujus præfectum Judæis, ſeneſque Judæorum; Ædem hanc Dei exſtruant,
ſuo loco. 8. A me etiam propoſitum eſt edictum, ut adjuvetis ſenes illos Judæo-
rum, ad ædificandam hanc Ædem Dei, útque ex opibus Regis, *ſeu* tributo trans
fluvium *collecto*, properè ſumtus detur viris illis, ne ceſſent. 9. Tum etiam quæ
neceſſaria ſuūt, *ut* juvenci, arietes, agni, holocauſtis Deo cœli *offerendis*, far,
ſal, vinum, oleum, prout indicabunt Sacerdotes qui ſunt Jeroſolimæ, dentur iis
quotidie, nec error *ullus hîc admittatur*; 10. ut offerant piaculares victimas Deo cœli,
oréntque pro vita Regis & ejus filiorum. 11. Inſuper à me factum eſt decretum ut è
cujuſcumque hominis, qui mutaverit hoc edictum, domo evellatur tignum, inque eo
erecto intereat, & domus ejus propterea ſterquilinium fiat. 12. Deus verò, qui no-
men ſuum illic collocavit, perdat omnem Regem, populúmve, qui aggredietur mu-
tare, corrumperéve Ædem hanc Dei, quæ eſt Jeroſolimæ. Ego DARIUS hoc de-
cretum feci, properè exſequutioni mandetur.
13. Tunc Thatthenaïs, præfectus cis fluvium, & Sethar-boznaïs, ſociique eorum,
propter

eſt & *ibit*, tertia perſona ſingularis Futuri *Kal*, quamvis anteceſſerit מאני in plurali, quod ſignificat *vaſa*; denique תהנח *thabheth* eſt ſecunda perſona ſingularis Futuri *Hiphil*. Si totidem verbis & apicibus concepta fuerint edicta Babylonica, incultam ſanè & rudem oportet fuiſſe Chaldaïcam Linguam. Sed nemo hæc omnium Librariorum erratorum immunia præſtiterit, ita ut ne in litterula quidem ſit peccatum.

6. *Nunc verò, ô Thatthenai*] Hæc omnino verba ſunt edicti, non Cyri, ſed Darii; cujus edicti initium omittitur, ubi prolatum videtur edictum antecedens Cyri, quo allato hæc nomine Darii ſequebantur. Quia verò mutatio hæc ſubita perſonæ loquentis durior & obſcurior accidebat auribus Latinis, ſupplere coacti ſumus ſequentia verba: *prolato hoc decreto, inquiebat Darius*.

Illinc procul abite] *Remoti eſtote illinc*; hoc eſt, omiſſis Judæis, res veſtras curate.

8. *Ut adjuvetis ſenes*] *Ut operemini cum ſenibus* &c. ut faciatis quod à vobis petent, eóſque adjuvetis, ſuppeditatis lignis & lapidibus.

10 *Oréntque pro vita Regis* &c.] Quamvis non liceret Judæis mandare Ethnicis, ut Deos ſuos pro incolumitate Judæorum orarent; quia Judæis nullos alios Deos, præter unum, agnoſcere fas erat; poterant Ethnici, ut quidem ſibi videbantur, Deum Judæorum colere, eùm hunc, unà cum ſuis, Deum eſſe crederent; nec Judæi hoc Religionis ac humanitatis officium Ethnicis negarunt, niſi poſtremis temporibus, odio Romanorum, ut victimas pro ſe à Sacerdotibus Judæis offerri curarent. *Joſephus* de Bello Jud. Lib. II. c. 30. in Græcis: Κατὰ τὸ ἱερὸν Ἐλεάζαρος υἱὸς Ἀνανίου τοῦ Ἀρχιερέως νεανίας θρασύτατος, στρατηγῶν τότε, τοὺς κατὰ τὴν λατρείαν λειτουργοῦντας ἀναπείθει μηδενὸς ἀλλοφύλου δῶρον, ἢ θυσίαν προσδέχεσθαι. τοῦτο δ' ἦν τοῦ πρὸς Ῥωμαίους πολέμου καταβολή: *In Templo, Eleazarus, Ananiæ Pont. Max. filius, juvenis audaciſſimus, cùm eſſet tunc Dux Templi, perſuadet Sacra facientibus alienigenæ nullius donum aut victimam accipere. Hoc fuit belli cum Romanis fundamentum.* Attamen ſedati animi homines, inter Judæos, contendebant τοὺς μὲν προγόνους αὐτῶν κεκοσμηκέναι τὸν ναὸν ἐκ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἀλλοφύλων τὸ πλέον, ἀεὶ προσδεχομένους τὰς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἐθνῶν δωρεάς· καὶ οὐ μόνον οὐ διακεκωλυκέναι θυσίας τινῶν, τοῦτο γὰρ ἀσεβέστατον, ἀλλὰ καὶ τὰ βλεπόμενα καὶ παραμένοντα τοσοῦτον χρόνον ἀναθήματα περὶ τῷ ἱερῷ καθιδρυκέναι: *majores ſuos ornaſſe ut plurimum Templum donariis alienigenarum, ſemper accipientes dona ab exteris gentibus, nec tantùm ſine diſcrimine victimas obtuliſſe, cùm impium eſſet contrarium, ſed & conſpicua & permanentia per tantum tempus donaria circa Templum collocaſſe.* Sed fruſtra fuerunt, quamvis vel hic Eſdræ locus rem in aperta luce collocaret. Vide & Cap. VII, 23.

11. *Domo evellatur tignum* &c.] Uſitatum quidem erat, apud Perſas, crucis ſupplicium; ut docet *Barn. Briſſonius*, Lib. II. de Regno Perſarum; ſed ceteræ ſupplicii circumſtantiæ, quæ hîc occurrunt, nuſquam alibi leguntur.

Inque eo erecto intereat] *Et erecto deleatur ſuper eo*; hoc eſt, ſuſpenſus ex eo intereat.

12. *Qui nomen ſuum illic collocavit*] *Qui fecit habitare nomen ſuum illic*; hoc eſt, qui voluit Templum illud de nomine ſuo appellari *Ædem Jehovæ*.

Properè exſequutioni mandetur] Regum omnibus imperiis obſequebantur Perſæ ſummo ſtudio, nec contradicere audebant, ut multis probavit *Barn. Briſſonius* Lib. I. de Regno Perſico, p. 24. Ed. Sylburgii. Ὁ δ' ἀπειθῶν, inquit *Strabo*, Lib. XV. ἀποτμηθεὶς κεφαλὴν καὶ βραχίονα ἐῤῥίπτετο: *qui non parebat, exciſo capite & brachio, abjiciebatur.*

 14. Ar-

propter ejuſmodi *reſcriptum*, quod miſetat Darius Rex, properè *rem* fecerunt. 14. Senes vetò Judæorum ædificabant, réſque eis bene cedebat, ex vaticinio Chaggæi Prophetæ, & Zachariæ filii Hiddonis. Ædificarunt ergo & abſolverunt *ædificium*, ex mandato Dei Iſtaëlis, edictiſque Cyri, Darii, & Arthaxerxis Regum Perſarum. 15. Abſoluta Ædes hæc fuit, die tertio menſis Adaris, anno qui ſuit ſextus regni Darii Regis.

16. Celebrarunt deinde Iſtaëlitæ, Sacetdotes, Levitæ, cetetique qui migrarant, dedicationem Ædis Dei, cum hilaritate, 17. & propter dedicationem Ædis Dei, obtulerunt juvencos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, & hircos, in oblationem pto peccato, duodecim, ſecundùm numerum tribuum Iſraëlis. 18. Præfecerunt Sacerdotes, ſecundùm eorum claſſes, & Levitas, pro eorum diviſionibus, operi *Ædis* Dei, quæ eſt Jeroſolimæ, ex præſcripto libri Moſis.

19. Celebratunt etiam qui migratant Paſcha, decimo quarto die menſis primi. 20. Sacerdotes enim & Levitæ ſe ſe, inſtar unius viti, purificarant & erant quidem omnes mundi. Mactarunt etgo Paſchales *hoſtias* omnibus qui migrarant, fratribus ſuis Sacetdotibus & ſibi ipſi. 21. Comederunt eas Iſraëlitæ, qui ex migratione erant reverſi, omnéſque qui ſeceſſionem fecerant à pollutione gentium terræ, ut ſe ſe iis adjungerent, ad quærendum Jehovam Deum Iſraëlis. 22. Celebrarunt feſtum Azymorum, per ſeptem dies, cum hilaritate, quia Jehova eos exhilaraverat, iiſque concilia-

14. *Arthaxerxis*] Additur hoc nomen, non quòd ad regnum ejus uſque dilata ſit ædificatio Templi, ſed quia, cùm faveret Judæis, Templum ornavit. Alioqnin Artaxerxes, qui non poteſt eſſe niſi *Longimanus*, LIV annis poſt hæc tempora regnavit. Vix credet attentior Lector, ipſum Eſdram addidiſſe hîc nomen Artaxerxis, licèt *Longimanus* eſſe ſtatuatur, cùm non niſi valde impropriè abſolntum ejus ævo Templum dicatur, quod avi ejus tempore jam erat abſolutnm. Itaque poſſet fieri, ut poſterior aliqua manus nomen hoc addiderit, quòd Artaxerxes faverit etiam Judæis, & pecnniam ad reficiendum Templum contulerit. Vide Cap. VII, 21. Sed hac de re viderint eruditiores.

15. *Die tertio* &c.] Ante Chriſtum anno DXV decimo die Martii, ex *D. Petavii* calculo.

16. *Ceteriqne qui migrarant*] *Et reliquiæ filiorum migrationis.*

Dedicationem Ædis Dei cum hilaritate] חנכה *hhanncha* vocant Hebræi, Græci ἐγκαινισμὸν. Latini *dedicationem* primum uſum cujuſpiam rei, in eum finem cui deſignata eſt. Sic dedicatum eſt Templum, primis ſacrificiis, quæ in eo poſt inſtaurationem facta ſunt. Qui ſcire cupient quid Rabbini hac de re ſentiant, & quæ de Dedicationibus apud Veteres exſtent, legant *Joan. Seldenum* de Syuedriis Lib. III. cap. 13. & ſeqq. qui hæc omnia copioſiſſimè congeſſit.

18. *Pro eorum diviſionibus*] בפלגתהון *biphlugathehon.* Aut redierunt plures Sacerdotium claſſes, vel fortè ex omnibus nonnulli, poſt edictum Darii de inſtaurando Templo, quod non eſt abſimile vero; aut ſenſus hujus loci eſt, Judæos, pro Sacerdotum qui aderant numero, conſtituiſſe qui vicibus ſacris faciendis præeſſent. Nam initio nonniſi quatuor claſſes redierant, ut diximus ad Cap. II.

19. *Decimo quarto die* &c.] Qui ex calculo Petaviano incidit in XVIII. Aprilis. Ab hoc verſu Hebraïca narratio iterum incipit.

20. *Se ſe inſtar unius viri purificarant*] Unanimi conſenſu, ſe ſe omnes purificarant; ſeu ab omnibus quibus pollui poterant abſtinuerant, ablutique ac tunicis mundis induti ad Sacra facienda venerant. Alioqui Paſcha omnes mactare non potuiſſent, quod contigit temporibus Hezekiæ Regis Judæ. Vide 2. Par. XXX, 3.

21. *Qui ſeceſſionem fecerant* &c.] כל הנבדל *omnis ſeparatus — ad eos.* Intelliguntur Proſelyti aliarum gentium, qui, Religioni Majorum nuncio remiſſo, ſe ſe Iſraëliticæ Religioni adjunxerant.

A pollutione gentium &c.] Pollutæ habebantur omnes aliæ Gentes, tam animo, quàm corpore; quòd commentitios Deos colerent, nec ab iis quæ immunda, ex Lege Moſaïca, habebantur, abſtinerent. Ideò ab iis Judæi abhorrebant, nec in Rempublicam ſuam, quaſi cives, admittebant, niſi Judaïca Sacra ſuſciperent.

Ad quærendum] Colendum, ut paſſim.

22. *Conciliarat animum*] *Converterat cor ad eos*; Regem faventem iis reddiderat.

Aſſyriorum Regis] מלך אשור *melech Aſſchour.* Sic vocatur Rex Perſarum, more antiquo; neque enim Darius ſolius Aſſyriæ Rex erat, ſed & omnium tractuum, qui ad ortum Euphratis & Tigridis, inter mare Caſpium & Perſicum, ad Indum uſque fluvium, multarúmque ad occidentem eorum fluviorum regionum, ut notum eſt. Sed apud Hebræos, celeberrimum erat regnum Aſſyriacum, eò quòd à Regibus Aſſyriæ vexati fuiſſent & abducti in captivitatem, ante quàm quidquam negotii iis eſſet cum Babyloniis, Medis, aut Perſis, licèt poſtremi tunc temporis rerum potirentur.

Confirmaſſet eorum manus] Hoc eſt, animum addidiſſet, & opibus ſuis adjuviſſet. Vide Cap. I, 6.

In CAPUT VII.

1. *SUb regno Arthaxerxis*] Anno VII. ejus regni, ut docemur vſ. 8. Duplex ſuit initium Artaxerxis, prius ab anno XII. Xerxis Patris, à quo in ſocietatem regni eſt adſumtus, quod incidit in annum Per. Julianæ 4240. ante Chriſtum 474; poſterius ab anno Per. Julianæ 4249. ante Chriſtum 465. Sed poſterius initium intelligi videtur, quia anno ſeptimo à priori nondum ſulus Artaxerxes regnabat, ſed unà cum Xerxe patre.

Filius Serajæ] Si nullum nomen hîc omiſſum eſt, Eſdras ſuit patruus Jeſuæ, qui Pontifex Maxi-

Digitized by Google

liarat animum Aſſyriorum Regis; ita ut confirmaſſet eorum manus, in opere Ædis Dei, Dei Iſraëlis.

VII. Eſdras Babylone Jeroſolimam venit, ex decreto Regis Perſarum Artaxerxis, quod decretum recitatur. Ea de cauſâ, Eſdras Deo gratias agit.

1. POSTEA ſub regno Artaxerxis, Perſarum Regis, Eſdras filius Serajæ, filii Ha- CAPUT VII.
zarjæ, filii Chilkijæ, 2. filii Sellumi, filii Tſadoki, filii Achitubi, 3. filii A-
marjæ, filii Hazarjæ, filii Merajothi, 4. filii Zerachjæ, filii Huzzis, filii
Bukkis, 5. filii Abiſuæ, filii Phinchaſi, filii Elehazaris, filii Aharonis Sacerdotis prima-
marii; 6. is, inquam, Eſdras venit Babylone. Erat autem Scriba eruditus, in lege
Moſis, quam dedit Jehova Deus Iſraëlis; conceſſeràtque ei Rex quidquid petierat,
prout manus Jehovæ Dei ipſius ei incumbebat. 7. Venerunt verò *nonnulli* ex Iſraëlitis,
e Sacerdotibus, Levitiſque cantoribus & janitoribus, ac Nethinæis Jeroſolimam, an-
no ſeptimo Artaxerxis Regis. 8. Venit & ipſe Jeroſolimam, menſe quinto anni, qui
ſeptimus erat ejuſdem Regis. 9. Nam primo *die* menſis primi, fundamentum jactum
fuerat migrationis Babylone, & primo die menſis quinti pervenit Jeroſolimam, prout
manus Dei ejus favens ei incubuit. 10. Eſdras enim animum appulerat ad inquirendum
in

Maximus anno primo Cyri fuerat. Si idem ſit, ut videtur, cum Eſdra, qui nominatur Nehem. XII, 1. redierat quoque & ipſe eodem anno, Babylone in Judæam. Attamen à primo Cyri ad ſeptimum Artaxerxis, ſunt LXXIX anni. Oportet ergo Eſdram admodum puerum Babylone in Judæam primùm veniſſe, tum rediiſſe Babylonem, deinde grandævum illinc denuo repetiiſſe Judæam, & ad annum uſque vigeſimum Artaxerxis vitam produxiſſe; quandoquidem eo anno mores Judæorum cum Nehemia emendabat, ut liquet ex Nehem. C. VIII. Sed quis nos doceat hîc nihil uſquam à Librariis, nec in numeris, nec in nominibus eſſe peccatum; cùm ſint alioqui varietates, quæ ſine mendis eſſe omnes certè non poſſunt, ut ſtatim oſtendemus?

3. *Filii Merajothi, filii Zerachjæ*] Si compararemus hanc Genealogiam cum ea quæ habetur 1. Par. VI. videbimus eam hucuſque rectè habere, ſed hîc prætermiſſos inter Hazarjam & Merajothum ſex hoſce viros: *Jochananem, Hazarjam, Achimahatſum, Tſadokum, Achitubum, &* *Amarjam*, qui filius fuit Merajothi Zerachjæ filii. Cetera bene habent. Igitur poſt hæc verba vſ. 3. בן עזריה *ben Hazarjah*, addendum: בן יוחנן בן עזריה בן אחימעץ בן צדוק בן אחיטוב בן אמריה deinde pergendum, ut hic habemus, cetera enim conſentiunt. Nemo non videt omiſſos hic ſex viros, negligentiâ Librariorum, propter repetitionem τῶ בן & ſimilitudinem terminationis vocum אמריה & עזריה. Si quis ejuſmodi errata defendere ſuſtinet, *idem ille jungat vulpes & mulgeat hircos.*

6. *Venit Babylone*] Secundâ vice, venerat enim antea cum Zorobabele, ut docet Nehemias XII, 1.

Scriba eruditus] סופר מהיר *ſopher mahir*. LXX. Intt. γραμματεὺς ταχύς. & Vulg. *Scriba velox.* Interpretati, nempe, ſunt מהיר, ex ſignificatione ſolita radicis מהר mahar, *feſtinavit*; quæ ſi vera eſt vocis מהיר, hoc in loco, ſignificatio, ſenſus erit Eſdram Librarium fuiſſe, qui celeriùs aliis Legem exſcribere poſſet. Sed grandævum ſenem laudari hîc à celeritate ſcribendi nemo ſibi perſuadeat, & præterea סופר *ſopher*, non exſcriptorem librorum, ſed virum legis peritum ſignificat; quod oſtendunt voces *in lege Moſis*, quæ ſequuntur. Notiſſimum eſt ex Novo Teſtamento, Judæorúmque Scriptorum uſu סופרים Hebraïcè, Græcè γραμματεῖς dictos non Librarios, ſed Legis peritos. Igitur hoc quoque ſenſu hîc ſumi exiſtimo, interpretórque vocem מהיר *mahir*, ex ſignificatione quam radix מהר *mahar* in lingua Æthiopica obtinet, in qua ſignificat *docuit, erudivit*. Sic & Pſal. XLV, 2. *Eructat cor meum verbum bonum, dico ego res geſtas Regis, lingua mea ſtylus eſt ſcribæ eruditi* סופר מהיר; hoc eſt, non, celeritate æquabit ſcribam celerem, quod magni nihil eſſet; ſed, ita loquetur, ut vir eruditus meliùs ſcribere nequeat, quod exiguum non eſt. Pauciſſimi enim ſunt, qui dicendo, antequàm quidquam ſcripſerint, eruditi ſtyli elegantiam æquare poſſint. Confirmatur hæc interpretatio vſ. 12. ubi Eſdras à Rege Perſarum ספר גמיר ſaphar gemir, *ſcriba conſummatus*; & 3. Eſd. VIII, 8. ubi ἀναγνώστης νόμου, *lector legis* vocatur, ac *Joſepho* qui eodem modo loquitur in hac hiſtoria.

Scio multos Judæos, Patréſque etiam Chriſtianos Eſdræ tribuere mutationem litterarum Hebraicarum veterum, in deſcriptione ſacrorum librorum, in characteres Aſſyriacos, quibus nunc utimur; nec ab eorum ſententia abhorreo, ſed hac de re hîc agi non videtur. Vide vſ. 9 & 11.

Manus Jehovæ Dei ſui] *Manus Dei* ei incumbere dicebatur, cujus conſilia & cœpta ſecundabat Deus, imò etiam quem adſtabat. Vide 1. Par. XXVIII, 19.

9. *Fundamentum jactum fuerat &c.*] *Hoc fundamentum adſcenſionis è Babele*, הוא יסד המעלה *hou jeſud hammahalah*. LXX. Intt. αὐτὸς ἐθεμελίωσε τὴν ἀνάβασιν, quaſi legiſſent יִסַּד *fundavit* non יְסֹד *fundamentum*. Vulgatus, *cœpit adſcendere*. Sed quinque menſes non potuit abſumere in itinere, Babylone Jeroſolimam; itaque præſtat dicere primo menſe ſermones fuiſſe habitos, in quibus fundamenta totiushujus negotii jacta ſint.

Manus favens] *Manus bona*. Vide ad vſ. 6.

10. *Ad inquirendum*] Hoc eſt, ſtudioſè inquiſiverat in Legem Moſaïcam, ut ipſe probè intellectam obſervaret, & alios obſervandam doceret; quamobrem dictus eſt סופר *ſopher*, ſeu γραμματεύς. Vide vſ. ſequentem

11. *Iſraë-*

in legem Jehovæ, ut eam obſervaret, & apud Iſraëlem inſtituta, juráque *Dei* doceret.

11. Hoe autem eſt exemplar litterarum, quas dedit Rex Arthaxerxes Eſdræ Sacerdoti, Scribæ, & Scribæ quidem præceptorum, inſtitutorúmque Jehovæ Iſraëli impoſitorum. 12. Arthaxerxes Rex Regum Eſdræ Sacerdoti, conſummatóque Scribæ legis Dei cœli & cetera. 13. A me factum eſt decretum, ut quiſquis volet in Regno meo, è populo Iſraëlis, Sacerdotibúſque ejus & Levitis, ire Jeroſolimam tecum, ire *ei* liceat; 14. quandoquidem à Rege & ſeptem ejus conſiliariis miſſus es, ut, ex lege Dei tui, quæ eſt in manu tua, in Judæam & Jeroſolimam inquiras; 15. útque feras argentum & aurum quæ Rex, Conſiliariíque ejus ſponte obtulerunt Deo Iſraëlis, cujus ſedes ſunt Jeroſolimæ; 16. ut & omne argentum & aurum, quæ nactus fueris in tota Babylonis Provincia, cum oblationibus ſpontaneis populi & Sacerdotum ſponte offerentium Ædi Dei ſui, quæ eſt Jeroſolimæ. 17. Quamobrem quàm primùm emas, pecuniâ hac, juvencos, arietes, agnos, eorúmque munera *farrea* ac libamina, offeráſque eos in altari, quod eſt in Æde Dei veſtri, quæ eſt Jeroſolimæ. 18. Quod autem tibi & fratribus tuis videbitur reliquo argento & auro facere, id ex Dei veſtri voluntate faciatis. 19. Vaſa verò, quæ data tibi ſunt, in uſum Ædis Dei tui, ea incolumia reponas coram Deo Jeroſolimæ. 20. Reliqua neceſſaria Ædi Dei tui, quæ tibi danda erunt, ea dabis, è theſauris regiis. 21. A me præterea, qui ſum Arthaxerxes Rex, factum eſt decretum *miſſum* omnibus quæſtoribus, qui trans fluvium ſunt, ut quidquid petierit Eſdras Sacerdos & Scriba Legis Dei cœlorum, id quàm primùm fiat; 22. *concedatúrque ei* uſque ad argenti talenta centum, ad tritici choros centum, ad vini bathos centum, ad olei bathos centum, & ſalis *copia* quæ non ſcribetur. 23. Omnia ex mandata Dei cœli dili-

11. *Iſraëli impoſitorum*] *Super Iſraël*, על ישראל *hal Jiſchraël*, quæ loquutio jugum, aut onus impoſitum ſignificat.

12. *Rex Regum*] Superba quidem appellatio, ſed qua jam, ante Perſarum Reges, uſi erant Babylonii. Certè ſic compellatur Nebuchadnetſar à Daniele Cap. II, 33. Sic quoque de ſe ipſi loquebantur Ægyptiorum Reges, & poſtea Parthorum. Vide *Barn. Briſſonium* de Regno Perſico, fermè ab initio.

Conſummatóque Scribæ legis Dei &c.] ספר גמיר *ſaphar gemir*, quod idem ac מהיר *mahir*, adhibitum vſ. 6. Rectè Vulgatus *ſcribæ doctiſſimo*. Verùm abſurdè LXX. Intt. qui hanc vocem & ſequentem וכענת quam vertimus *& cetera*, ſic interpretati ſunt: τετέλεσται λόγος καὶ ἡ ἀπόκρισις. Vulgatus pro poſteriore voce habet, ex conjectura, *ſalutem*. Sed vide dicta ad Cap. IV, 10.

13. *Ei liceat*] *Eat*.

14. *Septem ejus conſiliarii*] Hi erant ſummi Judices Regni, quos Rex, etiam in rebus ad Regni adminiſtrationem pertinentibus, conſulere ſolebat. Vide Eſth. I, 14.

Ut ex lege Dei tui &c.] *Ad inquirendum ſuper Judæa & Jeruſalem in lege Dei tui*; hoc eſt, ut inquiras an Judæi, qui nunc in Judæa ſunt & Jeroſolimæ præſertim habitant, Legem ſuam obſervent. Si reſcriptum hoc nonnullis fortè Judæum redolere videatur, mirum hoc non eſt, cùm Eſdras gratiâ apud Regem florens verba fortè Scribæ regio ſuppeditaverit, quibus in hoc reſcripto nomine Regis uteretur.

16. *Populi & Sacerdotum*] Intelligendus populus Judæus, qui magno numero Babylone remanſerat.

17. *Munera farrea ac libamina*] מנחתהון ונסכיהון *minhhathehon veniſchehon*; hoc eſt, farinam, oleum & vinum. Vide Levit. Cap. II, 1. de oleo, & Num. XXVIII, 7, 14. de vino.

18. *Id ex Dei veſtri voluntate*] In lege revelata.

19. *Incolumia repones*] השלם *haſchlem*. LXX. Intt. παράδος. Vulgatus, *trade*. Recentiores, *redde*. Sed cùm his ſignificationibus nihil ſit adfine, cum ſignificatu proprio radicis שלם *perfectus*, *integer fuit*; maluimus hic vertere *incolumia reponere*, quod & radicis poteſtati & rei convenientius viſum.

20. *Reliqua neceſſaria*] שאר חשחות *ſchear hhaſchehhouth*. LXX. Intt. κατάλοιπα χρείας. Vulgatus, *cetera quibus opus fuerit*. חשחות eſt quod neceſſarium eſt.

Quæ tibi danda erunt] *Quod ceciderit tibi ad dandum*.

E theſauris regiis] Ex ærario regio, conflato è vectigalibus ac tributis, quæ Perſarum Regi à populis, qui Chananæam incolebant, ſolvebatur. Sequentia hoc docent, ubi & ſumma præfinitur.

21. *Quæſtoribus*] גזבריא *gizabraia*; de qua voce egimus ad Cap. I, 8. LXX. Intt. habent πάσαις ταῖς γάζαις. Vulgatus, *omnibus cuſtodibus arcæ publicæ*, multò meliùs quàm Cap. I.

Petierit] Additur *à vobis*, quod Latinè loquenti commodum non erat.

22. *Argenti talenta centum*] Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ ſunt undecim florenorum Hollandicorum, 35300, neglectis Schillingis & aſſibus aliquammultis, ex calculo *Ric. Cumberlandi*.

Tritici Choros centum] כורין *chorin*. Maxima eſt menſurarum, quæ memorentur in Scriptura, continétque ex *Ric. Cumberlandi* calculo, 17477 digitos cubicos, & prout ſtatuit *Ed. Bernardus*, paullo pluſquàm 8 Buſellos Anglicos tritici, libras *de Troy* 591. & *Avoir du poids*, 482. & aliquanto plus.

Vini bathos centum] *Bathus*, aut *Epha* eſt decima pars Chori, continétque 1747. digitos cubicos, & aliquantò plus, ut cenſet *Cumberlandus*. *Bernardus* putat impletum circiter vini 75 libris *de Troy* ſeu 62. libris *Avoir du poids*. Olei

diligenter fient Ædi Dei cœli; ne *ejus* ira *moveatur* in regnum, aut Regem, aut ejus filios. 24. Vobis verò notum facimus, nulli Sacerdotum, Levitarum, Cantorum, Janitorum ac Nethinæorum, miniſtrorúmve Ædis hujus Dei tributum, ſtipendium, aut vectigal licitum eſſe imponere. 25. Tu verò, o Eſdra, pro ſapientia Dei tui, quæ eſt in te, conſtituito Judices ac Diſceptatores, qui jus dicant toti populo, qui eſt trans fluvium, ſeu omnibus qui norunt Legem Dei tui; ſi quis verò eam ignoret, facite ut homini innoteſcat. 26. Quiſquis autem non paruerit Legi Dei tui, aut Legi Regis, illico judicium de eo feratur, ſive morte, ſive exſilio, ſive mulctâ pecuniariâ, ſive vinculis *ſit plectendus*.

27. Benedictus verò ſit Jehova, Deus Majorum noſtrorum, qui ſic in animum Regis immiſit *cupiditatem* ornandæ Ædis Jehovæ, quæ eſt Jeroſolimæ; 28. & mihi conciliavit gratiam apud Regem, Conſiliarios ejus, & potentiſſimos quoſque Regis proceres! Itaque confirmato animo, pro manu Jehovæ Dei mei, quæ mihi incumbebat, coëgi ex Iſraële principes *familiarum*, qui mecum proficiſcerentur.

VIII. Deſcriptio itineris Eſdræ Jeroſolimam Babylone profecti, recenſióque eorum qui itineris comites fuerunt.

Caput VIII.

1. HI autem ſunt principes *familiarum* patriarum, atque hæc eorum generis recenſio, qui mecum Babylone, ſub regno Arthaxerxis Regis, profecti ſunt. 2. E poſteris Phinchaſi, Gerſomus; è poſteris Ithamaris, Daniel; è poſteris Davidis Chatthus. 3. E poſteris Sechanjæ, oriundi Pharhoſo, Zecharja, cum quo recenſiti, pro genere ſuo, centum quinquaginta mares. 4. E poſteris Phachath-moabi, Elihohenais, Zecharjæ filius & cum eo ducenti mares. 5. E poſteris Sechanjæ * * Jachazielis filius, & cum

Olei verò continet circiter libras *de Troy* 104. Hinc Artaxerxis liberalitatem licebit æſtimare.

Salis copiam &c.] מלח די לא כתב *melahh di lo ctehab*, ſal quod non ſcripſit. LXX. Intt. οὗ οὐκ ἔστι γραφή. Vulg. *ſal verò abſque menſura.* Senſus quidem ſatis liquidus eſt, ſed pro כְּתַב *ſcripſit*, quæ eſt tertia perſona præteriti Kal, rectiùs forte ſcriberetur כְּתִיב *ſcriptum*, participium Pehil.

23. *Ex mandato*] Ex lege Moſis. Hoc vult Artaxerxes ab Eſdra cultum Numinis, quod colebatur Jeroſolimæ, reſtitui ad legum ejus normam. Ethnici, qui ignorabant lege Moſaïcâ ita excludi omnes alios Deos, ut Dii eſſe prorſus negarentur, putabant ſe Deos ſuos poſſe retinere & ſimul Deum Judæorum colere. Facilè fingere ſibi poterant Deum peculiarem Judæorum Leges ei genti dediſſe, ſolúmque ab ea coli voluiſſe; ſed ad alios populos nec eas Leges, nec eum cultum neceſſariò pertinuiſſe. Nec mirum eum vocari *Deum Cœli* à Cyro, Dario & Artaxerxe, cùm plures cœleſtes Deos eſſe putarent, Deúmque Hebræorum unum ex iis credere poſſent. Vide *Philoſoph. Orientalis* Lib. II. c. 9.

Ne ejus ira] *Cujus cur eſſet ira* &c.

24. *Licitum eſſe imponere*] לא שליט למרמא *lo ſchallit lmirme*. LXX. Intt. οὐκ ἐξουσιάσεις καταδουλοῦσθαι αὐτούς. Latinus: *non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.* Senſus eſt, nemini licitum fore quidquam oneris imponere Templi Jeroſolimitani miniſtris; nam שליט *ſchallit* eſt qui poteſtatem habet.

25. *Sapientia Dei tui*] A Deo, nimirum, accepta. Qui ſenſus eſt frequens conſtructionis genitivi, de qua diximus *Artis Criticæ* P. 2. S. 1. C. 12.

Quæ eſt in te] *Quæ in manu tua.*

26. *Quiſquis non paruerit*] *Et omnis qui non erit faciens* &c. Hæc de Judæis ſolis intelligenda, ut ſuperiora verba oſtendunt. Neque enim Reges Perſarum unquam hoc poteſtatis conceſſere Judæis, ut pœnas ſumerent de aliis gentibus, quæ legibus Hebræorum parere nollent. In populares tantùm hoc eis juris conceſſum.

Exſilio] לשרש quod efferunt Maſſorethæ לִשְׁרֹשִׁי. Sed meliùs retineatur lectio contextûs לִשְׁרֹשׁ *ad eradicationem*, pro שרשות *ſchroſchouth*, hoc eſt, ut Vulgatus, *ad exſilium.* LXX. Intt. incommodè habent εἰς παιδείαν. Hîc agitur de iis qui *in urbem Grajam migrare cogebantur*, quia non obſervabant leges Moſaïcas. *Joſephus* habet tantùm in Paraphraſi hujus Edicti, Ant. Jud. Lib. XI. cap. 5. θάνατον ἢ ζημίαν χρηματικήν. Id autem edictum tribuit Xerxi, Darii ſucceſſori, non Artaxerxi, ut disertè habet Scriptura; niſi quis velit eum voluiſſe nomine ארתחשסתא *Xerxem* ſignificatum ab Eſdra, non *Artaxerxem*. Qua in opinione, quomodo defendi poſſit non video. Edictum autem hoc ita honorificum eſt erga Judæam gentem, ut nihil ulteriùs addi poſſet. Favere hoc videtur iis, qui Aſſuerum Eſtheræ virum Artaxerxem *Longimanum* fuiſſe volunt; tantus enim favor Regis, erga Judæos, vix aliunde promanare potuiſſe videtur, niſi ex uxoris Judææ commendatione. Verùm ea de re ad Eſtheram dicemus.

27. *Benedictus verò ſit*] Laudetur. Hæc Edicto, Artaxerxis ſubjecit Eſdras, pio animi motu.

28. *Mihi conciliavit* &c.] *Ad me inclinavit beneficentiam coram Rege* &c.

Confirmato animo &c.] *Confirmavi me, ſecundùm manum Jehovæ.*

In Caput VIII.

5. J*Achazielis filius*] Omiſſum eſt hujus nomen proprium, neque enim credibile eſt patris nomen addi homini, cujus nomen proprium eſſet omiſſum. Sic conjiciebat etiam *Joannes Piſcator*. Nec tamen plura legit in ſuo Codice *Hieronymus*, quàm nos in noſtris hodie legimus, habet enim: *de filiis Sechebiæ, filius Ezechiel.*

cum eo treeenti mares. 6. E poſteris Hadinis, Hebedus, Jonathanis filius, & cum eo quinquaginta maſculi. 7. E poſteris Helami, Jeſahja, Athaljæ filius, & cum eo ſeptuaginta maſculi. 8. E filiis Sephatjæ Zebadja, Michaëlis filius, & cum eo octoginta maſculi. 9. E poſteris Joabi, Hobadja, Jechielis filius, & cum eo ducenti, octodecim maſculi. 10. E poſteris Selomithi, * * Joſiphjæ filius, & cum eo ducenti ſexaginta maſculi. 11. E poſteris Bebaïs, Zecharja, Bebaïs filius, & cum eo viginti octo mares. 12. E filiis Hazgadi, Jochanan, Katanis filius, & cum eo centum & decem mares. 13. E poſteris Adonikami, poſtremi, quorum hæc ſunt nomina: Elipheletus, Jehiel, Semahja, & cum illis ſexaginta mares. 14. E poſteris Bigvaïs, Huthaïs & Zabbudus & cum iis ſeptuaginta mares.

15. Hos congregavi ad fluvium, cùm veniſſem ad Ahavam, caſtráque habuimus illic, per tres dies; recenſui autem populum & Sacerdotes, ſed è Levitis neminem inveni. 16. Quamobrem miſi *qui vocarent* Elihezerum, Arielem, Semahjam, Elnathanem, Jaribum, Elnathanem, Nathanem, Zecharjam, & Meſullamum, principes *familiarum*, Jojaribúmque & Elnathanem magiſtros; 17. mandatáque eis dedi ad Iddonem principem *familiæ*, in pago Chaſiphja, & dixi verba, quibus uterentur apud Iddonem *&* fratrem ejus Nethinæos, qui etant in pago Chaſiphja, ut adducerent nobis miniſtros Ædi Dei noſtri. 18. Cùm autem manus Jehovæ propitii nobis incumberet, adduxerunt ad nos Is-ſechelem, è poſteris Machlis, oriundi à Levi, filio Iſraëlis; Serebjam, filiosque ejus & fratres octodecim; 19. Chaſabjam & cum eo Seſahjam, è poſteris Meraris, fratres ejus & eorum filios viginti. 20. E Nethinæis, quos dederant David & proceres, ut miniſtrarent Levitis; erant ducenti, viginti, & omnes quidem nominatim appellati.

21. Promulgavi illic jejunium, ad fluvium Ahavam, quo nos humiles præberemus coram Deo noſtro, ut fauſtum iter ab eo nobis impuberibúſque, & opibus noſtris peteremus,

chiel. Sed LXX. Intt. aut ex conjectura, aut ex libro ſic habent: Καὶ ἀπὸ υἱῶν Ζαθόης Σεχενίας υἱὸς Ἀζιὴλ: quaſi legiſſent, aut legendum cenſuiſſent: מבני זתוא שכניה בן יחזיאל *E filiis Zatthou* (cujus mentio fit Cap. II, 8.) *Sechanja Jachazielis filius*.

10. *Joſiphiæ filius*] Hujus quoque nomen proprium eſt omiſſum, nec legebatur in Codice *Hieronymi*. LXX. Intt. habent: ἀπὸ τῶν υἱῶν Βαανί, Σελιμοὺθ υἱὸς Ἰωσεφία, quaſi legendum eſſet: מבני בני שלימות בן יוספיה *è filiis Bani* (cujus mentio Cap. II, 9.) *Selimuth filius Joſiphjæ*.

15. *Ad fluvium*] Cujus nomen poſtea ſequitur, mirum *Ahavam*.

Cum veniſſem ad Ahavam] הבא אל אהוא *habba el Ahava*, quod retulimus ad Eſdram, ſed alii referunt ad fluvium, ita ut fluvius dicatur ferri ad Ahavam, quæ urbs fuerit fluvio cognominis. LXX. Intt. ποταμὸν ἐρχόμενον πρὸς τὸν Εὐΐ, & Vulgatus, *decurrentem ad Aava*. Sed cùm conſtet fluvium ita vocari, etiam ex ſequentibus, urbem verò minimè conſtet, malui priorem ſententiam ſequi. *Fr. Junius* putat fluvium, de quo hîc mentio fit, eſſe *Diavam*, aut *Adiavam*, qui *Diabenam*, partem Aſſyriæ, permeant; deinde eadem voce ipſam regionem ſignificari cenſet. Facilè adſentirer, ſi pro אהוא *ahava* ſcriptum eſſet אדיוא *adjava*. Ut vitarent æſtum Meſopotamiæ & Arabiæ deſertæ, qui è Babylonia in Judæam veniebant ad ſeptemtrionales oras ſe conferebant; unde ad occidentem deflectebant, ut per Syriam irent in Judæam. Sic mirum non eſſet Eſdram per Adiabenen tranſiiſſe, nec ineptè quis crederet pro אהוא legendum אדיוא, exiguâ mutatione, aut אדיבא. De eo fluvio ſic *Ammianus Marcellinus* Lib. XXIII. c. 6. à *Junio* adductus: *Intra hunc circuitum Adiabena eſt, Aſſyria priſcis temporibus vocitata, longáque conſuetudine ad hoc tranſlata vocabulum eâ re, quòd inter Onam & Tigridem ſita, navigeros fluvios, adiri vado numquam potuit; tranſire enim διαβαίνειν dicimus Græci, & Veteres quidem hoc arbitrantur. Nos autem id dicimus, quòd in his terris amnes ſunt duo perpetui, quos & tranſivimus, Diabas & Adiabas, juncti navalibus pontibus; ideóque intelligi Adiabenam cognominatam, ut à fluminibus maximis Ægyptus, Homero auctore, & India & Euphratenſis hæc Comagena*.

16. *Miſi qui vocarent Elihezerum*] ואשלחה לאליעזר *& miſi Elihezero*; hoc eſt, miſi Elihezero, qui eum vocaret ad me. Græcè exprimas verbo μεταπέμπειν, Gallicè, *envoyer querir*. Nam Elihezerum & ceteros qui ſequuntur miſit ad Levitas, ut eos adducerent ad Eſdram, ut liquet vſ. 17. Incommodè Vulgatus: *miſi Eliezer — miſi eos ad Eddo*. Meliùs LXX. Intt. ἀπέστειλα τῷ Ἐλιεζὲρ —— καὶ ἐξήνεγκα αὐτοὺς &c.

Magiſtros] מבינים mbinim, *facientes intelligere*. LXX. Intt. συνιέντας, Vulgatus *ſapientes*. Sæpiùs adhibetur ea vox, ubi ſermo eſt de Levitis peritioribus functionum ſacrarum, quique alios docere poterant. Vide 1. Par. XVI, 22. XXV, 8. 2. Par. XXXIV, 12. & Neh. VIII, 2. X, 29.

17. *In pago Chaſiphjæ*] בכספיא המקום *bChaſiphjah bammakom*; hoc eſt, in loco, ſeu pago qui vocatur Chaſiphjah. Si urbs fuiſſet vocaretur עיר *hir*, ſed מקום hîc idem eſt ac χώρα, quæ vox ſæpe pagum ſignificat. Abſurdè LXX. Intt. ἐν ἀργυρίῳ τοῦ τόπου. Rectiùs Vulgatus, *in Chaſphiæ loco*. Crediderim pagum intelligi aut in Armenia, aut in Parthia ad *Caſpias pylas*; fuiſſe enim duplices ejus nominis fauces probavit *Chr. Cellarius* Geog. Lib. III. c. 8. Utræque fuerunt in imperio Perſarum, nec quidquam vetat eò amandatos Levitarum nonnullos. Si locus ad Portas Caſpias ſpectetur, meliùs hiſce punctis inſtrueretur vox Hebraica כַּסְפְּיָא *Chaſphija*, quàm כָּסִפְיָא,

Digitized by Google

remus. 21. Puduit enim me petere à Rege copias & equites, qui nobis contra inimicos
auxilium ferrent in via; dixeramus enim Regi manum Dei noſtri omnibus eum invo-
cantibus propitiam incumbere; potentiam verò & indignationem omnibus eum deſe-
rentibus adverſari. 23. Jejunavimus ergo, Deúmque noſtrum propterea oravimus, qui
ſe exorari paſſus eſt.
24. Deinde elegimus è principibus Sacerdotum duodecim viros, Serebjam, Chaſa-
bjam & cum iis decem eorum fratres. 25. Tum appendi illis argentum & aurum & va-
ſa oblationis elatæ Ædis Dei noſtri, quæ offerri juſſerant Rex, ejúſque Conſiliarii &
proceres, & univerſus Iſraël qui illic erat. 26. Appendi autem in eorum manibus ar-
genti talenta ſexcenta quinquaginta; vaſa argentea centum talentorum, & aurea cen-
tum talentorum; 27. crateres auri decem, drachmarum mille, & vaſa æris ſplendentis
ac boni duo, pretioſa inſtar auri; 28. iiſque dixi: vos quidem ſacri eſtis Jehovæ, &
vaſa *itidem* ſacra, argentúmque & aurum oblatio ſpontanea Jehovæ, Deo Majorum
noſtrorum. 29. Vigilate ergo, eáque cuſtodite, donec appendatis coram principibus
Sacerdotum & Levitarum, principibúſque patriarum familiarum Iſraëlis, Jeroſolimæ,
in conclavibus Ædis Jehovæ. 30. Tum acceperunt Sacerdotes & Levitæ pondus argenti
& auri & vaſorum, ut ea veherent Jeroſolimam, in Ædem Dei noſtri.
31. Profecti ergo ſumus à fluvio Ahava, duodecimo die menſis primi, ut Jeroſoli-
mam iremus, manúſque Dei noſtri nobis incubuit, ac è manibus inimicorum & inſi-
diatorum nos in via liberavit. 32. Jeroſolimam cùm perveniſſemus, per tres dies illic
quievimus; 33. die verò quarto, appenſa ſunt argentum & aurum & vaſa in Æde Dei
noſtri, in manibus Meremothi, Urijæ filii, Sacerdotis, eíque aderat Elehazar Phincha-
ſi filius, ac præterea Jozabadus Jeſuæ filius, & Nohadja, Binnuis filius, Levitæ; 34. pro
numero & pondere omnium, & perſcriptum eſt eo tempore pondus. 35. Venientes au-
tem è captivitate qui migraverant obtulerunt holocauſta Deo Iſraëlis, juvencos duode-
cim,

קַסְפְיָא, ſic enim omnes magno conſenſu profe-
runt hoc nomen.

Miniſtros Ædi] משרתים לבית *ſervientes Ædi*, ἱεροδούλους, ut non malè loquitur *Joſephus*. Cuſtodes erant Templi, cantores, janitores & adjutores Sacerdotum, in ſacris miniſteriis. Vide 1. Par. XXIII.

15. *Cùm autem manus* &c.] *Et adduxerunt nobis, ſecundùm manum Dei noſtri bonam ſuper nobis.* Quâ loquutione ſæpiùs hoc in libro Dei favor cœpta ſecundans ſignificatur.

Is-ſechelem] איש שכל quod ſignificat *virum intellectûs*, ſeu doctum, ac prudentem, ſed videtur hîc eſſe nomen proprium, quod alioquin eſſet omiſſum. Mira eſt lectio LXX. Intt. qui hîc habent ἀνὴρ σαχὶν, quod crediderim eſſe pro σαχὶλ. Vulgatus vertit *virum doctiſſimum*.

20. *Quos dederant David* &c.] Vide ad 1. Par IX, 2.

21. *Ahavam*] Vide ad vſ. 15.

Ut nos humiles præberemus] להתענות *lehithhannoth*; quod poſſit etiam verti, *ut nos adflictaremus*; hoc eſt, ut veniam peccatorum petentes, & humiles coram eo nos præbentes gratiam ejus impetraremus.

Fauſtum iter] *Rectam viam.*

22. *Inimicos*] *Inimicum.* Intelliguntur Samaritæ, Arabes aliique inimici Judæorum, qui latrociniis ſuis iis infeſti eſſe poterant; alioquin intra Imperium Perſicum iter facientibus, inſtructiſque diplomate regio nullus hoſtis occurrere poterat.

Manum Dei &c.] *Dicendo: manus Dei noſtri ſuper omnibus eum quærentibus in bonum.*

Deſerentibus adverſari] *Super omnibus relinquentibus eum.*

23. *Oravimus*] *Quæſivimus.*

25. *Oblationis elatæ*] תרומת *terumath*. Vide not. ad Exod. XXV, 2.

26. *Talenta ſexcenta* &c.] Pecuniæ hodiernæ Libras Sterlingicas, undecim florenorum, 229450. quæ magna eſt pecuniæ ſumma, quamvis ducenta talenta quæ ſequuntur non adderes.

Aurea centum talentorum] Argenteorum, ut puto, non aureorum, quorum pretium duodecies majus eſſet.

27. *Drachmarum mille*] אדרכנים אלף *adarchonim eleph*. Drachmæ Perſicæ, aut Darici iidem nummi putantur fuiſſe. Videntur דרכמונים *Darchmonim* dicti à Drachmis, & אדרכנים *Adarchonim* à Dario Hyſtaſpide. Æquabant ex calculo *Ric. Cumberlandi* circiter Sterlingicam Libram, quæ undecim florenos Batavos æquat.

Splendentes ac boni] מצהב טובה *mutſab thobah*. LXX. χαλκοῦ στίλβοντος & Vulgatus: *æris fulgentis*. Auctor 3. Eſdræ VIII, 57. ἀπὸ χρηστοῦ χαλκοῦ στίλβοντος χρυσοειδῆ. Alii *flavum* vertunt, neque hoc pugnat cum Veterum interpretatione, nam æs *flavum* rubro magis fulget. *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. VI. c. 16. putat ſignificari æs Indicum, aut Perſicum, cui aurum erat admiſtum, ut teſtatur *Ariſtoteles* de Mirabilibus, & quod apud Ezechielem Cap. I. vocatur חשמל *hhaſchmal*. Ipſum adito.

Pretioſa inſtar auri] *Deſiderata inſtar auri.* Eumdem *Bochartum* hæc illuſtrantem, ſi opus eſt, lege, addéque locis ab eo allatis hæc verba *Plinii*, initio Lib. XXXIV. *Proxima dicantur æris metalla, cui & in uſu proximum eſt pretium; imo ante argentum, ac pæne etiam ante aurum, Corinthio.*

28. *Sacri eſtis*] אתם קדש *vos ſanctitas.*

Sacra] *Sanctitas.*

29. *In Conclavibus*] In quibus theſauri ſacri adſervabantur.

31. *Inimicorum* &c.] *Inimici & inſidiatoris.*

32. *Quievimus*] *Sedimus.*

35. *Qui migraverant*] *Filii migrationis.*

cim, pro toto Iſraële, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, *&* hircos in victimas pro peccato duodecim; quæ omnia fuerunt holocauſta Jehovæ. 36. Tum dederunt edictum Regis Satrapis regiis & præfectis cis fluvium, adjuveruntque populum & Ædem Dei.

IX. Proceres Judæorum queruntur apud Eſdram de connubiis ſuorum cum aliis gentibus, quamobrem jejunat Eſdras & iram Dei deprecatur.

CAPUT X. 1. POSTQUAM hæc perfecta fuiſſent, convenerunt me proceres, his verbis: ſeparatus non manſit populus Iſraëlis, *ne exceptis quidem* Sacerdotibus & Levitis, à terrarum *vicinarum* populis, pro eorum exſecrandis factis, à Chananæis, Chitthæis, Pherizæis, Jebuſæis, Hammonitis, Moabitis, Ægyptiis & Emoræis. 2. Duxerunt enim ſibi & filiis ſuis *uxores* ex eorum filiabus, prolémque ſanctam cum terrarum populis miſcuerunt; & fuerunt quidem principes, & proceres hujuſce *à Deo* defectionis primi conſcii. 3. Cùm autem rem audivi, laceravi veſtem meam & pallium meum, cæſariem capitis mei, barbámque meam avulſi, & ſedi mœſtus. 4. Ad me verò convenerunt omnes metuentes verborum Dei Iſraëlis, propter defectionem hanc eorum, qui migraverant; at ego quidem mœſtus ad ſacrificium veſpertinum ſedi.

5. Dein *tempore* veſpertini ſacrificii, ſurrexi quidem ab humili mei projectione, veſte & pallio laceratis, ſed in genua prolapſus manus ad Jehovam Deum meum extendi, 6. &: ô Deus mi, inquam, rubore ſum perfuſus & pudet me, ô Deus mi, attollere vultum meum ad te; nam delicta noſtra ita aucta ſunt, ut caput noſtrum ſuperent, & peccata ad cœlum uſque creverint. 7. A temporibus Majorum noſtrorum, in magno delicto *verſamur*, uſque ad hunc diem. Ob peccata noſtra, traditi ſumus nos, Reges noſtri

36. *Satrapis regiis*] אחשדרפני המלך *ahhaſchdarphene hammelech*. Ex voce אחשדרפן *ahhaſchdarpan* facta eſt vox Græca Σατράπης, reſectis duabus primis gutturalibus, & mutatâ terminatione. Paulò propiùs accedunt ad Perſicam vocem, qui ἐξατράπην vocant. Miror viros doctos aliunde originem vocis deducere. In antiqua Lingua Perſica, אחש *ahhaſch* idem videtur ſignificaſſe ac in hodierna, ubi *honorem*, ac dignitatem ſonat, ut obſervavit *Lud. de Dieu* ad Eſth. I, 1; & apud Arabas דרפון *darphon* etiamnum hodie eſt *præſidium*, aut *is ad quem alius ſe recipit*, quæ ſignificatio non diſſentit à munere Satraparum, qui præſidiis provinciarum præerant.

Adjuverunt] נשאו niſſcheou, *extulerunt*. Vide ad Cap. I, 4. Hoc eſt, opibus regiis ſublevarunt populum & ſumtus in Templum faciendos ſuppeditarunt.

In CAPUT IX.

1. *SEparatus non manſit*] לא נבדלו *lo nibdelou*, non ſunt ſeparati. Vide Deut. VII, 3, 4.

Pro eorum abominandis factis] כתועבותיהם *chethohebhothehem*; hoc eſt, prout merebantur eorum mores & Idololatria. LXX. Intt. hîc habent ἐν μακρύμμασι, uſi mirâ voce, & à ſenſu loci aliena; cùm vocem alioquin optimè paſſim vertant βδελύγμασι, & pro כ legentes ב, à vocis initio. Vulg. habet *& abominationibus*, quaſi legiſſet ו pro כ.

2. *Prolémque ſanctam* &c.] *Semen ſanctitatis*.

Defectionis primi conſcii] *Manus principum — fuit in hac defectione prima*. Cùm pauci eſſent Hebræi per agros Tribuum Judæ & Benjaminis ſparſi, pluréſque ſinguli viri uxores ducerent, non mirum eſt defuiſſe illic Hebræas puellas quæ iis nuberent.

3. *Veſtem meam & pallium meum*] בגדי ומעילי *bigdi oumehili*. LXX. τὰ ἱμάτιά μου καὶ ἐπαλλόμην. Vulg. *pallium meum & tunicam*. Imò *tunicam & pallium*, nam מעיל *mehil* eſt veſtis ſuperior, ut diximus ad Exod. XXVIII, 4.

Cæſariem capitis mei] *Depilavi de coma capitis mei & barbam meam*. Quod & apud alias gentes in acri dolore fieri ſolebat, ut ad hunc locum oſtendit *H. Grotius*. Cur autem Eſdras tanto dolore ſubitò correptus fuerit facile eſt intelligere, ſi reputemus connubia cum vicinis gentibus ſontes fuiſſe Idololatriæ. Alioqui ſi Idololatriam excipias, ſanctiores aliis gentibus non erant Judæi. Sed ſi licita fuiſſent ejuſmodi connubia, brevi & mariti & liberi ad arbitrium uxorum vixiſſent.

4. *Ad ſacrificium veſpertinum*] *Ad donum veſperæ*; hoc eſt, donec holocauſtum veſpertinum mactaretur.

5. *Tempore veſpertini* &c.] *In munere veſpertino*; hoc eſt, tempore quo offerebatur. Tum ivit Eſdras in Templum, ubi preces fudit & confeſſionem peccatorum edidit, quæ mox ſequitur. Vide Cap. X, 1.

6. *Ut caput noſtrum* &c.] *Supra caput noſtrum*; hoc eſt, maxima ſunt; metaphorâ ab aqua petitâ, quæ eos ſubmergit quorum caput ſuperat. Vide Pſ. XXXVIII, 5.

7. *A temporibus*] *A diebus*.

Ob peccata noſtra] *In peccatis noſtris*.

8. *Gratia*] תחנה *thehhinnah*, quod *deprecationem* vertit Vulgatus, quæ quidem eſt vocis ſignificatio, ſed non hujus loci. Gratiam hîc ſignificat, ut Joſ. XI, 20.

Paxillum in loco ſibi ſacro] *In loco ſanctitatis ſuæ*. Paxillus eſt יתד *jethed*, quo terræ infixo utebantur ad ſtatuenda tentoria, unde factum eſt ut *figere paxillum* alicubi perinde ſit ac illic habitare. Vide Eſaiæ C. XXII, 23. Hinc & *dare paxillum* alicui ſignificat dare ei locum in quo habitet.

Ad illuſtrandos oculos noſtros] Ut *tenebræ* calamitatem ſignificant, *lux* contrà res ſecundiores deſignat. Idcirco *illuſtrare oculos* eſt meliorem

noſtri & Sacerdotes noſtri in manum Regum terrarum, in captivitatem, & prædam, ac in ruborem faciei, quemadmodum *ſumus* hodie. 8. Nunc verò, quaſi per breve momentum, fuit gratia à Jehova Deo noſtro, ad relinquendas nobis reliquias quæ evaſerunt, ut daret nobis paxillum in loco ſibi ſacro; ad illuſtrandos oculos noſtros *per* Deum noſtrum, ita ut concederet nobis aliquantulum vitæ, in ſervitute noſtra; 9. quamquam enim ſervi ſumus, in ſervitute noſtra nos non deſeruit Deus noſter, ſed effecit ut gratia aliqua nobis eſſet apud Perſarum Reges, ita ut reviviſceremus, in erigenda Æde Dei noſtri, inſtaurandiſque ejus ſolitudinibus, & dum dat nobis ſepem in Judæa & Jeroſolima. 10. Nunc autem quid poſthæc dicemus, ô Deus noſter, & cum tua præcepta reliquerimus, 11. quæ nobis dediſti per manus ſervorum tuorum Prophetarum, in hæc verba: terra, ad quam poſſidendam itis, terra eſt polluta immunditie populorum terrarum, in abominandis ſuis factis, quâ eam prorſus impleverunt, cùm eſſent impuri? 12. Nunc verò filias veſtras ne collocetis eorum filiis, neque filias eorum ſumatis filiis veſtris, neque proſperitatem eorum & commoda umquam procuretis; ut confirmemini, veſcaminique bonis terræ, & hereditatem hanc poſteris veſtris in perpetuum tranſmittatis. 13. Igitur poſt omnia quæ nobis evenerunt, pro malè noſtris factis, & magno hoc delicto noſtro, cùm tu, ô Deus noſter, continueris *iram tuam* infra delicta noſtra, conceſſeriſque ut nonnulli evaſerint, ut nunc *evaſerunt*; 14. an iterum infringeremus præcepta tua, miſceremúſque connubia cum populis, uſque adeò exſecrandis? Annon iraſcereris contra nos, donec eſſemus abſumti, nec ullæ reliquiæ eſſent, quæ evaderent? 15. O Jehova, Deus Iſraëlis, juſtus es; quandoquidem ſuperſtites ſumus, nos qui evaſimus, ut hodie *cernere eſt*; ecce nos ſumus in conſpectu tuo *parati pœnas luere*, propter peccata noſtra; neque enim propterea conſiſtere licet, coram te.

X. Pol-

rem ſortem concedere. Vide Eſa. LX, 1, 2.

Aliquantulum vitæ] *Vitam parvam*; hoc eſt, res paullò meliores, quaſi ad breve tempus è mortuis excitati fuiſſent. Sic Ezech. C. XXVII. captivitas & res adverſæ Judæorum deſcribuntur inſtar mortis, & reſtitutio in meliorem ſtatum inſtar reſurrectionis.

9. *Quamquam enim ſervi* &c.] כי *chi* hìc eſt pro *quamvis*, ut antea Cap. III, 3.

Effecit ut gratia aliqua nobis eſſet] *Inclinavit ad nos beneficentiam coram Regibus Perſidis.*

Ita ut reviviſceremus] *Ut daret nobis vitam.* Videtur Eſdras alludere ad viſionem Ezechiæ, quæ habetur Cap. XXXVII.

Inſtaurandiſque ejus ſolitudinibus] Ruderibus, nempe, paullò antea deſertis.

Sepem in Judæa] גדר *gader*; hoc eſt, locum ſepe cinctum, ut ſunt horti, prædiáque ejuſmodi alia.

11. *In abominandis ſuis factis*] בתועבותיהם *bthobebothebem*. Hìc iterum habent LXX. Intt. ἐν μακρύμμασιν, pro μιάσμασιν, aut μολύσμασι. Nihil tamen mutare auſim.

Prorſus impleverunt] *Ab ore ad os impleverunt*, hoc eſt, ab una extremitate ad alteram. Vide 2. Reg. X, 21.

12. *Proſperitatem eorum & commoda*] *Non quæretis pacem eorum & bonum eorum.* Vide ad Deut. XXII, 6.

13. *Continueris iram tuam, infra delicta noſtra* &c.] חשכת למטה מעוננו *bhaſchabbtha lmattab mehavonenou*, coërcuiſti inferiùs iniquitate noſtrâ. LXX. Intt. ἐκούφισας ἡμῶν τὰς ἀνομίας, & Vulg. *liberaſti nos de iniquitate noſtra.* Eſt quidem circiter idem ſenſus, ſed vis loquutionis Hebrææ nequaquam exprimitur. Verbum חשך *bhaſchach* eſt *continere*, *cobibere ſe*, aut eum actum de quo ſermo eſt. Sic Prov. XXI, 26. eſt *cobibere dandi actum*, & Eſa. LVIII, 1. eſt *cobibere vocem.* Itaque hoc loco, ubi ſermo eſt de ultione divina, quam Deus penitus exſequutus non eſt, intelligendum idem verbum de *cobibitione iræ*; quod optimè quadrat ſequentibus, quæ ſignificant ultionem divinam *inferiorem*, ſeu minorem fuiſſe peccatis Judæorum. Sic & Eſa. XIV, 6. populus malè habitus à tyrannis dicitur *perſequutionem paſſus* בלי חשך *ſine cobibitione*, aut moderatione pœnæ.

Ut nonnulli evaſerint] *Evaſionem.*

14. *Populis uſque adeò exſecrandis*] *Populis abominationum illarum.* LXX. Intt. hìc habent τῶν γαιῶν, quaſi pro תעבות *thobeboth* ſcriptum fuiſſet הארצות *baaratſoth*, terrarum. Sed Vulgatus, *abominationum iſtarum.*

Donec eſſemus abſumti &c.] *Ad abſumendum ut nullæ reliquiæ & evaſio.*

15. *Juſtus es*] Hoc eſt, & in iis pœnis, quas de nobis ſumſiſti, juſtus es, & in iis quas nunc ſumere poſſes; propter peccata, quibus contaminati ſumus. 3. Eſdræ VIII, 89. ἀληθινὸς εἶ. *Juſtitiam* pro veracitate ſumſit: ſed minùs commodus eſt hìc is ſignificatus.

Ecce nos ſumus in conſpectu tuo] הננו לפניך *binnenou lphanecha*; hoc eſt, hìc ſumus coram te juſtitiæ tuæ, ob peccata noſtra, obnoxii. *Dare aliquem coram aliquo* eſt interdum eum exponere ejus arbitrio, ut ſe erga eum gerat, quemadmodum libitum fuerit, ut Joſ. X, 12. & alibi non rarò. Itaque hìc *ecce nos coram te* perinde eſt ac ſi diceret Eſdras; nos habeto quemadmodum libebit, nullum eſt tum grave ſupplicium, quod meriti non ſimus. Ut hoc poſſet intelligi, addidimus, *parati pœnas luere.*

Propter peccata] באשמתינו *in delictis noſtris.* Sed ב hìc *propter* ſignificat, ut ſæpe alibi. Vide Gen. XVIII, 28. & *Noldium* ſignif. 23.

Conſiſtere licet coram te] *Nemo ad ſtandum coram te propter hoc.* Stare coram judice dicitur, qui poteſt cauſam ſuam Innocentiâ tueri, ut Pſ. CXXX, 3. *Si delicta noſtra obſerves, Jehova; Domine, quis conſiſtet?* Vide & Pſ. LXXVI, 8. Rectè 3. Eſd. VIII, 90. οὐ γάρ ἐστι στῆναι ἔτι ἔμπροσθέν σου ἐπὶ τούτοις.

Digitized by Google

X. *Pollicentur Iſraëlitæ Eſdræ ſe conjuges ſuas, ex alienigenis gentibus ductas, repudiaturos. Nomina reorum ejus delicti recitantur.*

CAPUT VI.
1. DUM autem oraret Eſdras, confireretúrque *peccata populi*, flens & proſtratus
ante Ædem Dei, convenit ad eum ingens cœtus ex Iſraële virorum, mulie-
rum & puerorum; quia populus *cum illo* multum fletum ediderat. 2. Tum ve-
rò cœpit Sechanja, Jechielis filius, ex poſteris Helami; & Eſdræ, nos, inquit, deli-
quimus in Deum noſtrum, cùm duximus domum uxores alienigenas è populis terræ;
ſed hac in re ſpes *aliqua* eſt Iſraëli. 3. Nunc feriamus fœdus cum Deo noſtro, ut di-
mittamus omnes *ejuſmodi* uxores & quod ex iis natum eſt, ex conſilio Domini, & eo-
rum qui tremunt ob præcepta Dei noſtri, & fiat ſecundùm Legem. 4. Surge, res
enim ad te *pertinet*, nos verò tibi aderimus; conſtanti animo eſto, *rémque* conficito.
5. Surrexit itaque Eſdras & ſacramento adegit principes Sacerdotum, Levitas, & uni-
verſum Iſraëlem, fore ut ſe ita gererent, & jurarunt. 6. Cùm ergo ſurrexiſſet Eſdras
è conſpectu Ædis Dei, abiit in conclave Jehochananis, Eljaſibi filii; illuc ivit, nec
comedit panem, nec aquam bibit, quia propter delictum eorum qui migraverant lugebat.
7. Tum curarunt pronunciari per Judæam, & Jeroſolimæ, apud omnes, qui migra-
rant, ut convenirent Jeroſolimam, 8. & omnium, qui intra triduum non veniſſent, ex
conſilio procerum & ſeniorum, devotum iri opes omnes, ipſos verò ſeparatum iri è
cœtu

In CAPUT X.

1. ANte *Ædem Dei*] In atrio Iſraëlis converſus ad Sacrarium. Hæc circumſtantia omiſſa eſt ſuperioris Capitis vſ. 5.

Cum illo] Hoc ſupplevimus, quia alioqui non intelligeretur cur populus ad Eſdram convenerit. Cùm ille clarâ voce Deum oraſſet, audiviſſétque populus ejus orationem, flere cum eo cœpit; ideóque plures ad eum concurrerunt, ut viderent quid hoc eſſet negotii, quo fieret ut Eſdras & alii flerent.

2. *Cum duximus domum*] ונושב vannoſcheb, *& habitare fecimus*; nempe, nobiſcum; ſeu domum duximus. Συνῳκίσαμεν, ut rectè habet 3. Eſdr. VIII, 92. Vide ad vſ. 10.

Spes aliqua eſt] Poſſe rem emendari & veniam proinde à Deo obtineri. Vocem מקוה *mikveh*, verterunt LXX. Intt. ὑπομονὴ, meliùs quàm Vulgatus, qui habet *pœnitentiam*, ex conjectura. Vide 2. Par. XXIX, 15.

3. *Feriamus fœdus* &c.] Promittamus Deo nos repudiaturos uxores alienigenas; nam fœdera hominum cum Deo, nihil ſunt, ad homines quod attinet, præter promiſſiones. Vocatur hoc factum Iſraelitarum ὁρκωμοσία 3. Eſdr. VIII, 93.

Ex conſilio Domini] בעצת אדני *bahatſath Adonai.* Hìc conſilium Eſdræ, qui auctor erat dimittendarum alienigenarum uxorum, vocatur *conſilium Domini*; quòd non ſine adflatu divino, legum divinarum obſervationem urgere videretur. LXX. Intt. verterunt: ὡς ἂν βούλῃ, ἀνάστηθι. Meliùs Vulgatus, *juxta voluntatem Domini.* Videntur Græci legiſſe כַּעֲצַת אֲדֹנָי *ſecundùm conſilium domini mei*, hoc eſt, pro conſilio tuo, ſeu ut volueris. Tum addiderunt ex ſequentibus ἀνάστηθι, ſine neceſſitate. Alioqui minimè abſurda eſt eorum lectio. Vide vſ. 8.

Qui tremunt ob præcepta] החרדים במצות *trementes in præcepto Dei noſtri.* LXX. Intt. φοβίεσον αὐτοὺς, quaſi החרדים eſſet Imperativus Hiphil.

4. *Res ad te pertinet*] עליך הדבר *ſuper te negotium*, hoc eſt, tuum eſt rem hanc curare & exſequi. Vide infra vſ. 12. & Jud. IX, 20. & ſi plura cupis exempla, ſignif. 34. hujus particulæ apud *Chr. Noldium.*

6. *Illuc ivit*] וילך שם *vajjelech ſcham.* Habent LXX. Intt. ἐπορεύθη ἐκεῖ, ſed liber Apocryphus Eſdræ, qui pleraque ex Hebraïcis hauſit, habet καὶ αὐλισθεὶς ἐκεῖ, *& cùm illic pernoctaſſet*, quaſi legiſſet וילן vajjalon, *& pernoctavit*; quod melius videri dudum obſervavimus Artis Criticæ P. 3. Sect. I. C. XVI, 41.

7. *Curarunt pronunciari*] *Fecerunt tranſire vocem.*

8. *Devotum iri omnes ejus opes*] יחרם כל רכושו *jobboram chol rechouſcho*; hoc eſt, in theſaurum ſacrum omnes ejus facultates redactum iri. LXX. ἀναθεματισθήσεται πᾶσα ἡ ὕπαρξις αὐτοῦ. Vulgatus, *auferetur omnis ſubſtantia ejus.* Vide Levit. XXVII, 21. 3. Eſdræ C. IX, 4. ἀνιερωθήσεται τὰ κτήνη αὐτῶν. Sic quoque interpretatur *Joſephus* Antiquit. Jud. Lib. XI, c. 5. ait enim οὐσίαν ἀφιερωθησομένην, *conſecrandas opes.* Vide hac de re copioſiùs agentem *Joan. Seldenum* de Synedriis Vet. Hebr. Lib. I. c. 7.

Separatum iri è cœtu &c.] Numero civium Hebræorum ampliùs non habebitur, ſed Ethnicorum loco erit. Hæc eſt excommunicatio perſonæ. LXX. Intt. διασταλήσεται ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἀποικίας. Vulgatus: *abiicietur de cœtu tranſmigrationis.* 3. Eſdræ C. IX, 4. ἀλλοτριωθήσεται ἀπὸ τοῦ πλήθους. Sic & *Joſephus* Lib. XI. cap. 5. Rem non malè expreſſeris, verſiculo Petroniano:

Exemtus populo Grajam migrabit ad urbem.

9. *In platea Ædis Dei*] Hoc in platea atrii Gentilium, neque enim ulla alia erat platea in Templo, in quam poſſet convocari univerſus populus. Vide 2. Ephem. XXIX, 4. Auctor 3. Eſdr. IX, 6. εὐρύχωρον vocat.

Cùm propter rem ipſam] Quod multi reos ſe aut ſuos eſſe ſcirent, & violatæ Legis conſcii timerent.

Tum etiam pluviarum causâ] Hibernarum, nempe, pluviarum; nam menſis noni ſive Chaſlevi vigeſimus dies ſemper in Decembrem incidit

cœtu eorum qui migraverant. [9] Convenerunt igitur omnes viri Judæ & Benjaminis
Jeroſolimam, intra triduum, (erat is menſis nonus, & vigeſimus quidem dies menſis)
conſtititque univerſus populus in platea Ædis Dei, tremens, cùm propter rem ipſam,
tum etiam pluviarum causâ. [10] Ibi Eſdras Sacerdos ſurrexit, & illis, vos, inquit,
deliquiſtis, quandoquidem alienigenas uxores duxiſtis, ita ut delictum Iſraëlis auxeri-
tis. [11] Nunc ergo edite confeſſionem *peccati* Jehovæ, Deo Majorum noſtrorum, fa-
cite ejus voluntatem & ſecedite à populis terræ & ab uxoribus alienigenis [12] Reſpon-
dit verò totus cœtus & magnâ voce, prout, inquit, dixiſti, par eſt nos facere. [13] Sed
populus eſt multus, tempeſtáſque pluviarum, nec licet foris conſiſtere, nec res eſt unius
diei aut duorum, quia in hac re multùm deliquimus. [14] Conſiſtant quæſo *hîc* proceres
noſtri, pro tota multitudine, & quiſquis in urbibus noſtris duxerit uxores alienas, ve-
niat temporibus præſtitutis, & cum iis ſeniores & judices ſingularum urbium; donec à
nobis averſa ſit excandeſcentia iræ Dei noſtri, propter hanc rem,
[15] Jonathan tantùm Haſaëlis filius, & Jachzija, Tikvæ filius, propterea conſtite-
runt, & Meſullamus quidem ac Sabbethaïs Levita eos adjuverunt. [16] Sic fecerunt er-
go qui migrarant, & electi ſunt Eſdras Sacerdos, virique *familiarum* patriarum princi-
pes, pro familiis ſuis patriis, & omnes quidem nominatim *appellati ſunt*, ſederúntque
die primo menſis decimi, ut in rem illam inquirerent; [17] abſolverúntque quod attine-
bat ad omnes viros, qui uxores alienigenas duxerant, die primo menſis primi.
[18] Deprehenſi ſunt è filiis Sacerdotum, qui duxerant uxores alienigenas, è filiis Je-
ſuæ

dit. Mirum eſt *Joſephum* hîc & alibi erraſſe in nomine Menſis, poſtquàm enim Lib. XI. c. 5. menſem nonum fuiſſe dixit, ſic pergit, ὃς κατὰ μὲν Ἑβραίοις Τέβεθος, κατὰ δὲ Μακεδόνας Ἀπελλαῖος καλεῖται, *qui ſecundùm quidem Hebræos Thebethus, ſecundum Macedonas verò Apellæus vocatur.* Nemo neſcit nonum menſem vocatum כסלו *Chaſleu.* (Vide Zachar. VII, 1.) decimum verò טבת *Tebeth.* Conſtat etiam Apellæam menſem fuiſſe autumnalem menſem, non hibernum. Sic Joan. X, 22. tempore Dedicationis, quæ 25. Chaſlevi celebrabatur, dicitur fuiſſe χειμὼν, *hiems*, aut *procella.*

[10] *Duxiſtis*] ותשיבו *feciſtis habitare*, ſcilicet, עמכם himmachem, *vobiſcum.* LXX. Intt. ἐκαθίσατε γυναῖκας, incommodè, nam ישב non tantùm *ſedere*, ſed & *habitare* ſignificat, & ſoli poſteriori ſignificationi hîc locus eſſe poteſt, ut & vſ. 2. Multò meliùs 3. Eſdr. IX, 7. συνῳκίσατε γυναιξὶν, *cohabitaſtis mulieribus*, quæ loqnutio Hebraïcæ non abſimilis eſt. Vide vſ. 2. *Lud. de Dieu* monet ad hunc locum phraſin hanc, quæ ſemel tantùm, ut ait, in Hebraica Scriptura occurrit, apud Æthiopicum Novi Teſtamenti interpretem, eſſe uſitatiſſimam; ab eadem enim radice & in eadem conjugatione Hiphil, אוסב (ſic enim Æthiopes formant Hiphil) ponit pro γαμεῖν *ducere uxorem* Matth. V, 32. XIX, 9, 10. XXII, 25. Dicere debuit eam ſignificationem exſtare tantùm in hac hiſtoria, nam & hîc ſæpiùs & apud Nehemiam bis occurrit.

Ita ut delictum &c.] להוסיף *ut adderetis ad delictum Iſraëlis.* LXX. Intt. τοῦ προσθεῖναι ἐπὶ πλημμέλειαν Ἰσραήλ. Vulgatus, *ut adderetis ſuper delictum Iſraël.* Similis loquutio eſt 2. Paralip. XXVIII, 13. Τὸ ל *ut*, intelligendum hîc ἐκβατικῶς, neque enim qui alienigenas uxores domum duxerant, ita ſe geſſerant eo animo ut augerent delicta Iſraëlitarum erga Deum, ſed ut affectibus indulgerent. Vide Num. XXXII, 14.

[11] *Confeſſionem peccati*] תנו תודה *date confeſſionem.* LXX. Intt. δότε αἴνεσιν. Meliùs Vulgatus, *date confeſſionem*, nam quamvis תודה *thodah* ſit laudatio ſeu profeſſio beneficiorum à Deo acceptorum, *confeſſionis* ſignificatio aptior eſt, ubi ſermo eſt de peccato. Verbum autem תודה *hodah* tam ſignificat fateri delicta in Deum, quàm beneficia à Deo accepta. Vide Proverb. XXVIII, 13. 3. Eſdræ IX, 8. eſt δότε ὁμολογίαν δόξαν, cùm alterutrum ſatis eſſet.

[12] *Par eſt nos facere*] עלינו לעשות *ad nos*, aut *ſuper nobis ad faciendum.* על, nimirum, hîc officium ſignificat, ut ſæpe. Vide ad vſ. 4.

[13] *Populus eſt multus*] Nimirum, qui deliquit.

Tempeſtáſque pluviarum] Hiems, ut antea jam diximus. Ὁ καιρὸς χειμερινὸς, ut rectè habet *Joſephus.*

Foris conſiſtere] *Nulla vis eſt ad ſtandum foris*; hoc eſt, ſub dio. Οὐκ ἰσχύομεν στῆναι αἴθριοι, ut bene eſt 3. Eſdræ C. IX, 11.

Multum deliquimus] *Multiplicavimus ad peccandum.* Significatur multitudo delinquentium.

[14] *Temporibus præſtitutis*] Quibus ad judicum tribunal citabitur, ut jubeatur dimittere uxorem alienigenam.

Seniores & judices ſingularum urbium] *Seniores urbis & urbis & judices ejus.* Eſt ἓν διὰ δυοῖν, nam *judices* & *ſeniores* paſſim confunduntur. Jubentur judices ſe ſiſtere Jeroſolimam, ut coram primoribus Jeroſolimitanis res tranſigeretur, teſtibus ſenioribus ſingularum urbium; ita ut aut parere plebiſcito Iſraëlis, aut pœnas dare continuò cogerentur.

[15] *Jonathan tantùm* &c.] Hîc eſt, אך *ach*, quod commodiùs verti non poſſe viſum eſt, quàm *tantùm.* Vide Gen. VII, 23. & *Noldium* ad 1. ſignificationem hujus particulæ. LXX. Intt. habent πλὴν, Vulgatus *igitur.*

[16] *Electi ſunt*] יבדלו jibbadelou, *ſeparati ſunt.*

Sederúntque] In conſilium convenerunt.

[17] *Quod attinebat ad omnes*] *In omnibus viris qui duxerant* &c. Opus ergo fuit trimeſtri ſpatio, ut cogerentur repudiare uxores ſuas alienigenæ, qui eas duxerant; aut ejicerentur cœtu Iſraëlis, ſi qui parere detrectarent.

[19] *Hi*

ſuæ Jotſadaki filii, & fratrum ejus, Mahaſeja, Elihezer, Jaribus, Gedalja. 19. Hi datâ manu *promiſerunt* ſe dimiſſuros uxores ſuas, *oblaturóſque*, cùm deliquiſſent, arietem delicti ſui causâ. 20. Item è poſteris Immeri, Chananis & Zebadja; 21. è poſteris Charimi, Mahaſeja, Elija, Semahja, Jechiel, & Huzzija; 22. è poſteris Phaſchuris, Eliohenaïs, Mahaſeja, Iſmahel, Nethaneel, Jozabadus, Elhaſa; 23. è Levitis Jozabadus, Simhis, Kelaja, (qui & Kelitha) Phethachja, Juda & Elihezer; 24. è cantoribus Eljaſibus, & è janitoribus Sallumus, Telemus & Uris. 25. Ex Iſraëlitis *fuere*, è poſteris Pharhoſi, Ramja, Jizzija, Malchija, Mijjamin, Elehazar, Malchija & Benaja. 26. E poſteris Helami, Matthanja, Zecharja, Jechiel, Habdis, Jeremothus, & Elija. 27. E poſteris Zatthui Eliohenaïs, Eljaſibus, Matthanja, Jeremothus, Zabadus, & Haziza. 28. E poſteris Bebaïs, Jochanan, Chananja, Zabbaïs, & Hathlais. 29. E poſteris Meſullami, Malluchus, Hadaja, Jaſubus, Seal, Jeramothus. 30. E poſteris Phachath-moabi Hadna, Chelal, Benaja, Mahaſeja, Matthanja, Betſaleel, Binnuïs & Manaſſes. 31. E poſteris Charimi, Elihezer, Jiſſija, Malchija, Semahja, Simhon, 32. Benjamin, Malluchus, & Semarja. 33. E poſteris Chaſumi, Matthenaïs, Matthattha, Zabadus, Elipheletus, Jeremaïs, Manaſſes, Simhis. 34. E poſteris Banis, Mahadaïs, Hamramus, Uël, 35. Benaja, Bedja, Cheluhus, 36. Vanja, Meremothus, Eljaſibus, 37. Matthanja, Matthenaïs, Jahaſaïs, 38. Banis, Binnuïs, Simhis, 39. Selemja, Nathan, Hadaja, 40. Machnadbaïs, Saſaïs, Saraïs, 41. Hazareël, Selemja, Semarja, 42. Sallumus, Amarja, & Joſephus. 43. E Nebuntinis, Jehiel, Matthithja, Zabadus, Zebina, Jaddaïs, Joël, Benaja. 44. Omnes hi duxerant uxores alienigenas, & erant *multi* ex iis *viris*, qui ex illis uxoribus ſuſceperant liberos.

19. *Hi datâ manu promiſerunt*] *Dederunt manum ſuam ſe dimiſſuros*; hoc eſt, datâ dextrâ fidem ſuam obſtrinxerunt. LXX. Intt. ἔδωκαν χεῖρα αὐτῶν τοῦ &c. Vulgatus: *dederunt manus ſuas, ut ejicerent*; hoc eſt, obſequuti ſunt imperio Judicum, nam *dare manus* eſt cedere, æquè ac promittere, ut 2. Par. XXX, 8. Sed magis arridet prior interpretatio.

Cum deliquiſſent &c.] אשׁמים איל צאן *delinquentes arietem minuti pecoris*. Additio voculæ צאן *tſon*, videtur eſſe Pleonaſmus, quales ſunt interdum in nominibus Animalium, ut פר בן בקר *juvencus filius bovis* & ſimilia.

37. *Jahaſaïs*] יעשׂי ut eſt in margine. At in Textu יעשׂו, ut legerunt LXX. Intt. qui habent καὶ ἐποίησαν, perperam. Meliùs Vulgatus, *Jabaſi*.

43. *Jeddaïs*] Legitur in margine ידי, ut apud LXX. Intt. qui habent Ἰαδαΐ. Vulgatus habet Jeddu, ut eſt in Textu ידו.

44. *Duxerant*] Sic in margine, נשׂאו *naſcheou*. At in Textu נשׂאי *nſchie*, ut participium cum ſequente voce conſtruatur. Prius meliùs. LXX. Intt. ἐλάβοσαν, Vulg. *acceperant*.

Et erant multi &c.] וישׁ מהם נשׁים וישׂימו בנים *Et erant ex iis* (viris) *mulieres, & illi poſuerant liberos*. Hæc referuntur, ſi genus pronominis & verbi ſpectes, ad viros. Sed cùm constructio non cohæreat, fortè נשׁים *mulieres* genere, ut terminatione, eſt hîc maſculinum. Fortaſſe, ut quod hæc ſcribenti in mentem incidit dicam, hinc factum eſt ut tam frequenter cum nominibus mulierum ſint conjuncta pronomina & verba maſculina, cujus rei exemplum habuimus antea Cap. II, 61. Si hæc vera ſint, conſtructio hîc commodior multò erit: *Et erant ex iis mulieres, quæ liberos pepererant*; nam וישׂימו ita interpretari poſſumus, quaſi eſſet אשׁר ישׂימו *quæ pepererant*; cùm conſtet ו ab Hebræis iis in locis frequenter collocari, ubi in aliis Linguis Pronomen Relativum adhibetur; quod multis exemplis probavit *Chr. Noldius* ad LIII. ſignificationem hujus particulæ. Addit autem Eſdras quaſdam repudiatas uxores alienigenas, quæ liberos pepererant; quia ejuſmodi uxores difficiliùs repudiabantur, quàm quæ liberis carent, ob communium liberorum caritatem.

LIBRI ESDRÆ FINIS.

LIB.

Digitized by Google

LIBER NEHEMIÆ,

SIVE

POSTERIOR ESDRÆ.

I. Nehemias, auditâ miſerâ ſorte Judæorum, jejunat & Deum orat ut animum Artaxerxis Perſarum Regis exorabilem ſibi reddat.

1. VERBA NEHEMIÆ, CHAÇHALJÆ FILII. CAPUT I.
Cùm menſe Chiſlevo, anno vigeſimo, eſſem Suſis, quæ Metropolis eſt, 2. ve-

COMMENTARIUS

In Caput I.

1. N*Ehemiæ Chachaljæ filii*] Si hic Nehemias idem eſt, qui memoratur Eſdr. II, 2. & in hoc libro Cap. VII, 7. erat hoc tempore grandævus ſenex; cùm ab anno primo Cyri ad vigeſimum Artaxerxis *Longimani* fuerint anni XCII. Primus enim Cyri annus incidit in Periodi Julianæ 4176, vigeſimus Artaxerxis in ejuſdem Periodi 4268. Itaque Nehemiam, hoc tempore, minimùm centum annos natum eſſe oportuit. Idem de Eſdra, propter eaſdem rationes, dicendum. Mirum tamen eſt tam grandævum hominem fuiſſe à poculis Regi Artaxerxi, & potuiſſe iter Suſis Jeroſolimam aggredi, & alia curare, quæ hîc habentur. Si quis exiſtimaret turbatum aliquid hîc eſſe in annis, aut in nominibus, ſibi adſentientem me haberet, quamvis quid ſit immutatum dicere nequeam.

Menſe Chiſlevo] Anni Judaïci nono, de quo vide dicta ad Eſdr. C. X, 9.

Anno vigeſimo] Nempe, Artaxerxis, ut eſt Cap. II, 1. quod nomen fortè excidit. Remotior enim eſt locus Eſdr. VII, 7. quàm ut commodè poſſit illinc repeti. Præterea eadem de ratione debuiſſet omitti C. II, 1. quod tamen factum non eſt.

Suſis] Notiſſima eſt hæc Suſianæ metropolis, in qua ſolebant olim Perſarum Reges hiemare; quamobrem hîc quoque à Nehemia Artaxerxes, menſe Chiſlevo hiberno, in ea urbe fuiſſe dicitur. *Athenæus* Lib. XII. p. 513. Ὡς καὶ οἱ βασιλεῖς ἐχείμαζον μὲν ἐν Σούσοις, ἐθέριζον δ' ἐν Ἐκβατάνοις· κληθῆναι δὲ τὰ Σοῦσά φησιν Ἀριστόβουλος καὶ Χάρης, διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου· σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον. ἐν Περσεπόλει δὲ διετρίβουν φθινόπωρον, καὶ ἐν Βαβυλῶνι τὸ λοιπὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ μέρος· *quorum Reges hiemem tranſigebat Suſis, æſtatem Ecbatanis. Vocata Suſa aiunt Ariſtobulus & Chares, propter pulcritudinem loci, nam Suſum Græcorum linguâ eſſe lilium. Perſepoli manebant autumno, Babylone reliquum anni tempus.* Norunt qui Hebraicè ſciunt שושן *ſchoſchan* eſſe *lilium*. Inde dictum unguentum Σούσινον, ut idem teſtatur Lib. XV. p. 689. quòd eſſet ἐκ κρίνων, *ex liliis*. Sic & *Dioſcorides* de Mat. Med. Lib. I. cap. 62. ait hoc unguentum à nonnullis vocatum κρίνινον *liliaceum*. Sed cùm deſcriptiones tradat ejus unguenti, in quibus liliacei nihil eſt, crediderim potius ab urbe Suſis, ubi inventum ſit, dictum. Verùm ut ad urbem redeamus, non uſque adeò conſentiunt Scriptores de tempeſtate, quâ Rex Perſarum illic commorabatur. *Xenophon* de Exped. Cyri L. III. ſub finem, ubi prolatis nominibus Suſarum & Ecbatanorum, addit: ἔνθα θερίζειν καὶ ἐαρίζειν λέγεται βασιλεύς, *ubi Rex æſtatem & ver exigere dicitur*; æſtatem, nempe, Ecbatanis, ver verò Suſis. *Plutarchus* de Exſilio Tom. 2. pag. 604. Καί τοι τούς γε Περσῶν βασιλεῖς ἐμακάριζον ἐν Βαβυλῶνι τὸν χειμῶνα διάγοντας, ἐν δὲ Μηδίᾳ τὸ θέρος, ἐν δὲ Σούσοις τὸ ἥδιστον τοῦ ἔαρος. *Attamen beatos prædicabant Perſarum Reges, quòd hiemem exigerent Babylone, in Media æſtatem, Suſis jucundiſſimam partem veris.* Prætulerim tamen id quod habet *Athenæus*, propter intolerandum æſtum qui dicitur fuiſſe Suſis, & qui ab ipſo vere incendi debuit. *Strabo* Lib. XV. p. 1063. Edit. Amſtelod. Εὐδαίμων δ' οὖσα ἡ Σουσὶς ἔκπυρον τὸν ἀέρα ἔχει καυματηρὸν καὶ μάλιστα τὸν περὶ τὴν πόλιν: *Suſiana verò, quæ dives eſt, fervidum & æſtuoſum habet aërem, præſertim circa urbem.* Quod pluribus ille perſequitur, ejúſque rei rationem hanc reddit: Αἴτιον δὲ τοῦ καύματος λέγεται τὸ ὑπερκεῖσθαι πρὸς ἄρκτον ὄρη ὑψηλὰ τὰ ἀποδεχόμενα ἅπαντας τοὺς βορείους ἀνέμους· ὑπερπετεῖς δὲ πνέοντες, ἀπὸ τῶν ἀκρωτηρίων μετέωροι, τῶν γε πεδίων οὐ προσπίπτουσιν ἀλλὰ παραλείπουσι τὰ νοτιώτερα τῆς Σουσίδος: *cauſa æſtûs dicitur, quod ad ſeptemtriones ſiti ſint montes alti, qui priùs excipiunt omnes boreales ventos. Cùm verò ſublimes ſpirent, ab excelſis promontoriis, campeſtria non attingunt, ſed prætervolant ad auſtraliores partes Suſianæ.* Hæc ſatis firma videtur ratio, cur hiemaſſe credamus Reges Perſarum Suſis, ut liquet vel ex hoc Eſdræ loco. Itaque accuratiſſimè omnium loquutus eſt *Athenæus*, nec audiendi qui contraria narrant. Vide *Barn. Briſſonium*, de Regno Perſico Lib. I. p. 49. Ed. Sylburgianæ.

Quæ metropolis eſt] הבירה *habbirah*. Servarunt vocem Hebraïcam LXX. Intt. habent enim ἀβιρὰ, Vulgatus vertit *caſtrum*. Sed Suſa magna urbs fuit, ut liquet cùm ex Eſtheræ Libro, ubi fre-

2. venit Chananis unus è fratribus meis, & viri *alii* è Judæa; quos percunctatus ſum de
Judæis, qui evaſerant, reliquique erant ex captivitate, déque Jeroſolima. 3. Dixe-
runt verò mihi: reliqui qui ſuperſunt ex captivitate, illic in provincia, in magna cala-
mitate *verſantur*, atque opprobrio. Mœnia Jeroſolimæ *etiamnum* diruta ſunt, & portæ
ejus igni combuſtæ.

4. Hæc verba cùm audiſſem, ſedi, flevi & luxi per aliquot dies; jejunavi, & Deum
cœli deprecatus ſum, 5. ac dixi: ô Jehova, Deus cœli, qui potens, magnus ac terri-
bilis es, obſerváſque fœdus & benignitatem erga eos, qui te amant & præceptorum
tuorum obſervantes ſunt; 6. attentæ, quæſo, ſint aures tuæ, & aperti oculi, ad au-
diendas preces ſervi tui, quas nunc interdiu & noctu fundo apud te, pro Iſraëlitis ſer-
vis tuis, dum peccata Iſraëlitarum, quibus in te deliquimus, confiteor; ego *enim* &
familia patris mei peccavimus. 7. Corrupti ſumus erga te, qui præcepta tua, inſtitu-
ta & jura, quæ Moſi ſervo tuo dediſti, non obſervavimus. 8. Memento, quæſo, ver-
borum, quæ *dicenda* mandaſti Moſi ſervo tuo, dicendo: vos quidem deficietis, ego
verò vos inter populos ſpargam; 9. at cùm redibitis ad me, & obſervabitis præcepta
mea, eáque facietis, ſi fueritis expulſi ad extremitatem uſque cœli, inde vos colligam
& reducam ad locum quem elegero, ut in eo nomen meum collocem. 10. Hi ſunt
ſervi tui, & populus tuus, quem potentiâ tuâ magnâ & manu validâ liberaſti. 11. Ob-
ſecro *te*, Domine, ſit, quæſo, auris tua attenta precibus ſervi tui, & precibus ſervo-
rum tuorum, qui delectantur timore nominis tui. Fac, quæſo, ut ſervus tuus hodie
proſ-

ſæpiùs memoratur & vocatur הבירה *habbirah*, tum etiam ex iis quæ Veteres de ea narrant. Sic de ea *Strabo* Lib. XV. pag. 1058. Edit. Amſtel. Μεταξὺ αὐτῆς (Περσίδος) κειμένη καὶ τῆς Βαβυλωνίας ἔχουσα πόλιν ἀξιολογωτάτην τὰ Σοῦσα. οἱ γὰρ Πέρσαι κρατήσαντες Μήδων καὶ ὁ Κῦρος ὁρῶντες τὴν μὲν οἰκείαν γῆν ἐπ' ἐσχάτοις πως τεταγμένην, τὴν δὲ Σουσίδα ἐνδοτέρω καὶ πλησιαιτέραν τῇ Βαβυλωνίᾳ, ἐν τοῖς ἄλλοις ἔθνεσιν, ἐνταῦθα ἔθεντο τὸ τῆς ἡγεμονίας βασίλειον· ἅμα καὶ τὸ ὅμορον τῆς χώρας ἀποδεξάμενοι καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς πόλεως. *Inter Perſidem ſita & Babyloniam, habens urbem memoratu digniſſimam Suſa. Perſæ enim, cùm viciſſent Medos, & Cyrus videntes ſolum ſuum in extremis ſitum, Suſianam verò interiorem eſſe & Babyloniæ propiorem, inter alias gentes, hic collocarunt regiam Imperii, probantes & viciniam tractûs & dignitatem urbis.* Hinc liquet erraſſe *Plinium* qui Lib. V. cap. 27. ait à *Dario Hyſtaſpis filio conditam.* Nec rectiùs Græci, ut poſtea *Strabo*: λέγεται γὰρ δὴ καὶ κτίσμα Τιθωνοῦ τοῦ Μέμνονος πατρός, κύκλον ἔχουσα ἑκατὸν καὶ εἴκοσι σταδίων, παραμήκης τῷ σχήματι, ἡ δὲ ἀκρόπολις ἐκαλεῖτο Μεμνόνιον. *Dicitur enim condita à Tithono, Memnonis patre, circuitum habens centum viginti ſtadiorum, longâ figurâ, arx verò vocabatur Memnonium.* Græci nomine quodam Perſico, aut Babylonico accedente ad *Memnonis* nomen audito, hinc confinxere hanc fabulam, pro more ſuo. Crediderim arcem vocatam ממון *mamon*, aut fortè voce illinc ductâ, ממנון *mamnon*. Prius autem nomen *Gazam*, aut *Theſaurum* Chaldaïcè ſignificat, eóque vocata fuerit Suſorum arx, propter theſauros, qui illic adſervabantur. Quamvis enim, tempore Cyri, Perſæ theſauros ſuos in patria ſua ſervari curarent, ut docet *Strabo*, poſtea tamen magna eorum pars Suſis adſervata fuit. *Diodorus* Lib. XVII. non procul ab initio: Εἰς δὲ τὴν Σουσιανὴν παραγενηθεὶς ἀκινδύνως παρέλαβε τὰ περιβόητα ἐν Σούσοις βασίλεια, ἑκουσίως Ἀβουλήτου τοῦ Σατράπου παραδόντος αὐτῷ τὴν πόλιν· ὡς μέν τινες γεγράφασι προστάξαντος Δαρείου τοῖς πεπιστευμένοις ὑπ' αὐτοῦ, τοῦτο γὰρ πρᾶξαι τὸν βασιλέα τῶν Περσῶν ὅπως ὁ μὲν Ἀλέξανδρος εἰς περισπασμοὺς ἀξιολόγους καὶ περιλήψεις ἐπιφανεστάτων πόλεων καὶ θησαυρῶν μεγάλων ἐμπεσὼν ἐν ἀσχολίαις ὑπάρχῃ — ὁ δ' Ἀλέξανδρος παραλαβὼν τὴν πόλιν καὶ τοὺς ἐν τοῖς βασιλείοις θησαυροὺς εὗρεν ἀσήμου χρυσοῦ καὶ ἀργύρου πλείω τῶν τετρακισμυρίων ταλάντων· ταῦτα δὲ ἐκ πολλῶν χρόνων οἱ βασιλεῖς ἄθικτα διετήρουν αὑτοῖς τὰ παράλογα τῆς τύχης ἀπολείποντες καταφυγάς. χωρὶς δὲ τούτων ὑπῆρχεν ἐνακισχίλια τάλαντα χρυσοῦ, χαρακτῆρα Δαρεικὸν ἔχοντα: *In Suſianam cùm veniſſet, ſine periculo cepit celeberrimam Suſorum regiam, poſtquam Abuletes Satrapa ſponte ſuâ ei urbem tradidiſſet; & quidem, ut nonnulli ſcripſerunt, cùm juſſiſſet Darius eos quibus urbes crediderat hoc facere, ut Alexander rebus magnis diſtractus, invadendis clariſſimis urbibus & magnis theſauris occuparetur — Alexander cùm cepiſſet urbem & theſauros, qui erant in regia, invenit auri & argenti non ſignati plura quàm quadraginta millia talentorum. Hæc verò à longo tempore Reges intacta ſervarant, ſepoſita ut haberent perfugium ad inopinatos fortunæ caſus. Præter hæc, erant novem millia talenta auri ſignata Daricorum formâ.* *Arrianus* Lib. III. habet talentûm L. M. *Strabo* Lib. XV. prodidit fuiſſe XL. M. & ut quidam ſcripſerunt L. Quæ ſanè maxima fuit pecuniæ ſumma; à qua arx Suſorum dici potuit ממון *mamon* theſaurus, aut fortè, auctâ à fine voce, ממנון *mamnon*.

2. *Chananis unus de fratribus*] E fratribus, aut conſanguineis.

Reliquique erant ex captivitate] Hoc eſt, qui ex locis, in quæ migrarant Judæi, in patriam redierant.

3. *In magna calamitate* &c.] Quia cùm aſpernarentur vicinos, illis inviſi erant, & fortè etiam parebant Præfectis alienigenis vicinorum tractuum; à quibus opprimebantur, quod Præfecti nihil ſibi, dirutis Jeroſolimæ muris, ab iis timerent.

4. *Deum cœli*] אלהי השמים *elohe haſſchamajim.* Videtur Nehemias ſtylum Chaldæorum hîc imitari, nam in hiſce libris ſæpiùs ea loquutio occurrit, etiam in Edictis Regum Perſarum. Sed Judæi aliam poteſtatem his verbis ſubjiciebant, intelligebant enim Deum unicum, qui ſolus cœlum, quaſi Regiam quamdam habitaret.

6. *Ocu-*

Digitized by Google

proſperè agat, útque miſericordiam conſequar apud hunc virum. Ego autem eram pincerna Regis.

II. Nehemias impetrat à Rege Artaxerxe, ut ſibi liceat Jeroſolimam redire, inſtauraréque ejus muros; quos, fruſtra Sanballato & aliis renitentibus, perficit.

1\. Mense autem Niſane anni vigeſimi Arthaxerxis Regis, cùm vinum ei eſſet Caput II.
appoſitum, vinum ſumſi, dedique Regi. Cùm verò non fuiſſem *antea* tri-
ſtis, coram eo, 2. tum Rex mihi, quare, inquit, triſtis eſt vultus tuus, cùm
non ſis æger? Hæc eſt tantùm animi triſtitia. Ego verò vehementer timui, 3. & dixi
Regi: ô Rex, in æternum vivas; cur non eſſet triſtis vultus meus, cùm urbs, in qua
ſunt Majorum meorum ſepulcra, deſerta ſit, & portæ ejus igne abſumtæ? 4. At Rex
mihi, quid eſt, inquit, quod petis? Ego verò, invocato Deo cœli, 5. Regi dixi: ſi
ita videatur Regi, ſique tibi non diſplicet ſervus tuus, ut me mittas in Judæam, ad
urbem ſepulcrorum Majorum meorum, eámque inſtaurem. 6. Tum mihi Rex & con-
jux ejus, quæ juxta illum ſedebat, quouſque, inquiunt, eſſet iter tuum, & quando
redires? Viſum ergo eſt Regi me dimittere, & certum tempus *reditûs mei* ei præſtitui.
7\. Poſtea dixi Regi: ſi ita Regi videatur, dentur mihi litteræ, ad præfectos, qui ſunt
trans

6\. *Oculi aperti*] Videtur Nehemias in animo habuiſſe addere aliquid ad quod verba hæc referrentur, quale eſſet: *ad videndam miſeriam populi tui*, לראות עני עמך; ſed poſtea, ardore orationis abreptus, nihil addidit. Alioqui ſatis fuiſſet dicere: *attentæ ſint aures tuæ.*

7\. *Corrupti ſumus*] חבל חבלנו *hhabol hhabalnou*, corrumpendo corrupti ſumus. LXX. Intt. Διαλύσει διελύσαμεν πρὸς σε. Vulgatus: *vanitate ſeducti ſumus*, quaſi legiſſet הבל *habol* per He. Radix hæc, apud Chaldæos & Arabas, à corporis ad animi depravationem eſt tranſlata.

8\. *Quæ dicenda mandaſti*] Deuter. IV, 27. XXX, 2. & ſeqq.

9\. *Si fueritis expulſi*] *Si fuerit expulſio veſtra.*

11\. *Timore nominis tui*] Timore tui, nam *nomen Dei* pro Deo ſumitur.

In Caput II.

1\. *Mense autem Niſane anni*] Hoc eſt, anno vigeſimo Artaxerxis, & quidem menſe primo anni ſacri Judaïci. Is fuit annus Periodi Julianæ 4268. ante Chriſtum 446, & 92. poſt ſolutionem captivitatis, anno primo Cyri, ut diximus ad Cap. I, 1. Itaque pincernam hunc Darii, qui jam in Judæam redierat primo Cyri anno, centeſimum annum minimùm his temporibus attigerat, ſi nihil peccatum eſt hîc in numeris.

Triſtis coram eo] רע לפנו *rah lphanau*, malus coram eo. LXX. Intt. ὄντος σκυθρωποῦ αὐτοῦ, hoc eſt, *mutato vultu*, ac proinde triſti, nam læto vultu antea fuerat. Vulgatus, *quaſi languidus.* Triſtitia ſignificatur, ut ſequentia verba oſtendunt. Sic in linguis aliquot hodiernis, *malus vultus* eſt ex morbo triſtior, aut immutati coloris.

2\. *Triſtis eſt tuus vultus*] *Malus.*

Hæc eſt tantùm animi triſtitia] *Hoc niſi malum cordis.* LXX. Intt. πονηρία vertunt, & Vulgatus, *malum neſcio quid*, quaſi ad animi vitium reſpiceretur.

Vehementer timui] Quia neſciebat quo animo Rex eſſet loquutus, ſive eſſet ipſe à Rege quod cupiebat impetraturus.

3\. *O Rex in æternum vivas*] *Rex in æternum vivat*, longa ſit ejus vita. Sic Reges in Oriente alloqui ſolebant. Vide Dan. II, 10. III, 9. V, 10. VI, 6. Sic, apud *Ælianum* Var. Lect. Lib. I. cap. 32. Perſa *Artaxerxem* Mnemonem alloquitur: βασιλεῦ Ἀρτοξέρξη, δι' αἰῶνος βασιλεύοις: *Rex Artaxerxes, in æternum regnes*; prout vir diligentiſſimus *Barn. Briſſonius* dudum obſervarat Lib. I. de Regno Perſico.

In qua ſunt Majorum meorum ſepulcra] *Domus ſepulcrorum patrum meorum.* Veteres Hebræi, non ſecus ac alii populi, ſepulcra rem venerandam ac religioſam eſſe putabant; ac proinde quiſque Majorum ſuorum ſepulcra ſarta tecta conſervare ſui eſſe officii putabat. Imò verò monumenta antiquiorum Prophetarum inſtaurabant & ornabant. Vide Matth. XXIII, 29. Solebant & apud alias gentes ſepiri, ne facilè violarentur, néve pecudes circa ea paſcerent, qua de re vide *Joan. Kirchmannum* de Funer. Rom. Lib. III. cap. 17. & ſeqq. & alios, qui de funeribus ſcripſerunt. Itaque dolebat Nehemias quòd dirutis Jeroſolimæ mœnibus, & in miſeria ac contemtu jacentibus Judæis, poterant vicini populi impune violare monumenta Regum Judæ & aliorum, ſi quæ erant, intra ambitum veterum Jeroſolimæ murorum, quorum nihil ſupererat præter rudera.

4\. *Invocato Deo cœli*] *Et invocavi Deum cœli & dixi.* Tacitus, nempe, apud animum ſuum invocavit Deum, ut exorabilem ſibi faceret Perſarum Regem.

5\. *Si ita videatur* &c.] *Si apud Regem bonum, ſique bene erit ſervus tuus coram te.*

6\. *Conjux ejus*] Si ſit legitima uxor, vocabatur דמספיא *Damaſpia*, ſic enim vocat uxorem Artaxerxis *Cteſias*, apud *Photium*.

Viſum eſt ergo Regi] *Et bonum fuit coram Rege & miſit me* &c.

Certum tempus &c.] *Dedi ei tempus certum.* Vix hæc in grandævum ſenem cadunt, qui in dies mortem exſpectare debuit. Quare, ut dixi, Chronologiæ huic longa dies labem aliquam attulit.

trans flumen, ut me patiantur tranſire, donec in Judæam pervenero. 8. *Detur* etiam
mihi Epiſtola ad Aſaphum cuſtodem paradiſi regii, ut mihi det ligna ad contignandas
valvas palatii Ædis, muróque urbis & domui, in quam ingreſſurus ſum. Hæc conceſſit
mihi Rex, prout manus Dei mei mihi propitia incumbebat.

9. Veni ergo ad præfectos, *qui ſunt* cis fluvium, tradidique eis litteras Regis. Rex
autem mecum duces copiarum & equites miſerat. 10. Audiverunt verò *rem* Sanballa-
tus Choronæus & Tobija ſervus Hammonita; eiſque ſummopere diſplicuit, quòd ve-
niſſet qui Iſraëlitarum commoda quæreret. 11. Cùm veniſſem Jeroſolimam, illic per
tres dies fui, 12. tum de nocte ſurrexi, erántque pauci mecum, neque cuiquam ape-
rueram quid animo meo Deus injeciſſet, ut *id* Jeroſolimæ facerem. Nullum jumentum
erat mecum, præter id quo ipſe vehebar. 13. Egreſſus ſum autem noctu, per portam
Vallis, ac è regione fontis Draconis, & progreſſus ſum Sterquilinii portam verſûs,
conſideravique Jeroſolimæ muros perruptos, & portas quæ igne erant abſumtæ. 14. Il-
linc tranſivi ad portam Fontis & ad piſcinam regiam, nec locus erat quo jumentum
tranſiret. 15. Inde adſcendi pet vallem noctu, conſideravique murum, ac reverſus in-
greſſus ſum per portam Vallis, & *ſic* redii.

16. Neſciebant autem ſummates quò iviſſem, nec quid agerem; nec dum Judæis,
Sacetdotibus, proceribus ac ſummatibus ceteriſve, qui operi *poſtea* incubuerunt, in-
dicaram. 17. Sed eis dixi: videtis calamitatem, in qua verſamur, Jeroſolimámque
eſſe deſertam & portas ejus igne abſumtas. Agite ergo, inſtauremus murum Jeroſoli-
mæ,

7. *Ut me patiantur tranſire*] יעבירוני *jababirouni*. Sunt litteræ commeatûs, ſine quibus Præfecti Perſarum eum quaſi fugitivum, aut rebellem in carcerem potuiſſent compingere.

8. *Paradiſi Regii*] הפרדס *happhardes*. LXX. Intt. τȣ̃ παραδείσου. Vulgatus rectè *ſaltûs regii*; vox enim Perſica ſilvam ſignificat, in qua feræ ſervabantur, quod variis locis docet *Xenophon* & ex illo alii, quorum omnium loca diligenter collegit *Barn. Briſſonius* de Regno Perſico Lib. I. p. 53. Ed. Sylburg. Sanè non niſi ex ſilva deſumi poterant ligna ædificiis apta. Erat ergo tractus quiſpiam terrarum in Judæa, qui *Paradiſus Regius* dicebatur, in quo ligna cædere non licuit, niſi Regis permiſſu.

Et muro urbis] Cui videtur admiſtum lignum, ut in muro Ædis, de quo diximus ad Eſdræ C. VI, 4

Domui &c.] In novis Ædibus habitare cupiebat.

Prout manus Dei mei] Vide ad Eſdr. VII, 6.

9. *Duces copiarum & equites*] Propter latrocinia, quæ in iis locis parum cultis frequentia erant.

10. *Sanballatus Choronæus*] סנבלט החרני *Sanballat habhoroni*. Civis urbis חרנים *Hhoronajim* in Moabitide, de qua Eſai. XV, 5. & Jerem. XLVIII, 3. Non eſt autem hic Sanballatus miſcendus, ut fecit *Joſ. Scaliger*, qui & alios in ſententiam ſuam traxit, cum Sanballato qui vixit ſub Dario & Alexandro; quod rectè oſtendit *Dionyſ. Petavius* de Doctr. Temp. Lib. XII, cap. 25. Credibile eſt fuiſſe duos Sanaballatos, quorum unus Nehemiæ & Artaxerxis *Longimani*; alter verò Darii *Codomani* & Alexandri ætate vixit. Quos ambos perperam miſcuit *Joſephus*, & quod prioris erat poſteriori tribuit; nimirum, adfinitatem cum Pontificia familia; ni fortè bis cum Samaritis adfinitatem junxiſſe Pontificiam illam domum putemus; primùm Nehemiæ & Artaxerxis *Longimani* tempore, quempiam ex filiis Jojadæ Sanaballati filiam duxiſſe, ob idque à Nehemia rejectum eſſe; poſtea verò Manaſſen, Jadduæ fratrem, Sanaballati minoris & prioris nepotis filiam itidem in matrimonio habuiſſe. Hæc eſt ſententia *Petavii*, quæ multò vero ſimilior eſt, eorum opinione, qui Sanaballati hujus vitam ad tempora Alexandri producunt, inter quæ & hæc pluſquàm ſæculum effluxit.

Servus Hammonita] Videtur fuiſſe ſervus manumiſſus, qui poſtea ad honores pervenit.

10. *Summopere diſplicuit*] *Et malum fuit illis malo magno.*

Qui Iſraëlitarum commoda quæreret] *Ad quærendum bonum filiis Iſraël.*

11. *Per tres dies fui*] Quibus quieſceret, antequàm quidquam moliretur.

13. *Portam Vallis*] Porta fuit ad occidentem Jeroſolimæ meridiem verſùs. Vide 2. Paralip. XXVI, 9. & Tabulam Lightfootianam Chorographiæ Matthæo præmiſſæ inſertam.

Fontis Draconis] Pingitur à *Lightfootio Porta Vallis* è regione *fontis Siloam*, quem tamen hoc nomine vocatum nuſquam legimus. Nec tamen nobis aliunde conſtat ubi ſitus fuerit *fons draconis* עין התנין *hen hatthanin*. Si alius fons fuit, vergebat ad ſeptemtrionem, nam eam partem verſus equitavit Nehemias. LXX. Intt. habent πηγῆς συκῶν, quaſi eſſet תאנין *theenin*, ficus. Vulgatus *fontem Draconis*.

Sterquilinii portam &c.] שער האשפות *ſchahar haaſchphoth*. Vide Cap. III, 13, 14. LXX. πύλην κοπρίας verterunt Vulgatus, *portam ſtercoris*.

Jeroſolimæ muros perruptos] אשר הם פרוצים. Sic eſt in textu, ſed in margine ם mutatur in מ, ut ſint duo vocabula. Attamen ſcribi potuit uno המפרצים in Puhal, hoc eſt, qui ut perrumperentur curatum fuerat. LXX. Intt. ἃ αὐτοὶ καθαιροῦσιν, unde liquet ſejunctim legiſſe, quamvis incommodè verterint. Vulgatus, *murum Jeruſalem diſſipatum*.

14. *Ad portam fontis* &c.] Progrediendo ſeptemtrionem verſùs.

Quo jumentum tranſiret] *Ad tranſeundum ſub me.* Propter rudera muri congeſta, non potuit Nehemias ulterius progredi.

15. *Adſcendi per vallem*] בנחל *bannahhal*. LXX. Intt. habent ἐν τῷ τείχει χειμάῤῥου. Vulgatus,

mæ, neque ampliùs opprobrio ſimus. 18. Tum indicavi iis manum Dei mei propitiam
mihi incumbere, & verba quæ mihi Rex dixerat. Illi verò, agite, inquiunt, inſtaure-
mus; confirmarúntque manus ſuas, ad rectè faciendum. 19. *Hæc* acceperunt Sanballa-
tus Choronæus, Tobija ſervus Hammonita, & Geſemus Arabs, ſubſannaverúntque
nos & contemſerunt, ac, quid hoc eſt, inquiunt, quod facitis? An in Regem rebel-
latis? 20. Iis verò reſpondi & dixi: Deus cœli *cœpta hæc* nobis ſecundabit, & nos
quidem ſervi ejus ſurgemus, & inſtaurabimus *murum;* at vobis nulla pars eſt, nullum
jus, nulláque memoria Jeroſolimæ.

III. Judæi, invitis inimicis, Jeroſolimæ muros ædificant.

1. Surrexere autem Eljaſibus, Sacerdos magnus, ejúſque fratres, inſtaurarúnt- Caput III.
que portam Ovium, & eam conſecrarunt. Adpoſuerunt ejus valvas, & uſque
ad turrim Meam conſecrarunt, ad turrim uſque Chananeelis, 2. Juxta eum inſ-
taurarunt viri Jerichuntini, & Zacchur Imris filius.
3. Portam Piſcium inſtaurarunt poſteri Haſnaæ, contignarúntque eam, & val-
vas ejus, ſeras ac vectes adpoſuerunt. 4. Juxta eos inſtauravit, Meremothus, fi-
lius Urijæ, filii Hakkotſi; Meſullamus, filius Berechjæ, Meſezabeelis filii; & Tſa-
dokus, Bahanæ filius. 5. Secundùm hos inſtaurarunt Thekohitæ, quamquam
il-

tus, *per torrentem.* Sed quia non erat eâ parte urbis ullus torrens, vertimus *vallem*, quæ eſt altera vocis ſignificatio. Ac ſanè una portarum, in hanc partem verſarum, vocabatur שער הגיא *ſchahar hagge*, porta vallis.

Conſideravique] Sublustrem noctem eſſe oportuit.

16. *Summates*] סגנים *ſganim.* LXX. Intt. οἱ φυλάσσοντες, quaſi eſſet שמרים *ſchomerim*, aut potiùs ex conjectura. Vulgatus, *magiſtratus.* Ex Chaldaica Lingua vox eſt petita, ſignificatque *ſummates*, aut *optimates.* Fortè deducenda à radice ejuſdem Linguæ סגא *ſga*, multiplicavir, auxit, ut רבן *rabban* à רבה aut רבב *multus fuit.*

Qui operi poſtea incubuerunt] ליתר עשה המלאכה, *ljether hoſche hammelachah* reliquiis facientibus opus. Supplevi poſtea אחריכם *abbarechem*, quia manifeſtum eſt hîc agi de iis, qui poſtea operi inſtaurandi muri incubuerunt.

17. *Opprobrio ſimus*] *Opprobrium.* Ridebantur enim Judæi, rudera Jeroſolimæ habitantes.

18. *Manum Dei mei* &c.] Hoc eſt, me, non ſine ſingulari auxilio divino, hæc aggredi, quandoquidem Deus animum Regis ita mihi conciliarat, ut petenti illico Jeroſolimæ inſtaurationem conceſſiſſet.

Agite] *Surgamus*, נקום *nakoum.* In ſuperioribus verbis vertimus *agite*, לכו *lchou* ite, quod idem prorſus ſonat.

Confirmarúntque manus ſuas &c.] *Corroborarunt manus ſuas ad bonum*; hoc eſt, animos ſuos confirmarunt ad opus aggrediendum. Contrà *languidas manus reddere*, eſt facere ut quis animum deſpondeat, Eſdr. IV, 4.

19. *Sanballatus*] Vide ad vſ. 10.

Geſemus Arabs] גשם הערבי *geſchem hâarbi.* Græci, Γησὰμ ὁ Ἀραβί, Vulg. *Goſem Arabs.* Oportuit eſſe præfectum Perſarum, qui præerat tractui cuipiam ad occaſum Euphratis, in Judææ vicinia. Alioqui nullo jure, aut more potuiſſet in id quod fiebat à Judæis inquirere.

20. *Nullum jus, nulláque memoria*] *Et juſtitia & memoria* &c. Nihil eſt Jeroſolimæ, quod vobis jure vindicare poſſitis, nihil quod memoriam veſtri illi conſervet; ut fieret, ſi conſanguineos illic haberetis.

In Caput III.

1. *Eljaſibus*] Joachimi filius, Jeſuæ nepos.

Portam ovium] שער הצאן *ſchahar hatſon*, portam minorum pecudum. Fuit hæc porta, in latere meridiano Urbis, orientem verſùs. Sic dicta eſt, quòd ad eam eſſet forum minorum pecudum. Προβατικὴ Græcè dicitur.

Turrim Meam] המאה *hammeah.* LXX. Intt. habent πύργου τῶν ἑκατόν. Vulgatus *turrim centum.* Nomen ipſum ſervavimus, quia non conſtat unde ſit ita dicta.

Conſecrarunt] קדשוהו *kiddeſchouhou.* Idem videtur eſſe ac *dedicarunt*; hoc eſt, eo ædificato effecerunt, ut in ea parte, ipſorum operâ muro iterum tecta eſſet Jeroſolima. Fortè & preces quaſdam adhibuerunt, quibus ſacrarunt Deo, cui ſacra erat tota Jeroſolima, propter Templum.

Chananeëlis] Progrediendo ab ortu in occidentem, ſecundùm meridianum urbis latus.

2. *Et Zacchur*] ועל ידו *& ad latus ejus inſtauravit Zacchur.* Sed Latinè loquenti repetitione nihil opus erat.

3. *Portam piſcium*] LXX. Intt. τὴν πύλην τὴν ἰχθυηράν. In eodem latere meridiano. Mentio ejus fit Soph. I, 10. Sic dicta creditur, quòd illâ piſces in urbem inferrentur, aut quòd ad eam eſſet forum piſcarium.

Contignarunt] קרוהו *krouhou.* LXX. ἐστέγασαν, Vulgatus, *texerunt.* Hoc eſt, tignis limina ejus ſtatuerunt, & fortè etiam, tectum ad eum locum fecerunt; ut in umbra illic ſedere liceret, ac pluviam vitare. Solebant enim Senes ad portam convenire, atque illic judicia exercere. Vide Ruthæ Cap. IV, 1, 2.

Meſullamus] *Et ad latus eorum inſtauravit Meſullam* &c. Quod iterum ante nomen Tſadoki repetitur.

5. *Thekohitæ*] תקוע *Thekoha* urbs fuit Tribûs Judæ. Vide 2. Sam. XIV, 2.

illuſtres eorum viri non ſubjecerunt collum ſuum, ut Domini ſui opus facerent.

6. Portam Veterem inſtaurarunt Jojada, Phaſeachi filius, & Meſullamus, Beſodjæ filius; qui eam contignarunt, valváſque, ſeras, ac vectes ejus adpoſuerunt. 7. Juxta eos inſtauravit Malathja Gabahonita & Jadon Meronothita, Gabahonitæ & Mitſphenſes, ad tribunal præfecti cis fluvium *pertinentes*. 8. Secundùm eum inſtauravit Huzziel, Charhojæ filius, *&* conflatores; deinceps verò inſtauravit Chananja, unguentarius, & clauſerunt Jeroſolimam ad latum uſque murum. 9. Juxta eos inſtauravit Rephaja, Churis filius, princeps dimidiæ regionis Jeroſolimæ. 10. Secundùm eum inſtauravit Jedaja, Charumaphi filius, atque è regione domûs ſuæ; & juxta eum inſtauravit Chattuſus, Chaſabnejæ filius. 11. Menſuram ſecundam inſtauravit Malchija, Charimi filius, & Chaſubus Phachath-moabi filius, ut & turrim Furnorum. 12. Prope eum inſtauravit Sallumus, Hallocheſt filius; is princeps fuit dimidiæ regionis Jeroſolimæ, unà cum filiabus ſuis.

13. Portam Vallis inſtaurarunt Chanun & Zanoachenſes. Hi ædificarunt eam, valváſque ejus, ſeras & vectes adpoſuerunt, & mille cubitos in muro *inſtaurarunt*, ad portam uſque Sterquilinii.

14. Por-

Illuſtres viri] אדיריהם *addirehem*. LXX. Intt. ἀδωρὶμ, Vulgatus, *optimates*. Meliùs. Videntur ſibi metuiſſe, nec fidem Nehemiæ prorſus habuiſſe.

Non ſubjecerunt &c.] *Non adduxerunt collum ſuum in ſervitutem Domini ſui*; hoc eſt, Dei. Vocem omiſerunt LXX. Intt. qui habent εἰς δουλείαν αὐτῶν.

6. *Portam Veterem*] שער הישנה LXX. Intt. Ἰασαναὶ in Cod. Romano. Meliùs Αἰσανὰ, in Alexandrino. Vox Hebræa *veterem* ſignificat, ut habet Vulgatus. Fuit hæc quoque Porta in meridiano muro, & quidem magis ad Occidentem. Fortè hæc ipſa eſt Porta, quam *Joſephus* vocat τὴν Ἐσσηνῶν πύλην, in deſcriptione Jeroſolimæ, quæ eſt Lib. VI. c. 13. Belli Judaici. Vocem ignotam τοῦ Αἰσανὰ facilè potuerunt mutare Librarii in τῶν Ἐσσηνῶν; quòd non infrequens mentio ſit Eſſenorum, apud *Joſephum*.

Appoſuerunt] יעמידו jahamidou, *ſtare fecerunt*; hoc eſt, appoſuerunt ita ut omnia ſuo loco eſſent.

7. *Meronothita*] Vide 1. Paralip. XXVII, 30.

Ad tribunal Præfecti] Præfecti, nempe, Judæorum. Videtur deſignari *Mitſpha*, quæ fuit in Tribu Judæ, aut Benjaminis, vel in utrinſque confinio. Vide Joſ. XV, 38. XVIII, 26. Nam aliæ fuerunt ad Ortum Jordanis, quibus jus non dicebat Præfectus Judæorum. Hujus mentio fit 1. Machabaicorum III, 46. & alibi.

8. *Et conflatores*] צורפים *tſorephim*. LXX. habent πυρωτῶν, ac ſanè vox Hebraïca eos ſignificat qui igne metalla conflant. Vulgatus, *aurifex*, quaſi legiſſet in ſingulari צורף *tſoreph*, aut putarit interpretandam hanc vocem, quaſi ſcriptum eſſet מצורפים *è conflatoribus*.

Unguentarius] בן הרקחים ben harakahhim, *filius unguentariorum*. Nomen proprium eſſe putarunt Græci, qui habent υἱὸς Ῥωκεὶμ, Vulgatus *filium pigmentarii* vertit. Eſt Hebraïſmus notus, ex quo *filius unguentariorum* dicitur unguentarius.

Clauſerunt Jeroſolimam &c.] יעזבו *jahazebou*, LXX. Intt. κατέλιπον, Vulgatus *dimiſerunt*. Sequutus ſum ſententiam *Davidis Kimchii* & aliorum Rabbinorum, qui verbo עזב ſignificationem *claudendi* hîc tribuunt. Certè res ipſa clamat vocem hîc adhibitam à Scriptore Sacro ſignificare hoc debere, aut ſimile quidpiam. Sed cùm verbum hoc conſtanter ſignificet *relinquere*, ſuſpicor pro יעזבו hîc legendum עזו hazzou, *munierunt*, aut עצרו haſſerou, *clauſerunt*, aut עזקו hazzekou, *cinxerunt*, ut Eſai. V, 2. & poſtremum quidem malim, propter conſuetudinem Librariorum vocem rariorem mutantium in aliam communiorem.

Alii vertunt: *reliquerunt Jeroſolimam ad murum latum*; quaſi eâ parte ſatis munita fuiſſet urbs, muro illic minimè dejecto. Verùm aliter rem expreſſiſſet Nehemias, ſi aliud nihil voluiſſet.

Ad latum murum] Ad locum, in quo olim latus murus ſteterat. Vide XII, 38.

9. *Princeps dimidiæ* &c.] שר חצי פלך *ſchar hhatſi phelech*; quod poteſt ſignificare præfecturam in urbe, aut in agro Jeroſolimitano. Latinus habet: *princeps vici Jeruſalem* & Græci, ἄρχων ἡμίσους περιχώρου Ἱερουσαλήμ. Crediderim ſignificari hominem, qui alterius partis urbis fuerit princeps, ſeu vir primarius, ut & vſ. 12. Cùm פלך Arabicè *Sphæram* ſignificet, apud Hebræos ambitum ſignificare facilè potuit.

11. *Menſuram ſecundam*] מדה שנית *middah ſchenith*. LXX. Intt. δεύτερος ἐκράτησεν. Vulgatus, *dimidiam partem vici*. Quid ſignificetur nemo dixerit, quia *menſuræ primæ* nulla diſerta mentio antea facta eſt. Vid. ad vſ. 26. In hac regione muri, pingit *Joan. Lightfootius* Portam Ephraïmi, Murum Latum, & Portam Anguli; à quo latus occidentale incipit. Tum ſequitur *Turris Furnorum*, aut, ut eam vocat *Fornacaria*.

12. *Princeps dimidiæ regionis*] שר חצי פלך *ſchar hhatſi phelech*. Vide ad vſ. 9.

13. *Portam Vallis*] De qua Cap. II, 13.

Sterquilinii] השפות pro האשפות *haaſchphoth*, ut ſcribitur antea & in ſequentibus verbis. De ea Cap. II, 13.

14. *Regionis Beth-cheremenſis.*] פלך בית הכרם *phelech beth-haccharem*. LXX. Intt. ἄρχων περιχώρου Βηθαχχαρείμ. & Vulgatus, *princeps vici Bethacharam*. Meminit hujus loci Jeremias Cap. VI, 1. quaſi vicini Thekuæ & Jeroſolimæ; ad quæ verba ſic *Hieronymus*: *Jeruſalem in Tribu Benjamin ſitam nullus ignorat. Thecuam quoque viculum eſſe in monte ſitum, & duodecim millibus ab Jeroſolymis ſeparatum, quotidie oculis cernimus. Inter hos alius vicus eſt, qui linguâ Syrâ*

&

14. Portam verò Sterquilinii inſtauravit Malchija, è poſteris Rechabi. Is princeps
erat regionis Beth-cheremenſis, eámque ædificavit, & valvas ejus, ſeras & poſtes ad-
poſuit.
15. Portam Fontis inſtauravit Sallun, Chol-chozæ filius, princeps regionis Mitſphen-
ſis. Is ædificavit ac texit eam, valvas, ſeras & vectes ejus adpoſuit, & præterea mu-
rum piſcinæ Selachi, ad hortum regium, uſque ad gradus deſcendentes ex urbe Da-
vidis.
16. Poſt eum inſtauravit Nehemias Hazbuki filius, princeps dimidiæ regionis
Beth-tſurenſis, uſque *ad locum qui eſt* e regione ſepulcrorum Davidis, ad piſcinam fac-
tam, domúmque fortium virorum.
17. Poſt eum inſtaurarunt Levitæ, Rechumus,
Banis filius, & juxta eum Chaſabja, princeps dimidiæ regionis Kehilæ, pro regione
ſua.
18. Poſt eum inſtaurarunt fratres eorum Bavaïs, Chenadadi filius, princeps di-
midiæ regionis Kehilæ.
19. Inſtauravit juxta eum Hezer, Jeſuæ filius, princeps Mitſ-
phæ, ſecundam menſuram, è regione clivi armamentarii anguli.
20. Poſt eum exarſit
Barukus, Zabbaïs filius, *&* inſtauravit ſecundam menſuram, ab angulo, ad oſtium
domûs Eljaſibi Sacerdotis Magni.
21. Poſt eum inſtauravit Meremothus, filius Urijæ,
filii Hakkotſi, menſuram ſecundam ab oſtio domus Eljaſibi, uſque ad ejus finem.
22. Poſt

& Hebraicâ Bethacharma *nominatur & ipſe in monte poſitus.* פלך poteſt hic ſignificare tractum, vel ambitum agrorum ad eum vicum pertinentium.

15. *Portam Fontis*] De qua Cap. II, 14. Pergit Nehemias à meridie in ſeptemtriones, per occidentale latus urbis.

Regionis Mitſphenſis] פלך המצפה *phelech hammitſphah. Mitſpha* intelligitur, de qua diximus ad vſ. 7. & quæ vicina Jeroſolimæ fuit. LXX. hîc habent τοῦ μέρους τῆς Μασφὰ, & fortè legerunt פלג *pheleg*, quæ vox *diviſionem* ſonat. Vulgatus *pagum*.

Texit eam] יטללנו *jetalelennou*. Hoc ipſum eſt quod exprimitur antea verbo קרוהו krouhou, *contignarunt* vſ. 3.

Adpoſuit] Eſt in textu יעמידו *jabamidou*, ſed in lectione marginis ultima littera meritò reſecatur. LXX. Intt. ᾠκοδόμησαν, Vulgatus, *ædificavit*.

Murum piſcinæ Selachi] Hoc eſt, murum urbis, è regione piſcinæ Selachi. LXX. Intt. κολυμβήθρας τῶν κωδίων, *pellium villoſarum*. Vulg. *piſcinam Siloë*.

Ad hortum regium] Ubi fuerat hortus Regum; ad occaſum, nimirum, urbis Davidis extra Jeroſolimæ mœnia.

16. *Beth-tſurenſis*] Fuerunt duo oppida, quæ בית צור *Beth-tſour*, domus rupis dicebantur, eáque intra fines Tribûs Judæ, ut ex *Euſebio* & *Hieronymo* intelligere licet. Sed fuit & tertium oppidum, ab iis non memoratum, ejuſdem nominis, munitiſſimum & quod quinque tantùm ſtadiis Jeroſolimâ diſtabat, ut liquet ex 2. Macch. XI, 5. Vide *Jac. Bonfrerium* in Onomaſtico. Poſtremum ſignificari crediderim. Illi enim potiſſimùm Jeroſolimæ mœnia inſtaurarunt, quorum Majores in ea urbe, aut in ejus agro habitarant.

Sepulcrorum Davidis] Hoc eſt, ſepulcri Davidis & aliorum Regum, quæ in urbe Davidis erant, & quidem, ut hinc colligere licet, in clivo occidentali collis.

Ad piſcinam factam] הברכה העשויה *habberechah habaſſchoujah*. LXX. Intt. τῆς γεγονυίας, ſed Vulgatus, *quæ grandi opere conſtructa eſt*. Ut ſenſum hunc poſteriorem non elicio ex Hebraica voce: ſic fateor me non ſatis intelligere quid ſibi velit Nehemias; niſi fortè *Piſcina Selach*, de qua antea, nativa eſſet Piſcina, hæc verò arte humanâ facta.

Domúmque fortium] בית הגברים *beth haggibborim*. Fortè locus fuit, in quo Reges præſidium virorum fortium collocarant, ad radices collis Urbis Davidis, ut præſto ſibi eſſent, ſi quid repentinum contingeret.

17. *Regionis Kehilæ pro regione ſua*] פלך קעילה לפלכו *phelech Kehilah lphilcho*. LXX. περιχώρου Κειλὰ τῇ περιχώρῳ αὐτοῦ. Vulgatus, *vici Ceilæ, in vico ſuo*. Urbs tribûs Judæ nota ex 2. Sam. XXIII, 1.

19. *Princeps Mitſphæ*] Unà cum Sallune, de quo vſ. 15.

Clivi armamentarii] עלות הנשק *haloth hanneſchek*, adſcenſuum armaturæ. LXX. Intt. ἀναβάσεως τῆς συναπτούσης τῆς γωνίας. Vulgatus, *adcenſûs firmiſſimi anguli*. Sed נשק neſchek *armaturam* ſignificat, non συνάπτουσαν, aut *firmiſſimum*. Attamen, ne quid diſſimulem, Armamentarium בית הנשק *beth hanneſchek*, domus armorum Hebraicè dici debuiſſe videtur, potiùs quam הנשק *hanneſchek* ſimpliciter, & eſt ſanè בית *beth* ſubaudiendum.

20. *Exarſit*] החרה *hehherah*, quod ſequitur החזיק *hehhezik*, ſine copula. Priorem vocem omiſerunt LXX. Intt. quòd eam non intelligerent, aut corruptam cenſerent, ac delendam, niſi in eorum codice omiſſa fuerit, habent enim ſimpliciter εἰς ὄρος. Vulgatus *in monte*, quaſi legiſſet, aut legendum putaſſet ההרה *haharah*, *montem versùs*, ac revera montana erant ad ſeptemtrionem urbis. Si ſanus ſit hic locus, quod adfirmare nolim, ſignificaretur Barukus zelo accenſus illic urbem muniiſſe.

Zabbaïs] זבי *Zabbai*. LXX. Intt. legerunt זבו *Zabou*, habent enim Ζαβοῦ, & *Hieronymus* זכי *Zacchai*, ut alia legunt exemplaria.

Ab Angulo] Lateris, nempe, ſeptemtrionalis, occidentem versùs, ubi poſtea fuit Turris Pſephina, de qua *Joſephus* de Bello Judaïco Lib. VI. c. 13. Ἀνεῖχε κατὰ γωνίαν βόρειός τε καὶ πρὸς δύσιν ὁ Ψήφινος πύργος: *Attollebatur in angulo borealis & ad occidentem Pſephina turris.*

21. *Ad ejus finem*] תכלית בית אלישיב *thachlith beth Eljaſchib*. LXX. Intt. תכלית verterunt ἔκλειψιν, Vulgatus habet: *donec extenderetur*; hoc eſt, ad ejus extremitatem.

22. *In-*

22. Poſt eum inſtaurarunt Sacerdotes, incolæ planitiei. 23. Poſt eos inſtaurarunt Benjamin & Chaſſubus, è regione domûs ſuæ, & poſt eum Hazarja, filius Mahaſejæ, Hananjæ filii, propè domum ſuam. 24. Poſt eum inſtauravit Binnuïs, Chenadadi filius, menſuram ſecundam, ab ædibus Hazarjæ, uſque ad angulum; & ad *alterum* angulum, 25. Phalal, Uzaïs filius, è regione anguli & turris prominentis è regia ſuperiore, ad atrium cuſtodiæ; & poſt eum Phedaja, è Pharhoſi poſteris. 26. Nethinæi autem habitabant in Hophello, uſque *ad locum qui eſt* è regione portæ Aquæ ad orientem, & turrim prominentem. 27. Poſt eum inſtaurarunt Thekohitæ menſuram ſecundam, è regione turris magnæ & prominentis, uſque ad murum Hophelli.

28. A porta Equorum, inſtaurarunt Sacerdotes, & unuſquiſque quidem è regione domûs ſuæ. 29. Poſt eos inſtauravit Tſadokus, Immeri filius, è regione domûs ſuæ; poſt quem inſtauravit Semaja Sechanjæ filius Orientalis Portæ cuſtos. 30. Poſt hunc inſtaurarunt Chananja, Selemjæ filius, & Chanun, Tſalaphi ſextus filius, menſuram ſecundam, & poſt hunc Meſullamus, Berechjæ filius, è regione conclavis ſui. 31. Poſt eum inſtauravit Malchija conflatoris filius, uſque ad domum Nethinæorum & negotiatorum, è regione portæ Miphkadi, ad cœnaculum uſque anguli. 32. Inter cœnaculum verò anguli & portam Ovium, inſtaurarunt conflatores & negotiatores.

IV. Ini-

22. *Incolæ planitiei*] אנשי הככר *anſche bacchirchar*, viri planitiei; nempe, quæ erat circa Jeroſolimam, ut habemus Cap. XII, 28.

23. *Poſt eum*] אחריו *poſt eum.* Crediderim legendum אחריהם *abbarehem*, quia pluralis numerus anteceſſit; quamvis μετ' αὐτοῦ & *poſt eum* habeant Græci & Latinus.

24. *Ad angulum & uſque ad alterum angulum*] עד המקצוע ועד הפנה *had hammiktſoah vehad happhinnah.* LXX Intt. ἕως τῆς γωνίας καὶ ἕως τῆς καμπτῆς. Vulgatus: *uſque ad flexuram & uſque ad angulum.* Utraque voce idem ſignificatur.

25. *Prominentis è regia ſuperiore*] *Exeuntis è domo Regis excelſa.* LXX. Intt. ὁ ἐξέχων ἐκ τοῦ οἴκου βασιλέως ὁ ἀνώτερος, & Vulgatus: *quæ eminet de domo Regis excelſa.* Præter Urbem Davidis, in qua regiam ille ſuam condiderat, erat altera regia in ea parte urbis quà erat *ſuperior urbs*, è regione urbis Davidis ad orientem; quæ regia à Salomone primùm condita credebatur. Vide Deſcriptionem *Joan. Lightfootii* in Chor. Matthæo præmiſſa. Cur verò *regia ſuperior* hîc dicatur docet his verbis *Joſephus* de Bell. Jud. Lib. VI. Cap. 13. ubi de urbe Jeroſolima: ὑπὲρ δύο λόφων ἀντιπρόσωπος ἔκτιστο, μέσῃ φάραγγι διῃρημένων, εἰς ἣν ἐπάλληλοι κατέληγον αἱ οἰκίαι· τῶν δὲ λόφων ὁ μὲν τὴν ἄνω πόλιν ἔχων, ὑψηλότερος πολὺ καὶ τὸ μῆκος ἰθύτερος ἦν. Διὰ γοῦν τὴν ὀχυρότητα, φρούριον μὲν ὑπὸ Δαβίδου τοῦ βασιλέως ἐκαλεῖτο: *condita erat in duobus collibus ſibi invicem adverſa, cùm eſſent mediâ valle diviſi, in quam domus utrimque deſinebant. Collium vero ille in quo erat urbs ſuperior, eſt multò altior & longitudine directior. Quare ob firmitatem, præſidium à Davide Rege vocabatur.* Is, nempe, collis urbem Davidis ad occaſum, ad ortum verò Regiam habebat; & in urbe quidem Davidis, ſeu Sione erat arx, quam φρούριον vocat *Joſephus.*

Atrium cuſtodiæ] חצר המטרה *bhatſar hammattara*, quod carcerem vocant.

E Pharhoſi poſteris] *Pharhoſi filius.*

26. *Nethinæi*] De quibus vide ad Eſdr. II, 43.

In Hophello] Vide ad 2. Par. XXVII, 3.

Portæ Aquæ ad Orientem] A deſcriptione lateris ſeptemtrionalis, jam tranſit Scriptor Sacer ad orientalem. Vide infra Cap. XII, 37.

Thekohitæ] Hi muniverant jam aliam partem, in latere meridiano, ut liquet ex vſ. 5. Itaque *ſecunda menſura* hîc dicitur alterum muri ſpatium ad Orientem. Sic ergo capienda hæc loquutio, ubicumque occurrit, ita ut ii, quibus dicitur *ſecunda menſura* obtigiſſe, duobus in locis muniiſſe intelligantur.

28. *A Porta Equorum inſtaurarunt Sacerdotes*] Fuit hæc porta ad Orientem, non procul à Templo, ut liquet ex Jerem. XXX, 40. Itaque hi Sacerdotes circa Templum habitabant.

29. *Poſt eum*] אחריו *abbarau.* Imò אחריהם *abbarehem*, poſt eos, plures enim præceſſerunt. Vide vſ. 23.

Portæ Orientalis] Quæ antea dicta eſt *Equorum.*

30. *Poſt hunc*] אחרי *abbarai*, poſt me. Imò אחריו ahharau, *poſt eum*, quod eſt in margine. Vide vſ. 31.

Conclavis ſui] נשכתו *niſchchatho.* Cùm conſtanter aliàs לשכה dicatur, non נשכה, credibile eſt hoc pro illo à Librariis ſcriptum. *Gazophylacium* vertunt antiqui Interpretes, & לשכות *lſchachoth* vocabantur conclavia Templi, in quibus Levitæ ſervabant ſacra utenſilia, & omnem annonam in uſum ſacrum congeſtam.

31. *Poſt eum*] אחרי *poſt me*, pro אחריו *poſt eum*, ut in antecedente verſu.

Conflatoris filius] בן הצרפי *ben hattſorphi.* Vide ad vſ. 8. LXX. Intt. υἱὸς τοῦ Σαρεφί. Vulgatus, *filius aurificis*, meliùs, nam ה præfixum oſtendit nomen eſſe appellativum.

Negotiatorum] הרכלים *barochelim.* A LXX. Intt. ῥοπῶλαι & à Vulgato, *ſcruta vendentes* dicuntur; ſed quivis mercatores ſic vocantur, quo ſenſu ſæpiùs occurrit Ezech. XXVII. Ac ſanè *ſcruta vendentes* tanti eſſe non poterant, ut omiſſis ceteris omnibus negotiatoribus nominarentur, & munitionis partem perficere ſoli poſſent.

Portæ Miphkadi] מפקד *miphkad.* LXX. τοῦ Μαφεκάδ. Vulgatus *portam Judicialem.*

Ad cœnaculum anguli] עלית הפנה *halijath happhinnah.* In angulo muri orientalis, quà juxta meridiem ad occidentem ductus erat.

32. *Conflatores & negotiatores*] הצרפים והרכלים *hattſorephim veharochelim.* LXX. χαλκεῖς καὶ ῥοπῶλαι. Vulg. *aurifices & negotiatores.* Etiam verſu antecedente *negotiatores* vertere debuerat, ut diximus. In hoc angulo urbis, ſeu ad meridiem Templi, videntur habitaſſe conflatores & omnis generis mercatores; qua de causâ murum, quo proximè tegebantur, inſtaurarant.

In CA-

IV. Inimici Judæorum irrident eorum molitiones, deinde eos oppugnare ſtatunnt, animum deſpondentibus multis Judæis; ſed Nehemias, conſtitutis excubiis armatis, inimicorum conſilia irrita facit.

1. CUM verò audiſſet Sanballatus nos inſtaurare murum, excanduit, vehemen- CAPUT
térque indignatus ſubſannavit Judæos. 2. Tum dixit coram fratribus ſuis & IV.
copiis Samaritieis, dixit, *inquam*; quid Judæi imbecilles faciunt? An ſinent
eos *facere Regii Præfecti?* An ſacra facient? An abſolvent nunc? An excitabunt lapides
ex acervis pulveris, quamvis ſint igne abſumti? 3. Erat autem apud illum Tobija Ham-
monita, qui dicebat: quamvis illi ædificent, ſi veniat vulpes, murum illorum lapi-
deum perrumpet. (4. Audi verò, ô Deus noſter, nos fuiſſe deſpectui; fac ut eorum
probra in caput eorum recidant, exponitóque eos contemtui in terra, in qua ſint cap-
tivi. 5. Ne tegas eorum delictum, nec peccatum eorum è conſpectu tuo deleatur,
quia irritarunt *alios* contra ædificantes.) 6. Exſtruximus tamen murum, cohæſitque totus
murus uſque ad dimidiam partem, nec animus populo ad *eum* perficiendum defuit.
7. At cùm Sanballathus, Tobija, Arabes, Hammonitæ & Aſdodii audiviſſent ſur-
gere muros Jeroſolimæ & cœpiſſe ruinas eorum obturari, vehementer irati ſunt. 8. Ita-
que omnes unà conjurarunt de veniendo ad oppugnandam Jeroſolimam, eámque pror-
ſus evertendam. 9. Nos verò oravimus Deum noſtrum, conſtituimúſque excubias adver-
sùs eos interdiu & noctu, quòd eos timeremus. 10. Tum dixerunt Judæi *nonnulli*: fractæ
ſunt vires bajulorum, pulvis multus eſt, nec poterimus ædificare *amplius* muros. 11. Di-
xerunt etiam inimici noſtri: *demus operam* ut neſciant, nec videant, donec venerimus
ad

In CAPUT IV.

1. S*Anballatus*] Vide ad Cap. II, 10.

2. *An ſinent eos facere* &c.] היעזבו להם hajjahazebou lahem, *an ſinent illis*. LXX. Intt. habent hîc οἰκοδομῶν τὴν ἑαυτῶν πόλιν, ſubſtituto ſenſu, ei quem non adſequebantur, ut in locis obſcurioribus non rarò fecerunt. Vulgatus: *num dimittent eos gentes?* Rectè, nam omittunt ſæpe Hebræi nominativum, ante tertiam perſonam Futuri, qui ex re ipſa ſubſtituendus. Sic in hoc loco debent ſuppleri ii quorum intererat ejuſmodi opus impedire, præfecti, nimirum, regii ad occaſum Jordanis. Vide Indicem Pentateuchi, in voce *Nominativus*. Gallicè dixeris: *leur ſouffrira-t-on cela?*

An ſacra facient?] Sacra, nimirum, eucharistica perfecto opere. Quod & feciſſe eos videmus infra Cap. XII, 43.

Nunc] *Hodie*.

Excitabunt] *Vitam reddent lapidibus*. Metaphora ex hominibus ducta. Senſus eſt: an integros invenient ſub ruderibus lapides olim in calcem redactos?

3. *Murum illorum lapideum*] *Murum lapidum eorum*. Proverbialis loquutio, quâ ſignificatur murus ſic feſtinanter deproperatus firmitatem nullam habiturus eſſe.

4. *Audi verò* &c.] Preces Nehemiæ, quibus narrationem ipſe ſuam abrumpit.

5. *Ne tegas* &c.] Ne iis ignoſcito. Hæc manabant ex odio, quo Judæi alias gentes proſequi ſolebant, & toto cœlo diſtant ab humaniſſimis illis Servatoris noſtri, in cruce pendentis, verbis: *Condona iis, Pater, quia neſciunt quid faciant*. Sed eo tempore Deus ab iis, quibus ſe ſe patefecerat, tantam virtutem nondum exigebat. Vivebat Nehemias ſub *elementis*, ut loquitur Paulus, nec dum ad perfectæ, conſummatæque virtutis cognitionem pervenerat.

6. *Cohæſitque totus murus* &c.] ויקשר כל החומה *& ligatus eſt totus murus*; hoc eſt, undequaque urbs clauſa erat, nullum ſupererat interſtitium, murúſque ad dimidiam partem altitudinis perductus erat.

Nec animus &c.] *Et fuit cor populo ad faciendum*.

7. *Surgere muros Jeroſolimæ*] *Quòd aſcendebat longitudo muris Jeroſolimæ*.

8. *Eámque prorſus evertendam*] ולעשות לו תועה *& ad faciendum ei* תועה *thoabah*, cujus poſtremæ vocis non eſt planè certa ſignificatio. LXX. Intt. habent in Vaticano Codice ποιῆσαι αὐτὴν ἀφανῆ, Vulgatus: *& molirentur inſidias*. Verùm hæ interpretationes non conſentiunt cum ſignificationibus radicum Hebraicarum, ex quibus vox poteſt duci. Sunt qui eam derivent à radice תעה *thabab* quæ ſignificat *errare*, ſed quis locus hîc poteſt eſſe errori? Malim à radice יעה *jabah*, abſtulit, ut cineres palâ auferuntur, unde dictæ יעים *jabim* palæ, quibus cineres amovebantur. Volebant ergo Judæorum adverſarii ita Jeroſolimam evertere, ut omnia cum pulviſculo auferrent; quemadmodum ex loco, in quo ignis ſtructus fuerat, palis ipſi cineres auferuntur, ut nullum ampliùs ſuperſit ignis veſtigium.

9. *Quòd eos timeremus*] מפניהם *mippheneihem*, quæ vox ſignificat interdum *præ eorum metu*; nam adhibetur, ubi ſermo eſt de rebus formidoloſis. Vide infra vſ. 14. V, 15.

10. *Dixerunt Judæi nonnulli*] *Et dixit Juda*; non univerſus, ſed nonnulli tantùm, quod vertendo à nobis exprimi oportere judicavimus.

Fractæ ſunt vires] *Impegit robur bajuli*. Ut enim ædificarent, debuit muri quod ſupererat ruderum pulvere concervato purgari; inchoatóque muro, multus etiamnum pulvis intra & extra murum ſuperfuit, qui tamen poſtea amovendus erat; ne defenſionem murorum difficiliorem redderet.

Digitized by Google

ad eos & interficiamus eos, ac opus illud ut ceſſet efficiamus. 12. Cúmque veniſſent Judæi, qui apud eos habirabaur & decies dixiſſent nobis: *cavete* vobis ex omnibus locis, quibus ad nos commeare ſoletis; 13. collocavi ab inferioribus partibus loci, poſt murum, in locis purgatis populum, pro familiis ſuis, cum gladiis, haſtis & arcubus. 14. Tum luſtravi *eos*, & ſurrexi ac dixi ſummatibus, proceribúſque & reliquo populo: ne eos timete, ſed Domini magni ac terrifici memores eſtote, ac pro fratribus, filiis, filiabus, uxoribus, & domibus veſtris pugnate.

15. Cùm verò accepiſſent inimici noſtri rem nobis eſſe patefactam, irritum fecit Deus eorum conſilium, & omnes ad murum, quiſque ad opus ſuum, ſumus reverſi. 16. Ab eo autem die, dimidia pars ſervorum meorum opus faciebat; dimidia verò lanceas, clypeos, arcus & loricas gerebat. Principes verò *ſtabant*, poſt univerſam Judæ familiam. 17. Ædificantium autem murum, & bajulantium onera *ac* ferentium *quiſque* unâ manu opus faciebat, alterâ verò miſſile gerebat. 18. Quiſque ædificantium accinctus erat gladio circa lumbos, intereáque ædificabat; & apud me erat, qui tubâ caneret. 19. Dixi etiam ſummatibus, proceribus & reliquo populo: opus multum eſt & latè patet, nos verò ſeparati ſumus ad murum & remoti ab aliis alii. 20. At quocumque loco audiveritis ſonitum tubæ, eò concurratis ad nos; Deus verò noſter pugnabit pro nobis. 21. Nos verò operi incumbebamus, dum dimidia pars haſtas gereret ab ortu auroræ ad ortum ſtellarum. 22. Dixi etiam eo tempore populo: unuſquiſque ſervúſque ejus pernoctent in mediâ Jeroſolimâ; agantur à nobis noctu excubiæ, & interdiu fiat opus. 23. Ego verò, fratréſque mei & ſervi, & vigiles qui me ſequebantur non exuebamus veſtes noſtras; unicuique telum & aqua *ad manum erant.*

V. Pauperes Judæi de uſuris, rapiniſque divitum graves querelas ad Nehemiam deferunt, qui iis indignatus curat pauperibus reſtitui quæ contra jus & fas erepta eis erant. Tum quâ continentiâ præfectus Judæorum, per duodecim annos, fuerit exponit.

CAPUT V.

1. ORTA deinde eſt ingens quiritatio plebis, uxorúmque *hominum plebeiorum*, contra fratres ſuos Judæos. 2. Erant qui dicerent: liberi noſtri & nos multi ſumus;

12. *Decies*] עשר פעמים *decem vicibus*; hoc eſt, ſæpiùs. Vide Gen. XXXI, 7.

13. *Purgatis*] בצחחים battſchhihhim, *in puris*; in locis, nempe, ex quibus egeſta erant rudera, ut inſtrui acies in illis poſſet, eruptura in hoſtes per urbis portas, aut illuc itura, quò eam ire periculum poſtularet. LXX. Int. *ἐν τοῖς σκεπεινοῖς*, quod quid ſit non ſatis intelligo. Vulgatus, *per circuitum*. Ex conjectura.

15. *Irritum fecit*] Injecto iis terrore, cùm intelligerent nos ad dimicandum paratos eſſe.

16. *Lanceas gerebat*] מחזיקים והרמחים *mahhazikim veharremahim*. *Vau* videtur abundare, & inducendum, quamvis Græci & Latinus legerint, aut mutandum in ב. Vide vſ. ſequentem, & 21.

18. *Apud me erat* &c.] Ut tubâ ſignum darem; quo audito ad arma omnes concurrerent, & in unum locum ad Nehemiam ſe conferrent, ut ab eo mitterentur, quò ei viderentur mittendi ut muros tuerentur, aut hoſti occurrerent.

22. *Unuſquiſque* &c.] Ne ſi per agros ſpargerentur, ut ſuis quiſque, ut fit, auxilium ferrent, Jeroſolima adverſariis capienda traderetur.

Agantur à nobis &c.] Non ab iiſdem, ſed diviſis vigilandi & muri ſtruendi vicibus; alioquin hoſti & operi impares fuiſſent.

23. *Unicuique telum & aqua*] איש שלחו המים iſch ſchilhho hammajim, *quiſque miſſile ſuum, aqua*. Hæc omiſſa ſunt à LXX. Interpretibus, nec rectè verſa à Vulgato: *unuſquiſque tantùm nudabatur ad baptiſmum*. His verbis indicat Nehemias partem populi ita dormiiſſe, ut ſolebat fieri in caſtris, haſtâ ad manum paratâ, & aquâ juxta collocatâ, ne fortè bibendi causâ ſtatio eſſet deſerenda. Sic dormiebat Saül, cùm Davidem ſequeretur, ut liquet ex 1. Sam. XXVI, 12. Crediderim deeſſe aliquid in verbis hiſce, in quibus nulla eſt alioqui conſtructio; quæ optima eſſet, ſi legeremus איש שלחו והמים אצלו *unuſquiſque miſſile ejus & aqua juxta eum.*

In CAPUT V.

2. *UBi vero ſumemus*] ונקחה *venikebbah*. Hic ו eſt interrogationis ſignum, ut 1. Sam. XXV, 11. & infra vſ. 3. & 8. Vide *Chr. Noldium* ad ſigniſ. V. hujus particulæ.

Ut comedamus] *Et comedemus*. *Vau* hìc eſt perinde ac *ut*. Vide eumdem ad ſignific. LXXII.

4. *Ad tributum Regi pendendum* &c.] למדת המלך שדותינו *ad menſuram*, aut *tributum Regis agros noſtros*, aut *agrorum noſtrorum*. Sententia eſt perſpicua. Videtur enim queri ſe cùm, pro amplitudine prædiorum, pendere tributa neceſſe haberent, pecuniam mutuam accepiſſe, ut ea pendere poſſent. Sed loquutio מדת המלך שדותינו obſcurior eſt. Si legeretur למדת המלך לשדותינו *ad tributum regis in agros noſtros*, planior eſſet loquutio. Tributa autem dicuntur מדה *middah*, aut Chaldaïco more מנדה *mindah*, quòd ad menſuram certam exigerentur.

5. *Caro noſtra eſt* &c.] Non minoris fieri debemus, quàm ceteri Judæi, quamvis pauperiores ſimus.

Filios noſtros in ſervitutem &c.] אנחנו כובשים *anahhnou chobeſchim*, nos ſubjicimus; non aliter habemus quàm ſi eſſent hominum à nobis ſub-

Digitized by Google

mus; *ubi verò* ſumemus frumentum, ut comedamus & vivamus? 3. Alii verò:
agros, inquiebant, noſtros, vineas & domos oppigneravimus, *unde verò* triticum in
fame ſumemus? 4. Alii rurſus dicebant: mutuum ſumſimus argentum, ad tributum Re-
gi *pendendum* agrorum, vinearúmque noſtrarum. 5. Caro noſtra eſt inſtar carnis fra-
trum noſtrorum, filii noſtri ſunt inſtar filiorum illorum; en verò filios noſtros in ſervi-
tutem damus, ſúntque è filiabus noſtris ſubditæ ſervituti, nec quidquam eſt in poteſ-
tate noſtra, cùm agri, vineæque noſtræ aliorum ſint.

6. Cùm hanc illorum quiritationem & verba hæc audiviſſem, vehementer excandui;
7. quare apud animum meum conſilium cepi, & rixatus ſum cum ſummatibus, & pro-
ceribus iiſque dixi: oneta quiſque fratribus veſtris imponitis. Tum magnam multitu-
dinem contra eos contraxi, 8. iiſque, nos quidem, inquam, redemimus fratres noſ-
tros Judæos venditos gentibus, quoad potuimus; vóſne verò vendetis fratres veſtros,
ut nobis *denuo* vendantur? Illi verò ſiluerunt, nec verbum *unum* invenerunt *quod repo-
nerent.* 9. Igitur, non rectum eſt, inquam, quod facitis. Nonne in timore Dei noſ-
tri incedere vos potiùs oportet, quàm eſſe opprobrio, apud gentes nobis inimicas?
10. Num etiam ego, fratréſque & ſervi mei mutuam damus illis pecuniam & frumen-
tum? Remittamus, quæſo, illis hoc onus. 11. Reddite, quæſo, illis hodie agros eo-
rum, vites, oliveta, domos, & centeſimam argenti, frumenti, vini, & olei, quam
ab illis fœnoris loco capitis. 12. Reddemus, inquiunt illi, nec *ampliùs* exigemus ab
illis; ſic faciemus, ut dixiſti. *Ibi verò* vocavi Sacerdotes, hominéſque jurejurando ade-
gi facturos quemadmodum dixerant. 13. Sinum etiam meum excuſſi, & dixi: ſic ex-
cutiat Deus omnes, qui promiſſum hoc non præſtiterint, è domo ſuo, laboréque ſuo,
ita ut ſit excuſſus & vacuus. Dixit verò totus cœtus: Amen; laudavitque Jehovam,
& populus quidem, prout dixerat, fecit.

14. Quin etiam ex quo die juſſerat me *Rex* eorum præfectum eſſe, in terra Judæa, à
vigeſimo uſque ad trigeſimum ſecundum annum Regis Arthaxerxis, per duodecim an-
nos,

ſubactorum liberi, quandoqnidem eos in ſervitutem vendimus.

Nec quidquam eſt in poteſtate noſtra] *Nec quidquam ad manus noſtras.*

7. *Apud animum meum* &c.] ימלך לבי עלי *jimmalech libbi halai*, conſilium cepit cor meum apud me. Chaldaïca eſt loquutio, quales multæ ſunt in hiſce libris, etiam ubi reliqua Hebraïca ſunt.

Magnam multitudinem &c.] *Dedi contra illos multitudinem*; nt à totu cœtu cogerentur fœnus remittere, quod erat lege vetitum.

8. *Ut nobis denuo* &c.] *Et vendantur nobis.* Nihil poterat iuhumanius fieri, quàm ſi Jndæi ab ipſis Judæis venderentur gentibus. Vide hac de re Cap. XXV. Levitici.

9. *Incedere vos oportet* &c.] *Incedatis ab opprobrio gentium.*

11. *Centeſimam argenti* &c.] Nimirum, in menſem, qnod efficiebat iu annum duodenos nummos fœnoris in centenos. Similis quoque fuit uſura apud Romanos, de qua exſtat eruditum opus *J. Fr. Gronovii.* Omnis prorſus uſura, apud Hebræos, vetita erat, quod plerique eſſent agricolæ; qua de re egimus ad Exod. XXII, 25.

13. *Sinum etiam meum* &c.] חצני *hhotſni.* LXX. Intt. verterunt ἀναβολήν, Vulgatus, *ſinum*; hoc eſt, pallii, vel tunicæ ſinum. Actio hæc ſymbolica fuit, quâ præ oculis res, quam volebat Nehemias, σημειωτικῶς ponebatur, quàm ſi verbis dumtarat nſus eſſet, pro Orientalium niore, ut oſtendi ad Geneſ. XXXII, 24. Hoc autem in memoriam revocat factum Q. Fabii legati Romanorum, apud Carthaginienſes, quod ita *Livius* narrat Lib. XXI. c. 18. *Tum Romanus ſinu ex toga facto*, hîc, *inquit*, vobis bellum & pacem portamus; utrum placet ſumite. *Sub hanc vocem, haud minùs ferociter*, daret utrum vellet, *ſucclamatum eſt, & cùm iis iterum, ſinu effuſo, bellum dare dixiſſet*, accipere ſe *omnes reſponderunt* & quibus acciperent animis iiſdem ſe geſturos. Vide & *L. Annæum Florum* Lib. II. cap. 6. & ad eum *Joan. Freinshemium.* Poſſit & cum hoc ritu conferri qnod ſolebat fieri à Rnmanis, apud quos in fœdere feriendo ſic loquebatur pro Populn Romann Pater patratus: *Si prior defexit publico conſilio, dolo malo; tu illo die, Jupiter, populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam: tantóque magis ferito, quanto magis potes polleſque.* Quod ubi dixiſſet, porcum ſaxo ſilice percutiebat; ut docet *Livius* Lib. I. c. 24.

Amen] Perinde eſt ac ſi juraſſet; confirmavit enim hac voce quidquid dixerat Nehemias. Vid. Num. V, 21. Deut. XXVII, 15.

14. *Juſſerat me Rex præfectum eſſe*] Ex auctoritate quâ ſe gerebat Nehemias, intelligere qnidem licuit, quamvis ſiluiſſet de poteſtate à Perſarum Rege accepta, eum ejus nomine Judæis imperaſſe. Sed mirum eſt ab ipſo initio hujuſce dignitatis ſuæ mentionem à Nehemia nnn eſſe factam, ubi dixit ſe à Rege Perſarum in Judæam miſſum fuiſſe. Minùs tamen mirum erit reputantibus leges narrationis à Scriptoribus Sacris miuimè obſervatas fuiſſe.

A vigeſimo uſque ad trigeſimum ſecundum] Vigeſimus auuus Artaxerxis incidit, ut antea diximus, iu anuum Periodi Julianæ 4268. ante Chriſtum 426. trigeſimus verò ſecundus in annum Per. Julianæ 4280. ante Chriſtum 434. quo anno Nehemias centeſimum pluribus aunis ſuperarat, ſi primo Cyri anno in Judæam vel puerulus venerit.

nos, nec ego, nec fratres mei panem præfecti comedimus. 15. Præfecti priores, qui ante me fuerant, graves fuerant populo, acceperántque ab eo panem & vinum, & argenti ſiclos quadraginta. Imò & eorum ſervi dominati erant populo. At ego non ita feci, propter timorem Dei. 16. In opere etiam hoc muri, *eum* inſtauravi, *ut alii*, agrum nullum emimus, omnéſque mei ſervi convenerunt illuc ad opus faciendum. 17. Judæi verò primores centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos ex vicinis gentibus, menſæ meæ *participes fuerunt*. 18. Quod parandum erat in ſingulos dies, bos unus minores pecudes ſex pingues, præter aves, de meo parabantur; & intra denos dies, omnis generis vini magna copia. Attamen panem præfecti non exegi, quia gravis ſervitus populo huic incumbebat. 19. Memento mei, ô Deus mi, ut mihi benefacias, pro omnibus quæ erga hunc populum feci.

VI. Inimicorum Judæorum irritæ artes, & molitiones, ne abſolverentur muri Jeroſolimæ, narrantur.

CAPUT VI.

1. CUM autem audiſſent Sanballathus, Tobija, Geſemus Arabs, ceterique inimici noſtri me inſtauraſſe murum, nec ruinam in eo manſiſſe, quamquam ad hoc uſque tempus nondum addideram valvas portis; 2. miſerunt ad me Sanballathus & Geſemus, qui dicerent *ipſorum nomine*: age, unà conveniamus Chephirimos, in vallem Onuntis. Illi autem mihi malum moliebantur. 3. Verùm ad eos miſi nuncios, qui *meo nomine* dicerent: opus, cui incumbo, magnum eſt, nec poſſum *eò* ire. Cur verò ceſſaret opus, dum *induſtriam* remitterem, & ad vos deſcenderem? 4. Ad hunc modum quater ad me miſerunt, ego verò eodem modo illis reſpondi.

5. Mi-

Panem præfecti] לחם הפחה *lebhem bapphebba*; hoc eſt, non viximus emolumentis, quæ ad præfectum pertinebant, conferríque à Judæis neceſſe antea erat. Bene Vulgatus, *quæ ducibus debebantur non comedimus*. LXX. verò *βίον αὐτῶν, eorum victum*, nam mendosè habetur *βίαν*. Vide vſ. 15.

15. *Graves fuerant*] Aut *graviter incubuerant populo*. הכבידו על העם *bichbidou hal habam*.

Panem & vinum] *In pane & vino, poſtea argenti ſiclos quadraginta*. Panem & vinum, quibus indigebant, exigebant à populo, & præterea quadraginta Siclos; fortè in dies ſingulos. Alioqui grave onus populo non fuiſſet.

Dominati erant populo] Hoc eſt, multa & ipſi, ut fit, à populo extorſerant.

16. *Agrum nullum emimus*] Ne viliori pretio, aut aliis malis artibus extortus videretur.

17. *Menſæ meæ*] *Ad menſam meam.*

18. *De meo parabantur*] נעשה לי *nahaſchou li*, fiebant mihi; hoc eſt, de meo; cùm aliis præfectis, populi ſumtibus, parari omnia ſolerent. Oportet Nehemiæ in Babylonia magnas comparatas eſſe divitias, qui de ſuo tantos ſumtus per duodecim annos facere poſſet, aut à Perſarum Rege magnam ei quotannis pecuniam numeratam fuiſſe.

Attamen] *Et cum hoc panem præfecti non quæſivi*; Vulg. *annonam ducatûs mei*, hoc eſt, emolumenta præfecturæ, quæ ab aliis exigi ſolebant.

Gravis ſervitus &c.] Hoc eſt, propter vectigalia & tributa, quæ à Judæo populo Perſarum Regi erant pendenda. *Polyænus* de Dario Hyſtaſpide Lib. VII. C. XI, 3. Δαρεῖος πρῶτος φόρους ἔταξε τοῖς ἔθνεσιν· ὅπως δὲ μὴ χαλεπήνωσιν οὐκ αὐτὸς ἔταξεν, ἀλλὰ τοῖς Σατράπαις τάξαι προσέταξεν· τῶν δὲ σημηνάντων μεγάλους φόρους, αὐτὸς προσέταξε τοὺς ἡμίσεις χαριζόμενος τοῖς ὑπηκόοις· οἱ δὲ ἄσμενοι τοὺς ἡμίσεις τελεῖν ὑπέσχοντο, ὡς ἤδη μεγάλην εὐεργεσίαν παρὰ τοῦ βασιλέως λαβόντες: *Darius primus tributa gentibus impoſuit. Verum ne moleſte ferrent, non ipſe præſcripſit, ſed Satrapas imponere juſſit. Cùm autem illi magna tributa deſcripſiſſent, adſcripſit ſe dimidiam partem ſubditis remittere. Illi verò libentes dimidiam partem ſoluturos ſe promiſerunt, quaſi magno beneficio à Rege accepto.* Verùm vel eo modo magna erant tributa, vel poſtea aucta fuerant. Intelligenda autem ſunt tributa certo quodam modo, antea inuſitato, exigenda; nam ex Scriptura conſtat vicinas gentes Davidi & Salomoni tributa pependiſſe, & ipſos Hebræos, tempore Judicum, ſubinde finitimis ſtipendiarios fuiſſe. Sed & apud Perſas Smerdis, qui Cambyſi ſucceſſit, ſi *Herodoto* Lib III. c. 66. credimus, ἐς τὰ ἔθνεα τῶν ἦρχε προεῖπε ἀτελείην εἶναι στρατηίης καὶ φόρου ἐπ' ἔτεα τρία: *per omnes gentes, quibus imperabat, pronunciavit fore immunitatem militiæ & tributorum in annos tres.* Unde liquet antea etiam à Perſis tributa impoſita.

19. *Ut mihi bene facias*] לטובה ltobah, *in bonum.*

In CAPUT VI.

1. N*Ondum addideram valvas portis*] Quod antea de Valvis adjectis cum ſeris & vectibus dictum eſt Cap. II. id κατὰ πρόληψιν dictum eſſe cenſeri oportet.

2. *Chephirimos*] בכפירים *bChphirim*. LXX. Int. ἐν κώμαις. Vulgatus, *in vicis*. Quamvis ſic verti poſſit vox Hebraïca, crediderim hîc locum quempiam certum ſic dictum deſignari, quia conventus non indicitur, niſi in certum locum.

Onuntis] אונו *Ono* urbs fuit in Tribu Benjaminis. Vide infra Cap. XI, 35.

4. *Eodem modo*] *Ut verbum hoc.*

6. *Geſemus dicit*] גשמו אמר *Gaſchmou omer.* Antea vocatur ſemper גשם *Geſchem.*

Quemadmodum fertur] Secundùm verba illa.

7. *Prophetas conſtituiſſe*] Qui dicerent, veluti

5. Miſit tamen ad me Sanballatus quintùm puerum ſuum, eodem modo, erátque epiſtola aperta in ejus manu. 6. Scriptum autem in illa erat: auditum eſt inter gentes & Geſemus dicit te & Judæos rebellionem moliri, & propterea ædificare murum, factúmque eis Regem, quemadmodum fertur. 7. *Aiunt* etiam te Prophetas conſtituiſſe, qui te Jeroſolimæ *Regem* pronuncient, his verbis: Rex eſt in Judæa. Nunc ergo ejuſmodi ſermones, apud Regem, audientur. Veni itaque & conſilium unà ineamus. 8. At miſi ad eum, qui dicerent: nihil factum eſt ſecundùm verba iſta, quæ dicis, nam tu ea ex ingenio tuo comminiſceris. 9. Omnes enim illi deterrebant nos, cùm dicerent *apud ſe*: ceſſabunt eorum manus ab opere, nec perficietur. Tu verò, *ô Deus*, manus meas confirmato.

10. Cùm etiam ego ingreſſus eſſem domum Semahjæ, filii Delajæ, Mehetabehelis filii, qui clauſus *domi* erat, dixit mihi: nos conferamus in Ædem Dei, & in medium quidem Templum, claudamúſque fores Templi; nam veniunt ut te occidant, & noctu quidem venient, ut te interficiant. 11. Ego verò dixi: an vir, qualis ego ſum, fugiet? Quis, inſtar mei, ingredietur Templum & incolumis erit? Non ingrediar. 12. Intellexi *hinc* Deum eum non miſiſſe, ut apud me vaticinium funderet, ſed à Tobija & Sanballato mercede conductum eſſe. 13. Propterea autem erat conductus, ut timore adductus ſic facerem, & peccarem; quò eſſet illis mala fama, propter quam me probris lacerarent. 14. Tu verò, ô Deus mi, memor eſto Tobijæ & Sanballati, pro his eorum factis, & Nohadjæ Prophetidis & reliquorum Prophetarum, qui me terruerunt.

15. Abſolutus eſt autem murus, vigeſimo quinto *die menſis* Elulis, & quidem poſt quinquaginta duos dies. 16. *Quod* cùm audiverunt omnes inimici noſtri & viderunt omnes gentes, quæ circa nos ſunt, apud ſe animo vehementer conciderunt, & hoc opus à Deo noſtro profectum eſſe intellexerunt. 17. Quin etiam diebus illis proceres Judæorum multas ſcribebant litte-

luti nomine Dei, te conſtitutum eſſe à Numine Regem Judæorum.

Conſilium unà ineamus] Ut quomodo ad Regem Perſarum ea de re ſcribendum ſit diſpiciamus. Amicum ſe fingebat Nehemiæ, ut eum in inſidias pelliceret.

9. *Tu verò, ô Deus* &c.] *Et nunc confirmato.* Hæc ad alium referri nequeunt, quàm ad Deum. Sed pro חזק *hhazzek*, confirma, legerunt LXX. Intt. & Vulgatus חזקתי *hhizzakthi*, cùm habeant ἐκραταίωσα, *confortavi*.

10. *Qui clauſus domi*] Qua de cauſa non liquet. Vulgatus credidit eſſe ſeorſim & clam cum Nehemia loquendi cauſâ, vertit enim *ſecretò*.

In Ædem Dei &c.] Tamquam in arcem quamdam, quæ excubiis Levitarum cuſtodiebatur, nec ſubitò invadi poterat; aut quaſi in Aſylum, cujus ſanctitatem violare nemo auderet.

In medium Templum] In ipſum Sanctuarium, nam ædificium, in quo erant Sanctuarium & Adytum, propriè היכל *hechal* dicebatur.

11. *Ingredietur Templum*] Sanctuarium, in quod ſolis Sacerdotibus ingredi licebat; alioqui non deerant conclavia, in quibus pernoctare poſſet.

12. *Deum eum non miſiſſe*] Ergo Prophetam agebat. Oſtendit autem ſe à Deo miſſum non eſſe, quòd rem Lege illicitam Nehemiæ ſuaderet.

Ut apud me &c.] כי הנבואה דבר עלי chi hannebouah dibber halai, *quia prophetiam dicebat ad me*. Verùm hîc כי *chi* ſignificat *ut*, quemadmodum ſæpe alibi. Vide Geneſ. XXXVIII, 16. & *Chr. Noldium* ad XXVIII. ſignificationem ejus particulæ. עלי *halai* eſt *apud me*, aut pro אלי *elai*, mihi; nam hæ non rarò confunduntur particulæ.

13. *Quò eſſet illis mala fama*] *Et eſſet illis in nomen malum*; ut, nempe, Nehemiam apud Judæos, quaſi ſpretorem legis, infamarent, eorúmque animos alienarent.

14. *Nohadjæ*] Hinc & ex multis aliis Prophetarum locis, liquet multos fuiſſe inter Judæos Pſeudo-prophetas, & malam illam gentem ſæpenumero Dei nomine abuſam, non aliter ac impoſtores apud Ethnicos. Quare non temerè à viris ſapientibus quiſquis Prophetam ſe jactabat in verorum Prophetarum numerum admitti poterat, quod exemplo Nehemiæ religioſi & conſtantis viri intelligere licet.

15. *Menſis Elulis* &c.] Sextus is fuit menſis. Si ejus vigeſimo quinto die abſolutus fuit murus, idque operis intra quinquaginta duos dies confectum, inchoatum oportuit tertio die menſis *Ab*, qui quintus erat. Æſtivi menſes videntur electi, ut diutiùs operi incumbere poſſent Hebræi, minúſque ab inſidiis adverſariorum ſibi timerent, propter noctium brevitatem. Si mirum videatur tam brevi tempore potuiſſe tantum opus perfici, animo reputandum eſt integrum murum ubique ſolo æquatum non fuiſſe, ſed paſſim dumtaxat dejectum, & perruptum, deinde lapides ſuperfuiſſe quibus reficeretur; aut ex ædificiis urbis everſis facilè potuiſſe peti; ac denique magnum numerum fuiſſe ædificantium & quidem magnâ feſtinatione. Nec eſt ſibi fingendum magnam altitudinem, aut firmitatem fuiſſe ejuſmodi deproperati muri. Satis fuit eo ſubitam invaſionem hoſtium arceri potuiſſe.

16. *Apud ſe animo vehementer conciderunt*] *Ceciderunt valde in oculis ſuis*; non tam magnificè de ſe, nec tam humiliter de Judæis ſenſerunt, à quibus viderunt Jeroſolimam tam brevi tempore permunitam fuiſſe.

A Deo noſtro profectum eſſe] מאת אלהינו נעשתה *meeth Elohenou nehheſchthah*; hoc eſt, cœptum & abſolutum eſſe, ſingulari providentiâ divinâ.

17. *Proceres Judæorum multas ſcribebant*] Multiplicabant proceres Judæ litteras ſuas.

 18. *In-*

litteras, quæ ferebantur ad Tobijam, *ut & Tobijæ litteræ* ad eos veniebant; 18. multi
enim inter Judæos jurejurando adſtricti ei erant; quia gener erat Sechanjæ, Arachi fi-
lii, & Jochanan filius ejus filiam Meſullami, Barachjæ filii, duxerat. 19. Quin & vir-
tutes ejus coram me prædicabant, verbáque mea ei prodebant. Quare litteras ad me
mittebat, ut me terreret.

VII. Nehemias, exſtructo muro, portis valvas addit, janitoréſque ac excubias conſtituit, & quo tempore claudendæ & aperiendæ eſſent portæ docet. Tum in populi numerum, ex cenſualibus tabulis, inquirit.

CAPUT VII.

1. CUM exſtructus eſſet murus, *portis* valvas adponi juſſi, & conſtituti ſunt jani-
tores cantores & Levitæ. 2. Deinde mandatis inſtruxi Chananim, fratrem
meum, & Chananjam, præfectum arcis Jeroſolimæ; vir enim erat fidus &
Dei timens, præ multis *aliis*, 3. eiſque dixi: ne aperirentur portæ Jeroſolimæ, donec
ſol incaleſceret; & ut dum etiamnum adſtarent, clauderent valvas, retineréntque *cla-
ves* & conſtituerent excubias Jeroſolimitanorum, ita ut quiſque excubias ſuas ageret è
regione domûs ſuæ.
4. Urbs autem ampla erat & magna, populúſque in ea exiguus, nec domus adhuc
erant inſtauratæ. 5. Injecit porrò Deus meus in animum meum *hanc cogitationem*, ut
congregarem ſummates, proceres & populum, ut pro genere ſuo recenſerentur; inve-
nique librum cenſûs eorum, qui primum venerant *è Babylonia*, & in eo *ſic* ſcriptum
comperi.
6. HI ſunt provinciales, qui venerunt è captivitate eorum qui migraverant, quos
tranſtulerat Nebuchadnetſar, Rex Babyloniorum, & reverſi ſunt Jeroſolimam & in Ju-
dæam, quiſque in urbem ſuam.

7. Ve-

18. *Jurejurando adſtricti*] בעלי שבועה *domini jurisjurandi illi.*

Gener erat Sechanjæ] Quamvis Judæi uxores alienigenas dimiſiſſent, non potuerant tamen filias ſuas alienis nuptas iis eripere; ideóque illibata manſerunt ejuſmodi adfinitatis vincula. Verùm mali erant homines, qui propterea adfinibus ſuis populares ſuos & Rempublicam Judæorum prodebant.

19. *Virtutes ejus*] טובתיו tobothau, *bona ejus.* Quod neſcio cur λόγυς verterint LXX. Intt. Vulgatus habet, *laudabant.*

In CAPUT VII.

1. C*Antores & Levitæ*] *Et cantores.* Videtur abundare copula, & hoc velle Nehemias è Levitis & Cantoribus præfectos eſſe portarum urbis conſtitutos non aliter ac Templi; neque enim præfecit Levitas miniſteriis ſacris, quorum cura jam iis demandata erat.

2. *Præfectum arcis Jeroſolimæ*] שר הבירה על ירושלם *princeps arcis ſuper Jeruſalem.* Videtur fuiſſe præfectus Urbis Davidis, quæ erat arx Jeroſolimæ, eíque imminebat.

Vir enim erat fidus] *Nam ille ſicut vir* (כאיש) *fidei.* Τὸ כ hîc non ſimilitudinem, ſed veritatem rei ſignificat. Vide 1. Sam. X, 27. & *Chr. Noldium* ad XXII. ſignificationem hujus particulæ. Senſus loqnutionis idem eſt ac ſi Latinè dicas: vir ejuſmodi erat, qualem eſſe ſummæ fidei & religionis virum par eſt. Eſt enim hîc occulta quædam comparatio hominis, cum notione viri probi & religioſi, quam animo formavimus.

3. *Donec ſol incaleſcat*] Potuiſſent alioquin æſtate portæ primo diluculo aperiri; ſed inſidiarum metu, ortum ſolis exſpectari volebat Nehemias.

Clauderent valvas] Hoc eſt, claudi juberent, ſe præſentibus.

Claves] ואחזו veebhozou, tenete. Supplevi *claves* מפתחים *maphthehhim*, nam אחז *abhaz* quod eſt *tenere*, ad valvas referri poſſe non videtur.

Conſtituerent] והעמד vehahmed, *& conſtituendo.* Cùm in hoc verſu mirè miſta ſint tempora & modi, neceſſe habuimus obliquè Nehemiæ orationem exprimere, & ſolo ſubjunctivi imperfecto uti.

Quiſque excubias] Quiſque in cuſtodia ſua & quiſque contra domum ſuam.

4. *Nec domus adhuc erant inſtauratæ*] *Ædificatæ.* Quod intelligendum de maxima parte domuum, quæ jacebant adhuc in ruderibus, quia novi incolæ ſat magno numero non erant, ut urbem implerent.

5. *Librum cenſus eorum* &c.] Qui, nimirum, apud Eſdram habetur Cap. II, 2. & ſeqq. nam eadem nomina, ſi varietates nonnullas excipias, idem ordo, iidemque plerumque numeri oſtendunt, hîc de uno eodemque cenſu agi; quamvis diſertè non diceretur eſſe recenſio eorum, qui cum Zorobabele in Judæam venerant. Nec numerorum nonnulla varietas aliam recenſionem eſſe perſuadere poteſt, cùm non minùs in numeros irrepere potuerit mutatio, quàm in nomina.

6. *Eorum qui migraverant* &c.] *Migrationis.*

7. *Hazarja, Rahamja*] עזריה רעמיה. Pro quibus nominibus, legimus Eſdr. II, 2. שריה רעליה *Scheraja, Rehelaja.* Præterea omittitur apud Eſ-
dram

Digitized by Google

7. Venerunt cum Zorobabele Jeſua, Nehemias, Hazarja, Rahamja, Nachamanis, Mordechais, Bilſan, Miſpherethes, Bigvais, Nechumus, & Bahana.

Numerus virorum populi Iſraëlis *hic fuit :* 8. poſteri Pharhoſi duo millia, centum, ſeptuaginta duo. 9. Poſteri Sephatjæ trecenti, ſeptuaginta duo. 10. Poſteri Arachi ſexcenti quinquaginta duo. 11. Poſteri Phachath-moabi, qui è poſteris Jeſuæ & Joabi, bis mille, octingenti, octodecim. 12. Poſteri Helami mille, ducenti, quinquaginta quatuor. 13. Poſteri Zatthui octingenti, quadraginta quinque. 14. Poſteri Zacchais ſeptingenti ſexaginta. 15. Poſteri Binnuis ſexcenti, quadraginta octo. 16. Poſteri Bebais ſexcenti, viginti octo. 17. Poſteri Hazgadi bis mille, ſexcenti, viginti duo. 18. Poſteri Adonikami ſexcenti, ſexaginta ſeptem. 19. Poſteri Bigvais bis mille, ſexaginta ſeptem. 20. Poſteri Hadinis ſexcenti, quinquaginta quinque. 21. Poſteri Ateri è Chizkija nongenti octo. 22. Poſteri Chaſumi trecenti, viginti octo. 23. Poſteri Betſais trecenti, viginti quatuor. 24. Poſteri Chariphi centum duodecim. 25. Gabahonitæ nonaginta quinque. 26. Bethlechemitæ & Netophatitæ centum, octoginta octo. 27. Hanathothitæ centum, viginti octo. 28. Beth-hazmavethenſes quadraginta duo. 29. Kirjath-jeharimenſes, Chephirenſes & Beerothenſes ſeptingenti, quadraginta tres. 30. Ramenſes & Gabenſes ſexcenti, viginti unus. 31. Michmaſenſes centum, viginti duo. 32. Bethelenſes & Haienſes centum, viginti tres. 33. Nebuntis alterius incolæ quinquaginta duo. 34. Helami alterius poſteri mille, ducenti quinquaginta quatuor. 35. Poſteri Charimi trecenti, viginti. 36. Jerichuntini trecenti, quadraginta quinque. 37. Lodenſes, Chadidenſes & Onuntini ſeptingenti, viginti unus. 38. Senaenſes ter mille, nongenti triginta.

39. Sacerdotes, poſteri Jedahjæ, è familia Jeſuæ, nongenti, ſeptuaginta tres. 40. Poſteri Immeri mille, quinquaginta duo. 41. Poſteri Phaſchuris mille, ducenti, quadraginta ſeptem. 42. Poſteri Charimi, mille, ſeptemdecim. 43. Levitæ poſteri Jeſuæ, è Kadmiele, poſterorum Hodevæ ſeptuaginta quatuor. 44. Cantores, poſteri Aſaphi, centum quadraginta octo. 45. Janitores poſteri Sallumi, Ateri, Talmonis, Hakkubi, Chatitæ, & Sobais centum triginta octo.

26. Ne-

dram *Nachamanis*, cujus omiſſionis nulla poteſt ratio reddi, cùm cetera habeantur alioqui nomina.

Miſpherethes] מספרת *Miſphereth.* Apud Eſdram eſt מספר *Miſphar.*

Nechumus] נחום *Nebhonm.* Eſt apud Eſdram רחום *Rebhonm.*

10. *Sexcenti quinquaginta duo*] Eſdras habet *ſeptingentos ſeptuaginta quinque.* Quæ varietas ut & ceteræ non videntur ortæ, niſi ex oſcitantia Librariorum, aut ex numeris per notas arithmeticas ſcriptis & poſtea tempore fugientibus veſtigiis malè lectis. Sed nemo dixerit ubi ſint errata, an in hoc libro, an in Eſdræ commentario.

11. *Octodecim*] Eſdras in Chiliadibus & hecatontadibus conſentit, ſed hîc habet *duodecim.*

13. *Octingenti*] Eſdras habet *nongentos.*

15. *Binnuis*] בנוי *binnoni.* Apud Eſdram בני *bani*, ubi & pro *ſexcentis quadraginta octo*, leguntur *ſexcenti, quadraginta duo.*

16. *Viginti octo*] Eſdras: *viginti tres.*

18. *Sexaginta ſeptem*] Eſdras: *ſexaginta ſex.*

19. *Sexaginta ſeptem*] Eſdras: *quinquaginta ſex.*

20. *Sexcenti quinquaginta quinque*] Eſdras: *quadringenti quinquaginta quatuor.*

22. *Poſteri Chaſumi*] Apud Eſdram ſequuntur hoc loco *poſteri Betſais*, deinde *poſteri Joræ*, & *poſteri Chaſumi*, qui dicuntur fuiſſe *ducenti viginti tres*, cùm hîc numerus ſit *trecentorum viginti octo.*

23. *Viginti quatuor*] Eſdras: *viginti tres.*

24. *Poſteri Chariphi centum duodecim*] Pro חריף *Hhariph* eſt apud Eſdram יורה *Jorah*, & idem utrobique poſterorum numerus.

25. *Gabahonitæ*] בני גבעון *bne Gibbon, filii Gabahon*, quæ notiſſima urbs fuit, ut & ſequentes. Ideóque non *filios Gibbonis*, ſed *Gabahonitas* vertimus. Sed apud Eſdram vitioſè legitur גבר *Gibar* pro גבעון *Gibbon*, quamvis idem numerus virorum prodatur.

26. *Centum octoginta octo*] Eſdras habet Bethlechemitas quidem *centum viginti tres*, Nethophatitas verò ſeorſim *quinquaginta ſex*, quorum omnium ſumma eſt *centum ſeptuaginta novem.*

28. *Beth-hazmavethenſes.*] *Viri Beth-hazmaveth.* Apud Eſdram eſt: *filii Hazmaveth.* Sæpe nominum ſic compoſitorum pars aliqua omittitur.

29. *Kirjath-jeharimenſes*] *Viri Kirjath-jeharim*, קרית יערים. Urbs notiſſima tribûs Judæ. Apud Eſdram, malè ſcribitur קרית ערים *Kirjath-harim*, omiſſo *Jod*, quod in ſignificatione maximum diſcrimen facit, nam יערים *jeharim* ſilvas, ערים *harim* urbes ſignificat.

32. *Centum viginti tres*] Eſdras: *ducenti viginti tres.*

34. *Helami*] Ante hujus poſteros, ſunt apud Eſdram *Magbiſi poſteri*, quorum hîc nulla mentio, *centum, quinquaginta ſex.* Itaque hîc prætermiſſos cenſuerim; facilè enim omitti potuerunt, vix ac ne vix quidem addi.

36. *Jerichuntini*] Apud Eſdram poſtponuntur Lodenſibus & aliis qui ſimul numerantur.

37. *Lodenſes*] Apud Eſdram, non legimus *viginti unus*, ſed *viginti quinque.*

43. *Hodevæ*] לְהוֹדְוָה *leHodevah.* Vocatur apud Eſdram הוֹדַוְיָה *Hodavjah.* Quorum utrum melius ſit ignotum eſt.

44. *Centum quadraginta octo*] Eſdras: *centum viginti octo.*

45. *Triginta octo*] Eſdras: *triginta novem.*

47. *Si-*

46. Nethinæi poſteri Tſichæ, Chaſuphæ, Tabahothi, 47. Keroſi, Sihæ, Phadonis, 48. Lebanæ, Chagabæ, Salmaïs, 49. Chananis, Giddelis, Gacharis, 50. Reajæ, Retſinis, Nekodæ, 51. Gazami, Huzzæ, Phaſeachi, 52. Beſaïs, Mehunimi, Nephiſſimi, 53. Bakbuki, Chakuphæ, Charchuris, 54. Batſlithi, Mechidæ, Charſæ, 55. Barkoſi, Siſeræ, Thamachi, 56. Netſiachi & Chatiphæ. 57. Poſteri ſervorum Salomonis, poſteri Sotaïs, Sopherethæ, Pheridæ, 58. Jahalæ, Darkonis, Giddelis, 59. Sephatjæ, Chattilis, Phocheret-hattſebajimi, & Amonis. 60. Omnes Nethinæi & poſteri ſervorum Salomonis trecenti, nonaginta duo.

61. Verùm ii qui venerant Thel-melacho, Thel-charſa, Cherubo, Addone & Immero, non potuerunt indicare familiam patriam, proſapiámve ſuam, an ex Iſraële eſſent. 62. Poſteri Delajæ, Tobijæ & Nekodæ ſexcenti, quadraginta duo.

63. E Sacerdotibus poſteri Chabajæ, Hakkotſi, Barzillaïs, qui duxerat uxorem è filiabus Barzillaïs Galahaditæ, & illorum nomine vocatus eſt, 64. quæſiverunt ſcriptum eorum qui Sacerdotes recenſuerant, nec inventi ſunt; *quare* à Sacerdotio repulſi ſunt. 65. Dixit enim eis Thirſatha ne comederent ex rebus ſanctiſſimis, donec exoriretur Sacerdos, qui haberet Urim & Thummim.

66. Omnis multitudo fuit, ſicut unus, quatuor myriadum, bis millium, trecentorum ſexaginta; 67. præter ſervos & ancillas eorum, qui erant ſepties mille, trecenti, triginta ſeptem. Erant etiam iis cantores & cantrices ducenti, quadraginta quinque. 68. Equi eorum erant ſeptingenti, triginta ſex, muli ducenti quadraginta quinque, aſini ſexies mille, ſeptingenti & viginti.

70. Non-

47. *Sibæ*] סיעה. Eſdras ſcribit סיעהא.

48. *Salmaïs*] שלמי *Schalmai*. Eſdras habet hîc עקוב *Hakkoub*.

52. *Beſaïs*] Addit Eſdras proximè poſt hoc nomen: בני אסנה *bne Aſnah*. Quod hinc exciderit.

Nephiſſimi] נְפוּשְׁסִים in textu, in margine ו mutatur in י. At apud Eſdram contrario planè modo in textu נְפִיסִים in margine נפוסים quæ eſt inconſtantia eorum, qui puncta vocalia addiderunt.

54. *Batſlithi*] בצלית *Batſlith*. Apud Eſdram בצלות *Batſlouth*.

57. *Pheridæ*] פרידא *Phrida*. Apud Eſdram: פרודא *Pherouda*.

59. *Amonis*] אמון *Amou*. Decurtatâ voce, eſt apud Eſdram אמי *Ami*.

61. *Addone*] אדון. Eſdras אדן.

62. *Quadraginta duo*] Eſdras: *quinquaginta duo*.

64. *Nec inventi ſunt*] Vide ad Eſdr. II, 62.

66. *Quatuor myriadum*] Eadem ſumma, apud Eſdram, habetur; quæ tamen neque hîc, neque illic conſentanea eſt minoribus ſummis additis. Si addantur quæ apud Eſdram leguntur, efficiunt homines 29818. quæ verò hîc apud Nehemiam 31089. Ergo ſi omnium ſumma ſit bene ſubducta, deſunt apud Eſdram 12542. & apud Nehemiam 11271. Quod diſcrimen, ut rotundo numero utamur, ut fecimus ad Eſdræ calculum, dicamus eſſe myriadis unius, ſeu decem millium hominum. Primùm mirum eſt Nehemiæ exemplar non conſentire per omnia cum exemplari Eſdræ, neque in nominibus, neque in numeris. Alterum quod mirari ſubit eſt, quòd ſit utrobique eadem omnium ſumma, quæ tamen neutro in ſcriptore conſentit cum minoribus numeris, & in Nehemia major eſt quàm apud Eſdram hominibus 1271. Diximus ad Eſdram, ex ſententia *Lud. Cappelli*, diſcrimen hoc ortum non eſſe, niſi ex numeris perperam deſcriptis; nec ſanè aliam æquè probabilem hujus diſcriminis rationem comminiſci poſſumus.

Vir doctiſſimus *Sal. Glaſſius* Phil. Sacr. Lib. I. Tr. 1. hoc pernegat, quia numeri in Hebræo textu integris vocibus ſcribuntur. Sed nihil vetat quin putemus factum hoc poſtea fuiſſe à Maſſorethis, ne graviora menda, quàm ea erant quæ in ſuis libris jam videbant, orirentur; quod cenſuit *Lud. Cappellus*, quem multi viri eruditi ſequuti ſunt. Præterea vir eruditiſſimus, ut nullum hîc eſſe mendum oſtendat, contendit, cum multis aliis viris doctis, duplicem factam eſſe recenſionem Judæorum; alteram in Babylonia, alteram in Judæa, ſeu Jeroſolimæ. Priorem volunt apud Eſdram exſtare, & cùm numerus eſt minor apud Nehemiam, qui recenſionem refert factam Jeroſolimæ, factum hoc quia multi qui nomen ſuum dederant inter redituros, poſtea mutato conſilio non redierunt; præterquàm quòd nonnulli ex iis, qui profecti fuerant, in ipſo itinere mori potuerunt. Sed quia Nehemias non uno loco majores numeros habet, atque adeò univerſorum ſummam ampliorem; probabile eſſe putat nonnullos, qui primo profectionis tempore nomina ſua non dederant, mutaviſſe etiam conſilium & cum aliis rediiſſe in Judæam; atque hinc factum cenſet ut unâ familiâ auctior ſit Nehemiæ recenſio.

Verùm in hoc, quod poſtremum dicit, fallitur recenſio enim Eſdræ auctior eſt familia Magbiſi, ut monuimus ad verſum 34. Nec duplicis illius recenſionis, aut mutationis conſilii nonnullorum Judæorum, qui præter id quod animo præceperant manſerint in Babylonia, aut redierint in Judæam, ullum eſt vel minimum veſtigium apud Nehemiam, aut Eſdram. Imò verò diſertè dicuntur recenſiti Judæi vſ. 6. *rediiſſe Jeroſolimam*, & *in Judæam*, *unuſquiſque in urbem ſuam*; quod niſi factum eſſet ab omnibus, deleta fuiſſent nomina ab Eſdra eorum qui manſiſſent in Babylonia. Commentum merum eſt virorum doctorum, ea tantùm de cauſa fictum, ne Librariorum menda in Codicibus Hebraïcis agnoſcere cogerentur; quod nec ſic evadunt, cùm ſumma, quæ alias minores omnes continet, ſit quidem eadem apud Nehemiam & Eſdram, ſed non conſentiat, ut diximus, cum minoribus numeris.

Verùm

70. Nonnulli ex principibus patriarum *familiarum* contulerunt ad opus faciendum, &
Præfectus quidem aureas drachmas mille, crateres quinquaginta, & tunicas ſacerdo-
tales quingentas & triginta. 71. Alii verò principes patriarum *familiarum* dede-
runt theſauro operis drachmarum auri myriadas duas, & argenti minas bis mille du-
centas. 72. Reliquus tandem populus dedit aurearum drachmarum duas myriadas, ar-
genti minarum duo millia, & tunicas ſacerdotales ſexaginta ſeptem. 73. Habitarunt
autem Sacerdotes, Levitæ, Janitores, & Cantores, *hominéſque* è populo & Nethinæi,
univerſus denique Iſraël, in urbibus ſuis; & cùm adveniret menſis ſeptimus, jam Iſraë-
litæ in urbibus ſuis erant.

VIII. Populus Judæus audit Jeroſolimæ prælectionem legis, quam interpretantur Sacerdotes. Feſtum Tabernaculorum celebrat, auditque quotidianam Legis recitationem.

1. CONVENIT deinde univerſus populus, inſtar unius viri, in plateam, quæ eſt Caput VIII.
ante portam Aquæ, juſſitque Eſdram Scribam, adferre librum Legis Moſis,
quam Jehova dederat Iſraëli. 2. Attulit verò Eſdras Sacerdos Legem coram
cœtu, *in quo* omnes *aderant* à viris ad mulieres qui intelligere poterant, ad audien-
dum, die primo menſis ſeptimi. 3. Deinde in eo legit ante plateam, quæ eſt ante
portam Aquæ, à *prima* luce ad meridiem, coram viris & mulieribus, iiſque qui intelli-
gere poterant; ac aures quidem totius populi ad librum Legis *attentæ fuerunt*.
4. Sta-

Verùm vir longè doctiſſimus P. *D. Huetius* Demonſtr. Evang. Prop. IV. ubi de libris Eſdræ, ait acutè obſervaſſe *Altingium* ſummam hominum à Nehemia recenſitorum, qui in Eſdræ recenſione non exſtant, additam ad ſummam hominum ab Eſdra recenſitorum eumdem efficere numerum ac ſummam hominum ab Eſdra recenſitorum, qui in Nehemiæ recenſione non exſtant, unde apparet libri utriuſque conſenſus. Non eſt ad manum liber, unde hoc à viro doctiſſimo profertur; ſed quiſquis hoc invenit ſine dubio errat, ut comperiet quiſquis calculos ponet, nam ſi conferantur numeri quibus Eſdras & Nehemias diſcrepant, deprehendetur Nehemias ſuperare Eſdram numero virorum 1271.

Hinc colligimus multò ſatius eſſe agnoſcere hac in re errorem numerorum, quàm ad violentas confugere interpretationes. Certè *Samuel Bochartus*, cujus judicium maximi eſt in ejuſcemodi rebus ponderis, Hieroz. P. 1. Lib. II. Cap. IX. ait in numeris menda paſſim accidere neminem negare poſſe, *qui non ſit idem harum litterarum planè rudis atque imperitus*. Tum ejus rei exempla aliquot profert, quæ etiam in hiſce noſtris Commentariis invenientur. Nec propterea vacillat Hiſtoriarum Sacrarum fides, ad ſummam rei quod attinet, quamvis agnoſcantur hìc illic menda nonnulla. Exempli gratiâ, ſit hic error in numero eorum, qui à Babylonia redierunt; an minùs propterea conſtat aliquot Iſraelitarum myriadas in Judæam rediiſſe, & Jeroſolimam inſtauraſſe? Atqui hac in re conſentiunt Eſdras & Nehemias, quam etiam ſequentium ætatum hiſtoria prorſus confirmat. Sed objectionibus hominum ſuperſtitioſorum, potiùs quàm religioſorum, contra ejuſmodi menda ſatis ſupérque reſpondit *Lud. Cappellus*.

67. *Quadraginta quinque*] Deeſt hic numerus Eſdr. II, 65.

70. *Nonnulli ex principibus*] מקצת ראשי האבות *ab extremitate capitum patrum*; hoc eſt, ex iis qui principes erant familiarum patriarum. Vide ad Gen. XLVII, 2. & *Chr. Noldium* ad ſignificationem 2. hujus particulæ. Rectè Vulgatus, *nonnulli de principibus*. Incommodè LXX. Intt. ἀπὸ μέρους τ̃ ἀρχόντων. Hinc autem iterum incipit narratio Nehemiæ, ſi credimus neſcio cui, qui Verſioni Latinæ hæc verba inſeruit: *Huc uſque refertur quid in commentario ſcriptum fuerit, exin Nehemiæ Hiſtoria texitur*. Sed debuiſſet hoc monitum differri ad initium Capitis ſequentis.

Præfectus] התרשתא *hatthirſchatha*. Sic vocabatur præfectus Judææ. Vide not. ad Eſdr. C. II, 63 & infrà Cap. VIII, 9.

Aureas drachmas mille &c.] Hæc collatio facta eſt ad ædificationem Templi, ſed aliter narratur Eſdræ Cap. II, 68. Hic minùs eſt pecuniæ, ſed plus veſtium ſacerdotalium. Sat magna etiam hìc eſt ſumma, licèt, ut volebat *Ed. Bernardus*, drachmam auri æſtimemus tantum 16. Schilliugis Anglicis, cum *Ric. Cumberlandus* Libræ Anglicæ eam æquet. Vide ad Eſdram. Seu hanc rationem ſequaris, ſeu eam quæ ab Eſdra traditur, ingens videbitur pecunia, ſi conſideretur numerus populi.

Ex hoc Capite à vſ. 6. poſſumus colligere à Scriptore hujus libri lectum non fuiſſe Eſdræ librum, qualem certè eum habemus, eum enim eſſet ſequutus; cùm videamus alia ab eo narrari, quæ habuit ex ſcheda tempore reditûs è Babylonia ſcripta.

In Caput VIII.

1. *IN plateam quæ eſt ante portam*] Inter Templum & Portam, eo loco, ubi videtur ubi poſtea fuit Atrium Gentilium, ad ejus orientem. Vide vſ. 16.

Adferre librum legis] Quem ſingulis ſeptenniis publicè legi tempore feſti Tabernaculorum, & quidem anno remiſſionis, præceperat Moſes, Deut. XXXI, 10.

2. *Die primo menſis ſeptimi*] Initio menſis, quo medio celebrari oportebat feſtum Tabernaculorum, de quo Levit. XXIII, 24. & Numer. XXIX, 1.

Digitized by Google

4. Stabat autem Eſdras Scriba in pulpito ligneo, quod eam in rem fecerant; ſtabántque
juxta eum Matthithja, Sema, Hanaja, Urija, Chilkija, & Mahaſeja ad dextram ejus;
ad ſiniſtram verò, Phedaja, Miſaël, Malchija, Chaſumus, Chasbadana, Zecharja
& Meſullamus. 5. Aperuit deinde Eſdras librum coram toto populo, quia univerſo
populo ſuperior erat, & cùm eum aperiret, adſtabat totus populus. 6. Tum benedixit
Eſdras Jehovæ magno Deo, & univerſus populus reſpondit: Amen, Amen; ac ſubla-
tis manibus, & flexo capite adoravit Jehovam, vultu in humum converſo. 7. Jeſua
verò, Banis, Serebja, Jamin, Hakkubus, Sabbathaïs, Hodija, Mahaſeja, Kelita,
Hazarja, Jozabadus, Chanan, Phelaja, & Levitæ interpretabantur legem populo, qui
eodem loco ſtabat. 8. Legebant autem in libro, *ſive* in Lege Dei, diſtinctè, addebánt-
que ſenſum & inter legendum interpretabantur.

9. Dixerunt deinde toti populo Nehemias, qui erat Præfectus, Eſdras Sacerdos &
Scriba, ac Levitæ, qui populum erudiebant: dies hic eſt ſacer Jehovæ Deo veſtro;
ne eo lugeatis, neque fleatis; univerſus enim populus flebat, cùm audiret verba Legis.
10. Dixit etiam Nehemias: ite, comedite ſaginata, bibite dulces *liquores*, & mittite
fercula iis, quibus nihil eſt paratum, quia ſacer eſt hic dies Domino noſtro. Ne do-
leatis, nam gaudium Jehovæ veſtrum eſt robur. 11. Levitæ etiam ſilentium toti popu-
lo imponebant, dicebántque; tacete, quia hic dies ſacer eſt, ne doleatis. 12. Abiit
ergo populus ad comedendum & bibendum, ad mittenda *ſibi invicem* fercula, magná-
que hilaritate *diem* celebrandum; quia intellexerat res, quas ei *Sacerdotes* aperuerant.

13. Similiter die ſecundo, convenerunt principes patriarum *familiarum* totius po-
puli, Sacerdotéſque & Levitæ ad Eſdram Scribam, ut in verbis Legis *ſe* erudiret.
14. Invenerunt autem ſcriptum in Lege, quam dedit Jehova per Moſem, habitare opor-
tere Iſraelitas ſub frondeis tabernaculis, tempore ſeptimi menſis, 15. promulgaréque &
pro-

4. *Pulpito ligneo*] *Turri lignea.* Hoc poſtea imitatæ ſunt Synagogæ, ut multis oſtendit vir doctiſſimus *Camp. Vitringa* de Synagoga Lib. I. P. 1. c. 8.

6. *Magno Deo*] Stylus eſt illius ævi, ut videre eſt ex Eſdr. V, 8. Qua in re Judæi videntur ſe ſe adtemperaſſe ingenio Ethnicorum, corúmque ſermoni; nam Ethnici habebant, ut notum eſt, varios ordines Deorum, *magnóſque Deos* vocabant Deos cœleſtes. Vide hac de re *Servium* ad Æneid. Lib. III, 12. Sic *Cabiri*, hoc eſt, כבירים *cbbirim*, ſeu *magni* dicti ſunt Samothraces Dii; qua de re vide *Tobiam Gutberletum*, in Diſſ. de Cabirorum Myſteriis, Cap. I.

Amen] Quo verbo teſtabatur ſe adſentiri laudibus Dei prolatis ad Eſdra. Fortè dixerat: ברוך יהוה אלהים הגדול והנורא *Benedictus ſit* (hoc eſt, laudetur) *Jehova Deus magnus & terribilis.* Vide Cap. I, 5.

7. *Interpretabantur legem populo*] *Intelligere facientes populum legem.* Videntur Legem Chaldaicâ Linguâ interpretati, atque inde Judæi vulgò natas putant Chaldaïcas Paraphraſes. Conſulendus hac de re *Elias Levita*, in Lexici Chaldaïci præfatione, & *Br. Waltonus* in Polygl. Londinenſium Prolegomenis.

Qui in eodem loco ſtabat] *Et populus erat* על עמדם *homdam ſtare ipſorum*, hoc eſt, in iiſdem veſtigiis, in quibus priùs ſteterat. Per aliquot horas ex eodem loco lectioni, ac interpretationi Legis attentus fuit.

8. *Diſtinctè*] מפורש *mphoraſch.* LXX. Intt. paraphraſi hîc uſi ſunt, habent enim: *καὶ ἐδίδασκεν Ἔσδρας καὶ διέστελλεν ἐν ἐπιστήμῃ κυρίου.* Vulgatus rectiùs habet *diſtinctè & apertè ad intelligendum.* Crediderim ellipticam hanc eſſe loquutionem, quæ ſic pleniùs habeat: יקראו כאשר יקרא מפורש *legerunt quemadmodum ſolet legi id quod explicatur*, vel *diſtinguitur*; nam cùm quidpiam explicatur, in alia Lingua, aliquot verba, quæ ſenſum complectuntur legi ſolent, quorum interpretatio ſubjicitur. Comma Hebraïcum legebatur, deinde ſubjiciebatur interpretatio Chaldaïca; cujus moris etiamnum veſtigia remanent in antiquis Codicibus Bibliorum, ubi eſt Chaldaïca Paraphraſis, cujus ſingula commata ſubjiciuntur ſingulis Hebraïci textûs commatibus, ut obſervarunt qui de Paraphraſibus Chaldaïcis egerunt.

Addebántque ſenſum] *Ponendo ſenſum* שום שכל, *ſchom ſchechel*, pro בשום *in ponendo.* Vulgatus: *apertè ad intelligendum.*

Et inter legendum interpretabantur] ויבינו במקרא *intelligere faciebant in lectione.* LXX. Intt. *συνῆκεν ὁ λαὸς ἐν τῇ ἀναγνώσει*, & Vulgatus, *intellexerunt cùm legeretur.* Sed meliùs hoc intelligamus de Sacerdotibus & Levitis, qui verba prælecta populo interpretabantur. Scio eſſe viros doctos, inter Recentiores Interpretes, qui vertant hîc *per Scripturam.* Sed ſermonis hoc eſt Rabbinici vocare Scripturam מקרא *lectionem*, non antiquioris Hebraïſmi; nec ſermo eſt hîc de collatione locorum Moſis inter ſe, ſed de ſimplici explicatione Legis in Linguam notiorem tranſlatæ.

9. *Ne eo lugeatis*] Erant quidem dies jejunii & luctûs, hoc ipſo menſe, ut docebit Calendarium Judaïcum; & Nehemias C. IX, 1. Sed dies illi feſti non habebantur, quemadmodum dies extra ordinem Deo ſacri, ut ille erat, aut Scenopegiæ, qui ideò inſtituti ut Deo gratiæ agerentur, ob liberationem à tyrannide Ægyptiaca. His & aliis ejuſmodi diebus, moris erat lætari & cum amicis convivari. Vide ad Levit. XXIII, 40.

Flebat cùm audiret &c.] Quod inde intelligeret ignotas ſibi fuiſſe Leges Moſaïcas, magna ex parte, ac proinde parum obſervatas.

10. *Saginata*] Pecudes & volucres, quæ ſaginantur & ſervantur in diem feſtum. Vide
1. Sam.

Digitized by Google

pronunciare per omnes urbes & Jeroſolimæ, hæc verba: exite in montes, & adferte folia oleagina, ſolia arborum oleoſarum, ſolia myrti, folia palmæ, foliáque arborum denſarum, ad facienda tabernacula frondea, quemadmodum ſcriptum eſt. [16] Itaque egreſſus eſt populus attulitque frondes, & ſinguli ſibi tabernacula frondea ſupra tectum ſuum & in atriis ſuis fecerunt; ut & in atriis Ædis Dei, in platea portæ Aquæ, & in platea portæ Ephraimi. [17] Fecit univerſa multitudo eorum, qui redierant ex captivitate, tabernacula frondea, habitarúntque in tabernaculis frondeis; nec ſic fecerant Iſraëlitæ à temporibus Joſuæ, Nunis filii, ad illum uſque diem, fuitque maxima hilaritas. [18] Legit autem *Eſdras*, in libro Legis Dei, quotidie à die primo uſque ad diem ultimum, fecerúntque feſtum ſeptem dierum, & die octavo, pro more, clauſula fuit.

IX. Jejunium Iſraëlitarum ſe ſe ab alienigenis ſubducentium. Preces ab Sacerdotibus & Levitis, pro toto populo, fuſæ.

CAPUT IX.

[1] DIE vigeſimo quarto menſis hujus, convenerunt Iſraëlitæ ad jejunium, ſaccis induti, & pulvis ſuper iis erat. [2] Tum ſecreverunt prolem Iſraëlis, ab omnibus alienigenis, ſteterúntque & peccata ſua, Majorúmque ſuorum delicta confeſſi ſunt. [3] Surgentes enim in loco, in quo ſtare ſolebant, legerunt in libro Legis Jehovæ Dei ſui, per quartam partem diei; & per quartam partem, confeſſi ſunt *peccata ſua* & Jehovam Deum ſuum adorarunt.

[4] Surrexerunt deinde in pulpito Levitarum Jeſua, Banis, Kadmiel, Sebanja, Bunnis, Serebja, Banis, Chenanis, & magnâ voce Jehovam Deum ſuum invocarunt. [5] Dixerunt etiam Levitæ Jeſua, Kadmiel, Banis, Chaſabneja, Serabja, Hodija, Sabanja, Phetachja: agite, benedicite Jehovæ Deo veſtro, ab ævo in ævum; benedixerúntque nomini tuo glo-

1. Sam. XXVIII, 24. Prov. XV, 17. Luc. XV, 23. & ſeqq.

Dulces liquores] Ut mulſum, aliáque dulcia naturâ ſuâ vina, quæ quotidie non bibuntur, ſed in convivia adſervantur. *Λιπάσματα* & *γλυκάσματα* habent hîc Græci, & Latinus, *pinguia & mulſum.*

Mittite fercula] שלחו מנות *ſchillechhou manoth*, mittite partes. Quod ſacris factis fieri ſolebat, ut oſtendimus ad Num. XXII, 40.

Quibus non eſt paratum] לאין נכון *leen nachon*, nihil parato; hoc eſt, לאשר אין נכון *cui nihil paratum.*

Gaudium Jehovæ &c.] Eò tutiores & ſecuriores eritis, quò meliùs & hilariùs dies Deo conſecratos & feſtos tranſigetis. Vocat ejuſmodi hilaritatem *gaudium Jehovæ*, quòd in honorem Jehovæ hilariter dies illos feſtos egerint, ut gratum animum teſtarentur, ob beneficia ab eo olim accepta.

12. *Magnáque hilaritate* &c.] *Ad faciendam hilaritatem magnam.* Galli dicunt: *pour faire une grande rejouïſſance.*

13. *Ut in verbis Legis* &c.] ולהשכיל אל דברי תורה oulehaſchil eth dibre thorah, *& ad intelligentiam facere verba Legis*; hoc eſt, ut ea ipſis interpretaretur.

15. *Promulgare* &c.] *Quòd facerent audire & facerent tranſire vocem* &c. Vide Levit. XXII, 39. & ſeqq.

Arborum oleoſarum] עץ שמן *bets ſchemen*, arboris olei. Tales ſunt nuces & amygdalæ, aliæque ejuſmodi arbores, quæ pinguiore ſucco aluntur.

Folia myrti &c.] Vide not. ad Levit. XXII, 40.

16. *Supra tectum*] Quia, ut notum eſt, tecta erant plana, ut oſtendimus ad Deut. XXII, 8.

17. *Nec ſic fecerunt* &c.] Ea tamen lex nec erat obſcura, nec obſervatu difficilis. Sed leges Moſaïcæ numquam accuratè obſervatæ fuerant, ut ſæpe diximus.

18. *A die primo* &c.] Non tantùm feſti Tabernaculorum, ſed menſis Thiſri, ut habemus vſ. 2.

Feſtum ſeptem dierum] A die 15. menſis ad 22.

Clauſula] עצרת *hatſereth*, quâ claudebatur feſtum & dimittebatur populus. Vide ad Levit. XXII, 36.

In CAPUT XIX.

1. DIe *vigeſimo quarto*] Ad hunc diem Calendaria Judaica referunt feſtum, quod dicitur שמחת תורה *hilaritas legis*, ſeu ob legem acceptam. Sed ſi feſtum hoc Eſdræ ætate obſervatum fuiſſet, numquam eo jejunium indixiſſet. Vide vſ. 2. & ſeqq. Cap. VIII.

2. *Secreverunt prolem Iſraëlis* &c.] Qui à tempore primæ emendationis Eſdræ alienigenas uxores duxerant eas dimiſerunt. Redierat Eſdras anno VII. Artaxerxis, hic verò erat vigeſimus.

3. *In quo ſtare ſolebant*] על עמדם *hal homdam*, ut Cap. VIII, 7. Intelligitur Atrium.

Legerunt in libro] Per Levitas, nempe, legi curarunt.

4. *In pulpito*] על מעלה *hal mahaleh*, in loco edito, qui *turris lignea* dicitur C. VIII, 4.

5. *Benedicite Jehovæ* &c.] Dicentes, nempe, ברוך אתה יהוה אלהינו מעולם ועד עולם *benedictus eſto, Jehova Deus noſter, ab ævo in ævum*; hoc eſt, perpetuò laudes quibus dignus es celebrentur; vel auribus preces quæ ſequuntur exceperunt, eáſque adclamatione ſollemni τῦ AMEN confirmarunt.

Nomini tuo &c.] Nehemias hîc, ut alibi, Deum alloquitur. Pro *glorioſo* eſt כבודך chbodcha, *gloriæ tuæ*, ſollemni Hebraïſmo.

glorioſo & ſupra omnem benedictionem, laudémque evecto, *his verbis*: [6] Tu Jehova ſolus es, tu feciſti cœlum, cœlúmque cœlorum, & totum eorum exercitum, terram & omnia quæ in ea ſunt, maria & quæcumque ſunt in illis. His omnibus das vitam, & exercitus cœli te adorat. [7] Tu Jehova es Deus qui elegiſti Abramum, qui eum Ure Chaldæorum eduxiſti, & nomen ei Abrahamo impoſuiſti. [8] Deprehendiſti animum ejus fidelem eſſe coram te, & cum eo pepigiſti fœdus, de danda terra Chananæorum, Chitthæorum, Emoræorum, Pherizæorum, Jebuſæorum & Girgaſæorum, de danda, *inquam*, illa poſteris ejus, & præſtitiſti promiſſa tua, quia juſtus es. [9] Vidiſti afflictionem Majorum noſtrorum in Ægypto, clamorémque eorum ad mare algæ audiviſti. [10] Edidiſti ſigna & portenta contra Pharahonem, omnes ejus ſervos, omnémque terræ ejus populum; quia intellexeras eos ſuperbè ſe erga Iſraëlitas geſſiſſe, peperiſtique tibi famam, qualis eſt hodie. [11] Mare diviſiſti, coram illis, tranſieruntque in medio mari, per aridum *ſolum*; eos verò qui eos perſequebantur projeciſti in profunda, tamquam lapidem in multam aquam. [12] Columnâ nubis duxiſti eos interdiu, columnâ verò igneâ noctu, ut illuceres viæ, quam erant ingreſſuti. [13] In montem Sinaïn deſcendiſti, alloquutus es eos è cœlo, dediſtique eis jura recta, leges æquas, inſtitutáque & præcepta bona. [14] Sabbathum tibi ſacrum eos docuiſti, præceptáque inſtituta & leges eis, per Moſem ſervum tuum, obſervandas tradidiſti. [15] Cùm fame laborarent, panem è cœlo eis dediſti; cùm ſiti, aquam è rupe in eorum gratiam eduxiſti, eóſque juſſiſti poſſeſſionem adire terræ, quam manu ſublatâ *juraveras* te eis daturum. [16] At illi & patres noſtri ſuperbè ſe geſſerunt, indurarúntque cervicem ſuam, nec præcepta tua audiverunt. [17] Renuerunt auſcultare, nec recordati ſunt rerum mirabilium, quas apud eos feceras; ſed obdutarunt cervicem, conſtituerúntque ducem in rebellione, ad redeundum ad ſervitutem ſuam; at tu Deus exorabilis, beneficus, miſericors, tardus ad iram, & ſummopere benignus eos non deſeruiſti. [18] Præterea cùm feciſſent ſibi vitulum conflatilem, & dixiſſent: hic eſt Deus tuus, qui te ex Ægypto eduxit: feciſſéntque ea quibus maximè provocareris; [19] tu tamen, præ multa tua miſericordia, eos non deſtituiſti, in ſolitudine. Columna nubis non receſſit ab iis interdiu, ad eos per viam ducendos; nec columna ignea per noctem, ut iis & viæ, quam ingrederentur, illuceret. [20] Spiritum tuum bonum dediſti, qui eos doceret, nec mannam ab eorum ore cohibuiſti, aquámque eis cùm ſiti laborarent largitus es. [21] Per quadraginta annos aluiſti eos in deſerto, nec *ulla re* eguerunt. Veſtes eotum non inveterarunt, nec pedes eorum tumuerunt. [22] Donaſti eos regnis & po-

[6] *Tu Jehova ſolus es*] אתה הוא יהוה לבדך *atthah hou Jehovah lbaddecha*. Hoc eſt, tu ſolus dignus es, qui dicaris Jehovah, ſeu γενεσιουργὸς, id eſt, is qui effecit ut eſſet quidquid eſt. Vide de hae ſignificatione vocis יהוה adnotata ad Exod. VI, 3.

Cœlúmque cœlorum] Vide uot. ad 1. Reg. VIII, 27.

Exercitum] Stellas. Vide ad Gen. II, 1. Angelos etiam eâ voce ſignificari liquet ex 2. Reg. XXII, 9.

[8] *Pepigiſti*] וכרות ouchroth, & *cædere*. Niſi addas *voluiſti* חפצת *chaphatstha*, aut ſimile quiddam, hiulca eſt oratio; aut legendum כרית *charitha*, cecidiſti, quod fortè melius.

Præſtitiſti promiſſa tua] *Feciſti ſtare verba tua*; hoe eſt, impleviſti, præſtitiſti; nam *cadere* contrà *in terram* dieuntur quæ irrita ſunt.

Quia juſtus es] Eſt re verâ maxima adfinitas fidei eum juſtitia, cujus etiam eſt fundamentum ſi credimus *Ciceroni* de Officiis Lib. I. cap. 7. *Fundamentum eſt autem*, inquit, *Juſtitiæ fides; id eſt, dictorum conventorúmque conſtantia & veritas*. Qua de re vide *Hug. Grotium* de Jure P. & B. Lib. II. e. XI. Hine factum ut *juſtus* dicatur verax, & viciſſim *verum* quod juſtum eſt. Ac ſanè ita juſtum eſt præſtari, conditione impletâ, ut injuſtus habeatur, qui ea non implet. Vide inferiùs vſ. 33. & 1. Joan. I, 9.

[9] *Mare algæ*] Rubrum. Vide *Sam. Bocharti* Phaleg Lib. IV. c. 29.

[10] *Erga Iſraëlitas*] *Ergaeos*. Sed quia remotius nomen erat, ſubſtantivum repetii.

[11] *Mare diviſiſti* &c.] Vide Diſſertationem noſtram *de Trajectione Maris Idumæi*.

In multam aquam] *In aquas validas*.

[14] *Sabbathum tibi ſacrum*] *Sabbathum ſanctitatis tuæ*.

Leges — tradidiſti] *Legem præcepiſti*, vel obſervandam dediſti.

[15] *Manu ſublata juraveras*] Ἀνθρωποπάθεια. Vide Num. XIV, 20. & ſeqq.

[17] *Ducem ad redeundum*] Voluerunt hoc facere, ut liquet ex Numer. XIV, 4. & perfeciſſent, niſi Deus ipſe obſtitiſſet. Ideóque hîc feciſſe dicuntur, quòd perinde eſſet, apud Deum.

Exorabilis] *Propitiationum*, סליחות *ſlihhoth*.

[18] *Ea quibus maximè provocareris*] *Provocationes magnas*, נאצות *neatſoth*. Optimè LXX. Intt. παροργισμοὺς μεγάλους, nam נאץ in Pihel eſt παροργίζειν, *irritare*. Minùs commodè Vulgatus *Blaſphemias* vertit.

[20] *Spiritum tuum bonum*] Intelligitur ſpiritus propheticus in LXX. viros effuſus, de quo Num. XI, 13, & ſeqq.

[21] *Veſtes eorum non inveterarunt*] Quia nec veſtea iia defuerunt, nec calcei. Vide not. ad Deut. VIII, 4. & quæ habet hac de re eximius Juriſ-

populis, iiſque diviſiſti *eorum agros* ad extremitatem uſque. Poſſeſſione ceperunt terram Sichonis, terram Regis Chesbonis & terram Hogi, Baſanitidis Regis. 23. Liberos eorum auxiſti ad inſtar ſtellarum cœli, intromiſiſtique eos in terram, cujus dixeras patribus eorum poſſeſſionem ab iis aditum iri. 24. Poſſeſſionem ergo adiverunt poſteri ejus tractûs, humiles reddidiſti in eorum conſpectu Chananæos terræ incolas, & tradidiſti in eorum manum Reges & terræ populos, ut eos haberent quemadmodum vellent. 25. Ceperunt ergo urbes munitas, & ſolum pingue, poſſederúntque domos plenas omni bonorum genere, ciſternas *in rupe* exciſas, vineas, oliveta, & arbores frugiferas magno numero. Tum comederunt, ſaturati ſunt, pingues evaſerunt, & ob tuam magnam beneficentiam deliciati ſunt. 26. Poſtea *te* provocarunt, rebellarunt in te, à tergo Legem tuam abjecerunt, Prophetas tuos, qui obteſtabantur eos, ut ad te redirent, occiderunt, eáque quæ te vehementer irritarent commiſerunt. 27. Tum verò eos in manum hoſtium ſuorum tradidiſti, qui eos in *magnas* anguſtias redegerunt. At tempore anguſtiarum ſuarum, te invocarunt, tu verò è cœlo audiviſti, &, pro tua magna miſericordia, liberatores eis dediſti, qui eos manui hoſtium ſuorum eripuerunt.

28. Attamen poſtquàm quieverant, iterum fecerunt quod tibi diſplicet, quare eos deſeruiſti in manu hoſtium ſuorum, qui iis dominati ſunt. Illi verò iterum te invocarunt, túque è cœlo eos exaudiviſti atque temporibus *ſuis*, pro magna tua miſericordia, liberaſti. 29. Eos obteſtatus es, ut eos reduceres ad Legem tuam; at illi ſuperbè ſe geſſerunt, nec præceptis, legibúſque tuis auſcultarunt; peccarunt in eas, quas ſi quis obſervet, earum ope vivet, præbuerúntque humerum contumacem, cervicem indurarunt, nec paruerunt. 30. Diſtuliſti tamen iis *iraſci* per multos annos, eóſque obteſtatus es, ſpiritu tuo, per Prophetas tuos; cúmque non audirent, in manum populorum terrarum eos tradidiſti. 31. Attamen propter magnam tuam miſericordiam, eos prorſus non abſumſiſti, neque dereliquiſti, quia Deus es beneficus & miſericors. 32. Nunc ergo Deus noſter, Deus magne, fortis, terrifice, qui ſervans es fœderis & beneficentiæ, ne exigua ſit apud te hæc vexatio in quam incidimus, *& quæ contigit* Regibus Principibus, Sacerdotibus, Prophetis, Majoribúſque noſtris, toti denique populo tuo, à temporibus Regum Aſſyriorum, ad hunc uſque diem. 33. Juſtus es in omnibus, quæ nobis contigerunt, æquitatem exercuiſti; ſed nos nocentes facti ſumus, 34. ut & Reges noſtri. Principes, Sacerdotes, patréſque noſtri Legis tuæ obſervantes non fuerunt, neque attenderunt præcepta tua, obteſtationéſque, quibus erga nos uſus es.
35. Illi

Juriſconſultus *Ger. Noodt*, in eruditiſſimo libro de Fœnore & Uſuris Lib. I. c. 10.

22. *Ad extremitatem uſque*] Hoc eſt, nullâ parte veteribus colonis relictâ.

Regis Chesbonis] Idem eſt ac Sichon, qui Moabitis Chesbonem eripuerat. Vide Numer. XXI, 24. & ſeqq.

25. *Arbores frugiferas*] *Lignum cibi*, arbor quæ fructus, quibus ali queant homines, profert.

26. *A tergo legem tuam* &c.] Quæ ſpernimus interdum poſt dorſum projicimus, ideoque hac loquutione contemtus ſummus divinarum legum exprimitur. Vide 1. Reg. XIV, 9.

Prophetas tuos &c.] Sub regno præſertim Achabi. Vide 1. Reg. XVIII, 13, 22. Sed & in Judæ regno Zacharias, Barachiæ filius, eſt occiſus 2. Ephem. XXIV, 20. Quod fortè & ſæpius contigit, licèt in breviſſima hiſtoria minimè narretur.

28. *Iterum fecerunt* &c.] *Redierunt ad faciendum malum coram te.*

Temporibus ſuis] עתים *bitthim*, pro בעתים *bebitthim*; hoc eſt, in iis temporibus, quibus conveniens ſapientiæ tuæ viſum eſt eos liberari.

29. *Earum ope vivet*] Hoc eſt, incolumis ac beatus in terra Chananæa vivet. Vide Levit. XVIII, 5.

Humerum contumacem] Metaphora à tauris, aut vaccis petita, quibus ægrè jugum imponitur, quod rigido collo, & humeris nondum adſuetis id excutiant. Vide Hoſ. IV, 16. ubi hæc eadem vox סוררת *ſorereth* adhibetur.

30. *Diſtuliſti* &c.] *Traxiſti ſupra eos annos multos* &c.

31. *Eos prorſus non abſumſiſti*] *Non feciſti eos conſumtionem*, לא עשיתם כלה. LXX. Intt. *ἐποίησας αὐτοὺς εἰς συντέλειαν*, & Vulgatus: *non feciſti eos in conſumtionem.* Incommodè. Vide Ezech. XI, 13.

32. *In quam incidimus*] *Quæ nos invenit.*

33. *Æquitatem exercuiſti*] *Veritatem feciſti* אמת *emeth* paſſim pro benignitate ſumitur. Sed hîc *æquitatem* ſignificat, aut *juſtitiam* minimè rigidam, quæ hic Deo tribuitur & opponitur peccatis Iſraëlitarum, quibus non pœnas modò quas tulerant, ſed & graviores commeriti erant. Antea obſervavimus, etiam apud Græcos & Latinos, *Veritatem* & *Juſtitiam* confundi, propter arctiſſimum connexum, qui inter eas intercedit. Vide vſ. 13.

Nocentes facti ſumus] הרשענו *birſchabenou*; hoc eſt, reos nos fecimus; nam רשע *raſchah*, eſt propriè nocens ac reus. Gallicè optimè dicas: *nous nous ſommes rendus coupables.*

34. *Ut & Reges*] Conjunxi hæc cum antecedente verbo, propter notam accuſativi quæ præfigitur, ואת מלכינו *veeth malchenou.*

35. Illi in regno ſuo, in bonis quibus eos donaveras, ac in terra latè patente & pingui, quam illis *invadendam* expoſueras, te non coluerunt, nec à ſuis *malè* factis redierunt *ad te.* 36. En nos hodie ſervos, & quidem in terra, quâ donaveras Majores noſtros, ut fructu ejus veſcerentur, & bonis *fruerentur.* 37. Copioſus ejus proventus eſt Regum, quos nobis propter peccata noſtra impoſuiſti, & qui corporibus, pecudibúſque noſtris pro arbitrio dominantur, *ita ut* in magnis anguſtiis verſemur.

X. Fœdus cum Deo renovant & ſubſcriptionibus ſuis firmant Judæi, & præſertim quidem quæ Templo & Sacerdotibus debebantur promittunt.

CAPUT X.

1. PROPTER hæc omnia, pepigimus nos firmum *fœdus*, cui obſignato ſubſcripſimus per proceres, Levitas, ac Sacerdotes noſtros. 2. Inter obſignantes fuerunt Nehemias præfectus, Chachaljæ filius, Tſidkija, 3. Seraja, Azarja, Jirmeja, 4. Phaſchur, Amarja, Malchija, 5. Chatthuſus, Sebanja, Malluchus, 6. Charimus, Meremothus, Hobadja, 7. Daniel, Ginnethon, Baruchus, 8. Meſullamus, Abija, Mijamin, 9. Mahazja, Bilgaïs, Semaja; qui quidem erant Sacerdotes. 10. Levitæ verò Jeſua Azanjæ filius, Binnuis, è poſteris Chanadadi, Kadmiel, 11. & fratres eorum Sebanja, Hodija, Kelita, Phelaja, Chanan, 12. Micha, Rechobus, Chazabja, 13. Zacchur, Sarebja, Sebanja, 14. Hodija, Banis, Beninuus.

15. Principes verò populi Pharhoſus, Phachath-moabus, Helamus, Zatthuus, Banis, 16. Bunnis, Hazgadus, Bebaïs, 17. Adonija, Bigvaïs, Hadin, 18. Ater, Chizkija, Hazzur, 19. Hodija, Chaſumus, Betſaïs, 20. Chariphus, Hanathothæ, Nebais, 21. Magphihaſus, Meſullamus, Chezir, 22. Meſezabeel, Tſaddokus, Jaddua, 23. Phelathja, Chanan, Honaja, 24. Hoſea, Chananja, Chaſſubus, 25. Hallocheſus, Philcha, Sobakus, 26. Rechumus, Chaſabna, Mahaſeja, 27. Achija, Chanan, Hanan, 28 Malluchus, Charimus, Bahana.

29. Re-

35. *In bonis quibus eos donaveras*] *In bono tuo multo quod dederas eis.*

Invadendam expoſueras] *Dederas ante faciem eorum.*

36. *Et quidem in terra* &c.] *Et terra quam dederas patribus noſtris, ad comedendum fructum ejus & bonitatem ejus, ecce nos ſervos ſuper ea.* Paucioribus verbis omnem horum ἐμφάσει expreſſimus, nulla re omiſſâ.

37. *Quos nobis impoſuiſti*] Hæc omnia veriſſima quidem erant, ſed neſcio quomodo ad rebellionem ſpectare credita non ſint à Perſis, aut ad eorum aures uon pervenerint; cùm præſertim vicini Judæis iuviderent & inſidiareutur, ut in ſuperioribus Capitibus vidimus. Favent hæc eorum ſententiæ, qui Artaxerxem *Longimanum* Aſſuerum fuiſſe, Eſtheræ virum, putant, nam & muros Jeroſolimæ inſtaurari, ringentibus licèt vicinis, & ejuſmodi ſermoues palam haberi paſſus non eſſet, niſi qui vehementer Judæis faviſſet.

In CAPUT X.

1. P*Epigimus firmum fœdus*] אנחנו כורתים אמנה *anahhnou chorethim amanah*, nos cædentes veritatem, aut conſtantiam, vel fidelitatem; hoc eſt, ברית אמנה *fœdus veritatis.* LXX. Intt. διατιθέμεθα πίστιν. Vulg. *percutimus fœdus.*

Cui obſignato ſubſcripſimus &c.] *Et ſcribentes & ſuper obſignato Principes noſtri* &c. וכותבים ועל החתום שרינו. Τὸ *Vau* videtur abundare ante על, nam adpoſito ſigillo adſcribitur nomeu. LXX. Intt. habent καὶ γράφομεν ἐπισφραγίζων, & Vulg. *& ſcribimus & ſignant.* Poſſet & hîc fortè legi, ne quid diſſimulem, ut in ſequente verſu: ועל החתומים *& inter ſubſcriptos.*

15. *Pharhoſus* &c.] Hæc ſunt fermè nomina non virorum, ſed familiarum ab iis oriundarum, horum enim poſteri jam anno primo Cyri magno numero cum Eſdra venerant, ut docet ipſe Nehemias Cap. VII. Videntur ſingularum familiarum principes pro tota familia ſubſcripſiſſe & uſi eſſe nomine progenitoris, non ſuo proprio.

20. *Hanathothæ, Nebais*] Dubium non eſt quin ענתות *Hanathoth* ſit nomen urbis in Tribu Benjaminis, cujus urbis incolæ centum viginti octo venerant cum Eſdra, ut vidimus Cap. VII, 27. Itaque ut alii uomiue progenitoris ſubſcripſerant fœderi: fuere, qui nominibus urbium ſuarum uſi ſint, ad ſignificandos omnes earum incolas. Sequens nomen ſcribitur in textu נובי *Nobai*, in margine ניבי *Nebai.* Si eſſet נבו *Nebo* ſignificarentur Nebuntini.

29. *Reliquus verò* &c.] Non ſubſcripſit quidem, ſed ratum habuit quidquid nomine totius populi à proceribus factum erat, juravitque id à ſe obſervatum iri.

Quiſquis ſeceſſerat] Proſelyti omnes intelliguntur, qui abjuratâ Idololatriâ ſe ſe Judæorum Reipublicæ adjunxerant. LXX. Intr. habent προσπορευόμενος, quod idem prorſus eſt, ac προσήλυτος.

30. *Participes fuerunt exſecrationis* &c.] *Et venientes in exſecratione* &c.

31. *Populis terræ*] Quamvis cum nullo omnino populo connubia miſcere fas eſſet, hoc tamen in loco, ut ſequentia verba oſtendunt, intelliguntur potiſſimùm vicinorum tractuum populi. Minus erat periculum ne cum remotioribus, quibuſcum rariora erant commercia, adfinitatem conjungerent.

32. *Merces & quodvis alimentum*] המקחות וכל שבר *hammakkahhoth vechol ſcheber*, quæcumque

29. Reliquus verò populus, Sacerdotes, Levitæ, Janitores, Cantores, Nethinæi,
& quiſquis ſeceſſerat à populis terrarum, *ut ſe adjungeret* Legi Dei, uxores eorum,
filiique & filiæ, ſcientes omnes & intelligentes, 30. adhærebant fratribus ſuis illuſtriori-
bus, & participes fuerunt exſecrationis & jurisjurandi de incedendo in Lege Dei, quæ
data eſt per Moſem ſervum Dei, déque obſervandis & faciendis omnibus præceptis
Jehovæ Domini noſtri, legibúſque & inſtitutis ejus. 31. *Juravimus* etiam nos non
collocaturos filias noſtras populis terræ, nec eorum filias ſumturos filiis noſtris *collocan-
das*; 32. & ad terræ quidem populos quod attinet, qui allaturi eſſent merces & quod-
vis alimentum, die Sabbathi, vendendi causâ, nos non accepturos ab eis die Sabba-
thi, aut die ſacro; nóſque *culturam* anno ſeptimo, & omnia debita remiſſuros. 33. Con-
ſtituimus etiam nobis præcepta, de imponenda nobis tertia parte ſicli quotannis, uſui
Ædis Dei noſtri; 34. pani *Deo* appoſito, ſacrificio jugi, & holocauſto perpetuo Sab-
bathorum, & Neomeniarum, ſollemnibus feſtis, ſacris *diebus*, victimis pro peccato ad
expiandum Iſraëlem, & omnibus iis quæ fiunt in Æde Dei noſtri.

35. Jecimus quoque ſortes, de oblatione lignorum, Sacerdotes, Levitæ & populus,
ad *ea* inferenda in Ædem Dei noſtri, pro familiis patriis, temporibus præſtitutis, quot-
annis, ad comburendum in altari Jehovæ Dei noſtri, quemadmodum in Lege ſcriptum
eſt. 36. *Juravimus* & nos allaturos primitias terræ noſtræ, primitias omnis fructûs &
omnis arboris quotannis in Ædem Jehovæ; 37. tum etiam primogenitos filiorum noſtro-
rum & pecudum, ſicut ſcriptum eſt in Lege, primogenitos boum noſtrorum, mino-
rúmque pecudum nos adducturos in Ædem Dei noſtri, ad Sacerdotes in Æde Dei
noſtri miniſteria obeuntes; 38. primitias quidem maſſarum noſtrarum & oblationum ela-
tarum, ac fructûs omnis arboris, muſti & olei nos advecturos ad Sacerdotes, in con-
clavia Ædis Dei noſtri; decimas verò terræ noſtræ Levitis *daturos*, & Levitas decimam
collecturos per omnes urbes, quarum *agrum coleremus*. 39. Sacerdotem verò, è filiis
Aharonis, *oportet* eſſe cum Levitis, quando Levitæ decimas accipiunt; Levitas verò fer-
re

que ſumuntur & omnem rupturam. LXX. *ἀγοράσματα καὶ πᾶσαν πρᾶσιν.* Vulgatus, *venalia & omnia ad uſum*. Crediderim מקחת dici non quaſvis merces, ſed eas quæ ad victum perti- nent, & quæ ſunt cibi *qui ſumuntur*: quemad- modum etiam שבר *ſcheber*, dicitur frumentum, & quidquid facit *ad frangendam famem*, ut He- bræi loqui ſolent. Agitur enim de rebus, quæ certo die advehi à vicinis Jeroſolimam ſolebant, nam aliæ merces poterant illic à mercatoribus in Apothecis ſervari, ita ut die Sabbathi num- quam venum exponerentur. Vide infra C. XIII, 16.

Die ſacro] *Die ſanctitatis*, feſto die, quo fe- riæ interdum non minùs obſervandæ erant, quam Sabbatho. Vide, exempli causâ, Num. Cap. XXIX. ubi de feſtis diebus menſis ſeptimi.

Culturam anno ſeptimo &c.] נטש את השנה *nittaſch eth haſſchanah*, relinquemus annum ſep- timum; nempe, ſine cultura agrorum, ex lege quæ exſtat Levit. XXV, 2, & ſeqq.

Omnia debita remiſſuros &c.] משא כל יד *maſ- ſcha chol jad*, onus omnis manûs. LXX. Int. *ἀπαίτησιν πάσης χειρὸς*, Vulgatus, *exactionem om- nis manûs*; hoc eſt, abſtinebimus à repetendis debitis è cujuſquam manu, prout lex jubet Deut. XV, 2.

33. *De imponenda tertia parte ſicli*] Minus fuit hoc ſtipendium, quàm quod erat impoſitum tempore Moſis, quo ſemi-ſiclus fuerat Judæis impoſitus, ut liquet ex Exod. XXX, 12, 13. Sed cùm hoc tributum à pauperrimis etiam ſol- vi oporteret, paupérque hoc tempore eſſet po- pulus & exhauſtus tributis, quæ Perſarum Regi pendebantur; ſatis viſum eſt ſi tertia pars ſicli ſeu ſemunciæ Romanæ ſolveretur, cùm præſer- tim prioribus ſæculis tributum hoc exactum non fuiſſet, ut ad Exodi locum oſtendimus.

34. *Pani Deo appoſito*] *Pani ſtruis*; quia in menſa ſacra duæ panis ſtrues Deo adponeben- tur. De his ceteriſque ſumtibus, in Templo fa- ciendis, vide Levit. XXII. & XXIII. & Num. XXVIII, & XXIX.

35. *Jecimus quoque ſortes*] Ut ſuis vicibus familiæ, aut tractus Judææ ligna in Templum ad Sacrorum uſum conferrent.

Quemadmodum in lege ſcriptum eſt] Vide Le- vit. VI, 12. ubi ignis perpetuus in altari ali ju- betur.

36. *Juravimus*] Vocem hanc neceſſariò ſup- plevimus, quòd nullum eſſet propius verbum, ad quod quæ hîc dicuntur referri poſſent; neque enim hîc poterat repeti גורלות הפלנו *ſortes jeci- mus*, nam de hiſce ſors non jaciebatur, cùm unuſquiſque primitias ſuas ad Templum ferre poſſet, aut curare ferendas, prout videbatur.

Primitias omnis tractus &c.] De quibus vide Exod. XXIII, 19. XXXIV, 26.

37. *Primogenitos filiorum*] Qui debebantur Deo, ſed redimebantur. Vide Exod. XIII, 12, 13. Levit. XXVII, 27. Num. XVIII, 15, 16.

38. *Primitias quidem maſſarum* &c.] Vide Levit. XXIII, 17. Num. XV, 19, & ſeqq. XVIII, 12.

Decimas verò Terræ noſtræ] De quibus pecu- liarem diſſertationem *Joan. Seldeni* ad calcem Pentateuchi edidimus. Vide Levit. XXVII, 30. Num. XVIII, 21.

Urbes quarum agrum coleremus] ערי עבודתינו hare habodathenou, *urbes cultûs noſtri*; nam de- cimæ proventuum dumtaxat ſolvebantur, non præſidiorum incultorum. LXX. Int. *δουλείας πό- λεις* hîc habent, malè; nam עבודה *habodah* etiam cultum terræ ſignificat, ſi illis credimus. Vide Job

re decimam decimæ, in Ædem Dei noſtri, ad conclavia theſauri; 40. nam ad conclavia deferre oportet Iſraëlitas & Levitas oblationem elatam frumenti, muſti & olei; ubi ſunt vaſa Sanctuarii, & Sacerdotes miniſterio fungentes, janitoréſque & cantores; ita ut Ædes Dei noſtri non deſeratur.

XI. Jeroſolima deſerta incolis inſtruitur, quorum potiſſimi recenſentur. Memorantur etiam urbes Judæ & Benjaminis, quæ coli cœperant.

Caput XI. 1. HABITABANT quidem principes populi Jeroſolimæ, ſed reliquus populus jecit ſortes, ut unum è denis adduceret ad habitandum Jeroſolimæ, quæ urbs eſt ſancta; ita ut novem *tantùm* partes *populi* habitarent per urbes. 2. Benedixit etiam populus omnibus viris, qui ſponte ſuâ ad incolendam Jeroſolimam ſe obtulerunt. 3. Hi autem fuerunt provincialium principes, qui habitarunt Jeroſolimæ, dum *alii* in urbibus Judæ habitarent, quiſque in prædiis ſuis, oppidatim, Iſraëlitæ, Sacerdotes, Levitæ, Nethinæi, & poſteri ſervorum Salomonis.

4. Habitarunt Jeroſolimæ, cùm è poſteris Judæ, tum è poſteris Benjaminis; & è poſteris quidem Judæ Hathaja, filius Huzzijæ, filii Zecharjæ, filii Amarjæ, filii Sephathæ, filii Mahalaleelis, è poſteris Pheretſi; 5. & Mahaſeja, filius Baruchi, filii Cholchoſæ, filii Chazajæ, filii Hadajæ, filii Jojaribi; filii Zecharjæ, filii Haſſillonis. 6. Poſteri omnes Pheretſi habitarunt Jeroſolimæ, quadringenti ſexaginta octo viri fortes. 7. Hi verò fuerunt poſteri Benjaminis Salluus, filius Meſullami, filii Johedi, filii Phedajæ, filii Kolajæ, filii Mahaſejæ, filii Ithielis, filii Jeſahjæ. 8. Poſt eum fuerunt Gabaïs & Sallais; nongenti viginti octo. 9. Joël Zichris filius iis fuit præfectus, & Juda, filius Haſſenuæ, ſecundus fuit urbis præfectus. 10. E Sacerdotibus fuerunt Jedaja, Jojaribi filius, Jachin, 11. & Seraja filius Chilkijæ, filii Meſullami, filii Tſadoki, filii Merajothi, filii Achitubi, dux Ædis Dei. 12. Fratres verò eorum, muneribus defungentium, in Æde, fuerunt octingenti, viginti duo. Fuit & Hadaja filius Jerochami, filii Phelaljæ, filii Amtſis, filii Zecharjæ, filii Phaſchuris, filii Malchijæ. 13. Fratres verò ejus principes patriarum *familiarum*, ducenti, quadraginta duo fuerunt. Fuit & Hamaſſais filius Hazareelis, filii Achzaïs, filii Meſillemothi, filii Immeri. 14. Fratres eorum *fuerunt* viri fortes, centum viginti octo. Præfectus illis fuit Zabdiel, Haggedolimi filius. 15. E Levitis fuerunt Semahja filius Chaſſubi, filii Hazrikami, filii Cha-

Job. I, 3. & Gen. XXVI, 14. in verſione LXX. Int. Sed in illis locis de ſervis poteſt intelligi, hîc vero de ſolo terræ cultu.

39. *Decimam decimæ*] Vide Num. XVIII, 26. & laudatam Diſſertationem.

Theſauri] לבית אוצר *lbeth otſar*, domûs theſauri.

40. *Ita ut Ædes Dei noſtri* &c.] *Nec deſeremus Domum Dei noſtri.* Deſerebatur enim tandem Ædes Dei, cùm Sacerdotibus non erat unde Sacra in ea facerent, aut unde ſibi proſpicerent.

In Caput XI.

1. *UT unum è denis*] Commodius erat Judæis in vaſta regione hîc illic agros ſibi colendos, prout videbatur, ſumere; quàm Jeroſolimæ habitare, circa quam quidem fertiliſſimus ager erat, ſed non magnus, ut docet *Joſephus* Antiq. Jud. Lib. V. cap. 1. ubi de Jerichuntino & Jeroſolimitano agro ſic loquitur: κεῖται παντελῶς ὀλίγην αὐτοῖς εἶναι τὴν γῆν συμβέβηκε, καὶ ταύτης ὀρεινὴν τὴν πολλὴν, ἀλλ' ὑπερβάλλει εἰς καρπῶν ἀκρίβειαν φύσει τε καὶ κάλλει τὴν ἀλλοδαπὴν ἅπασαν: *quamvis iis urbibus ſit exiguus ager, iſque ut plurimum montoſus, ſed præſtantia ad fructuum nutritionem & pulcritudinem à nullo vincitur.* Si ſparſi fuiſſent pro arbitrio per Judæam ejus incolæ, ſat magnus non remanſiſſet Jeroſolimæ numerus, ut vel mœnia ſervaret.

2. *Sponte ſe obtulerunt*] Homines locupletes, qui agros, remotos licèt, per mercenarios aut ſervos colebant.

4. *E poſteris Pheretſi*] Filii Judæ Patriarchæ.

9. *Iis fuit præfectus*] Jeroſolimitanis omnibus.

Secundus fuit urbis præfectus] על העיר משנה *hal habir miſchneh.* LXX. ἐπὶ τῆς πόλεως δεύτερος. Vulgatus, *ſuper civitatem ſecundus*; nimirum, ſub Joële. Quænam autem eſſent eorum munera & auctoritas non ſatis liquet.

11. *Dux Ædis Dei*] נגיד בית האלהים *ngid beth haelohim.* Præfectus fuiſſe videtur excubiis Levitarum. Vide 2. Par. IX, 11.

12. *Fuit & Hadaja*] Princeps memoratorum, qui ideò ſolus nominatim appellatur. Quod fit etiam vſ. ſequente. Vide & vſ. 14.

16. *Præfecti externis negotiis* &c.] על המלאכה החיצונה *ſupra negotium externum.* Non præerat excubiis Levitarum, ut præfectus Ædis Dei, de quo vſ. 11. ſed iis quæ extra Ædem erant curanda, ut fortè comparandis victimis, aliiſque Templo neceſſariis.

17. *Qui primus cœperat*] ראש התחלה יהודה לתפלה *caput initii confitebitur orationi.* Supplendum אשר *qui*, ante verbum. Videtur primus pronunciaſſe commata ſingula, quæ alii repetierunt. Græci vocabant ὑποφωνεῖν, & διδάσκαλοι χόρου, ut pul-

Chaſabjæ, filii Bunis, 16. Sabbethais & Jozabadus, præfecti externis negotiis Ædis
Dei, e principibus Levitarum; 17. Matthanja, filius Michæ, filii Zabdis è poſteris A-
ſaphi, qui primus cœperat in oratione confiteri peccata; Bakbukja ſecundus, ex fra-
tribus ejus; Habda, filius Sammuæ, filii Galalis, filii Jeduthunis. 18. Omnes Levi-
tæ qui *habitabant* in urbe ſancta, ducenti erant & octoginta quatuor. Janitores erant
Hakkubus, Talmon & fratres eorum, cuſtodes Januarum, centum ſeptuaginta duo.

20. Reliquus Iſraël, Sacerdotes & Levitæ, *ſparſi erant* per omnes urbes Judæ, quiſ-
que in hereditate ſua. 21. Nethinæi habitabant in Hophello, Tſicháque & Giſpha ſu-
pra Nethinæos. 22. Præfectus Levitis erat Jeroſolimæ Huzzis, filius Banis, filii Cha-
ſabjæ, filii Michæ è poſteris Aſaphi, qui cantores erant, *præerántque* cum iis operi
Ædis Dei. 23. Nam mandatum regium de iis erat, & conſtans diſtributio inter can-
tores quotidiana. 24. Phetachja, Meſezabeelis filius, è poſteris Zerachi Judæ filii, erat
Regi ad manum, in omnibus negotiis populi.

25. Ad villas quod attinet, in earum agris habitarunt *plerique* è poſteris Judæ, *ut*
Kirjath-arbæ & in villis ejus, Dibone & in villis ejus, Jekabtſeele & in villis ejus,
26. Jeſuæ, Moladæ, Beth-phelethi, 27. Chatſar-ſuhale, Beerſebæ & in villis ejus, 28. Tſi-
klagi, Mechonæ & in villis ejus, 29. Hen-rimmone, Tſorhæ, & Jarmuthi, 30. Zanoa-
chi, Hadullami, & in villis eorum, Lachiſi & in agris ejus, Hazekæ & in villis ejus.
Caſtra autem poſuerunt à Beerſeba ad vallem Hinnomi.

31. Benjaminitæ verò à Gaba ad Michmaſum, Haii, Bethele, & in villis ejus,
32. Hanathotis, Nobi, Hananjæ, 33. Chatſore, Ramæ, Gitthajimis, 34. Chadidi,
Tſebohimis, Neballathi, 35. Lodi, & Onunte, in valle fabrorum. 36. E Levitis au-
tem, claſſes *quædam* Judæ Benjamini *erant attributæ*.

XII. Principes familiarum cùm Sacerdotalium, tum Leviticarum, tempore Eſdræ, recenſentur. Dedicatio murorum Jeroſolimæ. Præficiuntur nonnulli cellis Templi.

1. HI autem ſunt Sacerdotes & Levitæ, qui venerunt cum Zorobabele, Salathie- Caput XII.
lis filio, & Jeſua: Seraja, Jirmeja, Eſdras, 2. Amarja, Malluchus, Chat-
tuſus, 3. Sechanja, Rechumus, Meremothus, 4. Hiddo, Ginnethaïs, Abija,
5. Mijamin, Mahadja, Bilga; 6. Semaja, Jojaribus, Jedahja, 7. Salluus, Hamokus,
Chil-

pulcrè docuit Vir Ampliſſimus *Giſb. Cuperus*, Obſervat. Lib. I. c. 5. Intelligitur autem oratio antea Cap. IX. præmiſſa.

15. *Janitores* &c.] Templi, & fortè etiam urbis.

21. *In Ophello*] De quo vide ad 2. Ephemer. Cap. XXVII, 3.

22. *Cum iis operi*] *E regione operis.* Dum alii hinc muneribus ſuis vacabant, alii aliâ parte ſua curabant.

23. *Mandatum Regium*] Juſſerat Perſarum Rex eos priſtina ſua munera in Æde Jeroſolimitana obire.

Conſtans diſtributio] אמנה amanah, *fidelitas*, aut *veritas ſupra cantores.* Sequentia verba oſtendunt ſingulis diſtributum fuiſſe victum: דבר יום ביומו *rem diei in diem ſuum.*

24. *In omnibus negotiis populi*] Fortè ut jus populo, poteſtate à Rege acceptâ, diceret.

25. *Jecabtſeele*] ביקבצאל *bikabtſeel.* Vocatur alibi קבצאל *Kabtſeel*, Joſ. XV, 21.

In villis ejus] Eſt חצריה *bhatſereah*, quod idem ac בנותיה bnotheah, *filiabus ejus*, pagis, vicis.

30. *Caſtra autem poſuerunt*] ויחנו *vajjabbanou*; hoc eſt, metaphorâ à Scenitis ductâ, qui per Arabiam caſtra, pro pabuli copia, movebant, habitarunt à muris Jeroſolimæ, quibus ſubjecta erat vallis Hinnomi, ad fines meridianos Tribûs Judæ, in quibus Beerſeba ſita erat.

31. *A Gaba ad Michmaſum*] Gaba, aut Geba, ut alibi vocatur, fuit in finibus meridianis Benjaminis, Michmaſum verò in ſeptemtrionalibus.

36. *E Levitis* &c.] מן הלוים מחלקות יהודה לבנימין *E Levitis claſſes Judæ Benjamini*; hoc eſt, ſi verba hæc omni mendo careant, claſſes quæ olim in Judæ agris habitabant, tum ſedes ſibi cepiſſe in Benjaminis ſolo. LXX. Intt. μερίδες Ἰούδα τῷ Βενιαμίν. Vulgatus, *Judæ & Benjamin*, quaſi eſſet ליהודה ולבנימין *lihoudah oule-Binjamin*, ſenſúſque eſſet claſſes Leviticas partim in Judæ agris, partim in Benjaminiticis ſedes habuiſſe.

In Caput XII.

1. *HI autem ſunt* &c.] Conjunctim hîc videntur poni, qui primùm cum Zorobabele, ſub Cyro, & cum Eſdra deinde ſub Artaxerxe venerunt, ſed nec omnes, & alii quidam memorantur. Quod cur & quomodo factum ſit non eſt facile dictu. Videtur non unus fuiſſe inventus eorum catalogus, ideoque plus aut minùs eſſe in his, quàm in aliis; præterquàm quod nihil faciliùs à Librariis corruptum, quàm nomina propria.

4. *Ginnethois*] גנתוי *Ginnethoi.* Vers 16. vocatur גנתון *Ginnethon.*

Chilkija, & Jedahja. Hi principes Sacerdotum & fratrum ſuorum, temporibus Jeſuæ, *fuerunt*.

8. Levitæ verò *fuerunt* Jeſua, Binnuïs, Kadmiel, Serebja, Juda, Matthanja; qui præfectus erat confeſſionibus, unà cum fratribus; 9. Bakbukja, Hunnis & fratres eorum, qui è regione eorum præerant cuſtodiis.

10. Jeſua autem genuit Jojakimum, Jojakimus genuit Eljaſibum, Eljaſibus genuit Jojadam, 11. Jojada genuit Jonathanem, & Jonathan genuit Jadduam. 12. Temporibus autem Jojakimi erant Sacerdotes, *familiarum* patriarum principes, & Serajæ quidem Meraja, Jeremjæ verò Chananja, 13. Eſdræ Meſullamus, Amarjæ Jehochanan, 14. Malluchi Jonathan, Sebanjæ Joſephus, 15. Charimi Hadna, Merajothi Chelkaïs, 16. Hiddonis Zecharja, Ginnethonis Meſullamus, 17. Abijæ Zichris, Minjaminis & Mohadjæ Philthaïs, 18. Bilgæ Sammua, Semajæ Jehonathan, 19. Jojaribi Matthenaïs, Jedajæ Huzzis, 20. Sallaïdis Kallaïs, Hamoki Heber, 21. Chilkijæ Chaſabja, & Jedahjæ Nethaneel.

22. Levitæ verò, temporibus Eljaſibi, Jojadæ, Jochananis, & Jadduæ deſcripti *quaſi* principes *familiarum* patriarum, & Sacerdotes uſque ad regnum Darii Perſæ. 23. Levitæ principes familiarum patriarum deſcripti ſunt, in libro Ephemeridum, uſque ad tempora Jochananis, Eljaſibi filii. 24. Principes autem Levitarum erant Chaſabja, Serebja, Jeſua, Kadmielis filius, & eorum fratres; qui cum illis præerant *Dei* laudationibus & confeſſionibus *peccatorum*, ex præcepto Davidis viri divini, adeo ut functio functioni eſſet conjuncta; 25. Matthanja, Bakbukja, Hobadja, Meſullamus, Talmon, Hakkubus, cuſtodes, janitoréſ*que*, cuſtodiam *agentes* ad Januarum apothecas. 26. Hi fuerunt temporibus Jojakimi, filii Jeſuæ, filii Jotſadaki, temporibúſque Nehemiæ præfecti & Eſdræ Sacerdotis & Scribæ.

27. In

8. *Præfectus erat confeſſionibus*] על הידות *hal hajjedoth*. LXX. Intt. ἐπὶ τῶν χειρῶν. Latinus: *ſuper hymnos*. *Elias Levita* in Libro Compoſitionis, putat י cum Dageſch eſſe loco ו quieſcentis, eſſéque hîc infinitivum Hiphil verbi ידה *jadah*. Sed nulla eſt hac in re analogiæ ratio obſervata. Multò ſatius fuit, cùm paſſim litteræ י & ו à Librariis ſint miſtæ, ut ipſi Maſſorethæ obſervarunt, ſi dixiſſet crus τῦ י eſſe producendum ſcribendúmque על הודות *hal hodoth*, ut vſ. 24. Erat, nempe, Matthanja inter Cantores, qui beneficia Dei canebant.

9. *Hunnis*] ענו *Hunno*, in textu עני *Hunni* in margine, ſollemni adfinium figurarum confuſione.

E regione eorum] Dum alii canerent, alii ex eorum regione Januas ſervabant. Hæc loquutio ſæpe occurrit ubi de miniſteriis Templi. Vide vſ. 24.

10. *Jeſua autem genuit* &c.] Hæc & ſequentia, quæ genealogias perducunt ad tempora Alexandri Macedonis, cui obviam ivit Jaddua, non perſuadent ad illa uſque tempora aut ſaltem ad pueritiam Jadduæ vixiſſe Nehemiam, ut putabat *Joſ. Scaliger*. Multò veriſimilius eſt, ut habet *Dionyſ. Petavius* Doctrinæ Tempor. Lib. XII. c. 25. quæ ad tam remota à regno Artaxerxis *Longimani* tempora pertinent, non à Nehemia ſcripta, ſed ab alio quopiam adtexta. *Id enim pleriſque aliis in libris Scripturæ*, inquit, *apparet eſſe factum, ut in fine Deuteronomii, quæ ad Moſis obitum ſpectant, ab alio utique ſunt adjecta; quod idem & de libris Joſuæ, Tobiæ & Jeremiæ quidam exiſtimant. Quo circa in catalogo illo Levitarum & Sacerdotum, quem ad tempus ſuum perduxerat Nehemias, quidam appendicem illam intexuit.* Sed & fortè cum viris doctis rectius dicamus fragmentum illud genealogiæ familiæ Pontificum Maximorum, & principum quorumdam ordinis Sacerdotalis, uſque ad tempora Alexandri, quod comprehenditur verſibus ſex & viginti primis, inſertum hîc fuiſſe ab aliena manu. Ac ſanè à vſ. 27. iterum incipit hiſtoria Nehemiæ. Idem contigit, ut rectè animadvertit vir eruditiſſimus *Camp. Vitringa*, Obſervationum Sacrarum Lib. VI. c. XII, 15. aliis Libris Sacris & tabulis Genealogicis, quæ exſtant in libris Ephemeridum, qui ſi ſint Eſdræ, aut æqualis alicujus Scriptoris, aucti ſunt ab alia manu, inſigni laciniâ, quæ proſapiam Zorobabelis ad recentiora tempora perducit; complectitur enim plurium ætatum recenſionem, quæ Eſdræ ævum longè prætercurrit, quamvis ad Artaxerxis *Mnemonis* tempora vixiſſe ſtatueretur.

12. *Temporibus Jojakimi*] Filii Jeſuæ de quo vſ. 10.

14. *Malluchi*] In textu למלוכי *lmallouchi*, ſed legunt Maſſorethæ למליכי *limelichi*. Prius videtur melius, niſi fortè abundet ו, nam vſ. 2. vocatur מלוך *Mallouch*.

22. *Eljaſibi*] Jojakimi filii, Jeſuæ nepotis vſ. 10. Sequentes ſunt ejus poſteri.

Jochananis] Vocatur vſ. 11. *Jehonathan*, ſed *Jochanan* idem ſignificat, ideóque hæc nomina confunduntur, ut alibi.

Darii Perſæ] A temporibus Artaxerxis *Longimani*, ad finem Monarchiæ Perſicæ, fuerunt dumtaxat duo Darii, Nothus & Codomannus, quorum prior paucis menſibus poſt Artaxerxem *Longimanum* regnavit. Itaque intelligitur poſterior, ad cujus ævum vivere non potuit Nehemias, niſi præter modum producatur ejus vita.

23. *Libro Ephemeridum*] 1. Ephem. IX, 10. & ſeqq.

24. *Cum illis*] לנגדם *lnegdam*, *è regione eorum*, hoc eſt, inter eos. Vide vſ. 9.

Dei laudationibus & confeſſionibus.] *Ad laudandum & confitendum.*

Ex præcepto Davidis] Vide 1. Ephem. XXIV, XXV & XXVI.

Fun-

27· In dedicatione autem murorum Jeroſolimitanorum, accerſiverant Levitas, ex omnibus eorum ſedibus, ut eos ducerent Jeroſolimam ad celebrandam dedicationem & hilaritatem laudibus, canticis, cymbalis, nabliis & citharis. 28· Convenerunt ergo poſteri cantorum ex planitie, quæ eſt circa Jeroſolimam, è villis Netophathitarum, 29· domo Gilgalis, agris Gebæ & Hazmavethi, nam villas ſibi ædificaverunt Cantores circa Jeroſolimam. 30· Purificarunt autem ſe Sacerdotes & Levitæ, purgarúntque populum portas & murum. 31· Deinde curavi venire principes Judæ ſupra murum, conſtituique duos choros laudantium magnos, & agmina euntium, *alterum quidem* ad dextram ſupra murum, ad portam Stercoris. 32· Eos ſequuti ſunt Hoſahja & dimidia pars principum Judæ, 33· Hazarja, Eſdras, Meſullamus, 34· Juda, Benjamin, Semaja, & Jirmeja. 35· Erant & *nonnulli* è filiis Sacerdotum, cum tubis, *tum* Zecharja filius Jonathanis; filii Semahjæ, filii Matthanjæ, filii Michajæ, filii Zacchuris, ex Aſaphi poſteris; 36· & fratres ejus Semaja, Hazareel, Millalais, Gillalais, Mahis, Nethaneel, Juda & Chananis, cum inſtrumentis muſicis Davidis viri divini, quibus præibat Eſdras Scriba. 37· Juxta portam Fontis, è regione, adſcenderunt gradus urbis Davidis per clivum ad murum, qui eſt ſupra domum Davidis, ad portam Aquæ, Orientem versùs. 38· Chorus verò alter laudantium ibat ex adverſo, ego verò eum ſequebar, ut & dimidia pars populi, ſupra murum, qui eſt ſupra turrim Furnorum, ad latum uſque murum, 39· & à porta Ephraïmi ad portam Veterem, portam Piſcium, turrim Chananeelis, turrim Meam, ad portam uſque Ovium, ſubſtiterúntque ad portam Cuſtodiæ. 40· Dein ſe ſtiterunt ambo chori, in Ædem Dei, inter quos ego & dimidia pars procerum, qui mecum erant, 41· & Sacerdotes Eljakimus, Mahaſeja, Minjamin, Michaja, Eliohenais, Zecharja, Chananja, cum tubis, 42· Mahaſeja, Semahja, Elehazar, Huzzis, Jochanan, Malchija, Helam & Hezer; ſéque audiendos præbuerunt Can-

Functio functioni eſſet conjuncta] משמר לעמת משמר *cuſtodia è regione cuſtodiæ*. Sed משמר *miſchmar* hic functionem obſervandam ſignificat; unde LXX. ἐφημερίαν αὐτῆς ἐφημερίαν. Vide vſ. 45.

25· *Januarum limina*] באספי השערים *baaſuppbe haſſchebarim*. אספים *Aſuppbim* vocantur apothecæ, in quas oblationes colligebantur & quæ erant ad januas ſitæ. Vide ad 1. Par. XXVI, 15.

27· *In dedicatione*] בחנכת *bahhanuccbath*. Sic vocatur hilaritas publica & cetera, quæ muris abſolutis facta in ſequentibus memorantur. De dedicationibus omnia fermè collegit, quæ colligi poterant *Joan. Seldenus* de Synedriis Judæorum Lib. III. c. 14.

Accerſiverunt] בקשו bikkeſchou, *quæſiverunt*. Sed res ipſa oſtendit ſignificari eo verbo *accerſere*.

Cymbalis] בצלתים *bitſiltbajim*. De quo vide not. ad 1. Ephem. XVI, 16.

28· *Netophatitharum*] נטפתי *Netuphathi*. Vide 1. Par. IX, 16. Locus fuit, ut & ſequentes, à Jeroſolima non remotus, in tribu Benjamin.

30· *Purificarunt*] Dederunt operam ut omni impuritate carerent, ut poſſent Sacris adeſſe.

Purgarunt populum, portas &c.] Adſperſâ aqua luſtrali, de qua Num. XIX.

31· *Supra murum*] מעל לחומה *mehal labhomah*. Viæ enim erant, ad ſuperiorem partem muri, quibus defenſores muri commeare juxta murum poterant.

Choros laudantium] תודת *thodoth*, confeſſiones; nempe, Dei beneficiorum. Hic verò manifeſtò intelliguntur chori, qui laudes Dei canentes urbem circumituri erant.

Alterum quidem] Supplendum hoc fuit, quia ſermo eſt de altero tantùm choro. Vide vſ. 38. Subintelligendum manifeſtò האחת הלכת *& unus chorus ibat*.

Ad dextram] Iverunt ad latus urbis meridianum, (nam Hebræi meridiem vocant ימין jamin, dextram) tum ab ortu in occaſum progreſſi iter ad ſeptemtriones flexerunt, & ſecundùm ſeptemtriones ad ortum.

36· *Quibus præibat* &c.] *Eſdra ſcriba ante eos.*

37· *Juxta portam Fontis*] Quæ erat ad ſeptemtrionem portæ Stercoris.

Adſcenderunt] Quia murus, qui cingebat illac urbem Davidis, altior erat, nec poterat niſi gradibus adiri.

Ad portam Aquæ &c.] Quæ fuit ad latus orientale, nulla enim porta in ſeptemtrionali memoratur.

38· *Chorus alter*] התודה השנית *laudatio ſecunda*, hoc eſt, ut bene Vulgatus, *chorus laudantium*. Hinc liquet prioris chori mentionem faciendam fuiſſe, ut diximus vſ. 31.

Supra murum &c.] מעל לחומה *à ſupra murum*. Galli optimè, *de deſſus la muraille*. Vide ad vſ. 31. Hic Chorus ab angulo muri, juxta meridianum latus ad orientem ibat, ut poſtea deflecteret ſeptemtriones versùs ad Templum. Vide *Joan. Lightfootii* deſcriptionem Jeroſolimæ.

39· *Ad portam cuſtodiæ*] Proxima ad ortum porta, poſt portam Ovium, fuit quæ מפקד *Miphkad* vocabatur, ut vidimus ad Cap. III, 31. deinde ſeptemtrionem versùs porta Equorum. Alterutra hic ſignificatur, ſed non facilè dixerim utra. Malim tamen poſteriorem, quæ Templo propior eſt, ut ad Ophellum uſque hic chorus pervenerit, unde ſe ſe in Templum contulit.

40· *Inter quos ego*] *Et ego & dimidia pars ſummatum mecum* &c.

42· *Seque audiendos præbuerunt*] וישמיעו *vajjaſchmibou*, fecerunt audire. Subintelligendum קולותם וכליהם *voces ſuas, & inſtrumenta ſua*. LXX. ἠκούσθησαν, Vulgatus, *clarè cecinerunt.*

Cantores, quibus *erat* Jizrachja præfectus. 43. Eo die mactarunt magnas victimas, lætatique ſunt *Iſraëlitæ*; quia eos Deus magnâ lætitiâ affecerat. Uxores etiam eorum & liberi lætati ſunt, & procul audita eſt Jeroſolimæ hilaritas.

44. Conſtituti ſunt eo die præfecti cellis theſaurorum oblationum elatarum, primitiarum & decimarum, ut in illas colligerentur *proventus* ex agris urbium & partes, quæ ex lege *debebantur* Sacerdotibus & Levitis; nam hilaritas Judæ *redundavit* in Sacerdotes & Levitas, qui adſtabant, 45. & functi erant functione *à* Deo ſuo *præſcripta*, functione purificationis, *inque* Cantores & Janitores ex mandato Davidis, Salomoniſque ejus filii *conſtitutos*. 46. Temporibus enim Davidis & Aſaphi, jam olim fuerant principes Cantorum, & cantica laudum & confeſſionum Deo; 47. & omnis Iſraël, temporibus Zorobabelis & Nehemiæ, dabant partes Cantorum & Janitorum, ſingulis diebus, *eaſque* conſecrabant Levitis, & Levitæ Aharonis poſteris.

XIII. Hammonitæ & Moabitæ ab Iſraëlitis ſegregantur. Abſente Nehemiâ, cella in templo Tobijæ datur, quam redux è Babylonia ei eripit, partes Levitis reſtituit, vetat in urbem die Sabbathi quidquam importari, aut in ea vendi, matrimoniiſque cum aliis gentibus interdicit.

Caput XIII. 1. EO tempore, lectum eſt in libro Moſis, audiente populo, & inventum eſt in eo ſcriptum, numquam ingreſſurum Hammonitam aut Moabitam in cœtum Dei; 2. quia non occurrerunt Iſraëlitis cum pane & aqua, ſed conduxit *Moabita* adversùs eos Balahamum, qui eis *dira* imprecaretur, verùm mutavit Deus noſter imprecationem in benedictionem. 3. Hanc verò legem cùm audiviſſent, ſepararunt omnem miſturam ab Iſraële.

4. An-

43. *Victimas magnas*] זבחים גדולים *zbahhim gdolim*, quod poſſit intelligi de juvencis mactatis, nam, ut enim Poëta loquar, *maxima taurus victima*. Poſſimus etiam vertere זבחים zbahhim, *ſacrificia*, ita ut Iſraëlitæ dicantur *mactaſſe magna ſacrificia*, hoc eſt, multas victimas omnium generum.

Procul audita eſt] Clamores hilaritatis publicæ effectus procul auditi ſunt.

44. *Cellis*] הנשכות *hanneſchacboth*. Antea jam diximus fortè legendum לשכות *lſchachoth*.

Ex agris urbium] לשדי הערים *liſchde haharim*. Legerunt LXX. Intt. לשרי nam habent ἄρχων & Vulgatus *principes*.

Partes quæ ex lege debebantur] מנאות התורה mnaoth hatthorah, *partes Legis*; hoc eſt, lege definitas. Rectè LXX. Intt. μερίδας. Abſurdè Vulgatus: *in decore gratiarum actionis*, quaſi legiſſet בנאות תודה *banoth thodah*, in pulcritudinibus laudis.

Redundavit &c.] Hoc verbum, aut ſimile Latinè loquenti ſupplendum fuit. Vult enim Nehemias Judæ incolas tantâ lætitiâ fuiſſe perfuſos, cùm viderunt Jeroſolimæ mœnia abſoluta, ut liberaliter etiam quidquid ex Lege Sacerdotibus & Levitis dari oportebat, contulerint. Qui enim hilariter dant liberaliùs largiuntur, quàm qui triſtes & inviti. Hinc autem liquet antea Judæ Tribûs incolas legum Moſaicarum minùs obſervantes fuiſſe, cùm quæ ex iis debebant Sacerdotibus & Levitis minimè ſolviſſent.

45. *Functi erant functione*] *Obſervaverant obſervationem Dei ſui*. Vide ad vſ. 24.

Functione purificationis] הטהרה *hattoborah*. Purificarant, nempe, populum adſperſione, de qua diximus, ad vſ. 30. quamvis ceteroqui populus jura lege eis debita minimè ſolviſſet.

46. *Temporibus enim Davidis*] Ut liquet ex iis quæ habentur, ſub finem Libri I. Ephemeridum.

47. *Temporibus Zorobabelis & Nehemiæ*] Conſtat quidem fuiſſe præfectos Judæis inter hoſce duos, nam hoc docet Nehemias Cap. V, 15. Sed eorum mentio non fit, aut quòd Judæi non fuiſſent, aut quòd poteſtate ſua abuſi eſſent, ut ex eodem loco intelligere licet, nec Leges Moſaïcas à Judæis obſervari curaſſent.

Partes Cantorum] מניות המשררים *meanjoth hammeſchorerim*. Verſu 44. vocantur מנאות *mnaoth*. Sed litteræ יאו ſæpe miſcentur. *Partes* hîc bene vertit Vulgatus, qui antea vſ. 44. vocem non eſt adſequutus. Utrobique rectè μερίδας LXX. Intt. Intelliguntur victus, qui præbebantur Levitis miniſtrantibus in Templo.

Singulis diebus] *Rem diei in die ſuo*.

Conſecrabant] Conſecrabant Levitis, quia in illorum uſum victus illos dabant, oleum, fruges, fructus, vinum, carnes &c. Deinde Levitæ Sacerdotibus, quòd eorum decimam iis penderent. Vide Num. XVIII, 26.

In Caput XIII.

1. *EO tempore*] *Die*. Sed de die non agi ſatis oſtendit hilaritas diei. Intelligitur tempus, quo Nehemias Jeroſolimâ abfuit, de quo infra vſ. 6.

Inventum eſt in eo ſcriptum] Deut. XXIII, 3. ubi vide notata.

3. *Omnem miſturam*] Viros & mulieres è Moabitis, aut Hammonitis, liberóſque ex iis progenitos, ejecerunt è cœtu Iſraëlis; hoc eſt,

loco

4. Antea Eljaſibus Sacerdos, præfectus conclavibus Ædis Dei noſtri, & Tobijæ pro-
pinquus, 5. paraverat illi magnum conclave, ubi antea ponebant munera *farrea*, thus,
vaſa, decimam frumenti, muſti & olei; *quæ ex* præcepto *dabantur* Levitis, Cantoribus
& Janitotibus; & oblationem elatam Sacerdotum. 6. Sed per hæc omnia *tempora* non
eram Jeroſolimæ, nam anno trigeſimo ſecundo Arthaxerxis, Babyloniorum Regis, ive-
ram ad Regem, & anno *demum* exacto, impetratus ſum à Rege. 7. Cùm ergo re-
diiſſem Jeroſolimam & intellexiſſem malum, quod ſecerat Eljaſibus erga Tobijam, dum
ei conclave paraverat in atriis Ædis Dei; 8. res mihi vehementer diſplicuit, omniá-
que ſupellectilia domûs Tobijæ extra conclave abjeci. 9. Dein, juſſu meo, mun-
darunt *Levitæ* conclavia, eóque iterum ſupellectilia Ædis Dei, munera *farrea* & thus
intuli.

10. Intellexi etiam partes Levitis non eſſe datas, ideoque unumquemque diffugiſſe
in agrum ſuum; cùm Levitæ & Cantores facerent quod faciendum *illis erat in Æde Dei.*
11. Increpui igitur proceres, & cur, inquam, Ædem Jehovæ deſeruimus? Tum ho-
mines congregavi, & loco ſuo ſtare juſſi. 12. Omnes etiam Judæi attulerunt decimas
frumenti, muſti & olei in theſauros. 13. Præfeci verò theſauris Selemjam Sacerdotem,
Tſadokum Scribam & Phedajam ex Levitis, quibus ad manum eſſet Chanan, filius
Zacchuris, filii Matthanjæ; quia fideles exiſtimabantur, eiſque impoſita fuit *cura eas*
dividendi fratribus ſuis. 14. Propterea, ô Deus mi, memento mei, neque deleas
memoriam beneſactorum meorum erga Ædem Dei mei, & functiones in ea obeundas.

15. Illis temporibus, vidi in Judæa calcantes torcularia Sabbatho, advehentes acer-
vos, onerantes aſinos, vinúmque, uvas, ficus, & quodvis onus advehentes die Sab-
bathi Jeroſolimam; teſtéſque cepi de die, quo vendiderant commeatum. 16. Tyrii
etiam in ea habitabant, advehebántque piſces & omnis generis merces, quas vende-
bant Sabbatho Judæis & Jeroſolimæ. 17. Tum verò increpui primores Judæorum, eiſ-
que dixi: quodnam hoc eſt malum, quod facitis, dum profanatis diem Sabbathi?
18. An-

loco Iſraëlitarum non habuerunt, nec voluerunt eodem eſſe jure ac Iſraëlitas ex Iſraëlitis prognatos. Vide ad Deuteron. XXIII, 1. & ſeqq.

4. *Præfectus*] נתן בלשכת *datus in conclavi.* Idem eſt ac ſi legeremus פקיר על לשכות *phakid hal liſchcoth.* Vulgatus: *præpoſitus in Gazophylacio.* LXX. οἰκῶν malè. Erat hoc munus Levitæ potiùs, quàm Pontificis Maximi, ſed eo tempore aliter ſe res habuit.

Tobijæ] Hammonitæ, ſed fortè Judaïcæ Religionis Proſelyti. At cùm Hammonita eſſet, non licebat eum in cœtum Iſraëlitis admittere, ex ſententia Nehemiæ. Vereor tamen ne expulſus potiùs fuerit, quòd re verà Judæorum Reipublicæ renaſcenti non ſatis æquus eſſet: nam alioqui quod in Rutha olim fieri potuit, ſine culpa, idem etiam nunc in Tobija fieri potuiſſet.

5. *Paraverat*] ויעש vajjahaſch, *& fecit.* Sed עשה non raro *parare* ſignificat.

Quæ ex præcepto dabantur Levitis] מצות הלוים *præceptum Levitarum.*

6. *Babyloniorum Regis*] מלך בבל, *Regis Babelis.* Antiquo more loquitur; nam ipſi ſe potius Reges Perſidis vocabant מלכי פרס.

Anno exacto] לקץ ימים *lkets jamim*, in fine dierum. Voce ימים annum ſæpe ſignificari notavimus cùm alibi, tum ad 1. Sam. I, 1.

Impetratus ſum] נשאלתי *niſchalthi*, petitus ſum, ſed cum effectu. Judæi, nempe, petierunt ab Artaxerxe, ut Nehemiam in Judæam remitteret, quippe quem ſciebant Judæorum rebus optimè conſulere.

8. *Omniáque ſupellectilia* &c.] Quæ Tobija illic reliquerat, ut iis uteretur, ſi quando illic diverſabatur.

9. *Dein juſſu meo*] *Et loquutus ſum & mandarunt.*

10. *Partes Levitis*] Vide ad Cap. XII, 44, 47.

Quod faciendum] המלאכה *hammelachah*, negotium, hoc eſt, quod eis lege mandatum erat; quod tamen facere non poterant, niſi decimis eis ſulverentur, quibus ſe ſuſtentarent. Alioqui ipſi agellos, quorum proventu alerentur, colere neceſſe habebant.

11. *Deſeruimus*] Cùm enim ne Levitæ quidem illic adeſſent, alii negligentiùs in eam ibant. Vide Cap. X, 39.

Loco ſuo ſtare juſſi] *Feci ſtare ſuper ſtatione ſua*; hoc eſt, Levitas juſſi muneribus fungi, ut antea; nam *ſtare* eſt ſæpe miniſterio fungi.

13. *Impoſita fuit cura*] עליהם *ſuper iis.* Vide Eſdr. X, 4.

14. *Functiones in ea obeundas*] *Obſervationes ejus.*

15. *Calcantes torcularia*] Parum erant adſueti Legum Moſaicarum obſervationi, qui talia audebant; cum Sabbathi obſervatio morte ſancita eſſet, & inter potiſſimas leges ſemper habita fuerit.

Teſtéſque cepi de die] *Et conteſtatus ſum in die venditionis eorum.* אעיד *ahid*, quod non ſignificat tantùm conteſtari, palam denunciare, ſed etiam, & quidem propriè, *teſtes facere*, aut capere. Sic autem fecit Nehemias, ne res negari poſſet.

17. *Profanatis diem Sabbathi*] Diem otio, juſſu Dei, conſecratum eodem loco ac ceteros habetis; ac proinde memoriam creationis, otio illo celebrandam & conſervandam, quà poteſtis, oblitteratis.

 18. Ite-

Digitized by Google

18. Annon ſic fecerunt Majores veſtri, proptereáque immiſit Deus omnem hanc calamitatem in nos, urbémque hanc? Vos verò iterum accenditis iram *Dei* in Iſraëlem, dum Sabbathum profanatis.

19. Deinde cùm ingruerent tenebræ portis Jeroſolimæ, ante Sabbathum, me jubente, clauſæ ſunt valvæ, vetuique *cuſtodes* eas aperire, niſi poſt Sabbathum. Nonnullos etiam è ſervis meis præfeci, ne ingrederetur onus die Sabbathi. 20. Pernoctarunt ergo mercatores, inſtitoréſque omnium mercium extra Jeroſolimam, ſemel, atque iterum. 21. Tum eos obteſtatus ſum, illiſque, quare, inquam, pernoctatis ante murum? Si iterum faciatis, vobis manum injiciam. Ab illo tempore, die Sabbathi non venerunt. 22. Dixi etiam Levitis ut qui ſe purificaſſent & veniſſent, ſervarent portas, ut ſanctè obſervaretur dies Sabbathi. Etiam hujus rei in gratiam mei memento, ô Deus mi, & mihi, pro magna tua benignitate, ignoſce.

23. Temporibus etiam illis vidi Judæos, qui duxerant uxores Aſdodæas, Hammoniti-

18. *Iterum accenditis iram*] *Addentes iram* מוסיפים חרון *moſiphin bharon.* Subauditur *Dei*, ut ſæpe in hac loqutione, ubi קצף indignationem Dei ſignificat, licet nomen Dei omittatur.

19. *Ingruerent tenebræ portis*] *Cùm obumbrarentur portæ.* Cùm nocte ingruente obſcurior fierent ingreſſus Portarum, & locus circa eas tectus; hoc eſt, ſub veſperam diei Veneris, cùm *majores caderent ſummis de montibus umbræ*, quibus portæ urbis eis ſubjectæ obſcurabantur.

Poſt Sabbathum] Quod deſinebat veſperâ diei Saturni.

20. *Pernoctarunt*] Per noctem, nempe, Sabbathi, quæ eſt à die Veneris ad diem Saturni; quâ exactâ, alloquutus homines videtur Nehemias, clauſis etiamnum portis.

21. *Quare pernoctatis ante murum* &c.] Timebat Nehemias ne clam eorum merces funibus per murum in urbem traherentur & ſic violaretur Sabbathum.

22. *Ut qui ſe purificaſſent* &c.] Qui mundos ab omni pollutione ſe ſe ſervaſſent, ut Templum die Sabbathi ingrederentur, atque in urbem ex ſuburbano agro ideò veniſſent, iidem etiam ſervarent urbis portas, ne ullæ merces intromitterentur eo die. Polluti quapiam immunditie domi manebant, cùm Templum ingredi non poſſent.

Sanctè obſervaretur] *Sanctificaretur*; hoc eſt, inſtar ſacri diei celebraretur, obſervatione otii, quod in memoriam creationis præſcripſerat Deus, ut nos IV. Decalogi præceptum docet.

In gratiam mei] לי *mihi.*

23. *Qui duxerant*] הושיבו *hoſchibou.* Supplendum אשר *qui.* De verbo הושיב vide not. ad Eſdr. X, 10. Intelligendi ſunt qui, poſt Eſdræ reformationem, alienigenas uxores duxerant, & quorum liberi, à matribus è finitimis gentibus educati, vicinorum Linguas Judaïcæ miſcebant; alioqui qui ab eo tempore ab ejuſmodi conjugiis abſtinuiſſent, non potuiſſent vituperari, ſi fortè eorum liberi ex materna Lingua quidpiam retinuiſſent; neque enim unà cum uxoribus, neceſſe erat liberos ex iis natos à patribus abdicari.

24. *Quorum filii partim loquebantur*] *Et filii eorum dimidium loquebatur*, חצי מדבר *hhatſi madbber.* Quod videtur intelligendum, non de dimidia parte liberorum, quæ Aſdodicè, aliiſve Linguis vicinorum populorum loqueretur, dum altera dimidia pars Judaica Lingua uteretur; ſed de iiſdem, qui corrupto & miſto idiomate originem maternam proderent.

Aſdodicè] אשדודית *Aſdodicâ*, nempe, *linguâ* לשון *lſchon.* Notiſſimum fuit oppidum Philiſthæorum *Aſdod*, aut *Azotus*, ut à Græcis poſtea dictum eſt. Crediderim dialectum hanc fuiſſe Linguæ Phœniciæ, quæ dialectus non tantùm à Chaldaïca Lingua, quæ tunc temporis Judæorum vernacula fuit; ſed & à veteri Hebraïca quæ aut eadem, aut ſimillima fuit Phœniciæ, ita differebat, ut facilè ab ea diſtingueretur.

Judaicè] Quærunt viri docti quænam hæc eſſet Lingua *Judaica*, quam alii volunt fuiſſe priſcam Hebraïcam; alii verò Chaldaïcam, quam omnes Judæi in captivitate didicerant. Ac ſanè לשון יהודית *lingua Judaica* erat ea, quam tunc temporis loquebantur homines Judæi, quæcumque eſſet, ad originem ejus quod ſpectat. Sic tempore Chriſti *Lingua Judaica*, ſine dubio Chaldaïca fuit, neque enim aliam vernaculam Linguam tunc habebant Judæi. Verùm alii objiciunt, ſi Judæi Chaldaïcè, tempore Nehemiæ, loquuti eſſent, Linguam eorum vocari debuiſſe ארמית *Aramith*, non יהודית *Jehoudith*, quemadmodum 2. Reg. XVIII, 26. Lingua Judæa disertè diſtinguitur ab Aramæa. Sed alia erant tempora. Stante regno Judæ, tantùm abeſt ut vulgò Judæi Aramæa Lingua uterentur, ut ne eam quidem intelligerent, útque ſuam priſcam Linguam ſolam retinerent; at poſt Captivitatem Linguæ antiquæ erant obliti, ſi eruditos excipias, nec aliam vulgò Linguam habebant præter Chaldaïcam, quæ propterea tum facta erat לשון יהודית *Judaica Lingua.*

Iidem iterum objiciunt Eſdræ Cap. IV, 7. ubi Lingua Chaldaïca vocatur *Aramæa.* Sed nihil obſtat, quominùs quæ propriè *Aramæa* erat & vocabatur, quia Lingua fuit *Aramæorum*, minùs propriè diceretur quoque *Judaica*, poſtquàm Judæi eam didicerant, eaque vulgò utebantur.

Itaque cùm conſtet ex permultis vocibus, quæ occurrunt in libris Macchabaïcis, in Novo Teſtamento & in *Joſepho*, ſermonem Judæorum iis temporibus Chaldaïcum fuiſſe, & vulgò Judæi exiſtiment cœpiſſe eam Linguam in uſu eſſe apud ſe in Captivitate, nec ſine magna veriſimilitudine; nihil eſt cur putemus, poſt

nitidas, & Moabitidas; 24. quorum filii partim loquebantur Aſdodicè, neque ſciebant
loqui Judaicè; & ſic *porrò*, pro lingua cujuſque populi. 25. Quare rixatus ſum cum
illis, iis *mala* imprecatus ſum, percuſſique ex iis nonnullos & capillos eis evulſi.
Tum jurejurando eos adegi per Deum; *quo promittitis, inquiebam*, vos non collocaturos
filias veſtras eorum filiis; neque ex filiabus eorum filiis veſtris, aut vobis uxores
ſumturos. 26. Annon propter eas peccavit Salomo Rex Iſraelis? Attamen in multis
gentibus non erat Rex, inſtar ejus, dilectúſque erat Deo ſuo, & Deus eum
toti Iſraëli Regem impoſuerat. Illum quoque ad peccandum adduxerunt alienigenæ
mulieres. 27. Vobiſne autem auſcultaremus, ita ut omne hoc magnum malum
faceremus, peccantes in Deum, dum uxores alienigenas duceremus? 28. Cúmque eſſet
unus è filiis Jojadæ, Eljaſibi Sacerdotis filii, qui gener erat Sanballati Choronitæ,
eum à me fugavi. 29. Memor eſto illorum, Deus mi, cùm polluerint Sacerdotium,
fœ-

poſt reditum è Captivitate, Hebraicam Linguam veterem apud eos vulgò in uſu fuiſſe. Scio quidem ab eruditis viris huic ſententiæ objici, ſi hoc eſſet, nullam fuiſſe rationem cur Daniel partem Prophetiarum ſuarum Hebraicè ſcriberet; qua Lingua etiam uſi ſunt auctor libri Eſtheræ, Eſdras & Nehemias, niſi quòd Eſdras nonnulla Chaldaicè ſcripſerit. Sed fortè Hebraica Lingua uſi ſunt, datâ operâ, ne quæ ſcribebant à Chaldæis intelligerentur, quia nec uſu, nec ſtudio Hebraicam Linguam norant Chaldæi; cùm eruditi Judæi eam ſcirent, poſſéntque aliis eos libros interpretari. Adde quòd cùm ſcriberent hiſtoriam aut prophetias ad Judæos pertinentes, voluerunt uti eadem Lingua quâ priſcæ eorum hiſtoriæ & prophetiæ jam fuerant conſcriptæ; ſi excipias pauca quædam loca ad res Chaldæorum, aut Perſarum pertinentia. Itaque *Judaicè*, hoc in Nehemiæ loco perinde eſſe videtur, ac Chaldaicè.

Pro lingua cujuſque populi &c.] *Secundùm linguam populi & populi.*

25. *Mala imprecatus ſum*] אקללם *akalelem*, malè dixi iis; quod poteſt aut de conviciis, aut de diris precibus intelligi. Poſterius melius viſum, ſi modò intelligamus Nehemiam malè iis precatum eſſe, niſi emendarentur, & ad obſervationem Legis bonâ fide redirent.

Percuſſi &c.] Jure, nempe, præfecti, cui poteſtatem fecerat Rex Artaxerxes cogendi Judæos leges Moſaicas obſervare. Vide Eſdr. VII, 25.

Quo promittitis, inquiebam, vos non &c.] Hic ſupplevimus tria vocabula, quia hiſtorica narratio, qualis hæc eſt, non patitur tam ſubitam mutationem orationis obliquæ in directam. Pro *non* eſt Hebraicè אם *im*, ſi, propter Ellipticam formam juriſjurandi; quæ ſi ſupplenda eſſet, plura verba eſſent addenda. Itaque Interpretes pro *ſi* negatione uſi ſunt. Vide *Chr. Noldium* ad XX ſign. particulæ.

26. *Annon peccavit* &c.] Si Salomo Rex tantus, & tanta ſapientia præditus non potuit uxorum ſuarum illecebris reſiſtere; quanto minùs vos pauperes, & exiguæ ſapientiæ homines veſtris uxoribus reſiſtere poteritis? Poterant tamen Judæi exigere ab uxoribus ut Proſelytæ fierent, Judaicámque Religionem amplecterentur; quo facto, obviam iviſſent timori Idololatriæ, quæ unica legis hujus fuit cauſa. Verùm timuit fortè Nehemias, ne mulieres promiſſis minimè ſtarent, & priſtinam Religionem clam retinerent, viróſque ac liberos paullatim depravarent.

27. *Vobiſne autem auſcultaremus* &c.] Mirum eſſet Nehemiam eis non exprobraſſe fœderis, antea eam in rem cum Deo facti, violationem. Sed hic ſumma tantùm dictorum proferri videtur, nec putandum rem ejuſmodi omiſſam fuiſſe.

28. *Eljaſibi Sacerdotis filii*] Vide Cap. XII, 11. Diximus nobis videri veriſimiliorem ſententiam eorum, qui duplicem ſtatuunt fuiſſe Sanballatum, quorum unus vixerit temporibus Nehemiæ, ac proinde Artaxerxis *Longimani*: alter verò tempore Darii *Codomanni*, cum quibus adfinitatem contraxerint viri duo è Pontificum Maximorum proſapia. Ac ſanè credibile non eſt hoſce viros, quorum meminit Nehemias, tam diu vixiſſe, ut vitam ad Darium *Codomannum* produxerint. Sed nec diſſimulandum, difficile eſſe intellectu Nehemiam, (ſi cum Eſdra, primo Cyri anno, in Judæam rediit) qui æqualis fuerat Jeſuæ, cum ejus abnepote vixiſſe, & quidem donec uxorem duxiſſet. Nec tamen facilè (ſi nihil ſit in Codicibus noſtris corruptum, aut in nominibus, aut in annis) negari queat hunc ipſum Nehemiam eſſe, cùm videamus æqualem Eſdræ fuiſſe; nam quod incredibile videbitur, ad Nehemiam quod attinet, non erit credibilius in Eſdra, qui cùm eſſet patruus Jeſuæ Pontificis Maximi, qui anno primo Cyri in Judæam rediit, tamen ad vigeſimum annum Artaxerxis *Longimani* vitam produxit. Vide ad Eſdr. Cap. VII, 1. Sed in antiquiſſimis hiſtoriis ſimiles paſſim difficultates occurrunt, quæ in tanta penuria veterum monumentorum tolli nequeunt; neque propterea fides Hiſtoriæ Sacræ, apud æquos homines, laborabit, qui cogitabunt facillimè in annis & nominibus propriis peccari potuiſſe, aut incogitantiâ, aut ignorantiâ, aut etiam audaciâ Librariorum; quamvis ſummam rei integram & illibatam ſervaverit Divina Providentia, & ad noſtra tempora demiſerit.

A me fugavi] Jeroſolimâ fugere coëgi, quæ eſt pœna, de qua Eſdr. VIII, 26.

29. *Memor eſto illorum*] Ad eos plectendos, quia ſermo eſt de delicto: cùm ubi ſermo eſt de laudabili facinore remunerationem ejus ſignificet. Vide vſ. 22, & ultimum hujus libri.

Cùm polluerint Sacerdotium] על גאלי הכהנה *hal goale hacchehuna*, *ſuper polluentes Sacerdotii*. Si enim nemini Iſraëlitæ licebat alienige-
nam

Digitized by Google

fœdúſque Sacerdotii & Levitarum. 30. Purgavi itaque eos omni alienigenâ, functiones Sacerdotum & Levitarum, *ut* quiſque muneri ſuo *incumberet*, 31. & oblationem lignorum, temporibus conſtitutis, ac primitiarum reſtitui. Memor eſto *horum*, in mei gratiam, ô Deus mi, ut *mihi* benefacias.

nam uxorem ducere, multò minùs licuit Sacerdoti, ſingulari ſanctimoniâ ritibúſque peculiaribus conſecrato. Vide Levit. XXI, 14, 15.

Fœdus Sacerdotii] Leges, quibus Sacerdotium ſuſcipiebat. Vide & Mal. II, 4, II, 12.

31. *Oblationem lignorum*] Ad uſum altaris, & conclavium Templi. Vide Cap. X, 34.

Ut mihi benefacias] לטובה ltobah, *in bonum.* Nam Deus meminit improborum לרעה lerahah, *in malum*, vel ut eis malè faciat, quò ad ſaniorem mentem revocentur, vel pœnas luant. LXX. Intt. *εἰς ἀγαθωσύνην.* Meliùs Vulgatus, *in bonum.*

LIBRI NEHEMIÆ FINIS.

LIB.

Digitized by Google

LIBER ESTHERÆ.

I. Achaſuerus, Perſarum Rex, convivium præbet Primoribus & populo. Simile præbet & Vaſtis Regina matronis. Hæc à Rege accerſita ad eum venire non vult, quamobrem ab eo repudiatur, qui & edicto ſancit ut viri uxoribus imperent.

1\. TEMPORIBUS ACHASUERI (is Achaſuerus imperabat, ab CAPUT I.

COMMENTARIUS
In CAPUT I.

1\. IS *Achaſueras* &c.] Fit mentio *Achaſueri* Eſdræ Cap. IV, 6. ſub cujus reguo interruptum fuit ædificium Templi Jeroſolimitani, quod poſtea ſub Dario eſt abſolutum. Quæ circumſtantia oſtendit alium Regem hîc intelligi, nam Achaſuerum, Eſtheræ maritum, uſque adeò infenſum fuiſſe Judæis, ut Templum eorum inſtaurari paſſus non fuerit, credibile non eſt. Itaque alius Rex & quidem Perſarum hîc eſt quærendus; nullus enim Rex, præter Perſarum Reges, tantum habuit Imperium, & cujus ſedes fuerit Suſis; præterquàm quòd diſertè hoc poſtea dicitur, ut vſſ. 14, 18, 19. & alibi ſæpiùs. Sed non facile eſt dictu quis Perſarum Rex fuerit, quem hujus libri Scriptor Achaſuerum vocarit. Hoc unum certò adfirmare poſſe videmur, non fuiſſe ullum eorum, qui ante Darium Hyſtaſpidem vixere, nec hunc ipſum Darium, qui ſuo nomine *Darjaveſch* vocatur. Omnes Eruditorum hac de re ſententias referre, rationéſque quibus ſingulæ nituntur, inſtituti noſtri non eſt. Sed duas potiſſimùm proferemus, quæ videntur omnium veriſimillimæ.

Prior eſt *Joſephi Scaligeri*, qui *Aſſuerum*, vel *Achaſaeram* hunc *Xerxem* fuiſſe pronunciat Lib. VI. Emend. Temporum, & in Animadverſionibus Euſebianis. Putat eum vocari hîc nomine, quo privatus vocabatur; nempe, *Oxyarem*, אחשורוש *Ochſchourawesch*, unde Græcum Ὀξυάρης. Exiſtimat enim omnibus ad imperium accedentibus nomen mutari moris fuiſſe. Sic Artaxerxes *Mnemon*, cùm adhuc privatus eſſet, vocabatur Ἀρσίκας & Ὀάρσης. Vide *Plutarchum* in Artaxerxe p. 1012. Darius *Nothus* priùs dicebatur Ὦχος & Ὄχος. *Ctesias*: βασιλεύει Ὦχος ὁ καὶ μετονομάζεται Δαρειαῖος. Deinde nomen uxoris Xerxis *Amiſtris*, aut *Ameſtris* interpretatur המם אסתר, quando ad thalamum Regis venit, cùm antea vocaretur הדסה, hoc eſt, μυῤῥίνη.

Xerxes autem, ſi eidem *Scaligero* credimus, anno imperii tertio, omnes Perſidis & Mediæ proceres convivio excepit, cujus convivii cauſam liber Eſtheræ non reddit, ſed ex Lib. VII. *Herodoti*, non difficile eſt eam colligere. Expeditionem enim in Græciam moliebatur, de qua & omni ejus apparatu bellico, cùm ad proceres Imperii retuliſſet, mox illos eo ſplendidiſſimo epulo dierum CLXXX proſequutus eſt. Idem etiam vult ad Xerxem, ex Græcia reverſum, adductam fuiſſe Eſtheram, menſe decimo, ſub finem ſeptimi anni regni; duodecimo verò anno, die tertio decimo menſis Adar, ſupplicium de Hamane ſumtum.

Verùm rectè *Dionyſ. Petavius* contra hanc ſententiam obſervat Operis de Doctr. Temporum Lib. XV. c. 27. non poſſe Amiſtrin à *Scaligero* cenſeri eamdem fuiſſe cum Eſthera, ſi quod modò ex eo protulimus verum ſit, quia Xerxi longè ante expeditionem in Græciam nupſerat Amiſtris; quod ex *Cteſia* & *Herodoto* demonſtrat. Deinde quæ iidem illi Scriptores de patre Amiſtris dixerunt non conveniunt Eſtheræ. Otanes ab *Herodoto*, à *Cteſia* Onophas dicitur, qui & ante expeditionem contra Græcos honoratiſſimus fuit, ut pote quem Perſarum agminis ducem Xerxes conſtituit. Atqui, ut bene *Petavius*, pater Eſtheræ non ſolùm Judæus fuit, ſed diu antequàm nuberet Eſthera Perſarum Regi, mortuus. In adoptivum porrò patrem Mardochæum nihilo magis illa competunt.

Ad hæc, ut idem meritò obſervat, Eſtheram ſanctiſſimam & modeſtiſſimam fœminam fuiſſe ejus hiſtoria teſtatur. At Amiſtris impotens & crudelis fuit, cujus immane facinus narrat *Herodotus* in Maſiſtis conjugem editum; quam cùm à Xerxe deditam in poteſtatem accepiſſet, mamillas ei abſcidit & eas canibus abjecit, tum naſo, auribus, labiis & linguâ mutilatam domum remiſit. Hæccine quæſo ad Eſtheram pertinere poſſunt?

Ad ſimilitudinem verò nominis quod adtinet, tanta ea non eſt, ut in Achaſuero Xerxem contineri neceſſe ſit. Præterea minùs eſt credibile Scriptorem hujus libri Regem Perſarum jamdudum regnantem eo ſolùm nomine, quod privatus geſſerat, vocaviſſe, eo omiſſo quod regnum conſequuto impoſitum fuerat.

Itaque *Petavius* exiſtimat, cum *Joſepho*, *Achaſaeram* hunc eſſe potiùs Artaxerxem *Longimanum*;

ab India uſque ad Madianitidem, centum viginti ſeptem provinciis) ²· temporibus, inquam, illis, cùm ſederet Rex Achaſuerus in ſolio regni ſui, quod *ſolium* erat Suſis, *regni* metropoli; ³· anno tertio ex quo regnabat, convivium præbuit omnibus ducibus ac miniſtris ſuis, exercitûs Perſidis & Mediæ, Satrapis & rectoribus Provinciarum qui ei aderant.

num; quod confirmatur eo quod apud Eſdram & Nehemiam legimus; tam impenſe faviſſe eum Judæis, ut non ſolùm Templum ab iis, ſub Dario Hyſtaſpide conditum, ſartum tectum conſervari vellet, ſed & Jeroſolimæ mœnia inſtaurari; cùm tamen ſat notum eſſet Judæos iniquo animo alienigenarum jugum pati, periculoſúmque videri deberet ſic affectis hominibus urbem munitam tradi. LXX. etiam Intt. habent hîc, pro *Aſſuero*, Ἀρταξέρξην, de quo hæc habet *Plutarchus*: ὁ μὲν πρῶτος Ἀρταξέρξης τῶν ἐν Πέρσαις βασιλέων πρᾳότητι καὶ μεγαλοψυχίᾳ πρωτεύσας: *primus Artaxerxes inter Perſarum Reges lenitate & magnanimitate excelluit.*

Objici tamen huic ſententiæ poſſit primùm nominum ארתחשסתא *Artaxerxis* & אחשורוש *Achuſchveroſch* diverſitas; ſed πολυωνύμους fuiſſe Perſarum Reges alibi obſervavimus, & vidimus, apud Eſdram Cap. IV, 6, 7. inter Cyrum & Darium Hyſtaſpidem fuiſſe duos Reges quorum alter *Achaſuerus*, alter *Artaxerxes* dicitur; cùm neuter ita uſquam à Græcis vocetur. Sic apud *Cteſiam* Magus, qui Cambyſi ſucceſſit, per aliquot menſes, *Sphendates* dicitur, apud *Herodotum* verò *Smerdis*. Præterea huic ſententiæ obſtare videri fortè queat, quòd Cap. II, 5. Mardochæus, qui Eſtheram educavit, dicatur, ut nonnulli putant, cum Jechonia in captivitatem à Nebuchadnetſare abductus quod annis CXL. anteceſſit ſeptimum Artaxerxis annum, quo Eſtheram duxit, ut docemur inferiùs Cap. II, 16. Sed non Mardochæus dicitur abductus in captivitatem à Nebuchadnetſare, verùm proavus ejus Kiſus; quatuor autem ætates implere quidem non incommodè poſſunt CXL. annos.

Ab India uſque ad Madianitidem] מהודו ועד כוש *meHodou vehad Chouſch*. Protulimus ad Gen. X, 6. argumenta quibus *Sam. Bochartus*, judicio noſtro, optimè probavit *Chus* eſſe Madianitidem. Itaque eo tempore is fuit finis Imperii Perſici ad occaſum, Ægyptum versùs; qui ideò à Scriptore Judæo notatur, quòd finis ille Judææ proximus eſſet. Alioqui major multò longitudo Imperii Perſici fuit, ab Ortu ad Occaſum, ſi à fluvio Indo ad Helleſpontem uſque metiaris. Ultimus verò Imperii Perſici terminus ad ortum Indus fluvius fuit, aut regiones Indo vicinæ. Res eſt ſatis nota ex Hiſtoricis, qui Alexandri expeditionem deſcripſere. Hoc unum quæri hîc poſſit, cur occidentales regni Perſici fines in Madianitide collocentur, cúrve ſimul Ægypti mentio non fiat, cùm eam dudum Cambyſes ſubjeciſſet. Ratio hæc eſſe videtur, quòd hoc tempore Ægyptus jugum Perſarum excuſſiſſet. Ab anno Periodi Julianæ 4251. Inarus, Pſammetichi filius, maximam Ægypti partem Artaxerxi eripuerat; nec victus ac imperio exutus eſt, niſi aliquot annis pòſt. Itaque tertio Regni Artaxerxis anno, qui in memoratum Periodi Julianæ annum incidebat, nondum Ægyptum recuperaverant Perſæ. Narrationes Veterum, hac de re, ordine diſpoſuit *Jac. Uſſerius* in Annalibus Vet. Teſtamenti, quem adire Lectores poterunt. Sed biennio ſeriùs hanc rebellionem collocat, contra fidem *Diodori Siculi*, cui *Thucydidem* præfert, qua in re falli videtur.

Centum viginti ſeptem provinciis] Hæc & ſuperiora ſatis manifeſtò oſtendunt Achaſuerum Regem fuiſſe Perſarum, & quidem inter Cyri ſucceſſores. Nullus enim fuit ante Cyrum Rex, qui ab Indo fluvio ad Madianitidem regnarit. Fuerant Medorum, Aſſyriorum & Babyloniorum regna diſtincta; ſi poſtrema tempora excipias, quibus Aſſyriorum & Babyloniorum Reges iidem fuere; nec Perſarum, aut Medo-perſarum, ut eruditi nonnulli viri loquuntur, Rex ullus, ante Cyrum, ab Indo ad Madianitidem regnavit, tótque provincias finibus imperii complexus eſt. Quo ſolo argumento, ut rectè judicavit *Petavius*, contrariæ evertuntur conjecturæ.

Ad numerum earum Provinciarum quod attinet, *Joſephus* Antiq. Jud. Lib. X. cap. 12. multò majorem eum fuiſſe ait, ſic enim loquitur: Δαρεῖος δὲ ὁ καταλύσας τὴν Βαβυλωνίων ἡγεμονίαν, μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, ἔτος ἦν ἑξηκοστὸν δεύτερον ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἷλεν· ὃς ἦν Ἀστυάγου υἱός, ἕτερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐκαλεῖτο ὄνομα. ὃς καὶ Δανίηλον τὸν προφήτην λαβὼν ἤγαγεν εἰς Μηδίαν πρὸς αὑτὸν καὶ πάσης αὐτῷ τιμῆς μεταδοὺς, εἶχε σὺν αὐτῷ· τῶν τριῶν γὰρ Σατραπῶν ἦν, οὓς ἐπὶ τῶν ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων σατραπειῶν κατέστησε, τοσαύτας ἐποίησε Δαρεῖος. *Darii, qui evertit Babyloniorum imperium, cum Cyro adfine, erat ſexageſimus ſecundus annus, quando Babylonem cepit. Is fuit Aſtyagis filius & alio nomine* (Cyaxares) *apud Græcos vocabatur; qui & Danielem Prophetam adſumtum duxit in Mediam ad ſe, & omnis honoris participem eum faciens, habuit ſecum. Nam fuit unus ex tribus Satrapis, quos trecentis ſexaginta Satrapiis præpoſuit, totidem enim fecit Darius.* Memoriâ, aut inſitâ vanitate erraſſe *Joſephum* putarim, cùm hæc habeat ex Daniele Cap. V, 31. & VI, 1, 2. ubi memorantur tantùm centum viginti Provinciæ. De Dario Medo hîc non agam, ſed ab eo tantùm ante hæc tempora Imperium in CXX provincias diviſum fuiſſe obſervabo; quibus poſtea ſeptem additæ ſunt, ita ut numerum CXXVII. conficerent, quot erant hujus noſtri Achaſueri tempore.

Non me quidem fugit *Herodotum* Lib. III. cap. 79. ſcribere à Dario Hyſtaſpide aliter diviſum fuiſſe regnum, in deſcriptione tributorum: Ἀρχὰς κατεστήσατο, inquit, εἴκοσι, τὰς αὐτοὶ καλέουσι Σατραπηΐας: *præfecturas conſtituit viginti, quas illi vocant Satrapias*; quas poſtea ordine recenſet, quod animadvertendum ne quis fortè putet errorem eſſe in numero. Sed nihil vetat diviſionis hujus partes in minores alias fuiſſe rurſus diviſas, quæ fuerint CXX numero. Minoribus minores præfecti præerant, majoribus honoratiores Satrapæ; ac ſanè conſtat Satrapam unum pluribus præfuiſſe provinciis, quod ex ipſo illo loco *Herodoti* intelligere eſt & exemplis pluribus oſtendit *Barn. Briſſonius* de regno Perſico Lib. I. p. 113. Ed. Sylburgianæ.

²· *Cum ſederet* &c.] Cùm tranquillè regnare ab aliquo tempore cœpiſſet, poſt Artabanum oppreſſum. Vide vſ. 3.

Su-

rant. 4. Cùm oſtentaret copiam divitiarum regni ſui, decúſque gloriæ magnitudinis ſuæ, per dies multos; centum, nimirum, & octoginta dies; 5. intra illos dies fecit Rex convivium univerſo populo, qui inveniebatur in Suſorum metropoli, à maximo ad minimum, per ſeptem dies, in atrio regiæ. 6. *Aulæa* alba carbaſea, & hyacinthina tenta erant

Suſis regni metropoli] Vide not. ad Nehem. C. I, 1.

3. *Convivium præbuit*] Qui mos fuit non tantùm Orientis Regum, ſed & Romanorum Ducum & poſtea Imperatorum, qui *viſcerationes* & *epulas* toti populo Romano interdum præbebant. *Plutarchus* in Sulla pag. 454. Ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην ἑστιάσεις ἐποιεῖτο τῷ δήμῳ πολυτελεῖς· καὶ τοσοῦτον περιττὴ ἦν ἡ παρασκευὴ τῆς χρείας, ὥστε παμπληθῆ, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, εἰς τὸν ποταμὸν ὄψα ῥιπτεῖσθαι, πίνεσθαι δὲ οἶνον ἐτῶν τεσσαρακοντούτη καὶ παλαιότερον: *Cùm Sylla decimam omnium ſuarum ſacultatum Herculi mactaret, ſplendidum epulum præbuit populo, tantóque exuberantior uſu apparatus fuit, ut quotidie magna copia cibariorum in amnem projiceretur, & vinum biberetur quadraginta annorum & vetuſtius.* Poſtea addit hanc fuiſſe θοίνην πολυήμερον, *convivium multorum dierum.* Sic & Jul. Cæſar, ut habet *Suetonius* c. 26. *munus populo epulúmque pronunciavit —— quorum ut maxima exſpectatio eſſet, ea quæ ad epulum pertinerent, quamvis macellariis oblocata etiam domeſticatim apparabat.* Idem victo Cn. Pompeio Magno, multæ in populum profuſioni *adjecit*, ut idem Hiſtoricus narrat, c. 38. *epulum & viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam, duo prandia; nam cum prius parcè, neque pro liberalitate ſua præbitum judicaret, quinto poſt die, aliud largiſſimum præbuit.* Alia plura exempla idem *Suetonius* ſuppeditabit. Apud Perſas ſplendidiſſimum fuit convivium, quod quotannis die natali Regis fiebat, de quo *Herodotus* Lib. IX. c. 111. Sed alia de cauſa celebratum hoc fuit convivium, quæ reticetur. Crediderim Artaxerxem non ita diu, poſtquàm patri ſucceſſerat, voluiſſe duces, miniſtros regios, populúmque Suſianum hiſce epulis excipere, ut ſibi eorum benevolentiam conciliaret. De epulis Perſicis, quæ apud Veteres occurrunt collegit *Barn. Briſſonius* de Regno Perſico Lib. I.

Perſidis & Mediæ] Duæ hæ gentes paſſim ſolæ nominantur, quòd Reges Achæmenidæ eſſent, ſeu orti genere paterno à Perſa Achæmene, regnúmque ad Perſas à Medis tranſtuliſſent; quódque poſt Perſas prima eſſet Medorum dignitas, penès quos antea imperium fuerat, in quod ſocero ſucceſſit Cyrus. Hinc etiam Græci hoſce Orientis Monarchas promiſcuè *Reges Medorum*, aut *Perſarum* vocitant, & Perſas ac Medos paſſim miſcent.

Satrapis] הפרתמים *happharthemim*. Satraparum genus fuiſſe videtur. Sed propriam vocis ſignificationem quis certò indicare queat?

4. *Copiam divitiarum*] *Opulentiam gloriæ* עשר כבוד *hoſcher cabod*. Sed כבוד hic divitias etiam, ut alibi ſæpe, ſonat. Conſtructio autem hæc, quâ voces ſynonymæ conjunguntur *copia divitiarum*, *gloriæ decus* habent vim augendæ ſignificationis, apud Hebræos & Chaldæos. Vide Dan. IV, 27. & infra C. II, 7.

Centum & octoginta dies &c.] Per ſex menſes Chaldaïcos, quorum ſinguli triginta dierum erant, ut notum eſt ex Nabonaſſareis annis. Proceres omnium Provinciarum non unâ fortè hebdomade, imò ne menſe quidem, Suſa convenerunt, nec p… ſex menſes à ſuis Provinciis abeſſe poterant. Ideóque non eodem tempore excepti ſunt (c)onvivio, ſed alii poſt alios, pro ordine Provinciarum.

5. *Intra illos dies*] במלאת הימים האלה *in expletione dierum illorum*; hoc eſt, dum illi dies laberentur, donec eſſent expleti.

In atrio regiæ] בחצר ביתן המלך *in atrio domûs Regis.* Erant ſine dubio latiſſima atria, quibus magna multitudo exciperetur, & in quibus ſimul omnes Suſiani non videntur excepti, ſed ſinguli ſemel intra ſeptiduum.

6. *Aulæa alba carbaſea*] חור כרפס *Hhour charphas.* Quia in voce חור, Librarii incuriâ, contigit τὸ ח majus eſſe ceteris elementis, in priſco exemplari, quo uſi ſunt Maſſorethæ, finxerunt Judæi factum hoc eſſe, propter eximium candorem illorum aulæorum; quaſi verò valde neceſſarium ſit lectores ſcire candidiſſima fuiſſe illa carbaſa, aut quaſi non ſatius fuiſſet addere particulam מאד *meod*, valde, quàm ænigmaticâ ratione innuere, quod nemo certò intelligere poſſet! Alii verò, qui argutiores ſibi videntur, litterâ ח, quæ *octo* ſignificat, deſignari volunt aulæorum, aliorúmque ornamentorum octo genera. Sed nugas hæc eſſe nemo non videt, quas protuliſſe perinde eſt ac confutaſſe. LXX. Intt. habent κεκοσμημένη βυσσίνοις καὶ καρπασίνοις. Vulgatus: *& pendebant ex omni parte tentoria aërei coloris & carbaſini.* חור *hhour* adjectivum eſt, ſed quod loco ſubſtantivi eſt, ſubaudito מקוה *mikveh*, hoc eſt, *tela* aut ſimili nomine.

Ad vocem כרפס *charphas* quod attinet, cùm loco nomen & res conveniant, nulla ratio eſt cur à veteribus Interpretibus abeamus; qui *carbaſa* hîc ſignificari putarunt. Vocem eam eſſe in oriente natam hinc liquet, unde à Græcis & Latinis deſumtam eſſe credibile eſt. Sic vocabatur lini genus, è quo tenuiſſima tela fiebat. *Plinius* Lib. XIX. c. 1. *Hiſpania citerior habet ſplendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur naturâ, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primùm carbaſis repertis. Carbaſa* vocat hîc non vela navium, quæ ex tam tenui tela minimè conſuebant, quâ ab hominibus delicatis tentoria interdum æſtate, in locis calidis, fieri ſolebant, ut ſimul umbram præſtarent, & ſimul aërem tranſmitterent. *Cicero* in Verrem Lib. V. cap. 12. *Cùm verò æſtas ſumma eſſe jam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ ſemper Prætores in itineribus conſumere conſueverant. — iſte novo quodam genere Imperator, pulcherrimo Syracuſarum loco, ſtativa ſibi caſtra faciebat; nam in ipſo aditu atque ore portûs, ubi primùm ex alto ſinus ad urbem ab littore inflectitur, tabernacula* CARBASEIS *intenta velis collocabat.*

Hyacinthina] תכלת *thcheleth.* Dudum probavit *Sam. Bochartus*, תכלת eſſe hyacinthinum, ſeu cæruleum, vel violaceum colorem, Hierozoici Parte II. Lib. V. c. 10. De aulæis Perſarum multa collegit *Barn. Briſſonius* Lib. II. pag. 224. & ſeqq. de R. P.

erant *circumquaque* funibus byſſinis & purpureis, ad annulos argenteos & columnas marmoreas. 7. Lecti autem aurei & argentei erant in pavimento porphyretico, marmoreo, margaritiſque & gemmis diſtincto. 8. Potus *dabatur* in vaſibus aureis, vaſáque à vaſibus differebant; & vinum regium copioſum erat, pro Regis opibus. 9. Potus tamen præbebatur modicè, nec quiſquam erat qui cogeret; ſic enim mandaverat Rex omnibus domûs ſuæ præfectis, ut facerent prout quiſque cuperet.

9. Vaſthis etiam Regina convivio excepit fœminas in regia, quæ erat Regis Achaſueri.

Funibus byſſinis] חבלי בוץ *bhable bouts*. Intelliguntur funes filo lini retorto conſtantes, partim albi, partim violacei coloris.

Columnas marmoreas] עמודי שש *hammoude ſchesch*. LXX. Intt. ἐπὶ στύλοις Παρίνοις. Vulgatus, *columnis marmoreis*. Tentoriorum vela inde pendebant, quamobrem etiam Alexander devicto Dario quinquaginta columnas in tentorio habuit. *Polyænus* Strat. Lib. IV. cap. III, 24. ἡ σκηνὴ τὸ μέγεθος ἦν κλινῶν ἑκατόν· χρυσοῖ κίονες ὑπετίθεντο αὐτῇ πεντήκοντα: *Tabernaculum capax erat centum lectorum, eique aureæ columnæ ſubjectæ erant quinquaginta.*

7. *Lectis autem aurei & argentei* &c.] Sic *Herodotus* Lib. IX. cap. 71. deſcribit apparatum Xerxis Mardonio relictum, quaſi κατασκευὴν χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ καὶ παραπετάσμασι ποικίλοισι κατεσκευασμένην, *apparatum auro & argento & variegatis aulæis ornatum*; cúmque Pauſanias, Græcorum dux, juſſiſſet coquos Perſarum ſibi cœnam parare, uti Mardonio ſolebant, vidiſſe eum κλίνας τε χρυσέας καὶ ἀργυρέας εὖ ἐστρωμένας καὶ τραπέζας χρυσέας καὶ ἀργυρέας, *lectos aureos & argenteos bene ſtratos & menſas aureas & argenteas*. Vide & *Barn. Briſſonium* Lib. I. de Regno Perſico, & Lib. II. p. 222.

Porphyretico] בהט *bahat*. Ex re ipſa liquet ſignificari lapidum genus, quo pavimentum conſtare ſoleret. *Porphyreticum* vertimus, donec certius aliquid inveniri queat. LXX. Intt. σμαραγδίτου λίθου habent, Vulgatus *ſmaragdino & pario ſtratum lapide*. De lithoſtratis vide *Plinium* H. N. Lib. XXXVI. c. 25.

Marmoreo] שש *ſchesch*. Quod ſi rectè *parium marmor* verterunt Græci & Latinus, intelligetur marmor album, quale eſt Parium.

Margaritiſque & gemmis diſtincto] דר וסחרת *vedar veſobhereth*. Acutè animadvertit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. II. Lib. V. c. 8. cùm שש & בהט ſint lapides, oportere etiam דר *dar* & סחרת *ſobhereth* lapides eſſe; ſed non facile eſſe indicatu quales eſſent illi lapides. דר *dar* interpretatur ille *margaritam*, quod ſignificat etiam Chaldaicum דורא *doura*, à rotunditate; quod ille multis rationibus oſtendit, quas non repetemus. Idem probat exemplis, apud Perſas & Indos, interdum pavimenta fuiſſe margaritis ornata, quod non ubique, ſed nonnullis in locis fieri potuit.

Vocem סחרת *ſobhereth*, gemmam vertimus, quia melius nihil occurrebat. Suſpicabatur *Edm. Caſtellus Scyrium* marmor varium, de quo *Strabo* Lib. IX. poſſe intelligi. Sed præſtat tacere, quàm aërem verberare inanibus conjecturis.

8. *Potus dabatur*] והשקות *vehaſchkoth*, & facere bibere. Videtur hîc Infinitivus eſſe loco nominis, ſi nihil hîc corruptum eſt. Poſſet & nomen eſſe pluralis numeri, ſi nonnihil puncta mutarentur, ita ut pro הַשְׁקוֹת legeremus מַשְׁקוֹת; niſi malimus excidiſſe *Dageſch*. Poſſet & pro ea voce legi מַשְׁקִים hoc eſt, *facientes bibere*, nimirum, pincernæ; quid meliùs conveniret cum ſequente participio שונים *ſchonim*.

Vaſáque à vaſibus &c.] כלים מכלים שונים *vaſa poſt vaſa iterantes*; hoc eſt, alia vaſa potum petentibus dabant, quàm quæ antea dederant, propter vaſorum copiam, quâ gloriatos eſſe Perſas obſervat *Xenophon* Lib. VIII. Inſt. Cyri.

Pro Regis opibus] *Secundùm manum Regis*; hoc eſt, potentiam, ſeu divitias.

9. *Modicè*] כדת *chaddath*, ex lege; hoc eſt, ex præſcripto. Sobrii quidem fuerant veteres Perſæ, dum ſervirent & pauperes eſſent; ſed poſtea, Medorum & Lydorum more, ſe ſe inebriabant, & alii alios ad bibendum provocabant, ut Veterum auctoritatibus oſtendit ſæpiùs laudatus *Barn. Briſſonius* de Regno Perſarum Lib. II. p. 215. & ſeqq. Sed in hoc convivio, ubi ingens virorum erat copia, prudenter vetuit Rex ne præter modum biberent, rixarum & cædium vitandarum causâ, quæ publicam hilaritatem funeſtaſſent.

Sic enim mandaverat] כי כן יסד *nam ſic fundarat*.

Prout quiſque cuperet] *Secundùm voluntatem viri & viri.*

10. *Vaſthis etiam*] ושתי *Vaſchthi*. *Jac. Uſſerius*, qui Achaſuerum putat fuiſſe Darium Hyſtaſpidem, exiſtimat hanc eſſe *Atoſſam* Cyri filiam; ut contra Eſtheram *Artyſtonam*, ejus ſororem. Sic de utraque *Herodotus* Lib. III. cap. 88. Γάμους δὲ τοὺς πρώτους ἐγάμεε Πέρσῃσι ὁ Δαρεῖος, Κύρου μὲν δύο θυγατέρας Ἄτοσσάν τε καὶ Ἀρτυστώνην· τὴν μὲν Ἄτοσσαν προσυνοικήσασαν Καμβύσῃ τε τῷ ἀδελφεῷ καὶ αὖτις τῷ μάγῳ, τὴν δὲ Ἀρτυστώνην παρθένον· *Primus nuptias contraxit apud Perſas Darius cum duabus filiabus Cyri Atoſſa & Artyſtona, & cum Atoſſa quidem, quæ prius nupta fuerat Cambyſæ fratri, tum etiam Mago, cum Artyſtona verò virgine.* Sed cùm generi Artyſtonæ non conveniat eum conjectura *Uſſerii*, ſuſpicatur aut *Herodotum* non uſque adeò peritum genealogiarum Perſicarum ea in re erraſſe, aut Perſas præ invidia diſſimulaſſe genus Eſtheræ. Addit, ex *Herodoti* teſtimonio, Artyſtonen fuiſſe Dario omnium uxorum cariſſimam. Sed quid hoc eſt, niſi conjecturam parum firmam incertioribus confirmatum ire? Nos qui Artaxerxem *Longimanum* hîc Achaſuerum dici conjicimus, poſt alios, malumus fateri nos neſcire an nomen *Vaſthis* Græcis innotuerit.

Fœminas in regia &c.] In ea parte Regiæ, in qua fœminæ verſabantur. Ex hoc loco colligere poſſe videmur fœminas cum viris non ſolitas intereſſe conviviis; ſi enim conjuges Perſarum & Medorum interfuiſſent prioribus conviviis, non fuiſſent ſeorſim à Regina vocatæ. Ac ſanè ex *Plutarchi* Sympoſ. Lib. I. cap. 1. & *Macrobio* Lib. I. Saturnalium c. 1. obſervat *Barn. Briſſonius* de Regno Perſico Lib. II. pag. 216. Perſas non ſolitos fuiſſe vino indulgere, unà cum legiti-

fueri. 11 Septimo autem die, cùm exhilaratus eſſet animus Regis vino, dixit Mehumani, Bizthæ, Charbonæ, Bigthæ, Abagthæ, Zethari & Charehaſo, ſeptem Eunuchis, miniſteria coram Rege Achaſuero obeuntibus, 11 adducerent Vaſthin Reginam in conſpectum Regis, cum corona regia, ut formam ejus populis, ducibúſque oſtenderet; erat enim formoſa. 15 Sed renuit Vaſthis Regina venire, prout juſſerat Rex, per Eunuchos; quamobrem vehementer excanduit Rex, iráque ejus in eo eſt accenſa. 14 Itaque dixit Rex ſapientibus, temporum peritis, mandata Regis firma eſſe apud omnes,

gitimis uxoribus, ſed tantùm cum pellicibus. Verùm contrarium habet *Herodotus* Lib. V. c. 18. quod ex eo in hiſtoriam ſuam tranſtulerat *Trogus Pompeius*, ut liquet ex *Juſtini* Lib. VII. cap. 3. Crediderim falli *Herodotum*, cùm ita loquentem inducit Perſam, loco laudato: νόμος ἐν τοῖν Πέρσῃσι ἐπεὰν δεῖπνον προτιθώμεθα μέγα, τότε καὶ τὰς παλλακὰς καὶ τὰς κουριδίας γυναῖκας ἐσάγεσθαι παρέδρους: *mos eſt Perſis, cùm magnum convivium adponimus, tunc & pellices & legitimas uxores introducere quæ adſideant.* Affirmarit de legitimis uxoribus, quod de pellicibus tantùm dicendum erat. Mos enim Orientalium fuit uxores adſpectui virorum ſubtrahere. *Juſtinus* de Parthis Lib. XLI, c. 3. *Uxores, dulcedine variæ libidinis, ſinguli plures habent, nec ulla delicta adulterio graviùs vindicant. Quamobrem fœminis non convivia tantùm virorum, verùm etiam conſpectum interdicunt.* Idque confirmari videtur, facto Vaſthis, de quo poſtea.

11 *Cùm exhilaratus eſſet animus*] *Cùm bonum cor Regis in vino.*

Septem Eunuchis] Sic & poſtea ſeptem Principes vſ. 14. Hæc fortè orta à ſuperſtitione quadam, ob ſeptem Planetarum numerum. סריסים *ſariſim* autem dicuntur hîc Eunuchi, quia moris erat, apud Perſas, Eunuchorum miniſterio uti, in rebus quæ ad mulieres pertinebant. Res apud Aſſyrios & Medos inventa, unde ad Perſas tranſlata. Multis hoc docuit *Barn. Briſſonius* de Regno Perſico Lib. II. p. 234.

12 *Cùm corona regia*] בכתר מלכות, *in corona regni*; hoc eſt, ita veſtitam & ornatam, ut ſolebat ſollemnioribus diebus.

Formoſa] *Bona adſpectu.*

13 *Renuit Vaſthis*] *Joſephus* Lib. XI. cap. 6. rationem negationis addit: Ἡ δὲ φυλακῇ τῶν παρὰ Πέρσαις νόμων, οἳ τοῖς ἀλλοτρίοις βλέπεσθαι τὰς γυναῖκας ἀπηγόρευσαν, οὐκ ἐπορεύετο πρὸς τὸν βασιλέα: *Illa verò cùm obſervare vellet Perſarum leges, quæ vetant mulieres ab alienis inſpici, non ivit ad Regem.* Quod poteſt & aliis Veterum locis confirmari. *Plutarchus* in Themiſtocle, p. 125. Τὸ βαρβαρικὸν γένος τὸ πολὺ καὶ μάλιστα τὸ Περσικὸν εἰς ζηλοτυπίαν τὴν περὶ τὰς γυναῖκας ἄγριον φύσει καὶ χαλεπόν ἐστι. οὐ γὰρ μόνον τὰς γαμετὰς, ἀλλὰ καὶ τὰς ἀργυρωνήτους καὶ παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν, ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτὸς, ἀλλ' οἴκοι μὲν διαιτᾶσθαι κατακεκλεισμένας, ἐν δὲ ταῖς ὁδοιπορίαις ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι: *Maxima pars nationum barbararum & præſertim Perſarum, zelotypiâ erga mulieres, fera eſt & moleſta. Neque enim uxores dumtaxat ſed etiam ancillas emtas & pellices vehementer ſervant, ne à quoquam alieno cernantur, ſed ut domi maneant clauſæ; in itineribus verò ſub tentoriis in orbem clauſis, in plauſtris vehuntur.* Similia habet in Artaxerxe, ut & *Diodorus Siculus* Lib. XI. Niſi tempore Artaxerxis *Longimani*, ſimile quiddam obtinuiſſet, apud Perſas, non auſa eſſet Vaſthis id quod Rex cupiebat negare.

Prout juſſerat Rex] *In verbo Regis.*

14 *Temporum peritis*] ידעי העתים *jodebe habitthim.* Vide ad 1. Ephemer. XII, 32. Cùm Perſarum Reges, nihil ſine Magorum conſilio facerent, Magique ſummopere addicti eſſent Aſtrologiæ Apoteleſmaticæ; ideò hîc dicitur Achaſuerus conſuluiſſe *peritos temporum*, Aſtrologos, nempe, qui docebant an tempus eſſet aptum ſuſcipiendis rebus, quas animo agitabant. Noverant, ut verbis *Juvenalis* utar, ex Sat. VI, 571.

Qui menſis damnis, quæ dentur tempora lucro.

Ea erat ſuperſtitio Orientalium, ut crederent etiam horas alias aliis feliciores eſſe.

Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro; ſi prurit frictus ocelli
Angulus, inſpectâ Geneſi collyria poſcit.
Ægra licèt jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

Hæc quidem de Romanis mulieribus ſui ævi *Juvenalis*, ſed quæ à Chaldæis ea ſuperſtitione imbutæ fuerant, ut docet vſ. 553. ejuſdem Satiræ:

Chaldæis ſed major erit fiducia; quidquid
Dixerit Aſtrologus credent à fonte relatum
Hammonis.

Hinc in centum *Ptolemæi* ſententiis monita occurrunt de eligendis diebus & horis, ad id perficiendum quod animo verſatur, ut in decima, quæ ita habet ex verſione *Joan. Joviani Pontani*, nam Græca non erant ad manum: *In dierum, horarúmque electionibus, utere maleficis, perinde ut optimus medicus ad curationem venenis utitur moderatè*; & in undecima: *diem horamque non ante eligas, quàm propoſitæ rei noveris qualitatem.* Alia plura ſunt hujuſmodi, unde liquet Ægyptios & Chaldæos *peritiam temporum* ſummopere jactaſſe.

De dignitate Magorum, ſcientiáque Aſtrologica, apud Perſas, vide Lib. II. Philoſophiæ Orientalis *Th. Stanlei.* Sed & de eorum auctoritate egit *Barn. Briſſonius* Lib. II. p. 180. Cùm hæc ſint minimè obſcura, mirum eſt LXX. Intt. vertiſſe hîc φίλους, & Vulgatum habere, *qui ex more regio ſemper ei aderant*; quid enim eſt in Hebraicis ſimile?

Mandata Regis firma eſſe] *Quod firmum* (כן chen) *verbum Regis coram omnibus peritis legis & judicii.* Reges, nempe, Perſarum ſoluti legibus erant, imperiaque ſua legum loco habenda ſtatuebant. Vide *Barn. Briſſonium* de Regno Perſico Lib. I. p. 22. & *ſeqq.* כן *chen* quod *firmum* vertimus ex una ſignificationum radicis כן, quâ *firmum eſſe* ſonat, ſolet etiam *rectum*, ac *verax* verti; ſed priorem ſignificatum prætulimus, quia hîc ſermo eſt de imperio regio irrito non

Digitized by Google

nes, qui leges & jura noſſent. 15. Juxta illum *erant* Charſena, Sethar, Admatha, Tharſis, Meres, Marſena & Memuchan, ſeptem principes Perſarum & Medorum, videntes vultum Regis, & primas ſedes in regno obtinentes. 16. Quid verò, *inquit iis Rex*, faciendum, ex lege, Reginæ Vaſthi, quia non exſequuta eſt mandatum Regis, per Eunuchos *ad eam delatum?* 17. Non erga Regem ſolum, inquit Memuchan, coram Rege & Principibus, deliquit Vaſthis Regina, ſed & in omnes principes ac populos, qui ſunt in omnibus Achaſueri Regis provinciis. 18. Manabit enim factum Reginæ ad omnes fœminas, ita ut præ ſe viros ſuos ſpernant; cùm ſint dicturæ: Rex Achaſuerus juſſit Vaſthin Reginam in conſpectum ſuum adduci, at illa non venit. 19. Nunc *hæc* dicent principes mulieres Perſarum & Medorum, quæ audiverint factum Reginæ, omnibus primoribus Regis; & ſatis contemtûs ac indignationis *illis creabunt.* 20. Si Regi ita videatur, prodeat ab eo edictum regium, ſcribatúrque inter leges Perſarum & Medorum, neque obſoleſcat, ut ne veniat Vaſthis in conſpectum Regis Achaſueri, regiámque ejus dignitatem Rex alii det, quæ ſit illâ melior. 21. Tum verò cùm audietur edictum Regis, quod fecerit, per totum regnum, quod eſt amplum, fœminæ viris ſuis, à minimo ad maximum, honorem exhibebunt. 22. Placuit res Regi & principibus, fecitque Rex, prout dixerat Memuchan. 23. Miſit ergo litteras ad omnes provincias Regis, ad ſingulas pro earum ſcriptura, & ad unumquemque populum pro lingua ſua; ut omnis vir dominaretur domui ſuæ, & linguâ popularium ſuorum *hoc* diceret.

II. Rex

non faciendo. Cùm Perſæ Regibus ſuis jus tantum tribuerent, ut obloqui nullo modo liceret, quiſquis norat eam conſuetudinem dubitare non poterat, quin parendum eis per omnia eſſet; cujus rei inſignia exempla profert loco laudato *Briſſonius*. Neſcio quid hîc legerint aut legendum cenſuerint LXX. Intt. qui habent: κατὰ ταῦτα ἐλάλησεν αὐτῷ, ποιήσαντι ἐν τῷ τούτῳ νόμον καὶ κρίσιν. Nec meliùs Vulgatus: *& illorum faciebat cuncta conſilio; ſcientium leges ac jura Majorum.* Ex conjectura locum, quem non adſequebantur, neglectis vocibus, vertiſſe videntur, pro ſenſu quem hîc poſtulari putabant. Sed & alii Interpretes hîc ceſpitarunt, & vim intulerunt verbis quæ non adſequebantur.

15. *Septem Principes* &c.] Vide ad vſ. 10.

Videntes vultum Regis] Intimæ admiſſionis viri; nam Reges, ut auguſtiores viderentur, rariùs ſe promiſcuæ turbæ conſpiciendos præbebant, & pleraque per internuncios expediebant. Quod multis oſtendit *Barn. Briſſonius* Lib. I. p. 17. operis antea laudati. Sed vide deſcriptionem Majeſtatis illius plerumque occultæ, in libro de Mundo, quem vertit *Apuleius.*

Primas ſedes in regno occupantes] *Sedentes primùm in regno.*

16. *Qui verò, inquit* &c.] Supplevimus hîc verba, *inquit iis Rex*, perſpicuitatis causâ, útque ſeries orationis meliùs intelligeretur. Alioquin antecedens comma Parentheſi claudi ſolet. Sed hoc non poteſt commodè cum 13 conjungi, quia illic oratio eſt obliqua, hîc directa.

18. *Manabit enim factum*] *Nam egredietur verbum Reginæ* &c. Non exigui erat momenti, apud populos illos, in quibus frequens erat Polygamia, viris in uxores maximam eſſe auctoritatem; niſi enim paruiſſent uxores & pellices mandatis viri, eúmque reveritæ fuiſſent, inteſtinis diſcordiis familiæ omnes conflagraſſent. Zelotypæ inter ſe uxores & odiis mutuis in ſe liberóſque ſuos invicem ſævientes omnia miſcuiſſent; quod fit etiamnum hodie, apud Muhammedanos, niſi viri uxores & pellices propemodum ſervarum loco habeant.

19. *Factum Reginæ*] *Verbum*, vel *rem Reginæ.*

Satis] כדי *ebdai*, ut ſufficit; hoc eſt, multùm.

20. *Si Regi ita videatur*] *Si ad Regem bonum.*

Edictum regium] *Verbum regni ab ejus conſpectu.*

Scribatúrque inter leges &c.] Ne, nimirum, obſoleſcat, Regiſque animo mutato irritum fiat. Reges enim, licèt ἀνυπεύθυνοι, non audebant leges mutare, ne vileſceret eorum auctoritas, quæ non minùs legibus nitebatur, ac privatorum jura. Vide Dan. VI, 8, 15.

Regiámque ejus dignitatem] מלכותה malchouthah, *regnum ejus.*

Alii det] לרעותה lirehonthah, *ſociæ*, aut *proximæ ejus*; alii, nempe, mulieri ex iis quas in Gynæceo habebat.

23. *Ad ſingulas provincias*] *Ad provinciam & provinciam.*

Ut omnis vir dominaretur &c.] Lex, nimirum, illa non tantùm pertinuit ad factum ſingulare Reginæ, ſed monitæ ſunt omnes mulieres, ut dicto audientes eſſent viris ſuis, ni vellent ſimiles pœnas, pro ſtatu cujuſque, dare.

Et lingua popularium &c.] ומדבר כלשון עמו *& loquens ſicut linguam populi ſui*, hoc eſt, ut dicere poſſet linguâ ſuâ quid à Rege in edicto conſtitutum eſſet.

In CA-

II. Rex jubet conquiri pulcherrimas quaſque virgines, eáſque ad ſe adduci. Ex iis eligit Hadaſſam, ſive Eſtheram Judæam, à Mordechæo adoptatam, qui Mordechæus paullò pòſt conſpirationem in Regem aperit, quamquam nullum refert præmium.

1. POSTHÆC cùm deferbuiſſet ira Regis Achaſueri, recordatus eſt Vaſthis, ejúſque quod fecerat, & quod contra eam decretum fuerat. 2. Tum verò dixerunt ſervi Regis, qui ei miniſtrabant: quærantur Regi puellæ virgines formoſæ, 3. conſtituátque Rex præfectos in omnibus regni ſui provinciis, qui congregent omnes puellas virgines formoſas, in Suſorum Metropolin, domum mulierum, ſub poteſtatem Hegæi Eunuchi Regis, mulierum cuſtodis, qui eis det unde ſe ſe purgent. 4. Puella verò, quæ placebit oculis Regis, regnet loco Vaſthis. Res placuit Regi & ſic fecit. CAPUT II.

5. Vir autem erat Judæus in Suſorum metropoli, cui nomen Mordechæo. Filius erat Jaïris, filii Simhis, filii Kiſi, Benjaminitæ, 6. qui migraverat Jeroſolimâ, cum iis qui migraverant cum Jechonia Rege Judæ, quem tranſtulerat Babyloniorum Rex Nebuchadnetſar. 7. Educabat *Mordechæus* Hadaſſam, quæ & Eſthera, filiam patrui ſui, quoniam nulli erant ei parentes. Puella autem formoſiſſima erat, & poſt mortem parentum eam filiam ſibi adoptaverat. 8. Cùm autem audiretur mandatum Regis, & ejus lex, cúmque colligerentur multæ puellæ in Suſorum metropolin, ſub poteſtatem Hegæi, abducta eſt Eſthera in Regiam, ſub Hegæi cuſtodis mulierum poteſtatem. 9. Puella ei viſa eſt formoſa, ejúſque gratiam cùm adepta eſſet, curavit properè ei dari quibus mundaretur,

In Caput II.

1. R*Ecordatus eſt Vaſthis* &c.] Hoc eſt, cœpit eum pœnitere nimiæ ſeveritatis, deſideriíque ejus tenebatur.

2. *Dixerunt ſervi Regis* &c.] Timuerunt, nempe, Conſiliarii Regis, ne, redintegrato cum Vaſthi amore, Rex ab ea inductus pœnas de iis ſumeret, qui ei auctores fuerant tantæ in eam ſeveritatis.

Quærantur] יבקשו jebakeſchou, *quærant*, ii, nimirum, quibus hoc negotii demandabitur. Gallicè, *que l'on cherche*. Latinè loquenti commodiùs fuit paſſivâ conjugatione rem exprimere

3. *Formoſas*] Hoc eſt, eximiæ pulchritudinis; alioqui formæ mediocris nimis multæ fuiſſent.

Domum mulierum] בית הנשים *beth hannaſchim*. Græcè uno verbo γυναικεῖον, γυναικών, aut γυναικωνῖτις dicitur.

Hegæi] הגא *Hega*. Verſu 8. vocatur הגי *Hegai*.

Eis det unde ſe ſe purgent] Pro Futuro יתן jitthen, *dabit*, aut *det*, hîc eſt Infinitivus נתון *nathon*, licèt minùs uſitatus. LXX. Intt. habent δοθήτω, Vulgatus *accipiant*. Sequens vox תמרוקיהן *thamrakehen*, vertitur à LXX. Intt. σμῆγμα καὶ ἡ λοιπὴ ἐπιμέλεια. Vulgatus, *mundum muliebrem & cetera ad uſus neceſſaria*. Sed indicatur purgatio, de qua vſ. 12. quâ ſordibus omnibus abſterſis, pretioſis multis unguentis, per aliquot menſes ungebantur. Nec dubium quin adderentur mundus muliebris & reliqua neceſſaria, ſed eâ voce non ſignificantur, nam מרק eſt tantùm *purgavit*, *abſterſit*.

6. *Cum iis qui migraverant* &c.] *Cum migratione*. Factum hoc erat anno Periodi Julianæ 4115. nunc verò labebatur annus ejuſdem Periodi 4255. ex *Dionyſ. Petavii* calculo, interjecto CXL. annorum ſpatio. Quare aliud agebat vel ex vulgari ſententia, non ex ſua, loquebatur vir doctiſſimus cùm Lib. XVII. de Doctrina Temporum ad annum Periodi Julianæ 4115. ſcriberet eâ ſecundâ deportatione abductum fuiſſe *Mardochæum*; qui, ſi vixiſſet tempore Jechoniæ, ad hæc tempora vitam producere non potuiſſet; ac ſanè, ut jam obſervavimus, non Mardochæus hic, ſed ejus proavus in captivitatem, cum Jechonia, abductus dicitur. Quod ipſe agnoſcit *Petavius* Lib. XII. c. 27.

7. *Hadaſſam, quæ & Eſthera*] הדסה *Hadaſſa*, hoc eſt, myrtea, nam הדס eſt myrtus. Sic & apud Græcos *Myrrhina*, μυῤῥίνη nomen fuit mulieris. At אסתר eſt *latebo*, à סתר *ſathar*, *latuit*, quo nomine fortè ſe ipſam vocavit *Eſthera*, apud Perſas, poſtquàm Mardochæus eam juſſiſſet occultare nomen populi ſui.

Formoſiſſima erat] *Pulcra formâ & bona adſpectu*, יפת תאר וטובת מראה. Synonyma conjuncta intendunt ſignificationem, ut diximus ad vſ. 4. Cap. I.

9. *Puella ei viſa eſt formoſa*] *Et bona fuit puella in oculis ejus.*

Ejúſque gratiam &c.] *Et tulit benignitatem in oculis ejus.*

Curavit properè ei dari] *Et feſtinare fecit purgationes ejus & partes ejus ad dandum illi.* *Purgationes* quid ſint docet vſ. 12. *Partes* verò ſeu מנות *manoth* intelliguntur fercula, ſeu cibi qui dividebantur iis, qui in regia habitabant, aut pars familiæ regiæ erant, pro more Regum Perſarum, à Cyro inſtituto. *Xenophon* Lib. VIII. Κύρου παιδείας, ſic hac de re loquitur: ὅσα δὲ παρατεθείη αὐτῷ πάντα, πλὴν οἷς αὐτός τε καὶ οἱ σύνδειπνοι χρήσαιντο, διεδίδου οἷς βούλοιτο τῶν φίλων μνήμην ἐνδείκνυσθαι ἢ φιλοφροσύνην· διέπεμπε δὲ καὶ τούτοις οὓς ἀγασθείη ἢ ἐν φυλακαῖς, ἢ ἐν θεραπείαις, ἢ ἐν ἄλλαις τισὶ πράξεσι. *quæcumque adponebantur omnia, exceptis iis quibus ipſe & convivæ ejus veſcebantur, diſtribuebat iis ex amicis quibus volebat oſtendere ſe eorum meminiſſe aut ſe iis bene velle. Mittebat autem & iis quos probabat, ſive in excubiis agendis, ſive in miniſteriis, ſive in aliis quibuſdam factis.* Plura vide apud *Briſſonium* de R. P. Lib. I. p. 74.

tur, partéſque ejus & ſeptem puellas è regia delectas. Tum eam ejúſque puellas in commodum *locum* Gynæcei tranſtulit. 10. *Interea* Eſthera populum ſuum, cognatóſque minimè aperuit, quia Mordechæus *hæc* illam indicare vetuerat. 11. Quotidie verò Mordechæus ambulabat, coram atrio Gynæcei, ut an rectè haberet Eſthera, & quid eâ ſactum eſſet reſciret.

12. Cùm autem adpetebat ordo uniuſcujuſque puellæ, ad Regem Achaſuerum eundi; quod fiebat duodecim menſibus, poſtquàm ei, ſecundùm mulierum conſuetudinem, contigerat (nam ſex menſes explebantur iis purgandis oleo myrrhæ, & ſex menſes in iis purgandis aromatibus) 13. eâ lege veniebat puella ad Regem, ut daretur ei quidquid petebat, ut veniret ſecum à Gynæceo ad regiam. 14. Veſperi autem ingrediebatur, manè verò revertebatur in ſecundum Gynæceum, ſub poteſtatem Sahaſgazi Eunuchi Regis, Concubinarum cuſtodis. Nec ampliùs ibat ad Regem, niſi eâ rex delectatus eſſet, & nomine vocaretur.

15. Cùm igitur adpeterent vices Eſtheræ, Abichaïlis filiæ, patrui Mordechæi, qui eam ſibi filiam adoptaverat, nihil quidquam petiit, præter id quod dixerat Hegæus, Regis Eunuchus, mulierum cuſtos, & gratiam quidem omnium, qui eam videbant, conſequebatur. 16. Ducta eſt ergo Eſthera ad Regem Achaſuerum, in regiam, menſe decimo (is eſt menſis Tebethus) anni ſeptimi regni ſui; 17. amavitque Rex Eſtheram plus quàm omnes uxores, gratiámque & benevolentiam, apud eum, majorem adepta eſt, quàm *ceteræ* omnes virgines. Itaque coronam regiam capiti ejus impoſuit, & regnare loco Vaſthis juſſit. 18. Fecit Rex ingens convivium omnibus ducibus ſuis, &

E regia delectas] *Spectatas ad dandum ei è domo Regis.*

Tum eas ejúſque puellas &c.] וישנה ואת נערותיה לטוב *& mutavit eam & puellas ejus in bonum in domo Regis.* LXX. Intt. καὶ ἐχρήσατο αὐτῇ καλῶς καὶ ταῖς ἅβραις αὐτῆς ἐν τῷ γυναικῶνι. Vulgatus: *præcepit — ut tam eam, quam pediſſequas ejus, ornaret atque excoleret.* Sed verbum שנה ſimile nihil ſignificat, præſertim in Conjugatione Pihel, ſed tantùm *mutare.* Obſervavit præterea *Lud. de Dieu* verbum שני apud Syros, in hac Conjugatione, eſſe *mutare locum* ac *transferre in alium locum.*

10. *Quia Mordechæus* &c.] Timebat, nempe, ne fortè contemneretur, populi & Religionis causâ; quamvis, ſi optavit conſanguineam ſuam eſſe inter uxores, aut pellices Regias, ea quidem in re minimè Legem obſervarit, quæ vetat Idololatrarum connubia à Judæis quæri. Sed circumſtantiæ ſingulares, cupiditáſque juvandæ ſuæ gentis rem aliquo modo excuſant.

11. *Quotidie*] *Omni die & die.*

An rectè haberet Eſthera] *Pacem Eſtheræ.*

12. *Adpetebat ordo*] בהגיע תור *bebaggiah thor:* Solebant, nempe, vicibus uxores & pellices Perſarum Regis ad eum duci. *Herodotus* Lib. III. c. 69. de Phædyma, Otanis filia, uxore Smerdis: Ἐπεί τε αὐτῇ μέρος ἐγίνετο τῆς ἀπίξιος παρὰ τὸν μάγον (ἐν περιτροπῇ γὰρ δὴ αἱ γυναῖκες φοιτῶσι τοῖσι Πέρσῃσι) ἐλθοῦσα παρ' αὐτὸν ηὗδε: *poſtquam ejus vices fuerunt eundi ad Magum* (*in orbem enim uxores ad Perſas eunt*) *veniens apud eum dormivit.* Quod imitatus eſt Alexander, ut ex *Diodoro* oſtendit *Briſſonius* de R. P. Lib. II. p. 78.

Quod fiebat duodecim menſibus &c.] Incipiebant, nimirum, puellæ cum Rege concumbere, anno poſt prima pubertatis ſigna.

Secundùm conſuetudinem mulierum] כדת הנשים *chedath hannaſchim.* Chaldaïſmus, Hebræi enim dicerent potiùs ארח *orabh*, aut דרך הנשים *derech hannaſchim*, viam mulierum, ut Geneſ. XVIII, 11. & XXXI, 35.

Purgandis oleo myrrhæ] Balneum, nempe, quotidie petebant, ubi accuratè abluebantur & deſtringebantur, deinde ungebantur oleo myrrhæ. De balneis Perſarum, unguentiſque quibus utebantur multa collegit ex Veteribus *Barn. Briſſonius* Lib. II. de R. P. p. 229, & ſeqq. De Myrrha ſic *Plinius* Lib. XIII. c. 1. *Omnia* (unguenta) *acutiora fiunt coſto, amomo, quæ maximè nares feriunt, craſſiora myrrhâ, ſuavioráque.* Paullò pòſt: *myrrha & per ſe unguentum facit, ſine oleo, ſtacte dumtaxat; alioqui nimiam amaritudinem adfert. Cyprino viride fit, Suſino unguinoſum, Mendeſio nigrum, rhodino candidum, Myrrhâ pallidum.*

In iis purgandis aromatibus] *In aromatibus, in purgationibus mulierum.* Ungebantur, nimirum, poſtquàm erant lotæ, aliis unguentorum, aromatibus variis conſtantium, generibus.

13. *Quidquid petebat* &c.] Seu Eunuchum, ſeu ancillam, ſeu utenſilia, aut veſtem.

A Gynæceo ad regiam] A primo, nempe, Gynæceo, in quo virgines ſervabantur & parabantur ad concubitum Regis, in regiam.

14. *In ſecundum Gynæceum*] In quo habitabant pellices, ſtatim ac ſemel cum iis Rex concubuerat.

15. *Nihil quidquam petiit* &c.] Rem permiſit Hegæi arbitrio, cujus gratiam jam erat conſequuta; quod erat modeſtiæ & grati animi indicium.

16. *Ducta eſt*] *Sumta eſt.*

Anni ſeptimi &c.] Anno Periodi Julianæ 4255. ante Chriſtum 459.

17. *Omnes virgines*] Ad eum adductæ, ut ſeligeret quam vellet Vaſthis loco regnare.

Coronam regiam] *Coronam regni.*

18. *Nuptiale*] Hanc vocem ſupplevimus, quia de uxore, quam modò duxerat Perſarum Rex, agitur.

Provinciis aliquid remiſit] והנחה למדינות *& quietem provinciis.* LXX. Intt. ἄφεσιν ἐποίησε, quòd de cujuſpiam oneris remiſſione locus omnino intelligendus videatur; quod ſolebat fieri in inſigni quapiam hilaritate, ut omnes Regis causâ etiam gauderent.

Digitized by Google

miniſtris, *nuptiale*, *nempe*, convivium Eſtheræ, provinciiſque *propterea* aliquid remiſit, *ſuôſ*que muneribus, pro regia potentia, donavit.

19. Cùm verò congregarentur virgines ſecundùm, & Mordechæus ſederet ad januam Regis, 20. cognationem ſuam, populumve ſuum Eſthera non indicavit; quemadmodum ei præceperat Mordechæus; nam mandata Mordechæi obſervabat, veluti cùm apud eum educaretur.

21. Temporibus illis, cùm Mordechæus ſederet ad januam Regis, indignati ſunt *Regi* Bigthan & Theres, duo Eunuchi regii, ex liminis cuſtodibus, & quæſiverunt *qui poſſent* Achaſuero Regi manum injicere. 22. Ea res innotuit Mordechæo, qui *eam* aperuit Eſtheræ Reginæ; Eſthera verò rem dixit Regi, nomine Mordechæi. 23. Quæſita res eſt & comperta; *quare* ambo illi ſunt è ligno ſuſpenſi. Scriptum deinde hoc eſt, in Ephemeridibus, in conſpectu Regis.

III. Haman magnis honoribus affectus à Rege ab omnibus adoratur, excepto Mordechæo, cui exitium totique genti Judææ molitur Haman, quam in rem litteras regias impetrat & per totum regnum mittit.

1. POSTEA Rex Achaſuerus ad magnam dignitatem evexit Hamanem, Hamme- CAPUT III.
dathæ filium, Agagæum; extulitque eum, & ſolium ejus collocavit ſupra *ſellas* omnium principum, qui apud eum erant. 2. Itaque omnes ſervi Regis, qui ad fores ejus erant, inflectebant ſe & proſternebant coram Hamane, ſic enim ejus honoris cauſâ juſſerat Rex. Verùm Mordechæus non flectebat ſe, neque proſternebat. 3. Dixe-

Suôſque muneribus &c.] *Et dedit munus in manu Regis.* Cùm non expreſſerit hujus libri Scriptor, quem Rex munere donarit, ſupplevimus *ſuos*. Poſſet tamen & ad Eſtheram referri, quam Rex muneribus regiis donaverit. Quæ autem munera ſoleret dare Rex Perſarum multis oſtendit *Barn. Briſſonius* de R. P. Lib. I. p. 96, & ſeqq.

19. *Cum verò congregarentur* &c.] Primùm congregatæ videntur in varias provincias, deinde Suſa, antequàm in Gynæceum Regium intromitterentur. Scriptor regreditur ad ea, quæ ante nuptias Eſtheræ contigerant.

Ad januam Regis] Inſtituerat hoc Cyrus, ut quibus munera, aut negotia eſſent in aula, ii ante oſtium Regium verſarentur, ut docet *Xenophon* Lib. VIII. *Educ. Cyri.* Æquum enim cenſebat τοὺς ἐντίμους ἀεὶ παρεῖναι ἐπὶ θύραις καὶ παρέχειν αὐτοὺς χρῆσθαι ὅ, τι βούλοιτο, ἕως ἂν ἀφίη Κῦρος, *honoratos ſemper adeſſe ad fores, ut iis uteretur quam in rem vellet, donec eos dimitteret Cyrus.* Quæ conſuetudo apud poſteros permanſit, ut vel ex hoc libro videre eſt. Sic & *Herodotus* Lib. III. c. 120. deſcribit ἐπὶ τῶν βασιλέος θυρέων κατήμενον τόν τε Ὀροίτεα καὶ ἄλλον Πέρσην, *ad Regis fores ſedentem Oroeten, & alium Perſam.* Plura vide apud *Briſſonium* Lib. I. de R. P. p. 20.

21. *Indignati ſunt Regi*] קצף *indignatus eſt Bigthan*; nempe, in Regem.

22. *Nomine Mordechæi*] Cùm diceret ſe eam, per internuncios, à Mordechæo quodam, accepiſſe.

23. *In Ephemeridibus*] In verbis dierum, de quibus diximus ad Eſdræ IV, 15.

In CAPUT III.

1. AD *magnam dignitatem* &c.] גדל giddel, *magnum fecit.*

Agagæum] האגגי *haagagi*, quæ vox aut genus, aut patriam Hamanis ſignificat. Apud LXX. Intt. hîc eſt Βουγαῖος, apud Vulgatum *de ſtirpe Agag.* Crediderim mendum eſſe in Verſione LXX. Intt. qualia ſunt paſſim in nominibus propriis; ſed an ſignificatur hic fuiſſe *è ſtirpe* neſcio cujus *Agagi*, aut Hamalekitarum Regis de quo 1. Sam. XV, 20. quod nugax Interpres Chaldæus hujus libri volebat, ut ante eum *Joſephus*, juxta ſcio cum ignariſſimis. Potuit אגג *agag* nomen eſſe conditoris familiæ Perſicæ, aut nomen urbis, vel provinciæ; pleraque enim ejuſmodi nomina nobis hodie ſunt prorſus ignota. Idem dicitur apud LXX. Intt. IX, 24. Μακεδών. Quod videtur ſcriptum eo ævo, quo Macedones graves erant Judæis.

Solium ejus collocavit &c.] Sedem in qua ſolebat ſedere ſupra alias collocavit. Vide 1. Reg. XXV, 19.

2. *Inflectebant ſe* &c.] כורעים ומשתחוים *charehim oumiſchthabbavim.* De ratione quâ Perſæ ſe invicem ſalutabant ita *Herodotus* Lib. I. cap. 134. unde liquet Hamanem omnibus præpoſitum, ut à Libri hujus Scriptore hac ſalutandi ratione ſatis oſtenditur. Ἐντυγχάνοντες, inquit, ἀλλήλοισι ἐν τῇσι ὁδοῖσι, τῷδε ἄν τις διαγνοίη εἰ ὅμοιοί εἰσι οἱ συντυγχάνοντες, ἀντὶ γὰρ τοῦ προσαγορεύειν ἀλλήλους, φιλέουσι τοῖσι στόμασι. ἢν δὲ ᾖ οὕτερος ὑποδεέστερος ὀλίγῳ, τὰς παρειὰς φιλέονται· ἢν δὲ πολλῷ ᾖ οὕτερος ἀγεννέστερος, προσπίπτων προσκυνέει τὸν ἕτερον: *occurrentibus ſibi invicem in viis, hinc intelligere licet an qui occurrunt pares ſint, nam ſalutationis loco ſe mutuo ore oſculantur; quòd ſi alter fuerit paullò inferior, malas oſculantur dumtaxat, ſin autem alter fuerit multò ignobilior, procidens alterum adorat.* Cùm poſtremâ ratione ab omnibus ſalutaretur Haman, omnibus longè honoratior habebatur. Sic autem Rex ſolebat ſalutari, ut notum eſt, multiſque Veterum locis oſtendit *Barn. Briſſonius* Lib. I. p. 8. & ſeqq. de R. P.

Ejus honoris cauſâ] לו lo, *illi.*

Mordechæus non flectebat ſe &c.] Fiduciâ, ut videtur, Eſtheræ: alioquin, apud Hebræos, non minùs quàm apud Perſas, ſalutare honoratiſſimos quoſque humi proſternentes corpora ſolebant. Perperam *Joſephus* Antiq. Judaïc. Lib. XI. cap. 6. ait Mordechæum adorare noluiſſe

Digitized by Google

3. Dixerunt verò ſervi Regis, qui erant ad fores regias, Mordechæo; cur mandatum
Regis violas? 4. Cùm hoc illi quotidie dicerent, nec iis auſcultaret, rem indicarunt
Hamani; ut viderent an futura eſſent conſtantia verba Mordechæi, quia aperuerat il-
lis ſe eſſe Judæum. 5. Vidit verò Haman Mordechæum ſe non inflectere, neque pro-
ſternere coram ſe, & indignatione plenus fuit.

6. Leve tamen viſum ei eſt manum injicere Mordechæo ſoli, nam Motdechæi ei po-
pulum indicarant. Itaque quæſivit Haman, *qui poſſet* Judæos omnes, qui eranr in to-
to regno Achaſueri, Mordechæi populares, delere. 7. Menſe primo (is menſis eſt Ni-
ſan) anno duodecimo Regis Achaſueri, projecit Phur, hoc eſt, ſortem, coram Ha-
mane quotidie, & ſingulis menſibus ad duodecimum uſque, qui eſt menſis Adar. 8. Tum
verò Haman Regi Achaſuero, eſt, inquit, populus unus diſperſus ac diviſus inter om-
nium Provinciarum regni tui populos, cujus leges differunt ab omnium populorum
legibus, & qui legibus regiis non paret; nec conducit Regi ei ignoſcere. 9. Si Regi
videatur, ſcribantur *litteræ*, ad eum perdendum. *Quod ſi fiat*, appendam decem millia
ralentorum argenteorum *tradámque* in manus eorum, qui negotium confecerint, ur ga-
zis regiis inferantur. 10. Rex verò è manu ſua amovit annulum ſuum, eúmque Hama-
ni, Hammedatæ filio, Agagæo, hoſti Judæorum tradidit, 11. & Hamani, pecuniâ,
inquit, & populo te dono, ut id ei facias quod tibi rectum videbitur.

12. Vocati ergo ſunt ſcribæ Regis, menſe primo, & decimo quidem tertio die *men-
ſis*, ſcriptúmque eſt prorſus quemadmodum juſſit Haman, ad Satrapas regios & ad
præ-

luiſſe Hamanem διὰ σοφίαν καὶ τὸν οἰκεῖον νόμον, *propter ſapientiam & propriam legem*. Nuſquam enim Lex ita honoratos ſalutari vetat, ſed tantùm ſtatuas Deorum.

4. *An futura eſſent conſtantia*] היעמדו *bajabamedon*, an ſtarent. Non credebant hominem Judæum, in alieno ſolo degentem, auſurum reſiſtere intimæ admiſſionis aulico.

6. *Leve tamen ei viſum eſt*] *Et contemſit in oculis ſuis mittere manum* &c.

Qui poſſet Judæos omnes &c.] *Joſephus*: τὸ δὲ ἔθνος αὐτοῦ ἔλεγεν πᾶν ἀφανίσειν, καὶ γὰρ φύσει τοῖς Ἰουδαίοις ἀπηχθάνετο, ὅτι καὶ τὸ γένος τῶν Ἀμαληκιτῶν, ἐξ ὧν ἦν αὐτὸς, ὑπ' αὐτῶν διέφθαρτο: *gentem ejus decrevit totam delere, etenim à natalibus erat Judæis infenſus, quia genus Hamalecitarum, ex quibus ortus erat, ab iis perditum fuerat*. Sed hæc eſt conjectura orta ex voce אגגי *Agagi*, quam putant eſſe patronymicam ab Agago Hamalekitarum rege ductam; cujus rei nullum eſt certum argumentum. At conſtat Perſarum Reges in eos, à quibus graviter ſe offenſos putabant, ita ſæviiſſe ut innocuos eorum propinquos unà occiderent. Sic Darius Hyſtaſpides non Intaphernem modo, qui graviter in eum deliquerat, ſed omnem ejus familiam exſtinguere voluit; nec precibus uxoris ejus adductus cuiquam pepercit, niſi fratri mulieris & maximo natu filio, ut narrat *Herodotus* Lib. III. c. 118. Vide & alia exempla apud *Barn. Briſſonium* de R.P. Lib. II. p. 168. Regem ergo imitari voluit Haman & gentem Judæorum exſtinguere, propter unius Judæi noxam.

7. *Menſe primo*] Nempe, Hebraïci anni, nam Nabonaſſari annus planè vagus erat, ut Ægyptiacus.

Projecit Phur, id eſt, ſortem] הפיל פור הוא הגורל. *Fecit cadere* Phur, *hoc Goral*, ſeu ſors. Mirum eſt à Scriptore hujus Libri non eſſe indicatum, quam ob rem quotidie jaceret ſortes Rex Achaſuerus; cùm ſequentia cur hoc ſit factum non doceant. Sed ſupplevit Latinus interpres, ex conjectura, quod Hebraico textui deerat. Habet enim: *quo die & quo menſe gens Judæorum deberet interfici*. Græca tranſlatio ab Hebraicis verbis non minùs abit, cùm habeat: καὶ ἐποίησε ψήφισμα ἐν ἔτει δωδεκάτῳ τῆς βασιλείας Ἀρταξέρξου καὶ ἔβαλε κλήρους ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, καὶ μῆνα ἐκ μηνὸς, ὥστε ἀπολέσαι ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τὸ γένος Μαρδοχαίου. Si verum hoc eſt, oportet ſortes jactas fuiſſe juſſu Achaſueri coram Hamane, ut intelligeret an quod Haman propoſiturus erat (internecio, nempe, Judææ gentis) felicem eventum ſortiturum eſſet, ſi illico exſequutioni mandari inciperet; intereáque Hamanem conſilium non aperuiſſe, cùm adverſas videret ſibi ſortes, donec tandem ultimi anni menſis duodecimo die, cùm ſors feliciter cecidiſſet, conſilium ſuum aperuerit. Sed conſtat quidem Orientales frequenter ſortibus uſos, ut viderent an id quod ſuſceperunt exitum felicem habiturum eſſet. Multa hanc rem collegit vir doctiſſimus *Antonius Van Dale* Diſſertationis de Ethnicorum Oraculorum Origine Cap. XIV. Verùm in conſiliis ipſis Regum ſortes adhibitas, ut reſcirent quem ſucceſſum eſſent habitura conſilia proponenda, quæ ſupprimerentur, donec ſortes addicerent; alibi me legere non memini, nec quidquam à diligentiſſimo *Briſſonio* ea de re notatum. Hoc tamen colligi poſſe videtur ex ſerie narrationis à vſ. 7. Nam ultimi demum menſis duodecimo die videtur Haman quod animo conceperat propoſuiſſe, ut habetur vſ. 8. Alioqui prius dictum oportuiſſet.

8. *Qui legibus regiis non paret*] Nimirum, in rebus ad Religionem pertinentibus, nam in ceteris nihil vetuit Judæos legibus Perſarum parere; nec videntur etiam legum Moſaicarum admodum obſervantes fuiſſe, cùm ne in Judæa quidem eas ſat religioſè obſervarent, ut liquet ex libris Eſdræ & Nehemiæ.

Eis ignoſcere] להניחם *lebannicham*, eos ſinere quieſcere.

9. *Si Regi videatur*] *Si apud Regem bonum*.

Decem millia talentorum argenteorum] Ingens profectò ſumma, quæ librarum Sterlingicarum quarum ſingulæ ſunt undecim florenorum Hollandicorum, 3 milliones multùm ſuperat; quæ

vi-

Digitized by Google

præfectos ſingularum provinciarum, principéſque uniuſcujuſque populi & provinciæ, pro ſcriptura & lingua cujuſque populi. Nomine Regis Achaſueri ſcriptum eſt, obſignatúmque regio annulo *quidquid erat litterarum.* 13. Tum miſſæ ſunt litteræ per curſores, ad omnes provincias regias, ut delerentur, occiderentur ac perderentur omnes Judæi, à puero uſque ad ſenem, impuberes & mulieres, die uno, decimo tertio die menſis duodecimi (is eſt menſis Adar) ſpoliáque eorum diriperentur. 14. Exemplar erat hujus ſcripti apertum, ut proponeretur edictum, in omnibus & ſingulis provinciis, cunctis populis, ut ad eam diem eſſent parati. 15. Curſores exiverunt, feſtinare juſſi mandato Regis, propoſitúmque eſt edictum in Suſorum metropoli, Rexque & Haman ſederunt ad bibendum, dum anxia eſſent Suſa.

IV. Mordechæus & Judæi, audito Regio edicto, lugent, indicántque calamitatem ſuam Eſtheræ, quam deprecari pro ſe vult Mordechæus; cúmque Regem adire non vocata vereretur, iteratis Mordechæi precibus adducta rem in ſe ſuſcipit, præmiſſo omnium Judæorum, qui Suſis erant, jejunio trium dierum.

1. INTELLEXIT Mordechæus quidquid erat geſtum, laceratiſque veſtibus ſuis ſaccum induit & cinerem, & egreſſus in mediam urbem clamores magnos & amaros CAPUT IV.

videtur fortunas privati ſuperaſſe. Sed ſperabat ſe eam conficere poſſe ex ſpoliis Judæorum.

10. *E manu ſua*] Extraxit è digito. Ut, nempe, eo obſignarentur Epiſtolæ, ne mandata revocari poſſent, ut liquet ex Cap. VIII, 8.

11. *Pecunia, inquit, & populo* &c.] Quòd pecuniam remitteret, id verò dignum tanti Regis munificentia erat; ſed quòd tot hominum vitas Aulico concederet, ut indictâ causâ occiderentur, id ſanè erat barbarum atque immane. Revocat hoc in memoriam factum Ameſtris uxoris Xerxis, à quo, ut narrat *Herodotus* Lib. IX. c. 109. popoſcit δοθῆναί οἱ τὴν Μασίστεω γυναῖκα, *dari ſibi uxorem Maſiſtis*, qui ipſius Xerxis frater erat, quam crudeliſſimè excarnificavit. Hoc eodem ſenſu Achaſuerus dat Judæos Hamani.

Ut id ei facias &c.] *Ut facias in illo ſecundùm bonum in oculis tuis*; ut ad internecionem deleas, ſi velis. Feræ hæc erant non hominis, ſed cùm Perſarum Reges populos, qui ipſis parebant, ſervorum loco haberent, ſervóſque pecudum inſtar mactare, ſi ita videretur, licitum cenſerent; miſerorum populorum vitam nihili faciebant.

12. *Singularum provinciarum*] *Qui ſupra provinciam & provinciam.* Sic & in ſequentibus.

13. *Tum miſſæ ſunt*] ונשלוח *veniſchloahh*, & mittemos. Eſt tranſpoſitio τοῦ ו, legendúmque נשלחו *niſchlehhou*, ut LXX. Intt. habent ἀπεστάλη, & Vulgatus, *miſſæ ſunt.*

Decimo tertio die &c.] Eodem die anni ſequentis, quo anno antecedente ea cædes decreta erat. Mirum eſt Hamanem tantum ſpatium conceſſiſſe Judæis, qui intra undecim menſes facilè poterant elabi, & regno aufugere, niſi fortè maluerit eos fugere, quàm omnes occidi; ne tandem res in invidiam verteretur.

Apertum] גלוי *galoui*, revolutum. Non erat, nempe, Epiſtola clauſa ad quempiam privatim ſcripta, ſed Edictum, quod publicè proponendum erat.

Ut proponeretur edictum] להנתן דת *ad dandum legem.*

Eſſent parati] Ad trucidandos Judæos.

Feſtinare juſſi mandato &c.] דחופים *debhouphim*, impulſi in verbo Regis. LXX. Intt. ἐσπεύδετο δὲ τὸ πρᾶγμα. Vulgatus, *feſtinabant curſores.* Non erat cur adeò feſtinarent, cùm nulla pars eſſet imperii Perſici, ad quam Suſis intra paucas Hebdomadas pervenire non poſſent, niſi voluerit Haman quàm primùm fugare Judæos.

Dum anxia eſſent Suſa] *Et urbs Suſan* נבוכה *nbocha.* LXX. Intt. ἐταράσσετο δὲ ἡ πόλις. Vulgatus ſenſum expreſſit: *cunctis Judæis qui in urbe erant flentibus*, quaſi נבוכה *nbochah*, perinde eſſet ac בוכיה *bochijah*, flens. *Anxia* autem dicitur hic fuiſſe urbs regia Suſa, quòd multi Judæi in ea erant, qui ſine tumultu vix poterant trucidari, & cum quibus poterant & alii, licèt minimè Judæi, confundi; dum miles armatus & cæde efferatus lucrum potiùs captat, quàm mandata exſequitur. Vix umquam factæ ſunt ejuſmodi laniense, quin multi, quorum mors non quærebatur, ſint ab avaro & inſaniente milite, aut etiam ab inimicis interfecti. Quod experti ſunt olim Galli, in laniena anni MDLXXII. in qua multi cum Proteſtantibus interfecti Pontificii.

In Caput IV.

1. INtellexit &c.] Jam poterat intelligere an rectè feciſſet, qui ſalutare Hamanam noluiſſet; res enim tanti non erat, ut propterea ſe & gentem ſuam in maximum periculum conjiceret. Sic Hebræi ipſi, non minùs ac reliqui Orientales, ſalutabant ſuos Reges, imò & honoratiſſimos quoſque, ut paſſim videmus. Vide Gen. XXIII, 7, 21. XXVII, 29. XXXIII, 3, 7. XXXVIII, 7, 9, 10. XLII, 6. XLIII, 26, &c.

Saccum induit & cinerem] Hoc eſt, induit ſaccum, capútque cineribus adſperſit. Verbum convenit tantùm cum priore nomine. LXX. Intt. ſuppleverunt alterum quod cum cinere conveniret: ἐνεδύσατο σάκκον καὶ κατεπάσατο σποδόν. Sic & Vulgatus: *indutus eſt ſacco ſpargens cinerem capiti.* Quæ ſunt ſollemnia lugentium.

 2. *Ne-*

maros edidit. [2] Venit etiam ante fores regias, quia nemini fores regias ingredi licet ſacco induto. [3] Sic & in omnibus & ſingulis provinciis, locíſve, in quæ edictum Regis, ejúſque lex pervenit, luctus magnus fuit Judæis, jejunium, fletus & planctus; cilíciúmque & cinis *pro lecto* multis ſternebantur. [4] Tum venerunt Eſtheræ puellæ, Eunuchique ejus, rémque ei indicarunt. Vehementer verò doluit Regina, miſitque veſtes, ut iis indueretur Mordechæus, amoveretúrque ab eo ſaccus; verùm ille *veſtes* non accepit.

[5] Vocavit itaque Eſthera Hathachum, ex Eunuchis regiis, quem coram ſe ſiſti juſſit. Mandata autem ei dedit de Mordechæo, ut reſciret quid hoc eſſet & cur ita *ſe gereret*. [6] Egreſſus eſt ergo Hathachus ad Mordechæum, in plateam urbis, quæ eſt ante fores regias. [7] Aperuit verò Mordechæus quidquid ſibi contigerat, & ſummam argenti, quam dixerat Haman ſe appenſurum gazis regiis, contra Judæos, ut eos perderet. [8] Exemplum etiam edicti, quod propoſitum erat Suſis, ad eos delendos, ſcriptum ei dedit, ut oſtenderet Eſtheræ, eique mandaret ut conveniret Regem, quò ei ſupplicaret, conaretúrque ab eo *gratiam impetrare* popularibus ſuis. [9] Ivit ergo Hathachus, & verba Mordechæi Eſtheræ indicavit. [10] Eſthera verò Hatacho dixit, mandavitque *dat* Mordechæo: [11] omnes ſervi regii, populúſque provinciarum Regis norunt, omnem virum, mulierémve, qui ingreſſi fuerint ad Regem in atrium interius, nec vocati fuerint, lege pœnas mortis dare; niſi Rex ad eos ſceptrum aureum tetenderit, ut vivant. Ego vero vocata non ſum, ut convenirem Regem, abhinc triginta diebus.

[12] Renunciata ſunt Mordechæo Eſtheræ verba, [13] juſſitque Mordechæus *hæc* referri Eſtheræ: ne apud animum tuum reputes te *in* regia, ex omnibus Judæis, evaſuram. [14] Sed ſi ſilueris hoc tempore, reſpiratio & liberatio Judæis aliunde exorietur, tu verò

[2] *Nemini fores regias* &c.] *Nemo ad ingrediendum januam regis in veſte ſacci.* LXX. οὐ δ' ἐξῆν *non erat licitum.* Non habent Hebræi voces quibus *licitum* aliquid eſſe exprimant, niſi circumloquutiones; ſed hac phraſi utuntur, ſubintellecto, ut videtur, verbo יכל *jachol*, ut loquutio integra ſit אין יכל לבוא *nemo poteſt ingredi.*

[3] *In ſingulis provinciis*] *In omni provincia & provincia loco quem adſequutum verbum Regis* &c.

Ciliciúmque & cinis] שק ואפר יצע *ſaccus & cinis ſternebatur*; hoc eſt, pro lecto ſternebatur cilicium cineribus inſperſum.

[4] *Rémque ei indicarunt*] Nempe, de Mordechæo ſacco induto; nam rei cauſam etiamnum ignorabant.

Miſitque veſtes] Quia ignorabat quo infortunio factum eſſet, ut ſacco indutus in publicum procederet.

[7] *Summam argenti*] פרשת *ſeparationem argenti*, id eſt, ſepoſitam & paratam pecuniam. Rectè LXX. Intt. κεφάλαιον, *ſummam.* Quamvis enim Rex negaſſet ſe pecuniam accepturum, res ab Hamane narrata a iis fuerat, per quos ad Mordechæum pervenerat, oſtendebátque Hamanem maximo ſtudio Judæis perniciem moliri.

[8] *Conaretúrque* &c.] לבקש מלפניו על עמה *ad quærendum à facie ejus ſuper populo ſuo.* Videtur ſubaudiendum חן *hhen*, aut חסד *hheſed*, aut רחמים *rahhamim*, gratiam, benignitatem aut miſericordiam. Eſt מלפניו *à conſpectu ejus*, quia edicta è conſpectu Regum prodire ſolent. Hinc & apud Chaldæos frequentiſſima eſt loquutio מקדם יהוה *mikkodam Jehovah*, è conſpectu Jehovæ, pro eo quod eſt à Deo.

[11] *In Atrium interius*] החצר הפנימית *behhatſar happhenimith*, in quo Regis erat ſolium, & ubi deliberabat de graviſſimis negotiis. In calidis regionibus ſub porticu, ad ſubdiale atrium, ſedebant, potiuſquàm in conclavi clauſo, propter nimium æſtum.

Lege pœnas mortis dare] *Una lex ejus ad occidendum. Lex regis* hic vocari videtur non lex ab Artaxerxe primùm lata, ſed lex ad regiam majeſtatem tuendam, apud Perſas, nota. Jam à temporibus Dejocis, ne regia majeſtas vileſceret, inſtitutum fuerat per litteras, aut internuncios Regem compellare, eáque conſuetudo à Medis ad Perſas tranſiit. *Herodotus* Lib. I. c. 99. Κόσμον τόνδε Δηιόκης πρῶτός ἐστι ὁ καταστησάμενος, μήτε ἐσιέναι παρὰ βασιλέα μηδένα, δι' ἀγγέλων δὲ πάντα χρᾶσθαι· ὁρᾶσθαί τε βασιλέα ὑπὸ μηδενός: *hunc ordinem Dejoces primus inſtituit, non licere cuiquam ingredi ad Regem, per internuncios omnia tranſigi, Regémque à nemine videri.* Itaque Syloſon, Polycratis Samii frater, cùm Darium Hyſtaſpidem conventum cuperet, ut narrat idem Scriptor Lib. III. cap. 140. ἀναβὰς ἐς τὰ Σοῦσα, ἵζετο ἐς τὰ πρόθυρα τῶν βασιλέος οἰκίων, καὶ ἔφη Δαρείου εὐεργέτης εἶναι· ἀγγέλλει ταῦτα ἀκούσας ὁ πυλουρὸς τῷ βασιλέϊ, *poſtquam ſe contuliſſet Suſa ſedebat in veſtibulo regiæ & dicebat ſe de Dario bene meritum eſſe. Janitor hoc auditum nunciat Regi*; deinde, ex mandato Regis, Janitor eum intromittit. Ea de cauſa, ſeptem illi primores Perſarum, qui Magum occiderant, in hanc rem convenerunt, ut poſtquàm unus eorum Rex factus eſſet, ceteris ſex aditus ad eum pateret, ἄνευ ἀγγέλου, niſi tunc temporis Rex cum uxore concumberet, ut habet idem Scriptor Lib. III. c. 118. ubi inſignis hanc in rem hiſtoria narratur.

Ut vivant] Ne occidantur. Indicium hoc fuit ex quo intelligere licebat iis, qui injuſſi ingreſſi erant, Regem ignoſcere. Sed mirum eſt Eſtheram timuiſſe ejuſmodi legem, cùm poſſet, per Janitorem, petere à Rege an ſibi liceret de re gravi Regem convenire; præſertim cum ſatis eſſet temporis, ab edicto ad ejus exſequutionem interpoſiti.

[14] *Liberatio aliunde exorietur*] *Stabit* (יעמד) *ex*

rò & familia patris tui peribitis. Quis verò novit, annon perveneris ad regnum, propter ejuſcemodi tempus? 15. Juſſit verò Eſthera hæc reſponderi Mordechæo: 16. ito, congrega omnes Judæos qui deprehendentur Suſis, & jejunate propter me, neque comedite, aut bibite quidquam per triduum, noctu & interdiu; ego verò & puellæ meæ ſimiliter jejunabimus; ac ſic quidem conveniam Regem, quamvis non ſecundùm legem; ſique peream, periero. 17. Abiit ergo Mordechæus, & fecit prorſus quemadmodum ei in mandatis dederat Eſthera.

V. Eſthera conventum Achaſuerum faventem experitur. Eum ad convivium per biduum vocat, unà cum Hamane, qui ſummopere gloriatur, quòd ſolus menſæ regiæ eſſet admotus; ſed ægrè ferens Mordechæum ſe non ſalutantem, jubetur ei ſublimem crucem parare.

1. IGITUR die tertio, ſe ſe Eſthera regiis veſtibus induit, ſtetitque in interiori atrio regiæ, è regione regiæ; Rex verò ſedebat in ſolio regio, è regione introitûs fo- CAPUT V.
rium. 2. Cùm verò vidit Rex Eſtheram Reginam ſtantem in atrio, gratiam apud eum conſequuta eſt, tetenditque Rex ad Eſtheram ſceptrum aureum, quod manu gerebat. Acceſſit ergo Eſthera & ſceptri extremitatem tetigit. 3. Tum ei Rex, quid tibi eſt, inquit, Eſthera Regina, & quodnam tuum eſt poſtulatum? *Si petieris* vel dimidiam partem regni, dabitur tibi. 4. Eſthera verò, ſi rectum, inquit, videatur Regi, veniat Rex, ut & Haman, ad convivium quod ei paravi. 5. At Rex, facite, inquit, ut feſtinet Haman facere quod dixit Eſthera; venerúntque Rex & Haman ad convivium, quod paraverat. 6. Rex verò Eſtheræ, inter bibendum vinum, quodnam tuum eſt, inquit, poſtulatum &

in alio loco; hoc eſt, Deus, quem miſerebitur innocentium Judæorum, aliâ viâ eos huic periculo eripiet.

Tu vero & familia &c.] Quòd tu & nos omnia non tentaverimus, ad eripiendam gentem noſtram tantæ eladi.

Propter ejuſmodi tempus &c.] Ut auxilio eſſes Judæis. Sed hæc calamitas, culpâ Mordechæi, contigerat; qua in re, non potuit laudari.

16. *Propter me*] Petentes à Deo ut quod adgrediar mihi bene cedat.

Neque comedite &c.] Quod intelligendum ita ut nihil cibi ſumeretur, præter id quod erat neceſſarium ad conſervandam vitam; nam alioqui pueri, ægri, aliique, trium dierum jejunio, aut interirent, aut in periculum mortis adducerentur. Sed nec intelligitur integrum triduum, cum tertio die Eſthera Regem ad convivium vocarit. Vide Cap. V, 1.

Conveniam Regem] Ingrediar atrium interius, nequaquam petitâ prius admiſſione; ne fortè mihi negetur, nec poſſim pro Judæis deprecari.

Sique peream, periero] כאשר אבדתי אבדתי *quando perii perii*. LXX. Intt. ἐὰν καὶ ἀπολέσθαι με δέῃ. Vulgatus: *tradénſque me morti & periculo*. Vide not. ad Gen. XLIII, 13. Vix erat credibile ab Achaſuero occiſum iri uxorem, quia ob rem gravem non vocata intraſſet atrium, in quo ſedebat Rex. Itaque Scriptor libri hujus Eſtheram, quaſi timidiorem, deſcribit.

In CAPUT V.

1. R*Egiis veſtibus*] מלכות malchouth, *regno*, ut antea, pro בגדי מלכות *bigde malchouth*, veſtibus regni, aut regiæ dignitatis.

In ſolio regio] *Super ſolio regiæ ejus dignitatis.*

2. *Gratiam apud eum*] *Tulit gratiam in oculis ejus.*

Sceptri extremitatem tetigit] *Attigit in capite ſceptri.* Græci interpretes, ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸ τράχηλον αὐτῆς, Vulgatus, *oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus.* Tangere ſceptrum aureum indicium ſuit admiſſionis gratiæ Regis. *Joſephus* hîc: τὸ σκῆπτρον αὐτῆς ἐνέθηκε τῇ χειρὶ, καὶ τὴν ῥάβδον ἐξέτεινεν ἐπὶ τὸν αὐχένα αὐτῆς: *ſceptrum in ejus manu poſuit, & virgam in cervicem intendit.* Quæ ſunt hominis, qui Hebraïca non inſpexerat.

3. *Si petieris*] Hoc ſubaudiendum res ipſa docet. Vide ſimilem loquutionem Marc. VI, 23.

4. *Veniat Rex, ut & Haman* &c.] Sperabat ſe poſſe, per hilaritatem convivii, impetrare quidpiam in gratiam Judæorum; ſed uſura erat occaſione, prout ſe ſe erat datura. Nec tempus erat incommodum, ad mentionem ejus rei inſerendam, nam Perſæ μεθυσκόμενοι ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιότατα τῶν πρηγμάτων: *Poti conſultare ſolebant de rebus maximè ſeriis*, ut habet *Herodotus* Lib. I. c. 133.

5. *Facite ut feſtinet Haman*] מהרו את המן *properate Hamanem*, hoc eſt, properè eum vocate, ut nobiſcum convivetur.

8. *Inter bibendum vinum*] Poſtquàm, nempe, cibi, quantum erat neceſſe, ſumſiſſent. Is enim erat mos Perſarum, ut docet *Ælianus* Lib. XII. c. 1. Ὡς δὲ ἦλθε τὸ πρῶτον παρὰ Κῦρον ἡ Ἀσπασία, ἔτυχε μὲν ἀπὸ δείπνου ὤν, καὶ πίνειν ἔμελλε κατὰ τὸν τρόπον τὸν Περσικόν· μετὰ γὰρ τὸ ἐμπλησθῆναι τροφῆς, οἱ Πέρσαι τῷ τε οἴνῳ καὶ ταῖς προπόσεσιν εὖ μάλα ἀποσχολάζουσι. *Cùm autem primùm ad Cyrum venit Aſpaſia, jam cœnaverat, & more Perſico biburus erat. Poſtquàm enim repleti ſunt cibo, Perſæ vino & propinationibus vacant.*

Quodnam tuum eſt, inquit, poſtulatum &c.] Satis enim noverat Eſtheram ſe ſe, minimè vocatam, ſolio regio non ſtitiſſe, non ſine periculo, duntaxat ut ipſum ad convivium vocaret; ſed ut occaſione convivii quidpiam peteret.

& tibi concedetur? *Pete* vel dimidium regnum, & fiet, quod petieris. 7 Reſpondit verò Eſthera, & petitio, inquit, ac poſtulatio mea *hæc eſt*. 8. Si quâ apud Regem valeo gratiâ, ſique Regi rectum videatur concedere mihi poſtulationem meam, ita ut faciat quod ab eo petam; veniat Rex & Haman ad convivium, quod eis cras parabo; & cras faciam, ut juſſit Rex.

9. Exivit Haman *regiâ* die illo lætus, atque hilaris animo; ſed conſpecto Mordechæo, ad regias fores, qui non adſurgebat, neque ſe movebat, propter eum, irâ in eum impletus eſt. 10. Attamen continuit ſe Haman, ivitque domum ſuam, in quam accerſivit amicos, & Zereſam uxorem. 11. Tum expoſuit eis Haman magnitudinem divitiarum ſuarum, multitudinem filiorum ſuorum, omniáque, quibus eum auxerat Rex, & quomodo ſupra principes, ſervóſque regios extulerat. 12. Præterea, inquit, non intromiſit eum Rege Eſthera Regina ad convivium quod fecit, niſi me, atque in craſtinum etiam diem, vocatus ab ea ſum ego cum Rege. 13. Verùm hæc omnia non proſunt mihi, dum video Mordechæum Judæum, ad fores Regis ſedentem. 14. Tum verò ei uxor Zereſa, omnéſque ejus amici, paretur, inquiunt, lignum quinquaginta cubitos altum, matutinóque tempore *rem* dic Regi, & ſuſpendatur in eo Mordechæus. Deinde ito cum Rege ad convivium lætus. Res placuit Hamani, & lignum paravit.

VI. Rex

Pete] Supplevimus, ut vſ. 3.

8. *Si qua apud Regem valeo* &c.] *Si inveni gratiam in oculis Regis & apud Regem bonum.*

Cras faciam &c.] Cras aperiam qua de cauſa Regem ad convivium vocarim, ſeu, quid ab eo concedi mihi cupiam. Oportet ut in priore illo convivio ea dicta eſſent, quæ impediiſſent quo minùs Eſthera animum aperiret, quia timebat ne repulſam pateretur. Neque enim poterat prævidere, quæ ſequente nocte contigerunt; ut ea exſpectaſſe dici queat.

9. *Hilaris animo*] *Bonus corde.*

Non adſurgebat] Qui ſedebant adſurgere priùs eos oportebat, quàm adorarent viros honoratos. Scriptor hujus libri imprudenter ſanè ſe gerentem Mordechæum inducit, qui potentem adverſarium, ſine ulla ratione, exacerbabat; quaſi neceſſe eſſet divinam providentiam non innocentiæ tantùm, ſed ſuperbiæ & contumaciæ Judaïcæ adeſſe!

10. *Continuit ſe*] Diſſimulavit iram. Vide Gen. XLIII, 31. Mirum eſt hominem ſuperbum, & Regis gratiâ florentem, non juſſiſſe Mordechæum obtorto collo rapi, & flagris cædi, quod ſibi honorem, ut reliqui, non exhiberet. Rex enim, qui totam gentem Judaïcam trucidandam ei tradiderat, propterea non excanduiſſet, aut certè Regis iram in eo facto motum iri ſuſpicari eo tempore non potuit Haman. Sed mirabiliorem hæc reddunt ſequentem hiſtoriam.

Accerſivit amicos &c.] *Et miſit & fecit venire amicos* &c.

11. *Magnitudinem divitiarum*] כבוד עשר *cebod hoſchro*, gloriam divitiarum. Vide Cap. I, 4.

12. *Non intromiſit cum Rege* &c.] Magni hoc fuit honoris argumentum. Athenæus Dipnoſoph. Lib. I. ex Heraclide Cumano: Τὸν Κρῆτα Τιμαγόραν, ἢ τὸν ἐκ Γόρτυνος, ὥς φησι Φανίας ὁ Περιπατητικός, Ἔντιμον, ὃς ζήλῳ Θεμιστοκλέους ἀνέβη ὡς βασιλέα, τιμῶν Ἀρταξέρξης, σκηνὴν μὲν ἔδωκεν αὐτῷ διαφέρουσαν τῷ κάλλει καὶ τῷ μεγέθει, καὶ κλίνην ἀργυρόποδα· ἔπεμψε δὲ καὶ στρώματα πολυτελῆ καὶ τὸν ὑποστρώσοντα, φάσκων οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὑποστρωννύειν, καὶ ἐπὶ τὸ συγγενικὸν ἄριστον ἐκαλεῖτο ὁ Κρὴς οὗτος τὸν βασιλέα ψυχαγωγήσων, ὅπερ οὐδενὶ πρότερον τῶν Ἑλλήνων ἐγένετο, ἀλλ' οὐδ' ὕστερον. αὕτη γὰρ ἡ τιμὴ τοῖς συγγενέσι διεφυλάττετο. Τιμαγόρᾳ γὰρ τῷ Ἀθηναίῳ τῷ προσκυνήσαντι τὸν βασιλέα καὶ μάλιστα τιμηθέντι τοῦτο οὐχ ὑπῆρξε. τῶν δὲ παρατιθεμένων βασιλεῖ τινὰ ἀπὸ τῆς τραπέζης ἀπεστέλλετο: *Timagoræ Cretenſi, vel, ut ait Phanias Peripateticus, Entymo Gortynio, qui imitatus Themiſtoclem adſcendit ad Regem, honorem exhibens Artaxerxes tentorium dedit eximium pulcritudine & amplitudine, & lectum argenteos pedes habentem. Miſit & ſtragula pretioſa & hominem qui ea ſterneret, Græcos neſcire dictitans quomodo ſubſterni ea oporteret. Invitatus eſt & ad cognatorum prandium hic Cretenſis, Regem oblectaturus; quod Græcorum nulli antea contigerat, neque poſtea contigit. Hic enim honor cognatis ſervabatur; nam Timagoræ Athenienſi, qui adoraverat Regem & ſummopere à Rege cultus fuerat, non contigit. Ex iis quæ adpoſita Regi fuerant, quædam è menſa ad eum miſſa ſunt.* Poſtea addit: ἐφ' ᾧ οἱ Πέρσαι χαλεπῶς ἔφερον, ὡς τῆς τιμῆς δημευομένης, καὶ στρατείας ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα πάλιν ἐσομένης: *quod graviter tulerunt Perſæ, quaſi honor ille vulgatus eſſet, & expeditio iterum in Græciam futura.* Quin & *Plutarchus* in Artaxerxe p. 1013. negat quemquam interfuiſſe menſæ regiæ, præter matrem & uxorem: τραπέζης δὲ τῆς αὐτῆς μηδενὸς μετέχοντος ἀλλ' ἢ μητρὸς βασιλέως ἢ γαμετῆς γυναικός, καθεζομένων τῆς μὲν ὑπ' αὐτόν, τῆς δὲ μητρὸς ὑπὲρ αὐτόν, Ἀρταξέρξης καὶ τοὺς ἀδελφοὺς ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἐκάλει τράπεζαν. *Cùm ejuſdem menſæ nemo particeps eſſet, niſi mater Regis, aut uxor ab eo ducta, quarum hæc ſedebat ſub eo, mater verò ſupra, Artaxerxes etiam fratres ad eamdem menſam vocabat.*

13. *Ad fores Regis ſedentem*] Supplendum, quamvis me, ut ceteri, adorare nolit; hoc enim unum Hamanem offendebat.

14. *Paretur lignum*] *Faciant lignum* יעשו עץ nimirum, qui talia ſolent facere, aut parare, fabri lignarii.

Suſpendatûrque] *Suſpendent*, יתלו *jithlou*, qui, nimirum, jubebuntur.

Lignum paravit] *Fecit*, fieri, aut parari curavit. Vide Cap. VI, 4.

In CA-

VI. Rex Achaſuerus cùm fortè intelligeret à Mordechæo revelatæ conſpirationis nullum relatum eſſe præmium, per Hamanem nec opinantem curat homini ſummos honores deferri. Ad convivium tamen Reginæ ſe confert.

1. EA nocte, cùm ſomnus Regem fugeret, juſſit adferri librum commentariorum Ephemeridum, quæ coram Rege lectæ ſunt. 2. Inventum eſt autem in eo ſcriptum quod indicaverat Mordechæus de Bighthane & Thereſo, duobus Eunuchis regiis, ex cuſtodibus liminis, qui quæſiverant *quomodo* manum Regi Achaſuero injicere poſſent. 3. Tum verò rex, quid honoris, inquit, & munificentiæ collatum propterea eſt Mordechæo? 4. At ſervi Regis, qui ei miniſtrabant, nihil, inquiunt, ei factum eſt. Ibi Rex, quis eſt, inquit, in atrio? Haman verò atrium exterius regiæ ingreſſus erat, ut diceret Regi, oportere ſuſpendi Mardochæum, è ligno, quod ei paraverat. 5. Tum ſervi Regis, en, inquiunt, Hamanem in atrio ſtantem. Ingrediatur, ait Rex. CAPUT VI.

6. Ingreſſus verò eſt Haman, & Rex quidem illi, quid faciendum eſt, inquit, viro, cujus honore Rex delectatur? Dixit tunc Haman, apud animum ſuum; cuinam Rex vult majorem honorem conferre, quàm mihi? 7. Itaque Regi, *ſi* cujus honore, inquit, Rex delectetur, 8. adſeratur ei veſtis regia, quam Rex induit, *adducatur* equus, quo Rex vehitur, imponatúrque corona regia capiti ejus. 9. Den-

In CAPUT VI.

1. *Librum commentariorum*] ספר הזכרונות דברי הימים *librum memoriarum verborum dierum*; hoc eſt, in quo memoriæ causâ ſcribebantur quæ quotidie in aula fiebant, de quo diximus ad Eſdr. IV, 15. Optimum fuit inſtitutum, & conſuetudo Regum jubentium eos commentarios ſibi prælegi, cùm otiarentur, ſumma laude digna. Hinc, ut puto, natum quod narrat *Herodotus* Lib. VIII. cap. 85. de iis qui Regi Perſarum benefecerant: Φύλακος δὲ εὐεργέτης βασιλῆος ἀνεγράφη, καὶ χώρῃ οἱ ἐδωρήθη πολλῇ. οἱ δὲ εὐεργέται τοῦ βασιλῆος ὀροσάγγαι καλέονται Περσιστί. *Phylacus inter benefactores Regis adſcriptus eſt, & ager multus ei datus. Benefactores Reges Oroſangæ vocantur Perſicè.*

2. *Quod indicaverat* &c.] Vide Cap. II, 22.

3. *Munificentiæ* &c.] גדולה gdoulah, *magnitudinis*; hoc eſt, regiæ liberalitatis.

Quis eſt in atrio?] Quando hæc dixit Rex, noctem jam præteriiſſe oportet, cùm aulici in aulam jam ſe conferre inciperent; quod fieri potuit ſummo mane, quia circa meridianas horas æſtus diei obſtat ne quidquam fieri poſſit, & ſomnum omnibus conciliat. In atrio autem exteriore verſabantur, donec in interius vocarentur, prout Regi videbatur, ut antea vidimus.

4. *Oportere ſuſpendi*] לתלות *ad ſuſpendendum*. Hæc eſt ſæpe vis τοῦ ל, ut notavit *Chriſt. Noldius* obſerv. II. ad ל præfixum infinitivo. Vide vſ. ſequentem.

6. *Quid faciendum*] מה לעשות *quid ad faciendum*; ſeu quid oportet facere? ut vſ. antecedente.

2. *Adſeratur ei*] יביאו *faciant venire*.

Veſtis regia, quam Rex induit &c.] Si hoc inſcio aut invito fieret Rege, capitale fuit. Qua de re exſtat inſignis apud *Plutarchum*, in Artaxerxe, hiſtoria, quam hîc ſubjiciam, cùm ex ea quàm maximè liqueat Hamanis ſuperbia. Sic ergo habet p. 1013. Ἐν θήρᾳ τινί, Τιριβάζου δείξαντος αὐτῷ (Ἀρταξέρξῃ) τὸν κάνδυν ἐσχισμένον, ἐρομένου, τί δεῖ ποιεῖν; ἐκείνου δ᾽ εἰπόντος, ἄλλον αὐτὸς ἐνδύσαι, τοῦτο δ᾽ ἐμοὶ δός, οὕτως ἐποίησεν, εἰπὼν, δίδωμι μὲν, ὦ Τιρίβαζε, σοὶ τοῦτον, φορεῖν δὲ ἀπαγορεύω. τοῦ δὲ Τιριβάζου μὴ φροντίσαντος (ἦν γὰρ οὐ πονηρὸς, ὑπόκουφος δὲ καὶ παράφορος) ἀλλὰ τόν τε κάνδυν εὐθὺς ἐνδύντος, καὶ δέραια χρυσᾶ καὶ γυναικεῖα τῶν βασιλικῶν περιθεμένου, πάντες μὲν ἠγανάκτουν, οὐ γὰρ ἐξῆν. ὁ μέντοι βασιλεὺς κατεγέλασε καὶ εἶπε, δίδωμί σοι καὶ τὰ χρυσία φορεῖν ὡς γυναικὶ, καὶ τὴν στολὴν ὡς μαινομένῳ: *In venatione quadam, cùm Tiribazus ei oſtendiſſet candyn ſciſſum, quæſivit quid faciendum eſſet? cùmque & alter dixiſſet: alium ipſe indue, hunc verò mihi da, ſic fecit, addens: do quidem, ô Tiribaze, hunc tibi, ſed geſtare veto. Cùm verò Tiribazus hoc non curaſſet (erat enim non malus, ſed levis & parum ſanus) ſed induiſſet candyn & dona aurea & muliebria è regiis circumpoſuiſſet; omnes quidem indignabantur, non enim licebat; ſed Rex riſit & dixit: permitto tibi & aurea ornamenta gerere ut mulieri, & ſtolam ut inſano.* Itaque rem non exiguam petiit Haman, quando petebat veſtes regias; nam putabat de ſe ipſo agi. Veſtes autem regiæ Perſarum quales eſſent ſi quis ſcire velit, adeat *Barn. Briſſonium* de R. P. pag. 35. & ſeqq. & virum illuſtrem *Ezech. Spanhemium* Diſſ. VIII. de Præſt. Numiſm.

Adducatur equus quo Rex vehitur] Hoc fuit olim, apud Hebræos, ejus qui ſucceſſor regni promulgaretur, ut videmus in inauguratione Salomonis, quæ deſcribitur 1 Reg. I, 33. Eò reſpicit *Statius* Lib. VIII. Thebaidos, pag. 369. Ed. Crucei, ubi ſic deſcribit adoleſcentem Regem qui apud Perſas, aut Parthos, patri nuper ſucceſſiſſet.

Sicut Achæmenius ſolium, gentéſque paternas
Excepit ſi fortè puer, cui vivere patrem
Tutius, incertâ formidine gaudia librat,
An fidi proceres, an pugnet vulgus habenis,
Cui latus Euphratæ, cui Caſpia limina mandet,
Sumere tunc arcus, ipſúmque onerare veretur
PATRIS EQUUM, *viſuſque ſibi nec ſceptra capaci*
Suſtentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Imponatúrque corona regia &c.] כתר מלכות *corona regni*. Intelligitur tiara recta alba & purpurea, ea-

9. Dentur veſtis & equus viro cuipiam, è principibus Regis, proceribuſque, qui induant hominem cujus honore Rex delectatur, eúmque vehant equo, per plateam urbis, dum ante eum clamabitur : ſic fiet viro, cujus honore Rex delectabitur. 10. Ibi verò Rex Hamani, feſtina, inquit, ſume veſtimentum & equum, quemadmodum dixiſti, atque ita facito Mordechæo Judæo, qui ad fores regias ſedet, neque quidquam prætermittas eorum, quæ dixiſti.

11. Sumſit ergo Haman veſtem & equum, Mordechæúmque induit & curavit equitare, per plateam urbis, clamavitque ante eum : ſic fiet viro, cujus honore Rex delectatus fuerit. 12. Deinde reverſus eſt Mordechæus ad regias fores, Haman verò domum ſuam feſtinavit lugens & tecto capite. 13. Ibi narravit Zereſæ uxori omnibúſque amicis ſuis quidquid ſibi contigerat, dixerúntque ei ejus ſapientes & Zereſa uxor ejus : ſi ex proſapia Judæa ſit Mordechæus, anre quem cadere cœpiſti, ſuperior non eris, ſed in conſpectu ejus cades. 14. Etiamnum colloquebantur cum eo, cùm advenerunt Eunuchi regii, qui Hamanem feſtinanter ad convivium, quod paraverat Eſthera, abducerent.

VII. Eſthera in convivio pro ſe & popularibus ſuis Regi ſupplicat, Hamanémque facinoris auctorem nominat. Egreſſo Rege, Haman ut Reginæ oraret veniam, ad ejus lectum accedit, ubi eum inventum Rex reverſus damnat, ita ut è cruce Mordechæo parata ſuſpendatur.

CAPUT VII.

1. IVERUNT ergo Rex & Haman, ut convivarentur cum Eſthera Regina. 2. Ibi Rex Eſtheræ, etiam ſecundo die, inter bibendum vinum, quodnam eſt, inquit, tuum

eáque diademate cincta, quales cernuntur etiamnum hodie in nummis Regum Parthorum ; de quibus eruditiſſimè olim egit V. I. *Ezech. Spanhemius* Diſſert. VIII. de præſtantia & uſu numiſmatum. Ceterùm capitale fuit diadema regium capiti ſuo impoſuiſſe, niſi jubente rege. *Arrianus* Exped. Alexand. Lib. VII. cap. 22. de diademate quod in arundines ceciderat, è capite Alexandri navigantis, per Euphratis paludes : τὶς ναυτῶν ἐκνηξάμενος ὡς ἐπὶ τὸ διάδημα, ἀφελὼν τοῦ καλάμου αὐτὸ, μετὰ χεῖρας μὲν οὐκ ἤνεγκεν, ὅτι νηχομένου ἂν αὐτοῦ ἐβρέχετο, περιθεὶς δὲ τῇ κεφαλῇ τῇ αὑτοῦ οὕτω διήνεγκε. Καὶ οἱ μὲν πολλοὶ τῶν ἀναγραψάντων τὰ Ἀλεξάνδρου λέγουσιν ὅτι τάλαντον μὲν ἐδωρήσατο Ἀλέξανδρος, τῆς προθυμίας ἕνεκα· ἀποτεμεῖν δ᾽ ὅτι ἐκέλευσε τὴν κεφαλὴν, τῶν μάντεων ταύτῃ ἐξηγησαμένων μὴ περιιδεῖν σώαν ἐκείνην τὴν κεφαλὴν, ἥτις τὸ διάδημα ἐφόρησε τὸ βασιλικόν : *quidam ex nautis cùm enataſſet ad diadema, idque ademiſſet ex arundine, manibus non retulit, quia eo natante madefactum fuiſſet ; cùm verò ſuo capiti circumpoſuiſſet, ſic attulit. Plerique, qui ſcripſerunt res Alexandri, dicunt eum alacritatis ſuæ causâ talento donatum ab Alexandro ; deinde juſſum eum capite truncari, cùm vates reſpondiſſent non eſſe incolume relinquendum caput, quod diadema regium tuliſſet. Plutarchus* in Alexandri vita, pag. 705. aliam hiſtoriolam eodem facientem habet : ἀποδυσαμένου δὲ πρὸς ἄλειμμα, καὶ σφαῖραν αὐτοῦ παίζοντος, οἱ νεανίσκοι οἱ σφαιρίζοντες, ὡς ἔδει πάλιν λαβεῖν τὰ ἱμάτια, καθορῶσιν ἄνθρωπον ἐν τῷ θρόνῳ καθεζόμενον σιωπῇ, τὸ διάδημα καὶ τὴν στολὴν τὴν βασιλικὴν περικείμενον —— ὁ Ἀλέξανδρος τὸν μὲν ἄνθρωπον (ὥσπερ ἐκέλευον οἱ μάντεις) ἠφάνισεν : *cùm autem exuiſſet* (Alexander) *veſtes, ut ungeretur & pila luderet, juvenes qui pilâ ludebant, quando reſumenda fuerunt pallia, vident hominem in throno ſedentem ſilentio, ornatum diademate & ſtolâ regiâ — Alexander hominem, ut juſſerunt vates, è medio ſuſtulit.* Dignus erat Haman, dum talia petit, qui pœnas daret, ex legibus Perſicis ; ſed favore Regis ita nitebatur, nihil ut ſibi timendum eſſe putaret, quamvis rem invidioſiſſimam ambiret. *Joſephus*, aut quiſquis eum adjuvit in ſcribenda hiſtoria, nimia hæc putavit, nec fidem inventura. Quare pro diademate habet *aureum monile*, περιαυχένιον χρυσοῦν.

9. *Dentur*] נתון nathon, *da*, pro quo vulgò תן *then*.

Viro cuipiam &c.] *Super manum viri è principibus.*

Dum ante eum clamabitur] *Et clament ante eum* &c.

10. *Facito Mordechæo Judæo*] Hîc inducitur Rex non admodum ſani cerebri, qui tot honores confert ſubitò in hominem, quem modò cum ceteris Judæis ad mortem damnaverat ; & quidem honores, qui ei nihil præter invidiam creare poterant. Ante omnia vocandus fuit, interrogandus, donandúſque utiliori munere, & monendus vitæ ſecurum eſſe oportere, ob beneficium in Regem collatum. Contrà ſubito honore adficitur, quem ab eo recuſatum ſatius fuit ; cùm in tanto periculo verſaretur, cum tota gente Judæa. Sed hæc non ſunt ad mores prudentium & modeſtorum virorum exigenda.

12. *Tecto capite*] Quod ſolebat in mœrore fieri, quia nolebat vultûs ſui mutationem animadverti, dum æſtuaret intus

Unà in corde pudor, miſtóque inſania luctu ;

quòd coactus fuiſſet tantum honorem exhibere homini, quem malè oderat & cui mortem moliebatur.

13. *Ejus ſapientes*] Amici ſapientes, quales erant, aut habebantur Magi, qui in rebus dubiis conſulebantur.

Si ſit ex proſapia Judæa &c.] *E ſemine Judæorum.* Cur ita loquentes inducantur, difficile eſt dictu, cùm nec Judæi aliàs potiori loco ceteris eſſent in aula Perſica, nec viderentur tunc ullo modo timendi, qui irrevocabili edicto Regis ad internecionem erant damnati. Nec Ju-

tuum poſtulatum, Eſthera Regina, & tibi concedetur? Quænam eſt tua petitio? Vel dimidiam partem regni *pete*, & fiet. 3. Reſpondit verò Eſthera Regina, &, ſi quâ gratiâ, inquit, apud te valeo, ô Rex, ſique rectum videtur Regi, concedatur mihi vita mea ex mea petitione, & populares mei ex meo poſtulato; 4. nam traditi ſumus ego & populares mei, ut deleamur, ut occidamur, útque perdamur. Si, ut eſſemus ſervi & ancillæ, venderemur, tacuiſſem; *at queror*, quia inimicus *noſter* non penſat damnum Regis. 5. Quis verò eſt, inquit, Rex Achaſuerus Eſtheræ Reginæ, & ubi eſt qui in animum ſuum induxit ita ſe gerere? 6. Inimicus, inquit Eſthera, & hoſtis eſt Haman hic malus. Haman verò propter Regum & Reginam territus eſt. 7. At Rex, præ ira, ex convivio ſurrexit, & in hortum domûs ivit. Haman verò ſubſtitit, ut pro vita ſua Eſtheræ Reginæ ſupplicaret; quia vidit decretum ſibi eſſe malum à Rege. 8. Rex autem ex horto domus reverſus eſt in locum convivii, cum Haman concidiſſet in lectum, in quo erat Eſthera. Tum Rex, etiámne, inquit, ut ſubagitet Reginam apud me, domi? *Quæ* verba, cùm ex ore Regis prodiiſſent, texerunt vultum Hamanis, 9. dixitque Charbona, unus ex Eunuchis coram Rege; ecce etiam lignum, quod paravit Haman Mordechæo, qui utilia Regi monuit, ſtat domi Hamanis quinquaginta cubitos altum. Ibi Rex, ex eo, inquit, eum ſuſpendite. Suſpenderúntque Hamanem ex ligno, quod paraverat Mordechæo; & ira Regis deferbuit.

VIII. Acha-

Judæi ipſi, poſt tantas calamitates, & in ipſa captivitate, poterant ſibi certò res ſecundiores polliceri. Quamvis enim verum Deum colerent, non ideò minùs ſerviebant, eránque minùs crudelitati Perſarum obnoxii. Sed hoc fortè Magi ſtatuuntur ex arte divinandi, quâ pollebant, dixiſſe.

Ante quem cadere] Quo inferior eſſe cœpiſti, apud Regem, qui tantum honorem à te ei deferri voluit. Metaphora eſt à prælio ducta, in quo victi ante victores cadunt.

14. *Feſtinanter — abduxerunt*] *Feſtinarunt ad abducendum.*

In Caput VII.

2. *INter bibendum vinum*] Vide ad Cap. V, 6.

3. *Populares mei*] *Populus meus.*

4. *Traditi ſumus*] Hoc eſt, Haman nos tradidit carnificibus occidione occidendos.

Ut deleamur] להשמד *lehaſchmid*, quæ eſt conjugatio activa, ſed quæ refertur non ad Judæos, verùm ad eos qui miſeros delere cupiebant. Ideóque paſſivo verbo à Latinè loquentibus eſt expreſſa.

At queror] Hæc verba ſunt neceſſariò ſupplenda, quia quæ proximè ſequuntur rationem querelarum continent, non ſilentii; quod Eſthera ait ſervaturam ſe fuiſſe, ſi gens Judaica vendita fuiſſet. Nec raro talia, à lectoribus ſupplenda, omittuntur. Vide Indicem noſtrum Pentateuchi, in vocibus *Ellipſis* & *Membrum*.

Quia inimicus noſter non penſat damnum] כי אין הצר שוה בנזק המלך *quia non inimicus æquat in damno Regis.* Occidit populum ſubditum & tributa pendentem Regi, adeó ut ei jacturam creat, quam nullo emolumento penſat. Hæc non intellexerunt LXX. Intt. qui habent: οὐ γὰρ ἄξιος ὁ διάβολος τῆς αὐλῆς τοῦ βασιλέως. Ex Syriaca lingua τὸ שוה interpretati ſunt *dignum*, nam hæc eſt ſignificatio Syriacæ vocis שְׁוָה. Sed בנזק *bnezek* non eſt *aula*. Vulgatus ex conjectura: *nunc autem noſter hoſtis eſt cujus crudelitas redundat in Regem.*

5. *Eſtheræ*] Repetitur ויאמר & *dixit Eſtheræ* &c.

In animum ſuum induxit] *Implevit cor ſuum.*

6. *Propter Regem*] מלפני המלך *è conſpectu Regis*; hoc eſt, propter Regem à quo ſibi metuit.

7. *Præ ira*] *In ira ſua.* Quàm pluribus ſermonibus teſtatus fuerat, quàm hîc habetur.

Ut pro vita ſua ſupplicaret] *Ut peteret propter animam ſuam ab Eſthera.*

Decretum ſibi eſſe malum] כי כלתה אליו הרעה *quod perfectum erat ſibi malum à Rege.* Vide 1. Sam. XX, 7. Ex vultu & verbis Regis intellexit ſibi graves ab eo pœnas imminere, ni pro ſe deprecaretur ejus iram Eſthera, quam potiſſimùm læſerat.

8. *Ex horto domûs*] Erat ipſi Gyneceo adjunctus hortus, ut rectè ex hoc loco collegit *Barn. Briſſonius* de R. P. p. 52. ubi de Paradiſis Perſarum agit.

Concidiſſet in lectum] Supplicantis tamen habitu; & vultu in lectum converſo. Sed iratus Rex rem in malam partem interpretatus eſt.

Texerunt vultum Hamanis] Fuit hoc initium ſupplicii, capitalium enim flagitiorum rei involuto capite in carcerem mittebantur. Quod, niſi fallor, etiamnum hodie apud Turcas interdum fieri ſolet.

9. *Paravit*] *Fecit*, ut antea.

Qui utilia Regi monuit] *Qui loquutus eſt bonum de Rege.* Reſpicit ad conjurationis patefactionem, de qua antea.

Digitized by Google

VIII. Achaſuerus domo Hamanis Eſtheram donat, quæ eam dat Mordechæo. Dein Achaſuerus, cùm edictum revocari non poſſet, litteras ad Judæos, quibus poteſtatem iis facit arma capiendi, ut ſe ſe tueantur, dat.

CAPUT VIII.

1. DIE illo Rex Achaſuerus donavit Eſtheram Reginam domo Hamanis, hoſtis Judæorum, & Mardochæus venit in conſpectum Regis; quia ei indicaverat Eſthera, quanam *conſanguinitate* ſibi *conjunctus* eſſet. 2. Curavit verò Rex annulum ſuum auferri Hamani, quem ei tradiderat, eúmque dedit Mordechæo, Eſtherámque, unà cum Mordechæo, domui Hamanis præfecit. 3. Præterea Eſthera loquuta eſt coram Rege, & ad pedes ejus provoluta flevit, eúmque oravit ut irritam redderet malitiam Hamanis Agagæi, molitionéſque quas contra Judæos fecerat. 4. Porrexit verò Rex Eſtheræ ſceptrum aureum, ſurrexitque Eſthera & ſtetit coram Rege; 5. *cui* ſi, inquit, Regi ita videtur, ſi qua gratiâ apud eum valeo, ſi res recta à Rege habetur, ſi ego bona ab illo exiſtimor; ſcribatur ad revocandas litteras molitionis Hama-

In CAPUT VIII.

1. D*Onavit Eſtheram* &c.] Hoc eſt, tam hominibus ſeu liberis, ſeu ſervis quibus ea domus conſtabat, quàm ædificiis, ornamentis, utenſilibus, facultatibus &c. ut omnibus pro arbitratu uteretur. Magna ſanè hæc erat Cataſtrophe, quâ ad mortem damnabatur Haman, ejúſque omnia bona dabantur mulieri Judææ; cùm tota Judæa gens, in ejus gratiam, internecioni devota fuiſſet. Mira fuit ſtultitia Perſarum, qui hominum temerariorum & uſque adeò mutabilium immutabilia voluerant eſſe decreta. Dignus erat ſupplicio Haman, qui tam crudele facinus ſuaſerat Regi; ſed Regem pudere debuit, rem ejuſmodi à ſe umquam conceſſam fuiſſe.

Venit in conſpectum Regis] In quem vulgò non admittebantur, niſi primores; nam ceteroquin interdum ſe, negotiorum causâ, adiri non ægrè ferebant Perſarum Reges, & præſertim quidem ab iis quos *Oroſangas* vocabant, hoc eſt, *ὁμογενεῖς*, qualis etiam fuit Mardochæus.

Quanam conſanguinitate] מה הוא לה *quid ille ſibi*. Gallicè, *ce qu'il lui étoit*; hoc eſt, quo gradu conſanguinitatis conjunctus eſſet. Conſobrinus erat Eſtheræ, quam etiam ſibi adoptarat. Vide Cap. II, 7. Erravit Vulgatus, qui *patruum* Eſtheræ fuiſſe Mardochæum dixit.

2. *Quem ei tradiderat*] אשר העביר *quem fecerat tranſire*, à ſe, nempe, ad Hamanem; hoc eſt, quem dederat ei ut obſignaret edicta, litteráſque regias.

Domui Hamanis præfecit] *Poſuit ſuper domum Hamanis.* More Perſarum, licuit Regi totam Hamanis familiam delere; quia enim Haman pudicitiam Reginæ tentaſſe videbatur, potuit Majeſtatis reus haberi, ac proinde familia ejus eaſdem pœnas ac ipſe ſubire. Qua de re vide ad Cap. IX, 7.

3. *Ut irritam redderet malitiam*] *Ut faceret tranſire malitiam.* Contrà Cap. I, 19. *non tranſire*, eſt ratum eſſe, non obſoleſcere.

4. *Porrexit verò Rex* &c.] Eſthera iterum ſe contulit in auditorium regium, quod, ut antea vidimus, fuit in interiore atrio Palatii; & in quod ingredi non vocato non licuit, nec impune erat, niſi Rex aureum ſceptrum ingreſſo porrigeret.

5. *Si Regi ita videtur*] *Si bonum apud Regem, & ſi inveni gratiam coram eo.*

Si res recta &c.] His verbis eadem repetuntur ac ſuperioribus expreſſa ſunt, ſed non ſine quadam emphaſi: *Et rectum verbum coram Rege, & bona ego in oculis ejus.* Significat quidem ſe rem vehementer optare, at ita è nutu arbitrióque Regis pendere, ut nihil ab invito extortum cuperet; quâ ratione, amantis animus quàm maximè commovebatur.

Litteras molitionis] הספרים מחשבת *litteras quæ ſunt molitio.*

6. *Quomodo potero videre*] *Potero & videbo in malo quod inveniet populum meum?* Mirum eſſet Eſtheram hîc innocentiam Judæorum non commemorare, potiùs quàm eorum ſecum conjunctionem; niſi res ei eſſet cum Rege barbaro, qui vitam innocentium tanti non faciebat, quàm formam mulieris.

7. *Manum injecit Judæis*] Hoc eſt, quatenus potuit, arreptos eos occidit.

8. *Prout rectum vobis*] *Ut bonum in oculis veſtris.*

Scriptum enim quod exaratum eſt &c.] Difficile eſt intellectu quò ſint hæc verba referenda; poſſunt enim æquè edictum Hamanis malitiâ miſſum in Provincias, ac quod à Mardochæo ſcriptum fuit, reſpicere. Si prius reſpiciatur, ſenſus erit, cùm non poſſit edictum regium revocari, quærendam eſſe quampiam rationem, quâ ſine revocatione, quâ auctoritas regia labefactata fuiſſet, ne effectum ſortiretur impediri poſſet; eam autem rationem quærendam ſe relinquere Eſtheræ & Mardochæo. Quòd ſi reſpiciant hæc verba poſterius edictum, hoc volet Aſſuerus, ejuſmodi ſcribendum edictum, quo Judæis incolumitati caveretur, quod non minùs irrevocabile eſſet ac id quo ad mortem damnabantur. Qui poſterior ſenſus videtur meliùs cum totius orationis ſerie conſentire.

9. *Vigeſimo tertie die menſis*] *In tertio & vigeſimo in eo*; nempe, menſe.

Ad Satrapas] Vide ad Eſdræ VIII, 36.

Ab India ad Chuſitidem.] Vide ad Cap. I, 1. Adde hic, quod aliud agenti poſtea occurrit, Perſarum hanc fuiſſe conſuetudinem ut magnitudi-

manis, Hammedathæ filii, Agagæi, quas ſcripſit ad perdendos Judæos, qui ſunt in omnibus provinciis Regis. 6. Nam quomodo potero videre calamitatem, in quam incident populares mei? Quomodo potero videre conſanguinitatis meæ exitium? 7. Rex verò Achaſuerus Eſtheræ & Mordechæo Judæo; en, inquit, domo Hamanis Eſtheram donavi, eúmque è ligno ſuſpenderunt, eò quòd manum injecit Judæis; 8. vos ſcribite de Judæis, prout rectum vobis videbitur, nomine Regis & obſignate *litteras* annulo regio; ſcriptum enim, quod exaratum eſt nomine Regis, & annulo regio obſignatum, revocari nequit.

9. Vocati ergo ſunt Scribæ regii tempore illo, menſe tertio (is eſt menſis Sivan) vigeſimo tertio *die menſis*, & ſcriptum eſt, prorſus quemadmodum juſſit Mordechæus ad Judæos, ad Sarrapas, ad præfectos, principéſque provinciarum, quæ ſunt ab India ad Chuſitidem, & centum quidem ac viginti ſeptem provinciarum, ad unamquamque provinciam pro ejus ſcriptura, ad ſingulos populos pro eorum lingua, & ad Judæos pro eorum ſcriptura & lingua. 10. Scripſit nomine Regis Achaſueri, obſignavitque litteras annulo regio, & eas miſit per curſores vectos equis celeribus & mulis equarum progenie. 11. *Iis litteris* poteſtatem faciebat Rex Judæis, qui in quavis urbe erant, conveniendi, conſiſtendique, pro vita ſua; ita ut delerent, occiderent ac perderent omnes

dinem imperii ſui metientes, ab ortu in occaſum, deſinerent in ora Nilo proxima, hoc eſt, in Chuſitide. Sic *Ammianus Marcellinus*, Lib. XXIII, 6. ex antiquioribus Scriptoribus, nam ejus ævo Perſæ ad occaſum Euphratis nihil habebant: *Ne igitur oræ maritimæ ſpatia alluentia Perſidis extremitates per minutias demonſtrantes à propoſito longius aberremus, id ſufficiet dici, quòd mare prætentum à Caſpiis montibus per Boreum latus ad uſque memoratas anguſtias, novem millium ſtadiorum; auſtrale verò ab oſtiis Nili fluminis, ad uſque principia Carmanorum, quatuordecim millium ſtadiorum numero definitur.*

Ad unamquamque Provinciam] *Provinciam & Provinciam — populum & populum.*

Et ad Judæos pro eorum &c.] Potuit quidem ſcribere Mardochæus ad Judæos, Linguâ & ſcripturâ Babylonicâ, & ab iis intelligi; ſed videtur, honoris causâ, ad eos quaſi ad populum prorſus ab aliis diſtinctum ſcripſiſſe; quam ob rem Lingua & ſcriptura priſca Hebræorum eſt uſus.

10. *Per curſores vectos equis celeribus*] *Per manum curſorum in equis vectorum*, הרכש *harecheſch*, quod celerem equum ſignificat, ut oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Parte I. Lib. II. cap. 6.

Et mulis equarum progenie] אחשתרנים בני הרמכים *ahhaſchtheranim bne harammachim.* Videtur excidiſſe copula ו, nam hi ſunt diſtincti à ſuperioribus. *Mulos* autem ſignificari oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. Part. I. Lib. II. c. 20. cujus ſcriptа hîc non compilabo. Obſervabo duntaxat additamentum hoc *filii equarum*, בני הרמכים poſſe eſſe pleonaſmum Hebraïcum, ut aſini dicuntur *filii aſinarum*; aut etiam diſtinctionis causâ addi, ut celeriores muli deſignentur. Muli enim nati aſino & equa celeriores ſunt natis ex equo & aſina. *Plinius* Lib. VIII. cap. 44. *Gignitur autem mula ex equo & aſina, ſed effrenis & tarditatis indomitæ. Lenta omnia eis, ut vetulis. Columella* Lib. VI. c. 37. *Neque tamen ullum eſt, in hoc pecore, aut animo, aut formâ præſtantius, quàm quod ſeminabit aſinus — Qui ex equo & aſina concepti generantur, quamvis à patre nomen traxerint* (hinni vocabantur) *matri per omnia magis ſimiles ſunt. Ælianus* de Animalibus Lib. XVI. cap. 9. de mulis Indicis: *ἀναβαινόντων ὄνων τὰς ἵππους, ὑπομένειν ἡδέως λέγουσι καὶ ἥδεσθαι τῇ μίξει καὶ τίκτειν ἡμιόνους πυῤῥοὺς τὴν χρόαν καὶ ἄγαν δρομικούς: conſcendentibus aſinis equas, illas pati hoc dicunt & gaudere miſtione & parere mulos rufos colore, & maximæ pernicitatis.* Itaque exiſtimarim datâ operâ dici hîc mulos equarum filios. Quæ cùm non ſint obſcura, mirum eſt Vulgatum hîc nihil habere, niſi paraphraſin à verbis alienam: *qui per omnes provincias diſcurrentes veteres litteras novis nunciis prævenirent.* Ceterùm de inſtitutione, & celeritate equorum diſpoſitorum, in Perſarum imperio, ut nunc per Europam, vide quæ ex *Xenophonte* & *Herodoto* habet *Barn. Briſſonius* de R.P. p. 147.

11. *Iis litteris*] אשר נתן המלך *quibus dedit Rex*, aut permiſit.

In quavis urbe] *In omni urbe & urbe.*

Conſiſtendi pro vita ſua] *Standi propter animam ſuam*, veluti in acie & quaſi cum hoſtibus dimicantes. Alioquin oportuiſſet, jubente Rege, jugulum ſicariis præbere. De ſervili prorſus obſequio, quo Regi parebant Perſæ vide *Barn. Briſſonium* Lib. I. p. 24. Aliud nihil comminiſci potuit Mardochæus, ad conſervationem Judæorum, niſi conceſſionem poteſtatis ſe ſe defendendi; quia revocari non poterat edictum, quo juſſi erant populi, qui Achaſuero parebant, eos invadere. Attamen periculoſa hæc fuit ratio tuendæ ſuæ gentis, quæ minimè æquabat alias gentes, inter quas vivebat, & quæ edicto regio pariter inſtructæ neceſſe non habebant ſe occidendas Judæis præbere. Poterant Judæi facillimè opprimi à tantò pluribus. Sed fortè ii populi, cùm intellecturi erant per Regem licere Judæis ferro ſe & ſua tueri, hinc facilè conjecturi erant Regi minimè placere internecionem Judæorum, quamvis eam antea juſſiſſet, quandoquidem fas erat Judæis arma capere; ideoque in Judæos acriorem nullum impetum ab iis factum iri ſatis conſtabat. Propalata ſine dubio à Judæis ſunt, quæ in aula Regis in ſui gratiam facta erant; unde omnibus innotuit, ſi per mores licuiſſet Achaſuero revocare prius edictum in perniciem Judæorum propoſitum, eum id fuiſſe revocaturum; nunc verò, quoniam fieri hoc non poterat, alio edicto, prout poterat, Judæis eſſe conſultum. Quod cùm ita ha-

nes copias populi vel provinciæ, quæ eos hoſtiliter haberent, *ne exceptis quidem* impuberibus ac mulieribus, ſpoliáque eorum prædæ haberent; 12. uno die in omnibus provinciis Regis Achaſueri, decimo tertio *die* menſis duodecimi, qui eſt menſis Adar. 13. Exemplar ſcripti *erat* apertum, ut proponeretur edictum in omnibus & ſingulis provinciis, & apud cunctos populos, ut eſſent Judæi parati ad illam diem, ut ultionem de inimicis ſuis ſumerent. 14. Curſores vecti equis *&* mulis egreſſi ſunt feſtinantes & properantes juſſu Regis; edictúmque in Suſorum metropoli propoſitum eſt.

15. Mordechæus egreſſus eſt è conſpectu Regis, *indutus* veſte regiâ hyacinthinâ & albâ, cum magna corona aurea, tiaráque byſſina & purpurea; & urbs quidem Suſa exſultabat ac lætabatur. 16. Judæis verò exorta eſt lux, *fuitque* lætitia, hilaritas & honor. 17. In omnibus, ſinguliſque provinciis & urbibus, quocumque mandatum, edictumque Regis pervenit, hilaritas, ac lætitia fuit Judæis, conviviúmque & dies feſtus; multique terrarum populi Judaiſmum amplectebantur, quia timor Judæorum iis incubuerat.

IX. Judæi ubique, per imperium Perſicum, de inimicis ſuis ad diem dictam ultionem ſumunt, Suſis etiam ſequente die. Feſtum Phurimorum inſtituitur.

CAPUT IX.

1. DUODECIMO menſe, is eſt menſis Adar, & decimo quidem tertio die *menſis*, quo advenerat *tempus*, *quo* mandatum, edictúmque Regis perficiendum erat, die quo ſperaverant inimici Judæorum ſe iis dominaturos, res converſa eſt, cùm

haberet, non mirum eſt ſi alii populi totis viribus Judæis non incubuerint, quos facilè alioqui protriviſſent. Attamen non ſine periculo fuerunt Judæi, inter inimicas gentes, & ea feciſſe poſtea narrantur, quibus inviſos apud omnes fieri neceſſe erat.

Ne exceptis quidem impuberibus] Fit etiam horum mentio, quod ſimilia eſſent in edicto contra Judæos. Vide Cap. III, 13. Eo modo deterreri poterant Imperii Perſici incolæ, ne Judæis manum injicere auderent; cùm enim eos æquo jure in ſe armatos intellecturi erant, non videbantur auſuri arma iis inferre.

12. *Decimo tertio die*] Eodem die, quo, ex priori edicto, deleri Judæos oportuerat.

13. *Ut ultionem*] Ut certè mortem ſuam ulciſcerentur, ſi quis eos aggredi ſuſtineret.

14. *Curſores equitantes*] Vide ad vſ. 10.

15. *Veſtibus regiis* &c.] Hæc, ut antea vidimus, plena periculi & invidiæ fuerunt, quamvis juſſu Regis fierent. Sed Judaïca gens ſuperba ſemper fuit, éſtque etiamnum hodie; quod Lege Moſaïca luxum quemvis ſibi licitum eſſe putet. Itaque non eſt hac in re probandus Mardochæus, qui vel prudentiæ causâ, declinare ejuſmodi invidiam debuit.

Hyacinthina & alba] Multis teſtimoniis Veterum probavit *Barn. Briſſonius* de R. P. Lib. I. pag. 35. Reges Perſarum geſtaſſe amiculum *πορφυροῦν μεσόλευκον purpureum albo diſtinctum*. Sed ut accuratiùs loquamur, obſervandum veſtem regiam fuiſſe non ex vulgari purpura, ſed *ἁλιπόρφυρον*, hoc eſt, ex violacea purpura albo diſtincta, quod vir doctiſſimus probat ex *Polluce* Lib. VII. c. 13. *ὁ μὲν βασίλειος κάνδυς ἁλιπόρφυρος· ὁ δὲ τῶν ἄλλων πορφυροῦς*; *regius Candys ex marina purpura, aliorum puniceus erat*. Vox autem Hebraïca תכלת *thecheleth*, quæ hîc adhibetur, marinam purpuram, hoc eſt, ut puto, ad marinum colorem aliquatenus accedentem ſignificat, ut oſtendit *Sam. Bochartus* Hieroz. P. 2. Lib. IV. c. 11.

Tiaráque byſſina & purpurea] תכריך בוץ וארגמן *thachrich buts veargaman*. Vulgatus habet *ſericum pallium atque purpureum*. Maluimus vertere cum aliis *cidarim*, quia de veſte mentio jam erat facta; ac ſanè תכריך eſt à Chaldaïca radice כרך *chrach* quæ *involvere* ſignificat & *convolvere*; cùm cidaris eſſet *involucrum* capitis, ex *convoluto* panno conſtans. Erat præterea tiara regia diſtincta albo & purpureo colore; contexta, nimirum, panno conſtante lino candente, & lana purpureo colore tincta. Quo reſpicit *Curtius* Lib. VI. c. 6. ubi de Alexandro: *purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit*. Diadema, more Græco, vocat & cidarim & diadema ei adnexum.

Urbs quidem Suſa] Præſertim Judæi in urbe habitantes, ut cap. III, 5.

16. *Exorta eſt lux*] *Fuit lux*; hoc eſt, liberatio, & proſperior rerum ſucceſſus; contrà *tenebræ* calamitatem ſignificant. Sic Pſ. XCVII, 11. & alibi non rarò vox אור *or* ſumitur. Ex edicto Achaſueri ſatis liquebat non placere Regi Judaïcam gentem exſcindi; quamvis non revocaret prius edictum, quo exſcidium hoc juſſerat, quia ex moribus Perſarum indecorum hoc erat. Præterea palam factum fuerat Reginam eſſe Judæam, ideoque ingratum fore ei quidquid contra Judæos fieret; ac proinde etiam Regi, qui amore ejus flagrabat.

Judaiſmum amplectebantur] מתיהדים *Judæi fiebant*; nempe, ut gratiam Reginæ ambirent, quæ mutandi ratio Judæis honorifica ſanè non erat.

In CAPUT IX.

1. *DEcimo tertio die menſis* &c.] *In decimo tertio, quo attigerat verbum Regis & edictum ejus ad faciendum* &c.

Se iis dominaturos] לשלוט בהם *ad dominandum in eos*; hoc eſt, ſe eos habituros ut domini ſervos poſſunt, ſeu pro arbitrio occiſuros.

2. *Eorum timor populis omnibus* &c.] *Ceciderat*

cùm Judæi ipſi iis quibus odio erant dominati ſint. 2. Convenerunt ergo Judæi oppidatim, per omnes provincias Regis Achaſueri, ad injiciendam manum in eos, qui mala illis moliebantur; nec quiſquam contra eos conſtitit, quia eorum timor populis omnibus incubuerat. 3. Omnes principes provinciarum, Satrapæ, & præfecti, & *quicumque* res regias curabant, extollebant Judæos, quia iis incubuerat metus Mordechæi. 4. Erat enim potens Mordechæus in regia, famáque ejus pervenerat in omnes provincias, *ubi notum erat* virum eſſe cujus potentia augebatur. 5. Itaque Judæi omnes inimicos ſuos gladio ad internecionem & interitum occiderunt, feceruntque quod voluerunt iis, quibus odio erant. 6. In Suſorum metropoli occiderunt, ac è medio ſuſtulerunt quingentos viros. 7. Tum etiam Pharſandatham, Dalphonem, Aſphatham, 8. Pharatham, Adaljam, Aridatham, 9. Pharmaſtham, Ariſaïn, Aridaïn, & Vaizatham, 10. decem filios filios Hamanis, Hammedathæ filii, inimici Judæorum occiderunt, at prædæ manum non injecerunt. 11. Die illo numerus occiſorum in Suſorum metropoli ad Regem allatus eſt, 12. dixitque Rex Eſtheræ Reginæ: in Suſorum metropoli occidione occiderunt Judæi quingentos viros & decem filios Hamanis; in reliquis verò provinciis regiis, quid fecerunt? Quænam *præterea* eſt petitio tua, & tibi concedetur? Quodnam ulterius poſtulatum eſt tuum, & fiet? 13. Eſthera verò, ſi ita videatur Regi, liceat etiam cras Judæis, qui ſunt Suſis, facere pro edicto hodierno, atque è ligno decem filios Hamanis ſuſpendere. 14. Juſſit Rex ita fieri, propoſitúmque ea de re eſt edictum Suſis, & decem filios Hamanis ſuſpenderunt *Judæi*. 15. Congregati igitur etiam ſunt Judæi, qui erant Suſis, die decimo quarto menſis Adaris,

rat pavor eorum in omnes populos. Timebant, nempe, Eſtheram & Mardochæum. Sed hæc honorifica non ſunt Judæis, qui non tantùm inconſtantia Regis uſi ſunt, ad innocentiam ſuam tuendam, ſed etiam immanitate ad occidendos inimicos ſuos. Bonis artibus concilianda ſibi fuit reverentia Gentilium, non auctoritate & terrore.

4. *Potens Mordechæus* &c.] *Magnus.* Hæc quoque potentia ab homine Judæo vix fuit quærenda, qui in aula ita verſari non potuit, ſine multarum Moſaïcarum legum neglectu.

Cujus potentia augebatur] *Quia vir ille Mordechai iens & magnus*; hoc eſt, major ac potentior in dies fiebat.

5. *Omnes inimicos ſuos*] Intellexerim omnes qui arma iis intulerunt, neque enim Aſſueri Edictum poteſtatem fecit Judæis occidendorum hominum quorumvis, ſed tantùm *conſiſtendi pro vita ſua*, contra eos qui auderent eos aggredi.

Gladio ad internecionem] *Plagâ gladii, occiſionis & perditionis.*

Fecerunt quod voluerunt &c.] Aut erant pauci Judæorum inimici, aut, propter alterum Regis edictum, maxima pars eorum quievit; cùm ſciret rem ingratam Regi facere eos, qui arma iis inferebant, quamvis, ne levis videretur, prius edictum revocare non auderet.

6. *Ac è medio ſuſtulerunt*] ואבד veabbed, & *perdendo*, pro ואבדו & *perdiderunt*. Vide & vſ. 12. Ita & poſtea Reges Perſarum patiebantur inter ſe bellum gerere eos, qui ſibi parebant quamvis è re eorum eſſet pacem inter eos coli. Sic Cyrus minor bellum geſſit cum Tiſſapherne Satrapa Artaxerxis: *Xenophon* Exp. Cyri Lib. I. c. 1. Τισσαφέρνει δὲ ἐνόμιζε πολεμοῦντα αὐτὸν ἀμφὶ τὰ στρατεύματα δαπανᾶν· ὥστε οὐδὲν ἤχθετο αὐτῶν πολεμούντων· καὶ γὰρ ὁ Κῦρος ἀπέπεμπε τοὺς γιγνομένους δασμοὺς βασιλεῖ ἐκ τῶν πόλεων, ὧν ὁ Τισσαφέρνης ἐτύγχανεν ἔχων. Artaxerxes *putabat cum Tiſſapherne bellum gerentem ſumtus facere in exercitus. Itaque non ægrè ferebat bellum inter eos geri. Nam & Cyrus mittebat tributum Regi debitum iis ex urbibus, quas Tiſſaphernes habuerat.* Similiter Achaſuerus cadentibus, qui ipſi parebant, parum commovebatur.

7. *Pharſandatham* &c.] In voce פרשנדתא littera ת eſt minor, contemtûs, ut aiunt, gratiâ, quod eſt commentum Rabbinicum. Liberos ob noxam patris occidi alienum non erat à moribus Perſarum, ſed Legi Moſaïcæ contrarium. Vide Deut. XXIV, 16. & illic notata. Judæi inducuntur hîc, apud Perſas, Perſico more ſe gerentes, ut eos magis deterrerent à Judæis in poſterum laceſſendis. Sed ne juſtitiam hîc me in iis requirere dicam, imprudentiſſimum hoc eorum factum eſſe videtur; cùm irritarent in ſe multò potentiores, & qui gravem ultionem de gente Judæa ſumere poterant, ſi Eſthera mortua fuiſſet, aut ipſe Achaſuerus, aut etiam, levitate inſitâ ei hominum generi, eam amare deſineret; quorum ne quid contingeret, timere par erat Judæos. Non video quo jure ſuo à Deo poſſent exſpectare liberationem à periculis, in quæ ſtultitiâ ac ferocitate ſuâ ſe conjiciebant.

9. *Pharmaſtham*] פרמשתא. Hic quoque eſt littera ceteris minor, nempe, ש, quod caſu contigit. Video ab aliis notari hîc ת eſſe minus, in ſuperiore verò nomine ת ש. Editiones Plantinianæ habent, ut diximus. Sed hæc nihil ad rem ipſam faciunt.

Vaizatham] In hac voce ויזתא prima littera major eſt ceteris, tertia minor; cujus rei rationem quærant qui inanibus figmentis gaudent.

10. *Prædæ manum non injecerunt*] Quia à Rege data fuerat Mordechæo & Eſtheræ; ſed in homines ſævierunt, ex more Perſarum, vel quòd eos timerent, pro Græco adagio, νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει. Sed qui ejuſmodi legem aliis ferunt, ſimili ſævitiæ ſe ac ſuos exponunt.

Trecentos viros] Vindictæ non injuſtè modò, ſed imprudenter, ut antea dixi, indulgebant Judæi. Non audebant tunc Perſæ edicto Regis adverſari, ſed mutatis temporibus, graves pœnas de Judæis ſumere poterant.

ris, & Suſis trecentos viros interfecerunt; at in ſpolia manum non injecerunt.

16. Reliqui etiam Judæi, qui erant per provincias regias, congregati ſunt, ut conſiſterent pro vitis ſuis, & quieſcerent ab inimicis, occiderúntque ex iis quibus odio erant ſeptuaginta quinque hominum millia; nec tamen in ſpolia manum injecerunt. 17. *His peractis* die decimo tertio menſis Adaris, quieverunt decimo quarto, conſtituerúntque hunc diem convivii & hilaritatis. 18. Judæi verò qui erant Suſis, congregati ſunt decimo tertio & decimo quarto die, quieverúntque decimo quinto, & conſtituerunt hunc diem lætitiæ & convivii. 19. Propterea Judæi pagani habitantes in pagis, decimum quartum menſis Adaris conſtituerant diem hilaritatis & convivii, diem feſtum, & quo aliis alii fercula mittebant.

20. Scripſit autem hæc Mordechæus, miſitque litteras ad omnes Judæos, qui erant in omnibus provinciis Regis Achaſueri, ſeu vicini eſſent, ſeu remoti; 21. ut *hoc* illis imponeret, ut dies decimum quartum & decimum quintum menſis Adaris quotannis celebrarent; 22. pro diebus quibus requiem nacti ſunt Judæi ab inimicis ſuis, & menſe qui iis pro triſti lætus factus eſt, & *quo* pro luctu fuit dies feſtus; ita ut eos haberent dies convivii ac hilaritatis, & quibus fercula ad alios alii, & ad pauperes dona mitterent. 23. Admiſerunt ergo Judæi id quod cœperant facere, & quod iis ſcripſerat Mordechæus.

24. Quia verò Haman, Hammedathæ filius, Agagæus, inimicus omnium Judæorum, cogitaverat de perdendis Judæis, jecerátque Phur, hoc eſt, ſortem, ut eos contereret ac perderet; 25. ſed cùm hoc ad Regem allatum eſſet, dixerat in litteris: molitio ejus mala, quam molitus eſt contra Judæos, in caput ejus recidat, ſuſpendant eum & filios ejus è ligno; 26. propterea vocarunt Judæi dies illos PHURIMOS, à no-

In ſpolia manum non injecerant] Aut quia ea non conceſſerat edictum, aut ne avaritiæ potiùs quàm juſtæ ultioni, prout barbaris videbatur, indulſiſſe viderentur.

16. *Ut conſiſterent*] ועמד vehamod, *& ſtando*, quam conſtructionem habuimus etiam vſ. 6, & 12. Si eſſet לעמד labamod, ad conſiſtendum, ut C. VIII, 11. aptior eſſet conſtructio: quemadmodum etiam legendum putabat *Joan. Piſcator.*

Quieſcerent ab inimicis] Hoc eſt, ut ne poſthac inimici eos laceſſere novis injuriis auderent. Sed prava hæc fuit via eò perveniendi, quò cupiebant; nam amici & propinqui occiſorum, hoc facto Judæorum, vehementer exacerbari debebant, & iniquiores fieri Judæis; ita ut, ſi animum occultarent, dum Judæi gratiâ apud Regem valerent, erupturus eſſet primâ datâ occaſione, quâ poſſent Judæis impunè nocere.

Nec tamen in ſpolia &c.] Vide ad vſ. 10.

17. *Quieverunt*] *Et quieſcendo.* Sic & vſ. ſequente.

19. *Judæi pagani*] הפרזים *happherazim*, ſcribunt in margine Maſſorethæ pro הפרוזים quod eſt in textu. Vulgatus vertit: *qui in oppidis non muratis ac villis morabantur.* Græci, διασπαρμένοι ἐν τῇ χώρᾳ. De Perſico regno hæc ſunt intelligenda; unde poſtea in Judæam tranſlata putantur.

Fercula] מנות manoth, *partes*, nempe, ciborum. Vide Cap. II, 9.

20. *In omnibus provinciis* &c.] Ac proinde etiam in Judæa ipſa.

21. *Ut hoc illis imponeret*] לקים עליהם להיות עשים את יום, *ut conſtitueret ſuper eos ut eſſent facientes diem* &c. Mirum eſt nullam fieri hîc mentionem Judæorum Jeroſolimitanorum, ac Pontificis Maximi, ſine quorum conſenſu, tale quidpiam vix conſtitui potuit.

22. *Pro triſti lætus factus eſt*] *Qui converſus fuit iis è lætitia in triſtitiam.*

23. *Admiſerunt ergo Judæi id quod cœperant facere*] Hoc eſt, feſtum ſequentibus annis celebrarunt, auctore Mardochæo, quod hoc anno ſponte ſuâ celebrarant.

24. *Sortem ut eos contereret*] De hac ſorte vide ad Cap. III, 7.

25. *In litteris*] עם ספר *cum libro*, ſed ספר *ſepher* quodvis ſcriptum ſignificat, ſive longum ſit, ſive breve; quales ſunt litteræ, aut alia id genus. Hîc circumſtantiam habemus antea, ſuo loco, omiſſam. Edictum, ſeu Epiſtolam Perſarum Regis, more Rhetorum, finxit *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XI. cap. 6. ubi tamen hæc verba diſertè non expreſſit, prout debuiſſet.

26. *Phurimos*] פורים *phourim.* LXX. Intt. habent Φρουραὶ in Cod. Vaticano, & Φρουρὶμ in Alexandrino; quod Librariis Græcis debetur, qui vocem barbaram Φουρὶμ mutarunt in vocem affiniorem Græcæ linguæ Φρουρὶμ, quaſi dictum ita eſſet hoc feſtum, διὰ τῶν φρουρῶν *à cuſtodiis.* Sic & in Codicibus hodiernis *Joſephi*, habemus Φρουραίας ἡμέρας, quod eos fefellit, qui Hebraicum textum legere non poterant, ut interpretem Latinum *Joſephi*, qui habet: *Phruræa vocabant, hoc eſt, conſervatoria.*

Hujus Epiſtolæ] האגרת הזאת *haiggereth hazzoth.* Intelligitur Epiſtola Mardochæi antea memorata, non hic liber, ut nonnulli volunt.

Pro iis quæ ſimilia viderant] ומה ראו על ככה *& quod viderant ad ſic*; hoc eſt, non tantùm propter Epiſtolam à Mardochæo ſcriptam, ſed propter ea quæ ipſi viderant, obſervarunt *dies Phurimos*, ſive ſortium.

27. *In poſteros ſuos*] *In ſemen ſuum.*

Se ſe ipſis adjuncturi eſſent] Proſelytis, nempe, ſeu ſe ſe Judæorum cœtibus adjungentibus.

Quaſi rem minimè negligendam] *Et non præteribit ut ſint facientes dies hos duos, ſecundùm ſcrip-*

à nomine Phur. Propterea etiam, pro verbis omnibus hujus Epiſtolæ, & pro iis quæ
ſimilia viderant & iis contigerant, 27. ſtatuerunt & receperunt Judæi in ſe, in poſte-
ros ſuos, & in omnes qui ſe ſe ipſis adjuncturi eſſent, quaſi rem minimè negligen-
dam, celebrare quotannis duos dies, prout ſcripſerat *Mordechæus*, & pro eorum tem-
peſtate. 28. Dies illi memorabiles erunt & celebrabuntur, per omnes & ſingulas æta-
tes, familias, provincias & urbes; nec dies illi Phurimi à Judæis negligentur, aut um-
quam eorum memoria apud poſteritatem deſinet.
Scripſerunt denuo Regina Eſthera, Abichaïlis filia, & Mordechæus Judæus, om-
ni ſtudio adhibito, ut confirmarent hanc Epiſtolam de Phurimis. 30. Miſerunt litte-
ras ad omnes Judæos, in viginti ſeptem provincias regni Achaſueri, quibus illis pax
& fides nunciabantur; 31. ut confirmarent dies illos Phurimos, eorum tempeſtatibus,
quemadmodum illis impoſuerant Mordechæus Judæus & regina Eſthera; ſicut ſibi &
poſteris ſuis verba jejuniorum & orationum conſtituerunt. 32 Mandatum Eſtheræ con-
ſtituit verba Phurimorum illorum, ſcriptúmque fuit in libro.

X. Achaſueri Regis potentia, & Mordechæi opes.

1. IMPOSUIT Rex Achaſuerus tributum terræ & maris inſulis. 2. Omnia CAPUT X.
potentiæ ejus opera, fortitudóque, & deſcriptio magnitudinis *opum* Mor-
dechæi, quibus eum Rex auxit; annon ſcripta ſunt in libro Ephemeridum
Regum Medorum & Perſarum? 3. Nam Mordechæus ſecundus erat à Rege A-
chaſuero, magnique fiebat à Judæis, & acceptus erat multitudini fratrum ſuo-
rum,

ſcripturam eorum. לא יעבור *non præteribit*, dicitur de re quæ perpetua eſt, ut Matth. XXIV, 25. *Cœlum & terra tranſibunt, ſed verba mea non tranſibunt.* Hoc itaque vult Hiſtoricus Sacer, numquam fore id tempus, quo obſoleverit conſuetudo obſervandorum & celebrandorum dierum Phurimorum.

Prout ſcripſerat] *Secundùm ſcripturam eorum*; hoc eſt, prout præſcriptum de iis à Mardochæo fuerat.

28. *Memorabiles erunt*] נזכרים ונעשים *memorati & facti*; hoc eſt, inſignes & celebrati, nullo ævo memoriam liberationis delente.

Per omnes & ſingulas ætates &c.] *In omni generatione & generatione, familia & familia, provincia & provincia, urbe & urbe.*

Negligentur] *Tranſibunt.* Vide ad vſ. 27.

Apud eorum poſteritatem] *Ab eorum ſemine.*

29. *Scripſerunt denuo*] Hæc iterata ſcriptio ad rem confirmandam fuit. In voce ותכתב thichthab, *ſcripſit*, ת eſt majuſculum, propter rei momentum, ſi Rabbinis credimus.

Omnia ſtudio adhibito] את כל תקף eth chol thokeph, *cum omni vehementia*, hoc eſt, ſeriis & vehementibus verbis.

Hanc Epiſtolam] De qua priùs actum eſt.

30. *Litteras*] ספרים *libros*, aut libellos.

Quibus illis pax &c.] דברי שלום ואמת *verbis pacis & veritatis*; hoc eſt, quibus præſcripta erant verba *pacis & fidei*, hoc aut ſimili modo: *Judæis omnibus, qui in regno Perſarum ſunt, pax & fides.*

31. *Sibi & poſteris ſuis*] *Super animam ſuam & ſuper ſemen ſuum verba jejuniorum & clamoris ſui.* Videntur ab iis temporibus Hebræi formulas quaſdam precum ſibi conſtituiſſe, quas diebus illis recitarent in Synagogis. Ac ſane in Calendariis Feſtorum Judaïcorum, dies 13. hujus menſis eſt *jejunium Eſtheræ*, & 14 & 15. ſunt *Feſtum Phurim*, quod quomodo celebretur etiamnum hodie à Judæis docet *Joan. Buxtorfius* Syn. Judaicæ Cap. XXIV.

In CAPUT X.

1. T*Ributum terræ* &c.] Darius *Hyſtaſpida* primus tributa ordine deſcripſit, impoſuitque provinciis, ut diximus ad Nehem. V, 18. Antea voluntaria munera tantùm Regibus ſoluta, ut oſtendit *Barn. Briſſonius* de R. P. p. 122. ubi de tributis, quæ pendebantur Perſarum Regibus. Illa autem tributa auxiſſe videtur Achaſuerus, ſeu Artaxerxes *Longimanus*; quamobrem hîc impoſuiſſe dicitur, ſeu nova addidiſſe iis quæ jam Darius impoſuerat. Alioqui cauſa nulla fuiſſet ita loquendi, ſi nihil exegiſſet, præter ea quæ antea exigebantur. Crediderim hoc olim à *Strabone* etiam ſcriptum, ſub finem Lib. XV. ubi hiulca ſunt ejus verba, quamvis ab Interpretibus notatum id non ſit. Ait enim τὸν διατάξαντα τοὺς φόρους Δαρεῖον εἶναι τὸν μακρόχειρα καὶ κάλλιστον ἀνθρώπων, *inſtituiſſe tributa Darium Longimanum & pulcherrimum hominum.* Nemo neſcit cognomen *Longimani* fuiſſe additum non Dario *Hyſtaſpidæ*, ſed Artaxerxi filio Xerxis. Itaque hinc aliquot vocabula deeſſe crediderim, poſt vocem εἶναι, qualia hæc ſunt, καὶ τὰ αὐτὰ αὐξῆσαι Ἀρταξέρξην, ut voluerit inſtituiſſe tributa Darium, *eadémque auxiſſe Artaxerxem Longimanum* &c. Fateor etiam tempore ejus, qui Epitomen *Strabonis* conſcripſit, hunc locum jam corruptum fuiſſe, cùm apud eum etiam legamus Δαρεῖον μακρόχειρα, quod abſurdum eſt. Sic apud *Diodorum* Siculum Lib. XI. Artaxerxes *Longimanus*, confirmato regno, ἐπεμελήθη τῶν προσόδων, *curam geſſit redituum.*

Maris inſulis] Maris, nempe, Ægæi inſulis, quas poſtea tamen ab Athenienſibus, duce Cimone, victus liberas reliquit; deinde per Lacedæmonios recuperavit. Vide *Diodorum* Lib. XII.

3. *Po-*

rum, popularium commoda quærebat, & omnes ſui generis homines blandè compellabat.

3. *Popularium commoda quærebat*] *Quærens bonum populi ſui.*

Omnes ſui generis &c.] *Loquens pacem omni ſemini ſuo*; hoc eſt, qui omnes Judæos humaniter compellabat, nedum ut ullum, honoribus ac divitiis inflatus, ſperneret, & contemtim alloqueretur. Quæ eſt maxima laus hominis ad tantam dignitatem evecti. Similem loquutionem vide Gen. XXXVII, 4. Atque hæc ad Eſtheram hactenus, additamenta enim inania Græcorum, atque inde Latinorum Codicum non moramur.

LIBRI ESTHERÆ FINIS.

DIS-

DISSERTATIO I.

DE

LXXII. VIRORUM,

IN REPUBLICA POPULI HEBRÆI,

SYNEDRIO.

I. Scopus Diſſertationis. II. Quando & à quo inſtitutum credatur Synedrium LXXII. Virorum. III. An ſint ejus in Hiſtoria ſequentium ſæculorum nonnulla veſtigia. IV. An fuerit tempore Judicum. V. An fuerit tempore Regum. VI. An fuerit poſt reditum è Captivitate, ſub Perſarum Imperio. VII. Inſtitutum videri, temporibus Seleucidarum.

CUM ante viginti duos annos, in libello Gallico, dixiſſem quid ſentirem de eo quod vulgò à viris eruditis doceri ſolet, de Synedrio LXXII. Virorum, quod, à Moſis uſque temporibus, putant Reipublicæ Populi Hebræi ſemper præfuiſſe; non defuerunt homines docti, qui hanc meam ſententiam uſque adeò non improbarunt, ut ratiocinationes meas, diſſimulato auctoris nomine, in edita à ſe ſcripta verbotenus pænè transferrent. Alii verò, majore ingenuitate præditi, cùm eam ſententiam confirmarent, non ſine honoris præfatione, mei meminerunt. Eſt cur utriſque gratias habeam, mihique etiam gratuler, quòd argumentorum meorum pondus vulgò receptis opinionibus prætulerint; ſed non poſſum non gratias agere iis, qui candidè veritatis cognitionem ſe mihi debere profeſſi ſunt. Non quidem è re tantilla gloriam capto, ſed tamen & hinc intelligere licet Sacris Antiquitatibus me non fruſtra facem, hac in re, judicio virorum non ſpernendæ eruditionis, admoviſſe; quod & in aliis multis feciſſe me ſpero, cùm in priore in Biblia volumine, tum etiam in hoc, quod nunc juris publici facio. Scio non defore umquam examen imperitorum & malevolorum, qui mihi, ut ceteris omnibus qui bene mereri de ſacris ſtudiis, aliter quàm vulgus ſolet, conati ſunt, detrahant & convicientur, cùm gratias deberent agere. Sed neceſſe eſt me meum judicium ſequi, quemadmodum illi ſequuntur ſuum: ûtque meâ non commoventur, ſic nec me eorum auctoritate terreri par eſſet. Faciant illi quod videbitur, non intercedo; ſed me quoque, quod optimum dictu & factu judico, dicere & facere æquo animo patiantur. Deum oro ut omnium judicia & affectus ad lumen tandem & amorem Veritatis convertat & dirigat; ita ut uno ore omnes Veritatem profiteamur, unóque animi ſtudio, ſine ulla hominum contumelia, aut malignitate, quæ Veritatis amantes & patronos prorſus dedecent, tueamur.

I. NUNC, ut ad rem redeam, ne quis à me hîc exſpectet quod minimè profiteor me aggreſſum eſſe, non eſt hîc mei conſilii ſententiam Rabbinorum de Synedrio LXX. Virorum, multis exponere, prolatiſque eorum teſtimoniis illuſtrare. Hoc abundè præſtitit vir doctiſſimus *Joannes Seldenus*, in Opere de *Synedriis & Præfecturis Juridicis Veterum Hebræorum*, quod cùm anno M DC LIV. Londini abſolveretur, ad meliorem vitam Scriptor ipſe migravit. Idem etiam, ſed breviùs multò attigerat *Joannes Vorſtius* vir itidem eruditus, in Diſſertatione edita Roſtochii anno M DC LI. antequàm prodiret opus Seldenianum; de quo tamen aliquid inaudiverat, eo quòd id antea pollicitus eſſet *Seldenus*. Alii etiam, qui de Republica Hebræorum ſcripſerunt, rem nequaquam prætermiſerunt; ſed nemo tam copiosè pertractavit, quàm *Seldenus*, qui omnes propemodum Veterum & Recentiorum Judæorum ac Chriſtianorum auctoritates, de hoc argumento, protulit, & inſtar omnium hac de re Scriptorum eſſe poterit.

Cùm autem opinio, de perpetuo LXXII. Virorum Synedrio, nitatur fermè ſolâ auctoritate Rabbinorum, qui nobis antiquam Populi Hebræi Rempublicam deſcripſerunt; eſſent fortaſſe, qui vellent hîc à nobis ſingillatim teſtimonia eorum proferri, & oſtendi quantum pondus ſingula apud nos debeant obtinere. Verùm hoc limitibus brevis Diſſertationis contineri non poſſet, nec, ut mihi quidem videtur, neceſſarium eſt. Satis erit ſummatim obſervaſſe antiquiſſimos Rabbinos, (ſic voco Thalmudicos Scriptores, eóſque qui poſtea Hebraicè ſcripſerunt) qui quidem ſuperſint, diu poſt everſam Jeroſoli-

mam

mam vixiſſe, nec umquam verſatos eſſe cum hominibus, qui ſtantem Rempublicam vidiſſent; ideóque quæ de ea narrant non ſatis certa eſſe, cùm nulla eam in rem proferant monumenta ſcriptis olim mandata, ſed tantùm famam neſcio quam quæ, per manus, ad eos pervenerit plurium ætatum ore propagata. Unum habemus *Joſephum*, qui poſſit nobis narrare quod viderit, & cui ea de re fides haberi queat. Sed ut Rabbinis nihil credi poteſt, de forma Hebrææ Reipublicæ jam vergentis ad interitum, niſi conſentaneum ſit iis quæ habet *Joſephus*, qui Rempublicam cadentem vidit; ſic nec *Joſepho* ipſi ulla fides haberi debet de antiquiſſimis temporibus, quæ ante Captivitatem Babylonicam & paullò pòſt fluxerunt, niſi quod dicit cum antiquis conſentiat monumentis. Facilè enim potuit de antiquiore ævo, ex ſæculi ſui moribus, judicare, aut etiam figmentis priſcam Hiſtoriam Populi Hebræi, hoc quoque in capite, quemadmodum in multis aliis paſſim fecit, contaminare. Nec *Joſephus*, nec Rabbini ullos antiquiores Scriptores laudant, ex quibus res priſcorum Hebræorum haurire potuerint, præter eos quos etiamnum hodie habemus, quod attinet ad eas quæ ad antiquiora tempora pertinent; ac proinde ſi quid iis addunt, commenticium ac confictum ab iis habere debemus. Hoc unum de *Joſephi* ac Rabbinorum auctoritate dicendum nobis eſſe putavimus, quæ ſingulis eorum locis aptari nihil eſt neceſſe.

Hoc igitur unum hîc aggredior oſtendere, nimirum, LXXII. Virorum Synedrium, quod perpetuò Rempublicam Hebræorum ſumma cum auctoritate rexerit, à temporibus Moſis ad ultima, nullum fuiſſe, ſi Scripturæ Sacræ Veteris Teſtamenti, ex qua ſola peti hoc potuiſſet, teſtimonio ſtemus. Hoc ſi hîc probavero, nemo aliud quidquam à me exigat, quandoquidem aliud nihil nunc polliceor. Eam in rem, utar iis argumentis, quæ olim Gallicè de hoc negotio edidi, ſed quæ eo modo vel circumcidam, vel augebo, vel immutabo, qui mihi commodiſſimus videbitur; neque enim ideò mea eſſe deſierunt, quia alii iis uſi ſunt.

Non eſt hîc quoque omittendum, quod jam olim dixi, me vidiſſe, poſt editam de Synedrio ſententiam meam, ſimile quidpiam *Joanni Vorſtio*, jam antea memorato, in mentem veniſſe; nam ille quoque perpetuitatem illam Magni Synedrii oppugnat, quam evertendam nobis ſuſceperamus. Sed ex iis quæ tunc temporis ediderамus, ſi cum Vorſtianis conferantur, ſatis, ut ſpero, liquebit, nos ejus ſcrinia non eſſe expilatos; uti nec nunc facimus. Gaudemus interea idem viſum viro profectò erudito, cujus poſtea nobis, illo inconſulto, in mentem venit. Non leve enim pondus hinc ad ſententiam noſtram accedit; cujus propugnatæ honorem, ſi quis eſt, tribuant, per me licet, viro doctiſſimo; modò ne vitio nobis vertant, quòd unà cum *Vorſtio*, Rabbinis & iis, qui nugivendulis illis nimiùm tribuunt, contradicere audeamus, quamvis alioquin eorum eruditionem & diligentiam ſuſpiciamus.

Ut autem oſtendamus nullum ejuſmodi fuiſſe in Republica Hebræa perpetuum Tribunal, Hiſtoriam Sacram, pro temporum ordine, revolvemus ac conſiderabimus, ut ſi qua ejus ſint in ea veſtigia videamus; ſin verò contraria omnia comperiantur, merum eſſe commentum fateamur.

II. Cum Moſes, qui ſummæ rerum, apud Hebræos, à Deo ipſo præfectus præerat, nimis grave onus eſſe rerum adminiſtrationem, propter frequentes tumultus ac ſeditiones Hebrææ plebis, ſenſiſſet; apud Deum de oneris, quod ſibi ſoli ferendum erat, gravitate, ſic queritur Num. XI, 14. *Non poſſum ſolus ferre univerſum hunc populum; gravior eſt, quàm ut ferre queam.* Tum Deus Moſi: *congrega*, inquit, *mihi LXX. è ſenibus Iſraëlis, quos ſenes populi eſſe noſti, ejúſque præfectos, eos ducito ad tentorium conventûs, & ſtent ibi tecum. Ego vero deſcendam, loquar illic tecum, partiar ſpiritum qui tibi ineſt, iiſque adſlabo, & ferent tecum onus hujus populi, neque tu ſolus ampliùs feres.* Res, prout juſſerat Deus, exſequutioni illico mandata eſt, adfuerunt illi, exceptis duobus, ad tentorium conventûs: *cùm vero ſpiritus in iis quieviſſet, vaticinati ſunt, neque tamen perrexerunt.*

Hæc eſt, ut creditur, origo Magni Synedrii; verùm duo ſunt ad Moſis verba animadvertenda. Primum eſt, nulla horum LXX. Senum munera diſertè memorari, niſi quòd, inſtar Moſis, *populum ferrent.* Satis quidem liquet hanc tralationem petitam eſſe ab iis, qui onere premuntur, & cum onere poſſe aptiſſimè conferri adminiſtrationem Reipublicæ; unde & *Horatius* ad *Auguſtum* Epiſt. I. Lib. I.

Cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus.

Vide & Exod. XVIII, 18. Deut. I, 9. Verùm hoc in loco, ſi attenderis animum, facilè intelliges, non de difficultate, aut multitudine negotiorum Moſem loqui; ſed de indole populi ad fremitus & ſeditiones proclivis, cui Moſes ſolus reſiſtere non poterat. Ad negotia civilia quod attinet, & capitalia judicia, Moſes parte oneris, quod ſibi initio totum incumbebat, ſe ſe jam exoneraverat, eámque in judices tranſtulerat, ut habemus Exodi XVIII, 24. Nec ad talia negotia adminiſtranda hîc LXX. Senes vocantur, quæ jam, ut videtur, adminiſtrabant; erant enim *è ſenibus & præfectis populi*, ut vidimus ex ipſis Dei verbis. Indigebat Moſes hominibus, qui tantâ auctoritate eſſent apud populum Hebræum, ut res novas molientes ac tumultuantem, reverentiâ ſui, coërcere poſſent atque ad officium revocare. Quam auctoritatem ut illis conciliaret Deus, in eos ſpiritum propheticum demiſit; quo factum eſt, ut homines magis revereretur populus, cùm vidiſſet Judices, ac Præfectos ſuos tanto numero ſpiritu prophetico, non aliter ac Moſem, eſſe donatos. Itaque hi viri poſthac, unà cum Moſe, *tulerunt populum*, hoc eſt, ejus fremitibus ac ſeditionibus ſe ſe majore auctoritate objecerunt, cùm tot Dei Prophetas violare non auderet.

Hîc de Judicum Conſeſſu, aut jure dicundo, ne unum quidem verbum occurrit. Quare credibile eſt, ſemel facultate vaticinandi donatos LXX. Viros, ut populus intelligeret formam hanc Reipublicæ, quam conſtituerat Moſes, optimam eſſe, & parendum Magiſtratibus jam antea inſtitutis; non tumultuandum, ut ſæpiùs fecerat. Quin &, ſi conjicere libeat quid vaticiniis LXX. Virorum contineretur, ex re præſenti ſuſpicari poſſimus fuiſſe adhortationes ad parendum Deo, iiſque quos Deus ſummæ rerum præfecerat.

Atta-

Digitized by Google

Attamen, ſi Rabbinis credimus, hîc conſtitutus eſt Judicum Conſeſſus, ad quem ſolum multæ eæque graviſſimæ referebantur cauſæ; quarum capita diligenter deſcribunt, quaſi in eo foro verſati eſſent, aut certè cum verſatis colloquuti. Conſulant lectores, hac de re, *Joan. Seldenum* Lib. III. cap. 1. ubi omnia huc pertinentia invenient.

Alterum quod ad hanc Moſis Hiſtoriam, in qua LXX. Viralis Synedrii origo quæritur, obſervari oportere diximus, hoc eſt; nuſquam hîc, aut alibi, dici conſtitutum à Moſe Conſeſſum Judicum, qui deberet ſemper eſſe in Republica; adeò ut defunctis alii ſufficerentur, donec ſtaret. Contrà ſi rem conſideremus, non minùs extra ordinem conſtituti videbuntur LXX. Viri, qui populum tumultuantem coërcerent; quàm extra ordinem acceperunt ſpiritum propheticum, quo acti ſemel vaticinia ediderunt, *nec perrexerunt*. Satis, nempe, fuit eis conciliatam ſemel auctoritatem, nec opus erat ut diutiùs vaticinarentur, deſinentibus populi fremitibus, quibus compeſcendis ſpiritum acceperant.

III. Sed forte quod in ipſa Synedrii, ut volunt, inſtitutione non memoratur, id in ſequentium temporum uſu deprehendetur; neque enim Hebræorum Hiſtoria uſque adeò accurata eſt, ordinémque obſervat, nihil ut prætereat, aut ſuis locis prætermittat, cujus poſtea, prout fert occaſio, mentio fiat. Non negarim poſtea interdum memorari, quæ antea prætermiſſa fuerant; ſed Synedrii Magni nulla prorſus mihi occurrunt veſtigia.

Meminit quidem Moſes Sacerdotum aut Judicum, quos in rebus difficilioribus volebat conſuli, ut Deut. XVII, 8. ubi hæc habet: *ſi quid te fugerit, in judicio cædis, aut litis, aut plagæ, de quo cauſa dictu ſit in oppido tuo; tum ſurges & in locum, quem elegerit Jehova Deus tuus, adſcendes. Adibis illuc Sacerdotes Levitas, aut Judicem, qui erit tempore illo; eos interrogabis atque indicabunt tibi quid ſit jus.* Similiter Cap. XIX, 16. *Cùm ſteterit*, inquit, *teſtis injurius in aliquem, ut contra eum dicat perverſum teſtimonium; tum duo viri, quibus lis erit, ſe ſiſtent coram Jehova, coram Sacerdotibus, aut Judicibus, qui diebus illis erunt.* Si reliquiſſet Moſes poſt ſe Conſeſſum perpetuum LXXII. Judicum, rem diſtinctiùs indicaſſet; hîc verò memorat *Sacerdotes* & *Judices*, aut *Judicem*, quæ verba ſignificant tantùm Aharonis poſteros, aut Judices illos, quos extra ordinem excitabat Deus, ut videmus in Hiſtoria Judicum; vel etiam Judices, qui erant in loco, ubi erat Arca. Ideóque hæc loca trahi nequeunt ad Synedrium perpetuum, quod de gravioris momenti rebus judicabat, ſi Rabbinis credimus. Diſertè dixiſſet Moſes ſemper futurum Synedrium LXXII. Virorum, ad quod eſſet confugiendum, cùm præſertim eſſent & alii Judices.

Trahuntur etiam ad hoc Tribunal quæ variis in locis habentur de *Senibus Iſraëlis*, aut *Populi*, ut Deut. XXVII, 1. XXXI, 9. Joſ. VII, 6. VIII, 10. XXIV, 1, 31. & alibi. Verùm voce *ſenum*, hiſce in locis & ſimilibus, nihil vetat nos intelligere honoratiſſimos quoſque *ſenes Tribuum Iſraëlis*; quorum certus ac definitus numerus non eſſet, qualis fingitur Senatorum, quibus Magnum Synedrium ab iis temporibus conſtabat. Certè antequàm conſtitui poſſet, ex Rabbinorum ſententia, Synedrium LXX. Virorum, ſæpe ejuſmodi ſenum mentio fit, ut Exod. III, 16, 18. IV, 29. XVII, 6. Num. XI, 16. Quo poſtremo loco LXX. illi viri, quos elegit Moſes, dicuntur fuiſſe *è ſenibus populi*.

Videntur plerique populi, antiquiſſimis temporibus, obſequuti eſſe judiciis & conſiliis honeſtiſſimorum quorumque & prudentiâ, pro captu cujuſque gentis, eximiorum ſenum, quorum nullus certus numerus fuerit; unde factum ut paullatim vox, quæ ætatem ſignificat, tranſierit in alium ſignificatum, quo *magiſtratum* ſonat. Quod, niſi alii feciſſent, probari poſſet multis argumentis. Sed vide *Joan. Seldenum* de Synedriis Lib. I. cap. 14. Sic &, apud Hebræos, *ſenes urbium* paſſim dicti ſunt & qui ætate provecti erant, & qui magiſtratum in iis urbibus gerebant. Vide Deut. XIX, 12. XXI, 3, 19. XXII, 15, 16, 17, 18. Cùm verò omnes, aut plerique *ſenes urbium*, aut certè pars à ceteris delegata conveniebant; tum verò erant *ſenes Iſraëlis*, qui totius populi nomine ſuffragium ferebant. Itaque ſi qua mentio fit *Senum Iſraëlis*, primis Reipublicæ Iſraëliticæ temporibus, & ante & poſtquàm occupaſſet Chananæam, intelligendi omnino videntur ii quos diximus. Certè nulla ratio eſt, cur de Cœtu LXX. Judicum intelligamus.

Nihil certius colligi poteſt ex locis Scripturæ, quæ ad tempora Regum pertinent. Sic 2. Par. XIX. poſtquàm Hiſtoria Sacra narravit à Joſaphato conſtitutos fuiſſe oppidatim Judices, in Tribubus Judæ & Benjaminis, ſic porrò pergit vſ. 8. *Jeroſolimæ etiam conſtituit Joſaphatus nonnullos è Levitis, Sacerdotibus & Principibus patriarum familiarum Iſraëlis, ad judicia Jehovæ & ad lites diſceptandas.* Hos hortatur Rex ad jus ex Lege Dei, ſummâ fide, dicendum, ſubditque: *En habetis Amarjam Sacerdotem primarium, qui vobis præeſt, quod attinet ad omnem cauſam Jehovam ſpectantem; Zebadjam verò, Iſmahelis filium, principem familiæ Judæ, in omnibus cauſis regiis.* In quibus verbis, ſi diceretur Joſaphatus LXX. Judices conſtituiſſe, quibus præeſſent duo, qui poſtremi memorantur, ut ad eorum Tribunal provocarent, aut graviores cauſas referrent Judæ & Benjaminis poſteri; profectò iis contineretur inſtauratio, vel certè inſtitutio graviſſimi Tribunalis LXXII. Virorum. Sed nihil video hîc dici, niſi Jeroſolimæ, ut in ceteris urbibus, conſtitutos eſſe à Joſaphato Judices; qui cur LXXII. fuiſſe cenſeantur non intelligo. Scio virum ſummum *Hug. Grotium* ad hunc locum habere, *cùm numerus ad paucos recidiſſet, omiſſâ cooptatione, metu Regum, quibus ſuſpecta erat Synedrii auctoritas*, Joſaphatum *more legitimo impleri numerum juſſiſſe, partim ex Sacerdotibus & Levitis, partim ex eruditis aliarum Tribuum.* Verùm ita loquitur, ex præjudicata de Synedrio LXXII. Virorum ſententia, in qua Rabbinos, re non ſatis expensâ, ſequitur; non ex certa ulla rei, ex ignotis nobis fontibus, cognitione.

Præterea quæritur Synedrium Magnum in locis, in quibus fit mentio *principum*, *ducum* aut *procerum Judæ*, aut *Iſraëlis*, quaſi quidquam ex ejuſcemodi loquutione colligi poſſet! Vide 2. Reg. XXIV, 12, 14. Jerem. XXVI, 10, & ſeqq. Pſ. LXXXII, 1. Sed quis neget, quamvis nullum umquam fuiſſe ſtatuatur Synedrium

LXXII. Virorum, nihilo ſecius memorari potuiſſe *duces*, *proceres*, aut *principes Judæ* vel *Iſraëlis*? Sic vocabantur locupletiſſimi, & honoratiſſimi quique oppidanorum, qui in urbibus Tribuum Judæ & Benjaminis jus dicebant & primum dignitatis locum obtinebant; nec ea eſt appellatio ſingularis LXXII. Synedrorum.

Denique locus profertur ex Ezekiele C. VIII, 11. ubi Deus, ut oſtenderet Prophetæ quanta eſſet Idololatria Judæorum, curavit ab eo cerni *ſeptuaginta viros è ſenibus domûs Iſraëlis & Jazanjam, Saphanis filium, ſtantem inter illos*, eóſque omnes *ſtantes coram Idolis, thuribulum manu quemque geſtantes, è quo fumus ſuffitûs adſcendebat*. Sed cùm nulla ſit alibi mentio Septuaginta virorum *è ſenibus Iſraëlis*, excepto loco Num. XI. de quo antea diximus, ubi ſermo non eſt de Tribunali, aut Conſeſſu Judicum; non ſequitur ex ſolo numero hîc eſſe quærendum Synedrium Magnum, ſed fortè dumtaxat alludi ad locum Moſis. Septenarius numerus frequenter adhibetur in Sacris, pro numero pleniore, ut omnibus notum; ideóque ſub imagine ſepties decies, aut Septuaginta Virorum principum, ſuffitum Idolis offerentium, optimè deſcribi potuit Prophetæ procerum Judæ Idololatria.

IV. HACTENUS protulimus loca, in quibus viri docti Synedrii LXX. Viralis veſtigia inveniſſe ſe ſperarunt, oſtendimúſque iis nihil quidquam probari; nunc verò videamus annon ea in Hiſtoria Sacra occurrant, quæ cum Conſeſſu illo perpetuo ſummorum Judicum Populi Hebræi conſiſtere nequeunt. Poteſt autem Hiſtoria Sacra in tria dividi temporis intervalla, quorum primum fuerit id quod elapſum eſt dum Hebræi à Judicibus ſingularibus, extra ordinem à Deo excitatis, regebantur; ſecundum quod à Saüle primo Rege ad ultimum Sedekiam porrectum eſt; tertium denique quod effluxit à reditu Captivitatis ad Monarchiæ Perſicæ finem; quamvis enim eò uſque non perveniat Hiſtoria Sacra, non eſt credibile quidquam in regimine Reipublicæ, eâ temporis intercapedine, quæ fuit à Nehemiæ ætate ad Alexandrum Macedonem, mutatum.

Si legamus paullò attentiùs hiſtoriam Joſuæ & Judicum, videbimus Joſuam ſummâ auctoritate Hebræis præfuiſſe, quam cum nemine partiebatur; Deúmque ſubinde excitaſſe Judices, qui Iſraëlitarum exercitus ducerent & toti populo jus dicerent; quod nequaquam erat neceſſarium, ſi ſemper in Iſraële fuiſſet Cœtus Judicum, qui de graviſſimis cauſis judicarent & ſummæ Reipublicæ præeſſent. Statim ac fato functus eſſet Joſua, nec ullus alius Senum ei æqualium, qui miracula Dei, in gratiam Hebræorum tempore Moſis & Joſuæ edita, viderant, ſuperſtes fuit, delapſi ſunt in Idololatriam; cui Synedrium obviam iviſſet, ſi quod fuiſſet ejuſmodi Tribunal. Quare Deus Hebræos paſſus ſæpiùs eſt à finitimis ſubigi, & malè haberi, donec pœnitentiâ ductorum miſereretur, Judicémque extra ordinem iis excitaret, qui collecto exercitu vicinorum populorum jugum excuteret. Vide Judicum Cap. II. ubi Hiſtoria Sacra pluribus ea de re agit. Neque ullum decretum ab ullo Judicum Conſeſſu factum legitur, neque conſultum, ullo in negotio, ejuſmodi Synedrium; quod prætermitti non magis potuit, ſi in rerum natura fuiſſet, quàm mentio Senatûs in Hiſtoria Romana.

Dum Judex viveret, qui dabat operam ut Leges obſervarentur, abſtinebant à colendis Idolis; ſed mox, eo mortuo, in eodem luto volutabantur. *Temporibus illis*, inquit Hiſtoria Sacra Jud. XXI, 25. *nullus erat Rex in Iſraële, quiſque faciebat quod ſibi videbatur.* Ubi tunc erat verendum illud Tribunal LXXII. Virorum, cujus auctoritatem ſupra Regiam extollunt Rabbini? Si fuiſſet, non opus habuiſſet Levita, cujus concubinæ vis fuerat illata à Gibenſibus, cadaver mulierculæ diſſectum ad duodecim Tribus, novum & horrendum ſpectaculum, mittere; ſed Gibenſes apud LXXII. Senes accuſaſſet, quorum judicio ſtare eos oportuiſſet.

Si perlegamus hiſtoriam temporum Helis & Samuëlis, ultimorum Judicum, nuſquam etiam celeberrimos illos Synedros inveniemus. Imò verò nihil occurret, quod vel minimam ſuſpicionem nobis movere queat. Omnia illi faciunt, ſine ullius Tribunalis ſuperioris metu. Aiunt Rabbini, ut docet *Seldenus* de Synedriis Lib. III. cap. 1. Magni Synedrii fuiſſe inſtituere atque exauctorare Judices Hebræis; attamen Samuël, cùm provectæ eſſet ætatis, narratur ipſe filios ſuos Judices inſtituiſſe, 1. Sam. VIII, 1. Volunt etiam ejuſdem Conſeſſûs fuiſſe judicare de Rege; nec tamen ullas ejus partes videmus fuiſſe, ubi de electione Regis primùm actum eſt. Conveniunt ſenes omnes Iſraëlis, Regémque à Samuële poſcunt, qui ægrè hoc audit, ſed tandem juſſu Dei Regem inungit. Vide 1. Sam. VIII, 4. & ſeqq. Hæc & ſimilia cùm penſitaret *H. Grotius*, in hæc verba erupit ad Cap. I. Judicum: *Videtur his temporibus omiſſa per incuriam creatio Synedrorum LXXII. quemadmodum & ante Joſaphati tempora* 2. Par. XIX, 5. Multò rectiùs collegiſſet ex Hiſtoriæ Sacræ ſilentio, imò & narrationibus, quæ cum ejuſmodi Synedrio conſiſtere nequeunt, nullum à temporibus Moſis ad Regis creationem fuiſſe.

V. SED nec tempore Regum fuiſſe ullum intelligemus, ſi reputemus Reges Hebræorum feciſſe quidquid ſibi videretur; ſive per ſe ipſi quid agendum eſſet ſtatuerent, ſive ex amicorum conſilio Rempublicam adminiſtrarent. Nuſquam vel minima mentio Synedrii, quod tantæ fuit auctoritatis, ut vel Reges ipſos, ſi neceſſe eſſet, in ordinem redigere poſſet. Itaque prout Reges Idololatræ erant, aut veri Dei cultores, populus Legem Moſaïcam obſervabat, aut negligebat. Nuſquam videmus Conſeſſum LXXII. Virorum, aut ullum alium adverſatum eſſe voluntati Regum, aut populum ad ſaniorem mentem revocaſſe. Deus dumtaxat ad Reges & ad populum ſubinde mittebat, præter ordinem, Prophetas; qui vitia & delicta ab iis admiſſa arguerent, promiſſáque & minas veri Numinis proponerent.

Jam antea oſtendimus Judices illos, Jeroſolimæ à Joſaphato reſtitutos, fuiſſe Judices, quales erant in ſingulis Urbibus; non Synedrium illud decantatum, quod toti Reipublicæ præeſſet. Nec inferiores illi Judices, ſi ſemper fuerunt, obſtabant quominus ad Reges etiam, judiciorum causâ, adirent vulgò Hebræi; ut intelligere eſt ex Hiſtoria Davidis & Salomonis, quos conſtat de rebus minoris momenti jus dixiſſe. Ideò cùm Abſalomus regnum adfectaret, *mane ſurgebat*,

ut

ut habet Hiſtoria Sacra, 2. Sam. Cap. X, 2. & ſeqq. *ſtabátque ad viam januæ regiæ, & quiſquis habebat litem, propter quam ibat ad Regem ut judicaretur, eum ad ſe vocabat Abſalomus, & ex qua urbe es tu? inquiebat. Ille verò, ſervus tuus, inquiebat, eſt ex una Tribuum Iſraëlis. Tum Abſalomus, vide, inquiebat, quæ dicis bona ſunt & recta, at nemo tibi eſt à Rege qui te audiat. Utinam verò Judex conſtituar, in hac regione & ad me veniat quiſquis habet litem & cauſam judicandam! Juſtè judicarem.* Si fuiſſet ſummæ auctoritatis Synedrium LXX. Virale, an ita loqui potuiſſet? Imò verò ne inferius quidem fuiſſe tribunal Jeroſolimæ ſuſpicari quiſpiam poſſit, ſed omnia à Rege, ejúſque amicis, fuiſſe diſceptata. Verùm hac de re non agimus. Davidem ipſum certè judicaſſe de cauſa, quæ ei proponitur à Thekoïtide, ejuſdem 2. Libri Samuëlis Cap. XIV. liquet. Ficta quidem erat, ſed more tamen ſolito eam ad Regem retulit; qui alioqui mulierem ad Judices, ſi qui fuiſſent, amandaſſet. Sic & ut oſtendatur ſapientia Salomonis, profertur ſpecimen ejus judiciorum 1. Reg. III, 16. in negotio duarum meretricum, de quo alioqui Synedrium Magnum, aut etiam inferius Tribunal jus dicere oportuiſſet. Nimirum, nec Magnum fuit Jeroſolimæ, nec inferius etiam fortè Synedrium.

VI. Si qua in parte Hiſtoriæ Populi Hebræi inveniri oporteret veſtigia Synedrii LXXII. Virorum; exſtarent ſine dubio in libris Eſdræ & Nehemiæ, ſcriptis poſt reditum à Captivitate Babylonica; quo tempore, cum Reges nulli eſſent, Synedrium Magnum ſolum, cum ſumma auctoritate, præfuiſſe Reipublicæ cenſetur. Attamen multa deſcribuntur negotia magni momenti, ab Eſdra & à Nehemia geſta, Eſdræ Cap. IX, & X, & Nehemiæ Cap. VIII, & ſeqq. ubi ne verbulum quidem de Synedrio. Emendantur mores populi, fœdúſque cum Deo inſtauratur, & promittunt, manûs ſuæ ſubſcriptione, ſe id poſthac obſervaturos, multi è primoribus populi, Sacerdotibus & Levitis; nullâ Synedrii cujuſquam factâ mentione. Multa Nehemias, qui nomine Artaxerxis *Longimani* præerat Judæis, ſuâ auctoritate molitur ac perficit; nec magis meminit Synedrii, quàm ſi nullum umquam fuiſſet. Itaque nihil ſupereſt, niſi ut hinc colligamus nullum reverâ fuiſſe, quandoquidem nuſquam in Libris Sacris memoratur; ne in iis quidem locis, ubi omnino mentio ejus fieri debuiſſet, ſi ejuſmodi Conſeſſus Reipublicæ Hebræorum præfuiſſet.

Nec quiſquam hîc nobis objiciat Rabbinorum commenta, quibus majorem fidem, de rebus antiquis loquentibus, non habemus, quàm fabellis, quas otioſi Monachi, apud Chriſtianos, finxerunt de iis qui primis, poſt Chriſtum, ſæculis floruerunt; nec iis, quæ ab initio Rabbinis objecimus, quidquam adjiciemus.

VII. Quæſiverit quiſpiam, quoniam conſtat ex *Joſepho*, poſtremis temporibus Reipublicæ Judaicæ, Synedrium fuiſſe Jeroſolimæ, & quidem magnæ auctoritatis, præſertim ex Antiquit. Lib. XIV. cap. 17. quando ergo nobis inſtitutum videatur. Crediderim omnino ſub Seleucidarum imperio, cùm Pontifices Maximi incepiſſent Rempublicam Hebræorum adminiſtrare, inſtitutum eſſe. Quod colligo cùm ex re ipſa, tum etiam ex hujus Conſeſſûs nomine Græco. Cùm enim excuſſo Regum Syriæ jugo, Pontifices Maximi, à Judæ Macchabæi ævo, adminiſtrationem rerum civilium, non minùs ac ſacrarum, uſurpare inciperent, vix ſibi ſolis, ab ipſo initio, omnem auctoritatem tribuere potuerunt; ſed neceſſe habuiſſe videntur, ut gens libentiùs pareret, ejus juris proceres Judæorum, quos ad LXXII. elegerunt, participes facere; cúmque id Synedrium ſemel conſtitutum fuiſſet, quamvis Pontifices jam diadema ſumſiſſent, non potuit exauctorari; quo factum ut Hyrcani temporibus, cùm etiamnum juvenis eſſet Herodes, magnam auctoritatem obtineret, ut liquet ex loco *Joſephi* à nobis indicato. Verùm quo anno cœperit hæc inſtitutio, juxta ſcio cum ignariſſimis.

Favet, ut dixi, conjecturæ noſtræ nomen ipſum Συνέδριον, quod Græcum eſt, atque ita erat in uſu, apud Judæos, ut non *Joſephus* tantùm eo utatur, ſed & Rabbini ipſi, tot poſtea ſæculis, eum Cœtum nomine hinc detorto סנהדרין *Sanhedrin* Hebraïcè ſcribentes vocent, qui eſt etiam Titulus Operis Thalmudici; quod à *Seldeno* & *Vorſtio* eſt animadverſum. Verùm hoc maximè animadverſione dignum, quod ea vox vulgò uſurpari ſoleret à Macedonibus, ad ſignificandum Concilium publicum, ut nos docet *Livius* Lib. XLV. c. 32. ubi de ratione quâ res Macedoniæ à Romanis ſubactæ compoſitæ ſint, ſic loquitur: *pronunciatum quod ad ſtatum Macedoniæ pertinebat, Senatores, quos* SYNEDROS *vocant, legendos eſſe, quorum conſilio Reſpublica adminiſtraretur.*

Hæc nobis videbantur de Synedrio Magno dicenda, quæ in hanc brevem Diſſertationem conjecimus; non tam ut Veteris Teſtamenti Hiſtoriam illuſtraremus, quàm ut ne commentis Rabbinicis, quod dudum factum eſt, diutiùs obſcuraretur. Reliqua, quæ de eo Cœtu dicta ſunt, apud *Seldenum* quærentur, cujus opus in omnium Antiquitatum Hebraïcarum ſtudioſorum manibus verſatur. Optandum eſſet à viro doctiſſimo non minorem diligentiam adhibitam fuiſſe in dijudicando, ſecernendóque vero à falſo; quàm in colligendo eo, quod pertinebat ad Synedrium, ex ſcriptis Rabbinorum. Utilius multò fuiſſet ejus opus, ſed eſt cur gratias ei agamus, ob exantlatum laborem collectionis, quem ipſi ſubire nollemus.

DISSERTATIO II.

DE

LEPRA MOSAICA,

EX LITTERIS

DANIELIS CLERICI.

I. Lepræ nomen & deſcriptio ex Moſe ex Levit. XIII, & XIV. cùm in cute hominum, tum in veſtibus & muris. II. Quid ſimile ſit in Lepræ deſcriptionibus, quæ occurrunt apud Medicos Græcos. III. Videtur fuiſſe morbus cutis, in Ægypto & Syria, aliiſque Orientis oris non ignotus. IV. Contagioſus fuiſſe videtur. V. Poſtea deſiit, ut alii morbi qui exorti, certis temporibus, poſtea, aut antea ignoti prorſus fuerunt.

JAM dudum polliciti fueramus Diſſertationem de *Lepra*, cujus memineramus in Præfatione præmiſſa quatuor poſterioribus Libris Moſis. Nunc fidem datam exſolvimus; nec multùm intereſt utrum hîc legatur, an poſt Leviticum, in quo deſcribitur is morbus; nam etiam in Hiſtoria Regum habemus 2. Reg. XV, & 2. Par. XXVI. exemplum hominis leprâ correpti, ad cujus rei illuſtrationem hæc Diſſertatio conferre quidpiam poterit. Quam antequàm exordiar, Lectorem monebo rem ipſam & omnia fermè loca, quæ hîc habentur, me debere ſtudio & labori fratris mei natu majoris DANIELIS CLERICI, Reipublicæ Genevenſis Senatoris, qui cum praxi Medica ſemper conjungendam putavit aſſiduam lectionem Veterum Medicorum; in qua quantopere verſatus ſit, ſatis oſtendit in Hiſtoria Medicinæ, ad tempora *Galeni*, in hac urbe ante aliquot annos edita, & quæ ab omnibus ejuſmódi rerum ſtudioſis avidè excepta eſt. Sed præſtat ab aliis, quàm à fratre laudes, quas meritus eſt, in eum congeri. Itaque ad rem ipſam ſtatim venio, quam ordiar à deſcriptione lepræ, prout apud Moſem exſtat.

I. SIC ergo loquitur primùm de lepra cutis Levit. Cap. XIII, 2. & ſeqq. *Cùm in cute carnis cujuſpiam fuerit macula, aut impetigo, aut ſplendor, qui vergat ad lepram* (צרעת tſarahath) *adducetur ad Aharonem —— Inſpiciet Sacerdos plagam, in cute carnis; ſi pili in plaga albi facti fuerint & facies plagæ profundior cute reliquæ ejus carnis erit, poſtquàm eum hominem viderit Sacerdos, pollutum pronunciabit. Si verò ſit ſplendor albicans in cute carnis ejus, nec tamen profundior facies ejus erit cute, neque pili ejus albi facti erunt, tum includet Sacerdos plagâ affectum per ſeptiduum. Septimo die eum inſpiciet & quandoquidem ſteterit plaga in oculis ejus, neque ſe diffuderit in cute, tum Sacerdos includet eum iterum per ſeptiduum. Iterum die ſeptimo eum inſpiciet, & quandoquidem plaga ſubſtiterit, neque ſe diffuderit in cute, tum mundum eum pronunciabit Sacerdos — ſed ſi ſe ſe diffuderit impetigo per cutem, poſtquàm inſpiciendum ſe præbuerit Sacerdoti — tum eum pollutum pronunciabit, hæc enim erit lepra. Cùm in quopiam erit lepræ plaga, adducetur ad Sacerdotem. Inſpiciet eum Sacerdos & quandoquidem macula erit alba, in cute, pili albi evaſerint, & ſanitas erit carnis vivæ in macula, hæc erit in cute carnis ejus inveterata lepra; pollutum eum pronunciabit Sacerdos — Si vero lepra per cutem ſerpſerit, texeritque univerſam cutem, — mundum pronunciabit plagâ affectum, totus albus evaſerit, mundus erit. Quo verò die in eo conſpecta fuit viva caro, immundus habebitur*, &c.

Agit poſtea de lepra veſtium & pellium vſ. 45. & ſeqq. quæ cùm fiebant valde virides, aut valde rubræ, leproſæ habebantur; & de lepra ædium Cap. XIV, 33 & ſeqq. quæ ſita etiam erat in macula valde rubra, aut valde viridi in muro, eáque profundiore reliquo pariete.

Multis de lepra egerunt Thalmudici doctores, in סדר טהרות & quidem in titulo מסכת נגעים, ſed ex eorum ſubtilitate, certi nihil elicere potui, ideoque ab iis laudandis prorſus abſtinui. Quid enim adtinebat, ſpecie quadam ἀκριβείας, ea congerere, quæ ad rei illuſtrationem nihil facere videbantur?

Poſteriori generi lepræ, quæ videtur fuiſſe mucor & corruptio aut veſtis, aut parietis; & quæ parum ſalubria cùm eſſent gerentibus, aut colentibus, polluta cenſebantur; nihil quidquam occurrit ſimile, aut adfine, in antiquis Scriptoribus; nec poterant, propriè ſi loquamur, veſtes aut muri ſimili morbo laborare, ac hominum cutis. Attamen Hebræi צרעת *tſarahath* hanc quoque vocarunt, quòd, ut lepra corrumpebat ſuperficiem cutis hominum: ſic & mucor ille & veſtes & muros corrodebat, noxiúſque erat utentibus veſte aut domo. Hæc fortè creabantur vi peſtilentis venti, quo etiam hominum corpora adficiebantur. Sed cùm nulla veſtigia ejus rei apud alios Scriptores occurrant, præſtat tacere, quàm inanibus conjecturis aërem verberare.

Nulla

Nulla etiam, neque in Lingua Hebraïca, neque in Orientalibus aliis, ratio inveniri poteſt nominis צרעת. Græci vertere λέπραν, Latinus *lepram*, ex ſimilitudine.

III. Ex deſcriptione Moſaïca lepræ cutis, intelligere eſt quatuor fuiſſe ſigna, ex quibus dignoſci poſſet. Primum fuit cùm candicabat cutis; ſecundum cùm pili cutis albeſcebant; tertium cum macula, aut plaga profundior erat reliqua cute; quartum, quod inveteratæ lepræ judicium fuit, ſi caro viva in plaga lepræ eſſe videretur. Si excipias quartum hoc ſignum, omnia videntur aptè in *vitiliginem*, quam Græci λεύκην, ſeu *albam* vocabant, quadrare, de qua audiendus, qui omnium inſtar erit, *Celſus* Medicinæ Lib. V. c. XXVIII, 19 ubi ità loquitur: *Vitiligo quamvis per ſe nullum periculum adſert; tamen & fœda eſt & ex malo corporis habitu fit. Ejus tres ſpecies ſunt.* Ἄλφος *vocatur, ubi color albus eſt, ferè ſubaſper & non continuus, ut quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur; interdum etiam latiùs & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit.* Μέλας *colore ab hoc differt, quia niger eſt & umbræ ſimilis; cetera eadem ſunt.* Λευκὴ *habet quiddam ſimile Alpho, ſed magis albida eſt & altiùs deſcendit, in eaque albi pili ſunt & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt, ſed in aliis celeriùs, in aliis tardiùs. Alphos & Melas, in quibuſdam, variis temporibus oriuntur & deſinunt. Leuce quem occupavit non facilè dimittit.*

In hoc morbo, ut in Moſaïca lepra, cutis eſt albida, albi ſunt pili, & pellis altè deſcendit; hoc eſt, deprimitur. Similia fermè habent *Actuarius*, *Aëtius*, *Oribaſius*, *Paulus* & *Galenus*, aliique quorum verba proferre nihil adtinet. Protulit etiam ex *Avicenna Lib. IV. Fen. 7. tr. 2.* non abſimilia *Jac. Bonfrerius* ad Levit. XIII. Sic quoque *Ali Abba*, cujus verba Latinè ſic ſonant in antiqua verſione: *Lepra albida eſt quæ in exterioribus fit cutis, & aliquando in quibuſdam, ſine aliis, eſt membris; nonnumquam verò in toto fit corpore, in tantum ut totius fiat color corporis albus. Hæc autem paſſio ex humoris phlegmatici in ſanguine dominatione fit & virtutis debilitate immutantis. Quæ in membro eſt, ſi ex mala fit complexione, hæc ſunt ſigna, quoniam membrum, in quo eſt, album eſt colore, ſtidémque ejus pili; & ſi cutis phlebetomo, vel certè acu pungitur, ſanguis ab eo non egreditur, ſed humiditas alba; & quæ hujuſmodi eſt lepra, incurabilis eſt. A qua autem ſanguis & rubra egreditur humiditas, non deſperanda eſt ſanitati.*

Videmus in his multa ſimilia lepræ Hebræorum, ſed hæc ſunt ei ſingularia; quòd ſi ſe diffudiſſet per totum corpus, ita ut eſſet æquè albus, æger curatus habebatur, ut docet Moſes Levit. XIII, 12, 13. quaſi orto illo totius corporis candore, evanuiſſet lepra. Præterea hoc quoque Hebraicæ lepræ proprium fuit, quòd ſi in candente eo modo corpore inciperet alicui caro nativo eſſe colore, & quali ſolet eſſe caro hominis ſani, leproſus haberetur; quaſi lepra tantùm eſſet ſita in varietate coloris cutis; unde fit ut *Seneca* Quæſtionum Natur. Lib. III. c. 25. vitiliginem *fœdam ex albo varietatem* vocet.

III. Quandoquidem autem Moſes nuſquam ſignificat morbum illum novum, & divinitus immiſſum fuiſſe, videtur omnino morbus fuiſſe vulgaris, & notus in Oriente, eo certè ævo; quamvis poſtea rarior multò fuerit. Ac ſanè nonnulla ejus rei veſtigia, apud priſcos Medicos, invenire licet. Sic *Hippocrates* Prorrheticorum Lib. II. ad calcem: γίνονται δὲ λεῦκαι μὲν ἐκ τῶν θανατωδεστάτων νοσημάτων, οἷον καὶ ἡ νοῦσος ἡ φθινικὴ καλεομένη, αἱ δὲ λέπραι καὶ αἱ λειχῆνες ἐκ τῶν μελαγχολικῶν. *Fiunt leucæ quidem ex maximè lethalibus morbis, qualis eſt morbus, qui vocatur* phthinicus. *Lepræ verò & impetigines ex morbis melancholicis.* Viri docti dudum obſervarunt nihili eſſe vocem φθινικὴ, & legendum Φοινικίην, aut Φοινικικὴν, *Phœnicium morbum*, quod liquet ex Gloſſis *Galeni*, quæ ſic habent: Φοινικίη νόσος, ἡ κατὰ Φοινίκην, καὶ κατὰ τὰ ἄλλα ἀνατολικὰ μέρη πλεονάζουσα, δηλοῦσθαι δὲ καὶ ταύτῃ δοκεῖ ἡ ἐλεφαντίασις: *morbus in Phœnice & aliis orientalibus partibus frequens, ſignificari hic etiam videtur Elephantiaſis.* Teterrimum eſſe Elephantiaſin morbum ſatis norunt Medici, déque eo egit *Celſus* Lib. III. c. 25. Exiſtimat ibidem *Galenus* eum morbum dictum Φοινικικὸν ἀπὸ τοῦ χρώματος *à colore puniceo*, ſubditque: ἐλεφαντίασιν ὑπονοήσειεν ἄν τις, *Elephantiaſin eſſe ſuſpicari quiſpiam poſſit.* Malim Φοινικικὸν dictum etiam à Phœnicibus, qui eo ſæpe laborarent. *Heſychius*: Φοινίκεια, λεπιδωτὸς ὁ Ἀπίων φασι, imò φησι. Reſpexit *Apion* ad λεπίδας ſive *ſquamas*, quæ in Elephantiaſi per corpus oriebantur. Credibile eſt etiam reſpexiſſe ad eum morbum *Guidonem Cauliacum*, & alios nonnullos Chirurgos, qui ante trecentos aut circiter annos vixerunt, cùm *Tyriam Lepram* memorant: *licèt ſecundùm Hali*, inquit Cauliacus: *& fortè ſecundùm Galenum non ponantur, niſi duæ ſpecies, à duabus choleris aduſtis malis. Nihilominùs communis noſtra ſchola adſignat quatuor humores qui poſſunt aduri & in melancholiam converti*, Elephantiaſin *de melancholia*, Leoninam *de cholera*, Tyriam *de phlegmate* & Alopeciam *de ſanguine* &c. Similia etiam habet æqualis ejus *Arnaldus Villanovanus*, aliique, quæ exſcripſiſſe dicuntur ex *Conſtantino Africano* & *Iſaaco* Medico Judæo, qui antiquiores fuere. Quamvis ignorarent unde *Tyria* dicta eſſet ea lepra, ineptáſque ejus rei rationes proferant; credibile tamen eſt eos aliquid inaudiviſſe ex narrationibus eorum, qui in Terra Sancta bellum geſſerant, aut habitarant, de Lepra, quæ *Tyria* diceretur, quòd in Tyrio agro non fuiſſet olim infrequens; quamvis hoc neſcirent.

In Ægypto etiam frequentes fuere morbi cutis, nec ignotæ, ſine dubio, lepræ variæ ſpecies. Tales fuere *Lichenes* menti, qui ſub Claudio Cæſare in Italiam allati ſunt, ut docet *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. XXVI. cap. 1. qui poſtea hæc habet: *advenerántque ex Ægypto genetrice talium vitiorum medici.* Idem quoque de Elephantiaſi, haud multò pòſt: *Ægypti peculiare hoc malum.* Teſtatur idem *Galenus* Methodi medendi ad Glauconem Lib. II. cap. 12. Κατὰ γοῦν τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐλεφαντιῶσι πάμπολλοι, διά τε τὴν δίαιταν καὶ τὴν θερμότητα τοῦ χωρίου. Κατὰ δὲ τὰς Γερμανίας τε καὶ Μυσίας σπανιάκις τοῦτο τὸ πάθος ὤπται γινόμενον, καὶ παρά γε τοῖς γαλακτοπόταις Σκύθαις σχεδὸν οὐδέποτε φαίνεται γινόμενον, ἀλλ' ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παμπόλλη ἡ γένεσις αὐτοῦ, διὰ τὴν δίαιτάν ἐστιν· ἀθήραν γὰρ ἐσθίουσι καὶ φακῆν, καὶ κοχλίας, καὶ ταρίχη πολλά· τινὲς δὲ καὶ ὄνεια κρέα καὶ ἄλλα τοιαῦτα παχὺν καὶ μελαγχολικὸν γεννῶντα χυμόν. *Alexandriæ quidem permulti Elephantiaſi laborant, propter rationem victûs & calorem loci. In*

Germaniis verò & Moeſiis rariſſimè id adfectus oriri cernitur, & apud Scythas, lacte veſcentes numquam apparet, ſed Alexandriæ frequenter oritur, propter victûs rationem. Veſcuntur enim pulte, lente, cochleis, ac ſalſamentis multis; quidam etiam carne aſinina, & aliis ejuſmodi quæ craſſum & melancholicum ſuccum pariunt. Similia habet de Ægypto *Marcellus Empiricus* Cap. XIX. & ante omnes *Lucretius* Lib. VI.

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea uſquam.

Cùm verò & Lichenes, & deterrima omnium lepræ ſpecierum Elephantiaſis frequentes eſſent in Ægypto, non mirum erit ſi ſtatuamus & vulgò illic, à Moſe deſcriptam, lepram fuiſſe notam. Inde nata calumnia in Hebræos, cujus meminit *Joſephus* Lib. I. & II. contra *Apionem*, eos Ægypto, quòd leprâ laborarent, fuiſſe exactos; de qua calumnia, vide & *Juſtinum* Lib. XXXVI. cap. 2. Eam ita confutavit *Joſephus*, ut nihil opus ſit ei immorari. Sed ex illis mendaciis poſſit hoc fortè non falſum colligi, antiquiſſimis temporibus frequentiorem fuiſſe lepram quàm poſtea. Expendantur eam in rem loca Ethnicorum à *Joſepho* prolata.

IV. Vel ſola Levitici Capita XIII, & XIV. ubi de lepra, ſatis oſtendunt eum morbum Hebræis horrori fuiſſe, nedum ut eo Legiſlator ipſe eorum laborarit. Videtur autem non modò fœdus habitus morbus, ſed etiam contagioſus, quandoquidem qui eo laborabant ab hominum cœtibus arcebantur vulgò ab Orientalibus, & à Græcis; quod exemplis nonnullis, ad illuſtrationem Hiſtoriæ Sacræ, confirmabimus. Ita ergo habet *Herodotus* Lib. I. c. 138. ὃς ἂν δὲ τῶν ἀστῶν λέπρην ἢ λεύκην ἔχῃ, ἐς πόλιν οὗτος οὐ κατέρχεται, οὐδὲ συμμίσγεται τοῖσι ἄλλοισι Πέρσῃσι· φασὶ δέ μιν ἐς τὸν ἥλιον ἁμαρτόντα τι ταῦτ' ἔχειν. ξεῖνον δὲ πάντα τὸν λαμβανόμενον ὑπὸ τουτέων πολλοὶ ἐξελαύνουσι ἐκ τῆς χώρης· καὶ τὰς λευκὰς περιστερὰς, τὴν αὐτὴν αἰτίην ἐπιφέροντες: *quiſquis civium lepra aut leuce laborat, is non venit in urbem, neque miſcetur aliis Perſis. Aiunt eum in ſolem deliquiſſe, proptereaque iis laborare. Peregrinum vero, qui correptus hiſce fuerit, multi expellunt è regione, ut & albas columbas, eadem dec auſa.* Excerpta ex *Cteſiæ* Perſicis cap. XL. Ὁ δὲ Μεγάβυζος πέντε διατρίψας ἐν τῇ ἐξορίᾳ ἔτη ἀποδιδράσκει ὑποκριθεὶς τὸν Πισάγαν. Πισάγας δὲ λέγεται παρὰ Πέρσαις ὁ λεπρὸς καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἀπρόσιτος: *Megabyzus cum quinque annis in exſilio verſatus eſſet, aufugit ſimulans ſe eſſe Piſagan. Piſagas verò dicitur à Perſis leproſus, èſtque omnibus inacceſſus.*

Crediderim *Piſagas* dictos quaſi *reos*, à radice Orientali פשע quæ *tranſgredi* ſignificat. Hinc malim deducere, quàm à voce פיס *Pis* quæ *leproſum* hodie, apud Perſas, ſignificat; prout conjiciebat vir doctiſſimus *Had. Relandus*, in erudita Diſſertatione de Lingua Perſica. Decurtata hæc potiùs vox videtur. Cur autem *reos* ſe vocarent leproſi oſtendit *Herodotus*. Huc facit hiſtoria de Deliis, irâ Apollinis, Leuce adfectis quæ in *Æſchinis* Rhetoris Epiſtola narratur, his verbis: Λύσαντες ἐκ Μουνυχίας ἑσπέρας λαμπρῷ σφόδρα Σκίρωνι περὶ μέσην ἡμέραν κατήχθημεν εἰς Νήρισσον τὴν Κίων. Καθίσαντες δὲ ἡμέρας ἐννέα· ἐναντίος γὰρ ἦν ὁ ἄνεμος· εἶτα πάλιν λύσαντες, ἅμα τῇ ἕῳ εἰς Δῆλον ἤλθομεν· Δήλιοι δὲ ἐνόσουν λοιμώδη τινὰ νόσον· τὰ μὲν πρόσωπα ἐπίμπλαντο λεύκης· καὶ τὰς τρίχας λευκοὶ ἐγίγνοντο· ὁ δὲ τράχηλος αὐτῶν καὶ τὰ στέρνα ᾤδει· πυρετοὶ δὲ οὐκ ἐγίγνοντο, οὐδὲ ἀλγηδόνες μεγάλαι, οὐδὲ τὰ κάτω μέρη περιέβαλλεν οὐδέν· Ταῦτα δὲ ἐπυνθάνοντο κατὰ μῆνιν Ἀπόλλωνος αὐτοῖς συμβεβηκέναι, περιφανοῦς ἐν τῇ νήσῳ τινὸς τῶν ἐπιφανῶν τεθαφθέντος. Ἐκ τούτων περιβάλλειν αὐτοῖς τὸν θεὸν τὴν νόσον ταύτην ὑπελάμβανον. Ἡμεῖς δὲ ὥσπερ τι ἔθνος ἀλλόφυλον, ἢ νῆσον ἐν τῇ ἔξω θαλάττῃ ἀφιγμένοι, καὶ ἰδόντες ἐξαίφνης χρώματα ποικίλα ἀνθρώπων, νυκτὸς ἀποδιδράσκοντες ᾠχόμεθα, πυνθανόμενοι ἀλλήλων κατὰ τὸν πλοῦν, εἰ τὸ χρῶμα ἔχοι ἕκαστος οἷον ἐκόμιζεν οἴκοθεν καὶ τὰς τρίχας. *Cùm ſolviſſemus ex Munichia, veſperi, ſereno admodum Scirone delati ſumus circa meridiem Neriſſum Ciorum. Cùm illic manſiſſemus dies novem, contrarius enim erat ventus, iterum ſolventes unà cum aurora in Delum pervenimus. Delii verò laborabant peſtifero quodam morbo. Vultus eorum pleni erant Leuce, & crines fiebant albi. Collum verò & pectus tumebant. Febris non aderat, neque dolor magnus, nec inferiores partes erant ullo modo immutatæ. Hæc acceperant ſibi contigiſſe irâ Apollinis, quòd eſſet ſepultus in inſula vir illuſtris, contra priſtinam conſuetudinem. Ideò Deum hunc ſibi morbum immiſiſſe putabant. Nos verò cùm eò veniſſemus, quaſi ad alienam gentem, aut ad inſulam externi maris, inſpecto ſubitò colore variorum hominum nocte fugientes abiimus, nos invicem interrogantes in navigatione an quiſque colorem quem domo attulerat haberet, uti & crines.* Attamen Artaxerxes non eſt offenſus fœdo illo morbo, in filia Atoſſa, quam uxorem duxerat, ut habet *Plutarchus* in Artaxerxe p. 1023. τὴν δὲ Ἄτοσσαν οὕτως ἠγάπησεν ὁ πατὴρ συνοικοῦσαν, ὥστε ἀλφοῦ κατανεμηθέντος αὐτῆς τὸ σῶμα, δυσχερᾶναι μὲν ἐπὶ τούτῳ μηδ' ὁτιοῦν: *Atoſſam ita amavit pater uxorem ductam, ut Alpho depaſcente ejus corpus, nullo modo eâ ne offenderetur.*

Apud Græcos etiam, in publicum prodire non audebant leproſi, ut liquet ex *Theophraſto*, in Charactere Δυσχερείας, ubi hæc habet: ὁ δὲ δυσχερὴς τοιοῦτός τις οἷος λέπραν ἔχων καὶ ἀλφὸν καὶ τοὺς ὄνυχας μεγάλους περιπατεῖν: *homo fœdus is eſt, qui lepra, & vitiligine laborans, unguèſque habens prælongos, in publica via ambulat.* Poſſem addere & alia teſtimonia de Leuce, apud Græcos; ſed vide, ſi vacat, *Ariſtotelis Problematum* Sect. X. Probl. 4. & 5, & 34. atque ad ea *Julium Guaſtavinium*.

V. Ad tempora uſque Chriſti fuiſſe leproſos, apud Judæos, liquet ex Matth. VIII, 2. X, 8. XI, 5. aliiſque Evangeliorum locis. Verùm lepræ veſtium, pellium & parietum nulla poſt Moſem mentio; & ne lepra quidem hominum ita frequens fuiſſe videtur, à multis ſæculis, per Orientem. Certè neque Chriſtiani Veteres, qui in Ægypto, Syriâque vixerunt, neque qui eas regiones viſerunt, poſtquàm ſunt à Saracenis ac Turcis occupatæ, ejus morbi, quaſi frequentis, meminerunt.

Crediderim eum morbum fuiſſe ex eorum numero, quos Divina Providentia hominibus non ſemper immiſit, ſed qui ortum fortè ſuum, & occaſum, ita ut ſaltem facti ſint multò rariores, habuerunt. Sic *Plinius* Lib. XXVI. initio narrat Lichenes in mento, quam Mentagram vocarunt, Carbunculum, & Elephantiaſin paullò ante ſuam ætatem in Italiam, ignotos antea morbos, veniſſe; de quorum poſtremò ita porrò loquitur: *Et hic quidem morbus celeriter in Italia reſ-*

Digitized by Google

reſtinctus eſt, ſicut & ille, quem Gemurtum appellavere priſci, inter digitos pedum naſcentem, etiam nomine obliterato.

Verùm nihil opus eſt nos confugere ad priſca ſæcula, ut ejuſmodi morborum exempla inveniamus; cùm ſint duo morbi inſignes, iidémque frequentes, quorum altero libidinoſiores homines, altero etiam innocui infantes & pueruli corripiuntur, qui Veteribus prorſus ignoti fuerunt. Lues Venerea à ſæculo decimo quinto demum innoteſcere in Europa cœpit. Novimus quidem quædam loca è Veteribus proferri, in quibus mentio fit ſymptomatum non abſimilium iis, quæ hodie in hominibus, fœdâ lue laborantibus, animadvertuntur. Verùm ea nuſquam Veteres Medici referunt ad cauſam, ex qua nunc oriri ea omnibus conſtat; nimirum, ex cohabitatione cum viris aut mulieribus, veſano rerum Venerearum uſu corruptis & tabefactis. Nemo credat peritiſſimos Medicos, & quidem morborum omnium cauſas ſtudioſè quærentes, de ea hujuſmodi ſymptomatum cauſa, quæ in oculos incurrebat, nihil umquam dixiſſe; cùm ubique innumeri eſſent viri libidinibus infames, & innumera proſtibula ac lupanaria caſtiorum oculos offenderent. Nemo credat etiam Comicos, Satiricos, & Epigrammatum Scriptores, qui adcò liberè, imò & petulanter, in vitia hominum invecti ſunt, vitæque humanæ calamitates deſcripſerunt, & dè aliis morbis ex intemperantia ortis tam apertè loquuti ſunt; de lue Venerea ejúſque ſymptomatibus, ſilentium ſervaturos fuiſſe, ſi nota eorum ævo fuiſſent. Itaque ſi quæ ſimilia ſymptomata eò torquentur à viris ingenioſis, ea aliorum morborum ſymptomata fuere & ab alia cauſa fluxerunt.

Eadem ratio eſt morbi, qui Varioli vocatur, & cujus pauci hodie expertes ſunt in Europa, de quo primi Arabes Medici ſcribere cœperunt; altum eſt enim de eo, apud Medicos antiquiores Græcos & Latinos, ſilentium. Attamen de aliis omnibus ferè morbis hodie notis non tantùm perſpicuè, ſed & copioſè egerunt. Quare ſi notus fuiſſet is morbus & tam frequens, quàm hodie eſt, eorum Scriptorum ævo, nonnumquam ſanè de eo fuiſſent loquuti, imò libros integros ſcripſiſſent. De multò levioribus certè rebus, integra volumina conſcripſit *Cl. Galenus* Pergamenus, homo verborum minimè parcus, nec laboris in ſcribendo impatiens. Sciunt autem Medici cum ne verbulo quidem morbum hunc attigiſſe.

Fuerunt ergo morbi, qui, nonnullorum ſiderum inſtar, orti certo tempore poſtea exſtincti ſunt; ſúntque alii, quos ortos quidem non ita pridem novimus, ſed quorum finem nondum videmus. Quod cùm ita ſit, ſi dixerimus Moſaicam lepram ortum etiam ſuum, & occaſum habuiſſe, ſaltem magna ex parte; nihil dixerimus, quod incredibile cuiquam videri queat. Quod ſi cauſæ à nobis ortûs & occaſûs morborum quærantur, fatebimur nobis eſſe ignotas, ſatiſque habere ſi modo de re, quæ nunc agitur, conſtet. Poſſemus quidem conjicere, cum nonnullis, uſum quotidianum balnearum, apud Veteres, qui aut rarus, aut pænè nullus eſt hodie in Europa, præſertim in viris adultis & frigidioribus oris; victúſque mutationem, poſt rectam Indiam Orientalem, quæ aromata frequentiora multò reddidit; aliáque id genus mutationem aliquam hominum Europæorum corporibus attuliſſe. Sunt & qui, ad ſublimiora confugientes, exiſtimant Cometarum Atmoſphæras, per verticem Solarem hic illic ſparſas, aliquando in Terræ noſtræ Atmoſphæram illapſas mutationes in aëre, quem reſpiramus, creaſſe. Sed non eſt hîc locus in hujuſmodi conjecturas exſpatiandi, expendendive quam fidem eis habere poſſimus. In hæc & alia inquirant Medici, aut Phyſici, & facem nobis præferant, quam libentiſſimè ſequemur.

F I N I S.

TA-

TABULÆ CHRONOLOGICÆ IN LIBROS HISTORICOS VETERIS TESTAMENTI.

Quæ ad certum annum referri non potuerunt aſteriſco notata ſunt.

TABULA I. Ab egreſſu ex Ægypto ad conditum Templum.

Anni Mundi.		*Anni Exodi.*
2488	JOSUA Iſraëlitas in terram Chananæam intromittit. Joſ. III. Bellum gerit illic per ſexennium, ſed quibus annis ſingula geſta ſint non liqnet. Joſ. VI, & ſeqq.	41
2494	Joſua Chananæam ſortibus dividit. Joſ. XIV, & ſeqq.	47
2512	Moritur natus annos 110. Joſ. XXIV, 29.	65
	Iſraëlitæ, poſt mortem Joſuæ, per annos 34 Idololatriâ ſe pollnunt. Jud. II, 10.	
2546	CHUSAN per annos 8 ſtipendiarium habet Iſraëlem. Jud. III, 8.	99
2554	HOTHNIEL liberat Iſraëlem, Jud. III, 9, 10. & terra quiete fruitur per annos 40 Ibid. 11.	107
2594	HEGLON, cum Hammonitis & Hamalekitis, premit Iſraëlitas, tenétque Jerichuntem annis 18. Jud. III, 12, 13.	147
2612	EHUDUS occidit Heglonem, ac Iſraëlitæ ad ortum Jordanis incolentes quiete, per 80 annos, frnuntur. Jud. III, 15, 30. ad incurſionem uſque Madianitarum de qua poſtea.	165
2632	Poſt Ehudi mortem, in aquilonari ora Chananææ, JABIN, Rex Chananæus, invadit Chatſorem, quam tenet annis 20. Jud. III, 30. IV, 1, 2, 3.	185
*	Eodem temporis intervallo, SAMGAR occidit ſexcentos Philiſthæos. Jud. III, 31.	
2652	BARAKUS vincit Siſeram ducem exercitûs Jabinis & terra fruitur quiete, annis 40. Jud. IV, 4. & ſeqq. V, 31.	205
2692	Madianitæ, incurſione factâ, premunt Iſraëlitas, per 7 annos. Jud. VI, 1.	245
2699	GEDEHON eos expellit & terra quieſcit per 40 annos. Jud. VI, 7. VIII, 28.	252
2733	ABIMELECHUS regnat per 3 annos. Jud. IX, 22.	292
2742	THOLA jus dicit Iſraëli per 23 annos. Jud. X, 2.	295
2765	JAIR jus dicit Iſraëli per 22 annos. Jud. X, 3.	318

Anni Mundi.		*Anni Exodi.*
2787	Cùm Iſraëlitæ agros poſſediſſent ad ortum Jordanis, per 300 annos, Hammonitæ & Philiſthæi Iſraëlitas eodem anno invadunt. Jud. X, 7. XI, 26.	340
	Hammonitæ quidem premunt Iſraëlitas ad ortum Jordanis, per 18 annos. Jud. X, 8. Philiſthæi verò ad occaſum, per annos 40. Jud. XIII, 1.	
*	SAMSON hoc intervallo vivit & per annos 20. varias victorias reportat, ad occaſum Jordanis, de hoſtibus Hebræorum. Jud. XV, 20.	
*	Eo vivo & mortuo, jus dicit HELIS Pont. Max. populo Hebræo, in iiſdem locis. (1. Sam. IV, 18.) per 40. annos.	
*	Ei ſucceſſit SAMUEL. 1. Sam. VII, 15.	
2805	Interea ad ortum Jordanis jus dicit JEPHTHEUS per 6 annos. Jud. XII, 5.	358
2811	IBSAN ibidem jus dicit, per 7 annos. Jud. XII, 9.	364
2818	ELON ibidem judicat, per 10 annos. Jud. XII, 11.	371
2828	ABDON ibidem Judex eſt, per 8 annos. Jud. XII, 14.	381
2843	SAÜL regnat, per 40 annos. Act. XIII, 21.	396
*	Eo regnante, David Goliathum occidit 1. Sam. XVII, 33. aliáque deinceps geſſit, quæ ad certos annos referri nequeunt.	
2883	DAVID regnat per 40 annos 2. Sam. V, 4. ſimúlque cum eo initio regnavit Isboſethus, Saülis filius, Machanajimis, 2. Sam. II, 8. & ſeqq.	436
2923	SALOMO regnat annis 40. 1. Reg. XI, 42.	476
2927	Ejus regni anno quarto cœpit ædificari Templum, iſque erat annus 480 ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, ut disertè habetur 1. Reg. VI, 1.	480

Primæ Tabulæ finis.

TABULA II. *à condito Templo ad everſum.*

Anni Mundi.		*Anni Exodi.*
2934	Anno 11. regni Salomonis Templum eſt abſolutum, intrà annos 7 & dimidium. 1. Reg. VI, 38.	487
2947	Anno 13. poſt exſtructum Templum, ædificia omnia regia abſolvit. 1. Reg. VII, 1. IX, 10.	500
2963	ROBOHAMUS, Salomonis filius, regnat in Tribus Judæ & Benjaminis, annis 17. 1. Reg. XIV, 21.	516
	JEROBOHAMUS in 10 reliquas Tribus, eodem anno, regnum inchoat & annis 22. regnat 1. Reg. XIV, 20.	
2967	Anno 4 Regni Robohami, in idololatriam delabitur 2. Par. XII, 1. 1. Reg. XIV, 22.	520
2968	Anno 5. Seſoſtris in Judæam venit, munerâque à Robohamo accipit. 1. Reg. XIV, 25. 2. Par. XII, 2.	521
2980	ABIJA, anno Jerobohami 18. ineunte, Robohamo patri ſuccedit & per 3 annos regnat. 1. Reg. XV, 1, 2. 2. Par. XIII, 1, 2.	533
2983	ASA, anno Jerobohami 20. abſoluto, Abijæ patri ſuccedit regnátque annos 41. 1. Reg. XV, 8.	536
2985	NADABUS, Jerobohami filius, anno 2. Aſæ, patri ſuccedit & 2. annos regnat 1. Reg. XV, 25.	538
2987	BAHASA ei occiſo ſuccedit & per 24 annos regnat. 1. Reg. XV, 27. & ſeqq.	540
2998	Anno 15 Aſæ ineunte, Zerachus Chuſita Judæam invadit & cum clade repellitur. 2. Par. XIV, 9.	551
2999	Anno 16. ejuſdem, Bahaſa bellum ei infert, quod narratur 2. Par. XVI, 1. refertúrque ad 36 annum regni Judæ ab Iſraëlitico diſtincti.	552
3009	Anno Aſæ 26. mortuo Bahaſæ ſucceſſit ELA filius, in regno Iſraëlis. 1. Reg. XVI, 8. & ſeqq.	562
3010	Sequente anno, Ela occiditur à ZIMRI, qui & ipſe perit, & OMRIS ejus loco regnat, licet Thibnis regnum ad ſe trahere conaretur. 1. Reg. XVI, 21, 22.	563
3014	Omris ſolus regnat anno 31. Aſæ, & quidem per 12 annos 1. Reg. XVI, 23.	567
3024	JEHOSAPHATUS Aſæ patri ſuccedit, anno Achabi 4. deſinente, & annis 25 regnum tenet 1. Reg. XXII, 41, 42. 2. Par. XX, 31.	577
3038	Benhadadus bellum Iſraëlitis infert. 1. Reg. XX.	591
3041	Achabus anno 17. Joſaphati, filium Achazjam participem regni facit. 1. Reg. XXII, 51. & ſimilem poteſtatem etiam confert Joſaphatus filio ſuo Joramo, unde Joramus, Achabi filius, qui fratri Achazjæ ſucceſſit, in regno Iſraëlis, anno 18 Jehoſaphati 2. Reg. III, 1. dicitur anno 2. Jorami, Jehoſaphati filii, regnare cœpiſſe 2. Reg. I, 17.	594
	JORAMUS ergo, Achabi filius, hoc anno regnare incipit & regnat annos 12.	
3049	JORAMUS, Joſaphati filius, patri ſuccedit & ſolus per 4. annos regnat. 1. Reg. XXII, 50. 2. Par. XXI, 1.	602
	Anno ante mortem, qui erat 11. Jorami, Achabi filii, Achazja conſors regni factus eſt. 2. Reg. IX, 29.	
3053	ACHAZJA patri Joramo, Judæ Regi, ſuccedit, 12. Jorami, Achabi filii, & annum 1. regnat. 2. Reg. VIII, 25.	606
3054	Sequente anno, JEHUUS, occiſo Joramo, regnum Iſraëlis invadit, 2. Reg. IX. & per 28. annos regnat. Ib. X, 28.	607
	Cùm occiſus ſimul ab Jehuo fuiſſet Achazja, mater hujus HATALIA, occiſis filii liberis, excepto uno, regnum invadit per 6 annos, 2. Reg. XII, 1. & ſeqq.	
3060	JOASUM, Achazjæ filium, Jehojada P. M. Regem, occiſâ Hataliâ, conſtituit, iſque regnat annos 40 integros. 2. Reg. XII, 1. 2. Par. XXIV, 1.	613
3083	Anno regni 23, Templum inſtaurari curavit. 2. Reg. XII, 6, 7.	636
	Eodem anno ſuccedit JEHOACHAZUS patri Jehuo, in regno Iſraëlis, & annis 17. regnat.	
3097	JOASUS, ejus filius, particeps imperii fit, Joaſi Regis Judæ 37. & 16. regnavit annis. 2. Reg. XIII, 10.	650
3100	AMATSJA Joaſo Regi Judæ patri ſuccedit, anno Joaſi Regis Iſraëlis 2. & regnat 29 annos, 2. Reg. XIV, 1, 2. Tum quoque moritur Jehoachazus Rex Iſraëlis 2. Reg. XIII, 1.	653
3102	JEROBOHAMUS II. Rex Iſraëlis à patre Joaſo videtur conſors imperii factus, ut hujus Jerobohami anno 27 Hazarja Rex Judæ regnarit. 2. Reg. XV, 1.	655

Amatsja

Digitized by Google

Anni Mundi.		*Anni Exodi.*
3114	Amatsja anno regui 14. à Joaſo, Iſraëlis Rege, vincitut 2. Reg. XIV, 2.	667
3115	Anno ſequente, defuncto Joaſo ſuccedit ſolus Jerobohamus II. & hinc per annos 41. regnat 2. Reg. XIV, 23.	668
3129	HUZZIJA, ſive HAZARJA ſuccedit Amatsjæ, anno 27. Jerobohami II. Iſraëlis Regis, ex quo cum patre regnare cœpit, & annis 52. regnavit. 2. Reg. XV, 1, 2.	682
3155	Anno 26. Huzzijæ, mortuus eſt Jerobohamus, Rex Iſraëlis; quo mortno, videtur fuiſſe interreguum in Iſraële fermè 12. annorum, ut poſſint menſes ſex Zachariæ, Jerobohami filii, reſpondere auuo 38. Huzzijæ, & interfectoris ipſius Sallumi menſis unicus 39 ejuſdem Huzzijæ anno. 2. Reg. XV, 8, 13.	708
3167	Anno 38 Huzzijæ, regnat per 6. menſes ZACHARIAS, Jerobohami II. filins, 2. Reg. XV, 8, 12. col. cum X, 30.	720
3168	SALLUMUS, eo occiſo, per menſem unum regnat, 2. Reg. XV, 13. MENACHEMUS ei ſuccedit, regnatque per 10 annos 2. Reg. XV, 25, 27.	721
3177	PHEKACHJA patri Menachemo ſuccedit, regnátque per annos 2. 2. Reg. XV, 25, 27.	730
3179	PHEKACHUS ei interfecto ſuccedit, regnátque per annos 20. 2. Reg. XV, 25, 27.	732
3181	JOTHAMUS ſuccedit patri Huzzijæ & 16 annis regnat. 2. Reg. XV, 32, 33.	734
3197	ACHAZUS patri Jothamo in regno Judæ ſuccedit, regnatque annis 16. 2. Reg. XVI, 1, 2.	750
3199	Achazi agros cùm incurſarent hinc Idumæi & Philiſthæi, illinc Syri & Iſraëlitæ, auxilium implorat Thiglath-Phileſeri, Aſſyriorum Regis, à quo liberatur 2. Reg. XVI, 7. & ſeqq.	752
3200	HOSEA interfecto Phekacho ſuccedit, ſed nondum poteſt regnum adeptus dignitatem tueri. Per 9 annos, eſt genus quoddam anarchiæ 2. Reg. XV, 30. Decimo demum anno regno potitur, 12. Achazi anno deſinente. 2. Reg. XVII, 1.	753
3213	HEZEKIAM Achazus ultimo regni ſui anno imperii participem facit & mox moritur. Is à 3 anno deſinente Hoſeæ, Regis Iſraëlis, per 29 annos regnat. 2. Reg. XVIII, 1, 2.	766
3216	Cùm Hoſeas in Aſſyrios rebellaſſet, Salmaueſer, anno ſequente, in Moabitidem movet, quam occupat. Tum obſeſſa Samaria anno 3 potitur, Iſraëlitáſque in Aſſyriam & Mediam abducit. 2. Reg. XVII, 4. & ſeqq.	769
3230	Sancheribus fruſtra obſidet Jeroſolimam, cæſóque ab Angelo exercitu in Aſſyriam redit. 2. Reg. XIX.	783
3242 *	MANASSA ſuccedit Hezekiæ mortuo, regnátque 55. annos. 2. Reg. XXI, 1. In captivitatem abducitur in Aſſyriam, ſed brevi remittitur in Judæam. 2. Paral. XXXIII, & ſeqq.	795
3297	AMON ſuccedit Manaſſæ, regnátque per 2 annos 2. Reg. XXI, 19.	850
3299	JOSIAS ſuccedit Amoni & regnat annos 31. 2. Reg. XXII, 1.	852
3317	Anno regni 18 invenit librum Legis & cultum Dei inſtaurat. 2. Reg. XXII, 3. & ſeqq.	870
3330	JEHOACHAZUS ſufficitur à populo Joſiæ mortuo, ſed poſt 3 menſes amovetur à Nechone Ægypti R. qui ei ſubſtituit fratrem JEHOJAKIMUM 2. Reg. XXIII, 31. & ſeqq. Hic per 11. annos regnat.	883
3334	Anno regui ejus 4. Nebuchadnetſar eum cepit, ſed certis legibus reliquit Jeroſolimæ, uude captivos aliquot in Babyloniam abduxit 2. Reg. XXIV, 1.	887
3337	Tertio poſt anno, Jehojakimus in Babylonios rebellat. 2. Reg. XXIV, 1.	890
3341	JECHONIAS patri à Chaldæis occiſo ſuccedit, per 3 menſes & decem dies. 2 Reg. XXIV, 9, 10. Poſtea abducitur Babylonem, cum magna parte popnli, inter quos Mordechæi Eſtheræ conſobrini proavus. Eſth. II, 5, 6.	894
	SEDEKIAS, Jechoniæ patruus, ſufficitur à Chaldæis, & per 11. annos regnat. 2. Reg. XXIV, & ſeqq.	
3352	Capta eſt Jeroſolima, captus Sedekias, & menſe quidem 5, die 10 combuſtum eſt Templum, & quidquid ſupererat in Babyloniam tranſlatum. 2. Reg. XXV, 10. & ſeqq. 2. Par. XXXVI, 18 & ſeqq. Jerem. XXXIV, 8, 9. LII, 13. & ſeqq.	905

Secundæ Tabulæ Finis.

TABULA III. *à Cyro ad Nehemiam.*

Anni Mundi.		*Ante Chriſtum.*
3403	CYRUS, Perſarum Rex, anno 1. regni Babylonici, reditum in patriam Judæis concedit. Eſdr. C. I.	538
	Duces reducum fuerunt præſertim Zorobabel & Jeſua Eſdr. II, 2. Sed nec videtur abfuiſſe Eſdras, quamvis illic non nominetur, cùm eſſet patruus Jeſuæ. Sed & adfuiſſe eum diſertè docet Nehemias C. XII, 2.	
3404	Anno ſequente, exſtruunt altare & ſacra quotidiana in eo facere incipiunt, menſe 7. Eſdr. III, 1. & ſeqq.	537
3405	Anno 2. à reditu fundamenta Templi jaciunt, nec tamen poſſunt in eo opere pergere vivo Cyro. Ib. IV, 5.	536
3412	Vetiti ſunt etiam abſolvere ædificium ſub CAMBYSE, qui regnare cœpit anno 9. poſt 1. Cyri, & quidem per 7 annos & 5 menſes regnavit. Vocatur ille *Achaſuerus*, aut, more Latino, *Aſſuerus* Eſd. IV, 6.	529
3419	Idem interdictum fuit ſub SMERDI, qui vocatur etiam *Arthaxerxes*. Ib. IV, 7. & Cambyſis per 7. menſes ſucceſſor fuit.	522
•	Hiſce temporibus videtur Eſdras in Perſidem rediiſſe, cùm videamus eum non ita multò poſt reverſum eſſe in Judæam. Vide ad annum 3481. Quod de Nehemia etiam dictum volumus. Vide ad an. 3496.	
3420	DARIUS Hyſtaſpides regnat per annos 36.	521
3421	Darii anno 2. cœperunt iterum Judæi inſtaurare Templum, quod abſolverunt 6 ejus anno exeunte. Eſd. C. V. & ſeqq.	520
3456	Dario ſuccedit XERXES, regnátque per annos 20.	485
3476	Huic ſuccedit ARTAXERXES *Longimanus*, regnátque per annos 40. Idem eſſe videtur, qui vocatur in Eſtheræ libro *Aſſuerus*, aut *Achaſuerus*.	465
3479	Regni ejus anno 3. celebratur convivium, de quo Eſtheræ Cap. I.	463
3481	Anno 7. deducitur ad eum Eſthera, quam uxorem ducit & diademate donat. Eſth. Cap. II.	458
	Eodem anno, ſecundâ vice, redit Eſdras Jeroſolimam Cap. VII, 7. ubi ea geſſit, quæ poſtea in ejus libro narrantur.	
3488	Anno 12. damnantur Judæi ad internecionem, quæ ſequente tantùm anno exſequutioni mandanda erat Eſth. III, 7. & ſeqq.	453
3489	Sequente anno, 12. menſibus pòſt, contrarium evenit. Ib. C. VIII, 9, 10. Judæi inimicos occidunt.	452
3496	Anno 20. redit Nehemias iterum in Judæam, cui nomine Perſarum Regis præeſt. Nehem. I, 1. Inſtaurat Jeroſolimæ muros, & alia gerit quæ in ejus libro narrantur.	445
3508	Anno 32. redit Nehemias ad Regem Cap. XIII, 6. Sed anno ſequente revertitur in Judæam.	433

Tabulæ Tertiæ Finis.

NOTU-

N O T U L Æ

I N

T A B U L A M I.

NOn opus erit multis hîc agi de inſtituto noſtro, in hac Tabula, cùm ſequuti ſimus methodum doctiſſimi viri *Joan. Marsbami*, qui optimè omnium tempora Judicum digeſſiſſe videtur, idque duabus de cauſis. Prior eſt, quòd ejus calculo optimè conveniat cum collecta ſumma annorum, ab Exodo ad conditum Templum, quæ exſtat 1. Reg. VI, 1. ubi Hiſtoria Sacra disertè docet Templum conditum annis 480 poſt Exodum.

Scio objici locum Pauli, Actor. XIII, 20. ubi dicuntur Iſraëlitæ habuiſſe Judices annis 450 uſque ad Samuelem. Sed faciliùs crediderim Paulum Judæos alloquentem numerum edidiſſe, quem vulgò Chronologi Judæi tunc temporis colligebant ex annis Judicum, ſine ulteriore examine, quia nihil intererat; quàm Hiſtoriam Sacram eſſe, in tam inſignibus Epochis, vitiatam. Simile quidpiam dudum obſervavimus, in Additamentis ad *Henr. Hammondi* Adnotationes in Nov. Teſt. ad Act. VII, 4. ex quo loco etiam viri docti Chronologiam Moſaïcam perperam refingunt. Ex ejuſmodi calculis obiter allatis, & quæ loquentis nihil prorſus intererat accuratos eſſe, ſi modò admitterentur apud eos quos alloquebatur, non debet vis inferri Hiſtoriæ Sacræ; quæ alioqui ſi ſola legeretur, nulla naſceretur difficultas. Alterum quod perplacet, in calculo *Marsbami*, eſt convenientia ejus cum oratione Jephthei, qui aiebat ſuâ ætate Iſraëlitas poſſediſſe agros, ad ortum Jordanis per trecentos annos, Judic. XI, 26.

Quod ſi quis plura optet, ipſum adeat *Marsbamum*, ad ſæculum XI. rerum Ægyptiacarum; conferátque, ſi ita videtur, *Dionyſ. Petavium* de Doctr. Temporum Lib. IX. cap. 35. *Jac. Uſſerium* Chronolog. Sacræ Part. 1. cap. 12. & 13. & *Lud. Cappellum* in Chronolog. Sacra ad Tab. IX. Si difficultates Chronologicæ hîc eſſent ſingillatim excutiendæ, inchoandum eſſet novum opus; quod nemo à nobis exegerit, ſi reputet nos non Chronologiam, ſed Commentarios in Vet. Teſtam. ſcribere aggreſſos eſſe.

A D T A B U L A M II.

IN hac Tabula ſequuti ſumus diſpoſitionem *Jac. Uſſerii*, qualis exſtat in Annalibus, quam conſulent, qui rem pluribus expoſitam videre volent. Nos hæc tantùm edidimus, ut Lectores, qui fortè videre volent ad quos annos potiſſimi quique eventus referri debeant, neceſſe non habeant ad aliud volumen confugere. Itaque nihil hîc præterea dicimus, niſi calculos noſtros, ad annos Mundi quod adtinet, non conſentire cum Uſſerianis. Sed rationes ejus rei non poſſent hîc proferri, niſi conferremus ejus Chronologiam à temporibus Abrahami ad Moſaïca, quod longum eſſet & ſupervacaneum.

Nec addimus etiam, ad ſingula loca, quæ videbimur fortè interdum in commentario polliceri; quia quid ſentiamus ex lectione ipſa Tabulæ ſatis intelligi poterit. Longo ac difficili opere deſeſſi, & aliis etiam ſtudiis avocati fatiſcentem jam animum tricæ Chronologicæ prorſus obruerent. *Uſſerius* autem à nobis eſt aliis prælatus, quòd ſimpliciùs & faciliùs omnia digerere videretur, nec nimis audacibus aut æquo frequentioribus conjecturis niti. Adeant Lectores, ſi neceſſe ſit, Chronologiæ ejus Sacræ Partem II. *Ludovicum* item *Cappellum* ad Tab. XI. & *Dionyſ. Petavium* Capp. LX, LXI, & LXII. Lib. IX. de Doctrina Temporum.

A D

AD TABULAM III.

NIHIL eſt quod de hac Tabula moneam, niſi annos ante Chriſtum eſſe hîc deſumtos ex *Petavio*, aliiſque Chronologis, qui ex Canone Aſtronomico *Ptolemæi*, annos Regum Perſarum accuratè digeſſerunt. Ad annos Mundi quod adtinet, ſunt ex anterioribus noſtris calculis repetiti. His & aliis fruatur Lector, niſi meliora norit, aut invenire poſſit. Gratulabimur omnibus, qui facem hiſce tenebris feliciter admovebunt; nec conjecturas inanes ſequentur, quaſi demonſtrationes Mathematicas. Ejuſmodi figmentis quivis abundare poteſt, & ad me quidem quod attinet, malo ignorantiam meam candidè profiteri, quàm venditare ſomnia pro veritate, oculos noſtros poſt tot ſæcula ita fugiente, ut certò deprehendi per omnia poſſe nequaquam videatur.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX I.

VOCUM HEBRAICARUM

Quæ aut copioſiùs, aut novè exponuntur, in Commentariis ad Libros Hiſtoricos Vet. Teſt.

Numeri Romani Caput, Barbari verſum ſignificant.

א.

אביר רועים *[illegible]*. 1. Sam. XXI, 7.
אבן גלל *lapis quadratus*. Eſd. V, 8.
או *an*. 1. Sam. XX, 10.
אובות pro בעלת אובות *dominabus Obi*. 1. Sam. XXVIII, 3.
אודות *cauſæ*. 2. Sam. XIII, 16.
אות אמת *vera teſſera*. Joſ. II, 12, 18.
אחמתא *capſa*, vel *ſcrinium*. Eſd. VI, 2.
אחר *alienus*. Jud. XI, 2.
אטר יד ימינו *qui dextra uti non poteſt*. Jud. III, 15. XX, 16.
איפה *quales*. Jud. VIII, 18.
אל pro *de*. 2. Sam. III, 18. 2. Reg. XIX, 9, 32.
אלהים conjunctum cum voce fœminina ſingulari עשתרת Aſtarte. 1. Reg. XI, 5.
אלהים *magiſtratus*. 1. Sam. II, 24. XXVIII, 13.
אם ſine negatione eſt negantis, אם לא cum negatione affirmantis. Joſ. XIV, 9.
אני abſolutè poſitum. 1. Ephem. XXII, 7.
אף הוא *etiam ipſe*, non eſt confundendum cum אפוא *nunc*, 2. Reg. II, 14.
אפוד *ephod*, pallium quod quivis geſtabat. 1. Sam. II, 18.
אפים in hac loquutione מנת אפים *pars faciei*, quid ſignificet. 1. Sam. I, 4.
אפר *velum*. 1. Reg. XX, 38.
ארג *inſtrumentum textorium*. Jud. XVI, 14.
ארגז *capſa*. 1. Sam VI, 8.
ארוכה *inſtauratio*. 2. Ephem. XXIV, 13.
ארות aut אריות *loculi* in ſtabulis. 1. Reg. IV, 26.
ארם pro אדום. 2. Reg. XVI, 6.
אשדות *montis radix*. Joſ. X, 40. XIII, 20.
אשי יהוה quævis *oblationes*. Joſ. XIII, 14.
אשישה *lagena*. 2. Sam. VI, 19.
אשל *arboretum*. 1. Sam. XXII, 6.
אשפר *fruſtum carnis*. 2. Sam. VI. 19.
אשר pro כאשר *ſicut*. 1. Sam. XXV, 26.
אשרים *ſtatuæ Deorum*. 1. Reg. XIV, 15, 23.
אחשתרנים *muli*. Eſth. VIII, 10.
את pro אל reſingendum, quando præponitur perſonæ. 1. Reg. II, 30.
את etiam nominativo præfigitur. 1. Sam. XVIII, 34.

ב.

ב & מ confuſa. Joſ. XV, 11.
ב pro *ad*, vel *juxta*. Joſ. X, 16. Judic. I, 4. VIII, 6.
ב præpoſitionis Ellipſis. 1. Sam. XV, 32. 2. Sam. XXIII, 1, 3.
ב pro *poſtquàm*. Joſ. V, 4. 1. Reg. XVIII, 1.
בא שנה quid ſit. 2. Reg. XIV, 20.
בוש *morari*. Jud. V, 28.
בכאים *mori*, aut *pyri*. 2. Sam. V, 23.
בינים in phraſi איש הבנים *vir medietatum* quid ſignificet. 1. Sam. XVII, 4.
בעט *calcitravit*, aut *calcavit*. 1. Sam. II, 29.
ברא *condidit* ſibi ſedem. Joſ. XVII, 15.
ברברים אבוסים *electiſſima ſaginatorum*. 1. Reg. IV, 23.
ברגליו, *cum eo*. Jud. V, 15. 1. Sam. XV, 16, 17.
בתוך *inter*. Joſ. XIII, 9.

ג.

גבים gabbim, *modioli rotarum*. 1. Reg. VII, 33.
גבים gebim *trabes*. 1. Reg. VI, 9.
גדוד pro *latronum globo*. 1. Sam. XXX, 8. 2. Sam. III, 22.
גואל *vindex*, quis diceretur. Ruth. II, 20.
גודרים *cæmentarii* 2. Reg. XXII, 6.
גזבר *gazæ* ſeu *ærario præfectus*. Eſdr. I, 8.
גזית ſubaudito אבן, *lapis cæſus*. 1. Reg. VI, 36.
גפן nomen commune *viti* & pluribus arbuſtis. Jud. XIII, 14.
גרם gerem, *pars ſumma graduum*. 2. Reg. IX, 13.
גרף *devolvit*. Jud. V, 21.

ד.

ד & ר à Librariis confuſa. 2. Reg. XVI, 6.
דבקים *commiſſuræ thoracis*. 1. Reg. XXII, 34.
דביר unde dictum *Adytum*. 1. Reg. VI, 19.
דום *conſiſtere*. Joſ. X, 12.
דר dar, *margarita*. Eſth. I, 7.
דרך *aliquo modo*. 1. Sam. XX, 5.

ה.

הבלים *falſi Dii*. 1. Reg. XVI, 13.
השיב אשה *duxit uxorem*. Eſd. X, 19. Nehem. XIII, 23.
החרים *intervertere rem devotam*. Joſ. VI, 18.
היכל pro toto *ambitu atrii*. 1. Sam. III, 3.
הכין *certiùs cognovit*. 1 Sam. XXIII, 32.
הכין לב *animum adpulit*. 1. Sam. VII, 3.
הלולים *convivia*. Jud. IX, 27.
העמיד *conſervavit*. 1. Reg. XV, 4.
הקשה לשאול *rem difficilem petiit*. 2. Reg. I, 7.
הריפות *grana contuſa*. 2. Sam. XVII, 19.
השים על העיר *machinas urbi admovere*. 1. Reg. XX, 12.
השכיל *proſperè egit*, ſubaudito nomine. Ibid. 7.
התחתן *adfinitatem ambiit*. 1. Sam. XVIII, 21.
התערב *ſponſionem fecit*. 2. Reg. XVIII, 23.

I N D E X

התפלל *canticum cecinit.* 1.Sam.II, 1.
התקדש propriè *mundare*, *purgare.* 2.Sam.XI, 4.

ו.

ו abundat. Jud.X, 10.
ו *aut.* Joſ.XVII, 11.
ו perinde ac & *præſertim.* Joſ.XXIV, 3.
ו *quamvis.* Ruth.I, 13.
ו ſupplendum. Jud.III, 2.
ו omiſſum. Jud.X, 18.
ואתם *ad vos quod adtinet.* Joſ.XXIII, 9.

ז.

זבח *convivium.* 1.Sam.XVI, 3.
זונה *meretrix*, an *cauponaria mulier.* Joſ.II, 1.
זן *ſpecies*, pro Aromate. 2.Ephem.XVI, 14.

ח.

חבל נביאים *reſtis prophetarum* quid. 1.Sam.X, 5.
חבלא *contagio.* Eſd.IV, 22.
חג *hoſtia* feſti. 2.Ephem.XXX, 22.
חדוה *lætitia* 1.Ephem.XVI, 27.
חוחים *ſaltus.* 1.Sam.XIII, 6.
חונן לי *condona mihi.* Jud.XXI, 22.
חח *annulus*, vel *hamus.* 2.Reg.XIX, 28.
חיל *divitiæ.* Ruth.II, 1. IV, 11.
חיל in hac loquutione בן חיל *vir probus.* 1.Reg. I, 52.
חרי יונים *ciceres.* 2.Reg.VI, 25.
חכם pro *callido.* 2.Sam.XII, 3.
חלם *ſermones miſcere.* 1.Reg.XX, 32.
חמושים *expediti*, cur dicti. Joſ.I, 14.
חמש hhomeſch, *regio* notharum coſtarum. 2.Sam. II, 23.
חנק *ſtrangulare.* 2.Sam.XVII, 23.
חסד *beneficentia* in quoſvis. Ruth.III, 10.
חצי *pars altera*, potiuſquàm dimidia. Joſ.X, 13.
חצץ *collidit ſe.* Jud.V, 11.
חרש pro בחרש *in ſilentio*, *clam.* Joſ.II, 1.
חרשים *fabri* lignarii. 2.Reg.XXII, 6.
חשה *ſiluit*, *abſtinuit.* 1.Reg.XXII, 3.
חשיף *hinnulus.* 1.Reg.XX, 27.
חשך *cohibere.* Eſd.IX, 3.
חשקים hhiſchukim, *canthi rotarum.* 1.Reg.VII, 33.
חשרים hhiſſchurim, *radii rotarum.* 1.Reg.VII, 33.

ט.

טוב *pulcher.* 1.Sam.IX, 1.
טמן *deſodere* Joſ.VII, 22.
טעם *vultus.* 1.Sam.XXI, 13.
בעל טעם *conſiliarius.* Eſd.IV, 9.
טרי *recens.* Jud.XV, 15.

י.

יאל *adquieſcere* in re quapiam. Joſ.VII, 7.
יבב *exclamare.* Jud.V, 28.
יד pro *loco*, vel *area.* 2.Sam.XVIII, 17.
יד *monumentum* 1.Sam.XV, 12.
על ידי דויד *ex inſtituto Davidis.* Eſd.III, 10.
ידות jadoth, *axes rotarum.* 1.Reg.VII, 32.
יובל *buccinator.* Joſ.VI, 5.
יודיע *exemplum ſtatuit.* Jud.VIII, 13.
יחמור *Antholops.* 1.Reg.IV, 23.
ילד non *generare* tantùm, ſed & *parere* ſignificat. Ruth.IV, 15.
ירש *poſſidere* ſimpliciter. Joſ.I, 14.
יתחפש *mutavit habitum.* 1.Sam.XVIII, 8. 1.Reg.XX, 38. XXII, 30.
יתרים *vimina.* Jud.XVI, 7.

כ.

כ veritatis. Nehem.VII, 2.
כביר העזים *villi caprarum.* 1.Sam.XIX, 13.
כדת *modicè.* Eſth.I, 9.
כהנים *principes.* 2.Sam.VIII, 18. 1.Reg.IV, 5.
כהנות *claſſes ſacerdotales.* 1.Sam.II, 36.
כי abundat. 2.Reg.XXIII, 22.
כי *ideò*, aut *propterea.* 1.Sam.II, 24. 2.Sam. XIV, 26.
כי *cùm.* 1.Sam.XXVI, 20.
כי *imò ſi.* Ruth.I, 12.
כי *ita ut.* Jud.XX, 39.
כי pro כי אם *quàm ſi.* 1.Sam.XXVII, 1.
כי quamvis. Joſ.XIV, 12. XVII, 18. Ruth.I, 13. 2.Sam.II, 7.
כי *quandoquidem.* 1.Reg.VIII, 36.
כי *ſed.* 1.Reg.XV, 4.
כי pro *ſi.* 2.Sam.XVI, 10.
כי pro *ut.* 2.Sam.XXV, 28.
כי אם *tametſi.* Ruth.III, 12.
כידון *clypeus.* Joſ.VIII, 18.
כלבך *ſponte tuâ.* 2.Sam.VII, 20.
כלה *res decreta.* 1.Sam.XX, 33.
כלתה רעה *decretum eſt malum.* 1.Sam.XX, 7.
כמרים idolorum Sacerdotes. 2.Reg.XXIII, 5.
כן *firmum.* Eſth.I, 14.
כנוה ſocietas Præfectorum Perſarum ad occaſum Euphratis. Eſd.IV, 7.
כענת & *cetera.* Eſd.IV, 10.
כפר *pretium* quo malum quodpiam redimitur. 1.Sam.XII, 3.
כפורים *ſcyphi tecti.* 1.Ephem.XXVIII, 17.
כרים *agni*, aut *cameli.* 1.Sam.XV, 9.
כרכר *ſaltavit.* 2.Sam.VI, 14.
כרמל *nemus.* 2.Reg.XIX, 23.
כרע *genua flexit.* 1.Sam.IV, 19.
כרע *miſer factus eſt* metaphoricè Jud.XI, 35.
כרפס *carbaſus.* Eſt.I, 6.
כרתות ſubaudiendo לחות *tabulæ dolatæ.* 1.Reg. VI, 36.
כתנת פסים *ſtola polymita.* 2.Sam.XIII, 16.

ל.

ל omiſſum ante מספר, pro למספר *pro numero.* 1.Sam.VI, 18. Vide & XIII, 8.
ל ſupplendum. Joſ.VI, 24.
ל *de.* Jud.IX, 54.
ל *propter.* 1.Reg.X, 1.
ל *ut*, ex eventu intelligendum. Eſd.X, 10.
ל in hac voce למלא, *ut impleret.* 1.Reg.II, 27.
לאמר *quod perinde erat ac ſi dixiſſent.* 2.Sam. V, 7.
להקת הנביאים *cœtus Prophetarum.* 1.Sam.XIX, 20.
לוית lojoth, *additamenta.* 1.Reg.VII, 29.
לולים *gradus cochleares.* 1.Reg.VI, 7.
לחם in Niphal *hoſtili animo eſſe.* Joſ.XXIV, 9, 11.
לחם *bellum.* Jud.V, 8.
לחם pro *convivio.* 1.Sam.XX, 24, 27.

לחם

לחם תמיד *panis perpetuus* quid. 2. Reg. XXIV, 29, 30.
לכם abundat, ut ſæpe לך. 2. Sam. XVI, 20.
למען *propterea*. 1. Reg. VIII, 40.
לפידים *faces*. Jud. VII, 16. tædæ. Jud. XX, 14.
לפת *contrectare*. Ruth. III, 8.
לשון *ſinus*. Joſ. XV, 2.

מ.

מ prætermiſſum initio vocis חמישים, pro מחמישים *è quinquaginta*. 1. Sam. VII, 19.
מבין *magiſter*. Eſd. VIII, 16.
מגרעות *diminutiones*. 1. Reg. VI, 6. quid in Templo Salomonis eſſent. Ibid.
מדבר, *certa de cauſa*. Joſ. XXII, 24.
מדה middah, *tributum*. Neh. V, 4.
מדים *veſtes*. Jud. III, 16.
מדין *tribunal*. Jud. V, 10.
מדרש *liber*. 2. Ephem. XIII, 22.
מועד *tempus præſtitutum* quam variè ſit verſum ab Antiquis. 1. Sam. IX, 24.
מועד pro hoſtia feſti. 2. Ephem. XXX, 22.
מופז *aurum purum*. 1. Reg. X, 18.
מהיר *eruditus*. Eſd. VII, 6.
מזלות *ſigna Zodiaci*. 2. Reg. XXIII, 5.
מזכיר *à commentariis*. 2. Sam. VIII, 16.
מחלפות *crines conferti*. Jud. XVI, 13.
מטפחת *velum*. Ruth. III, 15.
מטרה *ſcopus*. 1. Sam. XX, 20.
מכלל *maledicta ſibi contrahens* ab aliis. 1. Sam. III, 13.
מכתש rotunda *cavitas*, in terra. Jud. XV, 19.
מלמעלה החרס *ante ortum ſolis*. Jud. VIII, 13.
מלתחה *veſtiarium*. 2. Reg. X, 22.
ממנו *ex animo*. 1. Reg. XX, 32.
מן interdum *ad*. Jud. VII, 3.
מן *cùm*, vel *quia*. 2. Sam. XIV, 13.
מן *poſt*. Jud. XIV, 8. XV, 1.
מן *ultra*. 2. Ephem. XX, 1.
מן ſupplendum. 1. Reg. XX, 30. 2. Reg. V, 2. XVI, 17.
מנוחה pro במנוחה, *in quiete*, hoc eſt, otioſè. Jud. XX, 43.
מנות *partes* è convivio. Eſth. II, 9. IX, 19. Neh. VIII, 10.
מנהרות *ſpeluncæ*, luce illuſtratæ. Jud. VI, 2.
מנענעים *cymbala*. 2. Sam. VI, 5.
מס *tributum* & multitudo hominum operam, pecuniæ loco, navantium. 1. Reg. V, 13.
מסגר maſger, *mercator*. 2. Reg. XXIV, 14.
מסדרון *porticus*. Jud. III, 22.
מסכת *ſtamen*. Jud. XVI, 13.
מסלה *via* exaggerata, non ſemita. Jud. XX, 32.
מעבה האדמה mahabeh haadama, *terra argilloſa*. 1. Reg. VII, 46.
מעגלה propriè *ambitus plauſtrorum*, impropriè *vallum*. 1. Sam. XVII, 18. XXVI, 5.
מעלות *gradus*, aut lineæ Horologii Sciotherici. 2. Reg. XX, 9.
מעיל *ſtola* muliebris *ſuperior*. 2. Sam. XIII, 18.
מענה certum agri ſpatium. 1. Sam. XIV, 14.
מערה mahareh, *gramineus campus*. Jud. XX, 33.
מערכה *vallum*. Jud. VI, 26.
מערכות *acies*. 1. Sam. XVII, 23, 48.
מפורש *diſtinctè*. Nehem. VIII, 8.
מפלצת *horrendum ſimulacrum*. 1. Reg. XIV, 13.
מפרצים *præruptæ rupes*. Jud. V, 17.
מפשעה *podex*. 1. Eph. XIX, 4.
מצא *invenire* pro eo quod eſt ſufficientem habere. Joſ. XVII, 5.
מצב *agger*. Jud. IX, 6.
מצדות *loca munita*. Jud. VI, 2.
מצוקים *baſes*. 1. Sam. II, 8.
מצלתים metſilthajim, *cymbala*. 1. Ephem. XV, 19, 28. XVI, 5.
מצור Ægyptus. 2. Reg. XIX, 24.
מקוה mikveh, *tela*. 1. Reg. X, 28.
מקנה *mikneh*, vox ambiguitatis ejuſdem ac *pecunia*. 2. Reg. III, 4.
מקצות perinde eſt ac מן. 1. Reg. XII, 31.
מקרא *lectio*. Neh. VIII, 8.
מר נפש *amarus animo*, cui ſors ſua diſplicet. 1. Sam. XXII, 2.
מרבק cur עגל מרבק *vitulus ſaginatus* dicatur. 1. Sam. XXVIII, 24.
מריא *bubalus*. 2. Sam. VI, 13.
מרכבה *currus* dicti Cherubi arcam tegentes. 1. Ephem. XXVIII, 18.
משא pro *debito*. Neh. X, 32.
משא *quidquid ore profertur*. 2. Reg. IX, 25.
משא *pronunciatio* vocum canendarum. 1. Ephem. X, 22.
משך *tubâ tractim cecinit*. Jud. IV, 6.
משכיל *canticum* eruditum. 2. Ephem. XXX, 22.
משכלת *ſterilis* de terra. 2. Reg. II, 19.
משל *ſummam poteſtatem obtinere*. Jud. VIII, 22.
משל *ſententia*, quid proprie ſignificet. 1. Reg. IV, 32.
משנים *pingues*, aut *cameli*. 1. Sam. XV, 9.
משקלת miſchkoleth, *perpendiculum*. 2. Reg. XXI, 13.
משפט *conſuetudo*. 1. Sam. II, 13. VIII, 9.
משפט *habitus*. 2. Reg. I, 7.
משפט *vitæ inſtitutum*. Jud. XIII, 12.
משפט *quod jure petitur*. 1. Reg. VIII, 45, 49.
כמשפט rite. 1. Ephem. XV, 13.
משרפות מים *aquæ calidæ*. Joſ. XI, 5.
משרת *miniſter*, non *ſervus*. Joſ. I, 1.
מתנקש *qui laqueum tendit*. 1. Sam. XVIII, 9.
מתפרץ *fugitivus*. 1. Sam. XXV, 10.

נ.

נאמן de familia, quid ſit. 2. Sam. VI, 16.
נבוכה *anxia*. Eſth. III, 15.
נביא *propheta*, vocis origo. 2. Reg. V, 8.
נביא *propheta*, vox aliquando minùs uſitata. 1. Sam. IX, 9.
נבלה *nefas*. Joſ. VII, 15. Jud. XX, 6. 2. Sam. XIII, 12, 13.
נגע לבב *vulnus animi*, pro delicto. 1. Reg. VIII, 38.
נוקד *pecuarius*. 2. Reg. III, 2.
נחשת *æs* pro *ferro*. 2. Sam. XXII, 35.
נכותה *theſaurus*. 2. Reg. XX, 13.
נפרץ *copioſus*. 1. Sam. III, 1.
אל נפשו *vitæ ſuæ causâ*. 1. Reg. XIX, 3. 2. Reg. VII, 7.
נשכה pro לשכה *conclave*. Neh. III, 30.
נשא בו אלה *detulit ei jusjurandum*. 1. Reg. VIII, 31.
נתן *permittere*, *ſinere*. 1. Reg. XXII, 23.
נתן בלשכה *præfectus conclavi*. Nehem. XII, 4.

ס.

סגנים *ſummates*. Neh. II, 16.
סגור de auro dictum puriſſimum ſignificat. 1. Reg. VII, 49.

כרין *Sindon.* Jud. XIV, 12.
כחיש *ſponte natum.* 2. Reg. XIX, 29.
כחרת *gemma.* Eſth. I, 7.
ככיים *Troglodytæ.* 2. Ephem. XII, 3.
סעיף *vertex.* Jud. XV, 8.
ספיח *ſponte natum.* 2. Reg. XIX, 29.
ספן ſiphun, *contignatio.* 1. Reg. VI, 15.
ספר *litteræ* & quodvis ſcriptum. Eſter. IX, 14, 30.
סרנים *præfecti.* Joſ. XIII, 3.

ע.

עבודה *cultus terræ.* Nehem. X, 38.
עברה *πορθμεῖον* 2. Sam. XIX, 18.
עגן *claudere.* Ruth. I, 13.
עגת רצפים *placenta prunarum*, quæ coquitur in prunis. 1. Reg. XIX, 6.
עד *quinimo.* 1. Sam. II, 5.
עד אשר *uſque adeò.* Joſ. XVII, 14.
עד כה ועד כה *continuò.* 1. Reg. XVIII, 45.
עין *limis adſpexit*, præ invidia. 1. Sam. XVIII, 9.
עיר מתום *urbs integra.* Jud. XX, 48.
עכר *terrorem injicere.* Joſ. I, 18.
על *cum.* 1. Sam. XIV, 32.
על officium ſignificat. Eſd. X, 4, 10.
על & אל miſcentur. 2. Sam. VII, 19.
עם אלהים *cum Deo*, pro eo quod eſt Deo favente. 1. Sam. XIV, 45.
עם לבב *in animo.* Joſ. XIV, 7.
עפלים *mariſcæ.* 1. Sam. V, 6.
עצבים *Dii gentium.* 1. Sam. XXXI, 9.
עצי שמן *ligna olei*, quæ. 1. Reg. VI, 23.
עצר *jus coërcendi.* Jud. XVIII, 7.
עקב *calcaneus*, pro parte inferiore. Joſ. VIII, 13.
ערך בגדים *apparatus veſtium.* Jud. XVII, 11.
ערבה *pignus.* 1. Sam. XVII, 18.
עשה *facere* pro conſtituere. 1. Sam. XII, 6.

פ.

פוקה *angor animi.* 1. Sam. XXV, 31.
פחזים *petulantes.* Jud. IX, 4.
פך unde ita dictum vas quo oleum continebatur. 1. Sam. X, 1.
פליא *occultus.* Jud. XIII, 18.
פלטים *fugitivi.* Jud. XI, 4.
פלך phelech, *pars urbis.* Neh. III, 9.
פלל *expiavit*, aut *judicavit.* 1. Sam. II, 24.
פלני אלמני *ὁ δεῖνα.* Ruth. IV, 1.
פני המלך *facies Regis*, pro ipſo Rege. 2. Sam. XVII, 15.
פקד *deſiderare.* 1. Sam. XX, 6.
פקעים *colocynthides.* 1. Reg. VI, 18.
פר השור *juvencus taurus* quid. Jud. VI, 25.
פרבר *ſuburbium*, ſecundùm multos. 1. Ephem. XXVI, 18.
פרזון *villa.* Jud. V, 7.
פרע *liberavit.* Jud. V, 2.
פרץ *raptura* pro ſtrage. Jud. XXI, 15.
פרשדון *pars poſtica.* Jud. III, 17.
פרשת כסף *ſumma argenti.* Eſth. IV, 7.
פשט *irruit.* Jud. IX, 33.

צ.

צבט *porrexit.* Ruth. II, 14.
צבתים *faſces* frugum. Ruth. II, 16.
צדה *venatus eſt*, *quæſivit.* 1. Sam. XXIV, 12.
צדים *retia.* Jud. II, 3.
צדיק *innocens*, ubi reo opponitur. 2. Sam. III, 11.
צדקה *beneficium.* 1. Sam. XII, 7.
צוה *promulgavit edictum.* Joſ. I, 11.
צחורות *variæ*, nempe, aſinæ. Jud. V, 10.
צלעות *tabulæ*, quibus latera ædium teguntur. 1. Reg. VI, 15.
צלצלים *ſiſtra.* 2. Sam. VI, 5.
צלח in Kal *inſilire.* Jud. XIV, 6.
צמקים *uvæ paſſæ.* 1. Sam. XXV, 18. XXX, 12.
צעצעים artifices qui ſculptum lignum auro tegebant. 2. Ephem. III, 10.
צר *æmulus, inimicus.* 1. Sam. II, 32.
צרים *concitantes.* Jud. IX, 31.
צריח *locus munitus.* 1. Sam. XIII, 6.

ק.

קדשים *cynædi* Diis ſacri. 1. Reg. XIV, 24. 2. Reg. XXIII, 7.
קופים *ſimiæ.* 1. Reg. X, 22.
קו *libella.* 2. Reg. XXI, 13.
קורא *gallinago.* 1. Sam. XXVI, 20.
קטני *katonni*, pro אצבעי הקטן *digitus meus parvus.* 1. Reg. XI, 10.
קיץ *ficus ſiccæ.* 2. Sam. XVI, 1.
קיר *medium.* Joſ. II, 15.
קלי *lens toſta.* 2. Sam. XVII, 28.
קלי *polenta.* Ruth. II, 14.
קלקלות *viæ admodum tortuoſæ.* Jud. V, 6.
קצר נפש *deſiit ira.* Judic. X, 16. *tædium crevit.* Ib. XVI, 16.
קשב *animadverſio*, ſeu vitæ ſignum. 2. Reg. IV, 31.
קשה יום *durus die*, pro miſero. 1. Sam. I, 15.
קשת רוח *dura ſpiritus*, pro mœſta. 1. Sam. I, 15.

ר.

רב לכם מעלות, *nimium eſt vos ire.* 1. Reg. XII, 28. XIX, 7.
רב סרים *præfectus Eunuchorum.* 2. Reg. XVIII, 17.
רב שקה *præfectus pincernarum.* 2. Reg. XVIII, 17.
רואה *ſpeculator.* 2. Sam. XV, 27.
רוח *ſpiritus*, pro *fiducia.* Joſ. V, 1.
רך *infirmus*, de Rege nondum ſatis confirmato. 2. Sam. III, 39.
רכלים quivis *mercatores.* Neh. III, 31.
רכש *veredus.* 1. Reg. IV, 28.
רעם *fremere.* 1. Sam. I, 6.
רתם rothem, *geniſta.* 1. Reg. XIX, 4.

ש.

שבץ *lorica.* 2. Sam. I, 9.
שבר *alimentum.* Neh. X, 32.
שוב *redire* ad cultum veri Dei. 1. Reg. VIII, 33.
שוה *penſavit.* Eſth. VII, 4.
שוכת עצים *faſciculus lignorum.* Joſ. IX, 48.
שחה in Hithpaël ambiguum, nam humiliorem & minùs humilem corporis ſalutationem ſignificat. 1. Reg. I, 19.
שחק *ſaltavit.* 2. Sam. VI, 21.
שחור *Nilus.* Joſ. XIII, 3.

שטן

שטן *inimicus*. 1. Ephem. XXI, 1.
שיג *occupatio*. 1. Reg. XVIII, 24.
שיח *meditatio*. 1. Reg. XVIII, 27.
שימה *res decreta*. 2. Sam. XIII, 32.
שלישים *trichorda*. 1. Sam. XVIII, 6.
שלום, qua voce utebantur interdum, qui nolebant dicere quid rei agerent. 2. Reg. IV, 23.
שלום pro בשלום *in pace*, incolumis. 1. Sam. XXV, 6.
שלש ſchilleſch *pervenit ad tertium diem*. 1. Sam. XX, 19.
שמע *audire & intelligere*. 1. Reg. III, 9.
שמיכה *integumentum*. Jud. IV, 18.
שמר *meminit*. Joſ. 1, 7.
שנהבים *dentes Elephantum*. 1. Reg. X, 22.
שסע in Pihel, *compeſcere*. 1. Sam. XXIV, 8.
שעירים *Dæmones*. 2. Ephem. IX, 15.
שפעה *multitudo*. 2. Reg. IX, 17.
שפות בקר *caſei bubuli*. 2. Sam. XVII, 29.
שרש *radix*, pro origine generis. Jud. V, 14.
שרשו ſchroſchou, *exſilium*. Eſd. VII, 26.
שש *marmor*. Eſth. I, 6, 7.
שתים *bis*, 1. Sam. XVIII, 21.

ת.

תבאתי *veniſſes*, forma ſecundæ futuri paullò infrequentior. 1. Sam. XXV, 34.
תבוכה *ſecuritas*. 2. Ephem. XXII, 7.
תודה *chorus laudantium*. Nehem. XII, 31.
תודה *confeſſio*. Eſd. X, 11.
תהו *res inanes*. 1. Sam. XII, 21.
תועה *everſio*. Neh. IV, 8.
תכיים *pavones*. 1. Reg. X, 22.
תכריך *tiara*. Eſth. VIII, 15.
תמים de tempore *exacto*. Joſ. X, 13.
תנה *prædicare*. Judic. V, 11. *alloqui*. Ibid. XI, 40.
תקוה *textum*. Joſ. II, 18.
תרשתא Præſes Judæorum nomine Perſarum Regis. Eſd. II, 63.

FINIS.

INDEX II.

LOQUUTIONUM ET RERUM

MEMORABILIUM.

A.

A*Bana* Damaſcenæ fluvius. 2. Reg. V, 12.
Abela vinearum. Jud. VII, 22. XI, 33.
Abluere pedes ſolebant peregre redeuntes. 2. Sam. XI, 8.
Abſalomi cæſariei pondus examinatum. 2. Sam. XIV, 26.
Achaſuerus vir Eſtheræ quis fuerit. Eſth. I, 1. auxit tributa. *Ibid.* X, 1.
Achia, aut *Achimelech* Sacerdos. 1. Sam. XIV, 3.
Acſaphi ſitus. Joſ. XI, 1.
Adam, nomen urbis ad Jordanem. Joſ. III, 16. & Nephthaliticæ Tribûs. *Ib.*
Adami urbs. Joſ. XIX, 33.
Adjurare quid apud Hebræos. 1. Sam. XXV, 26.
Adorare, poſt quod ſupplendum *Deum*. Jud. VII, 15.
Adorabantur homines honorati, & Angeli etiam. Joſ. V, 14. 1. Sam. II, 34.
Adprehendere Deus quam dicatur. Joſ. VII, 14.
Adſcendere ad cœlum clamor dicitur, qui maximus eſt. 1. Sam. V, 12.
Adummimorum adſcenſus. Joſ. XV, 7.
Ægypti probrum, præputium. Joſ. V, 9.
Ægyptus, unde ſic dictus Nilus & regio adjacens. Joſ. XIII, 3.
Ænigmata propoſita in conviviis. Jud. XIV, 12. & aliàs viris ſapientibus. 1. Reg. X, 1.
Ænigmatibus ſe invicem explorabant Orientales. 1. Reg. X, 1.
Ærarium ſacrum. Joſ. VI, 24.
Æs ſplendens quodnam vocetur. Eſd. VIII, 27.
Agnoſcere aliquem, pro eo quod eſt probare ejus mores. Ruth. II, 10.
Ahava fluvius quis. Eſd. VIII, 15.
Aialon Danica & Zabulonitica. Joſ. X, 12. Jud. XII, 12.
Alæ venti currus Dei. 2. Sam. XXII, 11.
Ala, ſub alis Dei confidere. Ruth. II, 12.
Alam extendere ſupra aliquam quid. Ruth. III, 9.
Almuggina ligna quæ. 1. Reg. X, 11.
Altare an dictum *Jehova pacis.* Jud. VI, 24.
Altaria inſtar aſyli. 1. Reg. I, 50.
Anathema, nunc latiùs, nunc arctius ſumitur. Joſ. VI, 17.
Angelorum arma. 1. Ephem. XXI, 27. qui conſpicui fiebant vultus qualis. Jud. XIII, 6.
Animam in manu ponere, quid. Judic. XII, 3. 1. Sam. XXVIII, 21.
Animus Deo magis placet, quàm rituum obſervatio. 1. Sam. XV, 22. 1. Eph. XXIX, 17.
Animi immortalitas apud Orientales credita. 1. Sam. XXVIII, 7.
ANALOGIA in derivationibus non ſemper ſervatur. Jud. XII, 5. 1. Sam. I, 16.
ANOMALIÆ ex librariorum incuria natæ. 1. Sam. XV, 23. 2. Sam. XXII, 40. 2. Reg. VII, 11. XIX, 21.
Apes an naſcantur ex putredine. Jud. XIV, 8.
Apharſechæi qui. Eſd. V, 8.
Apheka ubi. Joſ. XIII, 4.
Apheka duplex. 1. Sam. XXIX, 1.
Aphek Tribûs Judæ. 1. Sam. IV, 1.
Apologorum mos antiquiſſimus. Jud. IX, 7.
Apologus memorabilis. 2. Reg. XIV, 9. *& ſeqq.*
Apparitionis Dei ac Angelorum diſcrimina. 1. Reg. XVIII, 12.
Aqua & telum juxta dormientes milites. Neh. IV, 23.
Aquam effundere coram Deo, quid ſignificet. 1. Sam. VII, 6.
Aram-beth-Rechob ubi fuerit. 2. Sam. X, 6.
Arama, ubi. Jud. IX, 41.
Arca, quid in ea ſervaretur. 1. Reg. VIII, 9.
Archi-atarotha. Joſ. XVI, 2.
Archita civis urbis Archi-hataroth. 2. Sam. XV, 32.
Armatura cataphracti qualis. 1. Sam. XVII, 5.
Armis parum inſtructi Orientales. 1. Sam. XIII, 22.
Arphad urbs Damaſcenæ. 2. Reg. XVIII, 34.
Artaxerxis Longimani duplex initium. Eſd. VII, 1.
Aſer locus ad Jordanem. Joſ. XVII, 7.
Aſino vehi olim honeſtum. Jud. V, 10.
Aſnapphar quis. Eſd. IV, 10.
Aſſuerus Vide *Achaſuerus.*
Aſſyrii jactabant ſe Ægyptum feciſſe. 2 Reg XIX, 25.
Aſſyrii vicerunt Babylonios. 2. Reg. XV, 19, 29.
Aſtharoth, ubi ſita. Joſ. XII, 4.
Aſtartha Dea quæ & unde dicta. Jud. II, 13.
Aſuritæ, populus ad ortum Jordanis. 2. Sam. II, 8.
Auditus, vel *auditio* pro imperio. 1. Sam. XXII, 14.
Avertere faciem perinde ac mutato vultu eſſe. 1. Reg. XXI, 4.
Aulæa Perſarum. Eſth. I, 6.
Aures tinnire dicuntur attonitis. 1. Sam. III, 11.
Aznoth-Thabor, ubi. Joſ. XIX, 34.

B.

B*Abylonicorum* principes qui. 2. Ephem. XXXII, 30.
Bacharim ubi. 2. Sam. III, 16.
Bahal nomen commune Numinis. Jud. II, 11, 13.
Bahalis Prophetæ cur occiſi ab Elia. 1. Reg. XVIII, 40.
Bahal-berith, quodnam Numen. Jud. VIII, 33.
Bahala ubi ſita. Joſ. XV, 9.
Bahales Judæ, aut *Bahalathah.* 2. Sam. VI, 2.
Bahale mons Joſ. XV, 11.
Bahal-gad ſub Antilibano. Joſ. XI, 17.
Bahal-pheratſim ubi. 2. Sam. V, 20.
Bahal-thamar, ubi fuerit. Jud. XX, 33.
Bahal-zebub quis Deus. 2. Reg. I, 2.
Bamoth-Bahal ubi. Joſ. XIII, 13.
Barbam promittebant veteres Hebræi. 2. Sam. X, 4.
Bedan, liberator Iſraelis, quis. 1. Sam. XII, 11.
Beera urbs, ubi. Jud. IX, 21.
Beerotha ubi. 2. Sam. IV, 2.
Beerſeba an differat à Seba. Joſ. XIX, 2.
Benedicere victimæ quid ſit. 1. Sam. IX, 13.
Benedictionem facere cum aliquo quid. 2. Reg. XVIII, 31.
Berodach-Baladan, quis. 2. Reg. XX, 12.
Bathi capacitas. Eſd. VII, 22.
Beth-haraba, urbs in finibus Benjaminis & Judæ. Joſ. XV, 6.
Bethaven locus ad occaſum Michmaſi. 1. Sam. XIV, 23.
Beth-Bahal-Mehon ubi. Joſ. XIII, 17.
Beth-bara, nomen urbis. Jud. VII, 24.
Beth-cherem ubi. Neh. III, 14.
Beth-chogla, urbs Benjaminitica. Joſ. XV, 6.
Beth-choronis geminæ ſitus. Joſ. IX, 10. XVI, 5.
Bethel propriè ager Luzæ. Joſ. XVI, 2.
Bethelis ſitus. Joſ. VII, 2.
Beth-dagon ubi. Joſ. XIX, 27.

Beth-

Beth-baram ubi ſita, & unde dicta Julias. Joſ. XIII, 27.
Beth-jeſimoth, ubi ſita. Joſ. XII, 3.
Beth-Joab nomen loci. 1. Ephem. II, 54.
Beth-phebor urbs. Joſ. XIII. 20.
Beth-rechobenſis vallis. Jud. XVIII, 28.
Beth-ſaliſa ubi. 2. Reg. IV, 42.
Beth ſean, eadem ac *Scythopolis*. Joſ. XVII, 11.
Beth-ſeanita; qui *Ephraimitas* incurſare poſſent. Joſ. XVII, 16.
Beth-ſemes in tribu Judæ. Joſ. XV, 10. 1. Sam. VI, 9, 14.
Beth-ſitta ubi fuerit. Jud VII, 22.
Beth-tſor duplex. Neh. III, 16.
Betonim urbs Gaditarum. Joſ. XIII, 26.
Bezek ubi. Jud. I, 4. 1. Sam. XI, 8.
Bethron locus trans Jordanem. 29.
Bochim locus ubi. Jud. II, 1.
Bonum & Malum pro omnibus. 2. Sam XIV, 17.
Boves intractæ cur electæ ad trahendam arcam. 1. Sam. VI, 7, 12.
Buccinâ ſignificatio fiebat novi regni. 2. Sam. XV, 10.
Bul, menſis octavus. 1. Reg. VI, 38.
Byblus duplex. Joſ. XIII, 5.
Byſſi officinæ in Chananæa. 1. Eph. IV, 21.

C.

CAdavera interdum combuſta, certam ob cauſam. 1. Sam. XXXI, 11.
Cæci & claudi Dii gentium dicti. 2. Sam. V, 6.
Cæſariem & barbam vellere, in luctu ſolitum. Eſd. IX, 3.
Cæſaries viri quanti ponderis. 2. Sam. XIV, 26.
Calcare arcum, pro eo quod eſt tendere arcum. 1. Ephemer. V, 18.
Calceos detrahebant, reverentiæ causâ. Joſ. V, 15.
Cambyſes ab Hebræis *Achaſuerus* dictus. Eſd IV, 6.
Cantores & *Cantrices* in luctum adhibiti. 2. Eph. XXXV, 25. Eſd. II, 35.
Caprea Iſraëlis, epitheton viri pedibus celeris. 2. Sam. I, 19.
Caput initii præcoror. Neh XI, 17.
Caput populi pro primo loco inter populum. 1. Reg. XXI, 9.
Capiti manus imponere, luctûs ſignum. 2 Sam XIII, 19.
Caſtra Jehovæ, Templum 2. Eph. XXXI, 2.
Caſtra pro habitatione. Neh. XII, 30.
Catinus ferreus quid metaphoricè. 1. Reg. VIII, 51.
Cauponaria & meretrix ſæpe conjuncta. Joſ. II, 1.
Centeſima uſura. Neh. V, 11.
Chabor fluvius *Chaboras*. 2. Reg. XVII, 6.
Chabul urbs ubi. Joſ. XIX, 27.
Chabuſitis terra quæ. 1. Reg. IX, 13.
Chalach eadem, quæ Græcis *Chalachene*, ad ſeptemtrionem Aſſyriæ. 2. Reg. XVII, 6.
Chaldaicæ Linguæ incultus genius. Eſd. VI, 5.
Chaleb-Ephratha nomen loci. 1. Eph. II, 24.
Chalebas Kenizæus unde dictus. Joſ. XIV, 6.
Chalibbita quis. 1. Sam. XXV, 3.
Cham nomen Ægypti. 1. Ephem. IV, 40.
Chamatha Epiphania. 2. Sam. VIII, 9.
Chammath, ubi. Joſ. XIX, 36.
Chananæa propriè dicta terra ad occaſum Jordanis. Joſ. I, 2.
Chananææ deſcriptio, ut divideretur, qui facta fuerit. Joſ. XVIII, 1.
Chananææ diviſio quomodo facta. Joſ. XIV, 5. XVIII, 2.
Chananæis qui parcere poſſent Iſraelitæ. Joſ. IX, 7.
Chananæos cur non omnes Deus illico expulerit. Jud. III, 1.
Chananæus pro ſingulari familia Chananæorum Joſ. III, 10.
Chananæi nunc omnes, nunc quidam nominantur. Joſ. IX, 1.
Charad fons. Jud. VIII, 1.
Charchemiſium ubi & unde dictum. 2. Eph. XXXV, 20.
Charmelus mons in Aſeritarum finibus. Joſ. XIX, 26.
Charmelus Mons Judæ. 1. Sam. XV, 12.
Charoſetha gentium, ubi. Judic. IV, 2.
Chaſiphja pagus quis. Eſdr. VIII, 17.
Chatſôris ſitus. Joſ. XI, 1.
Chatſor recuperata à Chananæis Jud. IV, 2.
Chatſor-chadatha urbs. Joſ. XV, 25.
Cheber Kenæus. Jud. IV, 11.
Chebron, bis capta. Joſ. X, 36.
Chelkath ubi. Joſ XIX, 25.
Chelchath-hatſurim locus. 2. Sam. II, 16.
Chemos Deus Hammonitarum æquè ac Moabitarum Jud. XI, 24.
Chereſas mons. Jud. I, 35.
Cherekia ſilva ubi. 1. Sam. XXII, 5.
Cherethæi qui eſſent. 2. Sam. VIII, 18.
Cheſbon communis Rubenis & Gaditis. Joſ XIII, 26.
Cheſullotha ubi. Joſ. XIX, 18.
Chethib prælatum τῷ *Keri*. 2. Sam. XVII, 12. & *Keri* τῷ *Chethib*. Ib. 18, 23. Vide & XVIII, 20. XXI, 20.
Cherith torrens ubi. 1. Reg. XVII, 3.
Chetſron urbs. Joſ. XV, 3.
Chilias pro familia. Jud VI, 15.
Chinnerotha urbs. Joſ. XI. 2.
Chiſloth-thabor, ubi. Joſ XIX, 13.
Chitthæi pro quibuſvis Chananæis. Joſ. I, 4.
Chori capacitas. Eſd. VII, 22.
Chori canentium, & viciſſim ſibi reſpondentium. 1. Sam. XVIII, 6.
Churamus aurifaber Tyrius. 2. Eph. IV, 16.
Chuſan-riſhathajim Meſopotamiæ Rex Jud. III, 8.
Chuſitis Madianitis. 2. Reg. XIX, 9.
Chutha Metropolis *Cuſſia*, aut *Chuthia*. 2 Reg. XVII, 24.
Circumciſio in deſerta Arabia non obſervata. Joſ. V, 5.
Circumciſio ſecunda, tempore Joſuæ. Joſ. V, 2.
Circumstantia omiſſa ſuo loco in ſequentibus memorata. Joſ. XIV, 12. XXIV, 12. Jud. I, 1. II, 2. V, 4. VIII, 18. XIV, 7. 1. Sam. VI, 4. XXII, 10. 2. Sam. XI, 11. & ſæpe alibi.
Circumstantia neceſſaria à lectore ſupplenda interdum omittitur. Jud. VII, 6, 18. XII, 4. XIII, 19. 1. Sam. VIII, 11. XXX, 16. 2. Sam. IV, 9. 1. Reg. XIX, 19. & alibi.
Claudicare, pro contrariis opinionibus vicibus favere. 1. Reg. XVII, 19.
Clivus armamentarii Jeroſolimæ. Neh. III, 19.
Clypei olim uncti oleo. 2. Sam. I, 21.
Cœlum in quod tranſlatus eſt Elias quodnam. 2. Reg II, 11.
Cœlum cœli. 1. Reg. VIII, 27.
Cogitationes Deo eſſe notas. 1. Eph. XXVIII, 9.
Collis Dei, qui locus dictus. 1. Sam. X, 5.
Colligere animam, pro eo quod eſt mori. Jud. XVIII, 25.
Columnarum Templi altitudo variè tradita 2. Ephem III, 15.
Combuſtionis ſupplicium, apud Hebræos. Joſ. VII 25.
Complutenſis Codex refictus ad Hebraicum. Joſ. II, 15. III, 16. & alibi ſæpius.
Complutenſes verſionem *Aquilæ* cum LXX. Virali confuderunt. 2. Sam. I. 19.
Compositis Hebræi carent, & pro iis ſimplicibus utuntur. 2. Sam. III, 14.
Conclavia ſuperiora quamobrem quæſita. 1. Reg. XVII, 19. 2. Reg. IV, 10.
Connubia cum Gentilibus cur vetita. Eſd. IX, 3. Nehem. XIII, 26.
Connubia miſcere cum finitimis cœpit David. 2. Sam III, 2.
Conſcii animi anxietas. 1. Sam. XXV, 31.
Constructiones duras interdum habent Hebræi. 2. Sam. VII, 23.
Conſtructiones duræ multæ fortè Librariis debitæ. 1. Sam. XXV, 31.
Conturbare, pro timorem injicere. Joſ. VI, 18.
Convivia populis data. Eſth. I, 3.
Convivium conjunctum cum ſacrificio. 1. Sam. IX, 13.

Con-

Convocari ad Deum quo ſenſu dicerentur Hebræi. 1. Sam. X, 17.
Cor alloqui 2. Ephem. XXX, 22.
Cor & cor ſignificat inconſtantiam. 1. Ephem. XII, 33.
Coram Deo eſſe, pro eo quod eſt eſſe coram Arca. Joſ. XXIV, 1.
Coram Jehova, in loco in quo invocatus eſt Jehova. Jud. XX, 1.
Corvi an alimentum ad Eliam tulerint. 1. Reg. XVII, 4.
Cornu attolli dicitur iis quibus res ſecundiores ſunt. 1. Sam. II, 1.
Cornu extollere quid in miniſterio Levitarum. 1. Ephem. XXV, 5.
Cultu imperfecto placari ſe paſſus eſt Deus à Samaritis. 2. Reg. XVII, 33.
Currus, quanto numero ſolerent eſſe in exercitibus. 1. Sam. XIII, 5.
Curruum immodicus numerus. 1. Eph. XIX, 7.
Currus ferrati, ſed non falcati, in uſu apud Chananæos. Joſ. XVII, 16.
Curſores inter regios ſatellites. 1. Reg. XIV, 27.
Cymbalum & *Siſtrum* diverſa. 2. Sam. VI, 5.
Cyri initium duplex. Eſd. I, 1.

D.

Dabratha, ubi. Joſ. XIX, 12.
Dagon Philiſthæorum Deus. Jud. XVI, 23.
Darchmon cujus pretii eſſet. Eſdr. II, 69.
Dare manum pro eo quod eſt cedere. 2. Ephem XXX, 8.
Darius Hyſtaſpidis. Eſd IV, 5.
David, cur *Nabalem* cum familia exſtinguere ſtatuiſſet. 1. Sam. XXV, 22.
David ter unctus. 2. Sam. V, 3.
Davidis ſepulcra ubi. Nehem. III, 16.
Debira urbs, bis capta. Joſ. X, 38.
Decies pro ſæpiùs. Neh. IV, 12.
Dedicatio, qua in re ſita. Eſd. VI, 16.
Deſcendere & *adſcendere* confunduntur. Jud. XIV, 1. XV, 8, 13.
Deſertum Bethavenis. Joſ. XVI, 1. XVIII, 12.
Deſertum Judæ. Joſ. XV, 61.
Deus Deorum quis. Joſ. XXII, 22.
Deus quomodo Joſuam alloqueretur. Joſ. I, 1. VII, 10.
Deus magnus. Nehem. VIII, 6.
Deus neminem fallit. 1. Reg. XXII, 19. & ſeqq.
Deus nullâ ratione peccatorum eſt cauſa. 1. Sam. II, 12.
Deum pœnitere & *non pœnitere* quo ſenſu dicamus. 1. Sam. XV, 11, 29.
Deus ſcientiarum pro Deo omniſcio. 1. Sam. II, 3.
Deus quo modo *ſpiritum malum immittere* dicatur. Jud. IX, 23.
Deum etiam tyranni favere ſibi putant. 1. Sam. XXIII, 7.
Deum unum nomine plurali vocabant Phœnices. 1. Sam. IV, 8. VI, 2.
Deus in uno loco cur colendus, apud Hebræos. 1. Reg. VIII, 30.
Dibon Rubenitis & Gaditis communis. Joſ. XIII, 7.
Dii cur Deorum ſtatuæ ab Ethnicis vocarentur. Jud. XVIII, 24. 2. Reg. XIX, 18.
Deos conſpicuos fieri, amotâ nebulâ, putabant Ethnici. 2. Reg. VI, 17.
Dii montani ab Ethnicis crediti. 1. Reg. XX, 29.
Deos ſingulis terris peculiares ſuo modo colendos putabant Ethnici. 2. Reg. XVII, 26. XVIII, 33.
Deos Orientalium interpretari nominibus Deorum phyſicorum, aut Græcorum, tutum non eſſe. Jud. II, 13.
Dii, pro locis, aliis alii ſuperiores, ex ſententia Ethnicorum. 1. Reg. XX, 23.
à Diebus in dies, quotannis. 1. Sam. I, 1.
Dinæi qui. Eſd. IV, 9.
Dioxippi comparatio cum *Benaja*. 2. Sam. XXIII, 21.
Diſſentientes in Religionis negotio omne malè haberi non poſſe. 2. Ephem. XV, 13.
Domum ædificare pro eo quod eſt dare liberos. 2. Sam. VII, 11.
Domus collectionum quæ in Templo. 1. Ephem. XXV, 15.
Domus ligationis quæ. 2. Reg. X, 12.
Domus luci quæ dicatur. 2. Reg. XXIII, 7.
Domus tranſlationis quæ. 2. Reg. XI, 6.
Dor ubi. Joſ. XI, 2. XVII, 11.
Dux Templi quis diceretur. 1. Eph. IX, 15. Neh. XI, 11.
Duces exercitûs negotiis politicis ſæpe adhibebantur. 1. Ephem. XXV, 1.

E.

Ben-bohan filii Rubenis. Joſ. XV, 6.
Eben-bezer ubi. 1. Sam. IV, 1.
Edrehi, ubi ſita. Joſ. XII, 4. XIX, 38.
Effundere animum coram Deo quid. 1. Sam. I, 15.
Eliæ litteræ, ante mortem ejus, ut putant, ſcriptæ. 2. Ephem. XXI, 12. vel potius Eliſæi. *Ibid.*
ELLIPSIS membri poſterioris orationis. Joſ. II, 57.
ELLIPSIS aliquot verborum. Jud. VI, 22. VII, 10, 15, 18. XI, 24. XVIII, 1. 2. Sam. I, 18. V, 8. XIII, 16. 1. Reg. XVIII, 5. 2. Reg. VI, 11. VIII, 16. 2. Eph. IV, 11.
Elon-Thabor ubi. 1. Sam. X, 3.
Epha quot libras hordei contineret. 1. Sam. XVII, 17.
Ephemerides Regum Babyloniorum. Eſd. IV, 15.
Ephes-dammim. 1. Sam. XVII, 1.
Ephod pro omnibus ornamentis ſacerdotalibus. 1. Sam. XXIII, 6.
Ephodum facere interdum perinde eſſe ac *Sacerdotium inſtituere*. Jud. VIII, 27. refutatur hac de re *Spencerus*. *Ibid.*
Ephraimiturum ſilva, ad ortum Jordanis, 2. Sam. XVIII, 6.
Equis abundabat Ægyptus. 1. Reg. X, 28.
Equi ſoli conſecrati. 2. Reg XXIII, 11.
Eſar-chaddon, quintus Aſſyriorum Rex, cujus meminit Scriptura. 2. Reg. XIX, 37.
Eſdræ ætas & itinera. Eſd. VII, 1. Nehem. XIII, 28.
Eſthahel ubi. Joſ. XIX, 42.
Eſthemo urbs. Joſ. XV, 50.
Ethan, *Heman*, *Chalchol* & *Darda* viri ſapientes. 1. Reg. IV, 31.
Ethanim menſis ſeptimus. 1. Reg. VIII, 2.
Ethnici interdum de Deo Iſraëlis non malè loquuntur. 2. Ephem. II, 11. XXXVI, 23. Eſd. VII, 23.
pro Ethnicis ſacra facere Judæis licuit. Eſd. VI, 10.
Euſebii errores, in libro de locis Hebraicis. Joſ. XIX, 51. XXIV, 33. Jud. VIII, 11.
Excelſa loca etiam ſub piis Regibus licita. 1. Eph. XVI, 39. & alibi.
Exercitus Hebræorum quanti. Joſ. VIII, 3.
Exire pro progredi, ubi de finibus ſermo. Joſ. XV, 3, 4.
Exire pro eo quod eſt expeditionem ſuſcipere. Jud. XI, 3.
Exire & intrare, pro eo quod eſt res ſuas obire. Joſ. XIV, 11.
Experiri animos hominum quo ſenſu dicatur Deus. Jud. II, 22.
Experiri Deum quid. Jud. VI, 39.
Ezel lapis. 1. Sam. XX, 19.

F.

Facere regnum pro eo quod eſt regia poteſtate pleniùs uti. 1. Reg. XXI, 7.
Facere tranſire pro ignoſcere. 2. Sam. XII, 13. XXIV, 10.
Faciem tollere, pro eo quod eſt rationem alicujus habere. 2. Reg. III, 14.
Fames in Judæa. 1. Reg. XVII, 14. 2. Reg. VIII, 1.
FACERE dicuntur, qui voluerunt aliquid fieri. 2. Sam. XII, 13.
Feſti dies, apud omnes Gentes, cum hilaritate & choreis conjuncti. 2. Sam. VI, 16.
Fides jurejurando obſtricta exſolvenda. Joſ. IX, 18.
Filiæ urbium minora circa eas oppida, aut pagi. Joſ. XV, 45. XVII, 11.
Filii ſervitute defuncti patris debita

bita diſſolvebant. 2.Reg.IV, 1.
Filii Prophetarum. 2. Reg. II, 3, 5.
Filius anni in regnando, quid ſignificet. 1.Sam.XIII, 1.
Filiam alterius Regis ſe vocat qui eum ſummopere revereri ſe teſtabatur. 2.Reg.XVI, 8.
Fluctus mortis, pro maximis periculis. 2.Sam.XXII, 5.
Fluvius, Euphrates κατ' ἐξοχήν. 1.Reg.IV, 21, 24.
Fœdus æternum, pro immutabilibus promiſſis. 2. Sam. XXIII, 5.
Fœdus idem ac lex. Joſ. VII, 11.
Fœdus ſalis. 2. Ephem. XIII, 5.
Fons Draconis prope Jeroſolimam. Neh. II, 13.
Fornicatio duplex in cultu divino. Jud VIII, 33.
Foveæ, loca occulta in quibus ſe abdebant Hebræi, tempore difficili. 1 Sam. XIII, 6.
Fuco ſupercilia tingebant olim mulieres. 2. Reg IX 30.
Fumus & *ignis* ſymbola iræ. 2.Sam. XXII, 9.
Fundæ uſus 1. Sam. XVII, 49. *Fl. Vegetius* de re militari Lib. I. cap. 16. *Sæpe adverſùm bellatores caſſidibus, cataphractis, loricisque munitos teretes lapides, de funda vel fuſtibalo deſtinati, ſagittis ſunt omnibus graviores; cùm membris integris lethale tamen vulnus importent.*
Funditores apud Iſraëlitas egregii. Jud. XX, 16.
Fune metiri copias delendas ſolebant Orientales. 2. Sam. VIII, 2.
Futurum conſuetudinem ſignificat. Jud. XIV, 8. 1.Sam V, 5. VI, 4. XX, 5. 2.Sam. XXII, 26. & ſeqq. 2 Reg. IX, 20.
Futurum jus aliquando ſignificat. Jud XI, 24. aut poteſtatem. *Ibid.* XII 5.
Futurum potentiam interdum ſignificat. Jud. XVI, 10. 1. Sam. XII, 20. XXX, 15.

G.

Gababonis ſitus. Joſ. IX, 3.
Gababonitarum factum. Joſ. IX, 18.
Galahad in Ægypto mortuus. Joſ. XVII, 1.
Galahaditidis fines. Joſ. XVII, 1.
Galahaditidis partes. Joſ. XII, 2.
Galilea unde dicta. 1. Reg. IX, 11.
Gallim ubi. 1.Sam. XXV, 44.
Gath-chepher ubi. 2. Reg XIV, 25.
Gaza Philiſthæorum urbs. Joſ. X, 41.
Gaza an capta ab Hebræis. Jud. I, 18.
Gazer ubi. 2.Sam.V, 25.
Gazer urbs Ephraimitica. Joſ. XVI, 3.
Geba Benjaminis ubi. 1. Reg. XV, 22.
Genus refertur aliquando ad vocem ſubaudiendam. 1. Sam. XXVII, 8.
Generum frequentes Enallagæ, apud Hebræos. Eſdr. X, 44.
Geſur, ubi. Joſ. XII, 5.
Geſarai, ubi ſedes habuerint. 1 Sam. XXVII, 7.
Giach locus in Benjamine. 2. Sam. II, 24.
Gibbath amma locus in Benjamine. 2. Sam. II, 24.
Gibbethon Danitica urbs. 1. Reg. XVI, 17.
Gibbethon eadem quæ *Gath-rimmon*. Joſ. XIX, 45.
Gibba Benjaminitica. Judic. XIX, 12.
Gibba Phinehaſi ubi. Joſ. XXIV, 33.
Giblitæ qui populi. Joſ. XIII, 5.
Gichon fons prope Jeroſolimam. 1. Reg. I, 33.
Gilboa mons ubi. 1. Sam. XXVIII, 4.
Gilgal ejus ſitus. Joſ. XV, 3.
Gilgal, aut *Galgal* in boreali ora *Judææ*. Joſ. XII, 23.
Gitthæus civis Gath-rimmonis. 2. Sam. VI, 10.
Gitthajim ubi 2. Sam. IV, 3.
Gloriam reddere Deo, pro eo quod eſt fateri verum. Joſ. VII, 19.
Gozan Græcis *Gauzanitis*. 2. Reg. XVII, 6.
Goſen urbs in meridiano tractu Tribûs Judæ Joſ. X, 41.

H.

Haccho poſtea *Ptolemaïs*. Jud. I, 31.
Hagerii qui populi. 1. Ephem. IV, 10. XXVII, 31.
Hadadi Syriæ Reges. 2. Sam. VIII, 3.
Hadad & *Benhadad* Dii Syrorum. 2. Reg. XIII, 24.
Hadar-hezer, tempore Davidis, potentiſſimus & Syriæ & Meſopotamiæ Regum. 2. Sam. X, 19.
Hadullam ſpelunca ubi. 1. Sam. XXII, 1.
Hakrabbim adſcenſus. Jud. I, 36.
Hamalek mons in Tribu Ephraimi. Jud. XII, 14.
Hanab urbs Tribûs Judæ. Joſ. XI, 21.
Harad, ubi. Jud. I, 16.
Haſta terræ infixa, juxta dormientes milites. 1.Sam. XXVI, 7.
Hataroth urbs ubi. 1. Eph. II, 54.
Hatſem ubi. Joſ XIX, 2.
Hatſmon urbs. Joſ. XV, 3.
Havva urbs Meſopotamiæ, aut Syriæ. 2. Reg. XVII, 24.
Hazeka ſitus. Joſ. X, 10.
Hebræi fabrilibus artibus deſtituti. 2. Sam. V, 11.
Hebræi inhumani. Jud. XX, 48. & XXI, 3, 6.
Hebraici ſtyli improprietates. Joſ. XI, 21.
Hebron ubi. Joſ. XIX, 27.
Hedenenſes populi Syriæ. 2. Reg. XIX, 12.
Hekron Danitis data, ſed non poſſeſſa Joſ. XV, 11.
Hekronis ſitus. Joſ. XIII, 3.
Hemek-keſſits, ubi. Joſ. XVIII, 21.
Hena urbs ubi. 2. Reg. XVIII, 34.
Hendor ubi. 1. Sam. XXVIII, 7.
Hen-gedi ubi. 1. Sam. XXIV, 1.
Hen-rogel fons ad Jeroſolimam. Joſ. XV, 7.
Hen-ſemes urbs. Joſ. XV, 7.
Hen-tapphuach Manaſſitarum. Joſ. XII, 7.
Herba tectorum pro re minimè firma. 2. Reg. XIX, 26.
Hercules, an *Samſon* fuerit. Judic. XV, 5.
Herodoti teſtimonium de prælio in quo Joſias eſt interfectus. 2. Reg. XXIII, 29.
Hetsjon geber unde dicta. 1. Reg. IX, 26.
Hieronymi inanis etymologia nominis *Samſon*. Jud. XIII, 24.
Hieronymi errores, in libro de locis Hebraicis. Joſ. XIX, 51. XXIV, 33. Jud. VIII, 11. & *alibi*.
Hieronymi pravæ vocum Hebraïcarum interpretationes. 2. Reg. XXIII, 10.
Hieronymus ſæpe Græcos interpretes eſt ſequutus, neglecto textu Hebraico 1. Sam. IX, 24, 25. X, 2. XIV, 41. Vide *Vulgatus*.
Hijon urbs Nephthalitica. 1. Reg. XIV, 20.
Hinnomi vallis, aut *torrens* ad ortum Jeroſolimæ. Joſ. XV, 8.
Hiphil, verba ejus conjugationis ſemper regunt accuſativum, licèt non ſemper exprimatur. Joſ. I, 7. 2. Eph. VII, 11. XXVI, 16. XXVII, 2.
Hiphil ſignificat interdum pati aliquid fieri. 1. Reg. II, 6.
Hithpael conjugatio vim habet ſimulandi id facere quod verbum ſignificat. 2. Sam. XIV, 2.
ad Hodiernum diem phraſis ambigua. 2. Reg. VIII, 8. IX, 21.
Homines Deum, humano more, alloquuntur. Joſ. VII, 3.
Hophel locus Jeroſolimæ. 2. Ephem. XXVII, 3.
Hophra ubi. 1. Sam. XIII, 17.
Horaba urbs ubi fuerit. 1. Reg. XVII, 4.
Horologium Sciothericum fuiſſe, in quo umbra regreſſa eſt tempore Hezekiæ. 2. Reg. XX, 9.
Hypallage fortè mendoſa. Ruth. I, 21.
Hyſſopus in rudetibus creſcens. 1. Reg. IV, 33.

I.

Jabes ubi. 1. Sam. XI, 1.
Jabneel unde dicta. Joſ. XV, 11.
Jacere vitam à regione, pro eo quod

quod eſt periculum vitæ adire. Jud. IX, 17.
Jaban urbs prope Danem. 2. Sam. XXIV, 6.
Jabele factum, erga Siſeram, laudandúmne an vituperandum. Jud. V, 24.
Jairis villæ quæ & unde dictæ. Jud. X, 4.
Janoachan urbs. Joſ. XVI, 6.
Janoach, duplex, Nephthalis & Ephraimi. 2. Reg. XV, 29.
Jabtſa urbs. Joſ. XIII, 18.
Japhletbai nomen familiæ. Joſ. XVI, 3.
Idola adorare an liceat. 2. Reg. V, 29.
Idololatria occulta inter Iſraëlitas. Joſ. XXIV, 14, 23.
Jebuſai Jeroſolimam habitant, unà cum *Hebræis*. Jud. I, 8.
Jejunium cur utile. 2. Ephem. XX, 3.
Jebarim mons. Joſ. XV, 10.
Jehova, quomodo per Jehovam jurantes inducantur Ethnici. 1. Sam. XXIX, 6.
Jehui liber, inſertus libris Regum. 2. Ephem. XX, 36.
Jephia, ubi. Joſ. XIX, 12.
Jephthei votum explanatur. Judic. XI, 31, *& ſeqq.*
Jericho, urbs palmarum. Jud. III, 12.
Jerichuntina aqua. Joſ. XVI, 1.
Jerichuntis ſitus. Joſ. II, 16. parva urbs. Joſ. VI, 15.
Jerichuntiai ſoli fertilitas. 2. Reg. II, 21.
Jerobuhami peccatum, qua in re ſitum. 1. Reg. XII, 30, 31, 32. XIV, 9.
Jeroſolima ſitus. Joſ. XV, 8, 64. incolæ. Jud. I, 18.
Jeroſolimam multæ tendebant aquæ. 2. Ephem. XXXII, 3.
Jeroſolima pars ſecunda quid. 2. Reg. XXII, 14.
Jeruſalem, veram hanc eſſe prolationem vocis. Joſ. X, 1.
Jether ubi. 1. Sam. XXX, 22.
Ignis, *traaſmittere per ignem quid.* 2. Reg. XVI, 3.
Jiblam ubi ſita. Joſ. XVII, 11.
Jiphthachelis vallis, ubi. Joſ. XIX, 14.
Jizrehel ubi ſita. Joſ. XVII, 16. XIX, 18.
Jizrehel urbs, non remota à Charmelo. 1. Reg. XVIII, 45.
Immanda terra quæ. Joſ. XXII, 19.
Immundi convivio è carne victimæ adeſſe non audebant. 1. Sam. XX, 26.
Impingere robur dicitur quod minuitur. Neh. IV, 10.
Infantes allidere crudelitas Orientalium. 2. Reg. VIII, 12.
Infinitivus vicem nominis obtinet. Judic. XIX, 3. Ruth. II, 7. 2. Sam XXIII, 7. *& alibi*
Inſula Maris, id eſt, maris Ægæi. Eſth. X, 1.
Internecio gentis, quomodo à Deo juberi potuerit. 1. Sam. XV, 3.
Internecio populorum qualis. Joſ. X, 33.
Invenire cor ſuum ad aliquid faciendum. 1. Ephemer. XVII, 25.
Involare in aliquem, quid. 1. Sam. XXV, 14.
Joknebam, ubi. Joſ. XIX, 11.
Jokthel ubi. Joſ. XIV, 7.
Joppe ubi. Joſ. XIX, 47.
Jordanes, quo anni tempore exundet. Joſ. III, 15. non magnus alioqui fluvius. *Ibid.*
Jordanis ripæ refertæ arboribus. 2. Reg. VI, 1.
Joſephi poſteris quando attributi agri a Joſua. Joſ. XVI, 1.
Joſephus Hiſtoricus, quàm audacter interpolet hiſtoriam ſacram. Jud. XIII, 2. XIX, 24. *& ſeqq.* *Ib.* 19. peccat in Linguam Hebraicam. Jud. XIV, 14. 2. Sam. X, 16. 1. Reg. IX, 10.
Joſephi error in nominibus menſium. Eſd. IX, 9.
Joſephus emendat Scripturæ narrationes. 1. Sam. XVII, 34. XIX, 24. verſione Græca fallitur. 1. Sam. XIX, 13.
Joſua per quot annos bellum geſſerit. Joſ. XI, 18.
Joſuæ liber ſcriptus ut adderetur Moſaicis. Joſ. I, 1.
Iſſaſcharitæ periti temporum. 1. Eph. XII, 32.
Iſraëlitæ κατ' ἐξοχὴν dicti qui ad occaſum Jordanis incolebant. Joſ. XXII, 11.
Iſraelitæ peſſimi homines. 2. Sam. XVII, 4.
Ithamaris poſteri aliquando Pontificatum Maximum conſequuti. 1. Sam. II, 30.
Juda Tribûs portio. Joſ. X, 40.
Juda agrorum pars Danitis & Simeonitis data. Joſ. XIX, 1.
Juda & *Danis* fines confuſi. Joſ. XV, 21.
Jupiter muſcarum abactor. 2. Reg. I, 2.
Judices diſtincti à Regibus. Jud. VIII, 23.
Judiciorum teſtis Deus. 2. Ephem. XIX, 6.
Jurandi ad altare conſuetudo. 1. Reg. VIII, 31.
Jurare per Deos alienos illicitum. Joſ. XXIII, 7.
Juſjurandum illicitum exſequutioni non mandandum. 1. Sam. XXV, 34.
Jurejurando rogatus neceſſe habebat reſpondere. 1. Reg. XXII, 16.
Juriſjurandi formulæ ellipticæ. 1. Sam. XI, 11. XX, 12.
Juſtitia & veracitas adfines. Neh. IX, 8.
Juvencâ alienâ arare, proverbium. Jud. XIV, 18.

K.

KAdytes ab *Herodoto* dicta, quæ Hebraicè *Kades*. 2. Reg. XXIII, 29.
Kamon urbs, ubi. Joſ. X, 5.
Kana torrens. Joſ. XVI, 8.
Karkaba urbs. Joſ. XV, 3.
Karkor ubi. Jud. VIII, 10.
Kedemotha urbs. Joſ. XIII, 18.
Kedes triplex. Jud. IV, 6.
Kedumim torrens ubi. Judic. V, 21.
Kenai quinam fuerint. Judic. I, 16.
Kir urbs Mediæ. 2. Reg. XVI, 9.
Kir-chareſeth urbs Moabitica. 2. Reg III, 25.
Kirjathajim urbs. Joſ. XIII, 19.
Kirjath jebarim, ejus inſtaurator. 1. Ephem. II, 50.
Kirjath-ſanna urbs. Joſ. XV, 45.
Kirjath ſepher. Joſ. XV, 15.
Kitron urbs. Jud. I, 30.

L.

LAbri ænei in Templo capacitas. 2. Eph. IV, 5.
Lacunæ in Hebræo Codice. 1 Reg. IV, 8. *& ſeqq.* VII, 15. Eſdr. VII, 3. VIII, 5, 10.
Lacuna in catalogo urbium. 1. Eph. VI, 60, 61.
Lacunæ variæ in Genealogicis. 1. Ephem. I, 17, 36. III, 8. IV, 7, 9. V, 4. VII, 14, 15. IX, 36. & ſeqq. *& alibi.*
Lapidis inſtar fieri dicitur qui obſtupeſcit. 1. Sam. XXV, 33.
Lapides pro grandine. Joſ. X, 11.
Lapidum acervus, monumentum. 2. Sam. XVIII, 17.
Latrocinia antiquis temporibus non pudenda. Jud. XI, 3.
Libella Samariæ & perpendiculum familiæ Achabi, proverbialis formula. 2. Reg. XXI, 13.
Librariorum menda. Joſ. VII, 1, 17. IX, 4. XIII, 23. XVI, 5. XVII, 11. XVIII, 18. XIX, 3. XXI, 36. XXII, 34. Jud. I, 1. VII, 3. XVI, 2. XVIII, 7. Ruth. I, 13. 1. Sam. II, 21. VI, 18. XV, 9. XVI, 12. XX, 2. XXX, 9. 2. Sam. VI, 2. XXI, 19. 2. Reg. XI, 6. XVI, 10. *& alibi.*
Lingua pro ſinu. Joſ. XV, 2.
Lechi pro *Ramath lechi*. Jud. XV, 9.
Lecti Perſarum. Eſth. I, 7.
Lectionia varietates inter loca parallela. 2. Sam. VIII, 3. 4, 8, 13, 16. X, 18. XVII, 25. XXII. per totum. XXII, 8. *& ſeqq.* 1. Reg. IX, 8. Neh. VII, 7. *& ſeqq.*
Lecto, etiam apud Hebræos, imponebantur virorum honoratorum cadavera. 2 Sam. III, 31.
Legati inducuntur loquentes, ut qui eos miſerat loquutus fuiſſet. Jud. XI, 12.

Leo-

Digitized by Google

Leones Arabibus terrori non ſunt. 1. Sam. XVII, 34.
Leones frequentes in Judæa. Jud. XIV, 5.
Lepræ Moſaicæ ſymptomata & collario cum lepra Græcis nota. *Diſſ. II. de Lepra.*
Leſchem eadem ac *Dan.* Joſ. XIX, 48.
Levita an agros proprios habere poſſent. Joſ. XXIV, 33.
Levita cenſebantur ab anno 30. ante Templum conditum, ſed poſt Templum conditum anno 20. miniſteriis ſacris adhibebantur. 1. Ephem. XXIII, 24, 27.
Levita qui poſſent dici *dari Deo.* 1. Sam. I, 11.
Levita Judicum & Apparitorum muneribus functi. 1. Ephemer. XXIII, 4.
Lex non vulgo lecta, tempore Regum. 2. Ephem. XVII, 9.
Lex Moſaica numquam accuratè obſervata. Jud. XVIII, 30. 1. Sam. VII, 17. 2. Reg. XXII, 8.
Lex Moſis, accuratiùs in Chananæa ſervata, quàm in deſerto. Joſ. V, 3.
Legem Moſaïcam ſervari potuiſſe. 2. Reg. XXI, 8. cur tam frequenter ab ea defecerint Hebræi. *Ibid.* 11.
Legis perfectam obſervationem numquam neceſſariò exegit Deus. 2. Ephem. VII, 17.
Legis Liber amiſſus aliquamdiu ante Joſiæ regnum. 2. Reg. XXII, 8.
Lini ligna, quæ dicantur. Joſ. II, 6.
Lino celebris Ægyptus. 1. Reg. X, 28.
Liber Recti qualis. Joſ. X, 13.
Litteræ majores aut minores caſu, non certa de ratione. Eſth. IX, 7, 8.
Litterarum metatheſis in voce Hebraica. 1. Sam. XV, 9.
Lodebar urbs, ubi ſita. 2. Sam. IX, 4.
Lucta in uſu, apud Orientales. Jud. XV, 8.
Lugentes corpus nec lavabant, nec ungebant. 2. Sam. XII, 20.
Lucerna pro prole. 1. Sam. XXI, 17. 1. Reg. XV, 4.
Luna, qui ſtetiſſe Gababone dicatur. Joſ. X, 12.
Lux exorta eſt, pro liberatio facta eſt. Eſth. VIII, 16.

M.

M*Achanajimorum* ſitus. Joſ. XIII, 26.
Madonis ſitus. Joſ. XI, 1.
Mahacha ubi. Joſ. XII, 5. 2. Sam. X, 6.
Mahon urbs in Tribu Judæ. 1. Sam. XXIII, 24.
Mahonita, qui & ubi habitarent. Jud. X, 12.
Makkeda ſitus. Joſ. X, 10.
Malum morale, quomodo excitare dici poſſit Deus. 2. Sam. XII, 11, 12.
Manum confirmare, pro eo quod eſt animum confirmare. 1. Sam. XIII, 16.
Manus contrahi quo ſenſu dicatur. 2. Reg. XIX, 26.
Manum tollere in regem, pro eo quod eſt rebellionem moliri. 1. Reg. XI, 26.
Mater honorificus titulus. Jud. V, 7.
Mater quæ coxerat filium. 2. Reg. VI, 29.
Medeba ubi ſita. Joſ. XIII, 16.
Megiddo ubi. Jud. V, 19.
Mehonenim quercetum. Jud. IX, 37.
Melo nomen *Nili* unde. Joſ. XIII, 3.
Mendacium facere in animam ſuam quid. 2. Sam. XVIII, 13.
Mendacium quatenus licitum. Joſ. II, 5.
Menſæ aureæ plures in templo Salomonico. 1. Eph. XXVIII, 16.
Menſæ aſſidebant veteres Hebræi. 1 Sam. XX, 14.
Meſſis tempus. Joſ. III, 15.
METATHESIS verborum librariis interdum debita. 2. Ephem. III, 1.
Metheg-haamma, urbs Philiſthæa. 2. Sam. VIII, 21.
Medium torrentis, pro terra inter torrentes media. Joſ. XII, 2.
Mephahatha urbs. Joſ. XIII, 18.
Meromi aqua, ubi & unde dictæ. Joſ. XI, 5.
Meroz an nomen urbis. Jud. V, 23.
Michmas ubi. 1. Sam. XIII, 2.
Milchomus Hammonitarum Deus. 1. Reg. XI, 5.
Millonis domus quænam. Jud. IX, 6.
Millo locus Jeroſolimæ. 2. Sam. V, 9. 1. Reg. XIII, 20.
Minæi Arabiæ populi. 2. Ephem. XX, 1.
Minari uno verbo dicere nequeunt Hebræi. Joſ. XXIII, 15.
Mingere in parietem, unde orta ſit phraſis in hac formula, *non ſupererit qui mingat in parietem.* 1. Sam. XXV, 22.
Minnith urbs, ubi. Jud. XI, 33.
Miſericordia in latrones vituperanda. 1. Reg. XX, 41.
Mitſpha in confinio Judæ & Benjaminis. Jud. XIX, 1. 1. Sam. V, 16. Nehem. III, 7, 15.
Mitſpha Manaſſæa. Joſ. XI, 3.
Mitſpha Moabitidis. 1. Sam. XXII, 3.
Moabitis ovillo pecore abundans. 2. Reg. III, 4.
Moabitidas uxores Hebræis ducere an licitum. Ruth. I, 4.
Molere ſupplicium ſervile. Judic. XVI, 21.
Monarchiæ fermè, apud Orientales. 1. Sam. VIII, 5, 7.
Mons glaber quis. Joſ. XI, 17.
Mons vallis. Joſ. XIII, 19.
Montes culti inſtar Deorum, apud Ethnicos. 1. Reg. XX, 23.
Monumentum mutum, litterarum loco. Joſ. IV, 6. XXII, 10. XXIV, 26.
Mori cor ei dicitur, qui obſtupeſcit. 1. Sam. XXV, 37.
Mulieris delictum, pro delictum cum muliere commiſſum. 2. Sam. III, 8.
Mulieri virum repudiare, apud Hebræos, non licuit. 1. Sam. XXV, 44.
Mulæ regiæ inſidebat Regis ſucceſſor. 1. Reg. I, 33.
Muli duplicis generis. Eſth. VIII, 10.
Mulorum prima mentio. 2. Sam. XIII, 29.
Muri ligno & lapidibus conſtantes. Eſd. VI, 4.
Muſica apta leniendis paroxyſmis melancholicis. 1. Sam. XVI, 16, 23.
Muſica juvat ad tranquillandum animum, revelationemque divinam excipiendam. 2. Reg. III, 15.

N.

N*Ablium* inſtrumentum Muſicum quale. 2. Sam. X, 5.
Nabachodonoſori expeditio in Syriam. 2. Reg. XXIV, 7.
Nahamanis factum in adorando Rimmone quale. 2. Reg. V, 19.
Narrationis nimis brevis incommoda. Joſ. IV, 17. Jud. XX, 46. 1. Sam. XIV, 3. XXIII, 6. 2. Reg. XV, 29.
Necho, Ægypti Rex, *Pſammetichi* filius. 2. Reg. XXIII, 29.
Necyomantia Orientalium. 1. Sam. XXVIII, 7, 10.
NEGATIONIS vim habet interrogatio. 1. Sam. XXI, 15.
Neha, ubi. Joſ. XIX, 13.
Nehemia ætas & itinera Nehem. I, 1. II, 1. V, 14. XIII, 28.
Nehemia addita recentior Genealogia. Neh. XII, 20.
Nekeb urbs. Joſ. XIX, 33.
Neomeniis convivium fieri ſolebat. 1. Sam. XX, 5.
Nephthoachi aqua. Joſ. XV, 9.
Nephthalitarum fines ad orientem. Joſ. XIX, 33.
Nihil clauſum, neque relictum, pro eo quod eſt nihil prorſus. 2. Reg. XIV, 26.
Nilus numen appellativum. Joſ. XIII, 3.
Nob ubi. 1. Sam. XXI, 1.
Nomen alicujus prædio ejus excitare quid. Ruthæ. C. IV, 5.
Nomen Dei vocatur ſuper hoc, pro, hoc vocatur de nomine Dei. 1. Reg. VIII, 43.
Nomina propria frequenter corrupta ſunt. 2. Sam. XXIII, 38. 1. Eph. II, 13, 17. III, 5, 6. IV, 19. *& ſeqq.* V, 6. VI, 1, 12. 28, 34, 70, *& ſeqq.* VIII, 1. IX, 40 *& ſeqq.* XVIII, 10. XX, 4. Nehem. VII, 7. *& ſeqq.*
NOMINA propria compoſita ex parte tantùm aliquando proferuntur. Jud. XV, 8.

Nomen ſubſtantivum ſingulare, conſtructum cum adjectivo plurali. 1 Sam. II, 4.
Nominativus omiſſus ſupplendus. Joſ. II, 7. XV, 13. Jud. IX, 29. XV, 17, 19. Ruth. II, 14. 1. Sam XXIII, 22. 2. Sam. XXIV, 1. 1. Reg. XX, 34. 2. Reg. XVI, 18.
Nominativus omiſſus ante 3. perſ. Futuri. Neh. IV, 2.
non Noſſe Deum qui dicantur. 1. Sam. II, 12.
Nudare aliquem quid metaphoricè. 2. Par. XXVIII, 18.
Nudus, tam qui exterioribus veſtibus, quàm qui omni indumento caret. 1 Sam. XIX, 24.
Numerus ingens Iſraelitarum Davidis tempore unde ortus. 2. Sam. XXIV, 9.
Numeri militum immodici. 2. Eph. XIV, 8, 9. XVII, 14.
Numerus integer ſæpe pro imminuto ponitur. Judic. IX, 5, 18.
Numeris rotundis utitur Scriptura. Jud. XX, 46
Numeri viriati in Codicibus Græcis. 1. Sam. XV, 4
Numeri in Scriptura interdum corrupti. 1. Sam. XIII, 5. 2. Sam. XIV, 26. 2. Sam. XXIV, 24. 1. Reg. IV, 29. XIV, 21. 2. Eph. III, 15. XXII, 2. Eſd. I, 11. II, 64. Neh. VII, 12 *& ſeqq.* 66.
Numerus non reſpondens enumerationi antecedenti. Joſ. XV, 32. Vide etiam Eſdræ & Nehemiæ loca laudata.

O.

O*Bil* præfectus camelorum Davidis unde dictus. 1. Ephemer. XXVII, 30.
Oculus Dei pro divina Providentia. Eſd V, 5.
Ochem, nomen *Nili* unde. Joſ. XIII, 3.
Odorari ſacrificium, pro eo quod eſt id acceptum habere. 1. Sam. XXVI, 19.
Ocreæ æneæ. 1. Sam. XVII, 6. Sic & apud Romanos, ut narrat *Livius* Lib. I, 43. 2. militibus ad primam claſſem pertinentibus *arma imperata, galea, clypeum, ocrea, lorica, omnia ex ære; hæc ut tegumenta corporis eſſent. Tela in hoſtem, haſtáque & gladius.*
Olfacere ignem, pro amburi. Jud. XVI, 9.
Oliveti mons, dictus *mons unctionis*. 2. Reg. XXIII, 13.
Omiſſio verborum fit interdum, ob repetitionem ejuſdem verbi. 1. Ephem XXIV, 6. 2. Eph. IV, 16.
Ophira ubi fuerit. 1. Reg. X, 11.
Orationes directæ pro obliquis. Joſ. XIV, 9.
Oratio directa non continet ſemper ipſa verba prolata. Jud. XVI, 6. *& ſeqq.*
Ordo in narratione ſæpe invertitur. Joſ. II, 4. III, 5. 1. Sam. XXII, 23.
Orientales ſapientiâ celebres. 1. Reg. IV, 30.
Oſculari ſtatuas ſolebant Idololatræ. 1. Reg. XIX, 18.

P.

P*Acem loqui*, hoc eſt, benignè. Eſth. X, 3.
Pallium ſuum cuipiam injicere, quid ſignificaret. 1. Reg. XIX, 19.
Palmarum urbs, Jerichóne, an urbs Madianitidis. Jud. I, 16.
Panis anguſtiæ & aqua anguſtiæ, hoc eſt, eâ copia, quæ ad vitam conſervandam planè neceſſaria eſt. 1. Reg. XXII, 27.
Panes ſacri immundis non dabantur. 1. Sam. XXI, 4.
Panis primitiarum Prophetis datus. 2 Reg. IV, 44.
Parabolarum uſus. 2. Sam. XII, 1. in iis per omnia decorum ſemper non obſervatur. *Ib.* 3.
Paradiſus Regis Perſarum, in Syria, aut Judæa. Neh. II, 8.
Paropſidi abſterſæ collata loci deſtructio. 2. Reg. XXI, 13.
Paſcere populos, quo ſenſu Reges dicantur. 2. Sam. V, 2, 12.
Paſchatis poſtridie quid. Joſ. V, 11.
Paſſus eſt inter me & mortem, proverbium de ſummo periculo. 1. Sam. XIX, 3.
Pater urbis ejus conditor, aut inſtaurator. 1. Ephem. II, 24, 42, 51. IV. 14.
Patres dicti inſigniores Prophetæ. 2. Reg. II, 12.
Peccato quomodo interveniat Deus. 2. Sam. XII, 11, 12.
Peccatores dicti à Judæis Gentiles. 1. Sam. XV, 18.
Pecunia animarum quæ. 2. Reg. XII, 4. 2. Ephem. XXIV, 6.
Pedes ſervare quid ſit. 1. Sam. II, 9.
Pellices Regis ducere non licuit, niſi ſucceſſori. 2. Sam. III; 7. XII, 8.
Percellere animum quo ſenſu, ſine adflatu, dicatur Deus. 1. Sam. X, 26.
Percutere cor cum dicitur, qui ſollicitus eſt. 1. Sam. XXIV, 6.
Perſæ quomodo ſe invicem pro dignitatibus ſalutarent. Eſth. III, 2.
Perſæ vino bibendo indulgebant poſtquàm cibis ſe explevissent. Eſth. V, 8.
Perſarum uxores an conviviis intereſſent. Eſth. I, 10, 13. vicibus cum viris concumbebant. *Ib.* II, 12.
Perſarum Reges, eorum commentariis inſcribebantur benefactorum nomina. Eſth. VI, 2.
capitale erat regia veſte uti. *Ibid.* VI, 8. aut regio equo vehi. *Ibid.* aut diadema capiti ſuo imponere. *Ib.* ſed Rex permittere poterat. *Ib.* VIII, 15.
ad januam Regiæ aulicos adeſſe volebant. Eſther II, 19 nemo ſacco indutus eam ingrediebatur. *Ib.* IV, 2.
capitale erat ad eos ingredi non vocatis. Eſth. IV, 11.
eorum mandatis parendum illico fuiſſe. Eſd. VI, 12. Eſth. I, 14. Edicta erant irrevocabilia *Ibid.* 20. VIII, 8. quî poſſent eludi. *Ib.* VIII, 11.
ex menſa ſua cibos mittebant ad familiam & amicos. Eſth. XI, 9.
menſæ regiæ adcumbere ſummus honos. *Ib.* V, 12.
dabant occidendos quos volebant petentibus. Eſth. III, 11.
pellices iis quomodo pararentur. Eſth II, 3, 12.
plectebant integras familias propter unius noxam. Eſth. III, 6.
tributa remittebant in publica hilaritate. Eſth. II, 18.
Perſici Imperii magnitudo. Eſth. I, 1. VIII, 9.
Perſico imperio parentes, volentibus Regibus, bellum inter ſe gerebant. Eſth. IX, 6.
Personæ colloquentium interdum omittuntur, ex re ipſa intelligendæ. 1. Reg. XX, 34. 2. Reg. XIX, 27. item eæ ad quas oratio convertitur. *Ib* 29.
Petra deſerti celebris urbs Arabiæ. Jud. I, 36.
Pharanica ſolitudo. 1. Sam. XXV, 1.
Phelethæi qui eſſent. 2. Sam. VIII, 18.
Phenuel ubi. Jud. VIII, 8.
Philiſthæi, quomodo tot exercitus habere potuerint, eoſque magnos, quos Hebræis opponerent. 1. Sam. XIII, 5. 2. Sam. V, 25.
Philiſthæi an poſſent habere triginta millia curruum. 1. Sam. XIII, 5.
Philiſthæi reges quando fuerint. 1. Sam XXI, 9.
Phiſga. Joſ. XIII, 20.
Phul primus Aſſyriorum Rex, cujus meminit Scriptura. 2. Reg. XV, 19.
Pihel aliquando reciprocam habet ſignificationem conjugationis Hiphil. 1. Sam. III, 13.
Punctationis menda. Joſ. VII, 17. X, 1. Jud. VI, 15. Ruth. V, 4. 1. Sam. II, 31. 2. Sam. VI, 2. XIII, 8. 1. Reg. XXII, 48. 2. Reg. XVII, 24. *&* *alibi*.
Pinguis pro opulento. Judic. III, 29.
Pleonasmi varii ſunt in Hebræorum ſtylo. Joſ. XXI, 2. XXII, 9. Eſd. X, 19. Eſth. VIII, 10.
Pluvia, tempore meſſis triticeæ in Judæa rara. 1. Sam. XII, 17.
Pollices ſecare moris fuit apud quoſdam. Jud. I, 7.
Polygamia Davidis an laudanda. 2. Sam. V, 13.
Populus, qui per aliquot ſæcula fuit, inſtar unius ætatis habetur. Joſ. IV, 23. XVII, 14. XXII, 28.

Digitized by Google

Populo toti tribuuntur unius hominis delicta. Joſ. VII, 1.
Porta fontis Jeroſolimæ. Neh. II, 14. III, 15
Porta ovium Jeroſolimæ. Nehem. III, 1.
Porta piſcium Jeroſolimæ Nehem. III, 3.
Porta ſpeculæ, aut *porta anguli* Jeroſolimæ. 2. Eph. XXV, 23.
Porta ſterquilinii Jeroſolimæ. Neh. III, 13.
Porta vallis Jeroſolimæ. Neh. II, 13. III, 13.
Porta Vetus Jeroſolimæ. Nehem. III, 6.
Portarum urbium ædificia. 2. Sam. XVIII, 14.
Portæ tectæ. Neh III, 3.
Portus maris ab Iſraelitis neglecti. Joſ. IX, 1.
Poſſe, non poſſe facere dicimur, quod ſine incommodo noſtro non faceremus. Ruth. IV 5.
Prægnantes diſcindere, barbaries Regis Iſraelitarum. 2. Reg XV, 16.
Præputia pro membris virilibus. 1 Sam. XVIII, 27.
non Præterire dicitur quod obſervatur. Eſth IX, 27.
Precum legitimarum conditiones. 1. Reg. VIII, 43.
Primogenitas, is ante quem nullus natus eſt filius, licèt fratribus careat. Joſ XVI, 1.
Promiſſiones Dei à conditione pendent. 1. Sam. II, 30
Promittere, Hebræi non habent verbum hoc. Joſ. I, 3. 1. Sam. XXV, 30.
Prophetæ inter Hebræos, cur inſtituti. 1. Sam X, 16.
Prophetarum diſcipuli pro inſanis interdum habiti. 2. Reg IX, 11.
Propheta exſequi debet quod ſibi mandatum eſt. 1. Reg. XIII, 19, 26.
Prophetæ id facere dicuntur quod Dei nomine nunciant. Joſ. XIV, 9.
Prophetis munuſcula oblata. 1. Sam. IX, 7.
Prophetæ ſacra ipſi, ſingulari jure, faciebant. 1. Sam. VII, 9, 17.
Prophetarum ſcholæ. 1 Sam. XIX, 20.
Prophetæ ſpiritu ſuo acti mentiri poterant. 2. Reg. IV, 16.
Prophetia inſignis de Joſia. 1. Reg. XIII, 1.
Proſternere ſe ſolebant coram Regibus etiam eorum fratres. 1. Reg. I, 53.
Prunam exſtinguere quid metaphoricè ſignificet 2. Sam XIV, 7.
Pſeudo-prophetæ, apud Judæos. Neh. VI, 14.
Purgari à delicto quid. Joſ. XXII, 17.

R.

R*Abba* Hammonitis. Joſ. XIII, 25.
Racematio vindemiâ potior, proverbium. Jud. VIII, 1.
Rachaba meretriane fuerit, an cauponatia mulier. Joſ. II, 1. qui mendacium ejus excuſari queat. *Ib* 5.
Rachal, urbs Judæ. 1. Sam XXX, 29.
Rachele ſepulcrum ubi. 1. Sam. X, 2.
Rama urbs Aſeritarum. Joſ. XIX, 29.
Rama mitſpha. Joſ. XIII, 26.
Ramath-negeb ubi. Joſ. XIX, 7. 1. Sam. XXX, 27.
Ramathajim tſophim cur ſic dicta & ubi eſſet. 1. Sam. I, 1.
Ramoth urbs Gaditica. 1. Reg. XXII, 3.
Recenſiones nunc pleniores ſunt, nunc minùs plenæ. Judic. X, 12.
Redimendi jus, apud Hebræos, quale. Ruth. IV, 4.
Redimere, pro eo quod eſt liberare. 2. Sam. IV, 9.
Reges & *Dii* iidem. 2. Reg. XIX, 13.
Reges Chananæi, unius urbis, vel paucarum. Joſ. X, 2. XII, 24.
Reges *Chananæorum* malè habiti ab Hebræis Joſ. X, 24. 25.
Regum conſuetudo, apud Orientales. 1. Sam. VIII, 9. X, 25. & ſeqq. an jure poſſent invadere agros civium. *Ib*. 14.
Reges formoſos, apud gentes nonnullas, electos. 1. Sam IX, 1.
Regum imperiis an per omnia eſſet parendum. 1 Sam. XXII, 17 an cives pati oporteret quidlibet ab iis fieri. 1. Sam. XXII, 17, 19.
Regum Judæ ſepulcra. 1. Reg. II, 10.
Reges ſucceſſorem eligebant, nulla ætatis ratione habita. 1. Reg. I, 35.
Regum unctio. 1. Sam X, 1.
Regia ſuperior Jeroſolimæ. Neh. III, 25.
Regnare, pro incipere regnare. 2. Sam. II, 10. & paſſim in hiſtoria Regum.
Regni ſemen, qui dicerentur apud Judæos. 2. Reg. XI, 1.
Remittere manus, pro eo quod eſt animo dejici. 2. Sam. IV, 1.
REPETITIONES, in narratione Hebraica, antiquam ſimplicitatem redolent 1. Reg. XII, 14.
Rephaorum vallis ſitus. Joſ. XV, 8. 2. Sam. V, 18.
Reſpicere, pro eo quod eſt favere, benefacere. 1. Sam. I, 11.
Retſeph eadem ac *Reſcipha* Meſopotamiæ. 2. Reg. XIX, 12.
Rex Magnus Rex Aſſyriorum. 2. Reg XVIII, 19.
Regis defuncti uxores erant ſucceſſoris. 2. Sam XIII, 8. XVI, 21.
Rex vivat in perpetuum; Orientalium Reges alloquentium votum. 1. Reg I, 31.
Ribla ubi. 2. Reg. XXIII, 33. XXIV, 6.
Rimmon Syrorum Deus. 2. Reg. V, 18.
Rimmonis rupes, ubi. Judic. XX, 45.
Rehobamus, quo ætatis anno regnare cœperit. 2. Ephem XIII, 7. Adnotationi ad eum locum adde: Hæc ex vulgari ſententia, ſed quid ſentiret hac de re *L. Capellus* diximus ad 1. Reg. XIV, 21.
Rupes ibicum, altæ & præruptæ. 1. Sam. XXIV, 3.
Rutha quo jure à *Bobazo* ſit ducta Ruth. IV, 5.

S.

S*Abæorum* Regina unde. 1. Reg. X, 1.
Sacerdotales urbes non ſunt à Sacerdotibus habitatæ ab initio. Joſ. XXI, 4.
Sacerdotes Arcam bajulabant, ſi vellent. Joſ III, 3.
Sacerdotes ſecundarii. 2. Sam. VIII, 17. 2. Reg. XXIII, 4.
Sacra in locis excelſis cur facta. 1. Sam. IX, 12.
Sacra extraordinaria. 1. Sam. VI, 15.
Sacra ubivis facere licebat. Judic. II, 5.
Sagittæ Dei fulmina. 2. Sam. XII; 15.
Sabalim tractus ubi. 1. Sam. IX, 4.
Salarium quid & unde dictum. Eſd IV, 14.
Salem ſpargere ſymbolum deſolationis loci. Jud. IX, 45.
Salmanaſſer tertius Aſſyriorum Rex, cujus meminit Scriptura. 2. Reg. XVII, 3.
Saliſa ubi. 1. Sam. IX, 4.
Salomonis villa qualis. 1. Reg. VII, 6.
Samaritarum cultus Dei Idololatriæ miſtus. 2. Reg. XVII, 33.
Samſonis canticum. Jud. XV, 15. miraculum in Maxilla in gratiam ejus factum quale fuerit *Ib*. 19. emiſſum fuiſſe fontem ex ipſa terra, contra *Sam. Bochartum*. *Ibid.*
Samſon per omnia laudari nequit. Jud XIV, 18. XV, 30. XVI, 1.
Samballatus duplex. Neh. II, 10.
Sanguine pollutos ſacra tractare nefas. 1 Ephem. XXII, 8.
Sancheribus quartus Aſſyriorum Rex cujus meminit Scriptura. 2. Reg. XVIII, 13.
Sancheribus victus à *Sethone*. 2. Reg. XVIII, 21.
Sanctus pro Deo. 1. Sam. II, 2.
Sarid ubi. Joſ. XIX, 9.
Saron ubi. Joſ. XII, 18. 1. Ephem. XXVII, 29.

Satan, pravus conſiliarius. 2. Sam. XXIV, 1.
Satum quot libras contineret. 1. Sam. XXV, 18.
Satrapæ unde dicti. Eſdr. VIII, 36.
Saul, cur graves pœnas dedit, violato *Samuelis* interdicto. 1. Sam. XIII, 13.
Saulis Necyomantiæ examen. 1. Sam XXVIII, 10.
Saul inter Prophetas, proverbium. 1. Sam. X, 12.
Scabellum pedum Dei Arca. 1. Eph. XXVIII, 2.
Scenitæ, qui Hebraicè vocarentur. Jud. VIII, 11.
Schallechetha janua. 1. Eph. XXV, 16.
Schœni menſura viæ. Joſ. XVII, 5.
Scire toto animo, pro eo quod eſt penitus ſcire. Joſ. XXIII, 14.
Sedentésne Reges Hebræorum Deum oraverint. 2. Sam. VII, 18.
Sebir mons in tribu Judæ. Joſ. XV, 10.
Sebira locus in montibus Ephraimi. Jud. III, 26.
Sema urbs Joſ. XV, 26.
Sen nomen loci, aut rupis. 1. Sam. VII, 12.
Senaa urbs ubi. Eſd. II, 35.
Separari à cœtu quid eſſet apud Judæos. Eſd. IX, 8.
Sepharvajim eadem ac *Sipphara Ptolemai*. 2. Reg XVII, 24.
Septem millia pro magno numero. 1. Reg. XIX, 18.
Septem dierum ſacra. 1. Sam. X, 8. 1. Reg. VIII, 65.
Septenarius numerus conſecratus. Joſ. VI, 4, 15.
Septuaginta anni à Jeremia prædicti, quando initium habuerint. Eſd. I, 1.
SEPTUAGINTA INTERPRETES abſurdè vertunt. Joſ. XVII, 16. XIX, 13. Jud. I, 6, 19. V, 11, 13. IX, 4. XVI, 7. 1. Sam. X, 2. XI, 1. XII, 20. 2. Sam. I, 19.
Addunt quod deeſt. Joſ. XV, 59. XXI, 36.
Ex conjectura vertunt. Judic. I, 14. XV, 8, 16. XIX, 2. Ruth. II, 7, 14. 1. Sam. XV, 32. Eſth. I, 14. *& paſſim.*
Mirè corrupti ſunt. Jud. IX, 37. XV, 7. XVIII, 28. 2. Sam. III, 12.
Detrahunt textui. 1. Sam. XIII, 1. *& ſæpe aliàs.*
Duplicem habent interpretationem unius verbi. Jud. I, 35. III, 31. V, 16.
Gloſſas. Jud. VI, 34. *& ſæpe alibi.*
Laciniis alienis laborant. Joſ. XXI, 36. 1. Sam. II, 9. XIV, 41. Aliter legerunt quàm nos Joſ. III, 16. VII, 4. XIII, 4. XIV, 7. XXIV, 1. Jud. II, 3. III, 21. V, 8, 14, 15. VIII, 16. XVIII, 7. Ruth. II, 7. 1. Sam. IX, 25. XII, 3. XIV, 21. XX, 25. XXI, 7, 13. XXIII, 15, 21. *& paſſim.*
meliùs. Joſ. XV, 8. XIX, 35. XXI, 36. 2. Sam. XIV, 18. XXX, 20.
Prætermittunt obſcura. Joſ. VI, 5. Judic. VI, 22. & alibi. *Ibid.* XX, 16. 1. Sam. XXVII, 7.
Paraphraſibus utuntur. Jud. XV, 5, 7. XX, 38. Ruth. I, 3. 1. Sam. XV, 29.
Septuaginta Intt. lectio confirmatur partim, & emendatur. 1. Sam. I, 15.
Sepulcro carere pœna. 1. Reg XIII, 22. XIV, 13.
Sepulcra Majorum reverenda Neh. II, 3.
Serpens æneus cultus ab hominibus ſuperſtitioſis. 2. Reg. XVIII, 4.
Serræ ſubjicere homines, mos Orientalium. 2. Sam. XII, 31.
Servi, apud Orientales, quicumque parebant Regi. 1. Sam. VIII, 17.
Seſoſtris, bellum quod intulit Rohamo. 1. Reg XIV, 25.
Seſoſtris exercitus. 2. Ephem. XII, 3.
Si, ejus particulæ Ellipſis. 1. Sam. V, 3.
Sibma urbs. Joſ. XIII, 19.
Sichor-libnath ubi. Joſ. XIX, 26.
Sichor nomen verum *Nili*. Joſ. XIII, 3.
Sicut ego, *ſicut tu*. Quid ſibi velit hæc loquutio. 1. Reg. XXII, 4.
Sidonii agri aquæ calentes. Joſ. XI, 8.
Signa favoris divini, in te quapiam, quomodo collecta. 1. Sam. XIV, 10.
Signum impletionis vaticinii remotioris. 1. Sam. II, 34.
Signum Hezekiæ datum. 2. Reg. XIX, 29. alterum. XX, 8. *& ſeqq.*
è SILENTIO ducta argumenta non ſemper firma. 2. Sam. XI, 11.
SILENTIUM Scripturæ non eſt indicium adprobationis 2. Sam. XII, 31.
Silla locus Jeroſolimæ. 2. Reg XIII, 20.
Silvæ Libani domus quæ. 1. Reg. VII, 2.
Silunte cur & quando Tabernaculum tranſlatum. Joſ. XVIII, 1.
Simronis ſitus. Joſ. XI, 1. XII, 20.
Sinum veſtis excutere quid ſignificaret. Neh. V, 13.
Siphmoth ubi. 1. Sam. XXX, 28.
Siræ ciſterna ubi. 2. Sam. III, 26.
Siris cur dictus *Nilus*. Joſ. XIII, 3.
Siſakus, Rex Ægypti, idem ac Seſoſtris. 1. Reg XI, 40. XIV, 25.
Siſtri deſcriptio & nomen. 2. Sam. VI, 5.
Smerdis dictus *Artaxerxes*. Eſdr. IV, 7.
So, Rex Ægypti idem qui *Sabacon*. 2. Reg. XVII, 4.
Socho, ubi. 1. Sam. XVII, 1.
Sol, qui ſtetiſſe Gabahone dicatur. Joſ. X, 12.
Sol an retroceſſerit, tempore Hezekiæ. 2. Reg XX, 9.
Solaria ædium plana. 2. Sam. XI, 2.
Solarium petebant qui nolebant interpellari. 1. Sam. IX, 25.
Solio regio inſidere ſolius erat ſucceſſoris. 1. Reg. I, 35.
à Sontibus prodit delictum. 1. Sam. XXIV, 14.
Sorek vallis ubi. Jud. XVI, 4.
Sortes quomodo adhiberentur, apud Perſas. Eſth. III, 6.
Species pro aromate. 2. Eph. XVI, 14.
Spelunca Sidoniorum quid & ubi. Joſ. XIII, 4.
Speluncæ latibula fugientium, in Judæa. Joſ. X, 16.
Spicilegii leges. Ruth. II, 7.
Spiritus pro ſuperbia. 1. Reg. X, 5.
Spiritus malus, pro diſſentione, Jud. IX, 23.
Spiritus malus à Jehova quis. 1. Sam. XVI, 14, 15.
Spiritus recedens, pro triſtitia. 1. Reg. XXI, 4.
Sual tractus ubi. 1. Sam. XIII, 17.
Stare è regione alicujus pro eo quod eſt eum accuſare. 2. Sam. XVIII, 13.
Stare pro anima quid. Eſth. VIII, 11.
Stare ante judicem, pro abſolvi. Eſd. IX, 14.
Summæ immodicæ pecuniæ, ad condendum Templum repoſitæ. 1. Ephem. XXII, 14. XXIX, 4. 7. ad Salomonem ex India allatæ. 2. Ephem. IX, 18.
Sunem ubi. 1. Sam XXVIII, 4.
Superlativi circumloquutio per vocis repetitionem. 1. Sam. II, 3.
SUPPLEMENTA neceſſaria interdum ſunt textui infarcienda. 1. Sam. VI, 18. XVI, 13. Vide *Circumſtantia*.
Supplendum interdum *&c*. 2. Sam. XV, 2.
Supplicia Orientalium atrocia. 2. Sam. XII, 31.
Suſa, ſedes hiberna Regum Perſarum. Neh. I, 1.
Symbolicum factum ad rem vividiùs deſcribendam. 1. Reg. XX, 37. *& ſeqq.*
Symmachus multa paraphraſticè vertit. 1. Sam. IX, 24.
Synedrium magnum non fuiſſe inſtitutum, niſi ſub Seleucidis. *Diſſ. I. de Syned.*
SYNONYMORUM accumulatio eſt emphatica. 1. Reg. II, 3.
SYNONYMA voces conſtructæ intendunt ſignificationem. Eſth. I, 4.

T.

TAbernaculum quibus in locis fuerit. 2. Sam. VI, 17.
Talenti pondus. 2. Sam. XII, 30.

Tec-

Digitized by Google

Tectum Sabbathi. 2. Reg. XVII, 17.
Tegere pedes pro eo quod eſt exooerare alvum Jud. III, 24.
Tegere vultum inſtantis ſupplicii, apud Perſas, indicium Eſth. VII, 18.
Tegi caput in mœrore ſolebat. Eſth. VI, 12.
Telaim urbs ubi. 1. Sam. XV, 4
Templa ornabantur ſpoliis hoſtium. 1. Sam. XXXI, 10.
Templi Salomonici ſtructura non eſt exigenda ad normam Græcæ architecturæ. 1. Reg. VI, 6.
Templi & porticûs altitudo. 2 Eph. III, 4.
Templi janua regia quæ. 1. Ephem. IX, 18.
Templi janua ſuperior, aut Sur. 2. Reg. XV, 34.
Temporum periti qui. Eſth. I, 14.
Tentorium & Altare cur tempore Davidis ſeorſim ab Arca manſerint. 1. Ephem. XVI, 39.
Terra, pro terra Iſraelitide. Ruth. I, 1.
Terra promiſſa ad occaſum Jordanis. *Ib.* I, 2. quomodo data Iſraelitis dicatur, cùm totam numquam poſſederint. *Ibid.* 3. XI, 23.
Terræ motu ſubitus terror injectus hoſtibus. 1. Sam. XIV, 15.
Thaanath-Siluntis, urbs. Joſ. XVI, 6.
Thabor orbs. Joſ. XIX, 22.
Thadmor eadem ac *Palmyra*. 1. Reg IX, 18.
Thebanach ubi ſita. Joſ. XVII, 11. Jud. V, 19.
Tharſis ubi. 1. Reg. X, 22.
Tharſiſenſis claſſis Salomonis onde ſolveret. 2. Ephem. IX, 18.
Thebets, ubi. Jud IX, 50.
Theocratia Hebræorum. 1. Sam. VIII, 7.
Theatrum ligneum mirabile. Jud. XVI, 27. ingens multitudo theatro fracto obtrita. *Ibid.* 30.
Thekoha ubi. 2. Sam. XIV, 2.
Thelaſar tractus Syriæ. 2. Reg. XIX, 12.
Theſauri ſacri ad avertuocandum periculum dati. 1. Reg. XV, 18.
Thiglath-Phileſer ſecundus Aſſyriorum Rex, cujus meminit Scriptura. 2. Reg. XV, 29.
Thimna in tribu Danis Joſ. XV, 10.
Thimna & *Thimnatha* idem. Jud. [illegible], 1.
Thimnath-ſerachum ubi. Joſ. XIX, 51.
Thiphſach eadem urbs ac *Thapſacus*. 1. Reg. IV, 24.
Thipſach alia urbs ad occaſum Jordanis. 2. Reg. XV, 16.
Thisbita, unde Elias diceretur. 1. Reg. XVII, 1.
Thirtſa, regia Jerobobami. 1. Reg. XIV, 17.
Thopheth unde dictus is locus. 2. Reg. XXIII, 10.
Tibiarum uſus, apud Hebræos. 1. Reg. I, 40
Tobitis terra quæ & ubi. Judic. XI, 3.
Trahere pro ſcribere. Jud. V, 14.
Tribulis ac ſecuribus ſubjicere. 2. Sam XII, 31.
Tribus una dicuntur Juda & Benjamin. 1. Reg. XI, 13, 32. XII, 20.
Tribus alſus agros, inquilini inſtar, colere licuit. Judic VI, 11. X, 1.
Tributa Perſis ſolvi ſolita. Nehem. V, 18. Eſth X, 1.
Tributum annuum Salomonis quantum. 2. Ephem IX, 13.
Triturare cum ſpinis, quodnam ſupplicium Jud. VIII, 2.
Troglodytæ corúmque mores. 2. Ephem. XII, 3.
Tſabanannim tractus ubi ſitus. Joſ. XIX, 33.
Tſalmon, ubi. Jud. IX, 48.
Tſaphon urbs. Joſ. XIV, 27.
Tſarthan, urbs ad Jordanem. Joſ. III, 16.
Tſeltſach ubi. 1. Sam. X, 2.
Tſemarajim ubi. 2. Ephem. XIII, 4
Tſephatha urbs, ubi. Jud. I, 16.
Tſeredatha ubi ſita. Jud. VII, 22.
Tſereth-ſachar. Joſ. XIII, 19.
Tſiklag ubi. 1. Sam. XXVII, 6.
Tſoba Damaſcenæ pars. 1. Sam. XIV, 45 2. Sam VIII, 3.
Tſorba ubi. Joſ. XIX, 41. Judic. XIII, 2.
Tſuphi tractus ubi. 1. Sam. IX, 5.
Tuba convocabatur populus. Jud. III, 27.
Tyrannum an dolo interficere liceat. Jud. III, 20. V, 24.
Tyriorum Regis Epiſtola ficta à *Joſepho*. 1 Reg. V, 3.
Tyrus quàm antiqua. Joſ. XIX, 29.
Tyri regum prima mentio. 2. Sam. V, 9.

V.

VAllis Ela ubi. 1. Sam. XVII, 2.
Vallis ſalis ubi. 2. Reg. XIV, 7.
Vaſthis, Achaſueri uxor, an nota Græcis. Eſth. I, 10.
Vatem agere pro eo quod eſt furere. 1. Sam. XVIII, 10.
Vaticinari pro canere. 1. Sam. X, 5.
Vaticinari citharis, pro canere. 1. Ephem. XXV, 1.
Vellere induti Prophetæ. 2. Reg. I, 8.
Vendere ſe ad faciendum aliquid, perinde ac ſerviliter adfectui obſequi. 1. Reg. XXI, 20, 25.
Vendere, pro tradere. Jud. II, 14. IV, 2.
Venditionum ritus. Ruth. IV, 7.
Venerunt filii ad collum uteri, ſed vis nulla eſt ad pariendum. 2. Reg. XIX, 3. Proverbialis formula, de infirmitate virium.
VERBA, quæ initium propriè ſignificant, ſæpe continuationem tantùm deſignant. Jud. II, 6.
VERBUM unum additur pluribus nominibus, quorum uni tantùm convenit. 2. Eph. II, 4.
Verbum Dei pro revelatione prophetica. 1. Sam. III, 1, 21.
Veritas pro æquitate. Nehem. IX, 33.
Verſus Hebraïci ſimiliter deſinentes. Joſ. X, 13. Judic. V, 2. & *ſeqq.*
Veſtes lacerare, auditâ blaſphemiâ, ſolebant. 2. Reg. V, 7.
Veſtes Regi ſupponi ſolitæ. 2. Reg. IX, 13.
Via dura pro pertinacia. Judic. II, 18.
Victimæ partes diſtribuebantur. 1. Sam. I, 4.
Victimas humanas mactare ſolebant Ethnici, in periculis urbium. 2. Reg. III, 22.
Victimarum multitudo quàm incommoda. 2. Ephem. VII, 5.
Victoria Iſraëlis Deus. 1. Sam. XV, 29.
Videamus nos invicem, provocatio ad certamen. 2 Reg. XIV, 7.
Videns pro Propheta quando dictum. 1 Sam. IX, 9.
Viduarum à vindice duci cupientium mos, apud Hebræos. Ruth. III, 4.
Vigilias noctis tres conſtituebant Hebræi. Jud. VII, 19. confutatus ea de re *Scaliger*. Ibid.
Vinciri in anima, pro eo quod eſt amicum fieri. 1. Sam XVIII, 1.
Vincula ſepulcri, maxima pericula. 2. Sam. XXII, 6.
Vini oleum in ſacris. Jud. IX, 9; 13.
Vir menſuræ, aut *menſurarum*, pro procero. 2. Sam. XXI, 20.
Virgâ humanâ caſtigare, quid. 2. Sam VII, 14.
Viſio ſymbolica non debet nimiùm urgeri. 1. Reg. XXII, 19.
Vitam reddere quid. 1. Sam. II, 6.
Vituli Jerobobami Ægyptiacum inſtitutum. 1. Reg. XII, 28.
Uncti Dei Patriarchæ. 1. Ephem. XVI, 22.
Unctum Dei cur occidere noluerit David. 1. Sam. XXIV, 7. XXVI, 9, 10. 2. Sam. I, 14.
Ungere pro conſtituere. 1. Reg. XIX, 16.
Vocari nomen ejus dicitur, qui poſteros & celebritatem conſequitur. Ruth. IV, 11, 4.
Vovere virginem Deo quid eſſet. Jud. XI, 39.
Vox Dei tonitru. 2. Sam. XXII, 14.
Vox ſilentii tenuiſſima. 1. Reg. XVIII, 12.
Urbes agri, pro urbibus ſilveſtribus & parum frequentibus. 1. Sam. XXVII, 5.
Urbes dirutæ devotæ. Joſ. VI, 26.
Urim, pro *Urim* & *Thummim*. 1. Sam. XXVIII, 6.
Urim & *Thummim* non reſpondiſſe fulgore litterarum pectoralis.

lis. 2. Sam. II, 1.

Urim & Thummim, cujus gratiâ adhiberentur. 1. Sam. XXII, 15.

Urſæ orbatæ ferocitas in proverbium abiit. 2. Sam. XVII, 8.

VULGATUS Interpres abſurdè vertit. Joſ. XIV, 15. XV, 5. XIX, 3. V, 18. Jud. X, 1. 1. Sam. II, 36. XIV, 5. XIV, 40. XVII, 20.

Ex conjectura. Jud. III, 22. V, 2, 11. XV, 7, 8, 16. XIX, 2. Ruth. II, 7, 14. 1. Sam. XV, 12. Eſth. I, 14.

Aliter legit. Ruth. II, 7, 23. 1. Sam. VI, 2. XVII, 18. XXI, 13.

Omittit. Jud. III, 2. VI, 22. XIX, 6. XX, 16. 1. Sam. XXVII, 7.

Paraphraſi utitur in locis obſcuris. Joſ. II, 15. XI, 17. V, 11, 13. Jud. X, 8. XIII, 15, 19. XX, 38 Ruth. I, 12, 13. IV, 6. 1. Sam. XV, 29. .Sam. I, 19.

Vultum regis videre, quid ſit. Eſth. I, 15.

F I N I S.

005646731

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN

Digitized by Google